BRAVO

OPERA MEDICA

2.

1574

1. I. a

15227/D.

A·XXX Bra

172.

# D. D. CYPRIANI
# DE MAROJA,
## MAGNI PHILIPPI IV.
Hiſpaniarum Regis potentiſſimi,

**AC S. INQVISITIONIS MEDICI, ET MINISTRI;**

*IN CELEBERRIMA PINTIANA ACADEMIA*
*primò Methodicæ, Veſpertinæ, & Primariæ Hippocratis Cathedræ;*
*deinde verò Primariæ Auicennæ Moderatoris perpetui,*

# OPERA OMNIA MEDICA
## TRIBVS ABSOLVTA PARTIBVS,

Quarum:
- I. Febrium naturam in communi, & in ſingulari, earumdemque cauſas, ſigna, & curationem exhibet; cum breui Tractatu de Morbi Gallici natura, & curatione; & celebri Quæſtione de partium materialium diuerſitate in mixtis.
- II. Praxim vniuerſalem de internorum morborum natura, & curatione complectitur variis ornatam obſeruationibus, & diſputationibus.
- III. Conſultationes, Obſeruationes, & Annotationes Medicas continet, vnà cum plurimis Diſputationibus phyſicis ad Praxis Medicinæ complementum valdè neceſſariis.

Editio altera diligenti curâ recognita, prioribus emendatior, copioſiſſimiſque Indicibus locupletior.




LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII ARNAVD, & PETRI BORDE.

M. DC. LXXIV.
CVM SVPERIORVM PERMISSV.

# IOANNES-LAZARVS GVTIERREZ, SEPVLBEDENSIS,

## Medicinæ Pintianæ Doctor, in eadémque alma Academia primùm liberalium Artium, deinde Chirurgicæ, nunc Methodicæ Cathedræ publicus Profeſſor:

Lectori Benevolo *Opus ſuo Authore dignum commendat.*

CVRNAM grandis ille Hippocrates Cous, Apolline ſatus (Lector amice) Archiater omnium Medicorum calculo æſtimetur, noſtrum iamdudum torſit ingenium. Aliquando placuit, proindè Primatem inter veteranos conſidere, quia omnium primus rei medicæ inuentor reputetur. Diſplicuit poſtmodùm hoc; cùm Medicinæ ſcientiam ante Diuinum Hippocratem, quidam Apollinem primùm tractaſſe, alij Mercurium, hi Pæonem, Chironem Centaurum illi, non pauci Æſculapium, mox Podalyrium, & Machaonem aſſeuerent. Vnde ſi ſæcula ſpectes, antiquiora ſunt quàm Hippocratica, quæ Medicinæ leuamina viderunt. Venit in mentem, in eo prudentiſſimi Senis prioritatem ſtetiſſe, quia quæ in affligentia mala humano corpori proficua remedia hominum induſtria experiebatur, cùm ad Apollinis Templum ſculpta ſeruarentur, ſolerti curâ, curioſâve ſolertiâ poſteritati præuidens Hippocrates recollegit prouidè, atque hinc inde compoſitis remediis ſingula ſuis adaptauit malis. At quamuis in hoc eximiâ laude Senis piiſſimi prouidentia digna cenſeatur; ipſe tamen proinde non videtur ex Empyricorum turba ſequeſtratus: quippe hoc remedium epilepſiæ profeciſſe, alterum paralyſim curaſſe, illud ſedaſſe inflammationem, iſtud temperaſſe febrem aſſequi, rem paruam in Medico putauit Galenus. *Non enim ſcire, quod fieri oporteat* (inquit) *id magna res eſt, vt quod omnibus hominibus natura inſit; ſed quibus rationibus illud efficias.* Putabat inſignis Pergamenus, Medicinæ culmen non æquè experimentum, ac rationem adquirere, ſed hanc illi multis numeris præſtare: vnde quamuis ſola experientia finem medicum aliquando attingat, ſæpius tamen ab eo deflectit; rationem verò, ſi quandò aſſequi non accidat, plerumque eundem conſequi

*Victoria tom. 1. Theath. Deor. Gentil. lib. 5. cap. 7.*

*6. method. cap. 2.*

experimur. Ergo quia Hippocrates infinitas penè morborum ſchedas congeſſerit, quamuis aliquâ gratiâ, ſupremâ tamen ſede dignus non eſt. Vnde ergo diuinitas, ac prælatio inter veteranos Appollineos illi adſcribitur? Meo iudicio (ſi fas ſit interponere) exinde putarim, illum in puppi nauis primam ſedem meruiſſe, quia illorum remediorum, quibus morbos leuabat, naturas primus adinuenit, rationes primus adumbrauit, vt & ipſe Galenus profitetur. Nec ex eo ſolùm, ſed ex continua ægrotantium inuiſione, & remediorum vſu nobis præcepta communia, diagnoſtica, ac prognoſtica reliquit, ex plurimis ſingularibus vniuerſam doctrinam deducens, quibus poſteritatem erudiret, ac humanam mentem illuſtraret. Nec ex eo ſolùm, ſed & ægrotos certos in medium protulit, in quorum imagine exitum fauſtum, aut infelicem nobis ocurrentes præuideamus, ne caſus accidat, qui ſingulari experimento notatus, ad certa opera certâ luce non dirigat. Decet quippe omnem Magiſtrum (nedum tantum) factorum exempla adducere, vt Galenus optat, quo illa, quæ vniuerſim in doctrinis concluduntur, ad veram praxim reducta, firmiùs pertinaces reuincant, aut veriùs ingenuos informent. Ergo maximus Hippocrates inter primates ſenior, inter priores primus reputatur, quia quæ vulgarium inquiſitio remedia fuit adepta, quæ languentium induſtria recollegit, quæ fuerunt morbis experta, quæ explorata accidentibus, ratione, ac iudicio explanauit, firmauit, poſteritatique conſulens commendauit. O ſtupendum hominis ingenium! O miraculum naturæ!

*1. de natural. facult. c. 3.*

*Method. c. 6.*

Hinc velim mille encomiis (Lector beneuole) ingenium, ac morem eruditiſſimi D. D. CYPRIANI DE MAROJA extuleris: in eo quippe habes ad vnguem ſculpta, quæ in Diuino Hippocrate antea delineabam. Primus eſt hodie Medicinæ Pintianæ, ſi non inuentor, moderator: velut ſuis fuerunt curriculis doctiſſimus Mercatus, ſapientiſſimus Polancus, eruditiſſimus Martinus Polo, præſtantiſſimus Abbas Santa-Cruz, ac (vt innumeros, grauiſſimóſque omittam) ſcientiſſimus Barba. Primus eſt hodie, qui neglectâ maledicorum calumniâ, elucubratos indeffeſsâ rotâ labores, lucem ſubire Iunoſciam maluit, quàm ſub modio repoſitos ærugini, aut tempori extinguendos relinquere. Primus eſt hodie, qui quæ propriâ experientiâ, aut doctiſſimorum obſeruatione remedia ad Apollinis templum, id eſt prudentiſſimorum practicantium libros, pendentia habuit, in vnum collecta dedit, atque ſubtili ratione poſteris reliquit duplici partita volumine: Primo febrium omnigenarum ſecuræ, ac eruditæ medelæ adſcripto: Secundo internorum morborum certæ, ac doctæ curationi dicato. In vtroque grandis dubia iactat, ſed grandiori ingenio diſſoluit; namque quæ theoriam ſapiunt, Lycæum non deſiderant; quæ praxim, pergamenum non exoptant; nec quæ Hippocrates breuiloquus ex more habuit Græco, noſtrum Marojam ex natura fugiunt. Ille in paucis multa dedit; iſte multa in paucis, non reſoluens aliena, reſumit propria; non deſtruens priſca, noua componit: namque breuiloquus eſt, qui laconicus: is verò nihil omittens, omnia profert; dicens multa, ſcribit pauca; id quod in Hippocrate ſuâ ætate, in noſtro MAROJA iſtâ eſt admirandum.

Demùm, ſi inſignis Cous morborum, ac medicaminum naturas contemplatus, rationes, vnde illa operentur, ſubtiliſſimè calluit, noſter Doctiſſimus MAROJA in ſuis præclaris ſcriptis idem eximius Philoſophus obſeruat; & ne exempla, curationem, aut hiſtorias ægrotantium indecenter omitteret,

en

en Lector amice, tertium opus. Tertium (inquam) ordine, non dignitate; loco, non pretio, vbi obſeruationes exprimit, non imprimit; explicat, non implicat, illorum more, qui quaſdam ſcripſerunt, quibus factorum, aut accidentium rationes adhibere non curarunt; quid fieri oporteat aduertentes, ſed non quibus rationibus, vt Galenus optat, & Maroja cordatus præſtat. Accedunt iis nonnulla huic operi inſerta, quæ quia nunquam ab aliis elaborata, ingenioſos non infructruoſè delectabunt, & quia ex ore huius grauiſſimi Authoris definiuntur, non ſine authoritate; & ratione conuincent. Accipe ergo, Primarij noſtri opus tertium, quod iamiam quaſi arata rugis fronte, cocto, ac maturo conſilio, tibi conſulens, & priùs vniuerſæ Reipubliæ, in lucem prodit. Nocturna verſato manu, verſato diurna; namque, ſi mores, ac Authoris eruditio ex operibus aliis collecta, aſſenſum hiſtoriæ firmum præſtare habent, vt Galenus ſupponit; iam nihil ſupereſt tibi ſuadendum, Stvdiose Lector, qui Magiſtrum habes virtute præſtantem, eruditione fulgentem, moribus humanum, ac in Medicina exercenda penè diuinum, vt in tuam vtilitatem, & maledicentium opprobrium eiuſdem operis Authorem, ac Mecœnatem habeas, ac tanti beneficij gratiſſima memoria cum tua perennet. Vale.

*Doctor* Ioannes-Lazarvs
Gvtierrez.

# AD LECTOREM BENEVOLVM.

CVM ſalute nihil optabilius in humana vita ſit, nonne pergrato (Candide Lector) excipi debent animo tot Medicinæ Procerum elucubrationes, vtiliſſimáque conſilia, quibus æterna ſibi præſtruxere monumenta, dum quotidianis mortalium morbis conſultum eſſe voluere. Quoniam verò mortem effugere ſit impoſſibile, cùm facilè ſingula mortalium bona mutentur, ac citò euaneſcant; vitam celeri præterlabentem curſû, aut ſalutem, quâ perpetuò frui peroptamus, reſtituere, aut quoquo modo reparare nequimus aliter, quàm Medicinâ; ipſa enim affligentes morbos à corpore pellit; debilitatas vires reſtaurat, amiſſam pulchritudinem exſuſcitat, emaciatúmque iuuenilis ſplendoris florem rediuiuum facit: imò dum corporis detrimentis reſarciendis intenta eſt, ad animi etiam oblectamenta non parum confert, dum ingenium acuit, pacatámque animam ſanum ac vegetum corpus beatè, & hilariter inhabitare facit. Abeant igitur inſani, veſanâ, & abſurdâ opinione imbuti, ſuperuacaneum exiſtimantes remedia ægris ad debellandos morbos adhibere, antidota nulla prorſus admittenda fore putantes, nullumque à Medicis in grauiori etiam morborum conflictu expetendum eſſe ſolatium; cùm cuique (vt ipſi blaterant) ſtatutus ſit in hoc ſæculo vitæ terminus, præfixúſque interitus. Horum inſania ex abſurdis conſequentibus perfacilè euincitur. Fruſtra enim, ſi

verè opinarentur, à periculis circumdantibus homines effugerent : Fruſtra Medici in omni Republica benè inſtituta ad viſendos ægros admitterentur : Fruſtra tot herbarum, radicum, florum, arborum varietas à ſupremo rerum Authore condita fuiſſet, ſi nihil ad hominum commodum conferre poſſent : Fruſtra tandem Deus hæc omnia mortalium pedibus ſubieciſſet ( quæ tamen ad vnicam eorum ſalutem creata videntur ) ſi ex iis ad ſui conſeruationem, & vitæ fruitionem nullam poſſent vtilitatem capere.

Ne verò (BENEVOLE LECTOR) erroris ex ſe odibilis, apudque ſolos amentes plauſibilis oppugnatio te cum tædio detineat, ad præſentis Operis lectionem oculorum aciem conuertas, in quo nec nimia in ſcribendo breuitas ignorantiam, nec copioſa verborum multitudo confuſionem parit. Quapropter in prima Parte, vt Tyronibus curandi via patefiat, diligenter, & accuratè ea, quæ ad febrium exactam notitiam, cauſarum, & ſymptomatum inueſtigationem ſpectant, dilucidè pertractata inueniuntur, adhibitâ etiam cuiuſlibet febris curatione ex probatiſſimis Authorum ſcriptis deprompta, quotidianáque obſeruatione comprobata. Sed quia intellectus humanus rebus vulgaribus non acquieſcit, ideò in hoc Opere plurima notatu digna, in controuerſiam tamen poſita, maximâ cum claritate, & ſubtilitate, ad febrium, & aliorum morborum curationem ſoluuntur; in eóque ( ne quid vtile deſit ) nihil ſcribitur, quod ratione tutiſſimâ ibi adiunctâ non muniatur.

Pars ſecunda nouam, & antiquam Medicinæ praxim complectitur. Nouam quia nouos, inſolitóſque caſus exhibet, eorum adhibitis curationibus, quæ, vt exemplar, practicantium animos excitent, inſtruant, & ad benè, faciléque curandum tutiſſima remedia ſuppeditent. Antiquam, quia priſcorum Medicinæ Principum dogmata in ea traduntur, nihli adhibendo eorum præceptis diſſonum; imò ita ea exponit, vt quibuſdam deciſionibus, curandi modo, & remediorum exhibitione additis, magis nota, excultioráque euadant.

Tertia tandem Pars, quam veræ Practicæ Medicinæ complementum dixeris, Conſultationes, Obſeruationes, & Annotationes, vnà cum variis diſputationibus, & quæſtionibus phyſicis, & medicis comprehendit, ad plurium morborum diagſim, & prognoſim valdè neceſſariis, in quibus haud pauca ſcitu digna, nondum tamen ab antiquis excogitata, ſed nouiter ab Authore propoſita, maximâ cum claritate in controuerſiam poſita, & demùm cum vtilitate ſoluta ſunt.

Hæc (AMICE LECTOR) placido reſpice vultu, hilari excipe animo; quæ ſi fortè in aliquo tibi diſpliceant, attende priùs, quod hîc nihil ſcribitur, quin valida ratione firmetur; ideóque ſi bono in Authorem fueris animo, omnia laude digna tibi apparebunt, quibus benè vtere, fruere, & vale.

ILLVSTRI

# ILLVSTRI D. D.
# CYPRIANO DE MAROIA,
## Virtute, atque ſcientia vndique prædito; ſanguine, & litteris pariter conſpicuo, ſibique multis ex titulis venerando:

*Suus alumnus, atque diſcipulus Doctor* COSMAS GIL-NEGRETE, *Olim in Vallis-Oletana Academia Artium Cathedræ Moderator, nunc Liuiæ publicus Medicinæ Profeſſor D. C. O.*

NONNE abſque pauore præceps mei creſcet audacia? Nonnè (ô facunde Doctor, æui ſapientia noſtri) lumine captus, *trepidúſque miniſtro prætentans baculo terram*, de nitentibus iudicium radiis proferre poterit?

*Splendidior liquidis cum Sol caput extulit vndis?*

Nonne ruſticis induta moribus, prælio metaphyſico, arduoque mens inchoabit repentè? Sanè, quod minimè, fantur omnes. Sic ego tuæ ſemper doctrinæ alumnus, ruſticus tamen ipſe, attonitis inhians animis, tuum nimis argutè elaboratum perſpexi volumen, eidemque totius doctrinæ lepido, atque lucido armario; priùs tamen fulgore orbatus adhæſi: & quidem (ô excedens prodigium) caliginem me ſepientem expulit, *ſomnoſque excutit inertes:* at dum magis in illum tendebam ardentia lumina, eo magis mentem ſtupor vrgebat inermem. Dum magis animus paſcebatur, illud intuitu ardeſcente tuendo; eo magis

*———————cor ſalit attonitum,*
*Et timor informem ducit in ore notam.*

Proſequor pauitans, dum tuæ mirificæ doctrinæ quidpiam addere tendo; obmuteſcit enim lingua, calamus hæret, animuſque ſtupet perterritus. Tu mihi prima dediſti Medicinæ cunabula, necnon continuè ſub te tolerare Magiſtro militiam Palladis, & graue Apollinis opus, tua cernere facta aſſueui. Si igitur quæcumque habeo, omnia tibi accepta refero, haud immeritò obſtupet cupiditas:

*Atque animo incerto fluitans errore vagatur.*

Tentat, beneficia reddendi typum ignorans, cum meritam tibi gratiam perſoluere, vel minima ex parte nullo modo poſſit. Sed mœrens pectus abſque ſolamine conſtitutum, dictis mulceat ſuauibus D. Baſillius *homil.* 35. cùm *pauperis eſt* (inquit) *debitum laude ſoluere.* Sed tali in diſputando proceritati, tali in obſeruationibus nouitati, tot remediorum agmini, tantæque in arguendo ſubtilitati, quid in laudando ſufficiet? honor quis? quæ laus? quod carmen

*Daphnim tuum tollere valebit ad aſtra?*

Si ipſa, tuaque virtus ſupra micantia ſydera ſæpe congenita, ſæpius curſu cacumina totius laudis petit.

*Quibus ergo te cœlo laudibus æquem?*
*Non ego ſum ſatis ad tantæ præconia laudis.*
*Cantetur toto nomen in orbe tuum.*

Felices ſe fateantur Areuallenſes incolæ tot annis à Parca immunes tuâ protegente medelâ; cum

*Saucia ſubgelidis ardebat vita periclis.*
*Immenſuſque calor frigus lethale coquebat.*

Haud ſileat Sancti Stephani de Gormaz cognominatum oppidum, quod primus tibi vitales tradidit auras, primámque ibi lucem hauſiſti, ipſo ſemper, & vbique aſtante tuæ nobilitatis

tatis ærario, quod iuxta domum tuam vidiſti multiplici illuſtrem honore.

*Stirpe genus clarum, cœloque affinis origo.*

Vocem pectore erumptat Complutenſis, atque Pintiana Athenas, dum in vtraque puero, nondumque iuueni, omnis tibi ſermo cum libris erat, omni cogitatione, atque ſtudio optimis incumbenti diſciplinis, ac artibus, ſine ductore virtuti incumbenti directè, ſine pædagogo ſummis inſtructo moribus, quem ſi Galenus *lib. Vtrum animi mores corporis temperat. ſequantur*, videret, non vtique diceret: *Reperies enim paucos admodum pueros naturâ ad virtutem propenſos, ſed à parentibus, & pædagogis ad eam minis, increpationibuſque conuerti.* Sed tu, ô Magiſter inclyte, vnicus inter omnes ſine duce, aut parente integer vitæ, puruſque ſceleris, euaſiſti pietate inſignis, & verâ bonus ſimplicitate. At quid mirum adeſt? Si tua

*Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque latè*
*Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus vllis*
*Erigitur, plauſúve petit clareſcere vulgi:*
*Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis;*
*Diuitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis*
*Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.*

Academia, inquam, prorumpat vtraque, aditum patefaciens ad ſummos tibi adeptos honores in ipſis. Complutum enim bonarum Artium Bacchalaureatum, & Licentiaturam primo tibi contulit loco; & rurſus Bacchalaureatum in ſalutari doctrina. Oxamo Licentiatum, ac Doctorem te condidit in eadem Apollinea ſcientia; tandemque in Regali Pintia Licentiati, & Doctoris ſplendorem, iuxta eandem delphicam diſciplinam mirificè fuiſti adeptus, vbi Methodicam Cathedram, Veſpertinam deinde, vltrà Hippocraticam Primariam, & demùm omnium Primam Auicennæ dictatam ſapienter, miramque doctrinam diffundens geſſiſti.

Voces tota Vallis-Oletana ciuitas per æthera iactet, eiuſque rumor feriat aurea ſydera, cùm te Aſclepiadem mereatur dulci amplexu tenere, tuaque medelâ ſuauis, multo iam tempore, &

*Nunc mulcet ſuccis, ligat inde, ac vellera molli*
*Circundat tactu, & torpentes mitigat artus.*

Inſequatur remediorum murmur vbique præſtantium, quibus quoſcumque morbos rectè fugas, ſapienter euellis, quemuiſque lenis dolorem, adeò vt rectè à Galeno *lib. 6. de compoſit. medicam. ſecundùm loc. cap.* 3. manus Dei per hæc verba vocitentur. *Quocirca ſi pronuntiaueris pharmaca nihil eſſe ſola per ſe, rectè dixeris; nihil enim ſunt, niſi nacta fuerint vtentem: iuuant enim maximè, ſi is, qui eis vtitur, in rationali methodo fuerit exercitatus, & cum hoc naturâ prudens.*

*In tuâ, centenas aptent præconia voces.*

Tot diſcipuli ad diuerſa loca diſperſi, qui iam diu euadentes Magiſtri, tumque ſalutiferam ſcientiam, tumque inæſtimabilem praxim, quam è tuo hauſere perenni fonte, opimè impartiuntur hominibus, ac cunctis morbidis obſiſtentes ictibus; illa verò ſubtilia iuuenum genia Apollini tradita arripientes mirificè in totius Machaoniæ doctrinæ culmina,

*Scandant ſuper titulos, & auitæ laudis honores.*

Quot edidiſti volumina? Illud febrium naturam, cauſas, ſigna, prognoſim, & pharmaceuticem, aliaque quamplurima, & diuerſa ſigillatim finitimum vſque apicem apertè dilucidans: aliud internas in lucem adducens affectiones humanas, cæteraque de aliis, de criſibus vtpotè, pulſibus, lotio, microtechni, &c. nitidam perararunt papyrum, & hic tandem liber doctrinâ profundâ, argutie ſubtili, lepidâ eruditione, breuitate diffuſa, veterique nouitate adeò præfulcitus, vt ipſa buccina volucris, & aligeræ famæ ſe inualidam tanto oneri clamitet.

*Totas decurrat vrbs tuas carmine laudes.*
*Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.*

Sed quid moram molitur, & complexa pedes hæret in primo limine? Vocem ego premam, ipſoque obmutens ore, digito compeſcam labellum: *Satius enim* (vt refert Saluſt.) *eſt ſilere, quàm pauca tenuiter, & ieiunè dicere:* immò ad quid

*Expediam dictis, & te tua facta docebo.*

Quia (vt Imperator commonefacit rectè) *ſuperfluum eſt priuatum teſtimonium, vbi publica monumenta ſufficiunt.* Viue Medicinæ decus ſupremum, viue diutiſſimè, vt tua ſalutifera ſcientia Æſculapij nouos, & tuos creet alumnos. Vale.

*Doctor*

COSMAS GIL-NEGRETE.

AVTHO

# ELENCHVS AVTHORVM,

## Qui toto hoc opere fideliter citantur.

### A

ACTVARIVS.
Auerroës.
Æmilianus.
Aretheus.
Ariſtoteles.
Aëtius.
Alpinus.
Alphonſus Lupeius.
Auicenna.
Albucaſis.
Alchabitius.
Athenæus.
Apollonius.
Aloiſius Luiſinus.
Ambroſius Paræus.
Andreas Laurentius.
Andreas Veſalius.
Ambroſius Nuñez.
Amatus Luſitanus.
Alfonſus à Carranza.
Auguſtinus Nyphus.
Ambroſius Calepinus.
Auſonius.
Albertus Magnus.
Antonius Muſa.
Arnaldus de Villanoua.
Alexander Aphrodiſeus.
Argenterius.
Aldrete.
Archigenes.
Artemidorus.
Argelata.

### B

Boëtius.
Bernardus de Senio.
Braſſauolus.

### C

Carranza.
Caſſiodorus.
Cardanus.
Caietanus.
Caluus Valentinus.
Caſaneus.
Carolus Cluſius.
Cælius Rhodiginus.
Cælius Aurelianus.
Cicero.
Ciruelus.
Conradus.
Cornelius Gallus.
Cornelius Tacitus.
Cornelius Celſus.
Clarus Augurius Ferrerius.
Conimbricenſes.
Crito.
Coſteus.
Chriſtophorus à Vega.

### D

Danza.
Deodatus.
Diocles.
Dioſcorides.
Didacus Merinus.
Diana.
Diuus Auguſtinus.
Diuus Hieronymus.
Diuus Ioannes Euangeliſta.
Diuus Lucas.
Diuus Thomas.
Donatus Antonius.

### E

Ecclesiaſtici liber.
Eraſiſtratus.
Eraſmus.
Euſtachius Rudius.
Epicurus.
Euenor.
Euripides.
Empyrica Epiphanij.

### F

Fallopius.
Fernelius.
Franciſcus de Torreblanca.
Franciſcus à Leiua.
Franciſcus Suarez.
Franciſcus Iuntinus.
Ferrarienſis.
Fonſeca.
Franciſcus Valleſius.
Fragoſus.

### G

Galenus.
Garcias de Horto.
Gaſpar Brauo.
Gentilis.
Geneſis.
Geſnerus.
Guido.
Gordonius.

### H

Halyabbas.
Heurnius.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Capibaceus.
Hippocrates.
Hieronym. Fracaſtorius.
Hieremias Triuerius.
Homerus
Holerius.
Hugo.
Hippolytus.
Horatius Augenius.
Hugo Senenſis.

### I

Iacobus Forliuienſis.
Iacobus Claromõtanus.
Ianus Cornarius.
Iacobus de Lencampus.
Ioannes de Vigo.
Ioannes Luſitanus.
Ioan. Baptiſta Theodoſius.
Ioannes Baptiſta Cortes.
Ioannes Thagautius.
Ioannes Colle.
Ioannes Philippus.
Ioannes Baptiſta Alſianus.
Ioannes de Sacroboſco.
Ioannes de Saxonia.
Ioannes Hiſpalenſis.
Ioſeph Galeanus Siculus.

### L

Lacuna.
Lazarus de Soto.
Lactantius Firmianus.
Leiua Cordubenſis.
Leonardus Botallus.
Liber Prouerbiorum.
Lipſius.
Lucanus.
Ludouicus Mercatus.
Ludouicus Lobera.

### M

Machabæorum libri.
Mathiolus Senenſis.
Marcellus Medicus.
Marcus Muſurus.
Matamoros.
Magninus.
Matthæus de Gradi.
Manardus Hiſpalenſis.
Manardus Ferrarienſis.
Manilius.
Martinus del Rio.
Matthæus Curtius.
Macrobius.
Menodotus.
Menander.
Meſues.
Mena.
Medranus Salmanticenſis.
Moxius.
Mundinus.

### N

Nuñez de la Serna.

### O

Otheus.
Obietus.
Ochagauia.
Ouidius.

### P

Paulus Ægineta.
Paulus Iuriſconſultus.
Paparella.
Parmenides.
Pereira.
Peramatus.
Pereda.
Petrarcha.
Petrus Steue.
Petrus Apponenſis.
Petrus de Largelata.
Petrus Garcia.
Periander.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Praxagoras.
Propertius.
Ptolomeus.

### Q

Quercetanus.
Quintus Serenus.

### R

Rhaſis.
Rabbi Moiſes.
Rembertus Dodoneus.
Rondeletius.
Ruellius.

### S

Sancta-Cruz.
Salius Diuerſus.
Saladinus.
Seneca.
Sennertus.
Skenchius.
Segarra.
Seneca.
Schola Salerni.
Soto.
Syluaticus.
Scotus.
Stobeus.

### T

Thales.
Theophraſtus.
Theophraſtus Paracelſus.
Theodoricus.
Theſſalus.
Titelmanus.
Thomas de Garbo.
Thomas à Veiga.
Tralianus.
Trincauellius.

### V

Vaſquez.
Valeſcus de Taranta.
Valleſius.
Verinus.
Villalobos.
Vlpianus.

### Z

Zacutus.
Zeno.

# SERIES
## LIBRORVM, QVÆSTIONVM, ET PARAGRAPHORVM,
### Quæ in Tractatu de Febribus continentur.


## LIBER PRIMVS.

*De Febrium natura.* pag. 1

QVÆST. I. QVid ſit febris. ibid.
II. Vtrum febris habeat ortum à principio intrinſeco. 8
III. Vtrum calor febrilis ſit accenſus in corde. 14
IV. Vltima pars definitionis febris explicatur. 15

## LIBER II.

*De Febrium diuiſionibus.* pag. 17

QVÆST. I. DE diuiſionibus febrium. ibid.
II. An febris ſit diuiſibilis per differentias eſſentiales. 18
III. Vtrum tertia febris diuiſio tradatur per materiam. 20
IV. An febris diuiſio in putridam, diariam, & hecticam ſit adæquata. 21
V. An febris ſynochus ſine putredine ſit inter diarias reponenda. 22
VI. de aliis febrium diuiſionibus. 23

## LIBER III.

*De cauſis Febrium in communi.* pag. 20

QVÆST. I. AN febris detur per omnia genera cauſarum. ibid.
II. An motus ſit cauſa caloris. 25
III. Vtrum anima rationalis ſit potens calorem febrilem producere mediis illius paſſionibus. 28
§. j. Vtrum animi paſſiones poſſint ſubitò interitum cauſare. 32
ij. Vtrum ira aliquem interimere poſſit. 34
iij. Aquo efficienter moueantur ſanguis, & ſpiritus in animi paſſionibus. 35
iv. Reſponſiones ad argumenta de animi paſſionibus proponuntur. 40
IV. De aliis febrium cauſis, & quomodo calorem excitent. 41
§. j. Vtrum alteratio materiæ in febre putrida ſit putredo, vel coctio, vel actio quædam media. ibid.
ij. Proſequitur author cauſarum febrium enumerationem. 46
V. An præter cauſas naturales febris à nobis aſſignatas, aliæ ſuperſint altioris ordinis. 47
VI. De reditus febrium cauſis per circuitus. 50
VII. De cauſis reditus febris tertianæ, quotidianæ, & aliarum per circuitus. 53
VIII. An in febribus interpolatis humores extra vaſa putreſcant. 54
IX. Vtrum tempus interualli in febre intermittente, ſit verè morbi tempus. 57
X. In quo conſiſtat natura rigoris. 59
XI. De cauſis rigorem efficientibus. 61
XII. Vtrum rigor maior à fortiori, vel debiliori virtute excitetur. 62
XIII. An poſſit dari rigor non ſuperueniente febre. 63
XIV. Quæ corpora ſint magis ad febrem parata. 64

## LIBER IV.

*De febrium vniuerſali, & particulari curatione.* pag. 64.

QVÆST. I. AN curatio febrium debeat incipere à remotione cauſæ. ibid.
II. An in febrium putridarum initio ſit ſanguis mittendus, vel expurgandum. 65
III. In quibus diebus liceat facere euacuationes ad febrium curationem. 67
IV. Vtrum in principio febrium putridarum

rum liceat vti pharmaco purganti. 68
V. Vtrum euacuationes ſymptomaticæ ſint aliquando vtiles. 75
VI. Vtrum euacuationes ſymptomaticæ ſint iuuandæ, vel cohibendæ. 78
VII. De tertiana exquiſita. 80
§. j. Curatio tertianæ exquiſitæ. 81
ij. De notha, & duplici tertiana. 82
iij. De duplici tertiana. 83
iv. Curatio nothæ, & duplicis tertianæ. ibid.
v. De tertiana pernitioſa, & ſyncopali. 85
vj. De tertiana pernitioſa, & ſyncopali ob decubitum humoris in partem principem. 88
vij. Curatio tertianæ pernitioſæ cum decubitu humoris in partem principem. ibid.
viij. De tertiana pernitioſa, & ſyncopali ex tenuiſſimis humoribus orta. 90
ix. Curatio tertianæ ſyncopalis minutæ. 91
x. Curatio febris ſyncopalis humoroſæ. 92
VIII. De febre quotidiana. 93
§. vnic. Curatio quotidianæ. 94
IX. De quartana febre. 95
§. vnic. Curatio quartanæ. 96
X. De hemitritæo, ſeu ſemitertiana. 98
§. vnic. Curatio hemitritæi. ibid.
XI. De febre epiala. 98
§. j. An febris epiala ab Auicenna adducta poſſit dari. ibid.
ij. An febris epiala à Galeno tradita dari poſſit. 99
iij. Curatio epialæ. 100
XII. De febre lipyria. ibid.
§. vnic. Curatio lipyriæ. 101
XIII. De febre ardenti. ibid.
§. j. Curatio febris ardentis. 102
ij. An in febre ardenti ſit ſanguis mittendus vſque ad animi deliquium. ibid.
iij. Alia remedia pro febre ardenti proponuntur. 103
XIV. De febre ſanguinis. 104
§. j. An detur febris ex ſanguinis putredine, manente ſanguine ſub propria forma. ibid.
ij. An febris ſanguinea ſit benignior quàm bilioſa. 106
iij. Curatio febris ſanguinis. 107
XV. De febribus ephemeris. 108
§. vnic. Curatio ephemerarum. 109
XVI. De febre hectica. 110
§. j. An calor hecticæ ſit æqualis. ibid.
ij. An hectica induat rationem habitus. 112
iij. An hectica dependeat à cauſa. 113
iv. An hectica inuadere poſſit à principio ante alias febres. 115
v. An hectica poſſit intendi, & in ſpecies diuidi. 116
vj. De ſignis febrium hecticarum in communi. 117
vij. De ſignis cuiuſlibet ſpeciei hecticæ in particulari. 120
viij. Curatio febris hecticæ. 121

## LIBER V.

*De Febre peſtilenti, & maligna.* pag. 123

QVÆST. I. Qvid ſit febris peſtilens. ibid.
§. j. An febris peſtilens ſit inter putridas connumeranda. 125
ij. De cauſis peſtis, & peſtilentis febris. 126
iij. De ſignis peſtis, & peſtilentis febris. 127
iv. De peſtilentis febris præcautione. 128
v. Curatio peſtis, & peſtilentis febris. 130
vj. De vlcerum, & anthracum curatione. 132.
vij. De bubonum peſtilentium curatione ibid.
II. De febre maligna. 133
§. j. Vtrum febris maligna, & peſtilens conſtituatur per qualitatem veneficam diſtinctam à primis. ibid.
ij. Argumenta aduerſus ſtatutas concluſiones proponuntur. 140
iij. De cauſis febris malignæ. 143
iv. De ſignis febris malignæ. ibid.
v. De ſignis prognoſticis febris malignæ. 146.
vj. De curatione febris malignæ. 147
vij. De victus ratione. 148
viij. Quid agendum in febre maligna circa morboſi apparatus correctionem. ibid.
ix. An apparentibus maculis expediat ſanguinem mittere. 149
x. De cucurbitarum vſu. 150
xj. De humorum præparatione, & purgatione in febre maligna. 151
xij. Quid aduerſus prauam qualitatem ſit agendum. 152

### SECTIO VNICA.

De ſymptomatum correctione in febre maligna. 153
§. j. De pleuritide febri punticulari adiuncta. ibid
ij. De parotidibus. 154
iij. De correctione ſymptomatum ventriculi. ibid.
iv. De ſiti. ibid.
v. De ſingultu. 155
vj. De ſymptomatibus inteſtinorum. ibid.
vij. De ſymptomatibus capitis. ibid.
viij. De ſymptomatibus cordis. 156
ix. De frigiditate partium extremarum. 157.
x. De morbillis, & variolis. ibid.
xj. De variolarum, & morbillorum ſignis, & aliis dubiis. 160
xij. Curatio variolarum, & morbillorum. 161

## TRACTATVS BREVIS

*De morbi gallici natura, & curatione.* p.162


Cap. I. QVid ſit morbus Gallicus. ibid.
II. Quod ſit ſubiectum huius morbi. 165
III. An morbus gallicus ſit hæreditarius. 166
IV. De cauſis morbi gallici. 167
V. Curatio morbi gallici. 168
VI. De ſudorificis auxiliis. 169
VII. De inunctionibus. 170
VIII. De gallicis ſuffumigiis. 171
IX. De conterendis morbi gallici reliquiis. 172


QVÆSTIO CELEBRIS.


Vtrum in quolibet mixto perfecto dentur partes, quæ correſpondent elementis. p.173.


# SERIES
# LIBRORVM, QVÆSTIONVM, ET PARAGRAPHORVM,
## Quæ in Praxi vniuerſali de internorum Morborum natura, & curatione continentur.

## LIBER PRIMVS.


*Proœmium.* pag.183
Cap. I. DE Medici dignitate, & excellentia. 184
II. De Medici officio. 185
III. Vtrum auxilia amuleta dicta, incantationes, & verba habeant vim morbos repellendi. 187
IV. De medicamentorum ad purgationem præparantium doſi, & exhibendi modo. 191
§. j. De aquis frigidis. 192
ij. De aquis calidis. ibid.
iij. De modo quo vtimur dictis aquis. ibid.
iv. De ſyrupis. 193
v. Syrupi bilem præparantes. 194
vj. Syrupi pituitam præparantes. ibid.
vij. Syrupi melancholiam præparantes. ibid.
viij. Syrupi humores attenuantes, & inſcindentes. ibid.
ix. Syrupi vias comprimentes, & humores incraſſantes. ibid.
x. Syrupi præparantes humores in thorace contentos. ibid.
xj. De medicamentis purgantibus. 194
xij. Medicamenta lenientia, quæ vſualiter habentur. 195
xiij. Medicamenta bilem purgantia. ibid.
xiv. Electuaria purgantia bilem. ibid.
xv. Pillulæ ad idem. ibid.
xvj. Medicamenta pituitam purgantia. 195
xvij. Electuaria pituitam purgantia. ibid.
xviij. Pillulæ ad idem. 196
xix. Medicamenta melancholiam educentia. ibid.
xx. Electuaria melancholiam educentia. ibid.
xxj. Pillulæ ad idem. ibid.
xxij. De manna, & illius exhibendi modo. 196
xxiij. De caſſia fiſtula, & eius vſu. ibid.
xxiv. De ſero lactis caprini. ibid.
xxv. De tamarindis, & eorum vſu. ibid.
xxvj. De habarbaro, & eius vſu. 197
xxvij. De myrobalanis, & eorum vſu. ibid.
xxviij. De aloë, & eius vſu. ibid.
xxix. De diagridio, & eius vſu. 198
xxx. De ialapa, & eius vſu. ibid.
xxxj. De cartamo, & eius vſu. ibid.
xxxij. De terebinthina, & eius vſu. 198
xxxiij. De mechoacam, & eius vſu. ibid.
xxxiv. De agarico, & eius vſu. ibid.
xxxv. De turbith, ſeu turpeto, & eius vſu, 199.
xxxvj. De hermodactylis, & eorum vſu. ibid.
xxxvij. De colocynthide, & eius vſu. ibid.
xxxviij. De elaterio, & eius vſu. 199
xxxix. De ſenna, & eius vſu. 200
xl. De polypodio, & eius vſu. ibid.
xlj. De epithymo, & eius vſu. ibid.
xlij. De helleboro, & eius vſu. ibid.
xliij. De lapide armeno, & eius vſu, & de lapide lazuli. ibid.


V. De

V. De capitis dolore. 261
§. j. De cauſis doloris capitis. ibid.
ij. Curatio doloris capitis ex ſanguine. ibid.
iij. Curatio doloris capitis ex bile. 202
iv. Curatio doloris capitis ex pituita, & melancholia. 203
v. Curatio doloris capitis ab intemperie nuda. 204
vj. Curatio doloris capitis ex flatu. ibid.
vij. Curatio doloris capitis ab ictu. ibid.
viij. Curatio doloris capitis ex ebrietate. ibid.
ix. Curatio doloris capitis per conſenſum. 205.
x. Curatio hemicraniæ. ibid.
xj. De aliis auxiliis communibus cuilibet dolori capitis. ibid.
VI. De phrenitide. 205
§. j. Vtrum exacerbationes in phrenitide diebus paribus euenientes, ſint deteriores aliis, quæ diebus imparibus accidunt. 207.
ij. Curatio phrenitidis. 209
iij. An in phrenitidis initio ſit offerendus victus tenuiſſimus. ibid.
iv. Obſeruatio pro quodam phrenitide affecto ſiti oppreſſo. 210
VII. De lethargo. 211
§. j. Num lethargi natura ſit intemperies calida. ibid.
ij. An delirium ſit ſymptoma pathognomonicum lethargi. 212
iij. Curatio lethargi. 213
VIII. De caro. 214
§. j. An lædatur reſpiratio in caro. 215
ij. Curatio cari. 216
IX. De typhomania. 217
§. vnic. Curatio typhomaniæ. ibid.
X. De catocho, ſeu catalepſi. 217
§. vnic. Curatio catochi, ſeu catalepſis. 219
XI. De memoriæ læſione. ibid.
§. j. An memoria lædatur deprauatè. ibid.
ij. De cauſis læſionis memoriæ. 220
iij. Curatio memoriæ læſæ. 221
XII. De morbo comitiali. 222
§. j. An morbi comitialis eſſentia conſiſtat in obſtructione. ibid.
ij. An motus cerebri fiat à facultate naturali. 224
iij. Curatio morbi comitialis. 225
iv. Obſeruatio pro muliere epilepſia laborante ex vteri conſenſu. 227
v. Obſeruatio mirabilis pro quadam monacha epilepſia laborante. 229
vj. Vtrum aliqua remedia in curatione epilepſiæ prodeſſe poſſint. 230
XIII. De incubo. 232
§. vnic. Curatio incubi. ibid.
XIV. De vertigine. 233
§. vnic. Curatio vertiginis. 235
XV. De apoplexia. 236
§. j. An homo viuere poſſit ſine reſpiratione, & quanto tempore. ibid.
ij. Curatio apoplexiæ. 238
iij. Obſeruatio pro quadam apoplectica. 239
XVI. De paralyſi. 240
§. j. An paralyſis ſit in obſtructione conſtituta. ibid.
ij. Curatio paralyſis. 242
iij. Obſeruatio pro quadam paralyſi affecta. 244
iv. Dubiola quædam circa paralyſim. 245
XVII. De melancholia morbo. 246
§. j. A quibus cauſis, & quare excitetur delirium. ibid.
ij. Curatio melancholiæ morbi. 249
XVIII. De mania. 251
§. j. An rabies ſit ſpecies maniæ. 252
ij. Curatio maniæ. 253
iij. Curatio rabiei. 254
XIX. De conuulſione. 255
§. j. Quæ ſint conuulſionis cauſæ. 256
ij. Curatio conuulſionis. 257
iij. Curatio conuulſionis caninæ. 259
iv. Obſeruatio pro amico vomitibus, & conuulſione ex inanitione laborante. ibid.
XX. De tremore. 260
§. vnic. Curatio tremoris. 261

## LIBER II.

*Prooemium.* pag. 262

CAP. I. De ophthalmia. ibid.
§. j. Curatio ophthalmiæ. 263
ij. De vngue oculi. 264
iij. Curatio vnguis oculi. 265
iv. De oculorum vlceribus. ibid.
v. Curatio vlcerum oculorum. ibid.
vj. De albugine, & cicatrice oculorum. 266
vij. An intus exiſtens prohibeat extraneum. ibid.
viij. Curatio albuginis, & cicatricis oculorum. 267
ix. De lachrymarum effluxu. 268
x. Curatio effluxus lachrymarum. 269
xj. De ſuffuſione. ibid.
xij. Curatio ſuffuſionis. 270
xiij. Obſeruatio pro quodam laborante oculorum ſuffuſione. 271
xiv. De gutta ſerena. 272
xv. Curatio guttæ ſerenæ. ibid.
xvj. De ſtrabyſmo. 273
xvij. De mydriaſi, & phthiſi. ibid.
II. De aurium dolore. 274
§. j. Curatio doloris aurium ibid.
ij. De aurium ſibilo, & ſonitu. 275
iij. Curatio ſonitus aurium. 276
iv. De ſurditate, & graui auditu. ibid.

v. Curatio ſurditatis, & grauis auditus. 277.
vj. De parotidibus. ibid.
vij. Curatio parotidum. 278
III. De narium morbis, & primò de ozenis. 279
§. j. Curatio ozenarum, ſeu vlcerum narium. ibid.
ij. De polypo. ibid.
iij. Curatio polypi. 280
iv. De fluxu ſanguinis narium. ibid.
v. Curatio fluxus ſanguinis narium. ibid.
IV. De dentibus, & eorum dolore. 281
§. j. Curatio doloris dentium. 282
ij. De dentium euulſione, defœdatione, & eorumdem inſtabilitate. 283
V. De oris affectibus, & primò de aphtis. 284.
§. j. Curatio vlcerum oris. ibid.
ij. De anginoſis, & lethalibus vlceribus faucium, & gutturis, quæ vulgò garrotillo dicuntur. 285
iij. An vlcus anginoſum ſit contagioſum. ibid.
iv. De cauſis vlcerum malignorum faucium, & gutturis. 286
v. De ſignis vlcerum malignorum faucium, & gutturis. 287
vj. Curatio vlceris anginoſi faucium. ibid.
VI. De angina. 290
§. j. Curatio anginæ. 291
ij. Obſeruatio pro quodam angina laborante. 292

## LIBER III.

*Procœmium.* pag. 293
Cap. I. De aſthmate. ibid.
§. j. Curatio aſthmatis. 294
ij. Obſeruatio pro quodam pharmacopola difficili reſpiratione, & variis accidentibus moleſtato. 295
iij. Curatio affectus difficilis reſpirationis, ſeu aſthmatis. 297
II. De peripneumonia. 299
§. vnic. Curatio peripneumoniæ. 300
III. De ſanguinis ſputo. ibid.
§. j. Curatio ſputi ſanguinis. 302
ij. De ſanguinis ſputo ex hirudine deuorata. 303
iij. Obſeruatio pro quodam qui hirudinem deuorauit. 304
IV. De phthiſi, ſeu tabe. ibid.
§. j. Loci difficilis Hipp. explicatio circa tabem. 305
ij. Curatio phthiſis. 306
V. De empyemate. 307
§. vnic. Curatio empyematis. 308
VI. De pleuritide. 309
§. j. De ſignis aſſidentibus pluritidis. 311
ij. In quo latere pleuritis ſit deterior. 312
iij. Curatio pleuritidis. ibid.
iv. An pleuritidis curatio ſit inchoanda à ſanguinis miſſione, vel expurgatione. ibid.
v. De aliis remediis in pleuritide exercendis. 314
VII. De cordis palpitatione. 315
§. vnic. Curatio palpitationis. 316
VIII. De tremore cordis. 317
§. vnic. Curatio tremoris. ibid.
IX. De ſyncope. ibid.
§. j. In quo differant ſyncopis, & animi deliquium. 318
ij. De cauſis ſyncopis. 320
iij. Curatio ſyncopis. 321
X. De lactis defectu. 322
§. j. Curatio defectus lactis. 324
ij. De lactis redundantia. ibid.
iij. Curatio redundantiæ lactis. ibid.
iv. De lactis concretione. 325
v. Curatio concretionis lactis. ibid.

## LIBER IV.

*Procœmium.* pag. 326
Cap. I. De cibi faſtidio, & inappetentia. ibid.
§. vnic. Curatio inappetentiæ, & cibi faſtidij. 327
II. De fame canina. 328
§. j. Curatio famis caninæ. 329
ij. De fame pica. ibid.
iij. Curatio famis picæ. 330
III. De cardialgia. 331
§. vnic. Curatio cardialgiæ. 332
IV. De ſiti præternaturali. ibid.
§. vnic. Curatio ſitis præternaturam. 333
V. De ciborum cruditatibus. 334
§. vnic. Curatio cruditatis, & debilitatis ventriculi. 335
VI. De ventriculi inflatione. ibid.
§. vnic. Curatio inflationis ventriculi. 336
VII. De nauſea, & vomitu. ibid.
§. j. An vomitus ſit euacuatio naturalis. 337
ij. De cauſis vomitus. ibid.
iij. Curatio nauſeæ, & vomitus. 338
VIII. De ſingultu. 339
§. j. De cauſis ſingultus. ibid.
ij. Curatio ſingultus. 340
IX. De cholera morbo. 341
§. vnic. Curatio choleræ morbi. 342
X. De lienteria, & cæliaco morbo. ibid.
§. vnic. Curatio lienteriæ, & cœliacæ. 343
XI. De diarrhœa. 344
§. vnic. Curatio diarrhœæ. 345

XII. De dyſenteria. 347
§. vnic. Curatio dyſenteriæ. 348
XIII. De teneſmo. 350
§. vnic. Curatio teneſmi. ibid.
XIV. De colico dolore. 351
§. vnic. Curatio doloris colici. 352
XV. De ileo, ſeu voluulo. 354
§. vnic. Curatio ilei, ſeu voluuli. 355
XVI. De lumbricis inteſtinorum. 356
§. j. Curatio lumbricorum. 358
ij. Obſeruatio pro quodam magnum lumbricum reiiciente. 359
XVII. De hæmorrhoïdibus. ibid.
§. vnic. Curatio hæmorrhoïdum. 360
XVIII. De ani procidentia. 362
§. vnic. Curatio procidentiæ ani. ibid.


## LIBER V.


*Proœmium.* pag. 363

CAP. I. DE iecoris inflammatione. ibid.
§. j. Curatio inflammationis iecoris. 364
ij. De iecoris obſtructione. 365
iij. Curatio obſtructionis iecoris. ibid.
II. De hydrope. 367
§. j. An hydrops fieri poſſit à iecoris calida intemperie. 368
ij. An vna hydropis ſpecies ſit deterior alia. 370
iij. Curatio anaſarcæ. 371
iv. Curatio tympanitis. 373
v. Curatio aſcitis. ibid.
III. De ictero, ſeu morbo regio. 375
§. vnic. Curatio icteri, ſeu morbi regij. 376
IV. De ſcirrho lienis, & eiuſdem obſtructione. 377
§. vnic. Curatio ſcirrhi lienis, & obſtructionis eius. 378
V. De lienis inflammatione. 379
§. vnic. Curatio inflammationis lienis. ibid.
VI. De diabete. 379
§. vnic. Curatio diabetis. 381
VII. De vlceribus renum, & veſſicæ. ibid.
§. vnic. Curatio vlcerum renum, & veſſicæ. 382
VIII. De mictu ſanguinis. ibid.
§. vnic. Curatio mictus ſanguinis. 383
IX. De lapide renum. 384
§. vnic. Curatio calculi renum. 386
X. De curatione lapidis veſſicæ. 388
§. j. De inflammatione veſſicæ. ibid.
ij. Curatio inflammationis veſſicæ. ibid.
XI. De vrinæ difficili exitu, & ſuppreſſione. 389
§. j. Curatio ſuppreſſionis, & difficilis exitus vrinæ. 390
§. ij. Obſeruatio pro nobili laborante omnimoda vrinæ ſuppreſſione. 392
iij. De vrinæ ſtillicidio. 395
iv. Curatio ſtillicidij vrinæ. 396
v. De vrinæ incontinentia. 397
vj. Curatio incontinentiæ vrinæ. 398


## LIBER VI.


*Proœmium.* pag. 399

CAP. I. DE inflammatione teſticulorum. ibid.
§. vnic. Curatio inflammationis teſticulorum. ibid.
II. De ramice, ſeu hernia. 400
§. vnic. Curatio ramicis, ſeu herniæ. ibid.
III. De ſeminis profluuio. 401
§. vnic. Curatio profluuij ſeminis. 402
IV. De priapiſmo. 403
§. vnic. Curatio priapiſmi. ibid.
V. De impotentia virorum. 404
§. vnic. Curatio impotentiæ virorum. 405
VI. De menſtruorum ſuppreſſione. 406
§. j. An ſanguis menſtruus qualitate peccet. 407
ij. De cauſis, & ſignis ſuppreſſionis menſtruorum. 408
iij. Curatio ſuppreſſionis menſtruorum. 409.
iv. Obſeruatio pro virgine ſuppreſſione menſium laborante cum febre continua, & œſophagi inflammatione. 410
v. De immodica menſium purgatione. 411
vj. Curatio menſium immodicè fluentium. 412
vij. De fluxu muliebri. ibid.
viij. Curatio fluxus muliebris. 413
VII. De vteri vlceribus. ibid.
§. j. Curatio vlcerum vteri. ibid.
ij. De vteri prolapſu. 414
iij. Curatio prolapſus vteri. ibid.
iv. De hydrope vteri. 415
v. Curatio hydropis vteri. ibid.
vj. De vteri clauſura. ibid.
vij. Curatio clauſuræ vteri. ibid.
VIII. De morbo hyſterico. 416
§. j. Curatio hyſterici morbi. 418
ij. Obſeruatio pro quadam nobili febre maligna laborante, cum variis accidentibus ab vtero prodeuntibus. 419
IX. De non concipientibus. 420
§. vnic. Curatio non concipientium. 421
X. De aborſu. 422
§. j. De cauſis aborſus. 423
ij. Curatio aborſus. 424
XI. De partu difficili ac laborioſo, & de ſecundinis detentis. 426
§. vnic. Curatio partus laborioſi, & ſecundinarum detentarum. 427

XII. De mola vteri. 428
§. vnic. Curatio molæ. 430
XIII. De coxendicum dolore. ibid.
§. vnic. Curatio doloris coxendicum. 431
XIV. De arthritide. 432
§. j. Obſeruatio de arthritide cum flatuum copia. 433
ij. Curatio arthritidis. 434

# SERIES OBSERVATIONVM, ANNOTATIONVM, DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM ad Philoſophiam & Medicinæ theoriam, & illius praxim attinentium.

## LIBER PRIMVS.

*Prooemium.* pag. 439

OBSERV. I. De ſanguine mittendo, & expurgando tempore veris, & in lunæ decremento: in qua traduntur fundamenta ab Aſtronomis petita, vbi etiam agitur de temporum mutationibus, quæ originem trahunt à luminari maiori, & minori. 440

ANNOTATIO in eandem obſeruationem, in qua deciditur id, quod in obſeruatione proponitur, pluraque annotantur valdè neceſſaria ad Medicinæ praxim. ibid.

DVB. An remedia præcautionis gratiâ conueniant in lunæ incremento, vel decremento; vbi reſoluitur dubium propoſitum. 443

II. Pro iuuene laborante febre continua, cui decimaquarta die ſine ſignis coctionis fluxus alui ſuperuenit, & liberatus fuit per epicraſim factâ purgatione, extra omnium ſpem. 445

ANNOT. circa eandem obſeruationem, in qua docetur, qualiter ſit tractandus æger, dum ex retentione ventris febris creſcit, & ex illius ſolutione vires debilitantur nimis, ita vt neque euacuatio, neque detentio conferat. ibid.

III. Pro nobiliſſimo viro à magna pediculorum multitudine vexato. 446

ANNOT. in eandem, in qua agitur de pediculorum differentiis, cauſis, & curatione. ibid.

Curatio. 448

IV. Pro laborante epilepſia vſu cauterij curato. ibid.

ANNOT. in eandem, in qua latè de epilepſiæ, necnon apoplexiæ cauſis, & rebus particularibus ad curationem ſpectantibus pertractatur. ibid.

V. De prædictione ad mortem ex ſublimi reſpiratione: vbi plura ſcitu digna de reſpiratione notantur. 451

ANNOT. circa eandem, in qua plura de reſpiratione ſcitu digna notantur, vbi agitur de reſpiratione ſublimi, cauſis illius, & prædictione: necnon de cauſis reſpirationis ſcitu digna notantur, vbi agitur de reſpiratione ſublimi, cauſis reſpirationis in communi, & illius fine. ibid.

VI. De quadam monacha laborante auris dolore, quæ ſectâ venâ cephalicâ, ex errore phlebotomi mortua fuit apoplectica. 454

ANNOT. in eandem, in qua talis euentûs ratio traditur, & alia proponuntur ad obſeruationis intelligentiam. ibid.

VII. De quadam ægra tertianâ duplici oppreſſa, quæ ſecta ſemel vena, fuit facta apoplectica, & mortua. 455

ANNOT. in eandem, in qua docetur, quomodo Medicus ſe liberare debet à calumnia. ibid.

VIII. Pro quadam nobili nyctalope, & obſtructionibus laborante, plurium remediorum vſu curata. 455

ANNOT. in eandem, in qua traduntur plura de nyctalope, & eius oppoſito vitio, cauſis, ſignis, & curatione, & de obſtructione: vbi plura philoſophica, & medica pertractantur. ibid.

Curationis nyctalopis, & obſtructionis caput inſtituitur. 456

IX. De viro præclaro à gutta ſerena, & ſuffuſione incipiente moleſtato, qui ex errore artificis omnimodè fuit obcæcatus. 459

ANNOT. in eandem pertractat de errore Artificis, de ſuffuſione, & cataracta, & aliis ad eam pertinentibus. ibid.

Cataractæ, & ſuffuſionis curatio proponitur. 461

X. De quodam, qui ex vulnere in crure inflicto largè ſanguine profuſo, ſtatim memoriam amiſit. ibid.

ANNOT.

ANNOT. in eandem, in qua plura de memoria, & reminiſcentia referuntur, & de remediis ad illius curationem conducentibus. ibid.

§. Vnicus. Memoriæ deperditæ curatio. ibid.

XI. De quodam Sacerdote, qui tuberculo paruo orto in facie cum pruritu, vigintiquinque horarum ſpatio mortuus fuit. 464

ANNOT. circa eandem, in qua agitur de morbi malignitate, viribus illius, & curatione. ibid.

XII. De nobili viro febre miti affecto, qui ferè ab ea nullam ſentiens noxam, intra diem naturalem à febris inſultu obiit. 466

ANNOT. in eandem, in qua de malignitate, & eius vi in operando tractatur. ibid.

XIII. De quodam lue gallica infecto, qui in potione ſudorifica ſublimatum deuorauit, & liberatus fuit. 467

ANNOT. in eandem, in qua plura de venenis traduntur, eorum differentiis, & operandi modo. ibid.

§. j. Plura proponuntur de venenis. 467

ij. Qualiter venena à tota ſubſtantia operentur. 469

iij. Veneni diuiſiones plures referuntur. 470.

XIV. De quodam agricola, qui cadens ex alto, apoplexia correptus fuit, ſtatim in ſtupendam, & à me antea non viſam paralyſim incidens, intra quatuor dies mortuus fuit. 472

ANNOT. in eandem plura amplectitur de paralyſi, & apoplexia, quæ ab aliquibus non fuere pertractata. ibid.

§. j. Apoplexia an fiat ab intemperie nuda. 473

ij. An venæ ſectio in paralyſi conueniat ex latere patiente, vbi plures adducuntur rationes in placiti Authoris confirmationem. 475

## LIBER II.

OBSERV. I. DE quodam Aduocato fluxione catarrhali ad fauces, & aſperam arteriam laborante, cum tuſſi, & raucedine, ita vt non poſſet coram Senatus Iudicibus defendere lites. 477

ANNOT. in eandem, in qua plura de catarrho traduntur. ibid.

§. j. Catarrhi cauſæ quæ. 478

ij. Catarrhi ſigna proponuntur. 479

iij. Catarrhi curatio. 480

iv. An ſit ſanguis mittendus in catarrho. 481.

v. An cauteria conueniant in catarrho. 483.

vj. An ſectio arteriarum conueniat in catarrho. 484

II. De Marchione præclariſſimo de Valuerde, Excellentiſſimi Ducis Metinæ à Sidonia filio, qui ſine febre, in tota cute ruborem habens, poſt triduum febre acutiſſima correptus, fuit terminata febris in fluxionem pituitoſam ad fauces, & intra quatuordecim dies liberatus. 484

ANNOT. in eandem, in qua agitur de plenitudine, cutis effloreſcentia, eſſere, & de aliis affectibus cutaneis, de animi paſſionibus, præcipuè de timore, & illius effectibus. Item de ſudore Chriſti Domini, an fuiſſet naturalis, vel miraculoſus; & de affectuum horum curatione. 485.

III. De monacha affecta impetigine totam illius faciem obuelante, quæ poſt alia remedia curata fuit vnguento pro ſcabie. 488

ANNOT. circa eandem, in qua de impetiginum differentiis, cauſis, & curatione latè pertractatur, & qualiter ab aliis cutaneis affectionibus diſtinguatur. ibid.

§. vnic. Lichenis curatio. 490

IV. De quodam patiente luem gallicam, ſtuporem, & frigiditatem lateris ſiniſtri, cum melancholia hypochondriaca, dolore pectoris, ventriculi frigiditate, & venarum meſenterij obſtructione. 491

ANNOT. maximè vtilis in eandem, in qua de omnium harum affectionum natura, cauſis, ſignis, & curatione abundè pertractatur. ibid.

§. j. Affectuum horum omnium curatio proprio capite traditur. 494

ij. An balnea poſſint proficere lue gallica affectis, & an poſt vnctionem vnguenti ex mercurio ſint ex vſu. 496

V. De ægroto affectione dicta *noli me tangere*, laborante, qui curatus fuit puluere cancri fluuialis vſti. 499

ANNOT. in eandem, in qua agitur de cancri vlcerati, & non vlcerati natura, cauſis, ſignis, & curatione. ibid.

§. j. Non vlcerati cancri curatio traditur. 501.

ij. Cancri in vlcerationem tendentis curatio aſſignatur. ibid.

VI. De Domino D. Balthaſare de Buitrago Olmetenſi, Sancti Iacobi enſis ſtemmate ſuffulto, lue gallica infecto, paralyſi tentato, & difficili laborante reſpiratione, qui ex Medicorum timore circa vnius remedij admotionem, ſuffocatus periit. 502

ANNOT. circa eandem, in qua tractatur de vnguenti Mercurij viribus, an poſſit conferre

ferre in fluxionibus ad pectus inueteratis, & de ſyrupo de tabaco, & aliis remediis hunc morbum abigentibus. ibid.
VII. De quodam nobili viro conuulſione, febre continua, & lue gallica affecto, vnguento mercurij ad ſanitatem perducto. 504.
ANNOT. in eandem, in qua tractatur de conuulſione, & eius ſpeciebus, & de horum affectuum curatione facta cum vnguento Mercurij, referturque hiſtoria D. D. Comitis de Villamonte, qui febre correptus, eodem remedio fuit curatus. ibid.
VIII. De puero ventris adſtrictione, & meſerei obſtructione laborante: vbi de horum affectuum natura, & curatione abundè pertractatur. 505
ANNOT. circa eandem amplectitur quidquid pertinet ad horum affectuum naturam, cauſas, & curationem. 506
§. vnic. Curatio adſtrictionis ventris, & obſtructionum traditur. 507
IX. De nobili muliere, quæ octauo die à partu correpta fuit hyſterico morbo, & cardialgia, cum febre parua ſyncopali, maligna, & intra duodecim horas obiit. 509
ANNOT. continet plura circa hyſtericam affectionem, illius curationem, & alia ſcitu digna. ibid.
X. De Domino D. Ferdinando de Prado, Iacobenſis enſis ſtemmate bombycino ſuffulto, qui dum vehementi dolore articulari torqueretur in digito magno manus ſiniſtræ, eiuſdem manus immiſſione in aquam frigidam ſubitò acquieuit. 510
ANNOT. in eandem continet plura de dolore, & eius cauſis, & de remediis dolorem ſedantibus, vbi diſputatur, an in vehementiſſimis doloribus ſit mittendus ſanguis ad animi deliquium. 511
XI. De quodam ægroto aſcite laborante, qui ex magno vrinæ fluore ſponte adueniente fuit liberatus. 513
ANNOT. in eandem plures continet quæſtiones ad praxim nimis neceſſarias, inter quas connumerantur ſequentes. ibid.
§. j. An in aſcite conueniat paracentheſis, ſeu apertio: vbi plura diſputantur, quæ conferunt ad huius remedij executionem. ibid.
ij. An paracentheſis conueniat tympaniti, vel anaſarcæ. 514
iij. In qua parte eſt facienda apertio in aſcite. 515
XII. De pleuritide exquiſita lateris dextri in apoplexiam tertio die ſoluta, cum oculi dextri dimotione à propria ſede. 517
ANNOT. in eandem, amplectens plura circa morbos acutos, & circa apoplexiam, & malam humorum tranſmutationem, ſeu metaſtaſin ex vno loco in alium. ibid.

---

## LIBER III.

DISP. I. PRo quodam Medico familiari, qui deſiderio ſciendi, tutóque curandi ægros, quæſiuit, an recidiua ſit vnus, & idem morbus cum ſua radice; & quid ſit agendum in morbis, dum timor recidiuæ infeſtat; vbi pro annotatione ſequentes proponuntur quæſtiones. p. 519.
§. j. An in morborum recidiua dierum computatio ſit facienda ab ipſa recidiua, vel à morbo priori. ibid.
ij. An recidiua ſit vnus numero morbus cum priori. 521
Computatio dierum in recidiua, & priori morbo debet eſſe vna. 522
iij. An recidiua ſit deterior ſua radice. ibid.
iv. De ſignis recidiuam annuntiantibus. 523.
v. Quo die à prioris morbi inſultu eſt expectanda recidiua. 525
vj. An ſit aliquid agendum in timore recidiuæ. 526
vij. An in timore recidiuæ legitimæ ſit expurgandum. 527
II. An vtero gerentibus morbo acuto obſeſſis liceat ſanguinem mittere, & ex qua vena, & expurgare, & quo tempore, & occaſione: vbi habentur aliquæ concluſiones notatu dignæ. 528
§. j. Quo tempore & occaſione ſit grauidis ſanguis mittendus, & ex qua vena. 531
ij. Quæ vena in grauidis ſit ſecanda. ibid.
PRIMA CONCLVSIO ſtatuit, quod grauidæ in morbis acutis ſupra renes moleſtantibus ſunt curandæ per venæ communis ſectionem. 533
SECVNDA CONCLVSIO ſtatuit, quod in grauidis morbo maligno laborantibus infra renes, vena tali eſt ſecanda. ibid.
TERTIA CONCLVSIO determinat, quod in aliquibus morbis acutis partium inferiorum grauidarum, non eſt ſanguis mittendus ex talo. 534
iij. An vtero gerentes ſint purgandæ, & quo tempore, & occaſione. 535
OBSERV. I. Pro quadam vetula inſomni, diarrhœa laborante biliosa, venæ ſectione curata. 536
ANNOT. circa eandem, in qua per tractatur, an ſanguinis miſſio in diarrhœa ſit vtilis, & qualiter corpora extenuata ſunt tractanda. 537
II. Pro nobili quadam iuuene laborante duplici

duplici tertiana continua ex vteri vaſis prodeunte cum frigore, & horrore, & acceſſionibus epilepticis,& aliis accidentibus afflicta. 539
Annot. in eandem, in qua plura de huius febris, & hyſtericæ affectionis curatione referuntur. ibid.
§. vnic. An in febrium acceſſionibus detur occaſio mittendi ſanguinem. 542
III. De ileo, ſeu voluulo à pillularum deuoratione ſuborto, & potu vini generoſi curato. ibid.
Annot. in eandem, vbi plura de natura huius morbi, à barbaris *miſerere mei* dicti, & quomodo inuadat. ibid.
§. vnic. Remedia ad ileon abigendum proponuntur. 544
IV. Pro laborante febre maligna cum phrenitide, & memoriæ amiſſione, curato ſanguinis miſſione, & purgatione, & ſubitò reſtituto. 546
Annot. in eandem, in qua agitur, an conueniat venæ ſectio ex talo in morbis malignis, & de cauſis læſionis memoriæ, & aliis maximam præſtantibus vtilitatem. ibid.
V. In qua proponitur alter caſus circa memoriæ læſionem. 547
Annot. in eandem, in qua agitur de nocumento memoriæ ex frigiditate, & immodico vſu herbæ nicotianæ. ibid.
§. j. De vtilitatibus, & nocumentis herbæ nicotianæ, & de malo vtendi modo. 548.
ij. De malo, & peruerſo ordine vtendi herba nicotiana. 550
iij. De trituratione herbæ nicotianæ, & triturationum differentiis. 551
iv. De nocumentis ex peruerſo vſu tabaci. 553.
v. Vtrum immodicus tabaci vſus reddat homines impotentes. 556
Disp. III. De inſomniis, & eorundem cauſis, & ſignificationibus. 558
§. j. De ſomniorum cauſis. 560
ij. De ſomniorum ſignificatione, & diuinatione. 561
Observ. VI. De rigore laborioſo per plures dies moleſtante, nulla ſuperueniente febre, & de eius curatione. 565
Annot. in eandem, in qua plura de rigore pertractantur. 566
§. j. De cauſis rigoris. ibid.
ij. Vtrum poſſit dari febris ex putredine ſeri humorum: vbi agitur priùs de ſeri natura, & vſu. 569
iij. Seri proprietates referuntur. 571
iv. Febris putrida an fieri poſſit ex humorum ſero. 574
Circa hoc dubium proponitur prima concluſio. 575
Circa idem ſtatuitur ſecunda concluſio. 576.
Circa idem ſtabilitur tertia concluſio. 577
VII. Pro ſene octogenario pleuritide exquiſita, cum febre ardenti correpto, qui intra 14. dies, ſepties venæ ſectionem ſuſtinuit, & denique conualuit. 578
Annot. in qua traditur illius curatio, & diſputatur, an corpus ſenile poſſit cadere in febrem ardentem, & ferre venæ ſectionem, & alia maximè ad praxim neceſſaria referuntur. ibid.
VIII. De nobili quodam Senatore, qui dyſenteria affectus, ex vehementi animi paſſione obmutuit, & ceſſante dyſenteria, in apoplexiam incidens, obiit. 579
Annot. in qua plura referuntur circa eandem obſeruationem, & de mutatione vnius morbi in alium. 580

## LIBER IV.

Disp. I. De ſcopis mittendi ſanguinem: tractatus valdè vtilis, & neceſſarius. 581
§. j. Proponitur primus dicendi modus. 582
ij. Primus dicendi modus impugnatur. 584
iij. Secundus dicendi modus, qui probare intendit plenitudinem eſſe ſcopum ſanguinis miſſionis, proponitur. 586
iv. Secundus dicendi modus impugnatur. 588.
v. Tertius dicendi modus proponitur, qui probare intendit, in morbis magnis ex cruditate non licere venæ ſectionem; indicari tamen à morbis pendentibus tantùm ex humoribus calidis. ibid.
vj. Hic dicendi modus refellitur. 589
vij. Quartus dicendi modus ſtabilitur, qui docet, quod in quocumque morbo pendente ex vitio ſanguinis, eſt ſanguis mittendus. ibid.
viij. Hic dicendi modus improbatur. ibid.
ix. Autoris dicendi modus proponitur, & difficultatis nodus diſſoluitur. 590
x. Quomodo intelligitur, quod vnum indicat vnum. 592
xj. Diſtinctio inter ſcopos ſanguinis miſſionis, & purgationis examinatur. 593
Sanguinis miſſionem conuenire morbo ex plenitudine, probat prima concluſio. 595.
Sanguinis miſſionem, vt reuellens auxilium, conuenire humoribus in motu, aut paratis ad motum, probat ſecunda concluſio. ibid.
Morbi magni pendentes ex vitio ſanguinis, ſiue in quantitate, ſiue in qualitate, venæ

venæ ſectionem petunt, vt probat tertia concluſio. 597
Vtrumque auxilium expoſcente morbo, curatio incipienda eſt à ſanguinis miſſione, vt deducitur ex quarta concluſione. ibid.
II. An in febrium putridarum initio conueniat expurgatio. 598
§. vnic. Scopi purgationis proponuntur. 600.
Observ. I. Pro nobili matrona difficili partu laborante, & de fœtus mortui extractione. p.601
Annot. circa eandem, in qua tractatur de figura, & ſitu infantis intra vterum, & de modo extrahendi fœtum mortuum. ibid.
§. vnic. Partus vitioſi curatio. 603
II. Pro ſtranguria laborante cum difficultate vrinæ, qui curatus fuit aquâ fontium de Gambo. 604
Annot. in eandem plura circa affectus veſſicæ tractat. 605
III. De temporibus morborum vtilis, breuiſque tractatio. 608
§. j. Quot ſunt tempora morborum, & quibus dignoſcuntur ſignis. 609
ij. Vtrum quilibet morbus quatuor percurrat tempora. 611
iij. Authoris ſententia à communi opinione recedens proponitur. 613
iv. Vtrum tempora quoad morbi eſſentiam coincidant cum temporibus accidentium, & alterationis materiæ. 614
v. An in quolibet morbi tempore æger obire poſſit. 616
vj. De proportione, quam ſeruant inter ſe tempora morborum. 618
Observ. III. Pro nobili viro Botio laborante, qui poſt aliorum remediorum vſum, ſuppurantibus, & ſetone fuit ad ſanitatem reſtitutus. 620
Annot. in eandem, in qua differentiæ tumorum à pituita pendentium conſignantur. 621
§. vnic. Botij curatio adducitur. 623
IV. Pro familiari inſignis Collegij Sanctæ Crucis, tertiana notha pernitioſa laborante, qui cathartico medicamento in principio oblato, omnimodè liber euaſit à febre. 624
Annot. circa eandem, vbi plura traduntur ad curationem tertianæ perniciosæ. 625.
V. Pro nobili Matrona menſtruorum detentione laborante cum cordis oppreſſione, dolore, & palpitatione, calidaque cerebri intemperie, cum affluxu pituitæ viſcidæ ad fauces, & aſperam arteriam, ita vt ſuffocari videretur. 626
Annot. in eandem, in qua omnia contenta in obſeruatione examinantur: vbi agitur de vtilitatibus laboris, & de otij nocumentis. 627
§. vnic. Eorumdem affectuum proponitur curatio. 628
VI. Pro ægro patiente ventriculi debilitatem, nauſeam, & vomitum ob caſum xiphoïdis, ſiue cartilaginis mucronatæ. 630
Annot. in eandem, in qua traditur curatio, & difficultas poſita ſoluitur. ibid.
VII. Pro quadam ancilla patiente guttam ſerenam, quæ vnico medicamento purganti ſanata fuit. 631
Annot. in eandem, in qua aliqua ſcitu digna annotantur. ibid.

# D. D. CYPRIANI DE MAROJA, DOCTORIS MEDICI; TRACTATVS DE FEBRIBVS

In quinque Libros diuiſus:

*Cui adjunguntur breuis Tractatus de Morbi Gallici natura & curatione; Quæſtioque celebris de partium diuerſitate in Mixtis.*

## LIBER PRIMVS.

## De Febrium natura.

LICET Galenus 1. *de differentiis febrium*, Febris definitionem non adduxerit, fortaſſe quia ex ipſo nomine quid ſit, innoteſcit, vt notat Valleſ. 1. *etiam de different. febrium*; ſiquidem Latini omnes vno ore febrem à verbo *ferueo*, originem ſumere teſtantur; & forſan eam ibi non tradidit, quia alibi millies febrem definiuiſſe inferiùs conſtabit: tamen vt quid eſſe rei intelligatur, viſum fuit nobis ab eius definitione exordiri.

### QVÆSTIO I.

### *Quid ſit febris.*

PLures ab Authoribus febris definitiones aſſignantur, vt ex eorum ſcriptis facilè deducitur: placuit tamen nobis magis probatam, & ab omnibus receptam definitionem tradere, quam ex variis Galeni, & Hippocratis locis Auicenna collegit, eamque adducit *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 1. quæ talis eſt: *Febris eſt calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo mediantibus ſpiritu, & ſanguine per arterias, & venas in totum corpus; & inflammatur in eo inflammatione quæ nocet operationibus naturalibus, non ſicut caliditas iræ, & laboris, cùm non vltimatur.* Quæ definitio ſufficienter febris naturam explicat; nos tamen clarioris doctrinæ gratiâ quamlibet illius particulam ſeorſim examinare conabimur. Quamuis febris naturam in calore præter naturam ſitam eſſe omnes autument, in modo tamen dicendi plurimùm euariant, diuerſimodè calorem accipientes, quorum opinionum fundamenta trademus, veriorem, certioremque ſententiam eligemus, & minùs probabiles redarguere tentabimus.

*Definitio febris.*

#### *Primus dicendi modus.*

Donatus ab Altomari *lib.* 1. *de medendis febribus, cap.* 1. quem etiam alij ſequuntur, aſſerit calorem ſiccitati adiunctum febrem conſtituere, ita vt ſiccitas intret illius eſſentiam; quæ opinio probatur primò ex Hippocrate, qui *in libris epidim.* paſſim febrem appellat ignem, non alia ratione, niſi quia

febris eſt paſſio calida, & ſicca; quæ qualitates in gradu intenſo diſponunt ad ignem.

Secundò probatur ex eodem 1. *aphor. text.* 16. vbi victum humidum febricitantibus conuenire ait, qui non deberet offerri, ſi ſolummodò eſſet paſſio calida, quæ potiùs frigida expoſcit auxilia.

Tertiò probatur ex Galeno *in comment. ſententiæ allatæ*, vbi aſſerit, quod febris paſſio calida, & ſicca eſt; eſt enim conuerſio natiuæ caliditatis ad igneam naturam.

Vltimò probatur ex eodem Galeno 9. *methodi, cap.* 14. vbi inquit: *Febri, quà febris eſt, refrigeratio, & humectatio conuenit.* Cùm ergo humiditas opponatur ſiccitati, & non calori; liquidò conſtat, quod febris non in calore ſolùm, ſed etiam in ſiccitate eſt conſtituta; ſiquidem in febribus remedia ſiccitati propellendæ ex Authorum placitis adhibentur.

*Huius placiti refutatio.*

Hoc tamen placitum facilè redarguitur ex eodem Galeno 2. *methodi, cap. vltimo*, vbi inquit, homines inueniſſe nomen febris, quoniam non erat illis facile dicere Calor tantus, quantus operationibus noceat. Itaque hæc duo in Galeni ſententia idem ſignificant, videlicet febris, & calor tantus quantus operationibus officere valeat: ergo in Galeni doctrina febris tantummodò per calorem conſtituitur. Et *lib.* 1. *de differentiis febrium, cap.* 1. ait: *Febris ſubſtantia in genere caloris, qui eſt præter naturam, conſiſtit.* Si ergo ſimul in ſiccitate eam collocaret, ibi vbi ex profeſſo de febrium pertractat natura, de ipſa mentionem faceret.

Et rationibus ſuadetur; nam detur homo ſolo calore præter naturam in toto corpore laborans; neceſſariò iſtum febricitare dicemus, cum habeat pulſum febricitantium, & reliqua accidentia quæ febrem conſequuntur. Quod ſi hoc non admittis, finge hominem laborantem humida cordis intemperie, qui in febrem incidat; iſte vtique habebit febrem ſine ſiccitate, nam non poſſunt compati in gradibus intenſis in eodem ſubiecto ſimul humiditas, & ſiccitas. Neque ſufficit dicere, tunc humiditatem remitti à ſiccitate febrili. Nam hoc fieri debet in tempore, & per motum alterationis; & illo tempore donec humiditas prædominans corrumpatur, non poteſt dari ſiccitas in gradu præternaturali: & cùm ex alia parte tali tempore detur febris, neceſſariò dicendum eſt, ad febrem non requiri ſiccitatem. Quod etiam conſtat in intemperiebus calidis, & humidis, in quibus benè compatitur calor cum humiditate; & qui hac temperie conſtant, ſunt procliues ad febrem, vt omnes admittunt. Idemque affirmare poſſumus in his qui hydrope anaſarca tenentur, & febribus corripiuntur, in quibus dominium humiditatis cum calore in corde conſtituere eſt neceſſarium.

Ex his reſpondetur ad loca, & authoritates Hippoc. & Galeni, ideo eos febrem ignem, & paſſionem calidam, & ſiccam appellaſſe, quia per febrem facilè corpus exſiccatur, & in ordine ad hoc victum humidum febricitantibus inſtituunt; non tamen inde ſequitur, quod ſiccitas ſit de eſſentia febris.

### *Secundus dicendi modus.*

Alij nomine caloris non intelligunt qualitatem ſolam, ſed concretum ex ſubſtantia, & calore, ita vt aſſerant, ſubſtantiam calidam habere rationem febris, Galeni authoritate ducti, qui *lib. aduerſus Lycum*, & 1. *aphor. comment.* 14. calo-

A rem duobus accipit modis, & pro qualitate in abſtracto, & pro corpore calido; & inquit febrem eſſe conuerſionem innati calidi ad igneam naturam: quod duplici ratione probare intendunt, quarum prima eſt: Febris calido innato eſt contraria; ſed calidum innatum eſt ſubſtantia: ergo febris eſt ſubſtantia. Maior probatur, nam à calore febrili calidum innatum diſſipatur, & reſoluitur: ergo cum illo videtur habere oppoſitionem; hæc enim eſt contrariorum lex, vt ſub eodem genere collocentur. Minor certa eſt, neque probatione indiget.

Secunda ratio eſt, nam febris hecticæ natura conſiſtit in conuerſione calidæ, & humidæ ſubſtantiæ in igneam naturam, vt illius ſpecies, ſeu differentiæ declarant: ergo non ſolùm conſiſtit in mutatione caloris pro prima tantùm qualitate ſumpti.

*Huius ſententiæ impugnatio.*

B Sed hæc ſententia facilè impugnari poteſt; nam licèt Galenus calorem pro ſubſtantia calida ſumat, non tamen inde ſequitur, quod febris ſit ſubſtantia, ſed potiùs quod ſit calor præter naturam pro qualitate ſumptus; quapropter 8. *methodi, cap.* 1. & *de inæquali intemperie, cap.* 8. febrem intemperiem appellat; & probari poteſt ex Ariſtotele *c. de ſubſtantia*, vbi ait: *Subſtantiæ nihil eſt contrarium:* ergo ſi febris in genere ſubſtantiæ collocatur, non poteſt contrariari calido innato. Verùm ſi dicas, quod non contrariatur in ratione ſubſtantiæ, ſed in ratione caloris: Reſpondeo, quod vnus calor non differt ſpecie ab alio; ea enim quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, non ſunt inter ſe contraria, vt docet Ariſtoteles 10. *Metaphyſicæ, cap.* 6. Non enim albedo albedini, frigus frigori opponuntur; ac per conſequens neque calor calori. Vlteriùs cùm vni vnum ſit contrarium, & calori contrarietur frigus, non poteſt vnus calor alteri contrarius fieri. C Demùm idem probatur ex Ariſtotele, qui morbum & ſanitatem in categoria qualitatis collocat: ergo febris non poteſt pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ.

Ad argumenta ergo reſpondetur. Ad primum, febrem non contrariari per ſe calido innato, ſed ex accidenti, quatenus ſuo calore calidi innati ſubſtantiam diſſipat, & reſoluit.

Ad ſecundum reſpondetur, quod licèt in febribus hecticis talis ſubſtantiæ mutatio accidat; nihilominus eſt nimis per accidens, nihilque deſeruit ad conſtitutionem naturæ febris, quam inquirimus; ſiue enim ſubſtantiæ mutatio ibi ſit, vel non ſit, cùm ratio caloris præter naturam accenſi in corde actiones vitiantis ibi reperiatur, ſufficienter per hoc optimè febris eſſentia ſaluatur.

D

### *Tertius dicendi modus.*

Alia fuit Fauentini opinio, qui aſſerit febrem non eſſe aliquam ex primis qualitatibus, ſed corporis temperaturam ad calorem vergentem, ita vt nullus detur morbus, qui ſit prima qualitas, ſed temperamentum in aliquam primam qualitatem inclinans, tanquam in extremum. Exiſtimat enim primas qualitates in gradibus remiſſis adhuc non manere in mixtis formaliter, ſed temperamentum eſſe quandam quintam qualitatem, quæ ex primarum actione, & reactione reſultauit. Quæ opinio habere potuit fundamentum in verbis Auicennæ, qui *fen.* 1. *primi, doctrina tertia*, temperamentum definiens dixit, eſſe qualitatem ex actione, & paſſione contrariarum qualitatum in elementis inuentarum reſultantem. Huius ſententiæ etiam fuere Durandus, & alij; præcipuum tamen fundamen-

tum

tum eſt; nam plus repugnat medium cuiuis extremorum, quàm medium alteri medio: ſed vnum medium cum altero ſimul in eodem ſubiecto dari non poteſt, quoniam in eodem ſubiecto non poſſunt exiſtere duæ temperaturæ: ergo neque poterunt eſſe ſimul temperatura in eodem ſubiecto, & prima qualitas; ſiquidem temperatura habet rationem medij, & prima qualitas habet rationem extremi, & plus diſtat à medio, quàm medium alterum; atque adeo non poteſt dari cum illo. Si igitur febris eſt qualitas prima, cùm ſit extremum, dari non poteſt cum temperamento, quod medij rationem ſortitur; ac per conſequens febris non poteſt conſtitui per calorem.

Hæc tamen ſententia ſuſtineri nequit, & eſt Philoſophis indigna; nam vt inquit Vega, negare primas qualitates in mixtis, eſt contradicere ſenſui, & intellectui; experimur enim quotidie corpora noſtra à calore, & frigore immutari, & lignum recipere calorem actualem ab igne: quod ita euidens eſt, vt non indigeat impugnatione. Et quia communior ſententia tenet, temperaturam eſſe proportionem primarum qualitatum, fruſtrà illam quintam qualitatem à primis diſtinctam Authores oppoſiti imaginantur; neque actio aliqua illi attribui poteſt, quæ primis qualitatibus non conueniat: ideoque ruit Fauentini ſententia.

Hac ſuppoſitâ doctrinâ ad fundamentum reſpondetur, quod temperamentum, quod medium vocant, non differt à primis qualitatibus, quæ non habent rationem extremi, cùm plurimùm diſtent ab illo; cum hoc tamen per noui gradus acceſſum poteſt quælibet ex illis intendi, vt contingit in febre per acceſſum caloris, quæ quidem dum augentur, licèt magis accedant ad extremum, non tamen extremi rationem habent. Neque ex hoc ſequitur, quod ſi vna ex primis qualitatibus intendatur, aliæ tres inuariatæ maneant, vt Doctiſſimus Mamatoros reſpondet. Nam in febre, verbi gratiâ, licèt ſiccitas, & humiditas in eodem gradu perſeuerent, frigus tamen per aduentum febris neceſſariò remittitur, cùm certum ſit, quod per aduentum vnius qualitatis, ei oppoſita remittatur; ibi enim datur motus alterationis, qui inter contraria verſatur, vt docet Ariſt. 1. *de cælo*, *cap.* 3. & categoria de actione & paſſione, de ſpeciebus motus pertractans. Si enim per graduum caloris intenſionem frigus inuariatum maneret, & ſub eodem gradu, iam ſequeretur, quod calor, & frigus in gradibus intenſis ſimul idem informarent ſubiectum, & quod ſimul exiſterent; quod eſt contra legem contrariorum; ſiquidem ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, vt inſinuat Ariſtot. 1. *Phyſicorum*, *capite* 7. & 4. *Metaphyſ. capite* 5.

*Lib.1. de feb. diſputat. 1. §.11.*

*Quartus dicendi modus.*

Alij cenſent, febrem conſiſtere in mutatione calidi innati ad igneam naturam, non verò in calore, qui huius mutationis eſt terminus; inter quos Donatus ab Altom. qui licèt aſſerat, febrem paſſionem eſſe calidam, & ſiccam, inquit tamen non in ipſo calore, & ſiccitate febris naturam ſitam eſſe, ſed in actione, quæ ad illa terminatur. Quam ſententiam probant primò ratione quadam ex Truſiano deprompta. Nam ſi febris natura in termino motus alterationis ſita eſſet, ſequeretur omnem febrem eſſe hecticam. Sequela probatur, nam in hectica (vt ſuo loco dicemus) partes ſolidæ ſunt æqualiter in calefacto

A eſſe, & propterea Galenus *lib. de inæquali intemperie*, hecticam febrem intemperiem æqualem vocat: ergo ſi aliæ febres haberent ſuum eſſe in calefacto, omnes eſſent hecticæ. Dicendum ergo eſt, eas in calefieri ſuum eſſe habere.

Secundò arguit Donatus ab Altom. nam ſi Galenus febrem per terminum motus definiuſſet, vtique febris eſſet ignis; nam calefactio tendit in ignem tanquam in terminum: & vt magis confirmetur hæc ſententia, ſibi ipſi obiicit Donatus, dicens: In febre hectica partes ſolidæ ſunt in calefacto eſſe, ita vt intemperies illa calida, & ſicca ſeu febris, facta ſit, & non fiens: ergo febris hectica non poteſt conſiſtere in illa mutatione, ſed potius in termino illius. Ipſe tamen ſibi ipſi reſpondet, quod quamuis in febre hectica partes ſolidæ incaluerint, & propterea febris æqualis intemperies dicatur; tamen adhuc ille calor non eſt B vndequaque ad igneam naturam conuerſus, imò paulatim conuertitur; in qua conuerſione febris conſiſtit.

*Refutatur Donatus.*

Huius tamen opinionis fundamenta leuia ſunt, & contra illam efficaciter argumentor. Nam morbus, & ſanitas ſunt contraria: ergo debent eſſe ſub eodem genere: ſed ſanitas non eſt in genere actionis: ergo neque morbus, ac per conſequens febris non eſt conuerſio calidi innati ad igneam naturam. Primus diſcurſus eſt euidens, cùm morbus, & ſanitas taliter opponantur, vt mutuò ab eodem præcisè ſubiecto ſe expellant. Secundus etiam eſt veriſſimus, nam vt conſtat ex Galeno *de different. morb. cap.* 1. ſanitas non conſiſtit in actione, ſeu operatione viuentis, ſed potiùs in ſymmetria, & debita proportione eorum, quæ ſunt neceſſaria ad rectè operandum: ergo ſimiliter morbus non poteſt conſiſtere in aliqua operatione, ſed in ametria, & improportione eorum, quæ ſunt ad eandem C operationem. Cùm ergo febris morbus ſit, non poteſt conſiſtere in aliqua operatione, ſed in termino illius.

Præterea ille calor factus in hecticis lædit actiones ſenſibiliter: ergo ad aliquod morbi genus debet reduci: ſed non poteſt reduci niſi ad genus morbi intemperiei calidæ, vel ad febrem: ergo iam hecticæ intemperies facta valebit febrem conſtituere; ac per conſequens febris non poteſt conſiſtere in illa conuerſione ad igneam naturam.

Ad rationes ergo in oppoſitum reſpondetur, ad primam ex Truſiano, quod terminus huius actionis eſt duplex, calor ſcilicet æqualis, & inæqualis; inæqualis conſtituit febres putridas, æqualis verò hecticas, & ſic argumentum non concludit.

Ad Donati rationem reſpondetur, non benè inferri, quod ſi febris per terminum definiretur, D eſſet ignis; nam febris non eſt terminus vltimus calefactionis, qui omninò natiuum temperamentum euertit; ſed ſolùm eſt terminus non vltimatus, ſub quo viuere poteſt homo, ſuaſque operationes ſaltem læſas efficere; ſimilique modo ad alia, quæ in huius ſententiæ confirmationem traduntur, reſpondere poſſumus.

*Quintus dicendi modus.*

Eſt etiam aliorum conceptus, qui exiſtimant reuerà calorem præter naturam habere rationem febris; intendi tamen non per additionem gradus ad gradum, ſed per maiorem caloris in ſubiecto participationem, ſeu inradicationem; non enim inquiunt, quod aliquis nouus caloris gradus producitur, dum intenditur calor, ſed quod calor naturalis

naturalis intenditur, & fit præter naturam per maiorem inradicationem in ſubiecto: quam ſententiam tuentur omnes, qui aſſerunt, intenſionem fieri per illam maiorem inradicationem, quæ habet authorem D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 52. *articul.* 1. eamque ſequitur Soncinas 8. *Metaph. quæſt.* 21. Iauellus *quæſt.* 6. & alij quampluri, quorum fundamenta tradere non eſt oportunum; potiùs enim pertinent ad libros de generatione, & corruptione, quàm ad tractatum de febribus.

*Hic dicendi modus non placet.*

Sed licèt hæc ſententia probabilis ſit, nunquam tamen mente callere potui, quid per inradicationem maiorem in ſubiecto intelligere velint. Quapropter contraria à nobis amplectenda eſt, quæ aſſerit, intenſionem fieri per additionem nouam gradus ad gradum; & præter hoc dicimus(licèt Pater Rubius contrarium defendat) quod quamuis illi gradus ſint eiuſdem perfectionis ſpecificæ completæ, differunt tamen perfectione ſpecifica incompleta; ad quod intelligendum ſtat appoſitiſſimum exemplum in materia, & forma ſubſtantiali, quæ inter ſe differunt ſpecie incompleta, & ſic vnum eſt perfectius alio; nam forma eſt perfectior materiâ; & tamen quatenus inter ſe vniuntur, & conſtituunt ſpeciem completam, nequaquam forma eſt perfectior materiâ; nam tunc forma conſideratur vt eſt vnita materiæ, & ſic perfectione ſpeciei completæ diſtingui non poſſunt, cùm ipſa materia, & forma entitates quædam incompletæ ſint, quæ vnum ens completum conſtituunt. Ita ſimiliter gradus intenſionis licèt in ſpecie cõpleta æqualem obtineant perfectionem, ſpecie tamen incompleta differunt,vnuſque eſt perfectior alio perfectione incompleta: niſi etiam velimus dicere,quod differunt perfectione indiuiduali, vt vult Murcia de la Llana, & alij. Verùm huius doctrinæ probatio, ſicut oppoſitæ impugnatio, pendet etiam ex libris de generatione; eam tamen accuratè ſatis pertractauit pater Hurt. de Mendoza Societatis Ieſu *diſputat.* 2. *de anima, ſect.* 5. *& diſput.* 5. *de alteratione, ſect.* 4. eamque defendunt grauiſſimi Theologi, Scotus, Guillelmus de Ocham, Durandus, Gregorius, Suarez, Bañez, & alij quamplurimi, licèt aliqui illorum vni gradui magis quam alteri maiorem perfectionem non tribuant.

### *Sextus dicendi modus.*

Alij alium dicendi modum excogitarunt, dicentes morbum eſſe relationem quandam improportionis, inter quos Vega *lib.* 3. *de arte medendi, cap.* 1. & 1. *de differentiis febrium*, vbi febrem eſſe ametriam, ſeu relationem improportionis dicit, probatque ſuam ſententiam ex pluribus Galeni locis, & maximè *lib. de different. morborum, cap.* 1. vbi ſanitatem vocat ſymmetriam, & proportionem, morbum verò ametriam & diſproportionem. Conſtat verò, prædicta nomina relationem importare. Secundò probatur ex Ariſtotele 5. *Phyſic. cap.* 2. vbi inquit, quod ad ſanitatem, vel morbum non datur per ſe motus; ad quantitatem verò, qualitatem, & vbi, datur per ſe motus: ergo ad illa prædicamenta non poſſunt pertinere morbus, & ſanitas; debent ergo pertinere ad prædicamentum relationis, ad quam nullus motus per ſe datur. Et 7. *Phyſicorum, cap.* 3. expreſsè aſſerit, morbum, & ſanitatem eſſe ad aliquid, & rationibus ſuadetur. Primò, nam morbus eſt à quo læduntur actiones; ſed ſic eſt, quod quantitas, & qualitas, & reliqua non cauſant actionum læſionem abſolutè, ſed in quantum ſunt improportionata, & immoderata: ergo immoderatio, & improportio eſt ratio formalis conſtitutiua

A ua morbi. Secundò, quia ſi calor verbi gratiâ eſſet morbus, contraria illius qualitas eſſet ſanitas, nempe frigiditas; nam aliàs vni duo contraria erunt, nempe frigiditas, & id in quo ſanitas conſiſtit: ergo verum erit dicere, quod in ſenſu formali frigiditas eſt ſanitas; quod eſt falſum: ergo etiam erit falſum dicere, calorem eſſe morbum.

*Vega redarguitur.*

Sed hæc Vegæ ſententia non multùm recipitur in Scholis, & contra eam omnes inſurgunt aſſerentes, morbum non poſſe conſiſtere in ratione illa diſconuenientiæ, & improportionis, quam qualitas,quantitas, & ſimilia dicunt ad ipſum ſubiectum. Quod probatur primò, nam morbus eſt affectus præter naturam per ſe primò actiones lædens: ergo ad morbum pertinet deſtruere aliquid eorum, quæ ſunt propter ipſam actionem; nam ſi omnia quæ concurrunt ad actionem eliciendam, eodem modo ſe habent, non læditur actio, ſed ſicut antea illæſa manebit: ſed per relationem nil ex his, quæ con- B currunt ad actionem, deſtruitur: ergo in illa non poteſt conſiſtere ratio formalis morbi. Secundò probatur, nam ſecluſa omni relatione, calor excedens lædit actiones immediatè: ergo impertinenter adducitur talis relatio ad conſtituendum morbum.

Tertiò probatur. Nam ſequeretur, nunquam Medicum vti poſſe vera curatione, prout à præcautione diſtinguitur. Sequelam probo; nam curatio fit per contraria ipſi morbo: ſed nunquam Medicus poteſt adhibere contrarium relationi, nec tollere immediatè ipſam, ſed vtmultùm, aufert fundamentum, quod eſt illius cauſa: ergo nunquam vera vteretur curatione. Nam licèt Ariſtoteles *cap. Ad aliquid*, dicat relationes eſſe contrarias, omnes tamen qui benè ſentiunt, aſſerunt dici contrarias, non quia reuerà tales ſint, ſed ratione fundamentorum, quæ inter ſe contrariantur; & ita C Ariſtoteles poſuit exemplum in virtute, & vitio, quæ ſunt inter ſe oppoſita fundamenta diuerſarum relationum. Neque datur contrarietas, niſi in his, ad quæ datur per ſe motus, vt docet Caietanus, & cum eo Pater Fr. Didacus de Ieſu, Ordinis Excalceatorum Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmeli, *cap. de Ad aliquid*; quod communiter ab omnibus recipitur. Si igitur relatio per ſe nullum habet contrarium, non poterit morbus in illa conſiſtens auferri per veram curationem.

Quartò probatur. Nam ſequeretur, quod morbus, & ſanitas non differrent ſpecie, quod eſt impoſſibile, iuxta illius ſententiam; ſiquidem proportio, & improportio ſunt relationes ſpecie differentes. Sequelam probo; nam ſi v. g. viuens requirat in ſtatu naturali calorem vt quinque, & frigus vt tria, neceſſe eſt calorem dicere relationem exceſſus ad frigiditatem, & in ea relatione ſanitatem conſiſtere, quia ſecundùm naturam eſt. Tunc D ſic: Si vlteriùs creſcat calor, & fiat morboſus, dicit ſimiliter relationem exceſſus ad frigiditatem, in qua relatione conſiſtit morbus: ſed iſtæ relationes ſpecie non diſtinguntur, quia non habent à quo ſumant diuerſitatem, cum habeant eadem fundamenta formalia, nempe calorem, & eoſdem terminos, nempe frigus: ergo morbus, & ſanitas ſpecie non differrent. Cùm igitur relatio non ſit operatiua, neque diſpoſitiua, neque per veram contrarietatem auferri poteſt, neque in illa poteſt conſiſtere morbus, ac per conſequens febris non poteſt eſſe relatio in calore excedenti fundata.

Ex his reſpondetur ad authoritates,& fundamenta oppoſitæ ſententiæ;& ad Galeni locum dicimus, quod dum ait,morbum eſſe ametrîam,ſanitatem verò ſymmetriã,loquitur de his,non provt formaliter relationes ſunt, ſed provt ſunt fundamenta,& ipſæ

res,

res, in quibus relationes proportionis, & impro- A
portionis fundantur.

Ad locum Ariſtot. *ex 5. Phyſicorum*, reſpondetur verum eſſe, ad ſanitatem, vel morbum non dari per ſe motum; nam licèt ad calorem, verbi gratiâ, detur per ſe motus, non tamen datur ad ipſum, quatenus eſt diſpoſitio in qua formale morbi conſiſtit, ſi dicamus cum Valleſio, morbum, & ſanitatem ad primam qualitatis ſpeciem pertinere. Quod ſi morbus ſit aliquid priuatiuum, vt vult Doctor Santacruz Couarruuienſis Abbas digniſſimus, & à cubiculo Regio meritiſſimus, neque ad illum poteſt dari per ſe motus, cùm nihil ſit, & in ſanitatis defectu ſuum eſſe formale habeat.

Ad alium Ariſtot. locum *ex 7. Phyſic.* reſpondetur, ideò dixiſſe ſanitatem, & morbum eſſe ad aliquid, non quia reverà ſint relationes ſecundùm eſſe, ſed ſolùm ſecundùm dici; quod quidem habent omnia accidentia abſoluta, & relatiua; nam omnia dicunt ordinem ad ſuum ſubiectum, & hanc ob cauſam dicuntur ab omnibus entis entia. B

Ad primam rationem reſpondetur, quod licèt de qualitatibus, aut quantitate non verificetur, quod ſint proportiones, aut ſymmetriæ; verificatur tamen de illis, quod ſint res proportionatæ, aut improportionatæ fundamentaliter, & immediatè fundant relationem proportionis, aut improportionis, quæ per ametriam, & ſymmetriam intelliguntur; & vt ſic lædunt actiones immediatè, & habent rationem morbi, præciſa illa relatione formali.

Ad ſecundum reſpondetur, calorem vt ſic, eſſe paſſibilem qualitatem, cui contrariatur frigiditas; at verò quatenus ille calor eſt diſpoſitio, eſt morbus, cui non contrariantur duo, ſed ſolùm vnum, nempe ſanitas, quæ eſt diſpoſitio contraria. Alia quamplurima adducere poteram circa improbationem ſententiæ Vegæ, quæ potiùs ad libros *de morbo, & ſymptomate* ſpectant, eaque ad illum locum C remitto. Cùm igitur conſtet, morbum non eſſe relationem, neceſſariò fateri tenemur, febrem non eſſe inter relationes reponendam, ſed potiùs per calorem conſtitui.

### *Septimus dicendi modus.*

Alij opinantur, & maxima cum probabilitate, morbum non in poſitiuo, ſed in priuatione ſanitatis conſiſtere; atque adeò febrem priuationem quandam eſſe, neque per calorem conſtitui poſſe; nam calor ille additus ſe habet tantummodò materialiter, ſicut dum quantitas augetur, ita vt ex eius augmento lædatur actio: illa auctio, ſeu additio quantitatis ſe habet merè materialiter; priuatio verò ſanitatis, orta ex additione illa, eſt in qua formaliter morbi eſſentia conſtituitur. Quorum ſententia D habet non leuia fundamenta, ea tamen in præſenti omitto, cùm ipſa in tractatu de morbis adducantur: & licèt hæc ſententia mihi non diſpliceat, quia tamen probabilior cenſetur eorum ſententia qui aſſerunt, morbum eſſe de prima ſpecie qualitatis, ideò aſſerimus, febrem non in priuatione conſiſtere, ſed potiùs in quadam diſpoſitione, & entitate poſitiua actionibus officiente. Neque in contraria opinione inuenio fundamentum ad probandum, quod priuatio ſit cauſa illius actionis læſæ, quæ in augmento conſiſtit; nam cùm illud, quod in actione adaugetur, ſit quid reale poſitiuum, neceſſariò cauſam poſitiuam expoſtulat, & non priuatiuam; quo caſu, cùm à poſitiua cauſa augmentum actionis læſæ, ſiue ipſa læſio immediatè fiat, in ipſa cauſa poſitiua actionis morbi formalitas conſtituitur.

### *Octauus dicendi modus.*

Alia eſt opinio Gentilis *quæſt. 4. extrauagantium* (licèt *fen. 1. lib. 4.* ſententiam mutet,) qui aſſerit, febrem ſuſcitari, non per acceſſum alicuius gradus caloris præter naturam, ſed per aduentum alicuius qualitatis extraneæ, quæ calorem naturalem acuat, illumque acriorem, & maligniorem reddat, & ob id magis ad ignis naturam accedat. Quæ ſententia probatur primò, nam febris, teſte Galen. *1. aphor. comment.* 16. Eſt conuerſio calidi innati ad igneam naturam: ſed per alias qualitates igneus redditur, videlicet per ſiccitatem, raritatem, vel leuitatem: ergo ſine ſui intenſione calor ille eſt febris conſtitutiuus.

Secundò probatur ex Galen. *12. methodi, cap. 3.* vbi inquit, quod in febre ſyncopali pulſus ſint parui, rari & tardi, qui remiſſi caloris ſunt ſigna: ergo in febre ſyncopali non intenditur calor per additionem; imò in hac febre remiſſior percipitur, quàm in ſtatu naturali.

Tertiò, nam in febris rigore, horrore, & frigore eſt vera febris; & tamen calor eſt remiſſus: ergo in illa non requiritur vlterior caloris gradus.

Quartò probatur ex Galeno *6. epidim. part. 4. com. 30.* vbi aſſerit eſſe quaſdam febres ardentes, in quibus prodit frigida reſpiratio: ergo cùm frigoris ſoboles ſit, & nullum caloris intenſioris ſignum detur, dicendum eſt, ad rationem febris non requiri caloris intenſionem, ſed ſolùm aliarum qualitatum additionem, quæ innatum calidum ad igneam conuertant naturam.

Hæc tamen Gentilis ſententia eſt contra Galenum, & ferè contra omnes Medicos, qui aſſerunt, calorem febrilem eſſe intenſiorem naturali; ita enim Galenus *2. method. cap. 7. & 8. method. cap. 1.* febrem calorem adauctum appellat: & Auic. definiens febrem, eam vocat calorem ſuccenſum in corde; ipſeque Gentilis *ſuper fen. 1. lib. 4. Auicen. c. 1.* mutauit ſententiam, & febrem calorem adauctum, & ſuccenſum in corde vocauit. Idemque aſſerunt Brauus Petrafitanus, Valleſ. Veiga, Mercatus; neque in tradendis Authoribus eſt quod immoremur: & rationibus oſtenditur, nam contraria contrariis curantur: ſed febris auxiliis refrigerantibus curatur: ergo ipſa in calore adaucto conſiſtit, alias enim impertinenter refrigeratio adhiberetur. Nam ſi ibi ſolùm calor naturalis datur, & remedia refrigerantia adhibentur, potiùs per illa calor naturalis extingueretur, quàm curaretur febris; atque adeò non erit curatio, ſed caloris naturalis deperditio; melius enim foret in febrium curationibus ea adhibere remedia, quæ qualitati illi aduerſantur, per quam in hac opinione calor febrilis acrior, & malignior redditur, & ad igneam naturam conuertitur. *Gentilis refutatur.*

Secundò probatur; nam ſi aliqua cauſa calefaciens accedat, quæ caloris aliquem gradum præter naturam in corde producat, qui in vniuerſum corpus diffundatur, neceſſariò febrem efficere valebit; quod neque aliquis negare audebit, nam ſigna ex illo calore prodeuntia febrem oſtendunt: ergo tunc temporis febris conſtituitur per augmentum caloris, & non per adhæſum qualitatis extraneæ.

Oportet ergo reſpondere ad rationes in oppoſitum. Ad primam ex Galeno deſumptam dicimus, febrem fieri per conuerſionem calidi innati ad igneam naturam; quia talis caloris mutatio, ſeu conuerſio eſt motus quidam alterationis, per quem calor intenſior producitur; & hoc modo febris eſt conuerſio ad igneam naturam, alio verò modo minimè.

Ad ſecundum reſpondetur, quod in febre ſyncopali pulſus fiunt parui, tardi, & rari, non quia calor febrilis

brilis in corde non ſit intenſus, ſed quia facultas vitalis ob propriam debilitatem, & ob aggrauationem, aliáſve cauſas, non poteſt arterias mouere, neque dilatare, quo tempore ægro appropinquat mors.

Ad tertium reſpondetur, quod rigor, horror, & frigus in principiis acceſſionum non ſunt de intrinſeca febris ratione, ſed accidentia quædam febrem concomitantia.

*In infebribus ardentibus aër frigidus exſpiratur, & quare.*

Ad vltimum, quod difficilius eſt, reſpondetur quod in aliquibus febribus ardentibus ægri aërem frigidum exſpirant, non quia calor cordis non ſit intenſus, cùm habeant linguam aridam, & nigram, & maxima præmantur ſiti, quæ ſigna calorem eſſe adauctum demonſtrant; ſed quia maximum ſit ſpirituum vitalium diſpendium, qui valebant aërem inſpiratum calefacere, ex quorum defectu aër frigidus exſpiratur; quod eſſe ſignum mortale in morbis acutis, docuit Hippocrat. 1. *prognoſtic.*

*Dubium.*

Sed dices: Si cor in febribus ardentibus calidiſſimum eſt, qua ratione in defectu ſpirituum aër per reſpirationem attractus non calefit à cordis calore? Reſpondetur, aërem iuxta cor parum, aut nihil detineri; habent enim eo tempore ægri reſpirationem crebram nimis, & celerem, ita vt citò aër inſpiretur, & exſpiretur antequam à corde, vel aliis partibus alterationem ſenſibilem ſubeat.

Quod ſi æger iam morti propinquus ſit, ex præferuida febre cor frigida intemperie afficitur; nam ipſa, vt Galen. loco allegato teſtatur, corpus cordis cremauit, & poſtremò refrigerauit, vt patet in lignis crematis, quorum carbones frigidiores fiunt.

*Dubium.*

Verùm in dubium vertitur, à quo efficienti illa frigiditas reſultat: non enim ſufficit dicere, illam ex caloris defectu prouenire, nam cùm frigiditas illa poſitiua ſit, cauſam etiam poſitiuam requirit.

*Antiquorum ſententia de partium diuerſitate.*

Cui dubio admiſsâ doctrinâ de partium diuerſitate, non tamen ſub vna exquiſita parte quantitatis, vt quidam fingunt, neque hoc antiqui dixerunt, neque talis pars aſſignari poteſt, nec adhuc intelligi, cùm nulla pars quantitatis exquiſita detur, quæ non ſit verè quanta, ac per conſequens diuiſibilis in alias partes; ita vt ſit diuiſibilis in ſemper diuiſibilia, vt tenent omnes, qui aſſerunt, quantitatem continuam, non ſolùm ex indiuiſibilibus, ſed ex partibus quantitatiuis componi. Sed cum ſubtili Magiſtro Ponce de Santacruz *opuſc.* 3. *de temperam. cap.* 6. & tota antiquitate dicimus, quod partes mixti ita ſe habent, vt minimum vnius partis tangat minimum alterius; ex quibus ſi partes calidæ vi caloris abſumuntur, ex frigidis oritur frigiditas poſitiua, quæ antea ex vi caloris erat remiſſa; ad quod iuuant membranæ cor inuoluentes, & arteriæ, quæ frigidæ naturâ ſunt, à quibus etiam poſitiuè refrigeratur cor; neque ad hoc opus eſt adducere illam ſatis diffuſam quæſtionem de partium diuerſitate ſub eadem exquiſita quantitatis parte.

Sed inſtabis ex Ariſt. 4. *meteor.* 2. Cocta craſſiora, & calidiora euadunt: ergo & ea quæ aduruntur, calidiora fiunt: ergo ex vi caloris coradurentis, cor non poterit reddi frigidius.

*Benedicti Matamoros ſententia.*

Hanc doctrinam veriſſimam cenſet Doctiſſimus Matamoros, qui *lib.* 1. *de febribus, tract.* 1. *diſp.* 10. aſſerit per vſtionem, putredinem, aut coctionem, quamlibet rem calidiorem ſemper reddi, niſi fortè in ipſa re adſit mutatio ſubſtantialis, & producatur forma, quæ illam frigiditatem excedentem expoſtulet: idemque teſtatur *lib.* 4. *de febribus, tract.* 1. *diſp.* 10. & exemplum poſuit in lignis, quæ per

A vſtionem formam ſubſtantialem amittunt, & conuertuntur in carbones ipſo ligno frigidiores; & in ſpiritu vitali, cùm tranſit in animalem; & ſanguine, dum conuertitur in lac, & in aliis huiuſcemodi, in quibus frigiditas à forma denuò adquiſita pullulat. Sed quia cor in illo ſtatu nondum viuentis formam amiſit, ideo vt certum tenet, quod nec ab ipſo, neque à cordis partibus frigiditas illa prouenire poteſt. Hæc tamen ſolutio non ſatisfacit, neque eſt ad mentem Galeni, qui 3. *method. cap.* 6. aliqua medicamenta docet per vſtionem fieri mitiora, & minùs calida: & *lib.* 9. *ſimpl.* in proœmio mouet quæſtionem hanc, quam inter antiquos fuiſſe agitatam teſtatur, vbi expreſsè aſſerit, acria, & mordacia medicamenta vſtione mitiora, & minùs calida fieri; ſi verò medicamenta antea non erant acria, nec calida nimis, vſtione talia fiunt, quia per vſtionem adquirunt calorem, quo anteà carebant. Quam doctrinam vt veriſſimam amplectitur Valleſ. 9. *controuerſ. cap.* 7. B Neque ad hoc eſt neceſſe, quod forma ſubſtantialis amittatur, ſed ſolùm quod tenue, & igneum eſt, reſoluatur, aut euaporetur; quo deficiente non mirum ſi à propria forma talis frigiditas in partibus producatur: quod probari poteſt in conuulſione ex ſiccitate, quæ ſuperuenit ex defectu ſubſtantiæ humidæ, vbi ſiccitas illa poſitiua ab interno principio procedit, neque ibi aliquam cauſam poſitiuam aſſignare poſſumus, vt *cap. de conuulſione*, probaui; & tamen partes ſiccæ, & conuulſæ manent ſub propria forma ſubſtantiali: & in rigore febrili, in quo partes extremæ refrigerantur poſitiuè ab ipſis partibus exſanguibus ſtatim ac C ſpiritus ad intra recurrunt. Sunt enim tunc hæc omnia in ſtatu violento, & ſub illo abſque formæ ſubſtantialis amiſſione conſeruari poſſunt. Idemque affirmare poſſumus de medicamentis, & aliis rebus calidis, quæ per vſtionem clementiora, & benigniora fiunt, & calorem aliquem deperdunt; nam reverà ſub forma antea præexiſtenti in ſtatu ſibi non debito conſeruari poſſunt. Sed de hoc puncto fortaſſe in ſequentibus erit ſermo.

## *Nonus dicendi modus.*

Alij alium modum excogitarunt aſſerentes, febrem non eſſe calorem ſuperadditum, ſed caloris effectum: quod probare intendunt ex Ariſt. 5. *Phyſic. cap.* 2. vbi ad morbum, vel ſanitatem inquit non dari per ſe motum: ſed ad calorem datur per ſe motus: ergo non poteſt habere rationem morbi. Secundò nam calor eſt paſſibilis qualitas: ſed morbus in certiori opinione, eſt habitus, ſeu diſpoſitio: ergo calor non poteſt eſſe morbus. D

Tertiò; nam ſi calor eſt morbus in intemperie, quantitas, & figura vitiata erunt etiam morbi, & conſequenter incideremus in Fuchij ſententiam, qui aſſerit, morbum diuagari per plura prædicamenta, & eſſe quid tranſcendens.

Sed hæc fundamenta leuia quidem ſunt, & ſic ad primum dicimus, quod calor dupliciter ſumi poteſt, aut provt eſt paſſio, ſeu paſſibilis qualitas, & tunc pertinet ad tertiam ſpeciem qualitatis: vel provt malè, vel benè diſponit ſubiectum in ordine ad operationem; & tunc pertinet ad primam ſpeciem qualitatis, quæ eſt habitus, aut diſpoſitio, quo tempore veram morbi rationem habet.

Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe, non dari ad morbum per ſe motum; & licèt detur ad calorem, non tamen terminatur ad illum, provt eſt diſpoſitio, ſed poteſt eſſe terminus calefactionis.

nis. Ad vltimum reſpondetur, quod calor, quantitas, & alia non ſunt morbi ſub ea ratione, quâ ad varia pertinent prædicamenta, ſed quatenus ſubiectum malè diſponunt in ordine ad eſſe, vel operari; & ſub hac ratione ad primam ſpeciem qualitatis ſpectant, & formaliter morbum conſtituunt.

### *Decimus dicendi modus.*

Licet Gentilis de Fulgineo *quæſt.* 4. *extrauagantium*, aſſerat febrem fieri, non per nouum caloris gradum ſuperadditum, ſed per alterius qualitatis adhæſum, quæ ipſum calorem igneum reddit; cum hoc tamen *ſen.* 1. *lib.* 4. ſententiam mutans, aſſerit calorem illum adauctum conſtituere febrem, ad quam conſtituendam non concurrit calor naturalis cordis; cenſet enim calorem naturalem, & præter naturam ſpecie differre inter ſe, quod nos neutiquam concedimus. Hanc ſententiam, quantum ad primam partem, videlicet quod caloris gradus ſupperadditi ſolummodò habeant rationem febris, ſequitur Benedictus Matamoros; quæ probatur primò, nam in illo febris ratio ſita eſt, quod actionibus naturæ incommodat: ſed calor cordis ſuperadditus eſt huiuſmodi: ergo gradus ſuperadditi caloris habent rationem febris. Maior certa eſt, & minor probatur; nam gradus ſuperadditi ſunt ab externo principio, paſſo non conferente vim; ſunt enim quid violentum ad corruptionem diſponens: ergo in illis conſiſtit febris, & non in gradibus naturalibus præexiſtentibus, ad quos natura habet naturalem inclinationem, quia illis conſeruatur, & fruitur ad ſuas obeundas actiones.

Secundò probatur, nam illud eſt cauſa alicuius effectus, quo poſito ponitur effectus, & ablato aufertur: ſed poſito vlteriori calore, ſtatim ponitur actionum læſio; & ablato, talis læſio aufertur: ergo vlterior ille calor eſt cauſa læſionum, & non calor naturalis; & conſequenter eſt febris.

Tertiò probatur, nam ille dicitur morbus, qui ſui ablationem per remedia contraria expoſcit: ſed ſolùm calor additus ſuam ablationem expoſcit: ergo ſolus calor additus eſt verè morbus; nam qui auferret gradum præexiſtentem naturalem, potiùs nouum morbum frigidum induceret. Fateor equidem hanc ſententiam tutò defendi poſſe, eſt enim veritati conſona; tamen quia à nobis probabilius cenſetur, febrem conflari ex gradibus præexiſtentibus, & ſuperuenientibus, ex quibus vnus calor ſpecie fit, & vnus numero totalis calor, vt breuiter trademus, ideò ad huius ſententiæ argumenta reſpondere conabimur.

*Ad Gentilem reſponſiones.*

Ad primum reſpondetur negando minorem, videlicet quod ſolus calor præternaturalis ſuperadditus actionibus incommodet; nam cùm ex vtroque calore vnus calor totalis procedat, totus ille calor actionibus incommodat: longè enim aliud eſt dicere, calorem ſuperadditum ſolum lædere actiones; ac dicere, quod ratione illius ipſæ actiones à toto calore illo ex vtriſque conſtituto lædantur: primum negamus, ſecundum verò fatemur. Ad probationem dicimus, totum illum calorem extraneari per aduentum caloris extranei; & totus ratione graduum ſuperuenientium diſponit ad corruptionem, & eſt contra inclinationem ſubiecti; nam ſubiectum non petit illum calorem quomodocunque, ſed illum petit proportionatum, & in tot gradibus ad ſui conſeruationem, & ad bene operandum: & quia hoc illi deficit per aduentum caloris adaucti, ideò illi deficit ratio

A caloris naturalis, & totus præter naturam exiſtit.

Sed obiicies: Natura vtitur illo calore ad ſuas actiones; ſiquidem concoquit alimentum, & humores ad benigniorem ſtatum reducit, vt patet in morbis, qui ex vi naturæ ſalubriter terminantur: ergo ille calor eſt naturalis, ſiquidem illo vtitur natura vt inſtrumento naturali. Reſpondetur, verum eſſe, naturam vti illo calore vt inſtrumento ad ſuas actiones; tamen ſicut ipſæ actiones pro illo ſtatu ab ipſa natura fiunt morboſæ, & cum læſione ſenſibili, ita ſimiliter ipſe calor, qui eſt talium actionum inſtrumentum, morboſus, & præter naturam exiſtit; deficit enim ratio proportionati ad naturam, vt perfectè, & cum proportione naturali operationes eliciat.

Ad ſecundum reſpondetur, quod poſito calore ſuperaddito ponitur læſio actionum; tamen talis B læſio non fit ſolum ab illo, ſed à toto calore compoſito ex naturali, & præter naturam, qui ratione ſuperadditi totus fit præternaturalis, & à toto illo actiones læſæ principium nanciſcuntur.

Ad tertium reſpondetur, remedia eſſe adhibenda, quæ morbum tollant: ſed quia febris inſurgit ratione graduum ſuperuenientium, ex eorum detractione febris aufertur; nam ſtatim natura ablato impedimento priſtinum ſtatum recuperat, & ſuas perfectè operationes elicit.

*Obiectio.*

Sed obiicies: Si totus ille calor ſit præter naturam per aduentum gradus ſuperadditi, qui ſe habet vt forma dans eſſe calori præter naturam, quî fit, vt per auxilia refrigerantia tollatur gradus ſuperadditus, & alij qui antea præexiſtebant, remaneant?

*Illius dilutio.*

Reſpondetur facilè gradum illum ſuperadditum eſſe in ſubiecto violenter, & eſſe naturæ igneæ; C nam per illum conuertitur calidum innatum in igneam naturam, & ſic facilè euolat: calor verò antea exiſtens, licèt factus ſit præter naturam, regitur tamen, & gubernatur ab ipſa natura, tanquam à proprio ſubiecto; & ille eſt per modum habitus, & hanc ob cauſam diutiùs retinetur, & conſeruatur.

### *Authoris ſententia proponitur.*

Ex dictis, & fundamentorum contrariorum euerſione conſtat, calorem non eſſe febrem eo modo, quo ab illis proponitur; quapropter dicendum eſt, febrem conſtitui per calorem naturalem, & gradus ſuperadditos caloris præter naturam, ita vt ex vtroque fiat vnus intenſione calor, qui totus ſit febrilis, & morboſus, cui tribuitur in actionibus virtus, & vitium. Hanc ſententiam tra- D dit Auerroës 3. *collect. cap.* 3. ſic febrem definiens: *Febris eſt calor compoſitus ex calore naturali, & extraneo putredinali, miſſo à corde ad totum corpus, & lædens omnes actiones ac paſſiones.* Eamque tuentur Donatus ab Altomari, licèt in hoc varius extitiſſet 1. *parte de medendis febribus, cap.* 10. Ludouicus Mercatus, Veiga, & alij quamplurimi; eamque præcipuè tenent qui aſſerunt, gradus intenſionis habere eandem perfectionem indiuidualem, ita vt vnus non ſit perfectior alio. Quæ ſententia probatur primò ex Galeno, vbi febrem appellat conuerſionem caloris in igneam naturam: ergo ex illa conuerſione totus igneus remanebit, aliàs ſi calor naturalis inuariabilis, vt antea exiſtit, non poteſt dici de illo, quod conuertitur in igneam naturam: ergo in toto illo conſiſtit ratio febris.

*Probatio concluſionis.*

Secundò probatur. Nam calor naturalis, & præter naturam per intenſionem fiunt vnus calor totalis: ergo à toto illo actiones producentur;

nam ibi remiſſus non operatur ſine intenſo, neque intenſus ſine remiſſo, cùm vterque ſit in actu: ergo totus ille calor operatur, ac conſequenter actionum læſio à toto illo calore dependet. Cùm enim calor naturalis, & præter naturam ſpecie non differant, vniuntur inter ſe in eodem ſubiecto, & fit ex vtroque vnus per veram actionem.

*Cuiuſdam reſponſio.*

Huic argumento reſpondent quidam, verum eſſe, totum illum calorem fieri vnum, & calefactionem ab eo dimanantem eſſe totaliter vnam; tamen cùm ille calor in ſe diuerſos gradus intenſionis habeat, quorum quidam naturales, alij verò præternaturales ſunt, in quos diuidi poteſt; ita ſimiliter actio illis correſpondens, quæ actio media eſt per vtriuſque caloris participationem, habet aliquid gradibus naturalibus correſpondens, & aliquid, quod ſimiliter gradibus præter naturam correſpondeat, vt patet in ſuppuratione, quæ eſt actio media, quia ab vtroque calore dependet, vt docet Galen. *lib.* 5. *ſimplic. cap.* 6. & 2. *de different. febrium, cap. etiam* 6. de qua dicimus aliquid in illa reperiri, quod calori naturali tribuatur, vt materiam coquere, albam, & æqualem reddere; & aliquid quod neceſſariò tribuendum eſt calori præter naturam, vt humorem putrefacere, fœtorem inducere, & ſimilia.

*Illius improbatio.*

Huius tamen ſolutio non ſatisfacit, nam licèt ibi reperiatur aliquid quod potiùs referatur ad calorem naturalem, quàm ad calorem præter naturam, nihilominus nihil aſſignari poteſt, quod ſimul non ſit effectus vtriuſque caloris, cùm totus ille calor ſit debitè approximatus materiæ, & quælibet materia diſpoſita ad recipiendam actionem vtriuſque caloris: & ſicut tota actio eſt vna totaliter, & eſt actio præter naturam; ita ſimiliter totum agens illius actionis productiuum debet eſſe præter naturam; elucet enim magis in effectu actio vnius caloris quàm alterius, quia vnus in operando eſt potentior alio; tamen illa actio, & effectus abſolui non poteſt ab influxu totius caloris.

Tertiò probatur, nam ſequeretur, quod morbus, & ſanitas eſſent ſimul in eodem ſubiecto, ac per conſequens, quod illud ſubiectum efficeret actiones perfectè ratione ſanitatis, & imperfectè ſimul ratione morbi, quod eſt impoſſibile: ergo. Sequelam probo; nam calor ille præexiſtens naturalis per te non eſt morbus, ſiquidem non habet rationem febris; neque diſpoſitio neutra: ergo eſt ſanitas. Sed ex alia parte adeſt calor additus febrilis, qui eſt verè morbus: ergo intentum.

*Eiuſdem reſponſio alia.*

Reſpondet etiam ipſe, quod ibi tantùm remanet ſanitas fundamentalis; nam per aduentum caloris præter naturam aufertur proportio, & ſymmetria naturalis caloris, in qua conſiſtebat ſanitas; licèt ibi calor naturalis remaneat; manetque morbus formaliter, qui actu ipſas actiones vitiat, & impedit ne fiant ſecundùm naturæ regulas.

*Huius authoris lapſus improbatur.*

Sed hæc reſponſio non eſt ad rem, nam ſequeretur ex illa, quod iam ſanitas, & morbus eſſent relationes quædam, & incideremus in Vegæ ſententiam, qui morbum & ſanitatem dicit eſſe ad aliquid. Sequelam probo, nam ſanitas formaliter per aduentum caloris aufertur: ſed nihil aufertur præter ipſam relationem proportionis, & ſymmetriæ: ergo in relatione proportionis conſiſtit ſanitas formalis. Maior à te conceditur: minor etiam probatur, nam ſi ibi manet calor naturalis, qui eſt fundamentum relationis, nihil naturale deperditur præter ipſam relationem; aut aſſignari debet, quid ſit illud, quod deperditur, in quo formaliter ſanitas conſiſtebat; imò cum ibi maneat

A fundamentum, nempe ipſe calor, & ſubiectum viuens, quod eſt terminus huius relationis proportionis, neceſſariò remanere debet ipſa relatio; nam poſito fundamento, & termino, ipſa relatio ſtatim inſurgit, & ſic adhuc ipſa proportio, & ſymmetria remanebit.

Scio poſſe reſponderi, ideo proportionem, ſeu relationem deperdi, quia licèt calor naturalis ibi maneat, in quo conſiſtit ſanitas fundamentalis; non tamen manet proportionatus fundamentaliter, in quo vt ſic conſiſtit formaliter ſanitas. Dixi in calore proportionato fundamentaliter ſanitatem formaliter conſiſtere, & non in calore proportionato formaliter, quia vt ſic relationem inuolueret, per quam talis formaliter denominaretur; & per conſequens ſanitas, & morbus eſſent relationes.

Hæc tamen ſolutio non conuincit, imò ex illa B incidere videtur in noſtram ſententiam; nam ſi calor non manet proportionatus (de naturali calore loquor,) ergo manet improportionatus: ergo morboſus; ſiquidem morbus formaliter eſt fundamentum relationis improportionis, quam calor naturalis iam improportionatus fundare poterit. Dicendum ergo eſt, calorem naturalem vt tantum, habere rationem formalem ſanitatis; ſic etenim ſe habet vt diſpoſitio in ordine ad eſſe, & operari ipſius ſubiecti viuentis: ſi verò non maneat vt tantus, ſed illi gradus caloris præter naturam addantur, nullo modo manet proportionatus, & ſic immediatè, neque eſt ſanitas formalis, neque fundamentalis; ſed tunc morboſus efficitur, & lædit actiones, quia neque benè regi, aut gubernari à natura poteſt, donec gradus præternaturales ſuperadditi, ratione quorum ſit morboſus, auferantur.

C

---

## QVÆSTIO II.

### *Vtrum febris habeat ortum à principio intrinſeco, vel extrinſeco.*

ACcedimus iam ad explanandam ſecundam definitionis febris particulam, in qua Auicen. aſſerit, febrem eſſe *calorem extraneum*. Hæc quæſtio ſatis difficilis eſt, & metaphyſica, & pro vtraque parte habet non contemnendas rationes, quarum vim examinabo, vt inde rei veritas elucеſcat.

Prima ſententia tenet, febrem eſſe calorem ab intrinſeco pullulantem principio, nempe à forma ipſius cordis. Sed vt hæc ſententia intelligatur, D ſupponere oportet, iuxta horum opinantium dicendi modum, quod cor calidiſſimum eſt omnium, quæ ſunt in noſtro corpore, ita vt à nullo eorum, quæ ſunt in corpore, calefieri poſſit; imò plus caloris poſſidet, quàm repræſentat, & membris reliquis communicat ob igneas particulas, quibus conſtat, quæ partes aqueas exſuperant; remittitur tamen aëris attractu per reſpirationem, & pulſum, & ventiliatione per poros, & cerebri, & aliarum partium exſanguium frigiditate. Oportebat enim maiorem obtinuiſſe calorem, quia aliis membris impartiri deberet, & ne facilè à frigiditate offenderetur illud membrum, quod eſt caloris naturalis fons, & vitæ principium. Quando ergo cordi aliquid ſuperuenit, quod aëris ingreſſum impedit, aut aëris ingredientis frigiditatem remittit, ipſum cor à ſeipſo calorem vlteriorem

vlteriorem producit, quo plus quàm antea vniuerſum excalefacit corpus; & hic calor denuò productus à corde induit rationem febris, & actiones lædit; poſteà verò ſemotis iis, quæ aëris liberum ingreſſum prohibebant, ſtatim calor ille naturalis attemperatur, & ad priſtinum redit ſtatum, & actionibus naturalibus commodat.

*Quod febris oriatur à principio intrinſeco, probatur.*

Hoc ſuppoſito hæc ſententia probatur primò Galeni authoritate 2. *de temperam. cap.* 3. vbi ait, cor calidius eſſe omnibus partibus, quæ ſunt in noſtro corpore: ergo non poteſt calefieri ab illis. Si verò reſpondeas cor calidius eſſe particulis omnibus, dum ipſæ ſunt in ſtatu naturali; non verò ipſis dum ab aliqua cauſa calida, & præter naturam nimis alterantur.

Contrà; nam ſi aliqua cauſa præter naturam eſſet in noſtro corpore cor calefaciens, maximè fuligines, quæ ex coctionibus, putrefactionibus, vel vſtionibus eleuantur: ſed illæ non poſſunt eſſe calidiores corde: ergo neque illud calefacere. Maior, in qua tota vis eſt, probatur; nam fuligines cordis ita ſe habent reſpectu illius, ſicuti illæ quæ eleuantur ab igne reſpectu ignis: ſed iſtæ non ſunt igne calidiores, neque ita calidæ: ergo neque illæ erunt calidiores ipſo corde, neque enim videtur maior ratio vnius quàm alterius.

Secundò fuligines magis calidæ in noſtro corpore ſunt illæ, quæ ex membro calidiori eleuantur: ergo cùm cor ſit magis calidum eorum quæ ſunt in noſtro corpore, illius fuligines magis calidæ erunt. Tunc ſic: non poſſunt eſſe calidiores corde: ergo neque poterunt illud calefacere. Antecedens patet, nam effectus nequit eſſe intenſior ſuâ causâ.

Tertiò, ſi ob aliquam rationem calor febrilis non poteſt oriri à principio intrinſeco, maximè quia morbus eſt quid violentum, quod ab externo principio originem trahere debet: ſed hoc non tollit, quod aliqui morbi à tali oriantur principio: ergo pari ratione febris ab eodem oriri poterit. Minorem probo ex Galen. *de different. morborum cap.* 3. *&* 9. vbi linguæ magnitudinem & ſextum digitum conſtituit inter morbos generationis, hoc eſt à primæua productione ortos. Conſtat ergo, huiuſmodi morbos ab interno principio proficiſci.

Quod ſi dicas, ibi ſolum principium materiale ſe habere tantùm præter naturam, nam ſuppeditatur materia in quantitate maiori quàm requiritur, non tamen eſt defectus in principio elicitiuo. Hoc, inquam, non valet; nam licèt læſio ſuperueniat ratione materiæ quæ ſuppeditatur, ea tamen materia diſponitur à forma efficienter, & vltra hoc ipſa forma per potentiam nutritiuam, & augentem, tumefactam linguam, & ſextum digitum nutrit, ac auget, ſicque morbum genitum conſeruat; quod non efficeret, ſi talis morbus eſſet quid extrinſecum, potiùs enim illum corrumperet.

Vlteriùs dantur plures morbi in intemperie, qui à principio interno oriuntur; nam quidam laborant naturaliter frigida cerebri, vel calida intemperie, quam ex principiis generationis contraxerunt; pluresque ſunt morbi hæreditarij in intemperie, qui veram morbi rationem induunt; quæ intemperies non poteſt tribui tantùm materiali principio, ſed etiam efficienti. Tum aliqui ſunt morbi immateriales, quorum nullam cauſam efficientem immediatam extrinſecam aſſignare poſſumus, niſi ad cauſas internas recurramus, vt patet in conuulſione ex inanitione, quæ etſi poſſit tribui cauſis externis exſiccantibus, nempe excrementis calidis, & ſiccis; probabilius tamen cenſemus ſuppoſitâ inanitione, & defectu ſubſtantiæ humidæ, quæ euacuatur, quod talis ſiccitas, & denſitas partium, quæ conuelluntur, ortum habet à partibus ſiccis, & terreis remanentibus, quæ in defectu humidarum ſine vllo impedimento vlteriorem ſiccitatem producunt; quod vtique contingeret etiamſi nullum foret in corpore excrementum ſiccum: de quo puncto egimus *tract. de conuulſione.* Præterea ex ſolo recurſu ſpirituum vitalium ad cor partes corporis externæ refrigerantur, etiamſi nulla accedat cauſa externa, quæ ipſas refrigeret; quem euentum omnes reducunt partim ad excrementa aquea, quæ in ipſis partibus colliguntur; partim ad partes exſangues viuentis, vt dum de rigore fiet ſermo, notum faciemus: ergo cùm illa frigiditas oriatur ab illis partibus, dicendum eſt, morbum oriri poſſe ab interno principio.

*Violentum quid ſit.*

Si verò obiicias ex Ariſt. violentum eſſe à principio extrinſeco, paſſo non conferente vim, ideſt paſſo reſiſtente ad talem motum, ſeu actionem, quoniam ad illam, & illius terminum nullam habet inclinationem: ſed morbus eſt quid violentum: ergo debet eſſe à principio extrinſeco, ac per conſequens nullus eſt aſſignabilis morbus, qui ex intrinſecis oriatur.

*Violentum eſt duplex.*

Reſpondetur, quod morbus eo tempore rigoroſè loquendo, non eſt violentum, vt accipitur ab Ariſt. Nam violentum rigoroſè ſumptum habet duo; & quod ſit à principio extrinſeco, & quod ad illud paſſum non habeat inclinationem, vt patet in calefactione aquæ, quæ fit à principio extrinſeco, & eſt contra naturam, & inclinationem aquæ, in qua recipitur. Sumitur ergo violentum in noſtro caſu latiori ſignificatu; nam febris, quatenus dependet ab interno principio, naturalis eſt cenſenda; & tamen quia ad illam non inclinatur ſubiectum, & eſt contra illius naturam, eiuſque actiones vitiat, ideo dicitur violenta. Eodem modo philoſophamur de motus natura, & eius termino; nam licèt ad rationem illius requiratur, quod ſit ab intrinſeco, & iuxta inclinationem ſubiecti, vt patet in aqua dum priſtinam frigiditatem recuperat, quæ frigiditatem ſibi conuenientem, & naturalem in ſeipſa producit, & hoc eſt de ratione motus naturalis abſolutè; non tamen poſſumus negare, quod motus naturalis ſaltem ſecundùm quid oriatur ab extrinſeco, vt patet in motu cœlorum, qui licèt procedat ab intelligentia effectiuè, non tamen dicitur violentus, ſed naturalis, quia ex parte paſſi eſt ad illum inclinatio. Aqua etiam calida, ſi ab aliquo extrinſeco refrigeretur, ea refrigeratio confert aquæ, etiamſi ab extrinſeca cauſa producatur. Ita ſimiliter ad rationem violenti ſecundùm quid non oportet, vt dimanet ab externo principio; quod quidem conſtare arbitror in ſenſatione dolorifica, quæ eſt actio immanens, & vitalis, neceſſariò à principio vitali procedens, vt omnes fatentur; & nihilominus eſt violenta, quia non inclinatur ad illam ſubiectum, imò eam renuit. Paſſiones etiam animæ dum modum excedunt in mania, melancholia morbo, & aliis, ſunt actiones vitales, & tamen ſunt contra naturam, eaſque compeſcere intendimus. Neque ſufficit aſſerere, ibi adeſſe morbum, qui eſt quid extrinſecum; nam morbus eſt diſpoſitio, qui vt talis eſt, ſolùm habet informare, & malè diſponere ſubiectum, non verò aliquid efficere. Actiones ergo, quæ ibi producuntur, ab anima mediis ſuis potentiis proficiſcuntur. Pari ratione pulſus magnus, celer, & creber, qui datur in febre ardenti, fit ab ipſa anima mediâ potentiâ vitali, non verò ab ipſa febre;

nam

nam febris ſolùm mutat vſum, illumque adauget; ipſaque actio pulſifica, cùm ſit vitalis, tota refunditur in facultatem vitalem, tanquam in animæ inſtrumentum; & nihilominus talis actio eſt præter naturam, & adaucta, limiteſque naturæ excedens: ergo non implicat aliquod accidens præter naturam ab intrinſeco oriri: ergo neque febris.

Quartò, ſi attractio aëris per pulſum; & reſpirationem eſt ad attemperandum calorem fuliginum, quæ cordis calorem intendunt: ergo quo maior fuerit fuliginum multitudo, maior eſſet neceſſitas attemperandi: ſed in principio febris eſt maior copia fuliginum, vt patet ex pulſu, & reſpiratione, in quibus compreſſio eſt dilatatione maior, non alia de cauſa, niſi quia maior neceſſitas eſt expellendi fuligines, quia eſt illorum maior copia: ergo tunc eſſet maior etiam neceſſitas attemperandi calorem; cuius contrarium experimur, ſiquidem tunc eſt multò maior compreſſio, quàm dilatatio.

Quintò, ſi febris non oriretur à principio intrinſeco, ſequeretur quod febris hectica eſſet curatu facilior quàm quælibet alia ſpecies febris. Sequelam probo, nam non habet principium, nec cauſam ſuæ conſeruationis; dicemus enim ſuo loco, eſſe independentem ab extrinſeco, & ſine cauſa extranea conſeruari: ergo facilè remouebitur à ſubiecto; ideo enim dicimus, aquam calidam ablato calefacienti ad priſtinam frigiditatem ſe reducere, quia caliditas recepta in aqua, non habet à quo conſeruetur. Et confirmatur: Febres putridæ, v. g. perſeuerant quouſque illarum cauſa euacuetur, ſeu quomodocumque auferatur; quâ ablatâ facilè æger ſanitatem amiſſam reſtaurat: ergo pari ratione febris hectica perſeuerabit tantùm quouſque auferatur cauſa extrinſeca productiua illius: at eâ ablatâ diu perſeuerat: ergo quia habet cauſam intrinſecam, à qua pendet, & conſeruatur.

Denique nullâ ratione conſtat, fuligines eſſe calidiores corde: ergo neque poteſt cor ab illis calefieri. Antecedens probo: Si aliqua eſſet, maximè quia fuligines ſunt tenues, raræ, & leues, quæ qualitates oſtendunt fuligines eſſe igneæ naturæ: ſed ſunt plura frigida, tenuia, leuia, & rara: ergo ex iis qualitatibus non deducitur eſſe corde calidiores. Minor probatur; nam ſunt plures liquidæ, tenues, & raræ, vt liquores, veluti ſucci arantiorum, & limonum, & agreſtæ, qui etſi tenues, ſunt frigidi; & aliæ res denſiores, & grauiores, quæ ſunt calidæ nimis, vt arſenicum, calx viua, & aliæ. Ex quibus colligitur, quod raritas, & tenuitas ſunt qualitates quæ indifferenter ſe habent ad calorem, & frigiditatem; atque adeo non benè infertur: Eſt tenuis aut rara: ergo eſt calida.

Ex dictis conſtat, quantam vim habeant rationes, & authoritates adductæ pro hac ſententia; tamen quia Galen. & Auic. & ferè omnium Medicorum ſententia maximam habet probabilitatem, rationi abſonum videtur ab ea recedere.

*Concluſio tenenda.*

Sit ergo prima concluſio. Omnis febris vt producatur, petit cauſam extrinſecam, per quam fiat. Hæc ſententia facilè probabitur, ſi ſemel concedatur, intra corpus noſtrum eſſe aliquam ſubſtantiam corde calidiorem, quæ coctione, vſtione, vel putredine producatur; cum quo præcedentis ſententiæ fundamenta ruunt. In primis quamplures docent, ſpiritus vitales eſſe calidiores corde:

*Spiritus vitales an ſint calidiores corde.*

Ita Gentilis de Fulgineo *fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 3. *cap.* 2. Iacobus Foroliuienſ. *q.* 20. Auerroës 2. *collect. cap.* 2. A Veiga *lib. artis medic. c.* 28. Peramatus *de temperam. cap.* 6. Petrus Garc. *in fen.* 1. *lib.* 2. *diſp.* 12. *cap.* 1. qui omnes probant, ſpiritus vitales naturaliter eſſe corde calidiores, quamuis producantur ab illo.

Sed licèt hoc ſit probatu difficile, probatur tamen ex eorum tenuitate, mobilitate, & calore, qui per animi affectus ad illorum præſentiam ſequi ſolet; & ex immodico calore, qui perſentitur, dum ad aliquam partem fluunt, ex quorum abſentia partes refrigerantur nimis: quod ſi hoc non conuincat, ex argumentorum ſolutione patefiet.

*Obiectio.*

Neque obſtat ſi obiicias, quod ſpiritus vitales producuntur à corde, vt à cauſa æquiuoca, quæ debet eſſe præſtantior ſuo effectu; nam ſi non habet tantum calorem quantum ſpiritus vitales, non poterit illis impartiri, quod non habet.

Secundò, propter quod vnumquodque tale, & illud magis tale: ſed ſpiritus ſunt calidi propter B calorem cordis: ergo ipſum cor erit ipſis ſpiritibus calidius.

Tertiò, qui dat formam, dat conſequentia ad illam: ſed cor dat ſpiritibus vitalibus formam: ergo dat illis calorem conſequutum ad illam, ac per conſequens eſt illis calidius.

His rationibus ſuaſi aliqui, inter quos Vega, Mercatus, & alij, arbitrantur, quod licèt ſpiritus ſint toto corde calidiores, non tamen ſunt calidiores aliquibus partibus illius; nam in corde dantur aliquæ partes ipſis ſpiritibus calidiores, à quibus ſpiritus producuntur; & iſtæ ſunt cauſa æquiuoca ſpirituum, & propter illas ſpiritus calorem accipiunt: quâ ratione ſoluuntur rationes proximè adductæ.

Nos tamen aliter opinamur, dicimuſque, ſpiritus vitales eſſe toto corde, & ſingulis illius partibus calidiores, illorumque vlteriorem calorem C immediatè procedere à propria ſpirituum forma, ex vi diſpoſitionis antecedentis in ordine ad formæ illorum conſeruationem: quod à ſimili probari poteſt in igne, ad cuius productionem non requiritur, quod ſubiectum habeat octo gradus caloris, ſed ſufficiunt ſex, vel ſeptem gradus, dummodo aliæ qualitates ſint, vt ſiccitas, raritas, tenuitas, & leuitas, quæ materiam diſponant: qua de cauſa faciliùs forma ignis, & cum minori calore introducitur in ſtupa, paleis, & ſimilibus, quàm in ferro, lignis viridibus, & ſimilibus. Ita ſimiliter contingit dum in ſpirituum materia à corde introducitur eorum forma; nam cùm materia illorum rara, tenuis, leuis, calida, & ſicca ſit, ſufficit remiſſior cordis calor, vt ipſa materia vltimatè diſponatur, & formam ſpirituum recipiat, à qua deinde pullulat intenſior calor ipſam ſpirituum formam conſeruans, ſicuti ab ignis forma octauus ca- D loris gradus producitur ad eundem conſeruationis finem, etſi ille calor non fuiſſet anteà receptus in materia ab agente, quod ipſum ignem produxit.

Quâ admiſsâ doctrinâ, facilè ad obiectiones reſpondetur. Ad primam, verum eſſe, cor eſſe ſpirituum æquiuocam cauſam, & ſic cor eſt præſtantius in forma ſubſtantiali, quàm forma ſpirituum; nam cor informatur anima viuentis, ſpiritus verò minimè: at verò reſpectu formæ accidentalis formam ſpirituum conſequentis, cor neque eſt cauſa vniuoca, neque æquiuoca, cùm non producat illam; producitur enim ille calor intenſior immediatè ab ipſa forma ſpirituum.

Ad ſecundam dicimus, quod ſpiritus ſunt calidi propter cor antecedenter, non tamen conſequenter; nam calor qui ſequitur ad formam ſpirituum, ab

ipſis

ipſis ſpiritibus immediatè dimanat, ſicut propriæ paſſiones à forma.

Ad tertiam reſpondetur diſtinguendo maiorem; qui dat formam, dat conſequentia ad formam, mediatè, ideſt mediante alia formâ, concedo maiorem; immediatè, nego maiorem: ſed cor dat ſpiritibus formam, concedo minorem: ergo dat conſequentia ad illam, diſtinguo vt diſtinxi.

*Fuligines quæ ex corde eleuantur, ſunt corde calidiores.*

Ex hac doctrina colligimus, fuligines, quæ ex coctionibus, putrefactionibus, aut vſtionibus eleuantur, eſſe calidiſſimas; ſunt enim tenues, raræ & leues, & ex tenuioribus, & calidioribus partibus eleuatæ, ſurſumque ad ignis formam rapiuntur; quæ ſi intra corpus detineantur, aut non contemperentur, cor, & reliqua calefaciunt, & affectus procreant calidos: ad quarum attemperationem, expulſionem, & alios vſus natura fabrefecit pulſum, & reſpirationem, vt ex Galeno deducitur *de vtilitate reſpirat. cap.* 3. *&* 4. Cùm ergo ex coctionibus cordis, & aliarum partium calidarum fuligines eleuentur, non mirum ſi ex earum intra corpus detentione cor, & vniuerſum corpus incaleſcant: non quia fuligines à partibus illum calorem in ea intenſione recipiant, cùm partes illum producere nequeant; ſed quia à fuliginum forma talis calor, vt diſpoſitio formam conſequens, dimanat, vt diximus de forma ſpirituum. Quapropter ſi contingat, quod viæ obſtruantur, & pori conſtipentur, ita vt fuligines non attemperentur per aëris ingreſſum, vel non ſufficienter expellantur, non mirum ſi eo tempore, corde ab illis calefacto, febris generetur.

*Concluſionis noſtræ probatio.*

Hac ſuppoſita doctrina, noſtra concluſio probatur primò. Non implicat adeſſe cauſam externam, quæ ſit calidior corde: ergo ſi appropinquetur cordi, valebit generare febrem.

Dices, tunc febrem produci ab extrinſeco, non tamen id eſſe neceſſarium, quia intrinſecè, in corde ſcilicet, eſt principium ſufficiens, vt ſine cauſa calida extrinſeca producat vlteriorem calorem, qui rationem induat febris, dum ſcilicet cordis calor non attemperatur.

Hæc ſolutio non ſatisfacit, quare eam acriter impugno ex Caietano 1. *part. quæſt.* 67. *art.*4. Nam ſi ob aliquam rationem forma cordis valet producere calorem febrilem, vel aliam qualitatem excedentem morboſam, maximè quia forma mixti continet eminenter formas elementorum, & conſequenter eorum qualitates in gradibus intenſis: hoc aſſumptum eſt falſum: ergo etiam eſt falſum, quod forma cordis poſſit producere calorem febrilem. Maiorem admittunt qui contrariam tuentur ſententiam: minorem probo. Quando aliqua forma continet aliam eminenter, producit in ipſo toto effectum formalem formæ, quam continet, vt patet in anima rationali, quæ quia virtute continet vegetatiuam, & ſenſitiuam animam, dat toti effectum formalem ſentiendi, & vegetandi. In formis etiam accidentalibus lumen receptum in aëre, quia continet eminenter calorem, producit in aëre in quo eſt, effectum quem continet, calorem ſcilicet. Neque ex altero principio colligere poſſumus, quod vna forma continet aliam eminenter, niſi quia illa forma continens producit effectum formalem alterius: ergo ſi forma mixti continet eminenter formas elementorum, & illorum qualitates excedentes, poterit producere effectus illarum; & conſequenter ſicut hæc propoſitio eſt vera, *Homo formaliter eſt vegetatiuus*; ita hæc, *Mixtum aliquando ſaltem erit ignitiuum.*

Quod ſi dicas, hominem formaliter dici vegetatiuum, & ſenſitiuum, quia forma hominis ſaltem vt quo, dat vegetandi, & ſentiendi effectum; tamen licèt ipſa forma virtute contineat effectum ignis, non poteſt talem effectum producere, ob impedimentum ex parte diſpoſitionis corporalis illatum, ratione cuius antequam corpus ad illum ſtatum deueniat, diſſoluitur, ita vt nunquam dicatur homo ignitus.

Sed hæc euaſio eſt inutilis, neque ex alio principio deducimus, lumen v. g. producere poſſe calorem, quem virtualiter continet, niſi quia de facto illum producit; & animam rationalem dicimus eſſe eminenter vegetatiuam, quia experimur illam de facto eſſe principium vegetandi; ſed nunquam videmus, neque aliquo experimento comprobamus, quod forma mixti producat formas elementorum, neque illorum qualitates ſummas: ergo ſignum euidens eſt, quod illas non continet.

Ex quo deduco aliud inconueniens; nam cauſa efficiens dum producit effectum, quem eminenter continet, in ſubiecto in quo eſt, debet eſſe præſens: ergo forma mixti dum producit formam aliquam elementi, quam continet, debet eſſe præſens: ergo iam illud ſubiectum habebit formam mixti, & elementi ſimul, imò & illius qualitates ſummas, quæ adhuc pro illo inſtanti repugnant ipſius naturæ.

Vlteriùs, ex oppoſito ſequeretur, quod frigus illud productum ab aëre ad refrigerandum cor, eſſet cordi violentum; quod nullus admittere poteſt, cùm ſit in vitæ conſeruationem, & viuens intendat ipſum attrahere. Sequelam probo: Illud frigus eſt à principio extrinſeco, præterea eſt contra inclinationem cordis; ſiquidem ex ſua natura inclinatur ad productionem intenſioris caloris, ratione cuius naturaliter repugnat frigiditati aëris, tanquam illi violentæ. Si enim dictum eſt, quod violentum eſt ab extrinſeco, & ad illud paſſum non confert vim: ergo frigus aëris eſt cordi violentum, ſiquidem eſt ab extrinſeco, & cor ſuo calore illi opponitur; quodlibet enim agens inclinatur ad id, quod poteſt producere, & contrarium renuit, vt patet in grauibus, quæ naturaliter inclinantur ad motum deorſum, & contrario motui obſiſtunt. Quia ergo cor ſuo calore opponitur frigiditati aëris, non poteſt non eſſe violenta illi, & præter naturam.

Reſpondent contrarij aſſertores, quod viuens dupliciter conſideratur, & vt viuens, & vt mixtum: vtrumque enim reperitur in compoſito viuente. Aſſerunt ergo, quod licèt viuens vt tale eſt, non producat morbum, nec qualitatem contra ſubiecti inclinationem, illam tamen producit vt mixtum, reſpectu cuius qualitates morboſæ dari non poſſunt, quia morbus eſt paſſio viuentis. Benè quidem concipi poteſt ratio viuentis ſine ratione mixti, ita vt aliquid viuenti tribuatur illi conueniens in ratione mixti, & aliquid in ratione viuentis; productio enim qualitatum à forma prouenit, vt eſt forma mixti; actiones verò vitales ab eadem dimanant forma, vt forma viuentis eſt: ergo non implicabit, quod qualitates illæ excedentes procedant à forma viuentis, vt mixti forma eſt.

Sed licèt poſſit dari conceptus vnius ſine alio, vt ratio tradita concludit, mihi tamen competit probare, qualitatem hanc morboſam non poſſe produci à forma, vt eſt forma mixti. Nam ſi ob aliquam rationem viuenti, vt tale eſt, repugnat morbum ab interno principio producere, maximè quia eſt contra illius inclinationem: ſed talis morbus, vel qualitas præter naturam, eſt etiam contra

inclinatio

inclinationem viuentis, vt tale mixtum eſt: ergo viuenti, vt tale mixtum eſt, repugnat morbum, vel aliam qualitatem contra illius naturam producere. Maior non poteſt negari, ſiquidem omne agens naturaliter intendit ſuam conſeruationem. Minor etiam patet, nam cùm illud numero viuens ſit idem realiter, & entitatiuè cum mixto, eaſdem qualitates petit ad ſui conſeruationem, ac ipſum mixtum: ergo ſi tale mixtum producit qualitates, quibus deſtruitur viuens, eiſdem qualitatibus ſeipſum deſtruit; quia diſſoluto viuente mixtum etiam diſſoluitur: ergo cùm mixtum producat, vt quodlibet agens, qualitates ſuæ conſeruationi dicatas, non eſt dicendum, quod vt mixtum eſt, valet producere qualitates contra illius naturam, neque in viuente febrem.

*Forma elementorum qua ratione contineantur in forma mixti.*

Rogabis tamen, qua ergo ratione dicimus ex Scoti ſententia *in 2. diſtinct. 15. quæſt. vnica, §. ſed tamen*, quod formæ elementorum virtualiter continentur in mixto, ſi forma mixti non habet virtutem eminentialem producendi illas? Reſpondetur iuxta magis probabilem ſententiam, formas elementorum dici manere virtualiter in mixto, non quia per ſe, vel immediatè eas continet, ſed quia continet aliquam virtutem, vel diſpoſitionem debitam formis elementorum, quæ eſt quaſi inchoatio quædam formarum elementorum in materia; hæc autem continentia eſt propria, quia forma mixti vſque ad certum gradum valet talem producere diſpoſitionem; alia autem continentia formarum eſt remota, requiritque cauſam extrinſecam, quæ diſpoſitionem hanc inchoatam ad intenſiorem gradum debitum formæ elementorum peruenire faciat, vt inde introducatur elementorum forma, quæ tunc non producitur à forma mixti, ſed ab aliquo agente extrinſeco, ſiue illud ſit cauſa particularis, ſiue vniuerſalis; de quo impræſentiarum non curo.

*Febris qua ratione non oriatur ab intrinſeco, vt alij morbi.*

Iterum inquires: Si alij morbi producuntur à forma hominis, vt ſuprà euidenter manet probatum, quare febris non poterit etiam ab eadem forma pullulare.

*A quo determinetur forma viuentis, dum producit morbum in conformatione.*

Hæc rogatio, ſi benè à me explicetur, totam rei ambiguitatem tollet: vt illi ergo fiat ſatis, ſuppono, quod natura ſemper ex ſe petit ſuam conſeruationem, quam vt conſequatur, producit qualitates ſibi conuenientes, quibus conſeruatur; viuentia tamen, quæ certam magnitudinem, & paruitatem petunt, vt eam adquirant, & adquiſitam tueantur, petunt etiam materiam alimenti moderatam, & caloris naturalis viribus proportionatam; quæ ſi in maiori quantitate applicetur, virtus nutritiua eam conuertit in aliti ſubſtantiam, & quandoque adquirit maiorem quantitatem, quæ operationibus officit, vt patet dum à natiuitate quis comparat ſextum digitum, vel aliud membrum ſecundùm magnitudinem improportionatum; aut dum editus eſt in lucem, & vulneratus eſt, carnem in vulnere ſupercreſcentem habet actiones lædentem; tunc enim natura illum morbum in magnitudine producit, non per ſe, ſed quia determinatur ex materiæ applicatione, & quaſi per accidens, & hoc non eſt morbum producere iuxta naturæ propenſionem, quoniam illius inclinatio eſt ſolùm ad producendam ſubſtantiam, & quantitatem, quæ ſuæ conſeruationi debetur. Hæc autem determinatio inducta à materia alimenti eſt nimis per accidens, & quaſi cogitur natura ad hunc morbum producendum, quia habet applicatam materiam alimenti potentiæ tranſmutatiuæ, quæ neceſſariò, & modo naturali operatur, & non poteſt diſcedere ab illa. Pari modo

A dicere poſſumus de intemperiebus ab ortu contractis; nam cùm anima noſtra poſſit informare materiam ſic vel aliter diſpoſitam, & in quacumque materia non petat eandem indiuiſibilem diſpoſitionem, vt patet in hominibus bilioſis, & pituitoſis, qui temperamento maximè euariant, non implicat, quod anima introducatur in materia talem habente diſpoſitionem, vt materia cerebro reſpondens ſit magis, vel minùs frigida, aut iecur calore excedat, vt experimur in pluribus, qui ex generationis principiis iecoris calida intemperie laborant, & ſic de aliis partibus. Neque omnes poſſunt eſſe ſimpliciter ſalubres; non tamen dicimus, quod anima naturaliter illam diſtemperiem appetit: tamen quia ſub illius latitudine materiam informat, & determinatur ab illa, quatenus non eſt intemperies repugnans informationi illius; ideo anima concurrit ad conſeruationem talis intemperiei: modò non diſputo, an illa diſpoſitio

*A quo determinetur forma dum producit morbum immaterialem.*

B debeat dici naturalis reſpectu illius formæ, vel morboſa; hoc pertinet ad librum de differentiis morborum.

Sed quia non eſt ſermo ſolùm de morbis ab ortu generationis contractis, ſed de aliis, qui temporis tractu gignuntur, & in intemperie conſiſtunt, ab internoque procedunt principio, dicimus etiam dari aliquod determinans, quod excitet viuentis formam ad eorum productionem, neque aliter fieri poſſe: quid autem ſit, iam declaro, ſupponendo priùs, dari in nobis temperamentum ex coalteratione partium ab omnibus receptum; fuit enim conueniens, vt partes organicæ conſtarent diuerſo temperamento; eſt enim anima actus corporis organici, &c. quæ partes ſuo temperamento agunt inter ſe, & ad mediocritatem temperiei actionibus accommodatam deueniunt. Ita ſentit Auicenna *fen. 1. doct. 3. cap. 1.* quem ſequuntur omnes.

*Admittitur temperamentum ex coalteratione partium.*

C Fuit ergo neceſſarium, vt partes illæ haberent qualitates in maiori intenſione, quàm actu elucent, vt ſic refrangerentur inter ſe, & ex illis produceretur temperies proportionata: quapropter dicimus cerebrum eſſe ſuâ naturâ frigidum, etiamſi ex præſentia ſpirituum euadat calidum: cuius frigiditatem ſpirituum calor remittit, ſicque temperies reſultat conueniens conſeruationi formæ, & operationibus, quas perficit in cerebro: quod ſi ſpiritus deficerent in cerebro, ſtatim naturaliter cerebri frigiditas manifeſtaretur, quia forma illius habet virtutem ad producendam tantam frigiditatem, quanta ſit conueniens, vt ex ſpirituum calore, & frigiditate cerebri fiat temperies, vt dixi, actionibus accommoda. Pari ratione, ex temperie oſſium, carnium, & ſpirituum vitalium fit vna temperies; verùm ſi ſpiritus ad cor retrahuntur, illicò partes ab

D intrinſeco producunt qualitates, quas virtute continent, quæ ordinantur à natura, vt ex ipſis, & calore ſpirituum fiat temperies etiam ad earum conſeruationem conducens. Neque hoc ſolùm conceditur partibus organicis, ſed etiam ſimilaribus, in quibus reperiuntur partes correſpondentes diuerſis elementis, ex quibus reſultat temperies illis proportionalis, & in gradu ſibi debito, in quibus etiam datur præter temperamentum qualitatiuum, aliud quod vocamus ſubſtantificum, ortum ex proportione ſubſtantiarum materialium elementorum, ita vt ſi in parte ſimiliari præualeant partes elementi frigidi, talis pars ſimilaris reſultat à prædominio frigida: ſi verò præualeant partes elementi calidi, ea dicitur calida, quia iuxta prædominium partium determinatur forma ad productionem huius, vel illius qualitatis; tamen ſi propter aliquam cauſam præter naturam partes verbi gratiâ,

*Temperamentum ſubſtantificum admittitur.*

frigidæ

frigidæ reſoluantur, tunc quidem forma determinatur à partibus calidis ad productionem totius caloris, quem partes frigidæ remittebant; non tamen determinatur ad producendum calorem intenſiſſimum, qualis eſt ille qui debetur formæ ignis; nam licèt illæ partes igni correſpondentes petant intenſum calorem, cùm tamen ſint informatæ forma mixti, petunt tantùm eum gradum debitum formæ mixti, vt ſic ex illo, & frigiditate orta ab anima ratione partium frigidarum temperies accommodata reſultet: quapropter ſi ſubuertatur temperamentum ſubſtantificum in corde, verbi gratiâ, ita vt ab aliqua cauſa præter naturam diſſipentur partes frigidæ; tunc quidem cor remanebit magis calidum à calore partium calidarum; ſiquidem ille calor non poteſt auferri à partibus frigidis, quia ſupponimus eas fuiſſe abolitas: & idem dicimus de partibus calidis, ſi reſoluantur; ſubuertitur enim temperamentum ſubſtantificum, & partes frigidæ præualent, vt accidit in hydrope, in qua iecoris temperamentum eſt ſubuerſum, & frigiditas præualet, etiamſi cauſa ſubuertens temperamentum illius ſit calida; quia ipſa potuit partes calidas reſoluere, & diſſipare, remanentibus frigidis, quæ in defectu calidarum intenſam frigiditatem producunt, quæ habet tunc rationem morbi frigidi.

*Satisfit interrogationi.*

His igitur ita benè intellectis, facile eſt interrogationi ſatisfacere, ſi dicamus, quod temperamentum cordis eſt iuſtitiale, quod confert ad conſeruationem, & actionum productionem: quapropter ſi non accedat aliqua cauſa præter naturam, quæ illud immodicè calefaciat, eſt impoſſibile quod à ſeipſo intenſiorem calorem producat; quia ibi ſunt partes frigidæ, quæ illius aſcenſum ad intenſiorem gradum cohibent: neque Auicenna *fen. 1. lib. 2. doctr. 6. capite 3.* aſſerit, quod frigus per ſe non concurrit ad actiones viuentis, ſed ſolùm per accidens, quatenus temperat calorem, illumque moderatur, ne ad intenſiorem perueniat gradum, quo actiones vitiet: neque eſt aliquod, à quo cor determinetur, vt producat calorem febrilem, ſicuti determinatur natura in aliis morbis intrinſecùs accidentibus. In conuulſione enim ex ſiccitate determinatur natura ad producendam ſiccitatem, eo quod deficiunt partes humidæ, quæ vel reſoluuntur ab immodica febre, & hanc ob cauſam dixit Hippocrates *2. aphoriſm. text. 26. Febrem conuulſioni ſuperuenire meliùs eſt, quàm febri conuulſionem*; quia ſcilicet partes humidæ à calore febrili exhalantur, & reſoluuntur, ex quarum defectu conſurgit, quod partes ſiccæ remanentes intenſiorem ſiccitatem, & denſitatem producunt; quia non eſt humiditas, per quam cohibeatur: vel ipſæ partes humidæ euacuantur, de qua euacuatione, & conuulſione agit Hippocrates *5. aphor. textu 1. 2. 3. & 4.* Idemque contingit in hydrope, in qua taliter ſubuertitur temperamentum iecoris, vt partes igneæ illius deficiant, & frigidæ remaneant ineptæ ad rectè peragendam ſanguificationem, etiamſi calorem excedentem iecur habeat; nam requiritur temperamentum ſubſtantificum parum, aut nihil ſubuerſum, vt ſuas eliciat actiones; & hæc eſt ratio propter quam Hippocrates *2. prognoſt. text. 1.* hydropen conſequutam ex morbis acutis docet eſſe malam, quæ non ſedat febrem; imò tam calida, & ſicca intemperie iecur affici ſolet in hydrope ad morbos acutos ſubſequuta, vt non poſſit chilum in ſanguinem commutare, vt docet Galenus 6. *de locis affectis*, *cap. 1.* Quare cùm in febribus ardentiſſimis, in quibus vigent ingens calor, & ſiccitas, adhuc virtus ſanguificandi operetur, & maſſam ſanguinariam, licèt bile plenam producat, quod non accidit in hydrope; exiſtimare oportet, quod in hydrope non ſolùm vitiatur ſanguificatio ob læſionem temperiei qualitatiuæ, ſed ob ſubuerſionem temperamenti ſubſtantifici, vt dictum eſt. In rigore etiam non mirum, quod frigus in extremis manifeſtum fiat, quia vt dicemus tractatu de rigore, ex recurſu ſpirituum vitalium ad intra, partes exſangues, quæ frigidæ naturâ ſunt, frigiditatem producunt in partibus ſenſitiuis calidis, in quibus frigus illud perſentitur; quod cùm lædat actiones, habet morbi veram rationem: & idem pari modo eſt philoſophandum de aliis morbis intrinſecùs originem capientibus.

*Dubium maximum circa febris productionem.*

Verùm quia difficultas eximia eſt, vt magis conſpicua exiſtat, adhuc obiicies: Si conuulſio, exempli gratiâ, ex humidæ ſubſtantiæ defectu occaſionaliter procedens efficienter à partibus ſiccis fit, quatenus forma illarum intenſiorem ſiccitatem producit: ergo pari ratione febris poterit accidere ex defectu partium frigidarum, quo tempore forma exiſtens in partibus calidis, intenſiorem calorem producere valebit, quatenus à partibus frigidis, quæ euanuerunt, non poteſt talis caloris intenſio impediri: ergo ſaltem eo tempore febris originem trahet ab intrinſeco.

*Ad illud reſponſio.*

Reſpondetur, id non poſſe negari, ſi adfuiſſet aliqua cauſa extrinſeca, quæ partes cordis frigidas deſtrueret, & febrem ſimul non produceret: tamen quia partes frigidæ non auferuntur ab extrinſeco, niſi à calore immodico ipſas partes frigidas reſoluente, & earum frigiditatem remittente, hinc eſt, vt partes cordis calidæ non poſſint aſcendere ad comparandum calorem febrilem, niſi à cauſa extrinſeca calidiſſima illarum calor adaugeatur, & frigiditas partium frigidarum illius ab eadem cauſa remittatur. Quapropter ab extrinſeco ſemper fit remiſſio frigiditatis partium cordis; quæ elemento aqueo, & terreo reſpondent; & earum reſolutio, quæ cùm fiat à cauſa calida, ipſa ſimul partes calidas vlteriùs calefacit, & febrem inducit.

*Cauſa conſeruationis febris hecticæ inueſtigatur.*

Sed adhuc admittendo reſponſionem reſtat ſcrupulus; nam febris hectica, vt ſuo loco dicemus, licèt efficienter ab extrinſeco dependeat, in ſui tamen conſeruatione non pendet ab illo, ex quo fit, quòd in eius curatione ſolùm contraria febri admoueamus, nullâ habitâ ratione cauſæ: ergo tunc conſeruatur ab intrinſeco; ſed non minor virtus requiritur ad conſeruandum, quàm ad producendum: ergo cauſa quæ febrem hecticam conſeruat, eandem producere valebit; ignis enim, qui calorem productum conſeruat, poterit etiam ipſum calorem producere. Reſpondetur dupliciter. Primò, ibi produci à calore febrili qualitatem quandam ſecundam; quæ concurrit ad conſeruationem caloris in genere ſaltem diſpoſitionis; nam efficienter talis qualitas concurrere non poteſt, quia qualitates ſecundæ non dicuntur operatiuæ; & ex alia parte calor, cùm qualitas permanens ſit, poteſt conſeruari in alieno ſubiecto. Qua autem ratione poſſit conſeruari, dicemus tractatu de febre hectica, quæſtione An febris hectica dependeat à cauſa.

Vel ſecundò, & meliùs, reſpondetur, quod ſemel abſumptis partibus frigidis cordis, partes calidæ intenſiorem calorem comparant ab extrinſeco productum; & cùm non impediantur à frigidis, calorem illum febrilem conſeruant, & ſic adeſt cauſa intrinſeca conſeruatiua, quæ tamen in principio non valuit producere febrem, quia ibi præexiſtebant frigidæ partes, quæ febris productionem impediebant. Vt ergo cauſæ conſeruantis, & efficientis virtus ſit æqualis, petit etiam eaſdem conditiones; verumtamen quia virtus producendi calorem à partibus calidis cordis erat impedita à partibus frigidis tempore productionis febris; ideò non fuit potens producere febrem, ſicque cauſam extrinſecam calidam petit, vt producatur: attamen ablato ſemel impedimento partium frigidarum per cauſam extrinſecam, partes illæ calidæ ablatâ cauſâ extrinſecâ, calorem productum ab ea conſeruant; ſicque aſſignare poſſumus cauſam intrinſecam conſeruatiuam ſine fictione qualitatis ſecundæ.

*Ratio traditur propter quam ablata cauſa febris putridæ, ipſa febris auferetur; hectica verò ablata cauſa perſeuerat.*

Hinc deducimus rationem, propter quam febres putridæ, ablatâ causâ humorali, ſtatim auferuntur, & in morbis acutis, qui criſi terminantur, ſubſequitur criſis euacuatâ causâ morbificâ, etiamſi maneat dyſcraſia calida; nam facile natura euincit intemperiem relictam, quia ſcilicet non eſt ſubuerſum temperamentum ſubſtantificum, vt in febre hectica: at verò in febre hectica neutiquam natura ſe ad ſanitatem reducit, etiamſi cauſa auferatur, quia intrinſecùs adeſt principium febris habitualis conſeruatiuum, quod non poteſt auferri niſi temperamentum illud reſtauretur, ad cuius nouam regenerationem non ſolum vti debemus remediis attemperantibus, quia hæc ſolùm qualitatem contrariam auferre tentabunt, quibus partes illæ calidæ, cordis maximè, obſiſtunt, & anima illas partes informans concurrit ad conſeruationem illius caloris. Requiritur ergo etiam attemperatio per alimenta ſubſtantifica, quæ non ſolùm ſuis qualitatibus calori & ſiccitati opponantur, ſed etiam partes frigidas, & humidas deperditas reſtaurent, vt denuò ipſum temperamentum ſubſtantificum coaleſcat, parteſque frigidæ, & humidæ olim abſumptæ reſtaurentur, ita vt valeant calorem illum febrilem remittere, & attemperare; nam alio modo haudquaquam febris hectica deficiet, imò priùs hominem deficere faciet. Reliqua pete ex tractatu de febre hectica.

*Hectica petit non ſolum qualitatem contrariam, ſed ſubſtantiam alimentitiam eadem qualitate informatam.*

Ex iis facilis iam apparet ad argumenta in contrarium reſponſio. Ad primum dicimus, fuligines eſſe calidiores corde: at fuligines ignis non poſſunt eſſe igne calidiores, neque ita calidæ, quia ab igne ſummè calido recipiunt totum calorem ſibi debitum; quæ verò à corde procedunt, vltra calorem à corde receptum, alterum à propria forma accipiunt, quo corde calidiores euadunt.

Ad ſecundum reſpondetur eodem modo.

Ad tertium iam reſponſum eſt, quâ ratione febris non oriatur ab intrinſeco, etiamſi alij morbi ab intrinſeco naſcantur.

Ad quartum dicimus, non omnes fuligines eſſe æquè calidas; & in principiis febrium, cùm calor remiſſus ſit, plures vapores eleuat, qui cor offendunt, & cogunt facere maiorem compreſſionem cordis, & arteriarum: qui vapores etiam nomine fuliginum explicantur, & hæ non tantùm ſuo calore lædunt cor, quantum ſuâ multitudine opprimunt, & ſuffocant, illiuſque motum quodammodo impedire valent, ita vt paruam eo tempore faciat dilatationem, benè verò magnam compreſſionem, vt trudat, & à ſe expellat fuligines, ſeu vapores illos nomine fuliginum comprehenſos.

Ad quintum iam dictum eſt, quâ ratione febris habitualis difficilè ſeparetur à ſubiecto, reliquæ verò febres facillimo negotio auferuntur.

Ad vltimum reſpondetur, conſtare fuligines, & ſpiritus eſſe calidos nimis ex eorum mobilitate, tenuitate, & raritate: & licèt dentur plures liquores, & ſucci frigidi tenuiores rebus denſioribus, & calidis, tamen non dantur leues. Quia ergo præter tenuitatem, & raritatem habent ſpiritus, & fuligines leuitatem, & quæ leuia ſunt calidi exceſſum habent, & quo calidiora, eò tenuiora; hinc deducimus ſpiritus, & fuligines excedentem habere calorem: quod etiam conſtare arbitror ex calore, quem partibus corporis, cui applicantur, communicant.

---

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum calor febrilis ſit accenſus in corde.*

VT hæc intelligatur quæſtio, tanquam certum ſuppono, quod triplex datur calor in noſtris corporibus: primus dicitur innatus, quia à noſtræ generationis principiis originem ducit, & ab eo prima ruditamenta efformantur: huius meminit Hippocrates 1. *aphor. textu* 14. Alter dicitur influens, qui mediantibus ſpiritibus vitalibus ex corde in vniuerſum corpus dimandatur, de quo loquitur Hippocrat. 1. *aphoriſm. text.* 15. Ex iis duobus tertius reſultat, quem actuatum appellant, qui eſt ad actiones viuentis accommodatus, & à quo omnia in corpore perficiuntur, qui nullo modo diſtinguitur à duobus primis, etſi contrarium ſenſerit Ludouic. Mercat. nam licèt diſtinguatur ab vno ratione alterius, non tamen diſtinguitur ab vtriſque ſimul ſumptis, & per modum vnius; efficitur enim ex vtroque calore, tanquam ex partibus, vnus totalis calor actuatus dictus, qui nequaquam diſtinguitur ab illis, eo modo, quo dicere ſolemus, quod totum non diſtinguitur à ſuis partibus ſimul ſumptis, & vnitis, quia totum præter ipſas partes vnitas nihil eſt, niſi cum ſubtili Scoto ecceitatem admittamus ab ipſis partibus diſtinctam. Hoc ſuppoſito, vt certum tenendum eſt, per febrem mutari calorem actuatum: quod ita verum arbitramur, vt probatione non egeat; cùm enim calor actuatus habeat eſſe à calore innato, & influenti, ex cuiuſlibet mutatione ipſe neceſſariò mutatur, cùm non habeat eſſe ab illis condiſtinctum. Itaque ex intenſione cuiuſvis caloris exiſtentis intra corpus neceſſariò calor actuatus intenditur, & fit morboſus, & actionibus officit; ſi verò ſuam ſeruauerit ſymmetriam, tunc naturæ familiaris exiſtit, & illius actionibus deſeruit.

Hac ſuppoſitâ doctrinâ dicendum eſt, calorem febrilem eſſe accenſum in corde; quod conſtat ex definitione febris ab Auic. tradita: idemque inſinuauit Galen. 1. *de differentiis febrium, c.* 13. & 10. *method. cap.* 8. & Auerroës 3. *collect. cap.* 3. & eſt ſententia communis. Rationem reddit Galenus *lib.*

*lib. de maraſmo*; nam ad febrem conſtituendam requiritur, quod cor, quod eſt focus caloris, ſuccendatur, vt inde calor in reliquas corporis partes deriuetur; eſt enim cor fons, & principium caloris totius corporis, ex Hippocrate *lib. de corde*, ex cuius noxa læditur totum corpus, & ſic ex intenſione caloris illius totus corporis calor intenditur; ſicut ſi cerebrum lædatur, & ſit noxa in ſenſu, & motu, talis noxa in omnibus percipitur partibus ſenſui, & motui deſtinatis. Præterea, ſi iecoris actio vitiatur, ita ſimiliter accretio, & nutritio omnium partium vitiantur; quod neutiquam accideret, ſi huiuſmodi principia non eſſent communia, à quibus omnes partes beneficium, & incommodum recipiunt: quod non contingit quando aliqua pars particularis malè afficitur; tunc enim læſio actionis tantummodò in ipſa parte perſentiri ſolet. Si igitur ex caloris intenſione totum corpus læditur, cor pati neceſſe eſt, idque dilucidè oſtendit etiam Galen. 5. *de locis affectis*, *cap.* 1. quod ita verum eſt, vt ex cordis læſione ſtatim partes omnes adhuc principes trahantur in conſenſum, vt ipſe Galenus teſtatur, & eleganter tradit Veiga 1. *de differentiis febrium*.

*Morbi communes ex læſione principiorum fiunt.*

*Obiectio.*

Sed contra hanc doctrinam inſurgere potes primò; nam ſi omnes partes, aut principialiores ſaltem, excepto corde, calidâ intemperie afficerentur, pulſus magni fierent, & alia accidentia, quæ febris naturam conſequuntur: ergo eo caſu febrem adeſſe iudicabimus, ac per conſequens ad febris rationem non eſt neceſſe vt patiatur cor.

Secundò; nam ſi intra magnam arteriam aliquis humor putreſceret, & ſpiritus, & ſanguis præter naturam incaleſcerent, medio motu arteriarum, & ſpirituum totum corpus calefieret: ergo non eſt neceſſarium, quod à corde communicetur ille calor, ſed ſine cordis calore adaucto fieret febris.

*Obiectionis dilutio.*

Ad huiuſmodi rationes reſpondetur, vtrumque caſum eſſe impoſſibilem; nam cùm cor ſit membrum calidiſſimum, & intra ſphæram actiuitatis caloris aliarum partium, vel humoris intra magnam arteriam putreſcentis, faciliùs alteratur, & recipit calorem, quàm reliquæ partes, à quo in totum corpus dimandatur; & tunc ille calor dicitur febrilis, antea verò minimè.

Præterea in definitione dicitur, quod calor febrilis accenſus in corde, ab eo procedat mediantibus ſpiritibus, & ſanguine in vniuerſum corpus; non quod hoc ſemper requiratur ad febris conſtitutionem; nam licèt in partes proximas cordi calor procedat, impediri tamen poteſt proceſſus in reliquas partes ab aliqua cauſa potentiori, vt patet in febre lipyria, in qua interiora vruntur, & extrema refrigerantur; & in febrium rigore, in quo calor in interioribus viget. Sufficit enim, quod mediis ſpiritibus, & ſanguine calor ille communicetur; nam calor cordi inhærens non eſt tantæ actiuitatis, vt per continui alterationem totum corpus calefaciat: & hanc ob cauſam dicimus in definitione, quod calor ille procedit à corde, medio ſanguine, & ſpiritibus: quod ſi non communicetur, hoc non tollit febris eſſentiam; verba enim, vt inquit Logicus, in definitione non dicunt actum, ſed aptitudinem.

*Subiectum febris quod ſit.*

Ex dictis claret, cor eſſe præcipuum ſubiectum febris, & hanc ob cauſam in illius definitione ponitur; accidens enim optimè per ſubiectum, tanquam per differentiam definitur, cùm dicat ordinem ad illud, vt docet D. Thom. 7. *Metaphyſicæ*; ſic enim definimus album per ſubiectum, dum di-

A cimus album eſſe corpus diſgregatiuum viſus. Et quia ex corde in vniuerſum corpus calor febrilis diffunditur, ideò etiam in definitione ponitur vniuerſum corpus, quod etiam eſt ſubiectum huius caloris receptiuum. Conſtat enim in probabiliori opinione, quod cùm morbus, & ſanitas ſint paſſiones viuentis, prærequirunt ſubiectum viuens, in quo recipiantur, quale eſt cor, & totum corpus: quod ſubiectum non ſolùm debet eſſe attributionis, aut denominationis, ſed potiùs inhæſionis; quod quidem 1. *tom. lib.* 5. *cap.* 10. ſufficienter diſcuſſimus. Quod etiam probant Veiga, Valleſ. Vega, & alij, & nos fortaſſe procedenti ſermone dicemus. Iſte ergo calor verè morbus cùm ſit, ſuum eſſe in facto habere debet in ſubiecto viuenti, & non in fieri: quod requiritur neceſſariò ad veram morbi conſtitutionem; morbus enim permanentiam dicit, & non eſt pa-
B thos, ſeu pathema, vt ſequenti quæſtione explicabitur.

---

## QVÆSTIO IV.

### *In qua vltimæ partis definitionis explicatio proponitur.*

SVbdit vlteriùs Auicen. in definitione, quòd *inflammatur inflammatione, quæ nocet operationibus.* Circa quod nulla eſt dubitatio, ſiquidem conſtat, cor, & vniuerſum corpus, ſi inflammentur præter naturam, non poſſe perfectè ſuas elicere operationes.

Deinde proſequitur dum ait, *& vltimatur* (intelligitur calor febrilis) *non ſicut caliditas laboris,*
C *& iræ, cùm non vltimatur.* Quæ Auic. verba variè ab Authoribus interpretantur.

Gentilis in huius loci expoſitione aſſerit, his verbis Auicen. conſtituere differentiam inter calorem febrilem, & iræ, vel laboris; nam calor febrilis, quia vltimatur, nocet operationibus; at verò iræ calor, vel laboris, nequaquam: nam irati, & qui immoderatè exercitantur, ſani ſunt.

Hæc tamen Gentilis expoſitio Benedicto Matam. non quadrat; inquit enim, falſum eſſe; calorem iræ, aut laboris non poſſe venire ad eam intenſionem, quæ poſſit morbi rationem ſubire, quò tempore neceſſariò actiones lædet.

Sed ſi quis Auicen. verba perpendat, cùm Gentilis expoſitione quadrare non dubitabit; inquit enim Gentilis, quod cùm calor febrilis vltimatur,
D lædit operationes, non ſicut calor iræ & laboris, cùm non vltimatur. Quibus non aſſerit calorem iræ, & laboris non poſſe lædere actiones, ſed ſolùm dicit eas non lædere, vt febris cùm non vltimatur, id eſt cùm ad eam diſpoſitionem non peruenit, vt ipſe dicatur febris. Si verò tantam comparet intenſionem, & talem ſubeat conditionem, vt operationibus officiat, reuerà morbi rationem ſubiuit: quod nequaquam negauit Auicen. neque contrarium Gentilis intellexit.

Ludouicus Mercat. aliter Auic. mentem interpretatur; aſſerit enim ſolùm poſſe dici, vltimari calorem, cùm calor non ſolùm alteratur, ſed etiam mutatur ad igneam naturam; nam id reuerà eſt vltimari, quod eſt vltimam diſpoſitionem adquirere, quæ febrem conſtituat; & ideò aliud eſt (inquit) calorem intendi, & aliud in igneam mutari naturam.

*Mercati expoſitio.*

*Illius refutatio.*

Iſte philoſophandi modus eſt inintelligibilis; nam ſi in illius opinione calor ſit igneus, & febrilis per intenſionem, vt ipſe eodem expreſſit capite, in idem conincidunt, calorem intendi, & mutari in igneam naturam.

Alij aliter Auic. verba explicant; inquiunt enim, quod cùm morbus dicat temperamentem, calor febrilis permanentiam dicit, ad differentiam caloris iræ, vel laboris, qui facilè aufertur. Quod verò morbus dicat permanentiam, probat Galen. *lib. 2. methodi, cap. 3.* & *de differ. ſympt. cap. 1.* vbi morbum non pathos, nec pathema dicit: hæc enim duo nomina paſſionem, aut rem in motu, ſeu in fieri important, quorum explicationem tradit etiam Ariſtot. in categoria qualitatis. Itaque morbus in ſuo conceptu formali permanentiam, ſeu durationem quandam includit.

Hæc tamen doctrina ſic intellecta ſuſtineri nequit; nam poſtquam Galen. *lib. 2. methodi, cap. citato*, aſſerit morbum, & ſanitatem eſſe de genere permanentium, ſubdit: *Nam contrarium ſanitati effectum, à quo lædi actiones dicimus, morbum tantùm appellamus, ſiue diutinus hic, ſiue breuis ſit, ſiue momento temporis duret*; quem ſequitur Vega *1. de differ. febrium, cap. 1.* Petrus Garcia *diſputat. 1. de locis affectis, cap. 3.* & alij. Sunt enim morbi aliqui breues, aliqui diuturni; quare ſi daretur affectus momento temporis durans, hoc eſt breuiſſimo tempore, qui ſenſibiliter læderet, & velut apoplexia fortis breuiſſimè interficeret, reuerà morbus dici mereretur. Vnde colligitur nomine permanentiæ Galenum noluiſſe durationem ſignificare.

Alij verò meliùs Galeni exponunt verba, dicuntque morbum permanentiam dicere, nihil aliud eſſe, quàm ſuas partes, & ſuum eſſe in facto habere: quod expreſsè docuit Galen. *locis citatis*, vbi ait, actionem, & motum in ipſo fieri eſſentiam habere; ſanitatem verò, & morbum ex permanentium, & conſtantium genere eſſe: habent enim ſuas partes iam productas, & non in ipſo fieri productionis; & hanc ob cauſam Galen. *1. de differ. febrium, cap. 1.* per exempla demonſtrat, calorem febrilem in facto debere eſſe in vna ex tribus ſubſtantiis, ſpiritibus, humoribus, & partibus ſolidis. Et quamuis aliqui morbi ſuum eſſe habere videantur in ipſo fieri, vt continui ſolutio, quæ à partium ſeparatione differre non videtur; & conuulſio, quæ eſt inuita muſculorum verſus ſuam originem retractio; non tamen dicimus, morbum in motu ipſo conſiſtere, ſed potiùs in termino ipſius motus; tranſacto enim motu illo, adhuc manet morbus, qui actiones lædit, ſicque in ipſa motione quæ præteriit, minimè conſiſtere poteſt. Quapropter neceſſariò morbi formalitas conſiſtit in termino illius; quod etiam probauimus prima quæſtione, aſſerentes febrem non eſſe calefactionem, ſed illius terminum, quatenus rationem habet prauæ diſpoſitionis.

A Hac ſuppoſitâ doctrinâ facilè erit Auicen. mentem callere, ſi dicamus, quod calor iræ, vel laboris benè poteſt eſſe intenſior calore febrili, & actiones lædere; ſiquidem in ira experimur pulſum magnum, & celebrem, & quandoque mentis alienationem; illius tamen calor conſtituit morbum calidum, non tamen febrem; nam calor iræ dicitur vltimari quando ex vi illius tanta ſit ebullitio, & ſuccenſio ſanguinis, & ſpirituum iuxta cor, vt producatur calor, qui adhuc ablatâ cauſâ externâ, nempe ebullitione illa ex ira inducta, duret tempore ſufficienti ad febris conſtitutionem: nam licèt ex nimio labore quis calorem comparet excedentem; ſi tamen tranſacto labore non duret ille calor tempore ſufficienti ad conſtituendam ſaltem febrem diariam, quæ perdurat vigintiquatuor horis, non dicitur calor ille vltimari, etiamſi calor ille intenſior detur quàm in aliqua febre; dici tamen B poteſt morbus calidus, quia actiones lædit, & habet aliquas partes graduales actu productas in facto, per quas in eſſe morbi calidi conſtituitur.

*Quis morbus dicatur factus, vel fiens.*

Sed quia nomine facti, & fientis vtimur, ſcire oportet, quid nomine vtriuſque intelligatur: breuiter tamen dicimus, quod intemperies fiens ea eſt, quæ ita à cauſa dependet, vt eâ ablatâ ipſa etiam confeſtim auferatur, vt patet in febribus humoralibus, quæ ita dependent à calore putredinali, vt putredine ablatâ facilè tollatur ipſa febris; quæ quidem licèt fiens dicatur, & dependens à cauſa, habet tamen aliquid factum dependenter ab illa, quod morbum conſtituit; & ſic omnes febres humorales ratione illius facti ſunt veræ febres. Intemperies facta dicitur, quæ more naturalis temperamenti ſubiectum informat, licèt cauſa productiua auferatur, vt ſunt omnes diſpoſitiones, quæ per modum habitus ſe habent, quæ C adhuc ſemotâ cauſâ permanent, vt patet in febre hectica. Ex hoc procedit, quod Galen. *lib. de inæquali intemp. cap. 8.* omnes febres vocat inæquales intemperies, exceptâ febre hecticâ, quam æqualem vocat; quia in illa totus calor æqualiter, & independenter eſt productus, vt ſuo loco dicemus.

Tandem ad febris conſtitutionem calor debet eſſe productus in facto, in vna ex tribus ſubſtantiis, nempe in ſolidis membris, ſpiritibus, aut humoribus; vel vt poſteà dicemus, in contentis, continentibus, & impetum facientibus; hac adhibita diſtinctione, quod ſi febris ſit diaria, calor in facto ſpiritibus inhæreat, & in membris, & humoribus in fieri. Si verò ſit febris hectica, membra habent calorem in facto æqualem; humores verò, & ſpiritus inæqualem, & fientem: & idem eſt dicendum de febre humorali, vt conſtat ex Galen. D *1. de differ. febrium, cap. 1.* Ratio huius eſt, nam ſi cauſa febris productiua non habet calorem in facto, non poterit illum in corde producere, neque febrem cauſare, quæ etiam ſuum eſſe in facto requirit.

LIBER

# LIBER SECVNDVS.

## De Febrium diuiſionibus.

Ex præcedentibus claret, quid febris ſit; nunc autem ad æquiuocationem, & ambiguitatem tollendam, febrium diuiſiones magis principales adducemus, cùm ſine illis exactè res nequeat cognoſci: & hanc ob cauſam Logici inter ſciendi modos diuiſionem conſtituunt, per quam certa ab incertis ſeparamus. Sed quia in diuidendis febribus aberrarunt antiqui, ab his quæ principaliſſimæ ſunt diſcedentes, vel minùs principales diuiſiones, & rerum differentias principalioribus commiſcentes, ex quibus nulla vtilitas ſequi poteſt; ideo Galen. *lib.* 1. *de differ. febrium*, eos increpat, & alias febrium diuiſiones proponit ex Hippocrate deſumptas 6. *epidim. com.* 1. *text.* 29. quas inquit eſſe ex propria rei ſubſtantia depromptas, illaſque in ſequentibus nos examinare conabimur.

### QVÆSTIO I.

#### *De diuiſionibus febrium.*

Qvatuor febrium diuiſiones tradit Galenus, quas commemorare priùs decreui; quarum prima talis eſt: *Febrium hæ quidem manui ſunt mordaces, hæ verò mites; hæ autem non mordaces, ſed poſt inſurgentes; aliæ verò acutæ, ſed quæ manui ſuccumbunt.*

Secunda diuiſio: *Febres quædam ſunt ſtatim exardentes, quædam ſemper puſillæ, & ſiccæ.*

Tertia: *Febres aliæ ſunt ſalſuginoſæ, quædam flatibus plenæ, aſpectui graues, nonnullæ tactui humectæ.*

Quarta & vltima: *Febres aliæ vehementer rubidæ, pallidæ aliæ, & aliæ huiuſmodi.*

Circa harum febrium diuiſiones variè ſcripſerunt Authores, quorum aliqui non benè Hippoc. & Galeni mentem calluerunt: quapropter eas breuiter explicare tentabo, vt inde veritas eluceſcat.

*Prima diuiſionis explicatio.* Ex prima igitur diuiſione deſumimus modum, quo calor tantùm immutat, & cognoſcimus materiam in qua calor ille exiſtit, vt docet Galen. 2. *de febribus, cap.* 1. vbi inquit, quod ex modo caloris dignoſcimus, an calor ſit in ſanguine, pituita, bile, vel melancholia. Hæc quidem diuiſio quadrimembris eſt, vt conſideranti patebit. Sunt etenim febres aliæ mordaces, nomine quarum intelligimus febres hecticas, & quæ ex humore melancholico, & atra bile dependent; calor enim ſiccitati adiunctus mordacitatem, ſeu acrimoniam quandam ſenſui infert, non aliter quàm ſubſtantiæ continuitatem erodendo, vt docuit Galenus 4. *ſimp. cap.* 2. vbi probat mordacitatem à calore, & frigore ortum habere, diuerſimodè tamen; nam frigus mordacitatem gignit exprimendo ſubſtantiam tenuem, eamque in arctiorem locum trudendo, vbi mordicare videtur. Calor verò, vt diximus, cuius actionem ſiccitas iuuat ſaltem in genere cauſæ diſpoſitiuæ materialis, illumque maioris efficit actiuitatis, & mordacem reddit; qui taliter dicitur, quando tactum pungit, & veluti corrodit; quod quidem efficere valent medicamenta calida, & ſicca nimis, vt Galen. loco proximè citato aſſeruit; talemque calorem medicamentis

A acribus ipſe comparauit 1. *de differ. febr. cap.* 7. quia talem noxam tactui inferre ſolent. At verò calor cum humiditate mitis, & ſuauis apparet, vt patet in calore febris ſanguineæ, qui ratione humiditatis taliter modificatur. Cùm ergo febres hecticæ, & quæ ex melancholia, & atrabile dependent, ex ſubiecto, vel ex cauſa ſicca, & præter naturam calida oriantur, illarum calor ab earum principio illam mordacitatem producit in ſenſu, ſicque ſub primo diuiſionis membro comprehenduntur.

Sub ſecundo continentùr febres mites, vt ſunt ſanguineæ, & ſpirituoſæ, quæ calore miti, & ſuaui diſtinguuntur à putridis, vt notat Galenus loco proximè citato.

B In tertio diuiſionis membro dicitur, quod aliæ ſunt non mordaces, ſed poſtea inſurgentes. Sub quo comprehenduntur febres pituitoſæ, quarum calor primo occurſu, vel primis diebus non ſentitur mordax, ſed poſtea dum creſcit febris. Nam cùm pituita ſit frigida, & humida, non ita facilè inflammatur, & ſuccenditur; eſt enim ſicut lignum viride, quod non ſtatim euincitur à calore, neque ab initio multam emittit flammam, ſed fumoſam caliditatem cum vapore commixtam, vt docet Galenus 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. donec illa humiditas abſumatur, quæ mordacitatis generationem prohibet.

Sub quarto diuiſionis membro continentur febres bilioſæ, quarum calor ob humoris tenuitatem facilè à manus temperie euincitur, & tactui ſuc-C cumbit; & quia humor bilioſus eſt tenuis, calidus, & ſiccus, ideò febres acutas gignit, quarum calor etiamſi manus temperiei obediat, ſtatim mordax perſentitur, vt docet Galenus 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 5. & 2. *de criſibus, cap.* 3. vbi febris tertianæ ſigna annumerauit.

Secunda febrium diuiſio bimembris eſt, quæ quidem datur per caloris intenſionem, & remiſſionem; ſunt enim quædam febres ſtatim exardeſcentes, & nimis ſuccenduntur, vt febres ardentes, & acutæ; aliæ ſunt puſillæ, & ſiccæ, quales ſunt febres lentæ, & chronicæ, quæ paulatim, ideſt longo tempore corpora exſiccant. *Secunda febris diuiſio explicatur.*

Tertia diuiſio, vt fert communis opinio, datur per materiam; quod quàm verum ſit, infra examinabimus; quædam enim ſunt ſalſæ, quarum nomine veniunt intelligendæ febres hecticæ, quæ tales *Tertia diuiſio explicatur.*

metaphoricè dicuntur; nam ſicut falſa inſuauitatem quandam præſeferunt guſtui, ita in ſubiecto ſicco, & aſpero calor inſuauitatem quandam tactui repræſentat. Aliæ ſunt flatibus plenæ, & aſpectu graues, quibus verbis intelligimus cum Mercato, Vega, Brauo, & aliis febrem diariam comprehendi; nam licèt in ſe graues, aut horribiles non ſint, tamen apparenter tales ſunt; nam graues apparent eis, qui nondum earum naturam norunt, & iis, qui à tactu indicium ſumunt. Cùm enim calorem ita intenſum & extenſum habent, grauitatis indicium præbent.

*Valleſij ſententia.* Hæc tamen expoſitio Valleſij non quadrat, qui *lib. de differ. febrium*, aſſerit ſub hoc membro comprehendi tantùm febres malignas, & peſtilentes; tales enim inquit ſunt flatulentæ, & tumidæ, vtpotè quia habent excreſcentias, & exantemata in cute, ſub quibus doctiſſimus Matamoros comprehendit etiam febres putridas: poſuit tamen Valleſ. exemplum in peſtilentibus, & malignis, tanquam ab excellentiori putredine ortis.

*Valleſ. refutatur.* Sed vtriuſque Authoris expoſitio non eſt ad rem; nam licèt febres peſtilentes ob excreſcentias flatuoſæ dici mereantur, non tamen inde ſequitur, quod aliæ febres putridæ flatuoſæ appellentur; ſiquidem nullam in cute excreſcentiam habent, cuius ratione flatuoſæ vocitentur. Vlteriùs, cùm febres diariæ dependeant ab ſpiritibus, qui magis ad flatus naturam accedunt, meliùs dici poterant flatuoſæ, quàm illæ, quæ nullo modo à ſubſtantia flatuoſa originem ducunt. Demùm potiori ratione febres dicentur humidæ, quæ ex humoribus dependent, quàm illæ, quæ ex ſpiritibus oriuntur, quas ipſi humidas vocant, & ſub vltimo membro huius diuiſionis comprehendunt, ſub quo potiùs comprehendi arbitror febres omnes, quæ ex humoribus dependent, ſiue putridæ, ſiue peſtilentes ſint. Cùm igitur ex his tribus ſubſtantiis omnes febres dependeant, & nulla febris aſſignari poteſt, quæ in vna ex illis non ſubiectetur, vel efficienter ab illius calore producatur, hinc eſt, quod hæc tertia diuiſio eadem ſit cum illa celeberrima, quâ diuiditur febris in contentis, continentibus, & impetum facientibus.

*Quarta diuiſio explicatur.* Quarta, & vltima diuiſio deſumitur ex humorum coloribus; quæ quidem magis accidentalis eſt, potiuſque eſt diuiſio coloris quàm febris, vt benè annotauit Valleſ. conducit tamen ad cognoſcendum humorem, in quo febris accenditur, vt ipſam meliùs curare poſſimus, ipſum humorem debito tempore, & occaſione euacuantes.

---

## QVÆSTIO II.

### *An febris ſit diuiſibilis per differentias eſſentiales.*

PRo parte affirmatiua ſtat Galeni authoritas *1. de differ. febr. cap. 1.* vbi inquit diuiſiones ſuprà adductas ſumi à propria febris ſubſtantia; idemque ſentiunt Gentilis, & alij exiſtimantes, calorem naturalem, & præter naturam ſpecie differre, vt ſunt Fernelius *lib. 4. Phyſiologiæ, cap. 1.* & *2. de abditis rerum cauſis, cap. 7.* Conciliator *differ. 59. & 87.* ita vt iuxta horum ſententiam, hæc diuiſio caloris, vt alius naturalis, alius præter naturam, & alius cœleſtis dicatur, ſit diuiſio generis in ſpecies, & non ſpeciei in indiuidua. Quorum ſententia relictis aliquibus

*An vnus calor ſpecie differat ab alio.*

A inutilibus fundamentis, iis quæ fortiora ſunt, ſtabilitur, quorum primus eſt: Effectus ſpecie differentes cauſas differentes ſpecie petunt, à quibus effectiuè producantur: ſed effectus caloris naturalis, & præter naturam differunt ſpecie: ergo petunt cauſas, quæ etiam ſpecie differant. Maior conſtat in calore, & frigiditate, quæ ſpecie differunt, & à cauſis calefacientibus, & refrigerantibus ſpecie differentibus procedunt. Minor probatur, nam calor naturalis concoquit, & materiam perficit; calor verò præter naturam putrefacit, & materiam deſtruit: vnus generat, alter genitum corrumpit; qui effectus ſunt maximè contrarij.

Secundò probatur; nam ea quæ ſe ad inuicem deſtruunt, & corrumpunt, ſunt contraria: ſed calor naturalis, & præter naturam ſic ſe habent: ergo ſunt contraria. Maior probatur; nam ex tri-
B bus principiis poteſt aliquid corrumpi, ex defectu nempe ſubiecti, vel conſeruantis, vel à contrario: ſed calor naturalis corrumpitur manente eodem ſubiecto, & eadem forma, à qua conſeruatur: ergo ex defectu illorum corrumpi non poteſt. Relinquitur ergo, quod corrumpatur à contrario. Minor prioris ſyllogiſmi etiam probatur: Calor præter naturam corrumpit calorem naturalem, vt ex putredinis definitione conſtat; ſiquidem eſt corruptio caloris natiui à calore extraneo: ergo calor naturalis, & præter naturam ſunt contraria.

Tertiò: Nam febris diuiditur in febrem diſpoſitionem, & in febrem quæ eſt habitus; ſiquidem diuiditur in febrem humoralem, quæ ſe habet vt diſpoſitio; & in hecticam, quæ eſt habitus: ſed habitus, & diſpoſitio in probabiliori opinione differunt ſpecie: ergo calor febris humoralis, & hecticæ eadem differentiâ differre debent.

C Quartò. Nam potentiæ diſtinguntur per actus, ex Ariſtot. 2. *de anima*, aut ſaltem per ordinem ad illos actus: ſed calor naturalis, & præter naturam, habent actus ſpecie diſtinctos: ergo & ipſi ſpecie diſtinguntur. Minorem probo, nam calor naturalis concoquit, conſeruat ſubiectum, & illius actiones perficit. Calor præter naturam putrefacit, ſubiectum corrumpit, & illius actiones vitiat. Sed coctio & putredo, conſeruatio ſubiecti & corruptio, perfectio & vitium actionum ſunt actus contrarij, & ſpecie diſtincti: ergo & illorum potentiæ.

Vltimò probatur: Nam ſequeretur, quod morbus & ſanitas non diſtinguantur ſpecie; quod non capit intellectus. Sequelam probo; nam ſi in calore præter naturam conſiſtit febris, & in calore naturali ſanitas, ſi ipſi calores ſpecie non differunt, neque ſanitas, & morbus.

D Quod ſi obiicias, quod calor naturalis vt ſic, non eſt ſalus, ſed quatenus eſt benè diſponês, & proportionatus viuenti; calor verò præter naturam eſt morbus, vt malè diſponens, & improportionatus: contrà. Nam eſſe proportionatum vel improportionatum ſunt differentiæ caloris naturalis, & præter naturã, cùm calor naturalis nihil aliud ſit, quàm calor proportionatus ſubiecto in ordine ad ſe, & ad ſuas actiones; & econtrà dicendum eſt de calore præter naturam: ergo ſi in ratione proportionati, & improportionati calor eſt morbus, vel ſanitas in ratione proportionis, vel improportionis, differre debent ſicut differt morbus, & ſanitas, ac per conſequens different ſpecie. His rationibus ſuum dogma fulciunt; quæ quantam vim habeant, iam aperiam, ſi priùs dixerim quibus modis accipiatur calor, vt inde ſtatuatur concluſio reſponſiua quæſtioni.

Suppo

*Quibus modis accipiatur calor.*

Supponendum ergo eſt primò, quòd calor abſolutè multipliciter accipi poteſt. Si enim conſideretur vt potentia naturalis, calor naturalis, & præter naturam non diſtinguuntur ſpecie, vt patet ex quarto argumento iam tacto; nam potentiæ diſtinguuntur per actus: ſed ex nullo principio deducitur, quod calefactio vnius caloris ſit ſpecie diſtincta à calefactione alterius: ergo neque calor præter naturam, & naturalis, à quibus dimanant.

Secundò ſupponere oportet, quod ſi conſiderentur vt ſunt paſſibiles qualitates, etiam conueniunt in eadem ratione ſpecifica; nam vt optimè probat Matamoros, naturale, & præter naturam ſunt differentiæ accidentales, quæ calori accidentaliter competunt, vt patet in calore ignis, qui eſt illi naturalis: & ſi idem calor ignis aquæ communicetur, eſt aquæ violentus, ex quo non licet inferre differentiam ſpecificam.

Tertiò ſupponere oportet, quod huiuſmodi calores poſſunt conſiderari vt ſunt diſpoſitiones quædam, quibus ſubiectum malè, vel benè ſe habet in ordine ad ſe, & ad operationes eliciendas; & hoc modo calor naturalis, & præter naturam differunt ſpecie, non tamen in ratione caloris, ſed in ratione benè, vel malè diſponentis. Quibus ſuppoſitis.

*Morbus, & ſanitas ſpecie differunt.*

Statuitur concluſio: Calor naturalis, & præter naturam, provt pertinent ad ſanitatem conſtituendam, vel morbum, differunt ſpecie. Quæ concluſio probatur primò ex Ariſtot. 1. *Rhetoric.* ad *Theodectem, cap.* 5. vbi ſanitatem virtutem corporis appellat: ſed morbus eſt vitium corporis: ergo opponitur ſanitati. Sed calor naturalis provt benè diſponens eſt ſanitas, calor præter naturam provt malè diſponens eſt morbus: ergo inter ſe opponuntur.

Secundò probatur ex Gal. 1. *method. cap.* 7. vbi contraria ponit ſanitatem, & morbum, ſicut album, & nigrum.

Tertiò ex lege contrariorum; nam contraria ſunt ſub eodem genere, & mutuò ſe expellunt: ſed morbus, & ſanitas ſunt huiuſmodi: ergo ſunt contraria. Maior certa eſt; minor quantùm ad primam partem ab illis etiam admittitur, videlicet quod contraria ſint ſub eodem genere. Quantùm ad ſecundam, ſcilicet quod morbus & ſanitas mutuò ſe expellant, facilè probatur. Nam impoſſibile eſt, quod virtus, & vitium circa idem obiectum in eadem potentia, vel in eodem ſubiecto ſint ſimul, vt patet in virtute, & vitio circa continentiam, vel temperantiam; ſiquidem idem homo non poteſt eſſe ſimul continens, & incontinens; temperatus, & intemperatus: ſed ſanitas eſt virtus quædam corporalis, morbus verò vitium: ergo eſt impoſſibile, quod dentur reſpectu vnius obiecti in eadem parte.

Quartò, nam elicere actionem perfectam coctionis ventriculi, v. g. & eam elicere læſam ſimul, eſt impoſſibile, ſicut ſimul eſſe tenebras, & lucem: ergo etiam erit impoſſibile, quod dentur ſimul in eodem ſubiecto principia elicitiua harum actionum, quæ ſunt ſanitas, & morbus: cùm ergo ſanitas, & morbus mutuò ſe expellant, & nequeant ſimul informare ſubiectum, liquidò conſtat, quod calor naturalis, & præter naturam, provt habent rationem ſanitatis, & morbi, ſunt contrarij, & ſpecie differentes.

*Obiectio.*

Quod ſi contra hanc doctrinam inſurgas, & aſſeras, quod tunc formale morbi, & ſanitatis opponuntur, quando fundantur in qualitatibus A oppoſitis, vt calore, & frigore; at verò quando fundantur in qualitatibus eiuſdem ſpeciei, nempe in calore, ita vt calor vt duo, v. g. conſtituat ſalutem; calor verò vt tria morbum, nullo modo poſſunt diſtingui ſpecie, ſed ſolùm ſecundùm magis aut minùs; quod eſt ſecundùm intenſum, vel remiſſum.

*Reſponſio.*

Reſpondetur facilè, quod calor remiſſus, & intenſus non diſtinguuntur ſpecie, vt ipſa ratio probat; diſtinguuntur tamen vt ſunt ſanitas, vel morbus: nam vt ſic habent rationem diſpoſitionis, quâ ſubiectum benè, vel malè ſe habet; & vt ſic diſpoſitio in calore addito conſtituens formaliter morbum deſtruit diſpoſitionem in calore naturali conſtitutam, quæ erat formaliter ſanitas: quare fatendum eſt eſſe contraria, nam aliàs non mutuò ſe expellerent.

*Obiectio ſecunda.*

B Si verò pro ſecundo inſurgas: Calor ille vt tantus, & benè diſponens, qui eſt proportionatus Petro, & confert ad ipſius actiones rectè peragendas, ſi conſideretur reſpectu Pauli, qui remiſſiorem calorem requirit, erit improportionatus illi, & inutilis ad ſuas actiones: ergo ratio proportionis, & improportionis in calore non conſtituit diuerſitatem ſpecificam, ſiquidem eadem ratio in eodemmet calore reperitur, qui non poteſt differre ſpecie à ſeipſo.

*Ad illam ſubtilis reſponſio.*

Reſpondetur, quod licèt calori vt ſic, accidat quod ſit proportionatus Petro, & improportionatus Paulo, ita vt in Petro conferat ad ſalutem, & in Paulo ad morbum; ipſa tamen proportio, & improportio cauſant in calore diuerſitatem ſpecificam; nam non ſumitur calor quomodocunque, ſed in Petro ſumitur vt proportionatus, & ſub hac ratione non poteſt eſſe Paulo improportionatus; neque ſub hac ratione illi accidit, quod ſit C proportionatus, vel improportionatus. Exempli gratiâ, corpori colorato accidit, quod ſit album, vel nigrum; tamen ipſum numero corpus albedine affectum, & vt album, taliter eſt album, vt non poſſit eſſe nigrum. Quod ſi conſideretur illud corpus nigrum reduplicatiuè, taliter eſt nigrum, vt non poſſit eſſe album; & hoc modo albedo conſtituit diuerſitatem ſpecificam, ſaltem accidentalem. Neque mirum, ſi diuersè conſideretur, quod etiam ſecundùm diuerſam conſiderationem diuerſas ſpeciès conſtituat, imò & diuerſa genera; nam corpus vt album reducitur ad prædicamentum qualitatis, & econtrà: ita ſimiliter dicendum eſt de calore, qui vt proportionatus, nequaquam poteſt eſſe improportionatus, & econtrà, licèt ſub diuerſis conſiderationibus poſſit conſtituere ſpecies diſtinctas: & quia hoc difficile eſt, alio exemplo comprobatur. Animali, v. g. abſolutè D accidit, quod ſit rationale, vel irrationale; tamen animali rationali vt ſic, nequaquam eſſe irrationale, per ſe, neque per accidens poteſt competere, & econtrà. Sic ſimiliter calori proportionato, vt ſic, nequaquam accidit, quod ſit improportionatus, niſi per intellectus conſiderationem fingendo entia rationis: quapropter licèt calori Petri accidat quod conueniat Ioanni, non tamen accidit illi vt eſt proportionatus.

*Obiectio tertia.*

Tertiò inſtabis: Illa proportio, vel improportio, in qua morbi, & ſanitatis formalitas conſtituitur, eſt diſtincta à calore, vel non: ſi eſt diſtincta, incidimus in eorum ſententiam, qui aſſerunt, temperamentum eſſe quintam qualitatem à primis realiter diſtinctam; cuius contrarium tuemur. Si non diſtinguitur, ſequitur quod ſimul maneant morbus, & ſanitas in eodem ſubiecto, quando in vna qualitate, nempe in calore naturali,

& præter naturam fundantur; cuius contrarium defendimus. Sequelam probo: nam ſanitas verbi gratiâ, quæ in duobus gradibus caloris conſiſtit, non aufertur ex additione alterius gradus, in quo conſiſtit febris: ergo ſimul manent morbus, & ſanitas.

*Acuta reſponſio.* Reſpondetur illam proportionem, vel improportionem non diſtingui à calore vt tanto; & quia per aduentum morbi, vel alterius gradus caloris tollitur calor vt tantus, licèt remaneat calor abſolutè: ideo per aduentum morbi ſanitas aufertur.

Ex his ad argumenta in principio propoſita reſpondetur. Ad primum, quod calor naturalis, & præter naturam non differunt ſpecie, neque habent effectus ſpecie diuerſos; vterque enim producit calefactionem. Ad probationem minoris reſpondetur, quod materiam concoquere, & digerere, non ſunt effectus primarij caloris, ſed ſecundarij, per quos non infertur diſtinctio in potentiis.

Ad ſecundum, quod calor præter naturam non deſtruit, nec corrumpit calorem per ſe, quia per ſe calori tantùm frigus contrariatur; ſed potius deſtruendo ſubiectum, cui calor naturalis inhæret.

Ad tertium reſpondetur, quod illa diuiſio febris in diſpoſitionem, & habitum, non eſt diuiſio generis in ſpecies; quia ibi per habitum intelligimus morbos, qui difficilè ſemouentur à ſubiecto. Ad rationem verò habitus aliquid amplius requiritur, vt ſuo loco explanabimus.

Ad quartum reſpondetur, quod actus vtriuſque caloris primarij non diſtinguntur ſpecie, atque adeò neque ipſi calores. Ad probationem dicimus, illos actus, quos annumerant, eſſe ſecundarios, qui non cauſant diſtinctionem in potentiis.

Ad vltimum reſpondetur, calorem naturalem, & præter naturam diſtingui ſpecie, non ſub hac ratione; nam vt ſic ſunt paſſibiles qualitates; ſed quatenus ſunt diſpoſitiones naturales, vel præter naturam, ſicut dictum eſt.

*Concluſio.* His igitur iactis fundamentis ſtatuitur concluſio reſponſiua quæſtioni. Nulla ex diuiſionibus febrium, quæ adducuntur à Galen. datur per differentias eſſentiales, nec ſumitur à propria febrium ſubſtantia. Ita ſentiunt Vega, Valleſ. Matamoros, & alij: quæ concluſio probatur primò. Nam calor eſt ſpecies infima, vt dictum eſt: ergo non poteſt diuidi in ſpecies. Secundò idem probatur de prima diuiſione. Nam diuiſio eſſentialis debet dari per aliquid intrinſecum: ſed prima diuiſio datur per aliquid extrinſecum: ergo non eſt eſſentialis. Minor probatur; nam mordacitas, quæ in primo membro diuiſionis continetur, eſt quid calori extrinſecum, eſt enim qualitas quædam ſecunda à primis maximè diſtincta. De ſecunda diuiſione idem etiam probatur, quæ eſt accidentalis; nam eſſe remiſſum, aut intenſum, non cauſat diuerſitatem ſpecificam; calor enim remiſſus non differt ſpecie à calore intenſo.

De tertia diuiſione idem fatemur, quæ datur per ſubiecta, vt aliqui volunt, quæ non poteſt eſſe eſſentialis; nam licèt calor febris hecticæ, diariæ, & putridæ petat diuerſa ſubiecta, non tamen ſubiecta ſunt de intrinſeca entitate caloris. Ex quibus patet, quàm malè Mercatus probare nititur, huiuſmodi diuiſiones dari per differentias eſſentiales; non enim capit intellectus, quod illud, quod eſt intrinſecum rei, quale eſt ſubiectum caloris, & ſecunda qualitas, ipſam rem intrinſecè ſpecificare queat.

*Mercati lapſus.*

De vltima diuiſione idem claret; nam calor neque poteſt dici albus, vel niger intrinſecè, cùm albedo ſit qualitas ſecunda ex primis originem ducens.

*Galenus liberatur à calumnia.* Quid ergo dicendum eſt de Gal. cùm aſſerit huiuſmodi diuiſiones deſumi ab ipſa rei ſubſtantia? Reſpondetur facilè, eas ita appellaſſe, quia ad vſus medicos, & febrium curationem maximè conducit cognoſcere, an calor ille ſit mordax, vel mitis, creſcens, aut decreſcens; & an ſit in hoc, vel illo ſubiecto; atque adeò dicere poſſumus, quod calor febrilis medicè in ſpecies diuiditur, phyſicè tamen indiuiſibilis eſt: & in ſenſu à Medicis accepto fuit loquutus Galen. dum aſſeruit huiuſmodi præaſſignatas diuiſiones eſſe eſſentiales.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum tertia febris diuiſio tradatur per materiam, an verò per cauſam efficientem.*

HÆc quæſtio ſupponit aliam toties controuerſam, in qua inquiritur, an ſanitas & morbus ſint paſſiones viuentis, quam nos 1. *tom. lib.* 5. *cap.*10. ſufficienter diſcuſſimus, vbi diximus, quod licèt aliqui, inter quos Petr. Garc. *diſp.* 62. *in lib. de locis affect. cap.* 1. arbitrentur morbum, & ſanitatem dici paſſiones viuentis, non quia inhæſiuè requiratur, quod ſint in ſubiecto viuenti, ſed quod ſint intra illud, & illud denominent, licèt in ſubiecto non viuente inhæſiuè exiſtant, quorum fundamentum deſumitur ex Galen. *de differ. morb. cap.* 5. & ex Auic. *fen.* 1. *lib.* 1. vbi ait ſpiritus, & partes ſolidas eſſe ſubiecta propinqua ſanitatis; & quia ſpiritus in probabiliore opinione non viuunt, cum hoc tamen ſunt ſubiecta ſanitatis & morbi, ratione quorum totum viuens denominatur ſanum vel morboſum. Attamen nos contrariam tuemur ſententiam, nempe quod ſanitas, & morbus petunt ſubiectum viuens, cui immediatè inhæreant, & illud denominent, & eſt magis rationi conſonum, & deducitur ex Ariſtotele *lib. de ſenſu, & ſenſibili, iuxta initium*; & ex D. Thoma in illius loci expoſitione. Illi ergo dicere poterunt, quod diuiſio hæc datur per ſubiectam materiam; nam ſpiritus, & humores capaces ſunt ad recipiendum febres, etiamſi non viuant. Nos autem qui contrarium teſtamur, dicimus hanc tertiam diuiſionem dari potiùs per cauſam efficientem, propterea quod ſpiritus, & humores non ſunt capaces ad morbum recipiendum, neque in illis ſuccenditur febris, ſed ſolùm calor præter naturam, qui cordi communicatus, & ab illo in vniuerſas partes viuentes, habet rationem febris; ita vt illa febris efficienter procedat ex ipſis ſpiritibus, & humoribus. Quod ſi hæc diuiſio detur per materiam, tantummodò debet dari reſpectu vnius membri diuidentis, quatenus ſcilicet ille calor eſt in partibus ſolidis viuentis, quæ verè ſubiecta dici merentur ſanitatis, vel morbi; qui quidem calor poteſt etiam concurrere effectiuè ad febris productionem, quatenus ex illis partibus ipſi cordi impartitur.

*Sanitas, & morbus ſunt paſſiones viuentis.*

Hæc tamen diuiſio, ſiue per materiam, ſiue per cauſam efficientem detur, magis propria à Galeno appellatur, quia vt inquit Valleſ. magis accommoda eſt ad curationem, & ad vſus medicos, quàm ea quæ ex intenſione, & remiſſione caloris, aut modo motus, vel alterius diſpoſitionis deſumitur;

tur; nam benè (inquit) poteſt amittere febris aliquam intenſionem, & caloris modum; & tamen ipſa permanebit: ſi verò ſubiectum amittat, neceſſariò ex ſubiecti defectu ipſa etiam peribit. Ego autem dico, hanc diuiſionem eſſe magis propriam, & vniuerſalem; nam comprehendit omnes febrium differentias, quæ humano corpori accidere poſſunt; nam omnes deſumuntur ex contentis, continentibus, & impetum facientibus, quæ tria ſunt huius diuiſionis membra diuidentia: quod ita certum eſt, vt nullâ probatione egeat.

## QVÆSTIO IV.

### *An febris diuiſio in putridam, diariam, & hecticam ſit adæquata.*

*Manardi & aliorum doctrina.*

NIhil communius in medicina, quàm febris diuiſio in putridam, hecticam, & diariam, quam principaliſſimam vocant, eamque conincidere aſſeuerant cum ea, quam ex Hippocrate deduximus, in contentis ſcilicet, continentibus, & impetum facientibus; ita vt ſit febris adæquata diuiſio, vt cenſent Manard. 4. *epiſt. epiſt.* 4. Valleſ. 5. *controu. cap.* 23. Vega & alij. Quorum fundamentum eſt, nam calor febrilis aut eſt in facto in ſpiritibus, humoribus, aut partibus ſolidis, cùm nullum aliud reperiatur in corpore, quod ſubiecti rationem ſubeat; ſi enim in humoribus, putridam; ſi in ſpiritibus, ephemeram; ſi in partibus ſolidis, hecticam febrem conſtituit: atque adeò cùm non ſit aſſignabile aliud ſubiectum, nec cauſa intra corpus, hæc diuiſio videtur adæquata, & omnium febrium differentias amplectitur. Neque fieri poteſt, inquit Valleſ. vt calor cordis in totum corpus diſtribuatur, quin aliqua ex tribus his ſubſtantiis vehementer ſit calefacta: quod etiam probare videtur Galen. quodam exemplo adducto 1. *de differ. cap.* 1.

Contra hanc tamen doctrinam ſic communiter acceptam aliqua obiici poſſunt, quæ illam difficilem reddunt; præcipuum tamen eſt, nam febris ex inflammatione orta non eſt facta in ſpiritibus, neque in membris ſolidis, neque in humoribus: ergo talis febris non eſt diaria, hectica, nec putrida, cùm non habeat calorem in vna ex tribus ſubſtantiis. Quod verò non ſit hectica, facilè probatur, cùm non habeat calorem in facto in membris. Quod verò ipſa non ſit putrida, patet euidenter, idque contrarij aſſertores etiam defendunt; nam vt conſtat ex Galen. 1. *de different. febrium, cap.* 8. & libris de criſibus, pluribus in locis, in febribus putridis apparet ſignum coctionis, & cruditatis in vrina, & per illam iudicamus de febrium putridarum temporibus; quod neutiquam accidit in febribus ex bubone, & inflammatione ortis. Quare longè aliud eſt, febrem dici putridam, aut eſſe ex putredine ortam: quapropter inquit Valleſ. 1. *de differ. febr. cap.* 8. quod tunc fiunt febres putridæ, quando non ſolùm putrida fuligo ad cor peruenit, ſed etiam humoribus admiſcetur, illoſque putrefacit. Itaque ſi fuligo humorem non infecerit, non excitatur febris putrida, neque vrina cruda redditur, cuius cruditas eſt ſignum euidens putridæ febris, vt docet Galenus 10. *methodi, cap.* 4. & 1. *de differ. febrium, cap.* 5. Differunt tamen quæ ex bubonibus febres oriuntur, ab iis quæ ex humorum putredine eueniunt: ergo iuxta Galeni, & Valleſ. doctrinam, febres quæ ex inflammationibus dependent, non ſunt inter putridas annumerandæ. Neque in hoc eſt ſequendus Vega, qui aſſerit, quod ſi ex inflammatione fumoſa fuligo ad cor perueniat, febrem putridam excitat; non enim in vrinis, & aliis excrementis aliquod putredinis ſignum conſpicitur.

*Nota Valleſ. fundamentum.*

A

*Vega redarguitur lapſus.*

Dices cum Valleſ. huiuſmodi febres eſſe diarias, ſiue per continui alterationem, ſiue per fumoſam fuliginem cor accendatur. Sed contrà eſt; nam ex nullo principio deducitur, quod quando per continui alterationem, vel per fuliginem dictam cor calefit, ſpiritus ſuccendantur, ita vt febris diaria excitetur: ergo talis febris non eſt diaria. Poſſet reſponderi, faciliùs ſpiritus concipere calorem adhuc quàm cor; eſt enim ſpiritus vitalis tenuiſſimus, leuiſſimus, & calidiſſimus, vt docet Galen. 3. *de naturalibus facultatibus, cap.* 14. & ob illius tenuitatem, raritatem, & intenſum calorem faciliùs ſuſceptat calorem quàm cor; & ſic calor prius eſt in facto eſſe in ſpiritibus, quàm in corde; & hac ratione febris diaria excitatur. Hoc, inquam, non valet; nam ſequeretur ex hoc, quod homo ſemper ac febre corripitur, ſimul diaria febre laboraret. Sequela patet; nam illi ſpiritus naturaliter habent illas qualitates, quæ diſponunt ad ignem, magis quàm reliqua, quæ ſunt in corpore: ergo citiùs calorem in facto comparabunt, & cor cafaciendo febrem ephemeram excitabunt. Si verò dicas, non ſemper habere illam diſpoſitionem, & ſic ab aliis cauſis febres poſſe produci antequam ſpiritus calorem in facto concipiant; tunc ſic. Quando ex inflammatione febris excitatur, accidere poteſt, quod ſpiritus non habeant illam diſpoſitionem ad recipiendum calorem antea quàm cor: ergo in tali caſu febris illa non eſt diaria, neque ex ſpiritibus dependet; aut reddere rationem oportet, quare ſpiritus in omni febre ex inflammatione ſint diſpoſiti ad ſuſcipiendum calorem in facto, & non in febribus ex humorum putredine, vel ex partibus ſolidis.

*Valleſ. ſententia, & illius impugnatio.*

B

C

Præterea ſecundò probatur; nam in febribus, quæ ex putredine alicuius membri, vt pulmonis, quando phthiſis fit, & exulceratur; aut ex putredine recrementorum in inteſtinis excitantur, vaporibus putridis ad cor miſſis, à quibus cor alteratur, & febres accenduntur, non eſt aſſignabilis cauſa, ob quam calor præter naturam habeat eſſe in facto in ſpiritibus citiùs quàm in corde, vt dixi: ergo non poſſunt reduci ad diariarum genus; ac per conſequens cùm iſtæ febres non ſint hecticæ, nec putridæ, febris diuiſio tradita non eſt adæquata.

*Interrogatio.*

Rogabis tamen, ſi hæc diuiſio ita communiter recepta ſub ſe non complectitur omnes febrium differentias, quæ ergo diuiſio aſſignari poteſt omnibus febribus adæquata, ita vt nullum ſit membrum diuidens, quod diuiſi rationem non participet?

D

Reſpondetur, diuiſionem tertiam à Galeno adductam, quam ſuprà explicuimus, eſſe magis propriam, & ſub ſe omnes febrium differentias comprehendere, per quam non diuiditur febris in putridam, diariam, & hecticam tantummodò, ſed potiùs diuiditur per materiam, vel cauſam immediatam efficientem, in contentis ſcilicet, continentibus, & impetum facientibus; quæ diuiſio latior eſt, quàm præcedens, ſiquidem non ſolùm continet tres ſubſtantias aſſignatas, ex quibus febres inſurgunt, ſed etiam alias; nam non ſolùm continentur humores, ex quorum putredine febres putridæ excitantur, ſed etiam fuligines ex bubonibus

nibus eleuatæ, & excrementa, quæ in inteſtinis, & ventriculo putreſcunt; & membra quæ putrida redduntur, & alia huiuſmodi, quæ poſſunt febres ſuſcitare non minùs ac ſpiritus, & humores; illæ tamen, cùm non fiant ex ſpiritibus, neque ex humoribus, aut partibus ſolidis, non poſſunt vocari putridæ, diariæ, aut hecticæ; dicuntur tamen febres in contentis, cùm intra corporis caua contineantur illarum cauſæ: neque aſſignari poteſt ratio propter quam ſub contentorum nomine, ſicut humores, non comprehendantur, & febres in contentis producant, & calorem non compareant in facto, ſicut ipſi humores.

Hæc diuiſionis expoſitio eſt magis conſona doctrinæ Galeni; nam licet ipſe 1. *de different. febr. cap.* 5. aſſerat, quod febris orta ex inflammatione per continuum facta, ſit inter diarias adſcribenda, & 1. *de differ. febr. cap.* 1. aſſerat febrem eſſe in vna ex tribus ſubſtantiis; ibi tamen adduxit regulam frequentiorem, & vniuerſaliorem, vt poſſimus cognoſcere cauſas frequentiores, & ſubiecta febrium; eaſque ad tres differentias reduxit. Hanc expoſitionem admittit Petrus Garcia *diſputat.* 41. *de locis affect. capite* 3. vbi carpit Fernelium, qui appellat febrem putridam eam, quæ ex pulmonis putredine procedit; vbi etiam aſſerit non omnem febrem, quæ ex putredine naſcitur, eſſe putridam; quod etiam tetigi *tom.* 1. *cap. de phthiſi*, cuius probationem in hunc locum diſtuli.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrum febris ſynochus ſine putredine ſit inter diarias, vel humorales referenda.*

QVoniam quodlibet diuiſionis membrum ſub diuiſo debet comprehendi, & adducta iam ſit à nobis generalis febrium diuiſio in contentis, continentibus, & impetum facientibus, meritò dubitatur ad quod huius diuiſionis membrum ſit referenda hæc febris? Et cùm certum ſit, eam non eſſe ex continentibus, quia febres in continentibus ſunt febres hecticæ; inſurgit dubitatio circa alias febres. Et quod ad diarias non ſit reducenda, probatur ex Galen. *libro* 9. *method. cap.* 1. vbi ait: *Quomodo enim dici vltrà diaria poteſt, quæ in tertium vſque diem extenditur, quando ex ipſa nominis ratione in ſecundo eam deſiſtere par erat?* Secundò nam febris hæc oritur ex ſanguine: ergo non poteſt eſſe diaria, ſiquidem diaria fit à calore ſpirituum in habitu, non verò à calore ſanguinis. Quod verò non ſit humoralis, etiam probatur; nam febris humoralis eſt febris putrida, ſecundùm generalem illam diuiſionem febrium in putridam, diariam, & hecticam. Hæc febris non pendet ex putredine: ergo non eſt humoralis. Secundò, nam quoties ſermo inſtituitur ab Authoribus de hac febre, eam dicunt eſſe diariam. Ex quibus conſtare videtur, hanc febrem, cùm nec ſit diaria, nec putrida, nec hectica, non comprehendi ſub generali illa diuiſione febrium.

Hanc difficultatem ſoluere conatur Merc. & inquit, ſanguinem aliquando calefieri citra putredinis labem; à quo calore, ſi ſpiritus ſuccendantur, diaria plurium dierum excitatur: deinde ſub-

A dit, talem febrem eſſe humoralem. Sed hæc duo inter ſe pugnant. Nam ille ſanguis vel habet calorem in facto, vel non: ſi primum, ergo eſt febris humoralis; nam vt iam dictum eſt, vt febris ſit, requiritur quod calor ſit in facto in vna ex tribus ſubſtantiis: ſi ſecundum, non erit febris ex humore dependens, quia illius calor non eſt in facto, neque per modum permanentis in ſanguine; & idem argumentum poſſumus formare de calore ſpirituum. Quod ſi dicas, calorem eſſe in facto in ſanguine, & ſpiritibus, neque erit illa febris abſolutè humoralis, neque diaria, ſed habebit vtrumque ſimul.

Valleſius contrariam tuetur ſententiam 1. *de differ. febr. cap.* 1. aſſerens, febrem hanc eſſe diariam naturâ, non tamen duratione; in illa enim ſpiritus inflammantur, qui ſimul feruere faciunt ſanguinem, qui paratus eſt recipere illum calorem; B qui ſanguis feruor valenter facit ſpiritus recaleſcere: in aliis verò febribus diariis ſanguis non efferueſcit, neque ita calefit, quia non eſt ita calefactioni paratus; à calore verò recepto in ſanguine calefiunt noſtri corporis partes, non verò à calore ſpirituum; & hoc probare nititur exemplo quodam de iis, quæ elixantur, aut friguntur, deſumpto ex Ariſtot. 4. *meteor. cap.* 1.

Sed quia non poteſt reddi ratio; ob quam ſpiritus inflammati, qui ſunt in corde, & arteriis in febre ſynocho, non valeant immediatè cor calefacere, & reliquas partes, antequam ſanguis calefiat, à cuius calore ſuccenditur cor; neque quare in aliis febribus diariis talis cordis calefactio immediatè fiat ab ſpiritibus; ideo aliâ viâ incedendum. Dicendum ergo eſt, quod ſynochus ſine putredine eſt febris humoralis à ſanguine depen-C dens, qui in facto calorem præter naturam ſuſtinet. Quod probatur primò ex communi dicendi modo, ſiquidem omnes dicunt, hanc febrem fieri ex ſanguine inflammato. Secundò quia Galenus 9. *lib. method.* eam collocat inter febres humorales. Tertiò, quia ſanguinis euacuatione, & habito reſpectu ad cauſam curatur; quod non contingit in diariarum curatione.

Dices: Ergo malè ab Authoribus inter diariarum ſortem conſtituitur. Reſpondetur, hanc febrem diariam dici, non ratione identitatis cauſæ, ſed propter ſimilitudinem; neque aliter conciliari poſſunt Authorum loca, ſunt enim in febre diaria, & febre ſynocho accidentia ſimillima; nam vtraque habet calorem vaporoſum, & benignum: in vtraque etiam eſt vrina ſimillima ſanis, pulſus magnus, tactus vaporoſus, & blandus, & propter hanc rationem Galen. *lib.* 9. *methodi, cap.* 1. *in fine*, inquit: *At natura iis eſt eadem, quæ diariis; D nomen autem non idem.* Quibus verbis non vult oſtendere vtrique eſſe eandem naturam, ſed ineſſe illis tantam ſimilitudinem, ac ſi eſſent eiuſdem naturæ: cum hoc tamen grauiora accidentia dantur in ſynocho, quàm in febre diaria, vt conſtat ex hiſtoria à Galeno tradita *lib.* 9. *methodi, cap.* 4. de iuuene laborante ſynocho ſine putredine, qui maximum patiebatur æſtum, & alia accidentia, quæ ibi quiuis legere poteſt. Ex iis facilis eſt reſponſio ad argumenta in principio pro vtraque parte propoſita.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO VI.

*De aliis febrium diuiſionibus.*

PRæter iam traditas diuiſiones febrem ſubdiuidunt Authores in febrem morbum, & febrem accidens; ita enim Galen. 7. *aphor. comment.* 42. vbi ex antiquorum ſententia febrem in morbum, & morbi caſum diuiſit: quando enim humores putreſcentes in venis, & in ambitu corporis, vt contingit in febribus intermittentibus, febrem accendunt, tunc hominem febricitare aiebant, ideſt laborare febre morbo; quando verò febris ſequebatur ad aliquem morbum, vt ad aliquam inflammationem lateris, pulmonis, hepatis, aut inguinum, &c. talem febrem non morbum, ſed caſum morbi appellabant: idemque confirmat 4. *aphor. comment.* 73. & 1. *de arte curat. ad Glauc.* clariùs febrem ſubdiuidit, dicens: *Nonnullæ febres ex humoribus accenduntur, nonnullæ ex inflammationibus; & quæ ex inflammationibus fiunt, ſunt veluti quædam accidentia partium laborantium.* Hanc diuiſionem admittunt Euſtachius Rudius *lib.* 3. *cap.* 7. Mercurialis 5. *ſuæ pract. cap.* 2. Valleſ. 5. *controu. c.* 23. Matamoros 1. *de different. febr. tract.* 2. *diſp.* 8.

Ad huius diuiſionis intelligentiam aduertere oportet, quod febres, quæ accidentia nominantur, dicuntur tales, non quia reuerà morbi non ſint, cùm omnes febres ſint affectiones præter naturam, quæ ſenſibiliter operationes lædunt; ſed quia tanquam accidens, aliorum morborum naturam ſequuntur.

Præterea aduertendum eſt, quod quemadmodum aliqui morbi inter ſe complicantur, ita complicari poſſunt febris morbus, & febris accidens; vt ſi quis laboraret febre tertiana, aut continua ex humorum putredine, & ſimul febre vexaretur ex aliqua inflammatione orta, tunc dicendum eſt, duplici febre laborare, nempe febre quæ eſt morbus, & alia quæ eſt accidens.

Sed licèt hæc vera ſint, impugnari tamen poſſunt primò; nam Galen. 7. *aphor. cit.* inter febres morbos lipyriam conſtituit: ſed lipyria ab inflammatione in partibus corporis profundioribus dependet: ergo febris ex inflammatione non eſt febris accidens.

Secundò probatur ex Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 1. vbi ait, quod febris quæ ſequitur ad apoſtema, non ſequitur ad illud immediatè, ſed potiùs ad putredinem humoris exiſtentis in illo: ſed febres ex putredine humorum ſunt verè morbi, & non mobi accidentia: ergo omnis febris ex apoſtemate, ſeu inflammatione eſt febris morbus.

Tertiò ex Galeno 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 4. vbi ſic: *At quæ ex humorum putredine febres accenduntur, ab hoc ipſo nominantur febres, & non ſunt accidentia morborum, ſed ipſi morbi.*

Ad hæc argumenta reſpondetur. Ad primum, quod febris lipyria eſt duplex, vel eſt febris morbus, de qua loco citato fecit mentionem Galenus, & hæc fit ex humoribus adurentibus, & putridis in venis profundioribus; non tamen fit ex inflammatione determinatæ alicuius partis. Quando ſequitur inflammationem aliquam alicuius partis in- A ternæ, tunc dicitur morbus accidens, de qua egit Galenus *lib. de definitionibus medicis*, & 4. *aphor. comment.* 48. Quare dicendum, quod lipyria ex inflammatione interiori eſt febris accidens, & ſic nihil contra nos.

Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe, febrem ex inflammatione immediatè pendere ex humorum putredine; cum hoc tamen dicitur febris accidens, quia dependet à morbo illo ſaltem mediante putredine illa humorum; quod ſufficit ad habendam veram rationem ſymptomatis, vt patet in accidentibus, quæ coloribus, ſeu qualitate mutata, & ex his quæ excernuntur, aut retinentur præter naturam, deſumuntur; quæ vera morbi ſymptomata appellantur, & immediatè fiunt ab actione læſa. Dicitur etiam febris accidens, quia nos ducit in cognitionem morbi, ſiue mediatè, ſiue immediatè ab illo procedat.

B Ad tertium reſpondetur, febres ex putredine generali dependentes dici morbos, quia tantùm ex cauſa morbifica dependent; quæ verò ex putredine humoris in inflammatione putreſcentis inſurgunt, dicuntur accidens, quia præſupponunt morbum, à quo tanquam à cauſa dependent, & vt accidens illius talem morbum oſtendunt, ſiue mediatè, ſiue immediatè ab illo originem ducant, vt iam dictum eſt.

Diuiditur etiam febris à Galeno 8. *methodi*, *cap.* 1. in fientem & factam; quare febris hectica communiter facta vocitatur, & à cauſa independens; humoralis verò fiens, ideſt dependens à cauſa, licèt in ipſo fieri febris non conſiſtat, ſed in illo, quod factum eſt, quamuis ſemper habeat ſuum eſſe à cauſa dependens. Neque ſequendus eſt Mercatus, qui inquit, hanc diuiſionem potiùs eſſe tribuendam calori, quàm febri, neſcio quâ ductus ratione.

C Similiter diuiditur in febrem ſimplicem, & compoſitam. De ſimplicibus febribus egit Galenus 2. *de differentiis febrium*, *cap.* 2. de compoſitis verò ibi, *cap.* 7. Ex cuius doctrina colligitur, quod febris ſimplex eſt quæ ab vna ſimplici cauſa ortum ducit, vt tertiana, quartana, febris ardens, & aliæ, quæ ex vnico pendent humote, & nulli alteri morbo complicantur. Compoſita eſt quæ non à ſimplici cauſa oritur, ſed à compoſita, vel alteri febri adiungitur, vt duplex tertiana, quæ ex humore bilioſo, & pituitoſo dependet; vel alteri febri adiungitur, vt ſi ſimul quis laboret febre tertiana, & quotidiana, aut quartana. Hoc autem noſſe oportet ad curationem; nam morbi ſimplices ſimplicem exigunt curationem; compoſiti compoſitam, vt ſcriptum reliquit Galenus 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap.* 13.

D Præterea diuiditur febris in continuam, & intermittentem, quæ diuiſio plurimùm conducit ad curationem, & ad præſagiendum de febribus; nam vt ex Hippocrate conſtat, quocumque modo intermiſerit febris, periculo vacat; continuæ verò difficilem admittunt curationem, difficiliuſque de illis præſagimur. Tandem tam continuæ quàm intermittentes in alias, & alias ſubdiuiduntur; nam ex eis aliæ ſunt breues, aliæ longæ & ſine periculo, & ex his aliæ diurnæ, aliæ nocturnæ, aliæ ſalutares, aliæ minimè: quæ omnia noſſe expedit, vt facilius ipſas curare, & de ipſis præſagium proferre poſſimus.

# LIBER TERTIVS.

## De cauſis febrium in communi.

POSTQVAM Galenus febrium generales diuiſiones adduxit, iamiam *cap.* 3. de cauſis febrium in communi pertractare incipit, noſque vt tanti Magiſtri veſtigia religiosè teramus, ipſius ordinem inſequentes, de ipſis in præſenti agere decreuimus; expoſita tamen priùs ſequenti quæſtione præambula ad cæteras.

### QVÆSTIO I.

*An febris detur per omnia genera cauſarum.*

DIctum eſt ab Ariſtot. 2. *Phyſicorum, c.* 3. & ab omnibus communiter accipitur, quod ſunt quatuor genera cauſarum, eaſque diuidunt in materialem, formalem, efficientem, & finalem. Et licèt hanc quæſtionem Medici abſoluant dum de morborum cauſis in communi pertractant; nihilominus vt febrium tractatui nihil deſit, placuit nobis breuiter aliquid circa febrium omnes cauſas proponere, vt amplior cauſarum febrium cognitio habeatur.

*De cauſa formali febrium.* Quantùm ad cauſam formalem attinet, breuiter dicendum eſt, febrem illam non habere, imò ipſam febrem habere rationem cauſæ formalis; nam cauſa formalis, vt ex Ariſtotele adducitur, eſt quæ dat eſſe rei: ſed febris dat eſſe febrile animali potiùs quàm ab alio recipiat: ergo febris habet rationem formæ. Præterea cùm febris ſit accidens, & omne accidens ſit quædam forma accidentalis ſubiectum accidentaliter denominans, non poteſt componi ex alia forma phyſica, & reali; habet tamen febris formam metaphyſicam, quæ in differentia conſiſtit, quatenus febris componitur genere, & differentia, vt conſtat ex eius definitione ſuprà à nobis tradita.

*Febris habet cauſam materialem.* Habet inſuper cauſam materialem, quidquid dicat Valleſ. 4. *controuerſ. cap.* 3. nam cùm febris ſit accidens quoddam, intelligi nequit ſine materia, quæ ſe habeat vt ſubiectum illud ſuſtentans; ſic enim dicimus, materiam primam eſſe ſubiectum accidentium corporalium, & animam rationalem eſſe ſubiectum accidentium ſpiritualium; ſubiectum enim ſe habet vt cauſa materialis. Nam licèt cauſa materialis ex Ariſtot. ſit ex qua aliquid fit, cùm inſit, & in hac definitione ſolùm comprehendatur materia compoſiti ſubſtantialis intrinſecè remanens in illo; negari tamen non poteſt, quod accidens habeat cauſam materialem, nempe materiam primam, non ex qua componatur, ſed à qua ſuſtentetur: habet ergo febris, quæ accidens quoddam eſt, cauſam materialem, vt reliqua accidentia.

*Nota.* Aduertendum tamen eſt, quod materia prima, vt eſt ſub viuentis forma, non recipit morbum per aliquam potentiam paſſiuam, quæ ad illum recipiendum dirigatur; nam cùm febris, ſeu morbus accidens ſit contra naturam, ad quem paſſum non habet inclinationem naturalem, non recipit illum

A per potentiam naturalem, ſed per obedientialem. Hæc tamen non diſtinguitur ab ipſa entitate ſubiecti coacti recipere.

*An habeat cauſam finalem.* De cauſa finali eſt aliquantulum difficilius, an ſcilicet febris, vel quiuis morbus illam habeat. Valleſ. & cum eo alij exiſtimant, cauſam finalem non dari reſpectu alicuius morbi, quorum fundamentum eſt, nam quæ habent ſuam eſſentiam in aliqua imperfectione, cuiuſmodi morbus eſt, non fiunt propter finem; natura enim non intendit corruptionem, & quia morbus eſt quædam viuentis imperfectio, & deſtructio, ideò per ſe non intenditur à natura, ſed per accidens, vt dicitur de

B corruptione 1. *lib. de generatione & corruptione.*

Sed licèt hoc fundamentum veritatem habeat reſpectu agentis naturalis, quod ſemper dum operatur, dirigitur in bonum, tanquam in finem; atque adeò non poteſt per ſe morbum producere, tamen benè poteſt morbus habere rationem cauſæ finalis reſpectu agentis cognoſcitiui: nam ſi quis aliquem gladio percutit, continui ſolutionem intendens per ſe, vt diſconuenientem ei, cui vulnus infligit, reuerà per ſe intendit morbum tanquam finem: eodem modo ſi quis ex electione alteri venenum tribuit, vt ex veneno morbus reſultet, & conſequenter mors, iſte etiam morbum, & mortem tanquam finem intendit.

C Neque valet contra hoc contrariorum fundamentum, qui aſſerunt finem, vt bonum quoddam intendi; morbum verò eſſe quid malum, in quo nulla eſt bonitas appetibilis.

Reſpondetur, quod agens cognoſcitiuum tunc non operatur propter malum præcisè; nam quod malum eſt alteri, & morboſum, aliquam bonitatem habet appetibilem ab eo, à quo intenditur, & ſic in ordine ad illud aliquam bonitatem includit.

*De cauſa febrium efficiente.* Supereſt igitur ſermo de cauſa febrium efficiente, de qua Galenus *lib.* 1. *de febribus, cap.* 3. mentionem fecit, vbi quinque febrium cauſas adduxit; inquit enim omnia incaleſcere, vel propter mo-

D tum, vel propter putrefactionem, vel propter adhæſum, ſeu viciniam rei calidæ, vel propter detentum calidi effluxum, vel propter mixtionem calidæ ſubſtantiæ. Sed quia febrem nihil aliud eſſe conſtat, quàm calorem præter naturam, ab eiſdem cauſis proficiſci calorem, & febrem ipſe eodem capite teſtatur, eaſdemque cauſas refert *lib. de cauſis morborum, cap.* 2. vbi de cauſis morbi calidi egit. Aduertere tamen oportet, quod ibi dixit, calorem fieri propter conſtitutionem; hic verò propter retentionem calidi effluuij, in quibus nulla datur diuerſitas; nam conſtrictio non aliter calorem facit, quàm retentione ſubſtantiæ calidæ effluentis. Quod illic dixit, calorem ſcilicet fieri propter

propter cibum calidum,hic rem magis diſtinguens, vt notat Valleſ. dixit calorem gigni propter per mixtionem calidæ ſubſtantiæ; ſub qua differentia non ſolùm intelligimus cibum, aut potum calidum, ſed medicamenta, & quæcunque alia calida, quæ interiùs aſſumuntur.

*An ſint plures vel pauciores febrium cauſæ.*

Sed circa numerum cauſarum eſt difficultas, an ſint plures, vel pauciores. Quod verò ſint pauciores, probari poteſt; nam adhæſus, ſeu vicinia rei calidæ, & permiſtio calidæ ſubſtantiæ, idem ſunt; vtraque enim cauſa ſuâ vicinitate calorem producit: ergo ſub vnico membro contineri debent.

Secundò, nam putredo, & adſtrictio eandem differentiam conſtituunt; adſtrictio enim eſt cauſa prohibitæ ventiliationis, ad quam ſequitur putredo. Cùm ergo ex adſtrictione putredo dependeat, ſufficit aſſignare conſtrictionem, vt ſub ea putredo humorum intelligatur.

Tertiò,quia putredo in tantùm calorem communicat, in quantùm paſſum eſt benè approximatum, & vicinum rei, quæ putreſcit: ergo ſub vicinia rei calidæ debet comprehendi.

Quod verò febrium cauſæ ſint plures, quàm illæ, quæ traduntur à Galeno, etiam probatur; nam vt ex eodem Galeno patet loco, & capite citatis, ira, & triſtitia calorem ſuccendere valent: ſed ira non continetur, neque triſtitia, ſub aliquo genere cauſarum ex aſſignatis: ergo. Similiter vigilia, & ſomnus calorem immodicum producunt, vt docet Hippocrates *6. epidim. ſect.4.* vbi ait: *Manifeſtè qui vigilat, calidior eſt exteriùs; qui dormit econtra, calidior eſt interiùs.* Sed ad nullam ex quinque cauſis vigilia, & ſomnus reduci poſſunt: ergo.

Secundò probatur, nam inedia calorem, & febrem ſuccendit, vt omnes admittunt: ſed inedia non conſtituitur à Galeno inter cauſas febris: ergo diminutè proceſſit in earum annumeratione.

Hæc tamen argumenta leuia ſunt, neque ob eorum vim oportet à Galeni doctrina recedere, qui ad quinque caloris, & febris cauſas reduxit, ſub quibus aliæ, ſi quæ ſint, optimè comprehenduntur. Quem ſequuntur Vega *lib. 1. de different. febrium*, Valleſ. *4. lib. contron. cap. cit.* Euſtachius Rudius *lib. 3. de humani corporis affectibus, cap. 2.* Benedictus Matam. *2. de febrib. tract. 1. diſput. 3.* & ferè omnes, quos legi, vno dempto Veiga Luſitano *1. de differentiis febrium*, qui circa hoc ſingularem habuit ſententiam, & vt ſingularem, & ſolutu facilem omittimus.

*In cauſis febrium medicus diuerſum operandi modum conſiderat.*

Sed antequam argumentis ſatisfaciamus, & vt noſtra doctrina magis pateſiat, ſupponere oportet, quod licèt cauſa calefaciens in tantùm calorem producat,in quantùm paſſo eſt debitè approximata, ita vt ferè omnes cauſæ ad hanc reduci videantur; cum hoc tamen Medicus diuerſum in illis operandi modum conſiderat, penes quem quinque cauſarum differentias Galenus conſtituit: quod expreſsè ipſe aſſerit *lib. & cap. de different. febrium citato*, dicens: *Quoniam non vnum videmus modum generationis, aut augmentationis caliditatis, &c.* Deinde poſtquam cauſas tradidit, ait: *Neceſſe omninò eſt, febrium cauſas reduci ad eos, quos proximè diximus modos.* Quibus ſuppoſitis ad argumenta reſpondetur.

Ad primum, quod Galenus alterationem à rebus extrinſecùs occurrentibus viciniam rei calidæ appellauit; à rebus verò interiùs aſſumptis permiſtionem rei calidæ; hæc enim maximè noſſe conuenit, vt in curatione cauſas præſcindamus.

*Ad argumenta reſpondetur.*

Ad ſecundum dicimus, quod non ſemper ex adſtrictione, vel obſtructione putredo concitatur, cùm ex rei putridæ adhæſu concitari ſoleat, vt eleganter probat Valleſ. *5. controuerſ. cap. 26.* & ita oportuit vtramque cauſam referre.

Ad tertium reſpondetur, verum eſſe, putredinem calorem producere in paſſo, vicinitate quadam, & approximatione; tamen non comprehenditur ſub vicinia rei calidæ, quia nomine huius intellexit Galenus cauſas externas calefacientes; nomine verò putredinis intellexit calorem interiùs productum, non ex cibo, potu, aliáve re calida aſſumptis, ſed potiùs calorem interiùs ſine his cauſis conflagrantem. Ad alia argumenta, quibus nituntur probare, Galenum diminutè proceſſiſſe in tradendis cauſis febrium, reſpondetur.

Ad primum, quod ira, & triſtitia, & quæuis alia animi paſſio continentur ſub motu; ſunt equidem motiones quædam animæ, vt ſtatim videbimus, & idem dicimus de ſomno, & vigilia.

Ad ſecundum,verum eſſe inediam calorem inducere, vt experientia oſtendit, & Galen. inſinuat *2. aphor. comm. 22.* & aliis locis; tamen illum producit permixtione rei calidæ, aut vicinitate quadam, vt ſuo loco videbimus.

---

## QVÆSTIO II.

### *An motus ſit cauſa caloris.*

Hæc quæſtio maximè philóſophica medicis rationalibus apprimè neceſſaria eſt, quibus non ſolùm competit ſcire, quod motus eſt caloris cauſa, ſed etiam qua ratione illum producere valeat. Quod verò motus ſit caloris effector, omnes concedere tenentur, experimentis conuicti, vbi nomine motus præcipuè venit intelligendus motus caloris, & ad hanc cauſam reducunt omnes iram, triſtitiam, & alias animi paſſiones, de quibus omnibus in præſenti eſt agendum. In primis, quod motus calorem producat, docuit Ariſt. *3. ſect. probl. problem. 13. 14. & 34.* & *lib. 2. de cœlo, cap. 7.* vbi ait, quod ſi ſagitta ſurſum proiiciatur, in cuius extremitate plumbum ſit conſtitutum, adeò ignitur, vt ipſum plumbum liqueſiat; liquefactio autem à calore fit. Idem ſuadet motus ferri, quo percutitur ſilex; & motus rotæ molendini, vbi farina deficit. Id etiam ſuadet exercitium animalis, in cuius fine animal calidius euadit; quod etiam alia mille experimenta comprobant.

Si verò frigus ex motu aliquando dependeat, id eſt omninò per accidens,vt v.g. dum mouetur aqua calida de vaſe in vas, aut iuſculum aliquod calidum intra proprium vas; tunc equidem aqua & iuſculum reſultant minùs calida, & infrigidantur, quia exhalatur empyreuma,ideſt exhalatio calida; per motum enim datur locus vt exhalatio exire poſſit partes ſeparando. Idem accidit in motu ſterquilinij. Vlteriùs in flabellatione faciei, aër in facie ſentitur frigidus, non quia flabellatio calorem per ſe remittit, ſed quia illo motu ſemouetur aër ab ipſo animali calefactus, & loco illius per flabellationem ſuccedit alter frigidus, à quo animalis facies poſtea infrigidatur. Præterea cùm in ſole ſtamus, ampliùs recaleſcimus, quàm cùm mouemur; nam corpus noſtrum vaporem de ſe quendam mittit tepidum, vt patet dum exſpiramus, qui proximum aërem calefacit: at cùm mouemur, alter aër ſuccedit magis frigidus nondum calefactus à vaporibus è corpore exeuntibus; & ſic motio illa ex accidenti refrigerat, quod expreſsè docuit Ariſtotel. *5. ſect. prob. problem. 34.*

Manet itaque ex dictis experimentis, quod mo-

tus calorem cauſat; qua verò ratione id efficiat, maximè inter Authores controuertitur.

*Prima opinio.* Prima ſententia aſſerit, motum localem eſſe cauſam per ſe efficientem caloris, ita vt motus ſit cauſa æquiuoca illius, habens virtutem ſufficientem ad calorem producendum: quæ ſuaderi poteſt ex Ariſtotele 10. *metaphyſ. cap.* 1. vbi ait, in vnoquoque genere eſſe deueniendum ad vnum primum, quod ſit cauſa reliquorum, quæ ſub illo genere continentur. Cùm igitur in genere motus, localis primus ſit, non mirum ſi ipſe ſit cauſa reliquorum.

*Impugnatur.* Hæc tamen ſententia facilè impugnari poteſt, nititur enim falſo fundamento; nam in verbis Ariſtot. non dicitur, quod primum in vno genere ſit cauſa, ſed potiùs menſura: in quo optimè Ariſtot. nam primum in quolibet genere eſt aliorum eiuſdem generis menſura, quia prout magis diſtant à perfectione primi cuiuſque generis, imperfectiora dicuntur reliqua, quæ ſub eo genere ſunt. Si enim motus localis eſſet cauſa reliquorum motuum, cauſaret neceſſariò motum alterationis, & eſſet etiam per ſe cauſa infrigidationis, quæ ſimiliter inter alterationis motus annumeratur. Vlteriùs ſi primum in vnoquoque genere eſſet cauſa reliquorum: ergo in genere animalium homo qui eſt primum, erit etiam omnium animalium cauſa; quod neutiquam dici poteſt.

Tandem motus localis eſt actus mobilis imperfectus; eſt enim tendentia quædam in terminum, & entitas modalis: ergo non poteſt attingere productionem caloris, qui eſt entitas perfecta, & permanens directè pertinens ad prædicamentum; ad differentiam motus, qui ob eius imperfectionem, & quia eſt quid incompletum, ponitur tantummodò in prædicamento reductiuè; cauſa enim principalis æquiuoca, vt omnes admittunt, non ſolùm eſt ita perfecta ſicut effectus, ſed etiam perfectior illo. Cùm ergo motus ſit calore imperfectior, neque in genere cauſæ æquiuocæ principalis, neque vniuocæ principalis, neque vniuocæ ad illum calorem producendum concurrit; quare

*Thoma de Garbo opinio.* Alij aliâ viâ incedentes dicunt, motum localem calorem per accidens producere, quia per talem motum confricatio fit alicuius corporis mixti, quâ confricatione aufertur impedimentum, quod partes igni correſpondentes intus incluſas detinebat, ne ad circunferentiam exirent; impedimento autem ſemoto ad circunferentiam ipſius corporis exeunt. Quam ſententiam defendit Thom. de Garbo *in ſumma, lib.* 2. *tract.* 2. *quæſt.* 6.

*Improbatio illius.* Sed hæc ſententia facilè impugnatur eiſdem argumentis, quibus probatur formas elementorum formaliter non manere in mixtis, in quibus repetendis non eſt cur immoremur. Quod ſi dicas, ibi non manere formaliter elementorum formas ſubſtantiales, ſed ſolùm partes calidas igni correſpondentes ad extra pullulare mediâ illâ fricatione. Contrà eſt, nam ſequeretur, quod ex illa fricatione, aut motione corporis diſſolueretur mixtum, ſiquidem partes igneæ, quæ ſunt in centro, diſcontinuantur, & mouentur ad circumferentiam à centro tanquam à proprio loco diſcedentes. Præter hoc etiam debemus aſſignare cauſam efficientem, quâ illæ partes igneæ ad circunferentiam mouentur; illa enim confricatio corporis mixti, ſeu motio, quid imperfectius eſt ipſo calore producto, ac per conſequens in genere cauſæ principalis non poteſt illum producere, neque attingere partes centrales corporis nimis duri.

*Vega opinio.* Vega *lib.* 1. *de different. febrium, cap.* 4. aliter ſentire videtur; aſſerit enim in omni mixto quatuor adeſſe elementa mixtum conſtituentia; ſed elementum ignis ita in mixtis continetur, vt ferè extinctus ſit, & oppreſſus à multitudine partium aliorum elementorum. Et quemadmodum ignis paruus eget ventilatione quadam, & tranſpiratione, vt accendatur, & flammam magnam edat; ita & is, qui in mixtis corporibus continetur: ſed quia ignis in corpore mixto admodum denſo exiſtit, non accenditur niſi magna flabellatione, & ingreſſu aëris per poros, quo calor ille accenditur, & ad vlteriorem peruenit gradum.

Sed hæc Vegæ ſententia ſuſtineri nequit, habet enim plura inconuenientia; nam in primis explicari non poteſt, cur aër per motum localem non abeat per latera corporis mixti, cùm faciliùs ad latera, & cum minori impedimento moueatur, quàm corporis denſiſſimi poros penetrando, partes ignitas in centro illius corporis exiſtentes reaccendat. *Illius impugnatio.*

Secundò incidit in ſententiam eorum, qui elementa formaliter manere in mixtis ſecundùm formas ſubſtantiales aſſerere videntur; quam doctrinam ipſe proponit, & defendit *lib. de arte medendi, cap.* 1.

Tertiò, nam ſi ventilatione magna reaccenduntur partes ignitæ, vbi plures fuerint tales partes, maior contingit reaccenſio: ergo in corpore calido, & igneæ naturæ, vbi neceſſariò ſunt concedendæ plures partes igni correſpondentes, meliùs generabitur calor, quàm in corpore frigido, denſo, & terreo; cuius contrarium experimur, nam lapides qui ſunt frigidæ naturæ, & corpora denſa, & terrea, ex motu, & concuſſione facilius calorem comparant.

Quartò, nam in tantùm reaccenditur calor in quantum per motum remouetur illud, quod antea prohibebat talis caloris ſuccenſionem, videlicet frigiditas aliorum elementorum. Sed motus ille aëris ad intra non tollit partes elementorum frigidas, à quibus (vt iſte Author aſſerit) ille calor extinguitur: ergo tali motu calor reaccendi non poteſt; motus enim non diſſoluit mixtum, nec ſeparat partes à partibus; & ita non remouet prohibens. Si enim motus, ſeu flabellatio in externo igne illum extinctum ſuſcitat, ideo fit, quia tali flabellatione ſeparantur fuligines, quibus ille ignis ſuffocatur, quibus ſemotis facilè reaccenditur ignis, & flamma eleuatur, & denuò generatur ex materia præexiſtente, verſus quam flabellatione illâ magis ignis compellitur, & illam igneam reddendo, ſimul cum aëre intra illius poros incluſo ignis incrementum ſuſcipit: hoc autem etiam reperitur in noſtris corporibus, quæ ventilatione egent, & hanc ob cauſam ſunt raræ contexturæ, & plures habent poros, vt aëris ingreſſu ſeparetur fuliginoſum excrementum, quod calorem innatum, & calorem ſpirituum ſuffocat; & vt aëris attractu generetur ſpiritus vitalis, tanquam ex materia: non tamen dicimus, quod aër illis attractus ſit ordinatus ad remiſſionem qualitatis frigidæ elementorum, neque ad ſeparationem partium frigidarum illorum, vt illis ſemotis calor reaccendatur. Sed quia huiuſmodi fuligines in corporibus duris etiamſi aër per poros ad intima penetret, non euacuantur, nec aliqua ratione conſtat, quod in talibus corporibus dentur, aut produci poſſunt; ideò nulla intercedit ſimilitudo inter productionem noſtri caloris, & caloris aliorum corporum denſorum, dum ab aliquo agitantur, & vehementer concutiuntur.

Tandem aër agitatus, & commotus inter duo corpora dura calefit, & tamen ibi non fit ſeparatio

ratio partium frigidarum, nec diſtractio elementorum, cùm ibi aër ſolus ſit; neque intercedit fuligo aliqua in aëris poris incluſa, quæ calorem ſuccendi prohibeat, quæ per motum ſeparetur, niſi tu eam fingere velis: ergo motus non cauſat calorem, aëre ad intima penetrante; nec tunc dici poteſt, quod aër aërem penetret, etiamſi aër ipſe calefiat, ac per conſequens aliam cauſam caloris in motu adducere tenemur.

*Verior ſententia.* Quare iis, & aliis omiſſis, communior, & verior ſententia eſt (quam nos in præſenti amplectimur) calorem produci per motum, inducta raritate in aëre colliſo, aut in mobili: quæ quidem raritas ſe habet vt conditio, aut diſpoſitio neceſſaria ex parte ſubiecti in ordine ad caloris productionem. Quam ſententiam ex Ariſt. accepimus 1. *meteor. cap.* 4. vbi flammas in ſuprema aëris regione accendi ait, rarefactâ materiâ, ex qua ſuccenduntur, & ex Alexand. Aphrodiſ. *ſect.* 4. *problem. quæſt.* 6. eamque ſequuntur Veiga 1. *de differ. febrium*, Valleſ. 4. *controuerſ. cap.* 3. Mercatus *tom.* 2. *lib.* 3. *de febribus*, & alij quamplurimi.

*Valleſ. fundamentum.* Sed licèt hi Authores vnanimiter hanc tueantur ſententiam, non tamen omnes eodem modo ſemel inducta raritate calorem produci aſſerunt. Valleſ. loco iam citato inquit, quod aër colliſus ex attritu, & fricatione duorum corporum denſorum rareſcit plus quàm pro ſua natura, & ad ignis naturam diſponitur; incaleſcit tamen à calore ſolis, præſuppoſita illa aëris præter naturam raritate. Hunc dicendi modum fuit ſequutus Zimarra *in theorem. propoſit.* 45.

*Illius improbatio.* Iſte tamen philoſophandi modus non eſt verus, fruſtra enim ad cauſas vniuerſales confugimus, dum cauſæ particulares ſunt conſpicuæ. Cùm igitur detur aër, qui ex ſua natura calidus exiſtit, ſiquidem in propria forma virtualiter calorem continet, ſufficienter inducta raritate, ab aëris propria forma dimanabit calor.

*Obiectio.* Sed dices: Si poſita in aëre raritate ab ipſo vlterior pullulat calor; quare ante raritatis productionem ab aëre ille calor non emanauit? *Reſponſio.* Reſpondetur, quod ante illam raritatem præualebat in aëre oppoſita qualitas, nempe denſitas, quæ ſicut anteà impediebat raritatis productionem, ita etiam calori producendo erat impedimento; eâ verò ſemotâ facilè ab aëris forma calor in maiori intenſione pullulabit: nam licèt calor in corporibus mixtis, & denſis reperiatur, ita vt denſitas in illis non repugnet productioni caloris; non tamen omnia corpora calida exigunt in materia eandem diſpoſitionem, vt calorem producant: imò plura corpora calida & denſa, per denſitatis amiſſionem calorem etiam amittunt, vt patet in rhabarbaro, & ſublimato, & aliis, quæ quantò magis rareſcunt, tantò minùs calida, & efficacia euadunt. Debent ergo qualitates eſſe corporis naturæ conformes. Ita etiam dicendum de aëre, cui maximè conformis eſt tenuitas, & raritas, quibus adſtantibus ex propria ipſius forma calorem migrare certum eſt. Incidit in hanc ſententiam Valleſ. forſan quia *lib.* 1. *controuerſ. cap.* 3. exiſtimauit aërem in calore, & frigiditate eſſe temperatum, cuius forma virtute caloris gradum vltra mediocritatem non continet.

*Valleſij error circa raritatem.* Miror equidem Valleſ. dixiſſe raritatem diſponere ad ignem, ſiquidem ipſe 4. *meteororum, cap.* 6. & 1. *ſimpl. cap.* 3. & alibi millies aſſerit, ignem eſſe naturâ denſiſſimum: ex cuius verbis oritur repugnantia; nam ſi denſitas eſt naturalis igni, qua ratione raritas diſponit ad illum, cùm ſit quid denſitati contrarium? In hoc etiam deceptus fuit, quia Galen. Inſequutus *lib.* 1. *ſimpl. cap.* 3. & aliis in

A locis, exiſtimauit rarum eſſe, quod multos habet poros: ſi igitur ignis eſſet rariſſimus, neceſſariò illos habere debet, qui cùm non ſint exinaniti, debent repleri ſubſtantiâ aliquâ tenuiſſimâ; & cùm nulla tenuior igne ſit, repleri non poſſunt, ac conſequenter ne dentur vacui, fateri tenetur, ignem eſſe denſiſſimum nullos habentem poros; aërem verò quia rarus eſt, repleri ab igne, ita vt ignis per vniuerſum orbem ſit diſperſus, quia à nulla alia ſubſtantia craſſiori aëris pori poſſunt repleri.

*Rarum, & denſum quid ſint.* Sed quia rari, & denſi natura in pororum multitudine, aut defectu, non conſiſtit, vt Galen. cenſet, quamuis aliqui id probare intendant, nos tamen hanc quæſtionem Philoſophis relinquimus, eamque eleganter pertractat ſubtilis Petrus Garcia *fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 2. *cap.* 7. *diſp.* 4. neque omnia in omnibus tradere eſt operatiuum, ideò ad alia properamus.

B *Mercati opinio.* Ludouic. Mercat. 3. *de febribus, iam cit.* alium dicendi modum inuenit; aſſerit enim, calorem produci à motu locali, non quia motus localis particularis illum producit, ſed quia producendo raritatem, ex vi raritatis productæ per talem motum, motus cœli, qui eſt primus omnium, continet eminenter omnes qualitates, & ſic poſitâ illâ raritate, quæ diſponit ad calorem, ſtatim producit illum; ſicut poſitâ aliâ diſpoſitione, quæ frigus exigat, illud etiam producit, ita vt harum qualitatum productio ſemper motui cœlorum tribuatur.

Hæc tamen Mercati opinio facilè falſitatis conuincitur eiſdem rationibus, quibus ſuprà probauimus motum localem non eſſe per ſe cauſam caloris; & ita dicendum de motu cœlorum, qui in tantùm calorem gignere valet, in quantum per illum mobile diuerſis partibus vniuerſi applicatur; quod mobile medio lumine, aut aliis qualitatibus calorem in his inferioribus producit; non tamen motui vis producendi tribuitur, cùm non ſit
C altioris naturæ, quàm motus localis horum inferiorum.

*Falſitatis cõuincitur Mercatus.* Cùm ergo nullo ex his modis conſtet calorem poſſe produci, & aër ex Ariſtot. & benè ſentientium opinione ſit calidus prope ſummum, & ratione vaporum, & qualitatum cœleſtium, quæ illum condenſant, & refrigerant, non permaneat purus, ſed potiùs ſit in ſtatu præter naturam, facilè amittit raritatem, & calorem ſibi connaturalem, ex contrariorum præſentia, donec accedente motu vehementi, medio illo ita attenuatur, & rareſcit, vt ſemoto impedimento pullulet calor ab ipſius interno principio, quo non ſolùm ipſe calefit, ſed etiam corpora, quæ fricantur, in quorum medio mediâ fricatione aër attenuatur, & rarefit.

Quæ ſententia probata manet ex impugnatione aliarum, & eſt rationi magis conſentanea, eamque
D ſequitur Benedict. Matam. 2. *de febr. diſp.* 5. & alij.

*Obiectio.* Neque valet contra hanc doctrinam ſi dicas, quod calor eſt cauſa raritatis: ergo raritas non poteſt eſſe cauſa caloris; nam cùm vtrumque producatur ab alio tanquam ab agente æquiuoco, neceſſe eſt, calorem eſſe perfectiorem raritate, aut raritatem calore: ex quo ſequeretur idem eſſe perfectius, & imperfectius reſpectu eiuſdem, ſi ad inuicem producerentur.

*Reſponſio.* Reſpondetur, quod calor cauſat raritatem, vt agens æquiuocum, & ita perfectior eſt ipſa raritate: quando verò raritas calorem producit, illum efficit in genere cauſæ diſpoſitiuæ, ex quo nullum ſequitur inconueniens.

*Vega obiicit.* Secundò obiicit Vega; nam omnis ignis eſt pruna, aut flamma: ſed neutro modo ignis raritatem exigit: ergo raritas non eſt diſpoſitio connaturalis

igni. Minorem probo; nam pruna ſunt corpora denſiſſima, flamma verò dum rareſcit, facilè corrumpitur, & in fumum vertitur: ergo raritas non diſponit ad ignem, ſed potiùs ad illius corruptionem.

*Ad Vegam reſpondetur.*

Reſpondetur cum Valleſ. diuiſionem illam ignis in prunas, & flammas, non eſſe veri ignis elementaris, ſed potiùs corporum ignitorum; & ita non valet argumentum ex iis, quæ in talibus corporibus accidunt, ad naturam veri ignis elementaris.

*Quibus modis calor per motum producatur in viuentibus.*

Ex dictis facilè conſtat, qua ratione motus inter caloris cauſas connumeretur: reſtat nunc dicere, an eodem modo in noſtris corporibus calorem producat? Quod dubium facilè ſoluetur, ſi dicamus, ex motu calorem in noſtris corporibus produci dupliciter: primò attenuatis ſpiritibus, & humoribus, & inducta noua raritate, à cauſa ſuperiori producitur in ipſis ſpiritibus, & humoribus vlterior gradus caloris, qui corpus intenſiùs calefacere valet.

Secundò producitur calor per motum localem, quatenus ſpiritus, & humores diſtribuuntur per vniuerſum corpus, & accedentes ad omnes partes, illas calefaciunt; ita vt corpus ſecundùm plures partes calidius quàm antè euadat.

Sed quia animi paſſiones ſub motu locali comprehenduntur, oportet etiam de illis differere, qua ratione calorem producunt.

---

## QVÆSTIO III.

### *Vtrum anima rationalis, vt actus corporis eſt, ſit potens calorem febrilem producere, imò & ſanitatem, & morbum, mediis paſſionibus illius.*

HÆc quæſtio eſt nimis difficilis, ad cuius enodationem nonnulla ſunt prælibanda. Suppono ergo primò, in viuentibus dari plures potentias, ſeu facultates, quarum dantur paſſiones, vt intellectus, voluntas, appetitus ſenſitiuus, & ſenſus interni, & externi. Omitto facultates vegetabiles, quæ ſunt communes plantis. In iis ergo dantur paſſiones; quæ animi paſſiones vocitari poſſunt, quatenus ab animo proficiſcuntur, vt à radice, & ei inſeruiunt.

*Quibus modis accipitur paſſio.*

Secundò ſuppono ex Angelico Præceptore 1.2. *quæſt.* 22. *art.* 1. *in corpore*, quod paſſio, ſeu pati tripliciter dicitur: vno modo communiter, ſecundùm quod omne recipere eſt pati, etiamſi nihil abiiciatur; quare dicimus aërem pati dum recipit lumen, etſi nihil poſitiuum amittat, ſed ſolùm tenebras, quæ tantùm luminis priuationem dicunt.

Alio modo dicitur propriè pati, quando paſſum aliquid recipit cum alterius abiectione; ſed hoc dupliciter contingit: nam aut id, quod abiicitur, non eſt conueniens rei, vt dum corpus animalis ſanatur, dicitur pati, quia recipit ſanitatem ægritudine abiectâ. Alio modo, quando è conuerſo accidit, dum ſcilicet quis ægrotat; nam tunc recipit morbum, ſanitatemque ſibi conuenientem abiicit: qui modus paſſionis eſt propriiſſimus.

His tribus modis nobis paſſiones adueniunt; nam primo modo dicimus nos, intelligere, & ſentire eſſe quoddam pati; ſic enim huiuſmodi potentiæ perficiuntur ſine alterius amiſſione, vt dictum eſt de aëre dum illuminatur. Aliis verò duobus modis, nempe pati cum alterius abiectione, etiam nobis ſuperuenit; ſed tamen id euenire non poteſt ſine corporali tranſmutatione ſanguinis, & ſpirituum, aut tranſmutatione corporali in melius, dum ſanitatem amiſſam recuperamus abiecto morbo; aut in deterius, quod eſt magis propriè pati, quando corpus morboſum fit ſanitatem deperdens.

*Triplex datur appetitus in nobis.*

Tertiò ſuppono ex Philoſophorum conſenſu, quod iuxta triplicem appetitum in hominibus repertum, naturalem ſcilicet, rationalem, & ſenſitiuum, triplex etiam paſſio conſurgit: primò, quando nullâ præcedente cognitione in re, quæ per paſſionem inclinatur, ipſa redit naturali propenſione in perfectionem ſibi debitam; & hac ratione dicimus ignem extra locum inclinari ad locum ſibi debitum: & corporis partes fame naturali apprehenſæ naturaliter appetunt cibum; qui appetitus dicitur naturalis, non diſtinctus ab appetente.

Secundò ſumitur paſſio quando talis inclinatio fit mediâ cognitione aliqua animalis, quâ fertur in bonum cognitum, & apprehenſum illi conueniens: quod ſi id quod apprehenditur, eſt malum, talis inclinatio eſt ad fugiendum illud; & hæc paſſio ſi fiat præcedente cognitione intellectus, pertinet ad appetitum rationalem, qui eſt ipſa voluntas; ſi verò fiat præcedente cognitione cogitatiuæ potentiæ, pertinet ad appetitum ſenſitiuum.

*Appetitus ſenſitiuus duplex.*

Quartò notandum eſt ex Diuo Thom. 1. 2. *q.* 25. *art.* 1. quod appetitus ſenſitiuus eſt duplex; alius iraſcibilis, concupiſcibilis alius: modò non diſputo, an differant ſpecie, vel non, licet iuxta Angelici Doctoris mentem inter ſe ſpecie differant, & conſequenter illorum paſſiones. Concupiſcibilis verſatur circa bonum proſequendum, & malum fugiendum ſimpliciter acceptum; & ſub hac conſideratione quodlibet bonum, vel malum excitat appetitum concupiſcibilem, cuius dantur ſex paſſiones, amor, deſiderium, voluptas, ſeu gaudium, fuga, odium, dolor, ſeu triſtitia. Per tres primas paſſiones appetitus hic fertur in bonum abſolutè; per vltimas verò fugit, & declinat à malo abſolutò. Verumtamen, quia ſæpe bonum adipiſci non poteſt, niſi detrahantur impedimenta, aut ſeparentur, ita vt difficilè impedimenti ratione bonum adipiſcatur, vel malum fugiatur, ita vt bonum, & malum ſub hac conſideratione habeat rationem ardui, & difficilis; ideò fuit neceſſe conſtituere appetitum iraſcibilem dictum, qui circa bonum & malum, arduum & difficile verſetur, cuius dantur quinque paſſiones, ſpes, deſperatio, timor, audacia, & ira; quæ omnes paſſiones animali conceſſæ ſunt, vt ſe conſeruet, & in bonum ſui feratur.

*Appetitus concupiſcibilis paſſiones ſex.*

Sed quia per huiuſmodi paſſiones corpus alteratur, ex quo ſubſequi ſolet ſalus, aut morbus, & quandoque mors inopinata, non erit extra rem breuiter illarum proponere naturam, iuxta doctrinam à Diuo Thoma traditam 1.2. *à quæſt.* 22. *vſque ad quæſtionem* 49. *per plures articulos.* Tamen quia omnes paſſiones ex amore cauſantur, vt dicitur ab Angelico Præceptore *eadem parte, quæſt.* 25. *art.* 1. ab amore incipiendum eſſe iudico.

*Amor quid ſit.*

Amor igitur eſt paſſio concupiſcibilis, & eſt complacentia boni, ſiue conuenientia inter appetitum, & bonum; nam ſicuti in amore naturali eſt quædam conuenientia inter appetitum naturalem, & bonum, vt patet in corpore graui, quod naturaliter appetit moueri in locum deorſum, ob concordantiam naturaliter inuentam inter ipſum graue, & locum deorſum; ita amor animalis cognitionem ſequens nihil aliud eſt, quàm conueniẽtia inter appetitum

appetitum ſenſitiuum, & rem amatam, eo quod appetitus habet conuenientiam ad bonum, & complacentiam: vnde amor rectè definitur à Platone *in conuiuio*, quod ſit appetitus, quo bonum quiſque ſibi adeſſe deſiderat, & fertur in rem amatam. Cognitâ ergo obiecti conuenientiâ, ad quam ſequitur complacentia, in qua amor conſiſtit, ſequitur motus ad illud bonum concupitum; qui motus dicitur deſiderium, quod eſt tendentia, ſeu proſequutio in rem amatam, nondum tamen adeptam: ſed hæc proſequutio naſcitur ex amore, quaſi ex radice, nihil enim proſequitur appetitus, niſi illud amet, & concupiſcat.

*Deſiderium quid ſit.*

Poſt deſiderium ſequitur in appetitu voluptas, gaudium, ſeu delectatio, aut lætitia, quæ accidit dum iam obiectum æſtimatur vt præſens, & conſequutum, in quo tanquam in re priùs amata, & optata quieſcit; & in hoc differt à deſiderio, quoniam deſiderium verſatur circa obiectum proſequendum. Sed aduertere oportet differentiam, quam tradit Diuus Thom. inter gaudium, & delectationem, 1. 2. *quæſt.* 31. *art.* 3. nam gaudium ſolùm dicitur de iis qui ſecundùm rationem concupiſcunt; ſicque gaudium non attribuitur animalibus brutis: delectatio verò dicitur eſſe in illis.

*Voluptas, & delectatio quid ſit.*

*Gaudij, & delectationis differentia ex Diuo Thoma.*

His tribus paſſionibus aliæ tres opponuntur, quæ ſunt circa obiectum contrarium, ideſt circa obiectum diſconueniens, per quas appetitus quodam modo auertitur ab obiecto, ob illius diſconuenientiam; ſicque odium contrariatur amori, per quod obiectum vt inimicum appetitus abhorret. Sed quia parum intereſt abhorrere obiectum diſſentaneum, niſi illud fugere etiam poſſimus; ideò poſt odium ſequitur in appetitu fuga, ſeu auerſio ab illo obiecto; quæ fuga opponitur deſiderio, & verſatur circa obiectum malum imminens, nondum præſens. Poſt fugam ſequitur triſtitia, vel dolor, qui contrarius exiſtit voluptati, ſeu delectationi, quæ nihil aliud eſt quàm motus appetitus circa malum, ſeu diſconueniens adeptum: vnde licèt ſæpe de re præterita, aut futura contriſtemur, ea tamen vt præſens ad inducendam affectionem triſtem habetur: quâ ratione Aloyſius *de compeſcend. animi affectibus*, triſtitiam aſſerit eſſe impendentis mali.

*Odium quid ſit.*

*Fugæ appetitus quis dicatur.*

*Triſtitiæ & doloris obiectum proponitur.*

Sed notare oportet differentiam, quam Diuus Thomas conſtituit inter dolorem, & triſtitiam 1. 2. *quæſt.* 35. *art.* 2. vbi aſſerit quod dolor ſequitur apprehenſionem ſenſus exterioris, qui accidit, eo quod ſubitò alteratur, aut corrumpitur natura, vt liquet ex Galeno *lib. de inæquali intemper.* cui etiam adiuncta eſt comprehenſio interioris ſenſus, ad quam ſequitur dolor, qui eſt appetitus paſſio, vt dictum eſt; triſtitia verò vt fiat, petit fieri ex ſola apprehenſione interni ſenſus ſine apprehenſione exteriori, & ſine corruptione, vel alteratione naturæ; ſicque quotidie triſtamur de rebus quæ nobis adueniunt, vt de morte patris, amici, vel familiaris, & aliis huiuſmodi, quæ non alterant, nec corrumpunt antecedenter corpora, quibus infligitur talis paſſio. Huic triſtitiæ opponitur gaudium, ſicuti dolori voluptas. De his latiùs egimus in noſtro tractatu manuſcripto de dolore.

*Differentia inter triſtitiã, & dolorem ſtatuitur.*

Superſunt nunc aliæ paſſiones, quæ ad appetitum iraſcibilem attinent, inter quas primum locum tenet ſpes; hæc verſatur circa bonum arduum difficile adipiſci: ex quo ſequitur, quod non petit obiectum iam adeptum, & præſens: differt à deſiderio, quia deſiderium tantùm eſt circa bonum adipiſcendum, non verò circa arduum, & difficilis adeptionis: ita Diuus Thomas *eadem parte*, *quæſt.* 4. *art.* 2.

*Spei obiectum aſſignatur.*



A Spei opponitur deſperatio, per quam appetitus auertitur, ac deſiſtit ab obiecto aliàs appetibili, & conuenienti, ita vt amplius ad ipſum adipiſcendum non moueatur, neque inclinetur, vtpotè non poſſibile adipiſci. Hæc doctrina conſonat iis, quæ dixit Diuus Thomas *eadem parte*, *quæſt.* & *art. proximè citatis*.

*Spei opponitur deſperatio.*

Tertia paſſio appetitus iraſcibilis eſt audacia, quæ opponitur timori, & differt ab illo ſicut fuga à deſiderio; eſt enim audacia quaſi proſequutio boni ardui, vt arduum eſt, nihil obſtante arduitate. Ita Diuus Thom. 1. 2. *quæſt.* 45. *art.* 1. ſic enim audaces vocamus, quia periculum contemnunt ſpe victoriæ ducti; tamen qui nullo modo periculum vincere poſſunt, & tamen periculum vincere tentant, iſti non dicuntur audaces, ſed temerarij.

*Audacia opponitur timori.*

B Timor eſt fuga obiecti ardui diſconuenientis, & futuri, cui difficilè reſiſtere poſſumus: ita Diuus Thom. 1. 2. *quæſt.* 41. *art.* 2. Huius ſex ſpecies tradunt Authores, iuxta mali diuerſitatem, quæ homini aduenire poteſt; nam poteſt eſſe malum in operatione ipſius, vel in exterioribus rebus. In operationibus quidem duplex malum timeri poteſt. Primò quidem labor grauans naturam; quem laborem refugit, & timet homo, quia nimius & excedens eſt; tuncque timor dicitur ſegnities.

*Timor quid ſit, & eius obiectum. Timoris ſex proponuntur ſpecies.*

Secundò timetur in operatione turpitudo actionis opinionem detrahens; quapropter ſi turpitudo adſit in actu committendo, timor ille dicitur erubeſcentia, quæ idem eſt ac vulgari ſermone; *ſalir colores al roſtro*: ſi verò ſit de turpi iam commiſſo, verecundia vocitatur. Quod ſi malum ſit in rebus exterioribus, tripliciter timorem inducit, quatenus tripliciter hominis facultatem excedit ad reſiſtendum. C Primò quidem timorem cauſat malum ratione ſuæ magnitudinis, vt ſi quis magnum malum contempletur, cuius exitum ſuperare nequit, tunc timor ille dicitur admiratio. Secundò ratione diſſuetudinis, quia ſcilicet aliquod malum diſſuetum noſtræ conſiderationi offertur, quod in noſtra reputatione eſt magnum; & hic timor cauſatus ex inſolita imaginatione, dicitur ſtupor. Tandem timorem infert malum aliquod ratione improuiſionis, quia præuideri non poteſt; & hoc modo futura timentur infortunia: ſic illos, quos morti propinquos videmus, in agonia dicimus eſſe conſtitutos; eſt enim agonia anxietas, quæ ita animum perturbat, vt ferè vltimum vitæ terminum anxius attingat. Quare Diuus Lucas *cap.* 22. de Chriſto Domino loquens, dixit: Et *factus eſt in agone, & prolixiùs orabat, &c.* Anxietas tamen non eſt agonia, licèt ſit animi perturbatio vehemens.

D Sed quia dictum eſt, timorem verſari circa obiectum diſſentaneum futurum, cui difficilè reſiſtere poſſumus, inſurgit difficultas, qua ratione id contingere poſſit. Et ratio dubitandi eſt, nam paſſio iraſcibilis naſcitur ex apprehenſione; at nullus ſenſus verſatur circa futurum, ſiquidem de illo nullam habet ſpeciem: ergo timor non poteſt verſari circa illud. Licèt enim ſenſus interni poſſint operari obiecto abſente per ſpecies in memoria reſeruatas, illæ tamen ſpecies ſunt de obiecto præterito, ſicque nullo modo poſſunt repræſentare obiectum futurum.

*Difficultas circa obiectum timoris.*

Huic difficultati reſpondetur, quod licèt ſenſus ſecundùm ſe non cognoſcat futura, tamen ex præſentis obiecti cognitione, naturali inſtinctu ducitur in cognitionem futuri mali; ſic enim formicæ præcognoſcunt pluuias futuras, quod patet, nam ante pluuiam incipiunt grana tritici in terræ foraminibus colligere; ſic etiam piſces præcognoſcunt tempeſtatem

*Difficultatis ſolutio.*

peſtatem, eamque fugiunt, & in loca profundiora damnum timentes ſe immergunt: ſed hoc non eſt cognoſcere futura abſolutè, cum de illis ſpeciem non habeant, ſed ſolùm quatenus in ſuis cauſis præſentibus, à quibus phantaſia mouetur, futuri euentus præcognoſcuntur: circa hanc difficultatem lege Diuum Thomam 1. 2. *quæſt.* 172. *art.* 1.

*Aliud dubium circa timoris obiectum.*

Sed adhuc inſtabis: Timemus Deum præſentem: ergo obiectum timoris non eſt futurum. Vlteriùs Deus eſt ſumma bonitas: ergo cùm Deus ſit obiectum timoris, non poteſt dici, quod illius obiectum eſt malum. Vtrique obiectioni reſpondeo, quod timor per ſe primò ſemper verſatur circa malum futurum, tanquam proprium obiectum; poteſt tamen reſpicere bonum, quatenus habet habitudinem ad malum, & hoc dupliciter: nam vel reſpicit bonum in quantum poteſt infligere pœnam, ſic enim timemus Deum, aut iudicem, quia Deus poteſt infligere pœnam corporalem, aut ſpiritualem; iudex verò corporalem, & vtraque pœna eſt malum futurum; ſicque ſatisfiet primæ obiectioni.

*Dubij ſolutio.*

Vel bonum dicit habitudinem ad malum, quatenus priuat aliquo bono; & ſecundum hoc inquit Diuus Auguſtinus, quod nulla eſt cauſa timendi, niſi ne amittatur bonum amatum: amittere verò bonum amatum dicit priuationem boni, quæ priuatio quid malum eſt: quapropter timere poſſumus Deum, quatenus illum amittere poſſumus; ex quo euidenter infertur, quod obiectum timoris ſemper eſt malum, vel dicit habitudinem ad illud: ita Diuus Thomas 1. 2. *quæſt.* 42. *art.* 1. Reliqua de timore, ex capite de melancholia pete.

*Ira & eius obiectum traditur.*

Sequitur tandem vltima paſſio iraſcibilis, quæ eſt ira, quæ formaliter eſt appetitus vindictæ cum ſpe, propter contemptum in ſe, vel in ſuis, vt tradit Ariſt. 2. *Rhetor. ad Theodect. cap.* 2. de qua paſſione egimus tractatu de mania. Iræ obiectum eſt bonum, quia per iram excitatur animal ad obiectum, vt de illo vltionem, ſeu vindictam ſumat; amat enim vindictam, & habet ſpem conſequendi eam tanquam quid conueniens; abhorret tamen hominem, à quo contemptum fuit, & habet auerſionem quandam circa illum, & ita per modum complexi habet pro obiecto bonum, & malum; & hæc eſt ratio, ob quam ira non habet contrarium, & dicitur paſſio compoſita: & quia in hac paſſione multæ aliæ continentur, ideò dicitur paſſio generalis. Eſt etiam ira triſtitia quædam de malo arduo præſenti, quatenus arduum eſt, vt feratur; vel de boni ablatione, quatenus arduum eſt, & difficile tali bono carere, & propter arduitatem conſurgit ad illud malum per vindictam ſuperandum. Ex qua doctrina infertur, non habere contrarium, cùm ſit paſſio ex pluribus compoſita; ſi enim aliqua illi contraria extitiſſet, maximè manſuetudo; ea tamen non eſt illi contraria poſitiuè, ſed priuatiuè tantùm, quia eſt ceſſatio ab acceſſu, vel receſſu ad obiectum, vt docet Diuus Thomas ex mente Philoſophi 1. 2. *quæſtione* 33. *art.* 3.

*In animi paſſionibus tranſmutatur ſpiritus, & humores.*

Denique ſuppono ex Diuo Præceptore 1. 2. *quæſt.* 10. *art.* 3. & *quæſt.* 22. *art.* 2. in animi paſſionibus tranſmutari ſpiritus, & ſanguinem arterialem, mouerique ad intra, vel ad extra, iuxta exigentiam cuiuſcumque paſſionis, ita vt in ira ſit efferueſcentia ſanguinis, & ſpirituum circa cor; in gaudio moueantur ad extra veluti obiectum delectabile proſequendo; in triſtitia ad intra, veluti rem noxam inferentem fugiendo, & ſic de cæte-

A ris; & huiuſmodi motio dicitur materiale paſſionis, ex qua ſequi ſolent maximæ, & ſubitæ in corporibus mutationes, vt ex diſcurſu patebit.

*Sententia affirmans animam mediis paſſionibus morbum non poſſe producere ſtatuitur.*

His igitur præhabitis accedamus iam ad noſtræ difficultatis punctum, an ſcilicet huiuſcemodi paſſiones ſint, vel poſſint eſſe caloris effectiuæ, vel inductiuæ ſanitatis, vel morbi. Pars negatiua ſuadetur. Primò, nam anima rationalis, de qua præcipuè procedit noſtra quæſtio, mediis iis paſſionibus non poteſt producere morbum calidum, neque alterius naturæ, quia nec anima rationalis, neque alia ſpiritualis creatura poteſt corpus tranſmutare ad aliquam formam accidentalem, neque ſubſtantialem: ergo neque producere ſanitatem, vel morbum. Antecedens eſt certum, & eſt Diui Thomæ 1. *part. quæſt.* 110. *art.* 2. & probat Pater Suarez 2. *tomo Metaphyſ. diſputatione* 25. *ſect.* 6. §. 15. & eſt Theologorum communis ſententia, qui
B omnes docent, materiam corporalem horum inferiorum non obedire Angelis, niſi quantum ad motum localem, non verò quantum ad alios motus. Conſequentia etiam patet, nam cùm morbus, & ſanitas ſint qualitates quædam, quæ petunt produci per motum alterationis, ſi anima rationalis, neque alia ſubſtantia ſpiritualis creata non poteſt alterare materiam, neque erit potens producere morbum, nec ſanitatem.

Si verò dicas, quod anima rationalis eſt actus corporis, ſicque poterit corpus alterare, quod neutiquam conceditur Angelis, contrà eſt: nam Angelus eſt perfectioris virtutis quàm anima: ergo ſi Angelus non poteſt alterare materiam, neque anima id efficere valebit.

Secundò, nam anima eſt actus corporis, & perfectio illius: ergo non poteſt mediis ſuis paſſionibus inducere morbum. Antecedens conſtat ex animæ definitione: conſequentia patet, quia anima
C ſolùm eſt cauſa productiua ſuarum paſſionum, & diſpoſitionis conſeruatiuæ, non verò corruptiuæ; nunquam enim dicimus, aquam in ſe producere calorem, neque ignem frigiditatem; quia calor eſt aquæ deſtructiuus, ſicuti frigiditas ignis eſt corruptiua: ergo pari ratione, neque eſt dicendum, quod anima eſt productiua morbi, per quem diſponitur homo ad interitum.

Poteſt reſponderi, animam poſſe producere morbum mediis ſuis paſſionibus, applicando actiua paſſiuis, quatenus applicando ſpiritus, & ſanguinem, per eorum calorem lædit, vel perficit actiones, ita vt ille calor habeat rationem ſanitatis, vel morbi.

Contrà eſt: Applicatio actiui ad paſſiuum debet fieri medio motu locali ſubſtantiæ calidæ, & iſte motus adhuc non poteſt fieri ab anima: ergo
D neque producere morbum, vel ſanitatem. Maior admittitur ab Angelico Doctore, imò recipitur ab omnibus. Minor probatur: nam motus localis non poteſt fieri immediatè ab anima, ſiquidem ſanguis, & ſpiritus, qui mouentur, non viuunt; anima verò ſolùm mouet corpora viuentia, quæ informat: quapropter ſi aliqua corporis viuentis pars amiſerit animam, ſtatim ei deficit motus, & eſthiomenon patitur.

Tertiò, anima non poteſt localiter mouere aliquod corpus, niſi per facultatem motiuam; nam vt moueat localiter corpus, debet aliud corpus expellere, vt corpus motum occupet nouam præſentiam localem: talis autem expulſio fieri nequit, niſi per impulſum introductum mediâ facultate motiuâ: ergo ſi ſpiritus, & ſanguis mouentur ab anima localiter, fieri debet mediâ tali facultate; quæ facultas difficilè aſſignari poteſt.

Dices,

Dices, quod anima non mouet immediatè ſanguinem, & ſpiritus, ſed mediante appetitu, & imaginatione; nam ſecundùm paſſionum appetitus diuerſitatem mouet ſanguinem, & ſpiritus localiter, vt in ira iuxta cor, in verecundia ad faciem, &c.

Contrà eſt. Actiones appetitus ſenſitiui ſunt actiones immanentes: ergo neque ratione ſui, neque ratione ſui termini poſſunt inducere morbum, vel ſanitatem, neque motum aliquem. Antecedens notum eſt, conſequentia probatur; nam productio ſanitatis, & morbi eſt actio tranſiens, quia fit mediâ actione alteratiuâ reali, & tranſmutatiuâ ſubiecti; & idem ſtatuo de termino producto per illam, & de motu locali, quo mouentur ſpiritus. Poſſet reſponderi, animæ paſſiones eſſe immanentes, vt argumentum probat, non tamen implicat, quod actio formaliter immanens ſit virtualiter tranſiens, & terminum tranſeuntem producat; ſicque quando animal variis afficitur paſſionibus, fit commotio, & concitatio in principio vitali, in corde ſcilicet, & media commotione, ſeu dilatatione, & compreſſione mouentur ſpiritus, & ſanguis ad diuerſas partes: ex qua motione inſurgit, quod producatur terminus calefactionis, vel refrigerationis, & corpus tranſmutationem accipiat, vt ſuprà diximus ex Diuo Thoma 1. 2. *q.* 10. *art.* 3. & *quæſt.* 22. *art.* 3.

Sed hæc ſolutio eſt inefficax, contráque eam efficaciter inſurgo; nam vt cor ſic, vel aliter moueatur in paſſionibus animi, debet ſaltem mutari vſus, vel alia ex cauſis continentibus pulſus; nam non mouetur ſic, vel aliter cor, niſi in aliqua ex iis cauſis adſit mutatio, vt diximus in noſtro tractatu de pulſibus, vbi probauimus, non poſſe mutari pulſum ſine mutatione alicuius cauſæ continentis, licèt contrarium tueatur Valleſ. exiſtimans animi paſſiones per ſe, & immediatè pulſus mutationes cauſare: ergo priùs quàm in animi paſſionibus cor aliter moueatur, antecedenter debet aliqua ex cauſis continentibus aliter ſe habere, alioquin non variabitur pulſus, ſed in eodem perſiſtet gradu: ſed animi paſſiones non poſſunt talem pulſus cauſam immutare, quia non agunt circa cauſas pulſus: ergo anima mediis illis nullo modo valet producere ſanitatem, vel morbum.

Quartò; nam ſi cor moueretur ad nutum imaginationis, & appetitus, iam actio cordis non eſſet naturalis, ſed potiùs voluntaria: patet, nam eſſet in noſtra poteſtate pulſus mutationes efficere, quoties imaginaremur aliquid, quod aliquam induceret animi paſſionem.

Quintò, nam detur caſus, quo in ira, verbi gratiâ, efferueſcat ſanguis circa cor; non adquirit vlteriorem calorem quàm antea habebat: ergo non poteſt producere morbum calidum.

Dices: Per efferueſcentiæ motum ſanguinem rarefieri', quâ poſitâ raritate intenſiorem conſurgere calorem, quia eſt diſpoſitio conferens ad ignem. Hoc, inquam, eſt inualidum; nam adhuc aſſignare debemus cauſam principalem caloris productiuam, cùm raritas ſit infimæ perfectionis, neque efficienter concurrere valeat ad calorem producendum.

Demùm idem probatur de timore, & triſtitia; nam iſtæ paſſiones non poſſunt producere morbum calidum, nam morbus calidus in corde ſemper adauget vſum pulſus; & differentia quæ ponitur in pulſu, debet tali vſui ſatisfacere: at in timore, & triſtitia non datur talis pulſus differentia, quæ vſui adaucto caloris ſatisfaciat; ſiquidem pulſus magnus, celer & frequens eſt differentia ad

A hunc ordinata finem; ea tamen non datur in timore, & triſtitia; ſiquidem Galenus 4. *de differ. pulſuum, cap.* 3. adducens differentias pulſus timoris, & triſtitiæ, aſſerit dari in illis pulſus debiles, paruos, minutos, qui pulſus potiùs attinent ad vſum diminutum, quàm adauctum. Idem eſt affirmandum de gaudio, in quo ſpiritus deſerunt cor, & mouentur ad extra: ergo ex tali illorum ad extra motione non poterit cor calefieri, & conſequenter anima non valebit mediis ſuis paſſionibus producere calorem.

*Concluſio vera ſtatuitur.*

Hæc ſunt validiſſima argumenta pro parte negante, quibus non obſtantibus ſit concluſio. Anima rationalis mediis ſuis paſſionibus ad appetitum ſenſitiuum attinentibus, poteſt corpora tranſmutare, & morbum producere in intemperie calida, imò & alios morbos, & ſalutem, quandoque mortem. Quæ concluſio communiter eſt

B iam noſtris temporibus recepta, pro cuius altiori intelligentia ſuppono ex Galen. *lib. artis medic. cap.* 99. quod animi paſſiones connumerantur inter res non naturales; quæ quidem tales dicuntur, eo quod ſequuntur naturam animalis, & quod illud alterare queunt, certa tamen limitatione; ſi enim non exſuperant, neque excedunt mediocritatem, illud conſeruant, & ad ſalutem tuendam conferunt, ſicuti & aliæ res non naturales: ſi verò ſuperfluunt, & proportionem debitam excedunt, animal conturbant, & naturam alterando, illam corrumpunt materialiter loquendo, vt philoſophicè agamus; nam formaliter ſunt actiones vitales, & de perfectione ipſius viuentis, ſicque non per ſe, ſed per alias cauſas morbos inducere valent, vt ex eodem Gal. conſtat loco proximè citato; corpus tamen alterant ex duplici cauſa.

*Animi paſſiones inter res non naturales reponuntur.*

*Ex duplici cauſa animi paſſiones alterant corpora.*

C Primò ex parte obiecti, quando obiectum excellens eſt, & intensè operatur, & excitat potentiam ad illius proſequutionem, & fugam.

Secundò, ex parte diſpoſitionis corporalis, cuius ratione vnus homo promptior eſt ad iram, quàm alius, & ex minori cauſa ad iram ſtimulatur, vt experimur in hominibus bilioſis; & alter eſt paratior ad lætitiam, vt patet in quibus dominatur ſanguis; & melancholici citiùs & faciliùs incidunt in timorem, & triſtitiam, quàm alij, ob eandem rationem.

*Argumenta proponuntur ad probandum noſtram concluſionem.*

Hoc igitur prænotato accedant iam argumenta noſtram concluſionem confirmantia. Primum deſumitur ex Hippoc. 6. *aphoriſ. text.* 22. vbi docet, timorem, & triſtitiam eſſe melancholici affectus ſigna, quæ ſi perſeueranter ſe habeant, melancholiam morbum gignunt, vt inſinuat Galenus *in comment.* ergo animi paſſiones valent morbos producere.

D Secundò probatur ex eodem Hippoc. 2. *epidem. ſect.* 4. *textu vltimo*, vbi docet, quandoque curationem conuenire excitando animi paſſiones, quæ corpus alterant illud calefaciendo, vel infrigidando. Verba eius ſunt hæc: *Curandum iram inferre reuocandi caloris cauſa, & effuſionis ſuccorum, & lætitiam, & timorem, & huiuſmodi, &c.* Vbi etiam Valleſ. *in comment.* docet, ad curationem conuenienſ eſſe paſſiones animi excitare, quatenus corpus alterant, & qualitatem producunt, per quam morbus aufertur, ſuccos, hoc eſt humores agitando, & ſpiritus, ita vt in morbis frigidis ſit vtile iram excitare, vt ſuo calore morbum frigidum detrahens ſanitatem reſtituat.

Tertiò *ex cap.* 17. *Prouerbiorum*, vbi dicitur: *Spiritus triſtis exſiccat oſſa, mens hilaris ætatem floridam facit.* Ex quibus elucet, triſtitiam conferre ad

ſiccum inducendum morbum; hilaritatem verò iuuare ad ſanitatem, & denuò iuuentutem, ſi poſſibile fuiſſet, comparandam.

Quartò ex effectibus iræ, quos adducit Diuus Gregorius 3. *Moralium*, *cap.* 31. dicens: *Ira ſuæ ſtimulis accenſum cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, fauces igneſcunt, exaſperantur oculi, &c.* Qui effectus varias mutationes corporis ex ira cauſatas oſtendunt. Ex ira etiam aliqui reſolutionem virium ſunt paſſi, vt ait Galen. 12. *methodi*, *cap.* 5.

Quintò ex febris definitione, vbi dicitur, calorem iræ cùm vltimatur, id eſt, cùm habuerit eſſe in facto in vna ex tribus ſubſtantiis, ex quibus noſtrum componitur corpus, habere rationem febris. Et Galenus 2. *de differ. febrium*, *cap.* 3. ait: *Ira feruore ſanguinis, triſtitia ſpirituum & humorum motu in corde producit febrem, & calorem ſuccendit.* Et 1. *de ſanitate tuenda*, *cap.* 8. inquit: *Iracundia, fletus, triſtitia, cura immedica febrem accendunt, grauiſſimis valetudinibus initia præbent.* Et 4. *de cauſis pulſuum*, *cap.* 2. aſſerit, iræ pulſum eſſe magnum; pulſus autem magnus caloris incrementum demonſtrat, ita vt dicat Ariſt. 2. *de partibus animalium*, *Ira calorifica eſt.*

Quod verò frigiditatem animi paſſiones producant, probatur ſextò ex Galeno 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5. vbi ait, quod ex timore, & triſtitia *homines interire ſolent*, *quorum*, inquit, *generatio in refrigerando conſiſtit; ſuffocatur enim calor, eo quod totus ſanguis vna commeat, & ad principium defertur.* Et 4. *de cauſis pulſuum*, *cap.* 4. Pulſus triſtitiæ, & timoris vocat paruos, & languidos, qui indicant vſum eſſe per frigiditatem diminutum. Ariſt. etiam 2. *Rhetoric. ad Theodect. cap.* 13. inquit: *Timor frigiditas quædam eſt.* Et quia ætas ſenilis frigida exiſtit, ſenes timidos vocat.

Idem ſeptimò probatur de gaudio ex Galeno 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5. vbi aſſerit aliquos puſillanimes gaudio interiiſſe, diſſoluto calore naturali: quod comprobat Auicen. *fen.* 2. *lib.* 1. *doct.* 2. *ſumma* 1. *cap.* 14. vbi ait, quod per ſubitum motum ad exteriora, qualis apparet in gaudio, interiùs refrigeratur corpus, & ſubitò aduenit ſyncopis, & mors. Neque oportet referre plurium hiſtorias, qui ex nimio gaudio mortui ſunt. Circa hoc lege Plinium *lib.* 7. *nat. hiſt. cap.* 53. Aloyſium Luiſium *de compeſcendis animæ affectibus.*

Ex dolore etiam plures interiiſſe multæ narrant hiſtoriæ: ita Paulus Iouius *lib.* 32. qui refert quendam ex dolore ſubito interiiſſe. Galen. 5. *method. cap.* 1. aſſerit, nonnullos mori ex vehementi dolore: & vt alibi diximus, & refert Anſelmus de excellentia Virginis cap. 5. *Mors Chriſti Domini noſtri tanto dolore Virginem affecit, vt niſi ſpeciali Dei gratiâ, & fauore confortaretur, viribus prorſus deficeret.*

Ex amore etiam morbos produci nullus dubitat, imò & inſaniunt plures. Galen. *lib. de prænotionibus*, fœminam amore Piladis correptam, & malè ſe habentem agnouit; cùm enim Piladis mentionem feciſſent, fœminæ pulſum diuerſimodè agitatum percepit. Eraſiſtratus etiam eadem ratione cognouit morbum Regis Antiochi amore productum, quia præſente fœmina quam diligebat, Regis pulſus variè fuit immutatus; qui enim intrepidè amant, in morbos incidunt ob mœrorem, ſolicitudinem, & alias vehementes animi paſſiones; non enim mente quieſcunt, ſed huc, & illuc vagantes varia cogitant. Vidi puellam maximo æſtu nubendi oppreſſam, & inſaniâ correptam, quæ dum de quærendo marito loquebatur, mitiùs ſe

A habebat, & per matrimonium illius mens ex toto acquieuit.

Quod verò animi paſſiones ſalutem procreent, conſtat ex textu Hippocr. ſuprà adducto; quidquid enim confert ad morbum remouendum, confert etiam ad ſalutem recuperandam. Cùm igitur in morbis frigidis liceat iram excitare, vt corpus caleſiat, ira tunc ad ſalutem conducit morbum auferendo, & frigiditatem corrumpendo, quâ ablatâ homo euadit ſanus; & idem ſtatuendum eſt de aliis animi paſſionibus.

Quod ſi contra hanc doctrinam obiicias, argumenta hæc ſolùm probare de aliquibus paſſionibus, quod corpora immutent verſus calorem, non verò id probari de omnibus, ſiquidem timor, & triſtitia potiùs affectus frigidos gignunt, ſicque conferunt ad morbi melancholici productionem: ergo malè aſſerimus, dum abſolutè hanc propoſi-
B tionem formamus, nempe; *Omnes animi paſſiones ſunt productiuæ caloris.*

Reſpondetur facilè, quod animi paſſiones dum modum excedunt, ſunt caloris effectiuæ, quatenus illis præſentibus mouentur, & agitantur humores, & ſpiritus; nam ex eorum motu caleſiunt, inducta priùs in illis raritate, quæ ſe habet vt diſpoſitio calorem exigens. Hic accommodari poteſt doctrina à nobis propoſita de productione caloris ex motu. Cùm igitur ex vi motus calor inſurgat, meritò animi paſſiones ſub motu comprehendimus, eaſque Galen. morbi calidi cauſas vocat: quare licèt triſtitia, & timor pulſus debiles, & paruos faciant, qui diminuti vſus ſunt ſigna; dicimus tamen fieri grauatâ naturâ à multitudine ſpirituum, & ſanguinis ad cor confluentis: veruntamen ex illo motu humores illi & ſpiritus fulginibus admixti ob eorum tenuitatem, & raritatem facilè ſuccenduntur, & morbum calidum, vel fe-
C brem producunt. Quia ergo totum hoc occaſionem habet ex motu, dicimus animi paſſiones motui ſubiici, & medio motu calefacere. Ante tamen quàm argumentis in contrarium poſitis ſatisfaciamus, quærendum eſt primò.

### §. I.

### *Vtrum animi paſſiones poſſint interitum ſubitò cauſare.*

Ratio dubitandi eſt, nam animi paſſiones ſunt in conſeruationem viuentis, vt per illas vtilia proſequatur, & noxia à ſe repellat; hoc autem potiùs ad vitæ tutelam attinet: ergo neutiquam poſſunt eſſe animi paſſiones interitus cauſæ. Fugere enim noxium, & vtile proſequi, ipſius viuentis eſt perfectio, non verò deſtructio.

D Secundò: Animi paſſiones oriuntur ab intrinſeco: ergo nequeunt interficere. Antecedens eſt notum: conſequentia etiam patet; nam quæ ab intrinſeco originem capiunt, ſunt naturalia, & iuxta viuentis inclinationem, & ſic non poſſunt dici violenta: cùm ergo mors aduenire ſubitò non poſſit, niſi cauſæ violentæ interuentu, non poteſt dici, quod animi paſſiones ſubitò interficere valeant.

Pro huius quæſtionis enodatione ſupponendum eſt primò, quod non quælibet animi paſſio in quocunque gradu poteſt mortem inducere, ſed requiritur, quod ſubitò, & maximè animam, hoc eſt ſpiritus, & ſanguinem conturbet, & exagitet: ita Galenus 12. *method. cap.* 10. & 2. *de cauſis ſympt. cap.* 2. & 5. *de locis affectis*, *cap.* 1. per ſubitum enim motum ad intra, vel ſuffocatur

calor,

calor, & cordis motus impeditur, & animal ſubitò perit; vel ſi ad extra ſubitò moueantur ſpiritus, ita vt cor deſerant, defectu caloris ſpirituum, quibus ad actiones indiget, non mirum ſi ſubitò, & inopinatè mors hominem arripiat, & è medio tollat.

*Vt mors inopinata contingat, robur vitale debet eſſe debile.*

Suppono ſecundò, quod vt mors inopinata contingat, robur virtutis vitalis debet eſſe infirmum; ſi enim robuſtum, & validum eſt, valebit quidem paſſionis effectus ſuperare, vt liquet ex eodem Galeno citato. Itaque duæ cauſæ reperiuntur in animi paſſionibus, à quibus mors inſurgere poteſt, virtutis vitalis languor, & repentina, & ſubita mutatio cauſata ex vehementi paſſione, per quam humores, & ſpiritus ſubitò ad extra, vel ad intra mouentur, vt dictum eſt.

*Qua ratione homines quidam ſunt timidi, & debiles, alij verò validi, & fortes.*

Optabis tamen ſcire, à quo prouenit, quod quidam homines imbecillem habeant facultatem vitalem, ita vt facilè pereant; alij verò eam fortem, & robuſtam, ita vt animi affectus ſuperent.

Reſpondetur cum Galeno 3. *de placitis Hippoc. & Plat.* & 3. *de locis affectis*, *cap.* 4. homines eſſe timidos, & puſillanimes, quia ſunt ſine corde, hoc eſt, habent cor frigidum, & cum calore paruo, habentque paruam quantitatem ſpirituum vitalium, & ſanguinis. Audaces verò dicuntur habere magnum cor, ideſt magnam copiam ſanguinis, & ſpirituum. Hoc voluit ſignificare Auic. *fen.* 11. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. dum aſſerit: *Verùm illa quæ ſunt plurimùm audacia, ſunt ea quæ ſunt magni cordis*; nam præter magnitudinem cordis requiritur magna ſpirituum & ſanguinis copia, non enim ſufficit cor habere magnum ad audaciam; nam animalia timida quædam cor magnum habere videntur, vt dicitur de ceruo, & lepore, quæ habent cor magnum ſecundùm menſuralem ſibi proportionem: quod etiam docet Galen. *lib. de annot. vinorum*, & iuxta hanc conſiderationem Auic. 3. *de partibus anim. cap.* 4. inquit, quod animalia timida habent cor magnum; & rationem reddit, nam talia animalia ſunt timida, quia non habent calorem proportionatum cordi, & ſic parum caloris in magno conceptaculo facilè exſoleſcit, neque eſt tantæ actiuitatis, ſicuti ſi calor ille eſſet vnitus, & in minori conceptaculo. Verumtamen quæ habent paruum cor, audacia eſſe ſolent, quoniam caliditas in illis eſt plurima, & vnita in conceptaculis cordis, vt rectè etiam tradit Auic. Quare abſolutè dicendum eſt, ea animalia habere robur vitale validum, vt ſuperare valeant animi paſſiones, ita vt ex vi illarum non pereant, quæ habent in corde magnam ſpirituum, & ſanguinis copiam; ea verò dici infirma ſecundùm vires vitales, quæ in iis quodammodo deficiunt, ſiue cor magnum, ſiue paruum habeant; quâ de cauſa homines habentes pectus latum, quod eſt indicium caloris intenſi cordis, & habentes caloris abundantiam, audaciſſimi ſunt, & animi paſſionibus vehementer reſiſtunt; qui verò contraria conſtitutione gaudent, frigidiores ſunt, neque habent ita validam virtutem vitalem, neque animi paſſionibus facilè obſiſtunt; imò ex vehementi paſſione vincuntur, & ſubitò perire ſolent, vt dicitur à Gal. 5. *de placitis*, *cap.* 5. Hanc ob cauſam Ariſt. *loco vt ſuprà*, animalia exſanguia, & frigidiora, timida vocat, & inter ſigna cordis frigidi Galen. *lib. artis medic. cap.* 30. poſuit ſegnitiem, & timiditatem, ſeneſque timidi ſunt, quia frigidiores.

*Quare qui loca incolunt frigida ſunt fortes, qui verò calida econtrà.*

Neque facit contra hoc, quod Ariſt. aſſerit 14. *ſect. probl. quæſt.* 8. dum inquirit, cur timidi ſunt qui loca feruida incolunt, fortes qui gelida; quaſi diceret, quod homines habitantes in regione frigida ſunt fortes, qui verò regionem incolunt calidam, ſunt debiles; cuius contrarium accidere deberet, ſi calor eſſet cauſa audaciæ, & frigiditas timoris.

*Dubij ſolutio ex Ariſtot.*

Hoc dubium ſoluit ipſe dicens, qui habitant in regione calida refrigerantur, quia eorum calor naturalis reſoluitur, ac diſſipatur à calore regionis; ſicque conſumpto humido, quod eſt caloris ſubiectum, & à proprio calore deſtituti, euadunt homines frigidi; qui verò regionem frigidam occupant, calidi perſiſtunt, ob antiperiſtaſin; colligitur enim eorum calor, & intrà reconditus, & vnitus fortior redditur. His præhabitis facilis eſt noſtræ concluſionis probatio ex his quæ anteacta quæſtione adduximus ex Authorum placitis; diximus enim ex Plinij mente *lib.* 7. *naturalis hiſt. c.* 53. ex nimio gaudio quoſdam ſubitò interiiſſe. Gal. 2. *de cauſis ſymptom. cap.* 5. aliquos puſillanimes ex gaudio interiiſſe refert, diſſoluto calore naturali; quod probauimus ex Auicen. ſententia, qui loco ibi citato, in nimio gaudio interiùs, & exteriùs corpus refrigerari ait, ſyncopenque & mortem ſubitam aduenire. Idem comprobauimus ex timore, & triſtitia, ita vt ex vehementi dolore, & timore graui nonnullos mori aſſerat Galen. 5. *method. cap.* 1. & vt refert Anſelmus *de excellentia Virginis cap.* 5. ipſa mors Chriſti Domini tanto dolore Virginem affecit, vt niſi ſpeciali Dei gratiâ, & fauore confortaretur, viribus prorſus deficeret. Pater Suarez *tom.* 3. *in* 3. *partem Diui Thomæ*, *q.* 37. *art.* 16. *diſput.* 21. *ſect.* 1. quærens cauſam, ſeu occaſionem mortis Virginis Deiparæ Mariæ, ait: *Quamuis Beata Virgo Maria non fuerit mortua vi alicuius morbi corporalis, vi tamen amoris, & ardentiſſimi deſiderij, & intenſiſſimæ contemplationis obiiſſet.* Plures poſſem referre hiſtorias ex ſacris literis, quæ noſtram doctrinam corroborant; tamen quia à nemine dubitatur; eas conſultò omitto.

Sed ne authoritatibus ratio non ſuffragetur, neque ratio deficere poteſt. Ex multis harum prima eſt: Mors aduenit ſubitò ratione morbi ſubitò maximam noxam inferentis: ſed paſſiones animæ poſſunt producere morbum ſubitò maximam noxam inferentem: ergo & mortem ſubitam. Maior certa eſt, vt patet in ſyncope, quæ eſt præceps virium lapſus; & ob noxam, quam infert in principio vitali, imò & in reliquis vitæ principiis, mortem inopinatam producit. Minor etiam conſtat ex dictis ſuperiori quæſtione; nam in animi paſſionibus ita vehementer agitari ſolent ſpiritus, & taliter incaleſcunt, vt reſoluantur, & defectu caloris pereat homo; & in nimio gaudio ita ſeparantur à corde, vt refrigeretur cor, & defectu caloris homo ſtatim deficiat. In ſubito etiam timore ad intra ſpiritus fugiunt, & calorem ſuffocando ad interitum hominem ducunt. Ex vehementi etiam dolore ita ſpiritus diſſipantur, vt non maneant ſufficientes pro vita conſeruanda.

*De cauſa mortis in timore, & triſtitia, & de cordis ſuffocatione.*

Sed dubitabis, & meritò, quænam ſit cauſa mortis in timore, & triſtitia; nam ſpiritus vitales per recurſum ad cor, potiùs illud roborare deberent, imò ad hunc finem eos natura diſpoſuit, vt obiecto timoris præſente ſpiritus iuxta cor colligerentur, vt ſic ipſum cor fouerent, & liberarent ab obiecto timoroſo. Vt ergo mors ſuperueniat, debemus aſſignare qualitatem aliquam incompoſſibilem cum forma cordis, quæ ad aliam formam diſponat.

Dices, ibi adeſſe denſitatem quandam impropriam ſaltem, ex iuxtapoſitione partium ſpirituum ortam, quæ dicit incompoſſibilitatem cum forma viuentis, ab eaque extingui calorem naturalem.

Contrà

Contrà eſt, nam vt accidat mors, debet diſtemperari cor. Ita Galen. 5. *de locis affectis, cap.* 1. & ipſa dictat ratio : talis autem denſitas non valet inducere diſtemperiem aliquam, ſiquidem denſitas eſt qualitas ſecunda, quæ nequit producere primam, per quam diſtemperetur cor; neque in corde poteſt producere denſitatem incompoſſibilem cordi, quia qualitates ſecundæ non producunt ſibi ſimiles : quare neque denſitas producit denſitatem, raritas raritatem, mollities mollitiem, & ſic de ſingulis.

Reſpondetur ergo, & meliùs, denſitatem ortam ex iuxtapoſitione partium ſpirituum, ſanguinis, & fuliginum, quæ ad cor in timore magno confluunt, mortem inducere, quatenus motum cordis impediunt ita neceſſarium ad vitam, vt ceſſante illo, ſtatim vita deficiat : hanc ob cauſam Galen. 2. *de præſag. ex pulſibus, cap.* 4. dubitat, an ſuperſtes eſſe quiſquam poſſet, ſi arteria tempus duarum pulſationum quieſcat, timoreque plenum eſt habere in pulſu intermiſſionem quandam. Eſt enim cordis motus neceſſarius valde, vt dixi; & ſicuti vita à reſpiratione ſeparari nequit, ita neque à motu cordis.

Sed iterum inquires, à quo ergo refrigeratur cor in timore, & triſtitia? Non enim ab ſpiritibus, quia in probabiliori opinione ſunt corde calidiores; neque à ſanguine arteriali, qui cùm ſpiritibus ſit admiſtus, habet calorem intenſum nimis; neque à fuliginibus, quæ adhuc in ſtatu naturali iuxta noſtram opinionem habent calorem adurentem.

*Albatis Couarruuienſis ſententia, & illius impugnatio.*

Doctiſſimus Abbas Couarruuienſis *lib.* 2. *de morbo, & ſympt. cap.* 3. *quæſt.* 1. reducit hanc cauſam ad condenſationem, quæ contrariatur raritati naturali, quâ conſeruatur calor, qui defectu raritatis deficit, ſicque cor refrigeratur.

Verùm tanti huius Authoris placitum non probo; nam licèt denſitas opponatur raritati, non tamen denſitas eſt ſui ipſius productiua, neque raritatem deſtruit, qualitatem ei oppoſitam producendo. Si ergo nihil tollit de eis quæ cordi conueniunt, neque eius actiones impedire valebit. Quia ergo exiſtimamus cordis motum impedire, meritò dicimus, motum cordis auferendo vitã priuare; nam defectu motus fuligines cor ſuffocant, vel ſuo calore conſumunt ſpiritus vitales, & impediunt aëris attractionem ad eorum regenerationem; aut conſumunt pabulum, quod deſeruit ad cordis nutritionem : & ſicuti defectu motus ad extra ignis extinguitur, & ſuffocatur; ita cordis calor extinguitur ex defectu ventilationis, & motionis, dilatationis, & compreſſionis; impedit enim denſitas finem à natura intentum, quatenus motum deſtruit cordis ordinatum ad attemperationem caloris, & generationem ſpirituum animalium in cerebro; ſicque reſolutis ſpiritibus à calore fuliginum, & euaporatis partibus calidioribus cordis, non mirum, quod cor refrigeratum maneat à partibus frigidis, & ab aliis partibus exſanguibus propè cor ſitis, & etiam ab excrementis aqueis, ita vt verificetur Galeni dictum, videlicet quod in timore, & triſtitia cordis adeſt refrigeratio.

Secundò probatur hæc concluſio eiſdem rationibus, & fundamentis, quibus probauimus aliquos morbos ex accidenti ſaltem originem ducere à principio intrinſeco : neque ad hoc requiritur alia maior comprobatio.

Denique animi paſſiones valent inducere ſyncopen : ergo & mortem. Antecedens patet in nimio gaudio, vbi quis ſolet incidere in ſycopen, eo A quod ſpiritus deſerunt cor, & ad extima veluti in proſequutionem rei gaudium inferentis, impetu violento mouentur. Quod autem ad ſyncopen ſequatur mors, ita facile eſt, vt non egeat probatione; eſt enim ſyncopis morbus exactè peracutus, qui facillimè ad interitum ducit. Quare ad rationem in principio tactam reſpondetur, paſſiones animi per ſe eſſe ordinatas ad viuentis conſeruationem, ex accidenti tamen lædere poſſe; ſic enim dicimus calorem naturalem adiuuare naturam, eſſeque illius inſtrumentum; attamen ex accidenti eam deſtruit, vt alibi probauimus, neque in hoc eſt amplius immorandum.

## §. II.

### *Vtrum ira aliquem interimere poſſit.*

B HAnc diſputationem mouet Valleſ. 5. *controuerſ. cap.* 8. eam tamen breuiter diſſoluam, quæ fundamenta habet in verbis Galeni. In primis igitur non videtur, quod ita poſſit quemquam interficere; & probatur primò ex Galeno 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5. vbi ait: *Ab ira nemo interiit, vipote neque robore ſoluto.* Si ergo ex ira virtutis robur non ſoluitur, non poteſt interitum cauſare.

Secundò ex eodem 4. *lib. de cauſis pulſuum, cap.* 1. vbi pulſum iræ vehementem appellat; quæ pulſus differentia, non comparatur robore diſſoluto : ergo ſi robur virium ſeruatur in ira, vita haudquaquam deficere poterit.

Tertiò ex eodem 6. *epidim. ſect.* 5. vbi explicans Hippocratem, dum inquit, *excandeſcentia retrahit cor, & pulmonem in ſeipſa, &c.* Galenus ait caloris vitalis debilitati remedium eſſe iram : igitur ſi in robore caloris ſtat robur vitalis facultatis, & per C iram roboratur calor, potiùs ira conducit ad vitam, quàm ad necem. Denique id probatur ex ipſa natura iræ; ea enim eſt feruor ſanguinis circa cor : ergo nequit debilitare. Conſequentia patet, nam in illo feruore, neque ſanguis deſerit cor, neque ad intra mouetur, vt timeamus ſuffocationem, ſed ſolùm prope cor efferueſcit. In oppoſitum etiam ſtat Galenus 10. *methodi, cap.* 5. vbi hæc tradit : *Triſtitiæ verò, anxietates, & iræ eo modo lædunt, quo multæ vigiliæ, quæ vires reſoluunt.* Et paulò poſt ait : *In omnibus eiuſmodi ſymptomatis manifeſtè videntur ægrotantes tum animo linqui, tum viribus ſolutis eſſe.* Ergo iuxta Galeni mentem vires ira reſoluit, & in animi deliquium incidere facit, ex quibus ſubſequi ſolet mors; nam adeò increſcere poſſunt, vt mortem afferant inopinatam. Idem comprobare poſſumus ex Diuo Thoma 1. 2. *quæſt.* 48. *art.* 4. D *ad* 3. vbi ait, quod ex ira vehementi cauſatur immobilitas exteriorum membrorum, & quandoque etiam mors. Et ratione probatur, nam ira cauſat maximam efferueſcentiam ſpirituum, & ſanguinis iuxta cor : ergo poterit intenſiſſimum calorem cauſare, qui ſit mortis cauſa. Antecedens notum eſt, conſequentia probatur; nam ex feruore maximo ſpiritus rarefiunt, & attenuantur, & intenſiſſimum calorem comparant, qui vires poteſt reſoluere, imò & ſpiritus ipſos conſumere, quibus conſumptis homo vita orbatur. Cùm hæc Galeni loca repugnantiam inuoluant, ea conciliare curans Valleſ. aſſerit, quod ſi ira ſola ſuo motu conſiſteret, potiùs virtutem excitaret, quàm extingueret; tamen etiamſi ſola conſiſteret, ſuo etiam calore, & ſiccitate nocere poſſet, vigiliarum more; calefacit enim vehementer, ita vt Hippocrat. 6. *epidim. ſect.* 5. *citata*, iram interdicat calidis natu-

ris,

ris, & affectibus calidis. Verumtamen quia ipſa ſola rariſſimè conſiſtit, ſed permiſcetur cum aliquo metu, quia irati timere ſolent illos, à quibus contemptum acceperunt, contrariis motibus ſanguine, & ſpiritu agitatis, lædere poteſt, & animi deliquium facere; tamen quia ex vitalium motu non diſcedunt à corde ſanguis, & ſpiritus, & intra non eſt impetus ad extra, neque ad intra, ideò inſurgit circa cor feruor, & ebullitio, & ſecundùm hoc non apparet, quod ſubitò interficere valeat.

Inquires tamen, quare in ira ſunt motus contrarij ſe impedientes, in aliis verò paſſionibus vel eſt motus ad intra, vt in timore, & triſtitia; vel ad extra, vt in gaudio, & deſiderio.

Reſpondetur, quod quia in ira eſt triſtitia de paruipenſione, & contemptu illato à contemnente, ideò in ira datur retractio ſanguinis, & ſpirituum ad interiora; fugit enim iratus contemptum illatum: ſed quia ex alia parte vindictam quærit de paruipenſione, & hanc conſequi non poteſt, niſi mouendo ſe verſus illum, à quo contemptum, & paruipenſionem accepit, ideò ſpiritus, & ſanguis mouentur ad extra in proſequtionem vindictæ: ex quibus reſultat, quod iſti motus inter ſe impediantur, & ſic fit tantùm ebullitio, & efferueſcentia circa cor; in aliis verò paſſionibus, quæ non ſunt ex pluribus compoſitæ, ſolùm datur vnicus motus iuxta exigentiam paſſionis ſimplicis, quæ motum concitare valet.

Sed obiicies ex Auicen. *fen.* 2. *lib.* 1. *doctrina* 2. *ſumma* 2. *cap.* 14. vbi hæc profert verba: *Et motus quidem ad exteriora aut fit ſubitò, ſicut fit cum eſt ira, &c.* Ergo in ira datur motus ad extra, ac per conſequens non datur circa cor ebullitio.

Reſpondetur, quod per motum ſubitum ad exteriora, Auicen. intellexit motum ſanguis ad caput, & faciem, non deſerendo cor in quantitate ſufficienti ad illius corroborationem; experimur enim in ira faciem, & oculos ruborem comparare, ad differentiam pudeſcentiæ, in qua aures rubeſcunt: quod docet Ariſtot. *ſect.* 32. *problem. quæſt.* 8. vbi quærit, quare pudeſcentibus aures rubent, & oculi iratis? Et reſpondet, quia in ira ſanguis mouetur ad faciem, & oculos; in pudeſcentia ad aures. Et hæc eſt ratio ob quam irati maximè habent rationis vſum impeditum, ſcilicet ex nimio ſanguinis feruore, & corporis conturbatione conturbantur ſenſus, delatis vaporibus ſanguineis; & oculi conturbantur ſecundùm illud pſalmi, *conturbatus eſt in ira oculus meus, &c.* Hæc doctrina eſt conformis doctrinæ D. Thom. 1. 2. *quæſtione* 48. *art.* 3.

Ex dictis colligo, quod ira ex ſe, & ratione motus localis, qui iræ ſuperuenit, non poteſt quemquam interficere violenter, eo quod ibi manent ſpiritus, qui cùm moueantur iuxta cor, ipſum corroborant, & firmant; tamen negari non poteſt, quod ratione caloris adquiſiti interficere valeat: quod patet, nam cor ad ſui conſeruationem poſtulat caloris gradum, cum quo conſeruari debet forma illius: ſed ex ira poteſt produci tantus calor, ſub quo non poſſit conſeruari forma ſubſtantialis, & ſub minori poſſit; quod quidem non eſt intellectu difficile: ergo ratione caloris ex ira poteſt mors ſubitò aduenire. Hac doctrina intellecta inueniemus nullam adfuiſſe repugnantiam in verbis Galeni circa iram, & illius effectus; intellectumque manet, quod animi paſſiones ſunt productiuæ caloris, & valent producere morbum, conferuntque ad ſalutem, imò inopinatam mortem producunt propter ſubitum motum ſpirituum & ſanguinis. Sed nunc in examen venit.

A

## §. III.

### *A quo efficienter in animi paſſionibus moueantur ſanguis, & ſpiritus.*

HÆc quæſtio eſt nimis neceſſaria, vt intelligamus qua ratione in paſſionibus animi ſpiritus, & ſanguis mouentur; quotidie enim obſeruamus, non ſolùm in animi paſſionibus, ſed etiam in rigore febrili, in ſomno, & vigilia, ſpiritus, & ſanguinem moueri à circunferentia ad centrum, vel econuerſo. Pari ratione, ſtatim ab aſſumpto cibo corpus ſecundùm extrema refrigeratur, nobis oſtendens calorem influentem intra recondi: ſic etiam ventres hyeme, & vere natura ſunt calidiſſimi ratione antiperiſtaſis, quam adinuenit Ariſtoteles; collectis namque ad intra
B ſpiritibus ratione frigidi ambientis, ventres calidiores euadunt, citiuſque & melius alimentum conficiunt.

Sed vt ſeparemus certa ab incertis, ſuppono ex phyſicis, quod omne quod mouetur, id habet à ſe, vel ab alio. Si mouetur à ſe, vel mouetur à forma mediâ aliquâ virtute, vel qualitate à forma deriuatâ, quæ ſe habet per modum potentiæ actiuæ, quatenus eſt principium tranſmutandi aliud; vel à voluntate imperante, vt videre eſt in motu hominis progreſſiuo; viuentia enim à propria forma, & à principio intrinſeco mouentur ad diuerſas loci poſitiones. An verò grauia, & leuia moueantur à ſe, vel à generante, non eſt huius loci; ſufficit tamen dicere, quod mouentur à ſe per virtutem inſtrumentalem in illis à generante derelictam. Si verò mouetur ab alio, mouetur per virtutem illi communicatam à principali agente, vt inſtrumentis
C ſeparatis contingit, & in iis, quæ per impulſum ab alio communicatum mouentur. Cùm ergo ſpiritus, & ſanguis moueantur, vno ex iis modis moueri debent.

Suppono ſecundò, ſanguinem & ſpiritus non moueri à ſe, neque ab intrinſeco; quod inde videtur conſtare, nam ſpiritus, & ſanguis ſunt entia quædam naturalia non viuentia (loquor iuxta communem Medicorum conſenſum:) ergo non poſſunt ſe mouere iuxta diuerſas loci poſitiones. Conſequentia patet, nam viuentia ſolùm poſſunt ſe mouere localiter in hanc vel illam partem; quia ergo ſpiritus, & ſanguis in animi paſſionibus, in rigore, in ſomno, & vigilia diuerſimodè ad extra, & intra, ſurſum, & deorſum mouentur, & non viuunt, neceſſariò fatendum eſt, ab aliquo extrinſeco moueri. Id etiam conſtat, ſiquidem natura in ſuis motibus localibus eſt determinata ad
D vnum: ergo ſpirituum etiam natura debet eſſe determinata; ergo motus, quo diuerſimodè mouentur, non fit ab eorum natura, ſed ab aliquo extrinſeco; quodlibet enim ens naturale habet locum determinatum ad quem mouetur ſecundùm exceſſum qualitatis prædominantis, & determinantis motum ad talem locum ordinatum; atque adeò non poteſt moueri à ſe iuxta diuerſas loci poſitiones. Demùm ſpiritus ſunt inſtrumenta facultatum: quod quidem oſtendit Galen. 4. *de locis affectis, cap.* 2. & 6. *de morbis popularibus, ſect.* 5. *comment.* 5. in quo plures Medici conueniunt: ſed inſtrumenta cuiuſcumque facultatis ſint, mouentur ad operandum ab ipſa facultate, & ſi ſint inſtrumenta animæ, ab ipſa anima: ergo cùm ſpiritus ſint inſtrumenta ſuarum facultatum, debent moueri ab extrinſeco, & non à ſe. Propter huiuſmodi rationes alij alium dicendi modum excogitarunt,

*A quo moueantur ſpiritus, & ſanguis in animi paſſionibus.*

cogitarunt, dicuntque ſanguinem, & ſpiritus moueri ab anima, nam res ab eodem principio habet operari, à quo habet eſſe. Quia ergo ſpiritus vitales habent eſſe ab anima prout exiſtente in corde, ab eadem etiam accipiunt virtutem operandi: quæ ſententia fundari poteſt in verbis Gal. *lib. de tremore, rigore, & palpit.* vbi ſanguinem & ſpiritus appellat ſubſtantiam per ſe mobilem, quia ſcilicet ab anima recipiunt virtutem motiuam; & idem ſtatuit 12. *methodi, cap. 5.* agens de ſyncope ex animi paſſionibus. Dubitabis tamen, quænam virtus motiua ſit hæc. Reſpondetur, eſſe virtutem quandam agendi, per quam ſpiritus, & ſanguis mouentur ad operandum; quæ virtus non continetur ſub aliqua facultate viuentis, ſiquidem (vt diximus) ſpiritus, & ſanguis non viuunt, ſed eſt quædam virtus recepta in illis, tanquam in inſtrumentis; ea tamen ab anima prodiens, per quam ſpiritus, & ſanguis iuxta exigentiam animæ, & paſſionum eius agitantur, & mouentur.

Sed obiicies: Spiritus, & ſanguis producuntur per actionem vitalem, vt fert communior opinio; ergo hæc facultas debet produci per talem actionem: ergo erit vitalis.

Reſpondetur, non quidquid producitur per actionem vitalem, eſſe vitæ particeps, vt diximus de ſpiritibus, & ſanguine, qui non viuunt, producuntur tamen per actionem vitalem; & in motu locali, vbi adquiſitum per motum non dicitur vitale, licèt motus in illud terminatus ſit actio quædam vitalis. Hæc ſententia probari poteſt à ſimili; nam ſemen per virtutem, quam accepit ab animali, à quo deciſum fuit, eſt inſtrumentum ad generationem, & formationem fœtus: ergo pari ratione ſpiritus, & ſanguis ſunt inſtrumenta animæ ad motum localem in effectibus ipſius: ſed ſpiritus, & ſanguis non habent talem virtutem à ſe, vt ſuprà probauimus: ergo eam accipiunt ab anima, quatenus ſunt illius inſtrumenta. Quod ſi dicas virtutem ſeminis pullulare à forma propria ipſius, ita vt ſeparata ab anima adhuc operari poſſit, vt patet in ſemine deciſo ab homine in vterum mulieris; quod nequit attribui ſpiritibus, qui vt moueantur, & operentur, egent præſentia animæ, quatenus ſunt vinculum quoddam ipſius animæ cum corpore ad ſuppoſiti actiones exercendas, quæ fieri non poſſunt in animæ abſentia.

Reſpondetur, verum eſſe hanc virtutem dependere ab anima quoad ſui conſeruationem, quatenus anima indiget illa ad productionem plurium actuum vitalium, quæ non poſſunt exerceri ſine ipſius animæ concurſu; tamen quia ſemen dum producit fœtum, & format, illum non producit per actionem vitalem, quia ipſum neque viuit, vt magis probabile eſt; ideò non petit tantam connexionem cum ipſa anima illius, à quo fuit deciſum.

Sed iſte dicendi modus multa continet difficillima, quæ videntur veritati diſſona; contra quem ſic inſurgo. Nam motus iſte ad diuerſas loci poſitiones fit à forma ſubſtantiali ſpiritus per qualitatem aliis inſitam ab anima: ergo eſſet vitalis. Conſequentiam probo; nam ille motus eſt ab intrinſeco, ſiquidem eſt à forma ſpirituum, & ad diuerſas loci poſitiones, per quod differt à motu rerum inanimatarum, quæ ad locum determinatum mouentur, ex quo ſequitur, quod ſpiritus viuant.

Secundò, nam ſpiritus, vt ſint animæ inſtrumentum, ſiue coniunctum, ſiue ſeparatum, debent moueri per virtutem receptam à principali agente, & non per virtutem quam habent à ſe; vt patet in ſerra, quæ mouetur à principali agente per impulſum ab illo communicatum: non ve-

A rò per virtutem à ſerræ forma dimanantem: ergo illa virtus non pendet à forma ipſorum ſpirituum.

Dices, ad rationem inſtrumenti ſufficere, quod talem virtutem recipiat à principali agente in tempore productionis illius, etiamſi virtutem illam inſtrumentum recipiat mediante propria illius forma, vt patet in ſemine, quod eſt inſtrumentum generationis, & recipit ab homine virtutem formatiuam mediante formâ propriâ ipſius ſeminis.

Sed licèt hoc probabile ſit, quod tamen id non accidat ſpiritibus, ſic probo; nam vel iſta potentia locomotiua in ſanguine, & ſpiritibus reperta eſt animalis; & hoc non, quia potentia motiua animalis mouet per muſculos, qui non dantur in ſpiritibus. Vel eſt potentia vitalis, qualis eſt illa quæ mouet cor, & arterias, & ſimiliter cerebrum, quæ ad operandum non indiget muſculis; & hoc B non, quia huiuſmodi facultas vel eſt de genere facultatum vegetabilium, vt plures tenent; vel eſt locomotiua pendens ab anima ſecundùm gradum ſenſitiuum, vt alij volunt: ſed vtrumque eſt impoſſibile, ſiquidem vtraque eſt vitalis, & petit ſubiectum vitale: ergo cùm ſpiritus non viuant, nequeunt eſſe ſubiectum talis potentiæ. Vel eſt potentia naturalis, & non vitalis, & hoc implicat; nam moueret ad locum determinatum, & non ad intra vel ad extra, ſurſum vel deorſum, iuxta exigentiam affectus animi. Igitur dicendum eſt, ſpiritus, & ſanguinem aliter moueri.

Hac ergo dimiſſa ſententia, alij aliter opinantur, dicuntque motum iſtum in animi paſſionibus fieri ab aliqua facultate, quæ mouet animal ad proſequutionem, vel fugam obiecti; nam cùm viderint motum iſtum non eſſe ſimplicis voluntatis, ſiquidem volitio fieri poteſt ſine corporali tranſ- C mutatione; neque fieri ab apprehenſione imaginationis, quia potentia apprehenſiua non eſt formaliter, neque virtualiter motiua; fatentur motum iſtum ſequi ad actionem appetitus ſenſitiui.

Quod ſi contra hanc ſententiam adducas commune argumentum, quod actio appetitus eſt actio immanens: ergo neque ratione ſui, nec ratione termini poterit in externam materiam producere actionem tranſeuntem.

Reſpondetur, quod cùm appetitus ſenſitiuus reſideat in corde, vt alibi diximus ex Diui Thomæ mente, per varios appetitûs actus excitatur facultas vitalis cordis dilatatiua, & compreſſiua, vt varios faciat dilatationis, & compreſſionis motus, per quos mouentur ſanguis, & ſpiritus. Eo enim modo (dicunt) quo facultas motiua, quæ reſidet in muſculis mouet animal præcedente apprehenſione, & appetitu, & obediente facultate executiua motus, eo quod talis facultas execu- D tiua dicit ſubordinationem naturalem; ita etiam poſitâ appetitus actione, ſtatim facultas mouetur iuxta diuerſitatem actionis, ſeu paſſionis appetitus, ita vt poſito appetitu vindictæ, ſtatim ſubordinatione quadam naturali facultas cordis excitatur ad illum motum, per quem ſanguis, & ſpiritus efferueſcunt circa cor; & ſic ſuo modo dicendum eſt de reliquis animi paſſionibus.

Quod ſi obiicias: ergo iam motus cordis eſſet voluntarius, ſiquidem mouetur eo modo, quo facultas locomotiua mouet, præcedente ſcilicet cognitione, & appetitu.

Reſpondetur negando conſequentiam, nam cor eſt in perenni motu, ſeu actione, adhuc voluntate, & appetitu renuēte, quod non euenit facultati motiuæ animalis motum exequenti; nam apprehenſo obiecto poſſumus motum circa illud cohibere; at

verò

poſito vindictæ obiecto, naturali ſimpathia, renuente adhuc voluntate, cor mouetur, ebullitionem, & efferueſcentiam ſanguinis producendo.

Sed iterum inſtabis: Motus cordis eſt indifferens: ergo vt fiat ſic, vel aliter, debet determinari ab aliqua cauſa recepta in corde.

Reſpondetur, quod ſine productione alicuius qualitatis in corde, ſubordinatione quadam, & naturali ſimpathia cordis facultas mouet ſic, vel aliter in animi paſſionibus eo modo, quo facultas imperans mouet facultatem exequentem motum in muſculis productione alicuius qualitatis determinantis muſculum ad talem motum.

Denique inſurgere poteris; nam ſequeretur ex tali modo philoſophandi, quod mutaretur pulſus ſine mutatione alicuius cauſæ continentis; quod eſt contra communem ſententiam, licet Valleſ. contrarium tueatur: nam ſi cor ſic, vel aliter debet moueri in affectibus animi, debemus aſſignare cauſam aliquam continentem pulſus antecedenter variatam ad motum cordis ſic, vel aliter faciendum: ſed nulla datur antecedenter variata cauſa continens: ergo immediatè, & antecedenter ſanguis, & ſpiritus mouentur ad actionem, ſeu paſſionem appetitus; ſi enim nec appetitus, nec alia cauſa antecedenter producit aliquid, quod excitet facultatem cordis aliquid immutando, impoſſibile videtur, quod pulſus mutetur, & variationem ſubeat.

Reſponderi poteſt, verum eſſe, pulſum non variari inuariatis exiſtentibus cauſis continentibus illius; fit tamen illa mutatio ex motu ſanguinis, & ſpirituum, qui animæ obediunt, & ſunt illius inſtrumenta; & hoc accidit ob ſubordinationem, quam habent ſpiritus, & ſanguis ad ipſam animam: motis ergo ſanguine, & ſpiritibus, intenſior calor producitur, qui vſum adaugendo mutat aliquam ex cauſis continentibus, ex cuius mutatione pulſus etiam immutatur.

Licèt iſte modus dicendi quodammodò veritati appropinquet, multa tamen difficillima continet, quæ moderatione egent. In primis conuenio, quod motus iſte fit à facultate motiua cordis, & arteriarum per ſubordinationem ad appetitum hac, vel illa paſſione affectum, abſque eo quod appetitus influat aliquid per modum cauſæ efficientis in facultatem motiuam cordis, quod ipſam facultatem ad motum exagitet. Ignoro tamen qua ratione cor poſſit hoc, vel illo modo moueri ad tractionem ſanguinis, & ſpirituum, niſi priùs varietur facultas vitalis, inſtrumentum, & vſus cordis; non enim ad hoc ſufficit ſimpathia naturalis ſpirituum, & potentiæ motiuæ cordis; nam hæc dicit tantummodò conuenientiam quandam, proportionem, ſeu amicitiam, quæ interuenire, & intercedere poteſt inter ſpiritus, & motiuam potentiam vitalem. Vt ergo facultas antequam ſpiritus moueantur, ipſa excitetur ad motum, petit neceſſariò aliquid, ratione cuius aliter ſe habeat; nam ſi eodem modo omnia conſiſtunt, non erit nouus motionis modus in ſpiritibus, neque in motu cordis.

Quare alij aliâ viâ incedentes dicunt, appetitum directum ab intellectu practico, vel ab imaginatione eſſe potentiam motiuam, quia ſolus ille mouet corpus; potentiam verò executiuam ſolùm ſe habere paſſiuè recipiendo motum. Ita ſentiunt Caietanus 3. *lib. de anima*, *cap.* 6. Ferrara 2. *contra Gentes*, *cap.* 8. & videtur deduci ex Ariſt. 3. *de anima*, *cap.* 9. & 10. & idem ſtatuere videtur Angelicus Præceptor 1. *parte*, *quæſt.* 75. *art.* 3. *ad* 5. vbi ait, quod actus potentiæ, quæ obedit appetitui, non eſt mouere; & idem docuit opuſculo de motu



A cordis, & ratione probatur; quia anima ita mouet corpus ſicuti intelligentia cœlum, ſed intelligentia mouet cælum per intellectum practicum, & appetitum abſque aliqua potentia motiua in corpore cœli reſidente; ergo & anima mouet corpus per appetitum aut voluntatem, tanquam per potentiam paſſiuam, paſſiuè tantùm corpore ſe habente. Conimbricenſes 3. *de anima*, *cap.* 13. *quæſt.* 5. *art.* 2. & 3. aſſerunt appetitum, & executiuam potentiam mouere tanquam duas cauſas ſubordinatas; appetitus tamen ſit quaſi cauſa vniuerſalis, potentia verò executiua motus ſit cauſa particularis, ex quibus vna potentia adæquatè integratur; quod probari poteſt, nam motus pendet ab vtroque ſimul concurrente, tanquam à principio effectiuo: ergo vniuntur per modum vnius agentis.

Sed vtrumque placitum eſt improbabile, & quantum ad primum iuxta magis probabilem opi-

B nionem cœlum mouetur ab intelligentia per potentiam motiuam diſtinctam à voluntate, quod adducit D. Thomas *quæſt.* 6. *de potentiis*, *art.* 2. *ad* 12. vbi ait: *Imperium Angeli requirit executionem virtutis, vnde oportet quod ſit tactus quidam ſpiritualis ad corpus, quod mouet.* Et hoc planè ſupponit D. Thomas 1. *part. quæſt.* 52. & 53. *art.* 2. *ad* 3. & *quæſt.* 113. *art.* 6. *ad* 3. quam ſententiam vt veriorem amplectitur Pater Suarez *primo tomo ſuæ Metaphyſicæ*, *diſp.* 18. *ſect.* 8. §. 41. & 42. ſicque non ſolùm eſt neceſſarium imperium, & voluntas Angeli, ſed etiam potentia motiua illius, & contactus ad corpus mouendum. Et ratione probatur ex modo, quo voluntas attingit ſuum obiectum; nam voluntas Angeli poteſt velle propinquum, & diſtans indifferenter: ergo ſi per ipſum velle mouet, eadem efficaciâ poterit mouere corpus diſtans, & propinquum. Conſequens eſt planè abſurdum, nam cùm

C habeat determinatam ſphæram ſuæ actiuitatis, non poteſt agere in quacunque diſtantia. Cùm igitur Angelus in probabiliori ſententia non poſſit ſe, & alia corpora mouere, niſi per potentiam motiuam; idem fatendum eſt de anima rationali, quæ dum ex vi imaginationis, & appetitus corpus immutat, ea immutatio efficienter fieri debet ab aliqua potentia motiua; cum quo ruit primæ ſententiæ fundamentum. Vnde ad locum Diui Thomæ, in quo aſſerit, quod actus potentiæ executiuæ non eſt mouere, ſed moueri; reſpondetur, quod mouere ibi ſignificat idem, ac imperare; & quia facultas mouens eſt quodammodo imperata, vt infrà videbimus, ideo aſſerit, quod eius actus non eſt mouere, hoc eſt imperare; ſed moueri, id eſt imperari, & obedire imperanti appetitui. Quantam verò vim habeat Conimbric. ſententia, quod non ſit

D admittenda, ex dicendis notum fiet.

His tamen omiſſis, in re tam difficili conſentaneum iam eſt primam ſtatuere concluſionem, quæ talis eſt: Appetitus ſenſitiuus mouetur ad operandum, hoc eſt ad conſequendum bonum, vel fugiendum malum, ab obiecto repræſentato ſub ratione boni, vel mali, tanquam à fine in quem tendit; & à potentia cogitatiua, tanquam à proponente finem, ſine eo quod appetitus aliquam mutationem phyſicam, & realem in ſe recipiat ab obiecto repræſentato, aut à cogitatiua potentia. Hanc concluſionem tenet Scotus *in* 1. *diſtinct.* 25. *quæſt. vnica*, & eius diſcipuli, & ex diſcipulis Diui Thomæ Ferrara 1. *contra Gentes*, *cap.* 44. Pater Vazquez *in* 1. 2. *D. Thomæ*, *quæſt.* 44. *art.* 1. *diſp.* 14. *cap.* 2. Pater Rubius 3. *de anima*, *quæſt.* 4. Petrus Garcia *in fen.* 3. *Auicen. diſp.* 29. *cap.* 4. Et ratione probatur primò exemplo deſumpto ex motu rerum inanimatarum; nam lapis per ſuam naturam non ſolùm inclinatur ad

*Prima concluſio maxi-mè attendenda.*

D centrum

centrum, ſed etiam per ſuam virtutem motiuam, per grauitatem ſcilicet illi ſuperadditam: ſed grauitas ad eliciendum ſuum actum eſt eſſentialiter ſufficienter inclinata in genere cauſæ efficientis: ergo non petit, quod ab obiecto, neque ab altero principio efficienter adiuuetur: ergo pari ratione propoſito obiecto appetitui ſenſitiuo à potentia cognoſcente ſub ea ratione, quâ eſt appetibile, appetitus efficienter ſine adiuuamine obiecti, vel alterius rei mouebitur ad proſequendum, vel fugiendum obiectum illi propoſitum.

Secundò probatur ex diuerſo modo, quo potentiæ cognoſcitiuæ, & appetitus reſpiciunt ſuum obiectum; nam potentia cognoſcitiua trahit res ad ſe, vt communiter dicitur, per expreſſam imaginem illarum, & quaſi per generationem alicuius ſimilis obiecti; nam ſpecies quibus vtitur, ſunt vicariæ rerum, ſeu obiectorum, quæ cognoſcuntur; appetitus verò ſuppoſitâ obiecti cognitione, veluti cæco impetu fertur ad obiectum cognitum, & illud non trahit ad ſe: ergo in eius latione non indiget altero concurſu alterius potentiæ, neque ipſius obiecti; non enim dicimus centrum effectiuè mouere terram, vt ad illud terra deſcendat: neque debemus dicere, quod obiectum cognitum mouet effectiuè appetitum ſenſitiuum, neque rationalem, vt in illud feratur.

Tertiò, nam iuxta magis probabilem opinionem appetitus reſidet in corde; imaginatio verò in cerebro: ergo imaginatio non poteſt concurrere efficienter ad actionem appetitus producendam. Conſequentiam probo, nam vt imaginatio aliquid agat in corde, debet ad illud tranſmittere aliquod, quod iuuet ad actionem appetitus reſidentis in illo.

Reſponderi poteſt, quod medio actu phantaſiæ diffunduntur quædam qualitates ad cor, per quas appetitus immutatur.

Sed hoc totum eſt figmentum; nam illæ qualitates non ſunt ſpecies obiecti, ſiquidem appetitus non vtitur ſpeciebus, quia non eſt potentia cognoſcitiua; imò iam ſupponit obiectum cognitum per phantaſiam: neque notitia vnius potentiæ alteri manifeſtatur, neque excogitari poteſt, quid ſit illa qualitas, quæ communicatur. Sed inquires, vnde prouenit, quod operante imaginatione, & percipiente obiectum ſub aliqua ratione boni, v. g. ſtatim inſurgit appetitus ad proſequendum illum obiectum ſibi conueniens; videtur enim quod ſi nihil ponitur in appetitu, per quod determinetur ad opus, quod non operabitur.

Reſpondetur, quod repræſentatio obiecti ſe habet vt conditio, quâ poſitâ appetitus elicit ſuum actum per naturalem ſimpathiam, & ſubordinationem harum potentiarum, ad quam confert quammaximè harum radicatio in anima; illa enim, ſeu ſuppoſitum per illam, eſt agens principale vtens iis facultatibus; atque adeò dum per vnam percipit obiectum aliquod ſibi conueniens, per aliam illud appetit, & fertur in illud; non verò obiecto per vnam apprehenſo, excitatur ad operandum per aliam; quæ excitatio non fit per actionem, ſeu efficientiam realem, ſed potiùs finaliter, ſicque dicere ſolemus, quod finis mouet.

Sed obiicies ex Caietano 1. *parte, quæſt.*80. *art.*2. nam actus appetitus ſunt ſpecie diuerſi:ergo debent effectiuè ab aliquo ſpecificari: ſed non ſpecificantur ab ipſo appetitu:ergo debent ſpecificari ab obiecto. Maior certa eſt,ſiquidè plures actus differunt ſpecie inter ſe, vt patet de timore & audacia,gaudio & triſtitia,&c. Minor probatur,nam appetitus ſemper eſt eiuſdem ſpeciei:ergo cùm nihil aliud ſuperſit præter obiectum,debent neceſſariò ſpecificari per actiobe.

A Reſpondetur, quod actiones illæ ſpecificantur per obiecta penes ordinem,quem dicunt ad illa; ſic enim dicere ſolemus, quod potentiæ diſtinguntur per actus, & actus per obiecta, etiamſi obiecta per tales actus non producantur,aut non ſint de actuum intrinſeca ratione.

Iterum obiicies: Amor in diuinis, ideſt Spiritus ſanctus, procedit à Verbo: ergo & in creatis appetitus procedit à phantaſia, & amor intellectualis ab intellectu.

Reſpondetur,hoc potiùs probare noſtram concluſionem, ſiquidem amor non procedit à Verbo, vt à cauſa, ſed potiùs vt à principio; de ratione autem principij non eſt, quod effectiuè influat in principiatum, latiùs enim patet principium, quàm cauſa. Quare dicendum eſt cum D.Thoma 1. *p. q.*33.*art.*1. quod hoc nomen *principium*, nihil aliud ſignificat, quàm id,à quo aliquid procedit quocumque modo; ad quod non requiritur effectiuus concurſus.

B Tandem obiicies: Phantaſma concurrit cum intellectu agente ad productionem ſpeciei intelligibilis: ſimiliter ſenſus interni operantur per ſpecies ſenſuum externorum: ergo & voluntas operabitur concurrente Verbo mentis ad actum illius, & appetitus ſenſitiuus concurrente imaginatione, aut notitia obiecti repræſentati per illam.

Reſpondetur, eſſe diuerſam rationem; nam illæ potentiæ ſunt potentiæ directæ ad cognitionem, & ſic indigent ſpeciebus repræſentantibus obiectum cognoſcendum: at verò appetitus cùm ex natura ſua ſolùm inclinetur ad obiectum, ſuppoſita cognitione illius ab altera potentia, per ſe, & ſine adiuuamine alterius tendit in illud.

Rogabis tamen, quænam fuerit mens Diui Thomæ circa hanc difficultatem? Caietanus *loco ſuprà citato*, videtur indicare tenuiſſe contrariam ſententiam, ſiquidem in corpore articuli docet appre-
C henſum mouere appetitum, & appetitum moueri: ſed reuerà negari non poteſt, quin Sanctus Thomas noſtram habuiſſet ſententiam, quam præclarè oſtendit *quæſt.* 22. *de verit. art.*12. vbi expreſsè negat efficientiam intellectus reſpectu voluntatis: & 1. *part. quæſt.* 82. *art.* 4. inquit intellectum mouere voluntatem finaliter, & idem eſt intelligendum de phantaſia reſpectu appetitus. Neque verba Caietani contrarium ſuadent; nam licèt appetitus moueatur, non tamen dicitur, quod moueatur effectiuè à potentia apprehenſiua, ſed ſolùm finaliter illi obiectum proponendo.

Accedat iam ſecunda concluſio, quæ ex dictis facilè colligitur: Appetitus, tam rationalis, quàm ſenſitiuus, mouent cæteras potentias inferiores per quandam efficaciam, ſeu efficientiam quaſi moralem, & per ſubordinationem potentiarum; ex quo prouenit, vt operante voluntate, ſeu apetitu,
D aliæ potentiæ quaſi imperatæ ſuos actus eliciunt ſine eo, quod voluntas, & appetitus concurrant ad actus potentiarum, quæ illi ſubordinantur. Circa hanc concluſionem eodem modo eſt philòſophandum ac circa primam. Eam tenent Pater Suarez *loco ſuprà citato*, Pater Rubius 3. *de anima, quæſt.* 2. Petrus Garcia *in fen.* 1. *Auicen. diſp.* 29. *cap.* 4. Matamoros 2. *de febribus, diſp.*7. *tract.* 1.

Et probatur primò à ſimili; nam vt motus progreſſiuus animalis fiat, ſolùm requiritur, vt appetitui proponatur obiectum, ad quod proſequendum animal moueatur per facultatem executiuam motus, ſine eo, quod voluntas,aut appetitus ſenſitiuus efficienter concurrant ad talem motum,ſed ſolùm imperando:ſed in paſſionibus animi obiectum proponitur appetitui proſequẽdum,vel fugiendum: ergo virtus motiua, ſeu executiua motus circa tale obiectum

obiectum per ſe mouebitur ſine ope ipſius appetitus; de facultate enim animali progeſſiua omnes id concedunt: ergo idem eſt concedendum de facultate motiua cordis, quæ ſanguinem, & ſpiritus mouet in paſſionibus animi.

Secundò, potentia locomotiua in grauibus, & leuibus eſt ſufficiens ad motum illis conuenientem: ergo & potentia vitalis motiua in viuentibus erit etiam ſufficiens ad ſuum motum peragendum, licèt morali modo moueatur à voluntate, vel appetitu.

Sed rogabis: Si appetitus non mouet potentiam motiuam efficienter, qua ratione dicimus appetitum illam mouere.

Reſpondetur facilè, quod voluntas, ſeu appetitus dicuntur mouere per imperium (vt dixi) quod habent circa iſtas potentias, vel per applicationem obiecti ex cuius repræſentatione ſtatim appetitus conſurgit, & per potentiam motiuam illud adipiſcitur.

Itaque iuxta noſtrum philoſophandi modum, præter qualitates in ſpiritibus, & ſanguine conſtitutas, & præter ſimpathiam, quæ aſſignatur inter huiuſmodi facultates, debemus conſtituere aliquod principium proximum effectiuum motus ſanguinis, & ſpirituum, quod debet eſſe aliqua facultas motiua, quæ promptè illos ſic, vel aliter moueat iuxta appetitus paſſionem. Cùm enim anima immediatè non moueat, ſed media aliqua facultate directè ad categoriam qualitatis pertinente, neceſſariò debemus conſtituere potentiam iſtam motiuam in corde reſidentem, quæ ſanguinem, & ſpiritus moueat.

*Quare anima non mouet immediatè ſanguinem, & ſpiritus.*

Sed adhuc inquires, quare anima non poteſt immediatè, & ſine potentia mouere ſpiritus, & ſanguinem?

Reſpondeo cum Diuo Thoma 1. *part. quæſt.* 117. *art.* 4. quod anima non poteſt per ſe localiter mouere corpus, quod non informat; & quia ſanguis, & ſpiritus habent aliam formam diſtinctam ab anima, ideo eos immediatè mouere nequit: benè tamen eos mouere poterit per potentiam motiuam, & hæc eſt ratio ob quam ſi aliquod membrum mortificetur, non mouetur ab anima, quia ſcilicet non eſt illi vnita, neque informat illud.

Ex hac concluſione infertur, quod ſanguis, & ſpiritus in animi paſſionibus mouentur à corde; quod quidem conſtat, conſideratis iis quæ in animi affectibus reperiuntur: non enim fit talis motio à virtute apprehenſiua, neque ab appetitu, vt dictum eſt: ergo debet fieri ab ea parte, in qua per animi paſſiones illius actiones variantur, ſpiritus & ſanguis diuerſimodè mouentur, & pulſus mutationes maximæ fiunt.

*Quare cor mouetur iuxta paſſionis animæ indigentiam potius quam aliæ partes.*

Sed rogabis iterum, quænam ſit cauſa propter quam in paſſionibus iis cor mouetur potiùs quàm aliæ partes.

Reſpondetur, quod cor eſt ſubiectum appetitus, vt dicimus *cap. de mania*, cui quodammodo obedit cor, quantùm ad executionem motus. Vlteriùs illa pars debet conſentire in animi paſſionibus, quæ maximè eſt determinata ad opus illarum; talis autem eſt cor, quod mouetur, & determinatur ad hunc, vel illum motum, iuxta paſſionis diuerſitatem.

*Quæ facultas ſit hæc, quæ mouet ſanguinem & ſpiritus.*

Sed adhuc meritò dubitabis, quænam facultas ſit hæc reſidens in corde, quæ mouet ſpiritus, & ſanguinem. Auerroës aſſerit hos, & ſimiles motus fieri à facultate quadam regitiua, ab omnibus aliis diſtincta. Sed hoc eſt ad libitum facultates fingere, & difficultatem effugere.

*Benedicti Matamoros ſententia.*

Doctiſſimus Matamoros 2. *de febribus*, *tract.* 1. *D. D. de Maroja Tract. de Febribus.* A *de cauſis febrium*, *diſp.* 7. aſſerit cor mouere ſpiritus, & ſanguinem intra, & extra, propriâ facultate naturali tractrice, & expultrice, diſtincta à facultate vitali compreſſiua, & dilatatiua cordis, & arteriarum; in cuius ſententiæ comprobationem adducit Petrum Garc. *lib. de locis affectis*, *diſput.* 4. *cap.* 5. qui aſſerit, quod tempore indigentiæ cor attrahit ſpiritus per facultatem quandam naturalem, ſicuti cerebrum ſpiritus animales ad ſe retrahit tempore ſomni per facultatem quandam tractricem naturalem cerebro inſitam. Ratio fundamentalis eſt, nam durante gaudio, v. g. ſemper ex natura huius paſſionis ſpiritus à corde verſus partes externas pelluntur, quod neutiquam fieret ſi motu compreſſionis pellerentur, ſiquidem poſt eam ſequitur dilatatio pulſus, quæ potiùs mouet verſus cor.

Sed hæc ratio non vrget, nam licèt ex vi paſſionis gaudij ſpiritus ad extra ferantur, alij etiam vſus B mouendi ad intra vrgere poſſunt, ita vt ex vi illorum impediatur motio ad extra; niſi dicamus, quod tanta poteſt eſſe vis paſſionis, vt ſubitò motio tanta fiat ad extra, vt ex vi paſſionis etiam ſubitò pereat æger.

Quare reſpondetur, quod tempore neceſſitatis cor, & cerebrum attrahunt ad ſe ſpiritus mediâ dilatatione, eo mdo quo diximus noſtro tractatu de pulſibus; non verò per aliam facultatem attractricem diſtinctam à facultate pulſifica cerebri, & cordis.

Sed contra dicta eſt ratio efficax; nam in paſſionibus animi hæc facultas operatur præcedente cognitione, & ad nutum voluntatis, & appetitus: ergo iam operatur voluntariè, & conſequenter tota actio erit voluntaria, quam quidem facere, & factam ſedare poterimus dum voluerimus; quod eſt de ratione voluntarij: quod eſt falſum, & contra experientiam, ſiquidem motum ſanguinis, & C ſpirituum compeſcere non poſſumus in animi affectibus.

Reſpondetur, idem etiam ſequi inconueniens, ſi talis facultas eſſet naturalis diſtincta à pulſifica. Vt tamen ſoluatur ratio, ſuppono quod voluntarium ſtat dupliciter; nam voluntarium poteſt aliquid eſſe quoad applicationem obiecti, non tamen quoad operationem: v.g. voluntarium eſt alimentum capere ad nutritionem; tamen ſemel capto alimento, nutritio quæ fit ex illo non eſt voluntaria, ſed actio neceſſaria, & à voluntate independens: & applicatio viſus ad obiectum viſibile eſt voluntaria, viſio tamen eo tempore applicita eſt actio neceſſaria; & hoc modo dicuntur iſtæ potentiæ ſubdi voluntati indirectè quoad applicationem, non verò quoad operationem; ſed conſequutione quadam neceſſariò operantur. Aliæ verò potentiæ ſubduntur voluntati, non ſolùm ſecundùm applicationem, ſed D etiam ſecundùm actionem; & iſtæ dicuntur directè voluntariæ. Quo ſuppoſito reſpondetur, quod licèt hæc facultas motiua in animi paſſionibus quodammodò ſubdatur voluntati, non tamen operatur liberè, ſed neceſſariò, quia ſolùm ſubditur illi, quatenus voluntariè applicatur paſſio appetitus, & repræſentatio obiecti paſſionem inferentis; actio tamen motiua circa obiectum applicitum, non poteſt coërceri; & ita exiſtente timore, neceſſariò ſpiritus intra recurrunt, & in verecundia ad faciem vergunt. Hæc doctrina eſt maximè conformis doctrinæ Sancti Thomæ *opuſc.* 35. *de motu cordis*, vbi ait, quod licèt accidat ex animi paſſionibus, & apprehenſione variatio in motu cordis, illa tamen variatio non eſt voluntaria, quia non fit per imperium voluntatis.

Quare exiſtimare oportet, huiuſmodi faculta-

D 2 tem

*Authoris ſententia proponitur circa facultatem motiuam ſanguinis,& ſpirituum.*

tem eſſe vitalem, quæ dilatatione, & compreſſione vtitur ad attractionem, & expulſionem ſpirituum, & ſanguinis: quæ ſententia deſumitur ex Hippoc. *lib. de oſſibus, in fine,* vbi ait: *Colorum mutationes contingunt, venas corde laxante, & conſtringente; pellit enim ſuo motu conſtrictiuo ſanguinem in animi paſſionibus, vt in verecundia, & facit calorem rubrum.* Ex quibus colligitur intentum, vbi nomine venarum omnes intelligunt arterias. Idem docet Diuus Thomas *in* 1. 2. *quæſt.* 24. *artic.* 2. *ad* 2. vbi aſſerit, quod in omni paſſione additur aliquid, vel diminuitur à naturali motu cordis, in quantum cor intenſiùs, vel remiſſiùs mouetur ſecundum ſyſtolen, aut diaſtolen. Et ratione ſuadetur; nam ſpiritus, & ſanguinem diſtribuit, & ad ſe allicit cor per motum dilatationis, & compreſſionis pro ratione vſus, tempore quo non adeſt aliqua animi paſſio: ergo per eundem motum pro ratione etiam vſus in animi paſſionibus ſpiritus, & ſanguinem mouebit: ergo non eſt neceſſarium ad aliam facultatem diſtinctam recurrere; ſi enim dilatatio, & compreſſio cordis, & arteriarum deſeruit ad diſtributionem caloris, & in animi paſſionibus tanta adeſt neceſſitas, vel colligendi calorem, vel diſtribuendi; quare non debet tribui compreſſionis, & dilatationis motui huiuſmodi vnio, aut diſtributio caloris?

Hæc ſunt quæ adducere potui circa hanc difficilem quæſtionem, quæ ſi non ſatis acutè petractaui, & huius nodi non inueni ſolutionem ſufficientem, id tribui debet ingenioli mei ruditati, vel quæſtionis arduitati: amicè ergo quæ dixi accipias rogo.

## §. IV.

### *Ad argumenta in contrarium poſita reſponſiones.*

VT clariùs argumentis in prima quæſtione de paſſionibus animi poſitis ſatisfaciamus, ſupponendum eſt tanquam certum, quod hæc facultas vitalis motiua cordis ſemper operatur pro vſus indigentia, & neceſſitate finis: hic autem finis eſt duplex, alius inadæquatus, adæquatus alius. Inadæquatus eſt expellere fuligines, attrahere aërem ad moderationem caloris, & generationem ſpirituum vitalium, & animalium, calorem influentem partibus communicare, vt coctiones celebrentur, & totum corpus viuificare, & vtrique vitæ, tam ſenſitiuæ, quàm vegetatiuæ inſeruire. Ex quibus, & aliis conſtituitur bonum animalis, & illius conſeruatio, tanquam finis vltimus, & adæquatus; nam licèt motus cordis,quo hæc omnia conſequuntur, non ſit ſimpliciter neceſſarius ad vitam, cum hoc tamen ita ab illo eius pendet conſeruatio, vt ipſo ceſſante ſtatim pereat animal, vt oſtendit Galen. 5. *method. cap.* 1. & vitæ defectum per pulſus deficientiam iudicamus: & Hippocrates *lib. de dieta, circa medium,* ſermonem inſtituens de motu cordis, per quem calor influens communicatur, ſic ait: *In hoc anima, mens, prudentia, augmentum, imminutio, & permutatio.* Ibique etiam aſſerit omnem corporis permutationem, tam ſecundùm primas qualitates, quàm ſecundas, fieri medio motu cordis reciproco. Et *lib. de corde*, inquit: *Mens hominis in ſiniſtro cordis ventriculo ſita eſt.* Inſinuans per hoc, quod per motum ventriculi ſiniſtri cordis omnia gubernantur: & agens ibi de iis, quæ medio motu cordis impartiuntur, ait: *Hi fontes ſunt humanæ naturæ, & hic flumina ſunt, quibus totum corpus irrigatur, atque vitam homini conferunt.* Angelicus

A Doctor *opuſc. de motu cordis*, radicem, & fontem perfectionum omnium in corde collocat.

Ex quibus facilè deducitur, quod cor mouet ſe motu illo reciproco, tanquam per medium ordinatum in finem vltimum, & adæquatum, quod eſt bonum ipſius animalis: & hoc exemplo declarari poteſt in cœlorum motu, qui habet puncta determinata, in quæ tendit ſecundùm ſuas partes; tamen hic motus tendit in bonum vniuerſi, & rerum ſublunarium, & ad illos terminos deuenit, quia ſunt media, per quæ virtus cœleſtis communicatur iis inferioribus. Sic ſimiliter in motu cordis dantur termini, ſeu vbicationes motus reciproci illius, qui non ſunt finis vltimus, ſed medium neceſſarium ad finem vltimum conſequendum, quatenus expellendo fuligines & aërem attrahendo, & alia efficiendo, conſequitur vltimus finis, qui in vitæ conſeruatione conſiſtit; operatur enim cor vt B pars princeps eſt, non ſolùm in gratiam ſui, ſed in aliarum partium vtilitatem, quidquid dicat Galenus 3. *de natural. facult.* Quia ergo in animi paſſionibus patitur, & alteratur natura, & proponitur obiectum quandoque bonum, quandoque malum, cordi competit, in quo reſidet appetitus, bonum proſequi, & malum euitare, vt ſic vita conſeruetur.

Verùm contra dicta inſtabis: Ex obiecti ſola apprehenſione ſub ratione boni, vel mali, appetitus ſenſitiuus excitatur ad ſuas paſſiones, ad fugam nempe, vel proſequutionem obiecti ſub hac, vel illa ratione repræſentati: ergo non eſt neceſſarius motus ſpirituum, & ſanguinis ad conſeruationem harum paſſionum. Conſequentia patet, nam animi paſſio antecedit talem motum: ergo ſicut antecedenter illa paſſio conſeruatur, poterit etiam poſteà permanere.

Reſpondetur, quod licèt verum ſit, quod po-C teſt produci, imò de facto producitur appetitûs paſſio antecedenter ad motum ſpirituum; non tamen poteſt conſeruari ſine tali motu: ad productionem enim huius, vel illius paſſionis ſufficit naturalis diſpoſitio cerebri & cordis, in quibus reſident prædictæ facultates; ad earum tamen conſeruationem plus aliud requiritur, verbi gratiâ in ira fuit neceſſaria maior caliditas in corde, vt perſeueraret in executionem,vel appetitum vltionis,quàm ad productionem iræ, licèt ad vtrumque requiratur caliditas, & ſiccitas, quæ ſunt ſigna hominis parati ad iraſcendum, vt inſinuat Galenus *lib. artis medicinalis:* atque adeò habent pulſus altos, & celeres, quia feruet ſanguis, & verſus altitudinem inclinat arteriam.

Sed iterum inſurges: Quo tempore eſt appetitus vindictæ, eſt formaliter ira: ergo eo tempore debet D eſſe pulſus, qui conueniat iræ: ſed eo tempore neque eſt calor immodicus, neque ſanguinis feruor circa cor: ergo neque poterit eſſe pulſus altus.

Reſpondetur verum eſſe,quod probat argumentum; nam pulſus variatio verſus altitudinem, non datur ſtatim ac ponitur ira; ſiquidem illam præſupponit, & eſt veluti ſignum illius: tamen iuxta conſiderationem medicam dicimus, pulſum altum adeſſe, quia paulò poſt ſuperuenit tanquam iræ ſignum. Tandem inſtabis: Si motus cordis, & ſpirituum eſt ad conſeruationem viuentis, qua ratione poteſt contingere, quod ex tali motu ſubitò, aut paulatim animal deficiat.

Reſpondetur,hoc eſſe nimis per accidens,nam in triſtitia, v. g. per ſe intendit natura ſuam conſeruationem, ſanguinem, & ſpiritus in defenſionem cordis ad intra reuocando; ex accidenti tamen ex eorum inculcatione ſuffocatio contingit. In gaudio ſimiliter

ſimiliter ad extra diffunduntur ſpiritus: tamen ſi ex tali motu affatim facto ſpiritus attenuentur, & reſoluantur,& inopinata ſubſequitur mors, eſt nimis per accidens, & præter intentionem naturæ; & idem proportionaliter eſt intelligendum in aliis animi paſſionibus.

Ex dictis facile erit iam argumentis in principio traditis ſatisfacere. Ad primum ergo, quod probat Angelum, neque animam rationalem non poſſe cauſare tranſmutationem aliquam accidentalem, neque ſubſtantialem: Reſpondetur, quod Angelus non ſic ſe habet ad corpus ſicut anima; nam anima eſt actus corporis phyſici, dans illi eſſe, & conſequenter operari, nam operari ſequitur eſſe; immutat tamen anima corpus medio appetitu elicito, qui eſt actus organi corporalis; ad apprehenſionem enim animæ commouetur appetitus ſenſitiuus cum aliqua operatione corporali, neque ſufficit apprehenſio animæ ad immutanda corpora exteriora, niſi immutetur proprium corpus. Quare vt ſpiritus, & ſanguis, qui ſunt veluti corpora animæ exteriora, quia ab anima non informantur, moueantur, oportet priùs vt ſit immutatio aliqua in corpore per animam informato.

Ad replicam reſpondetur, quod non benè infertur: Angelus eſt perfectioris virtutis, quàm anima,& tamen non poteſt alterare materiam: ergo neque anima. Nam ignis eſt imperfectior Angelo, tamen comburit;& nihilominus Angelus comburere non poteſt, neque in ſe talem virtutem continet.

Ad ſecundum, quod probabat animam eſſe actum corporis perficientem, & ſic non poſſe producere morbum.

Reſpondetur, animam per ſe corpus perficere, & illi vitam præſtare; ex accidenti tamen contrarium contingere poteſt, vt diximus de calore influenti, qui eſt inſtrumentum ad actiones vitales; cum hoc tamen dicimus accidentaliter ad interitum ducere. Ad replicam deſumptam ex aqua, quæ nunquam producit calorem, ſed frigiditatem ſui conſeruatiuam, reſpondetur id prouenire ex homogenea aquæ natura, cuius partes ſunt eiuſdem rationis; in mixtis verò quæ habent partes diuerſis elementis reſpondentes, contrarium accidit; vnde fit, quod qualitas vni parti conueniens, ſit alteri parti diſſentanea, & ſic ex accidenti ſaltem aliam partem deſtruat. Idem proportionaliter eſt aſſerendum de paſſionibus animi, quæ licèt conducant ad viuentis tutelam, tamen accidentaliter ſaltem ipſum deſtruunt viuens, ſi nimis excedant; tunc enim facultas vitalis motiua mouet ſpiritus, & ſanguinem iuxta exigentiam paſſionis, ita vt licèt in bonum animalis talis ſuperueniat motio, ex accidenti tamen contrarium accidere poteſt.

Ad tertium reſpondetur, ſpiritus, & ſanguinem localiter moueri à facultate motiua vitali, vt dictum eſt, ad quod requiritur neceſſariò mutatio in aliqua ex cauſis continentibus; nam ſi inuariabiles exiſterent, eodem modo ac antea operarentur. Quia ergo variatur vſus pulſus per animi paſſiones, ita vt in triſtitia adſit vſus roborandi cor, & in ſui defenſionem attrahendi ſpiritus ad illud; ideò triſtitia præſente facultas attrahens cordis ad cor ſpiritus allicit, vt ipſum cor tueatur, & foueatur libereturque ab obiecto triſtitiam inferente; & eodem modo eſt philoſophandum de aliis animi paſſionibus.

Ad quartum reſponſum iam ſuprà eſt; dicimus enim talem actionem dici indirectè voluntariam, per applicationem ſcilicet obiecti, quod animi paſſionem excitat: actio tamen illa neceſſaria eſt, & cohiberi nequit.

Ad quintum reſpondétur, quód in ira verbi gratiâ, efferueſcit ſanguis, & per motum efferueſcentiæ intenſiorem comparat calorem ratione motus & fuliginum, quæ ſanguini admiſcentur; de hoc enim egimus diſputatione de motu, vbi diximus, qua ratione motus ſit cauſa caloris.

Ad vltimum de triſtitia, & timore, iam ſuprà reſponſum eſt; diximus enim huiuſmodi paſſiones ratione motus, quem cauſant in ſanguine, & ſpiritibus producere calorem. Ex iis iam patet qua ratione animi paſſiones ſint caloris effectiuæ, imò & qua ratione valent producere ſanitatem, & morbum: ſicque huic difficili de paſſionibus animæ tractatui finem imponimus.

## QVÆSTIO IV.

### *De aliis febrium cauſis, & quomodo calorem excitent.*

HVcuſque dictum eſt, qua ratione motus ſit cauſa caloris, & quod animi paſſiones ſub motu comprehenduntur: reſtat nunc agere de aliis cauſis calorem producentibus, quarum prima, quæ ſe offert, eſt putredo, cuius naturam inueſtigare non eſt præſentis inſtituti; de ea enim agit Ariſtoteles 4. *meteor. capit.* 1. & 2. vbi veræ putredinis definitionem proponit, eamque explicat Valleſ. & Ludouicus Mercatus ſuper illum locum. Et licèt putredo ſit interitus proprij ac naturalis caloris in quovis humido ab alieno calore, & hac ratione non producitur calor, imò deſtruitur; & actio putredinis formaliter non tendat in calorem, ſed in ſecundam quandam qualitatem caloris corruptiuam ex accidenti ſaltem; cum hoc tamen res quæ putreſcit, in ipſo fieri putredinis calidior euadit à calore externo rei putreſcentis, quæ valet inducere morbum calidum, ita vt aſſerat Galenus *libr. de cauſis morborum, cap.* 2. ſe vidiſſe in columbarum agreſtium excrementis ex putrefactione ignem accenſum. Neque probatione eget, quod putredo in re quæ putreſcit, ſit caloris cauſa, quod quotidie conſpicimus in humoribus, dum ex putredine incaleſcunt, & febrem ſuccendunt; nam licèt calor naturalis, & proprius ex vi putredinis deperdatur, quatenus exhalatur ſubſtantia calida rei quæ putreſcit; ea tamen extraneum calorem, & putredinalem participat, ratione cuius excitat febrem. Verumtamen, quia illa actio, quæ datur in humoribus dum putreſcunt, non eſt vera putredo, præſertim cùm ibi actio caloris naturalis eluceat in morbis, qui terminantur ad ſalutem, quæ ſæpe dicitur coctio, ſæpe putredo, vel actio media, quæ dicitur ſuppuratio; ideò meritò quærimus:

### §. I

### *Vtrum alteratio materiæ in febre putrida ſit putredo, vel coctio, aut actio quædam media.*

HÆc quæſtio communiter in ſcholis ſtudentium intellectum vexat, habet enim in ſe ingentes difficultates, quas pro meis viribus explanabo, vt illius veritatem indagemus. Pro qua intelligenda ſupono primò, quod tripliciter materia quæ-

cumque humoralis alterari poteſt, aut à calore naturali, per quem perficitur, & aſſimilatur naturæ; quæ actio, ſeu aſſimilatio dicitur coctio; aut à calore præter naturam, per quem calor naturalis deſtruitur, & diſſipatur, eo modo, quo dicitur, dum de putredinis natura agitur; & hæc actio dicitur putredo: aut à calore naturali, & præter naturam ſimul, tuncque ab vtroque calore pullulat quædam actio in humore, quæ nomine ſuppurationis explicatur; quæ quidem datur in febribus putridis, dum terminantur ad ſalutem; & in tumoribus dum in ſuppurationem vertuntur. Circa hoc lege Galen. 1. *prognoſt. capite vltim.* & 2. *aphoriſm. commentar.* 47. & 1. *de different. febrium, cap.* 6.

Secundò notandum eſt, quod hîc agimus de ea alteratione materiæ, quæ datur in morbis, qui in ſalutem terminantur, in qua ſimul reperitur aliquid reſpondens calori naturali, & aliquid calori præter naturam; nam de hac actione inſurgit præſens quæſtio, non verò de alteratione inducta in materia febrili, quæ fatalem terminum habet; nam hæc benè poteſt alterari per actionem putredinalem, nulla percepta actione caloris naturalis; ſicque talis actio erit tota à calore extraneo calidum naturale diſſipante, eritque vera putredo.

Tertiò notandum eſt ex Galen. 1. *de differentiis feb. cap.* 6. *citato*, quod actio, quâ humores in venis alterantur, in febre putrida eſt ſimilis actioni, quâ alterantur humores in inflammationibus contenti, aut in abſceſſibus: quæ quidem actio (vt dixi) ſi fiat ſuperante natura, dicitur coctio; ſi verò ſuperata, putredo nuncupatur: ſi verò vtriuſque aliquid participet, rigorosè neque coctio, neque putredo appellatur, ſed ſuppuratio dicitur. De hac ergo actione, per quam in morbo ſalubri humores alterantur, inquirimus quid ſit.

*Prima ſententia quam Hugo tuetur.* Prima ſententia aſſerit, talem alterationem eſſe coctionem, quam tenet Hugo 2. *aphor. comm.* 47. vbi ait, generationem optimi puris, ſeu ſuppurationem, eſſe actionem debitam calori naturali: in cuius ſententiæ confirmationem adducit Galen. 5. *ſimpl. cap.* 9. vbi ait: *Vnum ex naturalibus operibus eſt ſuppuratio, nam illis quædam coctio perficitur.* Sed opus naturale habet authorem ipſum calorem naturalem: ergo & ſuppuratio. Et idem oſtendit *primo prognoſt. comment. vltimo*, vbi inquit, quod Hippoc. appellat tumorem ſuppuratum, quando coctionem eſt adeptus.

Secundò probatur ex Auicen. *fen.* 4. *libro* 4. *tract.* 3. *cap.* 1. vbi ait: *Pus ſiue ſanies bona ſit à digeſtione naturali.* Sed hæc fit à calore naturali: ergo & pus.

Tertiò ex Ariſt. 4. *meteororum, cap.* 2. vbi ſic: *Ea quæ in tuberculis apparent dum ad ſuppurationem peruenere, coctionem quandam receperunt.* Ergo ſi in iis, quæ ſuppurantur, recipitur coctio, intentum probat.

Quartò, nam ſuppuratio eſt quædam aſſimilatio humoris, qui ſuppuratur, ad ipſam naturam: ſed aſſimilatio ad naturam fit mediante calore naturali, tanquam naturæ inſtrumento: ergo & ſuppuratio. Maior quidem conſtat ex Hippoc. 1. *prognoſticorum, text. vlt.* vbi ait, quod pus debet eſſe album, læue, & æquale, quæ albedo eſt aſſimilatio quædam inducta à partibus albis, quales ſunt partes ſpermaticæ: & idem teſtatur de ſedimento in vrinis apparente, quod eadem proportione gignitur in venis ex humore febrem ſuccendente. Minor etiam facilis probatu exiſtit; nam natura tranſmutationem humoris efficit per calorem naturalem, qui vt inſtrumentum iuuat ad inducendam ſimilitudinem, quæ recipitur in humore, iuxta illius capacitatem. Attamen quia humor ille eſt noxius, & ineptus ad vltimam aſſimilationem, ideo non vltimatè aſſimilatur, proptereáque actio in illo recepta dicitur ab Auicenniſtis coctio in nocitiuo: quare cùm ille humor ſiue in parte inflammata, ſiue in venis exiſtens, tranſmutationem, & perfectionem per calorem naturalem ab ipſis partibus recipiat, fatendum eſt, talem perfectionem eſſe coctionem.

Sextò probatur. Nam de ratione puris optimi eſt, quod ſit minimè fœtidum: ergo ſit per coctionem. Antecedens patet, nam quæ putredine fiunt, fœtorem contrahunt, vt experimur in iis, quæ putreſiunt: ergo cùm pus non habeat fœtorem, non ſit per putredinem, ac per conſequens fieri debet per coctionem.

Tandem quando in vrina apparet ſedimentum album, læue, & æquale, tunc dicimus humores febrem cauſantes eſſe coctos: ergo actio, per quam illi humores tranſmutantur, & corriguntur, eſt vera coctio. Antecedens notum eſt, ſiquidem ibi elucet victoria naturæ ſupra cauſam morbificam, quæ in coctione, & aſſimilatione conſiſtit.

Sed hæc Hugonis ſententia facilè conuincitur iis fundamentis, quibus ſtabilitur oppoſita, in qua quidam aſſerunt, actionem hanc eſſe putredinem; nam cùm ibi reverà detur calor putredinalis febrem accendens, non eſt à quo impediatur illius actio; neceſſariò ergo agit. *Hugo improbatur.*

Vlteriùs, ſi calor ille extraneus non ageret materiam morbificam alterando, nunquam eſſet febris putrida, quæ vt fiat, petit calorem extraneum; imò cùm ſolùm à calore naturali coquente alteraretur humor ille, nunquam poſſet dari alteratus præter naturam, ſiquidem à principio in finem coquitur, & perficitur ab eo, quod eſt ſecundùm naturam. Quia ergo ibi datur calor præter naturam febrem producens putridam, & hic agit in humorem, neceſſariò actio hæc, de qua agimus, fit etiam à calore præter naturam; & ſic abſolutè non poteſt vocari coctio, licet aliquid coctionis reperiatur in ea.

Ex quibus facile erit ſoluere fundamenta propoſita, ſi dicamus, talem actionem coctionem dici, quatenus quodammodo à calore naturali perficitur, & humor aliquam ſuſcipit aſſimilationem naturæ: non tamen abſolutè coctio dici meretur, quia etiam à calore extraneo humor ille alterationem ſubit, & putredinem namciſcitur, ex qua febris putrida ortum trahit: vnde licèt ab Hippocrate dicatur, quod optimum debet eſſe minimè fœtidum, non tamen illa particula *minimè*, excludit omninò fœtorem, ſed illius exiguitatem denuntiat, vt fatur Galen. *in comm.* nam cùm ibi magis eluceat coctio, quàm putredo, putredinis etiam accidentia deliteſcunt.

Secunda ſententia ex diametro præcedenti opponitur, quæ aſſerit, alterationem puris, & materiæ humoralis in febribus putridis eſſe veram putredinem; quam comprobant ex Hippocrate *lib. de vlceribus*, cuius verba tranſtulit Galen. 4. *methodi, cap.* 5. aiens: *Si caro aliqua telo tunc contuſa, tunc cæſa ſit, ita medendum eſt, vt quamceleriùs ſuppuretur; nam & minùs phlegmone tentabitur, & neceſſe eſt carnes, quæ cæſæ ſunt, & contuſæ, putrefactas, & in pus verſas liquari.* Ergo ſi partes cæſæ, & contuſæ putreſiunt, illa in pus verſio erit putredo. *Secunda ſententia præcedenti contraria.*

Secundò, ex eodem Galeno 1. *de differ. febrium, cap.* 7. & 9. vbi ſuppurationem vocat putredinem, quæ

quæ cùm fiat à calore præter naturam, non poteſt dici coctio.

Tertiò, vbi relucet effectus putredinis cauſam putrefacientem aſſignare debemus: ſed in pure genito relucet fœtor, qui eſt effectus putredinis: ergo puris generatio eſt putredo.

Quartò, ſuppuratio fit à calore partis inflammatæ (& idem ſtatuo de alia alteratione, quæ in humoribus recipitur, dum febrem excitant putridam: ſed talis calor eſt præter naturam: ergo à tali calore fieri debet. Nullus negat maiorem, minor de ſe patet; nam calor ille eſt in actu ad operandum; & cùm ſit calor additus naturali, totus efficitur præter naturam, & conſequenter actio ab illo prodiens.

Dices, ibi etiam dari calorem naturalem, qui ſimul cum calore addito operatur, atque adeò huiuſmodi actio vtrique calori eſt tribuenda, eritque coctionis, & putredinis particeps.

Contrà eſt, nam ſequeretur, quod humor ille moueretur ſimul duobus motibus contrariis, quod eſt implicatorium; nam humor ille, qui ſuppuratur, ſimul reciperet coctionem à calore naturali, & putredinem ab extraneo; coctio autem & putredo, motus contrarij ſunt, vt patet ex vtriuſque definitione; coctio enim perficit rem, quæ coquitur, & illius calorem, humidum ſicco admiſcendo; putredo verò rem quæ putreſit, deſtruit, illiuſque calorem diſſipat, humidum à ſicco ſegregans: ſed calorem perficere, & humidum cum ſicco vnire; calorem diſſipare, & humidum à ſicco ſeparare, contraria ſunt: ergo talis humor moueretur motibus contrariis; ergo vt hoc fugiamus inconueniens, tutius erit aſſerere, talem actionem eſſe veram putredinem.

*Secunda ſententia redarguitur.*

Sed hæc ſententia meritò impugnatur; nam ſi ſolâ putredine fieret pus, & ſedimentum, quod apparet in vrinis, ex quo coniicimus ſecuritatem, neutiquam poſſemus eam efficere coniecturam, quia per putredinem non oſtenditur victoria naturæ ſupra cauſam morbificam, ſed potiùs per coctionem; nam in tantum dicitur cauſa morbifica euicta, & ſuperata à natura, in quantum eſt cocta, non quatenus putrida: igitur ea actio, per quam humores alterantur, dum fit febris putrida, & per quam gignitur pus optimum, nequaquam abſolutè dici poteſt putredo. Denique nam ſola putrefactione non poteſt produci aſſimilatio humoris ad partes viuentes, cùm potiùs putredo ſimilitudinem deſtruat. Relinquitur ergo, quod in tali actione reluceat aliquod principium, cui talis ſimilitudo tribuatur; quod non poteſt eſſe principium putredinale.

Propter hæc fundamenta quidam ab iis extremis recedentes ſententiis, aliam excogitarunt mediam, aſſeruntque actionem hanc, neque eſſe coctionem, neque putredinem, ſed habere inter vtramque naturam mediam; ita vt ſit actio media participans vtriuſque extremi naturam. Ita ſentiunt Valleſ. 1. *prognoſt. comment. vltimo*, & 5. *controuerſ. capite* 4. Vega 1. *prognoſt. cit.* Veiga *de differ. febrium.*

*Valleſij ſententia, & illius comprobatio.*

Sed vt horum ſententia intelligatur, ſupponere oportet primò, quod in ſuppuratione relucent accidentia quædam putredinis, vt conſtat de fœtore, & calore putredinali, qui ibi reperitur. Similiter elucescunt accidentia coctionis, quatenus ibi humor perficitur, & naturæ aſſimilatur, & ad benigniorem deducitur ſtatum; quod oſtendit Galen. 2. *aphoriſm. com.* 37. & aliis locis. Quam ob cauſam antiqui actionem hanc quandoque coctionem, quandoque putredinem appellabant, iuxta exceſſum accidentium putredinem, aut coctionem concomitantium.

Secundò ſupponendum eſt tanquam certum, quod in parte inflammata, in qua humor ſuppuratur, adeſt neceſſariò calor præter naturam, ex quo, & ex gradibus caloris naturalis efficitur vnus calor totalis, & adæquatus, cui actio illa totalis, & adæquata tribui debet. Ratio eſt, nam iſti gradus cùm ſolùm differant numero, & vt alij volunt, ſpecie incompleta, non poſſunt informare vnum ſubiectum, quia ex omnibus vnus totalis reſultat calor; & idem ſtatuo de reliquis accidentibus ſolùm numero differentibus: nam quidquid præſtat vnum, præſtat & aliud, ſicque vno poſito alterum redundat accidens, naturaque nihil facit fruſtrà. Omitto in præſenti ſpecies intentionales, quæ etſi ſolo numero differunt, ſimul in eadem potentia recipiuntur, vt patet dum quis duo obiecta intuetur alba, aut nigra; à quibus ſimul recipit ſpecies numero tantùm differentes, quibus viſionem elicit; hæ enim realiter obiectum repræſentant, vt vna non valeat repræſentare obiectum alterius: quare neque ex omnibus efficitur vna ſpecies viſibilis, neque ad modum vnius ſe habent; ſecus verò contingit in reliquis accidentibus.

His igitur ſtatutis, probatur primò hæc ſententia. Calor à quo dimanat hæc actio, eſt vnus ex vtroque calore, naturali ſcilicet, & præter naturam, conflatus: ergo actio ab eo prodiens debet eſſe vna. Antecedens patet ex ſecundo notabili: conſequentia etiam patet, nam actio diuerſitatem numericam ſumit, non ſolùm à termino & ſubiecto, ſed etiam ab agente, vt ex phyſicis accepimus. Tunc ſic: Hæc actio vna non eſt coctio, nec putredo, vt iam ſuprà eſt inſinuatum: ergo eſt media inter vtramque.

Secundò: Hæc actio partim tribuitur calori naturali, partim calori præter naturam, ſiquidem adeſt aliqua aſſimilatio humoris ad ipſam naturam, quæ non poteſt reſultare, niſi intercedat naturæ operatio, ex qua ſimilitudinis relatio inſurgat, quæ anteà non erat. Pari ratione in ipſo humore relucet fœtor, qui putredinis ſoboles eſt: ergo cùm in effectu reluceat aliquid coctionis, & ſimilitudinis ad naturam, & aliquid putredinali cauſæ reſpondens, dicendum eſt, quod ab vtroque calore tanquam ab vnico comprincipio vnica actio procedit, quæ cùm non ſit abſolutè coctio, nec putredo, debet eſſe inter vtramque media.

Quod ſi aduerſus hunc dicendi modum inſurgas primò: Humor febrem putridam efficiens in ſalubritatem tendens, in ſtatu febris eſt perfectè coctus, vt ſigna coctionis oſtendunt: & eſt intensè putridus, vt accidentia putredinem conſequentia manifeſtant; ſed implicat humorem ſimul concoqui, & putrefieri: ergo & implicat, quod per actionem coctionis, & putredinis humor tales ſubeat alterationes; ſunt enim coctionis, & putredinis termini oppoſiti, atque adeo actiones illorum oppoſitæ eſſe debent.

Reſpondet Valleſ. id verum eſſe, dum per diuerſas actiones illi termini producuntur, non verò quando actio eſt vna, & terminus illius eſt etiam vnus; ſicuti enim actio eſt media, ita ſimiliter & terminus productus per illam: quare non eſt in terminis implicatio, cùm ſolùm ſit vnicus terminus.

Secundò poteſt obiici: Quod motu medio mouetur, non accedit ad vtrumque extremum, ſed quantùm ad vnum accedit, recedit tantùm ab altero; aqua enim tepida, quantum recedit à calore,

tantùm accedit ad frigus; corpus etiam calorem medium habens, per receſſum à calore medio, accedit ad vnum extremorum, non autem ad vtrumque ſimul: ergo cùm humor qui ſuppuratur, ſimul adquirat terminum coctionis, & putredinis, non poteſt ad vtrumque extremum accedere vnica actione mediâ.

Huic obiectioni ſatisfacit Valleſ. & inquit, id verum eſſe in iis qualitatibus, quarum alterutra ineſt mobili, vt calor, frigiditas, candor, aut nigrities: cæterùm id non requiritur in humore, dum ſuppuratur, qui nec petit eſſe concoctum, neque putridum, ſed crudum; cuiuſmodi eſt humor in morbi principio, qui habet priuationem vtriuſque termini; tuncque motu medio poteſt ſimul ad vtrumque peruenire, præſertim quando ille terminus eſt etiam medius.

Tertiò obiicitur contra vltimam Valleſ. reſponſionem: In principio febris putridæ, aut inflammationis, humor ille eſt coctus: ergo non habet priuationem coctionis: ergo non incipit ab obiecto coctione nudo. Antecedens patet, nam ſanguis verbi gratiâ, dum ſuppurari incipit, poteſt eſſe bonus, & laudabilis, qui in iecore optimam recepit coctionem, per quam ſanguinis formam adquiſiuit; idem ſtatuo de reliquis humoribus, ex quibus febris putrida fit.

Reſpondetur, ſanguinem, & reliquos humores non dici crudos reſpectu actionis, quæ perficitur in iecore, per quam generantur, quam ſecundam coctionem appellamus; ſed reſpectu tertiæ coctionis,quæ peragitur in venis, & reliquis partibus, quâ in principio morbi carent, per quam generatur in venis ſedimentum, quod apparet in vrinis, & pus in inflammationibus inuentum; ſicque reſpectu huius coctionis tertiæ, quam poſt ſecundam recipit ſanguis, dicitur crudus.

Ex dictis iam claret, quantam vim habeant horum opinantium fundamenta, quibus adhuc mni - mè aſſentiri poſſum; nam licèt ſit nimis probabile, hanc actionem eſſe vnam adæquatè, reſpectu ſcilicet totius materiæ morbificæ, quæ tali alterationis motui ſubiicitur; non tamen inadæquatè, & reſpectu diuerſarum partium illius materiæ, actio illa poteſt eſſe vna, ſiquidem vt infrà conſtabit, eſt impoſſibile, vt eadem materia circa eandemmet partem ſimul recipiat terminum ipſam materiam perficientem, & eam corrumpentem, quanuis terminus ille dicatur vnus, & ab vnica actione pendens. Hoc quidem magis dilucidabitur concluſionibus ſequentibus.

*1. Concluſio tenenda.*

Sit ergo prima concluſio: Materia morbifica, nec ſola coctione perficitur, neque ſola putredine ad corruptionem paratur. Hæc aſſertio facilè conſtat ex impugnatione fundamentorum primæ, & ſecundæ ſententiæ; quarum vna per coctionem, altera per putredinem materiam morbificam alterari intendebat; ex earum tamen fundamentis percipitur illammet materiam aliquam perpeti coctionem, & putredinem.

*2. Concluſio.*

Sit ſecunda concluſio. Actio per quam diſponitur materia morbifica vſque ad morbi ſtatum, adæquatè eſt vna. Quæ concluſio probatur eiſdem fundamentis, quibus Valleſ. ſuam comprobat ſententiam; quæ & vlterius probatur. Vt actio dicatur vna, requiritur identitas agentis, ſubiecti, temporis, & termini. Sed actio hæc habet vnum numero agens, vnicum ſubiectum, & terminum, & vnico tempore fit. Igitur eſt actio vna. Maior recipitur ab omnibus, ſiquidem ex cuiuſque variatione etiam ipſa variatur actio. Minor quoad ſingulas particulas probatur: in primis eſt idem agens, nam ibi datur calor mixtus ex vtroque calore conflatus; quorum neuter operatur ſine alio; & cùm ille ſit totalis, & adæquatus, à toto illo procedit actio, eſt enim totus in actu ad operandum, neque aliquid ex parte ſui deficit.

Quod verò huius actionis ſubiectum ſit materia adæquata humoris febrem excitantis, etiam patet; nam ille humor eſt intra ſphæram illius caloris, ab eoque alterationem ſubit, per quam diſponitur ad coctionem, & putredinem, continuóque alteratur à morbi initio vſque in illius ſtatum, ſine temporis differentia.

Quod tandem terminus huius actionis ſit vnus adæquatè, reſpondens illi actioni, probatur; nam tota illa materia alteratur ab vnico agente, & vnica actione: ergo & terminus huius actionis debet eſſe vnus, præſertim in ſententia opinantium, actionem identificari cum termino: in aliorum verò ſententia etiam tenet verum; nam licèt vnius actionis poſſit aſſignari terminus primarius, & ſecundarius; non tamen terminatur in duplicem terminum primarium.

*Obiectio contra concluſionem.*

Quod ſi primò obiicias, hîc dari duplicem terminum, coctionis nempe, & putredinis, eo quod illa materia habet aliquid vtriuſque, vt prima noſtra aſſertione admiſimus.

*Ad illam reſponſio.*

Reſpondetur, dari duplicem terminum inadæquatè, & adæquatè vnum; ſunt enim quædam partes materiæ morbificæ putredini obnoxiæ, in quibus putridinis terminus recipitur; & aliæ coctioni magis aptæ, in quibus terminus coctionis elucet: verùm hi termini non ſunt adæquati, quia neuter illorum recipitur in tota materia; ſed potiùs inadæquati. Terminus verò adæquatus huius actionis eſt qui in toto humore adæquato recipitur. Sed vt luce clarior euadat noſtra aſſertio, hoc exemplo demonſtrari poteſt. Actio ſanguificandi inadæquatè in materia chili magis diſpoſita ad formæ pituitæ introductionem, illius formam inducit, & ſic in quouis alio humore; at verò adæquatè in tota chili materia omnium humorum formas introducit, quorum formæ ſunt terminus adæquatus actionis, quia actionem illius productiuam adæquatè terminant. Pari ratione eſt philoſophandum in productione termini in materia febrili humorali recepti. Vnde infertur, quod cùm coctio, & putredo, per quas alteratur materia morbifica,motus contrarij ſint, & in contrarios tendant terminos, ita vt terminus à quo vnius excludat terminum ad quem alterius, nequeunt ſimul immutare materiam morbificam ſecundùm eandem partem, bene tamen ſecundùm diuerſam, iuxta quam doctrinam accipitur Galeni ſententia *lib. artis medic. cap.* 89. vbi ait: *Coctio facit ceſſare putredinem manente ſubſtantiâ.* Atque adeò euidenter conſtat, ſimul in eadem parte non poſſe dari huiuſmodi motus, eo quod vnus deſtruit alterum, & illius termini ſunt oppoſiti.

*Obiectio ſecunda.*

Sed adhuc iis non acquieſcit mens, nam licèt coctio, & putredo ſint contrariæ in gradibus intenſis, vt dicere ſolemus de calore, & frigiditate; & in iis gradibus non poſſint coëxiſtere ſubiecto, benè tamen in gradibus remiſſis, non excedentibus mediocritatem: quare in iis gradibus ſaltem ſaluari poteſt, quod termini coctionis, & putredinis vnicam materiæ partem afficiant, ſicque vtraque actio poterit reperiri in eademmet parte materiæ morbificæ.

*Obiectionis ſolutio.*

Reſpondetur, diſparem eſſe rationem inter coctionem & putredinem, calefactionem & infrigidationem; nullam enim inuoluit repugnantiam, ſi daretur corpus aliquod néque aliquem caloris, aut

frigidita

frigiditatis gradum poſſidens, quod ſimul vſque ad mediocritatis gradum calorem, & frigiditatem reciperet; ſiquidem in iis gradibus nulla datur contradictio, & hoc modo reperiuntur in mixtis; at verò termini coctionis, & putredinis, neque in gradu remiſſo, aut intenſo poſſunt eandem occupare partem, quia in quolibet gradu contrarij exiſtunt; quod quidem patet, nam coctio à principio calorem perficit, partes vnit, miſcendo humidum cum ſicco, & ſubſtantiam quæ coquitur, ad benigniorem ſtatum deducit: econtrà putredo calorem natiuum diſſipat, rem perdit, & humidum à ſicco ſeparat. Quæ omnia contrariè opponuntur iis, quæ coctioni adueniunt, neque vni, aut duplici actioni adæquatè conuenire poſſunt in vnica præcisè parte, vt ex definitione coctionis, & putredinis ab Ariſtot. tradita quivis colligere poteſt.

*Obiectio tertia.* Tertiò obiicitur contra noſtræ concluſionis veritatem: Vni vnum eſt contrarium, ex Ariſtot. 1. *de cœlo, cap. 2. text.* 30. & 10. *Metaphyſ. cap.* 8. ſed cruditas contrariatur coctioni: ergo non putredo.

*Reſponſio.* Reſpondetur, quod vnum eſt contrarium poſitiuum, non tamen implicat habere aliud contrarium priuatiuum; motus enim ſurſum opponitur motui deorſum, & habet quietem priuatiuè oppoſitam. Coctio ſimiliter, & putredo poſitiuè opponuntur: cruditas verò priuatiuè coctioni opponitur.

*Obiectio quarta.* Quartò obiiciunt: Paſſum eſt in potentia ad recipiendum vtramque actionem, & ex alia parte vtrumque agens, calor nempe naturalis, & præter naturam, habet virtutem ad producendam eammet in paſſo: ergo illud paſſum ſimul mouebitur motibus contrariis.

*Reſponſio.* Reſpondetur, nec paſſum habere potentiam in eiſdem partibus ad recipiendam coctionem, & putredinem, propter earum & ſuorum terminorum implicationem; benè tamen in diuerſis: neque agens valet in eadem parte eas producere propter eandem rationem.

*Obiectio quinta.* Quintò arguitur ex Galeno 2. *aphoriſm. com.* 30. nam iuxta illius doctrinam in morbo ſalubri videtur, quod in ſtatu minùs debet eſſe putredinis, quàm in aliis temporibus; ſiquidem ait: *Vbi morbi conſiſtunt, neceſſe eſt eſſe meliores in iis, qui ſanitati debent reſtitui.* Ergo ſi in ſtatu illi morbi ſunt meliores, ideò fit, quia à minori pendent putredine.

*Illius reſponſio.* Reſpondetur, eo loco ſolùm ſignificare Galen. quod in principio materia ſit cruda, & nondum adepta aliquam coctionem, ideoque deterior cenſetur quàm in ſtatu: non tamen inde colligitur, quod in principio habeat maiorem putrefactionem, quàm in augmento, & ſtatu; nam aliud eſt morbum eſſe intenſiorem, aliud verò eſſe meliorem. Dicimus ergo, quod in ſtatu morbus eſt intenſior, & in eo vigent accidentia, quæ morbi intenſionem, & vehementiam oſtendunt. In eodem etiam ſtatu morbus eſt melior, quod cognoſcimus ex ſignis coctionis, & ex aliis quibus oſtenditur victoria naturæ ſupra cauſam morbificam.

Iuxta hanc doctrinam excludimus ſententiam opinantium materiam morbificam non ſimul concoqui, & putrefieri, ſed in diuerſis temporibus, cuius contrarium ratio, & experientia oſtendunt; experimento enim diſcimus in principio ſimul materiam diſponi ad coctionem, & putredinem, & vtrumque motum perfici vſque ad ſtatum, licèt magis præualeat coctio, quàm putredo. Ratione etiam notum fit, quia circa initia cauſa putredi-
A nem inducens eſt remiſſior, quàm in augmento, & ſtatu, in quibus vehementior in operando exiſtit, vt accidentia vehementiora putredinem conſequentia portendunt. Neque inuoluit repugnantiam, quod ſimul eadem materia morbi à principio in ſtatum putrefiat, & coquatur; nam huiuſmodi motus non fiunt circa eandem partem, ſed circa diuerſas ipſius materiæ, vt iam traditum eſt.

Ex hac ſecunda concluſione tertiam deduco, quæ talis eſt: Pus & materia morbifica recipiunt ſimul coctionem, & putredinem à principio morbi ſalubris vſque ad ſtatum, ita vt non ſit aſſignabilis pars ſenſibilis, quæ non participet vtramque actionem; non tamen per eadem minima inſenſibilia, ſed per diuerſa; ea tamen lege, vt multò magis intenſa procedat coctio, quàm putrefactio; & multò magis extenſa in pluribus minimis inſen- *3. Concluſio.*
B ſibilibus: ſenſibile autem minimum nullum eſt, in quo non inueniatur vtraque actio; reſpectu tamen diuerſorum minimorum inſenſibilium, ex quibus minima ſenſibilia conſtant. Hæc concluſio eſt veluti corroboratio ſecundæ concluſionis, in qua diximus actionem alteratiuam humorum & ſuppurationem eſſe adæquatè vnam, inadæquatè plures; cùm enim coctio, & putrefactio non poſſint ſimul eandem materiæ partem exquiſitam afficere, ob rationes ibi tactas, & inferiùs à nobis tradendas; & nulla ſit ſenſibilis pars humoris, in qua non reluceant in morbo ſalubri accidentia coctionem concomitantia, & vigeant etiam putredinis aliqua ſigna, quæ ob eorum contrariam, & repugnantem naturam non poſſunt ſimul informare eandem præcisè materiæ partem, conſultò dicimus, ab ipſa parte talem coctionem participari per minima illius inſenſibilia, quæ in morbo ſalubri ſunt
C plura, quàm in morbo, qui ad mortem terminatur, ſicuti econtrà accidit in morbo lethali; ſenſibiliter autem nulla pars eſt aſſignabilis, in qua non reluceant coctionis, & putredinis accidentia.

Verùm ad huius quæſtionis maiorem intelligentiam primò aduertendum eſt iuxta magis probabilem ſententiam, quod alimentum ex quo generantur humores, etiamſi magis homogeneum ſit, ſemper habet partes, quæ diuerſis reſpondent elementis, ex quibus incoctionibus reſultant ex Galeni ſententia ſaltem duo excrementa, tenue vnum; alterum craſſum: neque ad hoc eſt opus probatione. Similiter alimentum nutritioni inſeruiens non poteſt eſſe æqualiter ſecundùm omnes partes diſpoſitum, vt ſic conuertatur in aliti ſubſtantiam; quod quidem habet, tum ex parte ſui, ob partium diuerſitatem; tum etiam ex maiori, vel minori applicatione ipſius ad partes viuentis, à quibus *Nota huiuſmodi animaduerſiones quæ veritatem doctrinæ declarant.*
D medio calore naturali coquitur, & ad nutritionem diſponitur magis illud, quod magis partibus viuentis appropinquat: ex quo fit, vt remaneant aliquæ partes alimenti, quæ magis ineptæ ex ſe ſunt aſſimilationi, & minùs aſſociantur calori naturali; quæ quidem poſſunt plus de calore præternaturam participare, & per illum ad putredinem diſponi: licèt etiam aliquod beneficium à calore naturali ſuſcipiant, ſiquidem quandam ſimilitudinem iuxta earum poſſibilitatem nanciſcuntur. Illas ergo partes humorum, quæ magis benignæ, & familiares naturæ ſunt, ipſa natura ad ſe allicit, & aſſimilare intendit; reliquæ verò, vtpote magis diſſimiles, & nutritioni ineptæ, non attrahuntur ita facilè, neque ita facilè beneficium à natura illatum ſuſcipiunt; ſicque à calore præter naturam alterantur, & putrefiunt.

*Secunda animaduerſio.* Ex hac prima animaduerſione infertur ſecunda, non minùs neceſſaria ad propoſiti notitiam, nempe: Quod coctionem recipit, non adeò exactam ſimilitudinem recipit, vt nutrire poſſit, quia cauſa putrefaciens, quæ ibi præſens exiſtit, licèt in illis partibus putredinem inducere non potuerit, reſiſtentiâ tamen ſuâ impedit perfectum aſſimilationis gradum, quem quidem induceret facultas concoquens, ſi non impediretur à cauſa putrefaciente. Sic ſimiliter in partibus, quæ putreſiunt, licèt facultas concoquens non habeat victoriæ actionem, habet tamen reſiſtentiam, per quam impedit, ne intenſa putredo inducatur in minimis putreſcentibus: ex quo naſcitur ſecuritas morbi, qui non poteſt eſſe periculoſus; ſiquidem naſcitur à materia quæ in pluribus partibus habet coctionem intenſiorem, in paucis verò putrefactionem remiſſiorem, quarum praua qualitas cohibetur ex actione reſtitiua cauſæ concoquentis, & conſortio plurimarum partium, quæ coctionem ſunt adeptæ.

*Tertia animaduerſio.* Tertiò animaduerto, quod cùm iſtæ partes ob præſentiam cauſæ putrefacientis, & ob qualitates à natura alienas, quas receperunt, & quia ſunt admiſtæ nimis partibus quæ putreſiunt, non poſſint omnimodè aſſimilari, nec nutrire; hinc eſt, vt etiamſi finiatur morbus, dummodò criſi perfecta non terminetur, indigent purgatione; nam quæ relinquuntur in morbis poſt iudicium, hoc eſt poſt morbi ſolutionem, aut iudicium non abſolutum, recidiuas facere conſueuerunt, vt docet Hippoc. 2. *aphoriſm. text.* 12.

*Vltima animaduerſio.* Demùm animaduerto, quod cùm duæ cauſæ oppoſitæ, concoquens, & putrefaciens, à principio morbi vſque ad ſtatum ſemper ſint applicitæ materiæ morbificæ, ſemper agunt in illam, quia à principio inueniunt materiam crudam, & priuatam termino actionis vtriuſque, & in potentia ſaltem per diuerſa minima ad coctionem recipiendam; ita vt toto morbi tempore vtraque intendatur actio in iis partibus materiæ, quæ magis apta eſt receptioni, & ſingulis cauſis ſunt magis coniunctæ; ex quo ſequitur, quod in ſtatu quælibet pars materiæ ſenſibilis habet maiorem, & intenſiorem vtramque actionem, ita vt quælibet pars ſenſibilis materiæ dicatur ſimul magis cocta, & putrefacta, quàm in principio, & augmento. Similiter, quia in morbo ſalubri multò fortior eſt cauſa concoquens, quàm putrefaciens, ideò multò plus cocta quàm putrefacta relucet materia; ita vt ſi cauſa putrefaciens v. g. produxit à principio in ſtatum duos gradus putrefactionis in ſuis minimis, cauſa coquens producit quatuor, vel quinque; incipiente tamen vtraque cauſa à gradibus remiſſioribus, donec ad ſtatum deueniant, in quo in gradu poſſibili iuxta actiuitatem vtriuſque cauſæ, in diuerſis minimis reperitur intenſa coctio, & intenſa putredo.

Ex hac doctrina infero quàm malè Valleſ. huiuſmodi terminos attribuat vni actioni mediæ, quæ nec abſolutè dicitur coctio, nec putredo, ſed media inter vtramque; ſiquidem ſequuntur inconuenientia à nobis ſuperiùs tacta: nam licèt huiuſmodi actio non ſit putredo, neque coctio, ſapit tamen naturam vtriuſque, ſiquidem eſt media per participationem. Quapropter licèt in ſubiecto non habente aliquem caloris, aut frigiditatis gradum poſſint ſimul introduci vſque ad mediocritatem calor, & frigiditas; non tamen ad talem mediocritatem inducendam ſufficit vna actio, ſed requiruntur duo agentia, vnum ad inducendum frigus, & alterum ad producendum calorem: ergo

A pari ratione dum terminus coctionis, & putredinis particeps inducitur, petit duas actiones, quia non minorem oppoſitionem, imò maiorem habent inter ſe coctio, & putredo, quàm calor, & frigiditas; nam etſi, vt dixi, calor & frigiditas in gradibus aliquibus nullam habeant contrarietatem, coctio tamen, & putredo in quocunque gradu contrariè ſe habent; nam eſt impoſſibile, quod duplici motu lationis idem mobile moueatur. Quia ergo in quocunque gradu coctio vnit partes, quæ erant ſeparatæ, neceſſe eſt, vt amittant præſentiam quam habebant, & aliam adquirant; ſi enim localiter moueantur, & putredo in quolibet gradu partes vnitas diſgreget, & ad contrariam vbicationem deducat, eſt impoſſibile quod tale mobile ſimul hoc duplici motu moueatur, ſiue motus producatur per vnam, aut duplicem actionem. Demùm in ſtatu morbi eſt intenſa coctio, & putredo; imò intenſior quàm in principio, & augmento: quod neque ipſe negat, qui 2. *aphoriſm. comm.* 30. inquit: *In vigore intemperies maxima eſt, & ſuccus ſummam putredinem comparauit; eſt enim hæc ſumma putreſcentia morbi ſalutaris, quam & ſummam coctionem appellamus, vt aliis locis docuimus: ſymptomata etiam propria maxima ſunt eo tempore, nam hæc cum morbo creſcunt, & decreſcunt.* Qua ergo ratione poteſt compati, quod in eodem ſubiecto reluceant ſimul accidentia putredinem, & coctionem connotantia? Vt ergo hæc effugiamus inconuenientia, ſecuriùs dici poteſt intra bonæ Philoſophiæ metas, quod illi termini licèt producantur in tota materia ſenſibili, & in qualibet illius ſenſibili parte; implicat tamen, quod per eadem minima inſenſibilia recipiantur, ſed potius per diuerſa, eo modo quo dictum eſt; ſicque termini illi petunt fieri à duplici cauſa, & duplici actione, quarum nulla reſpectu totius materiæ eſt adæquata; vtraque tamen per modum vnius totam materiam alterat, & adæquata dici meretur.

## §. II.

### *Proſequitur Author cauſarum febrilium enumerationem.*

PRæter cauſas à nobis ſuperiùs traditas, aliæ ſuperſunt, inter quas conſtituit Galenus calidi effluxus detentionem, ſub qua comprehendimus cutis conſtipationem, aut obſtructionem. Ad cuius intelligentiam ſupponere oportet ex Galeno 1. *de different. febrium, cap.* 3. quod corpora noſtra duplici modo difflantur, & attemperantur; vel effuſis ad exteriora vaporoſis, atque fuliginoſis excrementis per poros, & meatus, quibus cutis conſtat; aut attracta per illos aëreâ ſubſtantia: ad hos enim vſus natura fabrefecit cutem totam foraminibus plenam. Quo ſuppoſito, ſi aliqua cauſa acceſſerit cutem denſans, & meatus anguſtiores reddens, vapores calidi intrà detinentur, & humores, & ſpiritus ab illis ſuccenduntur: & cùm ex alia parte ob prædictum impedimentum ventilatio deficit, neceſſariò incaleſcit corpus, & incidere ſolet in febrem; & hanc ob cauſam plures refrigerati febrem patiuntur diariam, quatenus frigus cutem denſat, & meatus conſtringit; & ſi in humoribus morboſa diſpoſitio apparet, vel adſit morboſus apparatus, ex diaria fit febris putrida, aut à principio putrida perſeuerat.

*De cauſa caloris ex cibo, & potu deſumpta.* Aliam cauſam refert Galenus, nempe cibum, & potum; talia namque intus ſumpta, vt antiquum vinum, cepa, allium, piperve, & huiuſcemodi alia, præſertim in nimia quantitate, febrem

efficere

efficere valent; non tamen id efficiunt, vt alimenta ſunt, ſic enim ſolùm habent hoc, quod eſt noſtram ſubſtantiam nutrire, & in illam conuerti; ſed potiùs calorem, & febrem ſuccendunt, quatenus alterant, & calorem immodicum producunt; quibus quidem in humores conuerſi, ex illis febres gignuntur, quia plus iuſto calidiores ex iis alimentis humores generantur.

Vltimam cauſam conſtituit viciniam rei calidæ, circa quam nulla eſt apud Medicos dubitatio; cùm enim corpus intra ſphæram actiuitatis caloris collocetur, ita vt calor illud attingat contactu aliquo virtuali, ſiue quantitatiuo, illud calefacere à nemine dubitatur.

Sed licèt ad huiuſmodi cauſas aliæ, quas tradunt Authores, reducantur, vt ſuprà in argumentorum ſolutionibus reſponſum eſt, de inedia tamen eſt aliquantulum difficilius, ad quam ex his cauſis reduci debet. Quod verò inedia, ſiue alimenti defectus calorem generet, quotidie obſeruatur, & eſt iuxta mentem Galeni 2. *de ratione victus in morbis acutis, comment.* 24. vbi ait: *Corpus magis tum ſicceſcit, tum igneſcit iis qui conſuetum relinquunt prandium.* Et ibi *comment.* 30. inquit, quod bilis humor in ipſis inediis amarior redditur. Et 8. *method. capite* 2. damnat inediam quia vehementes febres, & alia incommoda facit.

*Inedia an calorem excitet.*

Sed qua ratione inedia id efficiat, examinare oportet. Valleſ. 4. *controuerſ. cap.* 3. aſſerit, quod in alimentorum defectu calor naturalis conuertitur ad excrementa bilioſa, quæ ob eorum ſiccam, & igneam naturam vlteriorem calorem comparant; & ſic corpus calefaciunt, & febrem generant bilioſam: quæ caloris comparatio à propria forma reſultat, ſuppoſitâ illâ diſpoſitione antecedenti.

Sed iſte Author non explicat quare tempore inediæ calor naturalis conuertitur ad excrementa, & non antea; nam calor noſter agens naturale eſt, ſemperque operabitur dum fuerit appropinquatum paſſum. Cùm igitur tempore inediæ non magis appropinquentur excrementa illa, quàm alio tempore, non poteſt contingere circa illa caloris actio magis quàm antea, ac conſequenter inedia hoc modo non poteſt eſſe febris cauſa.

Alij verò vt hanc defendant ſententiam aſſerunt, ante defectum alimenti impediri actionem caloris naturalis erga illa excrementa ab humiditate ipſius alimenti; quorum ſententia fundamentum habere poteſt in verbis Ariſt. *ſect.* 24. *problem.* dum quærit, cur fundus vaſorum non vrit, quæ aquam feruentiſſimam continent, ſed plerique è fundo ſuſtinentes illa deportant, aqua verò ipſa extracta maximè vrit.

Reſpondetur quidem, rationem eſſe, quia caloris fundi actio impeditur ab humiditate aquæ; & hanc ob cauſam metalla igni appoſita non liquefiunt, ſi humiditati adiungantur; & calor in ſubiecto humido non eſt ita efficax in operando, ſicut ſi ſiccitati adiungatur, ita vt communiter dicatur, quod ſiccitas eſt lima caloris, ideſt ſiccitas acuit calorem in ſuis actionibus; quod quidem humiditati denegatur.

*Ariſt. problema proponitur.*

Quare dicendum eſt iuxta Valleſij, & horum ſententiam, excrementa magis incaleſcere deficiente alimento, quod ſuâ humiditate caloris actionem circa excrementa impediebat; & ſimul excrementorum ſiccitatem remittebat: at verò ſemel amiſsâ humiditate, à propria excrementorum forma ſiccitatem pullulare neceſſe eſt, ſicut ſemoto calefaciente ab aqua, ipſa à propria forma reducitur ad frigiditatem naturalem. Poſitâ ergo in excrementis ſiccitate, quæ eſt diſpoſitio in excrementis bilioſis ad calorem, non mirum ſi in illis intenſior gradus caloris ab ipſis producatur, ita vt vniuerſum corpus calefaciant, & febrem excitent. Sic ſimiliter vaſorum fundus aquam non continens maximè vrit, quia calor habet ſiccitatem ſibi adiunctam, cuius actio non impeditur eo tempore ab humiditate aquæ, quæ ſiccitatis actionem remittere ſolet: at verò præſente humiditate ſiccitatis ignis actio impeditur, ità vt metalla in aqua liquari minimè queant; & hoc fit, quia actio caloris ignis indiget actione ſiccitatis ipſius, vt ambo ſimul in metalla liquabilia cooperentur.

Alij verò dicunt, famem corpora exſiccare, non quia excrementa corpora exſiccant, vt diximus; ſed quia deficiente alimento, quod humidum reparat, corpus exſiccatur partim ab aëre ambiente, partim à calore naturali. Quod probatur ex Galeno 7. *aphoriſm. comment.* 59. vbi ad huiuſmodi cauſas in fame, corporis exſiccationem reducit: & probari poteſt mille aliis locis; vbi aſſerit, calorem naturalem excitare fluorem, & diſſipationem noſtræ ſubſtantiæ: idemque teſtatur Auicen. *fen.* 1. *lib. primi, doct.* 4. *capite* 3. Hanc tueri poſſunt ſententiam, qui inter mortis naturalis cauſas calorem naturalem conſtituunt; quæ ſententia non eſt rationi abſona, nec Authores habet infimæ notæ. Eam tamen pertractare pertinet ad libros de temperamentis, vbi de cauſis mortis naturalis agitur; dicta tamen ſufficiant pro præſenti quæſtione. Scire tamen licet, famem reduci ad viciniam rei calidæ; nam alia excrementa, ſiue calor naturalis, in tantùm calefaciunt corpus, in quantùm illi ſunt approximata.

---

## QVÆSTIO V.

### *Num præter cauſas naturales febris à nobis aſſignatas, aliæ ſuperſint altioris ordinis.*

HÆc quæſtio non ſolùm ſe extendit ad inueſtigationem cauſarum febrilium altioris naturæ, ſed etiam poteſt intelligi de eiſdem cauſis reſpectu aliorum morborum. De omnibus ergo veritas eſt examinanda.

Sed antequam ad quæſtionis enodationem deueniamus, ſcire oportet, quod nomine cauſarum altioris ordinis intelligimus cauſas, quæ virtute naturali ſuperant cauſas inferiores à nobis traditas, & alias, quæ in hoc orbe ſublunari habent vim morbos progignendi; hæ quidem ſuperant humanam naturam, quapropter Ethnici eas diuinas eſſe dicebant. Inter quas prima eſt Deus optimus maximus, qui primum diuinum dicitur. Secunda ſunt Angeli, ſiue boni, ſiue mali, quia naturæ humanæ ſuperant conditionem, & effectus mirabiles producunt.

Tertia ſunt corpora cœleſtia, & eorum fulgentia ſydera, quæ omnem creaturam ſublunarem corruptibilem excedunt: neque ob aliam rationem Gentiles Solem adorabant, niſi quia illius pulchri

pulchritudinem contemplabantur, eius ordinatum, & perpetuum motum, qui ampliſſima magnitudine, & poteſtate conſtat; eſt enim, vt inquit Plinius *lib. 2. naturalis hiſtoriæ, cap. 6. Non temporum modò, terrarumque, ſed ſiderum etiam ipſorum, cœlique rector. Hunc mundi eſſe totius animum, ac planiùs mentem; hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet opera eius æſtimantes. Hic lucem rebus miniſtrat, aufertque tenebras; hic reliqua ſidera occultat, hic vices temporum, annumque ſemper renaſcentem ex vſu naturæ temperat; hic cœli triſtitiam diſcutit, atque etiam humani nubila animi ſerenat; hic ſuum lumen cæteris quoque ſyderibus fœnerat, præclarus, eximius, omnia etiam exaudiens, &c.*

Quid ergo mirum, quod ſol, & reliqua ſidera diuini nomen aſſequantur, cùm tot miranda ex ipſis nobis adueniant, præſertim cùm dicat Gal. 1. *prognoſt. Ea diuina appellari debere, quæ dumtaxat vt mirabilia habentur.*

Dubitabis tamen, & meritò, quam ob cauſam Galenus explicans Hippocratis mirabile dictum, nempe: *Et ſi quid diuinum eſt in morbis, eius diſce prouidentiam*; aſſerit nomine diuini nos debere intelligere aërem, ita vt aër ſortiatur rationem cauſæ diuinæ reſpectu aliquorum morborum, qui ex aëris temperie, & conſtitutione fiunt.

*Quare aër diuinus appellatur.*

Reſpondetur, aërem ab antiquis diuinum appellari, quia nobis impartitur influentias à cœlo prodeuntes; quæ quidem cùm à cœlo, quod diuinum dicebatur, apud illos originem trahant, & in aëre recipiantur, vt ſic nobis communicentur; ideò quodammodò rationem diuini participare viſus eſt: fiunt enim ex eo morbi populariter graſſantes, de quibus egit Hippoc. per libros epidim. & nos attingemus tractatu de febre peſtilente. Cùm ergo aëris temperies adſcititia plurimùm fiat ex variis aſpectibus planetarum, & quotidie aër immutetur à qualitatibus cœleſtibus, & hoc præcisè eſt neceſſarium ad huius mundi gubernationem, non mirum ſi inter diuina collocetur, & de eo maximam habeamus in morbis prouidentiam, ita vt ab illo etiam ad morbos profligandos ſumatur indicatio, vt docet Galen. *lib. 3. methodi.* In præſenti tamen omittimus cauſas cœleſtes, & aërem; nam ſæpe illorum percipimus effectus, & ſecundùm naturæ ordinem fiunt, facileque poſſunt comprehendi ſub cauſis à nobis antecedenter relatis, quatenus ſcilicet noſtra immutant corpora, ea calefaciendo, vel refrigerando, aut aliter immutando. Eſt igitur ſermo de aliis cauſis, quæ in modo operandi naturæ ordinem mutant, neque illius adſcribuntur regulis; quod maximè expedit cognoſcere, vt precibus, & orationibus potiùs Dei auxilium implorantes, quàm aliis auxiliis morbos deuaſtemus.

Eſt ergo prima cauſa Deus, qui immediatè valet producere morbos abſque cauſarum ſecundarum actione; quidquid enim efficit cum cauſis ſecundis, ſe ſolo efficere poteſt, cùm omnia ex nihilo creauerit.

Neque obſtat, morbum eſſe vitium quoddam corporale, Deus autem varia corrigit, & omnia perficit, atque adeò non poterit producere morbum. Quod confirmat Plato 2. *de Republ.* dum ait: *Cauſam malorum Deum eſſe, cùm bonus ſit, omni ratione deuitandum, ac reiiciendum.* Cum ergo morbus ſit quid malum, quia priuationem dicit ſanitatis, quæ eſt naturæ bonum, non videtur poſſe fieri à Deo. Hippocrat. etiam *lib. de morbo ſacro*, inquit: *Deus eſt hominum purificator, & eos liberat ab omni malo.* Ergo non

A producit morbum, qui hominem lædit.

Horum facilis eſt ſolutio; ſæpe enim Deus ſuos affligit, vt plagis eos perficiat, ſiue per ſe immediatè, ſiue cum cauſis ſecundis. Ita dicitur *Tobiæ cap. 2. Permiſit enim Deus, vt cæcitas Tobiæ eueniret, vt poſteris daretur exemplum patientiæ eius, ſicuti & ſancti Iob.* Neque implicat, Deum poſſe producere malum pœnæ, vt diximus de Tobia, & Iob; ita vt illud malum ſit propter aliquod bonum, vel vt hominem cruciet, & puniat, vt 4. *Regum, cap. 5.* dicitur de Giezi, qui leprâ fuit correptus, quia à Naaman talenta accepit: & de Saul 2. *Regum, cap. 16.* quem ſpiritus Dei malus agitabat; immò de omnibus damnatis, qui iuſtè puniuntur. Non verò poteſt producere malum culpæ; eſt enim Deus ſumma bonitas, ſplendor æternus, pulchritudo, & purificatio omnium rerum. Quia ergo morbus eſt malum pœnæ, illum adhuc immediatè producere valet. Qua de cauſa

B Diuus Auguſt. *lib. aduerſus Dimantrum, cap. 26.* ad illa verba Amos 3. *Non eſt malum in ciuitate, quod Deus non fecerit*, ſic inquit: *Malum hoc, non peccatum, ſed pœna intelligenda eſt: dupliciter enim appellatur malum; vnum quod homo facit, alterum quod patitur pœnâ; de pœnis ergo loquebatur Propheta.*

Sed quia ex Hippocrate *lib. de flatibus*, conſtat, quod medicina eſt appoſitio, & detractio; appoſitio deficientium, & detractio redundantium, faciendum eſt, quoſdam morbos fieri adiectione rei præter naturam, qui eiuſdem rei detractione curantur; alios verò fieri detractione, qui additione auferuntur. Si ergo Deus valet per ſe immediatè producere morbos, vel debet aliquid præter naturam producere, quantitatem ſcilicet adaugendo, aut numerum partium multiplicando, aut qualitatum temperiem ſubuertendo, illis extra

C ordinem naturæ maiorem intenſionem præbendo, ita vt proportionem non ſeruent, & actionibus officiant: vel aufert aliquod neceſſarium ad actiones eliciendas, abſtrahendo concurſum, quo cum cauſa ſecunda illud producebat; tunc etenim cauſa ſecunda ob defectum concurſus cauſæ primæ operari nequit: v. g. poteſt Deus abſtrahere concurſum, cum quo potentia nutritiua operabatur; & inde non mirum ſi homo incidat in atrophiam: vel poteſt impedire illuſtrationem, aut deſcenſum ſpirituum animalium ad aliquam partem corporis; ſic enim ſtatim homo incidet in paralyſin illius partis: nam qui dat virtutem cauſis ſecundis ad agendum, poteſt earum virtutem detrahere, abſtrahendo concurſum iuxta naturæ regulas illis debitum; quod quidem fortaſsè magis propriè diuinum appellauit Hippocrates *loco ſuprà citato*: nam licèt variè ab Authoribus interpretetur, quia

D Hippocrates Author breuiloquus eſt, variè quælibet illius particula explicari poteſt, & ita facere hunc ſenſum. Si Medicus circa remediorum in morbis adminiſtrationem optimè ſe gerat, omnia debitè, & vt decet diſpenſando, & morbum aliàs ſuperabilem ſuperare nequeat, tunc exiſtimare oportet, ibi eſſe aliquid diuinum; vel enim Deus medicamentorum vires frangit, vel morbi vires conſeruat: quod quidem non facit Deus, vt natura naturans, quia vt ſic cauſis naturalibus ſe accommodat; ſed vt eſt agens intellectuale, quod producit aliquod bonum, vt dictum eſt; & hoc modo veniunt intelligendi Authores citati. Circa hanc difficultatem eſt legendus doctiſſimus Suarez *tom. 1. Metaphyſ. diſputatione 11. de malo, ſect. 3. §. 19.*

Ad

Aliæ cauſæ, quæ cauſas inferiores virtute naturali excedunt, & ſuperant, ſunt Angeli, ſiue boni, ſiue mali, de quibus dicimus, quod poſſunt morbos producere, & Dei permiſſu naturales cauſas ſubuertere, licèt non immediatè, vt diximus de Deo: idque conſtat ex pluribus ſacræ Scripturæ locis. *Iob cap. 2. Sathan percuſſit eum vlcere peſſimo, à planta pedis vſque ad verticem eius.* Et capite 1. eiuſdem libri *Sathan interemit liberos Iob.* Et 1. *Regum cap. 16. Spiritus Domini malus arripiebat Saul. Lucæ cap. 8. Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam à temporibus multis, & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* Qui quidem inſaniâ lupinâ à dæmone commota laborabat, vt ex illius propriis ſignis facilè erat deducere. Propter peccatum Dauid miſit Deus Angelum, vt peſte Iſraël diſperderet, qui interfecit ſeptuaginta millia virorum, vt conſtat ex 2. Regum capite 24. Sed hoc ita notum eſt, vt à nemine dubitetur, vt oſtendit Diuus Thomas 1. *part. q.* 115. *art.* 3. Idem Ceſalpin. Fernelius, Valleſ. Martinus Delrio, D. Franciſcus de Torreblanca, & alij.

Maiorem difficultatem habet explicare, quomodo morbos progignere valent? Quam quidem abſoluemus, ſi ſemel ſciamus, qua ratione noſtra corpora immutare poſſunt; quod quidem breuiter efficiemus certas ſtatuendo concluſiones.

*Prima concluſio.* Sit ergo prima concluſio: Angeli nullam qualitatem corporalem immediatè poſſunt producere. Hæc concluſio eſt Diui Thomæ 1. *part. quæſt.* 110. *art.* 2. vbi redarguit Auicen. qui dixit, omnes formas, quæ ſunt in materia, procedere ab intelligentia. Hic ſequutus fuit Platonicos, qui poſuerunt formas, quæ ſunt in materia, cauſari ex immaterialibus formis, quia formas materiales ponebant eſſe participationes quaſdam immaterialium formarum. Huius concluſionis veritas probatur primò ab Angelico Præceptore in corpore articuli, vbi ait, quod cauſa debet formaliter, vel eminenter continere effectum; non autem conſtat ex aliquo capite, quod Angelus eminenter, vel formaliter contineat aliquam qualitatem corpoream. Neque ſufficit dicere, Angelum eſſe perfectiorem animâ rationali: ergo ſi anima rationalis corpus informans eſt principium ſaltem *vt quo* productionis qualitatis corporeæ, meliùs eam valebit Angelus producere. Hoc, inquam, ſolùm probat, quod illud quod ab Angelo producitur, perfectiori modo producatur, quàm illud, quod ab anima rationali dependet. Hæc enim eſt lex naturæ, vt corporeum ab incorporeo nequeat immediatè alterari. Anima verò rationalis eſt forma corporis, quæ illi vnita, ſicut dat eſſe hominis vltimatè, dat etiam qualitates, quibus in corpore conſeruetur eo modo, quo aliorum corporum formæ materiales; in hoc enim omnes formæ conueniunt. Concludit ergo Diuus Thomas, quod qualitatis corporeæ productio debet fieri à compoſito ex materia, & forma; quia fieri debet ab aliquo ſimili illi compoſito, in quo recipitur. Quapropter vel immediatè à Deo, vel ab agente aliquo corporeo produci debet.

Secundò probatur. Si Angelus valet producere qualitates corporeas propter ſuam perfectionem, propter eandem valebit producere formas ſubſtantiales, quia etiam eſt perfectior illis; atque adeò nulla erit forma, exceptâ rationali, quæ non poſſit produci ab Angelo; ſicque ad nutum ſuæ voluntatis qualemcunque formam poterit educere de materia, & quamcunque materiam tranſmutare: quod neutiquam credi poteſt. *Non enim Angelis Deus ſubiecit orbem terræ*, vt dicitur ad Hebræos 2.

D. D. de Maroja Tract. de Febribus.

A Si enim illis eſſet ſubiectus, poſſent quidem quaſcumque res generare, & producere: neque haberet verum Diui Thomæ doctrina *q.* 17. *de malo*, vbi ait: *Ad conuenientem vniuerſi ordinem conuenire, vt infima à ſupremis non tranſmutentur, niſi per media.* Iuxta cuius doctrinam Angelus nequit corpora alterare, neque qualitates corporeas producere.

Sit ſecunda concluſio: Intelligentia creata non poteſt producere immediatè formam aliquam ſubſtantialem. Hæc concluſio communiter habetur, eamque docet Diuus Auguſt. 3. *de Trinitate*, Angelicus Præceptor 1. *part. quæſt.* 102. *art.* 2. *citato.* *Concluſio ſecunda.* Ratio eſt, nam forma, quæ in rerum natura producitur, vel eſt corporea, vt omnes formæ, quæ educuntur de potentia materiæ; vel incorporea, vt anima rationalis: harum nulla poteſt immediatè originem ducere ab Angelo. De anima rationali patet, quia fit ex nihilo, ac per conſequens per creationem; creatio autem Creatorem petit infinitæ B virtutis: quapropter ſolius Dei eſt opus, ſoluſque Deus eſt verus Creator. Intelligentiæ verò cùm eſſendi modum habeant finitum, & limitatum, & operari ſequatur eſſe, ipſarum operatio finita, & limitata eſt, ità vt neque creare, imò nec generare immediatè poſſint; ſicque neque poſſunt educere de potentia materiæ formas corporeas, quod facilè etiam probatur; nam vt concluſione antecedenti probatum fuit, non poſſunt diſponere materiam: ergo neque introducere formam. Patet antecedens, nam forma non introducitur, niſi in materia diſpoſita. Si ergo non valent producere qualitates corporeas, quibus materia diſponitur ad receptionem formæ, neque poterunt formam educere de illius potentia.

Tertia concluſio: Angeli vim habent, & efficaciam mouẽdi corpora localiter. Hanc concluſionem *Concluſio tertia.* C tradit D. Thomas 1. *p. q.* 110. *art.* 3. & eſt communis; ſic enim natura inferior in ſui ſupremo attingitur à natura ſuperiori; & Angeli cuſtodes remouent ea, quæ nobis nocere poſſunt, noſque cuſtodiunt. Et probatur à Philoſophis, qui cœlorum motum Angelis motoribus tribuunt; & à Theologis docentibus, intelligentias aſſumere corpora, & ea localiter mouere; idque docent ſacræ paginæ. Danielis capite 14. *Angelus Domini apprehendit Abacuch, & portauit eum capillo capitis ſui, poſuitque eum in Babylonem.* Iob capite 1. *Sathan agitauit ventos è regione deſerti.* Magi etiam pacto inito cum dæmone mirabilia, & prodigioſa faciunt, applicando actiua paſſiuis, non verò aliter. Quæ omnia vt fiant, motum localem ſupponunt, per quem agens attingit paſſum. Quapropter D. Thom. *loco proximè citato in reſponſione ad* 2. ait: *Angeli cauſando motum localem, tanquam priorem, per eum cauſare poſſunt alios motus* D *alterationis, adhibendo ſcilicet agentia corporalia ad huiuſmodi effectus producendos, ſicut faber adhibet ignem ad emollitionem ferri.*

Quod ſi inſtes: Angeli habent vim mouendi ſe localiter: ergo etiam habebunt vim aliter mouendi, nempe per alterationem.

Reſpondetur, fuiſſe neceſſarium, vt Angeli haberent potentiam motiuam localem, quâ ſe, & alia mouerent; non tamen fuit opus, vt haberent virtutem alterandi, cùm per motum localem applicando actiua paſſiuis, vt dictum eſt, poſſint alterationis motum producere.

Rogabis tamen, an Angeli dum mouent localiter aliquod corpus, imprimant aliquem impulſum diſtinctum ab ipſo motu, qui ſe habeat vt inſtrumentum ipſius motus. *Dubium circa motum localem Angelorum.*

Aliqui reſpondent affirmatiuè; nam ſicut homo dum mouet, imprimit impulſum, ratione cuius

fit motus localis; ita etiam Angelus: eſt enim impulſus ille qualitas quædam ordinata ad motum localem producendum.

Alij aliter reſpondent, neque talem admittunt impulſum; nam Angelus immediatè (dicunt) mouet corpus, quia impulſus eſt inſtrumentum mouentis, quando motor ſeparatur à mobili: at verò quando motor immediatè attingit mobile, & ei aſſiſtit, immediatè poteſt illud mouere abſque impulſu, & hoc modo Angelus mouet ſe ſine impulſu; neque ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate; neque Deus dum corpora mouet, imprimit impulſum, ſed ſuâ virtute immediatè imprimit motum. Hæc ſecunda reſponſio magis rationi conſonat.

*Angeli medio locali motu poſſunt producere omnia morborum genera.*

Ex hac concluſione tertia deducitur quarta reſponſiua quæſtioni, quæ talis eſt: Angeli ſiue boni, ſiue mali, per motum localem actiua paſſiuis applicando poſſunt omnia genera morborum producere. Hæc concluſio probata manet ex Angelico Doctore, & confirmata locis ſacræ Scripturæ; quæ vt veriſſima ab omnibus recipitur.

Sed quia morbi omnes ſub triplici morborum genere comprehenduntur, de omnibus eſt concluſio tenenda; & initium ſumentes à morbis vtrique parti communibus, qui in ſoluta vnitate conſiſtunt, facilè probatur; nam continui ſolutio fit per motum localem, non enim poteſt ſeparari vna pars ab alia, niſi intercedat motus: ergo cum Angeli valeant producere talem motum, valebunt etiam continuum ſoluere, & partes à partibus ſeparare. Idem fateri debemus de morbis partium organicarum, qui fieri nequeunt ſine motu locali, vt patet diſcurrenti per ſingulos. Morbi in obſtructione fiunt motis humoribus localiter ad partes, vbi fit obſtructio; morbi in magnitudine adaucta fiunt confluente humore ad partes, in quibus fiunt; morbi in numero fiunt adaucto numero partium, quorum augmentum fieri non poteſt ſine motu familiaris alimenti ad partes, quarum adaugetur numerus; & ſic de reliquis.

Quia ergo Angeli moueri poſſunt localiter, & veram habent cognitionem morborum, & læſionis, quam inferre poſſunt, benè quidem poterunt medio motu locali humores ad partes mouere, & taliter applicare, vt inde tot ſequantur morbi. De morbis partium ſimilarium id etiam claret; cùm enim hi ſint morbi in intemperie, vt febris v. g. Angeli poſſunt mouere humores calidos, aut fuligines verſus cor, & febrem excitare, aut mouendo humores craſſos, poſſunt vias obſtruere, & ventilationem eorum prohibere, vt inde ſequatur putredo, quâ poſitâ febris inſurgit. Similiter mouendo humores calidos, & frigidos verſus cerebrum, phrenitidem, lethargum, maniam, melancholiam, & alios morbos progignere poſſunt; & cerebrum diſtemperando poſſunt talem cerebri diſpoſitionem cauſare, vt varias animi paſſiones moueant, diuerſa, & varia obiecta repræſentent, & multis, & variis imaginationibus, & repræſentationibus homines torqueant. Eadem ratione poſſunt producere peſtem, mouendo ſcilicet putridos vapores, malignos, & contagioſos, ex cadaueribus, aquis ſtagnantibus, rebuſque putridis, eoſque impellendo verſus hanc, vel illam vrbem, aut regionem. Circa hanc difficultatem legere poſſumus Caietanum 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 3. Martinum Delrio *diſquiſit. magicarum libro* 3. *part.* 1. *quæſt.* 4. *ſect.* 5. Qui enim exactiùs ſcire velit plurima, quæ dæmones, vel magi virtute dæmonum efficere poſſunt, legat Martinum Delrio *lib.* 2. *diſquiſitionum magicarum, à quæſt.* 2. *vſque ad* 25. vbi latè de eorum poteſtate circa mutationes, quas efficere poſſunt in ſenſibus internis, & externis, & in omnibus facultatibus, quibus noſtrum regitur corpus, ſermonem inſtituit; neque eſt noſtri inſtituti ſimul omnia pertractare. Hoc etiam ſcriptum reperies apud Valleſ. *lib. de ſacra Philoſophia, cap.* 8.

## QVÆSTIO VI.

### *De reditus febrium cauſis per circuitus.*

HÆc quæſtio fuit etiam apud antiquos in controuerſiam poſita, quæ licèt à recentiobus ſit agitata, eam tamen abſoluere non grauabor, ne aliquid deſit huic operi, quod ſtudioſi requirant. Nihil enim notius morborum circuitibus; nihilque obſcurius, quàm ipſorum circuituum cauſas referre. Ante tamen quàm cauſas requiramus, ſupponere oportet, quod hæc quæſtio non ſolùm eſt de cauſis reditus febrium interpolatarum per circuitus, ſed etiam de cauſis reditus febrium continuarum per acceſſiones, & de cauſis repetendi per circuitus aliorum morborum; de omnibus enim ferè eadem ratio aſſignari poteſt, & vno capite de omnibus egit Gal. 2. *de differentiis febrium, cap. vltimo.*

Præterea ſupponere oportet, quod huiuſmodi circuitus repetere poſſunt cum ordine, ita vt determinatis horis aduenient, vt patet in aliquibus febribus, quarum acceſſiones eadem hora repetunt, de quibus inquit Hippoc. 4. *aphor. text.* 30. *Quibus acceſſiones fiunt, quacunque hora febris dimiſerit, ſi eadem cras occupauerit, iudicium habet difficile.* Vel ſecundò tales circuitus repetunt ſine ordine, ita vt anticipentur, aut poſtponantur; de quibus etiam Gal. *lib. de typis* egit.

*Auerroïs ſententia.*

His igitur ſuppoſitis, prima ſententia tenet, calorem naturalem eſſe principium motionis humorum, ita vt talis motio ad illum, tanquam ad cauſam efficientem referatur. Hæc ſententia habet authorem Auerroëm 4. *collectan. cap.* 27. vbi agens de reditu febrium per circuitus, ſic ait: *Et non eſt hæc operatio attribuenda calori putredinali ſimpliciter, ſed calori naturali, &c.* Et paulò infrà addit: *Et propterea mea ſententia penitus eſt, quod natura iſtos circuitus cum calore intrinſeco operatur.*

*Eius improbatio.*

Hæc opinio facilè reiicitur; nam licèt calor naturalis digeſtionem humorum præternaturalium efficiat, non tamen dicitur, quod determinatis temporibus illos moueat; hoc enim munus eſt facultatis naturalis attrahentis, & expellentis: quæ licèt non operentur ſine calore naturali, non tamen illi earum actiones tribuuntur; concurrit enim ibi calor in genere cauſæ diſpoſitiuæ, de quo non curo in præſenti.

*Auicennæ ſententia.*

Aliorum opinio eſt humores repetere per circuitus à proprietate quadam occulta cuique humori inſita, nobiſque ignota; illa enim dicuntur proprietate fieri, quæcunque citra manifeſtam cauſam fiunt. Huius ſententiæ author eſt Auicenna *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 13. vbi ait: *Vnicuique enim humori eſt periodus, qui ſibi conuenit, &c.* Quem ſequuntur Coſteus ſuper eundem locum, & Fernelius 4. *de febribus, c.* 11. & alij. Quam ſententiam ſic probare intendunt; nam ſi non reducitur ille humorum circuitus ad proprietatem occultam, ſeu ſpecificam cuiuſlibet humoris, reduci debet neceſſariò ad qualitatem & quantitatem ipſius humoris peccantis: ſed ab humoris qualitate, & quantitate fieri nequit: ergo fieri debet à proprietate occulta. Nam ſi fit à qualitate, aut quantitate, cùm non maneat ſemper

tanta

tanta quantitas,aut qualitas humoris,nõ poteſt ſemper illam determinatam periodum efficere;non enim ſemper bilis, aut pituita in eadem quantitate,& cum eiſdem permanent qualitatibus;ac conſequenter neque bilis efficiet ſuas exacerbationes tertiis diebus, neque pituita vnoquoque die.

Secundò, nam fieri poteſt, vt duo homines ſimul tertianâ febre laborent, atque alteri ſit acceſſio duplò longior, & acerbior. Igitur illorum vnus plus duplò colligit bilis, quàm alter: ergo ſi ſimili victu vtuntur, & in eadem quantitate, tantùm bilis colligit vnus quotidie, quantùm alter toto biduo. Si ergo qui habet minorem quantitatem habet tertio die acceſſionem, quare qui habet duplò maiorem quantitatem, non habet quotidianam acceſſionem? Ergo cùm in vtriſque acceſſio talis non fiat ratione quantitatis, quia ſic neceſſariò ipſis variatis ipſæ acceſſiones variarentur, dicendum erit, quod tales acceſſiones fiunt à proprietate humorum occulta.

*Auicēnæ ſententia admittitur.* Sed horum ſententia facilè impugnabitur, ſi dicamus, quod confugere ad cauſas, & proprietates occultas nihil aliud eſt, quàm ſuam confiteri ignorantiam; non enim effectuum naturalium cauſas inueſtigarunt, aut eas non inuenerunt, & hanc ob cauſam ad occultas proprietates recurrunt: ſed quia dante Deo eas inuenire curabimus, ideò ad eorum rationes reſpondetur. Ad primam dicimus, quod circuitus ille non reducitur ſolùm in quantitatem, & qualitates humorum, vt poſteà videbimus; ſed etiam in tenorem virium mouentium humores, eodem modo ſe habentium; quibus variatis non mirum ſi etiam ipſæ periodi varientur.

Ad ſecundam dicimus, quod ex duplò maiori quantitate procedit, quod febris acceſſio illius tertianæ, eſt duplò longior, & acerbior eâ quæ fit à duplò minori quantitate, quod bene fieri poteſt ſine interuentu cauſæ occultæ. Si enim à propria forma humores talem obtinuiſſent motum, neceſſariò dicere debemus, naturaliter ipſos moueri ad ſuum interitum, ſiquidem mouentur ad locum corruptionis mediâ virtute naturali nobis ignotâ. Similiter, ſi ab illa qualitate occulta, quæ ſemper eſt eadem, mouerentur: ſemper ille motus eodem modo fieri deberet; ſed acceſſiones variari quotidie conſpicimus, ita vt inter illas nullus ſeruetur ordo: ergo non ſemper talis motus poteſt reduci in illam eandem cauſam permanentem; nam aliàs non poſſet reddi ratio variationis effectus.

*Aliorum ſententia.* Alij exiſtimant, hunc euentum prouenire à facultate vehementi naturali tranſmittente, quæ in partem debilem humores noxios irritantes tranſmittit, cùm in tanta quantitate colliguntur, vt naturam partis excitent ad excretionem; & quia ventriculus, v.g. quotidie generat pituitam, quotidianas facit acceſſiones; & cùm poſt ventriculi coctionem iecur altero die concoquat, producit bilem, quæ circuitus efficit tertianæ; & poſt iecoris coctionem altero die ſuccedit, quod melancholia ad lienem perueniens quarto die efficiat acceſſionem quartanæ.

Sed licèt hæc ſententia vera ſit, in quantum aſſerit, quod iſti humores mouentur à facultate expultrice ab ipſis laceſſita; non tamen explicat, qua ratione illos moueat ordinatè, & ſtatutis temporibus; præterquam quod reſtabat probandum, quod pituita quotidie generatur in ventriculo, & altero die bilis in hepate, & quarto die melancholia; quapropter aliam cauſam tradere decreuimus.

*Conciliatoris ſententia.* Aliam tradidit ſententiam Petrus Apponenſis *differentia* 88. qui aſſerit, huiuſmodi circuitus, cuiuſlibet morbi ſint, fieri à virtute cœleſti, à Planetis communicata mediante corpore elementali. Sicut enim mare, & omne humidum permutatur ſecundùm ventorum motum, & ſtationem; ità ſimiliter humores intra corpus permutari debent: talis autem permutationis radix originem habet à cœlo, quatenus mediante aëre ſuas corporibus inferioribus influentias impartitur. Non tamen omnibus Planetis talem virtutem mouendi humores tribuit. Sed quia luna ſuum motum breuiùs peragit, illi motum pituitæ tribuit. Sicut Marti bilis motum, qui non ita celeriter mouetur ſicut luna, neque ita pigrè ſicut Saturnus, qui dominatur melancholiæ; & hanc ob cauſam humores mouentur iis, vel illis diebus ociùs, aut ſeriùs, ſecundùm motum celerem, aut tardum Planetarum,quibus ſubiiciuntur. Sanguinis etiam motum tribuit Ioui qui ſupra ſanguinem dominium habet. Quæ ſententia fundamentum habet in verbis Ariſtot. 1. *meteor.* vbi ait: *Inferiora eſſe debere contigua lationibus ſuperioribus, vt inde eorum virtus regatur, & gubernetur.* Cùm igitur omnia à cœlo dependeant, idem dicendum erit de motu humorum per circuitus. Et confirmatur ex Galeno 3. *de diebus decretoriis*, vbi morborum iudicium, & motionem humorum per criſim in cauſam cœleſtem reducit; & quia cœlorum ordo perpetuus eſt, ideo perpetuò determinatis diebus, videlicet 7.9. 11. aut 14. &c. morbi iudicantur, & non aliis diebus: ergo ſimiliter ordinati circuitus in eandem cauſam reduci debent. Cùm ergo cauſa inferior permutabilis ſit, & actio reſultet ex proportione agentis ad reſiſtentiam paſſi, ex diuerſo modo huius proportionis actionis, finis citiùs, aut ſeriùs aduenit; ita vt terminus actionis inordinatè ſuccedat.

*Conciliator damnatur.* Sed veniâ tanti viri hæc opinio falſa eſt, fruſtra enim ad cauſas vniuerſales confugimus, dum cauſas particulares adducere poſſumus. Neque ratio quam ipſe inſinuat, eſt ſufficiens; nam ſi pituita refertur ad lunæ motum, qua ratione mouetur pituita quotidie, & luna vnico motu mouetur de menſe in menſem?

Similiter ſi Mars aliquibus annis ſuum motum complet, quare illi motui correſpondet motus bilis, quæ de tertio in tertium diem ordinatas efficit motiones? Vlteriùs, ſi ſanguis eſt ſubditus Ioui, quare menſtruæ purgationes, quæ ſanguineæ ſunt, lunæ ex omnium opinione, & non Ioui ſubiiciuntur.

Ex his facilè ad Ariſtotelis locum reſpondetur, neceſſariam fuiſſe mundi contiguitatem, vt influentiæ cœleſtes à ſuperioribus ad inferiora communicarentur; non tamen inde ſequitur, quod eiuſmodi influentiæ concurrant efficienter ad operationes inferiorum, ſed tantummodò diſpoſitiuè. Viuentia enim à ſeipſis efficienter mouentur. Item grauia, & leuia à ſe, vel à generante: & aqua à propria forma ad priſtinam reducitur frigiditatem, & magnes à propria virtute ferrum attrahit, & rhabarbarum bilem, ita vt tales actiones à nemine cœlo tribuantur; ſed hoc non indiget maiori impugnatione. Dedit enim Deus vnicuique virtutem operandi, ſicut dedit eſſe; nam operari ſequitur eſſe: non ergo virtus hæc operandi tribui poteſt cœlo, cùm vnicuique inſita ſit.

*Ioberti ſententia.* Iobertus Delphinas *paradoxo* 4. *decadis ſecundæ*, ab his opinionibus, & à communi dicendi modo deuians, habuit ſingularem ſententiam circa repetendi modum, & reditus febrium per circui-

tus. Exiſtimat enim cor eſſe principium, & cauſam non ſolùm febrium continuarum, quæ indeſinentur affligunt; ſed etiam cauſam reditus febrium interpolatarum per circuitus. Inquit enim, quod cor ſiccius, & calidius perſeuerans, ex venis, aut aliis corporis partibus recipit excrementa calida, aut attrahit illa, cùm talia excrementa mittuntur ex aliis partibus in cor ſtatutis temporibus, aut ab ipſo corde attrahuntur; ideo ſtatutis temporibus, & ordinatim febrium circuitus fiunt.

*Iobertus impugnatur.*

Hæc ſententia vt ſingularis reiicienda eſt, non enim capit intellectus, quod cor omnium partium robuſtiſſimum, & illis nobilius, ab aliis talia recipiat, & attrahat excrementa; & quod partes ignobiles, & imbecilliores excrementa in partem ita nobilem, & robuſtam deponant: nam licet cor ratione intemperiei calidæ, & ſiccæ præter naturam debile reddatur, in principio tamen febrium fortiſſimas efficit actiones, ita vt vehementer attrahat ſibi conuenientia, & excernat noxia; quo tempore ob nimiam illius reſiſtentiam, licèt calorem habeat præter naturam, non recipit tamen excrementa bilioſa, vt iſte Author imaginatur.

Si igitur non recipit excrementa, neque ex illis febrium circuitus efficiet: ſufficit enim, vt febris pendens ex humore putrido fiat, quod cor à fuliginibus ex tali humore productis calorem præter naturam ſuſcipiat; neque ad hoc eſt neceſſe humorem putridum in ipſo corde recipi.

*Cauſa reditus febrium aſſignatur.*

Sed his opinionibus relictis, ſit concluſio. Morborum reditus per circuitus ordinati fiunt à facultate naturali membri expellentis, irritata à quantitate, & qualitate humoris peccantis, & à debilitate membri recipientis, dummodò facultas expellens, & debilitas membri recipientis in circuitibus eundem tenorem ſeruent, & qualitas, & quantitas humoris noxij in ipſis circuitibus inuariabilis exiſtat. Quod ſi ex iis aliquid deficiat, neceſſariò variatur ordo circuituum, & reditus febrium, vt ſtatim explanabimus. Hanc concluſionem deſumimus ex Galeno *libro 2. de different. febr. capite vltimo*; eamque plurimis exemplis nititur ſuadere, eamque ſequitur Valleſ. *5. controuerſ. capite 25.* & alij quamplurimi.

*Mercati error.*

Sed antequam ad probationem deueniamus, non eſt ſilentio prætereundus Ludouicus Mercatus, qui tertio de febrium cauſis inquit, tantummodò Galenum reducere cauſam reditus morborum per circuitus ad ſolam quantitatem natiuam humorum, & non ad qualitatem illorum, ductus iis Galeni verbis: *Nam cùm pituitæ maior ſit ſecundum naturam in corpore copia, quàm flauæ bilis, ideò ſingulis diebus moueri, & acceſſionem efficere, rationi conſonum eſt: & quia bilis copia minor eſt quàm pituitæ, maior tamen quàm melancholiæ, ideò tertium diem expectat; & melancholia, quia eſt frigida, & in minori copia, quartum*, &c.

Iſte tamen Author non benè calluit Galeni mentem, neque fortaſſe caput vndecimum ſecundi libri de differentiis febrium attentè perlegit, vbi ad vtrumque, id eſt ad quantitatem, & qualitatem humorum, morborum reditus per circuitus expreſsè reduxit; ibi enim agens de humoribus facultatem naturalem irritantibus, ait: *Duplex autem eſt in omnibus entibus extraneum; alterum namque ex ſui qualitate, alterum quantitate.*

A Poſtea verò agens de vi excretoria, quando ad ſuum opus excitatur, ſic reliquit ſcriptum: *Siquidem vis excretoria tunc primùm ad ſuum opus excitatur, quando aut ſuperfluitatum multitudine aggrauatur, aut ex qualitate ſtimulatur.* Et paulò anteà dixerat de ordinatis circuitibus pertractans, debere cumulari eodem temporis ſtatuto termino excrementa etiam, tum quantitate æqualia, tum qualitate ſimilia. Sed quia Galeni verbis facilè conuinci poteſt, ad concluſionem deuenire tempus expoſtulat, ad cuius intelligentiam.

*Primum ſuppoſitum.*

Suppono primò, quod ad determinatos circuitus requiritur ex parte naturæ, vt docuit Galenus, quod membrum mandans, verbi gratiâ ventriculus, iecur, aut venæ, in quibus humor colligitur, & ad alias tranſmittitur partes, ſit ſemper æquale in operando, ita vt eundem teno-
B rem ſeruet in acceſſionibus. Pari modo membrum recipiens tranſmittenti obediat, & eodem modo excrementa recipiat; nam ſi virtus tranſmittens debilis ſit, magis per vnum circuitum, quàm per alium, à minori quantitate, aut qualitate humoris irritabitur, & anticipabit acceſſionem; & ſi talis virtus robuſtior ſit, minùs offendetur ab humoris qualitate, aut quantitate, & ſeriùs acceſſionem faciet. Idem etiam dicendum eſt de obedientia membri recipientis, & de quantitate, & qualitate humorum. Quæ omnia ſimilem in circuitibus ſeruare debent proportionem, vt determinati circuitus eiſdem temporibus fiant.

*2. Suppoſitum.*

Vlteriùs ſuppono tanquam certum, Auicennæ ſententiam de humorum proprietate occulta, præter noſtram, & Galeni ſententiam, inter alias maximè vigere, & ita rationes, quæ noſtram con-
C firmant doctrinam, maximè pendent ex redargutione doctrinæ Auicennæ.

*Concluſio vera probatur.*

His ſuppoſitis ſic primò probatur concluſio à ſimili: nam menſtruæ purgationes in mulieribus fiunt determinatis temporibus per ſingulos menſes: ſed non accidunt à proprietate occulta: ergo accidunt à qualitate, & quantitate humorum. Minorem probo; nam cùm aliquibus mulieribus fluant menſes bilioſi, aliis pituitoſi, aliis ſanguinei, non poteſt proprietas illa eadem eſſe in diuerſis humoribus; nam aliàs in febribus humores etiam diuerſi eodem tempore ſuos circuitus efficerent, ſi eadem proprietas eſſet in omnibus; quod neutiquam audebunt concedere aduerſarij.

Secundò probatur, quia multi homines ventrem deponunt eadem hora ſingulis diebus: ſed
D in illa hora multitudo excrementorum ſimul cum eorum qualitate poteſt irritare naturam ad expulſionem: ergo eo tempore non eſt recurrendum ad proprietatem occultàm: ergo idem fateri poſſumus de determinatis circuitibus morborum.

Tertiò, nam ordo circuituum perturbatur ſolùm ex maiori aſſumptione ciborum, aut rei non debitæ applicatione, ex Galeno 2. *de differentiis febr. capite vltimo, propè finem*: ergo ex eo fit, quia per cibi maiorem aſſumptionem adaugetur humoris quantitas, quæ facit acceſſionem anticipare; & conſequenter anteà fiebant circuitus ordinati, quia eadem quantitas, & qualitas perſeuerabat; vnde ſi æger inordinatè cibis vtatur, non ſolùm variari ſolent febrium circuitus, ſed etiam febris inſurgit continua; humor enim in tanta copia generatur, vt ſit ſufficiens ad reſiſtendum naturæ,

ne

ne poſſit illum ad vaſa minora, & ad alias partes trudere, ita vt intrà putreſcens febrem continuam efficiat. Tunc ſic: Sed ex ciborum maiori aſſumptione, vel alterius rei debita adminiſtratione, non eſt quod auferatur illa proprietas humorum occulta, ſeu facultas ſpecifica cuique humori peculiari tributa: ergo neque etiam ratione illius debet permutari talis ordo. Tamen ſi aliquid alimenti, vel alterius rei addamus, aut detrahamus, quotidie variantur acceſſiones, quia variatur proportio agentis ad paſſum: ergo à quantitate, & qualitate humoris, habito reſpectu ad facultatem naturæ expultricem, fit talis morborum circuitus.

Quartò, nam ſi à proprietate humorum fierent circuitus, ſequeretur, quod tot eſſent humores, quot circuitus, & è contra; & cùm ſolum ſint tres humores circuitus efficientes, & in quolibet humore vna proprietas, eſſent ſolummodò tres circuitus, tres proprietates, & in tribus humoribus, cuius contrarium experimur; non enim ſolùm fiunt circuitus quotidiani, tertiani, & quartani; ſed etiam circuitus quintani, ſeptimani, & nonani, vt clarè docuit Hippocrates 1. *epidim. ſect.* 3. *text.*2.7. *&* 9. quos circuitus nunquam vidiſſe Galenus fatetur; eos tamen admittit Auicenna *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 68. vbi de febre ſextana, ſeptena, & ſimilibus proprium caput inſtituit, & confirmat Valleſ. *loco ſuprà citato*, qui aſſerit quod antequam medicinam diſcere cœpiſſet, febrem octonanam in quodam ſene ſuſpicatus fuit. Ego quidem ſenem Areuali agnoui, qui poſtquàm febre quartana laborauit, in febrem octonanam incidit; abſumpto enim humore quartanæ ſecundùm aliquam partem, humor qui remanebat in minori quantitate, non erat potens irritare naturam de quarto in quartum diem, eamque de octauo in octauum excitabat. Cùm igitur tot, & tam varij circuitus in humoribus inueniantur, clarè conſtat, non poſſe fieri tantummodò à tribus humorum proprietatibus.

Vltimò probatur concluſio ex Auicenna capite proximè citato, vbi tradens cauſas quintanæ, & ſeptimanæ febris, inquit eſſe eaſdem cum cauſis quartanæ; cæterum propter humoris paupertatem fieri, vt febris quinto, aut ſeptimo die repetat: nam quemadmodum febris quartana excitatur ab humore melancholico, qui in tanta quantitate quarto die naturam irritat, & non antea, quia non erat collecta ſufficiens quantitas, vt naturam grauaret; ita ſimiliter contingere poteſt, quod in maiori tempore paulatim coaceruetur quantitas humoris ſufficiens ad conſtituendam quintanam, & non quartanam; quia quarto die non erat collecta ſufficiens quantitas humoris, qui naturam irritaret, & quartanum circuitum conſtitueret; eſſet tamen collectus humor quinto die, ita vt naturam grauaret, & ſtimularet ad circuitum quintanum faciendum. Si ergo Auicenna ad paucitatem humoris reduxit circuitus quintanos, & ſextanos, minimè reduci debent ad proprietatem occultam, ac per conſequens vera eſt Galeni doctrina.

## QVÆSTIO VII.

### *De cauſis reditus febris quotidianæ, tertianæ, & quartanæ per circuitum.*

PRæcedens quæſtio efflagitat, vt ad præſentem deueniamus. Quamuis enim in ipſa ſufficienter adducta ſit cauſa reditus ordinati, aut inordinati febrium per circuitum; non tamen ibi traditur ratio, propter quam ex pituita fiunt circuitus quotidiani, ex bile tertiani, ex melancholia quartani; quod dubium ſoluere tentabimus in præſenti quæſtione.

Prima ſententia tenet hoc procedere ex quantitate humoris peccantis; ſed quia pituita reliquos humores multitudine ſuperat, breuiſſimis mouetur interuallis; melancholia quoniam quantitate minima eſt, & ad motum pigra, longiſſimis; bilis quia quantitate medium ſeruat, mediocri interuallo mouetur. Dicunt ergo quantitatem pituitæ, quæ ſufficit ad motum, & irritationem naturæ, vno die congeri; bilis duobus, & melancholiæ tribus diebus; & hanc ob cauſam quotidiani circuitus ad pituitam, tertiani ad bilem, & quartani ad melancholiam reduci debent. Huius ſententiæ eſt author Verderius *in opuſc. de morborum ac ſympt. cauſis, lib.* 1. *cap.*24. *&* 25.

Hæc tamen ſententia ſuſtineri non poteſt, quoniam licèt humores in ſtatu naturali ſeruent huiuſmodi proportionem, non tamen in ſtatu præter naturam, in quo bilis poteſt excedere pituitam; quo tempore ratione alimentorum, & aliorum bilem generantium, plus congeritur bilis, quàm pituitæ; & tamen non efficit bilis quotidianos circuitus, ſed potius de tertio in tertium diem mouetur: ergo ratio repetendi per circuitus non poteſt tribui tali humorum proportioni, ſeu quantitati.

Præterea ſi quis habet bilis quantitatem naturali minorem, ita vt parum, aut nihil ſuperet melancholiæ copiam, & propter aliquam cauſam præter naturam incidat in febrem bilioſam, habebit reverà tertianos circuitus; & tamen congeritur bilis pluribus diebus, ſicut melancholia, quia ſupponimus melancholiæ proportionem ſeruare: ergo ratio repetendi per circuitus in febribus non poteſt procedere ex quantitate humorum, eo modo, quo dictum eſt.

Idem argumentum efformari poteſt ex hominibus melancholicis, in quibus melancholia dominium habet, & plus vno die congeritur huius humoris, quàm alterius; & tamen efficit periodos, & circuitus quartanam febrem referentes. Neque ſufficit dicere, quod adauctâ quantitate melancholiæ inſurget febris quartana duplex, aut quartana continua. Hoc enim non valet, nam adhuc in quartana duplici, aut continua manifeſtè apparent quarto die maiores exacerbationes, quàm aliis diebus; quarum exacerbationum cauſam in præſenti inquirimus, neque hoc tribui ſolùm poteſt quantitati humorum, ſiquidem petunt putrefieri, vt febrem putridam cum acceſſionibus conſtituant.

Qui verò aſſerunt, febrium circuitus ortum ducere ex humorum proprietate occulta, ſeu ſpecifica, facilè conuincentur eiſdem argumentis, quibus ſuprà eorum doctrinam refutauimus; neque oportet aliorum ſententias iterum repetere,

petere, cum falſitatis ſuperiùs ſemel ſint conuictæ.

*Quid tenendum.* Dicendum ergo nobis eſt, reditum febrium tertianæ, quotidianæ, quartanæ, & ſimilium per circuitus, prouenire ex quadam facilitate, aut promptitudine ad concipiendam putredinem, vel difficultate, aut reſiſtentia ad illam recipiendam, ſimul cum reliquis conditionibus in præcedenti quæſtione adductis. Hanc ſententiam tradit Thomas de Garbo *in comm. de differentiis febrium.*

Ad huius doctrinæ intelligentiam vt certum tenendum, quod humores circuitus febriles efficientes neceſſariò putreſcere debent, aut vri; quæ enim calidiſſima ſunt naturâ, adiunctâ ſiccitate ad vſtionem ſunt paratiſſima, vt monſtrat Gal. 1. *de ſimpl. medic. facult.* Iuuenis enim ille, quem depinxit Galen. 10. *methodi*, vigeſimumquintum ſuæ ætatis annum attingentem, calidum, & ſiccum, & itinere longo fatigatum, laborabat febre tertiana ex humorum aduſtione nata, vt ex verbis Galeni colligi poteſt, quanquam iſte euentus rarò conſpicitur; ſiquidem humores faciliùs putredinem contrahunt, ita vt febres omnes ex humoribus putridas appellemus; & generali febrium diuiſione in putridam, ephemeram, & hecticam, omnes febrium ſpecies diuidi ſolent.

*Secundum ſuppoſitum.* Vlteriùs notare oportet, quod cùm humores ſint diuerſi, diuerſiſque conſtent qualitatibus, nequaquam poſſunt eodem tempore putredinem concipere; quæ enim ſicciora, & frigidiora ſunt, & craſſiora, difficilè calorem, aut putredinem comparare poſſunt; quæ verò tenuiora, & calidiora, facilè vlteriorem calorem nata ſunt recipere; quæcumque verò humidiora, maximè ad putredinem ſunt parata.

*Concluſio.* Ex dictis facilè deducitur noſtra concluſio, fieri ſcilicet circuitus tertianos ex bile, quia bilis habet plurimum ſiccitatis, ratione cuius cauſæ putredinem inducenti maximè reſiſtit; neque agens ob impenſam ſiccitatem bilis, ante tertium diem illam euincere poteſt: hinc oritur, vt de tertio in tertium diem ſuas faciat exacerbationes. Huic adiungitur calor naturalis bilis, qui putredinoſo magis reſiſtit, quàm humor, qui minùs caloris habet; calor enim cuiuſque proprius plus calori præter naturam reſiſtit, quàm frigiditas interna illius; non enim cauſæ putrefacienti obſiſtit frigiditas, ſicut calor proprius cuiuſque rei; & ita quæ naturâ ſuâ ſunt calidiora, minùs ad putredinem ſunt parata, quàm quæ frigidiora; & hoc modo dicimus calorem naturalem plus reſiſtere calori putredinali, quàm frigus, etiamſi inter vtrumque calorem nulla detur contrarietas, ſicut inter calorem & frigus. Calor enim naturalis conſeruat ſubiectum, cui inhæret, illudque fouet, & ſuarum partium vnionem tuetur magis, quàm quælibet alia qualitas; ſicque plurimùm obſiſtit ſeparationi partium, quam efficere tentat calor putredinem inducens; & hanc ob cauſam calori tribuunt Philoſophi mixtionis opus. Quare quæ nimis calida ſunt, non valdè putreſcunt, quia non facilè diſſolui poſſunt à calore extraneo. Quæ etiam frigida nimis exiſtunt, difficilè etiam putreſiunt, ob frigiditatis nimiæ reſiſtentiam. Si verò calor rei, quæ corrumpitur, non multùm excedit, facilè euincitur à calore extraneo, cuius actionem iuuat frigus rei quæ putreſit; propterea que dicitur ab Ariſtotel. 4. *meteor. cap.* 2. quod putredo communis paſſio eſt, tum proprij frigoris, tum alieni caloris; inſinuans per hoc, quod frigus rei putreſcentis diſponit etiam ad corruptionem caloris ipſius rei quæ putreſit; quod non efficit calor naturalis ipſi rei inhærens, qui potiùs ipſam rem perficit, & à putredine liberat.

Pituita autem quotidie mouetur, & ocyùs quàm bilis; quoniam parum innati calidi habet, & humida naturaliter exiſtit: quæ duo ſunt potiſſimæ putredinis cauſæ, minuſque obſiſtit cauſæ putrefacienti quàm bilis; & ita facilè ab illa cauſa quotidie euincitur. Accedit ad hoc, quod plus pituitæ ſecundum naturam quotidie aggregatur quàm bilis, & in minori tempore, quæ ſuâ copiâ, & craſſitie obſtruere ita ſolet, vt putredinem ex defectu ventilationis cauſet, & ſua multitudine ita aggrauat naturam, vt quotidie eam excitet ad ſui expulſionem.

Ob contrariam rationem, videlicet quia melancholia ſicciſſima eſt, & inter alios humores craſſiſſima, & ſolidiſſima, longè tardiùs putreſcit, quàm reliqui humores; ſiccitas enim in ſubiecto ſolidiori, & craſſiori maximè putredini obſiſtit; & cùm melancholia ſit in minori quantitate, & tardiùs naturaliter congregetur, tardiùs etiam naturam ſtimulat, & ſic ſuos facit circuitus de quarto in quartum diem.

Sanguis verò licèt humidus ſit, & ratione humiditatis putredinem facilè concipere poſſit, habet tamen caloris innati, & influentis plurimùm, ratione cuius maximè obſiſtit putredini; & cùm ex alia parte naturæ familiariſſimus ſit, nunquam ab ipſa pellitur, donec formam ſubſtantialem amiſerit, & in bilem, aut melancholiam, vel in pus tranſeat, ita vt nullum per ſe faciat febrilem periodum, niſi ratione humorum, in quos commigrauit.

*Obiectio.* Neque valet contra hanc doctrinam ſi dicas, quod Hippocrates *lib. de natura humana*, ſcriptum reliquit, omnem febrem fieri ex bile, ac conſequenter, quod omnis febris debet habere periodos de tertio in tertium diem.

*Reſponſio.* Reſpondetur enim, nomine bilis apud antiquos comprehendi tam bilem, quàm reliquos humores; & hanc ob cauſam Hippocratem dixiſſe, febrem quotidianam ortum ex bile habere, tertianam ex bile, quarta nam verò ex atrabile; quod determinat Gal. 2. *de febrib. cap.* 1.

Quod ſi aliquando contrarium accidiſſe comperiamus, ſcire oportet illud eſſe perrarum & monſtruoſum; nos autem tradimus illud, quod quotidie euenire conſpicimus: & de tertianis, quartanis, & continuis circuitibus certis, & ſtatutis temporibus reſpondentibus nulla certior cauſa excogitari poteſt; reliqua ex anteacta quæſtione pete.

## QVÆSTIO VIII.

### *An in febribus interpolatis humores extra venas putreſcant.*

CVm inter febres quædam continuæ ſint, & continuò affligentes, quædam verò intermittentes, quæ ad infebricitationem deueniunt, vt monſtrant Hippocrates 1. *epidim. commentar.* 3. *textu* 2. & Galenus 2. *de different. febrium*, examinare nunc oportet, quam ob cauſam febres intermittentes, aut continuæ fiunt, & vbi humor putreſcit, quando ex illo huiuſmodi febres excitantur. In hac quæſtione diſſoluenda Authorum ſententias referam, mox magis rationi conſonam

ſonam eligam, & aliorum rationibus ſatisfaciam.

*Gal. ſententia.* Prima ſententia aſſerit, quod humores, ſi intra vaſa putreſcunt, febrem continuam; ſi verò extra vaſa, interpolatam ſuccendunt: quæ ſententia habet authorem Galenum pluribus in locis, præcipuè tamen 2. *de criſibus, cap.* 3. *&* 6. & 2. *de differentiis febr. cap.* 2. & 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 5. quem ſequitur Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. & fermè omnes iuniores. Inquiunt enim, quod in febribus interpolatis humor talem febrem producens, per omnes corporis partes defertur, atque ideò partes ſenſibiles attingens efficit rigorem, & horrorem, & ad ventriculum, & inteſtina deſcendens, vomitum, aut diarrhæam; ſi verò in ambitum totius corporis, ſudorem excitare ſolet, vt videre ſolemus in tertiána exquiſita, aut duplici, aut quartana: quo humore abſumpto, aut euacuato, febris ceſſat, donec iterum humor denuò aceruetur, aut in venis ad putredinem diſponatur, & naturam ſtimulet, & excitet ad nouam acceſſionem, eumque extra venas propellat; quo tempore cùm humor ſit extra proprium locum, facilè in loco ſibi alieno corrumpitur, aut putreſit, & nouam conſtituit acceſſionem, ita vt dicat Hippocrates 6. *aphor. textu* 20. ſanguis ſi extra venas exierit, neceſſum eſt putrefieri, aut in pus verti.

At verò febris continua fit ex humoribus intra venas putreſcentibus, quod communiter ab omnibus recipitur; & huius euentus rationem inſinuat Auicen. *loco proximè cit.* nam cùm humor biliosus, verbi gratiâ, intra venas putreſcens, ſit vicinus alteri, facilè putredo illi communicatur; dum enim ille humor putreſcit, diſponit ſibi vicinum ad putredinem; & cùm iam humor bilioſus primò putreſcens reſoluitur, aut conſumitur, alter eiuſdem naturæ illi vicinus, qui erat diſpoſitus, incipit putrefieri, & nouam incipit acceſſionem antequam fieret intermiſſio febris; nam priùs quàm prima materia finiatur, ſuccedit alia, ita vt continuò febris affligat; quod non contingit quando materia putrefit extra venas in poris, aut aliis locis, in quibus cùm non ſit humoris copia, nec propinquitas illius humoris ad alium, finitâ vnâ materiâ expectatur alia, vt benè notat Gentilis ſuper hunc Auic. locum; & non inſurgit noua febris acceſſio, donec noua materia ad illam partem defluat, aut in ipſa congeratur. Et quia frequentiùs febre quotidiana laborantes multam in ventriculo congregant pituitam, & laborantes quartana melancholiam in liene; laborantes verò tertiana in iecore, bilis copiâ abundant, ideò Galenus 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 5. ita reliquit ſcriptum: *Quotidiana verò raro aduenit, quin os ventriculi patiatur: quemadmodum quartana ex malè affecto ſplene generatur: tertiana ex iecore laborante.* Ex quibus verbis deducitur, humorem febrem interpolatam efficientem extra venas putrefieri, & miſſis vaporibus calidis, & putridis ad cor, febrem intermittentem ſuccendere, vt dictum eſt; in continuis verò cùm humor putreſcens ſit intra venas, putrem vaporem in cor continenter fundit, à quo aſſidua fit putrida febris.

*Dubium.* Sed dubium eſſe poteſt, quam ob cauſam in febribus intermittentibus humor extra venas pellatur; in continuis autem intra venas permaneat.

*Dubij ſolutio.* Hoc dubium facilè ſoluetur, ſi dicamus, id prouenire ex quantitate maiori, vel minori humoris, & ex robore, vel imbecillitate facultatis expellentis: ſi enim humor eſt in parua quantitate, ita vt

A natura illum ſecernere poſſit, & ab aliorum humorum conſortio ſegregare, illum è venis trudit ad locum vbi putreſcit: at verò ſi humor paratus ad putredinem ſit in tanta quantitate, vt natura non poſſit illum extra venas pellere, intra venas putreſcens febrem continuam commouet.

Similiter ſi humor exiſtens in venis putredini propinquus ſit in parua copia, & tamen vis expultrix ita debilis appareat, vt illum humorem non ſecernat, non mirum ſi ab illo febris aſſidua fiat, quoniam ſuâ propinquitate alios infeſtabit humores, & ad putredinem diſponet, quæ valeat aſſiduò putres vapores in cor fundere, & febrem continuam nuncupatam generare. Eodem modo licèt quantitas humoris intra venas ſit magna, dum tamen vix expultrix ita valida ſit, vt illum humorem expellere poſſit extra venas, reuerà non fiet febris continua, vel potiùs interpolata; ille enim

B humor putridus ſeparatus ab aliorum conſortio non poteſt ita facilè alios ad putredinem diſponere, aut putres reddere, ſicut ſi eſſet eis propinquus.

Hac ſuppoſitâ doctrinâ facilè reiicitur eorum ſententia, quos refert Tralianus *lib.* 12. *cap.* 2. qui aſſerunt continuas febres loco non differre ab intermittentibus; ſed tantùm quantitatis, aut qualitatis maioris, vel minoris ratione; ex dictis enim conſtat, quantitatem, & qualitatem febrem continuam, aut intermittentem producere, collatione factâ ad potentiam expultricem, & ad ipſam naturam, quæ ipſos humores regit, & gubernat.

*Obiectiones contra dicta.* Contra hanc tamen Galeni doctrinam poteſt quis inſurgere primò, quoniam ſi humores in febribus interpolatis extra venas putreſcunt, ſequeretur quod ſedimentum vrinæ non eſſet pars materiæ morbificæ; vrina enim, vt docet Galenus 1. *de criſibus*, eſt ſignum eorum quæ ſunt in venis. Cùm

C igitur iſte humor extra venas putreſcit, illius putredo non poterit ex vrina deprehendi; ex quo ſequitur ſecundum inconueniens, videlicet quod vrina in his febribus non poſſet ſignificare tempora vniuerſalia illarum, cùm in ſe nihil materiæ morbificæ contineat; coctione enim materiæ morbum efficientis morborum tempora diſtinguuntur; quam minimè percipere ex vrinis poterimus, ſi in illis nihil illius materiæ remanſit.

Tertiò ſic argumentor; nam illud, quod remanet, ex putredine in cinerem degenerat: ſed tranſacta putredine, nihil remanet in parte, neque per cutem euacuatur, quod cineris naturam referat: ergo dicendum eſt illum humorem intra venas putrefieri, cuius cineritium ad vrinas defertur, & eſt illarum ſedimentum, per quod iudicamus de coctione, & cruditate cauſæ morbificæ.

Tandem in morbo regio maxima bilis copia

D funditur, & nulla ſequitur putredo, neque febris; ergo neque ex fuſione humorum extra venas ſequi valet; vtriuſque enim eadem ratio videtur.

*Obiectionum dilutio.* Sed quia hæc leuia ſunt, non oportet propter illa à tanto Authore recedere, ſed dicere tenemur, humores extra vaſa putrefieri, quos procul dubio putredinis principium intra vaſa contraxiſſe exiſtimo; deinde natura eos, vt inutiles, ab aliorum conſortio ad extra reiecit, ad partem ſcilicet vbi putreſcunt, & acceſſionem faciunt. Quare ad argumenta reſpondetur.

Ad primum negando ſequelam, nam licèt humor putreſcat extra venas, ſedimentum tamen vrinæ eſt pars materiæ morbificæ: quod dupliciter contingere poteſt; nam licèt humores moueantur extra vaſa, tamen ſemper putreſcit paulatim aliquid materiæ antecedens; quia tamen illa eſt in parua quantitate, accidit quod in die intermiſſionis non

 generetur

generetur febris, generatur verò ſedimentum ex materia illa antecedenti, & non ex ea, quæ extra vaſa putreſcit. Vel ſecundò & meliùs reſpondetur, quod tranſactâ acceſſione illud cineritium, quod remanet in parte, ex vi putredinis ad vaſa recurrit, & per illa natura ad meatus vrinarios tranſmittit, & efficitur ſedimentum, quod eſt pars materiæ morbificæ, per quam poſſumus de materiei coctione, & cruditate iudicare, & vniuerſalia morbi tempora diſtinguere: ex quo manet etiam ſolutum ſecundum argumentum.

*Obiectionum dilutiones.* Ad tertium reſpondetur, aliquid remanere in parte tranſacta putredine, & aliquid ad venas, & alias partes recurrit; & eſt illud cineritium, quod poſtea fit materia ſedimenti; quod cineritium appellatur propter quandam ſimilitudinem, quia ſcilicet remanet tranſactâ putredine, ſicut cinis tranſacto igne, & in colore cineri ſimilis apparet; quod dilucidè inſinuat Galen. 2. *de different. febrium, cap. vltimo*, §. *ex ipſis enim lignis dum alterantur.*

Ad vltimum reſpondetur, bilem in morbo regio non putrefieri, quia continetur intra poros, & facilè ab aëre externo ventilatur, cuius occaſione non putreſcit; quod non contingit humori, dum in aliquo loco ſit incluſus, vbi ob ventilationis defectum facillimè corrumpitur.

*Fernel. ſententia.* Alij verò, inter quos Fernelius 4. *de febribus, cap.* 10. licèt cum Galeno exiſtiment, humorem in febribus interpolatis extra venas putreſcere, aſſerunt tamen, harum omnium originem, & locum eſſe in prima corporis regione circum ventriculum, diaphragma, iecoris caua, lienem, pancreas, omentum, aut meſenterium; quæ quidem partes ſunt quaſi publica corporis ſentina, in quam omne excrementum congregatur, ita vt tertianæ materia ex iecore, & ciſta fellis tanquam ex loco procedat; melancholia ex liene, ex qua quartana gignitur, ſicut pituita ex ventriculo, & inteſtinis, ex qua quotidianam ortum habere teſtantur; quod quidem frequenter contingere Galen. etiam aſſerit 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 5. iam citato.

Ex hiſce autem locis febrium rigores, aut horrores, & frigus excitantur, delatis vaporibus ad partes ſentientes, & ad totius corporis extrema, vt dum de rigore erit ſermo, notum fiet; tum etiam vapor ex putredine ortus minimè coërcitus, in cor primùm per ignotos nobis ductus effertur, deinde per arterias effuſus omne corpus implet, & calefacit, & febris ardorem mouet. Tandem ſupra modum diſſolutus, & extenuatus, tum impetu proprio, tum impellente naturâ, interdum in ſudorem, interdum per cutem inſenſibiliter euacuatur, & ceſſat febris acceſſio. Præterea in ipſo inuaſionis impetu vna pars humoris ad ventriculum confluit, vomitumque prouocat; alia verò per inferNam aluum deiicitur; aliquando etiam exerratu quodam aut obſtructionem aliquam humor, qui ad vnam partem deferri debebat, ſalubremque efficere acceſſionem, in partem principem decumbit, vt in os ventriculi, aut in caput, vel cor, aut maxima, peſſimaque ſymptomata concitat, & febrem malignam producit, quæ aliàs mitis eſſet, & in ſalutem tenderet: de qua febre proprium caput ſuo loco trademus.

Iuxta hanc ſententiam humor qui eſt proxima acceſſionis materia, extra venas putreſcit, non tamen in corporis habitum propellitur, tanquam ad locum putredinis, vt vult Galenus *locis ſuprà citatis*: quæ ſententia magis quotidiano experimento comprobatur, quàm rationibus; experimur enim quotidie, partes primæ regionis à nobis aſſi-

A gnatas, per huiuſmodi febres malè affici: ex quo ſumitur indicium, quod humor illas efficiens ad ipſas ex venis truditur, aut in ipſis paulatim congeritur; quod neutiquam contingeret, ſi intra venas, aut in totius corporis habitu humor putreſceret.

Alij verò aliter ſentiunt, nempe febres continuas fieri, ſi in amplioribus venis humor putreſcat; ſi in anguſtioribus, interpolatas: quod deſumitur ex Alex. Aphrod. 2. *problem. problemate* 83. illumque ſequitur Ludouicus Mercatus 6. *de putrid. febrium natura, & curatione*, qui pluribus rationibus hanc ſententiam probare intendit contra Galeni, & aliorum antiquorum doctrinam; ex illis tamen magis probabiles rationes adducam, vt hæc opinio ſtabilita maneat: quarum prima eſt. *Mercati ſententia.*

Nam videtur impoſſibile, craſſiſſimam melan- B choliam quartanum circuitum effecturam, à vaſis excidere, & per anguſtiſſima partium foramina permeare; idemque poſſumus aſſerere de craſſa, & viſcida pituita. Quis enim acceſſionis tempore ita breuiter ab humorum conſortio illam ſeparauit, & ad tenuitatem redegit? Quam quidem neque calor, neque medicamenta, niſi longo tempore, attenuare poſſunt.

Secundò probatur ex ſudore, qui in declinatione febrium intermittentium ſuccreſcere ſolet; nam ſudor generatur ex eadem materia, ex qua vrina producitur, & in eodem loco, licèt per diuerſam regionem diſtribuatur: ſed locus vrinæ eſt intra venas: ergo idem erit dicendum de loco materiæ ſudoris.

Tertiò ſic argumentor; quoniam ſequeretur, quod in augmento, & ſtatu febris intermittentis rigor febrem antecedens eſſet vehementior, & in- C tenſior. Sequelam probo, nam cùm rigor fiat ab humore ad ſentientes partes tranſmiſſo, quantò magis ſuccenditur & putrefit talis humor, magis acris, & mordax neceſſariò redditur, maioremque excitabit rigorem, & dolorem in partibus ſentientibus; ſi enim, vt inquit Hippocrates, dum pus conficitur, dolores fiunt; & ille humor in pus quodammodo vertitur, donec illud pus fiat, dolor excitabitur, & rigor. Cùm rigor nihil aliud ſit, quàm affectio doloroſa vnà cum concuſſione membrorum. Cùm igitur pus vſque ad morbi ſtatum conficiatur, vſque ad illum rigores perdurare deberent, cuius contrarium experimur.

Quartò probatur; nam ſi humores extra vaſa putreſcunt, omnes febres intermittentes erunt de natura, & forte ephemerarum. Probatur antecedens, nam pari ratione cor incaleſceret ac dum ali- D qua corporis particula phlegmone laborat, & ab illa cordi calor communicatur. Quod ſi non velis eam ephemeram nominare, ſed putridam; nam ex partibus putridæ febres aliquando inſurgunt, vt docet Hippocrates, dum inquit: *Febres ex bubonibus omnes malæ, exceptis diariis*; ſequeretur, quod nulla febris intermittens eſſet ſalubris, cuius contrarium docet Hippocrates dum aſſerit: *Exquiſita tertiana ſeptenis circuitibus terminatur*; quod tempus longiſſimum eſt: & Galen. 2. *de criſibus*, eam ſalubrem vocat.

Vltimò probatur; nam videtur creditu difficile, humorem extra vaſa proiectum tam citò putrefieri, & ſimul excerni, vel inſenſibiliter reſolui. Exemplum fidiſſimum adducam in paronychiis, & furunculis; qui quantumvis ſint tumores paruiſſimi, in quibus parua humoris quantitas colligitur, cum hoc tamen non niſi plurimis diebus reſolui,

ſolui, aut ſuppurari poſſunt, ex quo ſic infero. Si parua humoris quantitas, & in vno loco collecta tanto indiget tempore ad ſuppurationem, vel reſolutionem ſuſcipiendam, procul dubio humores in his febribus, ſi extra vaſa fundantur, non niſi longè maiori poſſunt putrefieri & reſolui. Cùm ergo breuiter finiatur acceſſio febrilis, dicendum eſt, illum humorem intra venas putrefieri, qui per venas ad vrinæ veſſicam partim defertur, & eſt materia ſedimenti; partim verò inſenſibiliter per cutem euacuatur, aut in ſudorem conuertitur.

His rationibus addere poſſumus quæ contra Galeni ſententiam tradidimus, quæ vim habent ad huius ſententiæ confirmationem.

In tanta rerum varietate certius eligere tentabo, ſi priùs rationibus traditis ſatisfecerim.

*Ad Mercati argumenta reſponſiones.*

Ad primam igitur reſpondetur, melancholiam craſſam à vaſis excidere poſſe in minimas partes diuiſam; & idem dicimus de craſſa, & viſcida pituita: ſi enim ſanguis craſſus, & in grumos conuerſus, in pectore detentus expellitur per ſputum, nullâ apparente viâ, nec ductu, per quem deferatur, vt capite de ſanguinis ſputo probauimus ex Galeni, & omnium ſententia; quare per vias nobis ignotas non poterit natura humorem craſſum & viſcidum ſecernere? Vlteriùs non eſt neceſſarium ſemper, vt humor ex venis tranſmittatur, ſed quod in parte paulatim congregetur, & ibi putredinis initium nanciſcatur, vt patet in humoribus præter naturam, qui etiam paulatim congeruntur, deinde putreſcere ſolent.

Ad ſecundam reſpondetur, corpore exiſtente ſano eandem eſſe materiam ſudoris & vrinæ, & eſſe intra venas tanquam intra locum vbi generatur; tamen corpore malè affecto, id non eſt neceſſarium, nam ex quauis morbi materia fieri poteſt, ita vt dicat Hippocrates, *in qua parte ſudor, ibi humor*; non tamen determinat, quod ſit intra venas.

Ad tertiam reſpondetur, non benè inferri, quod in augmento, & ſtatu morbi febrilis rigor ſit vehementior; imò ex eodem argumento concluditur, non fieri rigorem illis temporibus: nam cùm rigores illi fiant ex vapore, & tenuiore humoris parte, dum ille calor intenditur, reſoluit, & extenuat illos, quibus abſumptis non mirum, quod rigor ceſſet.

Ad quartam reſpondetur, quod iſtæ febres ſunt verè putridæ, quales ſunt illæ quæ aliquando ex bubonibus ortum ducunt, quæ excipiuntur à diariis, quoniam non ſolùm per caloris alterationem continuam cor calefaciunt, ſed etiam per vapores putres cor petentes, ex illis febres ſuccenduntur, & præter hoc in vrinis coctionis, & cruditatis ſigna attenduntur, & in illis reperitur illa pulſuum inæqualitas febrilis, quam connumerat Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc.* & alibi millies, quæ dicuntur malæ comparatione factâ ad ephemeras, quæ vigintiquatuor horarum ſpatio finiuntur; cum hoc tamen in ordine ad alias febres putridas, & continuas valdè ſalubres dici merentur.

Ad vltimum reſpondetur, humorem illum extra vaſa putreſcentem, facilè putrefieri ob loci commoditatem; nam inculcatus humor in parte non ita facilè difflatur, ſicut humor furunculum conſtituens, cuius putredo impeditur ab aëre ambienti, & à frigiditate externa; & ſic magis ſine reſolutione, aut putredine in parte detinetur, & aliquoties à frigiditate externa induratur, aut calore tenue illius exundare faciente, in ſchirrhi naturam conuertitur.

*Authoris ſententia.*

Hæ ſunt, candide Lector, ſententiæ quæ inueniuntur circa locum vbi humor putreſcit in febribus interpolatis, quæ omnes deinceps ſuſcipi poſſunt. In primis enim neque à vero abeſſe videtur Galeni doctrina, dum aſſerit, quod ſi intra vaſa humores putreſcunt, continuæ; ſi extra, febres intermittentes fiunt. Quod rigoris, & horroris inſultu confirmari poteſt, & rationibus, quas ſuprà tetigimus. Neque fundamento caret recentiorum doctrina, quod ſcilicet putredinis locus ſit in prima corporis regione, quod non prætermiſit Gal. cùm 1. *ad Glauc. cit.* dicat, pituitoſas febres ex ventriculo, quartanas ex liene, tertianas ex iecore prodire; & id quotidianus euentus demonſtret. Neque in hoc varius extitit Galen. vt quidam cenſuit, cùm ipſe ſemper aſſerat, humores in his febribus extra venas putredinem comparare. Neque Alex. Aphrod. ſententia ratione caret, dum ait, quod ſi materia febris in maioribus venis putreſcit, per continuam earum in totum corpus ſeriem putredo communicatur, & continuæ febres fiunt. Si verò in minoribus & anguſtioribus vaſis humor putreſcit, febres fiunt intermittentes; ex anguſtioribus enim illis non tam facilè materia ad maiora vaſa regredi poteſt, ita vt febrem continuam conſtituat; & quia in minori copia eſt materia, breuiorem acceſſionem facit, & febrem intermittentem conſtituit. Hanc doctrinam tuetur Coſteus *fen.* 1. 4. *doct.* 2. *cap.* 1. & eam vt veriorem eligere ſum auſus, vtpote rationi magis conſonam, & quæ nullo contrariorum fundamento euerti poteſt; ex qua concluditur, nullum eſſe determinatum locum putredinis in febribus intermittentibus, cùm plures inueniantur loci, in quibus humores poſſunt putrefieri, & febrem intermittentem excitare.

## QVÆSTIO IX.

### *Vtrum tempus interualli in febre intermittente ſit verè morbi tempus.*

Hvic dubio occaſionem præbet Auic. *fen.* 1. *quarti, tract.* 2. *cap.* 1. vbi ait, quod in febribus intermittentibus deſtruitur febris donec noua materia accumuletur in loco putredinis. Pro qua intelligenda quæſtione notandum eſt, febrem intermittentem eam eſſe, in qua inter vnam, & alteram acceſſionem ægrotus peruenit ad febris vacuitatem; quod quidem accidere ſolet cùm materia coniuncta vnius acceſſionis reſoluitur priùs quàm alia de nouo adueniat, quæ nouam acceſſionem inducat: cuius contrarium accidit in febre continua, in qua noua portio materiæ incipit putrefieri antequam præcedens ſit conſumpta, & reſoluta; ſicque nullum datur tempus, in quo æger à febre liber euadat. In hac ergo deſertione primâ ſententia affirmat interuallum inter vnam, & alteram acceſſionem non eſſe morbi tempus. Primò, quia in febribus intermittentibus ceſſat febris tempore interualli: ergo in illo non adeſt morbus. Patet conſequentia, quia ſi aliquis adeſt, maximè febris. Antecedens conſtat ex Galen. 1. *de criſibus, cap.* 3. vbi ſic: *Voco autem intermiſſionem, quando febris ad quietem deſierit.* Et 4. *aphoriſ. comment.* 43. vbi inquit, quod Hippoc. per verbum *intermittere*, intelligit acceſſiones, quæ in quietem febre vacantem deſinunt. Et 1. *de arte curat. ad Glauconem, cap. de tertiana exquiſita*, idem ſtatuit, & clariùs

clariùs 4. *aphoriſm. comment.* 63, vbi expreſsè aſſerit, in febrium intermiſſionibus ad infebricitationem deuenire. Et ratione oſtendi poteſt, nam tempore interualli manent actiones illæſæ: ergo non manet morbus. Conſequentia patet, quia morbus eſt affectus actiones lædens. Antecedens conſtat in febre quartana, in qua tempore intermiſſionis ad aſſueta ſine læſione conuertitur æger. Denique ſi morbus maneret, non eſſet intemittens, ſed continuus: ergo vt dicatur intermittens, interualli tempus non eſt tempus morbi; nam difficile intellectu eſt, quod detur morbi tempus, & quod non ſit ibi morbus, qui eo tempore menſuretur.

Alij contrarium opinantur, nempe tempus interualli eſſe morbi tempus: quod probare poſſunt ex Gal. 1. *de arte curat. cap.* 2. vbi agens de ſignis & cauſis febrium ephemerarum, diſtinguit febrem ephemeram ab intermittentibus, eo quod in ephemeris earum ſigna in totum abolentur acceſſione ceſſante; in intermittentibus autem remanet febris ſignum: ergo debet remanere febris, ſiquidem ſignum illud eſt ſymptoma ipſius febris, & ab ipſa febre dependens. Præterea in parte mandante, aut recipiente manet intemperies calida, quæ eſt cauſa putredinis ſequentis acceſſionis. Si ergo media hac intemperie calida continuatur acceſſio præcedens cum conſequenti, non mirum ſi morbus ille ſit vnus, & tempus interualli ſit etiam tempus morbi.

Alij docent, tempus interualli non eſſe tempus morbi, ſiquidem reuera ibi non datur morbus, cùm non ſint vitiatæ actiones ſenſibiliter; neque eſſe tempus ſanitatis, quia actiones non ſunt ita perfectæ, ſicuti tempore ſalutis. Quia ergo nullus alius ſtatus aſſignari poteſt præter ſtatum neutralitatis, ideò dicunt illud tempus eſſe diſpoſitionis neutrius per abnegationem extremorum. Quapropter licèt ibi detur aliqua intemperies calida, ea tamen non cenſetur morboſa, quia non eſt ſufficiens ad actiones ſenſibiliter lædendas: eſt tamen ſufficiens ad inducendam diſpoſitionem neutram. Ex iis manet conſtituta controuerſia.

Pro cuius deciſione, & vt veriorem eligamus ſententiam, notandum primò, non omnes res eandem vnitatem habere, vt patet in quantitate continua, & diſcreta; nam quantitas continua ita eſt vna, vt habeat omnes ſuas partes termino communi copulatas; quantitas verò diſcreta alium vnionis modum ſortita eſt, quia eius partes non copulantur termino communi, ſed manent diſcretæ inter ſe; non tamen tollit diſcretio vnitatem totius, quod ex partibus illis eſt conflatum; ſic enim numerus ex pluribus conſtat vnitatibus, quarum ſingulæ diſcontinuæ ſunt inter ſe, & nihilominus vnum numerum conſtituunt; nam illæ vnitates ſunt indiuiſibiles partialiter, & vnum numerum totalem componunt, vt tres lapides conſtituunt vnum numerum ternarium, ita vt numerus ternarius nequeat intelligi ſine tali vnitatum diſcretione: & idem aſſerimus de quantitate ſucceſſiua diſcreta, qualis eſt oratio, quæ ex pluribus ſyllabis conſtituitur, inter ſe nullam habentibus vnionem; & tamen vnicam orationem componunt. Pari ergo ratione ſentiendum eſt de morbis, quorum aliqui continui ſunt, & eorum partes copulantur termino communi, ita vt ſine vlla ceſſatione tendant à principio in finem totius ſuæ durationis. Alij ſunt intermittentes, quorum partes petunt non copulari termino communi, imò exigunt ſeparationem, & diſcretionem inter ſe, ita vt tam eſſentiale ſit morbo intermittenti ha-

A bere partes diſcontinuas, & diſcretas, ſicuti morbo continuo habere eas copulatas termino communi.

Secundò notandum eſt, morbum intermittentem non dicere vnam ſimplicem naturam, ſed complexam ex affectu ipſo, & priuatione ipſius; dicit enim febrem diuiſam in plures partes, quæ inter ſe ſunt diſcretæ, & ſeparatæ; & febris priuationem, per quam partes ipſæ fiunt diſcretæ, & diſcontinuæ, quatenus illo tempore diſcontinuo non datur febris: quemadmodum enim in Stoïcorum ſententia dicere ſolemus, quod motus componitur ex partibus ſucceſſiuis, & priuationibus illarum, quæ priuationes morulæ vocantur, ita vt motus nequeat concipi ſine dictis partibus, & morulis, quibus intercipiuntur: ſic etiam dicimus, quod menſis Maij habet 31. dies, in qua B menſuratione tempus, quod menſurat menſem, non eſt tantùm illud, quod menſurat lucem, quod propriè dies eſt; ſed etiam quod menſurat tenebras, quæ conſtituunt noctem, iuxta illud *Geneſis* 1. vbi dicitur: *Appellauitque Deus lucem diem, & tenebras noctem.* Atque adeò ſicut datur vnum tempus menſurans lucem, & tenebras, ex quibus vnus conſtituitur; pari modo in morbo intermittenti datur vnum tempus, quod menſurat morbi partes, quatenus morbus eſt, & quod menſurat interualla ipſius, quatenus eſt intermittens, ita vt ex vtroque conſtituatur conceptus morbi intermittentis.

*Morbus intermittens ad quod pertinet prædicamentum.*

Quod ſi inquiras, ad quod ergo prædicamentum pertinet talis morbus intermittens, numerus enim, & oratio pertinent ad quantitatis genus, & conſtituunt ſpecies quantitatis diſcretæ; morbus verò in probabiliori ſententia eſt qualitas, & de eius prima ſpecie.

C Reſpondetur, quod ſi conſideremus formalitatem morbi, eſt de prima qualitatis ſpecie; veruntamen ſi conſideremus eius durationem, ea pertinet ad genus quantitatis, cuius duplex eſt differentia; alia enim eſt duratio continua, altera intermittens, ſeu diſcreta, cùm ſit menſura partium durationis, quarum aliæ menſurant acceſſiones, aliæ menſurant priuationes. Et vt melius intelligatur, exemplo demonſtrare nitar in voce ſonora, quæ ex ſe dicit ſonum, qui eſt qualitas de tertia ſpecie; quatenus verò dicit durationem, & certum ordinem ſyllabarum ſecundum prius & poſterius, & longitudinem aut breuitatem, conſtituit ſpeciem quantitatis diuiſæ, aut diſcretæ, quia eſt quid complexum, compoſitum ex rebus diuerſorum prædicamentorum.

His iactis fundamentis, ſtatuitur noſtra concluſio. Tempus interualli morbi intermittentis, D non ex qua parte morbus eſt, ſed ex qua eſt intermittens, eſt ita intrinſecum morbo intermittenti, ſicut & tempus acceſſionis, ita vt morbus intermittens intrinſecè vt talis eſt, ex intermiſſione, & acceſſione conſtituatur. Hæc concluſio probatur 1. ex Galen. *lib. de morbi temporibus, cap.* 5. & 6. vbi diuidens febris intermittentis circuitus, primam partem appellat acceſſionem, ſecundam verò interuallum.

Secundò probatur; nam ſi interuallum non eſt pars morbi intermittentis: ergo ſine illo poterit eſſe morbus intermittens: ſed implicat eſſe morbum intermittentem ſine interuallo, ſicuti eſſe album ſine albedine: ergo interuallum eſt propriè morbi intermittentis.

Tertiò probatur à ſimili. Tota ratio intrinſeca morbi ſecundùm ſuas partes continui deſtruitur amiſsâ continuitate, quia continuitas eſt de eſſen-

tia

tia morbi continui, vt continuus eſt: ergo tota ratio intrinſeca morbi intermittentis etiam deſtruitur amiſsâ intermiſſione, quæ etiam eſt de conceptu intermittentis, vt talis eſt; quando enim res non poteſt concipi ſine alio, neque ſaluari ſine illo, neceſſariò eſt dicendum, illud pertinere ad eius intrinſecam rationem.

Quartò, omnes acceſſiones conſtituunt tempus huius morbi, ſed nequeunt illum conſtituere intermittentem ſine intermiſſione: ergo intermiſſio pertinet ad integritatem eſſentialem illius.

Ex hac noſtra concluſione deduco, malè aſſerere eos, qui dicunt morbum iſtum eſſe continuum continuitate cauſæ; nam cùm eo tempore intermiſſionis non reluceat aliquis effectus, qui in talem cauſam reduci queat, parum refert continuitas cauſæ, quæ cùm tempore interualli nihil efficiat ſenſibile, non poteſt vocitari cauſa. Neque ſeſequenda eſt in hac parte Valleſij ſententia 2. *de different. febrium, cap.* 3. Vegæ 2. *de different. febrium, cap.* 9. Braui 1. *de differentiis febrium, cap.* 8. qui omnes iudicant tempore intermiſſionis adhuc manere febrem remiſſam; ſic enim febris tertiana eſſet continua, & non intermittens: quod nullus dixit, eo quod in intermiſſione neque eſt ſenſibilis læſio, neque intemperies calida morboſa, à qua originem ducat.

Neque Authores primæ ſententiæ aliquid concludunt; concedimus enim in interuallo vacare ægrum febribus continuis, non tamen febre cum intermiſſione; quæ quidem non poteſt dici intermittens, ſi intermiſſione careat: & idem iudicium fit de læſione actionum, quæ non petit fieri tempore interualli; neque morbus petit, vt ſemper lædantur actu actiones, ſed quod poſſit eas lædere morbus continuus in quolibet tempore; intermittens verò tempore acceſſionis, non verò tempore intermiſſionis. Ex quibus ſufficienter manet ſoluta controuerſia, quæ quia parum conducit ad curationem, iuſtum eſt aſſequuta finem.

---

## QVÆSTIO X.

### *In quo conſiſtat natura rigoris.*

PRæcedens quæſtio nos mouet, vt ad præſentem deueniamus; ſiquidem rigores febrium interpolatarum inuaſionem præcedunt, de quarum humorum putredine, & loco in præcedenti egimus. Ad cuius intelligentiam ſupponere oportet ex Gal. 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 6. & *lib. de rigore, tremore, &c. cap. etiam* 6. & ex Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 6. quod hæc tria, videlicet frigus, horror, ſeu horripilatio, quod idem eſt, & rigor, conueniunt in aliquibus, & in aliis diſconueniunt: conueniunt quidem primò in hoc, quod in omnibus frigiditas in extremis partibus perſentitur. Secundò in hoc, quod omnia hæc ab eiſdem excitantur cauſis, vt benè loco allegato notat Auic. Diſconueniunt tamen in hoc, quod in frigore ſolùm adeſt extremarum partium frigiditas ſine concuſſione aliqua; in horrore verò, ſeu horripilatione præter frigiditatem adeſt etiam cutis leuis agitatio; in rigore tandem præter dicta vehemens concuſſio membrorum reperitur.

Differunt ſecundò, nam licèt hæ affectiones ab eiſdem cauſis excitentur, cum hoc tamen frigiditas à minori, horror à maiori, rigor verò à fortiori, & vehementiori cauſa ortum habent; nam ſi,

A v. g. humor dolorem, & moleſtiam inferens per ſentientes partes deferatur, & leuiter irritet, leuem etiam retractionem calidi innati ad interiora efficit, ratione cuius extremæ corporis partes frigidæ manent, deſtituuntur enim calido influenti, quod nomine calidi innati intelligi debet, vt animaduertit Galen. *locis citatis.* Si verò talis humor magis moleſtet, tunc etiam maiorem calidi innati retractionem ad partes interiores efficiet, & horror, ſeu horripilatio concitatur. Veruntamen ſi humor maximè irritet, non ſolùm horrorem, & frigiditatem valebit producere, ſed etiam rigorem; nam cùm maximè calor ad intra reuocatur, neceſſariò vehemens frigiditas extremarum partium reſultabit; & quia humor vehementer irritat, ideò vehemens membrorum concuſſio, & commotio excitatur in ordine ad expulſionem humoris moleſtantis.

B Ex dictis infertur, quatuor in rigore reperiri. *Quæ in rigore reperiuntur.* Primum dolorifica ſenſatio, modò fiat ab humore, ſiue vapore per ſentientes partes delato, modò ab alia quauis re exteriùs occurſante, & noxam inducente, vt ſi alicui vlceri medicamentum aliquod mordax, & vehementer irritans applicetur. Secundò inuenitur motus & fuga caloris natiui ad interiores partes, qui rem moleſtantem fugit. Rurſum cùm interiùs coërcitum calidum ſuffocari incipit, vehementer ad extra prorumpit, quo prodeunte membra vires recuperant, & humorem mouent, illum expellere conantia; atque hæc alternatim fiunt, donec vincente calore membra externa incaleſcunt, & ſuccedit febris; aut vincente humore ſuffocatur calor, ægerque moritur, vt citatis locis inſinuauit Galenus, & eleganter ſatis adduxit Valleſ. 5. *controuerſ. cap.* 17. eſt enim hoc calidum innatum, quod ſpiritibus, & ſanguini inhæret, animæ inſtrumentum, vt

C alibi probauimus, quod diuerſimodè mouetur in ordine ad animi actiones eliciendas, vt patet ex animi paſſionibus, in quibus varios efficit motus pro diuerſitate actus imaginationis, vt probat Galen. 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5. & communiter recipitur. Tertiò reperitur extremarum partium frigiditas. Tandem quartò inuenitur in rigore vehemens concuſſio membrorum, vt dictum eſt, in ordine ad expulſionem humoris noxam inferentis.

His ſic ſtatutis, vt certum ſupponimus, quod ſi quatuor tradita ſeorſum conſiderentur, in nullo eorum natura rigoris collocari poteſt; nam poſita eſſentia rei, neceſſariò ipſa res ponitur; poſito verò quouis iſtorum, non ponitur rigor, ſi ſeorſim accipiantur: ergo in illis ſeorſim ſumptis non poteſt conſiſtere eſſentia rigoris. In primis enim non conſiſtit in frigore, cùm hiberno tempore extre-

D mæ corporis partes refrigerentur, & nullus rigor excitetur. Neque in dolorifica ſenſatione, vt patet dum quis acu pungitur, aut ab aliquo alio obiecto moleſtante irritatur; & tamen illum rigere non videmus. Neque etiam collocari poteſt in retractione caloris natiui ad intra, nam in timore, & triſtitia retrahitur calor, & nullus adeſt rigor. Tandem non conſiſtit in vibratione, & concuſſione membrorum, quia ipſa datur ſine rigore, vt patet in epilepſia, & aliis motibus conuulſiuis. Debet ergo conſiſtere in horum duobus, vel tribus, vel pluribus, ex quibus ſimul ſumptis rigoris natura conſtituitur.

Dicendum ergo eſt, rationem formalem rigoris ſitam eſſe in refrigeratione dolorifica, vnà cum concuſſione totius corporis, vt deſumitur ex Galeno *de rigore, & tremore, &c. cap.* 6. vbi rigorem *Ratio formalis rigoris in quo conſiſtat.*

definiens

definiens ſic ait: *Rigor eſt perfrictio doloroſa cum quadam inæquali totius corporis concuſſione, agitationeque.* Idem ſenſit Auicen. *loco ſuprà citato*, Gentilis *ſuper eundem locum*, & eſt communis ſententia. Quæ definitio à Galeno tradita explicat perfectè naturam rigoris, & illum ab aliis ſub eodem genere contentis diſtinguit. Perfrictio enim ponitur loco generis; nam eſt quid ſuperius ad rigorem, horrorem, & refrigerationem, in quo omnia iſta conueniunt; reliqua verò loco differentiæ ponuntur. Particula *dolorifica*, excludit frigefactionem illam, quæ lentè fit; nam ad rationem doloris requiritur, quod affatim natura alteretur, & corrumpatur, vt docet Hippocrates *lib. de flatibus*, & Galenus *lib. de inæquali intemperie*. Excludit etiam frigefactionem, quæ fit ſubiectis calidis præter naturam exiſtentibus, quando ad priſtinam ſanitatem, & frigiditatem naturalem reducuntur, in quibus nullus reperitur dolor, atque adeò neque rigor. Per illam particulam, *cum quadam inæquali concuſſione totius corporis*, excluditur horror, in quo licèt adſit dolorifica refrigeratio, & leuis cutis concuſſio, non tamen per illum vniuerſum concutitur corpus, vt probat Galen. *locis iam citatis.*

Neque valet contra dicta, ſi afferas cum Galeno, quod rigor eſt paſſio calidi innati, quem ſequitur etiam Valleſ. loco vt ſuprà; nam licèt non detur rigor ſine illo motu calidi influentis, non tamen (dicunt) eſt de intrinſeca ratione illius, & hanc ob cauſam in definitione rigoris, illius non meminit Galenus; quod vtique faceret, ſi ad rigoris conſtitutionem eſſet neceſſarius talis motus: eſt tamen neceſſarius vt conditio ſine qua non, ſiquidem ex ſpirituum motione ad intra partes extremæ refrigerantur; ſi verò ſpiritus ibi permanſiſſent, neutiquam dari poſſet in rigore perfrictio illa, quam ſtatuit Galenus, præſertim cùm rigor excitatur ab humore calido, qui partes extremas calefaceret potiùs, quàm infrigidaret. Vlteriùs cùm rigor ſit paſſio viuentis, requirit ſubiectum viuens, præcipuè in probabiliori opinione, quam nos defendimus, quæ aſſerit morbum ſubiectari in ſubiecto viuenti: at verò ſpiritus, & ſanguis, in quibus ille motus ſubiectatur, non viuunt, quidquid dicat Pater Hurtado *in Metaphyſic.* Qui verò defendere conantur, quod ſubiectum morbificum non eſt neceſſarium vt ſit viuens, ſed ſolùm quod ſit intra viuens, poterunt etiam defendere, quod talis motus eſt de intrinſeca ratione rigoris, ita vt ſine illo dari non poſſit.

*Dubium.* Ex dictis prodit alterum dubium, an ſcilicet motus ille concuſſiuus membrorum ſit animalis, an naturalis, aut vtriuſque particeps? Ad cuius dubij ſolutionem ſupponere oportet, quod iſte motus concuſſiuus fit à facultate naturali expultrice, ſub qua etiam facultatem pulſificam comprehendo. Eſt enim ibi præſens obiectum noxium, quod valet facultatem mouere & excitare ad expulſionem; ad quem motum etiam concurrit actio facultatis animalis expellentis, cùm ſit in noſtra poteſtate illum motum aliquo modo cohibere, & minorem reddere; quod minimè fieret, ſi totus eſſet naturalis, & à voluntate independens. Accedit ad hoc, quod muſculi patiuntur ſenſationem dolorificam ab obiecto nociuo excitatam; quod obiectum expellere tentant muſculi, vt ſunt inſtrumenta facultatis expellentis animalis, & ſic talem motum concuſſiuum efficiunt.

*Soluitur dubium.* Dicendum ergo eſt, munus vtriuſque facultatis in illo motu reperiri, tamen vtrumque munus non A eſſe de eſſentia rigoris, ſed ſolùm munus facultatis naturalis; nam motus procedens à facultate animali concuſſiuus poteſt cohiberi, ita vt ægrotus volens, demere poſſit quidquid voluntarij accedit; quod cùm auferatur manente rigore, non eſt de intrinſeca eius ratione; motus tamen ille prout dependet à facultate naturali, eſt rigori eſſentialis, qui nullo modo durante rigore ab ipſo auferri poteſt, qui tamdiu durat quandiu obiectum naturam irritat, & ad motum illum præter naturam mouet.

Ex his clarè conſtat, rigorem non eſſe ſimplex accidens, ſed potiùs aggregatum quoddam compoſitum ex pluribus accidentibus ad diuerſa prædicamenta ſpectantibus; concuſſio enim eſt motus localis, qui reducitur ad prædicamentum *vbi*; refrigeratio verò, & ſenſatio dolorifica ad prædicamentum de actione; earum termini ad prædica- B tum qualitatis.

Sed inſtabis: Quæ pertinent ad diuerſa prædicamenta vnicâ definitione definiri non poſſunt, vt patet in quantitate, quæ longè diuerſam habet definitionem à qualitate, & ſic de aliis: ſed rigor eſt aggregatum quoddam ad diuerſa pertinens prædicamenta: ergo vnica definitione definiri non poteſt. *Obiectio.*

Reſpondetur diſtinguendo maiorem; illa quæ pertinent ad diuerſa prædicamenta, vt ſic, non poſſunt definiri, concedo maiorem; illa verò quæ ad diuerſa prædicamenta ſpectant, & ſe habent per modum vnius, & vnum componunt, non poſſunt definiri, nego maiorem, & exemplum conſtituam in genere, & ſpecie, quæ aggregata quædam ſunt ex ſubſtantia, & ſecunda intentione, quæ eſt accidens; & tamen vnica, & eſſentiali definitione ea Logici definiunt. Idem poſſumus aſſerere in accidentibus phyſicis, videlicet in albo, & C nigro, quorum definitiones tradunt omnes, licèt componantur ex ſubſtantia, & accidenti, quæ diuerſa conſtituunt prædicamenta. *Ad illam reſponſio.*

Iterum dubitabis: Rigor eſt morbus: ergo debet conſtitui ſub vnico prædicamento. Antecedens patet, nam lædit ſenſibiliter. Conſequentia etiam eſt manifeſta, ſiquidem morbus pertinet ad prædicamentum qualitatis.

Reſpondetur, plura dari in rigore, quorum quædam morbum conſtituunt, alia verò ſunt accidentia morbum conſequentia; datur enim ſolutio continui inſenſibilis inducta ab humoris mordacitate noxam inferente, quæ dolorem excitat in partibus ſenſitiuis. Datur etiam frigus productum in partibus carnoſis, quod ſimiliter iuuat ad inducendum dolorem: ſolutio autem continui, & frigus habent rationem morbi, & pertinent ad prædicamentum qualitatis; reliqua verò, vt ſenſatio D dolorifica, & motus concuſſiuus, ſunt actiones deprauatæ, quæ præſupponunt ſolutionem continui ab humore irritanti inductam; ſicque pertinent ad prædicamentum actionis. Et quia per motum concuſſiuum partes quæ concutiuntur, diuerſum vbi adquirunt, ille motus reductiuè ſaltem ponitur in prædicamento *vbi*. Ex quibus omnibus aggregatim ſumptis reſultat rigor, qui neque abſolutè eſt morbus, neque ſymptoma, ſed eſt vtriuſque particeps.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO XI.

### *De cauſis rigorem efficientibus.*

CVm etiam reperiantur in rigore, quæ ad illius eſſentiam attinent, tres etiam cauſas immediatas aſſignare poſſumus, quæ illum efficienter producunt. In primis reperitur frigiditas extremorum, quam prouenire cenſuit Galenus *lib. de tremore, rigore, &c. cap. 6.* ex defectu caloris natiui, qui ad corporis interiora refugiens, exteriora frigida relinquit; quæ cauſa dicitur priuatiua, quatenus ex caloris defectu remanent extrema corporis frigida. Hæc tamen doctrina non rectè explicat cauſam rigoris effectiuam; nam licèt requiratur fuga caloris influentis, & defectus illius, talis defectus cùm nihil poſitiuum ſit,non poteſt eſſe cauſa effectus poſitiui, qualis eſt illa frigiditas, quæ ſentitur in extremis partibus; effectus enim poſitiui cauſam poſitiuam requirunt, atque adeò aliam cauſam inueſtigare debemus, à qua efficienter, & poſitiuè talis frigiditas dependeat.

Dicendum ergo eſt, quod cùm illæ partes deſtitutæ maneant à calore influenti, & plures ex illis ſint exſangues, & ſeminales, quæ frigidæ naturâ ſunt, facilè ad priſtinam frigiditatem reducantur à propria forma, & partes carnoſas ſibi propinquas infrigident, ita vt frigiditas illa ſenſibiliter percipiatur, operationeſque ſenſibiliter lædat; accedit ad hoc etiam, quod excrementa aquea, & ſeroſa in potis partium contenta, ablato calore influenti illam frigiditatem intendere valent; ſimiliter ſi humor rigorem efficiens frigidus ſit, ſuâ frigiditate partium ſeminalium, & excrementorum frigiditatem adiuuabunt, donec tandem à calore febrili vincantur.

*Contra dicta argumenta.* Contra dicta tamen non deſunt non leuia argumenta. Primum ſit: Partes ſpermaticæ ſunt calidæ à prædominio: ergo ab illarum propria forma non poteſt illa frigiditas oriri. Antecedens probatur, nam partes illæ ſunt factæ ex ſemine, ſemen autem eſt calidum, & humidum: ergo & illæ partes calidæ, & humidæ erunt, orta enim atteſtantur de ſuis principiis.

Secundum argumentum eſt: Refrigeratio, quæ in rigore fit, non eſt cum delectatione, ſed potiùs cum dolore: ergo non poteſt fieri à partibus ſpermaticis dum ad priſtinam reducuntur naturam. Antecedens conſtat ex rigoris definitione, vbi diximus, rigorem eſſe refrigerationem dolorificam. Conſequens probatur, nam cùm res aliqua ad priſtinam naturam reducitur, potiùs delectatur, quàm dolet; quia per talem reductionem non corrumpitur natura, ſed potiùs perficitur: voluptas autem, & non dolor in naturæ reductione reperitur.

Tertium, nam vt ex Philoſophia accepimus, formæ ſubſtantiales non ſunt immediatè operatiuæ, ſed indigent aliquo accidenti tanquam inſtrumento, vt operentur: ergo ab illis immediatè non poteſt frigiditas illa produci.

Tandem, quando rigor à cauſa calida excitatur, vt in tertiana exquiſita, à calore illius cauſæ poſſunt calefieri illæ partes ſpermaticæ: ergo ab illarum forma eo tempore non pullulabit frigus.

*Vera ſententia.* Quamuis hæc argumenta vim aliquam habere videantur, non tamen noſtram euertunt doctrinam, vt ex eorum ſolutione notum fiet; conſtat enim, quod ex ſola caloris natiui ad interiora retractione, ſine occurſu alicuius cauſæ extrinſecæ refrigerantis, frigus extremarum partium percipitur: ergo ab aliquo intrinſeco fieri debet talis refrigeratio. Cùm ergo partes ſpermaticæ ſint in noſtro corpore magis frigidæ,ſi calore influenti deſtituuntur, facilè partes canoſas infrigidare valebunt, & frigus in rigore efficere.

*Ad argumenta reſponſiones.* Ad argumenta ergo reſpondetur, ad primum negando antecedens; nam licèt partes ſpermaticæ fiant ex ſemine, tanquam ex materia; nón tamen ex parte ſeminis ſpirituoſa, quæ calida, & humida eſt; de hac enim benè probat argumentum: ſed potiùs fiunt ex parte ſeminis craſſiori, quæ in communi opinione eſt frigida à prædominio, & ita illæ partes etiam frigidæ manent.

Ad ſecundum reſpondetur concedendo antecedens, videlicet, quod illa refrigeratio non fiat cum delectatione: ad conſequentiam verò reſpondetur, quod partes ſeminales, à quibus prodit frigiditas illa, non habent dolorificam illam ſenſationem; habent tamen illam partes carnoſæ, quæ ex ſua natura calidæ ſunt,& ab excedenti frigiditate partium ſeminalium maximè offenduntur; & ita non concludit argumentum,nam illa frigiditas non prodit ex partibus carnoſis, quæ corrumpuntur, & alterantur extra propriam naturam, ſed ex aliis partibus, vt dictum eſt.

Ad tertium reſpondetur, quod formæ in ſtatu præter naturam, & incompleto operantur ſine aliquo accidenti, tanquam inſtrumento; ſic enim aqua dum eſt in ſtatu ſibi violento, immediatè ablato calefaciente frigiditatem amiſſam recuperat; & formæ ſubſtantiales in ſtatu incompleto, ſimplici quadam emanatione proprias producunt paſſiones; in ſtatu verò completo & ſuæ naturæ debito, indigent formæ accidentibus iam productis tanquam potentiis, aut inſtrumentis, quibus operentur.

Ad vltimum reſpondetur, quod licèt cauſa calida rigorem excitet, non tamen ipſas partes frigidas calefacit; quia tam celeri impetu à partibus excutitur, vt non habeat ſufficientem moram circa illas, vt eas calefaciat, atque ex conſequenti vincit frigiditas natiua prædictarum partium, & excrementorum.

*Dolor quomodo in rigore excitetur.* Ex dictis conſtat, qua ratione frigiditas in rigore producitur. Reſtat nunc ſcire, quomodo illa frigiditas ſit dolorifica? Et facilè reſpondetur ex Galen. *loco vt ſuprà*, quod præter dictas cauſas immediatè illa refrigeratio dolorifica fit ab humoris mordacitate, qui per ſentientes partes commotus eas ſtimulat, & contriſtat, naturam partium corrumpendo, & continuum diſſoluendo, quo concitatur motus ille vehemens concuſſiuus à facultate naturali expultrice, & adiuuatur à facultate animali eo modo, quo ſuprà diximus; cum quo etiam tradimus cauſam vltimam illius motus. Cuius naturæ ſit humor rigorem excitans, explicuit Galen. *lib. cit. de tremore, &c. cap. 7.* vbi ad humores calidos, aut frigidos, tanquam ad cauſam reduxit; non quatenus calidi aut frigidi exiſtunt tantùm; ſed quatenus ſua mordaci, & praua qualitate naturam irritare valent; ita vt quantò acriores humores ſint, tantò magis naturam ſtimulent: quapropter humores calidi, vtpotè acriores, maiores excitant rigores, vt patet in tertiana exquiſita, & in cauſone, cùm in ſudorem præcedente rigore terminatur.

Sed quamuis Galenus ab acri, vel frigido humore concitari rigorem tantùm exiſtimet, mihi tamen videtur etiam à flatibus præſertim craſſioribus, & acribus excitari poſſe; ſiquidem ſua mordacitate, & acrimonia poterunt irritare naturam ad efficiendum illum motum concuſſiuum. Sunt enim rigores multi,

multi , qui repentè inuadunt , repentéque ſoluuntur ; hæc autem inuaſio , & ſolutio repentina à vaporibus magis quàm ab humoribus fit , neque eſt ratio quæ contrarium ſuadeat. Ex quo infero , quod ſiue humor putreſcat in vaſis maioribus , vel minoribus , aut in ambitu corporis , vel in prima regione , ex illis partibus poſſunt vapores , & humores ex vi putredinis eleuari , qui partes ſenſibiles ferientes , eas irritent , & moueant ad efficiendum motum illum in ordine ad eorum expulſionem , ex quorum malæ qualitate veluti perterritus calor natiuus intrà reconditur , vt iam dictum eſt.

Ex dictis colligitur , quod humor , ſiue vapor rigorem efficiens , non debet eſſe quietus in parte aliqua , ſed potiùs debet moueri ; nam ſi non moueatur , ita vt attingat ad partes ſentientes , & in eas deferatur,non producetur rigor ; quare arcuati , aut cauſonide affecti non rigent , quoniam humor non eſt in motu , neque ex illa pituita , quam Praxagoras vitream appellat , conſurgit rigor , neque frigus ( etſi ipſa frigidiſſima ſit ) donec ipſa moueatur, quo tempore frigus & irritatio ſentitur, & non antea.

## QVÆSTIO XII.

### *Vtrum rigor maior à fortiori , vel debiliori virtute excitetur.*

IN præcedenti quæſtione diximus , quod humor magis acris , diſconueniens , & in maiori quantitate magis naturam ſtimulat , ſi per ſentientes partes deferatur , & intenſiorem , & vehementiorem rigorem excitat ; in præſenti verò reſtat examinare , an rigor maior concitetur à facultate illa expultrice fortiori exiſtente , quàm ab ipſa debiliori. Ex duabus enim cauſis motus ille rigoris adaugetur , ex mobilitate ſcilicet humoris mordicantis , & vehementia facultatis , quam etiam iuuat acuties ſenſus , aut illius hebetudo : nam qui acuti ſenſus eſt , etiam ex leuiſſima cauſa dolet ; qui verò hebetem ſenſum habet , magnam cauſam ad talis ſymptomatis generationem requirit, vt demonſtrat Galen. *lib.* 10. *methodi , cap.* 4. & 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5.

Probatur ergo primò , quod rigor à debiliori facultate concitetur , ex Galen. 10. *methodi citato* , vbi ait : *Vires vbi valentes ſunt , omnia contemnunt , ac tolerant ; vbi infirmæ ſunt redditæ , à quouis offenduntur.* Ergo vires infirmæ in rigore magis offenduntur ab humore mordicante, quàm vires validæ, ac conſequenter ipſum humorem , vt magis infeſtantem , maiori impetu expellere tentabunt.

Secundò , nam qui ſunt propè mortem, validos rigores habere ſolent : ſed tales rigores non poſſunt fieri à virtute forti, cùm illâ careant ægroti in illo ſtatu : ergò neceſſariò fiunt à virtute debili. Et confirmatur ; nam virtus debilis , & infirma à quauis leui cauſa ſtimulatur , & laceſſitur , irritationemque percipit , ita vt calidi innati retractionem efficiat fortem, & conſequenter fortem rigorem. E contra autem contingit forti virtute exiſtente, quæ leuem cauſam irritantem contemnit.

Tertiò : Virtus pugnat aduerſus omnia , quæ corpori præter naturam adueniunt : ergo virtus magis fortis , magis aduerſus illa pugnabit : ſed rigor eſt accidens corpori præter naturam adueniens : ergo virtus fortis magis aduerſus illud pugnabit , quàm virtus debilis ; ac per conſe-

A quens rigor à vehementi virtute debilior reddetur.

*Vera ſententia.*

Contrariam tamen ſententiam ſequuntur ferè omnes , quam tradit Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. vbi expreſſis verbis ſic reliquit ſcriptum : *Et de cauſis vehementis rigoris eſt vehementia virtutis expulſiua, &c.* Ad cuius doctrinæ intelligentiam ſupponere oportet cum Gentili , ſuper eundem Auic. locum , quod virtus , quæ in rigore operari ſolet , eſt triplex , naturalis , animalis , & vitalis ; quibus accedit in operando vehementia , aut debilitas ; naturalis enim expultrix humores mouet, & membra comprimendo expellere nititur , & iuuamen ab animali facultate recipit , quæ membra concutiendo humorem etiam ſecernit. Vitalis tandem facultas calorem influentem ad interiora retrahit. Quando igitur in hoc loco inquiritur , an robur facultatis maiorem excitet rigorem , de omnibus facultatibus eſt intelligenda quæſtio. Sit ergo prima con-B cluſio.

*Prima concluſio.*

Si humor per ſentientes partes deferatur , rigoremque efficiat , quo fortior fuerit expultrix naturalis, eò intenſior concitabitur rigor. Quæ concluſio probatur primò ex dictis ab Auic. citato loco, vbi ad vehementiam virtutis rigoris vehementiam reducit.

Secundò probatur ; nam maiores vires cum irritatione æquali vehementiùs expellunt , quàm minores : ergo ſi humor irritans per ſentientes partes ſit delatus, vehementiùs trudetur à viribus maioribus , quàm à minoribus ; illa enim concuſſio membrorum, ſiue humorum expulſio , eſt opus naturale in bonum naturæ ordinatum ; hoc autem opus melius perficitur à virtutis robore , quia fortiùs ei moleſtans , & noxium expellit ; quod non ita vehementer debilis virtus efficere poſſet , ob eius languidam actionem.

C Tandem , quo vehementiùs humor per ſentientes partes defertur , magis irritat , maioremque excitat rigorem : ſed quo vehementior eſt virtus , maiori impulſu ad partes humor defertur : ergo quo vehementior eſt virtus , maior excitabitur rigor.

Idem argumentum efformare poſſumus de facultate animali expultrice , quæ quo vehementior fuerit , vehementiùs humorem concutiet , & concuſſiuum motum efficiet ; actio enim intenſa non poteſt prouenire à virtute debiliter operante , & ſic ille motus vehemens concuſſiuus non poteſt à debili virtute animali procedere.

*Secunda concluſio.*

Sit ſecunda concluſio. Si virtus vitalis robuſta ſit , & cauſa rigorem efficiens fortis , & maximè naturam ſtimulans , vehementi impetu retrahit ſpiritus , & ſanguinem ad interiora , vt poſteà maiori D ad extra impetu humores noxios repellat , & ad maiorem ſpiritus , & ſanguinis retractionem ſequitur intenſior extremarum partium frigiditas. Hæc concluſio facilè ex dictis probari poteſt , quam etiam tradit Valleſ. *loco iam cit.*

Tandem vltima concluſio ſtatuitur. Si virtus tam animalis , quàm naturalis, & vitalis fortes ſint, & humor irritans adſit , non multùm infeſtans , minor excitabitur rigor, quàm ſi humor eſſet in eadem quantitate , & qualitate , & viribus debilibus exiſtentibus , & fortaſſe nullus rigor fiet ; nam vt docuit Galen. *locis iam citatis* , contingere poteſt , quod ſi vires validæ ſunt , natura cauſam rigorem efficientem , & naturam ſtimulantem expellat per diſtinatas regiones, vtpote per infernam , & ſuperiorem aluum, & per vrinas, & per ſudorem ; ad quod maximè adiuuare poteſt actio concoctricis facultatis,quæ humores digerendo,& coquendo,ipſos mitiores reddat,ita vt nullũ rigorem producant:quod

non

non poſſunt efficere vires, ſi debiles ſint, cùm ipſæ à quauis cauſa offendantur, & ob earum impotentiam, nec humorem coquere, neque extra pellere poſſunt, qui cum præſens ſit, & ſuis qualitatibus naturam irritet, rigorem neceſſariò excitabit.

Ex iis reſpondetur ad argumenta in principio poſita. Ad primum ex Galeno deſumptum, dicimus, quod virtus valida omnia contemnit; quæ dum valida exiſtit, ſi leuis cauſa ſit, quæ irritet, eam ſpernit, aut ſuo calore digerit: de qua loquutus fuit Galenus dum dixit, virtutem validam omnia contemnere, debilem verò à quouis offendi, ab æquali cauſa naturam.

Ad ſecundum reſpondetur concedendo, quod qui ſunt prope mortem, corripi ſolent maioribus rigoribus, quàm ſi vires validæ fuiſſent; nam in iis dum robuſta erat virtus, natura humores per vias aſſignatas expellebat, ita vt ad ſentientes partes non deferebantur, neque rigorem prouocabant: at verò dum vires infirmæ manent; non poteſt natura eos ad extra pellere, & ſic eos tranſmittit ad partes ſentientes, & eas irritando rigorem commouent, qui ſolet eſſe magnus; quia natura apponit vltimos conatus, vt illum humorem excutiat; non tamen probat argumentum, quod ſi ab æquali humorum portione, & ſimili qualitate natura irritaretur, viribus fortibus exiſtentibus, rigor vehementior non fieret.

Ad confirmationem reſpondetur, verum eſſe, virtutem debilem magis offendi à leui cauſa, quàm fortem; non tamen ex hoc ſequitur, quod virtus debilis rigorem intenſiorem efficiat; nam cùm debeat retrahi calor refluens ad interna, citiùs, & velociùs retrahitur à virtute forti vitali, quàm à debili. Fortiuſque humorem expellunt, & concutiunt membra, ſi virtus animalis valida ſit, & naturalis, atque adeò fortiorem rigorem producunt.

Ad vltimum reſpondetur, facultatem naturalem pugnare aduerſus ea, quæ ſunt præter naturam, & ita quo magis robuſta, maiori vi aduerſus illa pugnabit; & hoc accidit in rigore, in quo vehementiùs aduerſus humorem irritantem pugnat. Neque ſequitur inconueniens ex eo, quod maior rigor concitetur; nam rigor eſt ſymptoma, quod partim fit à morbo, partim à natura operante, vt docet Galenus 2. *de cauſis ſympt. cap.*1. vbi rigores vocat validos motus facultatis expultricis. Et *cap.* 2. *eiuſdem libri*, tam ad naturam, quàm ad morbum rigorem reducit; & ita non mirum, quod ex vi irritationis natura rigorem concitet fortem; & licèt per ſe naturale opponatur illi, quod eſt præter naturam, tamen per accidens poterit illud adiuuare, vt contingit in rigore.

## QVÆSTIO XIII.

### *Vtrum poſſit dari rigor non ſuperueniente febre.*

ANtequam de rigore tractatio finiatur, meritò vertitur in dubium, an poſſit dari rigor, quin febris ſuperueniat. Pro qua intelligenda quæſtione ſuppono, quod hîc non agimus de rigore febribus acutis ſuperueniente, per quem natura ſecernit humorem noxium, eumque criticè expellit; de quo rigore criticè facto fuit loquutus Hippocrates 4. *aphoriſm. textu* 58. vbi ait: *A febre ardenti habito rigore ſuperueniente ſolutio.* Rigor enim tunc potiùs febrem ſoluit. Eſt enim noſter ſer-

A mo de rigore non in febre, ſed ante febrem.

Videtur enim in primis, quod rigor fieri non poſſit, quin ſuperueniat febris, iuxta dictum Hipp. *lib.*1. *de morbis, text.* 7. vbi ait: *Mala porrò ſupra mala fieri neceſſe eſt, velut ſi rigor corripuerit, ardor igneus ſuperuenit.* Quibus verbis oſtendit, ipſum ſaltem non cognouiſſe rigorem ſine febre aduenientem: quod etiam confirmat Galen. 2. *de cauſ. ſympt. cap.*5. qui cenſet antiquos, vt Hippocrat. nullum cognouiſſe rigorem, quin ſuperueniat febris; & ita inquit: *Vetus quidem ſermo eſt, rigori febrem ſemper ſuccedere.* Idemque oſtendit *lib. de inæquali intemperie*, vbi docet, antiquos rigorem non cognouiſſe ſine febris aduentu. Neque valet ſi dicas, Hipp. feciſſe mentionem rigoris, ad quem non ſequitur febris, ſiquidem *lib.* 1. *epidim. ſectione* 3. *in hiſtor. vxoris Epicratis*, ait ipſam fortiter riguiſſe, & tamen non incaluiſſe. Hoc, inquam non valet; nam loquitur Hippoc. ex mente
B aliorum, vt ipſius verba declarant; nam aſſerit: *Rigor fortiter corripuit, non incaluit, vt dicebant.*

Quod ſi obiicias ex Hippoc. 2. *prorrheticorum, text.* 31. ipſum cognouiſſe rigorem abſque febre ſuperueniente, ſiquidem ait: *Ex rigore refrigerationes, quæ non recaleſcunt malæ.* Facilè reſpondere poſſumus, Hippocr. cognouiſſe eos rigores, qui ob debilitatem virtutis non recaleſcunt, de quibus ibi egit, vt Gal. *in comm.* explicauit: non tamen inde colligitur, eum cognouiſſe rigores, qui non ex virtutis languore, ſed ex crudi ſucci motu facti non recaleſcunt.

Sed quam ob caſam Hippocr. tempore rigores omnes recaleſcebant, ita vt ad illos ſequeretur febris, nondum conſtat. Tamen ſi Galen. credimus *lib. cit. de cauſis ſympt.* reduci debet ad moderatam victus rationem, quâ ſuo vtebantur tempore, cuius ratione paruam humoris crudi, & excremen-
C torum generabant quantitatem; nihil enim perinde ac qui nunc viuunt, in ſalubri victu peccabant.

Valleſius tamen 5. *controuerſ. cap.* 17. exiſtimat rigorem ſine febre adfuiſſe tempore Hippocratis, tum propter loca citata; tum etiam propter alios morbos, qui ex magnis oriebantur cruditatibus, ex quibus poterat ſuſcitari rigor non recaleſcens; nam ſi accidebat illo tempore hepiala febris, quæ ex vitrea pituita fit; quare ex commotione ipſius pituitæ ſine putredine non poterat generari frigus, & concuſſio quædam rigorem concitans? Prætereà, ſi illis temporibus producebatur iſta febris ex humore nimis frigido dependens, iam illis temporibus multis cruditatibus replebantur homines, & aliquid in victu peccabant. Tandem, ſi ex medicamento mordenti ſupra vulnus impoſito ſolet concitari rigor, &
D hoc cognouit Galenus, admiratione dignum eſt, quod hoc ſenex Hippocrates ignoraſſet, qui altiora medicinæ penetrauit. Quare Valleſ. ſententiam, vt probabiliorem amplectimur; doctrina verò Hippocratis *ex* 1. *de morbis*, facilem admittit interpretationem, ſi dicamus, ibi agere de exquiſito, & forti rigore, qui procedit à bile, à quauiſve alia cauſa calida, cui ſemper ſuperuenit febris; non tamen agit de rigore ab excrementis frigidis prodeunte, cui non eſt neceſſarium, vt ſuperueniat febris; & hæc de natura rigoris, & illius cauſis.

## QVÆSTIO XIV.

### *Quæ corpora ſint magis ad febrem parata.*

QVoniam ad febrem inducendam non ſolùm requiritur actiuitas cauſæ efficientis, ſed diſpoſitio paſſi, meritò inquirimus, quod corpus magis aptum ſit receptioni caloris. Hanc dubitationem breuiter aperiam ex Galeni mente *lib.*8. *methodi, cap.*8. vbi ex octo intemperiebus inquit opportuniſſimam eſſe ad febrem, calidam, & ſiccam. Hæc citius inflammatur, quia magis ad ignis naturam accedit; eſt enim, vt iam traditum eſt, febris conuerſio caloris ad igneam naturam. Hæc etiam facilè, & ocyſſimè, ſi corripitur æger diaria febre, tranſit in acutam, & acuta in hecticam. Secundo loco conſtituitur calida, & humida, quæ etiam facilis eſt inflammationis, & putredini obnoxia. Tertium locum occupat intemperies calida ſimplex, quæ in reliquis moderationem ſeruat. Hæc equidem ad comparandum calorem præſtantior eſt,& opportunior quàm reliquæ,quæ ſequuntur. Hanc ſequitur ſicca tantùm, quæ in actiuis ſit temperata, deinde intemperata, in qua qualitatum
A primarum nullus datur ſenſibilis exceſſus: poſteà frigida, & ſicca: mox humida tantùm; & tandem frigida, & humida.

Neque oportet in hac quæſtione tempus conſumere,cùm rationi conſonum ſit,faciliorem eſſe tranſitum inter ſymbola, quàm inter diſſymbola; & quia obſeruato ordine à nobis propoſito, à maiori qualitatum cum igne conuenientia, & analogia ad minorem gradatim deſcendimus, exiſtimare oportet tempora in promptitudine ad calorem febrilem ſecundùm prædictum ordinem eſſe parata,licèt Auic. hunc ordinem mutaſſet, primo loco conſtituens calidam, & humidam temperiem; ſecundo calidam
B & ſiccam, quem ſequitur Veiga 1. *de differ. febrium, cap.* 4. ſed vt certius teneo cum Gentile *in comm. Auic.* non fuiſſe loquutum ex propria ſententia; nam ipſe ſtatim ſubdit, & corpora calida, & ſicca iterum præparata eſſe ad febres calidas; niſi dicamus, quod Gal. annumerauit priùs intemperiem calidam, & ſiccam, quæ valet gignere febrem ex aduſtione, non verò putridam; Auic. verò primò mentionem fecit intemperiei calidæ, & humidæ, quia incepit ab intemperie magis accommodata ad excitandam febrem ex putredine oriundam. Hæc eadem computatio fieri, & obſeruari debet in variationibus ætatum, cùm earum quælibet ab alia temperamento differat: & idem ſtatuimus
C de regionum, & temporum temperamento.

# LIBER QVARTVS.

## De Febrium vniuerſali, & particulari curatione.

CVM in præcedentibus actum ſit de iis, quæ magis pertinent ad naturam febrium putridarum, ipſa ratio expoſtulat, vt de ipſis priùs quàm de aliis ſermonem inſtituamus; & antequam ad cognitionem, & curationem febrium in particulari deſcendamus, viſum fuit nobis aliqua in medium adducere circa harum vniuerſalem curationem: quibus definitis, faciliùs febrium particularium curationem explanabimus. Sit ergo:

## QVÆSTIO I.

### *An curatio febrium putridarum debeat incipere à remotione cauſæ.*

*Notabile primum.*

PRo exacta quæſtionis intelligentia ſupponere oportet primò, quod licèt febris ſit de genere permanentium, vt primo libro probauimus; febris tamen putrida ita dependet à cauſa, vt auferri non poſſit, niſi cauſa auferatur; habet enim hæc febris aliquid factum, & permanens, eo modo, quo ibi diximus, ratione cuius morbum conſtituit; & aliquid fiens, ratione cuius febris hæc ſuum eſſe habet dependens à cauſa, & in fieri: quod non reperitur in aliis febribus, quæ contrariis tantummodò curantur, nullo habito reſpectu ad cauſam.

*Notabile ſecundum.*

Secundò ſupponere oportet ex Galeno 11. *methodi, cap.* 10. quod aliquid poteſt eſſe prius in intentione, & poſterius in executione; quæ duo dici poſſunt prima ſecundùm diuerſos reſpectus:
D poteſt enim eſſe intentio primò concepta, & alia primò executa. Eſt appoſitiſſimum exemplum in artifice, qui debet domum conſtruere, qui in mente priùs concipit formam domus, deinde cogitans eſſe neceſſaria fundamenta, parietes, & alia, vt domus ſuam conſequatur formam, incipit ſuum opus à fundamento, & reliqua apponens formam domus conſtruit, itavt fundamenta, quæ erant poſteriora in intentione, ſint iam prima in executione; & è contra, forma domus, quæ fuit prima in intentione, poſterior remanet in executione. Idem prorſus obſeruamus in harum febrium curatione, nam priùs concipimus febrem auferri debere; ſed quia auferri non poteſt ſine cauſæ ablatione, primum quod exequitur, eſt remotio cauſæ.

*Notabile tertium.*

Præterea ſupponimus ex communi Medicorum opinione, quod curatio duplex eſt; alia regularis, & ea dicitur, quæ fit ſecundùm regulam deſumptam à modo exiſtendi ipſius morbi, & cum minori naturæ

naturæ incommodo, v. g. curatio regularis intemperiei calidæ eſt infrigidatio, & curatio quæuis per contrarium adhibita, quæ directè contrariatur modo eſſendi ipſius morbi. Curatio verò coacta neque reſpicit modum eſſendi morbi, neque fit ſine ægri maximo incommodo: verbi gratiâ, dum quis cogitur cibare ægrum in febris vigore, in quo nihil dare præcipit Hippoc. dicitur ipſum curationem coactam exercere; timetur enim tunc virium exſolutio, ad quam euitandam vtitur tali victu, & modo curandi; quæ curatio, neque opponitur modo eſſendi morbi, ſiquidem illi non repugnat; neque fit ſine maximo ægrotantis incommodo, ſiquidem acceſſio ex cibo adhibito prolongatur.

*Vltimum notabile.* Tandem ſupponere oportet, quod curatio abſolutè ſolum morbum reſpicit, & illi contrariatur, vt mille in locis expreſſit Gal. quæ verò reſpicit tam morbum quàm cauſam, non poteſt dici curatio ſimpliciter, vt docuit Gal. 10. *lib. method. c.* 1. ſed habet aliquid curationis, & aliquid præcautionis; hæc tamen quia reſpicit modum eſſendi ipſius morbi, regularis dici meretur, licèt ſimpliciter non ſit curatio.

*Prima conclusio.* His igitur ſuppoſitis, ſit prima concluſio. Curatio regularis febrium putridarum debet incipere ab ablatione cauſæ. Probatur primò ex communi Philoſophorum placito, qui aſſerunt, quod effectus dependens in conſeruari à cauſa, non poteſt auferri, niſi prius auferatur cauſa: ſed febris putrida eſt huiuſmodi: ergo. Quod etiam comprobat Gal. *in arte medicinali*, dum inquit: *Vnamquamque cauſam prius abſcindere debemus, deinde ad eam, quæ facta eſt, dyſcraſiam peruenire.*

Secundò probatur; nam cura regularis eſt quando auxilium opponitur modo eſſendi morbi, & cum minori naturæ incommodo: ſed modus eſſendi febris putridæ, eſt cum dependentia à cauſa: ergo curatio regularis illius debet incipere à detractione cauſæ, ſiquidem ſine illius ablatione auferri non poteſt.

Si verò contra dicta obiicias, quod per curam coactam etiam cauſam morbi tollimus, vt conſtat in minoratione, per quam aliquid cauſæ morbificæ detrahimus, ex quo ſolet ſequi ſalus. Reſpondetur id fieri maximo cum naturæ incommodo, & coacti vtimur tali remedio, quando natura illud difficilè tolerat.

*Secunda conclusio.* Secunda concluſio. De cura coacta Medicus cogitur incipere curationem febris putridæ ab ipſa febre, nullo habito reſpectu ad cauſam. Quæ concluſio eſt ad mentem Galeni *lib.* 10. *methodi*, *citat.* vbi ait: *Fieri tamen aliquando poteſt, vt ea ſit febris magnitudo, quæ præſentem pernitiem, niſi occurras, afferat; quo caſu oportebit, hac prius ſubmotâ, deinde ad cauſam ſubmouendam accedere.* Tanta enim eſſe ſolet febris vehementia, vt timor ſit, ne vires exſoluantur, & hoc inſpiciens Galen. *lib.* 10. *meth. cap.* 4. iubet homines calidos in febris inuaſione nutrire, ne ex febris vehementia ante ſtatum vires deficiant, quo tempore non poſſumus aduerſus cauſam pugnare, ſed ſolùm vires reficere, & morbum attemperare, & corrigere, licèt non omninò negligatur cauſa. Vlteriùs ſecundùm hanc curationem cogitur aliquando Medicus aduerſus cauſam pugnare, vt ſuprà diximus de minoratione materiæ efficientis morbum, quando ſcilicet timor eſt, ne æger ante ſtatum decumbat, & ob materiæ multitudinem ſuffocetur, vt docuit Auicen. *fen.*4. *lib.* 1. *doctr.* 5. *cap.* 30. vbi ait: *Et ſimiliter cùm non fuerimus ſecuri, quod virtus vſque ad maturitatis horam perduret, euacuabimus eam, &c.* Quæ verba indicant, hanc curationem debere fieri coactè, ante tempus

A regulatum à natura, in quo maturatio humoris ſit, & illius euacuatio regularis; cocta enim medicare, & non cruda, neque in principiis, niſi turgeant, inquit Hippoc. Talis autem medicatio regularis eſt, quæ verò cogit Medicum ad expurgandum ante coctionem, coacta dici meretur, quæ etiam fit cum maiori virium diſpendio, licèt ex ea ſæpe conſequatur ſalus. Ex dictis facilè colligitur, quod curatio regularis in febribus putridis incipit à cauſæ ablatione; coacta verò aliquando à morbo; vel ſymptomate, aliquando à cauſa, vt iam demonſtratum eſt.

Sed cùm duplex ſit cauſa in noſtris corporibus, antecedens ſcilicet, quæ parata eſt ad putredinem; & coniuncta, quæ nihil aliud eſt, quàm humores putreſcentes ex quibus febris putrida dependet, dubitari poteſt, an vtramque cauſam reſpiciat Medicus eam digerendo, & coquendo in ordine ad
B euacuationum; an vnicam tantùm? Cui dubio reſpondetur, quod vtramque materiam digerere, & diſponere debemus naturam imitando, quæ vtrumque humorem digerit, & diſponit. Itaque cùm natura auferre tentet putredinem, & hæc frequentiùs ex prohibita ventilatione dependeat, prohibita ventilatio ex obſtructione, obſtructio verò ex multitudine humoris, aut ex craſſitie, & viſciditate illius, non poteſt Medicus putredinem cohibere, niſi ipſum humorem obſtruentem auferat, à quo reliqua incommoda ſequuntur. Sed quibus remediis talis humor auferri debet, nondum conſtat, hoc tamen determinabitur quæſtione ſequenti.

## QVÆSTIO II.

C *An in febrium putridarum initio ſit ſanguis mittendus, vel expurgandum, vel quouis alio remedio vtendum.*

HÆc quæſtio maximè neceſſaria eſt in facultate Medica, quotidie enim febribus putridis corripimur, ad quarum ablationem magnis indigemus auxiliis, & in promptu ea habere debemus, quæ vt magis nobis pateſiant, in præſenti tradere decreuimus. Sed quod ſanguis mitti debeat, probatur 1. ex Gal. 9. *methodi*, *cap.* 4. vbi docet, quod in febribus putridis ſanguis eſt mittendus: & *c.* 15. inquit: *In omnibus febribus continuis ſaluberrimum eſt venam ſcindere, maximè in iis, quas putridus excitat humor.* Et *cap.* 14. ait: *Si vires permittunt, in febribus putridis in principio ſanguis eſt mittendus.* Ergo ex Gal. ſententia in febribus putridis debemus inci-
D pere à ſanguinis miſſione.

Quod ſi obiicias: Humoribus qualitate peccantibus debetur ex purgatio: ſed in febribus putridis humores qualitate peccant: ergo illis potiùs expurgatio, quàm ſanguinis miſſio debetur.

*Ad illam responsio.* Reſpondetur, quod humoribus ſuis qualitatibus infeſtantibus, qui ſunt cum ſanguinis conſortio, etiam debetur ſanguinis miſſio, vt demonſtrat Auicen. *fen.*4. *lib.*1. *doctrina* 5. *cap.*20. vbi ſic: *Vnuſquiſque autem eorum, aut phlebotomatur propter ſanguinis multitudinem, aut propter ipſius malitiam, aut propter vtrumque.* Ergo ſi propter ſanguinis malitiam illum euacuamus venæ ſectione, cùm hæc malitia ſit peccatum in qualitate, iam ſequitur ex Auicennæ ſententia, quod humoribus qualitate peccantibus debeatur ſanguinis extractio.

*Quod ſanguis mitti debeat, rationibus ſuadetur.* Et rationibus probari poteſt, quoniam omnis putredo prouenit à prohibita ventilatione: ſed per

per ſanguinis extractionem ventilantur humores: ergo per ſanguinis miſſionem aufertur putredo; tollit enim ſanguinis miſſio humorem obſtruentem, à quo defectus ventilationis, & ipſa putredo dependet.

Secundò probatur, nam putredo ex omnium opinione à calore præter naturam procedit: ſed ſanguinis miſſio calorem præter naturam aufert: ergo à ſanguinis miſſione eſt incipiendum; hæc enim ſaltem ex accidenti refrigerat, & febrem attemperat, quatenus per illam ſemouetur humor, à quo calor præter naturam dependet.

Tertiò, nam curatio regularis in febribus putridis incipit à remotione cauſæ, vt præcedenti quæſtione probatum eſt: ſed per ſanguinis miſſionem remouetur, & ſeparatur à corpore cauſa febrem putridam producens: ergo ab ea incipere debemus.

Quartò, nam in principiis febrium putridarum conuenit auxilium aliquod cauſam euacuans, eo quod ſi non auferatur cauſa, non poteſt auferri febris, quia dependet in conſeruari ab illa: ſed in principio non poteſt conuenire expurgatio: ergo neceſſariò conuenit ſanguinis miſſio, ac per conſequens debemus curationem incipere à ſanguinis extractione. Maior conſtat, minor probatur ex illa aphoriſtica ſententia quæ eſt veluti oraculum quoddam in Medicina, quæ aſſerit, *concocta medicari debere, & non cruda, neque in principiis, niſi turgeant, &c.* Vbi iſtud verbum, *medicari*, licèt ad ſanguinis miſſionem, & alia auxilia ſe extendat, nihilominus ibi propriè accipitur pro expurgari.

*Obiectio.* Si verò obiicias, hanc doctrinam veram eſſe quando ſimul cum febre putrida æger habet ſibi adiunctam plenitudinem quoad vaſa, vel quoad vires, quo tempore licebit ſanguinem mittere, alio verò modo minimè. Reſpondetur, non ſolùm plenitudine exiſtente ſanguinis miſſionem fieri debere, ſed etiam ſi plenitudinis ſigna non adſint; quod expreſsè Galenus inſinuauit 8. *methodi, cap.* 4. vbi ſic: *Niſi vitioſus humor penitus tranſpiret, neceſſe eſt vt putrefiat: ergo vt tranſpiret, maiori iam auxilio eſt opus; ac ſi quidem vel puer, vel ſenex erit, ſanguinem detrahere non licet; inter has ætates, ſi robur ægro non deeſt, ſecanda eſt vena etiamſi plenitudinis ſigna non adſint.* Ecce quomodo Gal. ſanguinem mittere iubet, nullâ exiſtente plenitudine.

*Ad illam reſponſio.* Tandem probatur ex Galen. 6. *epidim. comment.* 1. *text.* 9. vbi aſſerit, quod ſi neceſſaria ſit ſanguinis miſſio, aut expurgatio, eſt incipienda curatio à ſanguinis miſſione: ſed in febribus putridis vtrumque auxilium exercetur: ergo ſemper incipiendum à ſanguinis miſſione.

*Ab expurgatione eſſe incipiendum probatur.* Quod verò incipere debeamus ab expurgatione, poteſt oſtendi ex definitione purgationis à Galeno tradita 2. *lib. aphor. comment.* 17. vbi inquit, quod expurgatio eſt humorum qualitate peccantium euacuatio. Cùm ergo in febribus putridis humores ſint eiuſmodi, illis debetur expurgatio potiùs quàm ſanguinis miſſio.

Vt hanc quæſtionem abſoluamus ſupponere oportet cum Galen. 4. *de ſanitate tuenda, cap.* 4. & 4. *method. cap.* 2. quod ſi vitioſi tantùm ſucci ſunt, hique citra ſanguinis copiam ſubſint, purgatio petenda eſt; ſin humores vitioſi exigui ſint, ſanguis verò copioſus, audacter incipienda vena eſt, deinde aluum deiicere oportet, ratione habitâ de abundantis ſucci copia pariter, & ſpecie.

*Putredo per ſe non indicat ſanguinis miſſionem.* Vlteriùs ſupponere oportet, quod putredo per ſe non indicat ſanguinis miſſionem; nam ſi eſt in termino ad quem, cùm corrigi non poteſt, indicat ſui ablationem, quæ optimè fit per expurgationem, de qua dicitur propriè, quod conuenit humoribus qualitate peccantibus; ſi verò eſt in motu, ſeu in fieri, indicat ſui correctionem, quæ fit mediante coctione; hæc enim facit ceſſare putredinem manente ſubſtantiâ, vt ait Galen. *lib. artis medicin.*

*Prima concluſio.* His igitur ſic ſtatutis ſit concluſio. Omnibus febribus putridis, ſi habeant ſanguinis miſcellam inter humores ex quibus dependent, vel cum ipſo ſanguine miſcentur, ita vt illum corrumpant, debetur ſanguinis miſſio. Hæc concluſio argumentis, & authoritatibus ſuprà tactis facile probari poteſt.

Similiter: Omnis febris putrida, cuiuſcunque generis ſit, ſanguinis miſſionem expoſcit, ſi illi plenitudo aliqua adiungatur. Quæ concluſio ita facilis intellectu eſt, vt non indigeat probatione.

*Secunda concluſio.* Sit ſecunda concluſio. Omnis febris putrida intermittens ſanguinis miſſionem expoſtulat. Hanc concluſionem ſequitur Mercatus *lib.* 6. *cap. de putridarum febrium generali curatione*; & eſt communis, quæ etiam probari poteſt argumentis in principio poſitis.

*Obiectio.* Neque valet contra hanc ſententiam ſi obiicias, quod humor febrem interpolatam conſtituens putreſcit frequentiùs extra venas: ergo ſanguinis miſſio in hoc caſu non eſt exercenda, ſiquidem per illam non extrahimus humorem febrem producentem; imò ex hoc ſequitur, quod vires debilitentur, & febris non curetur; ſiquidem extrahitur ſanguis laudabilis, & intrà humor febrem accendens manet reconditus.

*Reſponſio.* Reſpondetur quod licèt ſanguinis miſſio tunc non euacuet cauſam coniunctam, euacuet tamen cauſam antecedentem, quæ ad putredinem parata eſt, præterquam quod deobſtruit, & tollit prohibitam ventilationem, quæ eſt cauſa putredinis, vt diximus.

*Obiectio alia.* Neque obſtat, quod multoties craſſities humorum obſtruit, & eſt cauſa putredinis; craſſities autem non tollitur per ſanguinis miſſionem, potiùs enim craſſities adaugebitur ſanguine detracto, quatenus calorem remittit, qui talem materiam craſſam attenuare deberet.

*Reſponſio.* Reſpondetur quidem, craſſitiem non impedire totaliter ſanguinis miſſionem, ſed illam per aliquod tempus interdicit, donec ſcilicet ipſa materia attenuetur; ipsâ verò aliquo modo attenuatâ, poſſumus benè ſanguinem extrahere, & hanc ob cauſam Auic. de quartana agens, vt ſanguinem extrahat, coctionem deſiderat, per quam humor ille craſſus, & terreſtris attenuatur.

*Nota circa ſanguinem mittendum.* Licèt probatum ſit omnibus febribus putridis venæ ſectionem conuenire, non tamen licebit hoc ſalutari auxilio imprudenter, & temerè vti, ſed hac viâ procedendum. Quippe in febribus, in quibus humores abundant, ita vt ſint ſigna aliqua plenitudinis, audacter ſanguinem mittere conuenit; in quibus verò vnius humoris redundantia adfuerit, iſte tamen, etſi vitioſus valdè, ſanguini ſit commixtus, & vires conſtent, tunc quidem ſanguinem quoque extrahimus, parciùs tamen, viribuſque cuſtoditis, ſine quibus nullum magnum auxilium ſuſtineri poteſt. Si verò humor ſit extra venas, vt in febribus interpolatis, parciùs adhuc ſanguinem mittimus propterea quod nihil euacuatur cauſæ coniunctæ, licèt aliquid antecedentis euacuemus, vt iam traditum eſt.

Vlteriùs ſanguinem mittes hac lege ſeruata, quod in febribus ſanguineis plus extrahes quàm in

in biliofis; in bilioſis plus quàm in pituitoſis; & hanc ob cauſam iubet Hippoc. 4. *acutorum*, in febribus acutiſſimis ſanguinem mittere vſque ad animi deliquium: conſtat autem acutiſſimas febres fieri ex bile, & Galen. iubet in cauſonide, etiam eodem modo eſſe euacuandum. Febres verò pituitoſæ maiorem indicant ſanguinis euacuationem, quàm melancholicæ; in illis enim ſanguinem extrahimus, præcipuè dum properant ad ſtatum; nam vlteriori coctione pituita in ſanguinem conuertitur: at ſi in principio ſanguini ſit admixta pituita, vt ex vrina deprehendi poteſt, à principio erit occaſio ſanguinem mittendi. In febribus quartanis à principio blandè eſt procedendum, nullum forte medicamentum adhibentes, donec humor ille craſſus attenuetur, & accendatur, vt docet Galen. *lib.* 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap. de quartana*; qui enim ab initio magnis vtuntur remediis, ex ſimplici duplicem, & ex duplici triplicem, aut fortè longiorem quartanam effecerunt, vt ibi etiam Gal. inſinuat.

*Quæ conſideranda in venæ ſectione.*

Tandem aduertere oportet ex Gal. 1. *de arte curat. cap.* 13. quod ad ſanguinem mittendum, & expurgandum debemus conſiderare naturam ægri, ætatem, conſuetudinem, & anni tempus, quæ maximè conducunt ad huiuſmodi remedia, vel ea prohibere ſolent. Pari ratione, ſi in prima corporis regione æger plurimis cruditatibus ſcateat, ante ſanguinis miſſionem eas demere conuenit, vt iubet Galenus 11. *methodi, cap.* 14. in principio enim ſanguis eſt mittendus, modò cruditas non ſit. Et 9. *methodi, cap.* 5. inquit, quod differenda eſt ſanguinis miſſio donec cruditas abſumatur, quam quidem clyſteribus, & vomitibus auferre tentabimus, aut aliquo medicamento lenienti per os aſſumpto. Sed quia non in omni hora eſt occaſio exhibendi remedium, ideò oportet tempus ad auxiliorum, adminiſtrationem accommodum quærere; quod quidem facere decreuimus quæſtione ſequenti.

---

## QVÆSTIO III.

### *In quibus diebus liceat facere euacuationes ad harum febrium curationem.*

CVm in morbis præcipuè acutis occaſio exhibendi remedium ſit præceps, & facilè tranſeat, vt inquit Hippoc. 1. *aphor. textu etiam* 1. ita vt occaſio ſit, in qua tempus non multùm conſumitur, dicente eodem *libro de præceptionibus, iuxta principium*; oportet in præſenti occaſionem inuenire, in qua ſecuriùs remedia ad miniſtrentur.

In primis ergo videtur, quod in die maioris acceſſionis febrilis debemus iis vti remediis: quod probari poteſt primò, nam in die paroxyſmi natura mouet: ſed Medicus eſt imitator naturæ: ergo eadem die mouere debet.

Secundò probatur, nam humores meliùs euacuantur dum mouentur, quàm ſi eſſent quieti: ſed in die paroxyſmi mouentur: ergo illo die debent euacuari. Et confirmatur, nam ideò turgente materia eſt vtilis purgatio, quia humor eſt in motu, & naturam habemus adminiculantem: ſed in die paroxyſmi etiam eſt humor in motu, & natura talem motum adiuuat: ergo illo die purgatio erit vtilis.

Tertiò, nam vt ex Galen. conſtat, & omnium conſenſu, criſis fit in die paroxyſmi: ergo Medicus naturam imitando poterit euacuare in die acceſſionis.

Quartò, quoniam in quartana acceſſione vomitus prodeſt, vt quotidie obſeruamus: ergo poterit medicus vomitum prouocare eodem die.

Quintò, ex Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. vbi ait: *Prouide, ne occurrat proxyſmo, niſi ventrem habeat vacuum.* Ergo ſi in die paroxyſmi venter non ſit vacuus, ante paroxyſmi aduentum licebit vti clyſteri, aut alio auxilio, quod ventrem euacuet; ac conſequenter dies acceſſionis eſt vtilis ad auxiliorum exhibitionem.

*Prima concluſio.*

His tamen non obſtantibus ſit prima concluſio. In diebus acceſſionis non eſt adhibendum medicamentum purgans. Quam concluſionem deſumpſimus ex Hippoc. *lib. de medicamentis purgantibus*, vbi bis aſſerit, quod in febribus vehementibus medicamenta purgantia dare non oportet: ſed in ipſis acceſſionibus vehementior eſt febris, quàm in die remiſſionis: ergo in die acceſſionis non licet purgantia remedia propinare. Idemque fatetur Galen. *lib. quos, & quando purgare conueniat*, & Auicen. *loco ſuprà cit.* vbi ait: *Et non moueas in die paroxyſmi aliquid, quantum poſſibile eſt tibi, neque cures febrem.* Quibus verbis non ſolum medicamenti purgantis vſum interdicit, ſed aliorum medicamentorum exhibitionem prohibere videtur: rationemque inſinuat Hippoc. loco iam citato; nam ventres cùm in febrium vigoribus calidi ſint, nihil depurgantur, etſi medicamentum aſſumpſerint; ſequiturque ingens ſitis, febriſque intenſior redditur, omniaque æger abominatur, & plerunque perit.

Nam cùm medicamenta purgantia ſint calida; & ſicca, facilè febrem adaugent; cui competunt refrigerantia, & humectantia, vt docet Galen. 9. *method. cap.* 14. & *lib. ſuprà cit.* Quare non oportet in die acceſſionis remedia calida offerre.

*Probatio concluſionis.*

Huic rationi addimus aliam haudquaquam inutilem, nempe quod medicamentum purgans, cùm calidum ſit, facilè conuertitur in naturam humoris peccantis, quem debebat trahere, adauctaque materiâ febrili, febris intenſior redditur: eſt enim facilior tranſitus inter ſymbola propter ſimulitudinem, quæ inter ipſos intercedit, quàm inter diſſymbola, inter quæ nulla datur ſimilitudo: & hanc ob cauſam Gal. 3. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 23. aſſeruit, quod medicamentum purgans, ſi non euacuat, facilè tranſmutatur in humorem, quem debebat euacuare; intercedit enim inter illos ſimilitudo, vt ipſe notat *eodem lib. cap.* 25.

Vlteriùs hæc concluſio efficaciter probari poteſt ex iis, quæ quotidie conſpicimus; nam in die acceſſionis mouet natura humorem, & illum expellere ſolet per ſudorem, per fluxum ſanguinis narium, per vomitum, aut per infernam aluum, vel per vrinas, &c. Sed iſte motus naturæ ex medicamenti purgantis adminiculo perturbatur, & naturæ incommodat: ergo in die acceſſionis non licebit expurgare. Maior nota eſt, minor etiam facilè probatur; nam ſi per ſuperiora, vtpote per nares, & ſupernam aluum, natura humorem expellere tentet, ex medicamenti purgantis adhibitione ad inferiora humor ipſe trahitur, & efficit contrarium motum. Si verò per ſudorem natura humorem euacuare molitur, quæ euacuatio eſt ad extra, purgatio huic euacuationi opponitur mouendo humorem ad intra. Quod ſi per inferiora natura humorem expellere nititur, ex purgatione artefacta talis euacuatio naturam adiuuat, & plus euacuatur quàm pro vſu naturæ conueniat; imò ex tali euacuatione fieri ſolent ſuperpurgationes;

& immodicæ euacuationes. Quamobrem cùm ſecuri non ſumus, per quam viam natura humorem ſecernere nititur, in die acceſſionis à purgatione eſſe abſtinendum præcepit Hippoc. *lib.* 1. *de morbis*; imò taxat antiquos, qui tali die purgantia medicamenta ægrotis dabant.

*Concluſio ſecunda.* Secunda concluſio ſit: In febribus continuis habentibus quolibet die exacerbationes, benè poſſumus ſanguinem extrahere quotidie, ad hoc tamen eligere debemus horam à tempore incrementi multùm elongatam: quod ſi vnum incrementum eſt maius alio, in die minoris incrementi ſanguinem extrahere debemus; idemque obſeruamus in febribus intermittentibus, in quibus ſanguinem extrahimus in die intermiſſionis. Hanc concluſionem deſumimus ex Galen. *lib. de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, cap.* 21. vbi tempore declinationis febris iubet ſanguinem mittere; & eſt communis praxis, non enim licet laborem labori addere: quod quidem faceremus, ſi poſt ſanguinis miſſionem ſtatim ſubſequatur acceſſio febris: vtrumque quidem vires deiicit, & ſpirituum vitalium diſpendium efficit, quod æger tolerare nequit: quapropter dictum eſt à Cornel. Celſo, quod ſanguinem mittere in febrium vigore, aut iuxta illum, eſt hominem iugulare. Cùm ergo dies, in quibus viget febris, & dies intermiſſionis illius ſint ſecuriores, minuſque moleſtetur natura ex auxiliorum adminiſtratione, ideò illis diebus ſecuriùs vtimur ſanguinis detractione.

*Concluſio tertia.* Sit tertia concluſio: In die acceſſionis bene vti poſſumus clyſteribus, & vomitiuis leuibus, præcipuè ſi per illas regiones natura euacuationem moliatur. Hanc doctrinam docuit Hipp. *lib. de medic. purgantibus*, vbi iubet in febribus vehementibus vti clyſteribus; & Auic. *loco iam cit.* & eſt communis ſententia; cùm enim illis diebus natura moueat humores, vt eos expellat, & tamen ſuum munus exequi perfectè non poſſit, ars medica illam adiuuare debet, ſecundùm Hippoc. doctrinam 1. *aphor. text.* 21. ibi: *Quæ ducere oportet quò maximè natura vergit, per loca conferentia eò ducere.* Hæc enim remedia leuia cum ſint, neque vires deiiciunt, neque cauſam morbificam inflammare valent; quare tutò illis vti poſſumus.

*Concluſio quarta.* Sit quarta concluſio: Cùm in die acceſſionis natura humorem euacuare tentet, ſi perfectè operatur, totum opus naturæ eſt permittendum; ſi verò non perfectè, ideſt non integrè humorem euacuet, illam euacuationem adiuuare debemus. Hæc concluſio quantùm ad primam partem probatur ex Hippoc. *lib. de humoribus*, & 1. *aphor. text.* 20. vbi quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, medicamentis, aut aliter, neque mouere, neque nouare iubet; ſi enim natura perfectè operatur, non indiget vtique adminiculo alterius. Quando verò indeficienter morbum ipſa natura iudicat, id quod deficit, ſupplere nos conuenit, vt docet Galen. *in comment. ſententia allata ex Hippoc.* & hæc eſt ſecunda noſtræ concluſionis pars, quam etiam tradit Auic. *cap. iam cit.* dum ait: *Quod ſi natura non mouet, moue tu hora motus eius.* Itaque ſi natura pigrè operatur, & euacuationem inceptam conſummare non poteſt, quod deficit, per artem ſupplere debemus, ſiue euacuatio fiat per ſudorem, ſiue per aliam regionem.

*Argumenta ſoluuntur.* Ex his facilè ad argumenta reſpondetur. Ad primum, quod ars, ſeu Medicus imitatur naturam, illius defectus ſupplendo, non tamen omnia tentando; nam licèt in acceſſionibus humores moueantur, non tamen expedit illos humores mouere ad expulſionem, donec concoquantur, quibus

A concoctis ſubſequi ſolet criſis, & à natura expelluntur per ſe, vel cum Medici adiutorio.

Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe, quod humores moti meliùs euacuantur, quàm quieti; non tamen inde ſequitur, quod quotieſcumque mouentur, debeant euacuari, propter incommoda ab Hippocr. adducta.

Ad confirmationem dicimus, humores turgentes euacuationem petere, non ſolùm quia ſunt in motu, ſed quia ita praui, & maligni ſunt, vt natura non poſſit eos ferre, quos molitur natura euacuare antequam in partem aliquam principem firmentur, & maiora incommoda afferant; non tamen benè infertur, quod omnes humores moti quouis tempore motionis euacuari debeant

Ad tertium reſponſum eſt in tertia concluſione, vbi diximus, quod poſſumus clyſteribus, & vo-
B mitiuis vti die acceſſionis.

Pari ratione ad quartum, & quintum iam reſponſum eſt in eadem concluſione.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrum in principio febrium putridarum liceat aliquo pharmaco purganti vti.*

DE hoc puncto egimus *cap. de curatione vlceris maligni anginoſi*, vbi ſatis diffusè probauimus, nullâ expectatâ coctione vtendum eſſe medicamento purganti; tamen quia dignitas materiæ, de qua pertractamus, petit vt altiore examine diſputetur, an liceat aliquando in febrium putridarum initio, ſiue febres continuæ ſint, ſiue intermitten-
C tes, ſiue malignæ, ſiue alterius ſortis, expurgare; quod punctum ita faceſſit ingenia, vt Authores in varias ſententias ſint diſtracti, quidam purgationem amplectentes, quidam verò eam omninò renuentes, quidam denique in hanc, & illam partem inclinantes reperiantur: nos tamen quid tenendum in re tam difficili, & neceſſaria breuiter addiſcemus, non ſtudio contradicendi, ſed veritatem aſſequendi ducti, ea etiam, quæ inter curandum ſpatio 28. annorum obſeruauimus, referentes, vt ſic Medicinam exercentes ex huius remedij exhibitione, vel non vſu, ægrorum ſalutem aſſequantur.

Pro qua quæſtione intelligenda ſupponendum eſt, quod purgatio eſt humorum qualitate peccantium euacuatio, quæ dupliciter fieri poteſt, vel à natura, de qua Hipp. 1. *aphoriſm. textu* 2. dicit: *In perturbationibus ventris, & in vomitibus ſpontaneis, ſi*
D *talia deiiciantur, qualia conueniant, & ægri facilè tolerant, bonum, &c.* Vbi illa particula *ſponte*, idem ſonat, ac naturaliter; nobis oſtendens, quod vt euacuatio humoris ſit vtilis, debet eſſe humoris noxij morbum producentis, & eam facilè tolerare debet natura; ſi enim aliquod horum deficiat, non poteſt eſſe vtilis, etiamſi à natura, ſeu ſponte fiat. Alia ſit purgatio ab arte mediis auxiliis medicis, de qua etiam loco citato inquit Hippocrates: *Sic & vaſorum inanitio, ſi talis fiat, qualis fieri debet, confert, & leuiter ferunt.* Et de omnibus dicitur, quod deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur, qualia conueniant, & ægri facilè tolerant, conferunt; ſin minimè contra.

*Purgatio quid, & quotuplex ſit.* Sed expurgatio artefacta multiplex eſt; alia dicitur radicalis, quæ totum humorem morbum inducentem protinus euacuat, & hæc debetur humoribus

moribus iam coctis, vel humoribus turgentibus, de qua loquitur Hippocrates 1. *aphoriſm. textu* 22. in illa ſententia, quæ eſt veluti oraculum in Medicina, dum ait: *Concocta medicari, atque mouere, & non cruda, neque in principiis, modò non turgeant, &c.* Vbi Galenus præcipit humores turgentes ſtatim ſubducere, ob incommoda ab ipſo allata 4. *aphoriſm. textu* 10. ne ſcilicet inopinatè in aliquam partem principem decumbant, & ſubitam mortem afferant, vel ſi quieſcant, adaugeant febrem, & vires debilitent: quæ omnia ceſſant adhibito medicamento purganti, veluti manum porrigente, quod humorem motum ad aluum deducat, vt docet Galenus 4. *aphoriſm. comm.* 1. Alia eſt purgatio, quam Auicenniſtæ minoratiuam vocant, per quam non radicaliter humor noxius euacuatur, ſed potiùs illius aliqua portio detrahitur, vt ſic natura reliquum humoris concoquat, & ſuperet, de qua videtur loqui Hippoc. 2. *aphoriſm. text.* 29. dum inquit: *Inchoantibus morbis, ſi quid tibi videtur mouendum, moue.* Vbi Galen. talem motionem ad ſanguinis miſſionem extendit, & ad purgationem in principio febris factam; verba enim illius ſunt hæc: *Vt igitur hæ citius eueniant* (coctiones ſcilicet) *melius eſt in principiis euacuare, quò minorem iam factam materiam faciliùs natura poſſit concoquere; morbo autem iam conſiſtente, cùm iam natura concoxit, ſuperfluum eſt euacuare, &c.* Vbi nomine euacuationis tam purgationem, quàm venæ ſectionem intellexit, vt illius verba antecedentia oſtendunt, quæ ſanguinis miſſionem, & expurgationem complectuntur, vt cuilibet legenti patebit. Vtraque purgatio quoties fieri debet, adminiſtratur per medicamenta ſeligentia, quæ habent vim ad ſe alliciendi humorem noxium, propter familiaritatem ſubſtantiæ; hac tamen adhibitâ differentiâ, quod materiæ turgenti debetur medicamentum in minori doſi, quàm ſi non turgeret. Ratio eſt, nam humores turgentes ſunt tenuiſſimi, & habiles ad motum, & natura eorum expulſioni parata nimis, & ſic leui ſuſcepto auxilio, quod veluti manum porrigat, facillimè ſubducuntur.

Alia ex arte datur purgatio, quæ dicitur lenitiua, quæ deſeruit ad euacuationem eorum, quæ in prima regione clauduntur, deponens fæces, & cruditates in ventre, & inteſtinis detentas, quæ ſuppleri ſolet aliquibus clyſteribus euacuantibus, & emollientibus. Hæc non exercetur medicamentis trahentibus, ſed ſolùm ſua lenitate, & mollitie vias laxantibus, vt ſic pateat exitus excrementis, & cruditatibus illius regionis, abſque euacuatione eorum quæ in ſecunda regione continentur: in quem vſum conferunt caſſiæ fiſtulæ pulpa, tamarindi, pruna damaſcena in aqua mulſa cocta, & quandoque ſenna confecta, & mercurialis. Nos autem ſæpe vſi fuimus ſyrupo Principis cum decocto pugini, ex quo maximum commodum experti fuimus in pluribus ægris, in quibus non erat vtile tempus conſumere, neque ſolis clyſteribus fidem adhibere, ob cruditatum redundantiam; vrgebat enim neceſſitas altero die mittendi ſanguinem, neque erat vtile differre auxilium.

Deinde ſupponendum eſt, quod hîc non agimus de humoribus crudis ſine febre, cùm certum ſit, quod iſti poſſunt expurgari, imò quotidie eos medicamento purganti euacuamus, vt contingit in gallica lue, in vlceribus, in doloribus capitis, & aliis affectionibus, in quibus humorum præparatio ad expurgationem conſiſtit in eorum attenuatione, & viarum apertione, vt ſic fluidiores, & ad motum expulſionis paratiores reddantur, prompteque tunc natura illius euacuationis eſt auxiliatrix; habent enim in ſe humores qualitates, quas nequit corrigere natura, ſicque eorum expulſioni paratur. Agimus ergo de humoribus, à quibus pendet febris putrida; & de iis eſt noſtra quæſtio, an ſcilicet in principio, dum non ſunt cocti, adſit aliquando occaſio expurgandi eos ea purgatione ſaltem, quam minoratiuam vocant.

*Sunt qui purgationem prohibent pro ponitur, & eius fundamenta.*

Prima ſententia aſſerit, nunquam eſſe propinandum medicamentum purgans ante perfectam coctionem, niſi materia turgeat, ita vt non liceat cruda exiſtente materia aliquod medicamentum purgans offerre. Quod præceptum ita obſeruatum ab aliquibus inuenimus, vt illud tranſgredi crimine plenum ſtatuant, & Medicos illud tranſgredientes, debere puniri iudicent. Ita tenet Schola Valentina, & aliqui ex noſtris, licèt pauci. Quæ probatur ſecundò authoritate Hippocratis à nobis adducta, vbi præcipit, neque in principiis, neque crudis humoribus eſſe expurgandum, niſi materia turgeat. Quod præceptum ſemper vniuerſale eſt obſeruandum.

Secundò probatur ex eodem 1. *aphor. text.* 24. vbi in principiis acutarum paſſionum rarò medicinis purgantibus vti iuſſit, & hoc cum præmeditatione faciendum: & Gal. *in commentario* ait, quod in acutis morbis rarò purgamus, quia rarò materia turget, nobis inſinuans, quod ſolùm materiâ turgente eſt expurgandum, & hoc facere iubet cautè, & multâ conſideratione. Ex qua doctrina poteſt ſic formari argumentum. Vt purgetur materia turgens in principio, vtimur maxima præcautione: ergo materiâ non turgente, non licet expurgare. Conſequentia patet; nam quando humor eſt tenuis, & facilis ad motum, & quærit viam, per quam exeat, & ex alia parte naturam habemus adminiculantem, tunc maximâ meditatione eſt vtendum, vt expurgatio feliciter ſuccedat: ergo quando hæc omnia deficiunt, erit impoſſibilis purgatio; non enim ex imparato poſſumus facilè paratum facere, & humores attenuare, vias aperire, & naturæ adminiculum præbere, vt benè ſuccedat expurgatio: ergo meliùs erit eam interdicere.

Tertiò, humor crudus non cedit medicamento expurganti: ergo ipſo crudo exiſtente, non eſt remedium propinandum. Antecedens conſtat ex Hippoc. 4. *de ratione victus in morbis acutis, textu* 22. vbi exemplo inflammationis crudæ id probat dicens: *Quicumque ea quæ inflammantur, morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, iy nihil afferunt eius, quod intentum eſt, cùm non cedat affectio cruda.* Patet enim, quod ſi aliqua pars inflammetur, & in ſuppurationem tendat, & ſi aperiatur inflammatio antequam ſuppuretur, quod non exit aliquid, ſed potius pars debilitatur, calor diſſipatur, & affectio magis immedicabilis efficitur. Neutrum horum accidit, ſi expectemus coctionem illius humoris: igitur cùm humorum coctio proportione reſpondeat ſuppurationi, ſicuti humor non cedit remediis, neque poteſt euacuari; ita ſimiliter humor, qui nondum coctionem eſt adeptus.

Quartò probatur ex eodem Hippocrate 4. *etiam de rat. victus, text.* 44. vbi inquit: *Quod ſi vrina ſit tenuis, vtitor clyſtere, & ne adhibeas medicamenta purgantia, ne febris in longum protrahatur tempus.* Igitur cùm vrina tenuis ſit ſignum cruditatis, exiſtente materiâ crudâ, eſt expurgandum.

Quintò

Quintò ex eodem Hippocrate *lib. de medicamento purganti*, vbi iubet medicamenta purgantia non eſſe propinanda in fortibus febribus, donec febris remiſerit, ſin minùs non intra quatuordecim dies: ſed hæc purgatio non fit ante tempus ſtatutum ab Hippocrate, niſi ob defectum coctionis: ergo ad purgationem expectare oportet coctionem.

Sextò probatur ex Gal. 3. *de præſagatione ex pulſibus, cap. 6.* vbi expreſsè aſſerit, quod ea quæ inflammantur ante coctionem, nec medicamento, neque aliter ſolui debent: ſed in principio, & augmento febris humores inflammantur: ergo eo tempore medicamento purganti non ſunt ſoluendæ.

Septimò ex eodem Galeno *lib. de ſanguinis miſſione, c. 9.* dicente: *Vbi crudi ſucci exſuperant, antequam morbus fiat, cautè euacuabis; vbi verò iam febricitant, nequaquam.* Qui locus eſt intelligendus de purgatione, vt verba Galeni antecedentia oſtendunt, in quibus de purgatione agebat: ergo ſi febris ſuperuenit humoribus exiſtentibus crudis, non eſt expurgandum.

Octauò probatur ex Auic. *fen. 4. lib. 1. doctrina 5. cap. 4.* qui prohibet expurgationem humore exiſtente crudo, & aſſerit, quod euacuatis humoribus ſubtilibus, eorum minutio adaugebit groſſitudinem, & viſcoſitatem aliorum, qui non ita facilè cedunt medicamento purganti; imò ſua viſciditate adhærent partibus, & medicamentis reſiſtunt.

Nonò probatur. Tunc debemus euacuare medicamento expurganti, quando naturam habemus adminiculantem: ſed non coctâ materiâ eam non habemus adminiculantem: ergo non coctâ materiâ non debemus euacuare. Maior certa eſt, & deſumpta ex Galeno 1. *aphoriſm. comment. 22.* Minor probatur. Natura in ſuis actionibus hunc ſeruat ordinem, quod primò retinet humorem, deinde illum concoquit, poſteà diſtribuit, & expellit, vt eo fruantur omnes partes, ſi vtilis eſt; ſi inutilis, illum expellere conatur ad extra, vt contingit in criſi perfecta, quod expreſſe aſſerit Galenus *loco proximè cit.* & 4. *aphoriſm. comment. 22.* vbi ait: *Oportet coctionem praire, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea euacuationem, vt bona ſit criſis, ſeu iudicium.* Deinde ſubdit: *Vbi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificant euacuationem; ſi verò aliter excernantur ſine ſignis coctionis, exitialis eſt caſus.* Quare cùm in morbi principio ſemper ſint ſigna cruditatis, mala ſemper erit humorum talium euacuatio. Igitur cùm humores in principio non ſint cocti, eoſque natura retineat quouſque concoquantur, natura non eſt intenta eorum expulſioni, neque eam auxiliatricem habere poſſumus.

Decimò, nam vt humores coquantur, requiritur quies, docente Galeno 4. *de ratione victus, comment. 44.* & experimento patet; nam per ſomnum vberiores fiunt coctiones; ſomnus enim dicitur quies, neque per illum diſtrahitur natura; per vigiliam verò, & motum à coctionibus natura diſtrahitur: ſed dato medicamento expurgante perturbatur coctio, & natura diſtrahitur ab illa: ergo non debet dari.

Vndecimò, timoroſum valde eſt propinare medicamentum purgans, dum corpus non eſt diſpoſitum; nam facilè medicamentum tranſit in naturam humoris peccantis, cum quo maiorem nanciſcitur ſimilitudinem, ex Galeno 3. *ſimplic. c. 25.* ex quo morbi cauſa adaugetur, & morbus longior, & deterior fit.

Duodecimò probatur ratione Fallopij adducta *lib. de purgatione*, qui aſſerit, quod humor ante

A putrefactionem erat ſimilis medicamento purganti; at dum putreſcit, amittit ſubſtantiæ modum, in quo medicamento purganti aſſimiliabatur; ex quo oritur, quod medicamentum non attrahat humorem peccantem, ſed potiùs humorem bonum, cum quo habet ſimilitudinem, ex cuius attractione ſequuntur incommoda relata ab Hippocrate 4. *de rat. vict. textu 22. cit.* nempe colliquationes, ſubſtantiæ viuentis diſſipatio, & deſtructio, corporis debilitas, & denique euictâ naturâ, & à morbo ſuperatâ ſequitur mors.

Denique probatur ex natura medicamenti purgantis, quod calidum, & ſiccum eſt, febremque adauget, & calorem euertit, & morbi regij ſpeciem producit; commotâ etiam bile, & non purgatâ, non ſorbere vult æger, neque bibere, ſed omnia abominatur, & plerumque perit; quandoque alia purgat, aliquando nimium purgat, quod B eſt maximè nociuum, ex eodem Hippocrate *lib. de medicam. purgant.* Si igitur tot, & talia ſequuntur incommoda ex purgantis medicamenti adminiſtratione, quis Medicus audebit circa initia morborum tale offerre medicamentum.

Quod ſi contra hanc ſententiam obiicias: Humores turgentes petunt expurgari, & tamen ſunt crudi: ergo cruditas humorum non impedit expurgationem.

Reſpondetur, quod humores turgentes petunt expurgationem, non quia crudi; nam vt ſic eam potiùs abhorrent, ſed quia turgentes; cùm enim huc, & illuc vagè moueantur, & timor eſt ne decumbant in partem aliquam principem, & alia incommoda afferant, ideò ſtatim medicamento purganti ſunt euacuandi.

Iterum obiicies: In principiis morborum ſolet natura aliquas efficere euacuationes ſymptomaticas ipſius humoris peccantis, quibus meC lius ſe habet æger: ergo medicus imitando naturam, poterit etiam aliquam tentare euacuationem, vt ſic depoſitâ humorum copiâ, æger leuiùs reliquum pondus ſuſtineat.

Reſpondetur verum eſſe, quod natura in principiis ſolet aliquas euacuationes efficere, quæ quandoque, licèt raro, proſunt; fiunt tamen cum magno virium diſpendio, quia humor ille noxius non eſt ſegregatus à conſortio innoxij, & ſimul cum illo innoxium excernitur, propereaque dicitur à Galen. 4. *aphoriſm. comment. 21.* *Quo enim in tempore à cauſis quidem morbum facientibus natura grauatur, adeſt autem cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuari eſt impoſſibile.* Sed de hoc latiùs quæſtione ſequenti.

*Sententia purgationem admittens in initio febrium putridarum proponitur.*

Oppoſitam ſententiam ſequuntur plures, inter quos Brauus Petrafitanus *lib. 2. de purgatione, cap. 8.* Valleſ. *lib. 7. controuerſiarum, cap. 13.* MaD nard. Ferrarienſis *lib. epiſt. ep. 2.* Alexander Trall. *lib. 12. capit. de tertiana notha.* Horat. Augen. *lib. epiſt. ep. 2.* Ioannes Langius *epiſt. 39.* Trincauellus *lib. de compoſitione medicam. cap. 1.* quam deſumunt ex Raſi *tertio continentis, tractat. 3. cap. 2.* & *tractat. 1. cap. 2.* & eſt conformis doctrinæ Hippocraticæ à nobis adductæ 2. *aphoriſmorum, textu 29.* vbi inchoantibus morbis docet nos mouere: quam doctrinam admittit Gal. *de purgatione, & ſanguinis miſſione*, vt iam ſuprà diximus: ſed Hippoc. ibi non loquitur de purgatione in principio facta, dum humores turgent: ergo debet intelligi de alia purgatione minoratiua dicta humoribus non turgentibus debita. Minor, in qua tota vis eſt, probatur; nam dum humores turgent, ſtatim radicaliter ſunt euacuandi, ita vt nihil illorum remaneat in corpore, ob rationes à nobis

nobis aſſignatas : ſed per illam purgationem non intendit Hippocr. totum humorem euacuare, vt conſtat ex Galen. *in comm.* vbi ait, quod in principiis debemus euacuare, quo minorem iam factam materiam faciliùs natura poſſit concoquere. Igitur non agit de purgatione debita humoribus turgentibus, ſed potiùs de diminutione materiæ, vt ſic reliquum materiæ natura ſuperet; in turgentibus enim humoribus nihil ſupereſt euacuandum, & ſic non eſt opus, vt natura concoquat, & ſuperet. Quapropter exiſtimo malè interpretari Galen. & Hippocr. ab iis qui cenſent, ibi egiſſe de purgatione debita materiæ turgenti.

Secundò probatur ex eodem Hippocrate 4. *de ratione victus in morbis acutis*, *text.76.* vbi in dolore pleuritico deſcendente iubet Hippoc. vti pharmaco purganti : igitur in morbi acuti principio, & non turgente materiâ, poſſumus expurgare.

Tertiò probatur ex Auicen. *fen.* 4. *lib. primi*, *doctrina* 5. *cap.3. in principio*, vbi docet, eſſe faciendam expurgationem humoribus crudis exiſtentibus, ſi non ſumus ſecuri, quod virtus vſque ad maturitatis horam perueniet; timet enim ſuffocationem, & quod præ multitudine natura non poterit humores ſuperare.

Quartò probatur ex Galen. 4. *de ratione victus, comm.76.* vbi inquit: *Nam ſtatim ab initio prius quàm in partem aliquam confirmentur humores, medicandum; vel poſteà cùm ad maturitatem perducti fuerint : quam ob cauſam, & prima interdum die, & ſecunda, & quarta, & interdum quinta medicamenta dedimus, & non in quarta ſolum.* Sed ſine turgentia poſſunt moueri humores in principio : ergo antequam firmentur in parte, ſine eo, quod turgeant, debent medicari.

Quintò probatur ex Alexandro Traliano *lib.12. cap. de tertiana*, vbi vulgares Medicos increpat, qui humorum motiones diſcernere non laborant; neque aliquid dant, quod ventrem ſubducat. Vbi expreſsè aſſerit, quod non ſemel, ſed bis oportet aluum ſubducere, antequam oberrantes noxam intulerint.

Sextò, ex Manardo Ferrarienſi *lib.* 13. *epiſt. epiſt.* 1. vbi hanc confirmans ſententiam, in hæc prorumpit verba : *Deum ergo immortalem teſtor, me, qui iam octo ſupra quadrageſimum annos Medicinam variis in locis ſum profeſſus, in febrium putridarum principio, niſi aliquid aliud prohiberet, vſum medicamento aliquo purganti, nullumque ex tali medicamento vnquam cognouiſſe ſequi ægrotantibus incommodum, quin potiùs modicam, & abſque vlla notatu digna noxa purgationem.*

Sed omiſſis authoritatibus, rationibus hanc ſententiam ſtabilire oportet. Probatur ergo ſeptimò; nam ideò in humoribus turgentibus euacuamus ob timorem imminentis periculi, ne ſcilicet in partem principem humores decumbant : ergo ſi timor eſt, quod humores decumbant in partem principem, eos debemus expurgare : ſed dum non turgent, eſt timor talis decubitus in partem principem : ergo dum non turgent, ſunt expurgandi. Minor probatur; nam dum humores mouentur ad partem principem, poſſunt firmari in illam : ergo vt non firmentur, eos expurgare debemus : ſed ſine turgentia mouentur ad partem principem, vt patet dum humores mouentur ad eandem determinatè, vt contingit in pluribus febribus, in quarum acceſſionibus humores in caput, vel os ventriculi irruunt; quo tempore nullus ſanæ mentis compos eos quieſcere deſinet, ſed totis viribus conabitur eos à partibus illis diſtrahere, & è corpore trudere, antequam firmentur;

A qui humores non dicuntur turgentes, ſiquidem non mouentur vagè, vel indifferenter; tamen quia poſſunt firmari in partem principem, vt turgentes ſunt ſtatim euacuandi.

Dices, eos debere euacuari ſanguinis miſſione. Contrà, nam humores dum ſunt ſeparati à ſanguinis conſortio, nequeunt ſanguinis miſſione euacuari; imò cum tunc exeat ſanguis bonus, & laudabilis, eius euacuatio maximè minuit vires, & parum, aut nihil cauſæ morbificæ detrahitur.

Septimò, ideò in turgentia expurgamus, quia humores ſunt in motu, & naturam habemus adminiculantem : ſed ſine turgentia humores poſſunt moueri, & naturam habere poſſumus adminiculantem : ergo ſine turgentia petunt expurgari. Maior eſt Galeni 1. *aphoriſm. comm.* 22. & 4. *aphoriſ. comm.*1. Minor probatur quantùm ad motum humorum; nam mouentur ſæpe, & confluunt deter-
B minatè verſus cor, os ventriculi, aut caput, ſicque non deficit motus illorum. Et ex alia parte natura tentat eos expellere, ideoque irritata eos agitat, & mouet ad expulſionem; non tamen inuenit viam conferentem eorum expulſioni : ergo ſi adhibeamus medicamentum manum porrigens, & eos ducens per ventrem, eodem modo accidit purgatio, ac in humoribus turgentibus; turgentem enim materiam natura ſecernit, & ad varias partes indifferenter mouet; non tamen eam expellit, quia oberrat viam accommodatam expulſioni; tamen adiuta à medicamento trahenti, viam inuenit, & per illam ipſam materiam expellit, & ſe liberat à calamitatibus imminentibus. Cur ergo hoc denegandum humoribus, qui mouentur, & non turgent? Siquidem natura mouet eos humores; quia nimis noxij ſunt, & vt ſe liberet ab eorum deterrimis qualitatibus. Si ergo adhibeamus medi-
C camentum, quod eos attrahat, quare non poterit feliciter ſuccedere expurgatio.

Octauò, tanta poteſt eſſe copia humorum in febribus, vt natura non poſſit eos corrigere, & emendare : ergo ſi detrahamus aliquam portionem illorum, poterit natura reliquam portionem corrigere, & concoquere.

Dices, eam portionem eſſe detrahendam ſanguinis miſſione. Contrà eſt, nam tanta poteſt eſſe humorum cacochymia, vt ſanguinis miſſione non ſatisfiat neceſſitati; ita vt materia ſuperet naturam, & eam ſuffocet, & neutiquàm attingat coctionem; quo tempore ſi humor ſecundùm aliquam portionem electiuè non euacuetur, eſt impoſſibilis coctio, neque ſigna coctionis in vrinis apparebunt. Igitur vt coquatur, debet electiuè euacuari; ſcimus enim vt opus naturale fiat, quod debet eſſe proportio inter agens, & paſſum; ſi
D enim reſiſtentia paſſi vincit vim agentis, nulla erit victoria ex parte agentis, neque illius relucebit actio.

Nonò; contingere poteſt, quod natura irritata ab humorum prauitate, cupiat expellere illos, & tamen ob eorum multitudinem nequeat : ergo tunc temporis Medicus adhibendo medicamentum purgans, expulſionem intentam à natura adiuuare debet.

Decimò, quando natura eſt nimis grauata, & laceſſita humoribus, eſt timor ne humores decumbant in partem principem, cùm non poſſit eos regere natura : ergo ſtatim eos debemus expurgare, neque ob aliam rationem turgentem materiam euacuamus.

Vndecimò, humores poſſunt eſſe ita malignantis naturæ, vt non admittant coctionem : ergo vt medicamento euacuentur, non eſt expectanda coctio:

ctio. Patet antecedens in febribus malignis, & peſtilentibus, in quibus ſtatim præcipit Auicen. expurgare. Et Gal. 5. *meth. cap.* 12. in illa dira peſte, quæ ſuo tempore contigit, liberati fuerunt quicumque corpus per ventrem expurgarunt.

Duodecimò, euacuationes plures ſymptomaticæ prodeſſe ſolent, quas efficit natura: ergo pari ratione prodeſſe poſſunt euacuationes electiuè factæ.

Tandem quoties euacuatur humor morbum efficiens, & natura potens eſt ferre talem euacuationem, euacuatio hæc conferre poteſt: ſed medio pharmaco purganti in principio adhibito poteſt euacuari humor efficiens morbum, & ex alia parte æger poteſt habere vires ad ſuſtinendam tum euationem illam, tum coctionem humoris, qui ſupereſt: igitur huiuſmodi euacuatio conferre debet, atque adeò eſt exercenda.

Dices, verum eſſe humorem peccantem euacuari; tamen quia non eſt ſegregatus ab humore vtili, eam euacuationem non conferre, quia ſimul cum humore peccante euacuatur humor vtilis, qui peccantem humorem corrigit.

Sed hæc ſolutio non dirimit vim argumenti; nam euacuatio facta per venæ ſectionem, & cucurbitarum ſcarificationem, non ſolùm euacuat humorem noxium, ſed vtilem; & tamen vtraque euacuatio maximâ cum vtilitate exercetur: ergo hoc non tollit euacuationem medicamento electiuè faciendam.

Hæ ſunt rationes, & authoritates, quibus vtraque fulcitur opinio; quid tamen de vtraque ſententiam, breuiter proponam: ſed antequam concluſiones ſtatuam, nonnulla ſuppono neceſſaria, quibus concluſiones elucidabo.

Suppono ergo primò, quod licèt methodicè procedamus, & Hippoc. præcepta amplectamur, vt Medici tamen rationales methodo Hippocratica vtimur, qui licèt tradat præcepta vniuerſalia, quibus methodici ſolùm annectuntur, nunquam talia tranſgredientes præcepta; nos tamen talia obſeruantes, ratione ducimur aliquando ea tranſgredi, quia magis doctrinalia, quàm vniuerſalia eſſe cenſemus. Quapropter illud dogma, *Concocta medicari, atque mouere, & non cruda, neque in principiis, niſi turgeant*; licèt in plurimum ſit obſeruandum, non tamen ſemper: opponitur enim ei alia ſententia, in qua inquit: *Inchoantibus morbis, ſi quid tibi videtur mouendum, &c.* vbi ex ſententia Galeni non poteſt intelligi de motione facta per purgationem tempore turgentiæ, ſed vrgentiæ; quaſi diceret, adeſſe in morbis tempus aliquod principij, in quo, etſi nulla ſit turgentia, tanta poteſt eſſe vrgentia, vt cogamur recedere ab Hippoc. dogmate aſſerente, *Concocta medicari, & non cruda, &c.* Dogma etiam Hippocraticum eſt, vbi morbus peracutus eſt, extremè tenuiſſimo victu eſſe vtendum, quod eſt nihil dare, vt inquit Galenus 1. *aphor. comm.* 4. & 5. & tamen *comm.* 8. *eiuſdem libri*, propter vrgentiam Galenus cogitur nutrire in ipſo ſummo morbi vigore, quando aliquis caſus ſuperuenerit robur naturæ diſſoluens. Similiter 1. *aphoriſm. textu* 16. victum humidum febricitantibus conuenire ait Hippoc. Galenus tamen *in comm.* ob contrarias indicationes excipit hydropicos febrientes. Demùm in acceſſionibus abſtinere oportet; nam & cibum dare nociuum eſt, ex eodem Hippoc. Verùm Galenus 10. *methodi, cap.* 4. excipit homines calidos, & bilioſos febre ardenti correptos, quos dicit eſſe nutriendos, ne à calore febrili diſſipentur. Ecce qua ratione dogmata Hippoc. non poſſunt eſſe vniuerſalia, & cogimur

A aliquando ab eis recedere, quia vrget neceſſitas efficiendi aliud. Quare eſt impoſſibile, vt ſemper obſeruemus illud præceptum Hipp. ſicuti cogimur etiam recedere ab aliis.

Secundò ſuppono, quod purgatio duplex eſt, vt iam *alia quæſt.* adduximus: vna regularis, quando ſcilicet humores turgent, aut ſunt concocti; tunc enim regulariter eos euacuamus: nam licèt turgentes humores non ſint cocti, attamen quia non poſſunt concoqui ob eorum ineptitudinem, & motum, & natura adiuuat eorum expulſionem, ideò dicimus, quod purgatio illorum eſt regularis; imò contra medicinæ regulas eſſet expectare coctionem, vbi coctio deſperata eſt. Quando verò humores ſunt concocti, & eos critica euacuatione natura non ſecernit, & expellit, Medici regulare munus eſt naturæ defectum ſupplere, & eos medi-

B camento expurganti euacuare: vtraque harum purgationum dicitur radicatiua, quatenus humorem peccantem radicitus euellit, de qua purgatione fatus eſt Hipp. *primo lib. aphoriſm. textu* 22. à nobis toties repetito.

Alia eſt purgatio vrgens, ſiue coactè facta, in qua cogimur aliquid humoris euacuare, ob rationes à nobis in ſecunda ſententia traditas, quæ vocatur communiter minoratiua, de qua loquuti fuere Hipp. Auicen. Galenus, & alij locis à nobis citatis, quæ perficitur in principio morbi, etiamſi humores ſint crudi, eo quod timemus vel decubitum in aliquam partem nobilem, vel ſuffocationem naturæ, ob copiam humoris vitioſi, & quod non poſſit natura tantam humoris vitioſi ſarcinam emendare, neque concoquere, niſi aliquid detrahamus, vt potentior maneat ipſa ſupra reſiduum; vel quia humores ita maligni, & peſtilentes ſunt,

C vt coctionem non admittant, quo in caſu tutius auxilium eſt eos euacuare, imò & vt turgentes ſunt tractandi; ſiquidem ſua vi deleteriâ facillimè interficiunt. Hæc tamen purgatio non eſt ita ſecura ſicut prima, ob rationes tactas in prima opinione; fitque cum maiori virium diſpendio, eo quod humor inutilis non eſt ſeparatus ab vtili, & natura in illius expulſione peruertit ordinem naturalem operandi; laceſſita tamen, & irritata cogitur expellere, vt à maiori periculo liberetur; tuncque cùm ipſa non poſſit, indiget auxilio Medici, quo adiuta humorem aliquem expellit, deinde reliquum ſuperat, & ad bonum deducit ſtatum.

Tertiò ſuppono, quod cruditas coctioni aduerſatur, eique opponitur priuatiuè; eſt enim cruditas coctionis priuatio, quæ quidem morbos ferè omnes progignit, vt oſtendit Galen. *lib. de cibis boni & mali ſucci, cap.* 3. & eſt ſeminarium omnium malorum, ſiquidem ab ea obſtructiones, mali ha-

D bitus, podagræ, febres diuturnæ, apoplexiæ, & alij innumerabiles morbi oriuntur, teſte Auic. *fen.* 16. *lib.* 3. Sunt enim humores crudi, qui naturæ cultum non acceperunt, neque aliquam illius alterationem ſunt perpeſſi, qui coctione indigent; & ſi laudabiles ſint, per coctionem aſſimilantur naturæ, & in illam conuertuntur; ſi verò inepti ſint ad nutriendum, à corpore expelluntur, poſtquam coctionem ſubierunt; antea verò minimè, niſi vrgente neceſſitate, vt dictum eſt à Galen. *lib.* 2. *method. cap.* 5. *iuxta finem.* Sed vt hoc clariùs appareat, ſcire conuenit, quod coctio eſt duplex; vna quæ circa alimentum, & humores proficuos verſatur, per quam diſponuntur, & conuertuntur in ſubſtantiam aliti, quam definit Galenus *lib.* 2. *de naturalibus facultatibus, cap.* 4. & *lib. de ſymptomatum differ. cap.* 4. per alterationem ciborum, ſiue alimentorum in propriam, ac conuenientem

eius,

eius, quod nutritur, qualitatem; & hæc coctio dicitur coctio in iunatiuo. Alia dicitur coctio in nocitiuo, quæ verſatur circa humores qui putreſiunt, de qua inquit Galen. *lib. artis medicinalis, cap.* 89. coctio facit ceſſare putredinem manente ſubſtantiâ: hæc enim corrigit humores, & eorum putredinem inhibet in iis morbis, qui ad ſalutem terminantur; tamen quia non poſſunt ob eorum ineptitudinem vltimatè aſſimilari, & in aliti ſubſtantiam conuerti, vt ſuperuacaneos natura tentat eos expellere, quæ ſi non poteſt adimplere, Medici munere adiuuatur, & pharmaco purganti è corpore pelluntur.

Suppono quartò ex Platone in vltimis ferè verbis dialogi *de natura*, & ex Gal. *de totius morbi temporibus, cap.* 1. quod ſicuti animalibus eueniunt ætates quædam inter ſe diuerſæ, ob temperiei illarum diuerſitatem; ita in morbis ſunt quædam tempora ætatibus correſpondentia, quæ diuerſificantur etiam penes diuerſa accidentia, quæ iis temporibus eueniunt, etiamſi morbus à principio in finem vnicus perſeueret: quæ quidem tempora quatuor ſunt, principium, augmentum, ſtatus, & declinatio. Verſatur tamen maximum diſcrimen inter ætates hominis, & tempora morborum; nam ætates in hominibus æquales iudicantur, aut parum diſſidentes, quia pueritiæ terminus eſt decimuſquartus annus, à quo termino incipit pubertas, & à pubertatis termino incipit iuuentus; at in morborum ætatibus eſt maxima differentia, nam quidam morbi ſunt chronici, quorum ætates menſibus, & annis terminantur; alij acuti, qui quatuordecim diebus finiuntur; alij acutiſſimi, qui ſeptimo die; alij exactè peracuti, qui quarto die fatalem terminum habent. Quia ergo ſunt ita diuerſi, alij breues, alij longi, non poſſunt conſtitui pro omnibus æqualia tempora, ſeu ætates. Sicque neque poſſunt habere æquale principium, neque augmentum, & ſic de reliquis.

Suppono quintò ex Galen. 1. *lib. prognoſt. comm.* 9. & *aphor. comm.* 12. quod principium, de quo loquimur, tripliciter accipitur. Primò pro prima inuaſione morbi: ſecundò pro ſpatio trium, vel quatuor dierum: tertiò pro tempore, quo apparent ſigna cruditatis. Verùm principij prima inuaſio cùm inſtantanea ſit, aut breuiſſimè durans, eſt inutilis ad remedia: ſecunda non artificioſa. Sola ergo relinquitur tertia principij ratio, quæ cruditatis notas habet, & eſt maximè vtilis, & morbi mutationes attingit, quæ coctione, aut cruditate magis innoteſcit, quàm aliis ſignis; & eſt totum illud tempus, in quo nullum, aut ſaltem obſcurum coctionis ſignum relucet, vt docet Gal. *toto primo lib. de criſibus*, præſertim *cap.* 17.

Sed licèt hoc principium ſic acceptum morbi augmentum non includat, tamen Hippoc. 2. *aphoriſm. textu* 29. augmentum cum principio confundit, & vtrumque ſub principio comprehendit; inquit enim: *Cum morbi inchoant, ſi quid tibi videtur mouendum, moue; cùm verò conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere.* Vbi nullam fecit mentionem augmenti, illud intra limites principij claudendo: quod quidem ipſa ratio ſuadet; nam in augmento febris putridæ ſolemus mouere venæ ſectione, & aliis remediis, imò & expurgatione, & non ſolùm in principio vniuerſali; nam ſi non eſt depoſita ſufficienter cauſa morbifica in principio, neque adſit contraria indicatio, ſuademur in augmento eam deponere; quapropter eo tempore non eſt quieſcendum, vt in ſtatu morbi. Sic enim nos nomine principij non ſolùm intelligimus principium in tertia acceptione,

A ſed etiam augmentum, in quo licet etiam mouere ſanguinis miſſione, & quandoque expurgatione.

His igitur ſuppoſitis, ſit prima concluſio. Humores qui determinatè in aliquem locum principem, & vitæ maximè neceſſarium irruunt, nullâ expectatâ coctione, ſi ſanguis ſit, venæ ſectione; ſi alius ſit humor à ſanguine, purgatione eſt reuellendus, & euacuandus. *Prima concluſio.*

Hæc concluſio probata manet iis, quæ in ſecunda ſententia adduximus; ſi enim turgentes humores illicò, nullâ expectatâ coctione purgamus, timentes ne in partem dilabantur principem, & mortem inopinatam efficiant, quantò magis illos purgare debemus, & diſtrahere, qui iam in partem irruunt. Quis enim poterit expectare humorum coctionem, quando ipſi ad pulmonem, vel caput, vel guttur, aut os ſtomachi violenter fluunt, & exitiales morbos pariunt? Quod inſpiciens Galenus *lib.* 14. *methodi, cap.* 8. ad ægrotum

B quendam ſexagenarium accedens, linguam tumefactam nimis habentem, vt eam ore continere non poſſet, ſtatim abſque aliqua præparatione pillulas ex aloë, ſcammoneo, & colocyntide compoſitas exhibuit, quibus reuulſione facta, à ſuffocationis periculo hominem liberauit. Et 13. *methodi, cap.* 21. ait plures vidiſſe ſanatos vna die, oculorum inflammatione tentatos, ſolâ purgatione factâ per aluum. Tralianus etiam *lib.* 4. *cap.* 1. *titulo de ſanguinis miſſione*, anginoſum quendam liberauit veſpere adhibita purgatione.

Sed quia poteris reſpondere, hæc omnia accidere poſſe ſine febre putrida, quo caſu non oportet expectare coctionem, nulla præmiſſa præparatione humores ad partem confluentes poſſunt expurgari.

Contrà eſt: Dum humores ſunt extra ſanguinis conſortium, debent euacuari, non per ſan-

C guinis miſſionem, vt ipſa dictat ratio, & docet Galenus *de ſanitate tuenda cap.* 4. ergo per expurgationem: ſed dum in febribus putridis confluunt ad partem aliquam principem, confluunt ſæpe ſine ſanguinis conſortio, & miſcella: igitur debent expurgatione euacuari; tunc enim ſanguinis miſſio potiùs lædet, vireſque diminuet parum, aut nihil cauſæ morbificæ detrahendo. Debemus ergo purgatione vti, ne humor confluens in partem firmetur in illa. Quod inſpiciens digniſſimus Abbas Couar. *lib.* 3. *de impedimentis magnor. auxil. cap.* 3. docet ex Galeni & Auicennæ ſententia, in ſupernatantia, ſeu humorum ſeparatione à ſanguinis conſortio eſſe expurgandum, quia ſupernantia impedit venæ ſectionem, & aliud remedium magnum expoſcit. quale eſt purgatio.

Quod ſi rationibus non ſuaderis, præualeat apud omnes quotidiana obſeruatio in febribus ter-

D tianis pernitioſis ob decubitum humoris in aliquam partem principem, in quibus millies obſeruaui, quod venæ ſectione deteriùs ſe habebant, & ingraueſcebant, donec medicamentum aliquod purgans die intermiſſionis, vel minoris acceſſionis exhibebam, quo (Deo fauente) quamplurimos tutos ſeruaui, & humorum motum ad partem compeſcui, ita vt febris pernitiem amittens, poſteà ſignis ſecuriſſimis firmabatur. Vidi etiam plurimos periiſſe, quia Medici de eis curam habentes, ſanguinem non ſemel, ſed pluries mittere iubebant, quia exiſtimabant morbum illum tot grauiſſimis ſymptomatibus lædentem, remedio magno, quale eſt venæ ſectio, eſſe profugandum: quo remedio viribus exſolutis, ægros miſerè perdebant. Quod quidem eorum proteruiæ ego attribuebam, ſiquidem in rebus dif-

ficillimis ſapientum eſt mutare conſilium, præcipuè cum rationes validiſſimæ, & obſeruationes id ſuadent.

*Concluſio ſecunda.*

Sit ſecunda concluſio. Humore quieto exiſtente, & præ multitudine naturæ coctionem impediente, ſi timor ſit, vt illum non poſſit concoquere natura, neque ad ſtatum peruenire, detracto priùs ſanguine, ante coctionem humores ſunt minorandi. Hæc concluſio fundatur in ſententia Galeni 2. *aphoriſmor. comm.*29. & in doctrina Auic. *fen.*4. *lib.*1. *doct.* 5. *cap.*3. & à nobis tradita, & probata manet aliquibus rationibus; ſic enim humoris aliquâ portione euacuatâ, reliquum humoris natura concoquit, & ſuperat. Si enim adhibitâ ſanguinis miſſione adhuc vires grauentur nimis, coctioque in excrementis non apparet, neque elucet aliquod ſignum oſtendens naturam aliquid operari, exiſtimare oportet, quod humor peccans eſt inſuperabilis, & quod ſua multitudine, & prauis qualitatibus impedit naturæ regulationem, tuncque licebit eum minuere electiuè, illum euacuando, dummodo vires conſtent, & euacuationem, imò & reliqua morbi accidentia tolerare valeant vſque ad morbi vigorem, aliàs minimè id tentabimus efficere. His rationibus ductus Valleſ. *lib.* 4. *methodi*, Regem noſtrum Philippum quinto die medicamento purganti euacuauit, habebat enim febris illa exacerbationes diebus paribus; quo remedio fuit optata ſalus conſequuta. Et ne deficiant exempla, dicam quod mihi contigit apud D. D. Ioannem Cheippum de Llanos, huius ſupremi Senatus Pintianæ Præſidem; ipſe enim fuit correptus febre ardenti, ad quam curandum acceſſit etiam D. Doctor Ferdinandus Sanchez de Eſpinoſa huius almæ Vniuerſitatis Primariæ Cathedræ digniſſimus Moderator, & D. D. Gaſpar Brauus Methodi Cathedram Regens, ex quorum etiam conſilio, vt par erat, ſanguinem miſimus, quo remedio febris nunquam minuebatur, erat enim ex ſua natura æger atrabiliarius, febriſque humoribus aduſtis fouebatur, & quoties venam ſecare iubebamus, toties ingraueſcebat malum: & licèt apparebant in vrinis ſigna aliqua coctionis manifeſta, morbus tamen cùm acutus fuiſſet, ex decidentia prorogatus fuit ad quadrageſimum: ſemper tamen magnas habebat quolibet die exacerbationes, neque ad ſtatum deueniebat; timebamus etiam virium reſolutionem, & quod deficeret antequam ad ſummum deueniret vigorem: & inito conſilio circa ea quæ agenda erant, controuerſum fuit, an eſſet exercenda ſanguinis miſſio, ſiquidem vires conſtabant cum morbi magnitudine; forſan enim ex illius vſu alleuiaretur æger, etſi illius adminiſtratione deterius antea ſe habuiſſet; hoc enim regulariter remedium exerceri deberet. Tamen cùm antea nihil proficere videretur, imò qualibet venæ ſectione, vt dixi, exacerbaretur, ex vtriuſque conſenſu coacti fuimus adminiſtrare medicamentum purgans, cui exhibuimus die 26. infuſionem ʒ. j. rhabarb. in ℥. ij. ß. decocti Pugini, cum ℥. iij. ſyrupi Perſici ſolut. quo feliciter purgatus fuit, & ſine moleſtia humoremilioſum, & atrum eiecit, & ab eo die remiſſa fuit febris, donec quadrageſimo die ex toto fuit ſoluta; non enim fefellit iudicium circa ea, quæ ægro accidebant, ſiquidem natura ob humoris vitioſi redundantiam, & deterrimas qualitates, non erat potens illum vincere, & ſuperare, donec minori illius materiâ redditâ, reliquam remanentem vicit, & concoxit. Neque in hoc ægro obſeruatio me decepit, neque in aliis pluribus, quorum hiſtorias, & felices euentus referre poteram, quibus non ſolum facta priùs venæ ſe-

A ctione, ſed ſtatim ante illam medicamentum purgans exhibui morbi materiam minuens; quod quidem maxima cum meditatione, vt inquit Hipp. feci.

*Concluſio tertia.*

Sit tertia concluſio: In morbis peſtilentibus, qui ſunt exactè peracuti, non eſt expectanda coctio, ſed ſtatim, ſi poſſibile eſt, ſunt euacuandi ſanguinis miſſione, & purgatione. Hæc concluſio iam etiam probata manet ex Gal. & Auic. priùs enim interficiet ægrum, quàm humor coquatur: non ergo oportet coctionem expectare. Itaque ſi adſit ſanguinis redundantia, ſtatim eſt euacuanda, parcè tamen, quia morbus hic maximè vires deiicit. Deinde expurgandum corpus; quod ſi non ſit ſanguinis multitudo, ſed alij vitioſi ſucci exſuperent, medicamento purganti ſtatim ſunt ſubducendi, modò non appareant carbunculi, bubones, & aliæ puſtulæ peſtilentes; tunc etenim tutius eſt motum naturæ adiuuare medicamentis trahentibus ad cutem, & alexipharma-
B cis pugnare aduerſus deleteriam qualitatem, eo modo, quo dicemus *c. de febre maligna*; quàm medicamento purgante ad intrà humores peſtilentes reuocare, & naturæ motum impedire, vt eleganter oſtendit Doctiſſimus Magiſter Santa Cruz *lib.* 3. *de impedim. magnorum auxiliorum, cap.* 9.

*Concluſio quarta.*

Quarta, & vltima concluſio. In plurimis febribus putridis tutiſſimum auxilium eſt purgatio lenitiua. Hæc concluſio ex dictis infertur, eámque conſulunt plures, vt Antonius Muſa Braſſauolus *lib.* 4. *acut. comm.* 7. Valleſ. Montanus, Maſſarias, Brauus, Vega, & alij; & fundatur in verbis Galen. 4. *de ſanitate tuenda, c.*5. vbi ait, quod cruditates, & humores vitioſi, qui in primis venis circa iecur, & meſenterium continentur, factâ ſanguinis euacuatione, ad corpus trahuntur. Idem aſſerit libro illi attributo inſcripto *Præſagium experimento confirmatum, & de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem:* &
C *lib.*9. *methodi, cap.*14. inquit, quod ſi adſit cruditas in ventriculo, aut inteſtinis, differenda eſt ſanguinis miſſio donec alimenta coquantur, & cruditates deſcendant, vel abſumantur. Idem ſentit Auerroës 7. *collectaneorum, cap.*1. Si enim eo tempore venam ſeces, ex prima regione ad ſecundam venæ exinanitæ attrahunt cruditates, quæ ſunt cauſæ obſtructionum, & maiora mala inferunt. Si verò coctionem earum cruditatum ſpectes, quia crudis humoribus debetur coctio, differtur remedium magnum, nempe ſanguinis miſſio, & morbus adaugetur, eo quod neque illius detrahimus cauſam, neque obſtructiones, quæ putridini occaſionem exhibent.

In hoc ergo conflictu, quid agendum? Vtemurne clyſtere? Bene quidem; ipſe tamen ea quæ in inteſtinis ſunt, ſubducere poterit, verùm ea quæ in venis iuxta iecur, & meſenterium, & in ventriculo continentur, nequaquam attinget, neque forſan
D vomitu poterunt euacuari. Ergo neceſſariò vtemur medicamento lenienti, quo blandè huiuſmodi cruditates euacuentur. Quapropter dum Medicus ex ægri relatu, & per alia ſigna agnoſcit clyſtere non poſſe deponi cruditates, & non oportet curationem differre, ſtatim leni vtetur medicamento.

Sed obiicies ex Gal. 4. *de ſanitate tuenda, cap.* 5. *in principio*, vbi agens de humoribus vitioſis, & crudis circa iecur, & meſenterium, inquit: *Deiectio verò in talibus tormina, & eroſiones creat, animique deliquia, nec notatu dignum quidpiam educit, quando crudi omnes ſucci pigri, atque ad motum inepti, propter craſſitudinem, frigiditatemque ſunt; quo fit, vt etiam omnes anguſtas vias obſtruant, per quas id, quod medicamentum deiicit, ferri ad aluum debeat. Itaque neque ipſi educuntur, & aliis ſunt impedimento.* Vbi quamlibet purgationem interdicit, ibique iubet homines ſeruare inquietos, & attenuantibus, & inſcindentibus

humores

humores præparare citra manifeſtum calorem.

Admittimus Galeni doctrinam in ſanis hominibus, quia ibi Galen. agit de ſanitate tuenda, vel de hominibus lapſis ſine febre; non verò poteſt eſſe vniuerſalis hæc doctrina in omnibus, ſiquidem morbus poteſt eſſe acutus, ita vt non præbeat expectandi inducias, neque ſit tempus ad humores præparandos; tuncque non erit tutum ſanguinem mittere, quia facilè humores crudos in meſenterio, & prima regione contentos venæ exinanitæ attrahent, nouaſque parient obſtructiones, quæ erunt intenſioris putredinis cauſæ. Neceſſariò ergo huiuſmodi cruditates medicamento blando ſunt euacuandæ; quod cùm non attrahat ex diſtantiſſimis partibus, neque obſtructiones gignit, neque animi deliquia excitat, ſed ſolùm quæ in prima regione ſunt, maxima cum ſecuritate euacuat. Neque obſtat humorum pigritia ad motum, & eorum craſſities; nam medicamento illo blandè, & leniter à tunicis & venulis illis extrahuntur, neque tormina inteſtinorum nimis infeſtant; magis enim infeſtabunt humores, ſi intrà detenti putrefiant à calore febrili, vel rapiantur ad ſecundam regionem. Fatemur quidem, tutius fuiſſe ipſos humores attenuare, & concoquere, deinde eos euacuare; ſed vrgente morbo haudquaquam poteſt eorum euacuatio differri, ſicque cogimur eam efficere, eamque quotidie feliciſſimo euentu exercemus; & maximè hic curandi vſus præualet apud peritos Medicos huius vrbis Pintianæ, in quem vſum vti ſolemus ſyrupo Principis, qui ſuauiter omnes ventriculi, & totius primæ regionis cruditates deponit. Idem præſtat etiam ſyrupus Regius, vel manna electa in decocto Pugini diſſoluta, vel pulpa caſſiæ in morſellorum forma, vel in eodem decocto liquata; quæ remedia ſuâ virtute ſecundam regionem fermè non attingunt, niſi ſucceſſione ad id, quod euacuatur, aliquid humoris ex ſecunda regione confluat, & quod magis eſt, hoc vtili remedio plures febres abſtuli, tranſactaque purgatione ad remiſſiorem ſtatum deductæ fuere.

Hæc mihi videntur ſufficere iis, qui rationi ſunt addicti, & proteruiam fugiunt; aliis verò, neque aliæ rationes validiores erunt ſatis. Reſtat ergo ſolùm argumentis in contrarium pro prima ſententia ſatisfacere.

Ad primum reſpondetur, illud præceptum Hipp. *Concocta medicari atque mouere, & non cruda*, non eſſe vniuerſale, vt dictum eſt, ſed ſolùm comprehendere purgationem radicatiuam, quæ debetur humoribus turgentibus, aut coctis; non tamen comprehendit purgationem minoratiuam, quam vrgenter exercemus. Et eodem modo reſpondetur ad ſecundum deſumptum ex Hippoc. 1. *aphoriſm. text.* 24.

Ad tertiam rationem deſumptam ex inflammatione dicimus, quod regulariter ſemper id eſt obſeruandum; tamen quia coactè natura humorem crudum aliquando ſeparat, & euacuat, quia nimis irritans eſt, vt patet in euacuationibus ſymptomaticis, ſimili modo Medicus quandoque naturam æmulatur, & in principiis medicamentum purgans cogitur exhibere. Ad quartam reſpondetur, quod ibi loquitur Hipp. iuxta ordinem regularem, tunc enim expectatur coctio; tamen cogimur ſæpè ante coctionem euacuare: quare vrina exiſtente cruda, purgans offerimus medicamentum. Ad quintam, ſextam, ſeptimam, octauam, & nonam rationes eodem modo reſpondetur; nam in omnibus illis agunt Authores de purgatione radicatiua, & regulari, non verò de minoratiua, & coactè facta.

Ad decimam reſpondetur, verum eſſe quod probat argumentum, tamen quando humores ob aliquam rationem ex dictis non poſſunt concoqui, petunt euacuari ſecundùm aliquam partem: deinde humor, qui remanet, debet concoqui, ad cuius coctionem quietem optamus.

Ad vndecimam, corpus diſponitur ſecundum eſſe poſſibile, vt expurgetur; ſed quia maius periculum imminet, ſi expurgatio non fiat, cogimur expurgare pauca præcedente diſpoſitione.

Ad rationem Fallopij reſpondetur, aliquam intereſſe ſimilitudinem inter humorem crudum, & medicamentum purgans, quæ eſt ſufficiens ad illius euacuationem.

Ad vltimum reſpondetur, quod medicamenta purgantia, quibus hoc æuo vtimur, ſunt benigna, neque ita calida, & ſicca, ſicuti ea quæ apud priſcos Authores erant in vſu: & licèt ob calorem, & ſiccitatem aliquantulum lædere poſſunt, maior vtilitas ſequitur ex eorum adminiculo, quatenus euacuant aliquam partem humoris febrem efficientis. Et licèt per ſe lædere parum valeant, ex accidenti tamen multùm proſunt, ſiquidem maximam portionem humoris peccantis euacuant.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrum euacuationes ſymptomaticæ aliquando poſſint eſſe vtiles.*

IN anteacta quæſtione quoddam adduximus argumentum, quo probare intendimus, euacuationes ſymptomaticas vtiles eſſe poſſe; & inde inferebamus nos etiam quandoque naturam imitando, euacuationes medicamento purganti eſſe mouendas; crudâ exiſtente materiâ; ſed quia hoc nimis difficile, & neceſſarium eſt in praxi, ideò hanc excitamus quæſtionem; nam ſi nullam vtilitatem adferunt, ſunt in febribus coërcendæ; ſi verò vtiles cenſentur, finendæ, aliquando iuuandæ, dum ſcilicet natura eas pigrè efficit.

Pro huius tamen quæſtionis examine noto primò, quod euacuatio dicitur ſymptomatica, quia eſt euacuatio quædam, quæ morbum ſequitur, & fit ex irritamento cauſæ morbificæ, quæ cogit naturam euacuare humorem eo tempore, quo deberet retineri; & ob hanc rationem Galenus 4. *aphor. comment.* 22. inquit, quod in iis euacuationibus nihil excernitur naturæ ratione, ſed ſunt caſus earum diſpoſitionum, quæ ſunt in corpore præter naturam; quæ quidem quadrupliciter fieri poſſunt. Quædam enim eſt euacuatio ſymptomatica toto genere præter naturam, vt fluxus ſanguinis ex naribus: alia non toto genere, ſed multitudine, vt ſi quis per vomitum, aut per aluum aliquem humorem deiiciat. De iis duabus euacuationibus mentionem fecit Galen. *libro de ſectis, ad eos qui introducuntur, cap.* 18. Alia eſt euacuatio ſymptomatica, quæ deſumitur ex qualitate eorum, quæ euacuantur, vt ſi morbus procedat ex bile, & loco illius euacuetur pituita, aut alius humor à bile diſtinctus, talis euacuatio dicitur ſymptomatica ratione qualitatis humoris, qui euacuatur. Hanc euacuationem, ſicuti eam quæ quantitate excedit, complexus fuit Hippoc. 1. *aphoriſm. textu* 23. dicens: *Deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur, qualia conueniant, &c.* Alia denique euacuatio ſymptomatica dicitur, quæ ante coctionis tempus aduenit, in qua humor noxius euacuatur; quæ differt ab euacuatione critica eo, quod

fit ante ſtatum morbi,& ſine ſignis perfectæ coctionis; & vltra hoc fit cum maiori virium diſpendio, quia nondum eſt ſeparatus humor vitioſus ab vtili; de qua loquitur Hippoc.4. *aphoriſm.text.* 22. inquiens. *Incipientibus morbis, ſi atra bilis ſuprà, vel infrà exierit, lethale.*

Noto ſecundò, quod in præſenti non eſt ſermo de euacuatione ſymptomatica ratione qualitatis humoris, neque de immodica euacuatione, cùm certum ſit, quod huiuſmodi euacuationes ſunt cohibendæ. Senſus ergo quæſtionis eſt, an illa euacuatio, quæ ſolummodò ratione temporis ſymptomatica appellatur, per quam humor morbum producens euacuatur, aliquando prodeſſe poterit; quæ quidem contingit ſæpe, vel in principio vniuerſali febris, vel in illius augmento, ad differentiam euacuationis criticæ, quæ in ſtatu, aut poſt ſtatum ſuperuenit.

In qua re pro parte negatiua ſunt non contemnenda fundamenta; in primis enim extat Hippoc. ſententia 2. *de morbis popularibus*, vbi inquit: *Decretoria non decernentia partim lethalia, partim difficilis indicationis.* Huiuſmodi ſunt euacuationes ſymptomaticæ: ergo prodeſſe nequeunt. Et id probatur ex Galen. 4. *aphoriſm. comm.* 22. vbi inquit: *Quo enim tempore natura grauatur à cauſis morbum facientibus, adeſt tunc cruditas humorum, & aliquid bene euacuari eſt impoſſibile.* Et rurſus ſubdit: *Si aliquid euacuetur ſine ſignis coctionis, exitialis eſt caſus.* Et 4. *aphoriſm. comm.*1. ait: *Cùm aliquid excernitur caſus ratione, neque inde vtilitas vlla prouenit, talis euacuatio prauæ affectionis eſt ſignum.* Et *comm.*21. inquit: *Quare ab initio quidem nunquam ad bonum finem fiunt huiuſcemodi deiectiones.* Hoc etiam colligitur ex Hipp. 4.*aphoriſm. textu* 22. ſiquidem ait: *Incipientibus morbis, ſi atra bilis ſuprà, vel infra exierit, lethale.* Idque rurſus comprobat Galen. 2. *de humoribus*, *text.* 14. vbi cùm dixiſſet Hippoc. *Iudicantia in melius non ſtatim apparent*; Galenus *in comm.* ait: *Iudicari in principio nullus poteſt.* Et ſtatim in ſui dicti confirmationem ſubdit: *Quare neque ſudores, neque vomitus, neque alui profluxiones, neque parotides, neque ſanguinis profluuia, quæ in principio apparuerunt, morbum indicant.* Verum hæc omnia, & tanquam cauſæ, & tanquam ſigna, vtilia non ſunt. Idemque ſtatuit. 4. *aphoriſm. comment.* 46. vbi agens de rigore adueniente ægro iam debili exiſtente, inquit quod rigor eſt malum vt cauſa, quia vim corporis tangit, & debilitat; eſt etiam malum vt ſignum, quia ſignificat vltimam virium imbecillitatem, cuius ratione vires non poſſunt euacuationem tentatam efficere.

Rationibus etiam ſuadetur hæc aſſertio primò; nam non aliâ de cauſa iubet Hippoc. non eſſe cruda, & incocta euacuanda, niſi quia vt feliciter ſuccedat expurgatio, requiritur vt antecedat eorum coctio: ergo cùm euacuationibus ſymptomaticis non ſint humores concocti, non poteſt feliciter ſuccedere, ac per conſequens euacuationes illæ non poſſunt eſſe vtiles.

Secundò,nam ſi huiuſmodi euacuationes aliquam præſtarent vtilitatem, maximè vt cauſæ, vel vt ſigna: ſed nullo modo:ergo non poſſunt eſſe vtiles. Maior ab omnibus admittitur, minorem probo quoad vtramque partem. Non poſſunt adiuuare vt ſignum,nam omnia ita ſignificant, qualia ſunt,bona benè,mala malè;ſed omnis euacuatio ſymptomatica eſt mala vt ſignum,ſiquidem eſt ſignum prauæ affectionis:ergo vt ſignum nequit adiuuare. Et confirmatur, nam illa euacuatio ſymptomatica eſt præter naturam,& naturæ leges peruertit: quidquid enim

A eſt præter naturam, quia malum, petit ſui ablationem; quod non eſſet admittendū ſi prodeſſe poſſet. Quod verò ſit mala vt cauſa,probatur.Nam immodicè vires deiicit:ergo eſt mala vt cauſa. Antecedens probo, nam per illam ſecernitur bonum cum malo, ſiquidem ante coctionem malum non eſt ſegregatum à bono. Vt ergo euacuatio ſit accommoda,debet eſſe humoris inutilis; ſi verò vtilis cum inutili confunditur, & vtrumque ſimul excernitur,eſt impoſſibile, quod talis euacuatio non cauſet virium debilitatem, & quod ſit vtilis.

Tertiò,euacuationes ſymptomaticæ ſolùm iuuāt dum vires conſtant: ergo ſolùm ſunt vtiles ratione conſtantiæ virium:ergo non ratione ſui.Prima conſequentia probatur, nam eademmet euacuatio ſymptomatica,ſi ſuperueniat viribus debilibus,maximè nocet:ergo in tantum habet eſſe vtilem,in quantum ſuperuenit viribus conſtantibus:ergo vtilitas illius
B deſumitur ex virium conſtantia potiùs, quàm ex ſymptomaticæ euacuationis natura.

Confirmatur;nam aliæ euacuationes ſymptomaticæ diſtinctæ ab eis, quæ ratione temporis tales dicuntur, vt illa, quæ in immodica quantitate fit, aut ea, quæ toto genere eſt præter naturam, ſolùm proſunt quando vires conſtant: ergo ſimiliter in euacuationibus iis intempeſtiuè factis vtilitas aduenit ex virium conſtantiâ: ergo non ex earum natura.

His tamen dimiſſis ſtatuitur 1. concluſio. Euacuationes ſymptomaticæ aliquando vtilitatem præſtant, & in ægrotantis commodum fiunt.Hæc concluſio rationibus, & obſeruationibus probatur. Hipp.namque 3.*epidim.ſect.*1.*ægroto* 3.ait,quod æger ille, qui in Dealcis horto decumbebat,decimoſeptimo die ſudauit cum ſignis cruditatis, & per ſudorem meliùs ſe habuit, qui quidem quarto die fuit
C iudicatus, & benè.1.*etiam epidim. ſect.*3.*ægroto* 7. *in hiſtoria Metonis*, cùm ipſe quarto die habuiſſet vrinam ſubnigram, & ſedimentum ſubnigrum,illi ſanguis ex naribus erupit,& ſudauit,& iudicatus fuit, hoc eſt,meliùs ſe habuit. Eodem etiam libro,*ſect.*3. *ægroto* 12. refert ægrotum illum octauo die cum ſignis lethalibus rigore fuiſſe correptum, & ſudaſſe calidum, & à febre liber viſus fuit.

*Tertio epidim. ſect.* 3. *ægroto* 12. *in hiſtoria virginis Lariſſæ*, habebat vrinam tenuem ſine ſubſidentia, & ſexto die è naribus multùm fluxit, inhorruit, ac mox ſudauit toto corpore multum, & calidum, & liberata fuit. Ægrotus etiam 10. eiuſdem ſectionis, Nicodemus Abderæ vrinam habens albam,multùm ſudauit vigeſimo, poſtea vigeſimoquarto criticè per alium ſudorem iudicatus fuit.Sed quid exemplis moror, cùm ferè nullus ex iis,quos in hiſtoriis epidimialibus refert Hippoc. liberatus fuerit, ad ſta-
D tumque ſui morbi, & veram terminationem deuenit, quin aliqua euacuatio ſymptomatica præceſſiſſet, in cuius virtute potuit exonerata natura ad morbi vigorem peruenire, & illius victoriam reportare. Falluntur igitur qui dicunt raro huiuſmodi euacuationem ſymptomaticam vtilem eſſe poſſe, cùm millies apud Hipp. imò apud omnes qui veritatem confitentur, contrarium ſit obſeruatum.

Sed dimiſſis obſeruationibus, rationibus noſtram concluſionem comprobemus. Primò ſi hæc euacuatio ſymptomatica non poſſet adiuuare, maximè quia per illam ſimul euacuatur noxium, & innoxium, ob irritationem inductam à cauſa morbifica. Sed hæc ratio eſt nulla: ergo poteſt adiuuare. Maior videtur certa, nam ſi ſolùm euacuaretur cauſa morbifica, nulli dubium foret, quod talis euacuatio eſſet vtilis: ſi ergo lædit,maximè quia ſimul quod vtile eſt, excernitur. Minor etiam probatur, nam

nam ſanguinis miſſio euacuat ſimul noxium cum innoxio; & tamen maximè confert: ergo hoc non eſt denegandum euacuationi ſymptomaticæ.

Secundò, euacuationes arte factæ in morbi principio, & augmento adiuuant naturam, vt anteacta quæſtione probauimus ex mente Gal. 2. *aphor. comment.* 29. & ex Auic. *fen.* 4. *lib.* 1. *doct.* 1. *cap.* 3. ergo quæ fiunt euacuationes eiſdem temporibus ab ipſa natura, poterunt adiuuare illam; non enim minus euacuant humorem vitioſum, quàm ſi ex arte euacuaretur.

Tertiò, copia humoris ſymptomaticè euacuata, ſi intrò detineretur, poſſet ſuffocare, & ægrum perdere: ergo euacuatio illius humoris, etiamſi ſit ſymptomatica, in bonum ægrotantis aduenire poteſt. Antecedens patet; nam illa multitudo materiæ intrà detenta, ob eius copiam, & prauam conditionem non poſſet regulari: ergo in minori quantitate regulabitur: ſed quantitatem minorem reddit euacuatio ſymptomatica: ergo confert ipſi naturæ.

Quartò, ſi ob aliquam aliam rationem talis euacuatio non eſſet vtilis, ideò eſſet, quia humor, qui euacuatur, eſt crudus, & non regulatus à natura: ſed hoc non obſtat, vt patet in humoribus turgentibus, qui crudi vtiliter euacuantur: ergo hæc euacuatio intenta à natura vtilis eſt habenda; ſi enim humores turgentes natura non ſolùm moueret, ſed euacuaret, ea euacuatio ab omnibus laudanda foret; imò cum minori virium diſpendio fieret, quàm ſi medicamento purganti ſubducerentur humores; ſic enim euitarentur incommoda, quæ ex humore turgenti adduxit Galen. Ergo cùm plura incommoda etiam ſequi poſſint naturæ in præſentia prauorum humorum, quos nequit ipſa corrigere, ſi illorum aliqua portio euacuetur, à natura proculdubio reſiduum illorum melius ſuſtineri, & corrigi poterit.

Vltimò ex Galen. 1. *de arte curatiua ad Glauconem*, *cap.* 14. vbi agens de euacuationibus ſymptomaticis, ait: *Quod ſi fuerit febris cum ventris profluuio, non eſt opus alia euacuatione, ſed potius illi fidendum eſt, quamuis non ſit pro multitudinis ratione, & ſola ſufficit.* Iam ergo ſequitur, quod aliquo modo confert, & quod euacuationes ſymptomaticæ vtiles eſſe poſſunt.

Secunda concluſio, euacuationes ſymptomaticæ ſunt vtiles, quando vires ita validæ ſunt, vt factâ euacuatione remaneant ſufficientes ad coquendas reliquias humoris remanentis. Hæc concluſio eſt iuxta mentem Valleſ. 5. *controuerſ. cap.* 3. eamque tenent Matthæus Siluaticus *controuerſ.* 23. Trincau. *tract. de febre peſtilenti*, *fol.* 153. & alij omnes, qui minoratiuam admittunt purgationem. Et rationibus probatur. Primò virtute forti exiſtente, æger tolerat diſpendium contractum ratione euacuationis ſymptomaticæ, in qua vtile ſimul cum inutili excerni ſolet: ergo bonitas huius euacuationis ſtabit in tolerantia, & conſtantia virium. Patet conſequentia à contrario ſenſu; nam euacuationis malitia conſiſtit in diſpendio virium cauſato ab euacuatione vtilis cum inutili: ergo bonitas huius euacuationis ſtabit in conſtantia virium potentium tale diſpendium ſuſtinere, & illi reſiſtere. Confirmatur. Vt aliqua fiat vtilis euacuatio, requiritur conferentia, & tolerantia, ita vt ſi aliquid horum deficiat, non poſſit dici vtilis, vt ex quamplurimis Hippocratis, & Galeni locis conſtare poterit: ergo vtilitas huius, ſicuti & alterius euacuationis, deſumi debet ex tolerantia, ſeu virium conſtantia ad ſuſtinendam talem euacuationem, & virium diſpendium cauſatum ex illa.

Secundò. Si ſolùm quod eſt morbi cauſa, per aliquam regionem euacuaretur, talis euacuatio eſſet inutilis, ſi vires talem euacuationem tolerare non poſſent ſolùm ob virium languorem: ergo bonitas euacuationis ſtare debet in virium conſtantia talem euationem ſuſtinentium.

Tertiò: Bonitas euacuationis ſymptomaticæ duo petit, & quod euacuetur portio humoris febrem producentis, & quod natura ſuperior ſupra reſiduum relinquatur: ſed hæc bonitas adeſt dum vires ſunt conſtantes: ergo bonitas euacuationis ſymptomaticæ petit virium conſtantiam, & robur.

Ex dictis facilè colligimus, quare aliquæ euacuationes ſymptomaticæ ſint vtiles, aliæ verò minimè; illæ enim, quæ fiunt cum virium firmitudine, & robore, & tolerant virium diſpendium ex talibus euacuationibus cauſatum, faciuntque ob virium conſtantiam, quòd non multùm de vtili cum inutili euacuetur, vireſque remaneant ſufficientes ad ſuperandam materiam derelictam, iſtæ quidem euacuationes dici debent vtiles; at verò illæ, quæ fiunt cum virium debilitate, inutiles iudicantur, quia ob virium languorem multùm de vtili, quod non poteſt retineri, excernitur cum inutili: ſunt equidem vires morbo inferiores, faciléque ſuccumbunt, neque poſſunt euincere, neque concoquere humoris reſiduum, deficiuntque in itinere antequam morbus ad ſtatum perueniat. Quod quidem experimur in ſudoribus diaphoreticis, & in fluxibus colliquantibus, in quibus natura ſimul cum morbo deficit. Quam doctrinam inſinuauit Galen. 4. *aphor. comm.* 2. dum ait: *Cùm itaque natura ſuperfluum euacuat, iuuatur animal; cùm verò alioquin excernitur caſus ratione, neque inde vtilitas vlla prouenit, talis euacuatio prauæ diſpoſitionis eſt ſignum, &c.* Quibus verbis oſtendit, quod quando natura ob virium robur aggreditur euacuationem, veluti agens, & efficiens illam, tunc quidem iuuatur animal, quia ſignum eſt, quod vires conſtant, quæ vtile retinent, & noxium ſeparant, & expellunt, aut ſaltem de vtili parum euacuant. Verumtamen quando natura quaſi paſſiuè ſe habet, ita vt non poſſit actiuè operari, & ob virium languorem ſubiicitur morbo, tunc quidem non mirum ſi nulla ex tali euacuatione ſequatur vtilitas, & mors inde adueniat.

His igitur ita intellectis, reſtat ſolùm ad Authores, & fundamenta reſpondere. Ad primum ex Hipp. in quo aſſerit, decretoria non decernentia partim eſſe lethalia, partim difficilis iudicationis; reſpondetur dupliciter. Primò, ibi non dixiſſe abſolutè, & ſimpliciter, eſſe lethalia, quia licèt vt ſigna prauam denotent affectionem, & materiæ multitudinem, & illius prauam conditionem, quæ longo tempore eget ad ſui correctionem; cum hoc tamen vtilitatem quandam præſtare poſſunt vt cauſa, quatenus per illam aliquid cauſæ morbificæ euacuatur, ex qua euacuatione fit, vt natura minùs oppreſſa, quod remanet cauſæ morbificæ, ſuperet.

Vel ſecundò reſpondetur, quod iſtæ euacuationes difficilè iudicant, factâ comparatione ad criticas, quæ ſtatus tempore fiunt; quia iſtæ carent conditionibus, quibus abundant illæ; non tamen indè infertur, quod ſaltem imperfectè non iudicent, licèt minùs ſecurè, cum aliqua tamen ægri vtilitate. Ad Galeni locum ex 4. *aphor. comm.* 22. reſpondetur, quod ibi agit de euacuationibus criticis, reſpectu quarum ſi aliqua euacuatio fiat cum ſignis cruditatis, eſt impoſſibile, quod ſit bona eâ bonitate

abſolutâ, & perfectâ, quæ datur in euacuatione critica; non tamen negat, quod habeat ſaltem bonitatem quandam, licèt reſpectiuè dicatur mala, & exitialis. Et eodem modo reſpondetur ad alia loca ex Gal. deprompta. Et ad locum de humoribus reſpondetur, quod huiuſmodi euacuatio vt ſignum ſemper eſt mala, quia vt dixi, malam, & deterrimam ſignificat affectionem. Similiter ſemper eſt mala vt cauſa, non tamen eſt abſolutè mala, vt ea euacuatio, quæ accidit in mala criſi, per quam æger tendit in mortem; ſed ſolùm eſt mala, quatenus maiorem virium iacturam facit, quàm euacuatio ſalutaris, quæ criticè fit in morbi ſtatu. Sed quia aliquam morbi cauſam euacuat, & vires permanent ſufficientes vſque ad morbi vigorem, & poſſunt materiam remanentem euincere, dicitur quodammodò bona: neque mirum, quod idem diuerſimodè acceptum, boni, & mali rationem ſubeat. Ad vltimam Galeni authoritatem deſumptam *ex 4. aphoriſmorum, comm. 49.* vbi ait, quod rigor in febre ardenti ſuperueniens ægro iam debili eſt malus vt ſignum, & vt cauſa; vt ſignum, quia ſignificat maximam virium debilitatem, quæ non poſſunt humorem motum expellere; vt cauſa etiam eſt malus, quia ex vi concuſſionis factæ in rigore nimis debilitatur natura, ſicque non poteſt illam motionem, & irritationem ferre; quapropter ex vtroque capite deficit æger: nos autem in præſenti non loquimur de quacumque euacuatione ſuperueniente tempore cruditatis morbi, ſed potiùs de illa, quæ ſuperuenit viribus conſtantibus, & quæ poſſunt ad morbi ſtatum vſque ſupra morbum perſeuerare.

Ad primam rationem reſpondetur diſtinguendo conſequentiam: non poteſt feliciter ſuccedere euacuatio crudâ exiſtente materiâ, ea felicitate, & ſecuritate, quæ accidit materiæ coctæ, concedo conſequentiam; non poteſt feliciter ſuccedere, ita vt non poſſit aliquam vtilitatem præſtare, nego conſequentiam: nam vtilis eſt, quatenus euacuat humorem noxium, & minorem reddit materiam morbi, vt ſic poſſit à natura ſuperari.

Ad ſecundam reſpondetur concedendo, quod vt ſignum euacuatio ſymptomatica eſt bona, quia oſtendit euacuari humorem noxium, licèt ſit mala quatenus eſt ſignum prauæ affectionis: neque ex eo, quod ſit præter naturam, ſtatim petit ſui ablationem; nam poſſunt eſſe alia fortiora, quæ illius ablationem impediant, vt patet in curatione febris humoralis, quæ eſt affectus præter naturam; & tamen non poſſumus eam auferre, niſi priùs cauſam detrahendo. Similiter ſi conuulſioni ſuperueniat febris, non ſtatim pugnamus aduerſus febrem, imò licet eam conſeruare: quare licèt euacuatio illa ſit mala vt ſignum, cùm ex accidenti ſit bona, non licet ſtatim eam auferre, imò ſæpe eam adiuuamus, vt in ſequentibus dicemus: ſi verò euacuatio hæc conſideretur vt cauſa, poteſt quodam modo eſſe bona, præſertim dum vires conſtant ad ſuperandam morbi materiam. Neque bene colligitur malitia huius euacuationis, quia humor vtilis euacuatur ſimul cum inutili; nam ſi vires validæ ſint, vtile retinent, & parum de illo excernitur.

Ad tertiam reſpondetur concedendo antecedens, videlicet quod euacuationes ſymptomaticæ ſolùm proſunt dum vires conſtant; diſtinguimus tamen conſequentiã; ſunt ſolùm vtiles ratione conſtantiæ virium, attenta euacuatione inutilis, quod euacuatur, concedo conſequentiam; ſunt ſolùm vtiles ratione conſtantiæ virium, non attentâ euacuatione inutilis, nego conſequentiam. Ratio eſt, quia

A ſi euacuatio fieret viribus conſtantibus, & per illam humor noxius non euacuaretur, nequaquam poſſet eſſe vtilis: requiritur ergo non ſolùm conſtantia virium ad ferendum diſpendium ex euacuatione procedens; ſed etiam quod euacuetur humor noxius morbum faciens. Quapropter dicitur ab Hippoc. quod euacuationes iuuant, quando talia deiiciuntur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Tolerantia igitur in euacuationibus deſumitur ex viribus ægri; conuenientia verò accipitur ex qualitate humoris, qui euacuatur, qui morbum producebat. Ex quibus duabus cauſis procedit bonitas euacuationis, quarum ſi vna deficit, haudquaquam euacuatio prodeſt; ſi verò ambæ concurrant, euacuatio non poteſt non eſſe bona, etiamſi fiat cum ſignis cruditatis, vt docet Hippoc. *1. aphoriſm. textu 2. & 25.* & *4. aphoriſm. textu 3.* vbi bonas appellat
B euacuationes, quæ fiunt cum conferentia, & tolerantia, nullâ habitâ conſideratione, an materia ſit cocta, vel cruda.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrum euacuationes ſymptomaticæ ſint iuuandæ, vel cohibendæ.*

Ex anteacta quæſtione præſens infertur diſputatio, quæ in praxi maximum habet locum, & in curatione febrium putridarum quotidie ſe offert. Pro qua intelligenda ſuppono primò, quod hîc non agimus de ea euacuatione ſymptomatica, in qua euacuatur humor vtilis, qualis eſt ille, qui
C non cauſat morbum, vt contingere ſolet in febribus colliquantibus: neque agimus de euacuatione, in qua licèt euacuetur humor peccans, euacuatur tamen immodicè, ita vt vires deiiciat: neque eſt noſter ſermo de iis euacuationibus, in quibus etſi humor noxius euacuetur, plurimùm vtilis ſimul cum illo expellitur; vt patet in ſudoribus diaphoreticis, & ſyncopticis; nam certum eſt, quod omnes huiuſcemodi euacuationes ſunt cohibendæ, ſiquidem neutiquam prodeſſe poſſunt; imò omnes virium exſolutionem cauſant, & conſequenter mortem. Eſt ergo noſter ſermo de illis euacuationibus, quibus euacuatur cauſa morbi ante coctionis tempus, quæ quidem ratione temporis ſolummodò ſymptomaticæ vocantur, de quibus diximus antecedenti quæſtione, quod aliquando proſunt. Quia ergo contingere poteſt, quod natura efficiat hanc euacuationem diminutè, ita vt cenſeat Medicus, quod ſi in vberiori quanti-
D tate fieret, maiorem etiam vtilitatem præſtare poſſet, eo quod vires talem euacuationem ferre valent, & vltra hoc materiæ morbificæ reſiduum concoquunt, & vincunt; de hac igitur euacuatione ſic intellecta meritò dubitant Medici, an adiuuari debeat, vel coërceri.

Secundò ſuppono, quod ſi ex tali euacuatione vires debilitarentur, ita vt timor ſit, quod non poſſint durare vſque ad morbi ſtatum, licèt talis euacuatio conferat, quatenus humorem noxium euacuat; quia tamen eam euacuationem non tolerant vires, ſtatim eſt cohibenda, & neutiquam adiuuanda: nam vt euacuatio ſit bona, vtramque petit conditionem, vt dictum eſt, videlicet quod conferat, & natura facilè ferat: neque ob aliam cauſam Hipp. vtramque conditionem fuit amplexus, vt conſtat ex fine quæſtionis antecedentis.

His

His igitur ſuppoſitis, prima ſententia tenet, hanc euacuationem nunquam eſſe adiuuandam. Hæc ſententia tribuitur Siluatico *controuerſ.* 27. qui in fine controuerſiæ exiſtimauit in cutis efflorefcentiis, & maculis circa cutem apparentibus, non eſſe vtendum cucurbitulis, ne fieret humoris maculas producentis ad cutem attractio. Hoc dictamen ſequitur Capibazeus 1. *aphoriſm. comm.* 20. Hæc ſententia comprobatur iis rationibus, & authoritatibus, quibus in præcedenti quæſtione probare intendebant, euacuationes has nunquam vtiles eſſe poſſe; ſi enim vtiles non ſunt, ſed potiùs lædunt, neque erit vtile, ſed noxium eas iuuare: quapropter vt inutiles ſunt detinendæ. Quæ probatur vlteriùs ex difficili Galeni loco 1. *de arte curatiua ad Glauconem*, *cap.* 14. vbi de euacuationibus ſymptomaticis inquit, non eſſe adiuuandas. Verba eius ſunt hæc: *Neque ſi fuerit febris cum ventris profluuio, eſt opus alia euacuatione, verùm hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione; quicumque enim his plus adimunt, fore neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut expurgare tentauerunt, in grauiora pericula ægros duxerunt, &c.* Quibus verbis docet, maiora, & grauiora pericula ſequi, ſi quis ſupra alui euacuationem aliam excitet, vel à natura inceptam adiuuet. Quod confirmauit Auicen. dicens: *Soluere ventrem ſupra ventris ſolutionem, timoroſum valde.* Ratio eſt, nam adhibito remedio euacuationem iuuante, poteſt contingere, quod euacuatio immodicè fiat, & vires nimis deiiciat, quod vtique eſt fugiendum. Præterea cùm omne præter naturam petat ſui ablationem per contraria, & euacuatio ſymptomatica ſit præter naturam, debet auferri per contraria: ergo non debet adiuuari.

His tamen non obſtantibus ſtatuo concluſionem primam. Euacuatio ſymptomatica, quæ non eſt ſufficiens, eſt adiuuanda. Hanc concluſionem tradit Trincauellus 1. *de arte curat. ad Glauc. c.* 14. §. *Neque ſi fuerit febris cum ventris profluuio*: & *de febre peſtilenti*, *folio* 153. *iam cit.* quem ſequitur Valleſ. 2. *lib. methodi*, *cap. vltimo*, & deſumitur ex Hippoc. 1. *epidim. ſect.* 3. *textu* 24. vbi Metonis hiſtoriam narrans aſſerit, Metonem fluxu ſanguinis narium fuiſſe correptum, diminuto tamen, & cum ſignis cruditatis, illumque adiuuit capitis lotionibus, quibus in maiori copia ſanguis effluxit, & meliùs ſe habuit. Galen. *in comm.* inquit, quod in hac hiſtoria duo docet Hippoc. 1. quod ad ſanguinis fluxum è naribus, capitis balneum multùm eſt potens. Secundò, quod per conuenientem regionem, per quam natura vergit, debemus ducere humorem, etiamſi intempeſtiuè euacuetur.

Secundò probatur ex eodem Hipp. & omnium conſenſu: Humores turgentes ſtatim ſunt euacuandi, ad quos expellendos natura incitatur; & quia non poteſt, indiget aliquo manum porrigente, vt humorem motum ad aluum deducat: ſed hoc eſt adiuuare, imò & excitare euacuationem ſymptomaticam: ergo euacuatio ſymptomatica eſt adiuuanda.

Tertiò ex Galen. 3. *de compoſitione medicamentorum ſecundùm locum*, *cap.* 3. vbi agens de parotidibus inquit, quod parotides non curantur ſicut inflammationes reliquarum partium, quantùm ad primam curationis partem; ſed potiùs dum fieri incipiunt, vtimur remediis attractoriis, quæ ſi non proſunt, accedimus ad cucurbitarum vſum: ergo cùm per parotides natura tentet euacuationem humoris peccantis, & expellere nitatur à parte nobili ad ignobilem, ſi talem expulſionem intempeſtiuè factam monet Galen. eſſe adiuuan-

A dam, clarè conſtat, quod euacuationes ſymptomaticæ ſunt adiuuandæ.

Quartò ex Galen. 1. *aphoriſm. comm.* 21. vbi ait: *Oportet itaque Medicum naturæ motum animaduertere; & ſi quidem idoneus fuerit, ei conuenit ſubminiſtrare, & adminiculari.* Sed iſtæ euacuationes ſunt aliquando vtiles, vt iam antecedenter probauimus: ergo conueniens erit eis ſubminiſtrare, & adminiculari, dum conſtat de earum imperfectione, & quod diminutè à natura fiunt.

Quintò, ſæpe incipit natura tranſmittere humorem in partem ignobilem; & tamen non poteſt, qua de cauſa ſuffocatur, vt Cratoni contigit, cuius hiſtoriam narrat Hippoc. 1. *epid. ſect.* 3. *ægroto* 9. Ergo ſi tunc ille humor tranſmitteretur, procul dubio æger liberaretur ab imminenti periculo ſuffocationis: ſed hoc conſequitur adiuuando naturæ motum per medica auxilia: ergo aliquando

B conuenit eam adiuuare in ſuis motibus, & euacuationibus adhuc ſymptomaticè factis; licèt enim humor ille non pellatur extra corpus, euacuatur tamen à parte nobili, & mittitur ad ignobilem, & hoc modo rationem ſubit euacuationis.

Tandem probatur quotidianis obſeruationibus. In febribus malignis, dum maculæ per cutem erumpere incipiunt, vtimur frictionibus, & cucurbitulis cum ſcarificatione, & ſine illa, ex quarum vſu magnum commodum ægri percipiunt, & quodam modo euacuatur humor ille malignus, nullâ expectatâ coctione: ſed hoc eſt adiuuare euacuationes ſymptomaticas, quas natura efficit, licèt pigrè: igitur ſunt adiuuandæ.

Secunda concluſio. Eadem die quâ conſtat de imperfectione euacuationis ſymptomaticæ, eam iuuare debemus. Hæc concluſio eſt contra Siluaticum, qui cenſet periculo plenum eſſe talem adiuuare euacuationem, ob timorem ſuperpurga-

C tionis; iudicat enim impoſſibile, quod Medicus poſſit præcognoſcere finem, ſeu ſtatum, quem ipſa eſt habitura euacuatio: experimur quidem ſæpè naturam pigrè, & ſegniter has mouere euacuationes, & paulò pòſt eas maximè adaugere. Similiter magno impetu concitari ſolent, deinde paulatim, & motu pigro fiunt, ita vt certè non poſſimus euacuationis quantitatem determinare, ac per conſequens impoſſibile apparet, quod tales adiuuemus euacuationes.

Sed hæc non obſtant, & ſic tuenda eſt concluſio, quam docent Tralianus, Capibazeus, & Valleſ. *locis ſuprà citatis*, vbi aſſerunt, quod morbi, & ſymptomata dum proſunt, ſunt ſinenda; & quandoque adiuuanda; imò ſi putantur vtilia, non ſolùm ſunt adiuuanda, ſed etiam ſi non fiunt, excitanda; & ex hoc non mirum, ſi aliquos morbos euellendo alios morbos ex arte producimus, qui-

D bus auxiliamur, ſæpeque efficere ſolemus ſectiones partium noſtri corporis, & ſcarificationes, vt ab aliis morbis grauioribus liberemur; ſic enim vomitum excitamus, & fluxum ventris promouemus, quando natura huiuſmodi euacuationes tentat, ſi Medicus agnoſcat ex eis aliquam ſequi poſſe vtilitatem. Quapropter eadem die, qua cognoſcitur turgentia, ſine mora adminiſtramus medicamenta purgantia: in bubonibus, & parotidibus malignis, & peſtilentibus illicò admouemus medicamenta ad extra humores ducentia; & in exanthematibus in cute apparentibus, ſtatim cucurbitulas admouemus, ſi percipimus naturam pigrè ſuum opus perficere: & in febribus tertianis, & quartanis, dum eſt propenſio ad vomitum, vomitiua ſtatim exhibemus auxilia. Hoc reſpiciens Galenus 9. *methodi*, *cap.* 5. docet, quod

natura euacuat, eſt ſufficiens, nihil eſt detrahendum, ſed totum opus naturæ permittendum; ſin minùs tantùm detrahes, vt ex ambobus perficiatur, quod poſtulas. Si huius concluſionis vlteriorem requiris probationem, probari poteſt eiſdem rationibus, quibus probatur euacuationem criticam non integrè factam eadem die eſſe adiuuandam, in qua conſtat de illius diminutione.

Hippocrates etiam eam inſinuare videtur in hiſtoria Metonis, vbi in fluxu diminuto ſanguinis narium, ſtatim lotionem capitis adhibuit. Sed quia Matthæus Siluaticus iudicat impoſſibilem eſſe cognitionem imperfectionis huius euacuationis, & conſequenter, quod non debet adiuuari; vt tamen nihil deſit quæſtioni, reſtat nunc hoc oſtendere, quod quidem non eſt multùm difficile inueſtigare, iuxta Galeni mentem 9. *lib. methodi*, *cap.* 5. *citato*, & *de præcognitione ad Poſthumum*, *cap.* 13. vbi ex impetu euacuationis, & copia eius, quod euacuatur, deprehendi docet; ſi enim euacuatio impetuosè fiat, non poteſt in non pauco tempore multùm effundere: quare ſi ei euacuationi aliquod addas, immodicam efficies, quod vtique fugiendum; nam euacuationes, ſicuti & alia, in principio paruiores eſſe debent, poſtea verò incrementum accipere. Quod ſi talis euacuatio debiliter, & remiſsè inceperit, non eſt illicò adiuuanda, etiamſi non ſit pro multitudinis ratione, vt inquit Galenus 1. *de arte curatiua ad Glaucon. cap.* & §. *à nobis citato*; nam poteſt adaugeri. Expectare ergo debemus illius incrementum; veruntamen ſi dum creſcere deberet, remiſsè, & lentè fiat, & Medicus agnoſcat aliquam eſſe conſequendam vtilitatem ex illa, eam quidem medicamentis adiuuare licebit, quia diminuta, & imperfecta cenſetur. Sed quia humor irritans leui adhibito medicamento veluti manum porrigenti poterit velociùs moueri, & magnam excitare euacuationem, ex Trincauelli conſilio tale medicamentum debet habere ſimul vim euacuandi, & corroborandi, ne ex illius vſu immodica ſupercriſis ſuperueniat. Neque debent eſſe ita fortia medicamenta, ſicut ea, quæ adhibentur ante inceptam euacuationem, ſed benigniora, & remiſſiora, vt doctè obſeruarunt Capibaceus, & alij. Quare in euacuatione tentata per aluum licebit ſolùm clyſterem iniicere, vt humor concitatus ad partem fluat.

Ex iis fit ſatis rationi Siluatici; nam licèt modo ſcientifico aſſequi non poſſit, an illa euacuatio, quam natura mouet, ſit ſufficiens, vel non, vel poſſit minui, aut augeri; non tamen probat, quod ſaltem non poſſit cognoſci artificiosâ coniecturâ, quæ maximè veritati appropinquat. Quare cùm in iis euacuationibus naturam habeamus adiutricem, ſi tamen ea non ſatisfacit, nihil vetat, vt auxiliis medicis adiuuetur.

Reſtat ergo ſolùm ad authoritates in contrarium reſpondere. Ad Galenum *in lib.* 1. *de arte curatiua ad Glauc.* dicimus nihil affirmare contra nos; nam in febre cum ventris profluuio non eſt opus alia euacuatione, etiamſi non ſit pro multitudinis ratione, quia talis fluxus poteſt incrementum accipere; & ne maior fiat, quàm oportet, quieſcere debet Medicus. Quod ſi coniecturâ quadam Medicus aſſequi poſſit, quod talis fluxus eſt profuturus diminutè, non erit abs re illi auxiliari.

Ad Auicen. reſpondetur, timoroſum valde eſſe ventrem ſoluere ſupra ventris ſolutionem; non tamen inde infertur, quod non poſſit ventris ſolutio adiuuari per artem, ſed ſolùm oſtendit, quod id fiat cum præmeditatione: imò & ipſe *fen.* 16. *lib.* 3. *capite de cura fluxus ventris*, illum curat alium per artem excitando fluxum; quod eſt ita rationi conſonum, vt Hippocrates 6. *epidim. ſect.* 2. *textu* 9. dicat fluxum fluxu, & vomitum vomitu curari debere, cui aſſentit Galen. *in comment.* Neque omne quod eſt præter naturam, ſtatim debet auferri per contraria, quia poteſt ab alio potentiori impediri. Vel ſecundò dicimus, quod euacuationem adiuuando, curatione per contraria vtimur; nam cùm tanta adeſt humoris abundantia, euacuatione, quæ redundantiæ opponitur, auferri debet.

---

## QVÆSTIO VII.

### *De tertiana exquiſita.*

INtermittentium febrium differentiæ numero tres traduntur à Galeno 2. *de differ. febrium*, *cap.* 2. quarum naturam, & curationem vniuerſalem antecedenti ſermone tradidimus: nunc autem accedimus ad curationem particularem cuiuſcumque febris, initium habentes à tertiana exquiſita, quæ eſt de numero intermittentium, vt ad alias deueniamus, quarum naturam, cauſas, ſigna prognoſtica, & curationem particularem breuibus amplectemur, vt tyrones faciliùs ea memoriæ commendent.

Eſt igitur tertiana exquiſita *Febris intermittens cum forti rigore inuadens, à ſincera bile procedens, repetens de tertio in tertium diem.* Hæc definitio eſt ſufficiens, facitque hanc febrem differre ab aliis. *Febris* ponitur loco generis, in quo conuenit cum aliis febribus: reliquæ particulæ locum habent differentiæ. Particula *intermittens*, eam differre facit à continuis febribus, quæ indeſinenter affligunt: per illam verò, *cum rigore inuadens forti*, differt à quartana, quæ à principio cum paruo rigore incipit.

Per illam particulam, *à ſincera bile procedens*, differt etiam à febribus non humoralibus, vt ab ephemera, & hectica. Per illam tandem particulam, *repetens de tertio in tertium diem*, differt à febre quotidiana, quæ quotidie repetit; & à febribus quartanis, quintanis, & ſimilibus, quæ aliis diebus repetunt, vt ſuprà dum de modò repetendi per circuitus egimus, dictum eſt.

Cauſa immediata eſt humor ſincerus bilioſus, qui quidem humor producitur ab alimentis calidis, & mordacibus, vt ſunt allia, cepæ, piper, ſynapis, vinum, præſertim antiquum, & ſimilia. His adiunguntur conſtitutio temporis calida, & ſicca, ratione cuius plures tertianæ febres fiunt, vt dictat Hippocrates 3. *aphor. textu* 21. Similiter ætas iuuenilis, & exercitium immoderatum, & quæcumque corpus calefacere valent.

Hæc febris facilè cognoſcitur; inuadit enim cum valido rigore, qui intenſior excitatur ab humore acri, vt ſuprà diximus; & quælibet acceſſio incipit etiam cum illo. Febris huius acceſſio tantùm ad duodecim horarum ſpatium prolongatur; breuior multò etiam eſſe ſolet pro ratione quantitatis, & qualitatis ipſius bilis; nam multa bilis longiorem facit acceſſionem quàm pauca; & craſſa, quàm tenuis: ad quod etiam maximè iuuat diſpoſitio, & vigor laborantis; vigor enim maior breuiorem efficit acceſſionem, quàm minor, quatenus citiùs euincit morbum, & cauſam morbificam expellit per ſudorem, per vomitum, vel infernam aluum. Præterea calor illius in primo manus

nus occurſu acris & mordax, deinde mitis apparet; ob humoris enim tenuitatem facilè euincitur à tactu. Similiter in rigore adeſt pulſus paruus, debilis; in augmento verò magnus, celer, & creber; in ſtatu tandem maiorem celeritatem, magnitudinem, & crebritatem comparat; & illum inæqualitatis, præterquam febrilis, expertem percipimus.

Ex vrina etiam hanc febrem deprehendimus; nam ipſa erit flaua, ruffa, aut ſubruffa. Circa hoc tamen aduertendum eſt, quod ſi humor magis vigeat in iecore, & venis, vrina magis flaua apparebit, quàm ſi extra venas, & ad ventriculum humor pellatur.

*Præſagium.* Quantùm ad præſagium ſpectat, ſcire oportet, hanc febrem eſſe ſecuriſſimam, ita vt ſeptenis circuitibus terminetur, quod tempus longiſſimum eſſe teſtatur Hippocrates 5. *aphor. text.* 59. & 1. *epidim. comm.* 3. *text.* 8. ait: *Tertiana exquiſita citò iudicatur, nec eſt lethalis.* Quod intelligi debet ſi omnia obſeruentur, tam ex parte Medici, quàm ex parte ægri, & aſſiſtentium.

*Dubium circa præſagium.* Sed non caret difficultate explicare, qua ratione citò febris hæc terminatur, cum dicat Hippocrates *lib. de natura humana: Tertiana eſt longior quotidianâ, & à minori bile fit.* Ex cuius verbis duo deducuntur; & quod tertiana ſit longior quotidianâ, quod eſt difficile intellectu, ſiquidem quotidiana pendet à pituita, quæ acceſſiones longas, & morbos diu perſeuerantes gignit: & quod tertiana fiat à minori bilis copia, quæ morbos breues, & acceſſiones, quæ citò finiuntur, ob reſolubilem bilis naturam procreat.

Reſpondetur dupliciter: primò illam doctrinam non eſſe Hippocratis, vt inquit Galen. Secundò, illa verba attenduntur reſpectu temporis interualli, quod datur inter vnam, & alteram acceſſionem, quod tempus in tertiana eſt longius, ſiquidem repetit de tertio in tertium diem; in quotidiana verò intermittenti parum durat quies, & interualli tempus, eo quod acceſſiones ſunt longiores, & quotidie repetunt, ſicque parum ægri quieſcunt, & febre vacant: & quia minor copia bilis eſt in cauſa ad hoc vt tardiùs, aut longiùs acceſſio repetat, ideo dicitur in litera, *& à pauciore bile gignitur:* non autem loquitur de ipſa febris duratione, cùm certum ſit, quod tertiana breuiùs, & citiùs quàm quotidiana terminatur: & quod ſit hæc illius Authoris mens, verba eius ſequentia oſtendunt, dum ait: *Quanto verò longiori tempore in tertiana corpus quieſcit quàm in quotidiana.* Quia ergo iis vltimis verbis Author ſuam exponit ſententiam, ambiguitatem omnem tollit.

Hîc ſolet inquiri, an febris hæc ſit morbus acutus? A qua quæſtione liceat mihi in præſenti diſcedere, vt breuiori diſcurſu, quæ pertinent ad eius curationem pertractemus.

Exiſtimo enim, quod morbus acutus præter magnitudinem, & celeritatem, quam petit, debet etiam habere ſibi adiunctum periculum, quod deficit tertianæ exquiſitæ, imò & cuilibet febri intermittenti, vt ait Hippocrates 4. *aphor. text.* 43. eſt enim febris hæc morbus breuis, celeriterque properat ad ſtatum; non tamen acutus, quia periculo vacat. Quod verò morbi acuti ſint periculoſi, docet Galen. 1. *de ratione victus, comm.* 8. & 3. *de diebus decretoriis:* & ex alia parte ſunt continui, vt ipſe ait 5. *aphoriſm. comment.* 30. & Hippoc. 1. *epidim. ſect.* 3.

## §. I.

### *Curatio tertianæ exquiſitæ.*

*Victus ratio.* Exquiſitam tertianam, vt quæ ex flaua bile dependet, refrigerantibus, & humectantibus curare debemus, vt monet Galen. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 9. Victus itaque debet eſſe refrigerans, & humectans. Aër ergo calidus, qualis eſt tempore æſtatis, arte attemperetur, myrtilorum, roſarum, necnon ſalicis frondibus, aut aceto, vel aqua roſarum irroretur, vel fiat artificialiter intra cubiculum fontanella, quæ continuò fluens aërem temperet. Animi paſſiones euitentur, præcipuè ira, & quæ corpus calefaciunt. Cibus ſit tenuis ſubſtantiæ, vt iura pullorum, cum ſucco arantij, vel limonis, lactuca cum aceto, & ſaccharo, borrago elixa, chicoreum, cucurbita, radix bugloſſæ & ſcortioneræ ſaccharo condita, & alia id genus. Aduertere tamen oportet, quod in ipſa acceſſione cibus non eſt offerendus, vt ſcriptum reliquit Hippocrates 1. *aphor. text.* 11. ſed quatuor, vel ſex horis ante acceſſionem illum exhibebimus, & ſi poſſibile fuerit ipſam acceſſionem expectare ſine cibi oblatione, faciliùs, & cum minori noxa tolerabitur acceſſio: cum hoc tamen condonandum aliquid eſt naturæ, tempori, ætati, regioni, & conſuetudini: reliqua obſeruanda vt præcipit Hippocrates 1. *aphoriſ. textu* 17. & aliis ſententiis ibi ab eo traditis.

Potus ſit aqua hordei, aut ſcortioneræ, cui adſmiſcebimus aliquid ſyrupi violarum, granatorum, vel de acetoſitate citri.

Ventrem habeant lenem, aut clyſteribus vtantur emollientibus, & refrigerantibus, qui confici poſſunt ex foliis lactucæ, maluarum, radicis biſmaluæ, floribus violarum, borraginis, bugloſſæ, & hordeo, & ſimilibus, ex quibus fiat decoctum, cuius accipe ℔. j. olei roſarum, & violarum ana ℥. j. ß. ſalis ʒ. j. catholici, vel pulpæ caſſiæ ℥. j. miſce, & fiat clyſter: aut vtatur ſuppoſitoriis communibus. Circa quotum vſum aduertere oportet, quod licèt iſta remedia quolibet die fieri poſſent, dies tamen intermiſſionis eſt magis accommodus, illoque die cum minori ægrotantis incommodo illis vtimur.

*Dubium circa ſanguinis miſſionem.* Victus regimine inſtituto, ſolet eſſe inter Medicos contentio, an in hac febre ſit ſanguis mittendus? Quam quæſtionem ſuprà ſolutam reperies, vbi ex Gal. doctrina probauimus, febribus omnibus putridis ſanguinis miſſionem conuenire, dummodò alia conſentiant; nam licèt humor ille bilioſus ſit extra venas, & ſit extra ſanguinis conſortium, ſanguinem tamen non mittimus ratione cauſæ coniunctæ, ſd ratione cauſæ antecedentis, quæ eſt bilis in venis exiſtens, & ſanguini admixta. At verò ſi humoris bilioſi effuſio ad ventriculum, vel inteſtina tanta ſit, vt magna concitet ſymptomata, vireſque deiiciat, oportet tunc virium reparationem expectare, & humoris mixtionem cum ſanguine, deinde ſi opus fuerit, ſanguinem extrahere.

*Obiectiones contra dicta, & ad illas reſponſiones.* Neque valet ſi obiicias, Galen. 1. *de arte curatiua cit.* nullam feciſſe mentionem ſanguinis mittendi; nam licèt ibi id non expreſſit, expreſſit tamen huic febri refrigerantia conuenire, inter quæ omnes conſtituunt ſanguinis miſſionem; præterquam quod aliis locis id manifeſtè declarauit, vt quæſtione 2. de harum febrium putridarum curatione tradidimus.

Neque euertit noſtram doctrinam Auic. textus *fen.*4.

*fen.* 4. *lib.* 1. *de ſanguinis miſſione*, vbi ait: *Caue ne ægrum ad vnum duorum perducas, vel ad crudorum frigiditatem, vel ad bilioſorum ebullitionem.* Reſpondetur enim, quod ibi loquutus fuit Auic. de humoribus frigidis, vel calidis, quando ſunt nimis ſeparati à ſanguinis conſortio, quia per ſanguinis miſſionem magis infrigidantur frigidi, & ebulliunt calidi; quod non contingit quando ſanguini ſunt admixti, tunc etenim ſimul cum ſanguine euacuantur, & feliciter ſuccedit ſanguinis miſſio, quæ fieri debet primò ex baſilica brachij dextri, deinde ex baſilica ſiniſtri, ad quam expectare debemus diem interpolationis febris.

Vlteriùs oportet humorem præparare, & attemperare ſyrupo acetoſo, oxalidis, chicorei, violarum, granatorum, & ſimilibus, cum aquis hordei, ſcortioneræ, bugloſſæ, chicorei.

Facta præparatione humorum, eos licebit euacuare pulpâ caſſiæ in morſellorum forma cum ſaccharo, cui adiicere poteris tamarindorum carnem; aut potione hac. ℞. rhabarb. electi ʒ. j. fiat infuſio & expreſſio ſecundum artem in aqua chicorei, pulpæ caſſiæ, vel catholici ʒ. iij. ſyrupi perſici ſolutiui ℥. iij. miſce, & fiat potus. Die verò ſequenti abluatur ventriculus, & corroboretur aſſumendo ℥. iiij. vel vj. aquæ hordei ad crepaturam decoctæ, vel aquæ fontanæ, cum ℥. j. ſacchari roſacei.

Sed quia hæc purgatio materiam euacuat, quæ effectura erat acceſſionem, expedit nobis etiam aliqua proponere, quibus aliquo modo auferatur materia acceſſionem efficiens. Ad quod aduertendum eſt, quod ſi in principio febrilis acceſſionis humor fertur ad ventriculum, ita vt in ipſo dolorem, aut mordicationem vehementem producat, illius qualitatem mordacem compeſcimus hauſtu aquæ calidæ; hæc enim bilis acrimoniam obtundit, quod fidiſſimo experimento obſeruaui. Cæterùm ſi humor ille vomitum aut nauſeam concitet, vomitum adiuuabimus decocto hordei, cum ſyrupo acetoſo, vel raphani decocto, & hordei, cum pauco oxymelite, quod tepidum aſſumatur, ſi nihil notatu dignum natura excreuerit; ſic etenim longè minor ſolet fieri acceſſio, euacuato humore per vomitum, aut per inteſtina.

Declinante verò acceſſione, febris hæc ſolet in ſudorem terminari, quem adiuuare poſſumus potu copioſo aquæ ſtillatitiæ bugloſſæ, ſcortioneræ, aut borraginis, quibus addes aliquid ſucci granatorum, ſyrupi violacei, aut acetoſi. Laudo etiam potum aquæ frigidæ fontanæ cum ſaccharo albo, quâ æger attemperatur, & copiam humoris per ſudorem excernit.

Sed quia iecur ſua intemperie calida ſolet eſſe huius febris cauſa, & ratione illius totum corpus incaleſcit, illud attemperabis ceroto ſantalino, vnguento roſarum, & refrigerante Galeni, & ſimilibus, quæ etiam renibus, & dorſo admoueri debent. Conuenit etiam ſæpe in die hoc epithema iecori admouere. ℞. aquarum chicorei, bugloſſæ, ſcortioneræ, & oxalidis ana ℥. iiij. aceti albi ℥. j. puluer. trium ſantalorum, roſarum, & coralli rubri, ana ʒ. ß. miſce. Hæc tamen omnia adhiberi debent tranſacta vniuerſali purgatione.

Corrigit etiam magnoperè iecoris calidam intemperiem ſanguinis miſſio ex ſaluatella manus dextræ, quam poſt purgationem fieri conſulunt Medici.

Præter dicta auxilia vtitur Galenus balneis, quæ vim refrigerandi, & humectandi habent; ea tamen non trado, cùm iam à communi vſu receſſerint. Tandem docet ipſe eſſe vtendum auxiliis diu-

A reticis, ea tamen magis conuenire cenſeo nothæ, aut duplici tertianæ; quapropter paragrapho ſequenti ea inuenire poteris.

## §. II.

### *De notha, & duplici tertiana.*

QVoniam tertiana notha, ſeu ſpuria, & duplex ab eiſdem cauſis proficiſcuntur, & in curatione non multùm euariant, in præſenti de vtraque inſtituitur ſermo.

Initio ergo ſumpto à tertiana notha, ſeu illegitima, dicimus quod licèt de tertio in tertium diem repetat, quemadmodum diximus de tertiana exquiſita, ab ea tamen differt conſtitutione, causâ, & accidentibus, quæ tertiana nominatur, quia de tertio in tertium eam repetere iudicamus; ſpuria B verò, ſeu illegitima, quia amittit naturam, & conditiones aliquantulum febris tertianæ exquiſitæ, licèt non ex toto: quod prouenire video ob miſcellam alterius humoris, aut ob craſſitiem humoris bilioſi, cuius ratione acceſſiones longiores fiunt, morbuſque diuturnior; non enim humor craſſus, etſi bilioſus, neque pituitoſus, & melancholicus ita facilè attenuari poteſt, & diſſipari, ſicut bilis ſincera, à qua tertiana exquiſita dependet, quæ ita tenuis eſſe ſolet, & ſubtilis, vt vnica acceſſione finiatur, vt docuit Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 37. Quod ſi humor pituitoſus bili admiſceatur, dicitur cholera maioris famæ; verùm ſi melancholia bili adiungatur, minoris famæ choleram appellant barbari, eo quod raro talis aduenire ſolet mixtio.

*Diſtinctio inter notham, & duplicem tertianam.*

Ex huiuſmodi cauſis prouenit, quod conſtitutione, & accidentibus differat à legitima tertiana. C Conſtitutione quidem, nam acceſſio longior eſt, & morbus diuturnior; nam humor craſſus cùm ſit, tardiùs conſumitur, quàm tenuis, niſi illius parua ſit copia, quo tempore non mirum ſi acceſſiones minores efficiat, & breuiùs terminetur morbus, præcipuè ſi vires validæ ſint, ita vt facilè paruam humoris copiam diſſipent, & expellant.

*Quibus differat à tertiana exquiſita, declaratur.*

Contingere etiam ſolet, quod hæc febris, licèt inuadat quolibet tertio die cum rigore, nihilominus ſit continua; nam poteſt eſſe tanta humoris quantitas, vt antequam humor acceſſionem efficiens reſoluatur, natura denuò excitet rigorem ad alterius acceſſionis inuaſionem: quod non contingit minori humoris copia exiſtente; hæc etenim ante aliam acceſſionem reſoluitur, aut expellitur, ita vt æger aliquibus horis ſine febre maneat; ad quod maxime iuuat facultatis naturalis, & vitalis robur, vt ſuprà declarauimus, dum de rigore D erat ſermo.

Accidentibus etiam differt; nam rigor in hac non eſt ita vehemens, neque pulſus ita velox, & celer; illiuſque inæqualitas magis percipitur quàm in tertiana exquiſita; & ſecunda, tertia, vel quarta die pulſibus quædam durities ſuccreſcit, deinde ad maiorem peruenit duritiem. Calor præterea mitior, & ſuauior exiſtit, ſi febris ex pituita, & bile mixtis dependet, qui neque adeò confeſtim, & ſubitò diffunditur, neque ita breuiter quieſcit. Si verò ex bile craſſa, putrida, vel torrida fiat, calor magis mordax ſentietur.

Ex diuerſitate enim humorum neceſſe eſt etiam accidentia variari, quod clarè conſpicimus in rigore, qui non eſt ita validus, & vehemens, eo quod fit à bile pituitæ admixta, qui validior ſolet eſſe dum morbus properat ad ſtatum, quia humor magis

magis attenuatus, & calidus redditur, vt quotidie experimur in quartana febre. Similiter in vrina, quæ non eſt ita flaua, & ſuccenſa, ſicut ſi à bile ſincera dependeret; pituita enim bili admixta vrinæ colorem remittit: at verò in tertiana notha ex bile craſſa pendente vrina magis flaua apparebit, quàm præcedens; refert enim colorem humoris putreſcentis.

Habet inſuper hæc febris,quod nox ante acceſſionem grauior exiſtit, vt conſtat ex Hippoc. 6. *epidim. text.* 23. *comm.* 2. & quamuis hoc tertianæ naturam habentibus conuenire dicat Hippoc. non tamen conuenire poteſt tertianæ exquiſitæ, in qua ante acceſſionem, neque diu, neque noctu vlla ſentitur noxa, vt Gal. explicuit in huius textus commentario.

*Præſagium.* Hæc febris diu protrahi ſolet, ita vt incipiat autumno, & vere finiatur, vt inſinuauit Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 8. nam hieme multa pituitæ copia generatur, quæ bili admixta hunc morbum in longum tempus protrahit; diuturnitatem autem hanc pollicetur, ſi quolibet tertio die eadem horâ apprehenderit, vt demonſtrat Galenus 4. *aphor. comm.* 30. ad quod maximè iuuat natura ægri; pituitoſi enim, & qui largiori vini, & aquæ potu vtuntur, hoc longiori corripiuntur morbo.Quo fit vt eorum præcordia inflentur, ventriculuſque plurimis cruditatibus abundet, crura intumeſcant, & decoloratio in facie appareat, & aliquando in hydropem incidant; quod quidem etiam euenire contingit,quia ægrotus Medici præceptis non paruiſſet, vt Galen. animaduertit *lib.* 1. *cit. de arte curat.* Si verò acceſſiones varientur, ita vt non ſit fixa, & permanens cauſa,quæ hanc conſtituit febrem, vireſque ægri validæ, & ſit naturâ bilioſus, & Medici præceptis obediat, & omnia ritè fiant, acceſſioneſque anticipentur, & augeantur, & cum ſignis aliquibus coctionis in vrina, citiùs terminabitur morbus, vt docet Galen. *de criſibus*; properat enim velociori curſu ad ſtatum.

## §. III.

### *De duplici tertiana.*

SI quis ea, quæ de notha tertiana ſcripſimus, in promptu habeat, facilè huius febris naturam, ſigna, & cauſas inueſtigabit, neque erit opus ea bis proponere; referam tamen aliqua, quibus hæc febris à tertiana notha diſtinguitur, vt meliùs vtriuſque natura innoteſcat. Eſt igitur tertiana duplex, *Febris dependens ab humoribus pituitoſo, & bilioſo inter ſe commixtis, quotidie repetens cum rigore, & de tertio in tertium cum maiori exacerbatione.* Hæc definitio exactè huius morbi naturam oſtendit, neque enim eſt neceſſe quamlibet illius particulam ſeorſim explicare. Dicitur *tertiana,* quatenus quolibet tertio die ſuas habet exacerbationes. Dicitur etiam *duplex*, eo quod acceſſiones ſunt duplicatæ, ſiquidem quolibet die hominem apprehendit.

Duplicantur acceſſiones, quoniam humoris quantitas eſt adaucta cum qualitate, ita vt naturam irritet ad quouis die acceſſiones dictas faciendas.

Diximus in definitione, quod hæc febris dependet ab humoribus bilioſo, & pituitoſo mixtis, non quia non poſſit etiam dependere ab humore melancholico, ſed quia hoc perrarum eſt, ideò nulla humoris melancholici facta eſt mentio in definitione, ſed ſolùm humorum bilioſi, & pituitoſi inter ſe commiſtorum, à quibus duplex tertiana exquiſita prouenit frequentiùs.

Circa huius morbi cognitionem ſignis prætorquàm traditis opus non habemus; aduertere tamen oportet, quod ſi adeſt pituitæ redundantia, quæ bili admiſceatur, frequentiùs grauatur ventriculus,in quo maxima humoris crudi copia generari ſolet; ſi verò adeſt miſcella humoris melancholici, in liene ſentiri ſolet tenſio, dolor, rugitus, aut inflatio; quæ ſigna demonſtrant lienem eſſe partem mandantem, ſicut iecur, & veſſica fellis eſſe ſolent partes, à quibus humor bilioſus in reliquas transfertur, vt 1. *de arte curatiua ad Glauc.* inſinuauit Galenus. Quæ omnia obſeruare diligenter oportet in huius febris curatione.

Sed ne aliquid intactum relinquamus, ſcire oportet, quod in definitione dicitur, quod humores debent eſſe mixti, ita vt vnam conſtituant febrem, & ſimul vnam efficiant acceſſionem, vt hanc febrem diſtinguamus ab hemitritæo, ſeu ſemitertiana, in qua quilibet humor ſuam facit acceſſionem ab alterius humoris acceſſione diſtinctam. Cum quo ſufficienter tertianæ duplicis natura manifeſta manet. Reliqua quæ diximus de tertiana notha huic accommodari debent.

## §. IV.

### *Curatio nothæ, & duplicis tertianæ.*

CIrca harum febrium curationem diligenter ſe Medicus habere debet; ſunt enim ita proteruæ conditionis, & naturæ, vt ægri his febribus plurimis diebus vexati exiſtiment hoc non prouenire ex harum febrium rebelli natura, ſed potiùs ex Medici negligentia, aut errore: oportet tamen ſeipſum à calumnia liberare morbum agnoſcendo, & apud ægrotantes futura prædicendo; quod ſi bene aſſequi poteſt, à culpa liberabitur, vt inquit Hippoc. 1. *prognoſt. cap.* 1. Eſt enim maximè neceſſarium cognoſcere, an morbus breuis, vel longus ſit, vt victum inſtituere poſſimus; ſi enim minùs quàm oportet, æger cibatur, vires deiicimus, & non poterit ad morbi ſtatum deuenire: in tenui quidem victu ægri maximè delinquunt, vt inquit Hippoc. 1. *aphor. text.* 5. ſi verò plus quàm decet eis offeramus, licet ſic vires adaugeamus, nihilominus coctionem impediemus, vt docet Galenus 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap.* 10. conuertitur enim natura ad alimentum,tanquam ad id, quod eſt ſibi familiare, & à mutua pugna cum morbi materia deſiſtit. In valentioribus itaque viribus pauciori; in debilioribus verò largiori cibo eſſe vtendum monuit Galen. loco proximè citato. Ad hoc etiam conſideranda ætas, regio, anni tempus, conſuetudo, & ſubſtantiæ modus, quæ de ciborum, & medicamentorum adhibitione aliquid adhibere, aut detrahere faciunt.

*Aliqua ſunt animaduertenda circa huius febris curationem.*

His ergo præuiſis victus eſt inſtituendus, qui refrigeret, & humectet, non tamen ſicut in tertiana exquiſita; ſed ei admiſceatur aliquod inſcindens, & attenuans, vt præcepit Galen. conuenient ergo gallinarum ius, & caro illius, aut pulli decocta cum ciceribus, foliis, aut radicibus petroſelini, oua ſorbilia, pullorum carnes aſſæ cum ſucco agreſtæ, & hepata gallinarum, lactuca, & borrago elixa cum ſaccharo, aceto, & pauco oleo condita; item pira, & radix ſcortioneræ, & cucurbita ſaccharo condita. Potus ſit aqua ſcortioneræ, & cinnamomi, aut aqua cinnamomi per ſe; aut fœniculi, vel aqua in qua decoquatur hordeum;

deum, & fœniculum, vel cinnamomi parum, vel aqua ex corticibus citri.

Sed cùm dictum ſit, in febribus putridis ſanguinis detractionem conuenire, videndum eſt, an in prima corporis regione ſint aliqua excrementa, & cruditates,quæ illam impedire valeant,quo tempore eas demere ſtudebimus, adhibitis clyſteribus, qui confici poſſunt ex decocto hordei, furfuris, camemali, meliloti, ficuum pinguium, betæ, mercurialis, parietariæ, foliorum maluarum, lactucæ, & ſimilium; quorum decocto ſuperaddes olei camemali, & violarum ana ℥. j. ß. ſucci betæ ℥. j. catholici, aut benedictæ ʒ. vj. Verumtamen ſi copia flatuum adſit, decoquantur ſimul aniſum, fœniculum, origanum, cyminum, carabe, & ſimilia, ex quorum decocti ℔. vna cum prædictis oleis,& ℥. ij. mellis roſati perfici,& ℥.ß. diacatholici, vel pulpæ caſſiæ parari poteſt clyſter, qui ieiuno ventre iniici debet, aut coctione ventriculi iam peracta.

Quod ſi in ventriculo adſit crudorum humorum quantitas, & æger ſit ad vomitum procliuis, illum prouocabimus decocto tepido ebibito ſeminis raphani, cum ℥. j. oxymelitis ſimplicis, aut ſyrupi acetoſi.

Sed quia nec his adhuc huiuſmodi recrementa euacuantur, aut quotidie denuò generantur, ſanguiniſque detractionem impediunt, quam remorari minimè conuenit, ideò non erit abs re vti aliquo leui pharmaco, quod talia euacuet recrementa; in quem vſum conferunt quammaximè boli ex caſſiæ fiſtulæ pulpa, & diacatholicum cum ſaccharo, aut manna in iure pulli, vel ſyrupus perſicus ex nouem infuſionibus, vel ſyrupus Principis, cum decocto Pugini, aut ius, in quo decoquantur pruna damaſcena & herba mercurialis cum ſaccharo ebibitum.

His ſic ordinatis, ſi nihil ſit, quod ſanguinis miſſionem prohibeat, ſanguinem mittere debemus ex baſilica brachij dextri, deinde ex baſilica brachij ſiniſtri. Hoc tamen obſeruare debemus, quod in tertiana notha ſanguinem extrahere eſt vtile in die intermiſſionis; in duplici verò tertiana in die minoris acceſſionis. Quod ſi acceſſiones ſint æquales, quolibet die venam aperire licebit; & hoc faciendum eſt habito reſpectu ad ægrotantis vires, & temporis conſtitutionem, & ad alia, vt ſuprà tetigimus.

Interim dum hæc fiunt, humores præparabimus ad coctionem, & expurgationem; incipiemus tamen à leuioribus, fortiora enim medicamenta maiores obſtructiones faciunt, quibus vti non oportet, donec aliquid materiæ ſit euacuatum; cum enim iſte morbus in longum protrahatur tempus, non poteſt ſemel adhibitâ purgatione auferri, ſed eam repetere eſt neceſſe, hoc ordine ſeruato, vt ſemper à facilioribus exordium ſumamus, quæ varia debent eſſe pro diuerſitate miſcellæ humorum. Eos itaque præparabis ſyrupo acetoſo, qui maximè pro vtraque materia confert; ſyrupo adianti,chicorei, borrag.& ſcortioneræ, cum aquis chicorei, borrag. bugloſſæ, & aliis huiuſmodi.

Factâ aliquâ præparatione, ſi ſigna coctionis adſint, materiam euacuabimus infuſione rhabarb. cum ſyrupo perſic. ſolut. aut ſyrupo Regio, aut diacathol. & pulpa caſſiæ in boli forma, aut ʒ. iiij. catholici in ſyrupo Regio diſſoluti, cum decocto Pugini.

Quòd ſi nec his malum quieſcere videamus, magis inſcindentibus, & attenuantibus vti oportet, qualia ſunt ſyrupi duarum, vel quinque radicum, de biſantiis, ſyrupi liquiritiæ cum pauco

A oxymelite, cum decocto apij, petroſelini, chicorei, fœniculi, aut graminis. Deinde iterum eadem pharmaca expurgantia ſunt aſſumenda, conuenitque etiam aliis vti fortioribus, præſertim in corporibus robuſtis: huius cenſus ſunt elect. diaphœnic. confectio hamech, ſimplex, & compoſita; elect. indum, pillulæ de agarico, de rhabarb. aggregatiuæ. Confert etiam per interualla aſſumere ſyrupum de chicoreo compoſitum,vt paulatim humorum reliquias detrahamus, qui poteſt adhiberi cum aliqua emulſione ſeminis cartami, vt eius actio vigoretur.

Verùm ſi his adhuc morbus non cedat, conſulit Galenus, & cum eo omnes practici, vt ad diureticorum vſum deueniamus, quæ vim inſcindendi, aperiendi, & mouendi per vrinas habent; in quem vſum comprobant omnes mellicratum, in quo abſinthij cimata bullierint, aut infuſa fuerint:
B aut decoctum graminis, apij, petroſelini, capill. veneris, carduus omnis generis, cum ſyrupo acetoſo, aut de biſantiis, & pauco oxymelite: vel ſic potionem efformabis. ℞. hordei mundi p. iiij. quinque radicum diuretic. ana ℥. j. radicis liquiritiæ raſæ ℥. ß. capill. ven. m. j. lupuli & abſinthij, ana m. ß. graminis ℥. ß. quatuor ſeminum frigid. maiorum, ſeminis aniſi, & fœniculi ana ʒ. ß. florum viol. borrag. & bugloſſæ ana p. j. coquantur omnia in debita quantitate aquæ ad tertiæ partis abſumptionem, & colaturæ adde ſyrupi de biſantiis, & capill. ven. ana ℥. iiij. oxymel. ſimpl. ℥. j. ſacchari quod ſit ſatis ad gratum ſaporem, de quo aſſumat æger quolibet mane, aut tempore remiſſionis febris ℥. vj. Sed quia aliqui huius decocti ſaporem abhorrent, hæc omnia poſſunt inſtillari per balneum Mariæ ſimul cum ſucco chicor. borrag. & lupulorum, & huius diſtillationis aſſumere quotidie ℥. iiij. cum ℥. ij. ſyrupi ca-
C pill. ven. aut duar. radicum. Conueniunt etiam tabellæ diarrhod. Abb. cum vino, aut aqua abſinthites. Similiter maximè prodeſſe ſolet ius pulli, in quo decoquantur radices diureticæ, hordeum, & lactucæ folia, quibus ſufficienter decoctis, & expreſſis, cum ſaccharo ius per plures dies propinetur.

Quod ſi vrina flaua appareat, & ſitis vrgeat, ita vt iudicemus iecoris calidam intemperiem adhuc vigere, operæpretium erit ſanguinem ex ſaluatella detrahere; ſic enim maxime attemperatur iecur. *Iecoris intemperiei correctio.*

Interim tamen dum hæc fiunt, oportet ventriculi, iecoris, & ſplenis habere prouidentiam; iſtæ ſiquidem partes in his febribus maximè offenduntur. Oportet ergo iecur refrigerare vnguento roſaceo, & ſantalis; hæc enim præterquam quod refrigerant, vim etiam corroborandi poſſident;
D aut veteris hoc vnguento. ℞. olei roſarum, abſinthij, & nardini ana ʒ. j. pulu. trochiſc. diarrhod. & triaſantali ana ʒ. j. puluer. coralli vtriuſque præp. & abſinthij ana ℈. j. ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum. Fouebis etiam iecur decoctione, quæ recipit foliorum chicorei, & fumariæ ana m. j. florum roſarum, & ſummitatum abſinthij ana p. j. vtriuſque ſpicæ, & calami aromatici ana ʒ. j. coquantur omnia ſecundum artem in debita quantitate aquæ, & colaturæ adde pulu. roſarum, & trium ſantalorum, & coralli rubri ana ʒ. ß. aceti ℥. j. quod ſpongiâ applicari debet, deinde inungatur vnguento iam præſcripto.

Ventriculum etiam roborabis fotu ex decocto abſinthij, roſarum, camemali, vtriuſque ſpicæ, calami aromatici, roris marini, maſtichis, cinnamomi, cariophylorum, galangæ, aloës, cyperi, *Ventriculi & prouidentia.*

&

& ſimilium: quod decoctum fieri debet in duabus partibus aquæ, & vna vini albi; mox ventriculum inunges vnguento hoc. ℞. olei roſarum, abſinthij, & menthæ ana ℥. j. maſtichis ℥. ß. pulu. abſinthij, diarrhod. Abb. aromatici roſarum, coralli rubri præp. ana ʒ. ß. ceræ quod ſufficiat ad vnguentum.

Spleni etiam admouere debemus fotum ex decocto radicum capparorum, tamariſci, abſinthij, ſcolopendriæ, camemali, meliloti, aniſi, & fœniculi, ceteraci, graminis, & ſimilium; deinde lienis regionem inunges vnguento deoppilatiuo Aggripæ, & dialtheæ, aut vnguento, quod conficitur ex oleis amygd. amararum, capparorum, lilij albi, abſinthij, iridis, & anethi, in quibus, aut aliquibus ebulliat ſuccus abſinthij, aut ebulorum, vel vinum ad ſucci, vel vini conſumptionem; quibus addes pulueres capparorum, tamariſci, abſinthij, & euphorbij, ſeminis aniſi, & fœniculi, & cum cera vnguentum parabis, quod vim habet deobſtruendi, & emolliendi lienem induratum, & obſtructum à ſarcina humoris craſſi, qui in ipſo frequenter colligitur.

Interius etiam adhibere oportet ea, quæ vim deobſtruendi habent, vt troſchiſci de rhabarb. de euparorio, & de capparis, cum vino abſinthites, & aliis quæ ſuprà retulimus.

## §. V.

### *De tertiana pernitioſa, & ſyncopali.*

DE febribus continuis cum accidentibus latè egit Gal. *lib.* 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 13. & nos in ſequentibus eis operam dabimus, præſertim *cap. de febre maligna.* Sed quia non minoris periculi eſt febris tertiana, etſi intermittens ſit, dummodò ſæuiſſimis accidentibus hominem arripiat, ideò illius ſpecies, ſeu differentias propo- nam, vt illius accidentibus occurramus; ſcimus enim ex Gal. 12. *lib. methodi, cap.* 1. quod ſymptoma, quà tale eſt, nec curationis rationem indicat, neque primum immutat, ſed ſolùm habet rationem ſigni; tamen quando multam nanciſcitur magnitudinem, vt vires deiiciat, & in vitæ diſcrimen hominem conſtituat, tunc quidem habet rationem affectus, ſeu cauſæ, & ad ſe arripit Medici conſilium, quod demere tentat Medicus; non tamen neglecto morbo, à quo dependet, ſicque ſomnum laborioſum detrahimus, euacuationes ſymptomaticas immodicas cohibemus, dolores ingentes narcoticis ſedare ſolemus, etiamſi remedia aduerſus ſiymptomata pugnantia non congruant morbo, vt ſic vires quieſcant, & reſtaurentur.

Neque facit contra hoc Græcorum omnium ſententia, dum vnanimiter profitentur, febrem omnem intermittentem periculo vacare. Nam vel loquuntur de febribus intermittentibus, quibus non adiungitur alter morbus; at verò iſtæ febres habent ſecum alios morbos, quorum ratione periculum inſurgit; nam ſi fluat humor bilioſus ad caput, adeſt ſimul cum tertiana delirium, capitis dolor ingens & vigilia, & ſic de ſingulis; quapropter periculum non ſequitur ex ſimplicitate tertianæ, aut febris intermittentis, ſed potius ex conſortio morbi, & accidentium, quæ ſuperueniunt, quorum remedia inueſtigamus. Vidimus plures tertianas intermittentes, quas nos ipſi curauimus, cum magnis, & lethalibus accidentibus, quæ homines è medio tollebant cum magno Medicorum opprobrio, de quibus pertractat Mercatus *tractatu de febribus.* Vel, vt alibi diximus, dogmata Hippoc. ſunt doctrinalia,

*Hipp. dogmata non ſunt vniuerſalia.*

A quorum veritatem ſæpe, & frequentiùs experimur; non tamen ſunt vniuerſalia. Quapropter ſi febris intermittens inſurgat ex prauis humoribus, ita vt ipſa ſuo calore feruentiſſimo ſpiritus exſoluat, imò & in ſyncopen incidere faciat, tunc exiſtimare oportet, quod talis febris ex ſua natura eſt periculo plena; nam licèt in febre intermittente humores extra vaſa putreſcant, ex quo arguitur naturæ robur, & victoria ſupra illos; & ex alia parte magis diſtent à corde, quàm ſi intra vaſa collecti fuiſſent; cum hoc tamen diuturnitate, vel intenſione caloris vires deperdere poſſunt. Sed quia hoc rariùs accidit, ideò admittitur textus 43. Hippoc. 4. *aphoriſm.* & Gal. commentarius, vbi periculum abeſſe febribus intermittentibus quocumque modo proponunt. Neque admittitur aliquorum explicatio, qui aſſerunt, Hippocr. loqui de intermittentibus, quæ continuas inſequuntur, ita vt ſi febris ſit continua, deinde depoſita continui-

B tate, intermittit, ſecura ſit, quia ad vacuitatem febris deuenit, & æger quieſcit. Hæc, inquam, explicatio Hippocratis, & Galeni doctrinæ diſſonat; nam Hippocr. poſuit illam particulam, *quocumque modo*; quæ complectitur omnem intermittendi modum, ſiue febris continua præcedat, vel non. Galenus etiam exemplum poſuit in tertiana, proferens verbum abſolutè de febre intermittente, quæ ſi in quietem deſinat, periculo caret, etiamſi vehementem, & longam ſatis habuerit acceſſionem, ad differentiam febris continuæ, quæ cùm continuò affligit, non eſt ſecura.

Sed quia ſunt plures febres intermittentes cum grauiſſimis, & lethalibus accidentibus, quæ ita vires diſſoluunt, vt ſyncopticæ dici mereantur, de omnibus eſt inſtituendus ſermo, ſiue ſint tertianæ exquiſitæ, ſiue nothæ, ſiue duplices. Has agnouimus in quadam conſtitutione in præclaro oppi-

*Mercati doctrina proponitur circa diſtinctionẽ tertianæ huius à febre ſyncopali.*

C do Areuali, & accidiſſe tempore Magiſt. Mercat. ex eius doctiſſimis accepimus ſcriptis, vbi harum febrium ſortes varias connumerat; eas tamen diſtinguit à febribus ſyncopalibus, ideoque febribus ſyncopalibus diuerſum curandi modum præbuit, & à tertianis pernitioſis ſeiungit, non alia ratione ductus, niſi quia iudicauit febrem ſyncopalem eſſe continuam; nos tamen, qui pluries experimento edocti eas intermittentes percepimus, vt infrà rationibus etiam ſuademus, in animum induximus de omnibus vnico tractatu agere, & circa illas, quæ ſe obtulerint, difficultates abſoluere.

*Syncopis quid ſit.*

Sed antequam earum tractationem aggrediar, ſupponere oportet doctrinam à me traditam 1. *tom.* vbi latè ſatis de ſyncope egi, vbi dixi ex mente Gal. *lib.* 12. *meth. cap.* 1. quod ſyncopis eſt ſubitus virium lapſus; in quo omnes conuenire video, licèt Auic. *fen.* 11. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 6. ſyncopen definiens illam particulam *ſubitò*, relinquat, & *cap. ſequenti*, contrarium ſtatuat dicens: *Et ad ſummum cum ſyncopis non fit ſubitò, &c.* Idem ad-

D mittit Gentilis de Fulgineo, ibique in ſui dicti comprobationem rationes affert, quas nos ſuo loco tetigimus, vbi illam expoſuimus particulam, diximuſque illam denotare ſyncopis inuaſionem, quæ ſubitò fieri petit, hoc eſt, nullo præcedente alio morbo, licèt illi non implicet contrarium, nempe fieri poſt alterius morbi inuaſionem; ibique probaui non implicare, quod paulatim inſurgat cauſa ſpiritus diſſoluens, & lento motu ægrum ad ſyncopis terminum deducat; quo in caſu cùm ſit virium lapſus, licèt non ſubitus, erit vera ſyncopis; animo enim linquit æger, vires omnes ferè exſolutas habet, eadem remedia petit, ac ſyncopis;

quare ergo non dicetur ſyncopis, ſiue ſubitò, ſiue paulatim illius fiat introductio?

*Virium eſſentia in ſpiritibus, & partibus ſolidis ſita eſt.*

Suppono ſecundò, quod virium eſſentia, quibus noſtrum regitur corpus, in ſpiritu, & in ſolidarum partium temperatura conſiſtit, docente Galeno *lib.* 12. *methodi*, *cap.* 5. Vt tamen ſyncopis adueniat, ſufficit ſpirituum vitalium deperditio. An verò intemperies ſpirituum poſſit eſſe cauſa ſyncopis, tractatu proprio de ſyncope determinaui, nec eſt mihi in animo bis eadem repetere.

*Quid ſit lapſus virium.*

Tertiò noto, quod nomine lapſus virium intelligimus ruinam omnium facultatum, quæ animal gubernant, licèt ex diuerſo fonte prodeant, quas Plato animas vocat, vt docet Galenus 5. *de locis affectis*, *cap.* 1. neque in hoc eſt inter Authores diſſenſio, habent enim omnes facultates in ſyncope actiones nimis diminutas, vt facilè in vitali ex debilitate pulſus, illius paruitate, & inæqualitate innoteſcit; in animali ex diminuto ſenſu, & motu; in naturali ex defectu, aut minutione coctionis, retentionis, expulſionis, & aliorum ad gradum vegetabilem pertinentium. Huius ratio deducitur ex Gal. proximè citato, vbi ait, quod in ſuis operationibus ita reliquæ partes dependent à cordis temperie, vt ipſa benè ſe habente, illæ ſuas actiones perficiant; ipſa verò pereunte, actiones ipſarum quoque neceſſariò pereunt. Quia ergo in omni ſyncope maximè læditur cor, ſiue per ſe, ſiue per conſenſum, non mirum ſi iecur, & cerebrum ſtatim patiantur, & malè ſuum opus exequantur; tunc etenim ſpiritus diſtribuere nequit cor, qui neceſſarij ſunt ad vtriuſque vitæ, ſenſitiuæ ſcilicet, & vegetatiuæ conſeruationem.

*Mens hominis in ſiniſtro cordis ventriculo, ex Hippocrat.*

Neque ob aliam rationem Hippocrat. *lib. de corde*, aſſerit quod mens hominis in ſiniſtro cordis ventriculo ſita eſt, niſi quia ibi ſunt ſpiritus vitales, qui ab eo dimanantes, omnia gubernant, & vitam homini conferunt. Diuus etiam Thomas *opuſc. de motu cordis*, radicem, & fontem omnium perfectionum in corde collocat, quatenus ab eo prodeunt ſpiritus omnia perficientes. Idque conſtat in facultatibus naturalibus: quapropter Galen. 2. *de facultatibus naturalibus*, *cap.* 9. & 1. *aphor. comm.* 15. aſſerit à maiori copia ſpirituum vberiores fieri coctiones, neque ventres hyeme, & vere naturâ ſunt calidiſſimi, & ſomni longiſſimi, vberiorique vtimur alimento, niſi ratione huius vitalis ſpiritus, qui actione antiperiſtatica intrà detentus copioſus abundat, & actionibus naturalibus incommodat. Quod facultas animalis, hac etiam mirabili ſubſtantia egeat, patet; ſiquidem eam conſtituunt materiam, ex qua ſpiritus animales gignuntur, vt clarè oſtendit Gal. *lib. de vſu pulſuum*, *cap.* 1. & nos probauimus in noſtro tractatu manuſcripto de ſpiritibus. Si igitur omnes corporis partes, vt conſeruentur, & ſuas actiones probè eliciant, petunt hanc ſpirituoſam ſubſtantiam à corde per arterias communicatam, quid mirum, ſi ipſa deficiente partes omnes ab opere deſiſtant, aut diminutè nimis operentur? Fit ergo lapſus omnium virium ob huius principij defectum.

*Pars affecta in ſyncope eſt cor.*

Ex hoc notabili vltimo notandum deducitur, nempe quod pars affecta per ſe, vel per conſenſum eſt ipſum cor, vt liquet ex Gal. 5. *de locis affectis*, *c.* 1. nam ſi reliquæ partes nimis offendantur, non ex eo ſyncopis ſtatim oboritur: quare in hydrope, & quauis iecoris immodica intemperie iecoris virtutem deiiciente, & in intemperie aut obſtructione cerebri nimis cerebrum offendente, non ſtatim ſubſequitur ſyncopis, quia non illicò damnum communicatur cordi, neque cor habet ſuarum virium iacturam. Requiritur ergo, quod cor nimis diſtemperetur, & offendatur, vt inde noxa reliquis partibus maior ſuperueniat, vt docent Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 101. Trincau. 6. *de ratione curandi partium humani corporis affectus*, *cap.* 12. Valleſ. 7. *controuerſ. cap.* 8. Mercatus 2. *de intern. morb. curat. cap.* 10.

Ex hac doctrina infertur, quod ſi aliqua febris, ſiue intermittens, ſiue continua, habuerit comitem hanc virium omnium ruinam, quod talis febris debet nominari ſyncopalis; habet enim quæcumque ad ſyncopen conſtituendam pertinent, quæ etiam ſignis inferiùs tradendis demonſtrabitur.

*An febris intermitteens poſſit eſſe ſyncopalis.*

Sed vertitur in dubium, & meritò, an febris intermittens, vt exquiſita tertiana, poſſit febris ſyncopalis rationem ſortiri: quod dubium ſoluere expedit, vt meliùs curationem aſſequamur. Quod verò febris omnis ſyncopalis continuitatem ſeruet, deducitur ex Galeno *lib.* 12. *methodi*, *cap.* 3. & 4. vbi curationem adhibens ſolum vtitur frictionibus, & tenuiſſimo victu, neque innuit occaſionem mittendi ſanguinem, aut expurgandi ob virium ſummum decrementum; quod vtique non fieret, ſi eſſet aliqua intermiſſio, in qua vires reſtaurarentur, ita vt aliquod maius auxilium ſuſtinere poſſent. Paulus *lib.* 2. *cap.* 37. & 38. eadem fermè verba Galeni adducit, eundemque curandi modum proponit: neque ex Auic. contrarium colligi poteſt, qui fen. 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 59. & 63. de febribus iis agens, non exhibet medicamenta euacuantia, quibus daretur occaſio, ſi adeſſet aliqua intermiſſio.

Præterea febres intermittentes periculo vacant, ex Hippoc. 4. *aphor. textu* 43. nam vt inquit Galenus *in comm.* neque fiunt ab inflammatione interna, neque ex deterrima putredine; ſed potiùs humores extra vaſa putreſcunt, & à corde maximè diſtant; febres verò ſyncopales pendent ab humoribus, qui prope cor putreſiunt, aut ad os ſtomachi confluunt, proptereaque ſyncopis ab eo humore prodiens, ſtomachica nuncupatur, quæ frequenter accidit, & continuò affligit, vt illius accidentia à Galeno adducta denunciant; quorum ſi naturam perpendas, facilè inuenies, non facilè adeſſe, & abeſſe, ſed continua permanere, eaque inferiùs ſuo loco referam.

Propter huiuſmodi rationes Mercatus, Petrus Garcia, & alij febres ſyncopales de genere continuarum eſſe adſtruunt; neque eſſet ſyncopis morbus exactè peracutus, neque periculoſus nimis, ſi interpolatione quadam fieret.

*Febris intermittentes poteſt eſſe ſyncopalis.*

Nos tamen qui veritati ſtudemus, nec verbis magiſtri ſumus addicti, omniaque in Reipublicæ vtilitatem proferimus, contrariam ſententiam vt magis veritati conſonam tuemur, dicimuſque febrem, ſyncopalem poſſe eſſe intermittentem; & quod magis eſt, febrem tertianam exquiſitam, quam omnes ſecuriſſimam vocant, & ſeptenis circuitibus terminâdam, quandoque ſyncopalem eſſe. Hanc concluſionem rationibus, & obſeruationibus demonſtrare intendam, quam protegunt Montuus, Gentilis, Sauanarola, & alij. In primis experimento fidiſſimo comperimus plures febres de ſorte intermittentium, tranſactâ iam æſtiuali conſtitutione nimis adurente, autumni tempore grauiſſimis accidentibus infeſtare, ita vt in ipſis conſpicerentur labia liuida, coloris faciei mutatio inſignis plumbi colorem referens, & extinctionem caloris natiui oſtendens, virium ingens lapſus, anxietas, inquietatio, pulſus parui, & formicantes, aliquando tardi, & rari, & ſæpè omni genere

genere inæqualitatis inæquales; ſudores frigidi, præſertim circa collum, & faciem. Quæ omnia reperiuntur in febre ſyncopali, & plerumque ſunt ſigna mortalia, neque in magna ſyncope grauiora excogitari poſſunt accidentia, niſi mors ſuperueniat; quam venturam in qualibet acceſſione expectabant ægri, & ego non ſine ratione formidabam. Poteram quidem plurium referre hiſtorias, quos tertia acceſſio febris tertianæ nothæ intermittentis è medio ſuſtulit, cum accidentibus à nobis ſuprà traditis, qui tempore inter vnam, & alteram acceſſionem omninò febrem habebant extinctam, & viribus recreatis remedia maiora ſuſtinebant, quibus eo tempore adhibitis, vt par erat, plures ab his febribus liberaui.

Rationibus etiam ſuadetur hæc concluſio primò; nam non implicat quod febris tertiana intermittens fiat ex cholera praſina, vel æruginoſa, vt determinat Auenzoar 3. *Theizir*, *cap.* 7. ergo neque quod talis febris ſit ſyncopalis. Antecedens probatione non eget: Conſequentia patet ex eodem Authore, vbi in hæc prorumpit verba: *Sed febris illa, quæ fit ex cholera praſina, vel æruginoſa, eſt fraudulenta, & deceptibilis multùm, & eius accidentia ſunt difficillima, & pernitioſiora, atque fraudulentiora valde, & pro maiori parte non euadunt infirmi, quin moriantur; & qui euadunt, liberantur cum difficultate, & poſt longum tempus.* Ergo cùm eiuſmodi accidentia oſtendant præſentaneam mortem ob virium maximum languorem ab illis illatum, demonſtrant etiam hanc febrem eſſe ſyncopalem.

Secundò, ſi ob aliquam rationem febris intermittens non poteſt eſſe ſyncopalis, maximè quia humores qui eam producunt, extra venas, & diſtantes à corde putreſiunt, ita vt vapores ad cor delati minùs offendant cor, & in minori quantitate ad ipſum deferantur, quàm ſi putredo eſſet intra venas, & cordi propinqua. Sed hoc non tollit, quod febris hæc ſit ſyncopalis: igitur febris intermittens poteſt eſſe talis. Maiorem admittere debent qui contrarium defendunt, neque eſt excogitabilis alia ratio magis efficax. Minorem probo, nam vapores, ſeu fuligines ad cor peruenientes adhuc ex loco diſtanti talem poſſunt nanciſci conditionem, & deterrimam qualitatem, vt cor petentes illius temperiem deſtruant, ſpiritus vitales corrumpant, & naturam in magnam virium iacturam deuenire faciant, ita vt ſyncopen inducant, cùm nihil aliud ad ſyncopen requiratur præter dicta. Agnoſcens ergo Gal. quod humores ita praui poſſunt in noſtris corporibus generari, vt veneni more interficerent, adducit ipſe ſigna, quibus corpora prauis humoribus imbuta diſtinguantur ab eis, quæ venenum aſſumpſerunt. Ita oſtendit *lib.* 6. *de locis affectis, cap.* 5. Si igitur humores venenoſam, & deleteriam habentes naturam generantur in noſtris corporibus, quid mirum ſi eorum infectio cordi communicetur, etiamſi humores illi in ambitu corporis ſedem habeant. Si ea venena, quæ cutem attingunt, vt venenum ex ictu phalangij, aut ſcorpionis, celerrimè ad cor deueniunt, & interficiunt, melius vapores maligni intra corpus congeniti ſuas vires cordi impartiri valebunt, etiamſi extra vaſa ſuam originem capiant, ſicque in hyſteticis affectionibus cor, imò & omnes partes nimis offenduntur, ob veneficam qualitatem ex ſemine corrupto ab vtero communicatam; ita vt mulieres iaceant ſine ſenſu, & motu, & quod magis eſt, ſine reſpiratione ſenſibili, & cum tanta pulſus paruitate, vt ſenſum tactus effu-

*Humores intra corpus geniti veneni vim habent.*



A giat, vt locò citato inſinuat Galen. & nos ſæpe vidimus.

Tertiò, nam febris ſyncopalis inſurgit pluries ob decubitum humoris ad os ſtomachi, quæ ſyncopis ſtomachica vocatur, quæ poteſt eſſe intermittens; nam inſtante acceſſione quando humor deberet extrà pelli, ob errorem, vel aliquam occaſionem, quam infrà recenſebimus, ruit humor, & confluit ad illam partem, cui aſſentit cor, & maximè offenditur, propter mirabilem conſenſum, qui inter cor, & os ſtomachi intercedit; neque ob aliam rationem, vt alibi diximus, veteres os ſtomachi cor appellabant. Vel etiam poteſt humor tranſmitti verſus cor, illiuſque calorem ſuffocare, ibique permanere, donec abſumpto humore acceſſio finiatur, & quietus maneat æger quouſque altera acceſſio ſuperueniat, in qua denuò accidentia ſyncopen referentia iterum eluceant. Neque inuenio cauſam, ob quam id non contingere
B poſſit, imò ſi veritati ſtare debemus, & obſeruationes non fallunt, harum febrium ſortes ſæpe curauimus.

Denique noſtram ſententiam confirmat Gentilis *fen.* 2. *lib.* 4. *tractat.* 2. *cap.* 54. in expoſitione verborum Auicen. vbi ait: *Hæc* (ſupple febris) *ſyncopalis humoroſa ſecundùm plurimum eſt propter phlegma crudum repletionale, quod facit febrem diſpartitum plurimum, &c.* Vbi exponens illud verbum, *diſpartitum*, varias illius tradit ſignificationes. Primò, plurimùm diſpartitum, idem ſonare poteſt, ac valde diuerſum ab aliis febribus phlegmaticis, vt ex modo curæ notum fit, & ex ſuis accidentibus. Vel diſpartitum eſt idem ac interpolatum, quia prorſus eſt interpolata, vel frequentiùs, quàm continua. Deinde ex propria mente rationem inſinuat, quare febris hæc ſit in-
C terpolata, dicens: *Quia forſan tantam malitiam continuò natura non frequenter ſuſtineret.* Poſſunt equidem humores tantam malignitatem comparare, vt natura potens eos extra vaſa repellat, ibique taliter putrefieri, vt ſuis halitibus ad cor delatis, non ſolùm ſyncopen inducant, imò mortem inopinatam efficiant.

Quare ad authoritates reſpondetur, ſigna ab Authoribus tradita poſſe etiam conuenire febri ſyncopali intermittenti. Quod ſi Authores non adduxerunt pro huius febris curatione remedia magna, quæ poterant admoueri die intermiſſionis febris, ex eo eſt, quia ſolùm proponunt auxilia, quæ conferunt in ipſa ſyncopis acceſſione, non tamen afferunt auxilia, quæ præcautoriè imminentem ſyncopen impedire valent, quæ ſunt remedia magna, quæ pugnant aduerſus cauſam illius, cui occurrimus die intermiſſionis.

*Ad authoritates reſponſiones.*

D Ad rationem ex Hippoc. deſumptam reſpondetur, eius doctrinam vt in plurimùm eſſe veram, non tamen eſſe vniuerſalem: itaque febres intermittentes plerumque periculo vacant, ob rationem ibi aſſignatam; quandoque tamen valde exitiales exiſtunt, vt iam probatum eſt, & oſtendit Hippoc. 7. *epidim. text.* 81. iuxta enumerationem Valleſij, vbi expreſsè ait, quod ex eſu carnis porcellorum, & porri, & ceparum, cucumeris, & alliorum, præcipuè in æſtate, febres intermittentes fiunt cum rigore, quæ aliquando malignæ ſunt, & ad morbos acutos perueniunt, in quibus cauere oportet quintam, ſeptimam, aut nonam acceſſionem, quia in ipſis interficiunt.

Ex dictis claret, quod licèt cauſæ febris ſyncopalis duæ aſſignentur ab Authoribus, quæ fre-

quentiùs febrem hanc progignunt , non tamen aliæ deſunt , à quibus excitari poſſint. Sed maioris claritatis cauſà febris ſyncopalis eſt duplex : vna humoralis dicta , de qua agit Gal. *lib. 12. methodi , cap. 3.* & hanc prouenire exiſtimat ex humoribus crudis os ventriculi plerumque offendentibus ; quæ quia naſcitur ex humorum crudorum copia , humoralis appellatur. Alia dicitur febris ſyncopalis minuta , maximè exitialis , quæ talis dicitur , vel quia breuiſſima eſt , ita vt vnicâ acceſſione deſtruat ægrum , vel quia ſtatim minuit vires ; quæ quidem dependet ab humoribus ſubtilibus , & calidiſſimis os ventriculi infeſtantibus , quæ ita prauæ naturæ ſunt , vt celerrimè interficiant. Auicen. *fen. 1. lib. 4. tract. 1. cap. 55.* poſtquam dixit febrem hanc humoroſam fieri ob phlegma crudum , ait ipſam etiam fieri ex cholera dominante groſſa , & fit cum ea in viſceribus aduſtio , & choleræ vomitus ; & adducens curationem huius febris inquit , vinum conuenire illis febribus ſyncopalibus , quæ ſanguineæ ſunt. Neque in contrarium eſt ratio , quæ ſuadeat ; nam humores ſuâ multitudine poſſunt calorem natiuum ſuffocare , & ſuis deterrimis qualitatibus ſpiritus vitales diſperdere,& cordis temperiem labefactare. Quapropter fieri poſſunt à bile craſſa , praſina , vel æruginoſa , vt voluit Auenzoar , & ex vitellina , quæ per putredinem deprauatam malignitatem contrahunt, & maximè nocent ; & vt dixi, in febre tertiana exquiſita poteſt aduenire ſyncopis ratione decubitus humoris in os ventriculi , vel prope cor , & peſſima concitare ſymptomata. Neque ſunt ſequendi Authores , qui cenſent , hanc febrem non poſſe produci à bile porracea, vel æruginoſa ; quia ( inquiunt ) ſunt venenoſæ qualitatis , & antequam nimis offendant , natura ad extra vomitu,vel ſeceſſu eas trudit : quod ſi detineantur , citiſſimè interficiunt. Non , inquam , hoc valet ; nam ſicut natura venenum aſſumptum non ſemper expellit , ſed intrà detentum interitum cauſat , pari modo contingere poteſt , dum natura intra ſe dictos humores habet : & ſicut venena quædam longum petunt tempus , vt interficiant , idem poteſt iudicari de iis humoribus. Quod ſi facilè necem cauſent , eam antecedere poteſt ſyncopis.

*Febris ſyncopalis eſt duplex.*

*Cauſa febriũ ſyncopalium.*

Sed quia huiuſmodi febres , & intermittentes , variè hominem afficiunt , iuxta partis affectæ diuerſitatem , varia etiam , & diuerſa nimis accidentia ſuccreſcunt , de qualibet ſeorſim mentionem breuiter faciam , vt ſic exactiùs curationem aggrediamur.

## §. VI.

### *De tertianæ pernitioſa , & ſyncopali , ob decubitum humoris in aliquam partem principem.*

PRima ſors tertianæ pernitioſæ eſt , quando natura errans humores tranſmittit in partes principes , aut illis propinquas , vt capiti , ventriculo , & cordi ; quod quidem accidit tempore inuaſionis acceſſionis , quando humores agitari incipiunt ; tunc enim errore commiſſo , natura eos tranſmittit ad partes aſſignatas , vel ob illius debilitatem , vel ob aliquod impedimentum ; in aliquibus enim ob pinguedinem , & viarum anguſtiam , & obſtructionem , aut ob animi vehementem timorem accidit , quod humores non poſſint ferri ad extima ; ſicque ad intra propulſi , in partem principem incumbunt, ibique maximè lædunt, & grauiſſimis ſymptomatibus torquent , donec finitâ acceſſione , & humore illo abſumpto , accidentia compeſcuntur.

Sed quia ſignis quamlibet febris ſortem demonſtrare eſt opus , ſi ad os ventriculi confluat humor, præſertim bilioſus , ſtatim ſentitur ibi morſus , & dolor , & ſequi ſolet vomitus bilis æruginoſæ , aut praſinæ , vel vitellinæ , aut tenuis , ſecundum diuerſitatem humoris os ventriculi infeſtantis ; quibus adiungitur anxietas , virium exſolutio , paruitas pulſus ob conſenſum huius partis cum corde , ſudor frigidus faciei , & ceruicis , oculorum cauitas, & coloris faciei mutatio, quæ accidentia ocyſſimè ægrum perdere ſolent.

*Febris pernitioſa ob humorem ad ſtomachum confluentem.*

Cor pati , ad illudque humorem dilabi oſtendunt pulſus paruitas , & illius inæqualitas collectiua , ſyncopis , ſeu virium omnium lapſus , ſpirituum vitalium conſumptio , ad quæ inopinata ſubſequitur mors. Quod ſi humor ſit tenuis , accidit oris amaritudo , ſudor in toto corpore ; ſi verò humor ſit craſſus , ſudor frigidus in fronte apparet, & faciei rubor , cauitaſque oculorum.

*Febris ſyncopalis ob humorem verſus cor motum.*

Quod ſi ad caput humores trudantur , facilè percipies ex illius actionum læſione ; ſi enim humor ad caput aſcendit , tranſactâ acceſſione liberatur ; in die tamen intermiſſionis , aut ſomnolentus manet æger , aut delirè viciſſim loquitur : at ſi caput patiatur ob vapores prauos , qui ex materia febrili eleuantur , ita vt ſomnus grauis , aut paraphrenitis inſurgat , tranſactâ acceſſione , immunis æger euadit ; quæ accidentia diuerſificantur pro diuerſitate humoris , ex quo originem ducunt.

*Capitis affecti ſigna.*

Tandem ſi in iecur humor pellatur , ex pulſibus dignoſcitur , qui meliores , & cum magnitudine fiunt , & ex iecoris grauitate , & dolore cum pondere. In principiis acceſſionum adeſt tuſſis ſicca , ſicut in iecoris inflammationibus ; hæc tamen febris minùs periculoſa exiſtit , facilè tamen in continuam migrat , ob obſtructionem venarum , quæ ſunt in iecore , & propè ipſum. Imò iecur debile redditum facit incidere in hydropem.

*Iecoris affecti ſigna.*

## §. VII.

### *Curatio tertianæ cum decubitu humoris in partem nobilem.*

HÆc febris ſæuiſſima cum ſit , citam expoſtulat curationem , ſiue in ventriculum , ſiue in cor , vel aliam partem irruat humor. Cognitâ igitur febris naturâ , debitoque vitæ regimine inſtituto, aut æger eſt in ipſa acceſſione , aut extra ipſam ; dum eſt in acceſſione , tota curationis ratio conſiſtit in virium reſtauratione , & humoris diſtractione , ne fluat ad ipſam partem : vires reparentur rebus odoriferis , vt odore vini , aquæ naphæ , & roſarum , cum confectione aliqua cordiali , & aliquando in ipſa acceſſione , etiamſi acutiſſima ſit, licet iuſculum carnis offerre , aut oui vitellum cum puluere margaritarum , aut electuarij de gemmis,in virium recreationem. Inungere etiam oportet cor , nares , & tempora vnguento aliquo cordiali ex vnguento naphæ,puluere diamargarit.frigidi,diambræ , vel diamuſci confecto , quod variari debet ſecundùm intenſionem , aut remiſſionem febris , ne febris vires adaugeamus ex illius admotione. Diſtrahitur humor reuulſione ad contraria factâ fricationibus ſupernè deorſum, vt conſulit Galenus,& cum eo omnes. Conferunt etiam ligaturæ partium inferiorum,

inferiorum, & cucurbitulæ, quas non erit abs re minante acceſſione apponere, vt conſulit Mercatus, & quouis modo humorum motum compeſcere.

*Curatio extra acceſſionem.*

Tranſacta acceſſione non oportet curationem differre, ſed iuxta doctrinam à me traditam in curatione febrium vniuerſali, hi humores, cuiuſcumque ſortis ſint, ſunt tractandi vt humores turgentes, antequam in illa parte, ad quam confluunt, firmentur. Quapropter ſtatim eos ſubducere oportet, quod vtique fecimus cum maximo ægrotantium commodo. Sed quia plures curauimus, quorum humores ad os ſtomachi confluebant, ipſos etiam ad meliorem reduximus ſtatum eis offerendo die intermiſſionis, aut minoris acceſſionis ʒ. j. rhabarbari in ℥. iij. & ß. decocti pugini diſſolutam, cum ℥. iij. ſyrupi Principis aut perſici ſolut. hæc enim potio mirabiliter ventriculum roborat, & minuit materiam humoralem bilioſam, & pituitoſam, quæ in venis prope os ſtomachi ex aliis partibus eſt contenta.

*At ſit ſanguis mittendus.*

Sed quia reuulſio poteſt etiam fieri ſanguinis miſſione, poterat quis exiſtimare tutius auxilium eſſe ſanguinem mittere, quàm expurgare; minùs enim humores exagitat, minúſque ſuccendit corpus, quàm medicamentum purgans; quod cùm calidum ſit, febrem maiorem concitare poterit.

Sed vt verum fatear, de vtroque auxilio periculum feci, dum cœpi Medicinam exercere: aliquibus ſanguinem detraxi, quo euacuato, acceſſio ſuperueniens apparuit deterior, & magis effrænis, eo quod bilis, & humor acceſſionem febrilem efficiens erat extra ſanguinis conſortium, & ad maiorem efferueſcentiam deueniebat bilis, ſicuti pituita ad maiorem cruditatem; idque voluit oſtendere Auicen. dum inquit: *Caue ne ægrum ad vnum duorum perducas, &c.* Quapropter mutato conſilio, altero intermiſſionis die medicamentum purgans propinabam, quo in melius ſubſequens mutabatur acceſſio. Hoc pluries obſeruaui, hoc feci, hoc ſimiliter vt faciant moneo.

Factâ igitur expurgatione iuxta humoris peccantis ideam, conſiderare oportet ſtatum virium, quibus præſentibus in die intermiſſionis, vel minoris acceſſionis ſanguinem mittere eſt opportunum; tunc etenim iam humores manent magis quieti, & ſic ſanguini ſunt admixti, ſecuriuſque eos venæ ſectione detrahimus. Quod ſi vires non permittunt, ligaturis, frictionibus, clyſteribus, & aliis ſuprà traditis pro curatione in ipſa acceſſione vtemur. Hæc remedia ſunt cuicumque febri intermittenti malignæ ob humoris decubitum in partem nobilem communia.

*Oris ventriculi prouidentia.*

Sed quia frequenter in iis patitur ventriculi os, ipſum interiùs & exteriùs roborabimus. In primis ſi æger ſit ad vomitum procliuis, eum excitare oportet hydrelei potu tepido, aut aqua hordei cum pauco oxymelite, vel digiti, vel pennæ immiſſione. Quod ſi ad vomitum non ſit paratus, ante acceſſionem vtendum eſt enematibus emollientibus, & euacuantibus. In ipſa etiam acceſſione obtundimus acrimoniam humoris potu aquæ feruentis, in quem vſum laudo potum aquæ capitum roſarum, quæ etiam ſuâ adſtrictione ventriculi os roborat. In eundem finem conferunt ſyrupi granatorum, de agreſta, aut de portulaca, qui humorem attemperant, & ventriculum firmant, qui adhuc in ipſa acceſſione paulatim deglutiri debent, vt os ventriculi attingant, & humoribus admixti eorum qualitatem refrænant.

A Exteriùs ventriculo admouebis oleum citoneorum, roſarum, & myrthi; & in cauſa frigida oleum menthæ, & ſpicæ nardi, cum puluere coralli rubri, diarrhod. Abbatis, maſtichis, & ſimilium, & cum cera poteſt ex illis parari linimentum; ſic etenim adimplemus Gal. præceptum 1. *de arte curat. ad Glauc.* vbi docet corroborare ventrem, quod fiet cum oleo melino, ſucco cucurbitæ, ſolatri, lactucæ, portulacæ, aut vuæ acerbæ. In cauſa frigida vtitur oleo maſtichino, croco, & aliis. Poteſt etiam applicari ventriculo ſpongia in ſequenti decocto imbuta, & fortiter expreſſa, & linteo ſubtili inuoluta, quæ calida admoueri debet. Decoctum fiat ex roſis, ſeminibus, & foliis myrti, abſinthio, ſchenanto, cortice granatorum, vtraque ſpica, balauſtiis, & ſimilibus; cui in cauſa frigida adde vini albi aliquid: deinde vnguento ſuperius adducto inungatur, vel apponatur emplaſtrum ex carne citoneorum, & pane toſto, B pulueribus aromaticis roſarum, diarrhod. Abb. maſtichis, & cinnamomi cum vino rubro ad ignem confectum; ex quibus poteris detrahere, vel addere iuxta naturam humoris ad illam partem fluentis.

Tandem ſi morbus non ceſſet, per epicraſin humores euacuabimus die intermiſſionis: verùm ſi acceſſiones remittantur, humores præparare oportet, & denique ipſum euacuare.

*Cordis affecti curatio.*

Si verò humores prope cor ſedem adquirant, præter auxilia communia iam tradita, videlicet præter expurgationem, ſanguinis miſſionem, cucurbitulas, frictiones, & ligaturas partium præcipuè inferiorum, oportet cor interiùs, & exteriùs roborare. Exteriùs quidem vnguento naphæ, oleo Mathioli, pulueribus diamargarit. frig. diambræ, diamuſci, ex quibus poteſt confici vnguentum. C Conueniunt etiam quammaximè epithemata ex aqua naphæ, roſarum, meliſſæ, ſucco pomorum redolentium, cum modico vini albi, & pulueribus diamarg. frigidi, cum confect. Alchermes, & Iacinth. quæ tepida cordis regioni, temporibus, & naribus eſt admouenda. Quod ſi magna ſpirituum diſſipatio ſuperueniat, ita vt extrema refrigerentur, oportet euocare calorem ad extima, idque aſſequimur vino albo calido, quo abluantur extrema, deinde vngantur oleo mirabili Mathioli, & cooperiantur, & quoad fieri poſſit, calor, imò & humores calorem ſuffocantes ad extrema inclinentur. Interiùs aſſumere oportet tabellas manus Chriſti, & elect. de gemmis. Confectio Iacinthorum ab omnibus commendatur. Item confectio Alchermes cum aquis bugloſſ. meliſſæ, & ceraſorum dulc. & aliis, quibus æger corroboratur, & vires reſtaurantur, humoreſque ad extra erumpere D ſolent.

Quod ſi æger ſit ad ſudorem propenſus, ita vt ratione ſudoris virium reſolutionem vereamur, non erit abs re parum ante acceſſionem propinare ℥. iiij. vel v. aquæ bugloſſæ calidæ cum totidem granis lapidis bezoar orientalis, quo remedio vſi fuimus cum magno ægrotantis commodo: denique diminutis, aut ablatis acceſſionibus, vt ſecuriùs procedamus, purganti pharmaco humorum reliquias conteremus.

*Capitis affecti prouidentia.*

Quod ſi caput pati videatur, circa communia remedia euacuantia, & reuellentia procedendum eſt vt ſuprà diximus. Deinde vtendum eſt topicis remediis; ſi enim nimis capitis dolor infeſtet, cognitâ illius cauſâ, ad caput *de dolore capitis*, recurrere poteris; ſi verò phrenitis ſuperueniat, aut lethargus, *tract. de phrenitide, & lethargo*, remedia traduntur.

*Iecoris affecti medela.*

Vltimò ſi ad hepatis vicinas partes humores confluant, præmiſſis vniuerſalibus euacuationibus tota curationis ratio in deobſtructione partium, & venarum, quæ ſunt prope iecur, conſiſtit, cuius remedia deobſtruentia *cap. de tertiana notha*, adduximus.

## §. VIII.

### *De tertiana pernitioſa, & ſyncopali ex tenuiſſimis humoribus orta.*

HActenus egimus de his febribus, quæ prauæ naturæ ſunt, eo quod humores ad partem nobilem confluunt. Nunc autem reſtat agere de febre ſyncopali, quæ dicitur minuta ſubtilis, quia ex tenuiſſimis humoribus originem trahit, licèt talis humor non fluat ad membra nobilia, ſed ad ambitum corporis, vel ad aliquam partem ignobilem; ibique putreſcens facit accidentia à nobis inferius proponenda; quæ quidem poteſt etiam eſſe intermittens, & quia procedit ex bile tenuiſſima, habet paroxyſmos tertianæ, vt inquit Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 54.

Huius febris cauſas annumerat Hippoc. 7. *epidim. textu* 81. *iam citato*, eaſque nos ſuprà retulimus; fit enim æſtate, & in corporibus calidæ, & ſiccæ temperiei, vt notat Auicen. Eam præcedere ſolent eſus ceparum, porri, cucumeris, alliorum, carnium porcellorum, vini generoſi, & ſimilium, vt oſtendit Hipp. *loco proximè citato.*

*Cauſæ, & ſigna.*

Hæc febris, vt ait Auic. fit ex bile vehementis ſubtilitatis, & malæ ſubſtantiæ venenoſæ, quam comitantur oris ſiccitas, & amaritudo, ingens ſitis, virium exſolutio, ſudor immodicus per totum corpus, pulſus parui, languidi, celeres, & frequentes, oculorum cauitas, faciei ſudor, & rubedo, & vt aſſerit Auicen. facit cadere virtutem vno, aut duobus paroxyſmis, ita vt dicat Aretheus *lib.* 2. *de cauſis, & ſignis acutorum morborum, cap.* 3. quod ſyncopis eſt vinculorum poteſtatis vitam fouentis diſſolutio, & hominis conſtitutioni aduerſaria.

*Difficultas maxima ex verbis Aretheae ducta.*

Sed non caret difficultate id, quod Aretheus eodem loco affirmat de ſyncopalibus affectibus, dum ratione ipſorum iam mors appropinquat. Verba eius ſunt hæc: *Illi præterea, quibus cor laborat, ſenſus aciem exquiſitiorem habent, vt videant, & exaudiant pluſquam antea; mente etiam ſunt firmiore, & animo puriore: proinde non tantùm præſentia declarant, verùm etiam futura veriſſimâ diuinatione prædicunt.* Ex quibus controuerſia excitari poteſt. Et quoad partem negantem impoſſibile videtur, quod ex vi huius morbi firmior, & purior reddatur mens, itavt præſentia declarent, & futura veriſſimâ diuinatione denuntient: quod probatur primò ex definitione ſyncopis, ſiquidem eſt ruina omnium facultatum: ergo labefactat facultates internas ſenſitiuas, quibus competit præſentia exponere, & futura prædicere. Neque obſtat aſſerere, hoc munus eſſe intellectus, qui liber permanere poteſt etiamſi labantur facultates corporeæ, cuiuſcunque fortis ſint. Hoc, inquam, non valet; nam pro hoc ſtatu intellectus noſter operatur dependenter à ſenſibus: ergo ſi ſenſus ob nimiam debilitatem, & ſpirituum vitalium, & animalium conſumptionem diminutè nimis operantur, neque poterit intellectus non operari diminutè ratione talis dependentiæ.

Hieronymus Mercurialis *cap. de ſyncope*, huic difficultati reſpondet, quod facultas motrix, & ſenſatrix opus habent ſpiritibus, vt clarè docet Galenus pleriſque in locis, præſertim *lib.* 3. *de locis affectis, cap.* 7. vbi principaliſſimum animæ inſtrumentum vocat animalem ſpiritum in ordine ad ſenſum, & motum; ratiocinatio autem, & intellectus non egent ſpiritibus, ſed ſolùm cerebri temperamento ad operandum; quo fit vt in ſyncope maneant ſine læſione.

Sed tanti viri doctrina non conuincit; nam licèt ſpiritus animales non eſſent neceſſarij ad actiones rationis, & intellectus, non tamen poteſt ſaluari debitum cerebri temperamentum ſine illis; nam vt diximus *lib.* 1. *quæſt.* 2. ex temperie cerebri, & ſpirituum animalium inſurgit temperies calida in ipſo cerebro, quæ maximè confert ad actiones, ita vt ſi ſpiritus illi deficerent, remaneret cerebrum frigidum, & ſoporoſum, & ad actiones quaſcumque pigrum, neque haberet aciem ſenſus, neque acutiem, quam Aretheus ſtatuit; & propter hanc rationem fuit conueniens, vt cerebrum ad actiones exercendas eſſet calidius calore æſtiuali, vt ait Galen. 6. *de Placitis Hippoc. & Plat.*

Alij reſpondent Aretheum non loqui de ſyncope, ſed de aliis affectibus, quibus opprimitur cor; nam inquit: *Illi præterea, quibus cor laborat, &c.* Cor autem pluribus aliis morbis laborare poteſt, à quibus talia ſuperueniant accidentia. Sed quia ex cordis affectionibus non ſequitur, quod cerebrum meliùs ad opus ratiocinandi diſponatur, neque aliquâ firmâ ratione probat, inſoluta adhuc manet difficultas. Neque ratio, quam afferunt quidam, conuincit; dicunt enim, quod dum æger in ſyncopali affectione morti appropinquat, anima è vinculis, & corporis carcere ſoluta, & minùs impedita vires in omnes potentias diffuſas in ſe colligit, minuſque diſtracta abditiora penetrat, & fidiſſimo euentu futura prænuntiat.

Sed hæc ratio mihi inefficax apparet; nam anima pro hoc ſtatu cùm corpori ſit immerſa, omnem ſuam operationem perficit dependenter à ſenſibus, qui ſi non habeant optimam temperiem, neque anima perfectam poterit elicere actionem; imò cùm anima è vinculis ſoluatur, corpus non poteſt habere temperiem accommodatam ad animæ conſeruationem, vel operationem; præſertim cùm non ſit immediatè operatiua, ſenſuſque nimis diſtemperati, & intellectuales potentiæ nondum à vinculis corporis ſolutæ, licèt animæ ſubiiciantur; quo in caſu nequeunt operari ſine conuerſione ad phantaſmata, quæ vt operentur, perfectè petunt in cerebro optimam temperiem, quæ quidem minimè in ſpirituum abſentia ſaluari poteſt.

*Aduertentiæ munus proponitur.*

Neque hic euentus euenire poteſt ratione aduertentiæ, per quam animæ intentio vehementer trahitur ad operationem vnius potentiæ, retrahiturque à concurſu circa operationem alterius, vt docet Diuus Thom. 1. 2. *quæſt.* 37. *art.* 1. & Galenus 2. *aphoriſm. comm.* 46. de quo puncto egimus *tractatu de phrenitide.* Nam deberet excogitari ratio, propter quam in morbis ad cor attinentibus taliter anima occupatur circa exactiorem rerum contemplationem magis quàm in aliis morbis, in quibus etiam anima poteſt diſtrahi à cognitione plurium obiectorum, & mentem habere occupatam in contemplatione profunda alicuius obiecti, circa quod non ſolùm prope mortem, ſed aliis morbi temporibus anima poteſt detineri, exactiùs illius veritatem aſſequi, & inferens vnum ex alio, circa illud futuros prædicere euentus.

Neque mihi ſatisfacit reſponſio aſſerentium animam ecſtaſi ſupra ſe eleuari, tuncque mira naturæ myſteria magis abdita penetrare. Nam vt docet

A Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* 175. *artic.* 1. anima hominis rapitur, quando ſpiritu diuino ad ſupernaturalia ducitur cum abſtractione à ſenſibus: quapropter ad raptum, ſeu ecſtaſin requiritur virtus altioris ordinis; quando verò alio modo fit raptus circa aliquod obiectum, ideo fit, quia mens diſtrahitur à cognitione aliorum, & tota ad illius obiecti cognitionem ducitur. Circa hoc ſatis doctè Petrus Garc. *in lib. Gal. de locis affectis, tract. de phrenitide.*

Dices, quandoque adeſſe temperiem accommodatam ad prædicendum futura, ſicque melancholici ſunt ingenioſi, & de illis aſſeritur quod vaticinantur: ita Ariſt. *ſect.* 30. *problem. quæſt.* 1. Plato *dialogo de natura*, ait: *Cùm vel ſomno prudentis vis præpedita eſt, vel oppreſſa morbo, vel diuino aliquo raptu à ſua ſede dimota, fieri diuinatio ſolet.* Cicero *de diuinatione*, id præſertim tribuit melancholicis. Quia ergo in morbis cordis cerebrum poteſt per conB ſenſum affici, ita vt illius ſpiritus puriores, & tenuiores reddantur, & ipſum cerebrum mundetur ab excrementis, quæ poterant internorum ſenſuum actiones minuere, non mirum ſi eo tempore exactiùs operentur, cùm tenuitas ad hoc conducat, vt ait Galenus *lib. artis Medicin. cap.* 11. Quare cum habeant mentem terſam, certius veritatem attingunt, & vnum ex alio faciliùs inferentes propter connexionem, quam inter ſe plura habere ſolent, futura prædicunt.

Sed quia non eſt mei muneris de diuinatione agere, circa quam legendus eſt Diuus Thomas 2. 2. *quæſtione* 171. Martinus Delrio *libro* 4. *diſquiſit. magicarum*, *à quæſt.* 1. Valleſ. *lib. de ſacra Philoſophia*, *cap.* 30. ideò breuiter meam mentem adaperiam, quæ conformis eſt doctrinæ ab Aretheo tradditæ.

Dico ergo primò, quod ſyncopis vt ſic non exi- C git tale ſymptoma, neque ex illo in ſyncopis cognitionem deuenimus. Ratio eſt, quia vt ſic non præbet cerebro temperiem ſiccam, & calidam, quæ confert ad ſubtiliter diſcurrendum; imò deſtruit calorem, ex cuius defectu remanent excrementa humidiora, & frigidiora quàm antea, ſicque intellectus obtuſiùs operatur; at verò acrimonia animi, & prudentia ab humore bilioſo prouenit, hoc eſt à ſiccitate, & calore, vt ait Galen. *lib.* 1. *de natura humana, comm.* 38. Neque hoc exigit aliam probationem, neque de ſyncope ſimpliciter fuit loquutus Aretheus. Dico ſecundò, quod Aretheus loquitur de ſyncope adiuncta febri exurenti, qualis eſt febris hæc, de qua agimus: quod inde deducitur, nam inquit: *Qui ſyncope tenentur, frigidum ſpirant, quamuis magnis, ac perurentibus febribus, vnde ipſa ſyncope dependet, affligantur.* Deinde in fine ſubdit: *Syncopis prægrediens cauſa eſt febris vrens, vel vſtoria.* D

Et ratione facilè oſtenditur, nam febris ſuo calore poteſt ſpiritus ſubtiles, & ad motum promptiores facere, cerebri excrementa exſiccare, & abſumere, & calorem ſpirituum, qui deficiunt, ſuo calore quodammodo ſupplere, ita vt promptius reddatur cerebrum ad operandum quàm antea. Quia ergo febris hæc eſt intenſa nimis, & ſuo calore ſpiritus diſſipat, ita vt in ſyncopen incidere faciat, & ex alia parte producit effectus à nobis aſſignatos, quos pluries in aliquibus ægrotis his febribus ſyncopalibus detentis experti ſumus; ideò iſte Author huic ſyncopis forti tribuit ſenſus aciem exquiſitiorem facere, & reliqua à nobis ſuperius relata; non verò aliis ſyncopis ſpeciebus conceſſit.

## §. IX.

### *Curatio tertianæ ſyncopalis minutæ.*

HÆc febris ſors vehementer vires deiicit; quare ſtatim Medicus debet eſſe ſolicitus circa remediorum admotionem. Sed quia humor eſt nimis tenuis, & ſubtilis, & ſudoris vbertatem promittit, ideò incraſſantia adhibent Paulus, Aëtius, Tralianus, & alij: & quamuis extremis morbis victus exquiſitè tenuis ſit exhibendus, & in acceſſionibus ſubtrahendus, ex Hippoc. præcepto; tamen quia in hoc morbo vires deficiunt, in ipſa acceſſione nutrire cogimur: quod etiam præcipit Galenus 1. *aphoriſm. comm.* 9. quoties vires non ſuperſunt ad ſuſtinendam acceſſionem. In ipſa ergo acceſſione conuenit iuſculum pullorum, aut gallinæ cum puluere margarit. præpar. & coralli rubri præpati, præcipuè ſi os ventriculi humores infeſtauerint, aut bibat parum vini auſteri aquâ aliquo modo diluti. Olfaciat etiam æger vinum odoratum, aquam naphæ, & roſarum, cum pulueribus diamarg. frig. Quod ſi animo linquat, faciem aqua roſarum irrorare oportet, & offam panis, aut biſcocti toſti vino imbutam naribus apponere, & epithemata cordialia cordis regioni admouere, vt ægrum ab acceſſione liberemus, quâ tranſactâ meritò dubitatur, quâ viâ procedendum.

Priſci Authores, quos ego legi, vt Galenus, Auicenna, Paulus, & alij, nullum remedium magnum offerunt, forſan quia hanc febrem continuam ſemper eſſe exiſtimarunt, vel quia ita vires deiicit, vt nullus ſuperſit locus auxilio magno; ſed ſolùm curant de virium reparatione, & humoris incraſſatione, idque aſſequuntur corporis ſumma denſando, & illis aërem frigidum inſpirare conſulendo, & auſteris alimentis cibando.

Nos tamen, qui pluries ab huiuſmodi febribus ægros vexari iudicauimus cum intermiſſione quadam, vel ſaltem remiſſione magna, in qua vires repoſitas deprehendimus, aliter procedere debemus; ſi enim vires ſuſtinent, die intermiſſionis oportet aduerſus cauſam inſurgere: nam expectatâ aliâ acceſſione, illius accidentia ita ægrum perdere ſolent, vt parua, aut nulla ſalutis ſpes remaneat.

Sed quo auxilio magno vtendum, hoc opus, hic labor. Vtrumque auxilium exercere periculoſum; nam ſubſequens acceſſio ægrum è medio tollere ſolet, quo infamatur remedium, & in Medici opprobrium vertitur. Quo in caſu priùs pronunciato periculo, dicam quid faciendum eſſe cenſeo; ipſa ratione, & obſeruatione edoctus. Semper timui venæ ſectionem, quæ parum humoris huius extrahit, & multùm vires exſoluit, eo quod humor qui euacuari debet, eſt nimis intrà reconditus, & frequenter exit ſanguis bonus, & laudabilis: quapropter feliciùs ſuccedit, ſi adhibeatur aliquod medicamentum purgans, quod ſimul humorem illum euacuet, & naturam corroboret. Neque oportet illius coctionem expectare, quoniam humor eſt tenuis nimis, & maximè fluxilis, facileque cedit medicamento expurganti. Quapropter confert quammaximè rhabarb. & mirobalanorum citrinorum ſubſtantia cum ſyrupo Principis, & aliquo decocto cordiali, & foliorum ſennæ, ſicque roboratur natura; & euacuatâ portione humoris, reliquum quod ſupereſt, natura poſtea emendat, & corrigit; neque die intermiſſionis ad tantum malum profligandum eſt ſufficiens clyſteris adhibitio, ſed aliquid amplius requirit. Neque ſunt

audiendi, qui aſſerunt in his febribus cathartica non conuenire, vt Mercuralis, Maſſarias, & alij; nam cùm talia ſimul habeant vim roborandi ventriculum, in die intermiſſionis non eſt à quo prohibeantur, neque aliter poſſumus acceſſionis ſubſequentis vim ſubterfugere, niſi priùs euacuatâ aliquâ quantitate humoris, qui erat paratus ad illam efficiendam: quaproter lenientia ſolùm non conducunt, quæ ſolùm primæ regionis cruditates deponunt, à quibus iſta immanis affectio non pendet. Requiritur ergo aliquod maius auxilium, quale eſt à nobis præſcriptum, quo pugnemus aduerſus cauſam,à qua febris originem trahit, ſicque curari poterit,aliter verò minimè.

Facta purgatione, humoris motum compeſcimus; & quia tenuiſſimus eſt, eum incraſſare expedit. Conuenit ergo per interualla aſſumere ſyrup. myrtinum, citoneorum, & roſarum ſiccarum, vel granatorum, cum aqua portulacæ, aut deaurata, quibus addes pulu. margarit. præp. elect. de gemmis,& coralli rubri, aut ſyrup. violarum, & papau. cum dictis aquis, & pulueribus: aut per vices accipiat æger cochlear huius conſeruæ. ℞. conſeruæ roſarum rubearum, & borrag.& violarum,ana ℥. j. puluer.oſſis de corde cerui, & electri ana ℈. j. boli armeni orient. & elect. de gemmis ana ʒ. ß. confect. Iacint. & Alcher.ana ℈. ij.miſce,& cum ſyr. granat.fiat condîtum, quod aſſumat cum aqua deaurata frigida. Quod ſi humor defluat ad os ſtomachi,oportet interiùs,& exterius illud roborare eiſdem auxiliis, quibus curatur tertiana ſyncopalis ob decubitum humoris in illam partem; cuius curationem ſuprà adduximus. Cordialia remedia cordi appoſita ſunt ex vſu, vt vnguentum naphæ,& roſarum, cum pulu. diamarg. frig. & triaſant. & raſuræ eboris, & oſſis de corde cerui, quibus ſuperpones linteum aquâ roſarum, & naphæ madidum.

*Sudoris prouidentia.* Sed quia ſudor per totum corpus erumpere ſolet, quo minuuntur vires,& labefactantur nimis,oportet ventis refrigerantibus aditus præparare, vel aërem infrigidare flabellatione, irrorationeque aquæ roſarum, & aceti, myrtorum etiam frondibus, & vitium capreolis, ac roſis pauimentum conſternentes, vt admonet Galenus.Præſtat etiam faciei apponere lintea aquâ roſarum madida, & albumine oui agitatâ cum pulueribus myrti, roſarum, ſantalorum,& boli armeni, quibus inſpergatur totum corpus. Epithemata etiam conducunt cum aquis roſarum,portulacæ,plantag. myrtil.cum eiſdem pulueribus,aut emulſiones ſeminis pſillij, citoneorum, tragacanti in aqua roſarum extractæ, & cum albuminibus ouorum agitatæ, deſuper ſpargendo pulueres ſuprà traditos. Aut fiant inunctiones cum oleo roſato, omphac.melino,myrtino, deſuper ſparſis pulueribus dictis, quibus ſolemus ſudores diaphoreticos compeſcere.

Tandem ſi morbus det expectandi inducias, vireſque reſtaurentur, quod ſupereſt humoris, pharmacis expurgantibus euacuabis, factâ prius ipſius præparatione neceſſariâ.

§. X.

### *Curatio febris ſyncopalis humoroſæ.*

HÆc febris ſumit denominationem à cauſa, quatenus procedit ab humoribus craſſis, vt à pituita craſſa, aut vt antea diximus ex Auicennæ mente, ex cholera dominante groſſa, & vt vult Auenzoar, ex bile porracea, & æruginioſa, quæ ſuâ malignâ qualitate ſpiritus vitales deſtruit, A & vitæ principio inſidiatur; vel ſua multitudine cor opprimit, calorem natiuum ſuffocat, & virium ruinam efficit, à quo accidenti hæc febris nomen ſyncopalis arripit, in qua frequentiùs offenditur ventriculi os, & inde patitur cor, vt docent omnes. De hac febris ſorte, & eius curatione iam actum eſt in præcedentibus; tamen quia poteſt contingere, quin humor fluat ad partem principem, & poteſt etiam habere intermiſſionem aliquam, vel remiſſionem, in qua detur remedio locus, meum munus eſt breuiter eam, & illius curationem proponere, adducendo priùs ſigna, quibus dignoſcatur, eaque refert Gal. *lib.* 12. *method. cap.* 3. Præcedunt enim cruditates, & ſuccorum crudorum copiâ præcordia inflantur, color ad albidiorem declinat,nonnullis ad nigriorem,vel liuidiorem; pulſus minores ſunt quàm pro ratione B caloris, inæquales inæqualitate collectiuâ, & in vno ictu.

Quod ſi hæc febris ſit intermittens, frigus longo tempore durat,paulatimque calor creſcit, & timor eſt ne omninò extinguatur calor antequam corpus incaleſcat; refrigerationes enim, quæ non recaleſcunt, omnes malæ, inquit Hipp. 2. *prorrhet. textu* 31. quod quidem nos aliquando vidimus in quadam conſtitutione. Quod ſi poſtea calor incrementum accipiat, deterrimè ſe habet æger, quia copia humoris à calore attenuatur, & extenditur, magiſque quàm antea opprimere ſolet, & eleuati vapores ad caput, & ad cor, ſomnum profundum cauſant, & maximas pulſus inæqualitates pariunt, donec à calore febrili euincuntur, & acceſſione tranſactâ à ſomno liber euadit æger.

Cognitâ igitur huius febris natura, ſi febris ſit in acceſſione,aut indeſinenter affligit, nullus datur locus euacuationi medicamento factæ, eo quod C eam vires ferre non poſſunt: quapropter Galen. *lib.*12. *methodi, cap.* 3. ait: *Quænam igitur eſt ratio talibus medendi? qui cum vacuari poſtulent, vacuantia præſidia non ferunt.* Sicque nullam aliam euacuationem excogitarunt antiqui, præter eam, quæ ex frictione paratur, quæ incipere debet à cruribus ſupernè deorſum linteis aſpritudinem quandam habentibus: brachia etiam ab humeris ſunt fricanda, deinde totum corpus oleo relaxante vngendum. Somnus in acceſſione, quoad fieri poteſt, vitandus, & vigilia imperanda; nam viſcera grauiora reddit, humoreſque intrà confugere facit, & in omni euentu vtrumque eſt neceſſarium extra acceſſionem; nam vtriuſque effectus eſt conueniens, ſiquidem ſomnus concoquit, & vigilia digerit.

Victum exquiſitè tenuem commendat Galen. vt aqua mulſa, vel ius pulli: at quia vires nimis debi- D les apparere ſolent, parum vini concedit Auic. adhuc in ſyncope ex ſanguine, præſertim in ſenibus. Quod ſi pulſus in deterius mutentur, eis offeres biſcoctum, aut offam panis vino imbutam. Naribus eadem apponantur, vt per alimenta de ſe odorem mittentia vires reſtaurentur.

Sed quia ventriculus frequenter pluribus cruditatibus ſcatet, conuenit eum inungere oleo nardino,& naphæ,& iaſmini,cum guttulis olei mirabilis Mathioli,& ſuperſpargere pulueres cinnamomi, ligni aloës,macis,& diarrhod. Abbatis. Vel fiat fotus cum ſpongia ex decocto ſchenanti, abſinthij, menthæ, vtriuſque ſpicæ,calami aromatici,camem. & cinnamomi, cui addes aliquid vini albi; deinde inunges prædictis oleis, cautè tamen ea adminiſtrando; nam qui cataplaſmatis, & perfuſionibus aſſiduè præcordia vexant, phlegmones excitare ſolent, vt ait Galen. loco proximè citato.

Cordis

Cordis regioni prouidebis vnguento naphæ cum oleo ſcorpionum Mathioli, & puluere diambræ, & diamuſci; vel fiant epithemata ex vino albo, aqua naphæ, ſucco pomorum redolentium, cum confect. Iacinth. & Alchermes, & pulu. diamuſci, & calida cordi applicentur.

Interiùs conuenit aſſumere ea quæ humores ſcindant, & attenuent, & ſimul vires adaugeant: conferunt ergo oxymel ſimplex cum aqua meliſſæ, aut fœniculi, & parum confect. Iacinth. & Alcherm. de quibus per vices aliquid deglutiet æger. Quod ſi iis non meliùs ſe habuerit, teipſum immunem à culpa præſtabis, ſi moriturum prædixeris, ac nullo alio generoſiori medicamento vſus fueris, vt monet Gal. *loco vt ſuprà*. Veruntamen ſi ſalutis ſpem quandam habueris, & ad aliquam febris remiſſionem deuenerit æger, dubitant Medici quo remedij genere eſt vtendum.

Alexand. Tral. *lib.* 12. *cap.* 3. vacuationem per ſectam venam moliri ait, eamque rurſus iterare, exemplo ignis, qui cùm à viridibus lignis extinguitur, ſubinde paucis adeptis elucet, & iis quæ ipſum ſuffocabant, ſuperior euadit. Huius euacuationis non recordantur priſci Authores, imò eam meritò reformidant; eſt enim crudi copia multa, quæ ſanguinis calore vt digeratur, eget, ex cuius extractione magis infrigidatur corpus.

Neque exemplum Traliani conuincit; nam ſi ab igne ligna detrahimus, nihil de ipſo igne auferimus; at verò ſanguine euacuato, calor deperditur, & vires minuuntur, & magis impotentes fiunt ad reliquam humoris materiam ſuperandum. Neque ob aliam rationem in febre quotidiana Gal. non imperat venæ ſectionem, niſi quia humor quotidianam procreans eſt pituitoſus, neque in illa Auic. ſanguinem mittit quovſque vrina rubra, & craſſa appareat, quæ iam ſignificat pituitam in ſanguinem verti; multo ergo difficiliùs venæ ſectionem exercebimus in hoc morbo, qui totus crudus eſt, & à pluribus recrementis frigidis initium habet. Quare niſi aliqua ſanguinis euacuatio ſit ſuppreſſa, ita vt timeamus, quod ſanguis cumulatus ſit etiam ſuffocandi occaſio, neutiquam hoc admouerem auxilium, neque aliud magnum conſulerem remedium, eo quod humor craſſus nimis eſt; ſed aliqualem illius coctionem expectarem, aut attenuationem, adhibitis priùs remediis extenuantibus, & inſcindentibus; eſt enim hic humor nimis fixus & adhærens, quem natura ſecernere nequit, & eſt medicamento purganti inobediens. Quapropter ex omnium conſenſu enemata conferunt, quæ humorem diſſoluant, & inſcindant, & ſimiliter ad aluum deducant, donec detur locus purgationi, quæ per epicraſim fieri petit, quia paulatim humor ille craſſus diſponitur.

## QVÆSTIO VIII.

### *De febre quotidiana.*

EST etiam alia febris ſpecies de genere intermittentium, ab humore pituitoſo dependens, in qua quotidie humor à natura truditur ad partes ſentientes, vel ad alias partes, vbi putreſcit, & efficit quotidianos circuitus; atque adeò quotidiana appellatur. Hæc febris, vt diximus de tertiana, eſt duplex: vna exquiſita, quæ à pituita naturali putrefacta ortum habet, quam tamen rarò euenire contingit; quoniam **A** natura eam ſeruat, vt deficiente ſanguine per vlteriorem coctionem in ſanguinis naturam conuertatur, & hanc ob cauſam inquit Auicen. *fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 4. *cap.* 1. quod phlegmatis non fecit natura receptaculum, ſed ſimul per venas cum ſanguine vadit, in quem pituita vlteriore coctione tranſmutatur, & ideò egrè corrumpitur. Alia eſt febris quotidiana nothia, ſeu illegitima, quæ ex alio humore pituitæ admixto, vel ex aliis pituitæ ſpeciebus non naturalibus originem trahit. Rurſus febris quotidiana diuiditur in intermittentem, & continuam; vtraque tamen prouenit à rebus pituitam generantibus, vt ab oleribus, eduliis craſſis, & frigidis, à conſtitutione frigida, & humida, & in pluuiarum multitudine, ab aquæ frigidæ potu, ab otio, & aliis huiuſcemodi: euenit præcipuè ſenibus, & qui naturâ ſunt frigidi.

**B** Hæc febris cognoſcitur ex modo inuadendi, inuadit enim cum extremorum frigefactione, atque horrore potiùs quàm rigore, difficileque accenditur calor, & tardè ad ſummum peruenit incrementum. Cùm enim humor frigidus ſit, & humidus, craſſus, ac tenax, idcircò ægrè accenditur, & tardè mouetur, efficitque longas acceſſiones, ita vt antequam vna acceſſio finiatur, alia ſuperuenire ſoleat. Calor in ipſa eſt mitis, & fumoſus, quia eſt in ſubiecto aqueo. Pulſus fiunt inæquales, ac debiles, paruique, dum febres inuadunt; grauantur enim arteriæ, ita vt earum extenſionem craſſa pituita, & fuliginoſa excrementa impediant. *Signa.*

Ex his ſoluitur dubium inter Galenum, & Auicen. Galen. enim aſſerit pulſum tertianæ eſſe quotidianæ pulſu frequentiorem. Auicen. verò agens de quotidiana inquit, quod in ipſa pulſus adeſt frequentior, quàm in tertiana. Sed licet **C** inter hos Authores ſit apparens contradictio, vterque tamen conſentaneè loquitur; nam in tertiana adeſt pulſus velox, & frequens, quia procedit à cauſa nimis calida, & vſus pulſus nimis eſt adauctus; quod non contingit in febre quotidiana, quæ ab humore frigido, & difficilis inflamationis dependet; in qua pulſus vſus non ita adaugetur, neque tanto indiget refrigerio: & ob hanc rationem Galen. aſſeruit, tertianæ pulſum eſſe frequentiorem pulſu quotidianæ; quod reſpectu cauſæ aſſignatæ ab omnibus prorſus admittitur. At verò ex alia cauſa prouenit, vt vult Auicen. quod pulſus quotidianæ ſint frequentiores pulſu tertianæ; nam cùm quotidiana ex pituita ortum habeat, ita opprimit, & aggrauat arterias, vt pulſus magnitudinem, & arteriæ extenſionem magnam impediat; quo fit, vt id, quod de pulſus magnitudine **D** deficit, celeritate, & crebritate natura ſuppleat, pulſuſque fiant crebriores, & frequentiores, quàm in tertiana, in qua talis pulſus magnitudo non prohibetur, cùm humor illam conſtituens ſit tenuis conſiſtentiæ, neque multùm onerans. *Dubium deſumptum ex Galen. & Auic.*

Dignoſcitur etiam ex vrina, quæ alba, aquoſa, tenuis, aut turbulenta conſpicitur. Sudor in ipſius principiis non erumpit, donec prope ſtatum ſit morbus; tunc equidem materia magis attenuata in ſudorem vertitur, & præter horrorem, rigorem concitat.

Hæc febris eſt longæ durationis, atque ideò non omninò tuta, vt docet Gal. 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap.* 8. in qua acceſſionis ſpatium ſolet eſſe 18. horarum, in termiſſionis verò 6. Si verò in hac febre ſudores erumpant, minùs durare contingit, vt notat Auicenna. *Præſagium.*

§. VNICVS

## §. Vnicvs.

### *Curatio quotidianæ.*

HVic febri alimenta , & medicamenta atte-nuantia , & inſcindentia conuenire omnes te-ſtantur , quæ quidem *cap. de ictero* , adduximus. Aduertere tamen oportet , quod ſex , aut ſeptem primis diebus minor cibi copia eſt adhibenda , vt conſulit Auicen. ſic etenim faciliùs humores cru-di , qui maximas pariunt obſtructiones , digerun-tur ; deinceps verò victus eſt inſtituendus non ita tenuis , aut mediocris , ob morbi huius diuturni-tatem : huius naturæ ſunt caponum , gallinarum , perdicum , & paſſerculorum caro , tum aſſa, tum elixa , cum ciceribus nigris , petroſelino , croco , cinnanomo aut mentha , & ex ſinapi ; ſalſamentum fiat cum melle , quod guſtui gratum ſit. Sed quia noctu febris hæc ſuas habet exacerbationes , cœna ſit parca , & ita borraginibus elixis , ouis ſorbili-bus , pomis aſſis , aut pullorum carne aſſa ſis con-tentus. Potus ſit aqua cinnamomi , aut radicis pe-troſelini , aniſi , aut graminis , vel aqua mulſa , aut parum vini albi aquâ diluti. Sed quia pituitæ quantitas coaceruari ſolet in ventriculo , & in acceſſionum principiis nauſeam aut vomitum exci-tat , ideò vomitus procurandus , præcipuè ſi ad illum æger ſit procliuis. Præterea cùm venæ meſe-raïcæ , & tota prima regio plurimis cruditatibus ſcateant , operæpretium erit abſtergentia offerre ; quod quidem optimè fiet iniecto forti clyſtere , aut ſi aſſumat æger caſſiæ pulpam , & diacath. in morſellorum forma , cum ſaccharo , aut ius ex mercurialibus,vel ſyrupum perſicum ſolut.cum de-cocto ſem. cartami , & foliorum ſennæ. Verun-tamen ſi tota prima regio à cruditatibus ſit immu-nis , adſitque ſanguinis redundantia , audacter ſan-guinem mittere potes : at verò ſi plethoræ nullum ſignum apparet , eſt inter Medicos contentio , an ſit ſecanda vena , & quo tempore. Galen. & cæ-teri Græci in huius febris curatione venæ ſectionis non recordantur , quaſi ipſi putauerint ſanguinis miſſionem nunquam eſſe faciendam ; quorum fun-damentum poteſt eſſe , nam humor pituitoſus eſt naturâ frigidus , & maximè recedit à natura ſan-guinis. Si ergo ſanguinem mittimus , magis in-crudeſcit , & infrigidatur , ob defectum ſangui-nis , cuius calore coquitur , & digeritur : quod indicare viſus eſt Galenus 4. *de ſanitate tuenda , cap.* 4.

*An ſanguis ſit mittendus in hac febre.*

Auicen. verò , & cum eo alij Arabes ſanguinem mittere iubent , cùm vrina rubra , & craſſa ap-paruerit , quæ ſignificat pituitam coqui , & in ſanguinis naturam migrare , quo tempore nullum ſequitur inconueniens ex ſanguinis detractione. Quid ergo dicendum eſt de Galeno. Cenſeo equi-dem Galen. ſanguinis miſſionis mentionem non feciſſe , non quia cenſuerit nunquam ſanguinem eſſe mittendum , ſed quia rarò in hac febre ſit mittendus ; vtitur enim Galen. breui compendio , & doctrina , vt ea dumtaxat expreſsè tradantur , quæ propria , & particularia huic competunt fe-bri ; prætermittit tamen quæ rariùs adueniunt , & alibi diffuſè pertractauit , quæ huic , & aliis febri-bus ſunt communia.

Præter venæ ſectionem attenuantia,& inſcinden-tia adhibere iubet Galen. hanc tamen legem ſerua-bis , vt ſemper à temperatioribus ſit inchoandum , deinde ad fortiora progrediendum ; ſi enim ab ini-tio nimis calida , & attenuantia propinentur , hu-A morem violenter mouent, nouaſque obſtructiones pariunt : quapropter conueniunt ab initio ſyrupus acetoſus, capill. veneris, duarum vel quinque radi-cum , cum pauco oxymelite, & cum decocto apij , petroſelini , adianti , ſeminis aniſi , aut fœniculi : deinceps autem porriges oxymeli , ſyrupum de bi-ſantiis , & acetoſum , diarrhod. cum aquis ſupe-riùs traditis, quibus adhibitis medicamenta expur-gantia ſunt propinanda.

*An in morbis longis debeamus expectare coctionem.*

Sed eſt inter Authores controuerſia , an in mor-bis longis debeamus expectare coctionem perfe-ctam ad expurgationem , an ſufficiat manifeſta. Galenus 1. *aphor. comment.* 24. & *lib. quos , & quan-do , & quibus purgare conueniat* , & alibi millies aſſe-rit , quod in morbis longis ſemper oportet coctio-nem expectare ; in acutis verò cùm turgent , & in ipſo principio poſſumus medicinis purgantibus vti : quæ doctrina pluribus Hippocratis authori-B tatibus , necnon rationibus confirmari poterat ; eas tamen ſuprà adduximus. Qua doctrina ſuppo-ſita , Galen. 1. *de art. curat. ad Glauc. cap.* 12. pro curanda hac febre , quæ ex ſua conſtitutione lon-ga eſt , medicamento purganti ante ſtatum non vtitur.

Auicen. verò , & cum eo Tralianus huic do-ctrinæ contrarij exiſtunt , qui non exactâ , & per-fectâ coctione materiam in his febribus , & in morbis aliis longis expurgant , per interualla ta-men , ita vt partim concoquant , partim verò eua-cuent ; quod non aliunde prouenit , quàm ex pi-tuitæ natura ; hæc enim frigida eſt , & coctioni inepta , eo quod eſt etiam viſcida , & craſſa : quod ſi in maxima ſit quantitate , vereri oportet , ne æger ante ſtatum ſuffocetur , quod dilucidè de-demonſtrauit Auicen. *fen.* 4. *primi , cap.* 3. vbi ait : *Quod ſi non fuerimus ſecuri , quod virtus vſque ad maturitatis horam perduret , euacuabimus eam.* Cùm C ergo tota ſimul materia concoqui , niſi longo tem-pore non poſſit , eam paulatim concoquere , & paulatim euacuare licebit. Si enim exactam co-ctionem expectaueris , pars materiæ coctæ conta-ctu putreſcentis pituitæ recrudeſcet. Quapropter inquit Auicen. *Ego verò non diligo expectationem digeſtionis.* Et licèt alij legant affirmatiuè , dicen-tes : *Ego verò non diligo niſi expectationem digeſtio-nis* ; eorum tamen lectio non eſt admittenda , ne-que Auicen. doctrinæ eſt conſona , vt ipſius verba ſequentia oſtendunt , dum dicit : *Imò oportet , vt euacuetur ex ea aliquid, & expectetur in reliqua vſque-quò digeratur, & fiat illud cum facilitate paulatim,&c.* Ecce quomodo Auicen. iubet aliquid euacuare paulatim , & in reliqua expectare , donec conco-cta perfectè ſit materia.

Quod ſi pituita neque eſt multùm viſcida , ne-D que in multa quantitate , ita vt febris ex ea de-pendens in longum tempus non protrahatur, quod ex pulſu, vrina , virium conſtantia , & aliis ſignis deprehendi poteſt ; tunc equidem licebit exactam expectare coctionem , & poſt ſtatum iis vti phar-macis , quæ pituitam ſubducunt. Hanc doctrinam ſequuntur omnes ferè recentiores , quam vt pro-babiliorem amplectimur.

Oportet ergo iuxta hanc doctrinam , per epi-craſim humores iſtos euacuare ; hac tamen lege adſeruata, quod ſi ventriculi vitio hæc febris oria-tur , mitioribus pharmacis vteris , quorum virtus primam regionem non tranſcendat , ne ex nimia attractione humores in venis interturbentur , aut ventriculi robur deſtruatur ; quo caſu competunt agarici , & rhabarbari infuſio in decocto foliorum ſennæ , & florum cordialium , cum ſyr. Regio , aut

aut perſico ſolut. vel pruna damaſc. ſaccharo, & ſennæ foliis confecta. Item pillulæ de hiera, maſtiche, & agarico, aut mel roſatum perſicum cum infuſione, ſeu decoctione agarici, rhabarb. ſem. cartami, & foliorum ſennæ. Quod ſi humores craſſi in venis magis abundent, eiſdem in maiori quantitate, aut aliis fortioribus vteris; in quem vſum conferunt etiam diacathol. elect. diaphœnic. diacartamum, & ſimilia cum agarico trochiſcato, & ſyrupis ſuperiùs adductis. Inter vnam, & aliam purgationem attenuantia, & humorem præparantia ſunt adhibenda, vt ſyrupi, & decoctiones, de quibus ſuprà habitus eſt ſermo.

Præter pituitæ ſubductionem iubent Authores omnes, vt ad diureticorum vſus perueniamus, quibus humores paulatim attenuantur, digeruntur, & euacuantur, de quibus egimus §. *de tertianæ nothæ curatione.* Maximè tamen valet hoc, quod recipit quinque radicum diureticarum ana ℥. ß. ſeminis apij, aniſi, & fœniculi ana p. j. cicerum rubrorum n. xij. quatuor ſemin. frig. maiorum ana p. j. philipendulæ, & pentaphylli ana ʒ. ij. capillorum ven ℥. j. omnia coquantur debito modo in debita aquæ quantitate, & colaturæ adde ſyrup. acetoſi diarrhod. & de biſantiis ana ℥. iij. ſacchari quod ſit ſatis ad gratum ſaporem. Quod ſi velis hoc decoctum efficere purgatiuum ſimul, & diureticum, coquantur etiam polypodij querci, & turbith ana ℥. ß. foliorum ſennæ ℥. j. ſeminis cartami, agarici, rhabarb. zingiberis ana ʒ. iij. Quorum decocto addes ſacchari, quod ſufficiat, vt fiat ſyrupus, de quo quotidie ſummo manè ſumat eger ℥. iij. aut quatuor. Si verò ſine his pharmacis purgantibus fiat iulepum longum illius laborans aſſumet ℥. v. vel ſex. Conducit quammaximè ius pulli gallinacei, ſi eiſdem radicibus diureticis illius venter prius fuerit infarctus, & quolibet manè pluribus diebus calidum fuerit ebibitum; quod remedium quotidianus comprobat vſus.

Tandem cùm membra nutritioni inſeruientia patiantur, ea roborabis iis, quæ §. *de tertianæ nothæ curatione*, tradita fuere. Quod ſi quotidie in ventriculo huiuſmodi recrementa generentur, præter ibi adducta, oportet aſſumere tabellas diarrhod. & aromatici roſarum, cum modico vino, aut trochiſcos de rhabarb. eupat. & abſinthij, vel theriacam, quæ valenter humores diſcutit cum modico vino, aut aqua cinnamomi, vel fœniculi. Veruntamen ſi febris hæc non ſit exquiſita, ita vt non fiat ex ſola pituita naturali, ſed ex aliis pituitæ ſpeciebus, alterius humoris admixtione, varianda eſt curatio pro humoris peccantis diuerſitate.

---

## QVÆSTIO IX.

### *De quartana febre.*

PRæter genus febrium intermittentium, de quibus ſuperiùs actum eſt, eſt alterum genus, ſeu differentia, nempe quartana febris, quæ ex humore melancholico putreſcente generatur, qui ſicca, & frigida conſtat temperatura, vt ait Galenus 2. *de febrium differentiis, cap.* 5. Hæc tamen febris licèt rarò contingat, poteſt eſſe continua, quando ſcilicet in tanta quantitate ſit, vt natura non poſſit humorem melancholicum putredini paratum extra vaſa maiora pellere. Rurſus quartana, ſiue continua, ſiue interpolata ſit, eſt duplex; vna exqui-

A ſita, quæ à melancholia naturali putreſcente ortum habet; alia notha, ſeu illegitima, quæ aut ex bile ſuperaſſata, aut ex admixtione alterius humoris, bilis ſcilicet, aut pituitæ fit.

Dubium tamen eſt, an ex aſſata pituita atra bilis fieri poſſit, ita vt ex illa morbi procreentur melancholici. *An ex pituita fieri poſſit melacholia.* Galen. *libello de atra bile*, duplicis tantùm atræ bilis ſpeciei meminit: vna quidem fit per aduſtionem melancholiæ naturalis, alia per aduſtionem bilis. Neque valet ſi dicas, ex ſanguine, dum aduritur, eius tenue tranſit in bilem, vt conſtat ex Galeno *lib. de tumoribus præter naturam*, & 2. *de arte curat. ad Glauconem*, vbi de carbunculis agens inquit, ipſos fieri ex ſanguine aſſato, & in atram bilem conuerſo; non enim valet. Nam dum ſanguis aduritur, tenue quod inflammatur, mutatur in bilem; craſſum verò in melancholiam naturalem, ex qua immediatè, & non ex ſanguine

B per aduſtionem fit bilis atra. Nam contingere poteſt, quod tenue ſanguinis, quia magis calidum, inflammetur, & aduratur; craſſum verò, quod frigidum eſt, nullam adhuc patiatur vſtionem, & maneat ſub forma melancholiæ naturalis. Quod ſi agens intensè operetur, vt vtraſque partes ſimul vrat, non tamen dici meretur bilis atra pars ſanguinis craſſior, quæ aduritur, vt conſtat ex Galen. 2. *de differ. febr. cap.* 9. vbi inquit, quod ſanguis ſuperaſſatus nondum exquiſitè in atræ bilis naturam tranſit, ſed in quodam confinio eſt conſtitutus; non enim fermentat terram, neque abigit muſcas, neque eſt ita acris, & mordax ſicut duæ ſpecies atræ bilis, quas ipſe connumerauit; eſt enim mitior ipſis, ita vt febres ex ipſo ſanguine aduſto proficiſcentes, mitiores, & ſimpliciores ſint quàm illæ, quæ ex dictis atræ bilis ſpeciebus producuntur, vt loco proximè citat. Galenus teſtatur.

C Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *capit.* 2. & Raſis 18. *continentis*, firmiter tuentur ex torrefacta pituita quartanam etiam gigni poſſe, tanquam ex quadam ſpecie atræ bilis; qui ſimiliter aſſerunt, ex omnibus humoribus aduſtis atram bilem generari; nam ſiue humores putreſcant, ſiue torrefiant, eorum pars craſſior ex aſſatione, & putrefactione remanet ſiccior, & ad atræ bilis naturam, & temperiem accedens; ex qua non mirum ſi quartana febris ex craſſioribus humorum reliquiis reſultet; neque id denegandum pituitæ, vt mille comprobant experimenta. Nam tumor ædematoſus dum induratur, in ſchirrhi naturam migrat, & ex albo fit niger. Pari ratione quotidie videmus febres quotidianas, & tertianas duplices in quartanas conuerti, tenuiori pituitâ conſumptâ, & arefactâ, & remanente craſſiori. Demùm homines craſſi, & pituitoſi, ſi ſemel quartanâ corripiuntur febre, longior eſſe ſo-

D let quàm ſi bilioſus, aut ſanguineus eadem febre teneretur: quod neutiquam accideret, niſi in ipſis pituita tali febri materiam præſtaret, cuius ratione longior euadit.

Sed quamuis hæc doctrina ſit magis rationi conſona, non tamen eſt Gal. doctrinæ contraria; nam Galenus duas tantùm atræ bilis ſpecies annumerans, tradit ſolùm ſpecies exquiſitæ atræ bilis; non tamen improbat, quod alij humores per putredinem, aut vſtionem ad earum naturam, & temperiem accedant, vt diximus de ſanguine ſuperaſſato, qui in atræ bilis confinio exiſtit, licèt in qualitatibus, & modo operandi mitior eſſe videatur: non enim exquiſitè in atram bilem tranſit; eius tamen aliquas conditiones contrahit: idemque dicendum de pituita, quæ vſtione ſiccior, & craſſior euadit, ita vt magis melancholiæ quàm pituitæ naturam referat.

Manardi opinio. Neque noſtram doctrinam euertunt rationes Valeſ. *lib.* 1. *controuerſ. cap.* 21. & Manardi *lib.* 6. *epiſt. epiſtola* 2. quibus probare intendunt, melancholiam nullo modo ex pituita generari poſſe; quæ ſi intelligantur de exquiſita melancholia, aut atra bile, verum probant, non tamen conuincunt, quod ſcilicet non poſſit ex ea generari humor, qui maximè ad eius naturam, & temperiem attingat, ex quo etiam morbi producantur melancholici, ſaltem non exquiſiti, ſed ſpurij, & illegitimi, inter quos connumerat Auic. quartanam ex pituitæ aduſtione, aut putredine procedentem.

Diuiditur etiam febris hæc intermittens, in quartanam ſimplicem, quæ quarto die habet acceſſiones, & duobus diebus intermiſſionem; & in duplicem, quæ duobus diebus exacerbatur, & vno die intermittit, ad quod maximè iuuat multitudo humoris melancholici, vt ſuprà diximus, dùm de modo repetendi per circuitus erat ſermo.

Cauſa. Hunc morbum gignunt alimenta melancholica, vt caro bubula, hircina, leporina, ceruina, & ſalſa omnia, legumina, acetum, & vinum nigrum; item timor, & triſtitia, & quodvis immoderatum exercitium.

Signa. Hæc febris ab initio inuadit cum oſcitatione, & pandiculatione, ad quæ ſequitur horror; non enim ita attenuata eſt materia, vt valeat rigorem excitare: deinde ipsâ materiâ tenuiori redditâ, rigor validus cum concuſſione totius corporis inſurgit, & dolor in toto corpore talis percipitur, vt oſſa frangi videantur. Calor prætereà eſt ita ſubmiſſus, & ſine flamma, veluti ſi lapis vreretur, qui quamuis ſuccendatur, de ſe nullam flammam emittit; ante tamen quàm calor ſuccendatur, adhuc in ipſo rigore maxima ſiti premuntur ægroti, eo quod intrà reconditur calor, & quia humor febrem efficiens eſt naturâ ſiccus. Pulſus fiunt rariores, tardiores, & minores quàm in tertiana, in quibus inæqualitas febrilis maximè percipitur, multò enim velociùs principium finemque motus inuenies quàm medium, vt oſtendit Galen. 1. *de arte curat. ad Glaucon. cap.* 6. Vrina in principio cruda apparet, donec paulatim materia concoquatur.

Sed quia in hac febre melancholiæ copia in ſplene coaceruatur, ideo patitur obſtructiones, & ab ipſo humore, & flatuum craſſorum copia intumeſcit, & aliquando induratur, ita vt in ſchirrhi naturam tranſeat. Solet quartanæ acceſſio incipere cum vomitu, præcipuè quando ex pituitæ vbertate ortum habet.

Incipit frequenter autumno, vt docet Hippocrates 3. *aphoriſm.* & quamuis veris tempore multa melancholiæ copia generetur, quoniam ſanguis copioſè producitur, cuius fæx dicitur melancholia, & ſic morbos melancholicos producere poterat; cum hoc tamen ipſos non producit, quia ſanguis, qui eo tempore abundat, eam mitem reddit, & impotentem ad morborum productionem: quod ſi aliquos gignere videatur, citiùs terminantur, quàm ſi tempore autumni producerentur, ob quod dictum eſt ab Hippoc. 2. *aphor. textu* 25. æſtiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales verò longæ, maximè quæ hiemen attingunt. Auicen. tamen inquit, non durare vltra annum, niſi aliquem errorem committant, ratione cuius ad duodecim annos ſe extendere ſolet.

Securiſſima etiam omnium eſt quartana, facillima, & longiſſima, quæ tamen à plurimis morbis liberat, vt docet Hippoc. 1. *epidim. ſect.* 3. Securitas illius deſumitur ex maiori interuallo inter vnam, & alteram acceſſionem. In ſenibus verò non eſt ita ſecura; morbi enim qui illis accidunt longi, maxima A ex parte comitantur ad mortem, vt ex Hipp. conſtat 2. *aphor text.* 39.

## §. VNICVS.

### *Curatio quartanæ.*

Qvartanas mediocriter, & blandè ab initio tractare oportet, nullum forte medicamentum, aut euacuationem exhibentes, niſi ſanguis vehementer abundet, vt ex Galeno diſcimus 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap.* 11. Non enim ab initio humor craſſus, & terreſtris medicamentis cedit, neque benè euacuari poteſt; quo fit vt quicunque ab initio aliquid ex his medicamentis exhibuerunt, quartanam quæ erat ſimplex, ſæpiùs fecerunt duplicem, aut triplicem, aut omninò maiorem aut difficiliorem, vt eodem loco Galenus etiam teſtatur. Eſt ergo B incipiendum à blandioribus medicamentis. In primis tamen victum inſtituere oportet hac lege adſeruata, quod ſi quartana febris ex alio morbo præcedenti dependeat, craſſiorem victũ ab initio porrigemus; vires enim vi alterius morbi imbecilles redditæ victum tenuem ferre non poſſunt: at verò ſi ex ſe ipſa incipiat, vſque ad tres ſeptimanas tenuiori victu eſt vtendum, vt Auic. præcepit, ſic etenim ocyùs materia attenuatur, & digeritur, & morbus citiùs terminatur; deinde verò craſſiorem victum adminiſtrabimus. Sint igitur alimenta optimi ſucci, & facilis concoctionis, fugiendaque ſunt eſculenta omnia, que atram bilem procreant.

Aduertere tamen oportet, quod in exquiſita quartana alimenta competunt calefacientia, & humectantia; quod maximè conſonat doctrinæ Traliani, qui miratur quomodo Galen. non alium quendam victum, quàm qui calefacere ipſos, & C ſiccare poſſit, præcipere videatur, ſiquidem ipſis præbet diatrion pipereon, ſuccum cyrenaicum, & theriacam, & in cibo ſalſamentum, & piper. Licèt enim calefacientia ſintex vſu, exſiccantia tamen minimè competunt, quoniam humor ſiccus eſt, qui contraria expoſcit remedia, atque adeò humectantibus, & calefacientibus eſt vtendum, vt ſunt iura caponum, gallinarum, phaſianorum, arietis, in quibus decoquantur petroſelini, & borraginis radices cum ciceribus, & pauco croco, & cinnamomo. Competunt etiam borrago elixa, & oua ſorbilia, & in principo menſæ pruna damaſcena: radix etiam bugloſſæ, & ſcortioneræ ſaccharo condîtæ proſunt. Potus ſit aqua bugloſſæ, borraginis, ſcort. aut modicum vini albi aquâ diluti.

Quod ſi ex petuitæ miſcella cum melancholia fieri contingat (quod quotidie cernimus) mediD camenta, & alimenta calefacientia, & exſiccantia vtilia cenſentur; conuenit ergo aſſumere carnes aſſas gallinarum, caponum, perdicum, & paſſerculorum cum pipere, vt præcepit Galenus: ex piſcibus ſaxatiles aquâ & vino cocti; poma item dulcia aſſa, & aniſo aſperſa, vinoque irrorata. Potus ſit aqua cinnamomi, aut piperis, vel vinum album, & tenue. Curatio vniuerſim fiat habito reſpectu ad cauſam, ex qua quartana ortum habet; ſed quia frequenter fit cum pituitæ admixtione, eam curare docebimus, quæ ex melancholia, & pituita mixtis dependet; hæc enim continuò affligere ſolet, quam ſæpe ſæpius curauimus.

Incipiente ergo acceſſione, ſi humor irruat in ventriculum, ita vt vomitum prouocet, ſi natura pigrè operatur, eam adiuuare poteris iis, quæ vomitum excitare apta ſunt; oportet etiam ventrem mollem, & lubricum reddere hoc clyſtere, qui recipit

pit prunorum damaſc. n. vj. foliorum maluarum, borrag. & mercurialis ana p. j. radicis altheæ ℥. j. furfuris in linteo ligati p. ij. coquantur omnia ſufficienter, cuius decocti accipe ℥. x. olei camemali, & anethi ana ℥. j. pulpæ caſſiæ, & catholici ana ℥. ß. ſucci betæ ℥. j. ſalis parum, miſce, & fiat clyſter. Quod ſi efficacius parare volueris, fiat ex decocto mercurialis, maluarum, altheæ, ſiclæ, ſennæ, epithymi, & polypodij, cui decocto admiſcebis confect. Hamech, aut diaprun. ſolut. cum ſucco ſiclæ, aut roſarum perſicarum, & oleo violarum, camemali, & anethi. Quibus factis ſi ab initio ſanguinem redundare conſtet, eum euacuare præcepit Gal. Sed quia humor qui euacuari debet, eſt craſſus, ideò benè vena eſt aperienda, vt meliùs exire poſſit. Quod ſi is, qui fluit, niger ac craſſus apparet, audaciùs mittendus eſt; verùm ſi flauus, aut tenuis videatur, illum ſtatim ſupprimere iuſſit Gal. Ego autumo, quod quamuis tenuis, & flauus exeat ſanguis, non illicò eſt ſupprimendus; nam poteſt accidere, quod in profundiori loco ſanguis craſſus, & niger ſit incluſus, atque adeò non poteſt ſtatim exire, donec ſanguis ſciſſioni venæ propinquus exeat, qui poterit eſſe tenuis, & laudabilis, poſt cuius exitum ſequi ſolet ſanguis niger, & craſſus. Venam ergo ſecabimus interiorem brachij ſiniſtri; ſic etenim faciliùs lienis onus deponimus, vt præcepit Galen. *præcit. loco.*

Vlteriùs quoniam ex ipſis acceſſionibus confluere ſolet ad ventriculum, & inteſtina aliquid humoris crudi, & melancholici, optimum conſilium erit (ſi tale quid accidat) per interualla aliquid aſſumere, quod illum humorem leniter, & blandè euacuet; ad quod maximè laudo pruna damaſcena ſennâ, & ſaccharo condîta, quæ ante prandium aſſumpta maximè prodeſſe experimento didicimus. Prodeſt etiam iuſculum caponis, in quo decoquantur borrago, paſſulæ ſine nucleis, pruna damaſcena, & ſennæ folia cum epithymo; quod ius colatum cum ſaccharo quantitate ℥. vj. bibi poterit: aut ſerum lactis, in quo ſennæ folia ſint priùs per noctem infuſa. Præter dicta auxilia conſulit Gal. vt à frictionibus, & ambulationibus, & aliis vſitatis exercitiis laborans non ſe abſtineat; & ſi quartana breuis ſit, aut non admodum violenta, nihil nocebit, ſi diebus intermediis ad conſueta ſe conferat.

Hæc quidem blanda curatio ante ſtatum eſt peragenda, in ipſo verò ſtatu tenuiori victu eſt vtendum: quod ſi æger die acceſſionis omnimodam inediam tolerare poſſet, illo die nihil cibi eſt adhibendum; ſi verò non, cibum aſſumet ſex aut octo horis ante acceſſionem, & hoc obſeruabitur per totum morbi decurſum.

Deinde cùm iam ſigna coctionis apparent, humorem præparare licebit ſyrup. borrag. fumariæ, lupulorum, de pomis, & melle roſaceo, cum aquis fœniculi, bugloſſæ, & ſchorcioneræ, & meliſſæ; mox humorem educemus decocto florum cordialium, epithymi, ſemin. cartami, & foliorum ſennæ cum confect. Hamech, & electuario diaphœnic. aut cum agarico trochiſc. infuſo in decocto corticum mirobalanorum chebulorum, & nigrorum, foliorum ſennæ, & florum cordial, cum ſyr. ſennato perſico, vel Regio, aut cum pill. aggregatiuis de fumaria, de rhabarb. agarico, & ſimilibus, vel cum morſellis ex confect. Hamech, & diacathol. vel diaphœnic. & ſaccharo paratis. Veruntamen quia humor craſſus, & terreſtris eſt, ſi nequit euacuari vna vice, licebit bis aut ter eadem pharmaca expurgantia offerre.

Demùm iubet Galenus, & cum eo omnes Practici ea adhibere, quæ humorum reliquias conterunt, & lotium ciere valent; inter quæ commendat maximè ſuccum cyrenaicum, & theriacam, quæ etiam proficua plurimùm eſſe ſolet, ſi illius ʒ. j. cum vino porrigatur incipiente valido rigore; auferre enim ſolet rigorem, & maximè illum diminuit, & febris humorem abſumit: eam tamen non licet porrigere ab initio, neque ante ſtatum, vt inquit Galenus; nam ex eius intempeſtiuo vſu ſubſequi ſolet febris continua, aut quartana duplicatur, vel longior efficitur, & aliquando hominem occidit.

Sed quia in hac febre ſplen pati videmus, & ſimiliter ventriculum, illorum oportet habere prouidentiam: quapropter ventriculo admouebis ea, quæ ipſum corroborent, vt decoctum abſinthij, camemali, roris marini, menthæ, vtriuſque ſpicæ, & calami aromatici, quo foueatur ventriculus: deinde illud inunges oleo menthæ, abſinthij nardini, & maſtichis, ex quibus cum puluere cinnamomi, cariophylorum, abſinthij, maſtichis, galangæ, aromatici roſarum vnguentum effinges.

Spleni etiam admoueatur fotus ex decocto camemali, meliloti, tamariſci, radicum capparorum, & altheæ, cum modico aceto. Deinde vngatur hoc, quod recipit olei liliorum, & capparorum ana ℥. iij. radicis altheæ ℥. j. coquantur in eiſdem oleis, & inter coquendum adde. ſucci radicis, aut foliorum ebulorum ℥. j. coquantur etiam donec ſuccus abſumatur; adipis anatis, & vng. filij Zachariæ ana ℥. j. pulueris ſplenij, radicum cappar. & euphorbij ana ʒ. j. ceræ quod ſi ſatis, vt fiat vnguentum, quod mirabiliter emollit, reſoluit, & deobſtruit. Ad idem valènt etiam vnguentum deoppilatiuum, dialthea, oleum de capparis, & amyg. dulcium, & alia id genus.

Interim dum hæc fiunt, oportet etiam ventriculum, lienem, & hepar corroborare interiùs aſſumptis, vt ſunt conſerua borrag. bugloſſæ, & radicis ſcorcioneræ, & corticis citri. Hæc confectio mirabiliter opitulatur viſceribus. ℞. conſeruæ borrag. & bugloſſæ ana ℥. ij. confect. Alchermes, & Hiacynth. ana ʒ. j. pulu. lætitiæ Galeni, & roſatæ nouellæ ana ʒ. j. electuarij de gemmis, & coralli rubri præparati ana ʒ. ß. miſce, & cum ſyrupo pomorum fiat confectio. Doſis eius eſt pro qualibet hora cochlearium vnum cum aqua meliſſæ, aut bugloſſæ.

Præter adducta remedia conueniunt plurimi timorem curaſſe hanc febrem, quod videtur contrariari verbis Galen. 6. *aphoriſm. comment* . vbi inter melancholiæ cauſas timorem, & triſtitiam recenſet. *Timor curat quartanam.*

Sed licèt difficile videatur, nihilominus dicendum eſt, timorem ſubitum hunc morbum aliquando curare poſſe, quatenus per illum calor ad intra recurrit, & humorem febrem hanc conſtituentem calefacit, attenuat, & digerit, & ſic febris auferri ſolet. Ita vt aſſerat Michaël Paſchalius, quod quidam ab initio acceſſionis in flumen proiectus liberatus fuit à febre; quod non aliter euenire cenſeo, quàm quod præ timore, & frigiditate aquæ, calor ad intra recurrens (vt dixi) morbum ſoluit.

Sed quia horror, & rigor ſolent magnum faceſſere negotium, oportet in acceſſionum principiis linteos calidos partibus extremis admouere, & inungere dorſum oleo camemali, rutæ, & de caſtoreo, quibus remediis, vtpote blandioribus, à principio febris vti poſſumus, vel hoc vnguento: *Horroris, & rigoris medela.*

℞. olei camem, & rutæ ana ℥. j. ß. aquæ vitæ A ℥. j. bulliant ſimul ad aquæ conſumptionem; theriacæ magnæ ʒ. j. pulu. cariophyl. & cinnamomi, ana ʒ. ß. ceræ parum: miſce, & fiat vnguentum, quo ab initio rigoris totum dorſum vngatur. Confert etiam aſſumere per os granum muſci cum vino albo, aut parum caſtorei, vel mithridatum, & alia quæ ex Galeni ſententia ſuperiùs adduximus.

---

## QVÆSTIO X.

### *De hemitritæo, ſeu ſemitertiana.*

HVcuſque egimus de febribus ſimplicibus intermittentibus; ab hoc capite agere decreuimus de febribus complicatis: quædam enim febres vnius ſpeciei complicantur cum aliis eiuſdem ſpeciei; quædam verò ſpecie differentes inter ſe complicari videntur, vt oſtendit Galenus 2. *de criſibus*, *cap.* 7. inter vltimas connumerat Galenus ſemitertianam, de qua ſermonem inſtituit 2. *de differentiis febrium*, *cap.* 7. quæ quadrupliciter fieri ſolet. Primo modo quando tertiana intermittens quotidianæ continuæ miſcetur, quæ in rigore dicitur ſemitertiana, vt conſtat ex Paulo *lib.*2. *cap.*34. Secundo modo fit, cùm quotidiana intermittens tertianæ continuæ adiungitur. Tertio modo fit, quando tertiana intermittens, & quotidiana intermittens inter ſe admiſcentur. Tandem quarto modo fit, cùm tertiana continua quotidianæ continuæ admiſcetur. Hæc vltima febris ſpecies, aut complicatio, eſt aliis longè periculoſior; continuò quidem affligit, & cum ſæuioribus accidentibus.

Ex quibus colligitur, hanc febrem ſemitertianam appellari, quia exquiſitæ tertianæ non habet integram naturam, cùm puræ tertianæ aliquæ conditiones illi deficiant. Eſt igitur febris compoſita ex tertiana, & quotidiana, ita vt quolibet die quotidiana habeat ſuam exacerbationem, tertiana verò tertio quoque die: ex quo ſequitur, quod quouis tertio die habebit æger duo principia acceſſionum; & ſi vtraque febris ſit intermittens, habebit etiam duas perfrigerationes: quod ſi vna tantùm intermittens ſit, apparebit tantùm vnica perfrigeratio, quæ tamen deficiet, ſi vtraque febris ſit continua.

Ex dictis etiam infertur, quod in hac febre ſunt duo humores hanc febrem efficientes, non tamen inter ſe miſcentur, vt contingit in notha, aut duplici tertiana; ſed quilibet ſeorſim ſuam facit acceſſionem, & conſequenter ſunt duo membra mandantia.

*Præſagium.* Circa prognoſticum aduertere oportet, quod hæc febris eſt longæ durationis, & ex illa quandoque fit ægritudo acuta, & eſt de febribus interficientibus, quoniam perducit ad hecticam, vt notat Auic. *fen.* 1. *lib.*4. *tract.* 4. *cap.* 17. & ad ſeptem menſes extendi ſolet: at verò quæ plus pituitæ habet, longior eſt quàm illa, in qua eſt dominium bilis. Tabidi, & qui longis aliis morbis detinentur, hac febre præcipuè ægrotant, cui ſi ſuperueniat morbus acutus, præter cæteras eſt lethalis, vt docuit Hippoc. 1. *de morbis popular. comment.* 3. *textu* 5.

### §. VNICVS.

#### *Curatio hemitritæi.*

SI quis eorum, quæ de curatione nothæ, aut duplicis tertianæ diximus, non eſt oblitus, facilè huius febris curationem inueniet; ſiquidem ab humoribus pituitoſo, & bilioſo dependet, ſicut tertiana notha, aut duplex: quapropter conſiderare oportet, an bilis magis quàm pituitæ ſit dominium, aut econtrà, & ſic alimenta, & medicamenta pro ratione humoris magis excedentis adminiſtrare, non poſthabitâ alterius curâ.

Humor ergo præparandus, & euacuandus eſt, & reliqua ſunt peragenda, vt ibi oſtendimus; ſimilique modo membra mandantia ſunt corroboranda, ne in ipſis denuò humores coaceruen-B tur. Quæ omnia diligenter ſunt inſpicienda, & facienda; nam leui errore commiſſo diutiùs protrahitur morbus, vel in aliam febrem acutiorem migrabit, vt dictum eſt circa huius morbi prognoſticum.

---

## QVÆSTIO XI.

### *De febre hepiala.*

DIfficilè admodum eſt ab Authorum ſcriptis ediſcere naturam, & conditiones huius febris; imò eſt diſſenſio inter Arabes & Græcos. Auic. enim inquit hanc febrem fieri ex pituita vitrea putrefacta in abditis corporis partibus, rationе cuius interiora frigent; & quia vapores calidi, C & putridi à pituita orti iuxta partes externas detinentur, ideò eas calefaciunt, ita vt exteriora calida ſentiantur.

Galen. verò 2. *de differ. febr. cap.*6. & *lib. de inæquali intemperie*, *cap.*8. Paul. *lib.*2. *cap.*26. inquiunt, febrem eſſe hepialam, per quam ſimul in eadem parte calor, & frigus ſentitur, in quo etiam omnes Græcos conuenire video.

Sed reverà ſi huius nominis ἠπίαλος, ſignificationem intelligas, nulla inter Arabes, & Græcos erit diſſenſio; ſignificat enim, vt notat Paulus, calorem blandè, & leniter calefacientem. Dicta eſt enim *Hepialos*, ab ἠπίως quod eſt *molliter*, & ἀλεαίνειν, quod ſignificat *calefacere*. Et quia Galenus, & Auicen. talem caloris modum in huius febris genere inueniunt, non mirum ſi diuerſas febres ſub *Hepialos* nomine comprehendant; nos autem in præſenti non agimus de nomine, ſed D de rebus ſignificatis per illud. Et quia ſub nomine hepialæ, febris tam à Galeno, quàm ab Auicen. tradita comprehenditur, de vtraque diſſunctim eſt inſtituendus ſermo: ſit ergo primum dubium.

### §. I.

#### *An febris hepialia ab Auicenna adducta poſſit dari.*

HOc punctum ſine controuerſia tranſigi non poteſt; videtur enim in primis, quod nulla febris dari poteſt, per quam interiora frigeant, & exteriora caleant: quod patet ex febris definitione ab ipſo Auicen. tradita; ſi enim febris eſt calor accenſus in corde, qua ratione cor, & *Pars negatiua probatur.*

& alia viſcera frigere poſſunt durante febre. Quod ſi cor eſſe calidum dicas, quod neceſſariò fateri debes, quomodò membra interiora cordi propinqua non incaleſcunt à calore cordis præter naturam, præcipuè cum ſint intra ſphæram ſuæ actiuitatis?

Secundò efficaciter probatur. Nam pituita vitrea putrefit in interioribus: ergo actu calefit à calore putredinali: ergo ab ipſo calore partes interiores calefiunt.

Tertiò, nam ad hoc, vt inſurgat febris ex pituita putreſcente, neceſſariò requiritur, quod vapores calidi, & putridi, qui ex ipſa conſurgunt, perueniant ad cor, vt illud calefaciant: ergo cùm ad alias partes interiores etiam perueniant, & immediatè attingant, illas etiam neceſſariò calefacient.

B Vltimò, nam pituita vitrea ante febrem non infrigidabat interiora: ergo neque in ipſa febre; nam in febre pituita redditur calida, quia putreſcit; ſi enim dum frigidia exiſtit, non infrigidat, quo pacto dum calida eſt, partes interiores ſibi contiguas infrigidare poterit? Vnumquodque enim (inquit Philoſophus) operatur in quantum eſt in actu. Si ergo pituita dum putrefit, actu calorem habet, quo pacto producit frigus in interioribus? Remanet ergo ex dictis, quod nullo modo hæc febris ſpecies dari poſſit.

His tamen non obſtantibus, hanc febris differentiam dari poſſe defendimus; neque enim rationi reluctatur, quod per febrem interiora algeant eo modo, quo nunc explicabimus.

Ad cuius intelligentiam ſupponere oportet, quod licèt febris ex pituita vitrea putreſcenti ſit intermittens, aut continua, frequentiùs tamen dum ipſa fit, putreſcit humor intra venas; nam vt notat Coſteus, humor ille eſt ita craſſus, & viſcidus, & partibus adhærens, vt per muſculos, & partes ſenſibiles ferri nequeat, qui maximè frigidus eſt, & difficilè admodum euincitur à calore naturali: quo fit, vt partes, quas tangit, refrigeret, vt docet Galen. 2. *de locis affectis, cap.* 5. Ex quo dum putreſcit, calidi vapores eleuantur, qui extrà in vniuerſum deferuntur corpus, illudque calefaciunt, frigidis ſolùm remanentibus partibus interioribus, in quibus pituita reſidet, quæ ſuo contactu eas infrigidare valet.

Quod ſuppoſito facilè defendi poteſt, dari febrem epialam, per quam ſimul interiora frigeant, & exteriora caleant: cuius ratio eſt, nam dum pituita vitrea putreſcit in partibus internis, ex parte pituitæ putreſcentis diffunduntur vapores putridi, qui calefaciunt cor (quod requiritur ad rationem febris,) & partes externas. Ex parte verò pituitæ craſſioris, quæ intus remanet, & non putreſcit, infrigidantur partes ſibi vicinæ, & locus in in quo ipſa continetur; ita vt partes internæ frigidæ maneant, & externæ calidæ, ex quo nullum ſequitur inconueniens: neque Auicen. voluit, quod cor in hac febre non incaleſceret, nec conſequenter partes ſibi propinquæ; nam ſine hoc ſaluari non poteſt integra febris natura, ſed ſolùm quod partes internæ, in quibus pituita illa vitrea reſidet, & partes ſibi vicinæ frigeſcant ex contactu pituitæ frigidæ.

*Ad argumenta reſpondetur.*

Vnde ad rationes in oppoſitum reſpondetur. Ad primam, verum eſſe, cor calefieri, vt probat argumentum; nam ſine hoc ſaluari non poteſt febris eſſentia, vt dictum eſt: non tamen calefiunt partes internæ, in quibus, & iuxta quas illa pituitæ ſpecies detinetur.

Ad ſecundam dicimus, quod vapores calidi ex A putredine eleuantur, verſus corporis habitum diffunduntur, intraque manet pars pituitæ craſſior, & frigidior, quæ ſuo contactu partes internas infrigidat.

Ad tertiam reſpondetur, cor calefieri ab ipſis vaporibus; nos tamen loquimur de partibus internis, in quibus pituita detinetur, quæ actu frigidæ manent.

Ad vltimam, quod ante febrem illa ſuperficies pituitæ frigidæ, quæ tangebat partes internas, non infrigidabat illas, eo quod ab ipſis ſecundùm illam ſuperficiem erat calefacta: at verò poſtquam à calore præter naturam agitatur, & mouetur, diuerſæ ſuperficies pituitæ frigidæ membris applicantur, quæ talia infrigidant membra. Ex quibus manet probatum hanc febrem ab Auicen. adductam dari poſſe.

## §. II.

### *An febris hepiala à Galeno tradita dari poſſit.*

*Pars negatiua aſſignatur.*

GAlenus loco ſuperiùs citato inquit, dari hanc febrem ex acida, aut vitrea pituita procedentem, per quam ſimul in toto corpore ſentiuntur calor, & frigiditas; quod videtur Philoſophiæ aduerſum, nam idem mobile non poteſt ſimul moueri duobus motibus contrariis: ſed calor, & frigus ſunt contraria: ergo ſi ſimul in eodem ſubiecto producuntur, illud mobile, ſeu ſubiectum duobus contrariis motibus mouebitur. Sicut enim eſt impoſſibile, quod termini contrarij ſimul exiſtant in eodem ſubiecto, ita ſimiliter eſt impoſſibile, quod motus, per quos producuntur illi termini, ſimul C etiam in illo ſubiecto dari poſſint. Cùm ergo calor, & frigus in gradibus intenſis ſint contrarij, neceſſariò ab eodem ſubiecto mutuò ſe expellunt, ac per conſequens ne ſequatur dictum inconueniens, non poſſunt ſimul eandem partem informare: ex quo ſequi videtur, quod hæc febris malè à Galen. aſſignatur.

*Concluſio reſponſiua.*

Sed licèt hæc vera ſint, nihilominus dicendum eſt iuxta Galeni ſententiam, dari poſſe hanc febrem, quam ipſe hepialam vocat; in qua ſenſus iudicat: eādem præciſè partem ſimul infrigidari & calefieri nam cùm partes frigidæ, & calidæ ſint maximè propinquæ, & vicinæ, ſenſus iudicat partem, quæ calorem recipit, ſimul etiam recepiſſe frigus. Sed quia hoc iudicium eſt fallax, ratio corrigit ſenſum, dum cognoſcit duo contraria non poſſe ſimul adeſſe in D eodem ſubiecto, neque vnum mobile moueri ſimul duobus motibus contrariis; & ſic vera eſt doctrina Galeni quantùm ad ſenſum, non tamen quantùm ad veram intellectus cognitionem; ex quo manet ſolutum argumentum.

*Qua ratione ſiat hæc febris.*

Sed reſtat nunc examinare, quo pacto ex pituita vitrea, & acida putreſcente ſentiri videantur calor, & frigus in eadem parte? De hoc puncto vario modo loquntur Authores. Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tractat.* 2. *cap.* 53. duas ſupponit mineras putredinis, vnam in interioribus, alteram verò in exterioribus, in quibus dum efficitur hæc febris, humores continentur, & putreſcunt, qui ad inuicem mittunt vapores ex vna parte in aliam, ita vt vapores, qui ex putredinis minera interiori eleuantur, exteriora calefaciant; & qui ex exteriori, interiora: & quia in interioribus, & exterioribus remanet pituita craſſior, & frigidior, quæ nondum putruit, ab ipſa etiam partes externæ & internæ infrigidantur; & ſic tam in internis, quàm externis calor, & frigus ſimul percipiuntur.

Sed ex iſto dicendi modo potiùs ſequitur, quod ibi ſunt duæ febres complicatæ,quàm vna; ſiquidem ibi ſunt duæ mineræ putredinis, ex quibus vapores calidi in cor diffundi poſſunt, & febrem conſtituere.

Gal. verò aliter opinatur, qui non ponit duas mineras putredinis intra, & extra; ſed aſſerit eundem humorem diuerſas partes calefacere, & infrigidare; ita enim *loco iam cit.* & *de inæquali intemperie cap.* 8. *Si enim* (inquit) *modica aliqua in pituita vitrea fiat putrefactio, febrem epialam appellatam inducit.* Ratio huius eſt, nam ex parte, quæ putreſcit, ipſius humoris partes calefiunt; ex parte verò, quæ non putreſcit, & frigida eſt, partes infrigidantur, ita vt ſimul calorem,& frigus æger in eiſdemmet partibus ſentire videatur. Verùm ſi vehementiùs putreſcat illa pituita, & calor præter naturam illam ſuperet, tunc quidem non facit febrem ſpecialem, ſed potiùs febrem quotidianam, ſaltem ſpuriam, & illegitimam, quam rigor antecedit, vt notat Paulus *lib.* 2. *cap.* 26.

Aliam cauſam excogitauit Galenus *lib. de inæquali intemperie, cap.* 8. dum ait: *Quod ſi pituitoſus ſuccus, qui frigidus eſt, quemque Praxagoras vitreum appellat,& amara bilis, quæ calida eſt,ſimul abundent, ac per ſenſibilia membra moueantur, nihil miri eſt, vtrunque à cubante pari modo ſentiri.* Quo loco non ſolum pituitam vitream eſſe huius morbi cauſam ſtatuit, ſed etiam amaram bilem. Ex quo deducimus, duplicem eſſe febrem hepialam, iuxta Galeni ſententiam; exquiſitam vnam, quæ ſcilicet ex pituita dependet; illegitimam aliam, quæ à duplici conſurgit humore, de qua fuit loquutus libro de inæquali intemperie.

Ex dictis conſtat, ex quibus cauſis iſtæ febres dependeant, neque aliis ſignis ad earum cognitionem indigemus. Cum his tamen vrina erit cruda, cum ſedimento craſſo, & pulſus tardus, & rarus; acceſſiones etiam tardè, & paulatim ob exiguum calorem ſuccenduntur; & quia harum febrium materia ſolet eſſe parua, & groſſa, non omni die accenditur, vt docet Auic. ſed efficere ſolet tertianam, aut quartanam.

### §. III.

### *Curatio epialæ.*

QVoniam hæc febris, vt docet Paulus, & Auic. eſt de genere quotidianarum, vtpotè ex pituita naſcens, eidem curationi ſubiicitur, hac ſolùm adhibità differentia, quòd cum hæc febris ex pituita naſcitur craſſa, & viſcida nimis, calidioribus, magiſque inſcindentibus indiget auxiliis, ob quod non eſt quod in remediis tradendis immoremur.

## QVÆSTIO XII.

### *De febre lipyria.*

QVando intus, & in ipſis viſceribus calorem ſentiunt ægri, in externis verò partibus frigus, tales febres à Græcis lipyriæ vocantur, vt *lib. de inæquali intemperie, cap.* 6. ſcriptum reliquit Galenus.

Multis modis lipyriam fieri teſtantur Authores. Auic. *fen.*1.*lib.*4. *tract.* 2. *cap.* 51. tradit cauſam generationis huius febris, dum aſſerit, quod hæc febris eſt phlegmatica, & aliquando cholerica ex bile groſſa dependens;dum enim in interioribus quælibet ex iis inflammantur, aut putreſiunt, vapores craſſi, qui ex pituita craſſa, & bile eleuantur, non multùm calefacere poſſunt partes externas, in quas diffunduntur; nam cùm à fonte putredinis, à qua incaluerunt, receſſerunt, facilè calorem adquiſitum amittunt, & frigiditatem deperditam recuperant; reducuntur enim ad priſtinam naturam, ſicut aqua calefacta reducitur ſemoto calefaciente; ſicque illorum frigiditas in exterioribus ſentitur. Accedit ad hoc, quod ſi partes externæ multa pituita ſcatent, ab ipſa etiam vapores illi refrigerantur, ita vt interiora,in quibus putreſcit humor ille, calida ſentiantur, & exteriora frigida.

Galenus 4. *aphor. comm.* 48. & *lib. de definitionibus medicis*, alias lipyriæ ſpecies adduxit; inquit enim interiora vri, & extrema refrigerari in febribus ardentiſſimis, & malignis: ex quibus ſequitur, quod cauſon dupliciter interiora vrit, & extrema refrigerat; aut nimio calore in profundiori corporis parte exiſtente, vt contingit in inflammationibus internis, ad quas totus ex toto corpore ſanguis & ſpiritus attrahuntur, ita vt exteriora frigida maneant, & interiora nimis incaleſcant; aut malignâ qualitate febris ſanguis, & ſpiritus, qui partes externas calefaciebant, conſumuntur, & corrumpuntur, ex quorum defectu partes externæ calore deſtituuntur, & refrigerantur eo modo, quo diximus extrema refrigerari tractatu de rigore; intra enim ſanguis, & ſpiritus tempore indigentiæ colliguntur, deſeruntque partes externas, in quorum abſentia neceſſe eſt vt frigeſiant.

Similiter hæc febris ſpecies conſurgit ex inflammatione aliqua interiori, vtpotè pulmonis, ventriculi, vel alterius partis, ad quam cucurbitulæ inſtar ſanguis totus attrahitur, vel nimio illius calore ſanguis, & ſpiritus abſumuntur, & qui erant in partibus exterioribus ad intra mouentur in naturæ ſubſidium; & ſic partes externæ frigidæ ſentiuntur.

Ex dictis conſtat, hanc febrem aliquando eſſe morbum, & aliquando caſum morbi, vel accidens illius; tunc enim verè eſt morbus, quando procedit ab ipſis humoribus in venis putreſcentibus, ex quibus immediatè conſurgit febris, vt in ea ſpecie, quam Auic. aſſignat; de hac enim loquitur Galen. 7. *aphor. comm.* 42. vbi ex antiquorum ſententia lipyriam inter morbos per ſe recenſet. Quando verò ſequitur morbum, inflammationem ſcilicet, tunc accidens illius dicitur.

Hæc febris non eſt de genere intermittentium, vt 4. *aphoriſm. textu* 47. docuit Hippocrat. ſed à principio in finem indeſinenter ægrum moleſtat. Cùm variæ ſint huius febris ſortes, varia etiam ſigna conſtitui debent ad illarum cognitionem; nam ſi hæc febris ſit de genere ardentium, vel aliquam ſequatur inflammationem, cognoſci debet per ſigna cuilibet tam febri, quàm inflammationi propria. Quod ſi ex pituita dependeat, ex calore tepido, & vrinæ cruditate, & pulſu paruo, & inæquali dignoſcitur. Si verò ex bile craſſa, vrina magis flaua apparebit, cum ſedimento craſſo, aderit ſitis, & oris ſiccitas, linguaque erit nigra; ad cuius cognitionem etiam conſiderare oportet naturam ægri, & ætatem, an ſcilicet hoc, vel illo humore abundet, vt coniecturâ aſſequi poſſimus, an potiùs ex hac, quàm ex illa cauſa dependeat.

Hæc febris non raró viſa eſt; exiſtimo eſſe nimis pernitioſam ſecundùm illam Hippocrat. ſententiam vniuerſaliter prolatam 4. *aphoriſm. textu* 48. *cit.* vbi ait: *In febre non intermittenti, ſi*

*interiora*

*interiora vrantur, & extrema refrigerantur, & ſitim habeat, lethale.*

### §. VNICVS.

*Curatio lipyriæ.*

CVm variæ ſint huius febris differentiæ, non poteſt pro omnibus vna curatio inſtitui, ſed eſt varianda potiùs pro diuerſitate cauſæ, ex qua febris ortum habet. Si igitur febris hæc ſit accidens alterius morbi, inflammationis ſcilicet, ſedatâ inflammatione aufertur; quapropter remedia admoueantur, quæ curandi inflammationem vim habeant. Quod ſi ex cauſonide, aut ex febris malignitate contingat interiora vri, & extrema refrigerari, remedia admouebimus cauſonidi, aut febri malignæ idonea, de quibus propriis capitibus inſtituetur ſermo.

At verò ſi ex pituita viſcida, & craſſa interiùs putrefaciente, vel ex craſſa bile originem trahant, attenuantibus, & maximè inſcindentibus eſt vtendum, vt capite de febre quotidiana actum eſt.

Vnum tamen præceptum in omnibus obſeruabimus, videlicet quod calor interiora adurens, ſi poſſibile fuerit, ad extra reuocetur, idque aſſequemur ligaturis, & frictionibus partium extremarum, necnon cucurbitulis ſcarificatis, & ſine ſcarificatione. De hac enim febris curatione parum, & leuiter Arabes, & Græci pertractarunt, parumque de illa à recentioribus actum eſt: nobis tamen ſufficiat curatiuas adduxiſſe indicationes, vt ſciamus quâ viâ, & methodo eas curare valeamus.

*Obſeruatio.* Veruntamen quod mihi contigit in huius febris curatione, non poſſum non referre. Quidam Magiſter Ordinis Sancti Patris Auguſtini, qui ſacram edocebat Theologiam in inſigni Sancti Gabrielis Collegio huius vrbis Pintianæ, febre ardenti cum extremorum frigiditate fuit afflictus, cui etiam aliorum Medicorum conſilio plurima fuerunt adhibita remedia; nihil tamen commodi ex eis conſpeximus, tuncque in animum induxi, vt ei iniicerentur clyſteres refrigerantes ex decocto lactucæ, ſcariolæ, violarum, hordei, radicum iuſchiami, & capitum papaueris albi, cum oleo violarum, & roſarum, & ſaccharo albo; quibus ita attemperatus fuit calor ille interiùs reconditus, vt viribus reſtauratis, ad extra propulſus potens fuit extrema calefacere, ſitim, & reliqua ſedare ſymptomata, & ſudore commoto, nunc incolumis perſeuerat; de quo remedio in meipſo periculum feci quondam febre ardentiſſima vexato cum extremorum frigiditate.

## QVÆSTIO XIII.

*De febre ardenti.*

QVamuis nomine cauſi quælibet febris exurentiſſima intelligatur, in præſenti tamen accipitur pro ea febris ſpecie, quæ ex ſincera bile putrefacta procedit, quæ à tertiana differt, quoniam in ipſa humor intra vaſa putreſcit, neque ad infebricitationem deuenit, quia humor in ipſa non expurgatur, vt contingit in tertiana exquiſita, in qua humor bilioſus extra vaſa putreſcit, & tranſacta acceſſione, vomitu aut ſudore excernitur, vt docuit Galenus 2. *de criſibus*, *cap.* 3. De hac equidem febre egit Hipp. 4. *de ratione victus in morbis acutis*, vbi duas cauſi ſpecies annumerat, vnam exquiſitam, alteram ſpuriam. Exquiſita fit cùm venæ exſiccatæ tempore æſtiuo, acres, & bilioſas, quæ tenues ſunt, ad ſe trahunt humiditates. Eſt alia etiam febris ardentis ſpecies exquiſita, quæ ex bile intra venas maiores putreſcente excitatur, vt docet Galenus 4. *aphor. comm.* 59. & Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 41. Nothus cauſos fit ex pituita ſalſa putreſcente, qui acutie, & accidentibus à primo, & legitimo cauſo differt, vt ex eodem Hipp. eodem loco ſuprà citato colligitur.

Aliæ ſunt ſpecies febrium continuarum huic febri finitimæ, quæ ex eadem cauſa proficiſcuntur; quales ſunt tertianæ continuæ, quæ differunt à febre ardenti in hoc, quòd tertianæ continuæ tertiò quoque die fortiores fiunt, de quibus dixit Hipp. 4. *aphor. textu* 42. *Febres quæcumque non intermittentes, tertia die fortiores fiunt, &c.* & Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 35. tertianam continuam à cauſo diſtinxit, eo quòd in tertiana percipiuntur exacerbationes, in cauſo verò æqualis à principio in finem percipitur calor, & ſine remiſſione, donec ex toto iudicetur.

Eſt etiam alia ſpecies febris continuæ, quæ ex bile aduſtiori, torrida, vel vitellina, aut cuiuſvis alterius præternaturalis bilis ſpecie originem ducit, quæ quia parum differt ab ardenti, de illius curatione etiam hoc loco eſt pertractandum.

Ad harum febrium generationem concurrunt omnia, quæ bilem procreare valent, vt aër calidus nimis, æſtiuum tempus, alimenta acria, & plerunque calida, exercitatio immodica, animi paſſiones, præſertim ira, ad quod maximè iuuat ſi ætas ſit iuuenilis, & bilioſa, ſicut repugnat illi ætas ſenilis.

Duo præcipua ſigna huius febris adducit Galenus 3. *epid. comm.* 3. *ſuper text.* 34. nempe ingens cauma, & ſitis inexhauſta, quæ ſemper hanc comitantur febrem, niſi à potentiori cauſa aliquod illorum impediatur, vt ſi v. g. ob aliquam diſtillationem madeſcant loca, quæ ad aſperam pertinent arteriam, & minùs ſiticuloſi fiant. Quapropter dixit Hipp. 4. *aphor. textu.* 54. *Quibus plurimùm ſiccæ tuſſes leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multùm ſiti infeſtantur.*

Præter dicta ſigna adſunt etiam lingua ſicca, aſpera, & nigra, ventris morſus, deiectiones pallidæ, virides, aut nigræ, vigiliæ immodicæ, & aliquando delirium, totius corporis inquietudo; reſpiratio crebra, frequens, & magna, pulſus frequentior, & celerior exiſtit, quàm in reliquis febribus continentibus, durior, & inæqualior: vrina etiam flaua, quæ aliquando alba apparere ſolet; quæ delirium futurum prænuntiat; indicat enim humorem, qui vrinam tingebat, ſurſum rapi. Hæc febris licèt cum rigore non inuadit, cùm rigore tamen deſinit.

*Præſagium.* Hæc febris ſi exquiſita ſit, prima ſeptimana iudicatur, vt notat Gal. 2. *de criſ. cap.* 6. eſt enim morbus acutiſſimus, qui celeriter terminatur. *A febre etiam ardente habito rigore ſuperueniente ſolutio*, ex Hippoc. 4. *aphor. text.* 58. Flaua quidem bilis, quæ erat huius morbi cauſa, expellitur à natura veloci quodam motu per membra ſentientia, & illorum concuſſionem, & rigorem excitat. Verùm ſi rigor incidat febre non deficiente, & ægro iam debile exiſtente, lethale eſt, vt ex eodem conſtat 4. *etiam aphor. textu.* 46. Nam vires valdè debiles rigorem, & expulſionem humoris inceptam non poſſunt conſummare, nec rigoris agitationem ferre; ideoque remanet febris, quam vires debiles ſuſtinere non poſſunt, atque adeò æger perit. Quod ſi ex naribus

fluxerit ſanguis, ſoluitur ægritudo; atque ſi ſudores ſuperuenerint iudicatorij, & cum ſignis ſolutionis, vt ſcripſit Hippoc. 4. *de ratione victus*, *text.* 10. iudicatur etiam per abſceſſum, vt *eodem lib. textu* 11. aſſeruit Hippocrates: at verò ſi ſanguis ſtillauerit repentè, malum quidem eſt, vt ibi textu 67. inquit idem Author; nam natura eo tempore cupit quod ſuperfluum eſt excernere; ſed ob propriam imbecillitatem nequit, vel ob ſanguinis craſſitiem, vel partium denſitatem, aut obſtructionem. Quod ſi vrinæ nigræ ſint, tenues, & paucæ, pernitioſum eſt.

## §. I.

### *Curatio febris ardentis.*

CVm ſeptem diebus febris hæc terminetur, aut non longè à ſeptimo die, ſi vires validæ ſint, atque ætas conſentiat, admodum exquiſitus, & tenuis victus eſt inſtituendus, vt præcepit Galen. 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap.* 13. *iuxta principium*, qui etiam debet eſſe refrigerans, & humectans, qualem tradidimus capite *de tertiana exquiſita.* Aër frigidus, & humidus ſit, aut talis arte paretur foliis, ac floribus roſarum, violarum, & ſalicis ſparſis, & irrorato cubili aquâ roſacea, & aceto, & fontanellis arte paratis, & aëris commotione flabello madido facta. Vtile etiam admodum eſt vti clyſteribus refrigerantibus, & emollientibus, qui confici poſſunt ex decocto hordei, maluarum, lactucæ, & ſeminum frigidorum, & ſaccharo, qui præter vim emolliendi ſuâ frigiditate calorem adurentem temperant, & ſomnum conciliant, qui maximè expeti ſolet in hac febre. His ſic debitè adminiſtratis de contentione inter Medicos agitata agendum eſt.

## §. II.

### *An in febre ardenti ſit ſanguis mittendus vſque ad animi deliquium.*

*Pars negatiua probatur.*

PLurimis in locis iuſſit Galenus in febribus ardentiſſimis ſanguinem mittere vſque ad animi deliquium, præcipuè tamen 1. *aphoriſm. comm.* 23. & *lib. de ſanguinis miſſione, cap.* 12. & 6. *methodi cap.* 4.

Hæc tamen Galeni doctrina aliquibus ſuſpecta videtur, qui talem modum mittendi ſanguinem reformidant.

Paulus *lib.* 2. *cap.* 30. non ſolùm ſanguinem non mittit ad animi vſque deliquium, ſed nec recordatur ſanguinis miſſionis in febris ardentis curatione. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 78. curans hanc febrem admonet refrigerantia, & humectantia, nullâ factâ mentione ſanguinis miſſionis; quod vtique faceret, ſi non eſſet auxilium ſuſpectum, præſertim cùm ipſe maximi faciat Galeni doctrinam, à qua tamen in præſenti recedere videtur.

Idem ſenſit Trall. *lib.* 12. *cap.* 3. qui Authores haudquaquam ſanguinem detrahunt in hac febre, neque eſt credendum, quod auxilium ita efficax omiſiſſent, ſi huic febri propellendæ conueniens foret.

Quorum doctrina fundamentum habere poteſt in verbis Galeni, qui 4. *de ſanitate tuenda*, *cap.* 4. ſanguinis miſſionem interdicit, vbi humores citra, vel infra ſanguinem exiſtunt; nam extracto ſanguine puriores redduntur humores, neque ita benè à ſanguine corriguntur; & hanc ob cauſam Auic. in curatione huius febris dixit: *Et non phle-*

A *botometur; fortaſsè enim phlebotomia inflammabit eos.*

Alij verò ſanguinem eſſe mittendum fatentur, non tamen vſque ad animi deliquium; dicunt enim, febribus omnibus putridis ſanguinis miſſionem conuenire, vt nos etiam ſuo loco probauimus; inter quas hæc febris ſors annumeratur: non licere tamen ſanguinem extrahere vſque ad animi defectionem, quod nititur ſuadere Auicen. *fen.* 4. *lib.* 1. *doct.* 5. *cap.* 20. qui ſecuriorem cenſet numeri multiplicationem, quàm quantitatis; idemque ſenſit Celſus *lib.* 3. *cap.* 10. qui in biduum diuidere iubet ſanguinis miſſionem, ita vt ſit melius infrà ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſimè euacuare; nam omni vi effuſa æger periclitabitur: quod conſtat in cura aquæ inter cutem, aut in empyemate, in qua ſi ſemel pus, aut aqua effluxerit, omnes moriuntur, quantò magis ſi ſanguis, vitæ theſaurus, vnicâ venæ ſectione in magna quantitate extrahatur. *Aliorum opinio.*

B

Similiter per hanc febrem vigiliæ immodicæ infeſtare ſolent, in quibus cauendæ ſunt copioſæ, ac multæ euacuationes, vt monet Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 13. ac per conſequens talis ſanguinis miſſio præcauenda.

Sed quamuis horum fundamenta probabilitatem quandam habere videantur, non tamen euertunt Galeni doctrinam, ad cuius intelligentiam ſupponere oportet, quod dum ſanguinem mittimus, quodlibet animi deliquium non eſt terminus huius euacuationis; nam ſi ex metu, aut conturbatione animo linquat æger, non ſtatim ſanguis ſiſtendus eſt, ſed iacente in lecto ægro, eſt ſanguis extrahendus: neque etiam ducendus eſt æger ad ſyncopen, & animi defectionem, ſed potiùs ad lipothymiam, ſeu animi deliquium, quod ex euacuatione procedit, neque in pulſu magnam

C

efficit mutationem, ad cuius cognitionem interim dum ſanguis fluit, attrectandæ ſunt arteriæ, ne ex tali euacuatione virtus vitalis maximè dilabatur, vt monet Galen. *libro de ſang. miſſione*, *cap.* 12.

Secundò ſupponimus ex eodem Galen. non ſolùm eſſe neceſſarium mittere ſanguinem propter ſolam ſanguinis effuſionem, & cauſæ morbi remotionem; ſed etiam ſanguinem extrahendo deliquium cauſare, quo friget corpus, & intemperies calida aufertur, vomitus, aut alui fluxus, vel ſudor copioſus excitari ſolet, vt contigit iuueni illi, qui exurentiſſima febre laborabat, quem curauit Galenus ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquium, cuius corpus ex animi defectu fuit refrigeratum, & bilis vomitus, & ſudores illi ſuperuenerunt, protinuſque febrem extinxerunt, vt ipſe teſtatur 9. *method. cap.* 4. Cùm ergo ex re-

D

petita ſanguinis miſſione dicta commoda non ſequantur, hinc eſt, vt iubeat Galenus ſanguinem mittere vſque ad animi deliquium; ſic enim ſimul febrem attemperat, & illius cauſam detrahit: quapropter dici ſolet, quod Galenus copioſa ſanguinis miſſione iugulabat febres.

Sunt qui dicant, Galenum hoc remedium adduxiſſe pro ſynochi curatione, in quo ſanguis ſuperabundat, vt ex locis ſuprà citatis colligi poteſt; non tamen loqui videtur de febre ardenti, quæ ex ſincera bile dependet; in qua non licet exquiſitiſſimè euacuare, imò neque aliquo modo ſanguinem detrahere, vt docent Aët. Paul. Tral. & alij.

Hi tamen probabiliter non loquuntur, nam in exurentiſſimis febribus, & magnis inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus nullum maius remedium

remedium nouit Galenus quàm vſque ad animi deiectionem euacuare: nomine verò ardentiſſimarum febrium neceſſariò intelligere debemus ardentiores, quales ſunt illæ, de quibus nunc egimus. Quod etiam ipſa ratio ſuadet; nam quo ardentiores ſunt febres, auxilio indigent magis refrigeranti, tale enim eſt ſanguinis miſſio vſque ad animi deliquium: ergo eo vti licebit in his febribus, quæ maximè refrigerantia expoſcunt, modò vires conſtent, quæ talem, & tantam euacuationem ferre poſſint. Quare non ſunt audiendi, qui ſanguinis miſſionem interdicunt, eſt enim morbus iſte vehemens, & acutus, in quo ſi virium adſit robur, nullus erit in medica arte exercitatus, qui ſanguinem mittere non audeat. Neque ex hoc ſequitur, vt vult Auicenna, quod ex phlebotomia bilis ſincerior reddatur, & magis inflammetur; nam ſi ex vtre vino diluto pleno dimidiam partem ſubtrahas, vinum neque meratius fit, neque dilutius; ita ſimiliter ſi ex bile ſanguini admiſta aliquid detrahas, portio quæ in venis remanet, neque ſincerior erit, neque magis ob hanc rationem inflammabitur.

Neque Celſi exemplum aliquam vim habet; nam in hydropicis totam aquam ſimul non extrahimus, quoniam facultas eſt vehementer debilis, & ex larga aquæ profuſione ſtatim moritur æger: at verò quando in hac febre, & in aliis ſanguinem extrahimus vſque ad animi defectionem, ſupponimus virium conſtantiam, ſine qua tale auxilium expeti non debet.

Manet ergo ex dictis, quanti momenti ſit ſanguinem mittere in hac febre vſque ad animi deliquium. Veruntamen quia ſolet plerunque accidere æſtatis tempore, in quo vires à calore facilè reſoluuntur, & tantam euacuationem ferre non poterunt, ideò ſecurius erit partitas euacuationes facere, dummodò non ſis certus, quod vires copioſam hanc euacuationem tolerabunt. Quapropter inquit Galen. *lib. de ſanguinis miſſione, cap.* 12. *Proinde ſatius eſt à tam copioſa vacuatione abſtinere.*

Quod ſi ex ichoroſis humiditatibus in venis prope cor putreſcentibus febris hæc ſuccendatur, vt contingit æſtatis tempore in iuuene bilioſo, & ſiccæ naturæ, maximè offendunt integræ euacuationes, vt inſinuauit Galenus 1. *de arte curatiua ad Glauc. cap. iam citato*; ſunt enim humiditates illæ in venis minoribus, à maioribus valde diſſitis ex quibus ſanguinem extrahimus, ex cuius defectu magis areſcit corpus. Accedit ad hoc, quod illæ humiditates ſunt vitio plenæ, magis quàm quantitate peccantes, in quarum præſentia interiora vtuntur, & extrema refrigerantur, eo quod ſpiritus vitales abſumunt, qui exteriora calefaciebant. Ex quo ſequitur, quod vires deficiant, ita vt nullam, aut paruam ſanguinis miſſionem ferre poſſint. Quæ omnia attentè inſpicere debemus, vt melius curationem huius febris inſtituamus.

## §. III.

### *Alia huius febris remedia proponuntur.*

CVm ergo venulæ reſiccatæ ad ſe humiditates illas alliciant, quæ ſunt extra ſanguinis conſortium, & ſanguinis miſſione extrahi non poſſint, licebit eas attemperare. Et cùm febris hæc ſit calidiſſima, & ſicciſſima, nimis refrigerantia, & humectantia ſunt adhibenda, quibus humor A præparetur, & corrigatur. Conuenit ergo quolibet die aſſumere ſyrupum acetoſum, granatorum, chicorei, oxalidis, borrag. aut violarum, cum aquis chicorei, oxalidis, vel bugloſſæ, in maiori adhuc quantitate quàm in aliis febribus. Tantæ enim efferueſcentiæ hæc febris eſt, vt ſi nimis refrigerantia non adhibeas, nihil commodi conſequi videaris. Quare hæc, & alia mane, & veſpere ſunt aſſumenda. Confert etiam aſſumere apozemata ex decocto hordei, quatuor ſeminum frigidorum maiorum, radicis ſcortioneræ, oxalidis, & chicorei, cuius decocti accipe ℔. iij. ſyrup. acetoſi, & borrag. ana ℥. iij. margar. præp. & elect. de gemmis ana ʒ. j. ſacchari quod ſit ſatis ad gratum ſaporem, de quo ſerò, & manè bibat æger ℥. vj. Quod ſi ſigna coctionis appareant, audacter aquam frigidam dare iubet Galen. 9. *methodi, cap.* 5. præcipuè ſi æger frigidæ ſit aſſuetus; roboratur B enim natura, & humores per aluum, & ſudorem excernere ſolet. Verùm ſi æger inflammatione, vel obſtructione aliqua laboret, aut humores incoctos habeat, & non ſit aſſuetus aſſumere frigidam, haudquaquam eſt offerenda; facile enim ex eius aſſumptione humor incrudeſcit, & denuò parit febrem.

Sed quia in hac febre vigiliæ immodicæ, & capitis dolores infeſtare ſolent, illis prouidebimus oxyrrhodino ex oleo roſarum, de papauere, & aceto; aut oleo roſarum cum ſucco lactucæ, aut portulacæ, & aceto. Caput etiam fouebimus decocto foliorum lactucæ, capitum papaueris albi, radicum iuſchiami, & ſeminum frigidorum maiorum, & florum cordialium, aut lacte caprino; ad quod etiam iuuat vnguentum populeon, & roſarum, quibus ſuperpones linteos aqua roſacea, vel lacte mulieris imbutos. Conuenit etiam ſumere ſyrupum de portulaca, aut de papauere; C & violarum, cum decocto hordei, vel aqua chicorei.

Sitis etiam, quæ maximè vrget, ſedari debet oris ablutione cum aqua roſacea, aut hordei, cum modico aceto, & ſaccharo, aut vino rubro bene aqua diluto, vel lacte amygdal. dulcium; ad quod etiam valent mucilagines ſeminis citoneorum, & pſillij in aqua roſarum extractæ: quibus addes aliquid ſyrupi violacei, & ſacchari. Teneat etiam in ore fruſtum cryſtalli prius in aqua refrigerati.

Tranſactis ſeptem diebus, quibus hæc febris terminari ſolet, ſi febris remittatur, poteris quidem humorem radicitus expurgare rhabarb. diluto, & ſyrup. regio, & perſico ſolutiuo, diacathol. & ſimilibus. Si verò adhuc perſeueret, differenda eſt purgatio donec calor ſedetur. Interim tamen interiùs, & exteriùs refrigerantia admouebis, D qualia etiam capite *de exquiſita tertiana* annotauimus. Quod ſi ex toto non auferatur febris, factâ purgatione non erit abs re ſaluatellam manus dextræ aperire, & aliquid ſanguinis extrahere, vt ibi etiam diximus.

Febris ardens notha, ſeu illegitima, licèt expoſcat remedia frigida, & humectantia, non tamen ſicut exquiſita, cùm non ſit ita intensè calida ſicut illa.

## QVÆSTIO XIV.

### *De febre ſanguinis.*

DVplicem febrium ſanguinis differentiam conſtituunt Medici ; vnam quæ ex ſanguine inflammato, & efferueſcente ; & aliam, quæ ex ipſo putreſcente initium habet, vt colligitur ex Galeno 2. *de different. febrium*, *cap.* 2. *&* *cap.* 9. & *lib.* 9. *methodi*, *cap.* 3. *&* 4. & 2. *de criſibus*, *per plura capita*. Rurſus quælibet febris ſanguinis eſt continua, neque ad infebricitationem deuenit, donec ex toto ſoluatur, vt citatis locis, & alibi millies inſinuauit Galen. Quod autumo frequenter accidere; non tamen repugnat febrem ex ſanguine intermittentem excitari poſſe, cùm talem poſſit putredinem adquirere, vt extra vaſa trudatur. Reducitur tamen ad tertianam febrem, quia tertianos habet circuitus; qua de cauſa illius non recordatur Galen. Differt tamen ab aliis continuis, vt docet Gal. 2. *de differ. feb. cap.* 2. nam aliæ ſingulis diebus, aut tertio, vel quarto quoque die habent exacerbationes; ſanguineæ verò, quas ſynochas vocant, vniuerſum tempus in vna acceſſione conſumunt, quæ à principio vſque ad finem pertingit. Vlteriùs iſtæ febres ſunt in triplici differentia; nam quædam earum à principio ad finem æqualiter perdurant, & in eodem ſtatu perſeuerant, in quibus principium & augmentum non eſt ſenſibile; quas vocant homotonas, atque acmaſticas. Aliæ paulatim augentur à principio in finem, quas vocant anabaticas, & epacmaſticas. Tandem aliæ dicuntur decreſcentes, quia à principio in finem diminuuntur, quas appellant paracmaſticas. Similiter ſcire oportet, quod prima febris differentia in eodem ſtatu à principio in finem perſeuerat, quia tantùm ſanguinis alteratur, aut putreſcit, quantùm reſoluitur; in ſecunda verò febris differentia plus alteratur, quàm reſoluitur, & ſic vſque in finem creſcit calor: & quia in tertia febris differentia plus reſoluitur, quàm alteratur, aut putreſit, ideò à principio in finem decreſcit.

*Febris ſanguinea differentia.*

Sed licèt febris ex feruore ſanguinis ferè ab omnibus admittatur, eamque ad genus febrium ephemerarum reducant, vt *lib.* 2. diximus, dubitant tamen, an detur febris ex putredine ſanguinis? Quod licèt ab aliquibus admittatur, alij tamen id negare videntur ex verbis Gal. fundamento deſumpto; quod quidem ſine controuerſia tranſigi non poteſt.

### §. I.

### *An detur febris ex putredine ſanguinis, manente ſanguine ſub propria forma.*

*Pars negatiua probatur.*

OCcaſionem dubitandi dedit Gal. qui 2. *de criſibus*, *cap.* 6. docuit tantùm eſſe tria genera febrium ſimplicium putridarum, nempe ex bile, pituita, & melancholia: ergo non poteſt dari quartum genus febris putridæ ex ſanguine. Et *cap.* 12. eiuſdem libri, inquit: *Quæ enim ex ſanguinis putredine fit, quodammodo bilioſa eſt.* Et paulò poſt ait: *Quidquid igitur pingue, & tenue in ſanguine eſt, fit flaua bilis; craſſum verò, ac veluti fæx, quando immodicè calefactum exaruerit, atra.* Si ergo

A in amaræ bilis naturam tranſit ſanguis dum putreſcit, febrem ex bile producit, & ſic ſaluatur triplex genus febrium putridarum, vt ipſe etiam eodem loco ſtatuit. Vlteriùs 2. *de different. febr. cap.* 9. agens de febre ex inflammatione ſanguinis, inquit, ipſam ſimilem acceſſionum proportionem habere, qualem tertianæ maximè febres oſtendunt: quod nequaquam contingeret, ſi ſanguis ſuam ſeruaret naturam.

Rurſus 2. *de different. febr. capit. etiam* 2. febres ſynochas Galenus inter bilioſas annumerauit, dicens: *Continuarum autem, quæ ex flaua bile proueniunt, duplex eſt ſpecies; altera earum, quæ continuo feruore ſynochæ appellantur, quarum vniuerſum tempus vnâ conſumitur acceſſione, &c.* Ecce quo facto Galen. ſynochas febres, ſiue ſanguineas, ad continuas bilioſas reduxit, quaſi diceret, ſanguinem dum putreſcit, in bilem conuerti, febremque

B bilioſam producere. Quod attentè inſpiciens Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 44. dixit: *Opinatus eſt Galenus, quod non ſit febris ſanguinis à putredine illius.* Nam ſanguis dum putreſit, fit cholera, & non eſt ſanguis; & conſequenter iuxta Galeni ſententiam non poteſt dari febris ex ſanguine putrefacto.

*Auicennæ ſententia vera.*

Hanc Galeni ſententiam refutat Auicen. qui multis rationibus probat, dari febrem putridam ex ſanguine, quarum firmiores trademus. Prima eſt; nam ſi ſanguis putreſcens non amplius eſt ſanguis, ſed bilis, hoc habere debet vel poſt putredinem, vel cùm putreſcere incipit. Non primum, quia ſanguis poſt putredinem non ſolùm vertitur in bilem flauam, ſed etiam in bilem atram, vt tractatu de quartana diximus: ergo febris pendens ex illa non erit bilioſa, ſed melancholica.

C Si verò reſpondeas, ex ſanguine putreſcente bilem promptiùs generari, quia ad illam ſufficit leuior alteratio, ad craſſam bilem verò, ſeu atram producendam requiritur maior, & longior alteratio, ac per conſequens non producitur febris melancholica.

Contrà: Pars ſanguinis craſſa accendit febrem, habet enim calorem immodicum, & præter naturam: ergo ſi adhuc non eſt mutata in atram bilem, propterea quod difficilè alteratur, & corrumpitur, neceſſariò remanet ſub propria forma ſanguinis, ac conſequenter erunt duæ febres; vna quæ ex bile, alia quæ ex ſanguine craſſo dependet.

Neque cùm putreſcere incipit ſanguis, fit bilis, quia ſanguis non mutat formam niſi corrumpatur; corruptio autem fit in inſtanti, putrefactio autem in tempore fit, quæ eſt via ad corruptionem,

D & corruptio eſt terminus putredinis: ergo cùm putredo fiat in tempore, ad quam requiritur alteratio, nequaquam à principio ſanguis conuertitur in bilem; nam priùs requiritur, quod ſanguis alteretur, & putrefiat; deinde quod corrumpatur, vt ſic amittat propriam formam, & bilis formam adquirat.

Secundò probatur; nam licèt ſanguis dum febrem efficit putridam, putrefiat, non tamen ſequitur, quod id quod generatur ex putrido putridum fiat, vt patet in animalibus, quæ ex putredine terræ producuntur; quæ licèt ex re putrida fiant, non tamen putrida reſultant: ergo ex eo quod ſanguis putrefiat, non ſequitur quod bilis, & melancholia, quæ ex ſanguine generantur, etiam putrefiant, ac per conſequens non efficient febrem putridam ex bile,

aut

aut melancholia: quo caſu dicere teneris, ibi adeſſe febrem ſanguinis, aut hominem non febricitare.

Tertiò probatur, nam ex eo, quod bilis, aut pituita putreſcant, non ſequitur quod conſtituant febrem diuerſæ naturæ; nam quæ ex bile procedit, bilioſa eſt; & quæ ex pituita, pituitoſa: ergo ſimiliter dicendum eſt, quod febris ex ſanguine erit ſanguinea.

Vltimò probatur; nam ſanguis dum putreſcit, non ſemper tranſit in bilem, vt patet in inflammationibus ſuppuratis, vbi ſanguis conuertitur in pus, & non in bilem. Idem etiam accidit dum ſanguis intra venas putreſcit, ex quo reſultat quid ſimile puri proportione reſpondens, vt docet Galen. 2. *de differ. febrium*, *capite* 6. & ſic aliquando extrahimus ſanguinem per ſciſſionem venæ purulentum, putridum, non tamen conuerſum in bilem.

*Valleſij placitum.*

Ex dictis infertur, non benè Valleſium dixiſſe, non dari febrem ex ſanguine; exiſtimat enim ſecundùm fundamenta ſuperiùs tradita, dari tantùm tria genera ſimplicium febrium putridarum, vt probare intendit 5. *controuerſ. cap.* 19. vbi inquit, hanc eſſe Galeni ſententiam, qui aſſerit febrem hanc ſanguineam à bilioſa non aliâ ratione differre, quàm ſola lenitate, aut mititia; bilis enim quæ ex putredine ſanguinis generatur, mitior eſt bile putri ex alia bile genita, vt dicitur à Galen. *lib. de atra bile*: atque adeò iuxta illius ſententiam, omnis febris ex ſanguine putreſcenti eſt bilioſa: cuius, & aliorum recentiorum ſententia eiſdem argumentis ab Auicenna adductis conuinci poterit.

*Cur ſanguis mutetur per putredinem in alios humores, illi verò non in ſanguinem.*

Sed inquirit Valleſ. cur ſanguis, dum putreſcit, mutatur in aliorum humorum naturam, reliqui verò humores ſuam naturam retinent.

Reſpondet ipſe, id prouenire ex propria ipſius natura; nam cùm ſanguis ſit in mediocritate conſtitutus, ſi ſemel recedat à mediocritate, neceſſariò accedere debet ad extrema; medium enim, ſiue moderatum in rebus eſt vnum; immoderata verò, & extrema ſunt plura.

Sed licèt hoc verum ſit, non tamen ſequitur, quod ſanguis dum putreſcit, recedat à propria natura donec corrumpatur; nam licèt habeat calorem extraneum, ratione cuius diſponitur ad bilem, non tamen in bilem vertitur, donec corrumpatur, & propriam formam amittat; eſt enim ſanguis tunc in ſtatu violento, & præter naturam; quo tempore ſi quidem putreſcit, febrem putridam per ſe excitare poterit.

*Ariſtot. doctrina.*

Pro huius difficultatis enodatione ſupponere oportet ex Ariſtot. 4. *meteor.* omnia quæ vi non interimunt, putreſcere, præter ignem; atque adeò ſanguinem putrefieri poſſe: quod etiam iudicauit Galen. 2. *de differ. febr. cap.* 9. vbi inquit: *Nam & ſanguinem quandoque putreſcere eſt neceſſarium.*

*Putredo eſt quid accidentale.*

Secundò ſupponere oportet, quod putredo non eſt forma ſubſtantialis, ſed accidentalis: & quia producitur cum obſiſtentia contrarij, fieri non poteſt in inſtanti, ſed in tempore. Ex quo infero, textum Auicen. loco vltimo citatum, legi debere affirmatiuè; inquit enim: *Et putredo quidem non fit in tempore.* Zimara equidem *in Tab.* in dictione *Putrefactio*, aufert particulam negantem, ita vt de putredine dicamus, quod fit in tempore, & ibi ex Ariſt. ſententia inquit, quod putredo eſt via in corruptionem: eſt quidem quædam mutatio totius putreſcentis ſubſtantiæ ad corruptelam à calore extraneo, vt docet Galen. 11. *methodi*, *cap.* 8.

A Quapropter quæ putreſcunt corpora, durante putredine ſuam retinent formam, & ſic non dicuntur corrupta, quæ quidem ad priſtinum ſtatum reduci poſſunt, vt patet in vino dum aceſſit, & in humoribus dum putreſiunt, qui per coctionem emendantur; coctio enim facit ceſſare putredinem manente ſubſtantiâ.

*Quid ſit putreſcere, & putrem eſſe, explicatur.*

Tertiò ſupponere oportet, aliud eſſe rem putreſcere, aut putrem eſſe. Tunc dicitur rem putreſcere, quando alteratur, & immutatur non ſolum ſecundùm primas qualitates, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiæ modum, & diſponitur ad corruptionem à calore extraneo; eſt enim, vt diximus, res quæ putreſcit in via ad corruptionem. Quando verò aliquod corrumpitur, & mutat formam; illud putre, & corruptum per putredinem dicitur.

His igitur ſuppoſitis ſit concluſio. Ex ſan-B guine putreſcenti, manente ſub propria forma datur febris putrida. Quæ concluſio quamuis ex Galeni fundamentis ſuprà allatis probari non poſſit, probatur tamen ex eodem Galen. *lib.* 9. *methodi*, *cap.* 4. vbi febrem ſanguinis putridam conſtituit, nullâ factâ mentione, quod ſit bilioſa, alteriuſve generis. Idem ſentiunt Paulus *libro* 2. *cap.* 21. & Auicen. *loco ſuperius citat.* & alij. Quæ præter rationes ſuprà tactas, probari poteſt primò. Nam vt ex Ariſtot. conſtat, omnia præter ignem putreſcunt: ſed quæ putreſcunt non mutant formam, vt ex 2. & 3. notabili conſtat: ergo ſanguis dum putreſcit, non mutat illam: ergo febris, quæ accenditur ex ſanguine, dum putreſcit, erit ſanguinea, manente ipſo ſub propria forma. Maior certa eſt, minor etiam conſtat; ſiquidem putredo non eſt corruptio, quæ fit in inſtanti, ſed potius via, & tendentia ad corruptionem, quæ fit in tempore, & ſucceſ-C ſiuè.

Secundò probatur; nam humores dum putreſcunt, & non ſunt in termino ad quem ipſius putredinis, ad priſtinum ſtatum reduci poſſunt per coctionem; nam coctio facit ceſſare putredinem manente ſubſtantiâ, vt docet Galenus 2. *aphoriſm. comment.* 17. ergo ſi ſanguis dum putreſcit, vertitur in naturam bilis, non poterit per coctionem emendari, hoc eſt falſum, & contra Galenum *loco proximè citato*, vbi ait: *Quod ſi in ſanguine magna ſit facta corruptio, non redit amplius ad habitum naturalem; ſi verò pauca contigerit, ad ſuam naturam reſtituitur.* Si igitur ſanguis dum putreſcit, ſtatim tranſit in bilem, non poterit corrigi, ita vt ex bile fiat iterum ſanguis, ſicuti neque ex aceto fit vinum; ac per conſequens fateri debemus, dari febrem ex ſanguine putreſcente, quæ non ſit bilioſa.

D Veruntamen ſi ſanguis ad terminum putredinis accedat, & propriam amittat formam, non mirum ſi tenue illius in bilem, craſſum verò in melancholiam conuertatur, ex quibus putreſcentibus fieri poterit febris compoſita ex bile, & melancholia, vt ſenſit Valleſius.

*Obiectio.*

Sed obiicies. Ergo iam datur quartum genus febrium ſimplicium putridarum, quod eſt contra Galenum *locis ſuprà citatis*, vbi tantùm tria genera ſimplicium febrium putridarum aſſignauit.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, rectè Galenum annumeraſſe tria febrium ſimplicium putridarum genera; & quamuis ſanguis putreſcat, & febrem putridam concitet, non tamen eſt febris ſimplex putrida; & ſic non datur quartum genus febrium ſimplicium putri

putridarum. Eſt quidem febris compoſita; nam quod putreſcit in hac febre, non eſt ſanguis quartus humor, ſed tota maſſa ſanguinis. Neque mirum, ſi ex materia compoſita generatur hæc febris, quòd ipſa compoſita dicatur. Hoc quidem probatur ex Gal. 9. *methodi*, *cap.* 3. vbi agens de febre ex ſanguinis efferueſcentia, inquit, quod hæc febris fit dum à ferueſcentibus humoribus vapor attollitur plurimus. Et *cap.* 4. ſermonem inſtituens de febre ſynocho cum putredine, inquit fieri vbi in omnibus vaſis, ac potiſſimùm maximis æquabiliter ſucci putreſcunt. Per ſuccos autem intelligere debemus non ſolum ſanguinem, ſed omnes humores, qui in hac febre putreſcere debent, vt ipſe etiam declarat *lib. de multitudine*, *cap.* 10. vbi inquit idem eſſe, redundare humores, & ſanguinem; nunquam enim ſanguis impromiſcuus, & purus ſine aliorum humorum conſortio reperitur in venis, ita vt ſi ſanguis putreſcat, omnes humores putrefieri dicamus; quod dilucidè expreſſit Galen. 2. *de differ. febr. capit. vltim. prope finem*, agens de febribus ſynochis, dicens: *Hæ verò ex tali cauſa ortum habent, qualem omnium febrium Praxagoras ſuppoſuit, humorum videlicet in caua vena putrefactionem.* Vbi nomine humorum non licet intelligere ſanguinem quartum humorem, ſed omnes humores; propoſitio enim hæc indefinita æquipollet vniuerſali. Et paulò infra clariùs adhuc idem demonſtrat, cuius verba non trado, vt euitetur prolixitas; ea tamen ibi legere poteris.

Ex dictis colligitur, facilè iuxta Galeni ſententiam dari febrem ex ſanguinis efferueſcentia, quam ad diariarum genus reduxit; & ex putredine ſanguinis, quæ non eſt febris putrida ſimplex, ſed compoſita, vt dictum eſt; quia ex putreſcentibus omnibus humoribus ortum habet, qui durante putredine non amittunt formam, vt diximus de ſanguine quarto humore, donec ſint in termino putredinis, qui eſt rei putreſcentis corruptio. Vel ſecundò dicere poſſumus, quod Gal. tria tantùm genera febrium putridarum ſimplicium adduxit, quia exiſtimabat, ſanguinis tenuem partem verti in bilem per putrefactionem, & febris ſimplicis biliosæ, & putridæ figuram repræſentare: quapropter non fuit neceſſe conſtituere quartum genus febrium putridarum ſimplicium.

*Gal. explicatur.*

Quid ergo dicendum eſt Galen. qui plurimis in locis dixit febrem ſanguinis habere circuitus tertianos, & eſſe bilioſam? Facilè reſpondetur, quod duplex febris oritur ex ſanguine putreſcenti pro diuerſitate loci, in quo ſanguis putreſcit; vna dicitur ſynochus, ſiue continens; in qua humores in omnibus vaſis, ſaltem maioribus, putreſcunt, & à principio in finem vnam ſeruat acceſſionem; de hac enim loquuntur Authores & Galenus, & nos loquuti ſumus: altera autem febris ex ſanguine eſt continua etiam, & non continens, quæ generatur ex inflammationibus, quæ ſuppurantur, quæ habet exacerbationes, & remiſſiones, vt patet in pleuritide. Cùm enim adſit pars mandans, & recipiens, accreſcit, & decreſcit febris, & habet tertianos circuitus; quia maior portio bilis, quàm alterius humoris ſanguini permiſcetur, quæ vt vehiculum ſanguinem, & reliquos humores per vaſa minora, & per carnem penetrare facit; quæ etiam ex feruore ſanguinis tenuior redditur, & aptior ad penetrationem, & ad concitandam fluxionem.

Dicimus ergo, quod de hac vltima febre fuit loquutus Galenus quando 2. *de differ. febrium cap.* 9. & 2. *de criſibus* dixit, hanc febrem eſſe bilioſam, & habere tertianos circuitus, & ſanguinem in bilem verti ſecundum partem tenuiorem: nam ex feruore ſanguinis contingere poterit, quod aliqua illius pars in bilem mutetur: aliis verò locis, præcipuè 2. *de differentiis febrium*, *cap.* 2. dubius apparet Galen. circa huius febris naturam, ſiquidem ſynochas febres, quas creſcentes, decreſcentes, aut in eodem ſtatu perſeuerantes appellamus, ad febres bilioſas reduxit; quod vtique variè ſenſiſſe demonſtrat de harum febrium natura, vt notat Coſteus *in annotatione ſuper caput de febre ſanguinis*, ex Auicen. & Auerr. 3. *collect. cap.* 8. Sed hæc quæſtio iam eſt iuſtum conſequuta finem.

Ex dictis conſtat, dari febrem putridam ſanguineam: reſtat nunc examinare ſequens dubium.

## §. II.

### *An febris ſanguinea ſit benignior febre bilioſa.*

*Pars negatiua probatur.*

ALiqui autumant febrem ſanguineam eſſe deteriorem bilioſâ continuâ; inter quos Valeriola, qui aliquibus rationibus id probare nititur. Probatur ergo primò, nam quando ſanguis putreſcit, deteriori putredine putreſcit, quàm bilis: ergo febrem deteriorem excitabit. Antecedens probo; nam quando aliqua ſubſtantia eſt præſtantior aliâ, ſi putredine afficitur, deteriori modo putredinis putreſcit, & peſſimam qualitatem comparat, vt videre eſt in lacte dum aceſcit in ventriculo, quod deterrima concitat ſymptomata; & in ſemine dum corrumpitur, quod vim veneni habere videtur; & in ſanguine menſtruali in vtero detento, & putrefacto, qui hyſtericam affectionem cauſare ſolet, vt docet Gal. 6. *de locis affectis*, *capite* 5. & in corpore humano, & vitellis ouorum, & aliis rebus, quæ dum putreſcunt, de ſe fœtidiſſimum odorem mittunt. Cùm ergo ſanguinis ſubſtantia ſit præſtantior bile, ſi ſemel putreſcat, neceſſariò deteriori afficietur putredine, ex qua etiam deterior ſuſcitabitur febris.

Secundò probatur, nam ſi ſemel putreſcunt omnes humores, grauius eſt, quàm ſi vnus ſimplex humor putreſceret: ſed in febre ſanguinis, vt ex Galeni doctrina diximus, omnes humores putreſcunt: ergo grauius, & periculoſius erit, quàm ſi ſola putreſceret bilis: ergo pari ratione febris ex omnibus humoribus putrefactis conſurgens, grauior, & magis periculo plena erit.

Vltimò, nam febres ſynochæ ſunt acutiores, quàm febres ardentes; nam febres ardentes ſeptimo die terminantur, ſynochæ verò quarto die: ſed quo acutiores, eo periculoſiores: ergo febres ſynochæ ſunt deteriores; eſt enim morbus acutus, qui celeriter tranſit, & vitæ periculum imminet, vt conſtat ex Galen. 3. *de diebus decretoriis*, *capite* 12. ex quo benè inferri videtur: Eſt acutior: ergo, & periculoſior.

*Concluſio vera.*

His tamen non obſtantibus, contraria aſſertio verior exiſtimatur, nempe quod febres ſanguineæ ſint bilioſis mitiores, & benigniores; quam deſumimus ex Galeno 6. *de morbis vulgaribus*, *comm.* 2. *textu* 38. vbi comparans ichorem ſanguinis ichoribus aliorum humorum, inquit, quod longè melior eſt & optabilor ichor malus, & putridus ſanguinis,

ſanguinis, quàm ichores putridi aliorum humorum. Etiam 2. *prognoſt. comment.* 46. agens de ſcreationibus, inquit, quod pro diſcrimine ſuperantium humorum morbi indulgentiores, ac maleficentiores euadunt; ſanguinei verò ac pituitoſi moderati habentur: quæ verò in flaua, aut atra bile conſiſtunt, ægrotationes difficiles cenſentur. Et 2. *de differ. febr. cap.* 9. febres ſanguinis ſimpliciores appellat, tum in reliquis, tum in caliditatis qualitate mitiori. Et paulò infrà ait: *Et qualitas caliditatis, quæ magis vaporoſa, ac minus moleſta exiſtit, ex ſanguine naſcitur.* Præterea, vt ex Galen. citato loco conſtat, & libello de atra bile, dum ſanguis vritur, aut putreſcit, craſſior pars illius tranſit in atram bilem; & vt meliùs dicam, eſt in confinio atræ bilis, & habet mitiores qualitates quàm bilis atra ex bile, aut melancholia genita; nam neque fermentat terram, nec abigit muſcas, neque eſt ita mordax ſicut hæc; & hoc non ob aliam cauſam, niſi quia ſequitur naturam, & conditionem benignam ſanguinis, ex quo fuit genita: ergo idem dicere debemus de febribus ex eadem ſanguinis vſtione, aut putredine genitis.

Tandem deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt, ſecuriores; quæ verò cum ſtudio, periculoſiores ſunt, ex Hippoc. ſed quæ cum riſu fiunt, ex ſanguine procedunt; quæ verò cum ſtudio, ex bile, vt conſtat ex Galeni commentario: ergo quæ ex ſanguine procedunt, ſunt ſecuriores, ac per conſequens morbi ex ſanguine prodeuntes ſunt mitiores, & benigniores.

Ex his ergo reſpondetur ad rationes in oppoſitum. Ad primam dicimus, ſanguinem celeriùs corrumpi poſtquam incepit putreſcere, quàm reliqui humores; nam cùm ſanguis fit in mediocritate conſtitutus, facilè per acceſſum ad quodlibet extremum formam deperdit, quæ ſub anguſtioribus terminis conſeruatur, quàm reliquorum humorum formæ; & ita citiùs concitat grauiora accidentia, quàm reliqui humores. At verò ſi alij humores ad terminum corruptionis perueniant, ſicut ſanguis, multò grauiora ſymptomata excitant, quàm ipſe ſanguis, licèt tardiùs illa producant, quia tardiùs ad illum terminum corruptionis accedunt: idemque aſſerimus de aliis rebus temperatis, quæ de ſe fœtidiſſimum odorem mittunt, ocyus quidem quàm res intemperatæ, dum putreſcunt, vt patet in hominis cadauere, quod citiùs corrumpitur, & fœtet, quàm cadauera aliorum animalium.

Ad ſecundam reſpondetur, ideo alios humores putrefieri dum ſanguis putreſcit, quoniam ſanguini putreſcenti ſunt permixti, ex quorum permiſtione inſurgit in ipſis putredo, quæ quia à benigniori cauſa procedit, ideo febris ex ea dependens non eſt deterior, nec grauior febre, quæ ex ſimplici humore reſultat. Vel ſecundò reſpondetur, calorem in facto ſolùm dari in ſanguine quarto humore, & ſolùm ipſum putrefieri in ſynocho cum putredine, licèt contrarium exiſtimauerit Galen. vt ex anteacta quæſtione fit notum.

Ad vltimam reſpondetur, non benè inferri: Eſt morbus acutior: ergo periculoſior; plures enim ſunt morbi acuti, qui 14. die hominem perdunt, & alij acutiſſimi exactè, qui quarto, aut quinto die ſalubriter terminantur; nam licèt morbus acutiſſimus ſit periculoſus, mitior, & benignior eſſe poterit, quàm morbus non ita acutus exactè. Quæ doctrina verum tenet in febri-

A bus ſanguineis, quæ aliis ſunt mitiores, & beniguiores.

Generatur hæc febris ob obſtructionem, prohibitam ventilationem à frigore ambientis repentè, & ſubitò ingruente, & ob ſanguinis plethoram, ratione cuius natura neque regere, neque humores gubernare poterit. Fit etiam ob immoderatum laborem, & vehementem animæ paſſionem, præſertim iram. Otium etiam ponitur inter cauſas huius febris; nam ſi immodicum ſit, auget ſanguinem, & reliquos humores, ex quibus efferueſcentibus, aut putreſcentibus huiuſmodi progignuntur febres. Hæ quidem accidunt hominibus carnoſis, & denſi corporis habitus; præſertim iis, qui vberioribus alimentis, & vino copioſo vtuntur; item & adoleſcentibus, & iis, quibus aliqua ſanguinis euacuatio eſt ſuppreſſa. *Cauſæ.*

B Cognoſcitur hæc febris tam putrida, quàm ex efferueſcenti ſanguine pendens, ex rubore faciei, & totius corporis; ex calore vaporoſo, & intenſo, qui acrior eſt, & mordacior in febre ſanguinea putrida, non tamen ita ſicut in febre ardenti. Pulſus maximus, vehemens, celer, & creber eſt; tamen arteria nec mollior exiſtit, nec durior quàm pro natura; in putrida tamen inæqualior percipitur. Vrina rubra, & ſuccenſa eſt, in febre ex ſanguine efferueſcente cum ſedimento laudabili, & ſignis coctionis perfectæ; in febre verò ex ſanguine putreſcente aliqua aderunt in vrinis ſigna putredinis. *Signa.*

Febris ex ſanguinis ebullitione eſt ſalutaris, quæ citò terminari ſolet, quarto ſcilicet die, aut intra vnam ſeptimanam, vt ſcriptum reliquit Galenus 2. *de criſibus, cap.*6.

C Quæ verò ex ſanguine putreſcenti fit, periculò non vacat, præcipuè ſi à morbi principio fluxus alui ſuperueniat, qui ita vires deiicere ſolet, vt coctioni non ſufficiant. Hæc præterea in malignam febrem migrare ſolet, vt quotidie experimur.

## §. III.

### *Curatio febris ſanguinis.*

VNico capite comprehendere decreui vtriuſque febris ſanguineæ curationem, quoniam ab vna, & eadem cauſa procedunt, & eadem fermè auxilia expoſcunt, licèt fortiora ſint admouenda pro curanda febre ſanguinis putrida.

Sed quia morbus iſte acutiſſimus eſt, victus tenuiſſimus eſt exhibendus, modò vires ferre poſſint. Aſſumat ergo æger ptiſanæ cremorem cum ſaccharo, aut gallinæ ius, in quo ſint de-
D cocta lactucæ folia, borrago, oxalis, aut cucurbita. Oua etiam ſorbilia offerri poſſunt, & lactuca, & borrago elixa, aut portulaca, & ſcariola. Poma etiam aſſa cum ſaccharo ſunt vtilia, & extrema gallinarum, & caponum cum dictis herbis decocta. Potus ſit aqua ſaccharata hordei, aut ſchorcioneræ, cui modicum ſyrupi violarum, aut granatorum admiſceatur. Aër attemperetur rebus refrigerantibus, vt dictum eſt *capite de febre ardenti.* Ventrem habeant lenem, aut clyſteribus refrigerantibus, & emollientibus ſubducatur.

Sed quia in vtraque febre ſanguis redundat, & calore præter naturam afficitur, depoſitis excrementis, & cruditatibus primæ regionis, ſtatim ſanguinem extrahemus, idque non ſemel, ſed bis,

bis, aut ter pro ratione virium, & indigentiæ. Conuenit etiam maximè in his febribus ſanguinis miſſio vſque ad animi deliquium, vt conſtat ex Galen. 9. *methodi*, *cap*. 4. ita vt quidam cenſeant, talem ſanguinis miſſionem ſolis his febribus conuenire, inter quos Pereda *ſcholio* 1. *de febribus*.

Sed quia timor eſt, ne febris ex ſanguinis ebullitione in putridam tranſeat, ſimul refrigerantia, & attemperantia adaptentur, in quem vſum manè, & veſpere aſſumat æger ſyrup. violarum, borrag. chicorei, acetoſi, aut portulacæ, vel granatorum, cum aquis chicorei, hordei, oxalidis, aut ſchorcioneræ; qui ſyrupi aſſumendi ſunt in maiori doſi, quàm communiter accipiuntur; eſt enim calor copioſus valde, & per totum corpus diffuſus, & largiori indiget potu refrigeranti.

B Quod ſi ſufficienter ſanguinis miſſione corpus ſit euacuatum, & nihil ſit quod prohibeat aquæ frigidæ potum, apparentibus ſignis coctionis frigidam offeremus; ſic enim temperata natura ſudorem, aut aliam euacuationem mouere ſolet, & morbum deuaſtare. Verùm ſi ijs factis vltra ſeptimum diem protrahatur febris, illam attemperabimus hoc apozemate. ℞. hordei mundi, & confracti p. iij. radicum chicorei, borrag. bugloſſæ, & ſcorcioneræ, ana ℥. j. foliorum oxalidis m. j. quatuor ſeminum frigid. maiorum, ana ʒ. ij. florum viol. borrag. & bugloſſæ ana p. j. coquantur omnia ſecundùm artem in ℔. x. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem, & colaturæ adde ſyrup. acetoſi, & borrag. ana ℥. iiij. ſacchari quod ſit ſatis ad gratum ſaporem: miſce, & fiat apozema, de quo manè, & veſpere aſſumat æger ℥. vj. & ante illius aſſumptionem comedat tabellam elect. manus Chiſti, diamarg. frigidi, vel C trium ſantalorum, aut loco huius potionis bibat ℥. vj. aquæ chicorei, aut bugloſſæ cum ſucco limonum, & ſaccharo, & eſt guſtui potus valde gratus.

Quibus factis, ſi febris remittatur, erit vtile corpus purgare; nam licèt ſanguinis expurgationi non detur locus, quia nullum medicamentum ſanguinem attrahit; tamen quia ex illius feruore, & putredine aliqua bilis portio generabitur, vt ex oris amaritudine, ſiti, & linguæ ariditate conſtabit; ideò adhibendum eſt medicamentum bilem purgans, quale eſt rhabarb. infuſum in aqua chicorei, aut lacte caprino, cum ſyrupo perſico ſolutiuo, aut Regio; vel cum pulpa caſſiæ diſſoluta in decocto pugini, & ſyrupo perſico ſolutiuo, vel cum diacathol. & caſſiæ pulpa in boli forma cum ſaccharo.

D Demùm, ſi aliqua febris adhuc perſeueret, eiſdem refrigerantibus vteris, dummodo exterius hepati, & dorſo vnguenta, & epithemata ad idem admoueantur, quæ *capite de tertiana exquiſita*, & de febre ardenti ſcripta inuenire poteris.

---

## QVÆSTIO XV.

### *De febribus ephemeris.*

HVcuſque actum eſt de febribus putridis: iamiam hoc capite de febribus ephemeris ſermonem inſtituemus, à quo libentér abſtinerem, cùm iſtæ febres per ſe nullo præſtito auxilio cu-

A rentur; tamen quia in febres putridas degenerare ſolent, & ne huic tractatui aliquid deſit, de ipſis non nihil agere decreui. Dicitur igitur hæc febris diaria ab vnius diei naturalis duratione; finitur enim ſpatio vigintiquatuor horarum: quæ etiam ephemera nuncupatur ab animali quodam Ephemeron appellato, de quo refert Ariſt. 5. *de nat. animal*, *cap*. 19. quod intra ſpatium vnius diei naſcitur, & moritur.

In hac febre ſpiritus vitales calorem habent in facto eſſe, vt docuit Galenus *lib. de inæquali intemperie*, *cap*. 8. cùm enim ſint tenuis ſubſtantiæ, facilè inflammantur, & calor in eis ſuccenſus facilè etiam euaneſcit, ita vt hæc febris dum exquiſita eſt, pro termino fatali vnius diei ſpatium tantùm habeat. Neque ex hoc ſequitur, quod ſpiritus animales, & naturales, ſi inflammentur, & accendantur, aliam febrem diariam conſtituant: nam cùm ſint diuerſæ naturæ, neque ita calidi ſicut vitales, tardiùs incaleſcunt, & ſic non cauſant febrem antequam vitales ſuccendantur; qui promptiùs præter naturam incaleſcunt. Quam ob cauſam nulla datur febris ex animalium, aut naturalium inflammatione; nam non conſurgit febris donec ex toto vitales calorem febrem efficientem in facto habeant.

Duplex eſt hæc febris; vna exquiſita, quæ intra vnius diei ſpatium finitur; altera ſpuria, ſeu illegitima, quæ licèt fiat ex ſpirituum ſuccenſione, duratione tamen ab exquiſita, & legitima differt; nam ad multos dies prorogatur: inter quas connumerauit Galenus febres ex ſanguinis ebullitione, quoniam etiam in illis ſpiritus efferueſcunt, & calorem in facto præter naturam retinere aiunt. *Duplex eſt diaria.*

Rurſus differunt etiam in cauſa; nam exquiſita non dependet à cauſa, vt patet dum quis in diariam incidit ex ſolis aduſtione, qui ſemoto ſole febricitare incipit; idemque accidit iis, qui ex vehementi labore, aut animi paſſione diaria tenentur, nam iis tranſactis febris inſurgit; quæ cùm cauſam non habeat, facilè euaneſcit ob diſſipationem ſpirituum calidorum, & aliorum generationem, quibus calidiores attemperantur, & corriguntur, donec in totum auferatur febris. Dico febrem hanc exquiſitam non habere cauſam, non quia reverà illa careat, ſiquidem illius calor dependet à calore ſpirituum; ſed quia illius cauſa non expoſcit diſtinctam indicationem ad ſui ablationem quàm ipſa febris, ſed eandem petit, nempe refrigerationem, & attemperationem, ad differentiam febris putridæ, quæ præter infrigidationem petit cauſæ ablationem per auxilia euacuantia; & ſic dicimus febrem putridam habere ſuum eſſe dependenter à cauſa, ephemeram verò minimè.

Spuria verò, ſeu illegitima, dependet à cauſa, quâ præſente durat febris, vt patet in ſynocho ſine putredine, & in ea febre, quæ ex ventriculi cruditatibus inſurgit, quibus durantibus febris hæc perſeuerat; & in febre ex obſtructione, quæ auferri non ſolet donec tollatur obſtructio.

Quod ſi obiicias: Natura ſpirituum talis eſt, vt intra vnius diei ſpatium conſumantur, ſi ſemel ſuccenduntur; quo ergo pacto ad plures dies febris ex eorum inflammatione extenditur? Reſpondetur, quod in exquiſita diaria ſpiritus, qui calorem acceperunt à cauſa præter naturam, intra illud ſpatium conſumuntur, diſſipantur, aut corriguntur; at verò in ſpuria diaria non ſolùm inflammantur

ſpiritus

ſpiritus anteà exiſtentes, ſed etiam qui de nouo producuntur; nam cauſa cùm præſens ſit, in ipſis denuo calorem producit, & febris prolongatur donec cauſa diſcedat.

*Cauſa.*

Circa harum febrium cauſas Gal. 1. *de differ. febr. cap.* 7. eas reduxit omnes ad procatarcticas, ſeu manifeſtas, in quarum genere comprehenduntur animi paſſiones, vigiliæ, immoderatum exercitum, bubones, cruditaes ventriculi, & inflammationes, & quæcunque exteriora, quæ ex ſe, vel ex accidenti calorem producere valent, vt calor aëris ambientis, balnea calida, vel ſulphurea, & frigus, & alia, quæ cutem denſando calorem ad intra reuocare poſſunt, & ſpiritus in calefacto eſſe conſtituere.

*An ſpiritus poſſint putrefieri.*

Ex dictis conſtat, dari febrem diariam ex inflammatione ſpirituum: videndum nunc eſt, an ex eorum putredine febris oriri poſſit. Pereda aſſerit, ſpiritus putrefieri non poſſe: quod probat ex eorum natura; nam ad putredinem requiritur obſtructio, quam pati non poſſunt ſpiritus ob eorum tenuiſſimam ſubſtantiam, quæ huc, & illuc mouetur, & facilè difflatur. Addunt etiam, quod ſpiritus vitales igneæ ſunt naturæ, atque adeò ſicciſſimi, qui maximè putredini obſiſtunt, vt probat Gal. 1. *de differentiis febrium*, *cap.* 5. exemplo lapidum, lignorum, & aliarum rerum imputreſcibilium, quæ alterantur, & non putrefiunt. Præterea ad putredinem requiritur quies, vt patet in aquis ſtagnantibus, quæ quia quietæ ſunt, putreſcunt, & fœtent: fluuiales verò, quæ continuò mouentur, imputridæ manent.

*Sententia vera.*

Cæterùm horum rationes læuiſſimæ ſunt, neque nos cogunt à probabiliori ſententia recedere, quæ aſſerit ſpiritus vitales putreſcere poſſe, ita vt ex ipſis putreſcentibus febris putrida diaria conſurgat, quam tuetur Valleſ. 5. *controuerſ. cap.* 19. & alij: eamque probate poſſumus primò authoritate Ariſt. 4. *meteororum*, *cap.* 1. vbi inquit, omnia quæ vi non interimunt, per putredinem interire præter ignem. Neque ſufficit dicere, ſpiritus eſſe de natura ignis; nam aliud eſt eſſe ignem, aliud eſſe igneæ naturæ: plura enim ſcimus habere naturam igneam, & tamen putreſcere, vt conſtat in humoribus biliofis aduſtis, qui febres putridas ſuccendunt, vt iam traditum eſt; & in aliis rebus calidis, vt in ſulphure, ſublimato, & auripigmento; quæ ſi in loco putredini apto, aut iuxta res putridas collocentur, ipſa etiam putreſcere videmus.

Præterea ſpiritus ex aëre inſpirato fiunt, vt monſtrat Galen. *libello de vtilitate reſpirationis*, & *de placitis Hippoc. & Platonis*: ſed aër poteſt putrefieri, vt patet in conſtitutione peſtilenti: ergo & ſpiritus, qui ex ipſo generantur. Vlteriùs, ſpiritus poſſunt permiſceri cum vaporibus putridis in cordis cauernulis: ergo non mirum, ſi ex eorum mixtione, & contactu ipſi etiam putreſcant.

*Obiectio.*

Sed inſtabis: Si ex ſpirituum putredine febris diaria putrida excitatur: ergo iam datur quartum genus febrium putridarum ſimplicium; quod eſt contra Galen. qui ad tria tantùm genera eas reduxit, vt tractatu de febre ſanguinis annotauimus.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, ideò hanc febrem non numerari à Galen. inter putridas, quia raro aduenit, & non niſi tempore peſtilentiæ; aut quia ſpiritus, qui putreſcunt, aut citò effluunt, ſicut dum inflammantur; aut emendantur facilè, vel ipſorum putredinem in ipſos humores transfundunt.

*Ad contraria reſponſio.*

Neque contrariorum fundamenta aliquam vim habent; negamus enim ad putredinem ſemper requiri obſtructionem, ſed multoties fit ex contactu rei putreſcentis, vt quotidie cernimus; neque ex eo, quod ſpiritus ſunt igneæ naturæ, ſequitur, quod ſint imputreſcibiles: neque exemplum Galeni demonſtrat, lapidem, & alias ſiccas, & duras ſubſtantias non eſſe putreſcibilia, ſed ſolùm quod ſint minùs putredini parata, & ſic tardiùs putreſcunt, quàm reliqua diuerſæ naturæ. Tandem quamuis res quietæ citiùs putreſcant ex obſtructione, illæ quæ mouentur ex putridarum admiſtione, & conſortio etiam putredinem comparare poſſunt.

Cognoſcitur hæc febris ex cauſa, quoniam incipit à cauſa manifeſta recenti, ſeu procatarctica. Loquor de febre diaria exquiſita; nam quæ illegitima eſt, & ad plures ſe extendit dies, ex alia cauſa prodire poterit; nam vt inquit Auicenna *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *capit.* 5. aliquæ pendent ex humorum obſtructione: & Galenus 9. *methodi*, *cap.* 1. inquit eas fieri ob glutinoſos, & craſſos humores obſtruentes: quibus locis loquuntur de ſpuriis diariis, & diu durantibus, quæ cùm non poſſint reduci ad genus putridarum, inter diarias reponuntur.

Apparent in ipſa vrinæ coctæ ſtatim die prima. Pulſus eſt magnus, celer, & creber, inæqualitatis expers; tranſacta verò acceſſione in totum pulſus aſſimilatur illi, qui in ſanis deprehenditur. Calor etiam febrilis mitis, & ſuauis eſt, collatione facta ad febres alterius generis; & ſi adſit dolor capitis, aliudve quodvis accidens, magis tolerabile videtur, quàm in aliis febribus; quòd ſimul cum febre aboletur; neque tranſacta febre aliquod febris veſtigium remanet, vt in aliis febribus, de quibus inquit Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. quod *in aliis febribus adhuc intermittentibus remanet ſignum*; *in ephemeris autem in totum aboletur acceſſione ceſſante.* Hæc febris deſinere ſolet vaporibus quibuſdam, aut ſudoribus vtilibus ex toto corpore exſudantibus. Cùm ergo omnia concinnè loquuntur, tunc fidere oportet; præcipuè ſi aliqua præceſſerit cauſa manifeſtá; & exiſtimare hanc febrem eſſe de diariarum genere; quam millies cognouit Gal. & primâ acceſſione finitâ, hominem ad conſueta opera tranſmittebat; vt qui alteram acceſſionem ſenſurus non eſſet, vt ipſe teſtatur 2. *de differ. febrium*, *cap.* 7. *iam citato.*

Hæc febris eſt facilis curationis, vt 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. retulit Galen. & Auicen. *loco ſuperius cit.* ita vt dicat Hipp. quod ex bubonibus omnes febres malæ præter diarias.

## §. VNICVS.

### *Curatio ephemerarum.*

De harum febrium curatione egit Galen. *lib.* 8. *methodi*, *per plura capita*, & Aëtius *tetrab.* 2. *ſermone* 1. *à cap.* 58. *ad cap.* 69. Paulus *lib.* 2. *cap.* 16. Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 1. *à cap.* 9. *ad cap.* 44. vbi ſatis diffusè de harum febrium curatione à quacunque cauſa pertractant. Nos autem ſuperuacaneum iudicamus hic earum curationem apponere; tum quòd curatu facillimæ ſunt, tum quòd ad ipſas profligandas ægri Medicos vocare non aſſueſcunt.

Verumtamen niſi debitè tractentur, facilè

in puttidam degenerant, vt ait Galenus 8. *method. cap.* 8. & 9. *methodi*, *cap.* 1. præcipuè quando ex conſtipatione febris exoritur, ſiue ex cutis adſtrictione à frigore, vel ſiccitate, aut balneo frigido procedente. Quæ verò ex aduſtione, cruditate, laſſitudine, inedia, vigilia, animi perturbatione, vel bubone fiunt, nunquam ad tertium vſque diem progrediuntur, niſi aliquem errorem committant ægri, aſſiſtentes, aut Medicus, vt ibi animaduertit Galenus.

Cognoſces igitur ephemeram in aliam diuerſæ naturæ febrem degenerare, vbi ephemerarum notæ aliquatenus ſunt alienatæ, & aliarum febrium notæ percipiuntur.

Sed quia inter diarias nulla frequentior, & moleſtior eſſe ſolet, quàm ea, quæ ex ventriculi cruditatibus ortum habet, cui ſi non citò ſubueniatur, facilè in putridam tranſit, ideò illi ſtatim remediis eſt ſuccurrendum; ea tamen tradidimus in curatione cruditatum ventriculi, vbi de cruditatum ſpeciebus, & curatione ſufficienter tractauimus: illa igitur ex illo loco pete; pro nunc tamen oportet ventrem clyſteribus emollire, & cruditates ſubducere, ventriculumque corrobare: quæ ſi non proſint, tutius auxilium erit aliquod lenitiuum propinare, vt ſic ablatâ causâ febris ephemera auferatur.

---

## QVÆSTIO XVI.

### *De febre hectica.*

*Hectica febris definitio.*

EX illa generali febrium diuiſione conſtat, febrem eſſe in contentis, continentibus, & impetum facientibus diuiſam: de duobus huius diuiſionis membris, videlicet de febribus in contentis, & impetum facientibus ſuperiùs egimus; ad eam verò febrem, quæ eſt in continentibus, ſeu in partibus ſolidis, in præſenti conuertitur noſter ſermo.

Sed vt huius febris natura magis pateſiat, placuit nobis quandam illius definitionem proponere ex variis Authorum ſcriptis deſumptam, quæ talis eſt: *Hectica eſt febris æqualis, habitualis, ſine dolore, viuentibus partibus inhærens, & à ſuo immediato generante independens.* In hac definitione, *febris* ponitur loco generis, in qua conuenit cum aliis febribus: reliquæ particulæ loco differentiæ conſtituuntur. Dicitur, quod ſit *æqualis*, quia æqualitas caloris præter naturam dicit terminum factum, prout diſtinguitur à calore, qui eſt in fieri, aut eſt inæqualis diſpoſitio; habet enim calor hecticus ſuas partes graduales in termino, ſubuerſis diſpoſitionibus naturalibus ſibi repugnantibus, ad differentiam aliarum febrium, quæ inæqualiter paſſum informant.

Dicitur etiam habitualis, non quia reverà ſit habitus, vt poſteà probabimus; ſed quia difficiliùs ſemouetur à ſubiecto, cui inhæret, quàm reliquæ febres.

Eſt etiam ſine dolore, quod proprium eſt intemperiei æqualis; per quod diſtinguitur ab omni inæquali intemperie.

Dicimus etiam, quod inhæret partibus viuentibus, quia iſta febris ſolidas partes in facto eſſe inuadit, ad differentiam aliarum febrium, quæ licèt etiam partibus viuentibus inhæreant, non tamen talem inhærendi modum habent. Quapropter

A communiter dicimus, febres humorales in humoribus ſitas eſſe, diarias verò in ſpiritibus, hecticas in ſolidis partibus, eo modo, quo in præcedentibus declarauimus.

Tandem dicimus, quod eſt independens à ſuo immediato generante, ad differentiam aliarum febrium, quæ ſuum eſſe habent dependenter à cauſa: at febris hectica, ſemota illius cauſa, à qua fuit producta, diu durare ſolet.

Sed quia hæc maximas in ſe difficultates inuoluunt, altiùs ſunt perpendenda. Priùs ergo quærimus.

### §. I.

### *An calor hecticæ ſit æqualis.*

B VT hæc quæſtio meliùs intelligatur, notare priùs oportet differentiam temperiei æqualis, & inæqualis, quam deſumere debemus ex multis Galeni locis, præcipuè tamen *lib. de inæquali intemperie*, *cap.* 5. & aliis capitibus illius libri; tunc enim inæquliter intemperatur corpus, cùm motum alterationis patitur, vt v. g. dum calefit per febres putridas, & temperamentum mutatur, & alteratur; non tamen temperamentum ſuum mutatum habet. Quod ſi longiori tempore hoc patiatur, aut à fortiori cauſa iam ſit præter naturam calefactum, & in termino, ita vt ceſſet alteratio, & ſubiecti mutatio, & omnes corporis ſolidæ particulæ excalefactæ ad ſolutionem iam ſint, tunc corpus æqualiter intemperatum, aut excalefactum vocitatur.

*Æquale, & inæquale ſunt paſſiones quantitatis.*

C Vlteriùs notandum eſt, quod æquale, & inæquale ſunt paſſiones quantitatis, vt refert Ariſt. in categoria *de Quantitate*; nam ſecundùm quod quantitas eſt menſurabilis, dicitur æqualis, aut inæqualis: ex communi tamen loquendi modo transfertur ad qualitates, quemadmodum etiam de ipſis dicimus, quod ſunt magnæ, aut paruæ, ſumpta magnitudine pro eo quod eſt perfectius, vel imperfectius; in his enim, quæ non mole magna ſunt, idem eſt magnum, quod perfectius, vt inquiunt omnes Philoſophi.

*Argumenta proponuntur pro parte negante.*

His igitur ſic adnotatis, pro parte negatiua ſic argumentatur primò. Agens naturale fortiùs agit in propinquum, quàm in diſtans: ergo calor cordi inhærens fortiùs partes ſibi propinquas calefacit, quàm diſtantes. Eſt enim calor febrilis accenſus in corde, & ex illo in vniuerſum diſtribuitur corpus, vt ex Auicennæ ſententia ſuprà traditum eſt; ac per conſequens partes proximiores intenſiùs neceſſariò calefacere debet. Confirmatur, nam laborantes hac febre calorem percipiunt remiſ-D ſiorem in extremis partibus, quàm in profundioribus: ergo illorum calor non eſt æqualis.

Secundò, nam ſi calor eſt æqualis, non poſſet viuens corrumpi ratione illius; quod eſt contra veram experientiam, ſiquidem hectici quotidie reſoluuntur, & exſiccantur. Antecedens probatur; nam calor partem informans non corrumpit illam; nam idem non poteſt agere in ſeipſum, nec proprium ſubiectum corrumpere; neque poteſt agere in partem ſibi proximam, cùm ſimili, & æquali caloris gradu ſit informata: ergo cùm quotidie reſoluatur, & corrumpatur ſubiectum huius caloris, neceſſariò talis calor erit inæqualis.

Tertiò, nam ſequeretur, quod hecticus non poſſet reduci ab interno principio ad priſtinam ſalutem. Sequelam probo; nam cùm natura morborum ſit medicatrix, vt docet Hippocrates 6. *epidim. ſectione* 5.

*ſectione 5.* & ipſa vtatur proprio temperamento ad ſuas actiones exercendas, ſi temperamentum naturale, quo ipſa vti deberet, eſt omninò ſubuerſum, clarè conſtat, quod defectu inſtrumenti operari non poterit; facultates ſiquidem naturales non operantur ſine inſtrumento naturali ſibi debito.

Quartò, & vltimò arguitur; nam vita eſt participatio calidi naturalis in humido: ſed corpus hecticum viuit: ergo non eſt omninò ſubuerſus calor illius; nam aliàs eſſet vita ſine calore proprio, quod nullus dixit.

*Vera concluſio.* His tamen non obſtantibus ſit concluſio. In hecticis datur calor æqualis præter naturam in omnibus corporis partibus. Quæ primò probatur ex Gal. *ſuprà cit.* & ex communi Medicorum conſenſu, & rationibus ſuadetur; nam calor hecticus non ſentitur ab ægrotante: ergo eſt æqualis. Antecedens probatur ex Gal. *loco proximè citato*, vbi ait: *Itaque etiam hecticæ febres omnes tum ſine dolore ſunt, tum nec ſenſu ab ipſis, qui ipſis laborant, perceptæ.* Non enim ægrotantes ſentiunt ſe febricitare. Conſequens etiam probo; nam vt primæ qualitates percipiantur, requiritur vt illarum præcedat alteratio in ſubiecto: ſed in hecticis non percipitur calor: ergo ex eo fit, quia nulla fit alteratio: ſed vbi non eſt alteratio caloris, non eſt illius productio: ergo ſupponitur productus, & in termino, ac per conſequens æqualis.

Neque valet ſi dicas, calorem hecticum non ſentiri, nec moleſtiam inferre, quia non fit ſubitò, neque affatim; nam licèt ad dolorificam ſenſationem requiratur, quod ſenſatio ſubitò fiat, hoc tamen ad ſenſationem abſolutè non eſt neceſſe.

Secundò probatur ex Diuo Thoma *opuſculo de potentiis*; nam ſpecies ſenſibiles, ſenſum immutantes, & ipſa qualitas realis, quæ producit illas, non poſſunt eſſe ſimul in eadem præciſa parte; ſed potiùs in vna debent eſſe ſpecies, & in alia qualitas illarum productiua: ergo ſi calor hecticus eſſet inæqualis, & intenſior in vna parte magis quam in alia, poterat ipſas producere ſpecies intentionales, vt in alia parte ſibi propinquà perciperetur: ſed hoc non contingit: ergo ſignum euidens eſt, omnes corporis partes æqualiter à tali calore affici, & illas informare ſine immutatione ſenſibili.

*Nota.* Sed antequam contrariorum rationes abſoluamus, ad eorum enodationem ſupponere oportet, quod calor hecticus non dicitur æqualis ex eo, quod calor in eodem gradu informet cor, & reliquas corporis partes; longè enim calidius euadit cor, quàm pedes, & aliæ partes: dicitur tamen æqualis ſecundùm quandam proportionem; nam quemadmodum calor totius corporis per ſanitatem dicitur æqualis proportionaliter, quamuis cor calidius ſit reliquis partibus; ita ſimiliter hecticus calor præter naturam ſubiectum informans æqualis nomen meretur, quia ſeruat etiam proportionem ſaltem præternaturalem, quamuis cor ſit calidius, & reliquæ partes remiſſiori calore conſtent.

Sed licèt hoc fundamentum omnes admittant, vt conſtat ex Valleſ. *lib. de inæquali intemperie*, & ex Petro Garcia *ſuper fen. 1. lib. 1. diſput. 9. cap. 13.* contra illud tamen hac efficaci ratione ſic inſurgere poſſumus. Si cor eſt aliis partibus calidius, poterit illas alterare, & efficere ſenſationem: ergo iam calor hecticus perſentietur; quod eſt contra Galeni fundamentum. Antecedens probo, quia nihil deficit ad ſenſationem: nam pars minùs calida neceſſariò alterabitur à magis calida ſibi propinqua; eſt enim in potentia ad vlteriorem gradum caloris, & eſt ibi etiam agens quod illam alteret, & calefaciat: ergo cùm nullum ſit obſtaculum, quod ſenſationem impediat, neceſſariò calor ille ſentiri debet; immutatur enim ſubiectum per illum.

Reſpondetur tamen cum Doctore Petro Garcia *ſuper fen. 1. lib. 1. diſputat. 9. cap. 13.* quod licèt ſpecies tangibilis requirat realem immutationem, vt producatur; tamen illa ſpecies poteſt eſſe ità exigua, & improportionata, vt non cauſet ſenſationem propter ſpeciei remiſſionem; quæ etiam remiſſa eſt, quia à calore non multùm excedenti producitur: nam quamuis cor calidius ſit partibus ſibi proximis, ex illius tamen mutua actione, & reactione calorem comparant, qui non multùm diſtat à cordis calore; atque adeò vel nulla, vel imperceptibilis ſit ſenſatio.

*Nota.* Prætereà ſupponere oportet, quod duplex temperamentum innatum in noſtris corporibus reperitur, non tamen ſpecie diſtinctum, ſed ſolùm ſecundùm latitudinem. Primum eſt ſanitatis, quod habet certam menſuram qualitatum primarum, & ſecundarum, quo vitæ actiones ſalubriter perficiuntur. Alterum eſt vitalitatis, intra cuius limites anima conſeruatur in corpore; nam qualitates primæ, & ſecundæ in tali menſura ſeruantur; vt ſint diſpoſitio debita, vt anima corpus informet, & corpus non amittat, niſi tale temperamentum ſubuertatur, licèt cum illo malè ſe habeat.

Quibus ſuppoſitis, ad argumenta reſpondetur. Ad primum concedimus, cordis calorem intenſiorem eſſe calore oſſium, & reliquarum corporis partium. Dicitur tamen æqualis ſecundùm proportionem; nam quemadmodum in ſanis calor naturalis dicitur æqualis, quia eſt partibus ita proportionatus, vt perfectè actionibus commodet; ita in hecticis eſt taliter partibus improportionatus, vt earum actionibus officiat.

Ad confirmationem reſpondetur, hunc calorem non dici æqualem abſolutè, ita vt in omnibus membris ſit ſecundùm eundem intenſionis gradum; hoc enim eſt impoſſibile, vt rectè demonſtrat confirmatio: dicitur tamen æqualis ſecundùm proportionem quandam præternaturalem membrorum naturæ repugnantem, eo modo, quo calor naturalis dicitur æqualis ſecundùm proportionem naturalem membrorum naturæ conuenientem.

Ad ſecundum reſpondetur, quod licèt hecticus calor ſemper vſque ad obitum reſoluat, non tamen ex hoc ſequitur, quod ſit inæqualis; reſoluit enim cum quadam æqualitate inſenſibili, quamſimillima illi, quæ ſit per ſanitatem. Nam quemadmodum in ſanis calor reſoluit, & cum hoc tamen dicitur æqualis, pari modo in hectico contingit.

Ad tertium reſpondetur, manere in hecticis intrinſecum principium, quo ſe ad priſtinam ſanitatem reducant; nam licèt temperamentum naturale cordis ſanitati inſeruiens ſit quodammodò ſubuerſum; manent tamen ibi aliæ qualitates, quibus natura medio Medici auxilio reduci poterit. Similiter ibi manet forma, anima ſcilicet rationalis, quæ ſemoto impedimento qualitates ſibi naturales valebit producere. Neque inconuenit, quod forma ſpiritualis producat qualitates materiales, quibus vt forma mixti conſeruetur; nam illas non habet in ſe formaliter, ſed eminenter, ad quod non eſt neceſſarium, quod ipſa

ipſa anima ſit corporea. Si enim anima eſt forma mixti, neceſſariò dat eſſe mixti ſubſtantiale; & quia mixtum non poteſt conſeruari ſine qualitatibus mixti, eaſque non recipit à materia, neceſſariò à forma recipi debent. Quod etiam à ſimili comprobatur, nam potentiæ vegetandi, & ſentiendi ſunt accidentia materialia, quæ ad ſecundam qualitatis ſpeciem reducuntur: ſed huiuſmodi potentiæ in hominibus pendent ab anima in genere cauſæ efficientis: ergo non implicat, quod anima ſpiritualis ſit productiua rei materialis.

*Obiectio ex D. Thomæ doctrina.*

Neque eſt contra hanc ſolutionem Diui Thomæ doctrina 4. *contra Gentes*, *cap.* 81. vbi probans numericam identitatem corporum reſurgentium, inquit, quod anima rationalis non dat eſſe accidentale mixti, ſed tantùm ſubſtantiale.

*Ad illam ſubtilis reſponſio.*

Facilè enim reſpondetur, quod anima rationalis in die reſurrectionis dat idem eſſe ſubſtantiale numero, quia eſt eadem numero anima; non tamen dat idem numero eſſe accidentale, quod nos non negamus: non tamen dicit, quod anima non producat eſſe accidentale mixti numero diuerſum ab eo, quod præfuerat in homine. Quod enim præfuit, non poteſt idem numero produci ab anima; & hanc ob cauſam dixit Diuus Thomas, quod anima rationalis non dat eſſe mixti accidentale.

*Replica.*

Sed inſtabis: Subſtantia non eſt immediatum principium operandi: ergo ſi calor naturalis, qui eſt eius inſtrumentum, eſt ſubuerſus, ipſa ſine inſtrumento operari non poterit, ac per conſequens non erit hecticus ad ſanitatem à principio intrinſeco reducibilis.

*Solutio.*

Reſpondetur, quod ſubſtantia perfectè producta non eſt immediatè operatiua. Tunc autem cenſetur ſubſtantia producta perfectè, quando non ſolùm ſecundum ſuam entitatem eſt producta; ſed etiam quantùm ad ſua accidentia habet quæcunque habere debet, tunc equidem operatur mediis ſuis accidentibus; tamen quando ſubſtantia eſt ſine illis, & ſine ſuis paſſionibus, non mirum ſi illas producat, vt ſic ſuum eſſe perfectum adimpleat. Quapropter anima rationalis valebit producere talia accidentia in hecticis, quia non eſt in ſtatu perfecto, & completo; & ſic in hecticis remanet principium intrinſecum ſuæ reductionis.

Ad vltimum reſpondetur, in hecticis ſolùm eſſe ſubuerſum temperamentum ſanitatis, non tamen temperamentum vitalitatis, & ſic eſt permanſio calidi in humido, quibus vita conſeruatur.

Ex dictis etiam conſtat, hanc febrem eſſe ſine dolore; nam vt ex Hippoc. conſtat, Galeno, & omnibus, tunc fieri dolorem exiſtimamus, quando ſubitò, & affatim natura corrumpitur, & alteratur: ſed quia hecticorum natura paulatim, & inſenſibiliter alteratur, & corrumpitur; ideo huiuſmodi corruptio, vel alteratio eſt indolens, ita vt febricitantes non ſentiant ſe febricitare.

## §. II.

### *An hectica induat rationem habitus.*

PRo parte affirmatiua ſtat Authoritas Ariſt. qui *cap. de qualit.* habitum appellat difficilè mobilem à ſubiecto: ſed hectica febris eſt huiuſmodi: ergo induit rationem habitus. Et 5. *Methaphyſicæ*, *cap.* 20. ſanitatem, & ægritudinem habitus appellat: ſed ſi aliqua ægritudo meretur dici habitus, eſt febris hectica: ergo eſt verè habitus.

Quod etiam probatur ex communi modo loquendi; nam omnes Medici cum Gal. 8. *methodi*, *cap.* 1. febrem diuidunt in habitum, & diſpoſitionem; & hecticam habitualem febrem vocant.

Prætereà maraſmus ex ſua natura eſt inſanabilis, & immobilis à ſubiecto: ergo eſt habitus.

Tandem ſi hectica non eſt habitus, maximè quia eſt qualitas in corpore exiſtens: ſed hoc non tollit rationem habitus, vt probat Diuus Thomas 1. 2. *quæſtione* 50. *articulo* 1. ergo eſt verè habitus.

*Hectica febris non eſt habitus.*

His tamen non obſtantibus firmiter aſſerimus, hecticam, vel alium morbum nequaquam eſſe habitum: ad cuius probationem ſupponere oportet tanquam certum ex Angelico Doctore 1. 2. *quæſt.* 49. *art.* 2. *in reſponſione ad primum*, quod habitus, & diſpoſitio differunt inter ſe vt diuerſæ ſpecies generis vnius ſubalterni; ita vt illæ qualitates dicantur diſpoſitiones, quibus conuenit ſecundùm propriam rationem, vt de facili tranſmutentur: & poſuit exemplum in ſanitate, & ægritudine. Habitus verò dicuntur qualitates illæ, quæ ſecundùm propriam naturam non de facili tranſmutantur, quia habent cauſas immobiles, ſicut ſcientiæ, & virtutes.

*Habitus quid ſit?*

Vlteriùs ſupponendum eſt, variè definiri habitum ab Ariſt. nam *cap. de qualit.* inquit, quod habitus eſt difficilè mobilis à ſubiecto, & 2. *Rhetoricorum* ait: *Habitus eſt, quo nos malè vel benè affectos habemus.* At 5. *Metaphyſ. cap.* 20. inquit: *Habitus eſt diſpoſitio ſecundùm quam benè, vel malè diſponitur diſpoſitum, aut ſecundùm ſe, aut ad aliud.* Quæ vltima definitio totaliter explicat ea quæ habitui competunt, eamque vt veriorem commendat Caietanus 1. 2. *quæſt.* 49. *artic.* 1. quam iubet memoriæ mandare, & figere in ea aciem intelligentiæ, quam etiam vt veriorem ibi explicat Diuus Thomas.

Sed licèt iſtæ definitiones habitus naturam explicare ſufficienter videantur, placuit nobis aliam proponere, quæ à præcedentibus non multùm euariat, & meliùs naturam habitus attingit; quam tradit Pater Hurtado de Mendoza Societatis Ieſu *diſputat.* 16. *ſectione* 1. vbi inquit: *Habitus propriè ſumptus eſt qualitas permanens producta per actus vitales, facilitans potentiam ad ſimiles actus, ad quos præſupponit virtutem neceſſariam in potentia.* Quam definitionem amplectitur etiam Durandus, & alij, qui tenent habitum produci per actus vitales.

*Probatio concluſionis.*

His igitur ſic ſtatutis probatur concluſio 1. ex Sancto Thoma; nam habitus eſt qualitas permanens, & difficilè tranſmutabilis ſecundùm propriam naturam: ſed calor hecticus ex ſe, & ex propria ratione eſt tranſmutabilis: ergo non poteſt eſſe habitus. Maior certa eſt, minor probatur: nam calor hecticus, & calor qui eſt diſpoſitio, non differunt ſpecie: ſed calor qui eſt diſpoſitio eſt ex ſe tranſmutabilis: ergo idem eſt dicendum de calore hectico.

Secundò probatur; nam de ratione habitus eſt, vt ipſe Sanctus Thomas ait, vt habeat cauſas immobiles: ſed calor hecticus habet omnes ſuas cauſas mobiles, & parum perſiſtentes: ergo non eſt habitus. Minorem probo, nam cauſa calorem producens, quæcunque ea ſit, non eſt fixa, nec permanens; imò vt poſteà probabo, ab illa dum ſemel eſt productus, non dependet. Cauſa verò materialis eſt corpus viuens, quod facilè tranſmutatur, & nouas recipit qualitates, ita vt dicat Galen. quod dogma ſempiternæ

ſempiternæ paſſionis habet euidentem demonſtrationem.

Tertiò ex eodem Angelico Doctore, vbi ſanitatem, & ægritudinem aſſerit eſſe diſpoſitiones, quia facilè tranſmutabiles. Ergo cùm hectica ſit ægritudo, ad genus diſpoſitionis, & non habitûs pertinet.

Quartò, ex definitione à Patre Hurtado tradita, vbi inquit, habitus produci per actus vitales: ſed hectica producitur ab agente naturali naturaliter operante: ergo non induit rationem habitus. Quantum igitur ad operationes, quæ ſunt à natura, non diſponitur corpus per aliquem habitum; nam vt inquit Diuus Thomas 1. 2. *quæſt.* 50. *art.* 1. natura eſt determinata ad vnum, in qua poſitis omnibus requiſitis ad operandum, ſine difficultate inſurgit actio, vt patet in igne, & aliis agentibus naturalibus, quæ ſemper eadem facilitate ſuos producunt actus. Requiritur ergo habitus vbi ſubiectum eſt in potentia ad plura, vt patet in volitiua potentia, quæ circa plura verſatur, & habitus facilitat illam in ordine ad hunc actum potiùs quàm ad alium, & per habitum determinatur citiùs ad hunc actum producendum, quàm ad alium. Cùm ergo habitus adquiratur (vt omnes admittunt) per actus, & non per actus potentiæ naturalis, liquidò conſtat, quod per actus vitales producatur, qui præſupponit etiam potentiam cum virtute neceſſaria ad operandum. Quapropter dicitur: Habitus non dat poſſe, quia potentiam præſupponit cum virtute ſufficienti ad ſuos actus, ſed dat facilè poſſe. Loquor nunc de habitibus naturalibus, & non de ſupernaturalibus, ſeu infuſis à Deo, qui cum potentia vitali vnum conſtituunt integrum operandi principium, vt tenet communior Theologorum ſententia.

*Quod ſit ſubiectum habituum.*

Ex quibus infertur, animæ potentias eſſe ſubiectum principale habituum, vt ſunt intellectus, & voluntas; quæ cùm ſint animæ accidentia immobilia, habitus in ipſis exiſtentes minimè deficere poſſunt ratione ſubiecti.

*Reſponſiones ad argumenta.*

Ad argumenta ergo reſpondere poſſumus, ad primum, hecticam non dici habitum propriè; nam licet ſit difficilè mobilis, hoc non habet ſecundum propriam rationem, ſed ratione alicuius accidentis ſibi adiuncti, vt ſuo loco examinabitur: vel dicitur talis factâ comparatione ad alias febres, quæ de facili auferuntur.

Ad ſecundum ex Ariſt. reſpondetur, appellaſſe ſanitatem, & morbum habitum, non quia reverà habitus ſint, ſed quia ſunt veluti quidam habitus, quatenus difficiliùs ſemouentur à ſubiecto; & quia hectica eſt huiuſmodi, & difficiliùs auferatur quàm aliæ febres, hinc eſt, quod diuiditur febris in diſpoſitionem, & habitum; & ſic patet ſolutio ad 3. & 4.

Ad vltimum reſpondetur, dari in corpore quaſdam qualitates, quas communiter appellant habituales, vt inquit Sanctus Thomas; tamen in ipſo verus habitus dari non poteſt, niſi quoad modum.

## §. III.

### *Vtrum hectica dependeat à cauſa.*

HÆc quæſtio non quærit de ipſo generari febris hecticæ, cum certum ſit, quod per aliquam efficientem cauſam ſuum eſſe habere debuit. Quod ergo inquirimus, eſt an febris hectica habeat cauſam conſeruantem, ſicut putridæ febres,

A ita vt curari non poſſit ſine ablatione cauſæ, à qua conſeruatur. Neque habet locum iuxta eorum mentem, qui aſſerunt febrem ortum ducere à principio intrinſeco, nam ab eodem principio, à quo efficienter producitur, poterit conſeruari.

Neque procedit quæſtio de cauſa materiali hecticæ; nam cùm ſit accidens quoddam, neceſſariò habere debet cauſam materialem, non ex qua educatur, ſed in qua ſubiectetur, ad ſimilitudinem aliorum accidentium, quæ naturaliter ſine ſubiecto dari non poſſunt; & ſic dicimus ſubiectum, ſeu cauſam materialem febris hecticæ eſſe corpus viuens. Dubium ergo eſt, an hectica febris dependeat ab aliqua cauſa in conſeruari, quæ inter efficientes cauſas annumerari poſſit? Et ratio dubitandi eſt, nam plures ſunt qualitates, quæ in fieri, & conſeruari dependent à ſuo primo generante. Ergo idem erit dicendum de febre hectica. Antecedens probo; nam lux ita dependet à luminoſo, quod illo ſemoto non poteſt conſeruari, vt patet in aëre à lumine Solis illuminato: ergo pari ratione ſemoto calefaciente calor hecticus conſeruari non poterit; cuius contrarium experimur. Debemus ergo conſtituere cauſam illius conſeruatiuam.

Secundò probatur; nam calor hecticus eſt in alieno ſubiecto: ergo recedente cauſa, à qua fuit productus, neceſſariò auferri debet. Antecedens probo à ſimili, nam aquæ calor tandiu in ipſa conſeruatur, quamdiu cauſa conſeruans illum perſeuerat, qua ablata ſtatim calor corrumpitur ob defectum conſeruantis: ergo ſimiliter calor hecticus corrumpetur ablata cauſa illum producente, & conſeruante.

Tertiò probatur; nam ad vlcus pulmonis ſequi ſolet febris hectica, vt diximus capite de phthiſi, quæ ita dependet ab vlcere, tanquam à cauſa, vt non poſſit curari niſi priùs curetur vlcus illam conſeruans: ergo iam febris hectica non eſt independens.

*Exacta Diui Thomæ doctrina.*

Pro exacta huius quæſtionis intelligentia ſupponere oportet ex communi Philoſophorum doctrina, præcipuè tamen ex Diuo Thoma 1. *parte*, *quæſt.* 104. *art.* 1. quod effectus omnis aut dependet à ſua cauſa ſecundùm fieri tantum, aut ſecundùm fieri, & eſſe. Secundum fieri, & eſſe rem dicimus dependere à cauſa, quando res habet talem modum eſſendi, vt ſine cauſa conſeruari non poſſit, vt conſtat in luce recepta in aëre, quæ totum ſuum eſſe habet dependenter à ſole, ita vt illo abſente lux ſtatim deficiat.

Quæ verò ſolùm ſecundum fieri dependent à cauſa, & non ſecundum eſſe, adhuc ablatâ cauſâ conſeruantur, vt patet in qualitatibus permanentibus, videlicet in habitibus ſcientiæ, & virtutum, qui ſine cauſa vſque in finem conſeruantur; & inter permanentes qualitates annumerat etiam calorem. Et hæc eſt ratio (inquit) quare aqua calefacta retinet calorem, ceſſante actione ignis.

*Hectica eſt independens à cauſa.*

Quo ſuppoſito ſit concluſio. Febris hectica eſt independens à cauſa. Probatur; nam hæc febris curatur per ſolam contrariorum adhibitionem, nullo habito reſpectu ad cauſam: ergo eſt independens ab illa.

Secundò probatur; nam in curatione intemperierum, quæ habent ſuum eſſe dependenter à cauſa, iubet Galenus priùs detrahere cauſam, dum dicit: *Vnamquamque cauſam prius abſcindere debemus, deinde ad eam, quæ facta, eſt dyſcraſiam peruenire.* Sed curatio hecticæ non detrahit cauſam, ſed ſtatim deuenimus

deuenimus ad intemperiem adhibendo contraria calori, & ſiccitati: ergo ſignum euidens eſt, quod non dependet à cauſa.

Tertiò probatur; nam qualitates, quæ conſeruantur à cauſa, ablatâ cauſâ deficiunt, quoniam ſubiectum à propria natura reducitur ad priſtinum ſtatum, vt patet in aqua calida, quæ ſemoto calefaciente à propria natura frigiditatem amiſſam recuperat: ergo ſi hectica dependet à cauſa, per ſolam ablationem cauſæ reduceretur hecticus; ſicut aqua calida reducitur ſemoto calefaciente, quod nequaquam contingit.

*Replica.* Sed obiicere poteris: Si calor hecticus non habet cauſam ſuæ conſeruationis, qua ratione habet tantam permanentiam in ſubiecto, ablatâ cauſâ, à qua fuit productus? & quare etiam ſubiectum viuens non reducitur ad priſtinum ſtatum, ſiquidem calor ille à nemine conſeruatur.

*Reſponſio ad illam.* Reſpondetur, iuxta communem dicendi modum, calorem hecticum producere quandam ſecundam qualitatem, quæ in genere cauſæ materialis diſponit ad permanentiam, & durationem caloris: quod eſt conſonum doctrinæ Valleſ. 5. *controu. cap.* 20. vbi inquit: *Quod calor intenſus ſit, ex proprio ipſius qualitatis incremento naſcitur; ſed quod ſit in habitu, ipſius ſubſtantiæ, in qua recipitur, facit diſpoſitio.* Ecce quomodo ſubiecti diſpoſitio facit, quod calor ſit fixus, & habitualis. Neque mirum, quod qualitas ſecunda conſeruet primam; nam licèt ſecunda dependeat à prima in genere cauſæ efficientis, poteſt etiam prima dependere à ſecunda in genere cauſæ materialis, ita vt ſibi inuicem ſint cauſæ; taliter enim poterit diſponere ſubiectum, vt ratione illius diſpoſitionis fixior remaneat calor, ita vt non indigeat cauſa effectrice conſeruante, & hoc experimur quotidie; nam quæ ſunt duræ ſubſtantiæ, & denſæ nimis, qualitates ſemel acceptas tardiùs amittunt, etiamſi cauſa illas producens auferatur, vt patet in ferro, plumbo, auro, & ſimilibus, quæ ſi ſemel calorem, aliamve qualitatem recipiunt, tardiùs eam deperdent, quàm ea quæ ſunt tenuioris ſubſtantiæ: quod prouenire cenſeo ex modo ſubſtantiæ illorum, & eorum diuerſa diſpoſitione; & hanc ob cauſam dixit Valleſ. loco ſuperiùs citato, quod tenuitas ſpirituum, & humorum facit, vt calorem citiùs concipiant, non tamen eum in habitu retineant; calor verò exiſtens in partibus corporis ſolidioribus meliùs conſeruatur ob dictam diſpoſitionem, & ob qualitatem ſecundam ab ipſo calore productam.

Ex iis ad argumenta reſpondetur. Ad primum, quod calor eſt de qualitatibus permanentibus, vt dictum eſt, & ſic ablatâ cauſâ perſeuerat.

Ad ſecundum reſpondetur, calorem hecticum eſſe in alieno ſubiecto, vt probat argumentum; non tamen ſubiectum reducitur ad priſtinam ſalutem, quoniam qualitas ſecunda diſponens illud ad caloris conſeruationem, non tollitur; & ſic calor ille conſeruatur in ſubiecto alieno extra propriam inclinationem ſubiecti; eſt enim diuerſa ratio de calore aquæ, & calore hectici; nam aqua per calorem, quem adquirit, non amittit temperamentum ſubſtantificum, ſeu habituale: neque poteſt dici, quod ſubuertatur tale temperamentum; eſt enim illud reſultans ex variis elementorum partibus materialibus mixtum componentibus, cui proportionaliter reſpondet temperamentum qualitatiuum: ad quod producendum requiritur, quod ſubſtantificum non peruertatur. Et quia in febre hectica tale temperamentum ſubuertitur, hinc eſt, vt qui febre hectica laborat, non poſſit reduci ab intrinſeco ad priſtinum ſtatum; nam ad illius reductionem deberet producere frigiditatem, vt per illam hectici calor deſtrueretur: ſed quia ad frigiditatis emanationem requiritur temperamentum ſubſtantificum, & hoc eſt ſubuerſum; ideo forma non poteſt reducere corpus hecticum ad illum ſtatum: at verò in aqua id non contingit, atque adeò poteſt ſe ad priſtinam frigiditatem reducere; eſt enim corpus ſimplex tali temperamento ſubſtantifico carens.

Sed inſurges: Calor hecticus non habet cauſam efficientem, à qua conſeruetur: ergo poteſt auferri ab aliqua parte per actionem contrarij: ergo cùm poſt illius ablationem non ſit aliqua cauſa efficiens, quæ iterum illum calorem producat, remanebit pars ſine calore hectico.

Reſpondetur, quod ſemoto contrario calor hecticus non producitur in parte ab ipſa parte, quia in ſe principium productionis illius caloris non habet; producetur tamen à calore aliarum partium per continui alterationem, ibique ſemel productus remanebit, quia non datur principium intrinſecum, quod poſſit illum deſtruere, vt dictum eſt.

Sed quia difficile eſt inuenire hanc qualitatem ſecundam, quæ diſpoſitiuè ſaltem longa duratione conſeruet primam, & hoc potiùs videtur difficultatem fugere, quàm eam abſoluere; ideò mihi viſum fuit amplecti modum illum dicendi, quem *quæſt.* 2. primi libri tradidimus: diximus enim, quod ſemel abſumptis partibus frigidis à cauſa calida extrinſeca, non impediuntur partes cordis calidæ; ſicque intenſum calorem producunt, à quo calore, vel à calore in partibus calidis retento, qui fuit productus ab extrinſeco, conſeruatur febris intrinſecè; nam tunc partes illæ calidæ conſeruant calorem illum, quia non perſiſtunt partes frigidæ, à quarum frigiditate contemperetur calor ille; qui cum ſit intenſior quàm decet pro actionibus naturaliter obeundis, & in vniuerſum corpus communicetur per ſpiritus, & ſanguinem, imo & per continui alteranem, nihil illi deficit ad rationem febris, neque eſt poſſibilis illius curatio, donec partes illæ frigidæ cordis, quæ fuerunt abſumptæ, iterum reponantur. Quapropter in huius febris curatione adhibemus remedia ſubſtantificè, & qualitatiuè immutantia, vt reſtauretur non ſolum qualitas frigida, & humida, ſed etiam ſubſtantia iis qualitatibus conſtans, quæ calorem partium ſolidarum frangat, ac ad mediocritatem reducat; nam ſi ſolùm fiat attemperatio per qualitates, ablatâ cauſa attemperante, facilè forma illarum partium calidarum iterum calorem illum denuò producit: neque aufertur febris, donec per præſentiam partium frigidarum denuò productarum forma in illis exiſtens producat frigiditatem, ex qua, & ex calore partium calidarum fiat temperamentum accommodatum ad actiones rectè peragendas; in quo temperamento ſanitas conſtituitur, & per illud hectici calor detrahitur.

Ad tertium reſpondetur, quod ad vlcus pulmonis non ſtatim ſequitur hectica, quamuis hecticæ ſit productiuum, vt ſuo loco diximus: & quando dicitur, quod hectica non poteſt curari, niſi priùs auferatur vlcus, à quo dependet. Reſpondetur, id eſſe omninò per accidens ad naturam hecticæ; nam ſi ex vaporibus putridis ex vlcere pulmonis ad cor elatis inſurgit hectica, quamuis curetur vlcus, ſemper hectica remanebit poſtea ab vlcere independens; & ſic ſi non curatur hectica ante vlceris curationem, non eſt quia de ratione

tione hecticæ ſit à cauſa illa dependere, ſed quia dum præſens eſt vlcus, illud putridum ſemper hecticam valebit conſeruare; quæ conſeruatio eſt omninò per accidens, vt dixi.

## §. IV.

### *An hectica à principio inuadere poſſit ante alias febres.*

PRo parte negatiua ſtat authoritas Galeni 2. *de criſibus*, *cap. vltim.* vbi inquit: *Nulla enim earum in primis diebus*, *ſed in progreſſu temporis fit.* Ergo non poteſt inuadere à principio. Et *de inæquali intemperie*, *cap.* 4. vbi ait, quod ea quæ tenuia, & calida exiſtunt, faciliùs recipiunt calorem: ſed ſpiritus vitales tenuiores, & calidiores ſunt, quàm ſolidæ corporis partes: ergo citiùs, & faciliùs inflammantur, quàm illæ. Si ergo citiùs calorem recipiunt, priùs producetur febris diaria ex ſpirituum ſuccenſione, quàm hectica.

Vlteriùs, diſpoſitio præcedens hecticam eſt febris, & non eſt hectica: ergo ante hecticam præcedit alia febris. Maior probatur; nam antequam calor ſit productus in termino, calor eſt præter naturam, & alterat naturam, læditque illius actiones ſenſibiliter: ergo eſt febris, eſt enim calor accenſus in corde, & per vniuerſum corpus diffunditur: ſed calor ille non poteſt eſſe hectica, quia non eſt in termino: ergo neceſſariò debet eſſe alia febris. Minor etiam conſtat; nam diſpoſitio præcedens formam non eſt ipſa forma: ergo diſpoſitio præcedens hecticam non eſt ipſa hectica.

*Concluſio ſtatuitur.* In contrarium eſt Galenus 1. *de differentiis febr. cap.* 8. vbi expreſsè fatetur, duplici via hecticam ortum habere, magna quidem ex parte ex ardentibus febribus; aliquando etiam ab initio inuadit ex ira, triſtitia, laſſitudine nimia vnà cum ſolis feruore contracta, aut ex alia quauis cauſa manifeſta; primumque ſui ortum ephemeris ſimilem facit. Quam ſententiam tuentur omnes ferè Medici, & facilè probari poteſt euertendo contrariorum fundamenta. Nam ſi tenuia faciliùs inflammantur: ergo poſt diariam debet fieri putrida, & poſt putridam hectica febris; ac per conſequens ſemper hic ordo ſeruabitur, vt diaria præcedat putridam, & putrida hecticam. Ex quo etiam ſequitur, quod nunquam detur febris putrida, quæ à principio inuadere poſſit, cuius contrarium quotidie obſeruamus.

Secundò probatur; nam ſi neceſſariò præcedit hecticam alia febris, ſequitur quod exiſtente febre hectica omne genus febrium diariarum, & putridarum ſimul cum ea exiſtant: hoc dici non poteſt: ergo neque illud, ex quo ſequitur. Sequelam probo; nam ex eorum opinione, ſi febris aliqua hecticam perpetuò præcedit, ex aduentu hecticæ non eſt, quod tollatur illa febris, imò conſeruari debet; nam ſi ſuccenditur febris in partibus ſolidis, & calori reſiſtentibus, cùm humores, & ſpiritus ſint inflammatu faciliores, in ipſis etiam accendetur calor, qui valeat cor præter naturam calefacere,& febrem conſtituere. Præterea ex eo febris in ipſis ante hecticam ſuccenditur, quia faciliùs, & citiùs calorem adquirunt, ob eorum tenuitatem, & paruam reſiſtentiam: ſed poſt productionem hecticæ manent cum eadem diſpoſitione, & ex alia parte calor hecticæ poteſt illos inflammare: ergo poſt productionem hecticæ per-

A manent febres diariæ, & putridæ, atque adeò nulla erit heſtica, quæ alias febres non comitetur; actus enim actiuorum fiunt in patiente benè diſpoſito. Sunt equidem, vt ipſi teſtantur, ſpiritus & humores adhuc magis diſpoſiti ad calorem, quàm ſolida membra; & ſolidorum membrorum calor eſt in actu: neceſſariò ergo reſultabit actio.

Quod ſi dicas, verum eſſe, ſpiritus, & humores eo tempore habere calorem in fieri, qui non valet conſtituere febrem: ego dicam etiam, quod ante hecticam habebant ſimiliter in fieri calorem illum, & ſic neque antè illam febrem diariam, neque humoralem producebant. Et quemadmodum in febre hectica licèt ſpiritus aliquem calorem recipiant, non tamen ad eum gradum deuenit, vt febrem diaram efficiat; ita ſimiliter ante illam licèt ſpiritus calore alterentur, & ſuccen-B dantur, illorum calor non requiritur, vt ſit ſufficiens pro febre diaria conſtituenda.

Vnde ergo prouenit, quod partes ſolidæ intenſiùs inflammentur, quàm ſpiritus, & humores, qui alterationibus ſunt magis obnoxij. *Dubium.*

Reſpondetur, id poſſe prouenire ex eo, quod homines calidi, & ſicci ſunt, & raræ contexturæ; quæ omnia maximè diſponunt ad ignem. Similiter ex animi paſſionibus accidere poteſt hectica, præcipuè ex mœrore, & triſtitia, de qua dicitur *Prouerb.* 17. quod oſſa exſiccat, quod Artemiſiæ contigit Mauſoli Cariæ Regis vxori, quæ ex mœrore, & recordatione mortui Regis in continuo luctu vixit, & contabuit, vt refert Aloiſius Luiſinus *tractatu de compeſcendis animi affectibus.* Neque video, repugnare naturæ corporis ſolidi, quod habeat, vel habere poſſit qualitates, quæ magis illud diſponant ad ignem, quàm ſi illud C corpus eſſet tenue; faciliùs equidem ſuccenditur lignum reſinoſum, & craſſum, aut calidum, & ſiccum, quàm aër tenuis, & rarus, aut vapor aliquis: quod contingere non negabis ex maiori diſpoſitione, quæ in ipſo corpore ſolido reperitur. Idem ergo proportionaliter intelligere poſſumus de partibus ſolidis noſtri corporis, & de ſpiritibus, & humoribus.

Ex his ergo patet ſolutio primi argumenti; nam poteſt dari talis diſpoſitio in corpore ſolido, quæ magis diſponat ad calorem, quàm tenuitas, & raritas ſpirituum vitalium, & humorum. *Ad argumenta reſpondetur.*

Ad Galeni authoritatem in principio adductam reſpondere poſſumus, quod quando aſſerit febrem hecticam non dari primis diebus, ſed progreſſu temporis, loquitur de hectica, quæ ex alia febre præcedente dependet; non tamen loquitur de he-D ctica, quæ ex aliqua cauſa procatarctica originem trahit, quæ nulla alia febre præcedente ſuum habet initium.

Ad vltimum reſpondetur, diſpoſitionem præcedentem hecticam non eſſe hecticam, neque eſſe febrem, ſicut diſpoſitio præcedens febrem putridam, non eſt febris; atque adeò non lædit actiones. Quod ſi illa diſpoſitio ad eum ſtatum deuenit, vt ſit febris, erit hectica incipiens, quo tempore iam non diſpoſitio, ſed hectica incipiens vocitabitur.

### §. V.

### *An hectica poſſit intendi, & in ſpecies diuidi.*

QVantùm ad primum punctum huius difficultatis, facilè ab illo me expediam, ſi priùs dixerim, quod cùm calor poſſit intendi vſque ad octo gradus, poteſt etiam tranſmutari à qualibet cauſa, quæ vim augendi calorem habeat; ſicut remitti à refrigerantibus, & humectantibus. Neque repugnat, quod nouus gradus caloris ſuperadditus ita radicetur in ſubiecto, vt difficilè ab illo ſemoueatur, & ſimul cum præexiſtentibus hecticam intenſiorem conſtituat, ſiue cauſa illum producens ſit externa, ſiue interna. De externa nullum dubium eſt, ſicut neque de aliquibus internis, vt de nimio motu, ſeu immoderato exercitio, vel vehementi animi paſſione.

Maiorem difficultatem habet explicare, an calor à ſeipſo poſſit intendi; nam cùm in doctrina Sancti Thomæ intenſio non fiat per additionem gradus ad gradum, ſed per maiorem radicationem in ſubiecto, poterit ille calor magis radicari, quod idem eſt ac intendi. Quod probari poteſt; nam calor hecticus tertiæ ſpeciei difficiliùs ſemouetur à ſubiecto, quàm ipſe calor primæ, & ſecundæ ſpeciei: ſed hoc non poteſt contingere, niſi quia magis radicatus eſt in ſubiecto: ergo cùm illa maior radicatio ſit intenſio, iam ille calor à ſeipſo intenditur.

Neque valet ſi dicas, talem maiorem intenſionem non fieri ab ipſo calore, ſed ab aliis cauſis calefacientibus, tam internis, quàm externis. Hoc, inquam, non valet; nam ſi præſcindamus omnes cauſas calefacientes, reverà ille calor conſeruabitur, & ægrum deducet ad tertiam hecticæ ſpeciem; videmus ſiquidem quotidie exſiccari corpus, & in tertia hecticæ ſpecie conſtitutum illius calorem intenſiùs operari; quæ intenſior operatio ab intenſiori cauſa neceſſariò procedit.

Sed hæc doctrina adhuc in Thomiſtarum ſententia non tenet verum; nam licèt aſſerant, quod intenſio fit per maiorem radicationem, non tamen dicunt, quod eadem qualitas radicetur à ſeipſa, ſed neceſſariò prærequirit cauſam, quæ talis radicationis ſit origo; & in hoc conueniunt cum iis, qui aſſerunt, intenſionem fieri per noui gradus acceſſum; qui gradus ſupponit cauſam cum ſufficienti virtute ad illum producendum.

*Nota.* Quâ autem ratione calor hecticus tertiæ ſpeciei intenſiùs calefacit, iam declaro ſupponendo priùs, quod denſitas materiæ iuuat ad actionem, vt communiter dicitur; & quod ſiccitas eſt lima caloris, quod experimur in calore in aqua, aut ferro recepto: nam calor aquæ minùs alterat, quàm calor ferri; habet enim ferrum ſiccitatem, quæ calorem acuit, & denſitatem, ratione cuius partes vnitæ magis applicantur paſſo, & intenſiùs operantur; virtus enim vnita fortior eſt ipsâ diſperſâ.

Quibus ſic intellectis dicendum eſt, calorem hecticum intenſiùs operari in ſecunda aut tertia ſpecie, quàm in prima; & hoc prouenire non ex maiori intenſione caloris, ſed ex maiori ſiccitate, & denſitate partium, quibus calor hecticus inhæret in ſecunda, & tertia ſpecie febris hecticæ; A in prima enim calor ſubiecto magis humido, & raro inhærebat, & hanc ob cauſam non ita intenſè operabatur. Certum enim eſt, ſubiecti diſpoſitionem maximè prodeſſe ad intenſiùs, vel remiſſiùs operandum, vt diximus de calore in ferro, aut aqua exiſtente.

*A quo fiat partiū exſiccatio in hecticis.* Oportet tamen vt declaremus, quo pacto iſta partium exſiccatio fiat; cui dubio ſatisfecimus capite de conuulſione, agentes de conuulſione ex ſiccitate: nunc tamen breuiter aſſerimus, calorem hecticum euaporare humidum inſenſibiliter, vt ſuprà dictum eſt, non proprium, ſed alterius partis ſibi proximæ; quo euaporato neceſſum eſt, vt pars remaneat ſiccior per ſuam antiquam ſiccitatem, quæ in humidi defectu magis eluceſcit: hæc tamen ſiccitas habet quandam latitudinem; nam quædam eſt naturalis, quæ ſolùm ex humidi abſentia clarior apparet; quædam præter naturam, B quæ à cauſis exſiccantibus ineuitabilibus, ſiue externis ortum ducit: quæ quidem magis eo tempore exſiccare valent, quia illarum actio minùs impeditur ab humiditate naturali partium, quæ cum à calore febrili ſit euaporata, non poteſt illarum operationi reſiſtere.

*An hectica diuiſibilis ſit in ſpecies.* Circa ſecundum huius quæſtionis punctum, certum eſt hecticam febrem phyſico rigore ſumptam, in ſpecies non diuidi, cùm in calore eius natura ſita ſit, qui à principio in finem idem perſeuerat; tamen quantum ad vſus medicos tres ſpecies, gradus, aut tempora febris hecticæ conſtituuntur à Galeno 1. *de differ. febr. cap.* 9. & 10. *method. cap.* 11. quæ deſumuntur ex diuerſa conſumptione humiditatum, quæ ſunt in noſtro corpore, ex quarum conſumptione diuerſæ ſiccitates prodeunt, quæ varium curandi modum exigunt.

C Quando ergo rorida cordis ſubſtantia, ſeu humiditas depaſci incipit à calore, fit prima hecticæ ſpecies, quæ ſimpliciter hectica nominatur; quando verò rorida humiditas in totum eſt abſumpta, & carnoſa humiditas abſumi etiam incipit, hectica, & ſimul tabida dicitur. Tandem quando non ſolùm partium carnoſarum humiditas eſt conſumpta, ſed etiam ſubſtantiæ fibroſæ, & cartilaginoſæ humiditas depaſcitur, iam non tabes, ſed maraſmus appellatur; quæ vltima hecticæ ſpecies, ſeu differentia, vt incurabilis relinquitur à Gal. 10. *meth. cap. vltim.* & 1. *de differ. febr. cap.* 8.

Aduertere tamen oportet, quod hæc ſiccitas, ſeu defectus humiditatis ſubſtantialis, ſecundùm quam hecticæ ſpecies conſtituimus, debet attendi in ſubſtantia cordis; nam licèt omnes aliæ partes areſcant, & conſumantur, non poteſt tamen D conſtitui febris hecticæ aliqua ſpecies, donec aliqua dictarum humiditatum abſumatur, & diſſipetur, vt notat Gal. 1. *de differ. febr. cap.* 8. *proximè citato.*

*Obiectio.* Sed contra hanc doctrinam quis ſic inſurget: Caliditas hecticæ cuiuſcunque ſpeciei omnibus membris ſolidis ineſt: ergo omnium membrorum humiditatem depaſcit, ac per conſequens non incipiet conſumptio à rorida, ſeu per cor ſparſa ſubſtantia tantùm. Antecedens conſtat, conſequens probo: nam caliditas illa eſt agens naturale, quod promiſcuè, & ſine delectu operatur; atque adeò cùm ſubſtantiæ illæ ſint debitè approximatæ, & intra illius ſphæram, neceſſariò aget in omnes.

Vlteriùs ex conſumptione roridæ ſubſtantiæ

non

non poteſt conſtitui aliqua ſpecies hecticæ; nam rorida ſubſtantia, vt conſtat ex Auicen. non eſt pars viuens: ergo non poteſt morbum conſtituere, qui ſubiectum viuens expoſtulat, vt alibi demonſtrauimus.

Tandem hæc humiditas, ſeu rorida ſubſtantia poteſt diſſipari à calore febris ardentis, vel alterius febris; ſiquidem videmus aliquas febres, quæ non ſolùm humiditates depaſcunt, ſed etiam membra colliquant, vt videre eſt in aliquibus vrinis febricitantium, in quibus pinguia innatantia, aut ſedimenta furfurea, vel laminea apparent, vt inquit Hippoc. 2. *prognoſt. text.* 28. Quæ omnia maximæ conſumptionis partium carnoſarum, & ſolidarum ſunt ſigna: ergo defectus huius humiditatis non poteſt conſtituere febrem hecticam.

*Reſponſio ad illam.*

Hæ tamen rationes facilè ſoluuntur. Ad primam dicimus, calorem eſſe inſitum omnibus membris, & ſimul in omnia agere, vt ipſa ratio probat; tamen quia rorida ſubſtantia rarior, & humidior eſt, faciliùs diſſipatur, & abſumitur; ideò primam hecticæ ſpeciem deſignat, poſt cuius conſumptionem elucet magis conſumptio ſecundæ ſubſtantiæ, quam alij cambium vocant, & ſic ſecundam ſpeciem conſtituit, donec tandem durior ſubſtantia exſiccetur, quæ tertiam ſpeciem, ſeu maraſmum denotat, quæ ob eius duritiem, & reſiſtentiam difficiliùs à calore diſſipatur.

Ad ſecundam reſpondetur, roridam ſubſtantiam non eſſe viuentem, ſed potiùs eſſe per membrum ſparſam, vt ex ipſa, tanquam ex pabulo nutriatur; neque eſſe ſubiectum febris: dicimus tamen febrem conſtituere aliquo modo, in quantum ſcilicet ex defectu huius humiditatis reſultat, vt magis eluceat, & intendatur ſiccitas partium viuentium, & ipſe calor adquirat intenſiorem modum operandi, vt ſuprà diximus: & quia illius defectus primam hecticæ ſpeciem deſignat, ideò dicitur, quod febrem hecticam primæ ſpeciei conſtituit.

Ad tertiam reſpondetur, verum eſſe, roridam cordis ſubſtantiam efferueſcere, & diſſipari poſſe à calore aliarum febrium; ſiquidem calor ille in corde exiſtens, cum benè approximatus ſit, neceſſariò ſuam producet actionem; & quia accidere poteſt, vt ſit intenſior, quàm in febre hectica, intenſiùs etiam poterit ſubſtantiam roridam conſumere. Ex quo ſolùm ſequitur, quod iſtud ſignum non ſit ita proprium huius febris, vt aliis etiam conuenire non poſſit; dicimus tamen eſſe peculiare huic febri, quia ſemper huius febris naturam comitatur, quod non contingit aliis febribus, quibus poteſt adeſſe, vel abeſſe: quod ſignum ſimul cum aliis huius febris naturam conſtituit.

*An detur 4. ſpecies hecticæ.*

Sed in dubium etiam reuocari poteſt, an ex conſumptione primæ humiditatis, quæ eſt in exilibus venis, poſſit etiam conſignari quarta ſpecies febris hecticæ; nam non videtur maior ratio vnius, quàm alterius. Si igitur Galen. 7. *methodi, capite* 6. quatuor ſiccitates connumerauit; & ex tribus conſignantur tres dictæ hecticarum ſpecies, quare ex alia non conſtituitur quarta?

Huius dubij ſolutio eſt facilis. Dicimus ergo, quod inter rorem, & ſubſtantiam, quæ eſt in exilibus venis, Medici paruam, aut nullam faciunt differentiam, quantum ad conſumptionem; habent enim inter ſe magnam ſimilitudinem, ita vt à calore cordis vtraque facilè in prima ſpecie hecticæ abſumi incipiat. Quapropter licèt conſtituantur à Galeno quatuor iſtæ humiditates, nòn ponuntur niſi tres hecticarum differentiæ.

*An hectica ſit intenſior febre ardenti.*

Hic etiam dubitari ſolet, an hectica ſit intenſior ardente febri? Quam dubitationem facile eſt dirimere; nam ſi hectica ab aliqua ardente febre procedit, poterit eſſe ita intenſior: nam calor hecticæ eſt terminus vltimus motus caloris febris ardentis, qui neceſſariò continet calorem in ſua perfectione, & complemento; non tamen erit ita extenſus ſicut calor febris ardentis, nam corpus hectici habet magnam partium amiſſionem, ob reſolutionem à calore inductam, remanentque pauciores, quapropter extenſiuè eſt minor; nam in hecticis minus ſupereſt de ſanguine, ſpiritibus, & partibus ſolidis, quàm in febribus ardentibus; non tamen implicat, quod aliquæ febres ardentes ſint intenſiores, quàm febres hecticæ, præſertim quando hectica ex ardentibus non conſurgit.

Neque valet dicere: Febris hecticæ calor eſt terminus calefactionis febris ardentis: ergo eſt intenſior calore illius. Reſpondetur, verum eſſe, hecticam febrem à febre ardenti dimanantem eſſe terminum caloris illius; non tamen terminus productus petit eſſe intenſior causâ producente, imò licèt calor hecticæ ſit terminus febris ardentis, non tamen poſtulat, vt in eodem gradu conſtituat hecticam; nam poteſt temperamentum ſubuerti ſecundùm vnum gradum tantùm; & ille gradus ſolùm per modum habitus permanebit, reliqui verò ablata febre ardenti auferuntur, quia non habent à quo conſeruentur, & ibi ſunt per modum diſpoſitionis; quo in caſu hecticæ calor erit remiſſior, quàm calor febris ardentis.

## §. VI.

### *De ſignis febrium hecticarum in communi.*

Antequam cuiuſvis ſpeciei hecticæ peculiaria ſigna proponamus, ea quæ in vniuerſum febrem hecticam incipientem demonſtrant, adducemus, de quibus diffusè ſatis egit Galenus 1. *de different. febrium, capite* 9. & 10. *methodi, capite* 6.

Primum ſignum deſumitur ex calore, qui à primo manus occurſu mitis apparet, & exiguus, in proceſſu verò temporis acris, & mordax, atque aridus manui ſe offert. Apparet exiguus, vt dixi, ob vaporum defectum; nam caloris extenſio fit ob vaporum multitudinem. Sed quia calor hecticarum eſt in ſubiecto ſolido, ideò vapores calidi exigui ſunt, & ex conſequenti calor puſillus; & hanc ob cauſam primo manus occurſu mitis apparet, poſtea tamen ob ſubiecti diſpoſitionem, ſiccitatem ſcilicet, acrior, & mordax perſentitur.

Iſte calor poteſt fieri præcedente alia febre, & hoc maiori ex parte fit, vt monſtrat Galen. 1. *de differentiis febrium, cap.* 8. Fit etiam aliquando ex alia cauſa manifeſta, more febrium ephemerarum, ita vt eius ortus ephemerarum ortui ſimilis euadat. Diſtingues tamen calorem hecticum ab aliarum febrium calore, quoniam calor æqualiter ſemper perſeuerat, nullumque habet ſenſibile incrementum ex ſe, niſi ratione alterius adiuncti. Quod ſi in febre ſanguinea homotona dicta calor à principio in finem æqualis perſeuerat, vt in hectica contingit, differt tamen ab illa caloris copiâ,

& multitudine; nam vt iam dictum eſt, calor hecticæ eſt exiguus, ſanguineæ verò eſt magnus, & extenſus valdè ob ſanguinis, & vaporum redundantiam, qui vniuerſum corpus excalefaciunt. Accedit ad hoc pulſus differentia; nam in febre ſanguinea pulſus magnus, celer, & frequens eſſe ſolet; in hectica verò paruus, durus, & debilis.

Ex febrili calore æqualiter infeſtante naſcitur, quod ægri nullum percipiunt dolorem, neque ſentiunt ſe febricitare, cuius cauſam ſuprà inſinuauimus; & hoc eſt ſignum proprium huius febris, vt docet Galenus *lib. de inæquali intemper. cap. 5.*

Aliud ſignum deſumitur ab effectu caloris, qui humidæ ſubſtantiæ diſſipationem, & conſumptionem in toto corpore cauſat, eo modo, quo ſuprà annotauimus; vnde ariditas quædam tertio, vel quarto die à febris inuaſione in partibus perſentitur, quæ magis, ac magis in dies augetur, donec ad maraſmum deueniat æger.

Diximus equidem 1. *lib.* quod ſiccitas non eſt de conceptu febris; quare ſi ſiccitas ſuperuenit calori hectico, non ideò cenſendum eſt, ad naturam febris hecticæ pertinere: quod ſi maraſmus non inueniatur ſine ariditate, ideò fit, quia eſt morbus compoſitus ex calore, & ſiccitate, & eſt morbus in defectu ſubſtantiæ. Quapropter in hac parte non eſt ſequendus Mercurialis, qui docet febrem hecticam conſtitui per calorem, & ſiccitatem.

Alterum ſignum proprium, & inſeparabile huius febris eſt, quod ſtatim vnâ horâ, aut duabus poſt ciborum aſſumptionem æger incaleſcit, ita vt Medici exiſtiment aliquam ſuperueniſſe febris acceſſionem, quoniam calorem maiorem, & pulſum ad magnitudinem, & velocitatem deueniſſe percipiunt.

*Obſeruatio neceſſaria.*

Eſt tamen obſeruandum, quod Galen. admonet, videlicet, quod diuerſis, & mutatis horis cibus offeratur; quod ſi ſemper ab aſſumptione cibi calor increuerit, ſignum euidens eſt, quod ratione cibi oblati adaugetur.

*Annotatio incompreſſa quid ſit.*

Rurſus tale caloris incrementum fit ita, vt annotatio incompreſſa facta videatur. Vocat autem Galenus annotationem incompreſſam, in qua neque frigus, horror, vel rigor, aut dormitatio, vel aliud accidens fit ex his, quæ ſequuntur naturam febrium putridarum; & ſic ille calor eſt æqualis, & perſeuerat in illa intenſione vſque ad alimenti diſtributionem, quâ peractâ, & alimenti humiditate conſumpta, ad priſtinum ſtatum redit. Pulſus etiam licèt aliquam nanſciatur magnitudinem, & velocitatem, eſt ſimilis illi, qui adquiritur per ſalutem poſt cibi aſſumptionem; non tamen eſt ſimilis pulſui, qui ratione incrementi alterius febris adaugetur, & velocior redditur.

Sed quamuis huius incrementi caloris cauſam aſſignare ad Philoſophos pertineat, tamen non erit abs re illam hic inueſtigare; eamque tradere conatur Galen. 1. *de differ. febr. cap. 9.* & 2. *prognoſt. comment.* 60. ſimilitudine ſumptâ ex calce viua aquâ perfuſâ; ſi enim, inquit, intra manum recipias calcis glebam, eius paruifacies caliditatem, quam neque ſenties: quod ſi aquâ perfundas, videbis quamprimùm vehementer calefactam, & non paruos vapores de ſe mittere; & ſi eam tangere auſus fueris, facilè vſtionem perſenties. Ita ſimiliter in hecticis, vna aut duabus horis à cibi aſſumptione calor adaugetur, quia tunc etiamſi alimentum in ventriculo remaneat, vaporoſa ta-

A men illius pars ad cor & ad iecur diffunditur, ex quorum contactu calefit, & ebullit, ſicut ex contactu aquæ ebullit, & calefit calx, & ex tali ebullitione multi vapores exhalant, qui vniuerſum corpus excalefaciunt, & à tactu maior quàm antea calor ſentitur; non enim feruor contingere poteſt ſine humido, proindeque ſtatim ac aqua conſumitur, ceſſat feruor. Ita ſimiliter durante humiditate ex alimento in corpore, feruor à calore hectico ſuſcitabitur; & quia cibus non niſi vna, aut duabus horis tranſactis diſtribuitur, ideò antea calor ille maior in membris non percipitur; abſumptâ verò humiditate alimenti, ceſſat ille feruor, & calor manet ſicut antea.

*Obiectio.*

Neque valet ſi obiicias, cibum à corpore incaleſcere, neque recipere intenſiorem calorem, atque adeò non poſſe intenſiùs corpus calefacere, cum non habeat niſi calorem ab illo communicatum;
B non enim poteſt vltra gradum ſuæ perfectionis operari.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, verum eſſe, cibum non recipere, neque adquirere intenſiorem calorem, quàm illum, quem cor, iecur, & reliquæ corporis partes habent: verumtamen quia aduentu alimenti, quod à corpore calefit, adeſt maior quantitas ſubſtantiæ calidæ, quàm anteà, licèt ipſa intenſiuè non ſit magis calida, intenſiùs tamen calefacit, quàm antea; nam à maiori quanto maior prouenit actio, ſicuti duæ flammæ intenſiùs calefaciunt quàm vna, licèt vtraque eundem caloris gradum habeat.

*Obiectio alia.*

Neque obſtat dictum Auerroïs 4. *collectan. cap.* 33. qui irridet rationem Galeni, & ipſe nullam reddit commodiorem; aſſerit enim quod cùm in hecticis membrorum temperamentum ſit habitualiter ſubuerſum, & calor extraneus ſit fixus, & radicatus in ſubiecto, ideo calor in membris exiſtens facilè ad maiorem alimenti quantitatem ex-
C tenditur, eamque calefacit, ſiue alimentum ſit frigidum, ſiue calidum; quo calefacto propter maiorem ſubſtantiæ calidæ quantitatem corpus magis incaleſcit; quod, inquit, non poteſt contingere febribus putridis, propterea quod calor extraneus in illis radicaliter non eſt fixus in membris, quæ in cibum agere debent.

*Reſponſio.*

Quæ tamen Auerroïs ratio non conuincit, imò expreſsè eſt falſa; nam quod calor ſit fixus, & per modum habitus; aut fiens, & per modum diſpoſitionis, nihil conducit ad hoc, vt magis, vel minùs calefaciat; calefactio enim maior à maiori calore procedit, modò ex parte materiæ ſeruetur eadem paritas in raritate, denſitate, & approximatione agentis ad paſſum, & aliis ſimilibus conditionibus; atque adeò calor qui recipitur in aqua feruenti, quamuis ſit per modum diſpoſitionis, & fiens, magis calefacit quàm calor animalis,
D qui in ipſo animali permanenter, & per modum habitus exiſtit. Ex quo facilè infertur, quod licèt calor hecticus ſit radicatus, &fixus; & in aliis febribus ſit fiens, & per modum diſpoſitionis, non erit cauſa, vt in hecticis magis calefaciat alimenta, quàm in aliis febribus, in quibus poteſt eſſe intenſior caliditas quàm in hectica; & conſequenter in illis erit maior efferueſcentia.

*Obiectio.*

Sed iterum inſtare poteris: Si in aliis febribus reperiri poteſt intenſior calor quàm in febre hectica, qui ſit cauſa efferùeſcentiæ ſubſtantiæ humidæ alimenti: ergo talis efferueſcentia non erit proprium ſignum febrium hecticarum; quod eſt contra Galeni placitum locis iam citatis.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, etiam in aliis febribus ab hectica

ctica cibum incaleſcere, & à cibo calorem augeri; hoc tamen in hecticis præcipuè contingit ob caloris, & ſubiecti, cui inhæret, diſpoſitionem; eſt enim calor exiguus, & in ſubiecto arido, & parum talis calor elucet, donec accedente alimenti ſubſtantiâ extendatur, & magis manifeſtetur ratione maioris quantitatis quæ calefit; & ſic illius augmentum poſt cibi oblationem magis eluceſcit, quàm in febribus putridis, in quibus licèt ab aſſumpto cibo etiam calor adaugeri videatur, non tamen ſicut in hecticis; nam in febribus putridis calor eſt copioſus, & extenſus ob vaporum multitudinem, qui ex maſſa putreſcente humorum eleuantur, ita vt parum, aut nihil caloris ex aſſumpto cibo adaugeatur: ſicut ſi magnæ flammæ exigua, ſeu puſilla flamma adiungatur, parua, ſeu exigua parum, aut nihil elucet; ita ſimiliter contingit in febribus putridis, in quarum caloris præſentia calor receptus in alimento parum eluceſcit: quod quidem diuerſimodè accidit in hecticis febribus, quarum calor eſt in ſubiecto arido, & denſo; qui licèt exiguus appareat, intenſiùs operatur ob ſubiecti diſpoſitionem; qui cùm calefaciat ſubſtantiam alimentitiam, & eam occupet, intenſior, & extenſior apparet, quàm antea; quod ſignum magis euidens eſt in ſecunda, & tertia hecticæ ſpecie quàm in prima; nam in ſecunda, & tertia ſpecie ſiccitas maior eſt contracta quàm in prima, in qua exigua partium humiditas eſt deperdita: qua in parte non eſt ſequendus Brauus 1. *de differ. febr. in explicatione cap.* 11. *pag.* 25. vbi ait, hoc ſignum non apparere in prima ſpecie febris hecticæ, eo quod non elucet ſiccitas partium, cuius ratione calor ille ſuſcipit incrementum; nam licèt non ſit tanta humiditas abſumpta veluti in ſecunda, & tertia ſpecie, eſt tamen ſufficienter conſumpta, vt tale poſſit ſignum excitari; ſicque hoc ſignum vt proprium huius febris in quacunque ſpecie conſtituitur à Galeno.

*Quare calx viua ex aqua perfuſione incaleſcit.*

Sed quia ex Galeni mente dictum eſt, calorem hecticum creſcere eo modo, quo calor calcis viuæ aquâ perfuſæ, examinare oportet, quam ob cauſam ex aquæ perfuſione calx viua incaleſcit? Et ratio dubitandi eſt, nam alia medicamenta calida, & ſicca reducuntur ad actum à noſtro calore, non verò à frigiditate, & humiditate: ergo idem eſt ſentiendum de calce viua. Hoc patet in quolibet alio medicamento calido, & ſicco, quod ſi perfundatur aquâ, calorem non comparat; ſi verò calori noſtro applicetur, ſtatim illius calor perſentitur à nobis.

Conciliator *diff.* 140. exiſtimat talem calorem in calce fieri per antiperiſtaſin: cuius tamen ſententia facilè impugnatur, quia ſi per antiperiſtaſin fieret, maximè quia à contrario, nempe à frigore roboraretur calor, & vniretur ob cauſam ex actione antiperiſtatica deſumptam: quod non conuincit, nam ſi ſuperinfundatur calci viuæ aqua calida, etiam calx viua illum calorem adquirit: quo in caſu antiperiſtaſis locum non habet. Cui accedit quod ex aquæ perfuſione non roboratur calor calcis, neque vnitur, ſiquidem per aquæ humiditatem calcis partes magis ſeparantur, & deuniuntur; & calor ille extenſus, & in ſubiecto deunito habet minorem vim calefaciendi.

Quare hoc relicto dicendi modo, alij aſſerunt, quod licèt medicamenta actuentur à noſtro calore, calx tamen viua hoc habet peculiare, quod à quolibet humido actuatur, quatenus detrahit aliquod impedimentum, ratione cuius calor ille non poterat antea pullulare à forma calcis; quo

A ſemoto, forma producit illum calorem in gradibus formæ debitis. Quod autem illud impedimentum ſit, non cadit ſub ſenſum, neque rationes quas Authores tradunt, conuincunt.

Sed quia ex horum Authorum doctrina non ſoluitur difficultas, imò magis anceps permanet, neque ipſi determinant, quod ſit illud impedimentum, quod datur in calce, ratione cuius calor ante aquæ infuſionem non exurebat, fortaſsè quia in mixtis partium diuerſitatem non admittunt; nos tamen, qui communem circa partium diuerſitatem dicendi modum ſequimur, aliter huius dubij ſolutionem trademus.

Pro cuius enodatione ſuppono, quædam eſſe mixta calida, quæ talia fiunt per veram, & propriam mixtionem, vt euphorbium, cariophylus, & piper, in quibus partes calidæ ſunt ita aliis partibus permixtæ, vt difficilè poſſint partes calidæ à
B frigidis ſeparari. Alia ſunt mixta, quæ violentiâ ignis, vel ingentis putredinis primam mixtionem diſſoluentis aliquas partes, imò plures ignis adquirunt, quas non per propriam permixtionem adquiſierunt, quæ non ſunt inter ſe ita vnitæ, neque ita difficilè diſſoluuntur, ac ſi per veram mixtionem fuiſſent productæ; & iſtæ partes empyreumata dicuntur, quæ habent magnam vim vrendi, non tamen in omne ſubiectum pariter agere poſſunt, ſed ſubiectum requirunt, in quod poſſint ſuam imprimere actionem: quod autem illud ſit, infrà conſtabit. Talia ſunt empyreumata, quæ remanent in aceto ex vi putredinis, & in cineribus ex lignorum combuſtione, & in calce ex lapidum calcinatione. Ea igitur, quæ mixtione vera calida ſunt, à noſtro calore in actum reducuntur, & ſi actu frigida accipiantur, noſtra corpora calefaciunt; ſeparantur enim partes frigidæ à calidis, eiſque à noſtro calore præalteratis, & in minutiſ-
C ſimas partes comminutis, partes calidæ à vinculis frigidarum exſolutæ aſcendunt ad intenſionem caloris, quæ illis debetur ſecundùm naturam, quo nos calefaciunt.

Secunda medicamenta licèt calida euadant à calore ignis, non tamen illum oſtendunt ad tactum, quia partes frigidæ, quibus calidæ ſunt commixtæ, impediunt ne calorem, quem habent, communicent, niſi accedat materia apta, in quam agere poſſint, quatenus ipſa ſeparat partes frigidas à calidis, & facit vt ſemotis illis partes calidæ ſine vllo impedimento totum calorem producant; ſic enim experimur in cinere, quem ſi aquâ perfundas, aqua in lixiuium tranſit, tranſpoſitis partibus igneis quæ in cinere erant incluſæ, in ipſam aquam, quibus aqua redditur calida, & cinis terreſtrior, & frigidior manet, ablatis partibus pluribus calidis, quas ſecum habebat admiſtas. Pari
D ratione acetum, & atra bilis fermentant terram, in illaque feruorem excitant, & ampullas, quas non valebant efficere in alio ſubiecto ob illius ineptitudinem. Hoc igitur clariùs conſpicimus in calce vſta, in qua ex lapidis vſtione manent partes igneæ, quæ applicitâ aquâ eam calefaciunt, & comburunt, eo quod eſt ſubiectum aptum illius calefactioni.

Neque obſtat ſi dicas, calcem vſtam non vrere manum, ſi ad illam applicetur, quamuis manus ſit ſubiectum magis capax vſtionis quàm aqua: ergo neque poterit aquam nimis calefacere.

Reſpondetur, manum tangere ſolùm partes ſuperficiales calcis, quæ ſunt terreæ, & frigidæ; tamen aqua calci ſuperinfuſa ad intimas partes penetrat,

netrat, quæ cùm igneæ naturæ ſint, aquam calefaciunt, & feruorem illius concitant.

Sed iterum ex hac ſolutione excitatur obiectio. Partes illæ igneæ nimis calefacere valent aquam illis ſuperinfuſam: ergo pari ratione valebunt etiam calefacere partes frigidas ipſius calcis, ſiquidem ſunt illis commiſtæ, imò magis vnitæ quàm aqua ſuperfuſa.

Reſpondetur negando paritatem rationis; nam illæ partes empyreumata dictæ, ſunt tenues nimis, & vaporoſæ, quæ intra partes terreas, & frigidas, quæ earum calori obſiſtunt, detentæ, non poſſunt euincere reſiſtentiam partium terreſtrium, quæ ſunt denſæ, & frigidæ. Scimus enim, quod agentis virtus in materia denſa fortiùs operatur, quàm in materia rara: quapropter ratione denſitatis materiæ partes frigidæ partium calidarum calorem remittunt; at verò dum ſuperinfunditur aqua calci, ipſa disjungit, & ſeparat partes à partibus; tuncque præualet calor partium ignearum, quarum in calce datur prædominium, qui agens in aquam, quæ tenuiſſima eſt, comparatione ad partes frigidas, eam calefacit; & cùm partes igneæ ex calcis vſtione productæ ſint vaporoſæ, aquæ admiſcentur, & eam feruere faciunt, & hoc modo dicere poſſumus, quod calcis calor actuatur ex ſuperinfuſione aquæ.

Neque aliter in mixtis, quæ veram mixtionem retinent, vt piper exempli gratiâ, dicere poſſumus, quod illius calor prædominans non manifeſtatur, niſi quia cohibetur à partibus craſſis, & terreſtribus frigidis illius, donec accedente calore noſtro naturali hoc medicamentum in minima redigente, & partes frigidas à calidis ſeparante, tunc à propria medicamenti forma in materia partium calidarum producitur totus calor naturaliter piperi debitus, qui deinde noſtrum recalefacit corpus.

Ex dictis ergo facile eſt explicare comparationem, quam tradit Gal. inter calorem calcis, & calorem hectici paulò poſt cibi aſſumptionem. Dicimus ergo, quod corpus hecticum, ſiccitateque confectum poſt cibi aſſumptionem imprimit calorem in ipſum cibum, quem habebant partes ſolidæ; non tamen illum ad tactum repræſentabant, quia cùm in materia ſicca deliteſceret calor in centro, in circumferentia verò partes frigidæ, & terreæ impedirent actionem calidarum, non erat in tactu tanta caloris ſenſatio, donec calefit cibus à partibus internis calidis, adquiſitoque vero calore cibus in feruorem attollitur, & partes frigidas attingens eas calefacit, ita vt tactui poſtea intenſiorem quàm antea calorem, imò & extenſiorem repræſentet; abſumpta verò humiditate ceſſat feruor, iterumque remittitur calor à partibus terreis, & frigidis: neque aliter ſcio poſſe Galeni comparationem explicari.

Alterum ſignum deſumitur ex pulſu, qui languidus, & debilis, durus, & celer in hecticis reperitur, vt docet Galen. 4. *de cauſis pulſuum, cap.* 10. nam cùm virtus vitalis languida eſt, quia cordis temperamentum eſt ſubuerſum, nequit pulſum efficere magnum, neque vehementem: ad quod iuuat maximè ſiccitas arteriæ, quæ illius diſtenſionem impedit: ſed iſta pulſuum debilitas maior exiſtit in ſecunda, & tertia ſpecie, quàm in prima, in qua non ita debilis eſt facultas, nec tanta humiditatum conſumptio facta eſt: aliquando etiam pulſus raros habent, quando ſcilicet ad extremam veniunt facultatis diſſolutionem; quod contingere ſolet in maraſmo, & in marcore, qui ſenibus proprius eſt.

A Præterea ex vrinis deprehenditur etiam hectica; nam illarum color, ſedimentum, & ſubſtantiæ modus ſanis ſimillimus exiſtit; non enim humores putreſcunt in venis, quorum indicium eſt vrina, per quam febrium putridarum tempora diſtinguit Galen. 1. *de criſibus, cap.* 7. Cum hoc tamen ob debilitatem facultatis concoquentis non poteſt eſſe ita perfectè cocta.

Tandem, ex arteriarum calore vltimum deſumitur ſignum; nam quamuis in febribus putridis calidiores ſint arteriæ, quàm reliquæ partes, eo quod maiorem copiam ſanguinis, & ſpiritus habent; cæterùm quia ex omni parte plurimus vapor calidus exhalat, ideò in illis non ita exactè perſentitur calor, ſicut in arteriis corporis hectici, in quibus vapores calidi detinentur ob ſiccitatem, & denſitatem arteriarum.

B

## §. VII.

### *De ſignis cuiuſlibet ſpeciei hecticæ in particulari.*

VT harum febrium curatio melius perfici poſſit, non ſolùm ſufficit cognoſcere febrem hecticam, ſed etiam febris ſpeciem, ſeu differentiam: conſtat enim, difficiliùs curari ſecundam ſpeciem, quàm primam; & tertiam, quàm ſecundam. Quapropter hac in parte ſtudui propria cuiuſque ſpeciei ſigna tradere.

Si igitur febris hectica ex aliis febribus, aut inflammatione aliqua præcedentibus originem ducat, ex ſignis communibus comprehenditur, ad quod maximè iuuat etiam ægri temperatura calida, & ſicca, tempus æſtiuum, & regio calida.

Quod ſi more febrium diariarum inſurgat, præcedere ſolent vigiliæ, & curæ immodicæ, labo-
C res, inedia, animi paſſiones vehementes, victus calidus, & exſiccans, cœli conſtitutio calida, aut tempus æſtiuum, ex quibus produci ſolet diaria febris. Quod ſi prima die ſigna diariæ appareant, & febris ad ſequentem diem ſine intenſione maiori, aut remiſſione perdurare videatur, & aliquam ariditatem referat, exiſtimare oportet, talem febrem eſſe hecticam primæ ſpeciei, præcipuè cùm tertia, & quarta die non appareant notæ tertianæ, aut quartanæ, & febris nullum habeat incrementum, aut decrementum, & calor primo tactu mitis iudicetur, deinde mordax, & acris perſentiatur, qui poſt cibi aſſumptionem, quando nulla ſuſpicio eſt augmenti caloris, aliquantulum adaugetur.

Sed quia cognitis extremis facile erit cognoſcere medium, ideò ſigna hecticæ tertiæ ſpeciei referam, quâ cognitâ ſimul cum primæ ſpeciei cognitione, faciliùs ſecundam hecticæ ſpeciem per-
D cipere poterimus, quæ inter vtramque medij rationem obtinet. Eſt igitur in tertia ſpecie, quam maraſmum vocant, vt docet Galen. 1. *de differ. febrium, cap.* 8. corpus calidum, & ſiccum nimis, & tale patitur cor, quale lucernæ fomes, cùm fuerit plurimùm exuſtus, ac per conſequens totum corpus areſcit, & contabeſcit, calorque naturalis facilè extinguitur, & ob ſiccitatem ex cute quædam furfuracea cadunt; nam qui ita torrefactus eſt, frangitur, & diſſoluitur, & ob ſiccitatem continuitatem amittit, cutiſque oſſibus adhæret: oculi caui ſunt, habentque hac febre laborantes faciem, quam depinxit Hippoc. 1. *prognoſticorum*, ob magnam carnium conſumptionem. Pulſus præterea in hac febre eſt debilis maximè, frequens, & durus, quoniam virtus eſt fermè extincta, & arteria

tia ſicca nimis; quibus non erit difficile hanc febris ſpeciem cognoſcere, & ab aliis diſtinguere.

Secunda verò hecticæ ſpecies quodam modo media dicitur, quoniam ad vtramque partem inclinatur, & ſic illius ſigna mediam etiam ſortiuntur naturam, ſi æqualiter ab vtraque diſtet: quod ſi vni magis appropinquet, quàm alteri, ſigna illius, cui magis propinqua fuerit, neceſſariò apparebunt, vt docet Galen. 1. *de differ. febr. cap.* 9.

*Præſagium.* Quantùm ad prognoſticum ſpectat, liquidò conſtat, hanc febrem eſſe difficilis curationis, cùm per modum habitus ſit contracta, præcipuè tamen ſi cum aliqua febre putrida ſit aſſociata, vt docuit Gal. 10. *method. cap.* 10. Nam cùm hectica morbus ſit ex inanitione, putrida verò ex humorum repletione & vitio, contrarias habent indicationes. Quod ſi hecticæ principium præterierit, difficiliùs curatur, vt liquet ex Galen. 7. *methodi, cap.* 6. cum hoc tamen hectica primæ ſpeciei citiùs, & faciliùs curatur, quàm hectica tertiæ ſpeciei, quam curare non ſolum eſt difficile, ſed etiam impoſſibile, vt dixit Galen. *lib.* 10. *methodi, cap.* 10. & 1. *de differ. febrium, cap.* 8. At verò hectica ſecundæ ſpeciei, quæ mediat inter primam ſpeciem, & maraſmum, ſi æqualiter ab vtraque diſtat, ambiguam habet curationem: ſi verò ad primam ſpeciem magis appropinquat, faciliùs curabitur, quàm ſi ad tertiam ſpeciem, ſeu maraſmum acceſſiſſet.

## §. VIII.

### *Curatio febris hecticæ.*

Quoniàm, vt ſuprà probauimus, hectica febris eſt independens à cauſa, ideò Galen. 10. *methodi, à cap.* 7. *vſque ad vltimum illius libri caput*, refrigerantia, & humectantia exhibet auxilia, nullâ ſumpta indicatione à cauſa: quod etiam inſinuauit Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tractat.* 3. *cap.* 4. in quo omnes conuenire videntur.

Sex igitur remediorum genera tradit Galenus *cap.* 7. *citato*: tria exteriùs admouentur, videlicet aër ambiens, & quæcumque refrigerandi, & humectandi vim habent, & balneum aquæ dulcis. Alia tria intrò in corpus ſumuntur, vt inſpiratus aër, & ea quæ bibuntur, & comeduntur: de quibus omnibus breuiter eſt pertractandum. Aër itaque ſit temperatus, aut ad frigiditatem vergens; ſi enim frigidiſſimus extitiſſet, licèt reſpirationi inſeruiens prodeſſe poſſit, tamen cutem denſando putridorum vaporum effluxum prohibet, & intrò calorem reuocat, quo tempore licebit illum aliquantulum attemperare. Si verò calidus ſit, illum refrigerabimus iis, quæ diximus *cap. de tertiana exquiſita*, & *de febre ardenti*.

Somnus ſit moderatus, aut longior moderato, vt docent Actuarius, & Auicen. vigilia enim immodica corpora exſiccat, vt docent Galen. *lib. de cauſis morborum, capite* 4. Oportet ergo vt declinet ad quietem, & ſomnum, tranquillitatem, & gaudium. Euitent ergo iram immodicam, & triſtitiam, laborem, & immoderatum exercitium. Quæ omnia corpora exſiccant, & diſſoluunt.

Quod ſi aluus adſtricta fuerit, quod frequenter contingere ſolet ob excrementorum ſiccitatem, clyſterem ſingulis diebus, aut ſaltem tertio die adiiciemus, qui emolliendi, refrigerandi, & humectandi vim obtineat, qui parari poteſt ex de-



A coćto hordei contuſi, foliorum maluarum, biſmaluæ, lactucæ, violarum, prunorum damaſc. cuius decocti accipe ℔. j. olei violarum, & roſarum ana ℥. j. ß. pulpæ caſſiæ ℥. ß. ſacchari ℥. j. miſce pro clyſtere, qui etiam parari poteſt ex iure pulli, gallinæ, capitis arietis, aut inteſtinorum illius, in quo prædictæ herbæ decoquantur, & olea, ſaccharum, & pulpa caſſiæ addantur.

Vlteriùs oportet exteriùs corpus illinire refrigerantibus, & humectantibus, qualia deſcripſit Galen. *lib.* 10. *methodi, cap.* 9. ſed aduertere oportet, quod refrigerantia eligenda ſunt, quæ citrà vehementem adſtrictionem refrigerent, vt ibi Galen. præcepit, in quem vſum ipſe commendat ceratum refrigerans, quod ex cera, oleo omphacino, & aqua paratur, cui modicum aceti admiſcebis. Valet etiam ad idem portulacæ, & ſemperviuæ, B aut vuæ immutaræ ſuccus, ſi polentæ admiſceatur; aut hoc vnguentum, quod recipit olei violarum, nenupharis, & roſarum benè aqua frigida loti, ana ℥. ij. butyri recentis, medullæ crurum vituli, axungiæ gallinæ, & anatis ana ℥. j. pulueris diamargaritonis frigidi, & trium ſantalorum ʒ. j. ceræ albæ aquâ roſarum lotæ, quod ſit ſatis: miſce, & fiat vnguentum.

Proſunt etiam mucagines ſeminis pſillij, & citoneorum oleis violarum, nenupharis, de papauere, & roſarum admixtæ, aut vnguentum reſumptiuum roſarum, & cerotum ſantalinum.

Sed prædictæ inunctiones, & appoſita refrigerantia non debent diu in corpore immorari, ſed per interualla mutari, vt ſic magis humectent, ac refrigerent. Præterea quæ valenter refrigerant, thoraci, ac præcordiis non ſunt admouenda; nam fortaſſe in orthopnœam, ſeu ſpirandi difficultatem incidet æger, aut vehementi tuſſi moC leſtabitur, vt docet Galen. 10. *methodi, cap.* 9.

Vltimum remedium, quod adducit Galen. ex his quæ extrinſecus adhibentur, eſt balneorum vſus, quo corpus maximè humectatur: pori dilatantur, & corporis viæ laxantur, vt ſic alimentum ad corporis partes diſtribuatur, quod maximè expeti debet in hecticæ curatione: ad quod iuuat etiam balnei moderatus, ſeu tepidus calor; nam licèt febris refrigerantia expoſtulet, quoniam refrigeratio per efficaciſſimam qualitatem inducitur, eſt periculoſa, præſertim in ægris, in quibus calor naturalis eſt ita extinctus: at verò quia humectatio non eſt ita efficax in operando, & ad eandem longo tempore eſt opus, ita minus eſt, quàm refrigeratio, periculis expoſita, vt teſtatur Galen. 10. *method. cap.* 7. & 7. *method. cap.* 6. *Balneorum vſus.* Conuenit ergo balneum aquæ, in qua violarum flores, & folia lactucæ, ſalicis, nympheæ, & ſiD milia fuerint decocta, quod tepidum ingrediatur æger; ante ingreſſum tamen habeat inteſtina à recrementis mundata; & quamuis apud antiquos magna, & pretioſa fuere parata ædificia, in quibus calida, frigida, & tepida ad hunc vſum balnea permanebant, noſtræ tamen ætatis Medici peritiores aquæ tepidæ, ſeu moderatè calidæ balneum tantùm ad hecticorum curationem probant; prius tamen apertionem pororum præparare conantur leuiuſculis quibuſdam frictionibus, vt ſic ad partes alimentum deferatur. Ingrediatur ergo balneum ægrotus manè, & veſpere, ſi id vires poſſunt tolerare; ſi verò non, ſufficit ſemel in die, aut tertio quoque die balneari.

Quatuor verò, aut quinque horis ante balnei ingreſſum ſumat quatuor vncias lectis aſinini ab

vbere mulcti, quod commendat Gal. 7. *methodi*, *cap.* 6. & 10. *methodi*, *cap. vltim.* & vt lac nutritioni ſit idoneum, aſina nutriatur herbulis frigidis, vt hordeo, & foliis lactucæ, & mediocriter exerceatur, ſitque florentis ætatis, & pullus, ſi quem lactat, auferatur. Veruntamen ſi lac aceſcit in ventriculo, coquenda eſt cum lacte aquæ portio, aut mellis, vel ſacchari parum admiſcendum; quo ſi benè ſe habuerit æger, neque in ventriculo lac corrumpatur, illius quantitatem adaugere poteris: in defectu tamen lactis aſinini commendant Authores lac caprarum; omnibus tamen præfertur lac humanum ab ipſo vbere mulctum. Quod ſi lactis vſum renuat, alendus eſt æger hordei cremore, optimo gallinæ iure, & ouis ſorbilibus. Deinde tranſactis quatuor, aut quinque horis, vt dixi, balneum ingrediatur, ibique permaneat, donec ipſa infrigidetur balnei aqua, & æger delectatione afficiatur; at ſi laborans antequam frigeſcat aqua, tædere inceperit, tantùm frigidæ eſt admiſcendum, quantùm ad aquam balnei refrigerandam ſit ſatis. In calido ergo balneo parum detineatur æger, breue enim tempus ſufficit ad pororum apertionem, quæ calore perficitur: in tepido mediocriter conſiſtat, quia maiori humectatione indiget: in frigido parum immoretur, ne ex frigiditate illius corpus debile offendatur; nam ad cutis corroborationem ſufficit leuis refrigeratio. A balneo mollibus linteis abſtergatur, deinde oleo amygdalarum dulc. aut oleo communi totum corpus inungatur, aut vnguento reſumptiuo, vel aliis ſuprà commemoratis, aut lacte muliebri, aſinino, caprino, vel bubulo tepidis totum corpus irrigetur.

Sed quia iſte morbus in inanitione conſiſtit, oportet non ſolùm qualitatiuè corpus humectare, ſed ſubſtantificè illud alimentis idoneis nutriendo reparare; ad quod, vt dixi, lactis vſus præcipuè commendatur, diuerſimodè tamen victus ratio in hac febre, quàm in aliis inſtitui debet, in quibus præcepit Hippocrates talem ordinem ſeruare, vt priùs vberiùs cibemus, deinde in ipſo ſtatu febrium victu tenuiſſimo vtamur, cuius contrarium obſeruabimus in huius febris curatione; nam cùm in huius febris initio parum ſubſtantiæ ſit deperditum, minori indiget reſtauratione, quàm dum morbus in tertia, aut ſecunda ſpecie eſt conſtitutus, in quibus maxima adeſt partium corporis conſumptio, atque adeò maiori indiget per alimenta reparatione. Sed quia virtus in hecticæ vltimis differentiis debilis eſt, & nequit multa conficere, & ex alia parte multis indiget affectio, parum, & ſæpe eſt nutriendus æger. Alimenta ergo ſint tenuis ſubſtantiæ, quæ vim humectandi, & refrigerandi ſimul obtineant. In quem vſum conferunt iura pullorum, & gallinarum, in quibus decocta ſint cucurbita, lactucæ, portulaca, hordeum ſine cortice, aut panatella ex pane in ipſo iure macerato, addendo vitella ouorum, & ſaccharum: aut oua ſorbilia, piſces ſaxatiles, præcipuè troctæ, barbelli, & cochleæ priùs aquâ maceratæ, decoctæque in iure pulli, aut gallinæ ſine pinguedine. Conueniunt etiam quammaximè teſticuli pullorum gallinaceorum lacte nutritorum, nonnunquam etiam ipſi pulli, & capones nouelli, qui nutriantur hodeo decocto, aut in lacte macerato, & oleribus frigidis. Proſunt etiam perdices nouellæ, pulli columbarum, & cuniculi parui. Sæpe præterea prodeſſe conſpicimus pultes ex hordei farina, cum lacte, & ſaccharo confectas, aut far cum lacte, aut iure pulli, & ſaccharo, aut amylum eodem modo paratum, vel cibus albus, quem vulgò appellamus *manjar blanco*, qui paratur ex pectore gallinarum, aut ex ranarum, ſeu teſtudinum carne cum amylo, aut farina hordei, & ſaccharo. Poſſunt ſimiliter adminiſtrari ranarum coxæ in gallinæ, vel caponis iure decoctæ: vtiliſſimæ etiam cenſentur teſtudines aquaticæ, inter quas eligendæ ſunt, quæ in puriſſimis aquis degunt, & potiori vtuntur alimento, quas aliquibus in hortis ſeruare decebit, vt ibi excrementitiam humiditatem deponant: & in ſumma, ea conueniunt cibaria, quæ præterquam quod refrigerent, & humectent, ſint etiam facilis coctionis, & diſtributionis; cui vſui aliquid aceti admiſcebis, vt diſtributionem adiuuet, vt docet Galen. *libro de marcore, capite vltim.* vbi inter alimenta, vt præſtantius commendat lactis vſum, vt ſuprà dictum eſt; conuenit enim in quauis febris hecticæ ſpecie. Potus ſit aqua hordei, aut ſaccharata, vel per lapideum mortarium colata, quæ ob tenuitatem citiùs, & faciliùs penetrat, & alimenti diſtributionem adiuuat.

Præter dicta alimenta, alia etiam efformare poſſumus magis medicamentoſa, inter quæ compoſitio ex teſtudinibus celebratur, quæ talis eſt. ℞. carnis teſtudinis aquaticæ in aqua hordei decoctæ ℥. iiij. ſtrobilorum in aqua roſacea infuſorum ℥. ij. amygd. dulc. mundatarum ℥. iij. gummi tragacanthi in aqua roſarum infuſi, quatuor ſeminum frigidorum maiorum mundatorum, ſeminum papaueris albi, portulacæ, & luctucæ, ana ʒ. ij. omnia contundantur, & per ſetam extrahantur: deinde admiſce diamargarit. frigidi, & coralli rubri præparati, ana ʒ. j. ſacchari albi, quod ſit ſatis, vt fiant magnæ tabellæ, aut morſelli inaurati, quorum ſummo mane ſumat æger quotidie ℥. ß. deindè ſuperbibat optimum ius gallinæ, aut caponis nouelli. Similem confectionem etiam præparare poſſumus ex pectore gallinarum coctarum, & carne ranarum etiam decoctarum, additis iis, ex quibus confectio præcedens componitur; quibus adiicies electuarium de gemmis, & confectionem iacynthorum, & alia quæ vim reſtaurandi vires habeant.

# LIBER QVINTVS.

## De febre peſtilenti, & maligna.

HActenvs egimus de febribus in ſpiritibus, humoribus, & partibus ſolidis repertis, quarum eſſentiam in calore ſitam eſſe diximus; in hoc tamen libro de aliis febribus agere decreuimus, quæ præter calorem præter naturam, quadam maligna & venenata qualitate cor ipſum affligente conſtant: initium tamen ſumemus à febre peſtilenti, de qua ſic primò quæritur.

### QVÆSTIO I.

### *Quid ſit febris peſtilens.*

VT febris peſtilentis dira natura, & conditio innoteſcat, aliqua ſunt proponenda, ſine quibus exactè cognoſci non poterit; quæ prolixitati parcentes breui trademus ſermone.

*Morborum differentia.* Primò ergo ſupponimus ex Hippocratis libris *de morbis popularibus*, & Galen. 1. *de ratione vict. in morbis acutis*, *ſuper textum 9.* quod morbi ſunt in duplici differentia; quidam communes, quidam verò ſparſi. Communes dicuntur, cum omnes maiori ex parte, tam viri, quàm fœminæ eodem morbi genere capiuntur. Sparſi cùm variè, & variis morbis homines corripiuntur. Communes etiam ſunt qui regionis, aut vrbis alicuius naturam ſequuntur, quos endimicos, aut vernaculos priſci Medici vocarunt.

Alij ſunt communes, quos epidimicos vocant; qui ideò tales vocantur, quia populariter graſſantur.

Rurſus, epidimici adhuc dupliciter accipiuntur; nam quidam ſunt lethales, & mortiferi, qui appellantur peſtilentes; alij verò ſunt mitiores, qui ſolùm communes, aut epidimici dicuntur.

Supponere oportet ſecundò, quod morbi epidimici ex cauſa communi naſcuntur, vt conſtat ex Hippocrate *lib. de flatibus*, & *de natura humana*; ſparſi verò non ex cauſa communi eſſe poſſunt, vt inquit Valleſ. 1. *epidim. in prooemio*; nam cùm non omnes pariter eodem cibo, & potu, exercitio, otio, aut venere, & aliis vtantur, non poſſunt omnes eodem, ſed diuerſo morbo affici. Sed quia omnes inſpiratu, & aëris attractu indigemus, nulla aſſignari poteſt communior cauſa, quàm ipſe aër, cuius qualitates, & conditiones effugere non poſſumus; tamdiu enim viuimus, quamdiu reſpiramus.

Quod ſi in caritate annonæ prauis vtantur edulíis, qui morbos ſparſos producere ſolent, cùm ex illis praui humores, & ad putreſcendum parati gignantur, ipſi etiam coinquinato aëre morbum pluribus communem afferre ſolent, vt docet Gal. 1. *de differentiis febrium*, *cap.* 4. tamen hoc non contingit, niſi cauſa ſit in aëre, ex cuius contactu, & inſpiratu in morbos ſimiles, & communes incidunt mortales.

Ex dictis oritur tertium, quod ſupponendum eſt, videlicet morbos epidimiales eſſe contagioſos; ſiquidem contactu aliquo communes fiunt. Quid,

A & quotuplex ſit contagio, iam diximus *capite de gutturis, & faucium vlceribus malignis*, quæ noſtrates *garrotillo* appellant. Breuiter tamen dicimus cum Fracaſt. quod contagio eſt quædam ab vno in aliud tranſiens infectio, cum quo analogiam habere debet.

Sed vt hæc definitio clarior euadat, ſcire conuenit, quod ad rationem contagij actualis requiritur, vt ſit ad minus inter duo corpora, ita vt vitium ſimile ab vno corpore in aliud migret, & ab illo in alia, quovſque in plurima corpora ſerpſiſſe comperiatur; quæ quidem corpora analogiam quandam, aut proportionem habere *Contagiũ quid ſit.*

B debent; nam non omnes homines, aut alia diuerſi generis animalia per conſtitutionem peſtilentem, aut alium morbum epidimicum, etſi in eadem ciuitate, aut regione degant, eodem corripiuntur morbo; neque omnes oculi eorum, qui ophthalmici oculos inſpiciunt, ophthalmici fiunt. Sic quoque in peſtilenti aëris conſtitutione, qua homines peſte tenentur, nec pecudes, neque boues, iumenta, & reliqua animalia tanguntur; imò vtplurimùm ea tempeſtate ad ſtabula pecudum, vbi vapores fimi, & vrinæ homines inſpirent, tanquam ad magnum recurrunt auxilium. *Contagij conditiones.*

C Eodem pariter modo frequentiſſimè obſeruamus nihil contagionis in homines ſerpere, quando peſtilenti conditione ſæuiente pecudes, boues, aut alia irrationalia peſte tanguntur. Qui euentus neceſſariò eſt ad analogiam, quæ inter corpora intercedit, reducendus. Sunt enim, vt inquit Galen. 1. *de differ. febrium, cap.* 4. *citato*, corporum diſpoſitiones diſſimiles, ac multiformes, quæ inſuperabiles, ac impoſſibiles exiſtere videntur; aliæ quidem ſimiles, & quæ facile à cauſa in ipſis operante alterantur, ac patiuntur. Differt equidem natura, & temperamentum à temperamento, vt dicit Hippoc. *lib. de flatibus.*

D Diximus in contagij definitione, quod eſt infectio ab vno in aliud tranſiens, vt intelligamus talem infectionem, ſeu vitium ſimile debere contrahi à corporibus infectis; nam ſi vnus homo afficiatur febre, & alter fluxione catarrhali, vel alio morbo diuerſæ ſpeciei, neque vnus inficit alium, neque contagionis nomen meretur; debet enim eſſe infectio ſimilis ab alio ſimili extrinſecus accedente: quapropter excluduntur à ratione contagij venenum, & aſpectus baſiliſci, quæ quamuis deleteriam facultatem in alia corpora inferant, non tamen infecta dicuntur, licèt alia inficere poſſint; eo quod ea qualitas, per quam inficiunt, eſt eis naturalis. Quod autem naturale eſt, non inficit ſubiectum proprium, cui naturaliter inhæret; alia verò bene inficere poteſt,

poteſt. Ex quo ſequitur, quod infectio ſemper ſit extrinſecùs adueniens.

Dubitatur tamen, quare aliqui morbi contagioſi ſunt, alij non, cùm plures ſint morbi vehementiſſimi, & grauiſſimi, qui nullam inferunt contagionem, vt febris ardens, ſynochus cum putredine, & alij; & tamen non ſunt contagioſi: quidam verò ſunt placidiores & mitiores, & plurimùm ſunt contagioſi? Et ratio dubitandi eſt, nam ad rationem contagij requiritur, quod morbus ſit maximæ actiuitatis, ſiquidem in alios, & in diſtans operatur: ſed morbi ardentiores ſunt maioris actiuitatis quàm alij mitiores: ergo erunt contagioſi. Præterea calor ab igne in alio productus poteſt etiam de vno in alterum communicari, vt homo calefactus ſuo calore alium calefacit; quo tempore de vno in aliud eſt ſimilis infectio tranſiens: ergo calor erit contagioſus, ſiquidem ſimili modo afficit omnes.

Hæc tamen fundamenta non euertunt noſtram doctrinam; nam ad rationem contagij non requiritur ſolùm vehemens in operando actiuitas, ſed aliquid amplius, quod iam declaro; requiritur enim ſeminarium contagionis, quod vim corrumpendi in ſe habet, & transfertur de vno corpore in aliud, quod talem in ſe habet mixtionem, vt in penitiſſimas partes inſenſibiliter ſeſe inſerat, & difficilè admodum diſſoluatur; ipſe verò tranſitus, & diſſeminatio ab vno in aliud corpus analogum contagio eſt.

Præterea huiuſmodi putrefactionem contagionem quidem vocat Fracaſtorius; nam licèt contagio, vt dixi, ſit actio, ſeu tranſitus ſeminariorum ab vno in aliud; tamen quia in corpore paſſuro ex vi contactus putrefactio producitur, ideo contagionem putrefactionem appellat; vapores enim illi diſſeminati, cùm ex corpore putreſcente oriantur, putridi etiam ſunt, & in aliud corpus ſimilem producunt affectionem.

Ex his patet ad argumenta reſponſio. Ad primum dicimus, febres ardentes eſſe maximæ actiuitatis, non tamen eſſe contagioſas, quia præter actiuitatem agentis requiritur quidam lentor, & ita elaborata mixtio, & fortis in eo, quod tranſmittitur ex vno corpore in aliud, vt longo tempore conſeruetur, vt clarè conſtat in veſtibus, lectulis, & lignis quæ phthiſici, & peſte infecti tetigerunt, in quibus eorum virus, & ſeminarium per duos, vel tres annos perdurare ſolet; quod minimè accidit febribus ardentiſſimis, aut aliis morbis non contagioſis; & idem reſpondere poſſumus ad ſecundum argumentum.

*Quotuplex ſit contagium.* Contagium præterea eſt in triplici differentia; alia enim ſolo contactu inficiunt, alia præter hoc fomitem etiam relinquunt, & per illum contagium communicatur, vt ſcabies, lepra, & alia huiuſmodi. Fomitem vocamus veſtem, lectulum, & alia quæ incorrupta permanent, & tamen conſeruant contagionum ſeminaria prima. Nonnulla etiam ſunt, quæ non ſolùm per contactum, & per fomitem, ſed ad diſtans contagionem aliis impartiuntur, vt morbi verè peſtilentes. Quæ tria contagionum genera mihi videntur differre penes magis, aut minus, vt conſideranti patebit.

*Peſtis quid ſit.* Tandem ſupponere oportet, quod peſtis eſt epidimia pernicioſa, vt teſtatur Galenus 1. *de ratione vict. comm.* 9. Eſt quidem morbus vulgaris, quia in vno loco, aut regione ſimul plures inuadit, multoſque perimit, vt etiam ipſe docuit 3. *de morbis vulg. comm.* 3. *ſuper textum* 20. & *de theriaca ad Piſonem, cap.* 16. peſtem appellat beſtiam venenatam totam ciuitatem depaſcentem; eſt enim morbus

A maximè exitialis, vt ipſe refert 1. *etiam epidim. comm.* 1. Eſt equidem peſtis cordi maximè inimica, & ſuâ deleteriâ, & venenatâ qualitate cor petit, animalque perdit, vt omnes admittunt; & hæc eſt ratio, ob quam plurimos, quos corripit, interficit. Ad plura tamen ſe extendit peſtis, quàm febris peſtilens; nam peſtis eſt nomen genericum, quæ ſub ſe plures complectitur ſpecies, quarum vna eſt febris peſtilens, cuius eſſentiam facilè percipiemus, ſuppoſitâ eorum, quæ adduximus, veritate.

Eſt gitur febris peſtilens, *Febris epidimialis, pernitioſa in vna regione, vel ciuitate, & eodem tempore ſuâ deleteriâ qualitate plurimos interficiens, aëris infecti ratione proueniens.* Quæ definitio exactè febris peſtilentis notitiam præbet, quantùm ad Medici conſiderationem ſpectat. Febris enim loco generis in definitione ponitur: reliqua differentiæ locum habent. B Eſt epidimialis, & communis, ad differentiam aliarum febrium, quæ ſparſim diuagantur, & cauſam communem non habent. Eſt etiam pernitioſa, ad differentiam febrium mitium, & ſine accidentibus, quæ ſalubriter terminantur. Et quia hæc febris ob ſuam prauam, & veneficam qualitatem plurimos interficit, ideò etiam pernitioſa nominatur. Sed quia ſunt aliquæ febres malignæ, & pernitioſæ, quæ etiam citò interimere ſolent, differt etiam ab illis, quatenus vno tempore, regione eadem, aut ciuitate, & à cauſa communi, nempe ab aëre vitiato, aut corrupto plurimos ſimul corripit. Reliquæ verò febres, etiamſi pernitioſæ exiſtant, cùm ex humorum corruptione procedant, & ij in diuerſis regionibus, & diuerſis temporibus ob prauam victus rationem corrumpantur, ideò non fiunt ſimul in eodem tempore, aut regione, neque à cauſa communi.

C Sed contra prædictam definitionem obiiciet aliquis; idem non poteſt definiri per ſeipſum: ſed febris definitur per febrem, ſiquidem febris in hac definitione ponitur loco generis: ergo eſt mala definitio. Maior ab omnibus philoſophis admittitur; definitio enim debet eſſe notior ſuo definito. Minor etiam clarè conſtat, ſiquidem febris, quæ definitur, intrat definitionem ſui ipſius, dum ponitur loco generis. *Obiectio.*

Reſpondetur, verum eſſe, quod probat argumentum, quando nondum eſt manifeſta natura definiti, quæ per definitionem explicatur. Sed quia iam eſt explicata natura febris, ad euitandam prolixitatem, loco definitionis febris, quæ deberet poni loco generis, ponitur ipſa febris, vt ſub illa comprehendatur genus. Neque hoc eſt contra Philoſophorum dogmata, ſiquidem Ariſt. 1. *de ortu, & interitu, cap. vltimo, in fine*, definiens mixtionem, definiuit eam per miſcibilia, quæ ſunt ita D ignota ſicut ipſa mixtio, quæ definitur; & hoc non ob aliam cauſam, niſi quia toto illo capite ſatis diffusè explicauerat ipſe miſcibilium naturam, & conditiones, vt totum illud caput legenti patebit; qua cognitione ſuppoſita, dixit mixtionem eſſe rerum miſcibilium per alterationem in vnum coïtionem.

Conſtat etiam ex definitione, hanc febrem eſſe contagioſam; ſiquidem aëris infectione ab vno in aliud venefica qualitas tranſmittitur, ita vt non ſolùm contactu, & per fomitem, ſed ad diſtans contagium communicetur; per quod differt ab aliis febribus malignis, & contagioſis, quæ licet per contactum quantitatiuum, vel per fomitem contagioſæ dicantur, non tamen ad diſtans, vt ſunt febres purpureæ, ſeu puncticulares, morbilli, & variolæ. Differt etiam per hoc ab aliis febribus non

contagioſis

contagioſis in communi, & quæ ab aliis cauſis particularibus dependent.

Neque in hac parte eſt ſequendus Doctiſſ. Abbas Couarruu. qui *lib. de morbo ſacro*, docet ſaluari poſſe peſtem ſine ratione contagij, licèt frequenter peſtis ſit contagioſa; non enim peſtis nomen habet quidquam, niſi contagij rationem imbibitam habeat; neque ob aliam rationem dicimus morbos peſtilentes eſſe contagioſos, niſi quia habent cauſam communem, vt docet Valleſ. 1. *epidim. in proœmio*: & non alia de cauſa Gal. 1. *de febribus, cap.* 4. ait, quod peſtilenti morbo laborantium conuerſatio eſt periculoſa, niſi quia inde contagium contrahitur, & exemplum ſtatuit in ſcabie, & lippitudine.

Ex dictis patefit febris peſtilentis natura, & conditio: reſtat nunc ſequentem quæſtionem examinare.

### §. I.

### *An febris peſtilens ſit inter putridas annumeranda.*

Ratio dubitandi eſt; nam vt conſtat, febres putridæ dependent ex humoribus, ſed peſtilentes aliquando ſunt hecticæ, vt docet Galen. 3. *de præſag. ex pulſ. cap.* 4. aliquando ephemeræ, vt tenent Arabum plures: ergo non poſſunt inter putridas adſcribi. Sunt equidem putridæ febres in contentis, non in continenentibus, aut impetum facientibus, vt ex generali febrium diuiſione didicimus.

Secundò; nam ſi febres peſtilentes hecticæ ſunt putridæ, non erit ſolùm triplex differenntia febris putridæ, ſed quadruplex; quod eſt contra Galen. qui 2. *de criſibus* toties tres tantummodò febris putridæ differentias adduxit; cuius doctrinam nos etiam ſuperiùs admiſimus.

Tertiò, nam vt conſtat ex Gal. loco in principio quæſtionis citato, in febribus peſtilentibus pulſus, & vrina, & calor ſunt ſimillima ſanis: ſed in febribus putridis nihil tale apparet, cùm calor præter naturam per tactum deprehendantur, & in pulſu adſit ad minùs inæqualitas febrilis, & in vrinis apparent ſigna cruditatis: ergo febres peſtilentes non ſunt putridæ, neque ex putredine dependent.

In oppoſitum eſt Gal. 1. *de differ. febrium, cap.* 5. vbi ait, omnes febres peſtilentes ex putredine oriri: & 6. *epidim. comm.* 1. *ſuper textum* 29. inquit, quod febris peſtilentis calor differt ab aliarum febrium calore per excellentiam putredinis: quem plures ſequuntur, inter quos Fracaſt. *lib. de ſimpat. rerum*, vbi probat omne contagium ex putredine habere ortum: & Valleſ. 5. *controuerſ. cap.* 21.

Quæ doctrina probatur primò ex accidenti quodam, quod ſequitur huius febris naturam; nam vt Galen. inſinuat 3. *de præſagatione ex pulſibus*, hanc febrem comitatur fœtor anhelitûs: ſed fœtor eſt ſignum putredinis: ergo cauſam putridam requirit. Cum igitur illius cauſa ſit febris peſtilens, liquidò conſtat, ipſam eſſe putridam.

Secundò probatur argumento deſumpto ex cauſa; nam vt inquit Galen. 1. *de differ. febr. cap.* 4. magna ex parte originem trahit ab inſpiratione aëris ambientis à putreſcibili euaporatione infecti: ergo cùm cauſa febrem hanc inducens ſit putrida, non mirum ſi generet febrem eiuſdem conditionis.

Tertiò probatur; nam de ratione contagij eſt,
A quod ſimilis affectio de vno in aliud corpus tranſmittatur: ſed affectio contagioſa, quæ à primo corpore tranſmittitur, eſt putrida: ergo affectio ſimilis in aliud corpus tranſmiſſa, etiam erit putrida. Maior ſuprà probata manet: minor etiam probatur. Nam ſeminarium contagionis eſt vapor quidam putridus, & longo tempore diſſolubilis, vt conſtat ex Galen. 1. *de differ. febrium cit.* vbi ait, quod aër à re inficitur putreſcibili, & quod ex Æthiopia quædam putredinis fluxere contagia, quæ afficiebant corpora ad putredinem paratiora. Præterea initium contagij ſolet eſſe multitudo cadauerum, vt in prœliis contingere ſolet, ex quibus vapores putridi, maligni, & contagioſi eleuantur, qui aërem alterant, & corrumpunt; ex cuius neceſſaria inſpiratione inſurgit in hominibus ſimilis affectio putrida. Imò vt probat Fracaſt. nullà datur contagio ſine putredine; neque enim, inquit, alia euapo-
B ratio aptior eſſe videtur ad contagiones inferendas, quàm quæ in putrefactionibus fit; aliæ enim euaporationes, ſi ſemel per aërem diſſeminentur, facilè diſſoluuntur, vt videre eſt in vaporibus, qui quotidie ex febribus non malignis, nec contagioſis euaporantur; & in aliis, qui calore ſolis, & ignis ſurſum feruntur, qui facilè alterantur, & diſſipantur nullam inferentes contagionem.

Quod ſi inſtes: Ex putrida materia plures inſurgunt euaporationes non contagioſæ, vt quotidie cernimus in febribus putridis continuis, & intermittentibus; quæ quidem euaporationes facilè (vt dixi) conſumuntur: ergo idem dicendum erit de ſeminariis contagionis, etiamſi ex affectu putrido, vel re putrida ortum ducant.

Reſpondetur, non omnem putredinem eſſe contagioſam, vt patet in febribus putridis non contagioſis aſſignatis: at contagio ſequitur putrefa-
C ctionem, licèt non omnem, ſed eam ſcilicet, in qua contagionis ſeminarium ita elaboratur, vt talem admixtionem, & lentorem adquirat, vt inſenſibiliter ad interiora permeet, & in ſubiecto, in quo recipitur, diu duret. Quod quidem prouenire iudico ex diuerſo modo putredinis, & ex vi, & efficacia illius; ita vt dicat Galen. quod calor febris peſtilentis differt ab aliarum calore per excellentiam putredinis.

Verùm inſtabis ſecundò. Rabies eſt contagioſa, in qua nulla percipitur putredo: ſimiliter ophthalmia, quæ eſt tunicæ oculorum adnatæ inflammatio, quæ in tumore præter naturam conſiſtit, ad quam non requiritur, quod humor putreſcat, tamen eſt contagioſa: ergo ad contagij rationem non eſt neceſſaria putredo.

Reſpondetur tamen, in rabie putrefactionem
D quandam accidere; latet autem nos, quoniam quæ in viuo animali accidunt putrefactiones, non admodum ſunt nobis manifeſtæ: veruntamen ex febre, quæ cani rabienti accidere ſolet, ita ſe habere colligimus. Quod etiam deducimus ex aliis morbis contagioſis, quæ ſine putredine non dantur, vt conſtat in lepra, phthiſi, ſcabie, & ſimilibus, in quibus clarè putredinis adſunt indicia, quæ non debent rabiei denegari. Idemque eſt dicendum de oculorum inflammatione, in qua humor ſaltem inſenſibiliter putreſcit; eſt enim oculus aqueæ naturæ, vt ſuo loco probauimus; in quo humiditas abundat, ita vt ratione humiditatis illius humores ad oculos confluentes facilè putreſcant, præcipuè cùm humores ſint extra vaſa, non benè à natura gubernantur. Quod etiam colligere poſſumus ex iis, quæ ibi producuntur; nam dum ophthalmia ad ſtatum deuenit, ab ipſis oculis emanare ſolet

ſubſtantia quædam puri proportione reſpondens, quæ ſuppurationis præbet indicium; ſuppuratio autem, vt inſinuat Galenus 1. *progn. text. vltim.* & 5. *ſimplic. capite* 6. eſt actio media inter putrefactionem, & coctionem, & vtriuſque particeps: quapropter dicendum eſt, ibi aliquam adeſſe putredinem, ex qua contagionis ſeminarium deriuatur.

His ſic intellectis reſpondetur ad rationes in oppoſitum. Ad primam, verum eſſe, febres putridas dependere ab humoribus, & Galen. tantùm tres putridarum febrium differentias tradidiſſe: ſed venit intelligendus Galen. de febribus putridis ſimplicibus, vt ipſe declarat. At verò febris peſtilens, ſiue ſit in partibus ſolidis, ſiue in ſpiritibus, aut humoribus, non eſt febris ſimplex, ſed compoſita; nam præter calorem habet ſibi adiunctam veneficam illam qualitatem, per quam tanquam per propriam differentiam in ſuo eſſe completur; reliquæ verò febres ſimplices putridæ ſolùm per calorem conſtituuntur. Itaque in hectica peſtilenti cordis ſubſtantia putreſcit, ſicut per febres peſtilentes humorales putreſcunt ſucci: & ſicut per alias hecticas ſubſtantia, quæ roris modo per cor ſpargitur, & ipſa cordis ſubſtantia conſumuntur; ita per has deſtruuntur, & prauâ tenentur putredine.

*An ſpiritus poſſint putrefieri.*

Valleſ. 5. *controu. cap.* 21. licèt hanc de putredine hecticæ peſtilentis doctrinam admittat, inquit tamen diariam non poſſe eſſe peſtilentem; quod probare nititur ex Galen. qui 1. *epidim. in proœmio* ait, quod morbus peſtilens pernitioſus eſt, ita vt multos, quos affligit, tollat. At ſi putredo aëris, qui inſpiratur, in ſolis concipiatur ſpiritibus, multos non tollet, quia non erit pernitioſa, ſed viginti & quatuor horis ſalubriter terminabitur.

Sed hoc Valleſij fundamentum nullam habet vim; nam licèt ipſa febris in ſpiritibus ſuccenſa ita breuiter terminetur, non inde ſequitur, quod ex ipſa ſalus ſequatur, ſed potiùs quòd ex deterrima ſpirituum putredine, & venefica qualitate ita lædatur cor, vt intra idem tempus intereat æger: quod febris genus communiter graſſatur in Britannia inſula, quæ nunc Anglia vocatur, & vna die aut hominem perdit, aut liberat; & non ſolùm vagatur de ciuitate in ciuitatem, ſed etiam ad vicinos Belgas aëris communitate defertur, vt refert Fracaſt. 2. *de morb. contagioſis, cap.* 5. quæ ſi ſudore terminetur, hominem liberat; ſi verò non, è medio tollit omnes.

Ad ſecundam reſpondetur, tantùm eſſe tria genera febrium ſimplicium putridarum, de quibus loquitur Galen. cum hoc tamen aſſignari poſſunt aliæ febres putridæ non ſimplices, quas ipſe neque negauit.

Ad tertiam reſpondetur, quod in febribus natura contra hoſtem omnes colligit vires; & cùm in principio robuſta ſit, non multùm percipitur dira morbi qualitas, donec ipſam naturam euincere incipiat, quo tempore pulſus, & reliqua peruertuntur.

## §. II.

### *De cauſis peſtis, & peſtilentis febris.*

CVm peſtis, & peſtilens febris communes ſint affectus, communes etiam cauſas expoſcunt; nihil tamen aëre communius, ad quem tanquam ad cauſam reducunt omnes peſtis, & peſtilentis febris generationem, vt clarè colligitur ex Hippoc. 3. *epidim. ſectione* 3. & ex Galen. 1. *epidim. in principio*, & 1. *de differ. febrium, cap.* 4. & alibi millies; eſt enim animantibus aër ita neceſſarius, vt in eius inſpiratione vitam ſitam eſſe dicamus, ſine quo nec momento temporis viuere poſſumus; qui ſicut dum benè ſe habet, plurimùm ad ſalutem confert; ita dum variè alteratur, aut corrumpitur, plurium morborum communis cauſa exiſtit, vt Hippocrates docuit *libro de flatibus.*

Sed quia vt aër peſtilens fiat, corrumpaturque, indiget inquinamento quodam per aërem diſſeminato, oportet tradere cauſas, quibus ad recipiendam talem pernitiem diſponitur. In primis diſponitur, & fœda putredine afficitur aliquando ab inferioribus, vt à corruptione cadauerum, bello præcedente, ſi non ſepeliantur, aut crementur, ex quibus vapores fœtidi, & corrupti excitantur, qui aëri admiſti illum corrumpunt. Idem contingit, ſi ex lacuum, paludum, frugum, olerum, & leguminum putredine, & corruptione eleuentur, ad quod maximè iuuat calidus aëris ſtatus, qualis maximè circa ortum canis contingit. Accidit etiam peſtis ex victus prauitate, quæ prauos, & malignos gignit humores, vt videre ſolemus in caritate annonæ; tunc enim ob alimentorum penuriam prauis vtimur eduliis, ex quibus praui humores producuntur, qui morbos malignos, & peſtilentes procreant, à quibus etiam vapores contagioſi excitantur, qui aëri admiſti illum corrumpunt, & per illum ſimilis affectio in reliquos tranſmittitur: quod magis euenire ſolet æſtatis tempore & flante auſtro, qui ſuo calore, & humiditate corpora putrida reddit.

Aliquando etiam immutatur aër, & peſtilens redditur ex cauſa ſuperiori, nempe ex aſpectu planetarum; quod contingere cernimus quando in his inferioribus nulla cauſa ſit, quæ morbis peſtilentibus occaſionem præbeat. Nemini enim dubium eſt, cœleſtes qualitates nobis impartiri, & à cœlo per aërem communicari; in quem finem partium vniuerſi contiguitas data eſt, vt docet Ariſt. 1. *meteororum*, ibi: *Neceſſe enim* (inquit) *eſt hunc mundum contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, vt inde eius virtus regatur, & gubernetur.* Et ſicut ex ſiderum, & planetarum aſpectibus, & coniunctionibus aliæ aliis ſunt commodiores ad humanæ vitæ vſus, ſic & ex aſpectuum diuerſitate diuerſi effectus in his inferioribus reſultant, quorum aliqui hominum ſaluti proſunt, alij verò incommodant. Inter malignas conſtellationes deterior eſt Martis cum Saturno in ſignis humanis coniunctio, & luminarium eclipſis, præcipuè quando ſol eclipſatur, vt contigit anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo octauo, poſt quem ingens peſtis in noſtra Hiſpania ſubſequuta fuit; variè enim ex eclipſibus, & aſpectibus illis alteratur aër, ita vt nimiam mutationum inæqualitatem perpeſſus, citrà corruptionem perferre nequit; quo corrupto facile eius corruptionem omnes participant, qui in locis habitant, qui horoſcopum, ſiue ſuum aſcendentem ob prædictos ſiderum aſpectus infortunatum habent. Cúmque ſeptem ſint planetæ, qui per aſtrolabium diſcernuntur, orbis totus in ſeptem diſtributus eſt partes, in quibus variæ temporum mutationes fiunt, eaſque inſequuntur varij, & diuerſi morbi, iuxta naturam planetæ dominantis, cuius qualitates partes terræ ei ſubiectæ retinent, & conſeruant, vt refert Marſil. Ficin. *lib. de vita cœlitus comparanda, cap.* 2. Ex quibus infertur,

fertur, quod aliqui morbi ſunt communes alicui regioni, aut vrbi, quos endimicos aut patrios vocant, qui neceſſariò prouenire debent ex aſpe-ctuum planetarum diuerſitate, vt notat Hippoc. *lib. de aëre, locis, & aquis*, qui aërem alterando, & corrumpendo in nobis morbos putridos, & contagioſos excitant. Sic equidem in Britannia inſula febres diariæ peſtilentes vulgariter graſſantur, vt notat Fracaſt. & in Ægypto, & Syria vlcera faucium maligna, & peſtilentia maximè vigent, vt refert Aretheus *lib.* 1. *cap.* 9. cuius cauſæ perpetuitatem non niſi in cauſam ſtabilem, & fixam reducere poſſumus: & cum hæc inferiora nullam habeant permanentiam, nec ſtabilitatem, neceſſariò ad aſtrorum, & planetarum aſpectus confugere debemus. Si igitur in præfatis regionibus planetarum aſpectus aërem alterando morbos peſtilentes procreant, quos endimicos vocamus, pari modo ex nouo aliquo planetarum ſuperueniente aſpectu, aut coniunctione poterit quidem aër ita inæqualiter immutari, vt ad corruptionis terminum deueniat, & peſtilentes gignat morbos.

*Aër dupliciter alteratur.*

Ex quibus etiam deducitur, iuxta præcepta à nobis tradita, quod aër dupliciter alterari poteſt; aut ſecundùm qualitates, vel ſecundùm ſubſtantiam. Prima alteratio morbos quidem producit populares, & communes: ſecunda nimium contagioſos & peſtilentes; nam morbi peſtilentes vtramque requirunt alterationem. Per primam diſponit aër corpora ad ſuſcipiendum peſtilens contagium, ſicut ipſe aër aſtrorum influentiis fuit diſpoſitus: per ſecundam contagium peſtilens in ipſis corporibus producit, quod ex vno in aliud facilè transfertur.

*An aër poſſit putrefieri.*

Neque ex dictis ſequitur, quod licèt aër corrumpatur, ipſe etiam putrefiat; exiſtimo enim aërem non eſſe putredini aptum. Ratio deſumitur ex Ariſtot. 4. *meteor. cap.* 2. vbi expreſsè aſſerit, coctionem eſſe paſſionem mixti; & idem intelligendum venit de putredine, quæ eſt actio coctioni contraria; idque facilè colligitur ex putredinis definitione ab Ariſt. allata eodem loco, vbi in re, quæ putreſcit, partes conſtituit oppoſitas, quæ putredine ſeparantur. Quia ergo ea quæ coquuntur, & putreſiunt, partes exigunt oppoſitas, quibus caret aër, imò & quodvis aliud elementum, exiſtimare oportet, aërem non corrumpi per putredinem, neque putredinis eſſe receptiuum.

Neque huic doctrinæ opponitur Ariſt. quando *eodem loco cit.* ait, omnia putreſcere præter ignem. Verba enim illius ſunt hæc: *Idcirco reliqua etiam omnia, vno igne excepto, in putredinem delabuntur; terra enim, & aqua, & aër putreſcunt, &c.* Nam omnes Philoſophi confitentur, nequaquam elementa putrefieri poſſe. De igne patet ex Ariſt. cui ratio ſuffragatur; nam putredo eſt corruptio caloris natiui à calore extraneo: talis autem caloris natiui corruptio in igne non poteſt fieri à calore extraneo; nam extra ignem nullus datur calor in tanta intenſione, ac eſt in ipſo igne; aut ſaltem nullus excedit calorem ignis, atque adeò calor extraneus non poteſt ignis calorem euincere, neque ignem corrumpere. Si igitur corrumpitur, ea corruptio non poteſt fieri à calore, ſed potiùs à qualitatibus contrariis, quæ licèt ignem ducant ad interitum, non tamen per putredinem. De terra & aqua idem ſtatuitur; nam non habent in ſe calorem naturalem, cuius putredo ſit interitus. De aëre idem probatur in ſententia aſſerentium, A aërem habere calorem in ſummo, ſicut ignis; nam tunc calor vtriuſque eſt intenſione æqualis, & vnus non poteſt agere in ſubiectum alterius. In aliorum verò ſententia exiſtimantium aërem habere tantum calorem prope ſummum, neque datur putredini locus ob rationem ſuprà tactam de partium diuerſitate, quæ dari debet in quolibet corpore ad coctionem aut putredinem procliui; hæc autem partium diuerſitas non eſt aſſignabilis in elementis.

Dicendum ergo eſt ad Ariſt. quod ignis non putreſit, quia ob ſuam actiuitatem conſumit ea, quæ illi admiſcentur, nec patitur rerum aliarum miſcellam, quin eas vincat, vel ſuffocetur ab eis: alia verò elementa dicuntur putrefieri, non quia reverà putreſcant, nam hoc eſt impoſſibile, vt inſinuauimus; ſed quia facilè ferunt rerum putridarum permixtionem, ratione quarum ipſa elementa putrida appellantur ab Ariſt.

B Neque aſſentior Valleſ. doctrinæ 4. *meteor. cap.* 2. vbi inquit elementa non eſſe pura, atque adeò putreſcere; ſi verò eſſent pura, minimè; quia coctio, & putredo ſunt paſſiones mixtorum. Hoc, inquam, diſplicet; nam licèt aër v. g. non ſit purus in qualitatibus, quia alteratur à contrariis, non tamen petit, vt qualibet alteratione conceſſa, abeat illius forma; ſed cum qualitatibus alienis plurimo tempore conſeruatur, vt patet etiam in aqua calida, quæ ſub calore adhuc aquæ formam retinet, neque deflectit ſubſtantialiter à propria natura. Quapropter manet ſub forma elementi; neque tunc ea aqua poteſt appellari corpus aqueum, vt ipſe cenſet, ſed eſt verè aqua, & eſt verè elementum, cui vt ſic denegari debent paſſiones mixti.

Ex hac doctrina infero, quod quando aſſeri-C mus, quod ſeminaria contagionis putridæ, & malignæ qualitatis communicantur per aërem, & diſſeminantur per vrbem, vel regionem, non dicimus quod aër putreſit, aut contagium contrahit; ſed eum putridum, & contagioſum vocamus, quia vaporibus putridis, & malignis admiſcetur, quos ſecum defert, quibus corpora inficit.

Quod ſi aliter eueniat, & aër varias ſit perpeſſus alterationes, quibus efficitur malignus, & contagioſus, vt accidit in aſpectu planetarum; vt antea diximus, priuſquam eas qualitates aër comparet, formam aëris deperdit, & eius materia formam mixti aërei adquirit, cui poteſt competere ratio putredinis, contagij, aut malignæ qualitatis; & de eo dicere poſſumus, quod patitur infectionem, & alia corpora inficere valet.

D

## §. III.

### *De ſignis peſtis & peſtilentis febris.*

TAnta eſt peſtis, & peſtilentis febris malignitas, tantoſque breui tempore interimere ſolet, vt non ſolùm oporteat tradere ſigna, quibus dum præſens eſt, agnoſcatur; verùm etiam ea, quibus ipſa præuideatur, vt ſic eam præcauere poſſimus. Quapropter priùs ſigna proponemus, per quæ eam imminentem præuideamus; deinde ea, per quæ eam actu adeſſe percipiamus. Oportet igitur aſtrorum aſpectus conſiderare, vt ſi Saturni, & Martis præceſſit coniunctio, præſertim in ſignis humanis, qualia ſunt Virgo, & Gemini; vel ſi præceſſit excedens aliquis eclipſis ſolis aut lunæ,

ex quibus variè, & inæqualiter alteratur aër, & ſubſequenter corrumpitur, & redditur epidimiæ pernitioſæ cauſa communis, corporaque inficiens putredini obnoxia, qualia ſunt quæ multis ſcatent excrementis, & humiditatibus, & puerorum, mulierum corpora tenera, quæ ſuâ mollitie, & humiditate facilè in hanc incidunt labem; ſeniorum autem corpora, vtpote ſicciora, difficiliùs putreſcunt, atque adeò aëris infectio non ita facilè eos apprehendit. Auſtrina item conſtitutio intempeſtiua peſtem præcedere ſolet, quæ aëris calore immodico, & humiditate excedenti corpora ad putredinem parat, vt refert Hippocrates 3. *epidim. ſect.* 3. cui adiungitur pluuiarum multitudo, & temporum mutationes ſubitæ, quæ plurimùm generant morbos, vt ipſe etiam retulit 3. *aphoriſm.* præſertim ſi tempore æſtiuo fiant.

Vlteriùs id præuidere licebit ex nimia fame in caritate annonæ, ratione cuius prauis vtimur eduliis, ex quibus praui etiam procreantur humores, vt ſuprà dictum eſt, & ex cadauerum multitudine non ſepultorum, bello præcedente, aut ex aquarum lacuum, & paludum corruptione, & ex tetris, & malignis vaporibus ex terræ viſceribus erumpentibus. Præcedere etiam ſolent morbilli, & variolæ, & locuſtarum multitudo, quæ ex putredine terræ generantur; quod ſi interfectæ ſint, & non ſepeliantur, aut vtantur, corrumpuntur, & morbos peſtilentes progignunt, ex earum fœda corruptione ortos. Quod ſi ſimul videas ranas, mures, & animalia reptilia multiplicari, hæc omnia imminentis peſtis præſagia ſunt.

Præterea ſi cœli, & aſtrorum occaſione peſtis initium eſt habitura, agnoſces, quoniam cœli volucres priùs intereunt, & ad terræ cauernas confugiunt. Quod ſi ex vaporibus prauis de terra erumpentibus oriatur, tunc lumbrici, & ſerpentes de ſinu terræ prodire videntur, & auiculæ, quæ ad imum habitant, ſublimia petunt, & montes adeunt. At verò ſi venenum ſimul incenditur in terra, & in aëre, animalia fugiunt ſupernè deorſum, & exinde rurſus altiora repetunt.

Quod ſi ex aquis originem ducat, ipſæ conturbantur, & piſces omnes moriuntur, licèt contrarium cenſeat Ariſt. 7. *de hiſt. animalium, cap.* 2. vbi inquit: *Fluuiatile, vt lacuſtre, peſte quidem & ipſum immune eſt.*

*Hiſtoria Miranda.*

Sed non poſſum non referre caſum admiratione dignum, quem hiſce oculis vidi anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo nono. Habitabam equidem in quodam Caſtellæ oppido nomine *Huerta de Rey*, per quem amnis quidam dilabitur, cuius aquæ ſunt laudabiles, magnamque piſcium multitudinem continent, & procreant: ab huius amnis exortu dimidiæ leucæ ſpatio plures fontes exoriuntur, quos appellant *Fuentes de Arandilla*, quorum aquæ ſtatim ac ex terræ viſceribus erumpunt, fluuialibus admiſcentur, quæ quidem nunquam viſæ fuerunt conturbatæ, vt illius populi priſciores teſtabantur. Ante tamen quàm peſtis per populum graſſaretur, & dimidiam illius partem miſerè perderet, fontes illi maximè conturbati apparuerunt, & illorum aquæ craſſæ, veluti ſi lutum in eis diſſolueretur; fluuiales verò, quæ erant à fontibus ſupernè, claræ permanſerunt, & illarum piſces incolumes. Fluuiales quidem, quæ à fontibus deorſum fontium aquis erant permiſtæ, ab earum conturbatione, & craſſitie omnes turbidæ trium dierum ſpatio permanſerunt, quibus diebus troctæ, barbelli, & alij piſces omnes peſtis venenum contraxerunt, & interierunt, quos in maxima multitudine vidi mortuos: deinde breuiter ſubſequuta fuit dira peſtis, quæ pluſquam dimidij populi partem deuaſtauit. Cuius euentus cauſam, aut eſſe miraculoſam (quod vt certius affirmo) aut terram magnam in ſuis viſceribus contraxiſſe putredinem autumo, ex qua vapores craſſi, & peſtilentes prodierunt, qui aquis fontium permiſti eas turbidas, & craſſas reddiderunt.

*Præſentis peſtis ſigna.*

Præſentem iam peſtem cognoſces ob ſæuiſſima accidentia, quæ illius ſequuntur naturam, & deterrimam conditionem, vt febris ab initio maxima, in qua ſæpe interiora vruntur; capitis grauitas, & dolor, ſitis vehemens, linguæ ariditas, oculorum aſpectus varius, vigiliæ immodicæ, deliria, & aliquando ad ſomnum propenſio; vrinæ turbulentæ, deiectiones fœtidæ, & ſubſtantiæ colliquatio, bilis vomitus, & ingens cibi faſtidium. Aliquando etiam calor febrilis mitis apparet, & pulſus, & vrinæ ſunt quamſimillimæ ſanis; quod qua ratione fiat, capite de febre maligna trademus; nam licèt velint aliqui, inter quos Coſteus, huiuſmodi ſigna ſuperuenire febribus hecticis peſtilentibus, in quibus ægri non percipiunt ſe febricitare, & illorum pulſus ſolùm in celeritate à naturalibus diſtant, & vrina apparet cocta, quoniam non datur in humoribus putredo; cum hoc tamen dicimus, talia ſigna adeſſe in febribus putridis humoralibus, & malignis, vt ſuo loco declarabimus; & idem erit intelligendum de febribus peſtilentibus, cuiuſcumque generis ſint. Præterea poſt aures, & ſub alis, & inguinibus potiſſimùm bubones fiunt, quibus natura expellere nititur noxios, & veneficos humores, vt cor, & interiora ab illorum venefica qualitate minùs offendantur. Naſcuntur etiam carbunculi, vlcera, & exanthemata: quæ omnia peſtilentem febrem denunciant.

Ex dictis conſtat, hanc febrem ex ſua natura eſſe pernicioſam, & maximè lethalem, & inter morbos exactè peracutos adſcribi; febres enim peſſimæ ſignis peſſimis firmatæ quarto die interimunt, aut citius, vt ſcripſit Hippocrates in prognoſticis; ſalubrior tamen ab omnibus exiſtimatur peſtilens diaria, quæ intra vnius diei ſpatium terminum fatalem ſuum habet.

## §. IV.

### *Peſtilentis febris præcautio.*

Antequam febris peſtilentis curationem aggrediamur, qua ratione ſit præcauenda, demonſtrare operæpretium erit. Priùs tamen decet diuinum auxilium implorare, & noſtrorum criminum veniam petere, vt ſic Dei iram placemus; idque benè aſſequemur ieiuniis, precationibus, & eleemoſynis. Scimus enim ex ſacris literis, plures morbos ob peccata immitti, id aſſeuerante Diuo Ioanne in Euangelica lectione, *cap.* 5. de homine qui triginta & octo annis languerat, quem ſanauit Dominus, & illi dixit: *Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Et vt ſcribit ſanctus Matthæus *cap.* 9. *Euangelicæ hiſtoriæ*, Deus paralyticum ſanauit ei dimittendo peccata, quæ ſuæ ægritudinis cauſa erant. Et 4. *Regum cap.* 5. dicitur quod Giezi leprâ fuit correptus, quia

quia à Naamam duo talenta accepit : de quo etiam mille hiſtorias adducere haudquaquam erat difficile. Quapropter mundatâ animâ, tota præſeruationis ratio conſiſtit in corporis abſterſione, illud liberando à recrementis, & ſuperfluis humiditatibus, & in remotione cauſarum, quæ hoc malignum contagium diſſeminare valent.

In primis ergo peſtem præcauebimus, ſi ad longinquas,& ſalubres regiones citò fugiant homines, neque ad eundem locum redire debent, niſi poſt longum tempus, quando ſcilicet iam conſtitutio illa præterijt, & aër nouam immutationem, & alterationem iam ſubiit.

Quod ſi id fieri non poſſet, victus conueniens eſt inſtituendus, qui debet eſſe exſiccans; quæcumque enim corpora humida omni via exſiccare conuenit, vt inquit Galen. 1. *de differ. febrium, cap.* 4. Aër itaque, ſeu ventus aquilonis optimus eſt, qui corpora exſiccat, & firmat. Quod ſi venti ſint auſtrales, eos fugere licebit. Medio modo ſe habent orientales, & occidentales venti. Domus, ſeu habitationes, quantum fieri poſſit, ſint aquilonariis expoſitæ, & ab omni fœtore & inquinamento liberæ, in quibus pauci ſint habitatores, quas aceto, & liquoribus odoriferis irrorabis, ſparſis etiam roſis, floribus, & aliis herbis frigidis.

Sed quia aër huius morbi communis cauſa exiſtit, illius veneficam qualitatem reprimere tentabimus; in quem vſum maximè commendant Authores ignis in pluribus locis ciuitatum accenſiones; ſic enim curauit Hippocrates luem illam peſtilentem, quæ ex Æthiopia ad Græciam peruaſit, vt refert Galenus *libro de theriaca ad Piſonem*; præſertim ſi combuſtibilium materia ſit odorata, & veneni vim reprimat, cuius copiam nunc adducemus. At verò cum aër diuerſimodè alteretur, & diuerſis temporibus, multa cardiaca proponentur, quæ diuerſa etiam naturâ, & temperie conſtant, ex quibus probatiora eliges.

Calida cardiaca, quæ aërem ſalubrem efficiunt, & illius prauas qualitates refrangunt, ſunt ambarum, moſchus, thus, myrrha, maſtix, aloës, lignum aloës, galanga, reſina pini, & cupreſſi, ſandaracha Arabum, ariſtolochia, nux moſcata, macis, cinnamomum, cariophyli, laudanum, iuniperum, & gummi iuniperi, cortex citri, & limonum, bdellium, opoponacum, laurus, ocymum, beem album, & rubrum, caſſia lignea, cedoaria, ros marinum, meliſſa, doronicum, crocus, calamentum, enula campana, ſchœnantum, vtraque ſpica, acorum, mentha, & cubebæ, lilium album, & iridis radices, & ſimilia. Frigida ſunt violæ, roſæ, nimphea, acetum, vterque corallus, omne ſantalorum genus, oxalis, intybus, chicoreum, balauſtium, myrthus, bolus armenus, terra ſigillata, malum granatum, limonum, & vuæ acerbæ ſuccus.

Quæ mediam obtinent naturam ſunt borrago, bugloſſum, tormentilla, carbunculus, hiacynthus, ſapphirus, margaritæ, lapis bezoar, & alia huiuſmodi, ex quibus etiam Medici varias medicamentorum formas componunt, non ſolùm ad præcautionem, ſed etiam ad curationem, vt poma odorifera, theriaca magna, mithridatum, confectio alchermes, confectio iacynthorum, diamarg. frigidum, diarrhod. Abbatis, aromaticum roſatum, elect. de gemmis, diambra, diamuſchum, gallia moſcata, & alia his ſimilia.

Ex iis igitur parabis pomum odoriferum, quod

A odorabis, vt aër per inſpirationem attractus attemperetur, & corrigatur; quod etiam ſæpe manibus tractetur, vt de ſe meliùs odoratos vapores emittat, illudque ſic componere poteris. ℞. aloës, myrrhæ, nucis moſcatæ, caſſiæ ligneæ, carpobalſami,ana ℈. j. diamargarit. frigidi, roſarum, violarum, & bugloſſæ florum, ſantalorum omnium, ana ʒ. ß. ligni aloës, galangæ, boli armeni, terræ ſigillatæ, & vtriuſque coralli,ana ℈. ij. diambræ, & diamuſchi, ana ℈. j. omnia contundantur, & cum aceto, aqua roſarum, & naphæ fiat pila. Præterea aërem expurgabimus ſi nihil putridum, & fæculentum in ciuitatibus remanſerit. Quapropter plateæ, vici, ſentinæ, & aquæductus accuratè nimis expurgari debent.

Veſtimenta inſuper munda ſint, & odoriferis rebus ſuffumigata; item & ſubuculæ, quæ tempore æſtiuo rebus frigidis, hyeme verò calidis aut

B temperatis ſuffumigari debent; ſic enim optimus odor conciliatur, & aër correctus per reſpirationem attrahitur, ſine cuius correctione peſtis impediri non poteſt.

Ipſo aëre correcto, frænatoque, corpus præmunire oportet ac præcauere, ne veneno hoc contagioſo afficiatur, eo victu, & vitæ regimine inſtituto, quod ad ſiccitatem declinet, corpuſque ab excrementorum illuuie, & humiditatibus ſuperabundantibus mundet. Alimenta igitur ſint mediocris ſubſtantiæ, quæ facilè coquantur, & ſiccæ potiùs quàm humidæ ſint naturæ; quibus admiſcebis quæ putredinem inhibent, vt ſucci aranciorum, vuæ acerbæ, limones, & acetum, aut ſuccus granatorum acidorum. Conueniunt ergo panis probè coctus, & ex carnibus aues montanæ, vt turtures, perdices, item cuniculi parui, & caponum, pullorum, gallinarum, & phaſianorum caro. Quæ omnia aſſa vti-

C liora cenſentur. Conueniunt etiam oua ſorbilia, poma acida, borrago elixa, & oxalis, ceraſa acria, vuæ penſiles, caricæ, pruna damaſcena, & ex conſeruis poma ſaccharo condita, & pira, conſerua corticum citri, radicis bugloſſæ, & ſimilia.

Potus ſit vinum album modicè aquâ dilutum; & ſi vino non aſſueſcant, bibant aquam fontium puriſſimam, aut mortario percolatam, aut in ea decoquantur angelicæ radix, quinquefolium, aut limonis cortex, vel ſcabioſa, in qua auri fruſtum extinguatur.

Deinde ſi corpus plethoricum ſit,ipſum euacuabis ſanguine detracto, præſertim ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa; parcè tamen, ne vires labantur. Quod ſi corpus humiditatibus, & recrementis abundet, illud mundum reddere oportet, idque aſſequeris pillulis alephanginis, aut pillulis Ruffi,

D quæ conſtant duabus partibus aloës, vna myrrhæ, & dimidia croci, & vino albo, cuius ſumes à ʒ. ß. ad ʒ. j. ſemel in hebdomada : quæ quidem præterquam quod ſine violentia purgant, putredinem cohibent; aloës enim, & myrrha corpora adhuc mortua à putredine præſeruant. Conferunt etiam hæ pillulæ, quæ recipiunt puluis hieræ Galeni, rhabarb. elect. & myrrhæ, ana ʒ. j. cariophylorum, & ſpicæ nardi ana ʒ. ß. ſeminis citri ℈. ij. boli armeni ʒ. ß. omnia in puluerem redigantur, & cum ſyrup. acetoſo fiant pillulæ.

Præter dictas pillulas neceſſarium erit bis in hebdomada aſſumere theriacam magnam, quæ iuxta Galeni, Auicennæ, & Auerroïs ſententias, ſecuros reddit homines ab omni veneno, ſeu

morbo

morbo peſtilenti, & vt dixit Moſes Ægyptius, mirabiliter profuit in peſte Anthiochenſi: hanc igitur accipies ante cibum horis ſex, vel ſeptem, & poſt cibum horis totidem, quantitate ʒ. j. cuius quantitas varianda pro ratione ætatis, naturæ, & temporis; & etiam ſuperbibes aut aquam roſaceam, vel bugloſſæ cum modico aceto, ſi ſit tempus æſtiuum, aut naturâ ſis calidus; vel vinum album aquâ ſcabioſæ permiſtum, ſi hiems ſit, aut naturâ ſis frigidus. Quod ſi eam aſſumere non potes, cordi appones, ſtomacho, naſo, temporibus, & pulſui; loco tamen illius mithridato in eadem doſi vti poteris. Bolus armenus, & terra ſamia maximè ad præcauendum venenum conferunt à ʒ. ß. ad ʒ. j. cum aqua oxalidis, aut roſarum, quibus quotidie eſt vtendum; exſiccant enim, & corpus veneno infici prohibent. Radicis tormentillæ pulueres, dictami, & ſcabioſæ in hoc genere etiam in eadem doſi laudantur, aut pillulæ iſtæ. ℞. tormentillæ ʒ. j. dictami, & zedoariæ ana ʒ. ß. boli armeni ʒ. j. cornu cerui præparati, & vnicornij ana ʒ. ß. elect. de gemmis, & margarit. præparat. coralli rubri præparati, & ſantal. rubrorum ana ℈. j. ſem. acetoſæ, & citri ana ʒ. j. omnia puluerizentur, & cum ſyrupis de ſucco limonum, vel oxalidis fiant pillulæ, quarum duæ vel tres deuorentur bis, vel ter in hebdomada. Tempore etiam hiemali aſſumi poſſunt ficus pingues cum dimidio nucis, & parum ſalis, cum modico rutæ, ſuperbibendo aquam roſar. vel aceti parum.

Oportet præterea vti corporum frictionibus, vt ſic excrementa abſumantur; ad quod maximè iuuat moderatum exercitium ante prandium: ad quod exequendum non licet domo egredi quando eſt in locis infectis; quando verò non, ante ortum ſolis, & poſt illius occaſum exercitio vteris, ita vt calorem ſolis excedentem ſubterfugias. Dentes etiam, & os colluere oportet, & fricare puluere qui recipit cornu cerui vſti, maſtichis, vtriuſque coralli, radicis angelicæ, ſeminis citri ana ʒ. j. ciperi, & cinnamomi ana ʒ. ß. moſchi grana iiij. miſce.

Facies etiam, & manus aquâ roſaceâ, & aceto roſarum abluantur, manibuſque portetur pomum odoriferum ſuprà deſcriptum, aut quod conficitur ex laudano depurato, maſtiche, thure, nuce moſcata, cariophylis, ſantalis, corallo, roſis violarum, & borrag. floribus, cum modico moſchi, & ambari. Portent etiam manibus faſciculos olfactorios ex roſis, & aliis floribus. Oportet tandem cor, nares, & pulſus inungere vnguento naphæ, aut oleo illius, & oleo mirabili ſcorpionum Mathioli, & theriaca, ex quibus cum pulueribus diamargarit. frigidi, elect. de gemmis, confectione alchermes, & iacynthorum ad idem vnguenta parantur.

Geſtent etiam annulis iacynthum, adamantem, ſmaragdum, & alios lapides pretioſos, quos vim fugandi venenum habere credimus.

## §. V.

### *Curatio peſtis, & peſtilentis febris.*

VT peſtilentis febris, & peſtis curatio perficiatur, inuocato priùs diuino auxilio, necnon Beatiſſimæ Virginis Mariæ Dominæ noſtræ,

A & omnium Sanctorum, reuocanda ſunt in memoriam ea, quæ diximus circa peſtis præcautionem. In primis enim pugnandum eſt contra cauſam communem, nempe contra aërem, illius impuritatem conſumendo; quod quidem exequi poſſumus magnis ignis accenſionibus ex lignis odoriferis, & aliis, quæ ibi tradidimus. Vlteriùs conſiderare oportet ex quibus oriatur ſeminarium contagionis, & inquinamentum, ex quo inficitur aër, vt ſic illud meliùs euitare poſſimus; nam ſi ex vi aſtrorum aërem inæqualiter immutantium inſurgat, aërem, vt diximus, corrigemus; ſi verò ex cadauerum multitudine, eos ſepelire, aut cremare ſtatim oportet. Quod ſi ex tetris, & malignis vaporibus è terra prodeuntibus oriatur, ipſos ignis ſuccenſionibus magnis in plurimis terræ partibus reſoluemus, & diſſipabimus: ſic etiam ſi ex aquis putridis lacuum, & paludum, & aliis rebus putridis
B excitentur, eas abſtergere debemus, vicos, plateas, & aquæductus accuratiſſimè expurgando: at verò ſi ex ciborum prauitate contagium habeat initium, victum inſtituere debemus, qualem iam adduximus, quem ſeruabimus ſiue ab hac, ſiue ab alia cauſa peſtis originem ducat.

*Præceptum obſeruandum.* Pro cuius inſtitutione aduertere oportet, quod licèt febris peſtilens ſit morbus exactè peracutus, & ſtatim primo die ad ſtatum peruenire ſoleat, non tamen exquiſitè tenuis victus eſt adhibendus, ſicut in aliis morbis præcepit Hippocrates, ſed potiùs paulò pleniori eſt vtendum; nam ſuâ deleteriâ qualitate ſtatim deiicit vires, quæ ſi alimento non reſarciantur, peribunt omnes; de quo periculum fecit Galenus 3. *de morbis popul. ſectione* 3. *ſuper textum* 78. vbi in
C quadam conſtitutione peſtilenti, qui maximè faſtidiebant, nec cibum aſſumebant, ferè omnes moriebantur; fortiores verò, qui ſibi ipſis vim afferentes cibum oblatum aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites fuerunt. Potus ſit aqua frigida, præſertim ſi æger æſtuoſus fuerit, quam in multa quantitate, & aceruatim dare iubet Aëtius; ſic enim illius flamma extinguitur, cui penetrandi causâ aliquid ſyrup. acetoſi, aut de ſucco limonum, vel oxalidis admiſcebimus. Aliqui etiam admiſcent guttulas olei vitrioli, quod ſuo calore, & ſiccitate putredini obſiſtit, & aquam ſua tenuitate ad penitiſſimas partes penetrare facit.

Poſt victus debitam inſtitutionem, qui alexipharmacam etiam debet habere naturam, cognoſcere oportet, an febris peſtilens ſit diaria, hectica, vel humoralis; nam duæ priores non in-
D digent euacuantibus auxiliis per ſanguinis miſſionem, aut expurgationem; humoralis verò talia remedia expoſcit. Quod quidem dignoſces ex eo, quod in hecticâ, & diaria peſtilentibus, nec vlcera, nec bubones, nec carbunculi, vel exanthemata apparere ſolent, & in vrinis nullum eſt ſignum putredinis; talia enim ſigna indicant maſſam ſanguinariam non eſſe infectam; nam ex illius contagione neceſſariò in cute prodeunt huiuſcemodi excretiones, quæ humores à contactu peſtilenti eſſe affectos demonſtrant. Cùm ergo peſtilens febris ſit diaria, aut hectica, alexipharmacis eſt propugnanda, quæ inferiùs annumerabimus. Sed quia humoralis frequenter accidit, de eius curatione mentionem faciemus, quâ intellectâ, facile erit aliarum febrium curationem adminiſtrare.

Si

*Sanguinis miſſio.*

Si igitur corpus ſanguine redundarit, ſanguinem ſtatim detrahere iubent Ruffus, Paulus, Aëtius, Auic. & alij, parcè tamen, ne virium deiectio fiat; ſic enim reuellimus humorem venefica qualitate affectum, & à centro ad circumferentiam ducimus; veruntamen ſi alij humores redundent, & corpus vitioſis humoribus ſit refertum, haudquaquam ſanguinem mittes; eſt enim tunc ſtatim expurganti pharmaco vtendum: ſunt etenim ita neceſſariæ huiuſmodi euacuationes, vt dicat Auic. quod ſumma curationis febris peſtilentis eſt phlebotomia cum ſolutione ventris. Cùm ergo vires validæ ſunt, & ſanguinis adeſt multitudo, ſtatim ſanguis eſt mittendus ex baſilica brachij dextri, deinde ex baſilica ſiniſtri.

*Venæ ſectio ex talo iuuat.*

Neque ſpernenda eſt ſanguinis detractio ex talo, præcipuè pedis ſiniſtri, aut crurum ſcarificatio; nam per illam remouetur venenum, & ſeparatur à corde; quod in ſeipſo expertus eſt Galenus, vt ipſe teſtatur *libello de ſcarificatione*; inquit enim: *Dum peſtilentia Aſiam deprehendiſſet, multoſque perdidiſſet, meque etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die crus ſcarificaui, duaſque ferè ſanguinis libras detraxi, hacque de cauſa periculum vitaui.* Rurſus ſi aliquis tumor aut anthrax percipiatur, ſanguis eſt extrahendus ex parte viciniori tumori, aut anthraci, vt conſulit Didac. Merinus *cap. de febre peſtilenti*, ita vt ſi tumor, aut anthrax ſub alis conſiſtat, ex brachiorum venis baſilicis; ſi poſt aures, ex cephalicis, aut communibus; ſi in inguinibus, aut partibus inferioribus, ex talo ſanguinem mittamus; ſic enim naturæ motum adiuuabimus, & per conuenientem regionem, per quam natura expellere nititur, euacuabimus.

*Præceptum obſeruandum.*

*Purgatio.*

Deinde nullâ expectatâ coctione, medicamenta expurgantia ſunt offerenda, non enim expectare poſſumus coctionem in humoribus venenatis, qui antequam coquantur, hominem interimunt. Quapropter dixit Hipp. *Inchoantibus morbis ſi quid tibi videtur mouendum, moue.* Cùm verò conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere. Præterea ſi id faciendum eſſe præcepit Hippocrates, turgente materia, multò magis faciendum eſſe exiſtimo ipſa venenata exiſtente: quod conſiderans Galen. *lib.* 1. *de differ. febrium*, *cap.* 4. in his febribus curandis purgationem inſtituit; quod etiam eleganter ſatis annotauit Manardus Ferrarienſis *lib.* 13. *epiſtolarum*, *epiſt. prima.* Neque in hoc ſequendus eſt Pereda, qui *lib.* 2. *ſcholio* 9. aſſerit non eſſe purgandum donec materia ſit concocta. Catarctica autem ſint clementia, & benigna, vt rhabarb. dilutum, tamarindi, manna electa, caſſiæ fiſtulæ pulpa, ſyr. Regius, aut roſarum perſicarum ex 9. infuſionibus.

*Vomitus.*

Quod ſi æger nauſeabundus ſit, & ad vomitum procliuis, ante medicamenti purgantis aſſumptionem ad vomitum cogendus eſt, ébibito decocto ſeminis raphani, anethi, & florum camemali ad ℥. v. cui addes oxymelitis ſimpl. ℥. ij. agarici puluerizati ʒ. j.

Interim dum hæc fiunt, manè, & veſpere oportet aſſumere confectionem mirabilem alchermes, & iacynthorum, & theriacam magnam, aut electuarium de gemmis, quantitate ʒ. j. aut dimidiæ: lapis bezoar miram efficaciam habet, vt inquit Serapion, qui conuenit omnibus venenis, tam calidis, quàm frigidis, aut bibitus, aut ſuſpenſus ſupra ægrotantem, ita vt dicat Abdala Anarach (vt ipſe Serapion refert) quod Almirama Cordubæ Rex emit lapidem iſtum, & dedit pro pretio lapidis Cordubæ palatium; tanti enim apud antiquos habebatur; nam de eo periculum fecerunt contra omne veneni genus, vt ibi videre poſſumus. Sumendus ergo eſt in quantitate, & pondere quatuor aut quinque granorum: valet etiam ad idem condîtum, quod ſic parari poteſt. ℞. conſeruæ bugloſſæ, & roſarum, & violarum, ana ℥. j. ß. pulueris elect. de gemmis, & diamarg. frigidi ana ʒ. j. trochiſc. de terra ſigillata, & radicis angelicæ ana ℈. ij. confect. iacynthorum, & theriacæ magnæ, ana ʒ. ß. lapidis bezoar g̃. 10. foliorum auri n. ij. ſyr. acetoſitatis citri, quod ſufficiat, vt fiat condîtum, de quo æger aſſumat cochlear vnum.

Idem etiam præſtant tabellæ, quæ efformari poſſunt ex puluere boli Armeni, terræ ſigillatæ, margaritarum præparatarum, radicis angelicæ, & tormentillæ, & ſaccharo aquâ ſcabioſæ ſcordij diſſoluto: deinde ſuperbibant aquam ſcorcioneræ, borrag. aut bugloſſæ, cùm ſyrupo limonum, acetoſo, aut oxalidis.

*Cucurbitarum vſus.*

Quod ſi calor internus nimis exurens ſit, & externus tepidus, aut in cute appareant exanthemata, bubones, vel carbunculi, ad extra reuocandi ſunt humores, idque aſſequemur cucurbitulis admotis ipſis partibus, in quibus tales excretiones cernuntur, quas quidem ſcarificare iubent Authores, vt calor internus, & venenum ad extrà reuocentur.

Sed quia hæ non ſufficiunt, ſudores ſunt prouocandi, idque efficere conabimur aſſumptis granis quatuor vel quinque lapidis bezoar, cum ℥. vj. aquæ feruentiſſimæ bugloſſæ, ſcorcioneræ, ſcordij, aut ſcabioſæ, vel radicis angelicæ: ad idem præſentaneum auxilium eſt theriacæ magnæ ʒ. j. cum vino, vel melliſophili aqua, cuius vſum maximè commendat Galenus *lib. de theriaca ad Piſonem.* Quæ auxilia præterquam quod ad extrà venenum propellunt, illius etiam vires refrangunt, præſertim ſi ad ſudorem euocandum veſtibus cooperiatur æger; eſt enim in peſtilenti febre ſudor nuntius ſalutis, vt dilucidè oſtendunt ſudores Britannici, de quibus ſuprà egimus, & nos aliquando vidimus.

Vlteriùs venenatam qualitatem ad extrà euocabimus remediis ad extrà cordis regioni admotis, quam inungere oportet vnguento naphæ, oleo Mathioli, & aliis vim alexiparmacam habentibus; ad quod parari ſic poterit vnguentum. ℞. vnguenti naphæ ℥. j. theriacæ magnæ ʒ. j. olei de Mathiolo ʒ. j. ß. pulu. ſeminis citri, & acetoſæ, ana ℈. j. confect. iacynthorum, & alchermes ana ʒ. ß. ſucci limonum guttulas, miſce. Aut ℞. olei roſarum, nenupharis, & naphæ, ana ℥. j. pulu. boli armeni, triaſanthali, & diamarg. frigidi ana ℈. ij. olei Mathioli ʒ. j. aceti roſarum guttulas, miſce, & cum cera fiat vnguentum.

*Venenum extra appoſitum iuuat, & quare.*

Nonnulli etiam volunt hydrargyrum regioni cordis appenſum, latenti odio venena fugare, ob quod communiter dicitur venenum venenum fugat; idemque aſſeritur de ſublimato, de quo Lacuna tractatu de peſte refert, quod præſeruat, & liberat à peſte, vt expertus fuit magiſter Ioannes Luſitanus Medicus antiquus, qui tempore magnæ peſtilentiæ ſecum portans iuxta cor ſublimati fruſtum, liber euaſit à peſte: idemque refert Ioannes Baptiſta Theodoſ. contigiſſe Papæ Adriano, qui arſenicum, vt ſe à peſte liberaret, ſupra cor geſtabat: & huius euentus cauſam reducit ad conſuetudinem; nam cor quod aſſueſcit veneno

minùs

minùs offenditur. Quod etiam viſus eſt indicare Hippoc. 2. *aphor. textu* 50. dum ait: *Quæ longo tempore ſunt conſueta, etſi deteriora, inſuetis minus moleſtare ſolent.* Ego autem ſuſpicor cum Ludouico Mercato *cap. de febre maligna*, venenum extrà admotum habere maximam vim ad attrahendum, quod ſibi ſimile eſt, & ob id veneficos ſpiritus ad ſe allicere, quin cor ipſum inficiat: quod habere videtur fundamentum in verbis Galeni *lib.* 5. *ſimpl. cap.* 18. vbi alexipharmaca exteriùs appoſita ad ſe trahendi venenum vim habere dixit.

Aliqui etiam commendant epithemata frigida, quorum vſum reformidamus, ſiquidem ſua frigiditate humores intrà repellunt, & naturæ motum ad extra prohibent.

Alia multa remedia proponunt Authores, eaque omittimus conſultò; nam huiuſmodi febres quamocyſſimè in ſalutem terminantur, aut ægrum ad interitum deducunt; & enumerata ſufficiunt, quæ inter alia præſtantiora iudicamus.

## §. VI.

### *De vlcerum, & anthracum curatione.*

OB humorum prauam, & venenatam naturam, & conditionem vi veneni contractam, natura eos ad extrà pellit; qui cum aduſti nimis ſint, ad cutem pulſi cutem exulcerant, & carbunculos generant; quorum euacuatio maiori ex parte eſt ſymptomatica, ſiquidem à principio morbi ſtatim huiuſmodi excretiones fiunt, quibus occurrendum euacuationibus, & alexipharmacis ſuperiùs annotatis. Similiter cùm vlcus, & carbunculus venenoſa exiſtant, ſine intermiſſione ſunt cauterizanda, vel altè ſcarificanda cum phlebotomo, vt conſulunt Guido de Cauliaco, & Ioannes de Vigo, & alij periti Chirurgi. Deinde curanda ſunt vt reliqua vlcera, & carbunculi; ad quod exequendum ſtrenuo, & docto Chirurgo ſunt committenda.

## §. VII.

### *De bubonum peſtilentium curatione.*

FIunt etiam bubones, qui ſunt tumores quidam ex venenata materia ex toto corpore, aut ex aliqua nobili parte in vnam quampiam mittente; præcipuè tamen ad glandulas tranſmittitur humor. Itaque aliquando humor tumorem conſtituens eſt ſignum partis nobilis, cum qua habet rectitudinem, vt ſi humor eſt in inguine ſiniſtro, indicat lienem in illam partem ſuum deponere excrementum; & ſi in dextero inguine, hepar per illam partem expurgatur: quod ſi retrò aures bubo appareat, ſignificat caput ibi ſe exonerare, ſicut ſi ſub alis exiſteret, cor ad illam partem recrementa deponere oſtendit, vt dilucidè docet Valleſ. 6. *epid. ſectione* 2. *textu* 8.

Bubones, ſiue inflammationes, fieri poſſunt ſymptomaticè ab initio morbi ſine ſignis coctionis prodeuntes, aut criticè, vt docet Paulus *lib.* 3. *cap.* 23. Communiter tamen fiunt in peſtilenti febre ſymptomaticè, eſt enim adeò ſæua peſtis natura, vt ante tempus naturam ad expulſionem ſtimulet; quo fit, vt huiuſmodi excretiones dicantur non decernentes, quæ partim ſunt

A lethales, partim difficilis iudicationis, vt inſinuat Hippoc. *lib.* 2. *epidim. ſect.* 1.

Cùm bubones iſti ſint inflammationes quædam, eandem reverà curationem expoſcerent, niſi aliquid aliud, nempe veneficam qualitatem, haberent adiunctum, quæ à communi inflammationum curatione nos facit deuiare. Itaque inſtituto vitæ regimine circa res non naturales, & habitâ prouidentiâ circa vniuerſales euacuationes, & adhibitis bezoarticis remediis, quibus deleteriam qualitatem refrangimus, ad bubonum curationem deuenire cogimur; non tamen in ipſis, ſicut in aliis inflammationibus eis vtimur in prima parte curationis: in illis enim vtimur repulſoriis, in his verò nequaquam; nam cùm humor ſit malignus, & ob eius prauam qualitatem à viſceribus ad extima pellatur, non eſt ad intrà reuocandus, ſed potiùs naturæ motus ad extra adiuuandus, vt præcepit

B Galen. 3. *de compoſ. medic. ſecundum locos, cap.* 2. agens de parotidibus. Quapropter attractoria potiùs pharmaca adhibemus, vt humor prauus à fundo ad cutem attrahatur; idque conſequimur cucurbitulæ admotione, aut fomentis, quæ recipiunt florum camemali, & meliloti ana p. ij. ſcabioſæ, pimpinellæ, & ſcordij, ana m. j. radicis angelicæ, & altheæ ana ℥. ß. bulliant in ℔. 6. aquæ ad medietatis conſumptionem, & cum ſpongia, aut philtro fiat fomentum: deinde ſuperponatur emplaſtrum, quod recipit ceparum detractis, meditulliis, n. 4. repleantur theriaca, oleo lilior. & camemali, & poſtea coquantur in cineribus; radicis lilij, & altheæ decoctæ in aqua, ana ℥. iij. ſcordij ℥. ß. radices minutim inſcindantur, & cribellentur, & omnia lento igne coquantur, & adde farinæ tritici & fœnungræci, quod ſufficiat, vitella ouorum n. iij. croci ʒ. j. olei liliorum, quod ſit ſatis:

C miſce, & fiat emplaſtrum Valet etiam emplaſtrum hoc, quod recipit foliorum maluarum m. iij. radicum altheæ, & pimpinellæ, & iridis, ana ℥. j. coquantur in aqua ſufficienti; capitum alliorum, & cepæ ana ℥. iij. in furno aſſentur, & omnia piſtentur, & miſceantur; quibus addes axungiæ porcinæ ℥. iij. theriacæ magnæ ℥. j. farinæ tritici ℥. iiij. olei lilij, & camemali quod ſufficiat ad emplaſtrum. Quod ſi iis perfectè non ſuppuretur tumor, conſiderare debet diligens Medicus, vt notat Mercatus, an æger meliùs ſe habeat, & morbus in ſalutem terminetur; quo caſu tutum erit perfectam expectare ſuppurationem antequam aperiatur. Si verò æger vehementer affligatur, & properet ad mortem, factâ leui ſuppuratione tumor crudus eſt aperiendus ferro, vel igne, vel potentiali cauterio, vt Medico viſum fuerit; quod conſulit Galen. *loco ſuperiùs citato*, ex Ar-

D chigenis ſententia, vbi ait: *Deinde ad chirurgiam perueniendum eſt, & crudi abſceſſus apertionem; reliqua deinde adhibeantur cum optimi Chirurgi conſilio.* Quidam Medicus, vt inquit Paſchalius, mixturam ex cantharidibus, butyro, & fermento his venenoſis tumoribus admouere ſolebat, bullaſque factas rumpebat, & venenoſum humorem extrahebat: deinde cruſtam auferebat, & vlcus derelictum abſtergebat, & incarnabat, & ſic multos bubones peſtilentes ad bonum reduxit ſtatum.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO II.

### De febre maligna.

HÆc febris apud varios Authores varia ſortitur nomina, de quibus in præſenti non curo; communiter tamen dicitur lenticularis, aut puncticularis, quia in ea apparent exanthemata ſeu maculæ lenticulis, aut puncturis culicum ſimiles. Dicitur etiam maligna; nam licèt non ſit ex ſua natura peſtilens, eſt tamen in illius confinio, & ſuâ malignâ qualitate ægros interficere ſolet, de qua aliqui in dubium vertunt, an cognita fuerit ab antiquis Medicis? In qua re vt certum affirmo, non eſſe nouum morbi genus, imò fuiſſe ab antiquis cognitum, vt ex variis eorum ſcriptis deſumitur. Hippocrates enim 1. *epidim. ſect.* 3. in hiſtoria Sileni refert ipſum octauo die habuiſſe exanthemata rubra, rotunda, & parua: & 7. *de morbis vulgaribus*, inquit Phereciдem fuiſſe febre ardenti correptum, in cuius cute apparuerunt octauo etiam die maculæ veluti morſus culicum. 2. etiam *epidim. ſect.* 3. inquit: *Fiebant autem in febribus æſtiuis circa ſeptimam, octauam, & nonam diem aſpritudines in cute maliaceæ, culiculum morſibus maximè ſimiles, non valde pruriginoſæ.*

*An fuerit ab antiquis cognita.*

Eandem febrem Galenum agnouiſſe conſtat ex 6. *epidim. ſect.* 1. *comment.* 29. vbi refert in quadam peſtilentia adfuiſſe genus febrium, per quas puſtulæ exiguæ efflorẽſcebant. Et 5. *methodi, cap.* 12. *prope finem*, vbi refert quæ in peſtilenti illa contagione accidebant, & inquit ad cutem erupiſſe exanthemata nigra. Sed in hoc tempus non conſumamus, ſed potiùs ad vtiliora gradum faciamus.

Vt magis huius febris natura innoteſcat, ex iis quæ in ipſa reperiuntur, quandam deſcriptionem adduxit Mercat. *cap. de febre maligna*, quâ ſufficienter oſtenditur, in quo illius natura conſiſtit, quæ talis eſt: *Febris hæc eſt continua, nulli tamen continuarum generi adſtricta, popularis, maligna, & contagioſa, diuerſis, & ſæpe contrariis accidentibus inſignita.*

*Febris malignæ definitio.*

Huius definitionis particulas explanare operæ pretium eſt, vt ſciamus quam ob cauſam illi competunt. Eſt enim febris hæc continua, vt quotidiana docet experientia; putreſcit enim humor intra vaſa maiora, imò in profundioribus ſolet putredo recondi, vt docet Fracaſt. & nos poſteà videbimus. Neque obſtat, quod in hac febre quidam rigores inordinati ſuperueniunt, qui indicare videntur, hanc febrem pati intermiſſionem, iuxta Hipp. ſententiam 4. *aphor. textu* 63. vbi inquit: *Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur.* Nam rigores in hac febre fiunt, non quia humores extra vaſa putreſcunt, ſed quia ex humoribus intra vaſa putreſcentibus halitus maligni, & acres eleuantur, quos ob eorum prauam conditionem natura ferre non poteſt, eoſque ad partes ſentientes tranſmittit, qui rigores inordinatos procreant, & decipere ſolent non ſolùm vulgares homines, ſed etiam peritos Medicos, exiſtimantes has febres eſſe intermittentes, præcipuè cùm illarum calor ita mitis aliquando appareat, & remiſſus, vt iudicent ad infebricitationem ferè deuenire.

*Rigores quare in hac febre inſurgunt.*

Dicitur præterea, quod nulli generi continua-
A rum adſtringitur; nam aliquando refert quotidianum circuitum, aliquando etiam tertianum, aut quartanum, iuxta differentiam morboſi apparatus; qui in venis reperitur; per quod differt ab omnibus continuis ex bile, pituita, aut melancholia prodeuntibus, quæ per omnes febrium differentias non diuagatur. Cum hoc tamen conueniunt omnes, illius malignam qualitatem maiorem habere analogiam cum ſanguine quarto humore, quàm cum reliquis, vt oſtendunt maculæ, quæ per cutem excernuntur, quæ omnes frequentiùs rubentes ſunt, & naturam referunt, & alia ſymptomata, quæ ſanguinis naturam demonſtrant, vt notat Fracaſt. 2. *de morbis contag. cap.* 7.

Eſt etiam morbus popularis; nam ex cauſa communi ortum habere ſolet, ſiquidem videmus vno tempore multos corripere, communiorem autem
B cauſam ſtatuunt omnes aërem variis alterationibus immutatum, præſertim ſi præcedat auſtrina conſtitutio, aut calidus nimis aëris ſtatus. Aduertere tamen oportet, quod aër duplicem perpeti poteſt alterationem; aut in tota ſubſtantia; dum ſcilicet corrumpitur, ex quo morbi peſtilentes principium nanciſcuntur; aut in qualitatibus, quando diuerſimodè calefit, & frigefit; aut humeſcit: quæ quidem alterationes potiſſimùm pariunt morbos, vt inſinuat Hipp. 3. *aphor. textu* 1. cuius alterationibus populares morbi oriri ſolent, vt omnes Medici confitentur; nam vt *cap. de febre peſtilenti* diximus, morbi populares ex cauſa communi, nempe ex aëre oriuntur, vt ſunt vernaculi, ſeu patrij: & cùm aliquibus temporibus huiuſmodi malignæ febres communiter graſſentur, plurimoſque afficiant, neceſſariò ad communem cauſam ſunt referendæ. Qua de cauſa
C cùm hæc febris malignantis ſit naturæ, & peſtis more cauſam communem habere videatur, pſeudopeſtis, aut ſemipeſtilens febris vocitatur. Cum hoc tamen dicimus, ſparſim diuagari, & aliquando procedere ex cauſa particulari, nempe ex praua humorum putredine, ex qua oritur febris habens ſibi adiunctam malignam illam qualitatem; ad cuius productionem non eſt neceſſarium, quod aër calidus, aut aliis qualitatibus affectus concurrat, ſed ſufficit cauſa particularis, nempe praua victus ratio, ex qua praui progignuntur humores.

*Hæc febris ſolet eſſe popularis.*

Dicitur etiam hæc febris maligna in rigoroſâ ſignificatione, quatenus non ſolùm ſuo excedente calore lædit, ſed etiam quatenus ſua praua qualitate vitiat actiones, hominéſque ducit ad interitum. Sed quia difficilè innoteſcit malignitatis
D natura, meritò controuertitur.

## §. I.

### Vtrum febris maligna, & peſtilens conſtituatur per qualitatem veneficam diſtinctam à primis.

PLurima inuoluit difficillima præſens quæſtio; eam tamen quâ potero claritate explicare conabor, quæ primò petit, vt explicemus quid ſit morbus malignus? Et initium capientes à nominis etymologia, malignum idem ſonat ac prauis moribus præditum. Quapropter Galen. 3. *de criſibus*, morem morbi malignitatem, & benignitatem appellat: hinc deriuatum eſt nomen malignum ad ſignificandum homines vulgò malitioſos dictos, qui

*Malignum vnde dictum.*

cum ſimulatione operantur, & odium, & virus in pectore ſeruant tempore quo mites apparent, vt oſtendit Galen. 3. *progn. comm.* 2. Quia ergo morbus hic non facilè manifeſtatur, & virus reconditum ſeruat, ideò Galenus *lib. definitionibus medicis*, ſic eum definit: *Morbus mali moris magnus eſt, & grauis poteſtate, ſpecie verò imbecillis, nec tempora certa indicationis habet.* Hæc deſcriptio plura continet difficillima, quæ claritatem exigunt. Dicitur hic morbus *magnus, & grauis poteſtate*, quia non actu manifeſtat periculum, ſed illud reconditum ſeruat; at verò quia habet vim producendi grauiſſima ſymptomata, quibus periculum innoteſcat, ideò poteſtate magnus, & grauis appellatur, qui in ſua ſpecie imbecillis apparere ſolet ob ſimulationem, quam habet in accidentibus, ita vt fallat Medicum, & ægrotum, qui cenſent talia accidentia ſecuritatem habere, & tandem ægrum perdunt: & propter hanc rationem Galenus 3. *de criſibus*, inquit: *Febres mites quandoque valde malignæ.* Quæ quidem in ſua ſpecie debiles apparent, quando ex alia parte habent poteſtatem interficiendi. Huius morbi conditionem agnoſcens Valleſ. *lib. de ratione victus*, illum definit dicens: *Morbus malignus eſt ille, qui plus ingerit periculi, quàm pro ea quam oſtentat magnitudine*; apparent enim in illo ſigna ſalutis, ipſe tamen habet ſimulatam ſæuitiem, quâ interficere ſolet, ita vt dicat Horatius. Augen. 6. *epiſt. medic. epiſt.* 1. quod febris maligna cùm ſaluberrima eſſe videatur, furtim hominem rapit. Quod etiam inſinuat Galenus 3. *de præſag. ex pulſibus, cap.* 4. vbi refert ſigna in peſtilentia diuturna naturalibus ſimillima, quæ videbantur oſtendere morbum paruum, & debilem; ipſi tamen inerat vis plurimos interficiendi ob ſimulatam malitiam, quam obtinebat.

*Obſeruatio.* Nos quoque vidimus vlcera in faucibus parua, quæ ſuâ prauâ qualitate aërem inſpiratum ad cor properantem inficiebant, ita vt curatis vlceribus, nullaque in faucibus manente læſione, poſt aliquot dies ægri calore naturali deſtituti moriebantur; cuius euentus cauſam ad deleteriam qualitatem vlceris ad cor per aërem inſpiratum tranſmiſſam reduximus.

*Obiectio.* Sed inſtabis: Si ſymptomata huius morbi mitia ſunt, quomodo poſſumus cognoſcere illius malignitatem, vt futura præuideamus? Turpe quidem fuiſſet Medicum offerre ſalutem, & inopinatam ſubſequi mortem.

Reſpondetur, quod ex ipſis ſignis attento animo inſpectis morbi malignitas deducitur; nam licèt talia ſigna alios comitentur morbos, tamen quando morbus eſt malignus, illius ſigna habent neſcio quid latitantis energiæ, & deprauationis, quæ timorem, & dubitationem maximam Medico infert; ea tamen conditio non reperitur in aliis morbis non malignis, etiamſi eiſdem ſignis demonſtrentur, ob defectum ſcilicet talis conditionis. Quæ doctrina conſonat dictis Mercati *cap. de febre maligna*: de quo puncto latiùs in ſequentibus.

Ex dictis conſtat, morbum mali mortis habere in ſe aliquid latitans, quominus valdè offendere valet, etiamſi in ſe, & in ſuâ ſpecie debilis exiſtat. Quid autem illud ſit, nondum ab iis Authoribus explicatur, quapropter altiori examine eget. Neque definitio tradita à Galeno eſt ſufficiens; nam non implicat, quod morbus malignus in ſua ſpecie ſit vehemens, & magnus; quapropter non ſemper petit eſſe debilis. Similiter alij morbi acu- A ti non maligni ab initio debiles apparent, poſteà verò incrementum accipiunt, & fiunt poteſtate magni, neque certa habent tempora ſuæ iudicationis, neque in illis ſunt certæ prænuntiationes ſalutis, aut mortis, vt ait Hippocrates 2. *aphor. textu* 19. Quia ergo hæc omnia verificari poſſunt de morbo acuto non maligno, aliâ viâ incedendum eſt.

Sed vt clariùs procedamus, ſcire oportet acceptiones maligni: nam morbus dici ſolet malignus qui variis, & peſſimis firmatur accidentibus, & hoc modo Galen. 4. *aphor. comm.* 48. febres lipyrias malignas vocat. Morbi etiam, qui remediis non cedunt, maligni nuncupantur. Sumitur præterea malignitas pro more morbi, ita vt febris dicatur mali moris quando eſt deterrima, & boni moris quando eſt benigna: & hoc modo loquitur Hippocrates 3. *prognoſt. textu* 1. dum B ait: *Febres ſimpliciſſimæ, & ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die aut citiùs deſinunt; deterrimæ verò quarto die, aut citiùs interimunt.* Galen. etiam 3. *de criſib. cap.* 4. *cit.* malignitatem conſtituit morbi morem, moremque diſtinguit à propria morbi ſpecie; & dicit eſſe de accidentibus, quæ ſuperueniunt: iuxta cuius doctrinam difficile videtur, quod morbi malignitas ſit conſtitutiua formaliter alicuius morbi; de quo puncto infrà erit ſermo. Sumitur denique malignitas pro cacoëtica, ſeu pro prauitate periculoſa, quæ eſt qualitas quædam diſtincta à qualitatibus elementalibus, vt ex illius operandi altiori modo notum fiet, ſiue talis praua qualitas morbum alium præſupponat, ſiue ipſa immediatè lædat. *Quibus modis accipitur malignitas.*

His igitur ſuppoſitis maligni acceptionibus, accedant iam modi inueſtigandi naturam huius malignæ qualitatis. Angelutius *lib.* 1. *de febris malignæ natura, & curatione*, aſſerit, malignitatem non conſtituere morbum, ſed eſſe de nume- C ro accidentium morbis ſuperuenientium, ita vt malignitas non conueniat morbo, neque illius cauſæ, imò neque actioni læſæ; quod probare nititur exemplo, dicens: *In febris putridæ generatione putredo febrem excitat putridam. Cæterùm ſi ſordities ſuperueniat, & ab ea malignitas, erit accidens ſuperueniens cauſæ morbi, ipſi morbo, actionum læſioni, & nullo modo intrabit horum eſſentiam, quia ea iam conſtituta ſupponit.* Et propterea cum Galeno malignitatem morem morbi appellat, quia mores morbum modificant, & neceſſariò ſupponunt morbum, cuius ſunt modi. Sed hæc ſententia eſt reiicenda primò, quia malignitas eſt res præter naturam potens immutare actionem: ergo dum exiſtit in parte viuenti, intrabit conſtitutionem morbi. Patet conſequentia; nam in eo, quod actiones per ſe lædit, ſaluatur ratio D morbi: ergo malignitas non erit ſemper de accidentibus, quæ ſuperueniunt extrinſecis. Primum antecedens conſtabit ex concluſione prima ſequenti.

Secundò; nam febres malignæ & peſtilentes (vt infrà demonſtrabimus.) differunt ſpecie ab aliis: ſed non differunt in ratione caloris, cùm calor in omnibus febribus ſit eiuſdem ſpeciei: ergo differre debent ratione malignitatis.

Tertiò; nam venena, quæ operari dicuntur à tota ſubſtantia, lædunt viuens ſua deleteriâ qualitate: ergo talis qualitas habet rationem morbi; accidentia enim, vt talia ſunt, ſolum habent eſſe ſigna morbi, à quo procedunt: quando verò ipſa immediatè lædunt, iam morbi rationem ſuſtinent.

Quartò, febres peſtilentes, & malignæ eleuatiori modo operantur, & lædunt quàm aliæ febres: ergo

modo operantur, & lædunt quàm aliæ febres: ergo habent in ſuo conceptu aliquid, ratione cuius eleuatiori modo operentur: ſed nihil aliud habent præter ipſam malignitatem: ergo malignitas eſt de intrinſeco conceptu febris peſtilentis: ergo non poteſt denominari accidens ad febrem conſequutum.

Ex hoc infertur falſitas huius ſententiæ, dum aſſerit malignitatem non conuenire cauſæ morbificæ; nam malignitas oritur ab intenſa, & maligna putredine humoris putreſcentis: ergo in illo humore poteſt eſſe malignitas; nam ſi humor eſt capax putredinis productiuæ malignitatis, non eſt cur non poſſit eſſe capax ipſius malignitatis ad ipſam putredinem conſequutæ. Præterea, ſi accidens ad morbum conſequutum eſt malignum, talem malignitatem neceſſariò comparare debet à morbo, cuius eſt accidens, vel à cauſa illius. His conuincitur hæc opinio, ad cuius fundamentum infrà reſponſionem adducemus. Sed quia multa me altiùs excitant, ea elucidabo concluſionem primam primò ſtatuendo, quæ talis eſt.

*Malignitas quid ſit.* Malignitas eſt qualitas præter naturam vitæ deſtructionem intendens eleuatiori, & ſuperiori modo, quàm in qualitatibus manifeſtis experimur. Hæc concluſio, vt intelligatur, aliqua requirit ſupponenda.

Suppono ergo primò, vt modum operandi eleuatiorem explicemus contra communem operandi modum agentium naturalium per qualitates manifeſtas, quod in mixto plures dantur qualitates. Aliæ ſunt primæ, quæ ſunt virtutes elementorum, & reperiuntur in mixtis in gradibus ſibi debitis, per quas viuens alimentum conficit, & reliqua exequitur viuentis munera, & contrariis qualitatibus obſiſtit. Aliæ ſunt qualitates ſecundæ ex primis originem accipientes, vt raritas, denſitas, tenuitas, & craſſities, &c. quæ quidem ordine productionis ſunt primis poſteriores, neque ipſæ effectiuè poſſunt producere primas, quia ſunt effectus primarum æquiuocus, qui neceſſariò eſt imperfectior ſuâ causâ, & ex alia parte cùm primæ qualitates habeant vim producendi ſecundas, non fuit opus vt ipſæ ſecundæ qualitates haberent vim producendi alias eiuſdem ſpeciei. Quare denſitas non producit denſitatem, nec raritas raritatem, & ſic de ſingulis.

Aliæ qualitates reperiuntur in mixtis à ſecundis, & primis diſtinctæ, quæ ex primis, & ſecundis oriuntur, & dici poſſunt tertiæ, quales ſunt illæ, quæ emolliunt, indurant, laxant, adſtringunt, attenuant, deobſtruunt, & incraſſant, de quibus latè Galenus 5. *ſimplic. cap.* 25.

Aliæ denique dantur qualitates in mixto, quæ vt à forma producantur, licèt petant in ſubiecto qualitates primas, & ſecundas, quæ ipſum ſubiectum diſponant; non tamen fiunt ab illis, ſed dimanant à forma, & ſequuntur naturam ſpecificam cuiuſcunque mixti; quæ dicuntur proprietates illius, ſiue ſint tales quarto modo, vel aliter, de quo infrà erit ſermo. Per huiuſmodi qualitates reperitur in mixtis oppoſitio, & familiaritas: quare alimentum eſt homini familiare, venenum eſt illi inimicum.

Reperitur etiam inter plurima ſympathia & antipathia, conſonantia aut diſſonantia, qualis eſt illa, quæ datur inter canem, & leporem; miluum, & pullum; theriacam antiquam, & venenum calidum. Sic ſimiliter ſympathia reperitur inter lapides pretioſos, & cor; inter peoniam, & ſmaragdum cum cerebro; inter medicamentum electiuè purgans, & ipſum humorem; inter lapidem magnetem, & ferrum, ob quod dicebat Galenus 3. *ſimplicium*, amicitias quaſdam, pugnantiaſque qualitatum omnibus rebus ineſſe.

Suppono ſecundò, quod cùm hæc quarta qualitas non procedat ex primis, nec ſecundis qualitatibus, licèt eas in mixto præſupponat, ſed pullulet vt proprietas à forma, ſeu ſubſtantia illius, ideò dicitur proprietas mixti. Dicitur etiam cœleſtis, quia mixta dum fiunt ex elementis, tribuuntur corporibus cœleſtibus vt cauſis principalibus, vt dicitur tractatu de mixtione. Vel dicitur talis, quia eſt ſuperioris naturæ in operando, quàm qualitates primæ. Vocatur denique qualitas occulta, quia illa per ſe non eſt alicui ſenſui manifeſta; benè tamen in effectibus arguitiuè manifeſtatur, vt experimur in nobis, & in alimentis, medicinis purgantibus, & in venenis, & alexipharmacis. In nobis, quia tot virtutes officiales, & priuatæ, quæ in noſtris reperiuntur corporibus, non poſſunt explicari, niſi per hanc quartam qualitatem, cuius eſſentia nos fugit, meritoque dici poteſt abdita: in reliquis idem eſſe tenendum ipſa ſuadet ratio.

Tertiò ſuppono, quod hæc qualitas eſt operatiua; verumtamen quia eius operatio excedit operandi modum primarum qualitatum, ideò dicimus, quod operatur eleuatiori modo quàm primæ qualitates, vt patet in aliis qualitatibus operantibus à tota ſubſtantia, vt in irradiatione à cerebro, & corde dimanante, in chilificatione ventriculi, ſanguificatione iecoris, & in cordis, & arteriarum pulſatione. Quæ omnia vt proprietates ſuis determinatis partibus attribuuntur; non ſecundùm determinatum temperamentum tantùm, ſed ſecundùm peculiarem modum informandi, quo informat anima in hac parte, & non in illa: quod Galen. expreſſit 6. *epidim.* *ſect.* 6. *comm.* 5. vbi præter qualitates manifeſtas connumerat alias à tota ſubſtantia, inter quas locum habent qualitates malignæ. Diuus etiam Thomas *opuſc.* 43. *de proprietatibus occultis*, ait, quod illæ ſunt ſupra naturam reliquarum qualitatum, & nobiliores exiſtunt.

Tandem vt huius noſtræ difficultatis nodum radicitùs diſſoluamus, ſupponendum eſt, quod hæc qualitas venefica dùm operatur, producit qualitatem eiuſdem naturæ, ad modum agentis vniuoci, & operatur in nobis ſine contrario; non enim habet oppoſitionem cum qualitatibus primis, neque ſecundis: ex quo ſequitur, quod ob carentiam contrarietatis formalis breuiſſimè communicatur ad quamlibet maximam diſtantiam ſine ſuarum virium iactura, & habet ſe ſicut ſolis radius; & vt inquit Galen. 1. *de ſemine, capite* 16. eſt ſicut irradiatio à corde, vel cerebro profecta, quæ in inſtanti in diſtans communicatur. Neque ex hoc colliges hanc qualitatem non habere contrarium, cùm ſint plurima antidota aduerſus illam pugnantia, quibus illius vires refrangimus, & à præcipiti morte hominem liberamus.

Veruntamen quia qualitates veneficæ ſunt principia ad oppoſitionem, & inimicitiam inter oppoſitas formas, & ad familiaritatem inter conuenientes, & ſimpathiam ſeruantes; & oppoſitio tendit in corruptionem oppoſitæ formæ, non poteſt talis corruptio fieri ſine concurſu primarum qualitatum, iuxta Ariſtot. mentem *libro* *Corruptio fit mediis qualitatibus primis.*

*de generat. per plures textus*, & iuxta Gal. 3. *ſimpl. cap.* 4. & haſce qualitates primas non habet hæc maligna qualitas ob rationem iam tactam de carentia contrarij in noſtris corporibus, cùm talis qualitas ſit ſuperior, & eleuatior primis; ideo fuit conueniens, vt ipſa eminenter eas contineret, quibus vtitur vt inſtrumento, eoque modo nos alterat vt qualitates cœleſtes, quæ cùm altioris ordinis ſint, virtute continent primas qualitates, vt patet in luce, quæ nos alterat calorem producendo quem eminenter continet. Sic hæc maligna qualitas noſtram intendens corruptionem, licèt non per ſe primò, producit in nobis primò qualitatem ſibi ſimilem in natura, quod eſt de ratione agentis vniuoci: deinde mediâ illâ primas qualitates producit, quibus noſtram exequitur corruptionem.

Sed ne nouum vobis videatur aſſerere, quod hæc maligna qualitas virtute continet primas qualitates, legite Angelicum Doctorem *opuſculo* 34. *cap. vnico*, *quæſt. vnica de ſpiritualibus creaturis*, *art.* 2. & 2. *contra Gentes*, *cap.* 3. *quæſt.* 2. Petrum Garciam. *diſput.* 6. *de locis affect. cap.* 5. *in fine*. Neque eſt aliqua implicatio; nam in ratione qualitatis non repugnat, quod aliqua qualitas eminenter contineat primas, vt patet in qualitatibus cœleſtibus. Neque ratione ſubiecti, cui inhæret; nam hæc qualitas poteſt conuenire alicui ſubiecto. Quod verò hæc qualitas ſit huius ordinis, ex modo illius operandi facilè colligitur, idque conſtabit in concluſionum probationibus.

Sed meritò inquires, vnde hæc maligna qualitas habet producere tot mirablies operationes, tantamque in operando efficaciam, quam quotidie experimur in febribus malignis, in quibus grauiſſima excitantur ſymptomata.

Reſpondetur, quod hæc qualitas, cùm non conueniat genere cum qualitatibus elementalibus, quæ ſunt in viuente, non habet in illo contrarium, à quo remittatur; ſicque cum multiplicitate virtutis accedit ſubitò ad partes, & eis aſſiſtit, ibi etiam producit qualitaes primas, quibus operatur: quæ ſi refrangatur à qualitatibus viuentis, ipſa tamen cum plenè vires ſuas conſeruet, & eas per totum corpus diffundat, potens eſt iterum primas qualitates, imò & ipſum viuens deſtruere. Exemplum conſtituo in luce, quæ ſemper eaſdem retinet vires ad producendum calorem, quia nullum habet poſitiuè contarium, à quo illius vis remittatur, ſicque ſimulatum calorem, quem continet, ipſa producit. Quapropter etſi hæc maligna qualitas in mole magna non ſit, ei tamen magnum ineſt virtutis robur. Quis enim videt remoram paruam detinere nauim, torpedinem exiguam hominis brachium torpore afficere, venenum paruum hominem interficere? Quis enim audebit aſſerere hæc opera eſſe orta tantùm qualitate caloris, vel frigiditatis abſque aliqua qualitate abdita, quæ horum operum det initium. Idem pari modo eſt aſſerendum de hac maligna qualitate.

*Obiectio.* Sed dices: Ergo actio huius deleteriæ qualitatis non tranſcendit vires qualitatum primarum, quas producit, ſiquidem operantur mediis illis.

*Reſponſio.* Reſpondetur, quod qualitates primæ dupliciter conſiderantur: aut in ſe, ſine dependentia ab hac malignitate; & hoc modo earum actio non excedit illarum virtutem: aut conſiderantur vt ſunt inſtrumenta malignæ qualitatis, & quatenus operantur in virtute illius; & ſic excedunt in operando propriam perfectionem, diriguntur enim à malignitate vt à principali cauſa ad opus altioris ordinis, & ſic effectus primarum qualitatum ſuperantes gignunt, vt dicere ſolemus de aliis inſtrumentis naturalibus, quæ concurrunt ad productionem ſubſtantiæ, vt inſtrumenta ſunt principalis agentis, & in virtute illius, aliter verò minimè.

Sed quia dictum eſt, hanc malignam qualitatem non habere in nobis aliam ei oppoſitam, quæ illi reſiſtat, & ſic breuiter ad cor deferri medio motu arteriarum ob illius cum corde antipathiam, vt vult Iacobus Claromont. *tract. de venenis*, *lib.* 1. *cap.* 1. habet tamen oppoſitionem ratione aduerſiſſimæ temperaturæ, quam virtute continet, & producit. Quare Galen. *lib.* 5. *ſimp. c.* 18. aſſerit, deleterias facultates vniuerſas eſſe noſtris corporibus temperaturâ aduerſiſſimas; illæ tamen paruam, aut nullam ſubeunt à noſtris corporibus mutationem ob contrarij defectum, vt dictum eſt; ſicque Gal. 3. *de temperam. cap.* 4. definiens venenum à tota ſubſtantia, inquit eſſe illud, quod *nullâ ſubſtantiæ ſuæ mutatâ parte, ſed totâ integrè ſeruatâ, corpus afficit, & animalis naturam corrumpit.* Venefica quidem qualitas non diſtinguitur à maligna, imò veneficam qualitatem per malignam explicat Hipp. 6. *epidim. ſect.* 6. *textu* 3. & Cardanus *lib.* 1. *de venenis*, *cap.* 1. *in fine*, ita vt venefica, & maligna qualitas dicantur ad conuertentiam. *Venenum quid ſit.*

*Prima concluſionis probatio.* His igitur prælibatis, accedat iam primæ noſtræ concluſionis probatio quoad ſingulas illius particulas, quæ quidem malignitatis definitionem continet. Probatur ergo primò quoad primam partem, in qua dicitur, quod malignitas eſt res præter naturam. Eſt de genere rerum nos oppugnantium: ergo eſt præter naturam. Patet conſequentia ex diuiſione rerum in naturales, non naturales, & præter naturam.

Secundò probatur quoad ſecundam particulam definitionis. Malignitas eſt de genere venenoſæ qualitatis: ergo habet oppoſitionem ad vitam, & intendit eius deſtructionem. Antecedens conſtat ex dictis, & ex propria acceptione malignitatis.

Tertiò probatur quoad vltimam definitionis particulam. Malignitas eſt de genere proprietatum conſequentium naturam mixti: ergo operabitur ſuperiori, & eleuatiori modo, quàm primæ qualitates. Patet conſequentia; nam cùm iſta qualitas, & aliæ à tota ſubſtantia ſint ſuperioris naturæ, vt infrà conſtabit, earum virtutes debent etiam eſſe ſuperiores, & operandi modus eleuatior.

Quartò probatur hæc vltima concluſionis pars ex Galen. *lib.* 5. *ſimplic. cap.* 18. vbi conſtituit differentiam inter ea, quæ operantur à tota ſubſtantia, & quæ operantur qualitatibus manifeſtis; & inquit, quod ſi calidum fuerit deleterium, ab infrigidantibus petendum ſit remedium; ſi verò frigidum, ab excalefacientibus: quod ſi fuerit ex iis, quæ operantur proprietate ſubſtantiæ, non ſic iudicandum, ſed ab iis quæ totâ ſubſtantiâ operantur, remedium eſt petendum. Et idem ſtatuit 3. *de temperam. cap.* 4. Ergo quæ operantur proprietate ſubſtantiæ, non ſunt ex eis, quæ operantur qualitatibus manifeſtis. Et confirmatur; nam malignitas eſt qualitas ſenſibus externis occulta: ergo erit altioris naturæ quàm qualitates manifeſtæ, quæ ad ſenſum patent.

Secunda

Malignitas [illegible] morbum malignum.

Secunda concluſio. Malignitas valet per ſe intrare morbi eſſentiam, & morbum malignum formaliter conſtituere. Hæc concluſio probata manet ex dictis contra Angelutium, & ex dicendis corroboratur ampliùs. Probatur ergo primò. Malignitas in viuente exiſtens lædit per ſe actiones: ergo per ſe conſtituit morbum. Antecedens patet, ſiquidem reddit ſubiectum, cui inhæret, malè diſpoſitum, & peruertit principium eliciens actionem. Confirmatur; nam malignitas eſt res præter naturam cum ſpeciali oppoſitione ad vitam: ergo ſecundùm ſuam naturam habet lædere actiones. Patet conſequentia, quia talis oppoſitio nequit fieri ſine tali læſione.

Secundò: Diuerſus modus læſionis relucet in morbo cum malignitate, ac ſine illa: ergo malignitas conducit ad peruerſionem principij actionum, & læſionem illarum. Patet conſequentia, quia actio non poteſt variari inuariato principio, aut conditionibus agendi.

Confirmatur. In actione læſa per malignitatem relucet aliquid correſpondens malignitati ſeorſim: ergo malignitas concurrit ad talem læſionem. Antecedens probatur; nam in tali actione læſa inuenitur aliquid ſuperans vim morbi lædentis per qualitates manifeſtas, nempe ſuperioritas, & diuerſitas actionis iam dicta inuoluens oppoſitionem ad vitam: ſed talis diuerſitas reſpondet ſolùm malignitati: ergo in læſione maligna inuenitur aliquid per ſe malignitati reſpondens.

Tertiò. Virtutes alexiteriæ, ſeu alexipharmacæ, habent rationem remedij: ergo malignitas habet rationem morbi. Patet antecedens; nam remedium opponitur morbo: ergo cùm alexipharmacum ſit remedium oppoſitum malignitati, malignitas habet rationem morbi.

Tertia concluſio.

Tertia concluſio. Malignitas actualiter eſt de intrinſeco morbi conceptu; quando mediis primis qualitatibus, aut ſecundis actualiter concurrit ad læſionem actionum viuentis. Hæc concluſio eſt contra Fernel. *lib.* 1. *ſuæ pathol. cap.* 7. & *lib.* 2. *de abditis rerum cauſis, cap.* 10. & contra eos, qui affirmant, oppoſitionem venenorum eſſe per ipſorum ſubſtantiam immediatè, aut ſaltem per ſecundas qualitates occultas, quatenus qualitas ſecunda in veneno exiſtens opponitur alteri qualitati ſecundæ viuentis, quæ maximè vitam tuetur. Hanc concluſionem noſtram tenent Euſtachius Rudius *lib. de occult. morbis, & venenatis, cap.* 2. Arduinus *lib. de venenis, cap.* 1. Et probatur primò; nam malignitas ſine primis qualitatibus, aut ſecundis non valet actualiter lædere: ergo dum ſolùm lædit mediis illis, habet rationem morbi. Antecedens probo. Malignitas ex ſe, ſeclufis primis, aut ſecundis qualitatibus, eſt altioris ordinis, quàm qualitates elementales: ergo ſine illis non valet lædere. Patet conſequentia; nam eo ipſo, quod altioris naturæ, non conuenit cum qualitatibus elementalibus, neque eiſdem contrariari poteſt; nam contraria debent eſſe ſub eodem genere. Confirmatur primò. Læſio actionis in nobis fit ob peruerſionem temperamenti ſubſtantifici, & qualitatiui: ſed hæc peruerſio fit ſolùm opere primarum, aut ſecundarum qualitatum: ergo malignitas lædit actiones mediis illis. Diſcurſus eſt legitimus. Maior conſtat, ſiquidem temperamentum non poteſt deſtrui, niſi à contrario, quod debet eſſe ſub eodem genere qualitatis, & ſic debet corrumpi per qualitates elementales, non verò per eas, quæ nul-

A lam cum temperamento habent oppoſitionem. Minor eſt Galeni 3. *ſimplic. cap.* 4. vbi per primas qualitates ſolum mixtum alterari poſſe docet, per hæc verba: *Neque enim quicquam ex ſpecie in ſpeciem mutari quit citra excalefactionem, refrigerationem, humectationem, & reſiccationem.* Et Ariſtot. 2. *de generat.* pluribus in locis vniuerſaliter docet, quod generationes & corruptiones ſunt opus primarum qualitatum.

Confirmatur ſecundò. Ideò qualitates cœleſtes virtualiter continent primas qualitates, qui acùm per ſeipſas non conueniant in genere cum corruptibilibus, corruptibilia non poſſunt alterare, niſi producendo qualitates corruptibiles, quas virtualiter continent: ergo cùm hæc malignitas operatur, ideò operatur, quia habet virtualiter in ſe qualitates corruptiuas, quibus viuenti opponitur. Conſequentia patet ex ſuppoſitis, vbi diximus, malignitatem eſſe ſuperioris ordinis.

B Secundò probatur concluſio. Malignitas non habet oppoſitionem cum temperie viuentis: ergo neque deſtruit illius temperiem, niſi producendo temperiem viuenti contrariam, quam in ſe habet. Patet conſequentia, quia læſio implicat ſine contrarietate formali morbi oppoſita principio, aut inſtrumento elicitiuo actionis. Antecedens conſtat ex Galen. 1. *de ſemine, cap.* 16. vbi venenoſitatem in inſtanti per vniuerſum corpus communicari ait. Quod neutiquam accideret, ſi eſſet cum reſiſtentia contrarij, cùm ex contrarietate terminorum inſurgat ſucceſſio, & retardatio in actione, & motu. Idem philoſophatur Galen. de hac qualitate, & de qualitate influenti à cerebro, quæ quia nullum inuenit contrarium in corpore, in inſtanti ad diſtans operatur.

Fernelij doctrina improbatur.

Ex dictis infero primò, improbabiliter loqui Fernel. *lib. de abditis rerum cauſis, cap.* 11. vbi C ait, morbos venenatos, & à tota ſubſtantia noſtram ſubſtantiam clam immutare, & corrumpere, & non temperamentum, cùm *cap.* 10. *eiuſdem libri*, dicat hos morbos conditiones habere ſupra conditiones elementorum: ex cuius doctrina infertur, quod hæc dira qualitas non poteſt opponi qualitatibus elementalibus; atque adeò dum iugulat viuens, non mutat temperiem cordis, ſiquidem non habet oppoſitionem cum illa: quod eſt contra Galenum 5. *de locis affectis, cap.* 1.

Infero ſecundò, malè quoſdam aſſerere, malignitatem eſſe qualitatem ſecundam; ſiquidem vt ſatis doctè probat Petrus Garc. *in fen.* 1. *lib.* 1. *diſp.* 8. *folio* 1304. ſecundæ qualitates non ſunt operatiuæ; & licèt hæc malignitas haberet oppoſitionem cum alia ſecunda qualitate viuentis, D per quam viuens conſeruatur, vt tenent iſti opinantes, neutiquam poterat malignitas deſtruere qualitatem ſecundam ei oppoſitam, & vitæ conſeruatiuam; non enim qualitas ſecunda, vt raritas v. g. poteſt inducere raritatem in ſubiecto denſo; neque denſitas denſitatem in ſubiecto raro, etiamſi inter ſe formaliter opponantur.

Neque poteſt dici, quod qualitates ſecundæ poſſunt operari producendo qualitates primas; nam eas virtute non continent, imò ipſæ ſecundæ qualitates ſunt effectus æquiuoci primarum, & illis imperfectiores.

Malignitas eſt diſtincta ab intempe-

Infero tertiò, malignitatem eſſe realiter diſtinctam ab intemperie, & ſe habere vt modificantem primas qualitates, aut ſecundas; quibus ſeclufis, ipſa conſtituit morbum radicaliter, habitualiter, aut per modum actus primi; quia eo ipſo, quod habet

habet producere primas qualitates, quibus deſtruit viuens, neceſſariò eſt in actu primo; tamen quia ſine primis qualitatibus actu non lædit, ideò non dicitur actualiter morbus in actu ſecundo, quoviſque eas qualitates producat, & noxam ſenſibilem ipſi viuenti inferat.

*Malignitas quomodo diſtinguatur à more morbi.*

Quarta concluſio: Licet malignitas pertineat intrinſecè ad morem morbi, non eſt tamen idem cum illo, ſed ſe habent veluti genus, & ſpecies, ex quibus mos habet rationem generis, malignitas rationem ſpeciei. Patet hæc concluſio ex Galen. 3. *de criſibus*, *capite* 3. & 4. vbi morem morbi vocat malignitatem, & benignitatem illius: latiùs ergo patet mos quàm malignitas; ſiquidem etiam ſe extendit ad benignitatem morbi. Confirmatur; nam mos morbi conducit ad manifeſtandam morbi conditionem in ordine ad ſecuritatem, vel periculum, bonam, vel malam terminationem, facilem, aut difficilem: ſed malignitas, quæ datur in accidentibus, oſtendit periculum, vel ſecuritatem, bonam, vel malam morbi euaſionem: ergo habet rationem moris morbi maligni. Confirmatur iterum. Morbus malignus oſtendit ſuam malignitatem, & bonitatem per ſigna: ergo hæc ſigna in ſe habere debent rationem malignitatis, aut benignitatis participatam à morbo, per quam morbum dignoſcamus: ſed hoc eſt oſtendere morem morbi: igitur malignitas in accidentibus eſt mos morbi maligni, & benignitas mos morbi benigni: ergo latiùs patet mos morbi quàm malignitas; atque adeò mos ſe habet vt genus reſpectu malignitatis.

*Mos morbi diſtinguitur à morbo.*

Infero ex dictis tamen, quod mos non eſt idem cum morbi idea; proptereaque Galen. *loco citato*, diſtinguit morbi ideam à more; nam mos morbi eſt quid conſequutum ad ideam, & datur imbibitus in accidentibus ipſius morbi: quapropter malignitas, quæ eſt morbi mos, aut conditio, eſt diſtincta à malignitate conſtitutiua morbi maligni; ſicuti benignitas, quæ reperitur in accidentibus morbi ſalutaris, diſtinguitur ab ipſo morbo ſalutari, tanquam effectus à ſua cauſa. Vnde licèt Galen. explicet morem morbi per malignitatem, non tamen vult quod malignitas ſit ſolùm mos morbi, ſed loquitur de illa, tanquam de accidenti maligno ad febrem malignam conſequuto. Mos ergo morbi maligni non poteſt oriri niſi à malignitate, quæ intrinſecè eſt in ipſo morbo.

*Malignitas eſt de accidentibus quæ ſuperueniūt, & quomodo.*

Dices, plures eſſe morbos, quibus ſuperuenit malignitas, vt quando febris biliofa tranſit in malignam: ergo malignitas eſt de accidentibus ſuperuenientibus: ergo non eſt imbibita intrinſecè in ipſo morbo.

Reſpondetur admittendo caſum; negamus tamen, quod malignitas ſit de accidentibus communibus, aut ſuperuenientibus; nam licèt ſuperueniat alteri morbo, non tamen ſeruat rationem accidentis ſuperuenientis, ſed potiùs accidentis morbi proprij; nam cùm malignitas conſtituens morem morbi debeat habere ortum à morbo maligno, ſiquidem malignitas hæc ſtrictè ſumpta non poteſt prouenire à qualitatibus elementalibus, vt dictum eſt, ob eius eleuatiorem naturam; ideò non poteſt habere rationem accidentis ſuperuenientis, ſed proprij illius morbi maligni, cuius eſt accidens, & à quo prouenit; tuncque illa febris habebit duo, & quod ſit febris, & quod ſit maligna.

*Malignitas quibus in rebus detur.*

Ex hac doctrina infertur, quod malignitas poteſt inueniri in omni re præter naturam; quod eſt A contra Angelutium; nam malignitas in cauſa procedit ex deprauato modo putredinis illius: deinde partibus viuentibus inhæret, & vt ſic habet rationem morbi, à quo procedit. Quod ſymptomata ab eo procedentia, maligna nuncupentur, quæ ſunt ſigna malignitatem morbi oſtendentia, ita vt ratio maligni ſit imbibita in cauſa, morbo, & accidentibus, per ſe notum eſt.

*Malignitas non eſt proprietas quarto modo.*

Ex hoc deduco, quod hæc malignitas, licèt per ſimplicem emanationem procedat à forma mixti, vt reliquæ proprietates; non tamen eſt proprietas quarto modo, quæ vt inquit Porphyrius, conuenit omni, ſoli, & ſemper, vt riſibilitas in homine. Ratio eſt, nam ſi eſſet proprietas quarto modo, taliter deberet vni conuenire ſpeciei, vt minimè alteri conuenire poſſet; cuius contrarium conſtat iuxta noſtram doctrinam; nam cùm cauſa morbi maligni differat ſpecie ab ipſo homine, ſi B malignitas eſſet proprietas quarto modo, taliter conueniret cauſæ morbi maligni, vt ſoli illi competeret: quare non poterat homini accidere, quia propriæ paſſiones non transferuntur de ſubiecto in ſubiectum, ſed dimanant ſemper à forma illius ſubiecti, cui aſſiſtunt: & idem ſtatuo de aliis proprietatibus occultis, ſeu à tota ſubſtantia. Neque contrarium voluit Diuus Thom. *opuſc.* 35. quando aſſerit, quod talis proprietas à forma ſpecifica deriuatur; nam etiam proprietates aliquæ dimanant à forma, quæ non ſunt quarto modo, ſed etiam poſſunt conuenire alteri indiuiduo diuerſæ ſpeciei, vt proprietates quæ dicuntur ſecundo modo à Porph. quæ conueniunt omni indiuiduo eiuſdem ſpeciei, & non ſoli, vt eſſe bipedem. Sicque proprietas attrahendi bilem conuenit omni rhabarb. non tamen ſoli illi, quia etiam eandem virtutem poſſidet ſcammoneum, colocynthis, & alia. Similiter lux conuenit Soli, C & igni, & tamen iſtæ proprietates pullulant à forma, neque poſſunt attribui qualitatibus elementalibus, quæ ob earum imperfectam naturam nequeunt has producere proprietates. Sic igitur hæc maligna, & venefica qualitas reperitur in venenis, & in rebus deleteriè putreſcentibus, & à viuentibus participantur ocyſſimè, ob paruam, aut nullam reſiſtentiam, quam in illis adinuenit.

*Morbus malignus quid ſit.*

Ex doctrinæ allatæ intelligentia, & notitia deducimus quintam concluſionem, in qua morbi maligni natura ſtatuitur: Morbus malignus eſt ille, qui vitæ inſidiatur ſuperiori, & eleuatiori læſione actionum, quàm debeatur comprehenſioni, quam per ſenſum habemus magnitudinis, ideæ, & motus morbi, necnon & ſuæ cauſæ. Hæc definitio ſufficienter nimis morbi maligni naturam notam facit, & ab aliis morbis D diſtinguit: nam licet omnes morbi actiones lædant, & in hac ratione genericè conueniant, non tamen omnes eleuatiori, & ſuperiori læſione officiunt. Quod ſi alij morbi à tota ſubſtantia non maligni eleuatiori modo operantur, in quo conueniunt cum morbis malignis, non tamen primò eorum læſio vitæ inſidiatur; quare ſi omnes particulæ definitionis collectiuè ſumantur, adæquatè morbi maligni naturam exornant, quam luce clariorem reddere conabor. In primis morbus hic lædit eleuatiori modo, quàm debetur comprehenſioni, quam per ſenſum habemus de morbi idea, motu, magnitudine, & cauſa illius, vt conſtabit ex iis, quæ in morbo maligno deprehenduntur, ſi diſcurramus per læſionem actionum, quæ facultatibus viuentis debentur; quæ

læſio

læſio non eſt proportionata eis, quæ in morbo inueniuntur ſecundùm id, quod per ſenſum deduci poteſt, quantumvis creſcat conceptus magnitudinis, ideæ, motus, & cauſæ illius. Et ne deficiant exempla, id demouſtro in paruo ictu ſcorpionis, ſeu in quauis ſolutione continui inducta à morſu animalis venenoſi, aut ab inſtrumento veneno infecto, vbi nunquam inuenire poſſumus adæquatam proportionem inter talem læſionem, & morbi ideam, magnitudinem, & motum illius. Febres etiam mitiſſimæ, & debiles, quandoque valdè malignæ ſunt, vt ſuprà diximus ex Galeni mente, grauiſſimaque inferunt ſymptomata, quæ ſine dubio excedunt comprehenſionem, quam habemus per ſenſum de harum febrium paruitate, idea, motu, & cauſa. Quis enim poteſt excogitare naturam veneni ex morſu viperæ, quod cùm mole paruum ſit, taliter cordis actiones deſtruit, vt facillimè hominem è medio tollat. Neque illius cauſæ vehementiam, morbi ſpeciem, aut motus celeritatem ſenſus percipit, niſi rationi adiunctus, cùm nihil horum ſenſibus ſit manifeſtum, neque eſt illorum obiectum: excedit igitur ſenſuum comprehenſionem, & actio illa ſuperiori modo fit quàm actiones, quæ fiunt à qualitatibus tangibilibus, quæ ſenſibus non occultantur; ſiquidem fit à qualitate quadam occulta, & nomine carens, quæ licet vim corrumpendi habeat, non tamen eſt de genere primarum, neque poteſt dici ſecunda, quia qualitates ſecundæ non ſunt operatiuæ, neque poſſunt deſtruere qualitatem eis oppoſitam, vt dictum eſt. Reſtat ergo, quod ſit alia qualitas altioris naturæ, non contenta ſub genere qualitatum elementalium. Dicimus præterea, quod morbus malignus differt ab aliis morbis, quia vitæ primò inſidiatur per ſuperiorem læſionem. Et quod differat à morbis manifeſtis, iam ex dictis colligi facilè poteſt, qui neque principio vitæ ita inſidiantur veluti malignus, neque habent modum operandi, qui reperitur in illo. Differt etiam ab illis, qui dicuntur à tota ſubſtantia ſine malignitatis conſortio: nam licèt grauiſſima concitent accidentia, non tamen ita primò vitæ inſidiantur, ſicut malignus, in quo ſtat differentia morbi maligni; nam licèt morbus gallicus, verbi gratiâ, ſæuiſſima accidentia producat, non tamen cor vitæ principium aggreditur, aut eius labefactat facultatem, imò incredibile videtur, vt inquit Mercatus, quod ægri in laboribus, & doloribus tamdiu durent; quod non inuenitur in morbo maligno, qui primo die inuaſionis vitæ inſidias parat, & facultates languidas reddit.

Neque facit contra hoc, quod ſunt morbi non maligni plures, qui primo die hominem perdunt, quia magni, & periculoſi exiſtunt, & partem principem afficiunt, vt ſyncopis, apoplexia, & febres acutiſſimæ; & feruentiſſimæ ſine malignitate deprehenſæ. Igitur hi morbi opponuntur principiis vitæ, vt morbi, qui maligni nuncupantur.

Reſpondetur, plures morbos, qui in qualitate manifeſta ſtatuuntur, citiùs poſſe hominem interficere, quàm malignos; illorum tamen læſio eſt manifeſta, & proportionata in vehementia virtuti, & potentiæ morbi ſecundùm ea, quæ de morbo ſenſus diiudicare poteſt, ita vt nihil reluceat in læſione, quod non appareat in morbo. Sed quia exempla mouent, exempla tradere

A nitar. In forti apoplexia manifeſta priuatio ſenſus, & motus reſpondet integræ obſtructioni ſubſtantiæ cerebri, & ventriculorum eius. In ſyncope humorali actio cordis deficit, quia ab humore grauante, & ſuffocante impeditur motus cordis. In ſyncope minuta moritur æger; quia per ſudorem exhalatur ſubſtantia ſpirituoſa, vel ſpiritus reſoluuntur à calore nimio humoris febrem efficientis. Qui omnes effectus ſunt manifeſti, & non ſuperant comprehenſionem, quam habemus de morbi idea, magnitudine, motu, & cauſa: quæ omnia facilè manifeſtantur, & comprehenduntur. Secus verò contingit in morbo maligno, vbi non reperitur proportio inter læſionem, & morbum manifeſtè lædentem; quapropter coniectura quadam aſſequimur, ibi aliquid occultum latitare, à quo ille ſuperior operandi modus originem ducit. Authoritatibus decet etiam noſtrum dicendi modum

B comprobare. Galen. 3. *prognoſt. commentar.* 2. vocat maleficos, qui quadam ſimulatione operabantur, nobis inſinuans ibi Hippoc. egiſſe de febribus malignis, quæ peſſimis ſignis erant firmatæ. Libro etiam *de definitionibus Medicis*, inquit morbum malignum in ſua ſpecie eſſe debilem, in accidentibus verò magnum, & grauem; Ecce accidentia non proportionata morbo; & cùm ſit impoſſibile, quod accidentia ſæuiſſima procedant à morbo quoad ſenſum debili, exiſtimare oportet, ibi aliquid latitare malignum, à quo talia exurgunt accidentia.

Galenus etiam 3. *de criſibus*, *capite* 4. vt probet morem morbi diſtingui à magnitudine, & eſſentia, exemplum ponit in febribus debilibus, & valde malignis, quarum intenſa malignitas in accidentibus reperta, non eſt proportionata paruitati febrium. Libro etiam 9. *ſimplic. cap.*

C *de terra ſamia*, agens de quadam immani peſte, cui terra ſamia erat efficax auxilium, inquit: *Illæ febres non ſunt calore vehementes.* Ex quibus verbis colligitur, quod ſi accidentia febris peſtilentis ſunt vehementia, neutiquam poſſunt procedere à calore non vehementi: ergo in illa febre peſtilenti talia accidentia debent proficiſci ab alio principio, quod nequimus aſſignare, niſi recurrendo ad qualitatem malignam clam ibi vitæ inſidiantem, & eleuatori modo læſionem inducentem.

Auicen. *fen.* 1. 4. *tractatu* 4. *capite* 2. inquit, quod aliquando in febre peſtilenti non percipit æger, nec tangens, propinquum calorem; & cùm hoc eſt interficiens. Hæc autem interficiendi actio non proportionatur calori, quia paruum eum eſſe fatetur: ergo debet proportionari alteri cauſæ abditæ, quæ ſimul cum calore opera-

D tur; quæ non poteſt eſſe alia, niſi hæc venefica qualitas, de qua loquimur. Valleſ. confirmat noſtram ſententiam, qui *in comment. ad lib. Hippoc. de ratione victus*, docet morbum malignum plus habere periculi quàm oſtentat illius magnitudo; & ob hanc rationem Horatius Augenius dixit, febrem malignam furtim, ac latenter hominem rapere.

Iuxta hunc dicendi modum hic morbus malignus poteſt diuini nomen ſortiri, eo quod Hippocrates *libro de morbo ſacro*, aſſerit, magicos, & expiatores appellaſſe morbum ſacrum diuinum, non alia ratione, niſi quia ignorabant illius naturam & curationem; quos ipſe redarguens dicit, diuinum eſſe non poſſe, quia per manifeſtas cauſas producitur, & remediis qua-

litate manifeſta operantibus curatur. Appellat ergo diuinum Hippocrates illud, cuius cauſa, & virtus eſt abdita, & cuius operandi modus excedit operationes, quæ communiter fiunt per qualitates manifeſtas, & quod curari non poteſt remediis operantibus à tota ſubſtantia, iuxta cuius conſiderationem morbus malignus, & quilibet alius occultus poteſt diuinus appellari.

### §. II.

### *Argumenta aduerſus ſtatutas concluſiones proponuntur.*

QVamuis maligni morbi natura ſit ſufficienter explicata, nonnulla tamen proponam argumenta, ex quorum ſolutione clarior euadet. Primum igitur erit contra eam particulam, per quam aſſerimus, quod vitæ inſidiatur, & habet ad vitam oppoſitionem; ſiquidem datur multo tempore durans intra noſtrum corpus malignitas ſine iactura facultatum: ergo malignitas non habet oppoſitionem ad vitam. Antecedens probat Galen. 1. *epidim. ſectione* 3. *textu* 26. *in hiſtoria Critonis*, & 3. *epidim. ſectione* 3. *textu* 75. *ægroto* 4. & *libro* 2. *porrhet. textu* 27. in quorum commentario Galenus docet, poſſe in nobis coarceruari humores veneno ſimiles, qui vſque ad determinatum tempus morbum non pariunt, & toto illo tempore ex nullo ſigno deprehenditur oppoſitio ad vitam. Ergo non eſt de ratione maligni vitæ inſidiari, & ad vitam opponi.

Confirmatur ex receptiſſima ſententia, quæ aſſerit, poſſe componi venenum ad tempus. In quo caſu ſine dubio in eo aderit maligna qualitas; tamen qui illud aſſumpſit, ſine offenſione toto illo tempore exiſtit. Hoc quidem confirmatum habemus plurimis hiſtoriis, quas Cardanus proponit *libro* 1. *de venenis*, *capite* 26. quibus conſtat, multos latenter mortuos fuiſſe ex veneno propinato ad tempus, iuxta intenſionem interficientis.

Ad argumentum reſpondetur diſtinguendo antecedens. Datur malignitas in fieri in nobis ſine oppoſitione ad vitam, concedo antecedens; datur malignitas conſummata, & perfecta, nego antecedens. Pro cuius intelligentia noto ex Cardano *loco proximè citat.* quod humores putreſcentes, & per putredinem malignam qualitatem comparantes, habent diuerſa tempora, & gradus, ſub quibus ſuppoſitâ etiam humorum diſpoſitione poſſunt habere malignitatem in ipſo fieri productionis. Et in hoc caſu intelligendus eſt Galenus, dum locis citatis aſſerit, in nobis coarceruari humores veneno ſimiles, qui eo tempore, & ſub illo putredinis gradu non habent oppoſitionem ad vitam: non tamen loquitur de ipſis humoribus formaliter iam veneficam qualitatem habentibus, qui neceſſariò vitæ opponuntur.

Ad confirmationem reſpondetur concedendo antecedens, quia cùm venena ſint agentia naturalia, in ſuis actionibus pendent etiam à cauſis extrinſecis, & à conditionibus & impedimentis illarum; poteſt enim impediri celeris acceſſus ad cor, & retardari venenum, ſi inuoluatur cum miſcibilibus frigidis, & craſſæ ſubſtantiæ, aut homo habeat vias nimis ſtri-

A ctas, cuius arteriæ non multùm eleuentur ad attractionem. Qua de cauſa Galen. 3. *ſimplicium*, *capite* 18. inquit, quod cicuta ſturnos non necat, quia vias habent nimis ſtrictas, & antequam ſuis qualitatibus cor offendat, euincitur à ſturnorum calore, & in ſubſtantiam illorum conuertitur. Contrarium huius homini euenit, qui ex eſu cicutæ facilè perit ob viarum amplitudinem, & arteriarum motum, quo breuiſſimè cicutæ vis ad cor defertur. Retardatur etiam veneni actio ob mixtionem cum rebus ſuauibus, quæ veneni vim frangunt, ſæpeque antequam noxam cordi inferat, facultas valida ſecretrix illud extra corpus pellit, vt oſtendit Galen. *libro* 3. *ſimplic. capite* 23.

Secundò contra malignitatis definitionem inſurgo ex Galeno, qui plurimis in locis docet, malignitatem ortum ducere ab intenſa vſtione;
B ita enim 3. *prognoſt. comment.* 27. docet melancholiam ex vſtione flauæ bilis ortam malignitatem adquirere. Et *libro* 8. *methodi*, *capite* 2. febres ortas ex inedia, & prohibita ventilatione maligniſſimas vocat, propter caloris intenſionem. Et 2. *de different. febrium*, *cap.* 2. & 6. *epidim. ſectione* 1. *ſuper text.* 29. docet malignitatem naſci ex intenſa putredine: ergo malignitas iuxta mentem Galeni non tranſcendit vim qualitatum elementalium.

Reſpondetur, iis locis Galenum agere de malignitate in ſua lata ſignificatione, quatenus comprehendit febres acutas nimis, adurentes, & periculo plenas, quas ipſe malignas vocat, etiamſi à cauſa manifeſta procedant, ob grauiſſima ſymptomata, quibus vexant; non tamen de ea loquitur in ſtricto ſignificatu, vt accipitur à nobis.

C Tertiò inſurgo contra definitionem morbi maligni. Superior læſio eſt nobis incomprehenſibilis: ergo malè definitur per eam morbus malignus. Patet conſequentia, quia definitio datur per nobis notiora. Antecedens probatur: Talis læſionis modus excedit modum operandi qualitatum manifeſtarum: ergo eſt incomprehenſibilis. Patet conſequentia, quia ſolùm qualitates quæ cadunt ſub ſenſum, ſunt comprehenſibiles.

Reſpondetur diſtinguendo antecedens; eſt incomprehenſibilis talis ſuperior læſio, à priori, & in ſe, concedo antecedens; à poſteriori, nego antecedens: cognoſcimus enim malignitatem, & eius ſuperiorem naturam per ſenſibilem actionum læſionem improportionatam potentiæ, & virtuti manifeſtæ morbi, quæ declaratur in primis aut ſecundis qualitatibus; vnde arguitiuè cognoſcitur talis ſuperioritas eo modo, quo
D cognoſcimus ſubſtantiam, & alia, de quibus ſpecies in ſenſibus non habemus, neque ſunt ſenſuum obiecta.

Quartò arguitur contra naturam malignitatis, ex mente Reuerend. Abbatis Couarruu. *libro* 1. *de morbo*, *& ſymptom. fol.* 40. vbi intendit probare, quod maligna qualitas poteſt interficere ſine productione, & alteratione primarum; nam ſicut denſitas verbi gratiâ, fuliginum poteſt impedire motum cordis, & nimia raritas ſpirituum ipſos ſpiritus diſſipare, & ad hæc mors ſubſequi; pari ratione ad qualitatem ſecundam venenatam cordi communicatam poteſt etiam ſubſequi mors: ergo non eſt neceſſaria alteratio inducta à primis qualitatibus, ac per conſequens non eſt aſſerendum, qualitatem malignam eſſe principium

produ

productiuum primarum qualitatum, ſiquidem ſe ſola interficere poteſt.

Reſpondetur concedendo, motum cordis impediri poſſe à denſitate, vel ab alia qualitate ſecunda; non tamen ex hoc ſequitur, quod immediatè ex defectu motus cordis ſequatur mors, ſed potiùs ſequitur immediatè ad intemperiem, quæ in corde reſultat ex defectu ipſius motus; nam cùm pulſus, ſeu motus cordis fiat ad attemperandum calorem inductum à fuliginibus, vt conſtat ex pulſus definitione tradita à Galeno 4. *de different. pulſuum, capite* 2. non mirum, quod deficiente motu ob cordis intemperantiam, homo deficiat: & idem ſtatuimus de reſolutione ſpirituum ob nimiam raritatem, qui cùm vniuerſo corpori calorem tribuant, & ad vtriuſque vitæ, vegetatiuæ, & ſenſitiuæ commoda conferant, ipſis deficientibus deficit temperies ad vitam accommodata, & ex eorum reſolutione cauſæ extrinſecæ prauè viuens afficiunt, & inde ſequitur mors. Ex quibus ſemper ſaluatur, quod ſi qualitates ſecundæ prauè ſubiectum diſponunt, non tamen illud immutant ſine primarum qualitatum immutatione.

Neque benè infertur: Qualitas ſecunda non maligna interficere valet: ergo & qualitas ſecunda maligna, cùm potius hæc excedat primas, & ſecundas qualitates; quapropter non eſt inter ſecundas reponenda.

Quintò arguitur ex eodem ſapientiſſimo Magiſtro. Medicamenta, ſeu venena diuerſæ ſpeciei in eodem gradu caloris conſtituta ex ſolo diuerſo modo mixtionis diuerſam operationem efficiunt: ergo non eſt recurrendum ad alias qualitates diſtinctas à qualitatibus elementorum. Antecedens patet; nam aliqua medicamenta quarto gradu calida, & ſicca vrunt; alia verò cum eodem calore humiditati adiuncto putredini inducendæ ſunt parata: ergo calor in iis medicamentis exiſtens ex diuerſo modo mixtionis habet producere varios effectus, & malignos: ergo præter iſtum calorem ſic, vel aliter modificatum, non eſt aſſignanda alia qualitas venefica altioris ordinis.

Confirmatur exemplo ab inſtrumento ex artificialibus deſumpto; nam eadem quantitas diuersè modificata eſt principium inſtrumentale plurium actionum: ergo pari ratione ſecundùm diuerſum modum, quo afficit ſubiectum, poterit diuerſimodè operari. Antecedens probo. Quantitas ferri, aut chalybis, quæ non poteſt diuidere aliud corpus, ſi modificetur per figuram enſis, vel gladij, ſcindit, & diuidit; ſi verò adipiſcatur formam ſerræ, aliter ſcindit, & frangit; quod ſi mallei formam habet, concutit; ſi verò iucudis, concutitur, ita vt iuxta diuerſum modum, quo afficitur, diuerſum etiam operandi modum obtineat. Ergo cùm calor ratione mixtionis diuerſæ diuerſimodè modificetur, poterit diuerſos nimis effectus producere, ita vt producat hic vſtionem, illic putredinem, & alibi malignam putredinem.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Ratio eſt, quia medicamenta, quæ vrunt, agunt per qualitates manifeſtas, vt per calorem, & ſiccitatem; putrefacientia verò per calorem, & humiditatem: quæ qualitates reſultant ex diuerſo mixtionis modo, & ſic varios effectus producunt; non tamen ex hoc deducimus, quod non ſint conſtituendæ aliæ

A qualitates ab elementalibus diſtinctæ, quarum effectus mirabiles nequeunt reduci ad qualitates elementares. Huius naturæ eſt qualitas hæc maligna.

Eodem modo reſpondetur ad confirmationem; nam licèt ex diuerſo modo afficiendi inſtrumenti diuerſus etiam reluceat effectus, non tamen ille effectus excedit vim inſtrumenti ab artifice communicatam, imò eſt illi maximè proportionatus; effectus verò qualitatis malignæ ſuperat vim qualitatum elementalium, & eſt illi improportionatus. Quapropter non ſufficit diuerſus modus afficiendi inſtrumentum aut ſubiectum, ad eliciendam actionem qualitatis malignæ; ſed requiritur alterum principium ſuperius, à quo originem trahat.

Sextò contra tertiam concluſionem, in qua dicitur, malignitatem intrare eſſentiam morbi actualis, quatenus mediis primis qualitatibus

B lædit, ſic argumentor. Malignitas per ſe intrat eſſentiam morbi actualis: ergo per ſe habet lædere immediatè: ergo non indiget primis, aut ſecundis qualitatibus, quibus mediantibus lædat. Patet prima conſequentia ex morbi definitione, in qua dicitur, quod morbus per ſe primò lædit.

Confirmatur primò. Reliquæ qualitates occultæ ſua munera exercent immediatè ſine conſortio qualitatum elementalium: ergo ſimiliter malignitas poterit lædere actiones, & vitæ opponi ſine primis qualitatibus. Antecedens patet in magnete, & ſuccino, & medicamentis electiuè purgantibus; quorum abditæ qualitates licèt præſupponant primas, per ſeipſas tamen operantur, ſiquidem attrahunt rem ſuæ formæ familiarem, vt magnes ferrum, ſuccinus paleam, rhabarb. bilem, &c.

C Confirmatur ſecundò; nam aliàs non eſſent neceſſaria remedia alexipharmaca in curatione morbi maligni. Sequela patet, quia ſi læſio fit in morbo maligno mediis qualitatibus elementalibus, contrarietas curationis ſufficienter fieret per qualitates contrarias etiam elementales, cùm curatio fieri debeat per contraria æqualia.

Ad argumentum reſpondetur negando primam conſequentiam. Ratio eſt, quia cùm in conceptu morbi actualis intret læſio actionum, quam non poteſt exequi malignitas ſine ſuis inſtrumentis, ideò ſine concurſu primarum qualitatum non poteſt conſtituere morbi actualis naturam, licèt per ſe ſine primis qualitatibus poſſit dici radicaliter, aut habitualiter morbus. Et licèt operetur per primas qualitates tan-

D quam per inſtrumenta, malignitatis tamen ratio imbibita eſt in læſione inducta à primis qualitatibus, quatenus ſcilicet illæ altiùs operantur, quàm ſine illa; atque adeò primæ qualitates concomitanter habent qualitatem malignam.

Ad primam confirmationem reſpondetur negando paritatem rationis; nam aliæ qualitates operantes à tota ſubſtantia ſuum opus perficiunt communicando impulſum, quo ad ſe rem conuenientem alliciunt, aut noxiam repellunt; ſunt enim qualitates motiuæ. At verò malignitas eſt qualitas alteratiua, & habet oppoſitionem ad vitam, ſicque diuerſum operandi modum habere debet. Sed quia, vt ſuprà diximus, malignitas non conuenit genere cum qualitatibus elementalibus, neque poterit habere oppoſitionem

ad

ad illas, neque eas deſtruere, niſi habeat in ſe aliquid eminenter, quo inſurgat aduerſus illas. Et propter hanc rationem ſtatuimus, quod hæc maligna qualitas habet vim producendi qualitates, quibus deſtruit viuens.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur negando ſequelam, quia læſio, quæ fit à venenis, & malignitate per qualitates manifeſtas, non fit ab illis nudè ſumptis, ſed prout ſunt inſtrumenta veneni, & malignitatis, ratione cuius habent vim intenſiorem operandi, quàm ſi independenter à malignitate extitiſſent; & ſic non habent remedium æquale in qualitatibus manifeſtis contrariis, niſi fuerint inſtrumenta alexipharmaci, quod habet virtutem malignitati oppoſitam.

Denique argumentor ad probandum, morbum malignum non diſtingui à morbis manifeſtis: cuius contrarium planè ex dictis conſtat. Malignitas conſtituens morbum actualem ita identificatur cum qualitatibus manifeſtis, vt vnum realiter cum illis efficiat: ergo implicat, quod diſtinguatur realiter ab illis. Antecedens à nobis accipitur; nam malignitas, & qualitates manifeſtæ ab ea procedentes vnum faciunt comprincipium, quod læſionem actionum infert, atque adeò vt ſic non poteſt non identificari cum illis, & vnum, & eundem morbum conſtituere.

Reſpondetur, quod qualitates manifeſtæ dupliciter accipiuntur, vel ſecundùm ſuam entitatem abſolutam præcisè, vel vt ſunt inſtrumenta malignitatis. Si primo modo, non poteſt negari, quod malignitas, & qualitates manifeſtæ diſtinguantur realiter.

Si verò conſiderentur vt ſunt malignitatis inſtrumenta, & cum malignitate faciunt vnicum, & adæquatum principium lædendi actiones viuentis, neutiquam diſtinguuntur; habent enim ſe ſicut cauſa principalis, & inſtrumentalis, quarum actio eſt totaliter vna, totaque vtrique cauſæ tribuitur; ſic enim licèt potentiæ vitales diſtinguantur ab anima, actio tamen vitalis adæquatè tribuitur animæ, & potentiis, quia neque anima per ſe, neque potentiæ vitales ſine anima poſſunt actum vitalem exercere, ſed totus actus in animam, & potentiam refunditur tanquam in vnum comprincipium: & idem aſſerimus de cauſa vniuerſali, & particulari, quæ licèt maximè differant inter ſe, in ratione tamen principij conueniunt, & ab vtraque vnamet actio procedit. Quia ergo ſic ſe habent malignitas, & qualitates manifeſtæ, & tota læſio ab vtriſque ſimul procedit, ideò dicimus vnum morbum conſtituere. Sed quia hæc quæſtio diffusè ſatis, licèt non ſuperfluè, eſt pertractata, oportet ad alia properare.

*Hæc febris eſt contagioſa.*

Eſt etiam hæc febris contagioſa, in quo conuenit cum febre peſtilenti, differt tamen ab illa ex diuerſo modo contagij; nam febris peſtilens ad diſtans etiam venenum impartitur, hæc autem febris tantùm eſt contagioſa per contactum, & tractationem infirmi, vt volunt Fracaſt. Ludouicus Mercat. & alij. Ego tamen exiſtimo, quod fomite etiam eſt contagioſa, relinquit enim in lectulis, & veſtibus ſeminaria contagionis, quæ in ipſis veſtibus aliquo tempore conſeruantur; plures enim vidi, & curaui, qui in lecto hac febre laborantium decubuerunt, & illorum veſtes induerunt: cuius euentus cauſam ad ſeminarium contagionis in veſtibus derelictum reduxe- A runt omnes: ſiquidem ſimili morbo contagioſo eos eſſe infectos cernebamus, neque hoc probatione indiget, cùm quotidianus euentus demonſtret.

Sua igitur contagione humores hæc febris inficit, & iuxta morboſum apparatum, & humorum redundantiam contingit, quod febris hæc habeat quotidianos circuitus, tertianos, vel quartanos; plerumque tamen ſanguinem afficit, cum quo ſeminarium contagionis maiorem ſimilitudinem, & analogiam habet. Ex quo colligitur, in hac febre putreſieri totam maſſam ſanguinariam, varioſque aliquando efficere circuitus, pro varietate humoris, qui ad putredinem magis erat paratus; per quod diſtinguitur à febribus ſimplicibus, in quibus vnicus tantùm humor putreſcit; & à febre ſynocha cum putredine, quæ ſemper eſt creſcens, aut decreſcens, aut à principio in finem in eodem ſtatu B perſeuerat: præterquam quod ex malo modo putredinis, & ſuâ prauâ qualitate ab omnibus putridis differt.

*Hæc febris cõſtat variis accidentibus.*

Ex dictis deducitur vltimum, videlicet quod variis, & aliquando contrariis accidentibus inſignitur; per quod differt à febribus etiam peſtilentibus, quæ eodem modo omnia corpora apprehendunt, eadem quoque, aut paulò diuerſa omnibus eueniunt accidentia: quod accidere exiſtimo, quia vna, & eadem cauſa eſt communis omnibus, à qua ſimilia producuntur accidentia. Similiter differt ab aliis putridis, quarum accidentia ſequuntur tantummodò naturam humoris putreſcentis, & accidentia humorem illum ſequentia in omnibus ſunt ferè eadem, quia ex vno humore procedunt. At verò quæ febri malignæ inſunt, diuerſa, & ſæpe contraria ſuperueniunt, iuxta morboſi apparatus naturam, C ita vt modò bilis, modò pituitæ aut ſanguinis accidentia demonſtrentur. Item nunc ſuperuenit vigilia, & paulò poſt in ſomnum profundum incidunt; nunc etiam phrenitis eos arripit, & breui tempore lethargo detinentur, & ſic de aliis. Accedit ad hoc, quod accidentia quæ inſequuntur febrem putridam ſimplicem, à quauis putredine excitantur; quæ verò huius febris propria ſunt, ex maxima, ſordida, & deteriori putredine originem trahunt. Quod quidem clarè conſtat ex maximo excrementorum fœtore, qui in his febribus reperitur. Si igitur putredo deterioris conditionis datur, non mirum, quod accidentia deteriora euadant; & quia in diuerſis humoribus, ideò diuerſa, & ſæpe contraria inſurgunt.

*In quo differt hæc febris à peſtilenti.*

Cum quo benè ſtat, quod hæc febris abſolutè neque ſit peſtilens, neque putrida; ſed quod D ſit in confinio vtriuſque, & ſit media per vtriuſque participationem: eſt enim putrida, vt dixi, quatenus ex putredine humorum excitatur: eſt etiam peſtilens, quatenus contagioſâ, & malignâ qualitate conſtans. Differt à putrida ex ſignorum praua qualitate, & deterrima conditione, etiamſi ſigna in illa putredinis præbeant iudicium; & ex ratione, & excellentia putredinis, & quia habet malignam qualitatem, & contagioſam ſibi adiunctam, quâ carent febres putridæ ſimplices. Differt ſimiliter à febre peſtilenti, quoniam febris peſtilens eſt epidimia pernicioſa multos afficiens, plurimoſque interficiens; maligna verò neque ſemper dum vagatur multos afficit, neque plurimos interficit. Præterea febris peſtilens ab aëre corrupto excitatur,

ex

ex cuius contagione fit; maligna quidem, licèt ex aëre alterato nimis fiat, non tamen aëris corruptionem requirit. Differunt etiam, quia peſtilens contagioſa eſt ſimpliciter, & ad diſtans ſuum venenum tranſmittit, quod ob indelebilem naturam pluribus annis in veſtibus, lignis, & in metallis aliquibus conſeruatur, ipſis incorruptis manentibus. Maligna verò non ſic, quæ licèt per fomitem venenum, & contagionis ſeminaria communicet, non tamen diu adſeruantur, ſed ob ſuam delebilem naturam, & diſſolubilem mixtionem breui corrumpuntur tempore; quod quidem ſufficit, vt ſpecie ſaltem, quantùm ad Medici conſiderationem ſpectat, diſtinguantur, & quod maligna dicatur media, quoniam vtrumque participat extremum.

### §. III.

### *De cauſis febris malignæ.*

*Huius febris cauſæ ſunt in duplici differentia.*

Cognitis iis, quæ diximus circa cauſas peſtis, & peſtilentis febris, facilè etiam febris malignæ cauſas præcognoſcere poſſumus, quæ etiam ex iis, quæ capite antecedenti adduximus, innoteſcunt: illæ tamen clarioris doctrinæ gratiâ ſunt in duplici differentia; quædam ſupernæ, quædam verò infernæ. Supernæ ſunt aſtrorum aſpectus, & influxus, ex quorum coniunctionibus aër varias ſubit alterationes, quibus corpora variè permutat; nimium enim calefacere, vel refrigerare, vel quouis alio modo corpus mouere malum quidem eſt, & corpori inimicum, vt teſtatur Hippocrates 2. *aphoriſm. textu* 51. ſic enim corpus putredini obnoxium facilè in morbos malignos incidere ſolet, præcipuè ſi præceſſerit auſtrina conſtitutio, quæ corpora calefacit, & humectat; aut calidiores aëris ſtatus, quales maximè circa ortum canis contingunt, qui manifeſtè cor calefaciunt, & extrinſecus corpori circumfuſi totum corpus calidius efficiunt. Quod ſi ex alia parte in corpore adſit morboſus apparatus, & humores ſunt diſpoſiti ad putredinem concipiendam, non mirum ſi huiuſmodi febres excitentur; & cùm cauſa ſit communis, nimirum aër, quod iſtæ febres populariter graſſentur, docent ferè omnes Medici, inter quos Alphonſus Lupeius, Curuleanus, Fracaſt. & Ludouicus Mercatus, de huius febris cauſis ſermonem inſtituentes. Quod verò ex aëris calore, & humiditate putridi, & maligni morbi gignantur, omnibus eſt in propatulò, cùm calor externus præſertim humiditati adiunctus, ſit initium putredinis, & malignitatis humorum, vt conſtat ex Hippocrate 3. *epidim. ſect.* 3. *text.* 9. vbi poſtquam auſtrinam, & pluuialem hiemem deſcripſit; ante ver aſſerit ſuperueniſſe morbos acutos malignos, & exurentes. Quod docuerat etiam Galenus 3. *epidim. textu* 1. deſcribens peſtilentem conſtitutionem ex auſtrino vento aduenientem, qui prauæ putredinis eſt cauſa. Et 1. *de different. febrium*, *cap.* 4. ait: Sic & cùm aëris temperatura à naturali habitu ad caliditatem, atque humiditatem immodicè fuerit conuerſa, peſtilentes quidem oriri morbos eſt neceſſarium. Cùm igitur aër redditur nebuloſus, caliginoſus, vmbroſus, impurus, & parum ſplendens, & cum pluuiarum multitudine, timere poſſumus, morbos malignos, & putridos, vt 3. *epidim. citato*, annotauit Galenus. Quod verò maximæ, & ſubitæ

A aëris mutationes hunc morbum, & alios gignant, facilè probatur ex ingenti motione, & alteratione humorum, & ex corporis aſſidua immutatione, quâ vires debilitantur; & nequeunt variam, & qualitatum oppoſitarum alterationem ſuſtinere: natura equidem in elementorum commoderatione conſiſtit, vt inquit Galenus 2. *aphoriſm. comm.* 51. quare non abſque ratione omne nimium, quod talem naturæ commoderationem deſtruit, ipſam naturam diſſoluit, & illius vires deiicit, & facilè in morbos prauos, & malignos eam incidere facit. Talis quidem temporis conſtitutio accidere ſolet frequentiùs tempore autumni, vt omnes teſtantur, ob cuius inæqualitatem varij tunc producuntur morbi, & maximè exitiales, vt refert Hippocrates 3. *aphoriſ. textu* 9. Hic etiam accommodari poſſunt omnes cauſæ peſtis, quæ valent inficere aërem,
B vt corruptiones, & fœtores cadauerum, aquarum, lacuum, paludum, & aliarum rerum putreſcentium.

*Hæc febris hieme magis infeſtat, & quare.*

Sed inquires, quam ob cauſam hæc febris plurimùm infeſtare ſolet brumalibus, & frigidis temporibus, quibus etiam perículoſior exiſtit, vt quotidie obſeruamus.

Reſpondetur, id prouenire partim ex morboſo corporis apparatu, partim verò ex cohibito naturali effluxu, & ex cutis denſitate ab ambienti frigore facta, ratione cuius vapores, & fuliginoſa excrementa, quæ per cutem exibant, intrà detinentur, & profundioribus corporis locis humores putrefaciunt, & pernitioſas febres accendunt.

Cauſa inferior huius febris productiua eſt in nobis, morboſus ſcilicet corporis apparatus, qui procedit ex pluribus, quæ ſub prauo vitæ inſtituto comprehenduntur, vt ſi prauis eduliis
C corpus alitur, neceſſariò prauos gignit humores, qui parantur ad hunc, & ad alios morbos producendos; & cùm edulia praua aſſumant, & diuersâ naturâ conſtantia, diuerſos etiam humores progignunt, in quibus ad hanc febrem apparatus exiſtit, & variis accidentibus demonſtratur, & ob illorum miram varietatem non raró falluntur Medici circa huius febris cognitionem. Quod ſi edulia optima ſint ex eorum inordinato modo aſſumendi, & in maiori quantitate, conſimilem apparatum efficere eſt compertum; replentur enim obſtructionibus, & cruditatibus, quæ facilè in corporibus putreſcunt, & obſtructiones ad putredinem viam parāt. Sic etiam ebrietates, veneris immoderatus vſus, vita otioſa, & alia his ſimilia, ad hanc febrem non ſolùm apparatum præſtant, ſed vires debilitant, ita vt non poſſint morboſum apparatum frænare, &
D cauſis putrefacientibus obſiſtere, vt refert Galenus 1. *de different. febrium*, *capite* 4. toties repetito, vbi ex victus prauitate humores noxios generari aſſeruit, qui febris peſtilentis ſint origo. Sed in hoc non eſt, quod ampliùs immoremur.

### §. IV.

### *De ſignis febris malignæ.*

Licèt huius febris natura in omnibus eadem ſit, illâ tamen ratione morboſi apparatus, qui in diuerſis humoribus exiſtit, diuerſa etiam, & varia poſſidet accidentia, quæ illius cognitionem reddunt difficilem; & ſicut nihil difficilius

cilius illa cognoſcitur, nihil propterea vtilius eſt, quàm eam ſtatim primo die cognoſcere, & ab aliis diſtinguere; eſt enim morbus maximè periculoſus, qui niſi citò cognoſcatur, vt ei citò ſubuenire poſſimus, plurimos interficiet. Quapropter in animum induxi diligenter ſigna diagnoſtica illius inueſtigare, ne in huius febris agnitione Tyrones decipiantur; quod & priſcioribus, doctioribuſque contingere ſolet.

*An febris hæc habeat ſigna pathognomonica.*

Primò tamen dubitant Medici, an hæc febris ſigna habeat pathognomonica? In qua re breuiter dicendum eſt, hanc febrem non habere ſigna determinata, vt in pleuritide apparent, in qua quinque reperiuntur, ex quibus pleuritis exquiſita innoteſcit; & ſi vnum deficiat, ſufficit, vt vera pleuritis non ſit, cùm illa quinque neceſſariò expoſcat; febris verò maligna licèt plura ſigna habeat, non tamen ſunt determinata, ita vt quolibet illorum deficiente, non poſſit ſaluari natura huius febris; ſufficit enim aliquorum concurſus, ex quibus omnibus collectiuè ſumptis in huius febris cognitionem deuenimus, & veluti pathognomonica iudicantur; cùm enim hæc febris nulli continuarum ſit adſtricta, non poteſt determinata habere ſigna; ſed pro diuerſitate humoris, cui maior ineſt apparatus ad hanc febrem conſtituendam, varia, & diuerſa inſurgunt accidentia, quæ humoris illius naturam referunt potiùs quàm alterius; cum hoc tamen huiuſmodi ſigna, ſeu accidentia habent aliquid ſibi adiunctum huius febris malignam qualitatem, & prauam conditionem oſtendens; ad quam indagandam non eſt neceſſe, vt omnia ſimul concurrant, ſed duo, vel tria ſigna ſufficiunt; omnia tamen tradentur, vt ex omnibus, aut aliquibus illorum febris hæc apprehendatur; ea tamen ex tribus deſumuntur, ex calore febrili, ex actionibus læſis, cuiuſcumque ſint facultatis, & ex his, quæ excernuntur, aut retinentur præter naturam, de quibus omnibus ſigillatim agendum eſt.

*Primum ſignum deſumitur ex calore.*

Primum ergo ſignum deſumitur ex calore, qui à principio ita mitis apparere ſolet, vt vix admittere Medicum ægri velint, Medicique plurimùm decipiuntur expectantes breuiter morbi ſolutionem, quibus, & ægrotantibus ita infeliciter contingit, vt breui tempore ingraueſcente morbo, in vitæ diſcrimen deueniant ægri. Cognoſces tamen hanc febrem eſſe malignam ex aliis ſignis prauis, quæ à principio febrem comitantur, vt ſunt laſſitudo totius corporis, vigiliæ immodicæ, vel ſomnus profundus, dolor capitis vehemens, cibi faſtidium, & alia quamplurima, quæ ſuapte naturâ maius malum oſtendunt, quàm quod ex calore illo febrili percipitur. Quapropter dixit Galen. 3. *de criſibus*, *cap.* 5. *Debiles quidem, & parua febres, quandoque valdè maligna ſunt.* Neque huic doctrinæ contrariatur Hippocrates 2. *prognoſt.* dum ait: *Febres mitiſſima quarto die finiuntur, aut citiùs.* Loquitur enim ibi Hippocrates de febribus mitiſſimis ſignis ſecuriſſimis firmatis, non verò de iis febribus mitiſſimis, quæ prauis, & deterrimis ſignis firmantur.

*Dubium.*

Sed reddere rationem oportet, ob quam ex febre mitiſſima grauiſſima accidentia inſurgunt. Aliqui reſpondent, in his febribus vigere magis malignam qualitatem, quàm putredinem; & ſic calor mitis apparet aliquibus diebus, & accidentia illa deterrima ſunt, quia ab illa qualitate maligna procedunt. Neque eſt rationi diſſonum, quod cum parua putredine maligna adiungatur qualitas, & grauia ſuccreſcant accidentia. Sed licèt hi probabilia loquantur, veritatem tamen non attingunt, ſiquidem notæ apparere ſolent prædominantis putredinis in vrina conturbata, & in excrementorum maximo fœtore, quæ potiùs putredinis quàm malignæ qualitatis indicia ſunt. Quare dicendum eſt, calorem mitem percipi duplici de cauſa, aut quia humores, qui putreſcunt, ſunt craſſi, à quibus ingens flamma non inſurgit, vt vidimus in aliquibus hominibus pituitoſis hac febre correptis, quorum calor febrilis parum diſtabat à naturali, & cum hoc tamen habebant ſigna ingentis putredinis. Vel quia, vt inquit Fracaſt. calor mitis eſt, quia profunda admodum eſt putrefactio, & acrimonia hebeſcit, & obtunditur humido ſimul multo euaporante; nam ob analogiam, & ſimilitudinem, quam habet cum ſanguine, hæc qualitas maligna, & contagioſa, & ob ſanguinis apparatum morboſum contingere poteſt, quòd ipſe ſanguis magis putreſcat, quàm quiuis alius humor: & cùm ipſa ſanguinis putredo non ſit per omnes venas extenſa, ſed in profundioribus venis iuxta cor in principio poſſit eſſe, poſſunt ex illa flatus eleuari in tanta quantitate, vt intensè totum corpus calefaciant, donec putredo in omnes venas deferatur. Sed quia illi vapores ſecum deferunt malignam illam qualitatem ad caput, ventriculum, & alias partes, hinc eſt, vt cum miti calore praua inſurgant accidentia. Poſtea verò cùm tota maſſa ſanguinaria paulatim putrefiat, & non ſolùm intendatur putredo, ſed etiam ad intenſionis vlteriorem gradum perueniat, ſimul cum ipſa extenditur, & intenditur hæc qualitas venenata, grauioraque ſymptomata concitat.

*Lib. 2. de morb. contag. cap. 4.*

Veruntamen ſi morboſus apparatus ſit in bile potiùs quàm in alio humore, à principio apparet calor intenſus, mordax, & acris, naturam humoris prædominantis oſtendens. Ex quibus ſequitur, quod hæc febris aliquando incipiat cum calore intenſo nimis, aliquando cum calore miti, aliquando etiam mediam naturam obtinente; quæ diuerſitas oritur potiùs ex diuerſitate materiæ, quæ magis putreſcit, quàm ex alia cauſa.

*Secundum ſignum ex actionibus læſis.*

Secundum ſignum ab actionibus læſis demandatur; ſed quia venefica qualitas cordi potiùs quàm aliis partibus nocumentum infert, à læſione actionum facultatis illius incipiemus. Apparet ergo in primis pulſus in hac febre paruus, languidus, & omni genere inæqualitatis inæqualis. Ratio eſt, nam ex humorum copia, & multitudine vires grauantur, & venefica humorum qualitate diſſoluuntur; & ſic quando malignitas magis viget, vel quando maculæ erumpere incipiunt, pulſus fieri ſolent deficientes, aut intermittentes, quia magis laceſſitur facultas vitalis, & ſpiritus exſoluuntur. Quæ pulſuum differentia, & inæqualitas maxima magis eluceſcit in hac febre, quàm in aliis putridis, ob putredinis excellentiam, & deterrimam qualitatem, quæ cor, & virtutem vitalem magis labefactare valent; taliter quod plures cognoui hac febre laborare ſolùm ex attrectatione arteriæ.

*Pulſus quare bonus appareat.*

Præter dictam pulſus differentiam ab initio morbi ſolet pulſus apparere naturali ſimilis, ſine vlla

vlla ferè inæqualitate, vel ordinis perturbatione; quæ pulſus ſimulata veritas Medicos ſæpè fefellit, ita vt ſalutem promittant, quando breuiter cognoſcitur ſalutem deſperatam eſſe; quo tempore alia ſigna ſunt conſideranda, quæ ſi deteriora ſint, non decet præſagire ſalutem; ſed Medicus prudenter ſe gerat: ſiquidem, vt inquit Hippocrates, acutorum moborum non ſunt certæ prænuntiationes ſalutis, aut mortis, & honor quem conſequi deberet ex præſagiis, illi vertitur in opprobrium.

Ratio autem, propter quam in hac febre pulſus naturali ſimilis exiſtit, traditur à Marſil. Ficino *de antidotis capit.* 4. dum ait, quod in principio in melius tendere videtur, quia tunc robuſtior natura contra morbum omnes colligit vires, & expellit veneficam qualitatem, quæ ab initio non eſt tantæ actiuitatis, vt cor, & facultatem vitalem maximè immutet, donec procedente morbo adaucta putredine ipſa etiam adaugeatur; quæ tunc cum intenſiùs cor infeſtet, neceſſariò pulſum mutat in deterius, illumque languidum, paruum, & inæqualem efficit, & vitale robur deperditur, vt oſtendunt animi deiectio, ſyncopis, virium collapſus, anxietas, & alia huiuſmodi huius febris naturam ſequentia.

*Signum deſumptum ex læſione facultatis animalis.* Ex læſione etiam facultatis animalis plura ſimiliter deſumuntur ſigna. In primis ab huius febris initio laborantes ſunt inquieti, & quemlibet decubitum moleſtè ferunt, & laſſitudinem patiuntur, & totius corporis fractionem, & capitis ingentem dolorem, ob malignos, & acres vapores, qui ex putredine ad caput feruntur; & ob eandem cauſam maximas vigilias patiuntur, & ſi fortè dormiant, illis ſuperueniunt inſomnia terribilia, & turbulenta, & dum expergefiunt, delirè loquuntur. Quæ omnia primis diebus euenire ſolent iis febribus, reliquis verò non, niſi ingraueſcente malo. Ex quibus conijcere licet malignam adeſſe qualitatem, quæ horum accidentium eſt origo.

Quando verò humores in hac febre ſunt frigidi, & craſſi, ſomno profundo corripiuntur, à quo dum excitantur, delirant, donec caliginoſus, & craſſus ille vapor euaneſcit; antea verò quàm in ſomnum profundum, aut delirium incidant, illis accidunt manuum tremores, & aliquando totius corporis, ex vaporibus malignis, qui capiti, & ſentientibus partibus communicantur ex maligna putredine, quod primis diebus raro, aut nunquam ſimplici putredini accidit, niſi illi adiungatur hæc venefica qualitas, quæ robuſtam animalem facultatem labefactat, & deiicit. Quibus adiungi ſolent inſolita triſtitia, corporis iactatio, & ignauia quædam, & impotentia ad omnia munia exequenda, quæ huic febri à principio accidere ſolent, etiamſi mitiſſima in calore iudicetur.

Præterea huiuſmodi ſigna habent in ſe aliquid latitantis energiæ, & malignitatis, quod ſentiunt ægri; illud tamen exprimere non valent: cuius ratio eſt, quia cùm malignus humor citra qualitatem manifeſtam operetur, laborantes ſentiunt moleſtiam ab humore maligno illatam, nequeunt tamen rationem ſuæ ſenſationis reddere, etiamſi mente firma præditi ſint.

*Aliud ſignum ex cibi faſtidio prodiens.* Adeſt etiam cibi faſtidium, neque appetunt

A cibum, quia hæc maligna qualitas ventriculo communicata virtutem ſenſitiuam illius proſternit: quod ſi ad aſſumendum cibum cogantur, protinus vomitu concitato illum expellunt. Sitis etiam implacabilis accidit, quæ ſuperat caloris febrilis modum, & copiam; quæ cùm à tam miti calore prouenire non poſſit, exiſtimare oportet, ibi adeſſe malignitatem aliquam, ad quam illa ingens ſitis reduci debet. Aliquando tamen ſitis eſt moderata, aut quia humores, qui putreſcunt, ſunt craſſi, & frigidi; aut quia longè à ventriculo putreſcunt. Aliquando etiam lingua arida, & nigra cernitur, & ſitis minimè infeſtat, quod malignitatis ſolet eſſe ſignum, quia ratione illius ægri non ſentiunt moleſtam ſenſationem, vel quia illorum mens ægrotat, vt inquit Hipp. 2. *aphor. text.* 6. dum aſſerit: *Quicumque dolentes aliqua corporis*
B *parte, dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat.* Vel quia à maligna qualitate ſenſus ventriculi deiicitur; quam ob cauſam dicitur ab Hippocrate *in coacis prænotionibus: In acuto morbo ſitis præter rationem ſoluta malum.* Idemque aſſerit *lib.* 1. *prædictionum.*

*Tertium ſignum ex his quæ excernuntur.* Vltimum ſignum deſumitur ex iis, quæ excernuntur, quæ pertinent ad facultatem naturalem expultricem, vt ſudores, & puncticulæ, ſeu maculæ apparentes in cute, & ſanguinis fluxus è naribus: vel partim pertinent ad facultatem naturalem, partim ad animalem; vt excretiones fæcum, & vrinæ, quæ vtriuſque actionem requirunt. Excrementa igitur cuiuſcumque generis ſint, in hac febre fœtidiora ſunt, quàm in aliis febribus putridis, quamuis hæc febris mitis appareat. Quod ſignum ſine dubio eſt indicium excellentis putredinis, & malignæ febris; de omnibus tamen ſeorſum eſt
C inſtituendus ſermo, ab vrinis ſermonem incipientes.

*Vrina qualis debeat eſſe.* Vrina frequenter ab initio craſſa, turbida, & rubra conſpicitur, craſſum, rubrum, & conturbatum habens ſedimentum; quæ vrina ſi cum aliis grauiſſimis accidentibus adiungatur, huius febris eſt indicium; ſignificat enim maximam humorum conturbationem, & naturæ impotentiam à praua putredine, & maligna qualitate ſubortam; ſiquidem nequit ſeparare craſſum à tenui, & illud intra venas detinere, quouſque coquatur. Accidit etiam, quod exiſtente vrina craſſa, & cum aſſignatis conditionibus, breui temporis ſpatio appareat cocta, & cum ſedimento ſanis ſimillimo, quod Medicos fallit exiſtimantes, materiam febrilem coqui; & ſalutem ſperantes ex vrinæ mutatione, quando
D mors propinqua exiſtit. Cuius cauſam aſſignat Fracaſt. 2. *de morbis contagioſis, cap.* 8. dicens: *Fortaſſe igitur illud potius exiſtimandum eſt, quod exiſtente vrina cruda, craſſa, & plena, ſæpe accidit, vt deficiente iam virtute, & non potente craſſiores illas partes expellere, percoletur quodammodò vrina, & vbi primùm craſſa admodum fuerat, incipiat iam craſſa minùs deſcendere, deinde & minus adhuc craſſa, donec perueniat ad mediocrem quandam conſiſtentiam, in qua nubeculæ quædam pendeant, propter quod ſanis aſſimilatur: non eſt autem verè ſana, ſed apparet.* De his loquitur Hippocrates *in coacis prænotionibus*, dum dicit: *Vrinæ præter rationem coctæ omnes malæ.*

Solent etiam vrinæ eſſe nimis fœtidæ, quod non contingit in principiis aliarum febrium. Item primis

primis diebus ſolet eſſe vrina naturali ſimilis; quod ſanè ſignum dum aliis ex his, quæ mox retulimus, adiungitur, indubitanter malignæ febris naturam redolet, vt inquit Mercat. Cuius ratio eſt, quia in interioribus viget magis putredo, & maligna qualitas, quæ non elucet in vrinis, donec maiorem partem humorum obſederit; in principio enim neque putredo, quæ nondum eſt extenſa nimis, neque maligna qualitas ita efficaciter corpus perturbat, vt aliquod ſignum ex vrinis deprehendatur: quapropter alia ſigna ſunt conſideranda, ex quibus omnibus in febris huius cognitionem deueniemus. Apparet etiam vrina in principio tenuis, & cruda, quia facultas concoctrix impotens redditur ob prauam qualitatem, & deterrimam putredinem.

Sudores etiam inordinati primis diebus erumpere ſolent, qui potiùs vi morbi quàm lege naturæ fiunt, qui quidem mali ſunt, vt teſtatur Hipp. *in coacis prænotionibus*, vbi ait: *Sudor vnà cum febre in acuto morbo inuadens malus eſt.* Nam licèt aliquid cauſæ morbificæ exſudetur, & ſic meliùs ſe habere videatur æger, non tamen illi fidere oportet, cùm talis melioratio ſtabilis non ſit, neque multùm durare poteſt, ſed potiùs agitato humore, & conturbato, deteriùs paulò poſt æger ſe habet; & quia tenue humoris per ſudorem excernitur, in craſſo, quod remanet, imprimitur magis illa qualitas maligna, & potentiùs operatur, quia in ſubiecto denſiori, & ſic ad deteriorem ſtatum peruenit æger. Et licèt ſudor iſte copioſus accidat diebus decretoriis, nempe 7. 11. aut 14. non inde ſequitur ſalus, imò ex humorum ebullitione, & conturbatione intenſiùs febricat ægrotus, & vrinæ illi deteriores, & turbidiores fiunt; requiritur enim ad optimi ſudoris rationem, quòd non ſolùm fiat diebus criticis, ſed etiam cum ſignis perfectæ coctionis, vt docet Hippocrates 1. *prognoſt.*

Præter dicta ſymptomata aliud perſentiunt, quod frequenter laborantes moleſtat, nempe horripilationem quandam, ſeu rigorem inordinatum, adhuc in ipſo febris vigore: quod prouenire iudico, vt ſuperiùs dixi, ex halitibus malignis ex praua humorum putredine eleuatis, quos natura ferre nequit, eoſque ad partes ſentientes tranſmittit, & ipſas mouent ad concuſſionem, rigorem inordinatum concitando.

*Puncticularum conſideratio.*

Denique vltimum ſignum, & magis proprium febris malignæ deſumitur ex maculis, ſeu puncticulis rubeſcentibus, quæ per totum corpus apparent; præcipuè tamen propè dorſum, quia ductus arteriæ magnæ, & venæ cauæ dorſo adhærent, per quos cor faciliùs venenum tranſmittit; cum hoc tamen claré conſpiciuntur in pectore, & renibus. Quæ quidem maculæ cùm fiant ex ſanguinis feruore, neque efficiunt tumorem, neque cutem eleuant, ſed ſunt veluti quædam cutis efflorefçentiæ culicum morſibus ſimillimæ, in quarum excretione pulſus fiunt inæquales, & parui; quibus expulſis æqualitatem, & magnitudinem comparant: quæ quidem maculæ licèt non appareant primis diebus, quarto, vel quinto apparere ſolent, præſertim æſtatis tempore, hieme verò ſexto, ſeptimo, vel octauo; frigus enim occurrens earum exitum impedit, cutem conſtipando: ad quod etiam iuuat humorum craſſities, quæ tempore indiget ad attenuationem, vt humores ſic ad cutem poſſint deferri. Hæ igitur maculæ cùm morbo exiſtente crudo appareant, & ſymptomaticè, ſemper affectionis malignæ ſunt ſignum, triaque mala demonſtrant. Primum humorum incendium, & feruorem, ex quo maculæ iſtæ eleuantur, ſicuti ex igne ſcintillæ.

Secundum, malignam, & deleteriam qualitatem putredini adiunctam, quâ natura deſtruitur, & ante tempus euacuationem molitur.

Tertium, quod demonſtrat, eſt naturam maximè debilem eſſe, ſiquidem reſiſtere non poteſt primæ morbi inuaſioni, nec opus inceptum, nempe humoris coctionem, & retentionem perficere, ob prauam humorum qualitatem, quæ naturam ad expulſionem ante tempus ſtimulat, & cogit. Hæ igitur cutis efflorefcentiæ, quo deteriores fuerint, maius malum portendunt; ſi enim pallidæ, liuidæ, vel nigræ appareant, periculoſiores cenſentur, quàm ſi rubeæ: quod non ſolùm conuenit iis maculis, ſed etiam aliis, quæ præter naturam excernuntur, excrementis, vt ex pluribus locis Hippocrat. colligi poteſt, præcipuè ex prognoſticis, vbi ſputum nigrum, vt peſſimum ſignum pleuritidis conſtituit, & colores vrinæ nigræ eſſe peſſimos, & digitorum liuores nigris adhuc deteriores oſtendit. Sed in his non ampliùs immorandum, quia in ſequentibus tradentur.

## §. V.

### *De ſignis prognoſticis.*

Hvius febris natura ita fallax eſt, & incerta, vt de ipſa præſagia certa non poſſint deſcribi; nam neque ſigna optima ſi ſint, ſalutem portendere valent, neque mortem, ſi mala; ſicque in plurimum ſunt incerta, cùm affectus ſit malignus, & in ſe habeat qualitatem veneficam latitantem, & plus periculi, quàm oſtendit ipſa magnitudo: aliqua tamen trademus, quæ mortem, vel ſalutem portendunt.

*Primum ſignum.*

Eſt ergo peſſimum ſignum in hac febre curationem differre, facilè enim præterit occaſio, & in morbis acutis oportet medicari eadem die, tardare enim in talibus malum eſt, vt inquit Hippocrates 4. *aphor. text.* 10. Et licèt per verbum medicari, intelligant Authores idem, quod expurgari; tamen in rigoroſa ſignificatione ſignificat curare hoc, vel illo medicamento, cuiuſcumque generis ſit, vt ex Ambroſio Calepino deducitur.

*Secundum ſignum ex pulſu deſumptum.*

Aliud ſignum ad præſagiendum deſumitur ex pulſu, qui ſi aliquale ſeruet robur, & æqualitatem, ſpem ſalutis aliquam præbet; è contra verò ſi à principio debilis, & inæqualis exiſtat.

*Tertium deſumptum ex vrinis.*

Ex vrina etiam ad ſalutem, vel mortem indicium ſumimus, quæ ſi rubra, turbida, & ſpiſſa perſeuerat, periculo plena eſt: quod ſi ſubitò, & breui tempore ſimilis naturali appareat, deterior adhuc cenſetur; ſignificat enim omnimodam deiectionem facultatis naturalis excretricis, quæ vrinam veluti percolatam excernit. Verùm ſi vrina ab initio morbi naturali ſimilis perſeueret, bonum portendere ſolet. Reliqua ex prognoſticis Hippocratis deſumes, vbi ex profeſſo de vrinis, quantùm ad prognoſticum ſpectant, ſermonem inſtituit.

*Quartum ſignum ex ſudore.*

Præterea ex ſudore, & ex iis, quæ excernuntur, aut

aut retinentur, ſalutem, aut mortem futuram venari poteris; ſi enim ſudores fiant in diebus criticis, quamuis non fiant cum ſignis ſolutionis, iuuare ſolent, quatenus diminuunt morbi cauſam; aliquando etiam maximè lædunt, quatenus vires deiiciunt, & maiorem in humoribus feruorem concitant; idemque venit intelligendum de aliis excrementorum euacuationibus. Malum etiam eſt, ſi venâ ſciſsâ ſanguis, qui extrahitur, nullum habet vitium; arguit enim putredinem propè cor ſitam eſſe, præterquàm quod multùm lædit ſanguinem optimum, & laudabilem extrahere.

*Quintum ſignum ex maculis deſumitur.*

Ex maculis erumpentibus etiam futurum euentum præſagire poſſumus, ex quibus rubentes meliores ſunt, vtpote quia à benigniori cauſa procedunt; aliæ verò ſunt deteriores, peſſimæ inter has ſunt nigræ.

Rurſus, aut ſunt multæ, vel paucæ, de quibus inquit Fracaſtorius, quod ſi multæ appareant, deterius eſt quàm ſi paucæ. Nos tamen dicimus, maculas ſiue paucas, ſiue multas, tam bonum, quàm malum portendere poſſe; ſi enim multæ videantur, timere poſſumus magnam adeſſe copiam humoris venenoſi, qui citam, & copioſiorem adhuc poſtulat excretionem; & ex alia parte poſſunt ſignificare paruam iam adeſſe materiam intra corpus, & eſſe expulſam maiorem partem illius. Primum malum eſt, nec reſpectu illius aliquid bonum præſagire poſſumus. Secundum melius, quoniam demonſtrat maiorem materiæ veneficæ partem eſſe iam per cutem euacuatam.

Similiter ſi maculæ erumpentes paucæ ſint, contingere poteſt ex eo, quod humor ſit craſſus, & ob eius craſſitiem non poteſt anguſtiſſimos poros penetrare, vel quia facultas naturalis expellens languida nimis exiſtit, & non poteſt talem humorem ad cutem deferre; quod quidem malum, & valdè lethale erit. At verò ſi maculæ paucæ ſint, ex eo quod humor ſit in parua quantitate, neque multùm irritet naturam, tunc quidem melius eſt, & ſalubriter terminabitur morbus.

Sed quod hoc, vel illo modo illud, quod diximus contingat, ex aliis ſignis eſt deprehendendum; nam ſi ex maxima macularum apparitione natura alleuiatur, & pulſus æqualitatem comparet, vrinaque ad melius inclinetur, coniectari oportet humoris venenoſi copiam eſſe euictam, & macularum expulſionem commodo naturæ inſeruire. At verò ſi poſt macularum multarum apparitionem nec pulſus, vel vrina, nec reliqua accidentia miteſcunt, exiſtimare oportet interiùs remanere copiam humoris maligni, qui ægrum ad interitum perducit.

Idemque proportionali modo dicendum eſt de maculis, ſi paucæ appareant; nam ſi illis apparentibus adhuc morbus intendatur, & accidentia ſæuiora ſint, malum minantur, ſiquidem ſignificant naturam non expellere, quia eſt impotens, & laceſſita propter malignitatem, aut craſſitiem humoris putreſcentis. Quod ſi poſt illarum apparitionem accidentia aliquid bonitatis contrahant, vt certum affirmare poſſumus, ideò eas eſſe paucas, quia paucus eſt humor malignus, à quo ipſæ originem trahunt, ac conſequenter in bonum terminari.

*Sextum ſignum, quod deſumitur ex ſanguine è naribus diſtillante.*

Præterea ſanguinis ſtillæ è naribus profluentes malæ ſunt, vt notat Hippocrates *libro coacar. prænotionum*; ſignificant enim humorem ad caput deferri, ad quod ſequi ſolet delirium, vel dolor capitis ingens, vel aliud ſimile accidens.

*Septimum ſignum ex ſurditate deſumptum.*

Surditas etiam inter prognoſtica ſigna huius febris traditur, quæ aliquando malum portendit, aliquando verò bonum. Malam eſſe ſurditatem, quæ in morbis acutis, & turbulentis conſequitur, aſſerit Hippoc. *lib. coacarum prænotionum*; quod confirmat 3. *epidim. in hiſtoria Hermocratis*, qui eſt 2. Ægrotus 1. ſectionis; *& in hiſt. Philiſtis*, quarti Ægroti, quibus ſurditas primis diebus ſuperuenit, & ambo perierunt. Cuius euentus rationem reddit Galenus *in comm.* dum dicit, hoc prouenire ex humorum abundantia, quæ caput inuaſerunt, vt ibi etiam demonſtrat Hippoc.

Quod ſi poſt alia capitis accidentia ſurditas ſuperueniat, & humor ad aures tranſmittatur, & accidentia alia miteſcant, ſolet eſſe ſignum bonum; quare dictum eſt ab Hippoc. 2. *de morbis popularibus, ſect.* 3. quod nulla mulier, cui apparuerunt in cute aſpretudines miliaceæ culicum morſibus maximè ſimiles, & graui auditu fuit prædita, mortua fuit: quod etiam nos in plurimis ægris obſeruauimus.

*Octauum ſignum ex parotidibus acceptum.*

Ex parotidibus ſuperuenientibus ſimiliter futurum euentum præſagire poſſumus, quæ ſi ante coctionis tempus aduenïant, aut acriſias, laborem, mortem, vel diuturnitatem ſignificant, vt teſtatur Hippocrates 1. *epidim. ſect.* 2. ſi verò cum ſignis ſolutionis, iam coctâ materiâ ſuccreſcant, in bonum terminantur; ſunt enim abſceſſus decretorij, vt ipſe ibi etiam oſtendit, & tempeſtiuè fiunt.

Alia ſuperſunt ſigna, vt delirium, lethargus, ſitis, cibi faſtidium, alui deiectiones, & alia huius cenſus, quæ non parùm conducunt ad præſagationem. Quæ omnia attentè ſunt inſpicienda, vt ex omnibus optimum deducatur prognoſticum.

## §. VI.

### *De curatione febris malignæ.*

Magna antiquitus fuit apud Medicos contentio circa huius febris curationem, vt refert Fracaſt. 3. *de curatione, capite* 9. nam cùm eſſet morbi nouum genus illis temporibus, aut inuſitatum, tam varius, & pugnantibus inter ſe accidentibus conſtans, & remedia parum, aut nihil prodeſſe conſpiciebant, quid facere debuiſſent, ignorabant: nos autem qui huius febris naturam, & prauam conditionem patefecimus, & pro comperto habemus, ipſam ex maligna oriri putredine, illique adiungi veneficam qualitatem, aduerſus illam faciliùs pugnabimus, primò victum inſtituentes: ſecundò quid contra morboſum apparatum, & humorum putredinem agendum ſit, declarantes: tertiò remedia contra deleteriam qualitatem apponentes: denique, qua ratione praua, & ſæuiſſima huius febris ſymptomata ſunt compeſcenda, & mitiganda docebimus.

## §. VII.

### *De victus ratione.*

LIcèt in praxi receptum ſit, quod in morbis acutis in principio vberiùs eſt cibandum, prope verò ſtatum, & in ipſo ſtatu tenuiſſimo victu ſit vtendum, vt inquit Hippocrat. 1. *aphor. textu* 10. & hoc quia timor eſt, ne natura diſtrahatur à pugna cum morbo, & morbi materia adaugeatur, vt inquit Galenus *in commento*, eſt enim alimentum naturæ familiare, & natura conuertitur ad illud; eſt etiam ipſi morbo inimicum, & ipſius auget materiam: quam ob cauſam Hippoc. 7. *aphor. textu* 65. ait: *Cibus ſicut ſano robur, ita ægrotanti eſt morbus*; & non pura corpora ex nutritione læduntur, vt ipſe etiam teſtatur 2. *aphor. textu* 10. Cum hoc tamen conſulunt Authores, vt paulò pleniori victu vtamur in his febribus, quàm in aliis morbis acutis; eſt enim qualitas maligna tantæ actiuitatis, vt facilè vires deiiciat, niſi alimento ſubueniantur mediocri; non enim poterunt tam ſæuiſſima accidentia tolerare, niſi cibo paulò pleniori reparentur. Interdum tamen cibi aliquid ſubtrahemus, & interdum apponemus, provt acutiores, aut tardiores vitæ fuerint. Sed ea debet eſſe victûs qualitas, quæ putredini obſiſtat, & veneni qualitatem reſtangat, ſimulque calorem febrilem remittat; in quem vſum conueniunt carnes gallinæ, caponum, & pullorum, & perdicum nouellarum aſſæ, cum ſucco agreſtæ, aut limonis. Quod ſi elixæ placeant, earum ius alterabis, ſi in eo decoquantur agreſta, lactuca, borrago, oxalis, aut ſcariola, & in iure earum parum ſucci agreſtæ, aut limonis eſt iniiciendum. Conueniunt etiam oua ſorbilia recentia, troctæ, piſces ſaxatiles, panatella ex iure carnium facta, & ſuccis acidis cum ſaccharo.

Ex oleribus proſunt borrago, chicoreum, lactuca, ſcariola, oxalis, & portulaca: ex fructibus pruna, & ceraſa acria, poma acida, mala medica, & melonis optimi fruſtulum.

Quod ſi cibi faſtidium nimis infeſtat, alia alimenta ſunt eligenda, quæ licèt non multùm conferant, guſtui tamen grata ſint; nam parum deterior cibus, ſuauior quidem, melioribus eſt præferendus, vt inquit Hippoc. 2. *aphor. textu* 38. cogendique ſunt ad cibum capiendum, vt inquit Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 4. nam qui viriliter agunt, & comedunt, liberantur; qui enim ſibi ipſis vim afferunt, & cibum oblatum aſſumunt, ſuperſtites euadunt, vt refert Galenus 3. *de morbis popul. comment.* 3. *ſuper textum* 58. Potus ſit aqua radicis ſcorcioneræ, aut ſeminis, vel corticis citri, vel limonis, aut aqua hordei, vel oxalidis: præſtantior tamen eſt aqua deaurata, in qua ſæpe aurum ignitum extinguitur, & aqua vnicornij.

Vinum omninò interdicendum eſt, quia agitationem, & ebullitionem humorum efficit. Quod ſi ob aliquod accidens, videlicet ob virium deiectionem, aut affectionem ventriculi illud propinare cogamur, ſit nimis aquâ dilutum.

Somnus ſit moderatus, quem interdicere debemus ſtatim à cibi aſſumptione, & in ipſis acceſſionibus; præcipuè tamen minùs eſt dormiendum, dum maculæ exire incipiunt, vt aliqui aſſerunt; nam calor per ſomnum ad intra recurrit, & qui dormit, calidior eſt interiùs, frigidior verò exteriùs, vt docuit Hippoc. 6. *epidim. ſect.* 4. *text.* 11.

Aër ſit purus, ad frigiditatem vergens, vt ſic per inſpirationem attractus interiora refrigeret; cauere tamen oportet, ne cutem tangat; nam ſua frigiditate cutem denſando, & comprimendo, fluxum vaporum putridorum ad extra prohibebit, vt docuit Galen. 10. *methodi*, *cap.* 8. ſed potiùs tegumentis æger ſit benè coopertus, & ea non mutare conuenit vſque ad morbi declinationem, ne ipſa ſuâ frigiditate etiam cutem conſtipent, & maculatum erumpentium motum prohibeant.

Aluus debet eſſe lubrica, ita vt ſingulis diebus euacuetur, ſin minus, ſequens enema iniiciatur. ℞. decocti hordei, prunorum, foliorum maluarum, violarum, & lactucæ ℥. x. olei violarum, & roſarum, ana ℥. j. ß. ſacchari nigri ʒ. ij. pulpæ caſſiæ ʒ. j. miſce pro clyſtere.

## §. VIII.

### *Quid agendum eſt circa morboſi apparatus remotionem.*

QVamuis morbus ſuam per contraria expoſtulet curationem, nihilominus ſi ipſe dependeat à cauſa, minimè auferri poteſt, niſi prius cauſa illum conſeruans auferatur; quod ſatis diffuſè pertractauimus dum de febrium putridarum vniuerſali curatione egimus. Et quia hæc febris ita ab humoribus malignè putreſcentibus dependet, vt auferri non poſſit ſine humorum detractione, & correctione; ideò ab illis curationis prima indicatio ſumenda eſt, quâ ſimul febrem attemperabimus, & prauam febris qualitatem compeſcemus, quam ante oculos ſemper habere debemus, & remediis antequam hominem perdat, propulſabimus.

Cùm igitur hæc febris maligna habeat pro fundamento morboſum apparatum, & aliquando ſit in ſanguine, aliquando verò in tota maſſa ſanguinaria, vel in aliquo humore redundante, in quo concipitur praua illa putredo, & aliis communicatur, ita vt totam maſſam ſanguinariam inficiat, ab humorum detractione incipienda eſt curatio. Sed quia hæc maligna qualitas habet maiorem analogiam, & proportionem cum ſanguine, quàm cum reliquis humoribus, etiamſi aliqua adſit cacochymia, à ſanguinis miſſione eſt auſpicandum, vt conſulunt omnes, neque alia ratione poſſumus ſanguinis euacuationem moliri, ſiquidem nullo medicamento expurganti adhibito euacuatur. Quod ſi febris fuerit biliosa, aut pituitoſa, ita vt in ipſis magis vigeat putredo, cum hoc tamen venæ ſectio eſt imperanda, quam conuenire diximus omnibus febribus putridis. Et licèt humoribus putridis debeatur expurgatio, in hac tamen febre ex humorum agitatione, & commotione praua, & maligna qualitas in omnes humores ſe inſerit, & totam maſſam ſanguinariam inficit.

Cum hoc tamen, quando conſtat Medico in ventriculo, & inteſtinis adeſſe copiam crudorum humorum, qui impediunt ſanguinis miſſionem, optimum conſilium erit purgans, & maximè clemens medicamentum propinare, ad hanc implendam intentionem; quod vtique conſulit Manardus *libro* 13. *epiſt. epiſtol.* 1. & eo vt conuenienti *Manardi obſeruatio.* auxilio

auxilio ferè ſemper vſus fuit in principio cuiuſvis curationis febrium putridarum cum felici ſucceſſu. In quem vſum conferunt ſyr. Principis cum decocto tamarindorum, florum cordialium, & foliorum ſennæ, vel ſeminis cartami, vel manna electa, aut pulpa caſſiæ; hoc tamen efficere debet Medicus prima, vel ſecunda die. Quod ſi præ temporis anguſtia, & quia primis diebus non fuit vocatus Medicus, non poteſt tali præſidio vti, iniecto aliquo clyſtere euacuanti ſtatim ſanguis eſt extrahendus. Clyſter autem ſic eſt parandus. ℞. decocti hordei, radicis altheæ, florum violarum, & borrag. florum maluarum, & lactucæ ℥. x. ſucci roſarum perſicarum ℥. j. catholici ʒ. j. ſalis ʒ. j. olei violarum ℥. ij. miſce pro clyſtere.

Sanguis præterea eſt extrahendus non ſemel, ſed bis, aut pluries, habitâ ratione conſtantiæ virium, plenitudinis, & morbi; idque ex baſilica brachij dextri, deinde ex baſilica ſiniſtri, & ſic deinceps.

*Sanguis extractus optimè confert.*

Quod ſi ſanguis ex talo extrahatur, non erit præter rationem in hac febre, & aliis peſtilentibus, quod deſumitur ex Galen. *libello de ſcarificatione*, qui ſibi ipſi crura ſcarificare iuſſit; duaſque ferè libras ſanguinis detraxit in quadam peſtilentia, qua ipſe etiam fuit correptus, & ſic periculum vitauit; nam ſic reuellitur humor, & venefica qualitas ad diſtantiſſimas partes fertur, & ſimul plenitudinem deponimus, ſi in morbi principio fiat.

*Obſeruatio circa venæ ſectionem ex talo.*

Ego autem cum felici ſuceſſu ſemel, aut bis ſanguinem ex talo detraxi poſt apparitionem macularum, exiſtentibus adhuc ſcopis mittendi ſanguinem; quo auxilio venenum à corde ſeparatur, & humor reuellitur: præſertim ſi timor eſt, quod humor ad cerebrum moueatur, optimè venæ ſectio ex talo adminiſtrari debet, quia ſic illius motum ſedamus. Sed non poteſt tranſigi ſine controuerſia id, quod nunc proponitur.

## §. IX.

### *An apparentibus maculis expediat ſanguinem mittere.*

HÆc quæſtio non ſolum procedit de maculis ad cutem erumpentibus, ſed etiam de omnibus affectibus cutaneis. Aliqui exſtimant, nullo modo ſanguinem eſſe mittendum in exitu macularum, quorum fundamentum eſt, quia per ſanguinis miſſionem mouentur humores ex circunferentia ad centrum, id eſt ex cute ad interiores partes: quod eſt maximum inconueniens, ſiquidem mouentur humores contra impetum naturæ; quod probatur, nam venæ per ſanguinis miſſionem exinanitæ debent repleri neceſſariò, ne detur vacuum: ſed nullum aliud reperitur, quod ſuccedat ad vacuum adimplendum, quàm humor in cute exiſtens: ergo debet retrocedere ad venas. Minor ſyllogiſmi, in qua tota argumenti vis conſiſtit, experimento quotidiano probatur; nam ſtatim ac mittitur ſanguis, facies ægroti, & cutis dealbeſcit; quod non poteſt contingere, niſi ratione retroceſſus humoris, qui erat in cute; & ad hoc periculum fugiendum Auic. in exitu variolarum ſanguinis miſſionem interdicit. Et *fen.* 6. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 9. in his qui morſi ſunt à ſerpente, vel cane rabido, prohibet venæ ſectionem, ne venenoſa ſubſtantia, quæ propè cutem exiſtit,

A ad interiora trahatur. Quod vltimò probatur iuxta Hipp. ſententiam 1. *lib. aphor. textu* 21. vbi inquit, nos debere euacuare per conuenientem regionem, per quam natura mouet. Et Galenus *in comment.* inter conuenientes regiones annumerat cutem, ad quam humores mouentur potiùs per cucurbitarum admotionem, quàm per ſanguinis miſſionem, ita vt exiſtente plenitudine ſcarificatæ, ſine plenitudine abſque ſcarificatione applicentur.

Horum tamen ſententia ſuſtineri nequit, neque admitti poteſt, quod exiſtente plenitudine, & humorum craſſitie cutis ſit conueniens regio, per quam tales humores ſufficienter euacuentur; neque ex venæ ſectione ad intra colligitur humor. Quod probatur 1. ex Gal. *lib. de ſanguinis miſſione, cap.* 8. vbi ait in humoribus ad carnem, & cutem confluentibus totam curationis methodum ſitam

B eſſe in partium corroboratione, præcedente tamen vniuerſali euacuatione per ſanguinis miſſionem, aut expurgationem facta. Quod etiam probatur ratione; nam ſi humores per ſanguinis miſſionem à cute retrocedunt in partes internas, ſequeretur, quod in inflammationibus internis, iecoris ſcilicet, & pulmonis, non eſſet vtilis ſanguinis miſſio, cuius contrarium in praxi demonſtratur. Sequelam probo, nam ſi per ſanguinis miſſionem humores ad intrà recurrunt, mouentur quidem versùs partem inflammatam, ex quo ipſa inflammatio adaugeretur, quod nullus dixit. Et Hippocrates 4. *de ratione victus*, in dolore pleuritico iubet ſanguinem mittere, vt humor interiùs exiſtens ad extrà reuocetur. Si igitur huiuſmodi auxilium ad extra humores attrahit, & hanc ob cauſam adhibetur inflammationibus internis, nequaquam eſt dicendum;

C quod humores ad intrà mouet. Præterea Galenus *lib.* 4. *de ſanitate tuenda, cap.* 5. tradens curationem laſſitudinis cum abundantia humorum crudorum in primis venis, docet ſanguinem non eſſe mittendum, ne humores crudi, qui ſunt in prima regione, ad venas maiores ducantur: ex quo deducitur, ſanguinis miſſionem ex profundioribus locis ad exteriora humores mouere potiùs quàm ad interiora.

Similiter Hippocrates in pleuritidis curatione docet, ſanguinem eſſe extrahendum vſque ad coloris mutationem; in quo euentu neceſſariò fateri tenemur, ex ipſa parte inflammata, quæ intus exiſtit, humorem ad extrà ferri, & non ad intra; ſiquidem in parte inflammata ſanguis, qui extrahitur, coloris mutationem accepit.

D Tandem idem probatur in affectuum cutaneorum curatione, in quibus poſt ſanguinis miſſionem; non ſolùm humor ad intra non mouetur, ſed in cute in maiori copia apparet; nam exonerata natura fortiùs mouetur contra cauſam morbificam, & illam ad cutem maiori vi impellit.

Si igitur in macularum eruptione abſint ſcopi mittendi ſanguinem, nequaquam ob dictum inconueniens ſanguinis extractio interdici debet, ſed ſtatim eſt ſanguis extrahendus, vt depoſitâ multitudine, natura potentior reddatur ſupra reſiduum; quo tempore citiùs, & meliùs natura ſe per cutem exonerat, quoniam viæ ſunt minùs obſtructæ, & humores fluxibiliores, & ad motum aptiores.

Vnde ad rationes, & authoritates in oppoſitum reſpondetur. Ad primam negando totum illius fundamen

fundamentum : & ad probationem dicimus , non ſemper faciem dealbari , & mutare colorem in ſanguinis miſſione. Quod ſi aliquando accidere videatur , non fit quia humores ad intra fluunt ad implendum vacuum , ſed ob timorem , vel animi deliquium , quod aliquibus ægrotantibus ſuperuenit. Neque eſt neceſſarium , vt humores cutanei repleant vacuum derelictum à ſanguine extracto ; nam ſanguine euacuato , tunicæ venarum concidunt in ſeſe , & illud ſpatium occupant ; vel à vaporibus ex ſanguine elatis ille locus repletur , vel ab ſpiritibus vitalibus , quos propter anaſtomoſin ab arteriis in venas adhuc citra ſanguinis euacuationem quotidie migrare ſcimus.

Ad Auicennam reſpondetur , ſanguinis miſſionem interdicere in exitu variolarum , nullâ exiſtente plenitudine ; non tamen eam prohibet , ſi non ſit ſufficienter depoſita ſanguinis copia , vt cuilibet legenti caput 10. *fen. primæ* , *lib.* 4. *tract.* 4. conſtabit.

Ad alium Auicennæ locum reſpondetur , quod quando venenum ex morſu animalis contractum iam ad interiora peruenit , non prohibet ſanguinis miſſionem ; nam tunc ſimul cum ſanguine plurima quantitas venenoſæ ſubſtantiæ euacuatur : at verò in principio , quando venenum nondum diſtributum eſt , prohibet tale remedium , & meritò , non quidem quia ſanguis ad intrà colligitur , ſed quia per ſanguinis miſſionem maxima ſpirituum copia exhauritur , ad quorum reparationem arteriæ magis dilatantur , vt aërem faciliùs , & commodiùs attrahant , cum quo ſimul etiam venenum attrahunt.

Neque ſanguinis miſſionis defectus ſuppleri poteſt cucurbitularum admotione , modò ſint cum ſcarificatione , modò ſine illa , præſertim plenitudine exiſtente ; ſiquidem non poſſunt tantam humorum copiam ad cutem reuocare. Quare non ſunt ſequendi Matthæus de Gradi , Philonius , Nicolaus Florentinus , & alij , qui in exitu variolarum ſanguinis miſſionem interdicunt , non alia de cauſa , niſi quia humor ad cutem vergens impeditur : imò ex eorum doctrina ſequeretur , quod adhuc antequam apparere incipiant variolæ, & alij affectus cutanei , nequaquam eſſet ſanguis mittendus , cuius contrarium omnes confitentur. Patet ſequela ; nam ſi ſanguinis miſſio timetur propter retroceſſum humorum exiſtentium in cute ad interiora , idem timere poſſumus ante variolarum , & exanthematum eruptionem ; & ſic per illam ſi fiat , neceſſariò impedietur motus naturæ ad extra. Cùm ergo ante variolarum eruptionem ex ſanguinis miſſione vtilitas ſequitur , nec naturæ motus ad extra impeditur , neque impediri poteſt poſt illarum exitum.

*Nota.* Sed licèt hæc veritatem contineant , aduertere tamen oportet , quod dum ſanguinem extrahimus , exire ſolet bonus , & laudabilis , miniméque à natura alienus , quod indicium eſſe ſolet putredinis iuxta cor latitantis : & quamuis tales ſanguinis miſſiones vires deiiciant , non tamen ab illis eſt abſtinendum , ſi vires validæ ſint , ſed potiùs ſunt multiplicandæ , donec ex minera putredinis aliquid extrahamus , vt rectè animaduertit Ludouicus Mercatus.

## §. X.

### *De cucurbitarum vſu.*

PLura ſequuntur commoda ex cucurbitarum vſu , vt videre eſt apud Paulum *lib.* 6. *cap.* 41. & apud Celſum *lib.* 2. *cap.* 11. & apud Auicen. Oribaſium , & alios : præcipuè tamen deſeruiunt ad humores foras extrahendos , & ex profundis partibus ad cutem euocandos , quibus inquit Celſus,vti poſſumus in medio febris impetu ; illæ tamen non conueniunt in ipſis affectuum initiis , neque cùm corpora ſunt plethorica , vt docent Paul. *loco proximè cit.* & Galen. *libello de hirudinibus , & cucurbitulis , cap.* 3. Quapropter factâ ſanguinis ſufficienti detractione , illis ſecurè vti poſſumus , quæ etiam à principio conueniunt illis , qui ob virium iacturam non poſſunt ferre ſanguinis miſſionem , quibus hoc tutiſſimo remedio ſuccurrimus ; nam licèt ſcarificentur , non multùm vires exſoluuntur ex ſanguinis per illas detractione ; cùm talis euacuatio non fiat ex vaſis maioribus , in quibus maxima ſpirituum copia continetur ; ſed potiùs fit ex exilibus venis , & ex ſanguine , qui roris modo in ipſa carne eſt diſperſus , ex cuius euacuatione nulla ſpirituoſa ſubſtantia euacuatur , ac per conſequens parua fit virium exſolutio. Cùm igitur huius febris venenum natura ad cutem tranſmittere tentet , hoc ſecuriſſimo remedio illam adiuuare debemus , quo ipſum à corde ſegregamus , & ad cutem tranſmittimus ; eas tamen aliquando ſcarificare decet , vt maior fiat veneni attractio. Quod ſi crura ſcarificentur , maximi emolumenti eſſe cenſuit Galenus , adhuc in ipſo morbi principio , & nulla præcedente euacuatione , dummodò cute ſcarificata plurimùm ſanguinis detrahatur , qui plenitudini ſatisfaciat , vt in ſeipſo , & in aliis fuit expertus Galen. qui febre peſtilenti correptus crura ſcarificauit , & copioſè ſanguinem eduxit , & ſuperſtes euaſit. Cuius rationem iam ſuprà aſſignauimus : reuellitur enim humor , ac venenoſa ſubſtantia ad diſtantiſſimas partes , & longiſſimo diſſidet à corde interuallo ; quod minimè efficiunt cucurbitæ prope cor adhibitæ , quæ versùs ipſum potiùs humorem mouent.

Neque contra hanc doctrinam valet cuiuſdam Authoris opinio , qui aſſerit talem naturæ motionem non eſſe adiuuandam ; nam illa macularum excretio eſt ſymptomatica , quæ potius vi morbi , quàm lege naturæ fit ; ſiquidem ſine ſignis coctionis ad cutem excernitur ille humor , non quia natura velit expellere , ſed quia vi morbi ad expulſionem cogitur ; & hanc ob cauſam Galen. 4. *aphor. comment.* 22. improbat euacuationes , quæ morbis quibuſlibet incipientibus fiunt , quas inquit eſſe lethales , quia tunc nihil excernitur naturæ ratione , & illo tempore benè aliquid euacuari aſſerit eſſe impoſſibile. Si igitur huiuſmodi euacuationes non ſunt vtiles , imò inter lethales reponuntur : ergo nequaquam iuuari debent , ac conſequenter in hac febre cucurbitarum vſus eſt interdicendus.

Sed licèt iſte Author probabilia loqui videatur , cum hoc tamen ſtat , quod euacuatio , quæ ratione temporis tantùm eſt ſymptomatica , poſſit eſſe vtilis , ſiquidem per illam euacuatur humor noxius morbum efficiens , & in aliquorum morborum initiis videmus aliquas euacuationes , vt alui fluxum , quæ morbum minuunt ; dicuntur tamen

men lethales, quia prauæ affectionis ſunt ſigna, etiamſi morbi materia diminuatur. Ita ſimiliter puncticulæ, quæ ad cutem expelluntur, poſſunt naturam adiuuare, quatenus ſic materia febris malignæ minor redditur, licèt ſint prauæ affectionis ſignum: cum hoc tamen optimum conſilium erit naturam imitari illius motum adiuuando, præterquàm quod in venenoſis affectionibus, quarum materia non benè per coctionem emendatur, non eſt tutum coctionem expectare, ſed ſtatim quantum poſſibile fuerit, naturam adiuuare, vt illam ad extra pellat; & hoc quidem aſſequeris cucurbitarum admotione, & aliis remediis ad extra humorem ducentibus.

## §. XI.

### *De humorum præparatione, & purgatione.*

HÆc febris talis eſt naturæ, vt dictis auxiliis non cedat, ſed alia ad ipſius ablationem expoſtulet, quibus à prima morbi inuaſione vti debemus; ea tamen habeant vim præparandi humorem ad expurgationem, iuxta ideam humoris prædominantis, ſimulque febrem extinguant, & illius effrænatam qualitatem; ad quam vtilitatem adminiſtrari debent ſyrupi, decoctiones, & apozemata, quæ quidem aſſumantur non ſolùm vna vice, manè ſcilicet, provt eſt in vſu; ſed duabus, aut pluribus, & in maiori quantitate conſuetâ. Syrupi ergo ſint violarum, borrag. chicorei, ſcorcioneræ, oxalidis, acetoſus, ſucci limonum, & agreſtæ, & diſſolui debent cum aquis ſtillatitiis, aut decoctionibus bugloſſæ, borrag. chicorei, ſcorcioneræ, oxalidis, hordei, & ſimilibus, quibus admiſcebis aliquid electuarij de gemmis, diamarg. frigidi, margarit. præp. vel conf. iacinthorum, aut lapid. bezoar, in hunc modum. ℞. ſyrup. oxalidis, & borrag. ana ℥. j. aquæ chicorei, & bugloſſæ, ana ℥. iij. elect. de gemmis ℈. j. lapidis bezoar g̃. iiij. miſce. Quod ſi decoctionibus vti placuerit, vtiliſſimum iudico decoctum, quod recipit hordei mundi p. ij. radicum ſcorcion. & chicorei, & tormentillæ, ana ℥. ß. florum violarum, borrag. & bugloſſæ, ana p. j. ſem. oxalidis, & citri, ana ʒ. j. ſcabioſæ p. j. coquantur omnia ſecundùm artem in libris ſex aquæ ad tertiæ partis conſumptionem, & colaturæ adde ſacchari, quod ſit ſatis ad gratum ſaporem, ſucci granatorum, & limonum, ana ℥. ij. ſyrup. acetoſi, & borrag. ana ℥. j. miſce, de quo manè, & veſperè æger bibat ℥. vj. Quod ſi illud pretioſius efficere volueris, illi addes puluer. lapidis bezoar g̃. x. confect. iacinthorum, & alchermes, ana ℈. ij. electuar. de gemmis ʒ. j. miſce.

*Quo tempore ſit purgandum.*

Deinde antequam maculæ apparere incipiant, dubitant an ſit adhibendum medicamentum purgans, humorem minuens; ſi verò maculæ iam erumpunt, periculo plenum eſt naturæ motum impedire, quod quidem medicamentum purgans efficit ad intra humores trahendo. Sed hoc ſine controuerſia tranſigi non poteſt; nam in morbis peſtilentibus, & malignis purgationes lædere ſolent: ergo non ſunt admittendæ purgationes. Antecedens conſtat ex Hippoc. 3. *epidim. ſect.* 3. *textu* 59. qui in quadam peſtilenti conſtitutione ait, quod purgationes multos offendebant, & citò multi peribant: & textu ſubſequenti *in comment.* Galenus aſſerit, quod in peſte quæ ſua tempeſtate vulgata erat, ex purgatione omnes moriebantur; accidebant enim colliquationes, & hanc ob cauſam renuebant vſum medicamentorum expurgantium. Cùm igitur febris hæc parum diſtet à peſtilentibus, medicamenti expurgantis vſum etiam illi denegare debemus.

In huius rei confirmationem plura adducere poſſumus: ſed quia in curatione febrium vniuerſali latè ea ſunt pertracta, conſultò omittimus.

Pro alia tamen parte ſtat authoritas Galeni 5. *meth. cap.* 12. vbi inquit, quod in quadam peſte omnes ferè euaſerunt, qui fuere purgati, aut illis venter profluxit; & poſt purgationem liberati fuerunt omnes, quibus exanthemata toto corpore apparuerunt. Ex quo Galeni loco deducitur, quantæ vtilitatis ſit ante exanthematum, & macularum apparitionem ventrem ſoluere. Idemque teſtatur Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 4. vbi ait, quod in febre peſtilenti ſtatim ſunt ægri ſanguinis miſſione, & expurgatione euacuandi; ſic enim depoſitâ humorum ſarcinâ, faciliùs quod remanet, natura ſuperabit, & ad cutem tranſmittere poterit. Præterea cùm iſti humores ob ſuam malignam qualitatem natura ablegare nititur, hoc efficit ab initio febris; & ſi non efficit, eſt quia eſt impotens, & ſuum munus exequi nequit; ideo conſultò Medicus ipſam naturam æmulando poterit ventris euacuationem moliri.

Neque euertit hanc doctrinam Hippocratis placitum, qui *lib. de medicamento purganti*, interdicit expurgationem arte factam in febribus acutis, quouſque remittatur febris; nam Hippocrates, & antiquitas vtebantur medicamentis fortiſſimis, ex quorum vſu maxima humorum commotio fiebat, febriſque adaugebatur: at noſtris temporibus ſunt clementiora, & benigniora catarctica, quibus ſecurè vti poſſumus in ipſis febribus acutis, vt oſtendunt Manard. *libro* 13. *ſuarum epiſt. epiſt.* 1. & Alfonſus Lupeius *tractatu de morbo puſtulato*, & iam ab omnibus recipitur.

Quapropter inquit Mercatus quarto, aut ſexto die, vel quinto, ſi diebus imparibus non multùm vigeat febrilis acceſſio, antequam ſcilicet exanthemata apparere incipiant, maxima cum ſecuritate vti poſſumus clementibus medicamentis, quæ electiuè humorem ducant, dùmmodò ratione cruditatum prima, vel ſecunda die non fuerit facta purgatio; quo caſu factâ in illis diebus expurgatione, ad expurgationem expectare debemus remiſſionem febris, vt præcepit Hippocrates. Purgandi ſunt igitur humores habitâ ratione ad humorem, in quo magis vigere putredinem, & malignam qualitatem iudicemus; idque efficere poſſumus infuſione aliqua rhabarb. aut agarici trochiſcati, cum ſyrup. ſolut. roſarum perſicarum, vel ſyrup. Regio, aut cum caſſia, vel manna, aut diacathol. in decocto Pugini diſſoluto. Si enim fortiora ei tribuas, maximam ebullitionem, & humorum efferueſcentiam concitabis. Sufficiunt ergo benigna medicamenta, quibus manum naturæ porriges, vt leui adiuta auxilio humores, quos pellere intendit, facilè trudat. Verumtamen ſi expurgatio feliciter iuxta Medici intentionem non ſuccedat, aut eam non audeas exercere ob febris intenſionem, vel ob alias cauſas, aut quia ſanguis magis eſt infectus quàm alius quiuis humor, vel quia ex vſu medicamenti purgantis poſſumus timere maiorem efferueſcentiam, & ebullitionem humorum, tunc quidem licebit adminiſtrare clyſterem, qui parari poteſt ex decocto hordei, &

maluarum, cum oleo violarum, pulpa caſſiæ, & diacatholicone.

Sed quia poſt purgationem, vel clyſterem, dum maculæ erumpunt, & morbus properat ad ſtatum, grauiora, & ſæuiora ſuccreſcunt accidentia, quorum correctio in ablatione malignæ qualitatis præcipuè conſiſtit, & etiam in cohibitione putredinis, & remiſſione febris, ſequens dubium ſoluendum eſt.

## §. XII.

### *Quid aduerſus prauam qualitatem, & alia ſit agendum.*

CVm huius febris natura ex maligna qualitate, & putredinali calore conſtet, auxiliis etiam putredini, & malignæ qualitati aduerſantibus vti decet: quapropter à principio alexipharmaca per ſe, vel aliis admiſta ſunt exhibenda: quæ omnia magis calida, vel frigida adminiſtrari debent, iuxta naturam caloris febris; ſi enim nimis intenſus ſit, claret quod frigidiora alexipharmaca, & reliqua expoſcit; & contrà ſi remiſſus appareat, non indiget refrigerantibus in eadem intenſione, quod maximè noſſe oportet, vt nobis feliciùs ſuccedat.

Sed quia huius malignæ qualitatis natura eſt nobis incognita, neque in primis qualitatibus ſtat, ſed eſt ex illis qualitatibus, quas occultas, ſeu à ſubſtantiæ proprietate vocant, remedia etiam illi obſiſtentia ſunt illa, quæ à proprietate occulta operantur; quæ quidem conuenire diximus in febribus etiam peſtilentibus, quæ præter calorem hac ſimili praua qualitate conſtant, quæ niſi per alexipharmaca, & à virtute occulta operantia auferri nequit.

Sed licèt hæc doctrina ab omnibus fermè recentioribus ſit recepta, & omnes pro curandis febribus malignis, & peſtilentibus remedia cordialia occultè operantia admittant, ea tamen plurimùm diſplicet Alfonſo Lupeio Curuleano, imò abhorret eam, qui inutilem cenſet eſſe vſum horum remediorum, neque admittit electuarium de gemmis, margaritas, confectiones mirabiles iacynthorum, & alchermes, nec terram ſigillatam tantoperè commendatam à Galen. neque lapidem bezoar ex Orientalibus Indiis à Luſitanis adſportatum, & alia alexipharmaca ſimilia.

Sed pace tanti viri, eius opinio vt ſingularis eſt omittenda, neque tutum eſſe iudico, præſertim in re ita difficili, & neceſſaria, à communi, & à doctioribus recepta ſententia deuiare, qui vnanimiter teſtantur, talia alexipharmaca maximè febribus peſtilentibus, & malignis conuenire; in quem vſum commendant ſuperiùs traditas confectiones, & alias, quas longum eſſet recenſere. Si enim cordi calido ſolùm frigida, & qualitate manifeſtâ conſtantia conueniunt, quam ob cauſam theriacam in affectu calido peſtilenti tanti faciunt Authores? præſertim Galen. *lib. de theriaca ad Pamphilianum*, vbi refert ex theriacæ vſu tempore peſtis in Italia incolumes euaſiſſe. Si igitur tantummodò ſua qualitate manifeſta operaretur, vtique calefaceret, & morbum calidiorem redderet, & conſequenter grauiorem. In rabie etiam, quæ paſſio ſicca eſt, theriaca vtitur Aëtius, quâ rabiem adhuc confirmatam ſanat; quod neutiquam fieri poſſet, ſi qualitate manifeſta tantùm operaretur, cùm notum ſit, the-

A riacam antiquam eſſe calidam, & ſiccam, quæ calore, & ſiccitate potiùs rabiem adaugere neceſſariò deberet.

Quid etiam referam de terra ſamia, quam omnes, qui Romæ aſſumpſerunt in magna quadam peſte celeriter curati ſunt, vt oſtendit Galenus 9. *ſimplicium*; quibus verò non profuit, nec alio auxilio adiuuabantur: cuius euentus cauſa neque poteſt reduci ad ſiccitatem medicamenti huius; neque quod experientia demonſtrauit, negari debet, vt iſte Author facit. Quid etiam dicam de lapide bezoar tot encomiis laudato, quem maximè prodeſſe comperimus in affectibus peſtilentibus, & malignis, humores veneficos à corde ſeparando, & ad cutem per ſudorem transferendo; de quo periculum eſſe factum vidi in noſtra Hiſpania miſerrimo illo anno milleſimo quingenteſimo nonageſimonono, ex cuius aſſumptione plu-
B res liberatos vidi, quo tempore mors nemini ferè parcebat, qui illa venefica lue fuerat infectus. Iam ſcio te poſſe dicere, hunc lapidem ſudorem ſuo calore prouocare. Sit ita, ſed qua ratione alia, quæ eundem, vel intenſiorem caloris gradum habent, eadem vi non pollent, cùm tamen calor habeat quo humores attenuando, eos ad cutem ducere poterat? Cùm igitur hoc non faciant, neceſſariò in lapide iſto aliquid peculiarius reperitur, quod ſudorem prouocet, quod quidem aliis deficit. Quid tamen illud ſit, ignoramus, atque adeò ad occultam proprietatem, vt ad anchoram confugimus. Sic ſimiliter medicamentis ſolutiuis dicimus quandam ineſſe proprietatem à primis qualitatibus longè diſtinctam, quæ ventris ſolutionem cauſat; & in hydrargyro aliam, quæ ſudorem, & vtramque aluum mouet: quod fortaſsè neque ipſe negabis, cùm facilè probari poſſet. Si igitur occultas eſſe in rebus
C proprietates, earum effectus oſtendunt, non eſt quod difficilè feras, eas alexipharmacis conuenire, quæ ad hoc à natura ordinantur, vt ſcilicet morbis malignis, & operantibus à tota ſubſtantia opponantur. Sed ad propoſitum redeamus.

Facta iam venæ ſectione, & aliis, cucurbitarum applicatione ad extra reuocabitur humor, cuius putredinem, & prauam qualitatem corrigemus ſyrupis ſuperiùs ſcriptis, & aquis ſtillatitiis cordialibus, quibus non ſemel, ſed bis æger vtatur quotidie, & in quantitate maiori aſſueta, vt iam dictum eſt: in quem vſum parari etiam poteſt ſequens apozema. ℞. hordei mundi, & chicorei, ana p. iij. corticum radicum angelicæ, borrag. bugloſſæ, & ſcorcioneræ, ana ℥. j. foliorum oxalidis m. j. florum violarum. borrag. & bu-
D gloſſæ, & quatuor ſeminum frigidorum maiorum, ana p. j. omnia coquantur in ℔. x. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem, & colaturæ adde ſacchari albiſſimi ℥. iiij. ſyr. de ſucco limonis, & ſcorcioneræ, ana ℥. iiij. & pro diuitibus adde pulu. elect. de gemmis ʒ. j. ß. confect. iacynthorum ʒ. j. pulu. lapidis bezoar ℈. x. ex quibus omnibus fiat apozema deſeruiens ad febrem malignam ſanguineam, & bilioſam. Pro melancholica verò & pituitoſa addere poſſumus petroſelini radicem, folia borraginis, paſſulas ſine vinaceis, & pruna damaſcena, & detrahimus oxalidem, & quatuor ſemina frigida; & loco ſyruporum ponimus alios, borrag. ſcilicet, de pomis, & de ſcorcionera. Ante tamen apozematis aſſumptionem vtile erit aſſumere tabellam manus Chriſti, vel ſcorcioneræ radicem, vel cucurbitam ſaccharo conditam,

condîtam : deinde ſuperbibat æger ℥. vij. vel viij. prædicti apozematis. Quod ſi ob ingratum ſaporem illud abhorreat laborans, loco prædictarum radicum aquas ſtillatitias apponemus, vt ℞. aquarum bugloſſæ, borrag. oxalidis, ſcorcioneræ, & chicorei ana ℔. ß. ſyrup. borrag. & acetoſi, ana ℥. iiij. miſce : antea tamen aſſumat præſcriptas tabellas, aut iſtas, quæ recipiunt elect. de gemmis ʒ. ß. margarit. præparat. ʒ. j. lapidis bezoar ℥. xij. ſacchari quod ſufficiat, vt tabellæ formentur; quibus etiam vti poterit alimentis commiſtis, ſic enim magis prodeſſe ſolent; nam cùm alimenta, vtpotè magis familiaria, amplectatur natura, ſi alexipharmaca illis admiſceantur, meliùs ab ipſa natura recipiuntur, quàm per ſe ſumpta, quo fit vt quotidie aſſumantur in iuſculis, & aliis rebus alimentitiis; inter alia tamen ſummoperè confert lapis bezoar, qui roborat cor, virtutem vitalem confirmat, veneni malitiam refrangit, & humores mouet ad cutem ſudorem prouocando : quapropter eo vti debemus, vt faciliùs maculæ erumpant, & maligna qualitas refrangatur; & quando die decretorio natura ſudorem mouet, & hoc pigrè efficit, licebit tunc aſſumere ℥. v. aut ſex huius lapidis, & deſuper bibere ℥. v. vel ſex aquæ bugloſſæ, vel ſcorcioneræ, & in febre maligna pituitoſa, ſeu melancholica ſuperbibat decoctum ſcordij, radicis angelicæ, dictami, & ſcorcioneræ. Confert etiam aſſumere confect. iacynthorum quantitate ʒ. j. in aqua ſcorcioneræ, aut oxalidis diſſolutam, vel confect. alchermes, deinde ſuperbibere decoctum prædictum.

*Lapidis bezoar vtilitas maxima.*

Veruntamen ſi his non refrangatur hæc maligna qualitas, confici etiam poſſunt electuaria, inter quæ hoc mirificam virtutem poſſidet. ℞. conſeruæ violarum, borrag. & bugloſſæ, ana ℥. ij. confect. iacynthorum, & alchermes, ana ʒ. j. electuar. de gemmis ℈. ij. margarit. præp. & oſſis de corde cerui, ana ℈. j. lapid. bezoar ℥. x. theriacæ magnæ, ſi febris non ſit nimis intenſa, ʒ. j. foliorum lauri n. ij. ſyrup. acetoſitatis citri, & borraginis, ana partes æquales : miſce, & fiat electuarium, de quo veſpere, & mane ante ſyruporum, aut apozematum aſſumptionem accipiat æger cochlearium vnum. Firmant etiam membra, & ſimul venenum reprimunt tabellæ ex terra ſigillata, & lapide bezoar confectæ, vel tabellæ diamargaritonis frigidi. Alia quamplurima apud varios Authores ſcripta reperire poteris, ea tamen relinquimus, ne confuſionem pariant.

*Quæ exteriùs cordi admouentur.*

Interdum dum hæc fiunt, exteriùs etiam admouebis quæ eadem virtute polleant. Cordi igitur prouidebis, ſi febris intenſa ſit, hoc vnguento, quod vitalem virtutem roborat, & veneno reſiſtit. ℞. pingued. naphæ ℥. j. olei violarum, & nenupharis, ana ℈. j. olei Mathioli ʒ. j. diamarg. frig. ʒ. j. ſucci limonum guttulas : miſce. Si verò febris ſit pituitoſa, neque nimis ardens, fiat ſic vng. ℞. ping. naphæ ʒ. j. olei Mathioli ʒ. j. diambræ, & diamoſchi, & diamarg. frigidi, ana ℈. j. pomi aſſati à corticibus mundati, & aqua naphæ irrorati n. j. theriacæ magnæ ʒ. j. aceti roſarum guttulas : miſce. Mirificè etiam prodeſt inunctio ſupra pectus, & mammillam ſiniſtram, & ſub alis, & ſupra partes, in quibus pulſus eminet, facta cum oleo mirabili Mathioli, ſi ipſis partibus calidum admoueatur.

Quibus factis, ſi febris, & reliqua accidentia miteſcant, tunc medicamentum aliquod expur-

A gans propinabis, vt ſic in totum morbi cauſa auferatur. Quod ſi adhuc febris perſeueret, calidam iecoris intemperiem, & aliarum partium corrigere poteris eo modo, quo capite de tertiana exquiſita inſinuauimus.

---

## SECTIO VNICA.

### *De ſymptomatum correctione.*

VLtimum, quod propoſuimus, erat ſimptomatum correctio, quorum tanta ſolet eſſe ſæuitia, vt ad ſe arripiat etiam curantis conſilium; præcipua tamen eorum correctio in detractione cauſæ conſiſtit per ea medicamenta, quæ ſuprà annumerauimus. De aliquibus tamen mentionem faciam, quibus ab initio ſuccurrere debemus, ne vlteriùs ingraueſcant, & maius nocumentum inferant. Priùs tamen ſequens quæſtio enodanda eſt.

B

### §. I.

### *De pleuritide febri puncticulari adiuncta.*

SOlet pleuritis cum hac febre maligna complicari; in quo caſu vtriſque prouidendum eſt. Hoc tamen primò eſt obſeruandum, quod ſanguinis miſſio fiat ex brachio lateris patientis, vt proprio capite de pleuritide inſinuauimus; ſic enim reuellitur, & euacuatur humor dolorem efficiens, & ſimul detrahitur ſanguis, qui febris malignæ cauſa exiſtit. Præterea ſi ob cruditatum redundantiam neceſſe fuerit aliquod clemens medicamentum expurgans in principio propinare,
C debet eſſe ſimul leniens, & pectus reſpiciens, quo caſu licebit vti ſyrup. ex 9. infuſionibus violarum, & caſſiæ pulpa in tamarindorum decocto, & florum cordialium. Licebit etiam vti diluto rhabarb. in decoctione pectorali. Vlteriùs quæ acida ſunt, & adſtringentia, non ſunt aſſumenda; talia enim thoracis expurgationem impediunt ſua adſtrictione, & tuſſim ſua aciditate mouent. Sint ergo ea medicamenta, quæ præter vim alexipharmacam, habeant etiam vim emolliendi, & leniendi, vt ſunt ſyrup. borrag. ſcorcioneræ, violarum, capill. Veneris, & de iuiubis, cum decocto pectorali, & ſcorcioneræ, ſine quo etiam lambendo ſumi debent; in quem vſum laudo hanc potionem, quæ vtrumque reſpicit morbum. ℞. hordei mundi p. iij. corticum radicum borrag. & ſcorcioneræ, ana ℥. j. chicorei recentis p. j. prunorum enucleatorum n. viij. capill.
D Veneris m. j. iuiubarum n. xij. florum viol. borrag. & bugloſſæ, ana p. j. coquantur ſecundùm artem in ℔. viij. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem, & colaturæ adde ſyrup. capill. Veneris, violarum, & borrag. ana ℥. ij. lapid. bezoar ℥. x. miſce, & fiat apozema, de quo bibat æger bis in die ℥. vj. aſſumendo priùs tabellam vnam ex his, quæ recipiunt pului. liquiritiæ raſæ, & diatragacanti frigidi ʒ. j. lapid. bezoar ℥. x. ſacchari albiſſimi, quod ſit ſatis, vt fiant tabellæ. Loco etiam illarum aſſumere poterit conſeruam violarum cum puluere diatragacanti frigidi, & diarrhod. Abbatis, aut hoc conditum. ℞. conſeruæ violarum, capill. Ven. & borrag. ana ℥. j. puluer. diarrhod. Abb. ʒ. j. lap. bezoar ℥. viij. confect. iacynthorum ʒ. j. ſyrup. viol. & borrag. ana partes æquales : miſce,

&

& fiat condîtum, de quo aſſumat æger cochlearium, & deſuper bibat prædictum apozema.

Tandem latus patiens vnguento pleuritico inungatur eadem ratione, ac ſi non fuiſſet malignæ febri adiunctus, admoueanturque inferiùs cucurbitæ, quæ vtrique morbo non incommodant, & reliqua fiant hac habita conſideratione, quod ſemper operemur pro ratione potioris, altero non neglecto, vt præcipit Galenus mille in locis, præcipuè tamen 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 14.

## §. II.

### *De parotidibus.*

HVic febri malignæ ſuperuenire ſolent parotides; hæ tamen ſiue criticè fiant, ſiue aliter, ſolent eſſe valde lethales, neque morbum benè decernunt; nam ſi dum apparent, non augentur, ſed retrocedit earum materia; vel ſi augentur, nec febris, neque alia ſymptomata remittuntur, neque ſuppetunt vires, quæ poſſint aliquod remedium magnum ſuſtinere, neque coquere materiam, vel reſoluere, tutò mortem præſagire poſſumus. Aliquando etiam ſunt ſalutares, quando nimirum vires ſuperſunt, & remedia tolerare poſſunt, ipſam earum materiam ſuppurando, aut reſoluendo.

Illis tamen,quomodocumque eueniant, ſuccurrere debemus eo modo, quo diximus in curatione bubonum peſtilentium, ad quod caput lectorem remitto. Breuiter tamen dicimus, quod parotides adiuuari debent vt fiant, modicè calefacientibus, & attrahentibus, vt oleo camemali, amygd. dulc. anethino, & irino, cum vng. filij Zachariæ, dialthea, & axungia gallinæ, quibus ſimiliter aliquid illius humoris reſoluitur. Quod ſi vires permittant, venam ſecabimus humerariam eiuſdem lateris, & in defectu virium, vti poſſumus cucurbitulis ſcarificatis, quibus vti licet præcipuè quando ad tantam peruenere magnitudinem, vt ſuffocationis periculum immineat. Pari ratione deuenire cogimur ad ea, quæ ſuppurandi vim habent, ſi in ſuppurationem tendant, ſi verò in reſolutionem, reſoluentia adminiſtrabimus. Suppurat optimè hoc emplaſtrum, quod recipit emplaſtri maturatiui comm. ℔. j. vitelli ouorum n. ij. olei comm. & anethini, ana ℥. j. axungiæ gallinæ, & anatis, & ſuillæ ſine ſale, ana ℥. ß. farinæ tritici ℥. j. omnia miſceantur, & fiat emplaſtrum. Poſtea parotides aperiantur ſcalpello, aut igne actuali. Veruntamen ſi omnia accidentia corrigantur, & febris remittatur, oportet expectare ſuppurationem perfectam; at verò ſi adhuc omnia vigeant, ante perfectam ſuppurationem ſunt aperiendæ, antequam maligna illa qualitas ex diuturna mora partes ſibi vicinas offendat. Quod ſi per reſolutionem terminetur, adiuuabitur emplaſtro filij Zachariæ, vel emplaſtro ex meliloto, & diachilone.

*De cibi faſtidio.*

Quod ſi parotides adeò increuerint, vt immineat ſuffocationis periculum, non erit abs re ignito cauterio eas aperire, vt veneni vis & humorum multitudo per illud foramen exſpirent; quod remedium, etſi deſperatum, ſolet eſſe proficuum. Præterea ſicut dum parotides pigrè augentur, attrahentibus adiuuantur, ita ſimiliter dum nimis increſcunt, non licet attrahentibus vti. Reliqua ex capite de bubonum curatione educere poteris.

## §. III.

### *De correctione ſymptomatum ventriculi.*

INter membra, quæ à venefica febris qualitate ocyſſimè læduntur, eſt ſanè ventriculus, qui nauſea, ſiti, cibi faſtidio, dolore, anxietate, & tandem ſingultu corripi ſolet. Quæ quidem omnia auferri debent iis, quæ per vomitum, & infernam aluum humores moueant; & hoc fieri debet per medicamenta euacuantia ſuperiùs tradita, & per clyſteres expurgantes. Ventriculus etiam roborari debet emplaſtris, vnguentis, & oleis, quæ vim habeant roborandi, & diſſoluendi flatus ventriculum offendentes.

Solet enim in primis cibi faſtidium magnum faceſſere negotium, quod ſummoperè auferre ſtudebimus, ne inde maior virium iactura ſequatur; nam vt ſuprà diximus, qui viriliter agunt, & comedunt, ab hoc immani morbo liberantur. Si enim alimenta morbo conuenientia abhorreant, illis quæ grata, & ſuauiora ſunt, offeremus, quamuis parum deteriora ſint; ea enim magis amplectitur natura, & illis fruitur, vt iam dictum eſt. Præſertim conueniunt alimenta acida, aut ea quibus aliquid acidum admiſcetur, quæ ſi in ſubſtantia ſolida aſſumi non poſſunt, in forma liquida propinentur; faciliùs enim eſt impleri potu, quàm cibo, vt inquit Hippocrates 2. *aphor. text.* 11. Quod ſi propter mentis alienationem, vel ob aliam cauſam nequeat æger os aperire, violenter eſt tractandus, vt ſic aliquid ſubſtantificum iniiciatur. Odoret etiam vinum optimum, aut biſcoctum toſtum vino imbutum, aut carnes optimi nutrimenti mediocriter aſſas vino irroratas, deſuper ſparſis pulueribus diarrhodonis, diambræ, aut diamoſchi, quæ etiam ventriculo, & vmbilico cum eiſdem pulueribus admoueri debent. Panis recens calidus dum à furno extrahitur, ſtatim per medium diuiſus, & vino optimo irroratus, prædicto puluere inſperſo, ventriculo, & vmbilico admotus, corpori nutrimentum præbet. Idem efficiunt clyſteres nutrientes, qui conficiuntur ex gallinarum, & caponum iure, vitellis ouorum, & ſaccharo.

Quod ſi æger ob immodicam ſiccitatem faucium, & gutturis non poteſt deglutire, frequenti lauatione eſt vtendum ex vino rubro aquâ nimis diluto, aut ex aqua hordei, aceto, & modico ſaccharo, vel ex lacte caprino; & paulatim deglutiant quæ emolliunt, vt ſunt ſyrupus violarum, & borrag. cum aqua hordei, vel ſcorcioneræ. Exteriùs guttur, & fauces inungantur refrigeranti Galeni vnguento, & roſaceo, aut butyro vaccino ſæpè aqua roſarum loto.

## §. IV.

### *De ſiti.*

SItis inter alia ſymptomata nimis infeſtare ſolet, cui ſubuenire oportet vt præcipit Hippocrates 6. *epidim. ſect.* 2. *textu* 53. os claudendo, & tacendo, & frigidum inſpirando. Oportet tamen priùs detrahere cauſam, ex qua ſitis inſurgit, ventrem debito tempore euacuando clyſteribus, & aliis medicamentis ſolutiuis iam traditis: deinde refrigerantia, & humectantia ore teneat laborans, graue enim eſt nihil ſitientibus offerre, quod ſitim leuet, vt inquit Galenus 7. *methodi,*

*methodi*, *cap.* 6. quia propter abluere conuenit, & gargariſmum efficere ex aqua frigida, vel aqua hordei cum ſaccharo, & modico aceto, aut cum ſero lactis caprini, vel vino rubro nimis aquâ diluto. Ore etiam contineat lactucæ folium, aut fruſtulum peponis, cucumeris, aut lactucæ caules, cryſtallum, & nucleos prunorum, & alia his ſimilia. Expediens etiam eſt per interualla tantillum aquæ eis offerre, vt ſitis ſedetur, & moleſtia, & anxietas auferantur. Quibus etiam offerimus aliquid ſyrup. violati cum aqua hordei, præcipuè ſi tuſſis infeſter. Exteriùs ſub mento, & in gutture ſupradictis vnguentis pro cibi faſtidij curatione traditis vti poteris, vel oleo violarum, & butyro vaccino, & cera vnguentum conficies, cui etiam addere poteris mucilagines ſeminis pſillij, & citoneorum.

## §. V.

### *De ſingultu.*

NOn agimus in præſenti de ſingultu ex inanitione, quoniam raro, aut nunquam his febribus ſuperuenit; quem ſi ob aliquam ſuperfluam euacuationem aliquando ſuperuenire comperiamus, iuſculis, & rebus alimentitiis, & humectantibus auferri debet, quamuis Hippocrates toties aſſerat illum eſſe mortalem. Agimus ergo de ſingultu, ſeu motu concuſſiuo ſtomachi ab humore prauo ſeu vaporibus malignis in ipſis ventriculi tunicis imbibitis prodeunte, qui frequenter in his febribus reperiri ſolet. Cuius correctio incipere debet à remotione cauſæ, idque aſſequemur clyſteribus iniectis, qui humorem reuellant, & euacuent; aut vomitum concitando, ſi facilè ad illum æger inclinetur: deinde ventrem roborabimus oleo roſarum, abſinthites, nardino, citoneorum, & ſimilibus, deſuper ſparſis pulueribus diarrhod. Abb. aromatici roſarum, & coralli rubri præparati; ſed priùs foueatur ventriculus hoc decocto, quod recipit abſinthij, & menthæ, ana m. ß. vtriuſque ſpicæ ana ℥. j. calami aromatici ℥. ij. maſtichis, & cinnamomi, ana ℥. j. coquantur omnia ſufficienter in ℔. v. aquæ, & colaturæ adde vini albi ℔. ß. pulu. diarrhod. Abb. aromatici roſarum, & galangæ ana ℈. ij. miſce. Hæc tamen ſunt admouenda, ſi febris non ſit nimis intenſa, ſi verò ſit in ventriculo ingens calor, frigidiora adhibebis, vt ſunt roſæ, ſemina, & folia myrti, & alia his ſimilia.

Expedit etiam ventrem fricare, & mouere, vt humor concutiatur, & ſeparetur à tunicis in quibus imbibitur: deinde ventris regionem inungere oleo Mathioli, quod veneni vim frangit, & ipſos veneficos vapores reſoluit: ad quod etiam iuuat cucurbitarum ſupra ventrem admotio, vt ipſi humores agitentur, & ad extrà ferantur.

Interim dum hæc fiunt, humoris prauam qualitatem retundimus per aſſumptionem aquæ valde calidæ, quæ poteſt eſſe communis, vel de bugloſſo, aut de ſcorcionera. Idem præſtant ſyrupi acidi, vt ſyrup. oxalidis, acetoſus, de granatis, de ſucco limonum, miua citoneorum, & ſimilia; quæ omnia aſſumantur in forma craſſa, vt diutiùs immorentur in ventriculo.

Pari ratione curantur ventriculi dolores, anxietas, vomitus, nauſea, neque eſt neceſſarium pro quolibet illorum nouum caput inſtituere.

A

## §. VI.

### *De ſymptomatibus inteſtinorum.*

SVperueniunt huic febri alia ſymptomata ob affectionem aliquam inteſtinorum; vt lienteria, quæ etiamſi affectus ſit ventriculi, vt ſuo loco explanauimus, cum hoc tamen, quia in ipſa etiam inteſtina patiuntur, inter illorum affectus connumeratur: accidunt etiam diarrhæa, & dyſenteria, de quibus omnibus breuiter eſt agendum, ſuppoſitis iis, quæ diximus capitibus eorum naturæ, & curationi dicatis.

Lienteria igitur accidere poteſt, quia propter præſentiam humoris maligni aëris, & mordacis in ventriculo, & inteſtinis exiſtentis facultas expultrix ita ad expulſionem incitatur, & ſtimulatur, vt retentricis opus ſuperet, & retentrix ſuo B non fungatur munere, quo fit vt alimenta taliter deijciantur, qualia fuere deuorata.

Iſtud tamen accidens remouetur per ablationem cauſæ, ventriculi, & inteſtinorum roborationem, & aſſumptionem eorum quæ diximus capite præcedenti in curatione ſingultus.

Si verò diarrhæa ſuperuenit, conſiderare oportet, an citricè fiat; quo tempore non eſt ſiſtenda, niſi modum excedat, & vires deiiciat. Quod ſi ſymptomaticè eueniat, aliquando etiam confert; quam non oportet ſtatim ſupprimere quouſque vires deiici, & diſſolui videantur; nam euacuationes ſymptomaticæ, quæ cum virium robore fiunt, maximè prodeſſe ſolent in hoc affectu: veruntamen ſi curationem expoſtulat, aluus ſiſtenda eſt ventrem roborando interiùs, & exteriùs, vt diximus *cap. de diarrhæa*, quibus admiſcebis ea, quæ vim alexipharmacam habeant: C idemque obſeruandum eſt pro dyſenteriæ curatione, cuius caput relege primo Tomo meorum Operum.

## §. VII.

### *De ſymptomatibus capitis.*

NOn minùs infeſtare ſolent accidentia quædam capitis; ſiquidem frequenter ingens capitis dolor moleſtat, & poſt illum immodica vigilia, delirium, vel ſomnus profundus, de quibus ſeorſim breuiter eſt agendum.

Dolor igitur capitis fit per conſenſum ex vaporibus malignis, acribus, & mordacibus ad caput communicatis. Cui ſtatim ſuccurrendum, ne reliqua ſymptomata ſequantur, adhibitis remediis vniuerſalibus, cucurbitulis, & frictionibus, & ligaturis partium extremarum, vt ſic vaD por ille deterrimus, vel humor ad caput confluens reuellatur, & deriuetur. Capitis etiam parti anteriori, & fronti imponemus refrigerantia, & quæ aliquo modo reprimant, & vaporum aſcenſum impediant, vt ſunt aqua roſacea cum guttulis aceti, vel lac muliebre, vel caprinum, aut oxyrrhodinum ex oleo roſaceo, & aceto roſaceo, cum aquis roſarum, vel portulacæ.

Eiſdem etiam remediis auferuntur immodica vigilia, & delirium, quæ ab eiſdem vaporibus cerebrum exſiccantibus dependent: præter dicta tamen conuenit inungere nares, & tempora cum vnguento populeone, cui admiſcere poteris aliquid opij, vel cum ipſo opio inungantur, vel deraſa anteriori capitis parte abluatur caput hoc decocto,

decocto, quod recipit radicis iuſchiami ℥. j. capitum papau. albi n. vj. foliorum lactucæ, & violarum, ana m. j. florum roſar. & violarum, ana p. j. hordei p. ij. omnia coquantur in debita quantitate aquæ ad medietatis conſumptionem, & colaturæ adde aceti roſarum ℥. j. ß. quo foueatur caput: deinde inungantur ſutura coronalis, & tempora vnguento populeone, & roſarum mixtis, & ſuperponatur linteum aquâ roſarum madidum. Quod ſi hoc non ſufficiat, naribus ad olfaciendum applicetur ſpongia eodem decocto madefacta.

Tempore etiam ſomni aſſumere poterit amygdalatum ex emulſione quatuor ſeminum frigidorum maiorum, & papaueris in lacte amygdalarum extractum, vel in iure gallinæ, vel pulli cum ſaccharo, vel loco illius aſſumere ℥. j. ſyrupi papaueris.

Vlteriùs ſi hæc non proficiant, iniiciantur clyſteres, qui parentur ex iure aliquo, in quo res refrigerantes ſint decoctæ, vt ℞. iuris pulli, vel gallinæ, in quo ſint decocta hordeum, lactuca, flores violarum, & roſarum ℔. j. olei violarum ℥. iij. ſacch. ℥. j. miſce, & fiat clyſter, qui diu retineatur, vt ad caput vapores frigidi aſcendant.

His peractis, vapores, & humores in capite recepti incraſſari ſolent, quo tempore aliquali indigent reſolutione, & ſic oxyrrhodinis admiſcebimus aliquid olei camemali, aut anethini, vel laurini, & prædicto lauacro addimus camemalum, melilotum, aniſum, ameos, fœnugræcum, & alia huiuſmodi. Cæterùm ſi adhuc delirium perſiſtat (nam hæc remedia reſoluentia illi accommodantur) applicari debent pulli columbini, catelli, aut pulmo arietis, vt ſuo actuali calore vapores illos diſcutiant, & reſoluant; quæ auxilia reiterentur, & applicentur, vt diximus capite de phrenitide.

Quod ſi his non auferatur, exiſtimare oportet caput non ſolùm pati per conſenſum, ſed per propriam cerebri affectionem, vt ex ſignis veræ phrenitidis percipere poteris; quo caſu ad caput de phrenitide recurres.

*De profundo ſomno.* Solent etiam ægri in hac febre profundiſſimo ſomno detineri, qui concitatur ex vaporibus craſſis, & frigidis à craſſis humoribus eleuatis, & ferientibus caput, vel à craſſeſcentibus vaporibus, propter medicamentorum frigiditatem, quæ admota fuerunt antea, dum ſcilicet vigiliâ, aut delirio vexabantur. Cui occurrimus clyſteribus, ſuppoſitoriis, fortibus frictionibus, & vinculis brachiorum, & crurum, & aliis euacuationibus, quæ pro hac febre curanda annotauimus. Conferunt etiam oxyrrhodinum in principio, quod repercutiendi vim habeat, cui aliquid reſoluentium admiſcebis; deinde reſoluentibus vteris. Prodeſt ſimiliter ſternutamentum prouocare, & iniicere per nares aquam mulſam ex origani, thymi, & pulegij decocto, & caput abluere decocto roſarum, camemali, meliloti, maioranæ, ſtœcados, betonicæ, lauendulæ, & foliorum ſennæ, cui percolato addes vinum album, vt faciliùs penetret. Poſt capitis lotionem vngatur oleo irino, camemali, & ruthæ, ex quibus cum puluere piretri, euphorbij, & ſtaphidis agriæ, & cera vnguentum finges, quo caput inunges, aliaque obſeruabis, vt tradita ſunt capite de lethargo.

A

## §. VIII.

### *De ſymptomatibus cordis.*

INter ſymptomata, quæ magnum ſolent faceſſere negotium, conſtituuntur ſyncopis, & animi deliquium: quæ quidem quamquam ſint affectus diuerſi, & ad partes diuerſas ſpectent, vt capite de ſyncope probauimus, nihilominus de illis in hoc capite agimus duplici ratione; & quia animi deliquium in hac febre ex conſumptione ſpirituum vitalium conſurgit, quatenus materiam non ſuppeditant ad productionem animalium, cuius curatio in reparatione vitalium conſiſtit, vt inde animales generentur: tum etiam, quia apud plures Medicos receptum eſt, huiuſmodi accidentia ſolùm differre penes magis, & minus.
B Cùm ergo maligna febris conditio ſpiritus diſſipet, & deſtruat, viriumque exſolutionem cauſet, horum ſymptomatum medela in correctione malignæ qualitatis, & reparatione virium ſita eſt. Quæ omnia perficimus alimentis, & medicamentis in curatione huius febris traditis.

Cæterùm ſi illis oblatis adhuc animi deliquium, & ſyncopis non præcauentur, ſed ad ſyncopalem acceſſionem deueniant, omni conſilio curandum eſt eos ab acceſſione liberare; quod quidem efficies rebus odoratis, & alimentitiis naribus, & aliis partibus applicitis, vt diximus agentes de cibi faſtidio, vt ſic ſpiritus reſtaurentur; qui enim cita indigent appoſitione, ea fieri debet per odorata, vt inquit Hippocrates libello de alimento; cordi verò admoueatur oleum Mathioli, & naphæ, & vnguentum aliquod cordiale, quo nares, & partes in quibus pulſus apparet, inungantur: deinde ſuperponatur ſequens inſtilla-
C tio, ſeu epithema. ℞. ſucci ſcordij, pimpinellæ, ſcabioſæ, & ſcorcioneræ in aqua roſarum extractæ ea quantitate, vt compleat ℔. j. ſucci aceтoſæ, & pomorum redolentium, ana ℥. iiij. confect. iacynthorum, & alchermes, ana ʒ. ij. theriacæ magnæ ℥. ß. electuarij de gemmis ʒ. j. diamarg. frigidi, & diambræ, ana ʒ. ß. ſantalorum omnium ʒ. ij. omnia per balneum Mariæ inſtillentur, & cordi admoueatur inſtillatio, nam illi mirificè opitulatur. Ad eundem finem valet ſacculus ex ſerica tela confectus rebus cordialibus plenus, qui taliter parari poteſt. ℞. florum nenupharis, violarum, borrag. bugloſſæ, & roſarum, ana ʒ. ij. naphæ ʒ. iij. puluer. diarrhod. Abb. & corticis citri, ana ʒ. ß. diambræ, & diamoſchi, ana ℈. j. ſantali rubri ʒ. j. miſce. Pauperes vtantur vino albo aquæ naphæ, & roſarum admiſto, quo cordis regio, pulſus, &
D nares abluantur.

Vlteriùs in cibo, & potu ea lex eſt ſeruanda, vt ſcilicet alimentum paucum, & ſæpe aſſumatur, quod ſit optimi nutrimenti, & facilis alterationis, vt iura caponis, & gallinæ, oua ſorbilia, vinum optimum, biſcoctum in ipſo vino imbutum. Quammaximè pro diuitibus confert ſequens inſtillatio. ℞. carnis arietinæ ſine pinguedine ℔. iij. pectoris caponis, aut gallinæ ℔. ij. contundantur benè; confect. iacynthorum, & alchermes, ana ʒ. ij. ſeminis citri, & oxalidis, ana ʒ. j. elect. de gemmis, & diamargarit. frigidi, ana ℈. ij. ſucci pomorum redolentium ℥. vj. vini albi optimi ℥. iij. fiat ex omnibus inſtillatio per balneum Mariæ, de qua parum ſumat æger per interualla. Alia etiam inſtillari poſſunt prout Medico

dico

dico viſum fuerit pro morbi, ſymptomatum, & temperamenti diuerſitate.

§. IX.

*De frigiditate partium extremarum.*

Frigus partium extremarum perſentiri ſolet in febre maligna; quod accidens maximum portendit malum, & inter ſigna lethalia ab Hippocrate conſtituitur; quod quidem euenit ob malignam putredinem ſpiritus, & cor offendentem, in quorum ſubſidium ſpiritus, & humores ad intra recurrunt, ex quo conſurgit, quod partes externæ calore deſtituuntur, & frigeſiunt eo modo, quo capite de rigore diximus.

Præter alia, quæ aſſeuerauimus prodeſſe aduerſus putredinem, & febris malignæ intenſionem, quæ ſimiliter hîc accommodantur, omni arte curandum eſt calorem ad extra aduocare, ne interius ſuffocetur, idque faciemus partes fricando linteis calidis, vel manibus inunctis cum oleo anethino, vel camemali, vel linteis aqua vitæ, vel vino calido irroratis. Oportet etiam pedes, & manus vino optimo calido abluere, mox in linteis calidis inuoluere. Quod ſi hæc non ſufficiant, vtantur ſequenti potione, quæ roborat cor, & calorem prouocat, ad extra humores mouendo, & ſudorem prouocando. ℞. papaueris erratici, radicis angelicæ, & dictami, ana p. j. coquantur debito modo in ſufficienti quantitate aquæ, & facta expreſſione, colaturæ adde lapidis bezoar ℈. vj. conf. iacynthorum ʒ. j. miſce, & calida bibatur potio quantitate ℥. vj. deinde æger benè cooperiatur donec ſudet, vel partes externæ calefiant. Valet etiam ad idem aqua bugloſſæ calida ebibita cum granis vj. lapidis bezoar orientalis, cuius vſum fidiſſimo experimento obſeruaui.

Tandem aduertere oportet circa curationem huius febris, & accidentium mitigationem, quod aliquando ſimul natura plures euacuationes, & per diuerſas regiones conatur, vt alui fluxum, puncticulas, ſudorem, menſtruam purgationem, ſanguinis fluxum, & alia, quæ quidem Medicum ancipitem reddunt, cùm non ſit tutum omnem naturæ motum ſimul iuuare, neque ſimul prohibere; quo caſu conſiderare debet, quis motus ſit naturæ vtilior, & per magis conuenientem regionem, & illum iuuare debet; aut quis motus ſit maior, ad quem natura magis inclinatur, quem etiam adiuuare poterit. Quibus ita factis huic maligno, & deterrimo morbo medemur.

§. X.

*De morbillis, & variolis.*

Antequam huic febrium tractatui finem imponamus, nonnulla tradere oportet, quæ ad morbillorum, & variolarum naturam, & curationem ſpectant. Sunt enim iſti morbi ita communes, vt ex infantibus ferè nullus ſine illis prætergrediatur.

*Variolæ quid ſint.* Sunt igitur variolæ exanthemata quædam ſublimia cum tumore ſatis conſpicuo varis ſimili, A per totum corpus erumpentia, cum febre, dolore, & pruritu. Quæ verò ſine ſenſibili tumore apparent, morbilli ab Arabibus vocitantur, à nobis *ſarampion.* Diximus variolas, & morbillos eſſe quædam exanthemata; nam exanthema eſt nomen commune omnes tumores, & maculas ad cutem prorumpentes ſub ſe comprehendens, & ſic vicem generis gerit. Diximus præterea, in variolis exanthemata eſſe ſublimia, & tumores paruos referentia, vt ſic diſtinguantur à morbillis, & maculis, quæ elucent in cute ſine eminentia, & tumore; per quod differunt etiam à puncticulis, quæ apparent in febribus peſtilentibus, & malignis, quæ dantur ſine tumore. Fiunt cum febre, quæ eſt de ſynocharum ſorte, eamque appellat Auenzoar *lib. 3. capit. vltim.* impetuoſam, per quod differunt B ab omni exanthematum genere, quæ ſine febribus conſpiciuntur. Fiunt præterea cum pruritu, & dolore, quatenus humores ſunt calidi, & acrimoniam comparant, continuumque diſſoluunt.

Ex dictis conſtat, variolarum materiam craſſiorem eſſe materiâ morbillorum, ſiquidem tumores efficit, qui ſuppurantur, & attolluntur, diuque durant; morbillorum verò materia tenuis cùm ſit, facilè reſoluitur, & breuiter illorum veſtigia auferuntur.

Fiunt huiuſmodi exanthemata per modum criſis, eaque natura excernit tertio, quarto, vel quinto die, quod etiam indicauit Auicenna *fen. 1. lib. 4. tract. 4. capit. 6.* dicens: *Et variolæ quidem ſunt quaſi modus quidam criſis.*

Producuntur variolæ ex ſanguinis craſſiori parte efferueſcente, & morbilli ex ipſius te- C nuiori parte, aliquam tamen putrefactionem patiente, vt omnes Arabes teſtantur, & ipſa ſigna demonſtrant; ſiquidem tam in morbillis, quàm in variolis ſanguis efferueſcit, & ebullit, putredinemque aliqualem nanciſcitur, ex qua prodit, morbos iſtos eſſe contagioſos; contagium autem ſine putredine non datur, vt ſuo loco inſinuauimus. Cauſa efficiens putrefactionem ſanguinis, & illius ebullitionem aliquando eſt externa, vt aër calidus nimis, vel auſtrina conſtitutio, & in vniuerſum omnes cauſæ externæ, quæ valent producere febrem malignam, & peſtilentem. Aliquando etiam eſt interna, vt vehementes animi paſſiones, motus inordinatus, & prauorum eduliorum, & calidorum eſus. *Cauſa efficiens traditur.*

Sed reſtat nunc examinare cauſam, propter quam ferè omnes his morbis laborant, & D quamuis probè regantur, & gubernentur, nihilominus hæc mala, vtpote ineuitabilia, fugere non poſſunt, niſi præcox mors homines tollat. *Quam ob cauſam omnes variolis corripiuntur.*

Auicenna, & omnes ferè Arabes, quos etiam ſequuntur Fracaſt. Mercat. Vega & omnis fermè Medicorum ſchola, vnanimiter aſſerunt, ideò omnes communiter his morbis corripi, quia in vtero matris nutriuntur ſanguine menſtruo, de quo ſecum aliquid excrementitium ex vtero afferunt, à quo omnes inquinantur; à cuius inquinamento ſtimulati totum ſanguinem exagitant, ex cuius exagitatione, & motione calorem comparant præter naturam, à quo efficienter fit ebullitio ſanguinis, ſeu efferueſcentia, & inſurgit febris hæc de ſynocharum genere; & quia omnes ab eodem principio, à ſanguine ſcilicet menſtruo, tanquam à materia, ini- *Arabum ſententia.*

tium ſumunt, ideò omnes hac labe inficiuntur, neque aſſignari poteſt huius euentus communior cauſa.

*Mercurialis doctrina.*

Hanc tamen ſententiam ſic communiter acceptam redarguit Mercurialis 1. *de morbis puerorum, cap.* 2. qui plurimis rationibus intendit probare, hos morbos non produci ex reliquiis ſanguinis menſtrui. Quarum prima eſt: Variolæ maxima ex parte proueniunt vitio morbidi cœli, vel aëris, quod etiam ipſi Arabes confitentur, præſertim Rhaſis 18. *continentis.*

Secundò, nam vitium ſanguinis menſtrui ſempiternum eſt à mundo nato poſt peccatum Euæ; vnde factum eſſet, vt homines ſemper hac menſtruorum labe eſſent labefactati, & quod cognoſceretur ab antiquoribus Medicis, nempe à Galen. Hipp. & ſimilibus.

Tertiò, quia nullus ferè eſt homo, qui in iuuentute, vel adoleſcentia aliquo morbo graui non laboret, ratione cuius fiunt in ſanguine ebullitiones, & putredines. Quod ſi in ſanguine ſeminaria huius mali derelicta eſſent, ex ſanguinis ebullitione, & putredine variolæ excitarentur, cuius contrarium experimur.

Quartò, nam vt conſtat eſt Galen. 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 7. excrementa nutrimenti, quo fœtus in vtero alitur, omnia à natura deponuntur in duabus tunicis, quæ ipſum ambiunt: ergo nihil excrementitium ſanguinis menſtrui remanet in illo, ex quo talis morbus excitetur.

His rationibus alias fortiores addere poſſumus; nam vt ex Galeno conſtat *lib. de ſemine, cap.* 8. fœtus in vtero non ex prauo ſanguine, ſed ex eius puriſſima portione alimentum capit: ergo non poteſt ex illo ſuſcitari iſte morbus, cùm in puriſſima ſanguinis portione nihil excrementi remaneat. Quod ſi etiam ex praua ſanguinis materia nutriri velis, quî fieri poteſt, vt poſt multos morbos, & multas febres id vitium vſque ad trigeſimum, quadrageſimum, & nonnunquam ſexageſimum annum prorogetur, vt Vega 2. *de arte medendi*, expertus fuit? Et quare etiam quis non ſemel, ſed bis hoc morbo corripi ſolet. Præterea ſi ſanguis menſtruus in ſubſtantiam fœtus ſolidam conuertitur, quomodo ex illius feruore variolæ gigni poſſunt? Tandem ſi ex reliquiis ſanguinis menſtrui fiunt variolæ, cur mulieres quibus menſes ſupprimuntur, non incidunt in illas?

His rationibus ſuaſus Mercurialis exiſtimat, hunc morbum ita communiter diuagari, vt nullus ab illo liber ferè euadat, quia eſt morbus hereditarius; omnes enim, inquit, naſcimur ex parentibus, qui hoc vitio ſunt tentati; aliquando tamen initium habuiſſe ex aëre, & cæli influxu: quam ob cauſam non fuiſſe cognitum ab antiquis teſtatur; nam potuit contingere, quod ſua tempeſtate talis aëris ſtatus ſeu conſtitutio nequaquam accideret. Ex hac igitur temporis conſtitutione, vel cœli ſtatu ortum habuit iſte morbus, ſicut alij morbi peſtilentes, & maligni, qui relinquunt in hominibus potentiam, ſeu virtutem hæreditariam, quæ à parentibus in filios transfertur, propter quam filij redduntur apti ad ſuſcipiendum ſimiles morbos. Quod probare nititur ex Hippocrate *libr. de aëre, locis, & aquis*, exemplo à macrocephalis deſumpto; nam primùm gens illa arte, & ſtudio cœpit infantibus capita oblonga facere, vnde cùm parentes huiuſcemodi capitibus præditi eſſent, factum eſt, vt filij ab ipſis ſimiles ſint geniti, adeò vt proprietate paternâ tota illa gens facta ſit macrocephala, ac per conſequens illud, quod arte, & ſtudio factum eſt, in naturale verſum, ex vno in aliud tranſmittitur.

*Mercurialis fundamenta euertuntur.*

Sed tanti viri veniâ, pro Arabum doctrinæ defenſione dicimus, illius fundamentum nullam habere vim, neque ex illo inferri poſſe huius morbi perpetuitatem: ad cuius intelligentiam, tanquam certum, & ab omnibus admiſſum ſupponimus, dari verè morbos hæreditarios, qui in corporibus relinquunt impreſſionem, ſigillationem, vel aptitudinem quandam, ratione cuius leui quadam occaſione incidunt in ſimiles morbos; & hanc ob cauſam podagrici podagricos, nephritici nephriticos gigunt, etiamſi in ipſo generationis actu careant tali morbo; nam ſufficit ad illum aptitudo, & ſigillatio facta in membris. Quo ſuppoſito, probatur: nam qui morbis hæreditariis capiuntur, facilè, & ex leui cauſa incidunt in illos, ita vt non ſemel, ſed bis, aut pluries eodem morbo corripiantur, vt patet in illis, qui ſemel arthritide, aut nephritide laborant, qui leui errore commiſſo, ſtatim denuò in eundem morbum incidunt; & hoc non ob aliam cauſam, niſi propter aptitudinem in membris derelictam ad illos morbos recipiendos: ergo ſi variolæ ſunt morbi hæreditarij, non ſemel, ſed bis, & pluries eidem homini aduenirent, cuius contrarium experimur; ſiquidem raro, aut nunquam idemmet homo bis variolis corripitur; quod nequaquam contingeret, ſi illa ſigillatio, ſeu facilitas membris inhæreret, ratione cuius facilè incideret pluries in eundem morbum.

Secundò probatur, nam ſi homo habens morbum aliquem hereditarium graues committit errores, & hoc non ſolùm ſemel, ſed pluries, vt dixi, pluries etiam incidit in illum morbum: ergo pari ratione ſi graues committeret errores vtendo alimentis calidis, immoderatis exercitiis, & aliis quæ deſeruiunt ad inflammandum ſanguinem, incidere ſemper deberet in variolas, ſiquidem vtriuſque par ratio eſt; habet enim illam ſigillationem, cuius ratione magis eſt diſpoſitus ad recipiendam hanc febrem variolatam, quàm ad aliam febrem ſuſcipiendam. Cùm ergo oppoſitum euenire conſpiciamus, dicendum eſt morbillos, & variolas nequaquam eſſe morbos hæreditarios.

Tertiò, nam plures morbi hæreditarij poſt curationem auferuntur, & nullum manet ſigillum in corpore patientis, vt patet in gallica lue à parentibus recepta, quæ in filiis curatur, ita vt nulla ſigillatio in filiis remaneat: ergo pari ratione cùm iſte morbus optimè curatur, tollitur illa ſigillatio, ſeu impreſſio, ratione cuius fit hæreditarius, ac conſequenter non poterit in alios deriuari; quo caſu principium huius mali ad aliam cauſam reducere debemus.

*Ad Mercurial. reſpondetur.*

Vnde ad Mercurial. fundamentum reſpondetur, macrocephalos alios ſibi ſimiles generaſſe, quia actu habeant capita oblonga, & ſic filios procrearunt ſimilem habentes conformationem; nam non ſolùm in corporis compoſitione, ſed in animi moribus filij parentibus ſimiles fiunt: ſed hoc fit quia actu illis conſtant. At verò homo, qui ſemel habuit variolas, & bene curatus fuit, neque actu illas habet, neque eſt ratio, quæ ſuadeat in illo remanere ſigillationem impreſſam, quæ filiis communicetur, cum totum vi curationis auferri poſſet.

Fernelius

*Fernelij ſententia.*

Fernelius 2. *de abditis rerum cauſis, cap.* 12. aſſerit morbillos, & variolas originem ducere à cæca quadam, ſeu occulta aëris qualitate, quod inquit eſſe commune omnibus morbis peſtilentibus, & malignis, qui à cauſa communi dependent; idque aliquibus rationibus intendit probare, quas prolixitati parcentes omittimus; nam ex dicendis conſtabit earum ſolutio.

*Illius refutatio.*

Hæc tamen Fernelij ſententia facilè impugnatur; nam variolæ, & morbilli, etſi interdum magis, interdum minùs vagentur, attamen nullum tempus fermè datur, in quo aliqui non corripiantur illis: ergo ſi ab illa qualitate aëris occulta fierent, ſemper hæc qualitas aëri ineſſet, quod creditu difficile videtur.

Tum, nam vt *cap. de febre maligna* diximus, morbi maligni fieri poſſunt ex praua victus ratione, ex qua praui gignuntur humores, qui ſuâ maligna qualitate homines perdunt, vt quotidie cernimus in mulieribus hyſterica affectione laborantibus, in quibus ſanguis menſtruus, & ſemen talem qualitatem, & tam veneficam adquirunt, vt breuiter ipſas interimant. Neque negari poteſt, quod in noſtris corporibus aliquid veneno ſimile generari poteſt, vt *cap. de hyſterica affectione* probauimus: neque Galenus adducens cauſas peſtis, ait eſſe neceſſarium aërem operari qualiate occulta, ſed ſolùm qualitates manifeſtas tradit, nempe nimium illius calorem, & humiditatem; quæ aëris conſtitutio præcedere ſolet febres malignas, & variolas; & ſanguinem alterando, iuuat ad illarum productionem.

*Conclusio.*

Quare dicendum eſt, morbillos, & variolas ortum ducere ex ſanguine menſtruo impuro in venis derelicto, ratione cuius quia excrementitius eſt, calidum innatum non fit omni ex parte familiare naturæ, quamuis ad illius actiones concurrat. Cùm igitur ille calor impreſſus vegetior, & feruidior efficitur ab aliqua cauſa, ſiue externa, ſiue interna, ſanguinem in feruorem agitat, & commouet, efficitque febrem quandam ſanguineam, quæ in morbillos, vel variolas terminatur, ita vt ſi ſanguinis tenuior pars ferueat, morbillos; ſi verò craſſior, variolas conſtituat: incipit tamen feruor ab ipſo ſanguine menſtruo, qui in ipſis vaſis remanſit, & in illis ſuum ſigillauit calorem. Quæ doctrina probata manebit ex ſolutione argumentorum quæ contra illam obiiciebantur.

*Ad argumenta Mercur. reſpondetur.*

Ad primum ex Mercuriali reſpondetur, variolas aliquando initium ſumere ab aëris vitio, vel cœli ſtatu, quatenus ſcilicet ſanguinem illum menſtruum adiuuant, & illius calorem intendunt, vt ſic ſanguis ille impurus feruere incipiens ſanguinem intra venas exiſtentem etiam ebullire faciat; qui cùm aliquam putredinem contrahat, & qualitatem malignam, & contagioſam, ipſam naturam irritat, & mouet ad expulſionem, & ſic ad extra trudit humores, & in cutem prorumpere facit variolas, & morbillos.

*Morbilli & variolæ fuerunt ab antiquis cognitæ.*

Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe, morbillos, & variolas eſſe cognita ab Hipp. & aliis antiquis, vt probare nititur Manardus. 7. *epiſt. ep.* 2, quod etiam conſtat ex Galeno 6. *aphoriſm. com.* 9. vbi inquit, quod puſtulæ, & tubercula calida fiunt, & pruriunt, ad differentiam latarum puſtularum, quæ à cauſa frigida pendent, & non pruriunt. Si igitur Galenus vniuerſaliter ſermonem profert de tuberculis calidis: ergo ſub illis comprehenduntur variolæ. Et 3. *aphor.*

*D. D. de Maroja Tract. de Febribus.*

A *textu* 26. inter morbos pueriles Hipp. tuberculos annumerat. Et *text.* 20. inter morbos vernales, quo tempore magis contingunt variolæ, deſcripſit etiam tubercula. Et Gal. *in comment.* inquit, quod fiunt tubercula, quia vniuerſum corpus expurgatur vitioſis humoribus ad loca viliora tranſpoſitis; quod quidem reperitur in morbillis, & variolis. Ariſtoteles etiam de illis videtur mentionem feciſſe *ſect.* 5. *problem. problem.* 27. vbi inquirit, quam ob cuaſam tubercula ex labore proueniunt? Et reſpondet, quod motus concalefaciens corpus impurum excrementa mouet ad extra, & quæ craſſa ſunt, faciunt in corpore tubercula. Qui Ariſt. locus ſaltem indirectè nos docet ex ſanguinis efferueſcentia tumores oriri, vt in variolis contingit, quæ præcedente labore ſuis temporibus fieri, vt nunc etiam, poterant. Neque ex illo loco colligi poteſt, illos tumores diuerſos fuiſſe à variolis.

B Tandem Hipp. 3. *epidim. ſect.* 3. *textu* 48. ait quaſdam adfuiſſe febres, in quibus intrò, & extra tumores fiebant. Et Galen. *in comm.* inquit, quod humor craſſior partibus adhæreſcens tubercula excitabat. Quod ſi noſtris temporibus id in febribus cerneremus, eſſe febres variolatas reverà diceremus. Neque negari poteſt, quod ſub exanthematum nomine, tam variolas, quàm morbillos antiqui comprehenderent. Sed ad alia conuertatur noſter ſermo.

Ad tertium reſpondetur, intrà corpus citrà euidens damnum ſanguinem illum impurum latitare, quoniam illius qualitates ita refranguntur à partium naturali temperie, & à ſanguine laudabili, vt parum, aut nihil naturam ſtimulent ad expulſionem, & ſic alij morbi accidere ſolent ex humorum putredine, & ſanguinis feruore, & tamen variolæ non excitantur; nam non

C à quauis cauſa mouentur, ſed ab illa cum qua maiorem habent analogiam, & proportionem: ſæpe enim ex praua victus ratione, & aliis cauſis grauiſſimi morbi in pueris ſuccreſcunt, & non variolæ; ex contactuque ſolo hominis variolis laborantis ſtatim in illas incidunt pueri: quod neutiquam reduci poteſt niſi ad analogiam, quæ intercedit inter cauſam, & cauſatum.

Ad quartum reſpondetur, quod fœtus nutritur ex puriſſimo ſanguine, & licèt reliquum natura excernat, non tamen ita exactè, vt aliquid in ipſo imbibitum non remaneat, quod diu adſeruatur cum remiſſis qualitatibus, & à natura refractis; & hanc ob cauſam non expellitur à natura, donec illius calor ab aliqua cauſa feruidior reddatur, & excitetur.

Ad rationes à nobis ſuperadditas reſpondetur. Ad primam iam reſponſum eſt, fœtum in vtero

D nutriri ex puriſſimo ſanguine, ex quo non fiunt variolæ, ſed ex ſanguine impuro remanente, vt dictum eſt.

Ad ſecundam iam reſponſum eſt in reſponſione ad tertium Mercur. argumentum.

Ad tertiam reſpondetur, aliquando non ſemel, ſed bis hominem variolis corripi hanc ob cauſam; nam ſi illi ichores, ſeu ſanguis menſtruus totus ſimul, & ſemel inflammatur, & pellitur à natura, nunquam redeunt variolæ; quod quidem frequentiùs contingit: ſi verò tota illius ſanguinis maſſa non inflammatur vna vice, neque à natura pellitur, non mirum ſi variolæ iterum ſuccedant, & bis hominem corripiant.

Ad quartam reſpondetur, ſanguinem menſtruum, qui eſt variolarum initium, non conuerti

in ſubſtantiam aliti, quia ex impuro hoc ſanguine non nutritur.

Ad vltimam reſpondetur, in mulieribus variolas non accidere ex menſium ſuppreſſione, quia ſanguis menſtruus intra vaſa continetur, in quibus cum reliquis humoribus commiſcetur, qui illius qualitates refrangunt: & ſi aliquos morbos generat, obſtructionis ſcilicet, vel putredinis, non tamen variolas producit, quia in venis, quæ in vterum terminantur, detentus eas obſtruit, & ineptas reddit ad illius expulſionem; ſi enim venæ illæ poſſent ſanguinem illum excernere, meliùs illum eiicerent per viam aſſuetam ad vterum, quàm ad cutem; ſanguis verò, qui eſt variolarum cauſa, licèt ad tempus ipſius qualitates reprimantur, nihilominus accedente aliqua cauſa, quæ illius qualitates intendere faciat, ſtatim morbillos, vel variolas excitat.

## §. XI.

### *De variolarum, & morbillorum ſignis, & aliquibus dubiis circa illa.*

INter ſigna alia oſtendunt morbum venturum, alia ipſum morbum iam productum declarant. Quæ morbum futurum denuntiant, ex cauſis præcedentibus deſumuntur, vt ſi præceſſit conſtitutio auſtrina, ſi per populum graſſentur dolores capitis, raucedines, grauedines, diſtillationes, quæ ex ſanguinis ebullitione ſuſcitantur. Item ſi huiuſmodi morbi vagentur, imminens contagium timere poſſumus; quapropter fugiendæ ſunt conuerſationes cum iis, qui hac labe tenentur. Si verò iam morbilli, vel variolæ infeſtent, febris ab initio vehemens excitatur; & quia eſt propè criſim, accidentia ingraueſcunt. Hanc febrem comitantur diſtillationes, vel fluxiones catarrhales, ratione vehementiæ caloris pituitam cerebri liquefacientis, ex qua conſurgit tuſſis, quæ eſt huius morbi certum præludium. Ratione etiam humoris ad aſperam arteriam confluentis illis etiam difficilis accidit reſpiratio. Præterea oculorum ſplendores, & fulgores quidam fiunt ex flammea caliditate proficiſcentes: oculi illachrymantur ob liquefactam cerebri pituitam acrem ad illos deſcendentem. Calor maximus perſentitur, præcipuè in dorſo, & dolor, vel pruritus, ob ſqualorem magnæ venæ, & arteriæ per eandem partem perreptantis: ſomno corripiuntur graui, ob vapores ſanguineos ad cerebrum miſſos, & hoc præcipuè in variolis; in morbillis verò delirio tenentur, quia vapores ex tenuiori, & mordaciori materia eleuantur. Ob eoſdem etiam vapores motus quoſdam tremulos, vel concuſſiuos habere ſolent; & dum dormiunt, vel à ſommo excitantur, in huiuſmodi tremores incidunt. Vidi etiam aliquos in epilepſiam incidiſſe. Mox ante exanthematum apparitionem omnia accidentia adaugentur, inſtat enim criſis, & ſegregatur bonum à noxio. Pulſus magnus, celer, & inæqualis percipitur; nam ab initio natura criſim, & ſeparationem molitur, & ſic inæqualis pulſus exiſtit.

Vrina ruffa, & aliquando flaua conſpicitur, nullas tamen notas putredinis habere ſolet, ſed in ſubſtantiæ modo, & ſedimento vrinæ naturali aſſimilatur, quod dedit anſam Fernelio ad probandum, variolas ex occulta aëris qualitate procedere, & non ex vitiato ſanguine menſtruo, &

A ex ſanguine putrido: cuius ratio neque quidquam facit contra noſtram doctrinam; nam licèt hæc febris ſit ſynochus cum aliquali putredine, in vrinis tamen nullum putredinis indicium apparet, quia ab initio incipit natura humorem putridum ſecernere ab aliorum conſortio, & extra venas, & ſic à principio conſpici ſolent maculæ quædam per corpus erumpentes, quæ talis excretionis indicium præbent; & hanc ob cauſam vrina eſt ſanis quamſimillima, quia eſt ſignum eorum, quæ ſunt in venis.

*Pueri cur frequentius hoc morbo corripiantur.*

Pueri, & adoleſcentes frequentiùs variolis, & morbillis corripiuntur; quod quidem fieri exiſtimo, quia ſunt proximiores principiis generationis, & ſanguis menſtruus tunc maiori vi pollet, cuius qualitatibus membra mollia puerorum reſiſtere non poſſunt, & ſic facilè à cauſa leui, ſiue externa, ſiue interna excitantur. B

*Dubium circa variolarum apparitionem.*

Sed quærere oportet qua ratione variolæ accidunt non ſolum in cute, ſed in membis etiam interioribus? quod inſinuauit Auic. & nos aliquando vidimus mulierem grauidam variolis laborantem, quæ fœtum abortiuit variolis magnis plenum, & ſecundinæ etiam variolis erant repletæ. Et ratio dubitandi eſt, nam ſi naturā illum humorem expellit, ne ab ipſo offendatur, quare in ipſis membris interioribus detinetur, in quibus poteſt ex illo humore maius nocumentum ſuſcitari. Præterea in morbis, qui in abſceſſus perfectè terminantur, abſceſſus ad extrà fiunt, & in partibus ignobilioribus; ſed variolæ ſunt abſceſſus, ſeu tumores, qui tempore criſis perfectæ fiunt: ergo ad extra prorumpere debent, & non in interioribus, in quibus maximè offendere poſſunt.

*Quare variolæ aliquando ſalubres, aliquando mortiferæ.*

C Ad hoc dubium reſpondetur, partem affectam non ſolùm eſſe cutem in variolis, ſed partes ei ſubiectas, quia humor craſſus cùm ſit, non poteſt totus ad cutem permeare, & ſic aliqua portio craſſior remanet in interioribus. Vel ſecundò reſpondetur, quod cùm in partibus ſolidis ichores menſtrui ſint imbibiti, ab ipſis, dum inflammantur, maximè offenduntur, ita vt non poſſint totum humorem ad cutem pellere, & ſic illud, quod remanet in ipſis partibus, in tumorem attollitur, & ibi ſuppuratur, aut reſoluitur, & tandem ipſa membra euicto ichore priſtinam ſalutem recuperant: cum hoc tamen talis euacuatio critica eſt, ſiquidem euacuatur humor, & euincitur.

Vlteriùs vertitur in dubium, quam ob cauſam variolæ aliquando ſalubriter, aliquando lethaliter terminantur? Cui dubio ſatisfiet, ſi dicamus, D id prouenire duplici de cauſa, externa ſcilicet, & interna. Fiunt quidem lethales ab interna cauſa, eo quod aliqui prauo habitu corporis ſunt præditi, & ita ſordidis excrementis, & ichoribus conſtant, vt ebulliente ſanguine, putrefactio fiat irreparabilis. Fiunt ſimiliter lethales propter cauſam externam, videlicet propter prauam aëris conſtitutionem, & propter errores Medicorum, & adſtantium. Quod ſi omnia contrario modo ſe habeant, & benè ſe gerant, ſalubriter terminantur. Fiunt demùm lethales, ſi ob aliquam cauſam interiorem non poſſint ad cutem pelli, vt ſi humor craſſus nimis ſit, vel facultas expultrix languida, vel ob cauſam extrinſecam ægrum ambientem, vt ſi non benè cooperiatur æger, & à frigore occurſante cutis conſtipetur, & variolarum

exitus

exitus impediatur, aut earum fiat retroceſſus: quæ omnia attentè inſpici debent, vt feliciter ſuccedat curatio.

*Aliud dubium.*

Demùm dubitari poteſt, quam ob cauſam natura maximam variolarum multitudinem ad manus, & pedes tranſmittit, cùm ſint partes diſtantiores, & aliæ ſint proximiores, in quibus recipi poſſunt; & cur in facie, labiis, & præputio remanent veſtigia indelebilia. Ad primum dubium reſpondeo cum Mercuriali, ad manus, & pedes variolas tranſmitti, quia ſunt partes, ad quas ſua excrementa iecur deponere conatur; & propter hanc rationem, dum iecur intemperie calidâ laborat, calor in pedibus, & manibus intenſior perſentitur; intercedit enim quædam analogia inter iecur, manus, & pedes, vt inquit Rhaſis 17. *continentis*, vbi loquitur de iecore, ratione cuius iecur ad ipſas partes excrementa reiicit.

Ad ſecundum reſpondere poſſumus ex Ariſt. 3. *de hiſtor. animalium*, quod vbi cutis immediatè oſſibus adhæret, aut eſt ſine carne, vel cum pauca, vlcera in iis partibus difficilè coaleſcunt; & quia genæ ſub ſe paucam carnem habent,& os proximum eſt, & labia, & præputium ſunt veluti cutes ſeparatæ; hinc naſcitur,quod non benè agglutinentur, & remaneat aliquod variolarum veſtigium.

## §. XII.

### *Curatio variolarum, & morbillorum.*

IN his morbis, ſicut in aliis, à debita victus inſtitutione eſt auſpicandum; in primis æger benè indumentis cooperiatur, vt humores per cutem tranſpirent. Cum hoc tamen aërem frigidum inſpiret, vt inflammatio in interioribus miteſcat. Victus ſit refrigerans, qui etiam habeat alexipharmacam naturam, aut aliquid veneficam qualitatem reprimens illi admiſceatur; circa quod lege caput de victus ratione in febre maligna. Quod ſi infans tenellus ſit, & lacte nutriatur, nutrix eiſdem cibis alatur,vt lac attemperetur,& illorum qualitates adquirat; mulier enim aut capra elaterium comedentes pueris purgatio, inquit Hippocrates 6. *epidim. ſect.* 5. nam facilè quod comeditur, vel bibitur, in lac migrat, vel lacti admiſcetur.

Debito vitæ regimine inſtituto, curationis indicatio ſita eſt in euacuatione cauſæ, naturæ motum adiuuando; & in febris attemperatione, ſimul prauam febris qualitatem corrigendo; & in præcautione fluxionis humoris in aliquam partem; & tandem in detractione horrendæ fœditatis, quæ ex variolis in partibus remanet.

Quantùm ad primum, cùm febris hæc ſit ſanguinea, conſulit Auicenna ſanguinem mittere aluo priùs euacuata ſuppoſitorio, vel clyſtere aliquo emolliente, & refrigerante: quæ ſanguinis miſſio fieri debet bis, vel ter pro ratione virium, & ſanguinis redundantia. Quod ſi morbilli, vel variolæ iam apparere inceperint, quando Medicus ad videndum ægrum acceſſerit, conſiderare debet, an ſigna aliqua plenitudinis adſint, & vires grauatæ ſint; quo caſu ſanguinis miſſionem non reformidabit, ſed eſt ſtatim exercenda, neque timere debet humorum ad intrà retroceſſum,vt aliqui autumant; quod eleganter tradit Auic. dum inquit: *Sed quando procedunt variolæ, non oportet vt adminiſtretur phlebotomia, niſi inueniatur vehementia repletionis, & dominium materiei; tunc enim phlebotometur quantitate, quæ alleuiet.* At verò ſi dum erumpunt variolæ, non eſt dominium materiei, ſed natura ſufficienter aggreditur ſuum opus, totum opus eſt naturæ permittendum, neque ſanguis eſt extrahendus. Veruntamen ſi puer lactans ſit, & ita paruulus, vt non poſſit ferre ſanguinis miſſionem per venæ ſectionem, ſi quintum menſem exceſſerit, illius crura ſcarificabimus, præſertim ſi fuerit robuſtus, & ſanguineus, & ei curcubitulas admonebimus, vt monet Rhaſis, ſcarificatas, vel hirudines, quibus tutò vti poſſumus in partibus inferioribus. Veruntamen ſi puer debilis ſit, & paruus, ſolis frictionibus totius corporis eſt vtendum. Facta igitur ſanguinis detractione, naturæ motum adiuuabimus, humores ad extrà trahendo cucurbitulis ſuris, ſcapulis, & natibus affixis, & aliquibus frictionibus.

Interim dum hæc fiunt, ſyrupi attemperantes propinentur, qui nullam habeant adſtrictionem, ne naturæ motum impediant. Conueniunt ergo ſyr. violarum, borrag. oxyſacchar. de iuiubis, ſcorcioneræ, & ſimilium.

Quod ſi exanthemata apparere incipiant, calida auxilia ſunt offerenda, vt ſic humores attenuentur,& ad extra euocentur,in quem vſum conferunt ſyrup. de lacca, capill. Veneris, cum decocto apij, vel fœniculi. Optimè etiam humores ad cutem trudimus, ſi bibatur aqua fœniculi, & bugloſſæ calida, quantitate ℥. v. cum granis iiij. lapidis bezoar. Conuenit etiam decoctum ficuum, ſeminis fœniculi, radicis ſcorcioneræ, & pentaphylli, & florum papaueris erratici, ſi ſumatur cum confect. iacynthorum, & aliquibus granis lapidis bezoar. Quæ omnia ſudorem prouocant, & humores ad cutem mouent, facultatemque vitalem corroborant. Proſunt etiam ad virtutem vitalem, & cor confirmandum elect. de gemmis, confectio alchermes, & iacynthorum, theriaca magna, & alia, quæ capite de febre maligna adduximus; ea tamen non intrepidè, & in omnibus adminiſtrabis, ſed pro ratione ætatis, temperamenti, & temporis ſtatus accommodari debent, ita vt in ſenioribus, & frigidioribus calidiora offerantur, temperatiora verò in aliis ætatibus, & in his qui calidâ temperie conſtant. Sed quia humor decumbere ſolet in aliquam partem, & id cum maximo ægrotantis incommodo, ideò magna diligentia ei parti ſubueniendum eſt.

Inter partes, quæ frequenter recipere ſolent fluentem humorem, vna eſt aſpera arteria, vt videre eſt in raucedine, & ſuffocatione. Cui ſanè medeberis per ea auxilia, quæ humoris motum compeſcant, & vim reprimendi habeant. Oportet ergo gargariſmata efficere cum rob moron, & ſyrupo roſarum, vel myrti, & aqua hordei; cum ſaccharo, & modico aceto, & lambendo aſſumere ſyrupum violaceum, & de iuiubis, vt euacuetur quod in aſpera arteria continetur. Quod ſi hæc non ſufficiant, diſtrahendus eſt humor cucurbitulis, & frictionibus; & ſi ſufficienter ſanguis non ſit detractus, illum euacuare per venæ ſectionem, vel cucurbitularum ſcarificationem.

Similiter oculi maximè infeſtantur ex humorum defluxu, quorum motum ſedabimus repellentibus auxiliis oculis adhibitis. Conueniunt ergo in principio aqua roſarum cum oui albu-

mine agitata, vel lac muliebre per ſe, aut aquæ roſarum admiſtum, vel huiuſmodi aqua: ♃. aquæ roſarum, & plantag. ana ℥. iiij. ſumach ʒ. ij. macerentur per noctem, & colentur, & cum albumine oui miſceantur. Confert etiam aqua deaurata, vel chalybeata. Procedente tempore reſoluentia etiam admiſcebis, vt crocum, vel myrrham; ea tamen omnia percolanda ſunt, & goſſipio, pluma, vel penicillo oculis admouenda.

Quod ſi fauces, & os patiantur, eiſdem gargariſmatis iam traditis vteris; at verò ſi in ore ingens calor ſentiatur, aquâ plantaginis, & hordei os abluatur. Verumamen ſi in ore vlcera putrida fieri timeamus, prædictis aquis admiſcebis aliquid vnguenti Ægyptiaci, & æris vſti, cum melle roſaceo; in hoc tamen caſu conſule doctum Chirurgum. Solent etiam in naribus fieri cruſtæ, quæ fœtorem contrahunt, & reſpirationem impediunt, quas emollire oportet oleo violarum, roſarum, & amygdal. dulcium, vel butyro vaccino aquâ roſarum loto. Quod ſi nares exulcerentur, vnguento de litargyrio, plumbeo, vel citrino inungantur.

Ad inteſtina etiam delabi ſolet humor, & ex inteſtinorum raſura, ſeu dyſenteria, & alui fluxu moriuntur, vt inquit Auicen. quapropter in variolarum, & morbillorum curatione aluus non eſt ſolicitanda, etiamſi trium, vel quatuor dierum ſpatio nihil excernat. Neque in hoc eſt ſequendus Didacus Merinus, qui catarctica exhibet in horum morborum curatione; ſed quamprimum omni arte alui fluxus eſt ſiſtendus iis, quæ propriis capitibus adduximus.

Per vrinæ viam excerni etiam ſolet ſanguis, quod ſignum eſt mortiferum, vt inquit Auicen. ſignificat enim maximam deiectionem facultatis retinentis, & o[illegible] humoris malignè putrefacientis copiam venæ corroduntur, & exit ſanguis, feſtinantque ad meiendum. Tunc enim frictionibus, ligaturis, & cucurbitulis partibus ſuperioribus admotis ſanguinem reuellere tentabimus: & ſi vires ferre poſſunt, ex brachio ſanguinem extrahere licebit.

Præterea poſtquam variolæ per cutem erumpunt, declinare ſolent; quod quidem prauum ſignum eſt, ſignificat enim materiam deflectere ad interiora, in quibus dyſenterias, & inflammationes faciens mortem inducit. Quapropter ſtatim eam ad cutem reuocabimus eiſdem remediis præaſſignatis, ægerque ingrediatur balneum aquæ calidæ, vel decocti camemali, vt cutis pori laxentur, & aperiantur; quo remedio quendam liberaui, cui variolæ apparere cœperunt; & tamen natura ſuum motum non conſummauit, & hoc remedio adiuta omnes prodierunt.

Poſtquam ergo variolæ in magnitudinem attolluntur, & ſuppurari inceperunt, continendus eſt æger in loco calido, quo tempore febris denuò accenditur; dum enim pus conficitur, dolores ac febres fiunt, vt inquit Hippocrates: verùm quia variolarum materia extenditur, vel plures variolæ in vnam magnam congregantur, & carnem ſibi ſubiectam exedit, & corrodit, oportet maiores aperire, & perforare cum acubus aureis, vel argenteis, vt docuit Auicen. Deinde cum linteolo molli, vel cotto humiditatem abſtergere; minores tamen variolas perforare non expedit, ne calor naturalis diſſipetur. Facta ſuppuratione materiam exſiccabimus; quod quidem benè facit aqua ſalis, & aluminis, quo auxilio frequenter vſi ſumus; aut butyrum porcinum, vel vaccinum ſali admiſtum, quo variolæ inungantur. Idem beneficium præſtat decoctum furfuris, fœnugræci, camemali, & meliloti. Sanguis pulli columbini viui, qui extrahitur ex parte cordi viciniori, vehementer reſoluit, & maculas tollit, ſi ſupra faciem, & oculos iniiciatur calidus, ibique ſinendus duorum dierum ſpatio: deinde abluatur decocto furfuris calido, vel aqua calida vino admiſta. Interim tamen dum hæc fiunt, ne cicatrices deformitatem quandam comparent, cauendum eſt, ne manibus laborans, vel alio quouis modo eas ſcalpat, quas quidem optimè parabimus eas liniendo pinguedine, quâ pueri recenter nati cooperiuntur, vel ſebo ex renibus capreoli, admiſto modico alumine, & ariſtolochiæ puluere, vel vnguento albo, & citrino, aut oleo de vitellis ouorum. Cicatrices optimè tollit, & maculas delet mixtura ex melle optimo cum puluere oſſis ſepiæ, & ſacchari candi. Idem etiam præſtat ſpuma maris. Succus qui ex raphano extrahitur, ſaccharo, & melli admiſtus potenter abſtergit. Aqua radicis lilij albi faciei maculas tollit. Alia quamplura tradunt authores; dicta tamen ſufficiant pro huius tractatus de febribus complemento. Quæ omnia adduximus ad laudem, & gloriam Sanctiſſimæ Trinitatis, Beatæque Virginis Mariæ ſine originali macula conceptæ, & in totius Reipublicæ vtilitatem.

# TRACTATVS BREVIS
## De morbi Gallici natura, & curatione.

### CAPVT I.

ISTE affectus apud varios Authores, & diuerſas regiones varia ſortitur nomina, vt videre eſt apud Fernelium, Fracaſt. Mercatum, & alios. Aliqui enim illum mentagram appellant, eo quod à mento incipere videatur; nonnulli verò pudendagram, eo quod à pudendis originem trahat; alii ſyphilidem illum vocant, quia ex duorum concubitu, & amore contrahitur. In Italia erupit illis temporibus, quibus Galli Regnum Neapolitanum occuparunt, à quibus nomen huic morbo inditum fuit, & Gallicum morbum illum appellauere. Galli verò nominis iniuriam

iniuriam in Neapolitanos retorquentes, Italum, vel Neapolitanum vocant morbum. Sunt etiam qui dicunt, ab Hiſpanis ex India fuiſſe adſportatum, qui cum fœminis indis hac lue affectis concumbentes, illius contagione Infecti fuere; & quia poſt longam ex India nauigationem apud Hiſpanos primò hic morbus apparuit, ideò ab aliquibus Hiſpanus vocitatur. Aliquid præterea cenſent, prouenire ex aëris praua quadam conſtitutione, ratione conuentus, ſeu coniunctionis aliquorum Planetarum, Saturni, Iouis, & Martis; quas coniunctiones percipientes Aſtrologi, ante huius morbi initium illum prædixerunt. Sunt enim huiuſmodi ſidera potentiſſima, & propter Iouis, & Saturni motus tarditatem, illorum coïtio, & vnio diu durat, nouaſque pariunt & magnas ægritudines, vt Aſtrologi teſtantur: hancque ob cauſam in Hiſpania, Gallia, Germania, Italia eodem ferè tempore apparuit. De hoc tamen nihil certi affirmare poſſumus: vt certius tamen exiſtimo, ob hominum prauos mores, impudicitiam, & luxuriam, Deum optimum maximum in illorum pœnam, & ſupplicium hunc morbum produxiſſe, vt propter ſcortatores, qui Dei præcepta tranſgredientes in rebus venereis maximè delectantur, ex ipſis morbus iſte horribilis initium habeat, qui multis laboribus, fœditatibus, vulneribus, & doloribus ipſos cruciet, & torqueat, in ipſiſque dolorem ſentiant, in quibus voluptatem perceperunt.

*An fuerit cognitus ab antiquis.*

Dubitant tamen Medici, an iſte morbus fuerit cognitus ab antiquis? In qua controuerſia dirimenda non eſt tempus conſumendum, cùm parum, aut nihil vtilitatis ex ea ſequatur; reperiuntur enim apud antiquos aliqui morbi, qui cum lue venerea maximam affinitatem habere videntur, vt elephantiaſis, in qua reperiuntur puſtulæ in toto corpore cum cutis fœditate, alopeciæ, ſeu capillorum decidentiæ, tumores, & vlcera per totum corpus erumpentia, & puſtulæ, vt legere poſſumus apud Hipp. Aëtium, Paul. Auic. & alios. Hi tamen morbi nequaquam ad hunc referri poſſunt, ſunt enim longè diuerſæ naturæ, neque remediis ad hunc morbum propellendum adhibitis curari poſſunt, ſed multò diuerſam expoſtulant curationem ab ipſis Authoribus traditam, vt ex eorum ſcriptis petere potes. Neque repugnat, aliquem morbum nouum produci, qui anteà à priſcioribus non fuerat cognitus, vt iam alibi ex Galeni, Celſi, & aliorum ſententia probauimus.

*In quo huius morbi natura ſit, controuertitur.*

Sed in quo conſiſtat huius morbi natura, explicare oportet, circa quod variè procedunt Authores. Oribaſius tenet hanc luem non eſſe inter morbos reponendam, ſed potiùs eſſe excrementum quoddam, ſeu ſuperfluitatem præternaturam totum humorem vitiantem. Cuius ſententia facilè improbatur, ſiquidem omne ſymptoma procedit à morbo; & cùm excrementa ſint ſymptomata tertij generis, à morbo neceſſariò procedere debent. Addimus vlteriùs, nam in hoc affectu læduntur actiones, quarum læſio immediatè procedit à morbo, vt omnes fatentur; atque adeò morbum aliquem aſſignare debemus, qui harum actionum læſionem immediatè producat.

*Capibaz. ſententia.*

*Aliorum ſententia.*

Quare alij aliâ viâ incedentes aſſerunt, morbum hunc conſiſtere in calida, & ſicca intemperie, & eſſe morbum partis ſimilaris; & hoc probare intendunt ratione à ſymptomatibus deſumpta, nam ſymptomata hunc morbum conſequentia vſtionem indicare videntur, quæ à calore, & ſiccitate prouenit; nam vlcera erodentia, quæ in lue venerea reperiuntur, à calido, & ſicco humore dependent: ſic ſimiliter puſtulæ vlceroſæ, & gonorrhœa virulenta, & oſſium caries, & capillorum decidentia, ex fumoſa, ſiccaque, & calida exalatione ad capillorum radices aſcendente originem trahit. Cùm ergo huiuſmodi accidentia cauſam calidam, & ſiccam referant, neceſſariò videtur dicendum, hunc morbum in calida, & ſicca intemperie conſiſtere.

Horum tamen ſententia facilè redarguitur; nam ſi morbus iſte in calida, & ſicca intemperie conſiſteret, curationem per contraria expoſceret, ſed hoc non: ergo. Maior certa eſt, minor probatur, nam ſmilax aſpera, chinæ radix, lignum guaiacum, & alia his ſimilia, quibus totaliter hic morbus aufertur, ſunt calida, & ſicca: ergo iam non curatur per contraria, ſed potiùs per ſimilia; quod nullus dixit. Præterea hiemis tempore morbus iſte miteſceret ratione frigiditatis, & humiditatis illius conſtitutionis, ſi in calore, & ſiccitate eſſet conſtitutus; cuius contrarium experimur, ſiquidem hieme dolores gallici adaugentur, & hoc morbo laborantes maximè torquentur.

*Aliorum conceptus.*

Alij cenſent, huius morbi naturam in calida, & humida intemperie ſitam eſſe. Quam ſententiam tuetur Trincau. *lib.* 1. *conſiliorum*, *conſilio* 28. qui aſſerit, quod prima origo, & fons iſtius affectus eſt iecoris humida, & calida intemperies per contagium ad iecur ab aliis partibus ſerpens. Cùm ergo contagium non fiat niſi per putridum vaporem ab infecta muliere receptum, & cùm putredinis quaſi mater ſit humiditas cum calore, in ipſa humiditate, & calore morbus iſte conſiſtere videtur. Secundò, nam partes primæ, quæ hanc labem contrahunt, ſunt calidæ, & humidæ, vt pudenda, iecur, & fauces. Tertiò, nam vlcera, & tubercula, quæ his ſuboriri ſolent, ſemper ſunt ſoboles putredinis; quæ quidem cum ſint veluti ſymptomata quædam, quæ hunc morbum conſequntur, illum in calore, & humiditate conſtitui demonſtrare videntur.

Horum etiam opinio neque ſatisfacit, ſiquidem morbus iſte curatur remediis calidis, quod neutiquam fieret, ſi eius natura in calore collocaretur. Neque benè infertur: Vapores putridi mediâ putredine excitantur, & ſimiliter vlcera ſordida, & puſtulæ: ergo in calore, & humiditate conſiſtit morbus, cùm calor, & humiditas ſint putredinis ſoboles. Hoc, inquam, non valet: nam febris ex putredine orta non eſt calida, & humida intemperies, ſed potiùs calida, & ſicca. Ita ſimiliter non poteſt dici, quod lues venerea ſit calida intemperies, & humida ex eo ſolum, quod ex putredine contrahatur.

*Ioannis Paſchal. ſententia.*

Ioannes Paſchalius 1. *lib. cap.* 2. in huius morbi curatione remedia adducit tantummodò humorem melancholicum euacuantia, alimentaque melancholica, & craſſa interdicit, ne ex eorum vſu morbus iſte inualeſcat; quaſi diceret ipſum in frigida, & ſicca intemperie conſiſtere.

*Fracaſt. ſententia.*

Fracaſt. 2. *de morbis contag. cap.* 12. autumat huiuſmodi contagium analogiam habere cum humore pituitoſo, ac per conſequens hunc morbum eſſe intemperiem frigidam, & humidam, ratione cuius maxima phlegmatis portio in iecore

gignitur, à quo dolores, tumores, puſtulæ, & vlcera procedunt; & hanc ob cauſam optimè curatur adhæſu medicamentorum calidorum, & ſiccorum: quod etiam indicant dolores qui noctu exacerbantur, qui humorem frigidum, & pituitoſum eſſe in cauſa oſtendunt, præſertim cum diuturni ſunt, de quibus dixit Hippoc. *In carne dolores diuturni frigidi, recentes vero calidi.*

Vtriuſque Authoris ſententia refellitur; nam cùm morbus iſte ſit contagioſus, & contagium non ſit prima qualitas (non enim dicimus calorem, aut frigiditatem, & ſic de reliquis primis, eſſe qualitates contagioſas) ideò in ipſis nequaquam iſte affectus conſiſtere poteſt.

Simili ratione probatur, hunc morbum non eſſe ſolutam vnitatem, cum ſæpiſſimè detur iſte morbus, nullamque patiatur laborans continui ſolutionem: quæ ſi fortè detur, agglutinantibus non cedit, niſi remediis huic morbo proficuis, & à tota ſubſtantia operantibus curetur.

*Concluſio.* Quare dicendum eſt, hunc morbum eſſe ex illis, qui dicuntur à tota ſubſtantia, vt ſentiunt Fallopius, Fernel. Pereda, Mercatus, Vigo, & alij quamplurimi, quem ſic deſcribere poſſumus: *Eſt morbus totius ſubſtantiæ, contagioſus, tuberculis, maculis, vlceribus, & doloribus ſeſe prodens, concubitu, vel alio impuro contactu contractus.* Hæc deſcriptio ſufficienter oſtendit huius morbi naturam, ex quo tot, & tam varij prodeunt morbi, vt aſſerat Ioannes de Vigo, in hoc deteſtabili morbo omnes chirurgiæ morbos reperiri, ex quo tanquam ex fonte ſcaturiunt: cuius definitionis particulas in ſequentibus capitibus explicabimus.

*Huius morbi deſcriptio.*

*Nota.* Ad huius doctrinæ intelligentiam ſupponere oportet, quod in mixtis ſunt actiones quædam manifeſtæ, quæ à cauſa manifeſta originem ducunt, vt calefactio, & exſiccatio, quæ à calore, & ſiccitate dependent. Aliæ verò ſunt occultæ, quæ licèt primarum qualitatum interuentu fiant, immediatè tamen à quadam qualitate, ſeu proprietate ſubſtantiæ procedunt; quæ qualitas dicitur occulta, quia eius naturam ignoramus, & ideo etiam actiones ab illâ proficiſcentes occultæ dicuntur. Huius naturæ ſunt actiones, quibus caro generat carnem, os oſſa, iecur ſanguinem: quæ etiam dicuntur à tota ſubſtantia prouenire; nam procedunt non ſolùm ex primis qualitatibus, ſed ex omni illo, quod ad compoſitionem, & vnitatem rei ſpectat, & ſic dicuntur totius ſubſtantiæ actiones: idemque claret in rhabar. & agarico, quæ non attrahunt, quia calida, vel frigida ſunt, ſed quia quadam qualitate conſtant à forma ſubſtantiali dimanante; quæ qualitas ob hanc rationem dicitur totius ſubſtantiæ.

Præterea ſupponere oportet, quod iuxta Authorum doctrinam illi morbi dicuntur eſſe à tota ſubſtantia, vel à proprietate occulta, qui non ex diſſoluto temperamento, neque ex ſimplici putredine, ſed ex abditiori quadam cauſa proceſſere, quæ corporis totam ſubſtanriam primò, & per ſe afficit, vt ſentit Fernelius, & Fallopius. Hoc modo corpora immutant venena, quæ non ſolùm primis qualitatibus principiis vitæ contrariantur, ſed aliis infeſtiſſimis qualitatibus occultis, ſeu à tota ſubſtantia illis aduerſantur. Idemque efficiunt morbi maligni, & peſtilentes, quorum naturam non in primis qualitatibus, ſed in aliis occultis ſitam eſſe docuimus *cap. de febre peſtilenti*, vbi etiam morbos contagioſos non pertinere ad qualitates manifeſtas aſſeruimus.

A His ſuppoſitis probatur concluſio primò; nam iſte morbus eſt contagioſus: ſed contagium eſt à tota rei ſubſtantia: ergo, & morbus iſte talis erit. Maiorem omnes admittunt, minorem probo; nam primæ qualitates non ſunt contagioſæ, neque ſecundæ, vt denſitas, & raritas: ergo in illis non poteſt hic affectus conſtitui. Et idem dicimus de aliis morbis, compoſitionis ſcilicet, aut ſolutionis continui, qui de ſe nullum contagium habent.

Secundò, nam hic morbus curatur remediis operantibus à tota ſubſtantia: ergo ille totius ſubſtantiæ morbus erit, cùm contraria contrariis curari debeant.

Quod ſi obiicias, remedia huic morbo proficua habere qualitates manifeſtas, quibus morbo aduerſantur; atque adeò argumentum non probat intentum. Reſpondetur, quod licèt qualita- B tibus manifeſtis conſtent, non tamen illis huic morbo contrariantur, ſed qualitate quadam occulta, quæ directè illi opponitur. Quod inde patet, nam ſi alia remedia, quæ eiſdem qualitatibus manifeſtis pollent, adhibeantur pro huius morbi curatione, talis morbus minimè auferetur. Signum ergo eſt, quod huiuſmodi auxilia illi non opponuntur per qualitates manifeſtas, ſed per aliam qualitatem occultam, ſeu à tota ſuſtantia dimanantem.

Quod verò dentur pharmaca plurima ſic operantia, contra Alfonſum Lupeium probauimus *cap. de febre maligna*, & ex Galeno deducitur pluribus in locis, præcipuè tamen 11. *ſimplicium, capite de cancro*, & 1. *ſimplic. capite* 3. ſic enim fluuiatilium cancrorum cinis ſubſtantiæ proprietate mirabilis eſt his, qui ab animali rabiente ſunt morſi, vt loco primò annotato Galen. teſtatur; & iecur carnis rabidi remedium exiſtit iis, C qui à rabido cane in hydrophobiam inciderunt, vt etiam ipſe aſſerit *cap. de iecore canis rabidi, lib. etiam* 11. *ſimplicium*; & omnia venena à tota ſubſtantia operantia, remedia etiam expoſtulant, quæ ex toto illis aduerſentur; ita enim dicitur, quod morſus crocodilli illius pinguedine curatur, & arſenicum cryſtallo, & ſic de aliis.

Reſtat ergo ex dictis, quod hæc affectio inter morbos totius ſubſtantiæ ſit reponenda; quod etiam patet ex impugnatione ſententiarum oppoſitarum.

*Sub quo morborum genere contineatur.* Dubium tamen ſe offert, ſub quo membro diuiſionis à Galeno allatæ, dum morbum in communi diuiſit, contineatur. Fallopius exiſtimat, nequaquam contineri ſub generali morbi diuiſione; nam cùm non ſit morbus in ſoluta vnitate, neque in compoſitione, neque in intemperie conſiſtens, vt iam probatum eſt, non poteſt ad ali- D quod membrum ex his reduci.

Sed re vlteriùs perſpecta, dicendum eſt, hunc morbum contineri ſub primo diuiſionis membro, nempe ſub morbis ſimplicium partium, ſeu intemperiei; nam morbi omnes à tota ſubſtantia vocati alterant, & corrumpunt ſubſtantiam per primas qualitates, per quas ſaltem diſponunt ſubiectum ad aliam formam; neque ipſæ formæ corrumpi poſſunt, donec diſpoſitio, ſeu intemperies incompoſſibilis introducatur; quod quidem primò efficere valent morbi totius ſubſtantiæ: ergo ad intemperiei morbos reduci debent.

Secundò, nam morbus gallicus dicitur à tota ſubſtantia, quia corrumpit totam hepatis temperaturam: ſed hæc corruptio fieri debet priùs per primas

primas qualitates, per quas diſponitur hepar ad corruptionem: ergo morbus gallicus diſponens hepatis ſubſtantiam ad corruptionem, inter morbos intemperiei eſt annumerandus. Idemque erit dicendum de omnibus aliis morbis, qui dicuntur morbi totius ſubſtantiæ.

Sed inquires, ſi huius morbi natura reducitur ad intemperiei morbos, ad quam intemperiem eſt reducenda. Reſpondetur, quod cùm hepatis modus ſubſtantiæ poſſit vitiari quauis immodica intemperie, cum quacunque ex illis reperiri poteſt, ita vt in lue gallica modò ſit hæc intemperantia in hoc ſubiecto, modò illa in alio: ea tamen intemperies per ſe ſumpta non conſtituit hunc morbum, vt dictum eſt ſuprà, ſed quatenus cum illa peruertitur modus ſubſtantiæ ipſius hepatis, quod eſt præcipuum huius affectionis ſubiectum, vt ſtatim videbimus. Ex qua peruerſione reſultat hæc diſpoſitio morboſa, & contagioſa, quam luem veneream appellamus, quæ plurium morborum aliorum cauſa exiſtit; quæ quidem opponitur principio ſanguificandi, non ſolùm ſecundùm qualitates primas, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiæ modum, & proportionem, ſecundum quam elementorum ſubſtantiæ ſunt in mixto; & quia toti rei ſubſtantiæ contrariatur, ideo morbus à tota rei ſubſtantia vocatur. Ex quibus conſtat, hunc morbum nulli intemperiei adſtringi, ſed per omnes diuagari; nam ex quauis illarum poteſt ſubſtantiæ modus vitiari, & ſic hæc qualitas contagioſa, in qua morbus iſte conſiſtit, cum qualibet intemperie introduci poteſt.

Diximus etiam in huius affectus definitione, illum eſſe contagioſum; quod quidem ipſa experientia oſtendit, ſiquidem ex duorum contactu reſultat, & ex vno in aliud ſimilis migrat affectio, vt alibi millies annotauimus: ſed iſte morbus non eſt more peſtis contagioſus, & ad diſtans, ſed ſolùm contactu quantitatiuo, vel fomite producitur; non enim habet mixtionem tam indiſſolubilem, neque eſt tantæ actiuitatis, vt per aërem communicari poſſit, neque aliquem vidimus ex aëris communitate hoc morbo affectum.

Ex hoc morbo alij quamplurimi prodeunt affectus, qui vicem ſymptomatum gerunt, vt tubercula, puſtulæ, vlcera, cutis fœditates, oſſium caries, & ſimilia, quæ licèt in definitione luis venereæ tradantur, non tamen ad illius eſſentiam ſpectant; ſunt enim effectus quidam, qui hunc morbum tanquam cauſam in ſuo eſſe completo præſupponunt; adducuntur tamen in definitione, quia ad vſus medicos, & huius morbi curationem maximè conducit illos cognoſcere, vt per effectus deueniamus in cognitionem ſuæ cauſæ.

---

## CAPVT II.

### *Quod ſit ſubiectum huius morbi.*

DVbitant Medici, quæ pars primò afficiatur in hoc morbo. Ad cuius dubij intelligentiam ſupponere oportet ex Gal. 5. *de locis affectis*, *cap.* 1. & ex Veiga 1. *de differ. febrium*, quod ad hoc vt affectio morboſa ſit communis toti corpori, neceſſariò debet affici, ſeu pati aliquod principium, A ratione cuius in vniuerſum corpus communicetur affectio; ſic enim dum totum corpus incaleſcit, & febre corripitur, primò patitur cor, quod eſt caloris fons & origo; & ex eo, quod cerebrum obſtruatur, ſequitur in omnibus membris noxa circa ſenſum, & motum. Sic ſimiliter ex læſione actionis ſanguificandi malè nutriuntur omnes corporis partes, quæ ſanguine benè concocto indigent ad ſui alimoniam, ex cuius defectu prauam ſubſtantiam recuperant, quæ in colore, & aliis ab ſtatu naturali maximè recedit.

*Cor & cerebrum non ſunt ſubiectum huius morbi.*

Hoc ſuppoſito, vt certum ſupponendum eſt, cor non eſſe primum ſubiectum huius morbi, cùm plures viſi ſint hoc morbo vexari, in quibus nulla actionis noxa à corde procedens ſentiebatur; idemque aſſerimus de cerebro, cuius actiones per hunc morbum incolumes perſeuerant. De hepate tamen eſt aliquantulum difficilius, an ſcilicet ſit B pars primariò affecta in hoc morbo? Et videtur, quod non. Primò, nam datur morbus gallicus ſine hepatis læſione: ergo hepar non afficitur primò. Antecedens probatur; nam vlcus, quod producitur à muliere hac lue infecta in pudendis, eſt morbus gallicus, & fit ſine hepatis læſione: ergo; non enim illud vlcus poteſt ad alium morbum reduci. Eſt quidem morbus contagioſus, & affectio ſimilis ac erat in muliere producente, tanquam in cauſa, ac per conſequens erit gallicus morbus. Confirmatur; nam iſte morbus communicatur per contactum: ergo priùs operabitur in partes propinquas, quàm in diſtantes; cùm agens naturale priùs in propinquum agat, quàm in diſtans: ſed partes propinquæ ſunt pudenda: ergo in illas priùs operabitur. Cùm igitur eadem labe priùs inficiantur, quàm hepar, videtur dicendum, hepar non eſſe primum huius morbi ſubiectum.

*Mercurialis ſententia.*

C Propter has rationes quidam exiſtimant, inter quos Hieronymus Mercurialis *tract. de morbo gallico*, iecur non eſſe partem primariò affectam, ſed potiùs ſpiritum naturalem, per quem citiſſimè in totum corpus hæc infectio defertur. Et quia frequentiùs per coïtum iſte morbus communicatur partibus genitalibus, priùs recipitur in ſpiritibus naturalibus; nam in illis partibus maxima adeſt illorum copia.

Sed huius Authoris doctrina ſuſtineri nequit, neque adhuc determinatum eſt, an talis ſpiritus naturalis detur, neque illud determinauit Galenus, cùm in libris *de placitis Hipp. & Platonis*, paſſim dubius circa hoc exitiſſet: præterquam quod in probabiliori opinione ſpiritus iſti, ſi dentur, non viuunt; morbus autem, & ſanitas ſunt paſſiones viuentis, & ad illa non ſolùm requiritur, D quod ſint intra viuens, vt quidam probare intendunt, verùm etiam, quod partem viuentem pro ſubiecto habeant: quod determinauimus primo tomo, *cap. de lapide renum.*

Præterea cum ſpiritus ſint tenuis ſubſtantiæ, & facilè diſſipentur, & reſoluantur, non poterunt morbum diutiùs conſeruare; quod quidem patet in ſpiritibus vitalibus, qui ob tenuiſſimam ſubſtantiam facilè abſumuntur, & conſequenter morbi, qui ex illis originem trahunt, vt ſunt febres diariæ.

*Hepar eſt morbi gallicè primum ſubiectum.*

Dicendum ergo eſt cum communi ſententia, primum ſubiectum huius affectionis eſſe hepar. Quod quidem probatur primò à ſufficienti partium principalium enumeratione; cùm enim non ſit cor, nec cerebrum, vt ſuprà fuit oſtenſum, neceſſariò fateri tenemur, eſſe hepar. Quod etiam

ſecundò

ſecundò probatur; nam cùm morbus iſte ſit omnibus partibus communis, debet primò ſubiectari in parte aliqua principali, à qua in reliquas deriuetur, ſed non ſubiectatur primò in corde, aut cerebro: ergo debet ſubiectari in iecore.

Tertiò, nam tumores, dolores, & alia ſæuiſſima accidentia, quæ in gallicis affectibus reſultant, in tantum fiunt in omnibus partibus, in quantum illis communicatur materia hac labe infecta, ex qua nutriantur: ſed hæc materia communicatur à iecore tanquam à parte principe, in qua talis materia producitur: ergo iecur debet primò hac labe infici, & eſſe illius primum ſubiectum.

Vltimò, nam illa erit pars affecta in hoc morbo, cuius actiones ſemper læſæ conſpiciuntur: ſed in iecore reperitur læſio actionis iecoris, nempe ſanguificatio: ergo iecur erit pars affecta. Maior probatione non indiget: minor etiam conſtat, ſiquidem in his, qui hoc morbo laborant, color totius corporis mutatur ob vitium humorum, qui à iecore communicantur.

Ex his reſpondetur ad rationem in oppoſitum dicendo, quod vlcus productum in obſcœnis partibus à muliere hac labe contagioſa infecta, non dicitur gallicus affectus, donec ipſa affectio iecori communicetur. Et ratio eſt, nam de ratione morbi contagioſi non ſolùm eſt, quod ſit infectio ſimilis ab alio ſimili, ſed etiam quod recipiatur in ſimili ſubiecto, in quo erat cauſa. Quapropter illud vlcus potius eſt via ad morbum gallicum, quàm ipſe morbus. Quod quidem à ſimili conſtat; nam licèt calor præter naturam ſit adauctus in corpore, non tamen dicitur febrilis, donec cor afficiatur, quod eſt primum febris ſubiectum; & ſi aliquæ corporis partes intemperie frigida laborant, talis intemperies non dicitur hydrops, quouſque hepar ipſâ intemperie afficiatur, ratione cuius actio generandi humores deprauatur: ita ſimiliter in caſu propoſito.

Ad confirmationem reſpondetur, per contactum partes proximiores affici; non tamen ille affectus meretur dici gallicus, quouſque iecur afficiatur, niſi dicamus eſſe morbum gallicum in via, quatenus per continui alterationem hepati comunicatur, vt ex illo in reliquas partes vitium hoc deriuetur; ſicut neque dicitur hydrops intemperies frigida plurium, donec hepar tali intemperie laboret.

Sed inquires, quare per hunc morbum potiùs afficitur iecur, quàm reliquæ partes? Reſpondetur id prouenire ex quadam analogia, & proportione, quæ reperitur inter hepar, & hunc morbum; ſic enim dicimus venena ad cor ferri, & cantharides ad renes, non ob aliam rationem, niſi quia inter ipſas partes, & talia medicamenta, aut venena intercedit aliqua ſympathia, aut conuenientia, quæ ſaltem ſe habet vt conditio ad hoc, vt ad has potiùs quàm ad alias partes deferantur.

## CAPVT III.

### *An iſte morbus ſit hæreditarius.*

INter morbos hæreditarios connumerant Authores morbum gallicum; quapropter in ani-A mum induxi aliquid circa illorum naturam attingere, vt ſic faciliùs intelligamus, qua ratione inter hæreditarios iſte morbus reponatur. Sed vt hoc intelligatur, ſcire priùs conuenit, quid ſit morbus hæreditarius? Quod quidem breuiter patefaciam, ſi cum communi Medicorum ſententia aſſeramus, morbum hæreditarium dici illum, qui eſt ſigillatio, impreſſio, vel diſpoſitio quædam præter naturam in vno, vel pluribus membris impreſſa, à generationis hortu contracta ex vi ſeminis parentis, auorum, vel proauorum ſimili affectu, & in eiſdem membris laborantium, quo natura vtitur, vt ſimiles ſibi filios generet, & eadem labe fœdatos. *Quid ſit morbus hæreditarius.*

Sigillatio, & impreſſio idem ſunt ac diſpoſitio, & pro eodem hîc vſurpantur; nam morbus quilibet pertinet ad categoriam qualitatis, & ad eius primam ſpeciem. Hæc deſcriptio exactè explicat B morbi hereditarij naturam, cuius explicationem breuibus perſtringemus, vt ſic nomen morbi hereditarij meliùs percipiamus. Ad illius tamen intelligentiam.

Supponendum eſt primò, quod quemadmodum filij aſſimilantur parentibus, non ſolùm in ſpecie, ſed in ſexu, & in accidentibus, vt Galenus refert 2. *de ſemine, capite 5.* & talis aſſimilatio eſt naturalis ex principiis generationis benè ſe habentibus contracta; ita ſimiliter filij parentibus ſimiles fiunt in aliquibus accidentibus præter naturam; quæ quidem ex principiis generationis præter naturam ſe habentibus etiam contrahunt: quæ quidem accidentia cùm actionibus incommodent, veri morbi vocitantur hereditarij. Quod verò tales morbi dentur, quotidianus euentus demonſtrat; ſiquidem ex mancis manci aliquando fiunt, & nephritici nephriticum gignunt, podagrici podagricum, idque etiam do- C cuerunt Hippocrates *lib. de aëre, locis, & aquis*, & *de morbo ſacro*: Auicen. *fen. 2. lib. 1. doct. 1. cap. 8.* vbi ait: *Et ſunt ægritudinum quædam, quæ in ſemine hæreditantur, ſicut vitiligo alba, & tinea, podagra, phthiſis, & lepra.* Idemque ſentiunt omnes Medici. *Quibus modis filij aſſimilentur parentibus.*

Secundò ſupponendum eſt, quod talis aſſimilatio filiorum ad parentes in accidentibus, & aliis proprietatibus fit ratione diſpoſitionis materiæ ipſius ſeminis (omitto in hoc plures modos dicendi; nam hæc tractatio ad libros de ſemine, ſeu fœtus formatione ſpectat;) licèt enim ſemen in probabiliori opinione non decidat ex omnibus membris, ſed in teſtibus generetur; cum hoc tamen dicitur ſemen excrementum vltimi alimenti, quia fit ex ſanguine redundante, & ex omnibus partibus decidente; qui quidem ſanguis cùm ex hepate, & aliis decidat partibus, ab illis recipit D quandam alterationem, & ſigillationem ſecundùm ſubſtantiæ modum, & vt meliùs dicam, quandam aſſimilationem: qui cùm per vlteriorem coctionem, & elaborationem in ſemen conuertatur, ſeminis materiam in ſe retinet, & repræſentat talem aſſimilationem, ſeu ſigillationem à partibus inductam. Cùm igitur formatiua facultas ſeminis operetur ſecundùm ſubiectam materiam, ratione materiæ repræſentat in effectu talem ſimilitudinem, ſeu impreſſionem; vnumquodque enim, quod recipitur, ad modum recipientis recipitur, vt expreſsè omnes Philoſophi fatentur; & ita non eſt mirum, illam virtutem formatricem limitari, & determinari à ſubiecto, in quo eſt. Quod exemplo caloris demonſtrari poteſt; nam calor habet actionem quandam communem, in quantum

quantùm calor eſt : in quantùm verò eſt in diuerſis ſubiectis , determinatur , & limitatur illius actio ad diuerſos , & determinatos effectus ; nam provt eſt in homine , determinatur ad coquendum alimentum , & diſponendum illud , vt in hominis ſubſtantiam conuertatur ; provt verò in plantis , ad productionem ſubſtantiæ illarum , ita vt pro diuerſitate ſubiecti , in quo recipitur , diuerſos effectus producere valeat. Idemque dicendum de facultate formatrice , quæ varias ſimilitudines producit iuxta variam diſpoſitionem , & ſigillationem materiæ ſeminis. Quæ doctrina eſt ad mentem Diui Thomæ *in 2. diſtinct. 13. quæſt. 1. art. 4.* & eſt conformis ſententiæ , quam tradit Petrus Garc. *ſuper fen. 1. diſput. 37. cap. 4.*

A

Tertiò ſupponendum eſt , quod ſicut ſimilitudo naturalis filiorum ad parentes ex illa ſigillatione , ſeu diſpoſitione in ſeminis materia introducta reſultat ; ita ſimiliter diſpoſitio ad morbum , ſiue ipſe morbus introducitur in ſemine , quatenus fuit genitum ex ſanguine , qui ex corpore morboſo , aut aliqua parte præter naturam ſe habente fuit deciſus , qui ſecum detulit illam ſigillationem ſeu diſpoſitionem ad morbum : quæ dum remaneret in materia ſeminis , virtus formatrix fœtum produxit cum illa diſpoſitione morboſa , quam hereditariam vocamus.

B

Quartò ſupponendum eſt , quod ſi pater ratione illius diſpoſitionis morboſæ eſt cum actuali actionum læſione , ita vt actu morbo laboret dum generat filium , filius genitus exire ſolet in lucem cum actuali morbo , niſi ex vi ſeminis materni , vel optimi ſanguinis , ex quo nutritur , vel ob alias cauſas nobis ignotas auferatur illa actualis læſio : quod ſi pater dum generat filium habet ſolùm illam habitualem diſpoſitionem , quæ ad morbum diſponit , tunc etiam ſolummodò producitur filius cum ſimili ad morbum diſpoſitione.

C

*Dubium maximum.* Sed inquires , quare illa habitualis diſpoſitio ita deliteſcit , & obſcuratur , vt non eluceat in genito per plures annos ; imò , quod magis admiratione dignum eſt , talis diſpoſitio ita deliteſcit , vt non percipiatur in filio , & cognoſcatur in nepote , & tranſire ſoleat ad ſecundam , & vſque ad tertiam generationem : ſic enim filius per totum vitæ decurſum ſanus apparet , qui à gatre cum praua illa diſpoſitione fuit productus ; deinde in nepote elucet hæc praua diſpoſitio , quæ in patre non apparuit , & ab auo in nepotem per filium ſanum fuit deriuata.

*Ad illud reſponſio.* Reſpondetur , id prouenire ratione alicuius cauſæ potentioris , quæ actionem habitualis diſpoſitionis impedire valet in filio ; vt ſi benè ſe gerat circa alimenta , & alias res non naturales , aut ex vi ſeminis materni , & alimenti recepti in vtero , illa vis morboſa , ſeu ad morbum diſponens extinguitur , ita vt non accedat ad inferendam noxam : & ob contrarias cauſas accidere poteſt , quod nepos malè ſe habeat ex vi morbi hereditarij ; nam illa habitualis diſpoſitio à contrariis cauſis excitari poteſt , & reduci in actum , ita vt lædat actiones. Itaque ſi filius , qui ſanus apparet , vxorem duxerit morboſam , & mali habitus , tunc quidem ſemen , & ſanguis menſtruus illius non poterunt impedire ſigillationem illam , vel diſpoſitionem præter naturam exiſtentem in ſemine , ex quo producitur nepos ; imò illam adaugebunt , aut eluceſcere facient : deinde edito in lucem infante , aliæ poſſunt concurrere cauſæ , quæ ita illam diſpoſitionem adiuuent , vt facilè in morbum hæreditarium incidat nepos.

D

Ex his patet concluſio reſponſiua quæſtioni , in qua dicimus , morbum gallicum inter morbos hæreditarios , qui medio ſemine traducuntur , eſſe connumerandum ; ſiquidem conſtat patres gallica lue infectos , producere filios eadem labe fœdatos , quæ ex nulla alia cauſa , præter quam ex ſemine , eo modo , quo diximus de aliis morbis , originem duxit. Quod ſi ſtatim à filiorum exortu non eluceſcit , ideò fit , quia ab aliqua potentiori cauſa impeditur illa habitualis ſigillatio , ſeu character , ne actualem noxam inferat. Sed in hoc non amplius immoremur , cùm ea , quæ ſuppoſuimus , facilè huic morbo accommodari poſſint ; ex quibus etiam claret morbi hæreditarij definitio in principio capitis adducta. *Concluſio reſponſiua quæſtioni.*

## CAPVT IV.

### *De cauſis Morbi gallici.*

IN huius tractatus initio aliqua appoſuimus iuxta cauſas , ſeu principia , à quibus iſte morbus initium habuit ; nunc autem cauſarum tractationem abſoluemus , ſupponendo priùs , quod iſte morbus non eſt epidimialis , neque originem ducit ab aëre , vt cenſet Fracaſt. neque à cibo , vel potu , cum plurimos etiam cibis boni ſucci , vel mali vtentes eodem modo corripiat ; neque ex humorum redundantia , vel corruptela , cùm ex his plures gigni morbos videamus , & nunquam ex illis hunc morbum procreatum inſpeximus. Relinquitur ergo , quod cùm morbus iſte ſit contagioſus , qualitas quædam contagioſa ſit immediata illius cauſa : hæc autem communicari poteſt dupliciter , per media ſcilicet interna , aut externa. Media externa ſunt concubitus , ſeu congreſſus duorum corporum , quorum alterum hoc morbo ſit oppreſſum ; nam ex illorum contactu facilè corpus ſanum coinquinatur ab alterius qualitate contagioſa , præſertim ſi illorum congreſſus , & amplexus diu durent , aut illis frequenter vtantur. Prætereà ſi corpus ſanum induat veſtimenta corporis læſi , aut in illius lectulo decumbat , corripi ſolet hoc morbo propter ſeminarium contagionis in veſtibus , & lectulo derelictum. Interna media ſunt ſemen genitale ; & ſanguis menſtruus hac labe infecta , & vſus lactis in pueritia , quod ſugitur ex muliere fœdata , quod etiam vicem gerit medij interni. Præterea ſubiecti diſpoſitio adiuuat , vel retardat huius qualitatis contagioſæ productionem ; nam mulieres calidæ nimis citiùs hanc imprimunt qualitatem , frigidiores ſeriùs , & ſenes minùs , & tardiùs infeſtantur , quàm iuuenes ; verùm ſi aliæ ſuperſunt cauſæ , ad has ſunt reducendæ.

*Nota.* Hoc tamen habet iſte morbus peculiare ; nam licèt alij produci poſſunt ſolùm à cauſa interna , nempe ex humorum vitio , & corruptela , vt ſcabies , lepra , febris maligna , & peſtilens , vt ſuo loco diximus ; iſte tamen nequaquam producitur ſine cauſa , vel occaſione aliqua externa , ſeu procatarctica , neque aliquis expertus fuit hunc morbum fuiſſe productum ſine concubitu , vel contactu aliquo externo cum re hac lue infecta. Quare decipiuntur nonnulli exiſtimantes , ex immodico concubitu cum muliere ſana hunc morbum produci ; eſt enim hic morbus contagioſus ; qui

qui debet eſſe infectio ſimilis ab alio ſimili; ſicque mulier ſana cùm hoc morbo careat, non poteſt medio illo hominem inficere, nec ibi produci poteſt infectio ſimilis ac eſt in producente, cùm mulier ſana nullam infectionem habeat, quam poſſit producere. Ex quo fit, quod ſi aliquis morbus ibi producatur, non ſit verè gallicus, ſed alius gallico ſimilis.

*Dubium.* Sed in dubium vertitur, qua ratione in hoc morbo tot, & tam varia ſuccreſcunt accidentia. Cui facilè ſatisfiet ſi dicamus, id prouenire ex materia, cui hæc qualitas coniungitur, & alicuius partis morboſo apparatu. Si enim humor tenuis ſit, & cutem inuadat, illam exedit, & exulcerat, & pilorum decidentiam efficit, ipſorum radices erodendo; & ſi in oſſa irruat, ipſorum membranam depaſcitur, & oſſa corrumpit, doloreſque acutiſſimos infert in partibus ſentientibus, ad quas confluit. Quod ſi humor diuagans ſit pituitoſus, tumores efficit, qui difficilè, aut nunquam ſuppurantur; dolores nocturnos, & diu perſeuerantes concitat, & ligamenta articulorum, & oſſium membranas molles reddit, & partes motui inſeruientes ad motum facit ineptas. Si verò ſanguis abundet, & hac labe magis inficiatur, quàm reliqui humores, bubones in inguinibus, & ſub alis fiunt, & in cute efflorescentiæ, & puſtulæ rubræ, & alia conſpiciuntur, quæ ſanguinis naturam referunt. Ex melancholici humoris præſentia rarò, aut nunquam iſte morbus ſuccreſcit, nam ſua ſiccitate, & frigiditate qualitati contagioſæ repugnat, quatenus putredini obſiſtit, quam ſibi adiunctam habet quælibet qualitas contagioſa, vt probauimus capite de febre peſtilenti. Verùm ſi ſemel hanc qualitatem recipiat, difficilè aufertur, doloreſque implacabiles commouet.

Quod verò in hac parte magis quàm in alia huiuſmodi accidentia eluceant, facit ipſa diſpoſitio apparatus, ſeu debilitas illius, ratione cuius humorum ad illam decumbentium receptioni ſubiicitur. Quod tam varia ſuperueniant ſymptomata in ipſis partibus, facit humor hac lue infectus, qui per ipſas partes diuagatur, vt ex dictis percipi poterit; ea tamen omnia ab vnico morbo procedunt, nempe à morbo gallico. Quod ſi aliqua ex his in ægrotantibus inueneris, & tibi demonſtratum fuerit ex interrogatione facta, morbum prouenire ex aliqua cauſa externa, vt ſi laborans adhæſerit fœminæ hac lue infectæ, facilè morbum eſſe gallicum venaberis, aut ſi præceſſerint cauſæ aliæ in hoc capite adductæ, quas medij rationem obtinere diximus, quibus penſitatis, non erit difficile cognoſcere hunc morbum, & humorem magis contagione infectum.

*Præſagium.* Quantum ad prognoſticum ſpectat, ſi nimis hæc lues ſit radicata, minùs cedit auxiliis; ea tamen faciliùs euaneſcit, per quam barbæ & capilli capitis ſine alia offenſione decidunt; & illa etiam, in qua apparent maculæ in toto corpore crebræ, & non exuberantes. Grauior tamen exiſtit quando tumores, & vlcera proferunt, & grauior adhuc dum oſſa carie putreſcunt, & totum corpus contabeſcit, vlceraque virulenta ſunt, & maximè dum intra nares, & in gutture fiunt; quæ quidem indicant iecur pernitioſum habitum contraxiſſe, & fermè immedicabilem. Hæc enim omnia ſunt præuidenda, vt melius præſagire poſſimus.

A

## CAPVT V.

### *Curatio morbi gallici.*

QVicunque Ludouici Mercati tractatum de morbo gallico legerit, illius ſatis diffuſam curationem percipiet; nos tamen eam breuiori ſermone trademus, quæcunquæ inter curandum obſeruauimus adducentes. Quantùm ad ea, quæ ad res non naturales ſpectant, primò victus debet eſſe optimi ſucci, qui etiam variatur pro diuerſitate humoris, in quo magis hæc qualitas contagioſa elucet; cum hoc tamen ad ſicciatem aliqualem vergat, propterea quod hoc morbo laborantes magnam excrementorum copiam congerunt. Sit etiam victus moderatus, ne ob morbi longitudinem vires deficiant; aſſumant igitur
B in prima menſa amygdalas toſtas, aut paſſulas; in poſtrema vtantur coriando præparato, aut aniſo, ſeu corticibus citri, quæ cum ſaccharo condiantur. Carnibus vtantur gallinarum, caponum, perdicum, turturum, phaſianorum, cuniculi parui, & arietis; hæ tamen aſſæ magis ſunt ex vſu. Pro cœna vtantur ouis ſorbilibus, carne aſſa pullorum, vel gallinarum. Abſtineant ab oleribus, fructibus, ab alimentis craſſis, & ſalſis, & ab omni piſcium genere. Vinum in totum auferendum eſt, niſi ventriculi cauſâ interdici non poſſit, aut ob aliquod accidens, quod illud expoſcat; tunc ſit album aquoſum, vel ipsâ aquâ dilutum: loco illius bibant aquam ſmilacis aſperæ, aut radicis chinæ, vel ligni ſancti, & in tempore nimis calido bibant eandem aquam cum radice ſcorcioneræ, chicorei,
C vel hordeo decoctam, aut aquam cinnamomi, & ſcorcioneræ. Exercitium pro delicatioribus ſit moderatum, pro robuſtioribus, & agricolis ſit totius diei; ſic etenim praui humores ad cutem feruntur, & multa illorum portio abſumitur.

Somnus ſit moderatus, non ſit diurnus, neque poſt cibum: quod ſi immodicos dolores, vel alia accidentia defuerint, omni arte eſt procurandus, ne ex illius defectu vires labantur.

Caueant à veneris vſu donec ſanitatem amiſſam recuperent, ne ex illius vſu magis debilitentur, aut aliis morbum communicent; animi paſſiones euitent, ventremque mollem habeant, aut illum cieant clyſteribus, aut ſuppoſitoriis.

His debitè adminiſtratis, ſi tempus opportunum fuerit ad curationem, quale ſolet eſſe vernale, vel autumnale, & vires ferant ſanguinis extractionem, ſtatim ſanguis eſt extrahendus, præſertim ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa, idque bis, vel ter, proratione virium, & morbi; & magis conuenit in morbi huius initio antequam vires deiiciantur, morbuſque magis radicetur. *Sanguinis miſſio.*
D

Facta ſanguinis detractione humores præparare expedit ad expurgationem; quæ quidem præparatio humorem peccantem ſimul reſpicere debet, & malam qualitatem contagioſam quâ inficitur. Itaque in cauſa calida ſyrupi ſint refrigerantes, vt ſyr. chicorei, ſcorcion. borrag. & acetoſi, cum aquis ſtillatitiis, ſcorcion. chicorei, bugloſſæ, & ſimilium: in frigida conueniunt ſyrupus fumariæ, capill. ven. duarum radicum, oxymel ſimplex, mel roſaceum; & ſi caput patia-

tur

tur, illis admiſcebis ſyrup. de ſtœcade; ſi verò ventriculus, illum adiuuabimus ſyrupo de mentha, de abſinthio, vel de corticibus citri, quibus ſuperaddes aquam radicis chinæ, ſmilacis aſperæ, ligni guaiaci, ligni aloës, cinnamomi, aut fœniculi.

*Purgatio.* Deinde humores expurgantibus auxiliis euacuabis, hac tamen adhibita conſideratione; nam cùm morbus diu duret, vnica euacuatione nequit auferri, quapropter purgationes per interualla plures efficere conſulunt omnes, incipiendo à facilioribus; in corporibus tamen imbecillimis ſemper minutas, paruaſque euacuationes faciemus, quas per epicraſin vocant Medici. Verumtamen ſi vires conſtent, fortioribus vti oportet; nam humores plerumque ſunt in extimis partibus, & longè diſtant à viis ductuum; indigentque vehementioribus medicamentis, vt ex remotiſſimis partibus attrahantur: præterquam B quod humores craſſitie, & viſciditate ita partibus adhærent, vt difficilè medicamentorum tractioni cedant. Quibus penſitatis facile erit pro humoris peccantis idea pharmaca euacuantia exhibere, ſiue in potu, ſiue in catapotiorum forma, vel in morſellis adminiſtrentur, quorum copiam non adducimus, quoniam ex his, quæ aliis capitibus tradita ſunt, facilè deduci poteſt.

## CAPVT VI.

### *De ſudorificis auxiliis.*

QVamuis ſupradicta debitè admoueantur, iſte morbus eſt tam rebellis naturæ, & conditionis, vt nequaquam, aut rarò auferatur, & ſic inter reliqua auxilia, quibus Medici antiquiores C vtebantur, ſudorifica primum obtinuerunt locum, quibus ſecundùm intima, & extima totum corpus euacuatur. Notare tamen oportet, quod non quæcunque ſudorem prouocantia huic operi ſunt dicata, ſed ea tantùm quæ præter vim promouendi ſudorem quadam vi alexiteria conſtant, quâ huic deteſtabili morbo aduerſantur, illique è directo opponuntur: talia ſunt lignum guaiacum, ſmilax aſpera, & radix chinæ, quæ mille encomiis ab Authoribus laudantur ad huius morbi propulſionem; circa quæ legere potes Manardum Hiſpalenſem tractatu de iis, quæ ex Indiis Occidentalibus adſportantur; inter ea tamen primatum tenet lignum guiacum, cuius, & aliorum parandi modum hac lege conficies, de quibus duplex eſt coctionis differentia; vna ſimplex, quâ frequenter vtimur in prandio & cœna, vt huius morbi effrenatam contagionem compeſcamus: alia fortior, aut D compoſita, iuxta affectus cuiuſque membri, quem curare intendimus, naturam. Communniter igitur decoctionem fortem parabis ex ℔. ß. ligni guaiaci ſcophinati; quod ſi ſolum huius ligni interiora coquantur, efficacior erit. Decoquatur ergo in ℔. xvj. aquæ ad trium partium conſumptionem, quam coctionem fortiorem, vel debiliorem efficies addita, vel detracta quantitate ligni, vel aquæ. Ante tamen quàm coquatur, in eadem aqua priùs calida infundatur ſpatio vigentiquatuor horarum: deinde lignum idem iterum coquatur in ℔. xxiiij. aquæ ad medietatis conſumptionem, & hæc eſt concoctio ſimplex, qua vti debet in communi potu. Coctio fieri debet in vaſe bene obturato, & lento igne. Quod ſi A ſuauius, & non minùs efficax efficere volueris pro delicatioribus, per mortarium lapideum idem decoctum inſtillabis cum aliquo puluere aniſi, & liquiritiæ, aut cinnamomi.

*Smilax aſpera.* Ex ſmilace aſpera ſimiles fiunt decoctiones, ex quarum vſu maximum ægrotantibus emolumentum ſequitur; eſt enim temperata, ita vt non tranſcendat ſecundi gradus initium in calore, & ſiccitate: ea tamen non eſt ita efficax ſicut lignum guaiacum, ad cuius coctionem fortem accipe ſmilacis aſperæ ℥. vij. coquantur in ℔. xxij. aquæ pluſquam ad medietatis conſumptionem; deinde facta colatura iterum coquantur in ℔. xx. aquæ ad medietatis conſumptionem, quo ſecundo decocto vtendum eſt in potu communi.

*Radix chinæ.* Radix chinæ non minoris momenti eſt, quæ in minori doſi profuit; non quia maiori vi polleat, ſed quia rarioris eſt ſubſtantiæ, quàm lignum, & ſparta parella, prompteque vires ſuas in aquam per decoctionem, vel infuſionem tranſmittit; & hanc ob cauſam minori indiget coctione. Facta igitur infuſione, ſat erit decoquere ℥. j. ß. vel ℥. ij. in ℔. viij. aquæ ad medietatis conſumptionem.

*Sanguinis miſſio.* Facta ergo euacuatione per ſanguinis miſſionem, & expurgationem, in lecto bene coopertus æger accipiat ℥. viij. aut decem alicuius decoctionis fortis ex his, ſudetque ſpatio duarum horarum, manè ab hora ſeptima ad nonam, veſpere ab hora tertia ad quintam, vel à quarta ad ſextam: quod ſi æger tantum laborem ferre non poſſit, horam cum dimidia ſudare ſufficiet, aut ſemel in die, ne ex aſſidua euacuatione vires illius proſternantur. Vna hora, vel dimidia tranſacta à ſudore aſſûmat pro prandio, & cœna amygdalas toſtas, & paſſulas, & loco panis biſcoctum, vel panem toſtum: bibat aquam decoctionis ſimplicis. Quod ſi prædictum decoctum non ſufficiat, alterum denuò fiat eodem modo, quo aliquibus vtatur diebus, vt ſic in totum morbus auferatur.

Aduertere tamen oportet, quod ſi his adhibitis, nullus, aut paruus ſudor prouocetur, exiſtimare debemus humorem eſſe nimis craſſum, & tenacem, qui attenuatione maiori, & inciſione indiget; quo tempore iterum attenuantibus, & inſcindentibus humorem præparabis, & illum idoneis medicamentis expurgabis, denuoque æger ad ſudorem redeat recipiendo idem decoctum calidum, vt ſic citius pori adaperiantur, & humores attenuentur, vt per poros exire poſſint.

Verumtamen cum reliquiæ humoris craſſi non benè per ſudorem excernantur, & intra corpus maneant, neceſſum eſt à ſudore tranſactis duobus, vel tribus diebus iterum medicamentum expurgans propinare, vt ſic æger in totum incolumis euadat, & ſe ab hoc immani affectu liberet.

Hæc omnia adduximus pro communi vſu prouocandi ſudores. Superſunt tamen aliquæ decoctiones diutino experimento comprobatæ, quibus maxima cum vtilitate vti poſſumus, quæ ex his omnibus fieri poſſunt, quæ ſi poſtea diſtillentur, guſtui gratiores, & iucundiores fiunt; ex quibus probatiores adducemus. Confert ergo hæc, quæ recipit ligni ſancti ℥. v. ſmilacis aſperæ ℥. iij. radicis chinæ ℥. j. infundantur ſecundum artem in ℔. xx. aquæ, deinde coquantur ad medietatis conſumptionem; qua decoctione per alembicum poſteà inſtillatâ vti poteris veſpere, & mane quantitate ℥. viij. quæ etiam prodeſt

prodeſt ſi per noctem parum ante ſomnum ægro ℥. iij. propinaueris. Eandem vim obtinet hæc decoctio, ſi poſt coctionem per lapideum mortarium excoletur.

Quod ſi æger præter morbum gallicum aliquo alio partis affectu laborat, etiam ei eſt prouidendum. Itaque ſi æger hoc morbo oppreſſus ſimul arthritide laboret, ipſi decocto adiicies ibam artheticam, & hermodactylos: ſi paralyſi, adiicies thymum, ſtœcadem, ſaluiam, maioranam, & aniſum: ad ventriculum affectum addes cinnamomum, corticem citri, abſinthium, lignum aloës, nardi ſpicam, & mentham. In iecoris affectibus addes agrimoniam, chicoreum, hordeum, roſas, & ſimilia. Quod ſi cor afficiatur, & virtus vitalis langueat, adiicienda ſunt theriaca, mithridatum, confectio alchermes, vel iacynthorum; at verò ſplene patiente, decocto addes ſcolopendrium, lupulos, borragines, & capparorum radices: tandem ſi thorax malè ſe habeat, addenda ſunt decocto pruna damaſc. paſſulæ ſine vinaceis, iuiubæ, capill. Ven. liquiritia, violæ, & carduus ſanctus; ea tamen non intrepidè, & inconſultò admouebis, ſed pro ratione affectus, & intemperiei cuiuſcumque partis, frigidis admouendo calida, & frigida calidis, & ſic de aliis.

Præter iſta decocta alia ſcripta reperies, quæ licèt ſudorem prouocent, non tamen hanc malignam contagionem deſtruunt, neque morbo aduerſantur; non enim habent antipathiam cum hoc morbo, neque illum auferunt; hancque ob cauſam ea relinquo.

## CAPVT VII.

### *De inunctionibus.*

Alium curandi modum excogitarunt Medici maximè proficuum, quo morbus iſte nimis radicatus, & cum grauiſſimis ſymptomatibus auferri ſolet, qui vnctionibus aliquarum partium perficitur, quibus non ſolùm hunc curauimus morbum, ſed & alios, nempe conuulſiones ex repletione, tumores ab humoribus craſſis procedentes, chiragram, podagram, ſcabiem, & alios ſimiles. Sed expendiſſe priùs oportet in quo vis, & efficacia inunctionum conſiſtat; deinde quibus componatur medicamentis, & qua methodo eis vtendum.

*De argenti viui natura.* Quantùm ad primum, certum eſt, totam vim inunctionum conſiſtere in hydrargyro, ſeu argento viuo, quod eſt præcipuum medicamen, ex quo inunctiones componuntur, de cuius natura, & temperie dubitant Authores. Galenus 9. *ſimpl. cap. de hydrargyro*, cenſet dari ſolùm hydrargyri genus artefactum, non minerale, de quo nullum fecit periculum, an ſcilicet ſi deuoretur, interimat, vel foris admotum lædat. Cum hoc tamen 4. *ſimplicium, cap.* 19. inter erodentia, & poteſtate calida illud annumerat. Dioſcorides tamen, & Plinius, & cum eis omnes duplex hydrargyri genus ſtatuunt, minerale, & artificiale; ſed de illius temperie non omnes eodem modo ſentiunt. Quidam exiſtimant eſſe frigidum, & humidum in ſecundo gradu; ita enim Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. & Mathiolus *cap. de argento viuo.* Quod probare videntur ex illius actuali frigiditate, & pondere, & quia corpus,

A quod illud deuorauit, liuidum redditur, & congelatur, ſicut contingit ex aſſumptione veneni frigidi, vt Mathiolus narrat de quodam pharmacopola, qui vehementi ſiti oppreſſus, magnam copiam hydrargyri hauſit, cuius partem aliquam per inferiorem ventrem reiecit, & in eius viſceribus hydrargyri libra remanſit, vt ex anotomia, & diſſectione illius apparuit, qui permanſit liuidus, frigidus, & congelatus: quæ omnia hoc medicamentum frigidum eſſe oſtendunt.

Ad probandum etiam, quod ſit calidum, non deſunt rationes. Galenus enim inter medicamenta calida, vt cinnabaris, miſy, calx, & ſimilia, illud repoſuit *loco iam citat.* Auicenna *fen.* 6. *libro* 4. *tractatu* 1. *capite* 3. argentum viuum extinctum eſſe de genere medicinarum acutatum, calidarum, & mordicantium ſtatuit, quamuis loco priùs adducto aſſerat frigidum eſſe, & humidum: ad quod aſſerendum ſuadet tum illius
B mobilitas, ratione cuius argentum viuum nominatur, quæ potiùs ducit ortum à calore, quàm à frigiditate; frigidi enim proprium eſt ſubſtantiam immobilem reddere, ſicut caloris ad motum parare: tum ipſius hydrargyri penetratio, nam ſi pedes illo inungantur, in ore, & capite eluceſcere ſolet, qui effectus nequaquam frigiditati eſt atribuendus: nam frigiditas cutem denſando, & poros conſtipando penetrationem prohibet. Vlteriùs argentum viuum abſumere valet tumores duros, & ſchirrhoſos, & alios morbos ex craſſa, frigidaque materia prodeuntes; quod opus conſequi non poteſt ſine calore exſuperante, atque adeò exiſtimat illum eſſe à prædominio calidum.

Sed quidquid ſit de veritate huius dubitationis, vt certum exiſtimo, hydrargyrum inter remedia à tota ſubſtantia operantia eſſe conſtituendum; & *Inunctionum compoſitiones vtiles.*
C huius ratio deſumitur ex eo, quod morbis à tota ſubſtantia opponitur; cùm enim morbus gallicus, ſcabies, lepra, elephantiaſis, & ſimiles ſint morbi contagioſi, quorum eſſe nec in primis, neque in ſecundis qualitatibus conſiſtit, ſed in proprietate ſubſtantiæ, vel qualitate nobis incognita; & iſti non auferantur, niſi per remedia contraria, talium remediorum vis, qua his morbis opponuntur, neceſſariò debet eſſe incognita, & à proprietate rei deſumpta; contraria enim debent eſſe ſub eodem genere. Idemque dicendum de aliis auxiliis, quæ huic morbo directè aduerſantur, neque in hoc ampliùs eſt immorandum.

Sed ad ſecundum noſtræ difficultatis punctum deuenire expedit, in quo agere debemus de inunctionum compoſitione. Eſt equidem hydrargyrum ita malignantis naturæ, vt referunt probatiſſimi Authores, vt per alia auxilia correctione indi-
D geat, ſic etenim noſtro vſui maximè conuenit; nam per ſe adhibitum tentat caput, lædit auditum, & viſum, paralyſim, & tremorem inducit, & tam prauæ naturæ eſt, vt à Iacobo Claromontano, & ab aliis Authoribus inter venena connumeretur, & correctum adhuc maxima cum meditatione, ne officiat, illo eſt vtendum; nam eſt medicamen adeò forte, vt per vtramque aluum violenter humores moueat, ſiue intus, ſiue ad extra admoueatur: ſudores prouocat, & per ſputum magnam humoris copiam deiicere facit, os & gingiuas lædit, carnem, oſſa, tendones, & reliqua. Multis tamen modis paratum illud inuenies pro naturæ illius diuerſitate, qui eo vti debet; & argenti viui quantitas augenda erit pro virium patientis robore: vel infirmitate, & ſic illius quantitatem omninò deſcribere eſt impoſſibile.

Communiter

Communiter tamen ſic paratur. ℞. axungiæ ſuillæ ſine ſale ℥. iij. butyri vaccini loti, & axungiæ gallinæ, ana ℥. j. ß. vng. aragon. & dialtheæ, ana ℥. ij. oleorum laurini, de lilio, & ruthæ, ana ℥. j. theriacæ magnæ ʒ. iij. argenti viui priùs extincti ℥. iij. croci ʒ. j. moſchi, & ambræ, ana g̃. iiij. miſce, & fiat vnguentum. Alij ſolum illud componunt ex axungia ſuilla, & hydrargyro, cuius vſum reformidamus, nam ex ſola axungia illius maligna qualitas non ſedatur. Aliud etiam ſic fingi poteſt. ℞. axungiæ porcinæ ℔. j. olei camemali, & anethi, & laurini, ana ℥. j. ß. vnguenti aragon. & marciat. ana ℥. j. argenti viui ℥. iiij. reſignæ, & terebinthinæ, ana ℥. ij. miſce, & fiat vnguentum. Sed quod ego in frequenti vſu habeo, eſt illud vnguentum, quod adducitur ab Obeto, cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. adipis ſuillæ ℥. viij. hydrargyri ℥. j. ß. theriacæ magnæ ℥. ß. vng. Agrippæ, dialtheæ, & olei laurini, ana ℥. j. maſtichis, & thuris, ana ℥. ß. ſtyracis liquidi quart. iij. cineris vitis ℥. ß. miſce, & fiat vnguentum, quo dolores ſedantur, cutis roboratur, & argenti deleteria vis obtunditur, & optimè huius morbi vires frangit. Quâ tamen lege ſeu methodo eo ſit vtendum, iam adaperiam. Facta igitur humorum præparatione, & euacuatione per ſanguinis miſſionem, & expurgationem, adhibitaque per aliquot dies potione ſudorifica, ad inunctionum vſum deuenire oportet, quæ fieri poſſunt aſſumpto priùs apozemate ſudatorio: deinde ægrum inunges vel iuxta ignem, vel in loco ſatis calido, & benè cooperto. Quem curandi modum vtiliſſimum ſemper fore cenſui. Quod ſi citra potionem ſudorificam corpus inungere volueris, nequaquam lædes in corporibus robuſtis, quibus ſudores non profuerunt. Inunctionum numerus eſſe debet habito reſpectu ad vires, & morbi magnitudinem: ego autem ſexies corpora inungere iuſſi in hominibus robuſtis, & qui hoc morbo maximè premebantur; neque hunc terminum tranſgredi auſi, propter hydrargyri in operando vim, & efficaciam; & ante inunctionem, vel immediatè poſt illam potionem ſudorificam propinabam. Partes, quibus admouetur, ſunt ex tremæ, nempe crura, pedes, tibiæ, brachia, manus, & ſpina; cauere tamen debemus, ne partes principes, & ventriculus inungantur, ob noxam quæ illis infertur ex argenti viui admotione.

Quod ſi quolibet die ægri ferre nequeunt inunctiones, de tertio in tertium diem illos inungere iubeas, ſic enim minùs vires deiiciuntur, & meliùs tolerant. Oportet tamen vt vnguentum non ſit recens, ſed benè fermentatum; nam alias argentum viuum ſua grauitate, & virtute forti purgatoria, quâ pollet, aluum maximè ciet, aut diarrhæam, aut dyſenteriam immedicabilem efficiet.

Tranſactis tribus, vel quatuor diebus ab inunctionum die, tutum erit aliquod medicamen expurgans propinare, vt ſi aliquid argenti viui ad intra penetrauerit, educatur, & ſimul cum illo ſi aliquid humoris peccantis remanſit, euacuetur.

*Dentes mobiles quomodo curandi.*

Sed quia ex huius medicamenti vſu dentes mobiles fiunt, gingiuæ exulcerantur, & os fœtidum odorem mittit, denteſque nigreſcunt, his accidentibus ſubuenire conuenit iis remediis, quæ primo Tomo propriis capitibus adduximus; nunc tamen aliqua breuiter referemus, vt opus hoc compleatur. Et primò dentes mobiles fixos reddit hoc, quod recipit pulu. maſtichis, coralli rubri, cornu cerui vſti, & præp. margaritar. præpar. aluminis vſti, thuris, & radicis vtriuſque conſolidæ, ſumach, & ligni guaiaci, ana ʒ. ß. aquæ plantag. ℥. iiij. mellis ſchillitici ℥. j. miſce, quo dentes fricentur manè, & noctu, vel in linteo aliquid illius extendes, quod dentibus noctu applicetur; manè verò os abſterges, & collues vino odorifereo, vel liquore ſtillatitio, quod extrahitur per alembicum in hunc modum. ℞. panis recentis crebris foraminibus excauati n. j. infunde in ℔. ij. vini albi odoriferi, florum roris marini, & lauri, ana p. ij. maſtichis, & myrrhæ ana ʒ. ij. miſce, ex quibus fiat inſtillatio per alembicum, vt dixi, quâ os abluatur. Hæc remedia non ſolùm firmant dentes, ſed albeſcere faciunt, & gratum odorem conciliant, vlceraque conſolidant. Maſtix per ſe eadem efficere valet.

Cryſtalli fruſtum in ore detentum impedit oris exulcerationem, & dentium mobilitatem; tamen ſi vlcera fiant, os ablues aquâ plantag. & aluminoſæ; quæ ſi ſordida extiterint, addes parum mellis roſacei, vel vnguenti Ægyptiaci, aut æris vſti, vel vitrioli Romani, & reliqua hîc accommodari poſſunt, quæ capite oris vlceribus dicato traduntur.

## CAPVT VIII.

### *De gallicis ſuffumigiis.*

PRæter dictos curationis modos, alium ſudandi modum inuenerunt Medici per ſuffumigia ex cinnabaro compoſita; quod auxilium conferre ſolet huic morbo inueterato, qui aliis remediis non cedit, modò adſit virium robur; eſt enim medicamen hoc adeò forte, vt magnum virium diſpendium cauſet, quod perferre non poſſunt niſi vires valentes; ſuaque deleteria, & venefica qualitate eſt naturæ inimicum, & perimens; quapropter illius vſum reformidant Authores, præſertim Fernel. & Mercat. Tamen ſi neceſſitas vrgeat, & alio modo morbus auferri non poſſit, facta priùs præparatione, & humorum expurgatione, eo modo, quo diximus, ad illius vſum deuenire poſſumus, hunc ordinem adſeruantes, vt ante ſuffumigium ægrum reficiamus ouis ſorbilibus, vel carne pullorum, vel gallinarum, vel offa vini: deinde illius corpus vndique pannis contegere oportet, ne ſuffumigij vapor in aërem externum exſpiret, ſed totus à corpore ſuſcipiatur, dummodo caput, & nares non obtegantur, ſed libera perſiſtant, vt ſic ſuffumigium non deguſtent; aliàs enim ſuffocabitur æger: quo quidem ſic ſtante inter illius tibias ſuper prunas ſpargatur ſequens puluis. ℞. thuris, maſtichis, cinnamomi, & myrrhæ, ana ʒ. ß. cinnabari ʒ. j. miſce: qui puluis ad primum ſuffitum deſeruire poteſt; quod ſi opus fuerit, fiant duo, vel tres: loco cinnabari vtuntur etiam ſandaraca Græcorum, vel auripigmento, aut præcipitato, hoc eſt argento viuo in puluerem redacto: illorum tamen quantitatem diminues, ſi vires laborantis nimis robuſtæ non fuerint. Sed in ſuffumigiis non multùm perſiſtendum, ſed donec corpus incaleſcat, quo tempore in lecto calido decumbat æger benè coopertus, & ſudorem commotum ſeruet. Eſt equidem huius venenoſi medicamenti ita effrenata vis, vt non ſolùm per ſudorem, ſed per vtramque aluum, & per ſputum humores violenter moueat, à cu-

lus vſu recedendum eſt eo tempore, quo pro virium ratione æger ſufficienter ſudauerit, vel aluum ſolutam habuerit, vel per ſputum humorem euacuauerit. Alia ſuffumigia ex variis rebus componuntur, quæ licèt ſudorem prouocent, non tamen hanc contagionem tollunt: & licèt ſecuriora ſint, & cum minori virium iactura adhibeantur, minùs prodeſſe ſolent quapropter ea conſultò omitto, vt ſuperuacanea; eorum tamen compoſitionem ſcriptam reperies apud Mercatum, & alios; nos autem, qui ſuffumigiorum vſum pertimeſcimus, ſolùm ea adduximus, non quia illis vti iubeamus, ſed ne aliquid ad hunc morbum attinens relinquamus; quare hoc caput breuem conſequitur finem.

---

## CAPVT IX.

### *De conterendis huius morbi reliquiis.*

HÆc dira lues ſi nimis radicetur, neque ſudoribus, neque vnctionibus obedit, quæ clam, & occultè radices ſuas in corporis ſubſtantiam recondit, ita vt hominem è medio tollere conſpiciamus. Quapropter ſi adhibitis ſudorificis auxiliis, & inunctionibus, non cedat, aut laborantes ob virium languorem ea perferre non valent, commodiorem, & tutiorem viam conſtituemus fideli vſu comprobatam, quâ radicitus huius morbi reliquias conteramus, & illius radices reconditas euellamus.

Si igitur patiens adhuc in totum liber non ſit ab hoc immani morbo, aſſumat quolibet mane ℥. vij. aut ℥. viij. decocti ſmilacis aſperæ, & in lectulo quieſcat duarum horarum ſpatio, deinde ad conſueta munia ſe conferat: quo remedio plures liberaui hac labe infectos, qui ob virium languorem, & impotentiam, & præ timore noluerunt maiora auxilia perferre. Pro delicatioribus tamen decoctum per mortarium lapideum excolabis, vtanturque decoctione ſimplici ſmilacis aſperæ, vel radicis chinæ in potu communi. Confert etiam manè, & veſpere parum ante ſomnum aliquorum dierum ſpatio bibere ℥. iij. huius ſtillatitij liquoris, qui hoc modo paratur. ℞. interioris ligni guaiaci ſcophinati ℔. j. ſmilacis aſperæ ℔. ß. radicis chinæ ℥. j. foliorum, & radicum pentaphil. linguæ ceruinæ, ſcabioſæ, ana m. j. infundatur in ℔. xvj. aquæ, & coquantur ad medietatem, & inſtillentur per balneum Mariæ. Simili modo alias diſtillationes efficere poteris.

Sed quia ex huius contagionis praua conditione plura in corpore congeruntur excrementa, quæ etiam hunc morbum fouent, oportet aliqua propinare, quæ præter vim alexipharmacam ipſa excrementa euacuent, in quem vſum varia formantur apozemata, & ſyrupi; ex his tamen probatiora referemus. Hoc igitur apozema conficere poteris, quod recipit raſuræ interioris ligni guaiaci ℥. ij. ſmilacis aſperæ ℥. j. ß. radicis chinæ ℥. ß. epithymi, & polypodij ana ʒ. iij. foliorum ſennæ ℥. j. rhabarb. optimi ʒ. iij. coquantur omnia ſecundùm artem in ℔. xij. aquæ ad medietatis conſumptionem, & facta expreſſione colaturæ adde ſacchari, quod ſufficiat ad gratum ſaporem conciliandum. Quod ſi iecur calida intemperie laborat, decocto addes radices chicorei; ſi ventriculus frigidus ſit, cinnamomum adiiciatur;

A ſi ſplen, aſplenium. Quibus verò articuli dolent, arteticam ibam, vel tamarindos addes. Similiter pro redundantis humoris vitio hæc vel illa expurgantia pharmaca decoques.

Syrupus etiam ex eiſdem parari poteſt addita ſacchari maiori quantitate, vt decoctum ſyrupi conſiſtentiam nanciſcatur. Quod ſi guſtui ingrata nimis ſint, & inſuauia, per mortarium talia decocta percolentur, addito cinnamomi, & ſacchari puluere. Huic decocto addere etiam poteris fumariæ, borrag. pomorum, chicorei, vel eupatorij ſuccum; non tamen iis ſuccis indifferenter vteris, ſed iuxta humoris peccantis ideam, ex quibus apozemata vel ſyrupos conficies, vel omnia per balneum Mariæ inſtillabis. Huius apozematis, ſyrupi, vel liquioris ſtillatitij bibat æger quotidie, aut tertio, vel quarto die ℥. iij. vel iiij.

Pulueres etiam confici poſſunt ad eundem
B vſum, inter quos præcipui ſunt hi, qui recipiunt ſpartæ parellæ ℥. ij. foliorum ſennæ ℥. j. ſpicæ nardi ʒ. j. aniſi, & fœniculi, ana ʒ. iij. ſacchari quod ſit ſatis ad gratum ſaporem; quorum ſumat æger à ʒ. j. ad ʒ. j. ß. deinde ſuperbibat ℥. iij. aquæ ſmilacis aſperæ calidæ, mox ab illorum deuoratione dormiat benè coopertus duarum horarum ſpatio, vel ſaltem quieſcat, & poſtea ſurgat à lecto, vt ſic meliùs purget.

Huius morbi radices exſtirpat vinum ſanctum, quamuis billioſis, & ad hecticam diſpoſitis minus conferat, cuius forma hæc eſt. ℞. corticis ligni ſancti ſcophinati, & interioris eiuſdem, ana ℥. v. ſmilacis aſperæ minutim diuiſæ ℥. iij. foliorum ſennæ, epithymi, & polypod. ana ℥. j. fiat infuſio, & decoctio ſecundùm artem in ℔. xx. aquæ ad medietatis conſumptionem, & colaturæ adde vini optimi ℔. xv. & conſeruetur in vaſis vitreis, de
C quo manè, & veſpere bibat laborans ℔. ß.

Pillulæ etiam conſtruuntur ad idem, quas ſummo mane vel noctu aſſumat æger, quæ confici poſſunt ex pulueribus ſpartæ parellæ, & foliorum ſennæ, cum ſucco fumariæ vel decocto ipſius ſmilacis aſperæ. Aliqui etiam eas componunt ex puluere præcipitati, quarum vſum reformidamus, adhuc in hominibus robuſtis, & humoribus craſſis conſtantibus; eſt enim nimis forte medicamen, maximeque commouet corpus, & naturæ inſidiatur. Conuenit inſuper bibere decoctum guaiacinum in communi potu, vt paulatim medicamenti huius vis ſeſe in propriam ſubſtantiam inſinuet, & huius morbi reliquias conterat.

Tandem, ſi his admotis adhuc morbus perſiſtat, patienter ferat, & aliquibus euacuationibus per epicraſin factis ſit contentus, vt excrementa, quæ quotidie congeruntur, paulatim expur-
D gentur. Verumtamen ſi aliquod membrum nimis diſtemperetur, pluresque congreget humores, licebit fontanellam aperire, vt per illam exſpirent: *Fontanellæ vſus.* ſi enim caput oblæſum nimis ſit, & iamdiu id contraxit vitium, fontanellam aperies in brachio; ſi verò iecur, eam aperies in crure dextro; ſi lien, in ſiniſtro, vt ſic frequenti excrementorum congeſtioni frequens ſuccedat euacuatio. Sed tempus expoſtulat, vt huic breui tractatui optatum finem imponamus.

QVÆSTIO

## QVÆSTIO CELEBRIS
### Totius prælibatæ doctrinæ fundamentum.

*Vtrum in quolibet mixto perfecto dentur partes quæ correſpondent elementis.*

HÆC quæſtio tota philoſophica eſt, pertinetque ad tractationem de mixtione; veruntamen quia ex illius intelligentia plurima ſoluuntur dubia in Apollinea Facultate, & quamplurima à nobis tradita fundamentum capiunt ex huiuſmodi partium diuerſitate; ideo decreuimus illius veritatem indagare, rationibus, & authoritatibus ſtabilire, contrariorum fundamenta euertere, ſicque noſtro huic tractatui finem optatum imponere: ad cuius notitiam

*Elementa non manent formaliter in mixto.*

Suppono primò, quod licèt iuxta magis probabilem ſententiam elementa non maneant formaliter in mixtis ſecundùm formas ſubſtantiales, manent tamen ſecundùm formas accidentales in gradibus formæ mixti debitis, non verò in ea intenſione, quæ formis elementalibus congruit. Modò non diſputo, an forma mixti virtualiter contineat qualitates elementorum in gradibus intenſis, imò & ipſas elementorum formas; nam hæc diſputatio non eſt neceſſaria ad noſtri dubij ſolutionem.

Accipit ergo mixtum ab elementis qualitates primas in menſura ſibi conuenienti, ſiue illæ qualitates ſint eædem ſecundùm numerum, vt volunt qui dicunt accidentia materialia ſubiectari in materia prima; ſiue ſint ſolùm eædem ſecundùm ſpeciem, vt tenent qui aſſerunt, talia accidentia ſubiectari in toto compoſito. Quæ doctrina conformis eſt doctrinæ Diui Thomæ 1. *parte*, *quæſt.* 76. *art.* 4. vbi ait: *Ideò dicendum eſt ſecundùm Philoſophum in primo de generatione, quod formæ elementorum manent in mixto non actu, ſed virtute. Manent enim qualitates propriæ elementorum, licet remiſſæ, &c.* Sunt enim huiuſcemodi qualitates diſpoſitiones, quibus materia diſponitur ad introductionem formæ, & illius conſeruationem.

*In mixto manent qualitates primæ, & ſecundæ in debita menſura.*

Suppono ſecundò, præter qualitates primas, vt mixti forma producatur, & conſeruetur, prærequiri qualitates quaſdam ſecundas, tenuitatem nempe, craſſitiem, denſitatem, vel raritatem, &c. Ratio eſt euidens; nam elementa præter primas qualitates habent etiam qualitates ſecundas, quibus conſeruantur; ſic enim dicimus, ignem tenuitatem habere, terram verò denſitatem, & ſic de ſingulis. Mixtum ergo ſimiliter debet frui his qualitatibus, quæ ſecundæ dicuntur, quia primas inſequuntur, quæ quidem ſunt earum cauſa æquiuoca. Hæ qualitates ſecundæ dicuntur ſubſtantiæ modi, quatenus ipſam ſubſtantiam modificant, de quibus diximus, non eſſe qualitates actiuas, ſed eas fieri interuentu primarum: quapropter vnum mixtum eſt craſſius, denſius, aut tenuius alio, & vnumquodque petit commenſurationem

*Qualitates ſecundæ non ſunt actiuæ.*

A non ſolùm primarum qualitatum, ſed ſecundarum. Omitto in præſenti alias qualitates diſtinctas ab elementalibus, quæ dicuntur mixti proprietates, quæ licèt elementales præſupponant qualitates, vt producantur, non tamen fiunt ab illis, ſed à mixti forma pullulant. Circa hoc legendus eſt Diuus Thom. *quæſtione* 5. *de veritate*, *artic.* 10. *ad* 5. atque *quæſt. vnica de anima, artic.* 1. cui tota hæc doctrina conſonat.

*Mixtum fit immediatè ex elementis aut ex aliis mixtis.*

Denique ſuppono, quod licèt mixtum vnum poſſit fieri, & generari ex alio, vt dum liquores inter ſe taliter commiſcentur, vt ex omnibus reſultet mixtum quoddam tertium à liquoribus ſpecie diſtinctum; cum hoc tamen dicimus, quod ſicuti qualitates, quas mixtum habet refractas, ab elementis accepit; pari ratione ab eis deſumpſit materiam primam illorum,
B quæ iis qualitatibus vltimatè diſpoſita vnitur ſecundùm omnes ſuas partes, & recipit formam mixti: quæ materia licèt immediatè non præfuit ſub forma elementi, dicitur tamen elementalis, quia fuit aliquando, in prima ſcilicet mixtione ſub forma elementi, licèt poſtea tranſmutetur ex vna mixti forma in aliam; & hoc fuit neceſſarium, vt euitaretur proceſſus in infinitum. Nam ſi ſemper vnum mixtum fieret ex alio, & illud ex alio, & in cæteris ſimili modo, nunquam poſſemus ad primum mixtum deuenire, cùm illud aliud expoſceret, ex quo fieret. Vt ergo hoc inconueniens fugiamus, recurrendum eſt ad elementa, ſeu corpora ſimplicia, à quibus recipimus non ſolùm qualitates, ſed etiam eorum materiam, quæ manet in corpore mixto formaliter, licèt non ſecundùm formam ſubſtantialem; & propterea
C Ariſtotel. *lib.* 5. *Metaphyſ. capite* 3. definiens elementum inquit: *Eſſe illud, ex quo primo inſito aliquid componitur.* Et 1. *lib. Metaphyſicæ*, *capite* 7. ex ſententia Empedoclis elementa eſſe materiam vniuerſi ſtatuit. Et 4. *Meteor. capite* 12. inquit: *Quod ex elementis, tanquam ex materia, vniuerſa componuntur.* Neque in hoc poteſt eſſe aliqua dubitatio.

*Mixtum petit fieri ex materiebus elementorum per primas, & ſecundas qualitates diſpoſitis.*

Quia ergo ex dictis conſtat, mixtum ſiue vera mixtione, ſiue generatione tantùm procreatum, neceſſariò petere materiam elementalem qualitatibus primis, & ſecundis diſpoſitam pro ſuæ formæ introductione, & conſeruatione, nunc vertitur in dubium, qua ratione talis elementorum materia manet in mixto, ſiue ex ipſis immediatè, vel mediatè mixtum ſit genitum; an ſcilicet in mixto dentur partes materiæ correſpondentes partibus materiæ elementorum, ex quibus mixtum componitur, ita vt pars ma-
D teriæ, quæ præfuit ſub forma ignis, ſit calida, & ſicca, tenuis, & rara, correſpondens elemento ignis; pars alia ſit craſſa, & denſa, frigida, & ſicca, correſpondens elemento terræ, & ſic de reliquis elementis; ita vt dentur partes igneæ, aëreæ, terreæ, & aqueæ. Sed quia mixta ſunt in duplici differentia, quædam homogenea, quorum partes ſunt eiuſdem rationis cum toto, & nomine, & definitione conueniunt cum illo, vt docet Ariſtotel. 2. *de partibus animal. capite* 2. & 1. *de hiſtor. animal. capite* 1. & Auicenna *fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 5. *cap.* 1. vt caro, os, cartilago, &c. alia heterogenea, quorum partes ſunt diuerſæ rationis, vt ſunt plures partes viuentis, quæ cùm conſtituant diuerſa organa ad actiones vitales eliciendas,

requirunt ſimiliter diuerſum ſubſtantiæ modum, & alias qualitates ſpecie diſtinctas, eo quod corpus viuens neceſſariò debet eſſe organicum, neque alterius corporis anima actus eſſe poteſt. Dicimus ergo, quod quæſtio non procedit de mixtis ſecundo modo acceptis, ſed de primis, in quibus ad ſenſum nulla apparet partium diuerſitas, ſed omnes vniformiter ſe habere videntur.

*Proponuntur primæ ſententiæ fundamenta.*

Hac ſuppoſitâ doctrinâ, prima ſententia tenet, impertinenter in mixto homogeneo talem partium diuerſitatem conſtitui, præſertim ſub vnica præciſa parte quantitatis; imò hoc iudicat impoſſibile Petr. Garcia, qui ob ſui ingenij acumen aliorum placito non aquieſcit, quem in hac parte aliqui, licèt pauci, ſequuntur. Iſte ergo doctiſſimus Magiſter vbique venerandus efficaciter probat primò, partes diuerſas materiales non poſſe eſſe ſub vnica præciſa parte quantitatis; cuius doctrinæ in hac parte libenter aſſentior, neque contrarium Philoſophi ſtatuunt.

*Non dantur partes diuerſæ ſub vna parte quantitatis.*

Cùm enim quælibet pars materiæ ſit quantitate affecta, ea pars quantitatis, quæ præcisè afficit hanc numero partem materiæ, eſt impoſſibile vt aliam materiæ partem afficiat; ita enim quantitas, aut aliud accidens inhæret ſubiecto, vt tota quantiras reſpondeat toto ſubiecto, & pars parti: non tamen poteſt dici, quod pars præciſa quantitatis ſimul inhæreat pluribus partibus ſubiecti, ob plura inconuenientia ab ipſo Doctore tradita. Quapropter non ſunt redarguendi antiqui Philoſophi, & Medici, ſed potiùs laudandi; ſiquidem ex eorum ſcriptis nihil tale deducitur, ſed ſolùm vnanimiter confitentur, in mixto debere conſtitui partes (vt dixi) quæ elementis correſpondent, ſub diuerſis tamen quantitatis partibus.

Sed quia hic dicendi antiquorum modus adhuc illi diſplicet, acriter aduerſus illum inſurgit, exiſtimans partes iſtas materiales ſuperuacaneas eſſe, eo quod optimè mixtum, inanime ſaltem, ſaluari poteſt ſine harum partium diuerſitate: quod probare intendit primò. Nam forma inanimatorum eſt homogenea ſecundùm ſe: ergo non eſt cur petat diuerſas diſpoſitiones in partibus. Conſequentia probatur, quia forma petit diuerſas diſpoſitiones, propter varias, & diuerſas operationes, quas exercet: at verò tales in rebus inanimatis non ſunt, ſed omnes eiuſdem rationis: ergo non eſt, cur ibi ponantur diuerſæ diſpoſitiones. Non enim alia de cauſa in corporibus animatis natura fabrefecit organa, & partes variis accidentibus, & diſpoſitionibus præditas, niſi quia ordinantur ad diuerſum operandi finem. Si ergo talis finis deficit in rebus inanimatis, fruſtrà variæ in illis collocantur diſpoſitiones.

Quod ſi dicas, illas partes habere diuerſas operationes, nam vna pars calefacit aliam, & hæc refrigeratur ab alia.

Reſpondet ipſe, quod anima non petit diuerſa temperamenta in partibus propter actiones ſolas primarum qualitatum, ſed propter alias diuerſas; & idem aſſerendum de forma inanimatorum.

Secundò probatur; nam qualitas prima producta ab vna parte in aliam, eſt violenta illi parti, in qua recipitur: ergo non poteſt conferre ad aliquid ei naturale. Antecedens patet; nam eſt ab externo principio, paſſo non conferente

A vim. Ex quo colligit, quod illa diuerſitas temperamenti in partibus non confert ad conſeruationem formæ mixti; nam ſi pars aliquid recipit, eſt præter naturam; ſi nihil, neque pendet ab illa in conſeruari.

Tertiò, ex materia vnius, aut duplicis elementi cum qualitatibus aliorum poteſt produci mixtum: ergo non eſt neceſſe, quod in mixto reperiantur partes elementis correſpondentes. Antecedens patet; nam ſi aliquod agens remittat qualitates vnius elementi, ita vt ſub illis qualitatibus in gradibus remiſſis non poſſit conſeruari forma illius elementi, tunc quidem in illius materia debet introduci aliqua forma mixti, quia qualitates illæ refractæ ex præſentia contrariorum, ſimul cum contrariis introductis ab agente, quæ fuere illius remiſſionis cauſa, conſtituunt temperamentum quoddam ad aliquam formam mixti.
B Neque eſt ratio, quæ ſuadeat tale temperamentum alicui formæ non eſſe conueniens: ergo cùm materia, ex qua fuit genitum tale mixtum, ſit vnius elementi, poterit ſolùm habere partes, quæ correſpondeant illi elemento; atque adeò omnes partes erunt eiuſdem rationis, & eandem habebunt diſpoſitionem. Confirmatur in auri productione in viſceribus terræ, vbi neque aër, neque ignis poſſunt concurrere; & tamen producitur aurum: ergo in auro non poſſunt aſſignari partes, quæ correſpondent omnibus elementis.

*Concluſio tenenda.*

Sed iis non obſtantibus ſit concluſio. In mixto remanent partes materiales correſpondentes partibus materialibus elementorum. Hæc concluſio conſonat dictis antiquorum, & eſt bonæ Philoſophiæ conformis, ita vt contrarium ſtatuere ſit ab optimo philoſophandi modo recedere.
C Quapropter authoritatibus primò, deinde rationibus eam fulcire conabor. Ariſtot. cuius doctrinam venerantur omnes 4. *lib. meteor. cap.* 2. docet omnia, præter elementa, putredinem ſubire, aut ſaltem omnia igne excepto; putredo autem non fit ſine partium dictarum ſeparatione, vt conſtat ex illius definitione; ſicuti neque coctio, quæ putredini contraria exiſtit, fieri poteſt ſine earumdem partium vnione. Eodem etiam capite dixit, neceſſe eſſe cocta calidiora, & craſſiora euadere; quod non accidit, niſi abeuntibus partibus humidioribus, remanentibuſque craſſioribus, & calidioribus. Et *capite* 6. plura tradit, quæ benè explicari nequeunt, niſi admittendo harum partium diuerſitatem.

*Authoritatibus fulcitur concluſio.*

*Ad ſenſum medicamenta ſimplicia à natura ſunt compoſita.*

Quod verò Galen. eiuſdem prorſus ſit ſententiæ, mille in locis patefit.
D *Libro* 11. *de ſimplicium medicamentum facult. capite de pinguedine*, *& adipe*, inquit, vinum, mel, adipem vetuſtate fieri calidiora, & ſicciora, & maiorem vim reſoluendi poſſidere, quàm antea, reſolutis ſcilicet aliquibus partibus frigidioribus, & humidioribus. *Libro* etiam 3. *ſimplicium, capite* 14. docet omnia medicamenta, licèt ſenſui ſimplicia appareant, naturâ tamen eſſe compoſita, aduerſiſſimaſque in ſe habere facultates, nempe excernendi, ſiſtendi, rarefaciendi, &c. & hoc reducit ad partes tenues, & craſſas, ex quibus componitur medicamentum; nam aliàs non eſſet vnum medicamentum tot virtutibus præditum. Et vt hoc explicet, ponit exemplum in medicamento ex ſucco rhu, & melle compoſito, quod conſtat vi abſtergendi, & aſtringendi, quia habet partes diuerſas; nempe

nempe mel, quo abſtergit; & rhu, quo adſtringit; non tamen vni, & eidem parti vtramque accommodat virtutem. Idem proportionaliter eſt aſſerendum de medicamentis ſimplicibus, in quibus diuerſæ facultates reperiuntur, quia diuerſis partibus conſtant. Capite etiam 4. eiuſdem libri, in braſſica duas, eaſque contrarias facultates inuenit, cuius ſuccus vim habet purgatoriam, reliquum illius, quod ſupereſt, eſt adſtrictorium. Eademque ratio eſt in beta, & lenticula. Idem comprobat pluribus aliis medicamentis, quibus inſunt contrariæ facultates.

Auicen. *libro* 2. *canonis*, *capit.* 1. expreſsè hanc partium diuerſitatem admittit, imò contrarium eſſe impoſſibile cenſet, dum ait: *Facultates contrariæ eſt impoſſibile, quod non ſint in partibus diuerſis, ex quibus Medicina eſt compoſita.* Gentilis de Fulgineo Auicen. doctrinam exponens, eam amplectitur, in qua Dinum conuenire teſtatur. Auerroës 5. *collect.* agens de medicinis ſimplicibus, eis tribuit diuerſas, imò & contrarias facultates, propter partium diuerſitatem, quibus gaudent, vt legenti notum fiet. Sed in hoc non amplius immorandum, cùm ſapientiſſimè Garcia aſſerat hanc fuiſſe mentem Galeni, & Ariſtot. & totius antiquitatis. Quare ipſe pro ſui ingenij acumine antiquorum authoritatibus ſatisfacit, neque reputat inconueniens duas virtutes, vt abſterſio, & adſtrictio, ab vna parte proficiſci, præſertim cùm illæ virtutes non ſunt inter ſe oppoſitæ.

*Petri Garciæ circa putredinem ſolutio redarguitur.*

Quare ad Ariſtot. reſpondet primò, quod putredo, & coctio fieri poſſunt ſine ſeparatione, & vnione partium eo modo quo ipſe refert *libro* 1. *de different. febrium*, iuxta cuius dicendi modum totam euertit antiquorum mentem circa naturam putredinis, & coctionis, proptereaque ab eius ſingulari Philoſophandi modo recedimus. Neque poteſt impediri, quod plures partes abeant, dum res putrefit, vel coquitur à calore, ex quarum abſentia, quæ remanent, ſicciores apparent; non quia defectus humiditatis ſit cauſa efficiens illius ſiccitatis, cùm potius ſit cauſa per accidens; neque calor putredinalis eam per ſe inducere poteſt, cùm eius effectus formalis ſit calefacere, non verò exſiccare. Requiritur ergo cauſa per ſe, quæ non eſt alia præter formam informantem partes illas terreſtres, quæ producit in illis illam ſiccitatem eo modo, quo aquæ forma ablato calefaciente producit frigiditatem: neque in re, quæ putrefit, reperitur ſolùm ille modus ſubſtantiæ, in quem (inquit) tendit putredo, per quam res, quæ putrefit, ad corruptionem diſponitur. Sed ipſa ratio, & obſeruatio docet, talium partium ſeparationem adeſſe. Alias reſponſiones, quas ipſe tradit circa antiquorum doctrinam, forſan inter arguendum trademus.

*Noſtra concluſio rationibus comprobatur.*

Dimiſſis igitur antiquorum placitis, rationibus concluſionem luce clariorem reddere conabor, quarum quædam à priori, quædam à poſteriori ipſam demonſtrabunt. Sed quia quæ à poſteriori, & ab effectu ſunt, magis ſenſui patent, ab eis exordium ſumam. Probatur ergo primò ex natura putredinis, quæ eſt cuiuſcumque mixti adhuc homogenei paſſio, quæ nequit fieri ſine partium à partibus ſeparatione, ſicut in aliis eſt amplectenda Ariſt. doctrina. Videmus enim ea, quæ putrefiunt, humectari ſecundùm partes ſuperficiales, non aliâ ratione, niſi quia partes reſpondentes elemento aqueo ſeparantur à conſortio aliarum, medio calore extraneo diſſipante calorem natiuum; qui non poteſt à calore extraneo auferri, cùm ſit eiuſdem naturæ, niſi quia auferuntur, & euolant partes, in quibus calor natiuus ſubiiciebatur; & hoc modo ſaltem dicimus, vnum calorem per accidens alteri eſſe contrarium. Pari ratione homo dum peruenit ad ſenectutem, plures partes habet amiſſas per putredinem naturalem, quæ ortui naturali contrariatur; ſiquidem à calore quotidie noſtrum corpus diſſipatur, & reſoluitur, & quotidie accidit noſtræ ſubſtantiæ fluor, vt inquit Galen. *libro* 1. *de ſanitat. tuenda*, & 7. *aphoriſm. commentar.* 59. Quia ergo euaporatur ſubſtantia humida à calore natiuo, & corpus remanet ſiccius, dicimus id aſſequi per veram putredinem, vt probat Venerandus Abbas *opuſc. de ſenect. capite* 4. contra Argenterium. Fit ergo in putredine ſeparatio partium à partibus, & talis in re, quæ putreſcit, inducitur alteratio, vt ad corruptionem tandem deueniat.

*Quæ etiam ſit cauſa ſeparationis partium in putredine.*

Neque deficit ibi cauſa, quæ moueat localiter ipſas partes, ſiquidem calor eas attenuando vertit in vapores, qui ad partes ſuperficiales deferuntur, & ad extra, propter leuitatem à calore comparatam; & hoc ſufficit, vt partes à partibus ſeparentur, & à vinculis naturalibus exſoluantur; quæ partes poſtea in vapores tenuiores verſæ euolant, manetque corpus ſiccius, quàm antea.

*Putredo quælibet fit à calore extraneo rei quæ putreſcit.*

Neque valet dicere, quod putredo non poteſt initium habere à calore naturali, ſiquidem fieri debet à calore extraneo; nam putredo non fit à calore naturali eiuſdem partis, quæ putrefit, ſed à calore partis ſibi vicinæ; qui calor reſpectu alterius partis non eſt naturalis, ſed potiùs violentus, & extraneus. Quod verò in coctione earum partium fiat vnio, etiam claret in maturatione, quæ eſt perfectior ſpecies coctionis, in qua perficitur res, quæ coquitur à calore naturali ipſius, qui vt inſtrumentum naturæ vnit partes alimentitias, & ſegregat excrementa, quæ ex coctionibus reſultant, ita vt non ſolùm perfectè coctum dicatur illud; quod modum ſubſtantiæ perfectiorem adquiſiuit, ſed etiam quod per coctionem abiecit excrementa tenuia, & craſſa, & ſuarum partium nexum maiorem, & vnionem fuit ſubſequutum.

*Quomodo in Medicinis ſeparamus vnã virtutem ab alia.*

Secundò probatur, nam in rhabarbaro, & aloë ſeparamus virtutem ſolutiuam à virtute purgatiua ſolùm per ſeparationem partium à partibus: ergo ſunt tales partes conſignandæ. Antecedens patet, nam dum volumus ab aloë ſeparare virtutem ſolutiuam, id aſſequimur per lotionem ſub ſole, aut ad ignem, à quorum calore partes ſubtiliores exhalantur, in quibus reſidet virtus purgatrix, remanentibus craſſioribus, quibus ineſt adſtringendi vis. Rhabarbarum etiam adurimus, vt ſic ab ignis calore partes illius tenues abſumantur, quæ vim ſolutiuam habent; deinde vtimur pertibus illius craſſioribus, quibus ventrem roboramus, & reſtringimus.

Sed dubitat Petr. Garc. quomodo ex infuſione, aut lotione extrahuntur partes illæ, ſiquidem debent extrahi, aut ſeparari per motum

localem; non enim (inquit) extrahuntur à calore aquæ, vel liquoris calidi, quo abluitur; quia adhuc ſi aloës, verbi gratiâ, abluatur aquâ frigidâ, aloës tribuit illi aquæ virtutem ſolutiuam, quam habet, licèt non ita benè, ſicut ſi eſſet abluta aquâ calidà. Cui dubio ipſe ſatisfacit, & inquit, quod liquor per poros aloës ingrediens, imò & ipſam aloëm diſſoluens, permiſcetur cum illis partibus, vt conſtat ſapore, & odore liquoris, qui redolet naturam rei infuſæ; quod non contingeret ſi ibi non remanſiſſent partes ſubtiliores, in quibus reſidet virtus purgandi. In aliis verò rebus infuſis, quæ ſuarum partium maiorem cohalitum habent, partes illæ ſeparantur ab extrinſeco; nam educuntur per compreſſionem, & impelluntur à proprio loco. Veruntamen partes illæ ſunt excrementa, vel alimenta, vel aliud ſimile in poris illius mixti contenta, non tamen ſunt partes illius.

*Nota hanc doctrinam, qua ſubuertitur contrariorum fundamentum.*

Sed hanc iſte Author difficultatem effugiens, in aliam maiorem incidit; debebat enim adducere rationem, quare talia excrementa habent vim purgandi; & ex alia parte, aloës verbi gratiâ, non habet ex ſe illas partes, (& idem ſtatuo de quolibet alio medicamento diuerſis facultatibus prædito:) ergo iuxta illius ſententiam aloës non habet illam vim purgatiuam; ſiquidem non attribuitur ipſi, ſed potiùs ſubſtantiæ in eius poris contentæ: hoc autem eſt contra omnes antiquos, & recentiores, qui aloës facultates annotarunt; neque eſſet neceſſaria ad hunc finem lotio, aut infuſio alicuius medicamenti, quæ ſæpe deſeruit ad delendam aliquam virtutem ab illo, vt docet Meſuës *in canonibus vniuerſalibus*, vbi docet lauare lapidem lazuli, & lapidem armenum, vt tantùm ſoluant per ventrem, & ſine anguſtia; nam non loti ſoluunt per vomitum, & ventrem cum moleſtia. Hæc autem virtus ſoluendi per vtramque partem cum moleſtia eſt illis lapidibus propria, quæ nequit auferri ab illis ſine partium magis ſubtilium per lotionem detractione. Quapropter non benè cenſet Garcia, dum *fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 2. *ſolut.* 267. *column.* 1. ait: *Neque enim eſt pars propriæ ſubſtantiæ mixti, quæ exit, ſed quæ erat vel alimentum, vel excrementum, aut quid ſimile intra cauitates contentum, & dilitatis illis patet via exitus.*

Tertiò id experimur in braſſica, & lenticulis, quibus ineſt vis adſtringendi, & purgandi, vt conſtat ex Dioſc. *lib.* 2. *cap.* 109. & 98. & diximus ex Galen. *lib.* 3. *ſimplic. cap.* 4. quorum virtutem purgatiuam extrahimus extrahendo partes per coctionem, in quibus ea vis purgandi reſidet: ergo debemus in ipſis conſtituere diuerſas partes.

*Petri Garciæ reſponſio duplex.*

Dupliciter reſpondet Petrus Garcia. Primò, quod braſſica, & lentes informantur animâ vegetatiuâ, atque adeò habere debent organizationem, & conſequenter diuerſas partes, quæ conſtant diuerſis facultatibus, de quibus non dubitat. Quod ſi ex diuerſis partibus ſimilaribus componuntur, ab illis illæ prodeunt facultates. Secundò reſpondet, quod ſuccus ille, qui extrahitur per elixationem, qui habet facultatem purgandi, non eſt pars braſſicæ, aut lenticularum, ſed alia ſubſtantia diuerſa à propria illarum.

*Harum ſolutionum impugnatio.*

Sed reuerà illius ſolutiones diſplicent, & circa primam non benè infertur: Viuunt anima A vegetatiua: ergo habent organizationem; nam partes ſimilares viuentis, ex quibus conſtruitur organum, eadem informantur anima, & viuunt, & de illis, quatenus tales ſunt, non verificatur, quod habent organizationem; ſiquidem de ſe petunt ſolùm ſuarum partium vnionem, & accommodatam temperiem. Quare quælibet pars ſimilaris hominis, vt caro ſimplex, os, &c. eadem informatur anima ac pars organica; tamen ipſa non habet per ſe organizationem. Ex quo infero, nihil concludere primam ſolutionem. Secunda ſimiliter non obſtat; nam ille ſuccus, qui extrahitur per elixationem à braſſica, redolet, & ſapit naturam illius ſubſtantiæ, à qua fuit extractus; atque adeò videtur eſſe pars illius, & vt antea dixi, debebat reddere rationem, ob quam talis ſuccus habet eam virtutem, ſiue ſit alimentum, ſiue B excrementum, vel aliud quidquam; cùm in ratione excrementi, vel alimenti eam virtutem non expoſtulet.

Quartò probatur in generatione aceti à calore flantis auſtri producti, quod quidem, vt producatur, antecedenter petit diſpoſitionem frigidam; hæc autem diſpoſitio non poteſt conſurgere à calore per ſe, quia per ſe calor calorem gignit: ergo conſurgit à calore per accidens, quatenus præſtat occaſionem, vt reſolutis partibus calidioribus vini, frigidæ reluceant, & diſponant ad formam aceti, & ad intenſiorem frigiditatis gradum aſcendant.

*Petri Garciæ argumentum contra noſtrũ fundamentũ, & illius impugnatio.*

Huius argumenti vim percalluit Petrus Garcia, eamque impugnat; inquit enim, quod partes illæ frigidæ non poſſunt diſponere, quia toto tempore, quo durat putredo, calet mixtum, & ſic non poteſt habere qualitatem præ- C dominantem frigidam. Quare iuxta illius ſententiam, materia vini diſponitur à calore ſimul cum alia ſecunda qualitate ad introductionem formæ aceti. Neque reputat inconueniens, quod diſpoſitio antecedens, & conſequens formam non ſit omninò ſimilis.

Sed hoc totum gratis dictum eſt. In primis calor ille nullo modo poteſt diſponere ad formam, quæ ex ſua natura petit diſpoſitionem frigidam, niſi occaſionaliter, & per accidens, vt dixi, etiamſi aliam qualitatem ſecundam, quam fingit, illi adiungamus; nam ſi calor per ſe non eſt diſpoſitio ad illam formam, qualitas illa ſecunda non tribuit calori nouum eſſendi modum, neque rationem diſpoſitionis illi præſtat; melius enim erat dicere, quod qualitas illa ſecunda, quam ipſe ibi ſupponit, eſt diſpoſitio ſufficiens ad formam aceti: & licèt concedamus, D quod qualitas antecedens, & conſequens non petit eſſe omninò ſimilis, non tamen poteſt concedi, quod vna eſt ſpecie diſtincta ab altera: quapropter neque calor diſponit per ſe ad aquæ formam; neque frigus ad ignem, quia ignis petit antecedenter calorem, & aqua frigus; quare ea diſſimilitudo ſtat ſolùm in graduum diuerſitate; nam ignis forma, vt introducatur in materia, non petit calorem vt octo, ſed ſufficiunt quinque, vel ſex caloris gradus; & hoc modo dici poteſt, quod diſpoſitio antecedens non eſt omninò ſimilis conſequenti.

Ex quo infero, quod etſi tempore, quo durat putredo, vinum calefit; tamen reſolutis partibus humidioribus, & calidioribus, remanent partes

partes frigidæ, & ſiccæ, quæ remittunt calorem, & humiditatem cauſæ putrefacientis; & ſic remanet illa materia cum intenſiori ſiccitate, & frigiditate quàm antea, quæ ſufficienter, & per ſe immediatè diſponit ad aceti formam: deinde verò introductâ formâ, ab ea pullulant qualitates illæ in intenſione debita conſeruationi illius.

Quintò conuulſio ex inanitione fit reſolutis pluribus partibus humidioribus, ex quarum reſolutione conſurgit, quod partes remanentes ſicciores, & duriores apparent quàm antea: ergo in mixto datur huiuſcemodi partium diuerſitas, ſiquidem illa ſiccitas, & durities non prouenit ab altero principio, quàm ab illis partibus.

Quod ſi dicas, partes illas exſiccari ab excrementis ſiccis, vel ab aliis cauſis. Contrà eſt; nam conuulſio ex inanitione eſt plurimùm incurabilis: ergo non prouenit à cauſis extrinſecis exſiccantibus. Antecedens eſt notum: conſequentia patet; nam adhibitis remediis humectantibus poterat auferri, & curari.

Quod ſi iterum reſpondeas, quod eſt difficilis curationis, eo quod humiditas lentè operatur. Hoc, inquam, non ſatisfacit; nam ex hoc ſolùm deducitur, quod curatio longo tempore fiat; non tamen, quod ſit difficilis, aut impoſſibilis, cuius impoſſibilitatem agnoſcens Hippocrates 5. *aphoriſmorum*, appellat conuulſionem ex ſuperflua euacuatione lethalem; apparet enim pars conuulſa quantitate minor quàm antea; quæ minor redditur, quia non ſolùm ſuperfluè euacuantur humores contenti in ipſa parte, ſed quia plures partes ſubſtantiales partis conuulſæ euacuantur, vel reſoluuntur.

*A quo efficienter ſeparantur partes in conuulſione ex ſiccitate.*

Quod ſi inquiras, quænam ſit cauſa euacuationis partium ſubtilium, & humidarum in parte, quæ conuellitur, & à quo principio illum motum localem recipiunt.

Reſpondetur, quod ſi conuulſio fit ab immodico calore, calor ipſe ipſas partes attenuat, & rarefacit, & præbet initium motus per leuitatem, quam illis partibus tribuit. Quod ſi fiat à ſiccitate, vel frigiditate, condenſatione, & compreſſione partis, quæ conuellitur, exprimitur ſubſtantia magis tenuis, & ad motum parata, qualis eſt calida, & humida. Denique ſi ex ſuperflua purgatione ſuperueniat, ſucceſſione ad id, quod euacuatur, exit talis ſubſtantia, neque adueniт conuulſio ex ſuperflua euacuatione, donec nimis ſint effuſi omnes humores, vt expertus ſum in aliquibus morbis, quo tempore iam mors prope eſt, eo quod non ſolùm nutrimentum deficit, ſed partes nutriendæ diſſoluuntur, & euacuantur.

Sed quia argumenta poſita ab effectu probant noſtram concluſionem, & ex effectu in ſuæ cauſæ cognitionem peruenimus, reſtat nunc ad illius probationem per cauſas deuenire, vt ad propoſitum effectum, tanquam ad finem deueniamus.

*Elemētorum materiæ inæqualiter diſponuntur in mixtione.*

Probatur ergo ſextò à priori; nam materiæ elementorum, ex quibus producitur mixtum, manent inæqualiter diſpoſitæ, dum mixti forma introducitur: ergo in mixto ſunt conſignandæ partes, quæ in ſuis accidentibus correſpondent partibus elementorum. Antecedens probo. Materia, quæ erat ſub forma ignis, erat nimis tenuis, & rara; quæ verò erat ſub forma

A terræ, erat nimis denſa: ſed eſt impoſſibile, quod ſimul, & eodem tempore vtraque materia æqualem recipiat diſpoſitionem ab agente, quod eſt mixtionis cauſa: ergo illæ materiæ manent inæqualiter diſpoſitæ. Maior certa eſt, minorem probo; nam materia terræ habet ita congenitam denſitatem, vt ratione illius reſiſtat magis calori ignis; frigiditaſque, & ſiccitas terræ in materia denſa, & magis vnita fortiùs operatur, quàm calor ignis, qui eſt in materia rara, & tenui, cuius partes non ſunt ità coadunatæ, vt æqualiter ſimul per actionem, & reactionem eodem tempore æqualem introducere valeant diſpoſitionem: ergo operantur inæqualiter, atque adeò materiæ illorum elementorum inæqualiter diſpoſitæ manebunt, ita vt vna maneat rara, altera denſa; vna tenuis, altera craſſa; vna magis apta ad calorem ſuſcipiendum, & alia ad frigiditatem.

*Vt actio æqualiter fiat, petit eaſdem diſpoſitiones in tota materia, in quam agit.*

B Confirmatur. Quando duo agentia contra eiuſdem intenſionis æqualem effectum debent producere in eodem tempore, requiritur ex parte materiæ, in qua debet recipi vtriuſque effectus, & ex parte diſpoſitionis agentis æqualis etiam diſpoſitio: ſed hæc deficit quando elementa conueniunt ad mixtionem: ergo non poteſt effectus illorum quoad accidentia, de quibus loquimur, eſſe æqualis. Maior certa eſt; nam agens in materia rara, & tenui minus intensè operatur, quàm in materia denſa: & ob hanc rationem inquit Philoſophus, quod denſitas materiæ iuuat ad actionem; vt ergo duo agentia æqualiter operentur, in ſe æqualem virtutem, & diſpoſitionem expoſcunt: ergo cùm ignis forma ſit in materia rara, & forma terræ in materia denſa, nequaquam eodem tempore poterunt producere æqualem diſpoſitionem; &

C cùm ex alia parte paſſum, in quod vnumquodque agit, habeat diuerſas diſpoſitiones, ſiquidem terra agit in ignem, qui habet materiam nimis tenuem, & raram, quæ parum reſiſtit, ſaltem eâ reſiſtentiâ, quam formalem vocant; ignis verò agit in terram, quæ ſua denſitate nimis reſiſtit, eſt impoſſibile, quod vtraque materia æqualiter diſponatur: ergo quando forma mixti in illis materiebus elementorum introducitur, eas adinuenit inæqualiter diſpoſitas, ita vt vna pars ſit tenuis, altera ſit craſſa, taliter vt vna correſpondeat vni elemento, & alia alteri; atque adeò manent partes elementis correſpondentes.

*Mixta ex elemētis accipiunt qualitates primas, & ſecundas.*

Septimò probatur. Denſitas, raritas, leuitas, & aliæ huiuſmodi, ſunt qualitates ſecundæ elementales conſequutæ ex primis: ſed ele-

D menta in mixti compoſitione non denudantur à primis abſolutè, ſed ſolùm ſecundùm aliquos gradus: ergo neque debent denudari à ſecundis: ergo ſicut tribuunt mixto qualitates primas in gradibus ſibi debitis, eidem mixto tribuunt qualitates ſecundas. Tunc ſic: ſed qualitas ſecunda elementi ignis eſt tenuitas, & raritas; qualitas verò terræ eſt denſitas, & ſic de reliquis elementorum qualitatibus: ergo elementum ignis tribuit materiam raram, & tenuem; terra verò denſam, ac per conſequens manent in mixto materiæ in qualitatibus, & diſpoſitionibus correſpondentes elementis.

*Vt æqualiter diſponatur materia, æqualiter debet illi approximari agens illam diſponens.*

Octauò probatur argumento deſumpto ex Gentili, ſuppoſito modo, quo mixtio fit, in qua minimum vnius miſcibilis tangit minimum alterius, taliter quod quælibet pars formalis mixti

mixti dicitur mixta. Quo admiſſo principio, impoſſibile eſt dari mixtum ſine partium diuerſitate; nam iſta minima non poſſunt ſibi æqualiter approximari vndequaque; ſed vbi eſt inæqualis approximatio, eſt impoſſibile, vt actio ſit æqualis, & vniformis: ergo terminus illius actionis erit difformis, & inæqualis: ergo minimum mixti conſtat partibus inæqualiter temperatis, non ſolùm quoad primas qualitates, ſed etiam quoad ſecundas. Hoc argumentum proponit Magiſter Santacruz *opuſc.* 3. *de temperam. capite* 6.

Neque valet dicere, verum eſſe, dari talem partium diuerſitatem; eam tamen eſſe paruam, & imperceptibilem: nam vt inquit idem venerandus Magiſter, nihil aliud optamus, neque demonſtramus aliud, niſi quod hæc diuerſitas ſit phyſica, ſiue ſenſui appareat, vel non appareat, de quo non curauimus.

Nonò ergo probatur argumento ad hominem; nam ipſe Petrus Garcia *fen.* 1. *lib.* 1. *doctrina* 4. *capite* 2. *fol.* 726. *pagina* 1. confitetur, iecur ad producendos humores non determinari à materiali principio, ſed ipſum eſſe determinatum, quia non agit illos plures effectus vnâ ſimplici virtute eiuſdem partis exquiſitæ, ſed virtute plurium; ſicut cœlum quadam parte producit calorem, & alia frigus: cum quo (inquit) ſtat, quod iecur ſit pars ſimilaris, & homogenea; hæc tamen partium diuerſitas non reperitur in alia parte ſimilari, quia non conſtat eſſe neceſſariam ad aliquam actionem.

Sed hoc totum diſſonat, cùm plura inueniantur medicamenta, quæ homogenea dicuntur, & variis, ac diuerſis facultatibus ſunt prædita, quarum diuerſas minis actiones in illis experimur, vt patet in argento viuo, quod mouet per ſudorem, per ſputum, per vtramque aluum, ad intima penetrat, & opponitur morbo gallico. Oleum vitrioli ſtipticitatem habet, & maximam vim penetrandi, & putredinem inhibet, & ſic de aliis medicamentis homogeneis, quorum virtutes innumerabiles referre poteram: ea tamen breuitatis causâ omitto: ergo falſum eſt aſſerere, non dari in aliis partibus ſimilaribus partium diuerſitatem, quia non conſtat eſſe neceſſariam ad aliquam actionem.

Denique probatur ex ipſo *libro de locis affectis, cap.* 7. *diſp.* 20. *de conuulſione*, vbi expreſsè fatetur, conuulſionem ex ſiccitate fieri à febre ardente, quæ inducit ſiccitatem.

Hoc autem comprobat noſtram doctrinam; nam febris, quæcumque ea ſit, non producit per ſe ſiccitatem; eſt enim paſſio ſimplex, vt in primo libro probaui, quæ non alia de cauſa victum humidum expoſtulat, niſi quia à calore febrili diſſipantur plures partes humidæ, quæ victu humido reſarciri debent, aliàs corpus euadet ſiccius, & quandoque conuellitur per ſe à partibus ſiccis remanentibus; ex quo deducitur, quod calor febrilis occaſionaliter tantùm ſe habet ad ſiccitatem, & conuulſionem; per ſe autem attribuitur partibus terreis, quarum forma minùs impedita à partibus humidis ſiccitatem intenſiorem producit, quæ dum inæqualiter pullulat in partibus, conuulſionem ex ſiccitate parit, vt capite de conuulſione ſcriptum reliquimus.

Ex dictis à priori, & poſteriori noſtræ con-A cluſionis veritas elucidata manet, eaque plurimis aliis rationibus ab effectu deſumptis comprobari poterat; ſed ex argumentorum ſolutione clarior euadet.

*Ad argumenta reſponſiones.*

Ad primum reſpondetur negando, quod forma inanimatorum ſit homogenea, cum quo ruit tota argumenti vis, & ſic petit diuerſas diſpoſitiones talis forma in materia. Neque deficit finis diuerſus operandi; nam præter qualitates elementales, quæ remanent in mixto, ipſum mixtum habet proprietates plures, quæ ab illo dimanant, ad quarum operationem requiritur in materia talis partium diuerſitas, atque adeò non ponuntur fruſtra in materiis illis illæ diſpoſitiones, per quas correſpondent partibus materialibus elementorum.

*Corpus ſimilare, ſeu homogeneum, quale ſit.*

B Sed inquires: Si inanimatorum mixtorum forma informat heterogeneo modo materiam, ita vt illud ſubiectum, quod informat, dicatur hetereogeneum ob partium diuerſitatem, quibus conſtat, quod ergo erit corpus aut mixtum homogeneum?

*Nullum mixtum perfectũ eſt ſimilare per ſe, ſed ſolum ad ſenſum.*

Reſpondetur, nullum mixtum perfectum in ſe eſſe homogeneum, ob rationem tactam de partium diuerſitate, licèt ad ſenſum poſſit dici tale, quia ad ſenſum non percipimus in illius partibus diuerſitatem aliquam; cum hoc tamen dantur corpora homogenea, quorum forma non petit in materia diuerſas partium diſpoſitiones, ſed eas æqualiter exigit diſpoſitas, quas homogeneo modo informat. Huiuſmodi ſunt corpora ſimplicia, elementa dicta; & ſi aliquod mixtum eſt homogeneum, erit imperfectum, quale C eſt illud, quod ex vnico ſimplici elemento gignitur, quod facilè euaneſcit, vt ſunt vapores, & meteorologicæ impreſſiones, quæ vnius elementi naturam ſapiunt, & ad earum naturam non oportet conſtituere diuerſitatem diſpoſitionum in materia.

*Forma qua ratione dicitur informare homogeneè, aut hetereogeneè.*

Sed iterum rogabis. Quid intelligitur per hoc, quod eſt formam informare materiam homogeneo modo, aut modo heterogeneo?

Reſpondetur, formam homogeneam dici, quando petit materiam æqualiter diſpoſitam ſecundùm omnes ſuas partes, ratione cuius diſpoſitionis forma producit in tota materia, & qualibet illius parte eaſdem qualitates, & habet eundem informandi modum, vt dicimus de igne, quia in tota illius materia ignis forma producit qualitates eiuſdem intenſionis, & omnes materiæ partes æqualiter diſpoſitas expoſtulat; & vt ſuprà diximus, homogenei D partes nomine, & definitione conueniunt cum toto, quia quidquid habet totum, continet & pars.

*Forma determinatur à partibus ad productionem qualitatum in illis.*

Forma verò heterogenea petit diuerſitatem partium eo modo, quo dictum eſt; & determinatur ab ipſis partibus ad producendas qualitates iuxta exigentiam partium, ita vt in parte terrea producat frigiditatem, & ſiccitatem; in parte ignea calorem, & ſiccitatem, & ſic de reliquis, quæ aliis correſpondent elementis: ex quibus qualitatibus productis in diuerſis partibus reſultat temperamentum illud, quod dicitur ex coalternatione partium. Quod quidem exemplo demonſtratur in partibus diuerſis hominis; nam in oſſe, quia terreum eſt, hominis forma producit frigiditatem prædominantem: in carne, quia aërea eſt, calorem, & humiditatem producit, & ſic de reliquis partibus, in quibus

adeſt

adeſt dominium materiei alicui ex elementis correſpondentis.

*Cauſa mutationis ætatum ſtatuitur.*

Iuxta hanc doctrinam facilè deducimus in viuentibus cauſam mutationis ætatum, & necis, & quomodo ad marcorem, & ſenectutem deuenimus, quatenus ſcilicet anima informans partes diuerſimodè diſpoſitas, iuxta earum indigentiam determinatur ad producendam hanc, vel illam qualitatem, ita vt non ſit neceſſitas recurrendi ad alias cauſas, vt cogitur recurrere Petrus Garcia, ipſa neceſſitate compulſus ſermonem inſtituens de morte naturali, & eius cauſis.

*Qualitas vnius partis non eſt abſolutè violenta alteri parti.*

Ad ſecundum argumentum, in quo dicitur, quod qualitas prima producta ab vna parte, eſt alteri, in qua recipitur, violenta, reſpondetur negando antecedens; nam parti frigidæ verbi gratiâ, in qua calor partis calidæ recipitur, ille calor non eſt violentus; quia cùm ſit pars mixti, petit illius qualitates, quas omnes cum non habeat in ſe, recipit ab aliis, vt ſic in ipſa contemperentur qualitates pro formæ mixti conſeruatione. Quapropter licèt illi parti qualitates, quas ab aliis recipit partibus, ſint extrinſecæ, & quodammodo violentæ; illa tamen pars confert ad illas vim, & ſic non ſunt violentæ abſolutè, ſed ſolùm ex parte principij, non verò ex parte finis, quia ſunt directæ ad contemperationem inter ſe in illa parte, vt ſic in illa mixti forma conſeruetur.

*Quare forma non producit in omnibus partibus eaſdem qualitates.*

Sed inquires: Si illa pars terrea, quæ eſt ſub forma mixti, inclinatur ad receptionem qualitatum aliarum partium, quare forma illam partem terream informans non producit in illa eaſdem qualitates, quas in aliis partibus produxit.

Reſpondetur iuxta doctrinam à nobis traditam, formam nullam habere vim producendi in illa parte qualitates aliarum partium, quia cùm pars terrea verbi gratiâ taliter ſit diſpoſita, vt per illam forma determinetur ad productionem qualitatum terreſtrium, & operetur in parte terrea iuxta exigentiam illius, debet producere qualitates ad quas determinatur, & non alias.

*Obiectio notatu digna.*

Sed contra dicta efficaciter inſurges. Pars terrea recipit à parte aërea qualitates aëris, calorem ſcilicet, & humiditatem, eo quod pars terrea habet in ſe diſpoſitionem, vt poſſit aëreas qualitates recipere: ergo eaſdem qualitates poterit recipere à forma propria illius. Conſequentiam probo; nam eadem videtur neceſſaria diſpoſitio ad receptionem qualitatis productæ ab vno agente, & ab alio. Antecedens patet, quia forma illa habet virtutem producendi qualitates aëreas non minus, quàm aliud agens: ergo ſi diſpoſitio illa non impedit, vt aliud agens producat in parte terrea qualitatem illam aëream, neque valebit impedire, quod forma exiſtens in illa parte producat illam.

*Ad illam duplex reſponſio.*

Ad hanc obiectionem dupliciter reſpondetur. Primò non eſſe neceſſarium, quod eadem diſpoſitio, quæ eſt ad recipiendum vnum effectum ab extrinſeco agente, poſſit eſſe etiam diſpoſitio ad recipiendum ſimilem effectum ab agente intrinſeco; quod oſtenditur hoc exemplo in alteratione, quæ fit in diuerſis noſtri corporis partibus, vbi experimur os calefieri à carne ſibi vicina, & extrinſeca oſſi, non tamen calefieri ab anima informante os, tanquam ab interno principio; etiamſi anima informans os eminenter contineat intenſum calorem, imò & intenſiorem calore carnis.

Secundò reſpondetur, & meliùs, quod licèt eadem forma omnes informet partes, & eminenter contineat qualitates elementorum, quas in diuerſis partibus producit; non tamen eſt potens eas producere in omnibus partibus, quia (vt dixi) eas informat heterogeneo modo; & ſic cùm determinetur ab ipſis partibus; non poteſt vniformiter qualitates eaſdem producere in omnibus; ſed potiùs cum forma recipiatur ad modum recipientis, & ſe accommodet iuxta exigentiam cuiuſcumque partis, producit in illa qualitates ſibi debitas iuxta diſpoſitionem antecedentem, quæ poſtulat, vt forma producat in illa parte illas qualitates, & non alias.

*Mixtum imperfectum fit ex vno elemento.*

Ad tertium reſpondetur, quod ex vno elemento poteſt generari mixtum meteorologicum, quod eſt mixtum imperfectum, vt vapor, exhalatio, grando, nix, &c. Hoc autem mixtum facilè diſſoluitur, & ad naturam elementi prædominantis facilè reſtituitur; ſic enim vapor citò vertitur in aquam, aut aërem; exhalatio in ignem; grando, aut nix in aquam: non enim habent huius mixti partes eum coalitum, & conſiſtentiam, quæ ſufficiat ad mixti perfectionem, & propterea meritò dicitur mixtum imperfectum. Mixtum verò perfectum, iuxta Ariſtot. mentem *lib. 2. de generatione, capite* 8. petit fieri ex quatuor elementis; verumtamen quia Ariſtot. rationes non conuincunt, & ex illis tantùm deducitur, quod ad minus duo elementa debent concurrere ad mixti compoſitionem, videlicet terra, & aqua ſimul cum virtutibus aliorum, ideò vt certum exiſtimo cum Petro Garcia, Magiſtro Santacruz, Patre Rubio, & aliis, non eſſe neceſſarium, vt quatuor elementa concurrant; eſt tamen neceſſe, quod terra, & aqua non deficiant, propter rationes, quas profert Ariſtot. Quod autem terra ſit neceſſaria, inde patet; nam mixtum omne perfectum corporaturam nanciſcitur à terra; propteraque mixta perfecta medio in loco verſantur; medium autem locum dicimus eſſe terram, in qua, vel circa quam omnia progignuntur mixta; nam omnia mixta perfecta compaginem accipiunt ex terra, ob eamque cauſam omnia, dum mouentur, deorſum naturaliter tendunt, tanquam ad locum vbi ſuum eſſe receperunt. Sed quia terra ſine aqua facilè diſſoluitur, & in pulueren redigitur, neque benè terminatur, ideò aqua eſt neceſſaria ad mixtionem, quæ habet vim facilè definiendi, & terminandi. Quapropter Ariſtotel. 4. *libro meteor. capite* 4. inquit: *Corporum terminatorum nullum ſine aqua & terra eſt, & in aqua, & terra ſolùm ſunt animantia; in igne, & in aëre non ſunt, quia corporum materia non ſunt hæc.* Quare licèt cœli volucres aëris regionem occupent, & ſuis pennis, & volatu in ſublimem locum conſcendant, non propterea aliorum elementorum portionem maiorem non obtinent, ſiquidem experimur eſſe graues, & proprio pondere deorſum ad medium ſuo motu deferri. Et quod de Salamandra dicunt, fabuloſum iudico; nam licèt ignem ob illius intenſam frigiditatem attingere

*Mixtum perfectum petit fieri ad minus ex aqua, & terra, cum virtutibus ignis, & aëris.*

*Salamandra non degit in igne.*

attingere poſſit ſine multa noxa, non tamen degit in igne, neque in illo generatur, vt refert Plinius *libro* 10. *natur. hiſtoriæ, capite* 67.

*Mixtio debet fieri per contraria.*

Sed quia mixtio eſt miſcibilium alteratorum vnio, & debet fieri per contraria, & ignis, & aër contrariantur terræ, & aquæ; hinc eſt, vt ſaltem ſuis qualitatibus ignis, & aër ad mixtionem concurrant; non tamen ex hoc licet inferre, quod non dentur in qualibet parte formali partes correſpondentes quatuor elementis, ob inæqualitatem dictam actionis agentis, quod mixtionem produxit; qua actione non poteſt æqualiter omnes partes attingere, atque adeò neque in illis æqualiter operari. Ex quo fit, quod quædam craſſiores, quædam tenuiores, quædam denſiores perſiſtant, vt inde forma adueniens, iuxta earum partium diuerſitatem, in vna introducat calorem, & in alia frigiditatem, & ſic de ſingulis, cum quo manet ſolutum argumentum.

In quo, & aliis ſi quid dixerim quod contradicat, vel contrarium exiſtere appareat Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, illud reuoco, & in nihilum redigo, eiuſque piæ correctioni me ſubmitto.

*LAVS DEO.*



D.D. CYPRIANI

# D.D. CYPRIANI
# DE MAROJA,
## DOCTORIS MEDICI,
# PRAXIS VNIVERSALIS
## DE INTERNORVM MORBORVM
Natura, & Curatione;

*Obſeruationibus variis, & Diſputationibus ornata.*

# D. D. CYPRIANI
# DE MAROJA
## DOCTORIS MEDICI,
# PRAXIS VNIVERSALIS
## DE INTERNORVM MORBORVM Natura, & Curatione,
## LIBER PRIMVS.

### *PROOEMIVM.*

EN tibi offero, Candide Lector, nouam & antiquam noſtræ Medicinæ Praxim. Nouam, quia varios, nouoſque caſus refero, eorum adhibitis curationibus, quæ vt exemplar Practicantium animos agitent, inſtruant, & ad benè, faciléque curandum tutiſſimis remediis impellant. Antiquam, quia antiquorum dogmata ſequor, nihil adhibens eorum præceptis diſſonum, imò ea dum amplector, quibuſdam deciſionibus, curandi modo, & remediorum admotione magis nota, exculta, & defenſa euadunt. Nouam, & antiquam aſſiduis lucubrationibus, vigiliis, & ſudoribus plurium annorum ſpatio comparaui. Non ſpes magnæ exiſtimationis apud eruditos conſequendæ, aut popularis auræ captandæ ambitio ad hoc Opus edendum me impulere, ſed in gratiam ſtudentium, vt maiori claritate Medicinam aſſequi poſſent, vtque mihi etiam proficeret, typis illud mandare curaui.

Totum hoc Opus cauſarum, morborum, ac ſymptomatum vniuerſalem ſupponit tractationem, vt ordine doctrinæ ex vniuerſalioribus ad minùs vniuerſalia deſcendamus; hicque tantummodò in particulari de iis tractatur, vt morbi cuiuſque ſingularem naturam inueſtigemus, illius cauſas abſcindamus, & quæ morbo conferunt, remedia adhibeamus, quibus notatu dignas adiungimus obſeruationes, & plurium caſuum deciſiones, quæ ad curationem exactam præbent notitiam. Sed quia, vt ait Philoſophus, rem ſcire ſcimus, cùm eam per cauſas, & principia cognoſcimus, ideo pro quouis affectu cauſas tradere decreuimus. Attamen cùm rerum natura per definitionem innoteſcat, non eſt rationi abſonum à cuiuſque morbi definitione exordiri, vt Tyrones mentis caligine detracta, facilè rerum ſcrutentur eſſentias. At quoniam Medicus eſt artifex ſenſualis, quamplurima ſenſibus iudicans, & vt alij dicunt, ab effectu, de morbi accidentibus particularibus agere conſentaneum erit; accidentia enim, vt Philoſophus teſtatur, multùm ad ſubſtantiæ cognitionem conducunt; illis equidem abſtruſas, latentéſque corporis ſedes, in quibus morbi ſunt reconditi, imò & ipſos morbos conſequutione quadam percipimus. Præterea quia artis præſagatione futura prænoſcendo Medicus magnum ſibi comparat honorem, illique fidem adhibent ægri, vt ſcriptum reliquit Hippocr. meritò de ſignis prognoſticis pro cuiuſque morbi euentu ſermonem inſtituimus.

Hîc etenim victus rationem, remediorum quantitatem, & qualitatem, eorum adminiſtrandi modum, & quo tempore admoueri debent, conſcribimus, nihil adhibentes quod priùs indicatio non præſcribat. Hæc omnia noſſe debemus, vt conueniens fiat auxiliorum adhibitio, morborúmque curatio, quibus rectè, congruáque ratione admotis, ſuo fine Medicus nequaquam fruſtrabitur.

## CAPVT I.

### *De Medici dignitate, & excellentia.*

ANtequam praxim, Medicinæ finem aggrediar, non erit abs re, vt Medicus præcognoſcat quæ ſibi debentur, quodque munus illi impendet; quæ duo ſi apud Medicum ſimul inueniantur, ſibi & Reipublicæ maximè prodeſſe non dubitarem. Duo ergo in præſenti amplector, Medici inquam, dignitatem, & munus, ſeu officium, quo fungi debet: & ne ſeipſum paruipendat, de priori priùs agere decreui, ita enim cognoſcet, quantâ polleat excellentiâ.

Non loquor de iis, qui nomine, non re, Medici proclamantur, quos fugere oportet; ſiquidem curare intendentes morbos, magis ipſi infeſtant, quàm morbi, quorum aggrediuntur curationem, & vt peſtis ineuitabilis plurimos interficiunt, non vi, & efficaciâ morbi, ſed quia amethodi, & irrationales nihil ægris adhibent, quod illis non noceat; quorum ignorantia facit, vt Medicina parui habeatur, ſic iudicante, etiam vulgi ruditate, qui ſæpe tales pro Medicis iudicat, & habet, vt ait Hippoc. *lib. de legibus*.

De his ergo non procedit noſter ſermo, ſed de iis, quibus verè Medici nomen congruit, & ſcientia hac mirabili ſunt imbuti. Sed quia Medicina induit rationem habitus, & eſt quædam forma accidentalis ſaltem, quâ intellectus perficitur, Medici præſtantia ex vi talis habitus perficientis adquiritur; quam autem perfectionem, & celſitudinem Medicina habet, languor oſtendit, vt inquit Diuus Hieron. in quadam epiſtola, quem languorem totis viribus æger extingnere cupit, cogitans nihil ſalute pretioſius adipiſci poſſe. Neque eſt vera vita, niſi vbi feliciter viuitur, vt inquit Auguſt. in quodam ſermone. Quid enim in hac vita optamus plus, quàm benè, ſalubriter, & largè viuere? Quid pulchrius homine bona partium temperie, earumdemque conformatione, & pulchritudine prædito? & vt inquit Caſſiodorus *6. variarum*, quid glorioſius quàm expellere, quod mortem videbatur inferre, & ſalutem periclitanti reddere, de qua coactus fuerat deſperare? Quid enim magnum in natura datur, quod ab hac ſcientia originem non capiat, vt ait Eraſmus? Si ſcientiam Authores illuſtrant, huius inuentio Diis attributa eſt, dedit enim Deus primo parenti omnium rerum cognitionem, & ſcientiam, vt ſcripſit Marſ. *lib. 4. epiſt.*

*Medicinæ laudes proferuntur.*

*Medicinæ origo.*

Salomon etiam habuit hanc ſcientiam à ſummo Opifice infuſam, vt oſtendunt verba illa *ex 3. Regum, cap. 3. Ecce dedi tibi cor ſapiens, & intelligens, in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Et ſi dictis Petri Leoniceti credimus, *1. de ordine ſcientiarum*, hanc ſingularem ſcientiam à Deo infuſam obtinuit Hippoc. *Impoſſibile* (inquit) *videtur, ſine ſpeciali gratia Dei, ac reuelatione de Medicina tot veriſſima præcepta tradere potuiſſe.* Idem ſtatuunt Andreas Caccialupus *3. de Inuentoribus ſcientiarum*, Philip. Veirus *lib. 2. de ſapientia*, qui huius mirabilis ſcientiæ originem ſpeculantes, eam diuinam vocitant. Neque hoc ignorarunt Gentiles eam Diis tribuentes. Plinius *lib. 20. natur. hiſt. c. 1.* huius Scientiæ Deum vocat Apollinem, ideoque Apollinea ſcientia nuncupatur. *Necnon* (inquit) *hodie ab Oraculis Medicina petitur.* Idem ſtatuit

A Ouidius *lib. 3. de triſtib. elegia 3.* & clariùs Virgilius, qui omnes hanc miram facultatem Æſculapio adſcribunt, qui ferunt ipſum ad vitam reuocaſſe Tyndaridem, alioſque reuixiſſe operâ ſuâ Troianis temporibus, donec plurimis annis poſteà latuerit vſque ad Peloponneſiacum bellum, tunc enim eam reuocauit in lucem magnus Hippocrates, genitus in Inſula Coo Æſculapio dicata, & ex eius ſtirpe natus, vt Soranus refert, quem poſtea ſequutus Galenus ſuis mirabilibus ſcriptis ea quæ methodicè, & rationabiliter Hippoc. è tenebris extraxit, ipſe mirificè ampliauit, vt ex eius ſcriptis innoteſcit. Illuſtrat igitur hanc ſcientiam eius progenies, ſiquidem omnis medela à Deo, vt dicitur *Eccleſiaſt. 38.* & à Deo Medicina ſuum habet initium.

*Medicinæ honores.*

Si quid etiam authoritatis addit honos, non alia B ſcientia tam paſſim, ac tam diu diuinos meruit honores, eamque honorari docetur *Eccl. c. 38. citat.* vbi dicitur. *Et in conſpectu Magnatum collaudabitur.* Tantum honorem comparat Medicus, vt Rex dici non debeat, niſi ille qui Medicinæ arcana penetrarit; neque enim benè omnia diſpenſabit Rex, neque ſuum tuebitur Regnum, niſi Medicus eſſe ſciat, & ſuorum mitigans dolores, in tranquillitate, & ſalute eos viuere faciat; qua de cauſa *Iſaiæ cap. 3.* dicitur: *Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter: ruina autem hæc ſub manu tua. Reſpondebit dicens: Non ſum Medicus, nolite me conſtituere Principem populi.* Tanto honore afficitur Medicus, vt dicat Hippoc. *lib. de decenti ornatu*, quod Medicus Philoſophus eſt æqualis Deo, neque aliis laudibus voluit Medicum extollere. Eiuſdem enim eſt domum facere, & labentem C reficere, vt ait Valleſ. *lib. de Philoſ. ſacra, cap. 74.* cùm enim ad Deum ſpectet humani corporis fabrica, ad eundem etiam ſpectat illius conſeruatio: quapropter vt homo conſeruaretur, Medicis dedit hanc ſcientiam, vt Dei vicem gererent, vt opus à Deo conformatum tuerentur, illius ruinam præcauentes, & eius lapſum ad ſtatum ſalubrem reducentes. Dei igitur officium exercent, quo nihil honorabilius.

*Medicina omnes perluſtrat.*

Si magni fiunt quæ à ſummis viris probantur, hæc ſcientia non ſolùm ſummos Reges, hæc Primates non ſolùm delectauit, verùm etiam illuſtrauit. Chriſtus Dominus actibus Medicinæ ſua illuſtrauit opera, quando amputatam auriculam ſuâ virtute Malcho reſtituit, & agglutinauit, & quando lutulento collyrio ſaliua propria confecto, cæco videndi ſenſum præbuit, & quando paralyſin, D febres, mutos, ſurdos, & alios innumeros morbos ſanauit. Apoſtoli etiam Medici officium exercentes, non ſolùm animi morbos curabant, ſed corporis affectus protinus euellebant. In veteri lege Eliſæus, Iſaias, Eſdras, Ieſus Sirac filius Moſes, & alij plura fecerunt remedia, quibus morbos detrahebant. Angeli plures, Sancti Pontifices maximi, Imperatores, Reges, Principes, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Presbyteri plures hanc exercuerunt artem, & ſeipſos condecorarunt, & remediorum vſu circa ægros miram ſuæ piæ charitatis affectionem oſtendebant, quocirca illuſtriores fiebant. Circa hoc legendus eſt Tiraquellus *de nobilitat. cap. 31.* vbi diffusè ſatis horum omnium nomina refert, eaque miſſa facio prolixitati parcens.

*Medicinæ virtus.*

Si huius ſcientiæ vim, & facultatem inquirimus, quid potentius aut efficacius, quàm totum hominem certo exitio periturum reſtituere poſſe, quæ proſperam valetudinem ex rerum non naturalium debitâ tuetur adminiſtratione, & dolores tempore

tempore morbi aliàs implacabiles lenit, morbos abigit, mortem retardat, vitia comprimit, illius frænando paſſiones, ne propter animi, & corporis nexum in corporis damnum labantur,& ex vno in aliud facilè migrent. Et quod magis eſt, ex Medici admonitione infirmi ſalus æterna pendet, illi imperans vt debito tempore ſua æger confiteatur peccata, quorum causâ incidere ſolet in manus Medici, vt dicitur *Eccleſiaſt.cap.*38. imò Medicus de eius officio præcipere debet, vt conſtat ex Concil. Trident. *cap. Cùm infirmitas*: vnde non mirum ſi dicat Diuus Hyeron. *epiſt.*113. Medicinam eſſe mortalibus vtiliſſimam. Ex eius vtilitate illius etiam demonſtratur neceſſitas. *Propter neceſſitatem etenim creauit medicinam Altiſſimus. Da locum Medico, quia opera eius ſunt neceſſaria; eſt enim tempus, quando manus illorum incurras.* Vt dicitur *Eccleſiaſt. cap.cit.* Et quid æquè neceſſarium, ſine quo neque viuere, neque naſci licet? Benè quidem viuere poteſt homo ſine Medico, non tamen ſine Medicina, cùm ea pertractet de tuenda ſanitate, & morbis repellendis: quapropter in quocumque ſtatu homo conſtitutus, Medicinæ tutamine adiuuatur; qua de cauſa Reges, & Principes Medicis ſe ſubmittunt, vt de eorum vita,& ſalute diligenter curent, nihil magis neceſſarium, quàm probum Medicum exiſtimantes; imò cuiuſque hominis natura ſibi ipſi tempore ſalutis,& morbi auxiliatur, & cogitur id efficere, vt vitam tueatur,mala præſentia deuaſtans, & imminentia præcauens, propetereaque ab Hippocrate vocitatur natura morborum medicatrix,quæ dum potens eſt, facit quod expedit,quia ipſa ſemper eſt ſuæ conſeruationi intenta, fugiens nocina, & vtilia proſequens, omnes ſuas actiones incolumiter exercens, quibus ſalus conſeruatur, cuius reſpectu natura vt Medicus ſe habet.

*Medicinæ neceſſitas.*

Quod ſi virtute rem æſtimamus,quid honeſtius quàm ſeruare genus humanum, in cuius gratiam Summus Opifex totius mundi machinam fabrefecit.

*Medicina nimis frugifera.*

Si compendio, hæc nimis frugifera eſt, & diuitiis replet; & quia agit Medicus de re ita vtili, & neceſſaria, veluti eſt vitæ conſeruatio, ideò *Eccleſiaſt. capite cit.* dicitur: *A Rege donationem accipiet,impingua oblationem.* Sicque vbique locorum màxima ſtipendia, ampliſſimaque priuilegia omni tempore Medicis accommodantur. De hoc plures referre poſſem hiſtorias, eas tamen inuenies apud Petrum Andream Canonherium *ſuper Hippoc. aphoriſt. ſent.* Hæc & alia plurima huic facultati adaptantur, de qua inquit Hippocrat. *lib. de decenti ornatu*: *Omnia quæ ad ſapientiam requiruntur, inſunt in Medicina,argenti contemptus, reuerentia, verecundia, habitus ſubmiſſus,authoritas,iudicium, munditia,doctrina,præeminentia diuina. Medicina erga Deos valdè ſe habere comperitur.* His omnibus ornatur qui verè Medicus eſt, qui erga Deum & homines magni eſt faciendus; qui verò non verè Medicus, ſed medicaſtrus habetur,iis omnibus priuatur, & medicinæ honores detrahit, quem irrident omnes,de quo omnes malè loquuntur, & Medicinæ opinionem detrahunt,parui eam facientes, & de his vociferantur antiqui plures, & Poëtæ dum ſuis carminibus, & ſcriptis malè de Medicina decernunt, quia cùm mali Medici garruli ſint,& mendaces,& ignorantia eos premat, ita vt annuli geſtatione, veſtitu,& ornatu tantùm Medici perſonam repræſentent,mille committunt errores,quos agnoſcens vulgus, non mirum ſi de illis non benè ſentiat.

A

## CAPVT II.

### *De Medici officio.*

VT Medicus Medicinæ fruatur laudibus, locumque ſibi debitum in Republica obtineat, plura petit, quibus adſtrui debet, ſine quibus ad Medicinæ perfectionem peruenire nequibit: cum his adhuc ſcio nunquam poſſe Medicinæ finem attingere,eo quod *Ars longa, vita breuis*; quod & ipſe Hippoc. de ſeipſo fatetur in quadam epiſtola, quam ad Democritum ſcripſit,vbi ait: *Ego enim ad finem Medicinæ non perueni, etiamſi iam ſenex;neque inuentor ipſius Æſculapius.* Vt tamen parum Medicus in ſuis operibus hallucinetur (nam ſupra hominis captum eſt nunquam hal- B lucinari) iis omnibus debet eſſe veſtitus.

*Medicus debet eſſe Philoſophus.*

In primis oportet Medicum eundem eſſe Philoſophum; eſt enim Medicina veræ Philoſophiæ ſubalternata, habet enim pro obiecto adæquato aliquid determinato accidenti affectum, quod comprehenditur ſub obiecto mobili, corporeo, communi, quod eſt obiectum Philoſophiæ naturalis; quod eſt de ratione ſcientiæ ſubalternatæ. Vt ergo Medicus cognoſcat hominem affectum ſanitate, vel morbo, decet illum priùs habere notitiam entis mobilis in communi, vt more ſcientifico ex vniuerſalioribus ad minùs vniuerſalia procedat. His addimus ex Diui Thomæ mente, quòd concluſiones Philoſophiæ ſunt Medicinæ principia, vt contraria contrariis curantur, vnum contrarium expellit aliud, ſanitas, & morbus opponuntur; quod omne requiritur ad C rationem ſcientiæ ſubalternatæ.

*Obiectio; & illius diſſolutio.*

Neque obſtat, quod Philoſophia eſt ſcientia ſpeculatiua, Medicina verò practica; nam diuerſæ formalitates, per quas conſtituuntur ſcientia practica, & ſpeculatiua, non impediunt alternationem, quando ſcientia ſubalterna habet conditiones à nobis aſſignatas, vt ſentiunt Fonſeca *lib.*4.*Metaph.*Concil. *differ.*3. Quapropter Auic. *fen.* 1. 1. *doct.* 1. vtramque hanc ſcientiam taliter ſe habere docet, dum inquit, quod Medicus Phyſico credere debet; habent enim iſtæ ſcientiæ tantam connexionem inter ſe, vt nequeat reperiri Medicina ſine Philoſophia; proptereaque dicere ſolemus: Vbi deſinit Phyſicus,ibi incipit Medicus.

*Alia obiectio.*

Neque veritatem noſtram euertis,ſi dicas, quod ſanitas,de qua agit Philoſophus,eſt paſſio viuentis, D vt ipſe ſtatuit *lib.de ſenſu,& ſenſibili*; quæ quidem procedit naturaliter ab ipſo homine: ſanitas verò, quæ ortum ducit à Medicina,producitur per artem, de qua non poteſt agere Philoſophus,qui de rebus naturalibus tantummodò pertractat; atque adeò ſcientia, quæ de ſanitate artificiali agit, non poteſt ſubordinari Philoſophiæ.

*Ad illam reſponſio.*

Facilis eſt reſponſio,ſi dicamus, quod ſanitatem amiſſam v.g. natura producit, adiuta tamen ab arte; nam Medicus ſolum eſt naturæ miniſter, qui eam adiuuat, dum ipſa ſe ſola operari nequit; effectus tamen ſanitatis ipſi tribuitur naturæ, ſicque ſemper ſanitas eſt paſſio viuentis, & circa eandem verſatur ars medica,& natura.

Sed quia Philoſophia plures habet partes, dubitatur an Medico ſufficiat habere tantùm notitiam vnius partis,alterâ dimiſsâ.

*Scire debet Medicus Philoſophiā naturalem.*

Reſpondeo Medicum perfectè aſſequi Medicinam non poſſe, quin totius Philoſophiæ gnarus ſit. In primis debet ſcire Philoſo-

Philoſophiam naturalem, quia agit de entis naturalis perfectiſſimi conſeruatione; tale autem eſt homo, ſi enim non agnoſcit hominis compoſitionem, & ſuarum paſſionum, nec valet facere demõſtrationem, neutiquam poterit adhibere ea, quæ Deus homini conſeruationi dicauit. Quapropter debet cognoſcere principia, quibus conſtatur homo, qui vt ens naturale corporeum petit materiam, & formam cum modo vnionis, quæ inter ſe vnita reddunt hominem. Sed quia homo eſt quoddam mixtum, prærequirit vnionem miſcibilium, quæ ſunt elementa, quorum materiæ ſaltem remanent in illo cum qualitatibus elementalibus ad debitam menſuram redactis pro hominis formæ conſeruatione in materia. Competit ergo Medico notitia mixtionis, & naturæ elementorum, & qualitatum eam ſubſequentium, & reliquarum paſſionum in miſcibilibus inuentarum. Eique vt ſummatim dicam, conuenit cognoſcere hominis, & aliarum rerum proprietates, vt eis vti poſſit opportunè in hominis vtilitatem, neque aliter ſuo fungi poteſt munere.

*Medicus debet eſſe aſtronomus*

Neque debet eſſe ignarus Philoſophiæ Aſtronomicæ, quæ iudicat de aſtrorum influentiis, eorum motibus, & aſpectibus, quorum ratione variæ inſurgunt in his inferioribus mutationes, quas refert Hippoc. *lib. de aëre, locis, & aquis*, vbi inquit, quòd non eſt dandum medicamentum dum maximè temporum mutationes infeſtant, vbi docet obſeruare aſtrorum ortus, præcipuè canis, deinde Arcturi, & Pleiadum occaſum; propereaque ſub cane, & ante canem docet eſſe cauendas purgationes. Galen. *libello Oportet Medicum eundem eſſe Philoſophum*, deridet Medicos, qui dicebant medicinam non indigere Aſtronomia, nam licèt indicatio deſumpta ab Aſtronomia non ſit in morborum curatione præcipua, non tamen eſt contemnenda, imò eſt obſeruanda quoties non occurrat alia maior indicatio, quæ Medici conſilium ad ſe arripiat, præcipuè quando ratio oſtendit, quòd ab aſtrorum influentiis continuò alteramur, quibus immutatur aër, & varias perpetitur alterationes, præſertim à luna, quæ ſua vicinitate magis nos alterat, & magnas in corporibus facit mutationes, vt ait Galen. *lib. 3. de diebus decret.* Creſcunt enim medullæ intra oſſa luna creſcente, quà decreſcente minuuntur. Auic. *fen. 4. lib. 1. capit. de ventoſis*, aſſerit eſſe admouendas in augmento corporis lunæ, in quo augmentum capiunt cerebrum in craneo, & aquæ in fluminibus acceſſionem, & receſſionem habentibus. Cauendæ igitur ſunt maiores oppoſitiones aſtrorum, præſertim æquinoctia, ſolſtitia, & lunæ cùm ſole coniunctiones, & plenilunia, in quibus corpora immutantur nimis.

*Medicus debet eſſe Philoſophus moralis.*

Quod Philoſophia moralis ſit Medico neceſſaria, nullus dubitat, quæ docet qualiter animi paſſiones ſint compeſcendæ. Neque extra chorum ſaltauit Galen. dum librum ſcripſit de cognoſcendis, curandiſque animi paſſionibus, quæ inter cauſas non naturales recenſentur; ipſæ enim dum modo excedunt, lædunt ſæpe, morbos producunt, imò & inopinatam mortem, de quo puncto alibi à nobis actum eſt. Si verò rationis metas non tranſcendunt, conferunt ad ſalutem. Quandoque etiam oportet animi paſſiones excitare ad morbos aliquos debellandos, vt ſtatuit Hippoc. 2. *epidim. ſect. 4. text. vlt.* dicens: *Curandum iram inferre reuocandi caloris cauſa, &c.* Sæpe etiam conferunt ad morborum agnitionem, vt in melancholia morbo, in quo timor & triſtitia ſi longo tempore perſeuerant, melancholiam adeſſe ſignificant; furor etiam,

A & iracundia inſaniam oſtendit. Quapropter ſi Medicus non ſciat compeſcere animi paſſiones, ſæpeque eas commouere, non exactè poterit ſuum aſſequi finem.

His omnibus Philoſophiæ partibus homo inſtructus, poterit ad Apollineam ſcientiam gradum facere. Veruntamen quia rem exactè non comprehendimus, niſi eius naturâ cognitâ, quidquid comprehendit Medicina, illius definitione innoteſcit, quæ docet ſtatus omnes, quibus in hac vita fruitur homo, eoſque demonſtrat Galen. *lib. artis medicin.* Medicinam ſic definiens: *Medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorũ.* Omitto alias definitiones, quia hæc magis ad inſtitutum accedit. Sunt ergo tria, quæ promptè Medicus aſſequitur, ſalubria, inſalubria, & neutra, alio nomine naturalia, morboſa, ſeu præter naturam, & inter

*Medicinæ definitio.*

B vtraque media. Sub naturalibus continetur hominis ſtatus ſalubris, illius cauſæ & ſigna; neque enim ſtatum illius ſalubrem tueri valemus, niſi illius cauſas naturales per ſigna naturalia dignoſcamus, quibus cognitis poterit eas Medicus conſeruare, ſecus verò minimè; quæ omnia naturaliter ſe habere iudicantur, cùm nihil ſenſibiliter culpatum habuerint, communiterque ad ſeptem reducuntur, nempe ad elementa, temperamenta, partes, ſeu membra, humores, ſpiritus, facultates, & actiones. Quando igitur ſex prima concinnè ſe habent, ita vt actiones rectè eliciantur, hominem eſſe in ſtatu ſalubri quiuis diiudicare poterit.

Inſalubria, morboſa ve etiam ſunt in triplici differentia, quædam enim habent rationem cauſæ præter naturam, quædam affectus, ſeu morbi, & alia denique ſymptomatis, eaque alias, & alias patiun-

C tur diuiſiones. Neque enim morbos detrahere valemus, niſi eorum extinguamus cauſas, eo quod morbi ſuum eſſe habent dependenter à cauſa: oportet ergo vt cauſam abſcindamus, eam priùs cognoſcere, & idem ſtatuo de morbis ad quorum cognitionem deuenimus per ſymptomata, ſeu accidentia, quæ ſe habent vt ſigna, quæ ſequuntur morbum, ſicut vmbra corpus.

Veruntamen quia ſtatus ſalubris nequit conſeruari ſine vſu ſex rerum naturalium, quæ neutraliter ſe habent reſpectu ſanitatis, & morbi, neque ſaluti conferunt, niſi eis imponamus modum, ideò oportet earum habere prouidentiam, & optima earum vti adminiſtratione. Hæ quidem ſunt cibus & potus, ſomnus & vigilia, motus & quies, euacuatio & repletio, animi paſſiones, & aër nos ambiens. His ſalus conſeruatur, neque aliis egemus

D auxiliis, vt docet Galenus *lib. de attenuante vict. rat.*

Quod ſi morbus immineat, vel actu lædat, remedia ſunt admouenda ſumptâ indicatione à morbi natura, à cauſa illius, necnon à partis affectæ temperie; quapropter ſæpe conuenit ſanguinis miſſio, vel expurgatio, & alia quamplurima, in quibus adhibendis conſideramus quantitatem, tempus, occaſionem, exhibendi modum, ægri conſuetudinem, ætatem, naturam, & virium tenorem; quæ omnia artificioſâ coniecturâ inueniri debent, cùm non ſemper de omnibus poſſimus exactam habere notitiam.

Sed quia generoſi Medici, & arte Hippocratica digni officium eſt futurum ſtatum præuidere, & ex præſentibus paſſionibus cognoſcere eas, quæ ſunt futuræ, vt dictat Hippoc. *in pronoſt.* ideo mente retineat doctrinam ex libris prognoſt. ex prorrhit. & coacis illius, & libros Galeni *de diebus decret, de criſibus, de totius morbi tẽporibus, de vrinis, & pulſibus*; qui enim futura præuidere valet, ſibi diuini

diuini nomen arripit, & ſuis operibus magnam ægri, & adſtantes adhibent fidem.

*Medicinæ diuiſio.*

Vt ſummatim tamen hanc miram ſcientiam amplectar, eam autem Authores in ſeptem diſſecant partes, in Dieteticam, Pharmaceuticam, Chirurgicam, Phyſiologiam, Pathologiam, Simioticam, & Prognoſticam. Dietetica alimentum præſcribit, & omnes res non naturales, quæ agit de victus ratione inſtituenda, quâ homines ſani degunt, morbos præcauent, & ab eis liberantur.

Pharmaceutica medicamentorum opere morbos euellit; idemque facit Chirurgica ſuâ manuali operatione. Ad has omnes aditum patefacit Phyſiologia, quæ humanæ naturæ conſtitutionem, eius cauſas, principia, partes, facultates, ſpiritus, humores, & actiones perſcrutatur. Sed quia vt dixi, non curamus morbum, niſi eum in promptu habeamus, Pathologia agit de cauſis, & effectibus præter naturam, veluti Simiotica de ſignis, quibus etiam eorum cauſæ præ oculis habentur: quibus accedit Prognoſtica pars, quâ futurus ſtatuitur euentus, eſt enim impoſſibile omnes homines ſanos reddere, ſuumque munus adimplebit Medicus futura annunciando; quod adhuc difficillimum arbitror, propter rerum, & humorum quibus conſtat corpus, inſtabilitatem, & propter varia accidentia, quæ ægris inopinatè adueniunt, quæ non ſemper ſub Medici ſenſum cadunt, & propter ea quæ extrinſecus ſæpè ſe offerunt, quæ non poſſunt prohiberi. Vnde non mirum ſi tales euentus Medicis gloriam detrahant, ita vt Hippoc. qui tot honores ab Athenienſibus accepit, qui eum coronarunt coronâ aureâ mille aureorum, & ipſam coronam quinquatriis magnis Mineruæ feſtis in certamine gymnico per præconem proclamarunt, & aliis plurimis honoribus condecorarunt, in epiſtola tamen quadam ad Democritum ſic inquit: *Ego ſanè mihi videor maiorem reprehenſionem quàm honorem artis meæ aſſequutum eſſe, nam vulgus ſæpè ſalutem, & ea quæ in arte Medica rectè facta ſunt, Diis tribuunt; ſi verò natura reluctata perdiderit eum, qui curatur, Medicos reprehendit, numen præteriens.*

*Præſagandi difficultas vnde oriatur.*

*Hippoc. honores Medicinæ detrahebat.*

*Quæ requirantur ad Medicinam.*

Hæc & alia Medicus obtinebit, optimeque Medicinam comparabit, ſi ipſe ſui voti compos cum his ducibus fuerit, naturâ, doctrinâ, loco ſtudiis apto, inſtitutione à puero, induſtria, & tempore, vt ſtatuit Hippoc. *lib. de legib.* Primum locum tenet natura, quâ repugnante omnia irrita fiunt: eſt enim natura velut ager; dogmata, & doctrina præceptorum velut ſemina, quæ ſi cadunt in terram argilloſam, & ſiccam, nullum fructum producunt. Induſtria in ediſcendo eſt veluti cultura. Inſtitutio à pueritia incipere debet, in qua ætate eſt tempus accommodum, & minùs diſtrahitur laboribus, curis, & aliarum rerum ſolicitudine, & Medicinæ tantùm commiſſus, præſertim in loco ſtudiis apto, poterit quidem Medicinam optimè ediſcere, quæ primò ratione, deinde obſeruatione inuenta Medicum pro dignitate cõſtituet, qui Reipublicæ ſaluti conferre valeat. Veruntamen, vt opera illius ſint grata, & accepta, debet eſſe probus, & manſuetus; nam per Medici probitatem, & manſuetudinem gloriantur ſæpè ægri ſanitati fuiſſe reſtitutos, vt ait Hippoc. *lib. de præcept.*

*Conſultationes in morbis vtiles.*

Præterea ex eiuſdem conſilio, dum Medicus anxius redditur, ad anguſtiam, inquam, incidit ob morbi ſæuitiem, debet alios vocare, & conſulere, quo ex omnium conſideratione res circa ægrum inquirantur, & cognoſcantur, & ſimul cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem: quod etiam admonet Ariſt. *lib. 3. Ethic. cap. 3.* Debet etiam Medicus bono colore, & bona corporis habitudine iuxta ipſius naturam eſſe præditus; nam eos qui taliter non ſe habent, neque aliis proſpicere iudicantur. Maximè etiam ad opinionẽ, & authoritatem comparandam, & ad felices euentus conducit, bonis ac honeſtis moribus præditum eſſe; veſtitu decoro, & decenti ornatu; ſic enim venerandus ac humanus iudicabitur. Figuram faciei meditabundam habeat, & ſubtriſtem, non tamen amarulentam, qui enim in riſum nimis exſoluitur, oneroſus habetur. Quia non exigua commercia ægris cum Medico ſunt, & ſeipſos Medicis ſubditos faciunt, & omni hora vxoribus, virginibus, & opibus maximi pretij illis occurrunt: continenter ad omnia ſe habere debent, vt monet Hipp. in iureiurando, & *lib. de medic. & de decenti ornatu.* His omnibus, & aliis Medicus debet eſſe compoſitus. Sed vbi eſt hic, & laudabimus eum? Inueniri tamen poteſt plurimis ornatus, qui magni ſit emolumenti, Medicinam exaltet, & quæ ad ſui officium attinent, compleat, illumque forſan adiuuabit horum librorum aſſidua prælectio.

## CAPVT III.

### *Virum auxilia amuleta, ſeu operantia à tota ſubſtantia, incantationes, & verba habeant vim morbos repellendi.*

NIhil communius apud practicos ſcriptum inuenio, quàm plura remedia, quæ vires abditas habere dicunt depellendi morbos, quæ amuleta nominantur, ſeu operantia à proprietate occulta, quibus indiſtinctè vtuntur ad cuiuſque morbi curationem, vt patet in morbo epileptico, cui plura adhibent auxilia tali virtute prædita: ſic ſimiliter verba recitant, & in aures epileptici, dum paroxyſmo tenetur, ſuſurrantes, eum ab acceſſione liberant, ſanguinemque ex quacunque fluentem parte verbis quibuſdam facillimè ſiſtunt; quorum copiam apud antiquos ſcriptam reperies, præſertim apud Aëtium, & Plinium, qui talia admouent remedia in cuiuſque morbi medela; quorum vtilitatem, adminiſtrandi modum, & in quibus morbis conueniant, vel non, eſt nobis in animo perquirere, vt ambiguitatem tollamus, & in morborum curationibus per indicationes procedamus. Suppono tamen primò maioris claritatis gratiâ, quod morbi quidam ſunt manifeſti, qui in qualitate nobis conſpicua ſenſibus deprehenduntur, vt morbi in intemperie ſimplici, vel compoſita, morbi in ſoluta vnitate, & morbi in conformatione, & morbi in numero addito, vel diminuto, & reliqui, qui ſenſibus ratione adiuncta deprehenduntur.

*Morbi alij manifeſti, & alij abditi.*

Alij ſunt morbi, qui dicuntur abditi, ſeu à tota ſubſtantia, qui in quadam qualitate, ſeu proprietate ſenſibus non deprehenſa, ſed potiùs ratione inuenta conſiſtunt, de quibus late actum eſt à nobis *tract. noſtro de febre maligna*; quæ quia diſtincta eſt à qualitatibus elementalibus, operatur eleuatiori modo, quàm debeatur comprehenſioni noſtri ſenſus, propterea que cœleſtis etiam nuncupatur, & occulta: huius ſenſus ſunt morbi maligni, & peſtilentes, vlcera cacoëtia dicta, ſeu mali moris; lues venerea, morſus viperæ, & ſcorpionum, & alia id genus.

*Vnum vni tantùm eſt contrarium.*

Suppono ſecundò ex Medicinæ principiis, quod curatio perfici debet per contraria qualitate, & gradu morbo æqualia; quod ita verum eſt, vt ait

Valleſ. 8. *controu.cap*.4.quod ſi hoc negaretur, nihil ſtabile, & firmum in Medicina inueniri poſſet.

Suppono tertiò ex Ariſt.1. *de cœlo, c*.2. & 10. *Metaph. cap*.8. quod vni vnum eſt contrarium, ita vt duo vni contrariari ſit impoſſibile, quæ genere conueniunt,& ſpecie differunt,vt ipſe tradit *c. de qualitate, & quali*, vbi aſſerit propriam contrarietatem inter qualitates reperiri, licet non omnes qualitates contrarium habeant; ſic enim calor frigori,ſiccitas humiditati opponitur; lumini verò nullum datur oppoſitum, poſitiuè ſaltem. Ex quo notabili deduco, quod morbus iuxta magis probabilem ſententiam, cùm ſit qualitas quædam, debet habere qualitatem ſibi oppoſitam, quâ ipſe propellatur, vt ſi in calore fundetur, frigore auferatur, & è contra; ita vt morbo ſimplici non duplex, ſed vnum tantùm opponatur contrarium. Neque euertit hanc doctrinam ſi dicas, quod omnes morbi habent vnum contrarium per ſe, quo ſaluatur Ariſt. mens; non tamen negari poteſt, quod habeant etiam aliquod contrarium ex accidenti, vt conſtare arbitror ex pluribus locis Hippocrat. ipſe enim *lib*.5.*aphor. text*.21. conuulſionem curat in iuuene bene carnoſo ætſtate mediâ, frigidæ aquæ multâ perfuſione,& *text*.25.*eiuſdem libri*,eundem curandi modum ſeruat in tumoribus articulorum, podagricis, atque conuulſis. Quia ergo aquæ frigiditas non opponitur per ſe his morbis, qui ab humoribus frigidis fiunt,reſtat ſolùm, quod opponatur ex accidenti,ſiquidem ex illius præſentia morbus detrahitur. Pari ratione dolorem remiſſum vehementior obſcurat, vt ipſe ait 2.*aphor.text*.46. quod nequit fieri quatenus vnus dolor eſt alteri ſimilis; ſic enim potiùs dolor dolorem conſeruaret. Neque id fit,quia vnus dolor per ſe ſit alteri contrarius, cùm dolor dicat ſolùm contrarietatem reſpectu cauſæ, à qua procedit, vt dicere ſolemus de doloribus à frigore, vel calore obortis. Habet ergo dolor vnus oppoſitionem cum altero ex accidenti, & hoc modo dicimus etiam, quod vomitus vomitum curat,& alui fluxum fluxus alui.

*Duplex contrarium ſtatuitur, vnum per ſe, ex accidenti aliud.*

Hæc, inquam doctrina, non valet; imò ex ea deduco, quod remedium, quod aufert morbum, eſt remedium per ſe; at remedium per accidens,licèt poſſit occaſionem præſtare, vt remedium per ſe operetur, ipſum tamen immediatè curationem non attingit; quod manifeſtè patet in eiſdem exemplis traditis: nam in morbo frigido, vt in conuulſione, aquæ frigidæ perfuſio detinet calorem influentem, imò & fuligines, quæ per poros extra corpus ante frigidæ perfuſionem erumpebant,intraque calore earum reuocato,ab eo immediatè tanquam à contrario per ſe morbus ille frigidus aufertur: frigiditas verò aquæ dicitur tunc contraria ex accidenti, non quia curat morbum, ſed quia cohibendo calorem,& illum iuxta partem affectam detinendo,occaſionem præſtat,vt à calore, tanquam à contrario per ſe frigida tollatur conuulſio. Similiter dolor non curat dolorem, ſed potiùs medicamentum, quod illius opponitur cauſæ, illum curat; dicimus tamen vnum dolorem curare alterum ex accidenti, quatenus ad vehementiorem ratione aduertentiæ natura ducitur, vt inquit Galen. *in comm. illius ſent.* Qua autem ratione aduertentia animam diſtrahat circa vnum, & non circa aliud, non eſt huius loci; huius tamen dubij ſolutionem inuenies apud Angelicum Præceptorem 1.2.*quæſt*.37.*art*.1. Sic vomitus dicitur etiam ex accidenti vomitum curare euacuatione humoris noxam facientis; per ſe tamen vomitum curat inanitio illius humoris, qui in ventriculo repletionem cauſabat; morbi enim ex repletione,inanitione curantur,teſte Hippoc.2.*aphoriſ.text*.22. Nec vomitus in rigore curari dicitur, quia curatio morbis debetur; vomitus verò eſt ſymptoma, ſymptoma autem curatur ablatione morbi,neque ex ſe petit curationem, vt ait Galen. 12.*methodi,cap*.1. Quando enim ſymptoma curationem exigit,iam non ſymptoma,ſed morbus dici meretur, & Medici ſolicitudine eget, vt teſtatur Galen. Ex quo dicendi modo claret, quod remedium,quo immediatè morbus curatur, eſt remedium morbo per ſe oppoſitum; reliqua verò, quæ ex accidenti morbo contrariantur, neutiquam morbi vim minuunt,ſed occaſionem præbent,vt à contrario per ſe immediatè morbus deuaſtetur.

*Remedium ex accidenti non tollit morbum immediatè.*

His igitur ſuppoſitis; vt clariùs procedamus, priùs ſermonem inſtituemus de verbis,& incantationibus, circa quæ maior poteſt eſſe difficultas, an ſcilicet naturaliter poſſint conducere ad morborum expulſionem? Ex cuius nodi ſolutione facilè alia luce clariora euadent. In qua enodanda difficultate, prima ſententia tenet,verba,& incantationes habere vim naturalem ad morbos profligandos. Hæc ſententia pluribus rationibus,& Authoribus fulcitur. Aetius,& Tralian.paſſim,Pomponarius,& Grilland. *de ſortilegiis*, & alij quamplures, quos citat Martinus Delrio *lib*.1. *diſquiſit. magic.c*.4. *quæſt*.3. eam tuentur, & probari poteſt ex Plinio *lib*.28.*natur.hiſt.cap*.2. vbi multa refert ad hanc rem pertinentia, quæ adducuntur à Valleſ. *lib.de ſacra Philoſoph.cap*.3. Aetius *tetrab*. 2. *ſerm*.4.*cap*.50.verbis vtitur ad extrahendas ſpinas deuoratas ac fixas in tonſillis,aut in aſpera arteria, ſtatuens verba prodeſſe, inquit enim: *Statim te ad ægrum deſidentem conuerte, ipſumque tibi attendere iube, ac dic: Egredere os, ſi tamen os, aut quid tandem exiſtis, quemadmodum Ieſus Chriſtus ex ſepulchro Lazarum eduxit, & quemadmodum Ionam ex ceto.* Atque apprehenſo ægri gutture dic: *Blaſius Martyr, & ſeruus Chriſti dicit, Aut aſcende, aut deſcende.* Trall. *lib*.9.*cap*.4.id comprobat Galeni authoritate, licèt apud Galen.liber ab eo citatus non inueniatur: quem curandi modum per verba, & incantationes accepiſſe refert à priſcioribus, ab amicis, & experientia. Quintus Serenus hemitritæum curat hac voce *Abracadabra*,chartâ lino incluſâ, & collo ſuſpenſâ.

*An verba curent morbos ſua virtute naturali.*

Neque aliquid vulgarius, neque magis receptum, quàm quibuſdam verbis, ſeu incantationibus, quas noſtro Hiſpano ſermone *Enſalmos* appellant,multos morbos effugare, præſertim vlcera recentia; & quod mihi magis in admirationem ſubiit, breuiter patefaciam. Cùm enim eſſem Compluti Medicinæ ſtudioſus, iuuenili feruore ductus in currum aſcendi, equiſque furore quodam percitis,quos auriga corrigere, neque detinere potuit, maius fugiens malum,me è curru proieci,cecidenſque ſuper lapidem totum corpus ſupra caput ſuſtinui, læſoque capite ſenſum amiſi, donec paulatim viribus recreatis, grauato capite, nihil tamen de caſu curans,ad aſſueta ſtudia redij, breuiter tamen retrò aures, & totum collum tumores quoſdam perſenſi,deinde dolores quales accidunt his, quibus tumores ſuppurantur, & adhibitâ curatione, ipſiſque ex arte apertis, habitâ priùs ratione cauſæ antecedentis,adhibitâ pluries ſanguinis miſſione,& expurgatione, nunquam tamen ad integram valetudinem peruenire potui, donec poſt annum cum dimidio quidam miles mihi ſocius, amicitiâ ductus,quibuſdam verbis, & ablutione vini, ſine alio auxilio me facilè ad priſtinam reduxit ſanitatem.

*Caſus iſte notandus.*

tem. Ex quibus poſſumus inferre, verbis poteſtatem ineſſe fugandi morbos.

Similiter exorciſmi,& deprecationes ſunt inſtitutæ ab Eccleſia,quibus dæmones,& maleficia deſtruuntur; quod non contingeret, ſi illis verbis non fuiſſet inſita aliqua vis naturalis. His addere poſſumus, quod Oratores vi,& efficacia verborum, non ſolùm animum immutant, ſed etiam aliorum corpora; ſiquidem grauitate verborum,& ſententiarum pondere hilaritatem,timorem, iram, aut aliam animi paſſionem excitant, quæ ſecum adiunctam habet corporalem tranſmutationem, quatenus iuxta exigentiam affectionis animi ſanguis,& ſpiritus tranſmutantur, à quibus ſæpè ſanitas,vel morbus producitur, vt alibi à nobis dicitur,& oſtendit Hipp. *lib.* 2 2. *epidim.ſect.*4. *text. vltimo.* Alia quamplurima omitto, quæ hanc comprobant ſententiam; ea tamen apud Vallеſ. & alios inuenies pertractata, & ſufficienter ſoluta.

*Nulla verba naturali vi ſanant morbos.*

Quibus,& aliis non obſtantibus,ſit prima concluſio. Nulla vocabula vim habent ſanandi morbos, vel alias noxas depellendi, ſiue ore ſint prolata, ſiue ſcripta, ſiue complexa, aut in orationem verſa, ſiue ſignificantia, ſiue ſignificationis expertia, ſiue latina,ſiue hebræa,aut alterius linguæ, ſic vel aliter pronunciata. Hæc concluſio eſt Hippoc. *lib. de morbo ſacro*, eamque tuentur omnes Theologiæ Patres, vno dempto Origene, imò & omnes Philoſophi,& Medici, qui de hac re benè ſentiunt,vt notat Martin. Delrio *in margine, c.*4. *quæſt.*3. *lib.*1. *quæſtionum magic.*& ſtatuit Valleſ. *lib.de ſacra Philoſophia,c.*3. *iam citato.*

*Ordo operandi in rebus duplex.*

Vt hanc tamen comprobemus concluſionem, ſupponendus eſt ordo, quo omnia habent vim, & efficaciam operandi, vt ſciamus qua virtute verba, ſeu vocabula ſuos effectus producunt. Duplex enim ordo operandi reperitur in rebus, naturalis vnus, ſupernaturalis, ſeu miraculoſus alter. Primus ordo eſt ille, quem cuicumque naturæ Deus largitus eſt ſecundùm propriam cuiuſcunque naturæ eſſentiam, vt ſic quælibet natura haberet in ſe vim naturalem producendi actiones ſibi debitas. Sub hoc ordine operandi comprehendimus omnem operationem,quæ limites naturæ non excedit, ſiue ſit merè naturalis, vt ignis calefactio, & exſiccatio, & motus illius ſurſum; ſiue ſit vitalis, & hæc ſit vel vegetabilis, vt nutritio, & augmentatio; vel ſit animalis,vt ſenſatio, & motus progreſſiuus; vel ſit rationalis, vt intellectio, & volitio. Neque ab iis actionibus excludimus motus violentos,qui vim naturalem operandi cauſarum naturalium non ſuperant, vt motus ſurſum terræ,qui licèt naturaliter à terra excitari nequeat, quia eſt illi violentus,ab altera tamen cauſa naturaliter operante excitari quit.

Neque à numero actionum naturalium ſegregamus actiones mirificas, & prodigioſas Angelorum,ſiue boni,ſiue mali ſint; quæ licèt ſupernaturales appareant hominibus ratione modi, quo fiunt, quem ipſi ignorant; naturales tamen ſunt, quia vires Angelorum non excedunt,& ſunt ſuæ naturæ conformes.

Sub actionibus naturalibus comprehendimus etiam actiones artificiales; nam humana induſtria nunquam aliquid facere poteſt, quod rerum naturæ repugnet: quapropter ordo artificialis in rebus inuentus ſub naturalibus adſcribi debet.

Ordo operandi ſupernaturalis & miraculoſus excedit,& ſuperat omnium agentium naturalium virtutem,& operationem, & hic ordo ſolùm conuenit Deo ſimplici,& Maximo, vt cùm Deus

A extra omnem curſum naturæ de ſua potentia abſoluta,prodigioſa, & omnem vim naturæ excedentia producit, vt dicitur de igne furni Babyloniæ; qui naturaliter catenarum ferrum,quo erant ligati viri iuſſu Pharaonis,in ignem proiectum diſſoluit, quando eodem tempore miraculosè, & extrà ignis naturam operandi potentiam circa viros habuit extinctam, vt habetur apud Danielem *capite* 3.

*Quod auferre morbum debet eſſe medicamentum.*

Suppono ſecundò, quod omne illud, quod debet producere ſanitatem,& morbum auferre,debet habere rationem medicamenti, ita vt habeat vim immutandi,& alterandi corpora noſtra,neque aliter naturaliter poſſumus morbum detrahere,neque ægrum ad ſanitatem perducere; quod opus conſequitur qualitatum actiuarum alterationem. Quapropter hoc inſpiciens Gal. *lib.* 1. *de ſimpl. medic. facultat. c.*1. medicamentum definit per id, quod noſtram ſubſtantiam alterare valet. Ratio eſt,nam medicamentum opponitur morbo,neque morbum abigimus, niſi adhibito contrario, quod eſt ipſum medicamentum.

*Verba non habent vim curandi morbos.*

B Hac ſuppoſita doctrina, omiſſis authoritatibus, concluſio hæc rationibus confirmatur primò: Verba vt morbum curent, debent immutare, & alterare (ſic enim medicamenti rationem ſubibunt:) ſed hoc nequeunt efficere: ergo neque morbum detrahere. Maior conſtat ex notabili 2. proximo. Minor probatur, & primò de verbis ore prolatis; nam alia tantùm habent vim feriendi aërem, vt reliqui ſoni, & excitandi auditum; quia ſunt proprium potentiæ audiendi obiectum: ſed obiectum audiendi non poteſt conferre ad ſanitatem: ergo neque verba ore prolata. Maior huius diſcurſus probatione non eget: minor ſic reſtat probanda. Vt curatio perficiatur, requiritur quod ſenſus tactus immutetur, vel ad minùs remedium ſit obiectum illius,neque morbum auferre aliter poſſumus: ſed verba ore prolata nequeunt immutare ſenſum tactus,quia ſunt obiecta

C propria ſenſus auditus, & obiectum proprium vnius potentiæ non immutat aliam: ergo verba prolata propriis viribus non valent curationem efficere.

Secundò probatur concluſio ex notabili tertio adducto in principio,vbi ex mente Ariſt. probauimus, vni vnum eſſe contrarium. Morbus debet auferri per ſuum contrarium: ſed verba non ſunt contraria morbo: ergo non poſſunt morbum auferre. Minor probatur,nam de maiori non dubitamus. Supponamus morbum eſſe in intemperie calida; tunc ſic. Vt hunc morbum calidum debellemus,debemus adhibere remedium frigidum; quis autem dixit verba, cuiuſcunque fortis ſint, eſſe frigida, vel producendi frigiditatem vim poſſidere? Ergo nequeunt auferre morbum calidum; & idem iudicium faciendum eſt de quouis alio mor-

D bo.

Tertiò, voces vel ſunt ſignificatiuæ, vel non. Si primum, nihil aliud habent, quàm eſſe aëris verberationem ab animali factam cum intentione aliquid ſignificandi,vt docet Ariſt. 2.*de anima*, *c.*9. ita vt nihil aliud de illis verificari poſſit. Si verò non ſignificant,quid aliud habent præter ſonum: ſed vt ſic ſolùm immutant auditum,& non alterant aliam partem, in qua morbus exiſtit: ergo non valent illum corrumpere. Confirmatur; nam voces vi naturali morbos repellunt, aut quia ſunt ſoni tantùm, vel quia ſignificant, vel quia vtrumque inuoluunt. Non quia ſunt ſoni, quia vt ſic tantùm auditum immutant, vt omnes concedere tenentur. Non vt ſignificant, quia voces non

non habent ſignificare naturaliter, ſed ad placitum, ſeu ex hominum impoſitione. Non vtrumque inuoluunt; nam ex hoc nihil ponitur in vocibus, præter rationem ſoni, & ſignificandi, & ſic nullam virtutem habent, niſi auditui inſeruire, & ad ſcientias comparandas ordinari: quare cùm nulla illis inſit vis naturalis operandi, nequaquam poſſunt naturaliter ad ſalutem, vel morbum gignendum conferre.

*Incantationes per vim naturalem nō curant morbos.*

Idem ſtatuo ſi verba ſint ſcripta, quæ omnis energiæ ſunt expertia, & veluti quid mortuum: quod ſi aliquam vim habent, eam accipiunt vel ab atramento, vel charta, cui inſcripta ſunt, & proinde ſuâ propriâ virtute non operantur.

Ex probatione primæ concluſionis ſecunda deducitur concluſio, nempè: Incantationes nullam habent vim naturalem profugandi morbos. Hæc concluſio eſt etiam communis, & facilè ex dictis probatur; nam incantatio conſtat verbis, ſiue Hebræis, ſiue Græcis, ſiue Latinis, aut alterius linguæ: ſed hæc non excedunt naturam ſoni, aut vocis ſignificantis: ergo nihil aliud faciunt præter id quod faciunt ſoni, vel voces ſignificantes, ſiue tales voces ſint complexæ, vel incomplexæ, cum hoc, vel illo ordine prolatæ, vel in tabellis, chartis, vel herbarum foliis, aut aliis rebus depictæ; nihil enim horum aliquid addit virtuti illarum naturali; atque adeò ea omnia eſſe vana, & ſuperſtitioſa arbitramur.

*Qua vi verba operantur dum morbos fugant.*

Sed non immeritò dubitabis, ſi verba & incantationes non habent vim fugandi morbos, & alias noxas depellendi, qua ergo vi, & efficacia id præſtare queunt, vt quotidie obſeruamus? Reſpondetur, quod dum effectus reſultans excedit actiuitatem naturalis cauſæ, neque eſt ratio ob quam ille effectus Deo, vel Angelis adſcribatur bonis, tunc quidem ad magiam diabolicam eſt reducendus; nam vbi neque miraculum, neque naturæ, neque artificis vis reperitur, neceſſariò pactum implicitum, vel explicitum intercedit. Circa hoc lege Martin. Delrio *lib. 2. diſquiſit. magic. quæſt. 5.* Quod pactum licèt non alliget dæmonem, ita vt cogatur illum effectum producere, ſæpè tamen ſtat promiſſis per pactum, & ad illius effectus productionem concurrit adhibendo cauſas naturales illius effectus productiuas, & actiua paſſiuis applicando; quo tempore inſcij illos effectus ad verba tanquam ad cauſam ſufficientem reducunt, quia aliarum cauſarum abditarum, quas dæmon applicat, notitiam non habent. Sic tenet communis Theologorum ſchola.

*Amuleta opponitur morbis à qualitate occulta.*

Sit tertia concluſio. Remedia amuleta, ſeu operantia à tota ſubſtantia, vel à proprietate occulta, ſeu cœleſti, habent vim auferendi morbos à tota ſubſtantia dictos, qui in qualitate occulta, ſeu cæleſti conſiſtunt; alios verò in qualitate manifeſta minimè. Hæc concluſio quoad primam partem iam communiter in noſtris ſcholis eſt recepta, ad huius tamen probationem ſuppono doctrinam à me traditam circa naturam morbi maligni, tractatu de febre maligna, vbi ſufficienter probaui, dari morbos à qualitate occulta operantes, ad quorum ablationem prouida natura plurima remedia à tota ſubſtantia, ſeu qualitate occulta operantia procreauit.

Probatur ergo primò; nam ſunt plures morbi, quorum natura eſt conſtituta in qualitate ſenſibus abdita: ergo debent habere remedia contraria in qualitate abdita. Conſequentia patet, quia qualitates manifeſtæ morbum conſtituunt manifeſtum, & habent qualitates manifeſtas ſibi oppoſitas: ergo pari ratione morbi in qualitate occulta habere debent qualitates abditas, quibus auferantur.

Confirmatur ex Ariſt. *lib. 1. de cælo, c. 2. text. 3.* & ex notabili 3. in hac diſputatione adducto, vbi diximus vni vnum tantùm contrariari: ergo qualitas manifeſta non opponitur qualitati abditæ. Patet conſequentia; nam calor, v. g. ſenſui manifeſtus, frigiditati quæ eſt qualitas manifeſta, opponitur; & ſic de ſingulis, inter quas datur vera oppoſitio: quia ergo qualitates manifeſtæ opponi non poſſunt qualitati occultæ, debemus aſſignare remedia, quæ clam & occultè operentur, quibus morbi occulti, ſeu à tota ſubſtantia auferantur.

Probatur ſecundò; nam vt loco proximè citato probaui, qualitas occulta, ſeu cæleſtis eſt altioris ordinis à qualitatibus elementorum: ergo illi non opponitur qualitas elementalis, ſed altioris ordinis: ſed hæc eſt qualitas occulta: ergo remedium referens morbum in qualitate occulta debet operari per qualitatem occultam; tale enim eſt remedium amuletum dictum, atque adeò huiuſmodi remedium confert morbis à tota ſubſtantia. Alia pars concluſionis probatur facilè ex dictis; nam cùm morbi manifeſti qualitatibus manifeſtis ſibi oppoſitis repellantur, non poſſunt habere pro contrario qualitates occultas, quæ morbis à tota ſubſtantia opponuntur.

*Ligatura, characteres, vel figura nequeunt naturaliter morbos pellere.*

Sit denique vltima concluſio. Amuleta, imò & remedia manifeſtè operantia, quæ è collo, vel alia corporis parte dependent, ratione verborum, characterum, ligationis, figuræ, vel conſtellationis nullam vim naturalem habent aduerſus morbum, niſi ratione materiæ, in qua ſigillantur, quæ poteſt habere oppoſitionem naturalem cum morbo, in cuius ablationem dirigitur à Medico. Hæc concluſio recipitur ab omnibus anteà à me citatis, facileque ex antea dictis probatur de ſingulis. Nam ligaturæ facultas non opponitur morbo, neque eſt inſtituta à natura ad hunc finem. Verba ſimiliter non obtinent vim naturalem, vt iam probatum eſt. Figuræ ſolùm rem figuratam oſtendunt, & in illius cognitionem deuenire faciunt, ſuique ſpeciem præbent, quod totum potius eſt de ratione ſigni quàm auxilij; & idem ſtatuo de characteribus. Neque conſtellationes quidquam morbi detrahunt, quarum nomine non influxum perennem à cœlo inferioribus impartitum intelligunt, qui ſæpè deſeruire poteſt ad morborum curationem, & propterea Gal. *de arte curat. ad Glauc. c. 8.* docet tertianas nothas, quæ autumno incipiunt, ſæpè vere terminari, quia veris conſtitutio autumno contraria curat morbum autumno euenientem, & idem aſſererit *lib. de humana natur.* Sed potiùs intelligūt aſpectū quendam ſtellarum inter ſe coëuntium, aut oppoſitionem habentium, in quo illarum ſtellarum characteres, ſeu figuræ amuletis imprimuntur, de quibus aſſero, nullam virtutem obtinere naturalem ad morbos profligandos, ſed ſolùm vim naturalem amuletis ineſſe, neque aliquo ſigno vel effectu talis virtus naturalis vnquam fuit deprehenſa.

His iactis fundamentis, reſtat ſolùm reſpondere ad argumenta in contrarium. Ad authoritates tamen Plinij, Aëtij, & aliorum reſpondetur, verba ab illis tradita pro morborum curatione eſſe ex ſe inutilia, nullamque vim naturalem habere: quod ſi prodeſſe conſpiciantur, id euenire ratione alicuius pacti expliciti, vel impliciti cum dæmone; quod quidem clarè conſtabit: nam renunciato pacto ex toto corde, etiamſi verba proferantur, effectus non reſultabit, ſicut antea, de quo periculum fecit quidam amicus, qui cùm verbis quibuſdam ſanguinis fluxum è naribus compeſcere conſueuiſſet, poſtea

*Nota obſeruationem.*

pactum

pactum renuntians alterius ægri ſanguinem fluentem ſedare non potuit: quapropter illa verba vt ſuperſtitioſa ſunt relinquenda.

Ad fundamentum de precibus, & exorciſmis ab Eccleſia inſtitutis reſpondetur, ea habere vim ſupernaturalem, vel ex Dei inſtitutione, vt formulæ ſacramentorum; vel gratioſo Dei concurrendi modo, vt preces, & orationes ab Eccleſia inſtitutæ ad deprecandum Deum; earum tamen verba nullam vim naturalem ſanandi morbos participant.

Ad vltimum de oratoribus, qui verborum grauitate, & ſententiarum pondere corpora, & animos immutant, reſpondetur id prouenire quatenus obiecta proponunt, quæ valent animi paſſiones excitare, quæ deinde ſpirituum mutationem cauſando corpus alterant, illud calefaciendo, vel refrigerando, vt dum quis proponit aliquid conducens ad iram, animos agitat ad vindictam; aut aliquod bonum affert nuncium, quo hilares reddit animos; ira enim, gaudium, vel alia animi paſſio eſt quæ corporalem tranſmutationem facit; & hoc innuit Hippocrates 2. *epidim. ſect. 4. text. vltimo*, proponens; quod animi paſſiones conducunt quandoque ad morborum curationem, quæ quidem cùm verbis, & orationibus excitantur, verba, & orationes occaſionaliter ſaltem ad ſanitatem conducere poſſunt; licèt non efficienter, neque immediatè; & hoc modo in melancholia morbo laborantibus, vtimur cantilenis, muſicis, & verbis, quibus melancholicorum mentem à mœrore, & triſtitia recedere facimus, contrarias inferendo paſſiones, gaudium ſcilicet; & lætitiam.

*Antiquorum error circa plura medicamenta.*

Ex dictis conſtat, maximè ridicula eſſe plurima remedia amuleta ab antiquis, & neotericis tradita aduerſus morbos, qui in qualitate manifeſta conſiſtunt; cùm enim curatiua indicatio ſumatur à morbi cuiuſque idea, vt ſtatuit Galen. *lib. 3. methodi, cap. 1.* ipſa etiam inſinuat remedium adhibendum; ſi enim morbi alicuius natura eſt manifeſta, ipſa ſuadet remedium admouendum debere eſſe manifeſtum; non enim qui methodicè curat, & per indicationem procedit, poterit morbis manifeſtis remedia clam, & occultè operantia accommodare, qualia ſunt amuleta dicta; quapropter vbique colendus Doctiſſ. Ioannes Gallego de la Serna Magni Philippi IV. Regis noſtri Archiater meritiſſimus, *lib. vno, tract. 3. de alendi infantis ratione, cap. 25. & 26.* irridet antiquos & neotericos, qui indiſtinctè, & amethodicè talibus vtebantur remediis; quod quidem vt exiſtimo, ex rebelli morborum conditione potuit habere initium, quæ coëgit illos non ſolum vti remediis à morbo indicatis, ſed aliis qualitate occulta operantibus, quæ non ratione, ſed obſeruatione ab aliis prodeſſe acceperunt.

## CAPVT IV.

### *De Medicamentorum ad purgationem præparantium doſi, & exhibendi modo.*

CVm tot, & tam varia medicamenta naturæ Summus Opifex creaſſet, vt humanæ ſubueniret fragilitati, neque aliter proficere poſſent, quàm ea corpori admouendo, neque vtiliter admoueri, niſi priùs eorum proprietates agnoſcendo, ad Medicum ſpectat, vt inquit Diuus Auguſtinus, noſcere, quid ſalutiferum ægro competat. Debet ergo Medicus dictare, quæ ægris medicamina de-

*In quodam ſermone.*

A beret apponi? In quem finem placuit mihi, antequam ad affectuum curationem deueniam, Tyronibus proponere aliquorum virtutes, & quæ magis in vſu habentur, & ab Authoribus comprobantur. Sed vt clariùs procedamus.

*Medicamentum eſt duplex.*

Suppono primò, quod medicamentum eſt duplex, ſimplex, & compoſitum. Simplex medicamentum dicitur illud, quod ſuam ſeruat naturam, & eſt impermixtum alteri; quod licet ſit compoſitum ex materia, & forma, & in ſe diuerſas contineat facultates, dicitur tamen ſimplex, quia nullum aliud componit; & ſub hac ratione Meſuë *diſtinct. de ſimplicibus*, ſimplicia vocat aloëm, ſennam, Rhabarb. &c. Compoſita dicuntur ea; quæ ex ſimplicibus componuntur.

*Quibus de cauſis componuntur medicamenta.*

Suppono ſecundò ex Meſuë, & ex Galen. *lib. 1. de compoſit. medic. per genera, cap. 5.* quod medicamenta componuntur propter tria, quorum B vnum ſe tenet ex parte morbi, vt ſi eſſet calidus, & malignus, cui non aſſignetur remedium ſimplex proportionatum, vt in febre peſtilenti, & maligna; cui competunt alexipharmaca, & refrigerantia; ex quibus mixtis conficitur medicamentum idoneum; quod complet indicationem, tam ex parte febris; quàm ex parte malignitatis. Alterum ſe habet ex parte naturæ partis affectæ, vt quando pars affecta diſtat nimis, oportet ſæpè adaugere vires medicamenti, vt virtus ad partem affectam perueniat; & ſimul admiſcere aliud, quod facile illud ad partem affectam deducat; ſic enim in affectibus renum, & veſſicæ procedimus. Sic ſimiliter dum aliqua pars eſt princeps, ſeu officialis, admiſcentur quæ vim corroborandi habent, vt docet Galen. 13. *methodi, cap. 16.* & inſinuat Paulus *lib. 3. cap. 46.*

Denique ex parte medicamenti cogitmur pluribus de cauſis permixtionem facere; ſi enim eſt C medicamentum guſtui inſuaue, illi adiungimus ſuauia, & palato grata, quæ ſi ventriculum lædant, roborantia ſimul ſunt condonanda; quod conſulit faciendum Galenus *lib. quos, & quibus, &c.* & *lib. 1. per genera, cap. 3.* aut ſi medicamentum eſt malignum, eius deleteriam vim alterius admiſtione refrangimus, vt patet in vſu cantaridum, quæ ita malignæ ſunt, vt per ſe exhibitæ partes corrodant; ampullaſque in altum prorumpere faciant, vt docet Plinius *lib. 29. natur. hiſt. cap. 4.* qua de cauſa Meſuë in canonibus vniuerſalibus ait, quod in aliquibus morbis competit venenum, vt ſerpentes in lepra, poſt refractionem tamen ſuæ malitiæ. Similiter medicamenta ſimplicia per ſe ſæpius conferre non poſſunt ad morbi ablationem, admixta tamen iuuant, vt dicitur de ærugine, & oleo, quæ cum cera in debita quantitate mixta ſarcoticum faciunt medicamentum, per ſe verò contrarium producunt effectum, vt conſtat ex Galen. D *lib. 3. methodi, cap. 1.* Vlteriùs cùm plura ſimplicia non poſſint permanere ſine labe, & corruptione, eis admiſcemus quæ à corruptione præſeruant, vt mel, ſaccharum, oleum, cera. Denique cùm vim optamus emplaſtricam, qua carent medicamenta ſimplicia, admiſcemus materiam emplaſtricam, vt eſt cera, pix, & reſina, &c.

*Quibus modis medicamenta præparentur.*

Sed quia non eſt facile permiſcere medicamenta ſimplicia, vt inde compoſitum conſtituamus, ideò quadrupliciter præparantur, vt docet Meſuë, & apta permiſtioni fiunt, aut per coctionem, vel infuſionem, lotionem, & triturationem; his enim modis eorum tranſmutantur virtutes, denuoque alias adquirunt, & inter ſe attemperantur, & ad partes faciliùs permeant; quæ enim ad diſtantiſſimas partes peruenire debent, ſubtilem nimis

exigunt

exigunt triturationem; ſi verò moram contrahere debent in ſtomacho, mediocri gaudent trituratione, vt ſtatuit Galen. 4. *de ſanit.tuenda,cap.7.* qua autem ratione hi præparandi modi fieri debent, eſt Pharmacopolæ munus: ſi verò Medicus exactam illorum habuerit notitiam, minùs decipietur.

Vt ergo hoc noſtrum opus haud difficilè à Tyronibus intelligatur, tam ſimplicia, quàm compoſita afferemus medicamenta, ea breui ſerie amplectentes, eorum formas, & exhibendi modum adducentes, ſermonem à ſimplicibus initiantes; ſed in eorum gratiam, quibus menſuris, menſurarumque notis, ac characteribus hodie medicamenta præſcribuntur, notum faciemus. Circumſcribitur ergo medicamenti cuiuſlibet quantitas, aut pondere, aut numero, aut menſura. Pondere, vt libra, vncia, drachma, ſcrupulo, grano. Hæc taliter ſe habent, vt libra contineat duodecim vncias, vncia octo drachmas, drachma tres ſcrupulos, ſcrupulus grana vigintiquatuor, qui modus ponderandi prævaluit apud Romanos, vt docet Gal. *lib.5. de comp.medic. per genera, c.3.* & *lib.4. capite 4.* Characteres quibus huiuſmodi pondera paſſim notantur, tales habentur. Libra ℔. vncia ℥. drachma ʒ. ſcrupulus ℈. granum g̃.

Quod ſi velimus tantùm dimidiam partem alicuius ponderis, ſuperaddimus literam ß. quæ idem ſonat ac ſemiſſem, vt ſi velimus petere libram dimidiam tantùm, ſic characterem formamus ℔. ß. & idem facimus in quolibet pondere, præterquam in grano, quod eſt omnium minimum. Et licèt corpora ſolida menſurâ ponderali, liquida verò menſurali olim metiebantur, vt docet Galenus locis à nobis citatis, iuxta cuius doctrinam ex præcepto Regiæ Maieſtatis Valleſ. anno Domini 1591. ſanciuit legem in Galeni doctrinæ obſernationem; tamen quia in eo libræ genere antiquitus fuit maxima varietas, licèt in ſextaria, cyathos, & cochlearia fuerit diuiſa, ad maiorem ſecuritatem librâ ponderali vti præcipimus, niſi aliter à Medicis petatur, ita vt liquida libris, & vnciis, & drachmis ponderalibus ponderentur. His ponderibus metiuntur illa, quæ exactum pondus requirunt; alia verò quæ non ita exactum expoſtulant pondus, licèt pondus exigant, metiuntur numero, faſciculo, manipulo, aut pugillo. Numero metiuntur fructus grandiores, vt pruna, ficus; herbæ manipulis, vel faſciculis; flores pugillis.

His ita intellectis oportet iam medicamenta proponere ab aquis exordium ſumentes, quarum adminiſtrandi modum, & qualitates recenſebimus.

## §. I.

### *De aquis frigidis.*

AQuæ frigidæ pro affectibus calidis bilem præparantes ſunt, aqua bugloſſæ, borrag. ſcorcioneræ, roſarum, capitum roſarum, chicorei, oxalidis, plantaginis, portulacæ, papaueris erratici, ceraſorum dulcium & acrium, maluarum, de cucurbita, de ſolatro. Harum quædam in actiuis ſunt temperatæ, vt aqua maluarum, borraginis & ceraſorum dulcium.

Aquæ refrigerantes materias calidas in capite ſunt, aqua roſarum, borraginis, & bugloſſæ, & ſolatri.

Aquæ refrigerantes cor ſunt, aqua borraginis, bugloſſæ, ſcorcioneræ, oxalidis, ceraſorum acrium, & roſarum.

Aqua papaueris erratici præparat humores in pectore detentos.

Quæ præparant humores calidos in iecore ſunt, aqua chicorei, oxalidis, cuburbitæ, ſolatri, & endiuiæ.

Aquæ præparantes materias calidas renum ſunt, aqua maluarum, & chicorei, plantaginis, & de cucurbita.

## §. II.

### *De aquis calidis.*

AQuæ calidæ humores pituitoſos præparantes, ſunt aqua fœniculi, meliſſæ, ſcabioſæ, apij, abſintij, euphraſiæ, chelidoniæ, ſtœcados, naphæ, ſaluiæ, maioranæ, & ſcordij.

Aquæ diſponentes humores frigidos in affectibus capitis ſunt, aqua ſtœcados, fœniculi, euphraſiæ, chelidoniæ, ſaluiæ, & maioranæ.

Quæ diſponunt humores in affectibus cordis, & pectoris ſunt aqua naphæ, meliſſæ, ſcabioſæ, ſcordij, quæ etiam præſeruant à maligna putredine.

Quæ præparant humores frigidos in ventriculo ſunt aqua abſintij, fœniculi, menthæ, & cinnamomi.

Pro hepatis, & lienis affectibus frigidis conferunt aquæ abſinthij, aſparagi, fæniculi, quarum loco vtimur decoctis tamariſci, cinnamomi, ſcolopendrij, aut agrimoniæ.

Eiſdem aquis etiam vtimur in affectibus melancholicis.

## §. III.

### *De modo quo vtimur dictis aquis.*

HIs aquis vtimur intus ore aſſumptis, aut extrà admotis. Ore aſſumuntur tripliciter, aut per ſe, aut cum ſyrupis, & potionibus cordialibus, aut vt in eis medicamenta ſolida diſſoluantur. Per ſe illis vtimur ad vſus ſuprà ſcriptos, dum ſcilicet refrigerare, aut calefacere volumus, aut flatus diſſipare. Primò efficimus id in febribus æſtuoſis, oblatis priùs tabellis manus Chriſti, aut ſaccharo roſaceo; deinde offerimus vncias ſex vel octo aquæ chicorei, vel bugloſſæ ad iecur attemperandum. In affectibus etiam cordis ſolemus aquas cordiales per ſe exhibere, offerendo priùs radicem ſcorcioneræ ſaccharo conditam, aut prædictas tabellas elect. manus Chriſti, pondere ʒ. ij. mox offerimus aquarum bugloſſæ, oxalidis, & ſcortioneræ, & ceraſorum dulc. ana ℥. ij. & in affectibus frigidis propinamus aquam naphæ, aut meliſſæ calidam, præcipuè ſi flatus vexent, vt ſuo calore actuali eos reſoluant. Mirificè ad idem valet aqua ſtillatitia cinnamomi, ex Mathioli deſcriptione. In ſyrupis etiam permiſcentur aquæ, ita vt communiter vnciis duabus ſyruporum tres vnciæ aquæ admiſceantur. Sæpè tamen in ardentiſſimis febribus aquarum adaugemus quantitatem, ad maiorem attemperationem, & ad ſitim ſedandam.

Iulepum etiam conficimus cum vncia vna ſyrupi, & ſex, vel octo aquæ, vt ſi accipiat æger vnciam vnam ſyrupi granatorum, aut violarum, vel oxalidis, & ſex aquæ bugloſſæ, vel borraginis.

Potiones etiam cordiales conficiuntur ex dictis aquis, & pulueribus, & confectionibus cordialibus, & ſyrupis in morbis venenoſis, & peſtilentibus, vt in febre puncticulari ſic. ℞. aquæ ſcortion. & oxalidis ana ℥. ij. confect. Hiacynt. ʒ. j. ſyrupi

rupi

rupi violarum ℥.j. & ß. Vel ſic: ♃. confect. Alchermes ℈. ij. ſyr. borrag. ℥.j.ß. aquæ ceraſorum dulc. & bugloſſæ ana ℥. ij. miſce.

*Sudorifica.* Aqua bugloſſæ calida exhibita in quantitate ℥.iiij. cum g. v. vel vj. lapidis bezoar orientalis ſudorem prouocat, & adiuuat macularum, & variolarum exitum. In eundem finem aſſumuntur aqua vel decoctum ſcordij, & bugloſſæ, aut meliſſæ, cum eiſdem granis lapidis bezoar. Similiter ſi quis cadat ab alto, ad prouocandum ſudorem, & confirmanda membra, in quibus ſanguis diffunditur, vti ſoleo hac potione. *Potus contra caſum.* ♃. pulu. contra caſum ʒ.j. aquæ papaueris erratici ℥. vj. ſyr. roſarum perſicarum ℥.j. miſce.

Vt diſſoluantur medicamenta ſolida vtimur denique aquis, vt quando medicamenta purgantia, vel aliud quodvis ſolidum propinare volumus, vt faciliùs aſſumatur, in aquis, vel decoctionibus illud diſſoluimus, vt quando volumus purgare bilem, ſic. ♃. diacathol. ℥. ß. diſſolue in ℥.ij. aquæ chicorei, & adde ſyr. perſici ſolut. ℥.iij. pro potu.

In aquis etiam infuſiones fiunt, vt in illis infuſorum virtus remaneat, vt ♃. rhabarb. ʒ.j. fiat infuſio & expreſſio ſecundum artem in ℥. ij. aquæ chicorei, & adde ſyr. Regij ℥.iij. ß.

B Sed quia ſyrupos abhorrere ſolent ægri plures, eis ſoleo exhibere aquam, in qua plura infunduntur iuxta ægri indigentiam, vt in febre ardenti, aut ſynocho, vel iecoris intemperie calida, ſic. ♃. aquæ bugloſſæ, & ſcortioneræ, & chicorei, ſingul. ℥.vj. ſucci limonum ℥. ij. florum violar. borrag. & bugloſſæ, & roſarum ana p.j. infundantur omnia debito tempore in dictis aquis, & colatutæ adde ſacchari, quod ſit ſatis ad gratum ſaporem, de qua pro qualibet vice bibat ℥.v. vel vj. eſt enim potio hæc ſuauis, & confert etiam in febribus malignis. Quod ſi febris ſit ex pituita orta, aut ex melancholia, conducit ad idem aqua meliſſæ, ceraſorum dulc. bugloſſæ, & fœniculi cum earundem rerum infuſione, & ſucco pomorum redolentium.

*Collyria.* Exteriùs admouentur aquæ iſtæ tripliciter, aut in forma collyrij pro oculis, vt ♃. aquæ roſarum, & euphraſiæ ana ℥.j. collyrij albi Raſis ſine opio, & cum vehementi dolore cum opio, & tuthiæ C præp. ana ʒ.ß. aquæ ex albumine oui extractæ ʒ.ß. Hoc collyrium valet fluentibus humoribus calidis ad oculos. Vt tamen reſoluantur humores, vtimur collyrio ex aqua fœniculi, chelidoniæ, & euphraſiæ, cum tuthia præp. & ſarcocola nutrita, cum modico æris vſti.

Applicantur etiam in forma epithematis ad confortandum, refrigerandum, vel calefaciendum, additis pulueribus, aut confectionibus ad eundem finem ordinatis; ſic enim in febribus peſtilentibus & malignis corroboramus cor. *Epithema cordis.* ♃. aquæ roſarum, meliſſæ, & bugloſſæ ana ℥.iij. diamarg. frig. ʒ.j. confect. Hiacynt. & Alcherm. ana ʒ.j. ſucci pomorum redolentium, & vini albi optimi, ana ℥.j. ß. *Ad refrigerandum iecur.* Ad refrigerandum hepar ſic. ♃. aquæ roſarum chicorei, & plantaginis ana ℥.iij. aceti roſarum, ℥.j. triſantali, & puluer. diamarg. frig. ſing. ʒ.j. Ad calefaciendum conferunt aqua fœniculi, naphæ, meliſſæ, abſinthij, & alia huius generis.

D Præter huiuſmodi aquas maximè in vſu habetur aqua vitæ, quæ neruos corrobat interiùs, & exteriùs admota, dolores colicos mitigat, calorem natiuum viuificat, & ventriculum frigidum adiuuat, capillos regenerat, ſi eâ abluatur pars ex qua capilli deciderunt. Hæc aqua conuenientior fiet, ſi antequam diſtilletur, in vino ex qua fiet, infundantur ea quæ ad dictos vſus conferre poſſunt.

Aquæ aluminoſa, & plantag. habent vim refri-

A gerandi, & exſiccandi, ideoque applicantur vlceribus oris, nam ea ad cicatricem perducunt, & prohibent humorum effluxus.

Aqua Lanfranci habet potentem vim calefaciendi, detergendi & mundificandi; nam corrodit, & eſt cauſticum medicamentum, & extra applicatur pro curandis ſordidis, & purulentis vlceribus partium genitalium, præſertim ex lue venerea contractis.

Aquæ hæ ſunt quæ communiter apud Pharmacopolas habentur; nihilominus Medicus pro ſui placito poterit alias extrahere aquas ex varijs medicamentis, quarum loco vtimur decoctis, quæ adhuc maiorem vim poſſident, quàm ſtillatitiæ.

Aduertere tamen oportet, quod aquæ, quæ ore aſſumuntur, inſtillari debent per alembicum vitreum, & quod melius eſt, in duplici vaſe; aliter enim quæ in vaſis æreis inſtillantur, ab omnibus reprobantur.

## §. IV.

### *De ſyrupis.*

SYrupus eſt nomen græcum, & idem ſonat, quod potio, & ab eo denominatur ſyrupus, quamvis potionum ſint plures differentiæ, & proprijs nominibus gaudeant, vt iulep, & rob, quæ à ſyrupis diſtinguuntur in modo ſubſtantiæ penes groſſitiem, & ſubtilitatem, & in modo compoſitionis, & ſimplicitatis eorum. Aquæ etiam, & decoctiones, & vinum, ſub nomine potionis comprehenduntur.

Syrupus aut eſt ſimplex, aut compoſitus. Simplex vocitatur qui conficitur ex vno ſimplici liquore. Compoſitus qui ex pluribus componitur. Horum quidam infrigidant, ſitim lenant, & humores calidos præparat, & ſanguinis calorem contemperant, & feruorem extinguūt. Alij humorem melancholicum diſponunt. Quidam attenuant, & inſcindunt, & aperiunt, & obſtructiones demunt; alij verò incraſſant, & adſtringunt: quidam humectant, leniuntque: horum doſis eſt ab ℥.ß. ad ℥.ij. conſinguntur frigidi ſaccharo, calidi melle.

Sed in modo, & tempore eos aſſumendi aduertendum eſt, quod non ſtatim ac ad ægrum accerſeris, vti debes ſyrupis; nam ſi aperiendi vim habent, maiores pariunt obſtructiones, quatenus humores commeare faciunt ad vaſorum interiores capacitates: neque ob aliam cauſam Galen. *lib. de renum affectionibus*, noluit vti medicamento purganti venis ſanguine, aut plenitudine oppletis. Neque vtendum eſt ſyrupis refrigerantibus adhuc in febribus ab initio, præſertim exiſtente plenitudine; nam ſua frigiditate vias coarctant, & obſtructiones augent. Oportet ergo priùs vias aperire, & laxare, & humores fluxibiles reddere, deinde ſyrupos offerre: incipere tamen debemus ab his, qui minùs deobſtruunt, ob rationem ſuprà tactam, quia ſcilicet mouebunt humores ad penitiſſimas partes, ibique commorantes, erunt cauſa maioris obſtructionis. Tempus accommodum bibendi ſyrupum eſt ante ciborum deglutionem, ſic etenim ventrem ſubducunt; ea verò quæ ventrem molliunt, cibos præcedere debent, vt docet Galenus *lib. 2. de aliment. facult. c. de prunis, de ſic laminis & perſicis.* Vt ergo ſyruporum plenam habeatis notitiam, & ad varios libros legendos non cogamini tempore quo ſyruporum adfuerit neceſſitas, eos per ordinem referre licebit.

## §. V.

### *Syrupi bilem præparantes.*

SYrupi endiuiæ, violarum, acetoſus, roſarum, granatorum, oxyſaccharum, oxalidis, de agreſta, de ſucco limonum, de acetoſitate citri, iuiubarum, papaueris, ſcortioneræ, portulacæ, cremor ptiſanæ, miua ſimplex, citoneorum myrti, citoneorum roſarum ſiccarum, de ſucco roſarum.

## §. VI.

### *Syrupi pituitam præparantes.*

OXymel ſimplex, mel roſatum, capillorum veneris, duarum radicum cum aceto, duarum radicum ſine aceto, quinque radicum cum aceto, & ſine illo, ſyrupus acetoſus diarrhodon. abſinthij, de biſantiis, de hyſſopo, de liquiritia, oxymel ſchilliticum, de artemiſia, de mentha, de eupatorio, de marrubio, miua aromatica citon. aqua mulſa.

## §. VII.

### *Syrupi melancholiam præparantes.*

BOrraginis, de pomis, ſimplex lupulorum, Saboris Regis, de epithymo, de fumaria.

## §. VIII.

### *Syrupi humores attenuantes, & inſcindentes.*

SYrupi liquiritiæ, acetoſus, duarum radicum, acetoſus ſimplex, acetoſus diarrhod. oxymel ſimplex, oxymel ſchilliticum, duarum radicum ſine aceto, & cum aceto; quinque radicum ſine aceto, & cum aceto, abſinthij, de biſantiis, de eupatorio, de hyſſopo, chicorei, de thymo, de fumaria, de epithymo, de artemiſia, de lupulis.

## §. IX.

### *Syrupi vias comprimentes, & humores incraſſantes.*

SYrupus myrtinus, citoneorum roſarum, roſarum ſiccarum, miua ſimplex citon. miua compoſita citoneor. violarum, iuiubarum, de plantagine, de portulaca, rob moron, rob de ribes, rob de citoneis, de agreſta.

## §. X.

### *Syrupi præparantes humores in thorace contentos.*

VIolarum, capil. ven. iuiubar. liquiritiæ, de praſio, de hyſſopo, de marrubio, lochſanum Meſuë, lochſ. de ſucco caulium, lochſ. de pino, lochſ. de pulmone vulpis, lochſ. de papauere, lochſ. de ſchilla.

A

## §. XI.

### *De medicamentis purgantibus.*

*Medicamenti purgantis differentiæ.*

TRes claſſes medicamentorum purgantium nobis proponit Galenus *lib. 3. de ſimplic. medic. facult. cap. 24.* quarum vna eſt benignorum, quæ parum ab alimenti natura diſcedunt, imò eorum non exigua portio in partium ſubſtantiam conuertitur, præſertim ſi corpus famelicum ſit, aut difficulter purget: huiuſmodi naturæ ſunt conſerua violarum, roſarum perſicarum, prunorum, mercurialis, manna, caſſiæ medulla, lactis ſerum. Alia ſunt maligna, & fortiſſima, quæ venefica vi pollent, vt ſcammoneum, helleborus, colocyntis, elaterium, ſtybium. Denique alia ſunt medicamenta mediocria, quæ neque adeò clementia ſunt vt prima, B neque ita maligna vt ſecunda, vt rhabarb. agaricum, epithymon, polypodium, ſenna, &c. Prima medicamenta ventrem lubricum reddunt, & emolliunt; reliqua familiaritate ſubſtantiæ humores ad ſe alliciunt familiares, cum quibus quandam habent analogiam in modo mixtionis partium elementalium fundatam; ex his tamen mediocria ſunt in vſu, valentiora verò per ſe ſola ab vſu receſſerunt ob eorum effrænatam naturam, benè tamen in electuariis purgantibus eorum prævalet vſus, quia ibi ex aliorum commixtione eorum franguntur vires, & fermentatione formam congenitam perdunt, nouamque adepta, ſecuriora, & minùs efficacia redduntur.

*De hora aſſumendi medicamenta.*

Hora aſſumendi medicamentum purgans eſt duplex, vna electionis, manè in potionibus, ieiuno ventre, ne ex cibi admixtione medicamenti vis C obtundatur; non tamen, etſi exinanitus, debet eſſe exſiccatus, ſed debet interior ventriculi tunica aliquam humiditatem delapſi iam alimenti retinere, vt ſtatuit Fernel. *lib. 3. methodi, cap. 14.* meliùs enim ſic delabitur humor, & feliciùs expurgatio ſuccedit. Si verò ventriculi tunica arida ſit, & corpus æſtuoſum, calidum, & ſiccum, melius erit ante medicamenti aſſumptionem aliquid leue bibere, ne ex medicamenti calidi oblatione magis ſuccendatur, & febris excitetur. Quapropter Auic. *fen. 4. lib. 1. cap. 5.* aquam hordei, vel ſuccum mali punici, aliudve ſubtile alimentum præbet. Alia eſt hora neceſſitatis, quando eſt aliquid quod impellat ad purgandum quacunque hora diei, aut impediat ne fiat hora aſſueta matutina, vt ſi ſuperueniat acceſſio, quæ cogat differre medicamenti exhibitionem, tunc expectare debemus remiſſionem febris, D & quacumque hora adueniat, medicamentum offerre, dummodò ſcopi expurgandi adſint, quos in præſenti omittimus; nam non eſt nobis in animo in hoc tractatu omnia complecti, ſed ſolùm Tyronum mentem breui ſermone illuminare circa ea quæ quotidie obſeruantur; ſi enim ampliùs poſcunt, legant meum de febribus tomum, vbi *lib. 3. de purgatione*, plura ſatis diſputantur, & fortaſſis in ſequentibus trademus.

*Catapotia quâ hora aſſumantur.*

Quod ſi medicamenta in catapotiorum forma exhibeantur, circa dimidiam noctem offerri ſolent, vt calore per ſomnum intrà reuocato, meliùs actuentur: quod habet fundamentum in Auic. qui *fen. 4. lib. 1. c. 5.* ait, quod ſi medicina fuerit fortis melius erit vt ſuper eam æger dormiat, quoniam operabitur melius; quod ſi debilis fuerit, melius erit ei, ne ſuper eã dormiat, quoniam natura digeret medicinam; ſi verò operari cœperit, melius erit ne ſuper eam dormiat, quocumque modo fuerit, nam per ſomnum omnes euacuationes cohibẽtur præter ſudorem. Sed licet hic vſus apud Medi-

eos prævaleat, non tamen vniuerſaliter eſt obſeruandus; nam licet catapotia; vt actuentur, intenſiori egeant calore ventriculi, poteſt tamen ventriculi calor ita vehemens exiſtere, vt non ſit opus eum adaugere per ſomnum; & quamvis in forma liquida medicamentum exhibeatur, calor tamen ventriculi poteſt eſſe ita debilis, vt nequeat illud abſque ſomno commutare, neque medicamentum,ſiue ſolidum,ſiue liquidum, forte, vel debile dici poteſt, niſi comparetur ad ægrotantis calorem; quapropter Medicus neque in potu illum interdicet, niſi priùs ægri naturam, & ventriculi robur conſiderauerit.

Sed quia ſæpe vtimur medicamentis compoſitis,aut varias fingimus purgantium medicamentorum compoſitiones, duo obſeruare debemus. Primum tradit Hipp. *lib.2.de ratione vict.text.*11.& confirmat Gal.*in comm.* & *iuxta finem libri, Quos quando,& quibus purgare conueniat*, vbi ait, quod medicamenta quæ miſcentur,eodem tempore compleant purgationem: talia eſſe dicit veratrum, & peplium; nam ſi vnum citius, vel alterum ſerius purget,fit laborioſa,& longo tempore durans purgatio, & inæqualis; nam quando ceſſat vnius medicamenti motio,alterius actio incipere ſolet, quo tempore facultas conquieſcere deberet,vt rectè ait Valleſ. *lib.9. controu.cap.*4.

Neque ex hac doctrina colligitur, quod lenientia,vt caſſia fiſtula,non poſſint admiſceri cum Medicamentis electiuè operantibus,vt cum ſenna,vel agarico; nam lenientia ventrem emolliunt, & lubricum reddunt, & deducunt humores à catharticis attractos.

*Præceptum obſeruandum in purgationibus.*

Alterum eſt, quod Medicus in exhibitione medicamentorum compoſitorum non tranſeat doſim vnius medicamenti ſimplicis, aliàs enim poterit fieri ſuperpurgatio,v.g. componitur diacatholicon ex rhabarb.& ſenna,& agarico,& ex rhabarb.poſſumus dare à ʒ.j. ad ʒ.iij. oportet ſcire, quænam quantitas confectionis huius correſpondet doſi rhabarbari, vt ſine noxa ægris concedatur; quod quidem coniecturâ,& quotidianâ obſeruatione inuentum eſt.Similiter ſi velit potionem componere ex pluribus medicamentis,debet detrahere ex vno, quod de alio ſuperadditur; quod nequit aſſequi abſque quotidiana exercitatione, & magiſtrorum doctrina; in qua compoſitione pro humoris magis redundantis idea, huius, vel illius addimus maiorem medicamenti illum humorem purgantis quantitatem, vt optimè docet Aetius *ſerm.3. tetrabili primo,cap.*57. Auerr.2.*part. cantic. comm.*15. Sed ne ſit nugacitas in quantitate eorum offerenda,regulam quandam generalem afferemus, qua cuiuſque medicamenti doſim, licet non ad vnguem, cognoſcamus,medicamenta in quatuor claſſes diuidentes.Prima eorum erit,quorum quantitas eſt at vna vncia vſque ad ſex, vt ſyr.perſicus, vel violarum ex 9.infuſion. mel roſarum perſicum, ſyrup. Regius,& Principis, decoctum Pugini. Secunda eſt eorum, quæ ab vncia vna ad vncias duas aſſumuntur, vt caſſia fiſtula,manna, diaprunum ſimplex,& diacatholicon,& confect. ſimplex medicamenti Hamech. Tertia eſt eorum quæ à ʒ.ij.ß. ad tres vſque,vel quatuor extenduntur:de horum numero ſunt medicamenta ſimplicia,& cōpoſita, quæ mediocrem purgandi virtutē naniſcuntur, vt agaricus epithymus,rhabarb.polipodium, confectiones, eu electuaria,quæ in vſu habentur,licèt aliquorum plus, aut minus auferre poſſimus. Cùm corpora etiam temperamento, & natura valdè ſint diuerſa; vnam doſim pro omnibus conſtituere non poſſumus; ideò ſolùm regulam magis communem obſeruandam proponimus,aliqui enim vt inquit Hip. *lib.de medicament.purgant.*non purgant,aut immodicè, aut difficulter purgant.

*Medicamentorum purgantium doſis.*

Denique quartæ claſſi adſcribuntur, quæ à granis tribus ad ſcrupulum,vel drachmam dimidiam, vel ad duos ſcrupulos aſſumuntur,vt ſcammoneum, colocyntis,helleborus, ſuccus cucumeris agreſtis, ſ ybium.

Verum in catapotiorum forma aſſumuntur à drachma ſemiſſe ad drachmam vnam,ſi fortia ſint; ſi verò mediocria, ad ſcrupulos quatuor, vel ad drachmam vnam cum ſemiſſe.

His habitis, medicamenta tam ſimplicia,quàm compoſita pro quolibet purgando humore in medium adducemus.

### §. XII.

### *Medicamenta lenientia, quæ vſualiter habentur.*

Conſerua roſarum perſic. conſerua viol. manna, caſſia, fiſtula, conſerua prunorum, tamarind. caro,ſyr.ex 9.infuſ.viol. ſyr.roſarum perſicarum, ſyr. Regius,mel roſarum perſicum.

### §. XIII.

### *Medicamenta bilem purgantia.*

#### *Pulueres.*

Rhabarb. aloës,ſcammonei, colocyntidis, zaqualtipanis, trocis, de Alandahal, mirobal. citrini.

### §. XIV.

### *Electuaria purgantia bilem.*

Diacatholicon,elect.de ſuc. roſ.N.electuar.roſatum ex Meſuë, diaprunum ſimplex,diaprunum comp.

### §. XV.

### *Pillulæ ad idem.*

Aggregatiuæ ſine quibus, de rhabarb. aſcieret. de tribus Fernel,de hiera,alephaginæ, aureæ.

### §. XVI.

### *Pituitam purgantia.*

#### *Pulueres.*

Agarici,diaturbith,hieræ pictæ, diacurcumæ, cartami, chameleæ, Mechoacam, polipodij, mirobalan. chebul.emblic.veler.amathaliſtæ,aſſari,acori,radicis iridis,hermodactylis,cucumeris ſilueſtris,Thimeleæ,ebulorum, hieræ logodionis.

### §. XVII.

### *Electuaria pituitam purgantia.*

Diaphnœic.eleſcoph,indum maius, indum minus, diacatholicon, diacartamus.

## §. XVIII.

### *Pillulæ ad idem.*

AGgregatiuæ,de agarico,cochiæ, artheticæ, de hermodactylis maior.de hermod.minores,lucis maiores,lucis minores,maſtychinæ,ſtomachicæ.

## §. XIX.

### *Medicamenta melancholiam educentia.*

### *Pulueres.*

SEnnæ,epithymi,hellebori nigri,zaqualtipanis, lapidis armeni, lapidis lazuli, mirabolani indi, antimonij.

## §. XX.

### *Electuaria melancholiam educentia.*

DIacathol. diaſenna,confect.medicaminis Hamech,ſimplex & compoſita.

## §. XXI.

### *Pillulæ ad idem.*

DE fumaria, fœtidæ,de lapide lazuli,de lapide armeno.

Sed quia in his quæ vſualiter habentur, maiori diſtinctione eſt opus, ne quis indiſtinctè iis remediis vtatur, aliquorum modum adminiſtrandi, & quibus affectibus conueniant, breuiter adducemus.

## §. XXII.

### *De manna, & illius exhibendi modo.*

MAnna eſt medicamen temperatum, magis tamen ad calorem vergens: purgat humores in hepate, ventriculo, & prima corporis regione, pectus,& aſperam arteriam lenit, eſt medicamentum tutum cuilibet naturæ conueniens. Eius doſis eſt ab ℥. vna ad ℥. tres. Diſſoluitur in iure gallinæ, aut in aliquo ſyr. vel decocto iuxta Medici intentionem; debet tamen liquor, in quo diſſoluitur,eſſe calidus, & calidus exhiberi; aliter enim concreſcit,& coagulatur,vt ℞.mannæ ℥.iij. diſſolue in iure gallinæ. Pro pectore,ſic: ℞.mannæ vnciam vnam, & ß. diſſolue in ℥. duabus decocti pectoralis, & foliorum ſennæ, & adde ſyr. Regis vncias ij. Quod ſi cruditates adfuerint in ventriculo, diſſoluatur in decocto pugini,additis ℥.ij. ſyr. Principis.

## §. XXIII.

### *De caſſia fiſtula, & eius vſu.*

CAſſia fiſtula eſt in actiuis temperata, in paſſiuis eſt humida in primo gradu: humores biliosos & pituitoſos in prima regione contentos euacuat, pectus,& aſperam arteriam lenit,clemens medicamentum, in mulieribus tamen grauidis, præſertim primis menſibus interdicendum; nam ſuâ humiditate vincula fœtus laxat, & aborſum prouocat. Conuenit in affectibus renum, & veſicæ: eſt flatuoſa, corrigitur tamen addito pauco

A cinnamomo, aut aniſo. Doſis per ſe ſumpta eſt ab ℥. j. ad ℥.j. ß. Sumitur per os, aut in forma potus, aut in forma boli, ſeu morſelli. In forma potus, ſic. ℞. pulpæ caſſiæ recenter extractæ ʒ. vj. diſſolue in ℥. ij.ß. decocti pugini; & ſi fuerit ardor vrinæ,diſſoluatur in aqua maluarum; ſi verò ſit pleuritis, vel aliquis pectoris affectus, poteſt diſſolui in decoctione pectorali, ſi iecur patiatur in aqua chicorei, & adde ℥. iij. ſyr. perſici ſolut. aut Regij.

In forma boli ſic. ℞. pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥.j. cum ſaccharo,formentur morſelli, qui parum ante prandium ſumi debent. Vel poſſumus admiſcere aliquid diacathol. vt ex vtriſque boli formentur. Quandoque aliqui in ventris adſtrictione extrahunt pulpam cultello,& eam aſſumunt ante cibum, & ventris excrementa de-

B ponunt.

Iniicitur etiam per clyſteres ad emolliendum ventrem in affectibus calidis, vt ℞. decocti refrigerantis,& emollientis ℥.viij. olei violarum, & amygd. dulc.ana ℥.j. ß. pulpæ caſſiæ fiſt. ℥. j. ſacchari nigri ʒ. ij. miſce pro clyſtere.

Confert maximè in doloribus iuncturarum ex cauſa calida; ſedat enim dolorem ſi admiſceatur cum oleo roſarum, vel lacte, & in vehementi dolore cum oleo papaueris, & oui luteo ad emplaſtri formam.

Hepati etiam admouetur ad refrigerandum, & deobſtruendum, additis pulueribus trium ſantal. cum oleo viol. roſarum, & hordei farina, ad emplaſtri formam; & ſine farina in forma linimenti adhiberi poteſt.

C

## §. XXIV.

### *De ſero lactis caprini.*

SErum lactis caprarum purgat humores bilioſos,aduſtos,& ſalſos: competit ad tollendas obſtructiones,ad hepatis inflammationem,ad lepram, ſcabiem, & pruriginem, & alios affectus cutaneos; extrahitur in morbis calidis cum oxymelite; doſis ab ℥.iij. ad ℥. viij. Infunduntur in eo plura iuxta affectus indigentiam,pro lepra, ſcabie, pruritu, aut cancro, ſic adminiſtratur. ℞. foliorum ſennæ,epithymi ana ʒ. ij. flor. viol.borrag. & bugloſſ.ana p. j. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥. viij. ſeri lactis caprini,& adde ſacchari quoad ſit ſatis ad gratum ſaporem.

D Quod ſi pro tollendis obſtructionibus adminiſtretur, extrahitur cum coagulo, & in eo infunduntur lupulorum ſummitates, & ſcolopendrium, & agaricum, & alia provt Medico viſum fuerit.

## §. XXV

### *De tamarindis, & eorum vſu.*

TAmarindi ſunt frigidi,& ſicci in ſecundo gradu,inhibent putredinem,ſitim,& ardorem extingunt, propterea que conferunt in febribus ardentibus,& malignis; ſunt debilis operationis, & vomitum reprimunt, & ſolutione educunt bilem. Doſis ab ℥.j. ad ℥. ij. rarò ad nos recentes perueniunt, raroque eis vtimur; nam antiqui vim operandi amittunt. Dicam tamen quod ſæpè in febrium malignarum curatione cum felici euentu feci. Cùm aliqui ægrotantium ventrem adſtrictum haberent, in potionibus cordialibus admiſcebam ʒ. ß. carnis tamarindorum in aqua conuenienti diſſolutæ,

diſſolutæ, & eis offerebam cochlearia duo, vel tria vicibus repetitis, & venter ſoluebatur moderatè, cum maximo ægrotantium commodo, qui deponebant primæ regionis excrementa abſque coctionis humorum in venis exiſtentium perturbatione; ſic. ℞. carnis tamarindorum in aqua oxalidis, aut bugloſ. ablutæ ℥. ß. confectionis Hiacynth. ℈. ij. ſyrup. oxalidis, & violarum, ana ℥. ß. aquæ bugloſ. & chicorei ana ℥. ij. ß. miſce.

## §. XXVI.

### *De rhabarbaro, & eius vſu.*

RHabarb. calidum eſt, & ſiccum in ſecundo gradu: ſolutione educit primò bilem, deinde pituitam ex hepate, & venis maioribus; eius infuſio tollit obſtructiones ventriculi, hepatis, meſenterij, vteri, & aliarum partium: eius ſubſtantia confortat ſtomachum, & reliqua membra; quapropter grauidis conuenit. Adhibetur in ſubſtantia, in infuſione, & toſtum: doſis eius eſt à ʒ. j. ad ʒ. ij. Vtimur eo in infuſione in affectibus pectoris, ſic. ℞. rhabarb. optimi ʒ. j. fiat infuſio, & expreſſio ex arte in ℥. iij. decocti pectoralis, & foliorum ſennæ, & adde ſyr. Regis, aut violarum ſolutiui ℥. iij. & fiat potus. In febribus fiat infuſio in aqua chicorei. In iecoris calida intemperie etiam infunditur in ſero lactis caprini.

In ſubſtantia datur ſic. ℞. rhabarb. mediocriter triturati ʒ. j. decocti magiſtralis ſennæ ℥. ij. ſyrupi perſici ſolut. ℥. iij. pro potu.

In morſellorum forma admiſcetur cum diacatholico, aut caſſia fiſtula, vel conſerua roſarum perſicarum. Sæpè etiam maſticatur ad deponendos humores in prima regione, præſertim in ventriculi tunicis imbutos.

Toſtum datur dyſentericis; & diarrhæa bilioſa affectis; abluitur tamen poſt torrefactionem aquâ plantaginis, vel capitum roſarum, ad detrahendam igneitatem, & mordacitatem ignitione comparatam. Torrefit rhabarb. vt deperdat vim ſolutiuam abſumptione partium calidarum, & roborandi maiorem vim adipiſcatur. Toſtum magis confortat quàm non toſtum, & minùs purgat; aſſatum magis corroborat, quàm toſtum; & vſtum magis quàm aſſatum, quod adhibetur in potionibus ſic. ℞. rhabarb. toſti, & aqua plantag. abluti ʒ. j. ſyr. ex 9. infuſionibus roſarum rubearum ℥. ij. ß. aquæ plantag. ℥. ij. Quod ſi magis adſtringere volueris, aſſetur, aut vratur, & ei admiſceantur pulueres adſtringentes boli armeni, terræ ſigillatæ, aut margarit. præpar. & ſyrup. myrti, roſar. ſicc. & citon. In morſellorum forma admiſcetur cum ℥. j. vel ℥. ß. conſeruæ roſarum noſtrarum ad ventris fluxum cohibendum.

Sæpè tandem decoquimus illud pro potu quotidiano, cuius aqua ventriculum, & hepar mundificat, & corroborat, & confert cruditatibus ventriculi, & hydropicis, ſi ʒ. j. rhabarb. infundatur in aquæ ℔. x. & poſtea leui facta ebullitione ſeruetur ad vſum.

## §. XXVII.

### *De myrobalanis, & eorum vſu.*

QVinque ſunt differentiæ myrobalanorum, citrini, chebuli, nigri, ſeu indi, emblici, & bellerici: communiter vtimur tribus primis. Omnes ſunt frigidi in primo gradu, ſicci in ſecundo; citrini corroborant ventriculum, & hepar, eorumque

A temperiem calidam corrigunt, bilem purgant, & ſunt eorum quæ purgant comprimendo. Dantur in diarrhæa, dyſinteria, & lienteria; & dum magis adſtringere cupimus, torrefiunt eo modo, quo diximus de rhabarb. Exhibentur in infuſione, aut in ſubſtantia. Doſis in infuſione eſt à ʒ. ij. ad ʒ. v. in ſubſtantia verò à ʒ. ij. vſque ad ʒ. iij. Corticibus eorum tantùm vtimur, reiectis nucleis; nigri verò nucleis carent, atque adeò tota eorum ſubſtantia adminiſtratur. In infuſione diſpenſantur ſic. ℞. corticum mirobal. citrin. ʒ. iij. fiat infuſio, & expreſſio ex arte, in aqua chicorei, & adde ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. & fiat potus. In ſubſtantia ad roborandum ventriculum ſic aſſumuntur. ℞. corticum mirobal. citrin. ʒ. j. mediocriter triturentur, & adde ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. decocti pugini ℥. ij. pro potu. Quod ſi ſimul velis rhabarb. offerre, poteris detrahere tantundem de ipſis mirobal.

B Dantur etiam toſti, & abluti cum aqua adſtringenti, vt diximus de rhabarb. eodem modo aſſumuntur in potionibus, aut cum conſerua roſarum noſtrarum pro dyſentericis, & alui fluxu ex bile.

Chebuli conferunt ad humores pituitoſos, ad alui fluxum ex cruditatibus; conducunt ad intemperiem iecoris, & ventriculi calidam, illaque corroborant, & in hoc omnes myrobalanorum ſpecies conueniunt, & eodem modo adminiſtrantur ac citrini. Nigri ſoluunt melancholiam, & eoſdem effectus præſtant, & cum aquis, & ſyrupis ad melancholiam ordinatis exhibentur, qui omnes ſecuriſſimè adminiſtrari poſſunt.

## §. XXVIII.

### *De aloë, & eius vſu.*

C ALoës habet prærogatiuam ſupra alias medicinas, & eſt de melioribus, vt inquit Meſuë, calidæ naturæ in principio ſecundi gradus, & ſiccæ in tertio: euacuat humores bilioſos, & pituitoſos ex ventriculo, hepate, & prima corporis regione: cerebrum, & ventriculum corroborat; non lota magis purgat, minuſque corroborat; lota è contra minus purgat, magiſque corroborat. Doſis à ʒ. ß. vſque ad ʒ. j. ß. propter illius amaritudinem datur in forma pillularum; ſæpè etiam craſſo modo triturata aſſumitur in ouo ſorbili, ad deponendas ventriculi cruditates, & calefaciendum, & roborandum illum: ea vtimur per epicraſin euacuando quantitate vnius drachmæ, aut dimidiæ; quod ſolet eſſe maximi iuuamenti.

Enecat vermes in ouo ſorbili, aut in pillularum forma aſſumpta, vel clyſteribus iniecta, ſic: ℞. lactis caprini ℥. vj. mellis ℥. j. pulu. aloes ʒ. j. ſemin. ſantonici ʒ. ß. miſce pro clyſtere. Vel ſic ℞. decoctiabſinthij, hordei, lupinorum, & abrotani ℥. vj. mellis ℥. ij. lactis caprini ℥. ij. aloes ʒ. j. & fiat clyſter.

D In linimenti forma etiam extrà adhibetur vmbilico pro enecandis vermibus cum oleo menthæ, & abſinthij, & felle bouis, & puluere ſantonici.

In forma emplaſtri aloë vſus fuit Galenus *libro 5. method. cap. 4.* ad ſanguinis fluorem compeſcendum, & vlcera agglutinanda, ſic. ℞. aloës partem vnam, thuris partem ſemiſſem, cum albumine oui, & pilis minutiſſimis leporis fiat emplaſtrum ad mellis conſiſtentiam.

## §. XXIX.

### *De diagridio, & eius vſu.*

SCammonea eſt ſolutiua valdè, ſicca, & calida in tertio gradu; ſolutione educit bilem, & attrahit vehementer ex qualibet corporis parte; attrahit etiam pituitam. Eſt inimica cordi, vẽtriculo, & inteſtinis; nauſeam, ſitim, & conturbationẽ excitat, & appetitum deiicit, ſuperpurgationes facit, quare nunquam per ſe ſola ſumitur, ſed aliis admiſta eis vigorem præbet, vt dum pillulæ exhibentur, eis admiſcemus grana duo, vel tria diagridij.

Scammonea communiter præparatur in citoneo ſecundùm Serapionem *cap. de ſcammonea*; rectificatur enim, & acuitatem quandam amittit, & eſt minùs nociua, vocaturque diagridium. Aduertere tamen oportet, quod quoties inueneris apud antiquos hoc nomen *diagridium*, ſignificat ſcammoneam ſine præparatione, nam aliter ſcammoneam præparatam vocant; apud recentiores verò diagridium idem ſonat quod ſcammoneum præparatum.

Notare tamen oportet, quod diagridium ſemper eſt craſſo modo triturandum, dum medicamentorum ingreditur compoſitionem; nam ſi ſubtiliter trituretur, in poris inteſtinorum imbibitur, & inteſtina exulcerat. Doſis eſt à g̃. v. ad xij.

## §. XXX.

### *De xalapa, & eius vſu.*

XAlapa zaqualtipanem vocant, fortaſſe quia ex tali vehitur prouincia: purgat bilem, & melancholiam, inteſtinorum tormina creat, & eſt vehementis operationis, quam ob cauſam ſcammonea nuncupatur, & cenſeo eſſe mechoacam alio ſilueſtrior, de quo mentionem facit Monardus *in hiſtoria ſimplicium, quæ ex nouo orbe deferuntur.* Reperitur etiam in promontorio Diuæ Helenæ, quod in eodem, quo Nicaragua, tractu eſt, vt ipſe teſtatur. Eius vſus improbatur ob grauia ſymptomata quæ excitat; tamen in hominibus robuſtis ad excitandam aliorum Medicamentorum vim ſæpè adhibetur, eaque non ſine laude vſus fui. Doſis eſt vſque ad ʒ. j. ß. datur in puluere in iure diſſoluta, aut in aqua fœniculi, vel chicorei, aut in vino aqua diluto. Similiter dari poteſt cum conſerua roſarum perſicarum. In infuſione poteſt exhiberi in maiori quantitate. Petrus Faber *in pharmac. lib. 2. cap. 29.* inquit, quod xalapa ad nos vehitur ex India orientali, qua Medici Europæ feliciter vtuntur. Renodeus *lib. 1. de nat. medicam. c. de mechoacam*, aſſerit, quod xalapa eſt radix ſcammonei; cum hoc tamen ea vti poſſumus.

## §. XXXI.

### *De cartamo, & eius vſu.*

CArtami ſemen, quod magis eſt in vſu, eſt in primo gradu calidum, in ſecundo ſiccum. Solutione educit pituitam per vtramque aluum; mundificat pectus, vocem clarificat. Datur in febribus pituitoſis, & in doloribus colicis, & ventriculi cruditatibus; nocet tamen ventriculo quatenus nauſeam excitat, & illius ſubuerſionem facit; ſed eius noxa tollitur admixto aniſi, aut fœniculi puluere, & ſpicæ nardi parua quantitate. Doſis eius eſt ab ℥. j. ad ℥. iij. Vtimur eo dupliciter, vel in

A apozematibus, decoquendo ſemen ſimul cum aliis medicamentis, vel in potionibus illius emulſionem extrahendo, ſic. ℞. ſeminis cartami contuſi ʒ. iij. extrahatur eius emulſio in ℥. iij. decocti pugini, & adde ſyr. perſ. ſolut. ℥. iij. pro potu.

## §. XXXII.

### *De terebinthina, & eius vſu.*

TErebinthinæ plures dantur differentiæ, iuxta diuerſitatem arborum à quibus effluit: quælibet calida exiſtit, nos tamen vſualiter habemus ad purgandum eam, quæ ab abiete profluit. Habet vim purgandi pituitam, & bilem ex prima corporis regione. Renes, veſſicam, & vias vrinarias mirifice abſtergit, pectus, & aſperam arteriam lenit, deriuat ad ventres humores ad vrinæ vias confluentes. Aſthmaticis, & catarrho affectis opitulatur. Obſtructiones tollit. Doſis eſt ab ℥. ß. ad ℥. j.

B Tripliciter ea vtimur, vel in forma potus, aut boli, aut pillularum. In forma potus pro pectore, vt ℞. terebinthinæ abietinæ ℥. j. diſſoluatur cum oleo amygd. dulc. recenter extracto. Pro difficultate vrinæ diſſoluatur cum decoctione diuretica. In forma boli, ſic: ℞. terebinthinæ abietinæ ℥. ß. pulu. mechoacam ʒ. j. cum ſaccharo, fiant morſelli. Vel ℞. pulu. liquiritiæ ʒ. j. teribenthinæ ℥. j. miſce, & cum ſaccharo fiant morſelli, & poſt eius aſſumptionem ſuperbibat oleum amygd. dulc. vel decoctum diureticum, ſecundùm intentionem in quam ordinatur. Aut in forma pillularum, vt ℞. terebinthinæ abietinæ ℥. ß. pulu. liquiritiæ, & virgæ aureæ, aut alterius pulu. iuxta Medici intentionem ʒ. j. fiant pillulæ, quarum poterit æger aſſumere ad purgandum per epicraſin. Ego ſæpius ea vſus fui in difficultate vrinæ cum puluere mechoacam.

C

## §. XXXIII.

### *De mechoacam, & eius vſu.*

MEchoacam eſt calidum, & ſiccum in fine ſecundi gradus; quod ſi Manardo credimus, omnes humores euacuat, præſertim pituitoſos ex capite, pectore, renibus, ventriculo, vtero, & alto corpore. Datur in febre quotidiana, lethargo, epilepſia, & aliis morbis ex pituita. Tutiſſimè adminiſtratur à ʒ. ß. ad ʒ. ij. vtimur eo in ſubſtantia, vel infuſione, aut in conſerua. Diſſoluitur ſubſtantia eius in iure gallinæ, vel in vino. In conſerua vtimur eo, dum admiſcetur cum conſerua roſarum perſic. ſic, ℞. conſeruæ roſarum perſic. ℥. ij. ß. pulu. mechoacam ʒ. j. In infuſione ſic, ℞. mechoacam ʒ. iij. fiat infuſio, & expreſſio ex arte in decocto

D pugini, ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. miſce. Qui reformidant medicamentorum purgantium vſum, poſſunt purgari puluere mechoacam in potu confecto ex cocolate; ſic enim potio guſtui grata efficitur, & feliciter purgatio ſuccedit.

## §. XXXIV.

### *De agarico, & eius vſu.*

AGaricus eſt calidus in primo gradu, ſiccus in ſecũdo: habet vim inſcindendi, & deobſtruẽdi: purgat humores pituitoſos ex toto corpore. Datur in affectibus frigidis neruorum, & cerebri, & in febribus quotidianis, in paralyſi, epilepſia, in menſium

ſium ſuppreſſione, & vteri obſtructionibus. Vtimur frequenter trochiſcato cum vino zingiberis, & minùs flatuoſus redditur. Vomitum prouocat.

Adminiſtratur interiùs, aut exteriùs. Interiùs vel ad vomitum, vel ad euacuandum ventrem inferiorem. Datur eius infuſio, vel illius ſubſtantia; dum eius infuſione vtimur, datur in ligatura, & ſic frequenter adminiſtratur, ne aliquæ illius portiunculæ adhæreant ventriculo, & moleſtiam inferant in ventriculi tunicis impactæ; nam cùm fungus ſit, & ſpongioſus, humiditate ventriculi extenditur, & dolorem infert, continuum ſoluendo, & propter hanc rationem rarò illius ſubſtantia vtimur. Doſis eius eſt à ʒ. j. ad ʒ. ij. Infuſio talis fieri poteſt. ♃. agarici trochiſc. in ligatura ʒ. j. fiat infuſio, & expreſſio ex arte in ℥. ij. decocti pugini, B & adde ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. pro potu, cui ſi vis, poteris addere aliquod electuarium purgans, vt ʒ. ij. vel iij. diacathol. vel diaphœnic. Ad excitandum vomitum datur non trochiſcatus, ſic: ♃. decocti ſeminis raphani, & aneti ℥. vj. agarici ʒ. j. oxymelitis ſimpl. ℥. ij. bibatur tepidum, & dimidiâ horâ tranſactâ, in os immiſſo digito, vel penna oleo imbuta, vomitus prouocetur, qui maximè prodeſt iis qui venenum aſſumpſerunt.

Exteriùs admouetur regioni vmbilici ad vermes enecandos cùm oleis abſinthij, menthæ, & amygd. amararum, & pulueribus ſeminis ſantonici, & aloës, ex quibus omnibus paratur linimentum.

Adhibetur etiam in forma peſſarij, aut ſuppoſitorij ad purgandam vteri pituitam, & prouocandum menſtrua, & vteri obſtructiones delendas, ſic: ♃. agarici trochiſc. ʒ. ij. hieræ ſimpl. ʒ. j. terebinthinæ parum, ſucci mercurialis quod ſufficiat: formetur peſſarium filo alligatum pro vtero. Ex eo etiam conficimus ſuppoſitoria cum melle toſto ad deponendas cruditates per aluum.

## §. XXXV.

### *De turbith, ſeu turpeto, & eius vſu.*

TVrbith calidum eſt, & ſiccum in tertio gradu; purgat humores ſeroſos, & pituitoſos craſſos ex pectore, ex ventriculo, vtero, iuncturis, & toto corpore: confert febribus quotidianis, & longis, & in affectibus frigidis contumacibus. Doſis eius eſt à ʒ. j. ad ʒ. j. ß. ſed quia ſubuerſionem ventriculi facit, quando eius ſubſtantia adminiſtratur, ideò trochiſcatum offertur cùm zingibere, & vino; rarò tamen ſic eo vtimur, ſed in infuſione, vel decoctione, quando apozemata confingimus.

## §. XXXVI.

### *De hermodactylis, & eorum vſu.*

HErmo dactylus eſt calidus, & ſiccus in ſecundo gradu; ſolutione educit pituitam craſſam à iuncturis, & partibus remotis; tria tamen incommoda parit, nauſeam ſtomachi, & ventoſitates, & quia tardè operatur, detinetur intra corpus. Duo priora tolluntur ei permiſcendo zingiber, cyminum, & maſtichem, & piper longum, quibus eius humiditas ſuperflua deſtruitur, quæ noxia eſt, & horum malorum cauſa, quâ abundat magis dum recens eſt. Vltimum nocumentum tollitur admiſtione ſpicæ, & zingiberis, ſi cum ſucco A ſchillæ, aut cum ea aſſata fiant trochiſci. Mirabolani etiam ei celeritatem tribuunt, confortant quidem ſtomachum, & faciunt vt citiùs deſcendat: rarò tamen eis vtimur in ſubſtantia, ſed in infuſione, vt ♃. hermodact. ʒ. j. ß. infundantur ſpatio 12. horarum in decocto Pugini, & reiecta ſubſidentia adde ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. pro potu, addendo in infuſione zingiberis, & ſpicæ aliquid. Doſis eſt ab aureo j. ad duos. Exteriùs vlceribus applicita vlcera abſtergit, & carnes putridas aufert; membra etiam confortat, podagricis, & arthriticis confert, & in emplaſtri forma prodeſt, tumoreſque reſoluit, ſic. ♃. farinæ hordei ℥. iij. ſeminis lini ℥. j. vitella ouorum n. ij. pulu. hermodactylorum ℥. ß. cum decocto aneti, meliloti, & radicis altheæ, fiat emplaſtrum.

## §. XXXVII.

### *De colocynthide, & eius vſu.*

COlocynthis calida, & ſicca eſt in tertio gradu, ſolutione validiſſimè educit pituitam craſſam, imò bilem, & melancholiam ex diſtantiſſimis partibus; confert in morbis deſperatis articulorum, & aliarum partium, in epilepſia, apoplexia, morbo gallico, lethargo, & aliis. Nocet omnibus membris internis; ventriculum, & inteſtina corrodit. Aperit orificia venarum, & ſanguinem effluere facit. Nunquam per ſe datur niſi correcta in trochiſcorum forma, qui trochiſci dicuntur de Alandahal, qui fiunt ſecundùm Meſuem. Adhuc in trochiſcorum forma non datur per ſe, ſed cum C aliis medicamentis purgantibus admixta ad robur illorum adaugendum. Doſis eſt à g̃. vj. ad octo.

Ad extra applicatur ad denigrandos capillos, inungendo eos cùm oleo feruefacto in cauitate corticis, extractâ medullâ; aduertendum tamen eſt, quod colocynthis debet ſubtiliſſimè triturari, nam cum ſpongioſa ſit, ipſius partes creſcunt ex humiditate in eis imbibita, vt dictum eſt de agarico, & ſcoriath, & exulcerat inteſtina.

## §. XXXVIII.

### *De elaterio, & eius vſu.*

ELaterium hoc eſt ſuccus cucumeris agreſtis; calidum, & ſiccum eſt in tertio gradu; vehe- D mens medicamentum eſt, fortiter purgans pituitam, & humores ſeroſos, bilem, & melancholiam etiam ex capite, iuncturis, & toto corpore; rarò per ſe, aut cum aliis adminiſtratur, viſcera debilitat, ventriculum ſubuertit, inteſtina rodit, & venarum aperit orificia: corrigitur cùm bdellio, aut dragacantho, aut ſi propinetur cum lacte recenter emulſo. Datur in hydropicis, & in doloribus iuncturarum. Doſis eius eſt à g̃. v. ad xij. Per ſe exhibetur, aut cum aliis, vt cum pillulis ad vigorandam earum vim.

Admouetur etiam ventri in aſcite ad purgandam aquam, ſic. ♃. ſucci ebulorum, vng. Agrip. & dialth. comp. ana ℥. ij. olei irini ℥. j. bulliant agitando fortiter, vt abſumatur ſuccus, & adde elaterij pulu. ʒ. ij. & fiat vnguentum.

A

## §. XXXIX.

### *De ſenna, & eius vſu.*

SEnna eſt calida, & ſicca in primo gradu, dantur folliculi, & folia; folliculi magis adſtringunt, minus tamen purgant quàm folia, licet contrarium ſentiat Meſuë. Purgat melancholiam, & bilem aduſtam, mundificat cerebrum, cor, hepar, ſplenem, pulmonem, aperitque oppilationes viſcerum, lætitiam gignit, & triſtitiam fugat, flatus creat, corrigitur tamen admiſto aniſo: eſt medicamen tutiſſimum, & valde vſuale. Doſis eius in ſubſtantia eſt à ʒ. j. ad ʒ.ij. in infuſione ab aureis iij. ad ℥. j. Eius puluis cum aliis medicamentis admiſtus ad purgandum per epieraſin, humores melancholicos, præſertim in gallicis affectibus, ſic exhiberi ſolet. ℞. folior. ſennæ & ſmilacis aſperæ ana ℥.j. B polpyodij quercini, & hermodactylorum ana ℥.ß. cinnamomi, & ſpicæ nardi ana ʒ. j. omnia puluerizentur, & miſceantur, quorum puluis ſummo mane diſſolutus in iure gallinæ vtiliter adhibetur etiam in cruditatibus ventris; & ſi flatus abundent, addito aniſo, aut fœniculo prodeſt.

Adminiſtratur etiam puluis ſennæ cum conſerua roſarum perſic. ſic: ℞. conſeruæ roſar. perſic. ℥. iij. pulu. foliorum ſennæ ʒ. ß. pulu. aniſi parum, miſce.

In infuſione ea vtimur, vt ſi velimus euacuare ſimul melancholiam, & pituitam in aliquibus affectibus complicatis, ſic. ℞. folior. ſennæ ʒ.ij. fiat infuſio, & expreſſio ex arte in aqua borrag. in qua extrahe emulſionis ſeminis cartami ʒ.iij. ſyr. Regij ℥.iij. miſce, & in affectu etiam ex bile, & melancholia prodeunte poteſt ſimul cum ſenna infundi rhabarb. ʒ. j. C

Sæpiſſimè infuſiones, & coctiones ex ſenna fiunt ad diſſoluenda alia medicamenta purgantia, vt ſic. ℞. diacathol ʒ. iiij. diſſolue in coctione, vel infuſione folior. ſennæ, & florum cordialium, additis tribus ℥. ſyr. perſici ſolut.

Apozemata purgantia fiunt etiam cum ſenna, quia frequenter eis vtimur in morbis longis, quorum materia ſunt etiam humores melancholici.

Syrupus ſennatus paratus inueniri ſolet apud Pharmacopolas ad purgandum humores melancholicos, & pituitoſos.

Syr. perſicus ſolutiuus ſennatus eandem præſtat vim, vtriuſque doſis eſt ab ℥.iij. ad ℥.vj.

Decoctum etiam pugini ſenna conficitur, in quo infunduntur alia medicamenta purgantia, & electuaria diſſoluuntur.

Ad emolliendum ventrem vti ſolemus prunis damaſcenis, ſenna, & ſaccharo confectis, & loco prunorum vtimur etiam paſſulis Corinthij; D conferunt etiam ad purgandum per epieraſin, & ſumuntur paulò ante prandium: ſumitur de eorum mina pro vna vice doſis ℥.ij.

Infunditur ſæpe etiam in ſero lactis caprini, in ſcabie, lepra, & tumoribus cancroſis, & lienis tumore, ſic. ℞. foliorum ſennæ ʒ.iiij. florum violar. borrag. & bugloſ. ana p.j. fiat omnium infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥.viij. ſeri lactis caprini, & adde ſacchari, quod ſit ſatis ad gratum ſaporem. Tandem ita vſuale eſt hoc auxilium, vt nullum ferè medicamentum purgans diſpenſetur ſine illo.

## §. XL.

### *De polypodio, & eius vſu.*

POlypodium calidum eſt, & ſiccum in ſecundo gradu, euacuat melancholiam, & pituitam craſſam ex toto corpore: confert quartanis, colicis, lienoſis, & hæmorrhoïdas habentibus: doſis eius eſt à ʒ.ij. vſque ad ʒ.v. Vtimur eo in ſubſtantia, & in forma potus, infundendo eum in aliquo liquore. Pro dolore colico & iliaco, ſi immittatur in ventrem galli gallinacei à viſceribus mundati, & ſuatur, coquaturque, deinde bibendo ius illius, vel iniiciendo per clyſteres, ſic. ℞. polypodij quercini, & foliorum ſennæ ana ℥.j. ſemin. cartami contuſi ʒ. vj. aniſi, & cymini ana ʒ.ij. omnia immittantur in cauitate galli gallinacei veteris priùs defatigati curſu, & ſuatur, & coquatur ſufficienter gallus, de cuius iure bibet æger quolibet die ℥. vj. & in clyſtere poteſt adminiſtrari dictum ius addendo aliquid benedictæ, vel elect. diaphœnic.

Conſerua ad purgandum poteſt etiam confici cum aliis rebus, & melle, & in morbis gallicis addimus pulueres ſmilacis aſperæ, & ligni guaiaci, & in pulueris forma etiam adminiſtrari poteſt, vt dictum eſt de ſenna. Datur etiam in apozematibus.

## §. XLI.

### *De epithymo, & eius vſu.*

EPithymum eſt maximè vſuale in morbis melãcholicis, & confert iis affectibus, quibus conuenit ſenna, & polypodium. Exhibetur infuſum, decoctum, & in ſubſtantia, eo modo quo diximus de ſenna: doſis eſt à ʒ. j. ad iij. in ſubſtantia: in infuſione, vel decoctione in maiori quantitate offerri poteſt. Eſt calidum, & ſiccum in ſecundo gradu, quapropter fugiendum eſt in æſtate, & naturis calidis.

## §. XLII.

### *De helleboro, & eius vſu.*

DVæ ſunt hellebori ſpecies, alius albus, & alius niger; albus eſt deterior, & minùs vſualis, niger etiam debet aſſumi rectificatus, quia vterque violentus eſt, & naturæ inimicus, calidus, & ſiccus in tertio gradu; conuenit tantùm naturis robuſtis. Albus purgat pituitam, & vomitum excitat; niger purgat melancholiam, & vterque nimis corpora commouet, humores omnes agitat, & conturbat, corpora exſiccat, & in conuulſionem ſiccam incidere facit; cum hoc tamen datur in quartanis, melancholia morbo, elephantiaſi, & morbo gallico, & mundificat cerebrum, neruos, inſtrumenta ſenſuum, & reliquas partes. Doſis eius eſt à ʒ. ß. ad ʒ. j.

## §. XLIII.

### *De lapide armeno, & eius vſu, & de lapide lazuli.*

LApis armenus eſt incolumior helleboro nigro, & lapide lazuli: calidus eſt, & ſiccus in ſecundo

ſecundo gradu; monet ventrem ſupernè, & infernè; purgat vehementer melancholiam, & pituitam; confert maniæ,melancholiæ,& lethargo, vertigini, & apoplexiæ; abluitur, vt corrigatur, & minùs nauſeam, aut vomitum concitet. Doſis eius non loti eſt à ʒ.ß. ad ʒ.j. ß. loti eſt à ʒ. j. ad ʒ.ij. Raró eo per ſe vtimur, & loco illius vtimur lapide lazuli, qui eaſdem habet proprietates; & ſi non abluatur, ſimul per vtramque aluum mouet.

Alia plurima medicamenta ſimplicia ab Authoribus probantur; ea tamen relinquo, quia minùs vſualiter habentur, & ab aliis Authoribus peti poſſunt.

## CAPVT V.

### *De capitis dolore.*

INter noſtri corporis partes primatum obtinet caput, à quo in vniuerſum corpus ſentiens, & mouens virtus impartitur, vt Galen. docet pluribus in locis, præcipuè tamen toto libro ſeptimo de placitis Hipp. & Plat. ideò de eius affectibus maxima eſt habenda cura, & practicantium morem inſequentes, primus qui ſe offert, eſt capitis dolor, qui diſtinctionis gratiâ duplex eſt, alius antiquus, & inueteratus, alius verò recens: de vtroque egit Galen. 2. *de compoſit. medic. ſecundum locos, cap.* 2. Inueteratus, & ægrè cedens, cephalea nominatur, qui ex facili occaſione maximas habet exacerbationes; adeò vt neque ſtrepitum, neque vocem vehementiorem, neque lumen ſplendidum, vel vini potum, vel odoramenta tolerare poſſit. Hanc definitionem ipſe etiam tetigit 3. *de locis affect. cap.* 9. Qui verò facilè aufertur,cephalalgia nominatur. In cephalea ad maiorem debilitatem deueniunt partes, quàm in cephalalgia, ex quo prouenit, quod cephaleâ affecti nequeunt ferre motum, ſed in quiete ſunt ſeruandi,imò & in tenebris; nam facilè ab ſplendore,& ab alio quouis offenduntur.

*Cephalea quid ſit.*

*Quæ capitis partes dolore afficiantur.*

Sed quia partes capitis ſecundùm quas dolor illius conſurgere poteſt, plures ſunt, internæ ſcilicet, & externæ,ſcire oportet quod dupliciter dolore afficitur; aut ſecundum partes exteriores, nempe ſecundùm pericraneum, membranam carnoſam, & cutem; vel ſecundùm interiores ſenſu participes, videlicet iuxta meningem duram, & piam,& neruos.

*Cerebrum an ſentiat.*

Notanter dixi, *ſenſu participes*, propter ipſius cerebri ſubſtantiam, de qua controuertitur, an ſit ſenſus expers. Hoc dubium ſoluit Galen. 1. *de ſympt. cauſis, cap.* 8. qui nullum ſenſum cerebro tribuit, per hæc verba: *Sentiens organum ipſum, namque cerebrum à natura conditum non eſt, ſed quòd ea quæ ſentiant, ſentire poſſit.* Quod etiam Ariſt. confirmat 3. *de hiſt. anim. cap.* 19. & probat Andreas Laurent. *lib. de re anatomica, q.* 12. experientiâ ductus, quâ nihil certiùs. *Vulneratum*, inquit, *cerebrum nihil ſentit, quamuis acuto ſpecillo eius ſubſtantiam premas, aut de eadem aliquid detrahas; quod ego ſæpiùs obſeruaui.* Neque obſtat, quod Galen. *de plenitudine cap.* 4. & 2. *de compoſit. medic. local. cap.* 1. contrarium aſſerere videatur; amicè enim interpretari debet, cerebrum ſentire ſumptum pro membranis, & cerebri ſubſtantia.

[A]

### §. I.

### *De cauſis doloris capitis.*

DOlor capitis, qui actio quædam deprauata ipſius ſenſus tactus eſt, vt docet Galen. *de ſympt. differentiis, cap.* 3. & probat Valleſ. 4. *controu. cap.* 4. (cuius veritatem indagare non eſt præſentis inſtituti) plures habet cauſas, quæ in tantùm dolorem inferunt, in quantùm noſtram naturam alterare, & corrumpere valent, à quibus ipſa maximè dolet, vt mirificè oſtendit Gal. *de inæquali intemperie*, omnes doloris cauſas amplectens, dum ait: *Quapropter mirus dixit Hippoc. in quibus alteratur, aut corrumpitur natura, dolores fiunt: alteratur atque corrumpitur cuiuſque natura dum caleſit, vel frigeſit, vel ſicceſcit, vel* [B] *humeſcit, vel eius vnitas diſſoluitur. Et rurſus vulnerando, erodendo,premendo, vel conuellendo.* Prouenit ergo capitis dolor, vel à ſolutione continui, vt ex caſu, ictu, aut contuſione; & hoc modo ad Chirurgicum pertinet, de quo in præſenti non curo: aut à dyſcraſia calida,vel frigida, aut ſicca, idque cum humoris affluxu, vel ſine illo, vel ab humiditate cum humoris præſentia; nam aliter dolorem non infert, vt docet Galen. 2. *de compoſit. medic. ſecundùm locos, cap.* 1. *citato*, & Auicen. *fen.* 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 2. *Vehementiſſimi igitur capitis dolores fiunt* (inquit Galen.) *iuxta calorem, & frigus, ſi inæqualia contingant; moderati verò iuxta ſiccitatem; humidas vero intemperies nullus conſequitur dolor.* Quibus verbis quod intendimus claret; nam cùm ad dolorem requiratur ſubita corruptio, aut alteratio, hanc propter remiſſam actionem præſtare non poteſt humiditas; & ſi aliqualem dolorem valet producere ſiccitas, ob [C] eandem rationem eſſe moderatum aſſeruit Auicen.

Ex iis patet,capitis dolorem produci ab inæquali intemperie nuda, vel cum humoris affluxu, videlicet à ſanguine,vtraque bile, & pituita,à flatu, ſeu ebrietate, quorum ratione capitis partes maximè offenduntur.

Huiuſmodi cauſæ dupliciter capitis dolorem excitare valent,vel per primariam capitis affectionem,vel per conſenſum malo ab aliis partibus impartito, nempe à ventriculo, ſplene, hepate, vel vtero,vaporibus ab ipſis partibus ad caput delatis, quamuis frequentiùs ob ventriculi conſenſum communicetur: de quibus omnibus ſigillatim eſt agendum.

### §. II.

### *Curatio doloris capitis ex ſanguine.*

[D] ANtequam curationem adducamus, oportet priùs ſigna tradere,quibus quiuis capitis dolor agnoſcatur; quem ordinem ſeruabimus pro cuiuſvis doloris curatione. Vnum tamen ſignum cuiuis dolori capitis interiori commune adducitur à Galeno, videlicet, quod dolor ad oculorum vſque radices perueniat, propterea quod nerui optici,qui ad oculorum radices terminantur, ex cerebri tunicis ortum habent, & facilè damnum oculorum radicibus communicant; quod ſignum in plurimum contingit,quamuis ob cauſæ in operando exiguitatem, & eius remiſſam actionem in doloribus internis, & intra caluariam hoc ſignum deficere aliquando non eſt abs re.

*Signa.*

*Signum commune cuilibet dolori capitis interiori.*

Si igitur à ſanguine dolor proueniat, ex

anteacta

anteacta vita dignoſcitur, vt ſi aſſuetus eſt alimentis calidis,crapulis, & immoderatis exercitiis, & habet aliquam euacuationem ſuppreſſam, vel ſentit in capite calorem, grauedinem, tenſionem, & arteriarum pulſationem, & eſt ad ſomnum procliuis, & naturâ ſanguineus.

*Doloris interni & externi ſigna.*

Præter hæc oportet cognoſcere (quod etiam in aliis doloribus obſeruauimus) an dolor ſit internus, vel externus; internus, vt dixi, vſque ad oculorum radices frequentiùs ſe extendit, qui etiam percipitur ex defectu ſignorum doloris, qui fit extra craneum; ſi enim in partibus externis æger non percipit calorem, neque aliam qualitatem excedentem, & ex partium externarum compreſſione, & contactu nulla infertur noxa, exiſtimare oportet, doloris cauſam interiùs latêre; ſi verò talia adfuerint ſigna, cauſam exteriùs offendere nemo certè dubitabit.

In huius ergo doloris curatione, ſicuti & in alia, cùm diſtinctione auxilia ſcribemus, ne maius detrimentum, quàm emolumentum afferamus: quod conſulit Galen. *lib. 2. de compoſ. medic. ſecund. locos, cap. 1.*

Victus igitur debet eſſe refrigerans, vt non ſolùm medicamentis, ſed alimentis, quæ ſimul medicamenti vires obtineant, affectui repugnemus, vt ſunt intibum, lactuca, cucurbita, ceraſa acria, ptiſana, poma acida, pulli gallinacei, & obſonia aceto, ſucco agreſtæ, arantij, aut limonis parata. Potus ſit aqua hordei, ſcortioneræ, aut fontana frigida. Aër ſi frigidus non ſit, roſis, violis, vel aceto per cubile inſperſis, vel fonte aliquo arte facto refrigeretur. Venter emolliendus, ſi huius adſit neceſſitas, & refrigerandus eſt hoc vel ſimili clyſtere. ℞. decocti hordei, foliorum maluar. violarum, lactucæ, & mercurialis ℥.x. pulpæ caſſiæ, & diacath. ana ʒ.vj. olei viol. & roſarum ana ℥.j ß. ſalis parum, miſce pro clyſtere.

Factâ ventris lenitione audacter ſanguinem detrahes, ſi plethora adfuerit ex vena communi, ſi verò non, ex cephalica. Quod ſi menſes, aut alia euacuatio inferior ſit cohibita, ſanguinem ex talo extrahes; quæ euacuatio adhuc in non cohibitis euacuationibus inferioribus maximè prodeſſe ſolet, eamque commendat Auic. *fen. 3. tract. 2. capite 11.* & Matthæus de Gradi *conſilio 4.* maiorem equidem reuulſionem è capite efficere ſolet.

Detracto ſanguine iuxta morbi indigentiam, & virium tenorem, ad auxilia particularia confugies, quæ refrigerandi poteſtatem nanciſcantur, multque repellant, quæ fronti, ac ſincipiti admoueri debent, vt conſulit Galen. 13. *methodi, cap. 22.* quapropter raſo capiti admoueatur oxyrrhodinum frigidum, quod conficitur ex ℥.iiij. olei roſarum, & ℥. j. aceti penetrationis gratiâ, cui addere potes aquam roſarum, vel portul. Prodeſt etiam lac muliebre, vel caprarum aquæ roſarum admiſtum, vel oui albumina cum lactè, vel aqua roſarum. Verùm ſi hæc non proficiant, valentiora adhibebis, vt vnguentum refrigerans Galeni, roſarum, aut de cucurbita, aut oleum de papauere, vel ſuccus ſolani, aut lactucæ, aut ramenta ex cucurbita extracta, aut vnguentum populeon cum granis duobus opij, aut ſolani, vel lactucæ ſuccus cum oleo roſarum, & papaueris. Conferunt etiam capitis irrigationes ex decocto tepido capitum papaueris, radicis iuſchiami, foliorum violarum, lactucæ, & oxalidis, florum violarum, roſarum, & nimpheæ, cum modico aceto albo, quo etiam brachia, & crura abluantur.

Præterea naſi, aut frontis venam ſcindere iubet Auicen. vt humor in capite impactus euacuetur. Interim tamen dum hæc fiunt, oportet interiùs corpus refrigerare ſyrupis chicorei, violarum, roſarum, borrag. & acetoſo, cum aquis ſtillatitiis chicorei, bugloſſæ, & oxalidis.

Conferunt etiam cucurbitæ dorſo, & humeris appoſitæ, ſcarificatæ, & ſine ſcarificatione; item & frictiones, & ligaturæ crurum, & brachiorum.

Sed quoniam ex refrigerantium vſu humor in capite imbibitus incraſſari ſolet, & refrigerari, conſulunt modicè digerentibus vti. Quare caput illinire oportet oleo camemali, lumbricorum, vel anethino, vel caput irrigare decocto camemali, meliloti, fœnugreci, ſtœcados, florum anthos, & roſarum. Vel ſi mauis, pulmo arietis recenter extractus, aut pullus columbinus per ſpinam ſciſſus, & extractis viſceribus futuræ coronali impoſitus, vtiliter adhibetur. Quoniam hic dolor ex ſanguine procedit, nullumque datur medicamentum, quod ſanguinem deducat, niſi in humoris alterius naturam migret; ideò ad illius euacuationem nullum refero medicamentum expurgans.

## §. III.

### *Curatio doloris capitis ex bile.*

*Signa.*

SI à bile capitis dolor ortum ducat, dignoſcitur, quia dolor infeſtiſſimus eſſe ſolet, & acutiem inferens, non ita grauis ſicut dolor ex ſanguine dependens; inſomnem ægrum reddit, quem præcedere ſolent animi paſſiones, vt ira, nimia ſolicitudo, immoderatum exercitium, vigilia, inedia, alimenta calida, quibus adiiciuntur ſitis, & excrementorum capitis conſumptio, & ariditas, tempus æſtiuum, ætas vigens, & nimia iecoris caliditas bilem procreans.

*Victus ratio.*

Quantum ad res non naturales ſpectat, eadem ſeruentur, quæ pro curatione doloris à ſanguine adduximus, hac adhibita diſtinctione, quod in hoc affectu magis refrigerantia ſunt ex vſu, quantò bilis ipſo ſanguine eſt calidior.

Vitæ regimine inſtituto ſanguis ſimiliter eſt extrahendus ex vena communi, ſi adſit plenitudo; ſi verò non, ex humeraria; & hoc pro virium ratione, & affectus vehementia, quamuis Auicen. aſſerat, quod ſanguis in hoc dolore parumper euacuetur; ſanguinis enim miſſio reuellit, euacuat, & refrigerat humorem bilioſum: quapropter à tanto auxilio non eſt deſtituendus æger.

*Curatio.*

Vlteriùs parabis ad expurgationem corpus ſyrupis, & aquis refrigerantibus, capite *de curatione doloris ex ſanguine*, traditis. Deinde corpus mundum reddes hac potione bilem euacuando. ℞. rhabarb. optimi ℈. iiij. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in aqua chicorei, in qua diſſolue diacathol. ℥. ß. ſyrupi perſici ſolutiui ℥.iij. miſce, & fiat potus. In forma boli ſic ordinatur. ℞. pulpæ caſſiæ, & diacathol. ana ℥. ß. rhabarbari puluerizati ʒ. ß. miſce, & cum ſaccharo formentur morſelli. Conferunt præterea pillulæ de rhabarb. ſine quibus, & aggregatiuæ, vt ℞. maſſæ pillul. aggregat. & de rhab. ana ℈.ij. cum melle perſic. formentur ſeptem pillulæ, & aurentur. Simili modo alia quamplurima effingere poteris prout neceſſitas expetit, & ægri vires permittunt.

Tandem ad topica deueniendum, vt diximus in curatione doloris capitis à ſanguine, quorum copiam iterum repetere fruſtraneum erit.

§. IV.

## §. IV.

### *Curatio doloris capitis ex pituita, & melancholia.*

VTriuſque cauſæ, tam pituitoſæ, quàm melancholicæ dolorem vnico ampleɛtimur capite, quia in curatione licèt aliquid euarient, in pluribus tamen conueniunt.

*Signa doloris ex pituita.*

Cùm ergo dolor capitis ex pituita originem trahit, dignoſcitur ex anteacta vita, ex otio ſcilicet, & vita ſedentaria, & ſi ingeſſit cibos pituitam generantes, vt ſunt olera, lac, fructus, alimenta craſſa & frigida, aut præceſſit temporis conſtitutio frigida, & humida, nimia ciborum repletio, ventriculi, & capitis aggrauatio, & ad ſomnum inclinatio.

*Signa doloris ex melancholia.*

Si verò ex melancholia dependeat, diuturnus dolor excitari ſolet, ægerque ob humoris ſiccitatem, & excrementorum inopiam vigilia corripitur, cui accedit capitis grauitas, mœror, triſtitia, & vſus eduliorum craſſorum, vt lacticinia, caro bubula, porcina, & hircina, lentes, cicera, braſſica, & ſimilia; qui dolor excitari etiam ſolet ex euacuatione aliqua ſuppreſſa, vt eſt hæmorrhoïs detenta, aut alia euacuatio humorem nigrum ſegregans.

Cognita morbi origine, non erit difficile victum, & reliqua inſtituere. Aër itaque ad calidum vergat, vel illum præparabimus ignem ſuccendendo ex lignis iuniperi, roris marini, vel thymi, vel ſuffitu cinnamomi, cariophylorum, & ſimilium. Somnus ſit moderatus, & dum dormit æger, habeat coopertum caput, vt ocyùs ſuo calore vaporem, aut frigidum reſoluat humorem. Victus ſit calidus, extenuans, & boni ſucci, vt oua ſorbilia, carnes pullorum, & auium non in paludibus degentium, vt ſunt perdices nouellæ, & phaſiani, quæ pipere, cinnamomo, croco, & cariophylis condiantur. Conueniunt etiam capparis, borrago, amygdalæ, vuæ paſſæ, aniſum, & fœniculum præparatum. Potus ſit vinum album, aquoſum, aut bene aquâ dilutum, aut aquâ cinnamomi, aniſi, fœniculi, aut radicis chinæ.

Ventrem habeat mollem, aut vtatur clyſteribus emollientibus, & diſcutientibus, vt ♃. decocti mercurialis, betæ, pulegij, camemali, ſtœcados, furfuris ℔. j. hieræ picræ, & diaſennæ ana ℥. ß. ſalis communis ʒ. j. olei camem. & aneti ana ℥. j. ß. miſce, & fiat clyſter. Suppoſitoria ſimiliter fieri poſſunt ex ſapone, vel melle toſto, cum ʒ. j. pulu. hieræ, aut agarici.

His peractis, ſi copia ſanguinis adſit, ſanguinem detrahes, in minori tamen doſi, quàm in dolore ex ſanguine, vel bile dimanante; quia humor frigidus cùm ſit, minorem ſanguinis effuſionem expoſtulat, ita vt practici aliqui ſanguinis miſſionis non recordentur, inter quos Vega *cap. de dolore capitis à pituita*, & *cap. ſubſequenti*: at Galen. *capite proprio de cephalea, iam citato*, & Auicen. *fen.* 1. *3. tract.* 2. *cap.* 12. ſanguinem mittere iubent.

*Purgatio in dolore à pituita.*

Factâ igitur ſanguinis detractione, humorem ad expulſionem parabis melle roſaceo, ſyrupo ſtœcados, borrag. capill. veneris, fumariæ, oxymelite ſimplici, & aliis, cum aquis cinnamomi, fœniculi, meliſſæ, & radicis chinæ. Deinde humorem pituitoſum expurgabimus in forma potus ſic. ♃. agarici trochiſc. cum vino zingiberis ʒ. j. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥. iij. decocti epithymi, polypodij, ſeminis cartami, & florum cordialium, catholici ʒ. iij. ſyr. perſici ſolutiui ℥. iij. miſce, & fiat potus. In forma boli ſic parabitur. ♃. elect. diaphœn. & catholici ana ʒ. iiij. agarici trochiſc. ʒ. ß. miſce, & cum ſaccharo fiant morſelli. In catapotiorum forma ſic. ♃. maſſæ pillul. de agarico, & cochiarum ana ℈. ij. cum ſyrupo ſtœcados, formentur octo pillulæ, & aurentur; quæ quantitas augenda, aut minuenda erit pro ægri natura, & doloris vehementia.

*Purgatio in dolore capitis à melancholia.*

Veruntamen ſi humor melancholicus dolorem excitet, illum euacuare tentabis ſyrupo ſennato, vel Regio, cum confect. Hamech ſimplici, vel compoſita, & electuar. diaſennæ, in hunc modum. ♃. catholici ℥. ij. confect. Hamech ʒ. iij. ſyrupi ſennati, & Regij ana ℥. j. ß. decocti pugini ℥. iij. miſce, & fiat potus, vel cum diaſenna, & diacatholic. & ſaccharo in forma boli, aut cum pillulis Indis, de fumaria, & aggregatiuis.

*Purgatio repetenda.*

B His auxiliis vti decet non ſemel, ſed pluries, præſertim in doloribus antiquis, quia humor craſſus, & tenax non poteſt vnicâ euacuatione propelli; vnum tamen ſemper obſeruandum, vt ſemper à leuioribus incipiamus, deinde ad fortiora progrediendum.

Sed quia humor propter capitis debilitatem in ipſo manet impactus, neque illum reſoluere, aut conſumere eſt potens, ideò ad capitis localia remedia eſt confugiendum, quæ vim calefaciendi, extenuandi, & roborandi habeant. Oportet ergo in principio caput inungere oleo laurino, camemali, & anethino; quod ſi non ſufficiant, aliquid caſtorei, aut euphorbij eſt immiſcendum, ex quibus cum piretri, maſtichis, rutæ, & roris marini puluere, & cera vnguentum ad idem parabis.

Hoc etiam decoctum maximè iuuat in materia C pituitoſa. ♃. florum camem. meliloti, & ſtœcados ana p. ij. roris marini, maioranæ, betonicæ, ſaluiæ, & lauendulæ, ana m. j. coquantur omnia debito modo in æquis portionibus vini, & aquæ ad medietatis conſumptionem, quo abluatur caput, deinde ſuprà ſcriptis oleis, & vnguento inungatur. Quod ſi hoc decoctum fortius efficere volueris, decoques etiam rutam, pulegium, camædrios, chamepiteos, & ſimilia.

Pro materia melancholiæ fiat decoctum ex eiſdem herbis addendo maluarum, biſmaluæ, & ſennæ folia, flores borrag. & bugloſſæ, & caput integrum arietis.

Conducit etiam quammaximè ſacculus, aut cucufa ex pulueribus roris marini, florum ſtœcados, camemali, roſarum, foliorum ſennæ, cubebarum, macis, ligni aloës, ſmilacis aſperæ, & pulueris granæ. At cum huius doloris immanitas, & cruciatus auferri non ſoleat dictis medicamentis, ideò oportet ad errhina, & maſticatoria confugere, quæ maximè conducunt ad humoris reliquias exte- D nuandas, & conterendas. Errhina igitur, ſeu nariſuſoria præparabimus ex aqua mulſa cum ſucco betæ, aut maioranæ per nares abſorpta; aut oris collutiones cum decocto ſaluiæ, ſtœcados, maioranæ, & betonicæ, addito melle ſchillitico. Maſticatoria etiam fiunt in hunc modum. ♃. pulueris maſtichis, piperis, piretri, galangæ, & cinnamomi, ana ℈. j. miſce, & cum cerá aut melle toſto, aut cum ſyrupo ſtœcados formentur pillulæ ad lupinorum formam, quarum vnam, aut duas in ore detineat æger.

Conferunt præterea frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, & alia, quæ vim reuellendi humorem poſſident. Quod ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa, vt hæmorrhoïdes, eam excitate maximum

præſidium

præſidium erit: quibus debito tempore adhibitis, Deo dante ſalus conſequetur. A

## §. V.

### *Curatio doloris capitis ab intemperie nuda.*

Signa. INtemperiem nudam, ſimplicem, vel compoſitam eſſe doloris capitis cauſam dignoſcimus, quia frequentiùs ſequitur cauſas procatharticas, nempe ardorem, vel vſtionem à ſole, vel vicinia rei calidæ alterius, immoderato exercitio, ira, vel vigilia; & idem ſuo modo dicendum de aliis qualitatibus reſpectu ſuarum cauſarum; quod etiam conſtabit ex ægri relatu, & ex intemperie, quam ipſe in capite ſentit.

Si igitur intemperies calida, & humida ſit, curationem habes *cap. de curatione doloris ex ſanguine*; ſi verò calida, & ſicca, in curatione doloris capitis ex bile remedia inuenies, ſicut ſi intemperies frigida, aut humida, vel frigida, & ſicca ſit doloris cauſa, curabitur vt dixi in curatione doloris ex pituita, & melancholia. Victum itaque inſtitues, & alias res non naturales, & auxilia, vt ibi diximus; hac tamen adhibitâ differentiâ, vt in doloribus pendentibus ex intemperie cum humoris affluxu, vti debeamus euacuationibus per ſanguinis miſſionem, & expurgationem; dolores verò, qui ex intemperie nuda procedunt, ſiue ſimplex ſit, ſiue compoſita, independens cùm ſit ab humoribus, nequaquam ſanguinis miſſionem, aut expurgationem exigunt; quam ob cauſam ad remedia localia ſtatim deueniendum eſt, quorum vſu facilè intemperies dolorem inferens tollitur. B

## §. VI.

### *Curatio doloris capitis à flatu.*

Signa. DOlorem capitis eſſe flatuoſum teſtantur diſtenſio citra grauitatem, & alimenta flatum generantia, vita otioſa, & ſegnis, & alia id genus.

Ad huius curationem victum inſtituere oportet qualem inſtituimus in curatione doloris ex pituita, & in fine prandij aſſumere dianiſum, vel fœniculum, ſiue coriandrum præparatum, vt vapores reſoluant, ne caput tentent; aut aſſumat laborans citoneorum conſeruam, vt ſuâ adſtrictione vaporum aſcenſum prohibeat. Euitet alimenta craſſa, & difficilis coctionis, quæ ſint nata flatus generare. Præparentur humores ad expurgationem, & euacuentur, vt ibi traditum eſt; ſic etenim humores craſſos euacuabimus, ex quibus tanquam ex materia flatus eleuantur.

Deinde cùm vapores ex capitis diminuto calore producantur, quos diminutus calor ob exiguam operandi vim conſumere non valet, vt docet Galenus 3. *de cauſis ſymptom. cap.* 2. ſumpta ſimilitudine à rebus externis in flatuum generatione exteriori, ideo remedia ſunt admouenda, quæ flatus reſoluant, ipſumque humorem diſcutiant, quorum copiam adduximus pro curando dolore capitis ex pituita. Ad illa ergo confugies, quæ huic dolori vtiliter accommodari poſſunt.

## §. VII.

### *Curatio doloris capitis ab ictu.*

SOlet plerumque capitis ingens dolor ſuccreſcere ex ictu, contuſione, ſeu tumore aliquo, qui tamen ſignis ad cognitionem non eget, cum ex ſe notus ſit, ad cuius ablationem victum inſtitues, qui magis ad tenuem, quàm ad craſſum inclinet, cum vini abſtinentia; deinde ſanguinem mittere iube ex brachio parti læſæ capitis è directo correſpondenti, ex vena communi, vel cephalica, & humores expurgabis provt neceſſitas, & affectus poſtulare videatur: vteris etiam frictionibus, & ligaturis partium extremarum, & cucurbitulis. Reliqua docto Chirurgo ſunt committenda.

## §. VIII.

### *Curatio doloris capitis ex ebrietate.*

LIcèt dolor iſte inter dolores capitis per conſenſum poſſit connumerari, placuit tamen nobis de ipſius curatione ſeorſim agere, quia ab illis in curatione euariat.

Fit ergo iſte dolor elatis vini vaporibus ad cerebrum, quibus ratio, & memoria perturbantur, & variè delirant homines, qui facilè ex vini odore, & ex ægri, & cum eo adſtantium relatu percipitur.

Oportet igitur, vt immiſſis digitis, aut penna in fauces, euomant, aut aquam frigidam ſuperbibant, & inſuper dormiant, vt per ſomnum calore ad intra recurrente, vapores abſumantur. Quod ſi homo leui occaſione in ebrietatem incidit, abſtineat ſe à vino; & ſi non poſſit, bibat vinum nimis aquâ dilutum; ſi enim non ſit nimis dilutum, magis inebriat, vt teſtatur Ariſt. 3. *ſect. problem.* vbi quærit, quare vinum aquæ permixtum, ſi non ſit nimis dilutum, magis inebriet, quàm merum; quod ideò fit, quia vinum aquæ admiſtum magis obſtruit, tardiuſque diſſoluitur, vt notat Vega. C

Si verò nolint à vino abſtinere, ebibito vino, ſuperbibant ℥.ij. olei: quod ſi antequam vinum potent, præbibant dictum oleum, citra ebrietatis periculum vini dolium bibere poſſunt, vt docet Christophorus à Vega. At ſi in principio prandij, vel cœnæ, crudæ braſſicæ quatuor vel quinque cimata comederit potator, non inebriabitur. Amygdalæ amaræ quinque, vel ſex ſi ieiunè comedantur, ab inebriatione præſeruant. Valet etiam ad idem iſte ſyrupus ante vini potionem ſumptus in quantitate ℥. ij. ℞. ſucci caulium, & granatorum acrium ana ℥. x. aceti ℥. iiij. ſacchari quod ſufficiat, miſce, & fiat ſyrup. Sanguis cymicum, vel ſpuma equi, quæ inter illius crura generatur, dum impetuosè currit, in vinum iniecta vinum abhorrere faciunt, vt Valleſ. teſtatur *libello Method. medendi.* Anguillæ duæ, vel tres in vinum coniectæ, ibique perſiſtentes, donec emoriantur, ampliùs bibere non ſinunt, & vini tædium cauſant. Puluis ſimiliter hirundinum combuſtarum cum myrrha in vino potatus, maximè ab ebrietate præſeruat. Puluis pumicis vſti ore aſſumptus ebrietatem impedit. Veruntamen ſi hæc non ſufficiant, verecundia ebrium conuincat; nam ebrius expers rationis cùm ſit, non homo, ſed bellua dici meretur. D

§. IX.

### §. IX.

*Curatio doloris capitis per conſenſum.*

SI dolor capitis per conſenſum fiat, partis mandantis eſt habenda prouidentia;in tantum enim dolor ſuccreſcit,in quantum ab aliqua parte capiti communicatur quod noxam, & dolorem infert; vnde ſi à ventriculo originem ducat, ventriculo remedia ſunt admouenda; idemque intelligendum venit de aliis partibus, ita vt tota curationis ratio conſiſtat in cauſæ ablatione, & temperiei partis reductione,& ipſius corroboratione, vt in cuiuſlibet partis affectæ curatione tibi notum fiet,& ex illius capite deducere poteris, ad illud ergo recurre.

### §. X.

*Curatio hemicraneæ.*

HEmicranea, quæ à noſtris *xaqueca* dicitur, eſt affectio doloroſa circa dimidiam capitis partem, aliquando dexteram, aliquando ſiniſtram contingens,vt docuit Galen. 2. *de compoſit. medic. local. cap.* 3. quæ quia inter dolores capitis annumerari poteſt,& ab eiſdem proficiſcitur cauſis,ideò eius curationem breuiter deſcribimus, quæ à curatione doloris capitis parum diſtat. Solùm annotare oportet, quod ſanguinis detractio ſemper fieri debet ex brachio eidem parti affectæ correſpondenti, partium rectitudine adſeruata, vt inſinuat Hippoc. *lib. de natura humana.*

Præterea topica auxilia parti læſæ ſunt tantummodò imponenda, quin totum caput ſit inungendum; quæ quidem facilè ex ſupradictis deduces ſecundùm ſigna,quæ demonſtrare valent talem affectionem ex hac,vel illa cauſa pendere. Si verò Hemicranea fiat per conſenſum alicuius partis, vt frequenter fieri conſpeximus, ad illam partem dirigi debet totum curantis conſilium, vt iam ſuperius diximus,ita vt reuulſionibus,euacuationibus, & reductione partium ad naturalem temperiem, ſecundum quod poſſibile fuerit, morbum hunc recentem,vel inueteratum auferamus.

### §. XI.

*De aliis auxiliis communibus cuilibet dolori capitis ex cauſa materiali pendenti.*

IAm ſæpe viſum eſt, hæc & alia remedia dolorem capitis non auferre, propter illius habitualem intemperiem, & imbecillitatem, & cauſæ vigorem; quorum ratione maximam caput excrementorum ſarcinam colligit, à quibus ita opprimitur,vt nunquam in priſtinum reducatur ſtatum. Quare cùm ea quæ medicamentis non curantur, ferrum curet; & quæ ferro non curantur, ignis; quæ verò igne non curantur, vt incurabilia relinquantur,vt inſinuauit Hipp. 7. *aphoriſmor.* ad fortiora remedia deuenire cogimur. Si enim dolor continuò affligat, vel per vices aut breuia interualla, ita vt æger non poſſit ſuſtinere, tutiſſimum conſilium erit,& experientiâ comprobatum, fontanellam in brachio aperire; & ſi deficiunt menſes,aut alia euacuatio ſit ſuppreſſa, in crure ſecundùm rectitudinem partis magis affectæ, quo remedio humor deriuatur,& euacuatur. Similiter cauteria in parte affecta, præſertim ſi dolor ſit in partibus exterioribus,maximè prodeſſe ſolent, partem enim corroborant, & confirmant, humoremque abſumunt,redduntque partem ſtrictiorem, ne ite-



A rum humorem recipiat: quod docuit Hippoc. 2. *de morbis*, & Auicen. 4. *parte cantic. textu* 381. De hoc etenim remedio periculum feci in quodam monacho, qui ob maximam capitis debilitatem maximum lachrymarum effluxum patiebatur cum capitis ingentiſſimo dolore; qui cùm variis fuiſſet vſus remediis,præclaroſque Medicos conſuluiſſet,me quoque conſuluit, & adhibitis remediis vniuerſalibus, in brachio magis patientis lateris fontanellam aperire iuſſi, cui nec cedebat malum, & continuis torquebatur doloribus; quare ad cauteriorum remedia perueni, & adhibitis cauteriis in partibus, quibus inerat dolor, & à quibus in oculos lachrymæ irruebant, diuque ſeruatis apertis, vt per eorum oſcula humor exſpiraret, & tandem à docto,& experto Chirurgo curatis, non ſine maxima admiratione ad priſtinam ſanitatem fuit reuerſus. Idem etiam contigit cuidam mulieri hemicranea antiqua laboranti, quæ dictis cauteriis B libera euaſit,quando alia ingentiſſima remedia adhibita non profuiſſe conſpeximus. Quo remedio vſus fuit Claudius Deodatus pro quadam Matrona perenni capitis dolore affecta, vt ipſe ait *lib.* 3. *Panthei Hygiaſtici.* Conferunt etiam ſetones in occipitio iuxta capillorum radices affixi. Profunt præterea veſſicatoria ex cantharidibus, ſinapi, aut piretro puluerizatis in ceræ, aut fermenti cauitatibus retro aures appoſita, aut vnguento baſiliconi admixta, quæ quidem cutem eleuant,& ampullas prorumpere faciunt, ex quibus fluit humor,& capitis dolor ſedari ſolet, quas diu apertas ſeruare oportebit. Sunt etiam amuleta ab aliquibus commendata, vt caput muris ſuſpenſum, corium hupupæ illigatum, ex Rhaſi; idem efficit lapillus albus hirundinis capiti alligatus, aut in manu retentus, vel magnes collo ſuſpenſus,aut gagates,ex C Aëtio; eorum tamen vſum improbo, propter rationes quas ſuo inſinuauimus loco.

## CAPVT VI.

*De phrenitide.*

PHrenitis, vt ex variis Authorum ſcriptis deſumitur, eſt *inflammatio cerebri, & velaminum eius,ab humore billioſo procedens, cum delirio perpetuo,febre acuta continua, & reſpiratione magna, & rara.* Hæc definitio traditur per eſſentiam, cauſam,ſigna,& partis notitiam; eam tamen breuiter, vt ad inſtitutum attinet,examinabimus.

Quantùm ad primam particulam controuertitur, quid inflammationis nomine intelligatur? Quamplurimi intelligunt tumorem præter naturam,ita vt non ſumatur ſolum pro flogoſi,ſeu D ardore; ſed etiam tenent phrenitidi eſſentialiter tumoris rationem conuenire; quod probare intendunt ex Gal. 4. *de cauſis pulſuum,c.* 14. vbi inter phrenitidis ſigna pulſum durum collocat,qui ſequitur neceſſariò inflamationem ſumptam pro tumore, & non ſolùm præſupponit flogoſim,ſeu intemperiem calidam, & ſiccam; ſiquidem in febribus ardentibus huiuſcemodi qualitates in corde reperiuntur, & tamen talis pulſus differentia non inuenitur,quæ ſi ex calore immodico, & ſiccitate ortum haberet,ibi neceſſariò adeſſet. Oritur ergo in phrenitide ex alia cauſa, & cùm nulla ſit præter inflammationem, cui propriè competit pulſus durus,& ſerratus, vt à Galen. oſtenditur 4. *de cauſis pulſuum, c.* 6. ideò videtur dicendum, prærequiri tumorem ad huius affectus eſſentiæ complementum. Idem etiam confirmat ipſe 2. *de cauſis ſympt. cap. vltimo,*

S

*mo*, vbi ſic: *Phrenitis non tantùm à calidis ſuccis ortum habet, ſed phlegmonem in cerebro, & eius inuolucris excitat.* Idem tenent Auic. *cap. de Karabito*, & Gentilis *ſuper eundem locum*, Paulus & Aëtius, & ex recentioribus Vega.

Oppoſita tamen ſententia verior exiſtimatur, quæ aſſerit huius morbi eſſentiam ſufficienter conſtitui per ſolam intemperiem calidam, & ſiccam abſque vllo tumore; quam amplectitur Valleſ. 5. *controu. cap.* 12. & Petrus Garc. *de locis affectis diſput.* 7. *cap.* 1. & alij; quæ fundamentum habet in verbis Gal. 1. *prorrhet. comment.* 1. vbi ait: *Phrenitis ſiquidem exquiſita, & nulli alteri morbo permixta ſit, cùm bilis flaua locum, in quo princeps animæ pars reſidet, prehenderit; lethargus verò cum locum eundem humectauerit, dilueritque pituita.* Quibus conſtat, ſolùm eſſe neceſſarium, vt bilis cerebrum afficiat ad huius morbi conſtitutionem, etiamſi tumor non extollatur: quod hoc ſingulari argumento probat Valleſ. & cum eo Petrus Garc. Quò ſit phrenitis, ſatis eſt eſſe delirium perpetuum cum continua febre; & quò lethargus ſit, eſſe ſomnum profundum cum febre perpetua: ſed hæc adeſſe poſſunt ſine tumore: ergo phrenitis, & lethargus poſſunt eſſe ſine illo atque adeò inflammatio non ſumitur pro tumore. Sicut enim in venis, & extra illas putreſcit humor, ita in cerebro abſque tumore putreſcere poteſt, & ſua intemperie phrenitidem bilis excitare, neque aliquid aliud requiri autumamus.

Ex his ad Galeni rationes reſpondetur, pulſum durum fieri in phrenitide, quando humor putreſcens in cerebro in tanta colligitur quantitate, vt non ſolùm cerebrum diſtemperet, ſed etiam tumorem, ſeu inflammationem efficiat; hoc tamen non requiritur in phrenitidis principio, vbi vera illius eſſentia ſaluatur abſque tumore, qui quidem accidentaliter ſuperuenit.

Ad aliam rationem *ex* 2. *de cauſis ſympt.* reſpondetur, verum eſſe, phlegmonem in cerebro excitari, quando humoris binoſi copia (vt dixi) valet efficere extenſionem, & tumorem; tamen quia ante illum humor putreſcens ſuâ intemperie dicta ſymptomata excitat; ideò inflammatio, ſeu phlegmon non attinet ad huius morbi eſſentiam.

*Phrenitis an ſit inflammatio membranarum tantum.* Dubitatur etiam an phrenitis ſit inflammatio cerebri, vel membranarum eius? In hoc neque omnes conueniunt, ſiquidem Aëtius exiſtimat, quod phrenitis tantummodo eſt membranarum inflammatio, cui aſſentit Paulus, qui in definitione tantùm membranas collocauit. *Dubij ſolutio.* Sed contrarium eſt verum, quod ex Galeno deducitur loco proximè citato, vbi ait, quod phrenitis in cerebro, & eius inuolucris phlegmonem excitat; quod etiam conſonum eſt doctrinæ Auic. *cap. proprio*, & ipſa ratio ſuadet; nam cum ratio, & imaginatio in hoc affectu lædantur, & in cerebri ſubſtantia ex omnium opinione ſedem habeant, neceſſariò cerebri ſubſtantia patitur, alias enim illæſi manerent ſenſus interni; vnde infertur, quod ſi membranæ afficiantur, phrenitis conſurgere non poteſt donec cerebro communicetur affectio quod facilè ob partium propinquitatem, & viciniam trahitur in conſenſum, ita vt affectus vt vnus habeatur.

*Delirium an ſit perpetuum.* Alterum ſymptoma eſt delirium perpetuum, quod neceſſariò euenit, vt conſtat ex Gal. 5. *de locis, cap.* 4. vbi per continuitatem delirij diſtinguit veram phrenitidem à paraphrenitide; quod etiam inſinuauit Aëtius ex Poſſidonij ſententia; circa quod inter Authores nulla eſt diſſenſio, & ex nominis etymologia deducitur; nam φρένας, mentem græcè ſignificat, & delirium alienationem, quaſi diceremus alienationem mentis. Cùm enim in hoc affectu mens neceſſariò patiatur à qualitate nimis actiua, videlicet à calore ſiccitati adiuncto, ab eo delirium ſuccreſcit magis vel minus intenſum, ſecundùm maiorem, vel minorem intenſionem cauſæ calefacientis, & exſiccantis.

*Obiectio.* Neque obſtat ſi dicas, phrenitide laborantes aliquando dormire, & ſæpius vigilare: ſed per ſomnium non delirant: ergo delirium non eſt perpetuum. Quod confirmari poteſt ex Hipp. 3. *epidim. parte* 3. *textu* 45. vbi ſic: *Nullus phreneticorum vehementer inſaniuit, vt in aliis; ſed alia quadam veternoſa in ſomnum delatione capite grauato moriebantur.* Si ergo erant ſomno detenti, dici non poteſt, quod per ſomnum delirabant, neque hoc ex aliquo ſigno deprehendi poteſt, ac per conſequens delirium non eſt perpetuum in phrenitide.

*Reſponſio.* Facilè reſpondetur, quod in phrenitide continuò delirium adeſt, niſi aliqua detur cauſa potentior, quæ illud impediat, & ſomnum conciliet, vt contingere ſolet in phrenitide in cataphoram tendente, vbi ex frigore, & humorum crudorum copia dementes ſoporoſi fiunt, vt conſtat ex loco Hipp. adducto; qui quidem aliquando dormiunt, aliquando vigilant, & delirant ſecundùm cauſæ potentioris dominium.

*In quo diſtinguantur phrenitis, & paraphrenitis.* Per delirium perpetuum diſtinguitur phrenitis à paraphrenitide, quam etiam affectionem capitis per conſenſum alterius partis vocant Medici, præcipuè tamen exſepto tranſverſo originem ducit, vt aſſerit Galenus 5. *de locis, cap.* 4. licèt ab aliis partibus etiam initium ſumat, & in febrium vehementibus acceſſionibus fieri ſolet, ex quibus vapores calidiſſimi eleuantur, qui caput ferientes, paraphrenitidem concitant; tranſacta verò acceſſione cùm febris remittatur, vaporeſque in parua eleuentur quantitate, & cum minori calore, nequaquam delirium excitare valent.

*Valleſ. ſententia.* Valleſ. tamen 4. *controu. cap. vltimo*, videtur huic doctrinæ diſſentire, qui exiſtimat delirium in paraphrenitide ex ſepti tranſuerſi inflammatione eſſe continuum; atque adeò non diſtingui inter ſe huiuſmodi affectus ratione continuitatis delirij: quomodocumque enim (inquit) ſeptum tranſverſum inflammetur, delirium ſtatim ſuboritur, quod probatur ex Galen. *loco proximè citato*, vbi inquit: *Ab aliarum verò partium nulla perpetuum delirium procedit, dempto ſolum ſepto tranſverſo.* Ergo ex Galeni doctrina ſepti tranſverſi inflammatio delirium continuum exagitat.

*Ad Valleſ. reſponſio.* Dicendum tamen nobis eſt, Valleſ. delirium ex ſepto tranſverſo appellare continuum, non quia reuerà tale ſit, ſed quia parum à continuo diſtat: quod etiam inſinuauit Galen. nam poſt verba ſuprà adducta addit: *Cuius* (intellige ſepti tranſverſi) *vitio excitatum delirium parum à continuo diſtat.* Quod ſufficit ad cauſandam diſtinctionem inter vtrumque affectum.

Diſtinguitur etiam phrenitis à paraphrenitide ex ſepto tranſuerſo ratione reſpirationis; nam in phrenitide reperitur reſpiratio magna, & rara; in paraphrenitide parua, & frequens; quæ quidem fit ratione inſtrumenti impediti, nam cùm ſeptum tranſverſum patiatur inflammationem, cuius ratione non poteſt moueri, nec dilatari, ideò pectus extendi non poteſt ad efficiendam reſpirationem magnam, eamque efficit frequentem, & paruam, niſi propter vſus indigentiam aliquando natura magnos apponat conatus, & faciat reſpirationem magnam, & anguſtioſam, vt ibi etiam annotauit Galen.

Sed

*Quare reſpiratio ſit magna, & rara.*

Sed explicare oportet, quam ob cauſam delirantes habent reſpirationem magnam, & raram, & videntur veluti obliuiſci reſpirationis. Hoc dubium mouet, & ſubtiliter diſcutit Petrus Garcia, *de locis affect. diſput.7.cap.*12. ad quem locum lectorem remitto. Breuiter tamen dicimus, reſpirationem magnam, & raram fieri ratione aduertentiæ, per quam natura eſt ita intenta vni actioni, vt ab aliarum concurſu deſiſtere videatur; ſic enim duobus doloribus ſimul infeſtantibus vehementior alterum obſcurat, ex Hippocrat.2. *aphor. textu* 46. cuius rationem tradit Galen. *in comment.* dicens: *Quia vis ſenſibilis tota ad vehementiorem ducitur, & diſtrahitur, ideò remiſſus dolor non percipitur.* Diuus Thomas 1.2.*quæſt.*37.*art*... quærit an dolor auferat facultatem addiſcendi? Et reſpondet affirmatiuè. Nam omnes (inquit) facultates radicantur in anima, & neceſſum eſt, quod quando animæ intentio vehementer trahitur ad operationem vnius potentiæ, diſtrahatur à concurſu circa operationem alterius. Alexand. Aphrodiſ. idem confirmat 1.*ſect. problem. quæſt.*21. vbi inquit, iratos, & amantes, & mœrentes rarò inſpirare, quia in propriis actibus iræ, amoris, & mœroris ita ſunt occupati, vt reſpirationem non aduertant. Cuius euentus hæc ratio reddi poteſt; nam cùm anima noſtra (licèt ſuarum actionum dicatur cauſa vniuerſalis) ſit finitæ, & limitatæ virtutis, non poteſt æqualiter ſimul concurrere ad omnes ſuas actiones (ad hoc enim maiorem perfectionem requirit;) & ſic per aduertentiam animæ circa vnam actionem impeditur illius concurſus circa aliam; quià ad id quod magis vrget, inclinatur, & hoc præcipuè reperitur in actibus intellectus, & ſenſuum, qui voluntati ſubiiciuntur; & in actibus ipſius voluntatis, quorum omnium aduertentia eſt proprius actus: & licèt in actionibus, quæ ad vegetandi munus ſpectant, naturà etiam diſtrahatur, vt deſumitur ex Galen.1. *aphoriſmor.comm.*8. vbi victum tenuiſſimum dare præcipit in morbi vigore, ne ſcilicet diſtrahatur natura à pugna cum cauſa morbifica, & ab alimenti concoctionem ſe conuertat, & ex vna actione alia impediatur; cùm hoc tamen talis actio non meretur dici aduertentia; nam aduertentia idem eſt, quod animo aduertere; quod non datur in actionibus naturalibus. Delirantes igitur in actibus rationis, vel imaginationis, circa aliquod obiectum imaginatum vehementer ſunt detenti, & ab aliis actionibus deſiſtunt, & veluti obliuiſcuntur reſpirationis; poſteaque vrgente vſu illam magnam efficiunt, vt celeritatis, & crebritatis defectum ſuppleant.

*Febris quare fiat in phrenitide.*

Aliud ſymptoma hunc affectum comitatur, nempe febris acuta, & continua, quæ fit ex putreſcentibus humoribus in cerebro, miſſis vaporibus ad cor; ex quibus cor alteratur, & ſuccenditur.

*Quid ſit morbus acutus.*

Hæc febris eſt acuta, vt notat Aëtius; citò enim terminatur, & cum vitæ periculo, quod eſt de ratione morbi magni, & acuti, vt docet Galen.2. *aphoriſmorum comm.* 19. & 3. *de diebus decretoriis, cap.*16. tum quia procedit à bile, à qua frequentiùs morbi acutiſſimi, qui cum febre fiunt, originem ſumunt: tum quia humor bilioſus putreſcens afficit partem principem, cerebrum ſcilicet, illudque maximè moleſtat.

*Phrenitidis cauſa.*

Cauſa phrenitidem procreans eſt bilis: in hoc equidem parum diſconueniunt Authores; nam etſi Galen. 2. *de cauſis ſympt. cap. vltimo,* dixerit phrenitidem ex calidis ſuccis ortum habere, ſub quibus etiam ſanguis comprehenditur; tamen 3. *de locis, cap.*7. ſolius meminit bilis, dum inquit:



A *Hanc ob cauſam phrenitis nonnunquam mitior eſt, cùm videlicet a pallida bile ortum contraxit; interdum vehementior, cum flaua bilis eam pepererit.*

Paulus, & Trallianus ſanguinem eſſe phrenitidis cauſam etiam recenſent. Quibus reſpondetur, quod ſanguis in tantùm phrenitidem cauſat, in quantùm nimis attenuatus, & ſuccenſus in bilis naturam migrat. Quæ ſolutio eſt ad mentem Donati Antonij *cap. de phrenitide.*

*Phrenitidis ſigna.*

Signa quæ præcedere ſolent, deſumuntur ex Galen.5.*de locis, cap.*4.*iam citato,* vt ſi præcedant vigiliæ, aut ſomnus mille imaginibus turbatus, & vociferentur ægri, & ſi fuerint manſueti, cum audacia, & temeritate reſpondeant, interdum cum lotium emittant, matellam ipſam haudquaquam prodere meminerint, aliquando mœſti apparent, & humore in caput irruente ſanguis è naribus ſtillat, floccos auellunt, feſtucas colligunt, vt Galeno contigit, & ipſe refert 4. *de locis, cap.*2. Quod ſi vrinæ albæ, & perſpicuæ appareant, ſignificant humoris raptum ad caput, & delirium. Vlteriùs ſi B linguà arida nimis ſit, & ſcabroſa, & febris ardens infeſtat, hæc omnia phrenitidem futuram denuntiant.

*Diagnoſti., ſigna, & prognoſtica.*

Signa, quæ hunc morbum actu infeſtare oſtendunt, ſunt ea quæ in definitione enarrauimus. Vrina multam ſubſidentiam habens eſt bona, nam à mentis emotione liberat, vt ait Hipp. *lib.*6. *epidim. ſect.*6. Si phrenitides prælanguentibus adueniant, peſſimæ ſunt, ex Gal.1.*prorrhet.* Acutiſſimus, & maximè lethalis cenſetur iſte morbus, vt teſtis eſt Gal.3. *epid. ſect.*3. *comm.* 77. vt cuilibet legenti notum fiet, præſertim quando diebus paribus habet maiores exacerbationes; ſed quia hoc difficile eſt, meritò de eo ſequentem controuerſiam propo- C nimus.

## §. I.

### *Virum exacerbationes in phrenitide diebus paribus euenientes, ſint deteriores aliis, quæ diebus imparibus accidunt.*

NOn eſt extra rem rei propoſitæ cauſam inueſtigare, cùm ſæpe percipiamus, plures phrenitide, & febre ardenti laborantes diebus paribus exacerbari, & maiora incrementa, quàm diebus imparibus habere, tuncque magis timemus futurum euentum, ob leuiora accidentia, quæ diebus paribus miſerrimum affligunt hominem: eſſet tamen extra rem, ſi in hac quæſtione de diebus decretoriis, aut de criſi ad illos ſubſequuta ſermonem inſtituiſſem, cùm ad libros *de diebus decreto-* D *riis, & de criſibus,* pertineat illorum tractatio.

Quod verò morbi acuti, quorum acceſſiones diebus paribus fiunt, ſint magis periculo pleni, quotidie obſeruatum habemus, & ex hiſtoriis antiquorum conſtat. Hippocrat.1. *de morbis popul. ſectione* 3. agens de febribus ardentibus cum delirio, quæ à principio lethales inuadebant cum grauiſſimis accidentibus, ait acceſſiones habuiſſe diebus paribus. Galenus *in comm.* ſubdit: *Acceſſiones cùm diebus paribus fiunt à principio ſtatim, interim ad ſextum diem peſſimum iudicium fore prænunciant; quæ omnia* (inquit) *accidebant phreneticis.* etiam 1.*epid.ſect.*2.*textu* 83. aſſerit: *Plurimi, qui in illa conſtitutione perierunt ægri, ſextò die ſunt defuncti, vt Epaminondas, Silenus, & Philiſcus Antigorti filius.* Neque ob

aliam cauſam ipſe 4. *aphoriſm. text.29.* improbat ſudores diebus paribus accedentes, niſi quia mortem, aut recidiuam, ſeu morbi longitudinem portendunt: & *textu 29.* eiuſdem libri damnat rigorem in febribus ardentibus ſexto die factum; non enim benè decernit, ſed difficilè indicat. Galen. 1. *de diebus decret. cap.2.* agens de die ſexto, inquit, quod illius criſi non eſt tanta fides adhibenda, ſicuti illi, quæ fit die ſeptimo; nam indicat cum difficillimis accidentibus, & periculo non mediocri, imperfectè, obſcurè, ſine notis, & ad malum: & idem ſtatuit *cap.4.eiſdem libri,* & 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 15. Auic. *fen.* 2. *lib.* 4. agens de criſi facta die ſexto, ait: *Si euenerit, eſt mala, & ſi non fuerit mala, eſt difficilis, occulta, non ſalua à timore, & diminuta.* Aëtius *tetrab.2.ſermone* 1. *cap.25.* Vituperat iudicium factum die 6. 8. 10. & 12. neque vllus dixit diem parem benè morbos decernere. Quod ſi virgo Lariſſa, cuius narrat hiſtoriam Hippoc. *3. epid. comm. 3. textu* 83. fuit iudicata die ſexta, & benè, hoc nouum, & rarum exiſtimauit Gal. *in comm.* & ſi ipſa non habuit recidiuam, ideò fuit, quia illi menſtruæ ſuperuenerunt purgationes, quarum ratione fuit à morbo abſolutè liberata.

*Obiectio.* Neque obſtat Hipp. dictum *3. progn. text.* 1. & 2. vbi morbi exactè peracuti terminum ſtatuit quartum diem, vbi ſic: *Febres ſimpliciſſimæ ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citiùs deſinunt; deterrimæ verò, & ſignis peſſimis firmatæ, quarto die, aut citiùs intereunt.* Libro etiam de carnibus, prope finem, vlcera magna in capite & reliquo corpore inflammari quarto die aſſerit: igitur cùm dies quartus inter pares connumeretur, & in eo fiunt motiones magnæ, & optimæ criſes, non eſt dicendum, quod mutationes, & exacerbationes diebus paribus ſunt deteriores; plures enim febres de ſynochorum ſorte vidimus quarto die iudicatas, & benè.

*Ad obiectionem reſponſio.* Hoc, inquam, non obſtat; nam dies quartus eſt, in quo percipitur in morbis exactè peracutis ſenſibilis mutatio, ſi eſt in aſpectu ſextili luna cum morbo, qui aſpectus poſt coniunctionem dicitur primus lunæ ſtatus; in aliis verò diebus paribus, iuxta computationem factam ab Hippoc. nullus interuenit aſpectus lunæ, atque adeò ex vi illius nulla intercedit ſenſibilis mutatio illis diebus; & hoc inſpiciens Hippocrat. 2. *aphoriſmor.textu* 24. quartum diem eſſe ſeptimi indicatiuum commonſtrat, ob mutationem eo die cauſatam: ſed hoc iam longam poſtulabat tractationem. Verùm rogabis, ſi quartus dies iudicat morbos exactè peracutos, quî fieri poteſt, vt Galenus dicat *3. de criſibus, cap.4.* quod ſolum ipſe ſemel vidit morbum quarto die iudicatum; Archigenes verò bis tantùm, cùm pluries morbi exactè peracuti producantur? Reſpondetur iuxta illius doctrinam, quod ſi morbus peracutus exactè fuerit ſynochus, benè die quarto indicatur, quia à principio in finem vnam ſolet habere acceſſionem, vt videmus in febribus variolatis, & morbillis; veruntamen ſi morbus fuerit non ſynochus, ſed febris alterius ſortis, tunc pro ratione motus indicabitur; nam ſi humor acceſſionem faciens nimis velociter moueatur, facit acceſſionem in tertio die; & quia in acceſſionibus plurimùm fit criſis, hinc eſt, vt non expectet quartum diem, quia tertius dies ſurripit criſim. Quod ſi motus non ſit nimis velox, prorogatur criſis vſque ad alteram acceſſionem, quæ accidit die quinto. Ex quibus naſcitur, quod rarò adueniat humorum motio, criſis, ſeu iudicium die quarto. Nam morbi peracuti in plurimum diebus

A imparibus acceſſiones habent; pendent enim ex bile, quæ de tertio in tertium diem repetunt frequenter, ſicque earum repetitio rarò accidit die quarto.

Quod ſi iterum inſurgas ex Hippoc. 1. *epid. ſect.3.textu* 13. vbi ait: *Quæ diebus paribus accedunt, paribus iudicantur; quorum verò imparibus ſunt acceſſiones, imparibus iudicantur.* Et textu ſubſequenti annumerat quartum, ſextum, octauum, decimum, &c. Ergo ſi mutationes morborum inſignes fiunt, & criſes in iis morbis, qui paribus mouentur, eiſdem diebus indicationes optimæ, & laudabiles, & quæ perfectè febrem ſedant, fieri debent, ac per conſequens non debent eſſe difficilis iudicationis morbi, qui paribus exacerbantur.

B Hæc Hippoc. doctrina petit, vt ſtatuamus rationes quibus conſtet, dierum parium deterrimam eſſe conditionem; quibus etſi adſcribamus vim iudicandi, illorum tamen iudicium ſemper fit ſine ſecuritate, & cum timore recidiuæ.

Omittimus in præſenti vim dierum imparium; eſt enim numerus impar validiſſimus, referente Hippoc. 4. *de rat. vict. in morbis acutis, text.56.* neque cauſam intrinſecam, & extrinſecam àquà dies iſti eam vim adquirunt, deducimus, quia non eſt huius loci; ſupponimus tamen, quod circuitus ſeptimani validiſſima virtute ſunt prædıti, ita vt ſeptimus, & decimusquartus, qui inter impares recenſentur, reliquos præcellant; alij verò, vt vndecimus, & decimusſeptimus, &c. aliqua etiam vi pollent, vt oſtendit Gal. *3. de diebus decretoriis, cap.*1. non tamen tanta, vt ſeptenarij, de quorum dignitate plura tradidimus noſtro tractatu de criſibus, & diebus decretoriis. Duplici igitur ratione *Rationes proponuntur quibus deducitur controuerſia.* aſſerimus motiones humorum factas diebus paribus eſſe deterrimas, & iudicium illis diebus eue-C niens eſſe minùs tutum, & grauius quàm aliis diebus. Primam accepimus ex Valleſ. 1. *epidim. ſect.3.* ſuper textum, qui incipit: *Ergo cùm febres ardentes inciperent, &c.* Vbi hunc euentum reducit ad multitudinem; nos addimus, & craſſitiem humoris efficientis morbum acutum, qui humor primo die incipit acceſſionem facere; tamen ob multitudinem, & craſſitiem humoris non poteſt ita ſuccendi, vt illo die ad ſuum ſtatum deueniat, ſicque acerbiſſima pars illius acceſſionis, quæ incepit primo die, accedit vſque ad medium, vel ad finem ſecundi diei, ita vt appareat remiſſa primo die, non quia remiſſa fuerit, ſed quia nondum habuit incrementum vſque ad alium diem: deinde tertio die nouum ſuſcipit incrementum altera acceſſio denuò adueniens, cuius intenſior pars maiorem ſecundi diei partem attingit, & hoc modo reliquæ periodi fiunt, quouſque morbus terminatur.

D Quia ergo acceſſiones ſunt longæ, & vtroque die infeſtant, magiſque exacerbantur diebus paribus, licèt in imparibus initientur, hinc eſt, vt accidentia ſæuiora ſint, diuque durent, & vires magis exſoluant; quibus adiungo, quod non remanet locus offerendi cibum, neque exercendi remedia, quia declinatio, in qua hæc omnia adhiberi debent, parum durat, neque in illa adhuc tempus manet ſufficiens ad cibum capiendum, & alia admouenda remedia; inſtat enim ſubſequens acceſſio, in qua niſi coactè cibum, nec potum, nec alia offerre valemus; & ſic æger nimis ab intenſione, & extenſione acceſſionum offenditur, & ab accidentibus illā comitantibus. At verò in aliis morbis, in quibus acceſſiones diebus imparibus fiunt, & finiuntur, remanent dies pares, in quibus licèt non detur intermiſſio, datur tamen remiſſio febris, imò & ea datur ſæpe in ipſo die acceſſionis; quo fit, vt ſit ſufficiens tempus ad

cibi,

cibi,& potus oblationem, & aliorum remediorum executionem, vireſque reſarciuntur, ita vt ſuperuenientem acceſſionem,imò & criſim minori noxa ferant.

Hoc totum in pluribus ægris obſeruaui, quorum longæ exacerbationes tantam inferebant moleſtiam,vt neutiquam eſſet locus cibationi,ſomno, clyſteribus, & aliis.

Aliam huius euentus cauſam excogitauit Valleſ. deſumptam ex Galeno 3. *de diebus decret.* videlicet quod dies impares, nempe quaterniones,& ſeptenarij, iuuantur ab aſtris, & præcipuè lunæ motum inſequuntur, qui circuitibus ſeptenis finitur; quibus diebus maximè iuuantur facultates naturales, ita vt maiori vi inſurgant aduerſus cauſam morbificam; ſcimus enim criſim etiam habere ortum à radice ſuperna, iuxta Galeni, & aliorum probabiliorem ſententiam. Quia ergo coincidit vis à radice ſuperna cum virtute naturali corporis morbo acuto correpti in diebus imparibus, non mirum ſi adiuta natura diebus imparibus minori cum periculo criſim moliatur.

Ex quibus conſtat veritas quæſtionis, & ratio ob quam phrenitides plures, & aliquæ febres ardentes, quarum paroxyſmi fiunt diebus paribus, ſunt deteriores, & difficiliùs iudicantur.

## §. II.

### *Curatio phrenitidis.*

CVm iſte affectus acutiſſimus ſit,citoque ægrotantem interimat, de eo maxima eſt habenda cura. Quantum igitur ad res non naturales, aër eligatur temperatus, vel ad frigiditatem vergens, aut talis arte paretur fontanellis, & irrigationibus ex aceto, aqua roſarum,aut ſparſis per cubile ſalicis,roſarum, myrti, & pampinorum viridibus foliis,præcipuè æſtatis tempore;nam hyeme aër temperatus eligitur ex Aëtio, qui non ſit valde lucidus, ne picturis variegatus mentem diſtrahat, nec valde tenebroſus, quia rerum cognitionem prohibet,quod conſulit Vega. Aretheus tamen conſiderare iubet, quod ſi in lucida domo reſipiſcant, & nouas imagines fingunt, in tenebricoſo loco conſtituantur; ſi verò non, in lucido loco permaneant, quod vtilius eſſe cenſeo.

Victus ſit refrigerans,& humectans, vt ptiſana hordeacea, cucurbita,& ſcorcioneræ radix ſaccharo condita,lactuca, chicoreum,& portulaca elixa, poma aſſa, oua ſorbilia, ius pulli, & ſi neceſſitas tulerit, ipſa pulli aut gallinæ caro, cum ſucco limonum, granatorum, agreſtæ, vel modico aceto. A vino abſtineant, & aquam bibant hordei, chicorei,aut ſcorcioneræ. In principio tamen victus parſimoniâ, & nutrimento ſubtili ſint contenti. Sed circa hoc poteſt controuerti.

## §. III.

### *An in phrenitidis initio ſit offerendus victus tenuiſſimus.*

RAtio dubitandi eſt nam ea victus ratio eſt in morborum principiis adhibenda, cum qua æger poſſit peruenire ad ſtatum; ſed cum victu tenuiſſimo in principio adhibito ante ſtatum peribit æger: ergo talis victus non eſt offerendus. Maior conſtat, eamque deſumimus ex Galen. 1. *de criſibus,cap.* 3. vbi ait: *Generoſi autem Medici, atque arte Hippocratica digni eſt officium, futurum ſtatum præcognoſcere, cum omnem victus rationem ad ipſum inſpiciens inſtituat.* Minor probatur ex Hippocrat. 1. *aphor. textu* 10. vbi inquit: *Prius verò vberius agendum, vt æger ſufficiat*; ideſt, copioſiùs ab initio cibandus eſt: quod comprobat Galen. 1. *etiam aphor. com.*7. dum aſſerit: *Non licet offerre ſtatim tenuiſſimum victum; nam ſic prius homo morietur, quàm morbus in ſtatu conſiſtat.* Et hoc maximè accidit,quia in tenui victu ægri magis delinqunt,vt docet Hippocrates *text.* 5.*eiuſdem libri.* Si igitur in aliorum morborum principiis vberiori cibo eſt vtendum, quàm in aliis morborum temporibus,liquidò ſtat,idem eſſe obſeruandum in phrenitidis curatione.

*Quid tenendum.* Contraria tamen à nobis ſequenda eſt ſententia,quæ aſſerit, tenuiſſimum victum eſſe offerendum in phrenitide, & alio quouis morbo acuto ex fluxione pendente; eamque docet Auic.*cap.de Karabito*, vbi ait: *Et primò incipe ipſum nutrire ſubtili nutrimento, ita vt ſis contentus oxymelite; deinde poſt hoc, die vno, aut duobus illum permuta ad aquam ſubtiliorem hordei cum oxymelle, deinde ad groſſam.* Idemque probatur ex Hippoc. 1. *de ratione victus, text.*22. vbi agens de pleuritide ait: *Verùm dandæ ſorbitionis quantitas augenda hoc obſeruabitur modo, nempe ſi morbus ſiccior fuerit, non multùm dare oportet.* Vbi in principio pleuritidis, quando morbus ſiccior apparet, & nihil exſpuit æger,minùs cibare iubet; quæ verba transfert Galenus ad phrenitidem in illius textus commentario. Et ratio eſt, nam cùm in phrenitide, pleuritide, & aliis inflammationibus humor feratur verſus partem, in qua fit inflammatio, ex alimenti parſimonia, & illius tenuitate natura auara retinet humores ad partium alimoniam; & quia illis indiget, eos ruere ad partem inflammatam non permittit. Cùm igitur phrenitis fiat per humorum effluxum ad cerebrum,ne fluxio adaugeatur, conſulunt Authores, vt à tenui victu in illius curatione exordiamur.

*Morbus acutus duplex.* Ad authoritates in contrarium reſpondetur, quod duplex eſt morbus acutus,in ordine ad quem victus tenuis inſtituitur; alter eſt poſtemoſus, ſeu ex inflammatione pendens, vt inquit Gentilis, & partis determinatæ, vt phrenitis, pleuritis, & peripneumonia; alius verò non poſtemoſus, & non determinatæ partis, vt febris ardens, febris maligna, & peſtilens, & alij, qui ex humorum vniuerſali putredine, & non ex parte determinata oriuntur. Quando ergo Hippoc.& alij victum inſtituunt ab initio vberiorem,deinde tenuiorem,intelligi debent de morbis non pendentibus ab inflammatione partis determinatæ, vt ſunt febres ex humorum vniuerſali putredine procedentes, in quibus victum vberiorem in principio offerimus, deinde tenuiorem, & in ſtatu tenuiſſimum exactè. Sed quia phrenitis eſt inflammatio cerebri, vt dictum eſt, ideò tenuiſſimum victum in principio adhibere conuenit,quem offerant amici, & familiares, ægrumque amicè hortentur, vt cum eis delectetur; & ſi non ſufficiat,illum obiurgent, qui ſi quietus non manſerit, blandè eſt ligandus. Somnus procuretur quoad fieri poteſt,qui delirium ſolet ſedare,ex Hipp. 2. *aphor. textu* 2.

*Sanguinis miſſio.* His ſic debitè inſtitutis,communis cura eſt ſanguinis miſſio, vt inquit Auic. venaque ſtatim ab initio ſcindenda, vt præcipit Galen. 13. *Methodi, cap.*21. quæ quidem media eſſe debet, vt docet Aëtius,dummodò non ſit cruditas, aut repletio in prima corporis regione, quam prius euacuare licet adhibito clyſtere ex decocto emollienti, & refrige

refrigeranti hordei, violarum, maluarum, lactucæ, mercurialis, cum oleis violarum, & roſarum, & pulpa caſſiæ, vel diacatholici, vel per os aſſumat ſyr. Princip. aut Regiũ, cum decocto pugini. Conuenit etiam ſanguinem mittere ex cephalica, factâ prius euacuatione ex communi vena; citius enim ſic capitis humores euacuantur; ſanguinem tamen cum cautela detrahere debemus, propter accidentia quæ conſequuntur; vigiliæ enim, motus inordinati, aut ſudores vires proſternunt, vt docet Auic. Itaque non tantùm mittere oportet, quantùm exigit morbus; ſed aliquid accidentibus eſt relinquendum, vt nos monet Galenus 1. *de arte curat. ad Glauc. c.* 13.

*Nota circa ſanguinem mittendum.*

Præterea cucurbitarum vſus ſine ſcarificatione, & cum illa, eſt valdè vtilis: item & frictiones crurum, & vincula.

Poſt hæc ſanguinem ex naſi, vel frontis vena extrahere iubent Authores.

*Oxyrrhodina cui parti applicentur.*

Vlteriùs oxyrrodinum maximè à Galeno commendatur *loco proximè citato*, quod deraſo capite ſuturæ coronali apponi debet, quod conficitur ex oleo roſarum, & modico aceto, ex Galen. 2. *de compoſit. medicam. ſecundùm locos, cap.* 1. vt ℞. olei roſarum ℥. iiij. aceti roſarum ℥. j. miſce: quod æſtate frigidum, & hyeme tepidum adhiberi iuſſit Aëtius, cui addere poſſumus aquam roſarum, & plantag. cum puluere ſantali rubri: oxyrrhodina tamen permutentur antequam panni nimis incaleſcant, aut exſiccētur, quibus repellitur humor, illius aſcenſus impeditur, & qualitates attemperantur.

*Embrocationes, & vnguenta.*

Sed quia hæc fortaſsè non ſufficient, ad valentiora deueniendum eſt: fiant ergo embrocationes ex oleo roſarum, violarum, & papaueris, cum aceti exigua portione, aut cum eiſdem; ſic paretur vnguentum. ℞. olei roſarum, violarum, & papaueris ana ℥. j. opij. ℈. ij. ſantali rubri pulueriz. ʒ. j. vnguenti roſarum ℥. ß. ceræ quod ſufficiat, vt fiat vnguentum, quo ſutura coronalis, tempora, & nares inungantur. Idem facit vnguentum populeon.

*Confert etiam irrigatio capitis ex lacte.*

Verumtamen ſi his delirium non ſedatur, neque vigilia aufertur, caput irrigabimus decocto ex alto cadenti, capitum papaueris albi, radicis iuſchiami, ſeminis lactucæ, florum violarum, roſarum, & camemali, addito aceto roſarum, vt citiùs penetret. Confert etiam aſſumere ſyrup. papaueris cum ſyrup. violarum, & aquis portulacæ aut hordei, vel hunc ſyrupum. ℞. philonij perſici ʒ. j. ſyrupi violarum ℥. j. papaueris ℥. ß. aquæ portulacæ ℥. iiij. miſce; ea tamen omnia cautè admoueantur, ne ſomno inexcitablli pereat æger. Sic enim delirium compeſcimus, & ſomnum conciliamus, qui delirium ſedat, & virtutem reparat naturalem, & ſenſitiuam, in quem finem fuit ordinatus à natura, vt docet Ariſt. *lib. de ſomno, & vigilia.*

Si verò vigiliæ non multùm infeſtant, morbúſque properat ad ſtatum, reſolutionis gratiâ aliquid camemali oxyrrhodino admiſcebis, præcipuè ſi ex refrigerantium vſu in ſomnum profundum æger dilabatur, cui etiam admiſcere poſſumus caſtorei parum; vel in oleo camemali incoquimus ſerpillum, aut maioranam, quibus inungitur caput. Eiſdem etiam vtimur morbo eunte in declinationem, in qua etiam confert pulmo arietis recenter occiſi, vt ſuo naturali calore humorem impactum in capite abſumat, vel paruus canis, vel pullus columbinus per ſpinam ſciſſus, & duarum horarum ſpatio capiti impoſitus, qui denuò bis, aut ter reponatur.

Interim dum hæc fiunt, manè, & veſperè vtatur ſyrupis refrigerantibus, vt ſyrupo roſarum, violarum, borraginis, oxalidis, acetoſo, & ſimilibus, quibus corpus ad expurgationem paratur cum aquis intybi, bugloſſæ, oxalidis, & ſcorcioneræ, ex quibus potiones longæ fieri poſſunt, vt magis refrigerent. Sed quia aliqua ſupercreſcunt accidentia, eis ante purgationem ſuccurrendum eſt.

*Quo modo aliis accidentibus occurrendum.*

Subſequuntur hunc morbum fæcum, & vrinæ retentiones, quibus ſtatim ſubueniendum; mente enim diſtracti ægrotantes excrementa non deponunt, & præ multitudine partes huic muneri dicatæ tenduntur, & inflammantur, aut in tumorem attolluntur. Vrinam igitur excitabis his, quæ emolliendi, laxandi, ac calefaciendi vires habent, vt ſunt oleum ſcorpionum, amygad. amararum, lumbric. & ſeſaminum, & cuniculi adeps, veſſicamque manibus comprimes, quæ ſi nihil proſint, eos ad meiendum prouocabis iunco viridi, cathetere, aut haſtula petroſelini per penem immiſſis.

Ventrem præterea excitabis ſuppoſitoriis acrioribus, quæ conficiuntur ex ſale gemma, puluere colocyntidis, aut hieræ logodionis, aut clyſteribus fortibus.

Sedata cerebri inflammatione, & humore cocto, morboque mitiori reddito, & cohibitis accidentibus, purgetur æger rhabarb. diluto in aqua chicorei, cum ſyr. perſico ſolutiuo, & diacathol. vel ſic: ℞. rhabarb. ℈. iiij. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥. ij. decocti magiſtr. foliorum ſennæ, & trium florum cord. & adde ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. pro potu.

*Paraphrenitidis curatio.*

Paraphrenitis ſiue fiat per conſenſum venarum, vt in febre ardenti, aut per conſenſum alicuius partis, ſepti tranſverſi ſcilicet, aut oris ventriculi, curatur habitâ ratione morbi à quo dependet, hac adhibitâ diligentiâ, vt capiti etiam prouideamus, ne illud, quod ab alio dependet, fiat in capite propria affectio, quam curabimus iis auxiliis, quæ in curatione phrenitidis annotauimus.

## §. IV.

### *Obſeruatio pro quodam phrenitide affecto ſiti oppreſſo.*

Vt ſciamus quantam vim poſſideat profugandi phrenitidem, & febres ardentes refrigerandi vſus, dicam quod mihi contigit circa ægrum phrenitide correptum, in cuius domo erat puteus profundus, cuius aqua erat intenſè frigida, erat enim æſtiualis conſtitutio: hic igitur maxima ſiti oppreſſus ſitim ſedare cupiens, precibus mouere cupiebat animos adſtantium, vt ei aquam offerrent, ſed vanæ erant illius preces, qui putei recordatus, adſtantibus dixit, ſinite me quieſcere, nam mihi videor ad ſomnum inclinari; illi verò eo relicto, abierunt: tuncque æger lento motu è lecto reſurgens, ita vt à nemine videretur, in puteum viam ſuam deſtinauit, & in puteum deſcendens, amplè bibit, extinxit ſitim, & temperatus fuit, tacebat tamen in puteo reconditus. Ecce ego perueni ad eum videndum, & cubiculum intrans, eum non inueni; familiares vocaui, nullus tamen de eo reddebat rationem, donec ipſe de puteo loquens dixit, adſum in puteo, vbi remedium inueni: quod à vobis fuit petitum, noluiſtis mihi offerre; afferte funem, vt exire poſſim: & adhibito fune exiens è puteo frigidus indumentis fuit coopertus, & ſuperueniente ſudore copioſo immunis fuit à febre, & à phrenitide. Hanc hiſtoriam enarrare volui, vt cognoſcamus vtilitatem, quæ ex potu frigido adnaſcitur in febribribus ardentiſſimis, præſertim quando iam ſigna

coctio-

coctionis in vrinis apparent, & vires valentes ſunt; tūc enim audacter frigidā dare præcipit Gal. *lib.* 11. *method. c.* 9. Imò etiamſi humores non ſint cocti, vt ſitis moleſta extinguatur, iubet Galenus aquam dare. *lib.* 7. *meth. c.* 6. vbi ait: *Verùm ſi ſitibundi fuerint, prohibere eos in totum, vt graue eſt, ita neque expediens, ſed tantillum indulgendum, quod & moleſtiam ſoletur, & ſitim leuet.* Solet enim accidens ad ſe arripere Medici conſilium, ita vt magis vexet, quàm morbus; tuncque ei eſt ſubueniendum, vt clarè oſtendit Gal. *lib.* 12. *methodi, c.* 1.

## CAPVT VII.

### *De lethargo.*

ORdo ipſe expoſtulat, vt poſtquam actum eſt de phrenitide, ad lethargi eſſentiam, & curationem ſe transferat noſter ſermo; eſt enim lethargus paſſio phrenitidi contraria, vt inſinuat Galenus 13. *methodi, cap.* 21. ſub eodem enim genere continentur, & ſub illo maximè diſtant, quæ eſt contrariorum lex, vt docet Ariſt. *in categoria de Quantitate.* Quia ergo ſub inflammatione vterque affectus continetur tanquam ſub genere, ideò immediatè de vno poſt alium inſtituitur ſermo; ad cuius intelligentiam à definitione illius initium ſumam, quæ ex his, quæ lethargo competunt, deſumitur, quæ talis eſt: *Lethargus eſt inflammatio cerebri, aut velaminum eius, cum febre continua, & ſomno profundo, ab humore pituitoſo originem ducens.* In qua definitione dicitur, quod ſit *inflammatio*, in qua tanquam in genere, conuenit cum phrenitide, quæ non ſumitur pro vero tumore, ſed pro phlogoſi, vt capite antecedenti dictum eſt, cuius doctrina hic accommodari poteſt: in reliquis differt à phrenitide, in cauſa ſcilicet, & accidentibus; nam vnius cauſa eſt bilis, alterius verò pituita; in vno reperitur vigilia immodica, in alio ſomnus profundus, quæ ſunt accidentia è directo oppoſita: & quemadmodum in phrenitide putreſcit bilis, ex qua exordium ſumit inflammatio cerebri; ita in lethargo pituita exiſtens in cerebro putredinem contrahit, quæ phlogoſin excitat, & febrem gignit continuam. Sed quia Authores diſconueniunt in aſſignanda lethargi eſſentia, dubium ideò ſequens proponitur.

*Definitio lethargi.*

### §. I.

### *Num lethargi eſſentia conſiſtat in intemperie calida.*

*Probatur lethargum eſſe paſſionem frigidam.*

ALiqui probare intendunt, lethargum eſſe affectum cerebri frigidum, ab humore pituitoſo inductum; & hoc probare autumant ex Gal. 3. *de locis affectis, cap.* 5. vbi ait: *Pereunt autem hæc ambo in lethargicis, ſoporoſiſque affectionibus; atque paſſionem ipſarum opus eſt vnam eſſe genere: ſecundum quidem primum genus, intemperiem; ſecundum verò alterum, frigidam intemperiem quidem eſſe.* Et 2. *aphoriſ. comm.* 3. ait: *Somnum fieri refrigerato cerebro; ſi autem adiungatur humiditas, lethargicas parit affectiones.* Ex quibus claret, quod lethargus eſt frigida, & humida intemperies. Idem probatur ex Auic. *fen.* 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 4. vbi inquit: *Apoſtema, à quo prouenit ſoda, quandoque eſt frigidum, & appellatur lethargia.* Et A *cap. de lethargo*, aſſerit: *Eſt apoſtema frigidum, cuius interpretatio eſt obliuio.* Quæ doctrina etiam rationibus ſuadetur. Primò, nam vnum quodque curatur ſuo contrario: ſed lethargus curatur remediis calidis: ergo in frigore conſiſtit illius natura. Secundò quia phrenitis, & lethargus ſunt contraria: ſed phrenitidis eſſentia in calore, & ſiccitate ſita eſt: ergo lethargi eſſentia conſtitui debet per frigidam, & humidam intemperiem, tanquam per contraria.

Tertiò, & vltimò, nam ſymptomata pathognomonica ſequuntur morbi eſſentiam: ſed immobilitas, ſegnities, torpor actionum, quæ reperiuntur in lethargo, frigiditatem inſequuntur, ex Galen. 13. *method. cap.* 21. toties repetito: ergò morbi huius eſſentia in intemperie frigida potius, quàm calida conſiſtit.

*Concluſio vera.*

Oppoſita tamen ſententia verior exiſtimatur, eamque mirificè probat Petrus Garc. *de locis affectis diſput.* 9. *cap.* 1. quam ſic probat. In lethargo eſt febris continua ex pituitæ putredine exiſtentis B in cerebro: ergo habet calorem excedentem ſupra frigus: ergo calefacit cerebrum, & non refrigerat. Vlteriùs efficaciter probatur. Quod eſt potens calefacere partem à ſe remotam, potentiùs calefaciet partem ſibi proximam: ſed calor pituitæ putreſcentis in cerebro eſt potens calefacere cor, & febrem in illo ſuccendere: ergo potentior erit ad calefaciendum cerebrum ſibi proximum. Si igitur pituita putrefacta habet tantum calorem, vt cor calefaciat, & hæc putreſcit in cerebro, neceſſariò dicendum eſt, huiuſmodi cerebri affectionem calidam eſſe.

*Contrariorum reſponſio.*

Huic rationi ipſi aduerſarij reſpondent, quod in cerebro non putreſiunt omnes pituitæ partes, ſed aliquæ remanent frigidæ, à quibus excitatur ſomnus, & alia accidentia, quæ in cauſam frigidam re- C feruntur.

*Reſponſionis illorum debilitas oſtenditur.*

Horum tamen reſponſio eſt inefficax; nam partes frigidæ, cùm ſint intra ſphæram actiuitatis partium calidarum, quæ quantitate ſuperant frigidas, ſuam frigiditatem amittunt ratione caloris excedentis partium calidarum; nam ſi ille calor mediis fuliginibus cordi communicatur, & febrem accendit, poterit etiam cerebri, & pituitæ frigiditatem euincere, quia proximior eſt.

Tandem ſupponamus, quod pituita in cerebro ſecundùm omnes partes putreſit, & incaleſcit; tunc equidem aliquem affectum generabit: ſed non poteſt eſſe alius, niſi lethargus: ergo ad eius conſtitutionem requiritur calor prædominans in cerebro, cui adiungitur propria pituitæ humiditas; in quibus duabus qualitatibus eius collocatur eſſentia.

*Ad authoritates & rationes in oppoſitum reſpondetur.*

Ex his ad authoritates, & rationes in oppoſitum reſpondetur. Ad primam Galeni authoritatem D dicimus, per lethargum intelligere ſoporatas alias affectiones, quæ etiam ex humore non putrido procedere poſſunt.

Ad aliam *ex* 2. *aphor.* reſpondetur, per lethargum intellexiſſe ſomnum profundum, & excedentem, de quo loquutus fuit Hipp. illo textu, dum dicit: *Somnus, atque vigilia vtraque, ſi modum exceſſerit, malum.* Et hoc modo veniunt interpretanda alia teſtimonia, quæ circa hoc afferri poſſunt.

Ad primam rationem reſpondetur, quod remedia adhibentur in hoc morbo calida, & ſicca, ſumpta indicatione à cauſa; quæ quia eſt pituita craſſa, indiget attenuantibus, quæ calefactoria vi ſunt prædita; & quia cauſa eſt humida, vtimur remediis ſiccis, quod eſt Galeni doctrinæ conſonum

loco ſuprà citato, *ex 13. methodi.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod phrenitis, & lethargus ſunt paſſiones contrariæ ratione humiditatis,& ſiccitatis, quibus contrariantur, & reſpectu cauſarum,à quibus dimanant, quæ qualitatibus naturaliter opponuntur. Contrariantur etiam in accidentibus, quia in vno eſt ſomnus, & in alio vigilia.

Ad tertium reſpondetur, ſomnum lethargi, actionum torporem & ſegnitiem produci ab humiditate cum humoris conſortio, vt inquit Galenus 1. *de cauſis ſymptom.cap.vlt.* vbi ait: *Somnum affert frigiditas, & humiditas, vel alterutra, vel ambæ ſimul.* Et 3. *de locis, cap.5.* ait: *Quoad vigilias, ſoporeſque per morbos pertinet,calida, frigidaque intemperies primam ſibi vendicat facultatem; altera verò ab hac,quæ ad ariditatem, humiditatemque pertinet,& refertur; nam balneæ,eo quod caput madefaciunt, ſoporiferæ ſunt, &c.* Vbi docet Galenus, quod humida intemperies ſoporem, & reliqua producit lethargi accidentia; idque clariùs conſtat *ex 1.prorrhetic.comm.1.* vbi ait: *Lethargus fit, cùm cerebrum humectauerit pituita,quæ ſuâ putredine calorem excitat,& inſurgit febris.* Quod ipſe etiam teſtatur 13. *method.c.21.* per hæc verba: *Quod ſi aliquando humor putreſcat, vtique cum febre incidunt ea genera, vocaturque morbus græcè lethargus.* Sed eſt inter Authores diſſentio, quæ ſic proponitur.

## §. II.

### *An delirium ſit ſymptoma proprium lethargi.*

*Pars affirmatiua probatur.* Aliqui cenſent, nequaquam dari lethargum abſque delirio perpetuo; inter quos Petrus Garc. *de locis affectis diſput.9.c.4.* Ludouic.Merc. *de morborum internorum curatione,cap.12.* vbi aſſerit, impoſſibile eſſe reperiri lethargum ſine delirio. Duretus apud Holer. *de morbis internis*, definit lethargum dicens: *Lethargus eſt delirium intermiſſionis expers.* Quod etiam probatur ex Paulo *lib.3. capite 6.* qui inquit: *Lethargici ſunt obliuioſi, & mente capti.* Et ratione probat Petrus Garcia; nam per lethargum viget calor in cerebro,licèt non ita intenſe ſicut reperitur in phrenitide: ſed in phrenitide adeſt delirium perpetuum ratione caloris cerebri: ergo ob eandem rationem debet adeſſe in lethargo; nam calor licèt non ſit ita intenſus in lethargo ſicut in phrenitide, etſi non efficiat delirium ita intenſum, efficiet tamen illud remiſſum ſecundùm cauſæ actiuitatem. Cùm ergo per totum lethargi decurſum cerebrum ſit inflammatum, & delirij cauſa præſens ſemper aſſiſtat,præſens etiam remanebit delirium.

*Mercati opinio.* Ludouicus Mercatus alio modo intentum probat, qui exiſtimat in lethargo delirium non inſurgere ratione caloris, ſed per conſenſum, & defectum ſpecierum memoriæ. Verba eius ſunt hæc: *Quo fit, vt neceſſariò delirent, & errent ratio, & imaginandi potentia; non quidem ratione propriæ corruptionis (quia cauſa mali calida ſufficienter non eſt) cui proprium exiſtit has potentias euertere, & vitiare, quod neceſſum erat ad veram delirij rationem; ſed per conſenſum,& defectu ſpecierum memoriæ, quibus reliquæ potentiæ habent opus ad proferendum rectum de rebus diſcurſum.* Quibus verbis conſtat,non fieri delirium ratione caloris; quia inquit, ſufficiens non eſt, ſed quia à memoria in reliquas potentias ſpecies non deriuantur: vnde

A infertur, quod tale delirium non eſt per propriam paſſionem aliarum potentiarum, ſed per conſenſum ex ſpecierum defectu.

Neque euertis eorum fundamentum ſi dicas, quod per ſomnum non delirat æger,& conſequenter non eſt delirium perpetuum. Facilè enim reſpondetur,per ſomnum non ceſſare actum potentiæ rectricis, quin potiùs elicitur cum deprauatione; at ſufficit, quod ibi ſit ſufficiens diſpoſitio ad delirium, ſi non impediatur ab aliqua cauſa potentiori, nempe à cauſa ſomnum inducente, vt diximus *cap. de phrenitide.*

*Verior ſententia.* Sed quamuis hæc doctrina poſſet ſuſtineri,contraria verior exiſtimatur,quæ rationibus,& authoritatibus ſtabilitur, quæ ex Galeno conſtat 2. *de cauſis ſympt.cap. vltimo*, vbi ſic: *Iam deliria omnia, tum praui motus regentis facultatis ſunt, vel vitioſis contracta ſuccis, vel eorum,quæ ſunt in cerebro,intemperie. Nominantur autem ex his,quæ quidem* B *cum febre ſunt, phrenitides; quæ ſine febre, inſaniæ, græcè maniæ.* Si igitur deliria cum febre phrenitides vocantur, lethargus erit ſine illa. Hoc etiam comprobatur ex eodem Galen. *eodem capite*, vbi ait: *Ac reliqua quidem deliria ex mordentibus,& calidis oriuntur ſuccis, qualis maximè flaua bilis eſt: ſola verò,quæ melancholica vocantur,frigidum ſuccum pro cauſa habent.* Quo nihil clariùs; nam ſi melancholica deliria ſolummodò ab humore frigido excitantur,ſequitur quod nullum delirium à pituita excitari poſſit. Præterea idem confirmatur ex Galeno *de differentiis ſympt.cap.3.* & 13. *methodi, cap. 21.* vbi adducens ſigna pathognomonica lethargi, poſuit tantum ſomnum profundum, immobilitatem, & inſenſibilitatem cum febre, nullamque fecit mentionem delirij; quod non prætermiſiſſet Galenus, ſi eſſet huius C morbi inſeparabile ſignum.

Et hac ratione ſuadetur; nam ſecundùm probabiliorem opinionem, & vt experientiâ comprobatur, remiſſior calor reperitur in cerebro,dum lethargo afficitur,quàm in leui remiſſione febris ardentis, aut tertianæ continuæ: ſed in remiſſione febris ardentis non datur delirium: ergo neque in lethargo. Maior eſt certa; nam omnes fatentur, quod lethargicorum febris eſt lenta, & remiſſa,vt aſſerunt Aëtius, & Auicen. *propriis capitibus*: at febris ardens leues patitur remiſſiones, in quibus vegetior eſt calor, quàm in febre lenta,vt conſtat ex ſiti,vigilia,cerebri ardore, & ſiccitate. Minor probatione non indiget; nam licèt in acceſſionibus febris ardentis detur delirium per conſenſum, facilè aufertur ex leui febris remiſſione.

Præterea probatur; nam plures febribus ardentiſſimis corripiuntur,& tamen non delirant,etiamſi cerebrum calidius exiſtat,quàm in lethargo: ergo non quilibet calor eſt ſufficiens ad inducendum D delirium, ſed requiritur intenſiſſimus,qualis reperitur in inflammatione bilioſa cerebri, quæ phrenitidem conſtituit.

Ad argumenta ergo reſpondetur, & ad Duretum dicimus, quod aliquando datur in lethargicis delirium; quod tamen non eſt proprium accidens illorum,ſed eſt aliquod accidens ſuperueniens,ſicut ſomnum phreneticis euenire ſcimus. Quapropter non benè definiuit lethargum per delirium intermiſſionis expers, cùm multoties reperiatur ſine delirio.

Ad fundamentum Petri Garc. reſpondetur, in pituita putreſcente adeſſe calorem remiſſum, à quo delirium non poteſt excitari; nam intenſior requiritur ad illud,& hanc ob cauſam Mercatus ad aliud principium reduxit delirium.

Ad

Ad rationem Mercati reſpondetur, quod ſi defectus ſpecierum in lethargicis inuenitur, qui ſit cauſa delirij, talis defectus non erit cauſa efficiens, ſed deficiens, ac per conſequens non valebit efficere actionem deprauatam, ſed potiùs diminutam ex defectu principij.

Ex his infertur, quod ſi delirium inſurgat in hoc affectu, illi non competit vt proprium ſymptoma, ſed accidentaliter illi ſuperuenit, aut ex permiſtione alterius humoris; quo caſu non erit lethargus legitimus.

*Duplex lethargus.* Dupliciter lethargus gignitur, vel per propriam paſſionem, vt dictum eſt, vel per conſenſum alterius patris, communicatis vaporibus calidis, & humidis ad cerebrum, quibus cerebrum obſtruitur, & ſomnus conciliatur profundus; qui quidem patitur intermiſſiones ſecundùm remiſſionem febrium, quæ ipſos vapores eleuare ſolent.

*Signa lethargi.* Comitantur hunc affectum ſigna, quæ adduximus in eius definitione, vt ſunt febris lenta, ſomnus profundus, & magna obliuio, à qua nomen deſumpſit lethargus; nam dicitur à *lectos*, quod eſt obliuio; & *largos*, quod eſt mens, quaſi mentis obliuio. Adeſt etiam pulſus magnus, & vndoſus, ob arteriæ mollitiem, quæ facilè dilatatur. Interrogati ægrè reſpondent; ſemel reſpondentes, in medio ab ipſa actione deſiſtunt; petunt matulam ad meiendum, & manu eam tenentes, præ obliuione eam reddere non tentant; expergefacti verba ſine ordine, & quaſi delirantes proferunt, ſed illicò ad ſomnum reuertuntur; oſcitant frequenter, & hiantes quaſi obliti, ore adaperto perſiſtunt: vrinam reddunt albam vrinæ iumentorum non abſimilem, ſupinè iacere ſolent, & facilè in pedes dilabuntur; dum dormiunt, ſtertunt, quia arctiſſimo ſomno corripiuntur; linguam habent albicantem, neque multa ſiti premuntur. Quandoque præcedit phrenitis diſſoluto tenui humore, & immodicè cerebro perfrigerato; quãdoque nullus ſequitur morbus, ſed humore in cerebro firmato, aut ab aliis partibus tranſmiſſo, producitur; quibus ſignis facilè dignoſcitur iſte morbus.

*Præſagium.* Quæ omnia ſimiliter iuuant ad morbi prædictionem; nam ſi ſomnus ſit inexcitabilis, ita vt ægre, aut nunquam reſpondeant, & lotium coctionem non admittat, & lingua intumeſcat, difficileque moueatur, eiſque ſuperueniat tremor, & ſudor extremitatum, aut totius corporis, qui morbum non remittit, & inferior mandibula relaxetur; hæc omnia mortem potiùs quàm ſalutem prædicant; ſi verò ex his aliqua deficiant, & alia remittantur, ſpes ſalutis habenda eſt.

## §. III.

### *Curatio lethargi.*

IN primis victum calidum, & ſiccum, aut in colore moderatum inſtituere debemus; cibentur itaque aquâ mulſâ, aut iure pulli, ouis ſorbilibus, borraginibus decoctis, quæ ſale, aceto, oleo, & ſaccharo condiantur. Si verò craſſiora expoſtulent alimenta, caro pulli, paſſerculorum, & turturum conuenit; ſimiliter capparis, & aſparagi; quæ omnia cum aromatibus, pipere ſcilicet, cariophylis, & croco confici debent. Potus ſit aqua mulſa, aut cinnamomi, aut parum vini albi benè aqua diluti. Aer ad calidum declinet, qui parari poteſt pulegio, aut thymo in cubiculum ſparſis, aut ſuffitu rerum calidarum, vel accenſis lignis iuniperi, thymi, vel roris marini. Sit aer lucidus, ſplendens, & minimè nebuloſus, vt ſuo ſplendore æger ad vigilandum prouocetur. Ventrem lenem habeat, aut vtatur hoc clyſtere. ℞. decocti ſaluiæ, lauendulæ, hyſſopi, pulegij, ſtœcados, maluarum, ℔. j. hieræ logodionis ℥. j. ſalis gemmæ ʒ. j. olei lilij albi, & camemali ana ʒ. j. ß. miſce pro clyſtere. Vel vtatur ſuppoſitorio ex melle toſto, & puluere agarici, vel hieræ.

Si à principio lethargus inuadat, ita vt vires ſanguinis miſſionem permittant, ſtatim eſt extrahendus ex vena communi, exiſtente plenitudine; ſi verò deficiat, ex humeraria, & hoc bis, vel ter faciendum, pro virium ratione, & morbi vehementia. *Sanguinis miſſio.* Prodeſt etiam maximè ſanguinem extrahere ex vena, quæ in carpo manus eſt, non ſolùm in hoc affectu, ſed in omnibus capitis affectionibus. Hoc remedij genus ſi nullum ſit prohibens, ſtatim eſſe exercendum commendat Galenus 13. *method. citato*, & Auicen. in curatione lethargi; neque alio remedio ita ſecurè poſſumus cauſam demere.

Si verò phrenitis, vel quivis alius morbus lethargum præceſſit, & iam ſufficienter ſanguis eſt euacuatus, ad cucurbitarum vſus te conuertes, quæ ſcapulis adhibeantur cum fortificatione, & ſine illa; deinde raſo capite, ſuturæ coronali admoueatur oxyrrhodinum ex oleo roſarum, camemali, & aceto, vt ℞. olei roſarum ℥. iij. camemali & aceti roſarum ana ℥. j. quo humor repellitur in principio, & aliquantulum reſoluitur. Deinde ad magis reſoluentia deueniendum eſt; quia humor craſſus, qualis eſt pituita, attenuantibus, & reſoluentibus indiget; & quantùm detrahimus de repellentibus, tantùm addimus de reſoluentibus, & in ſcindentibus, & ſic olei camemali quantitatem adaugere oportet, vt ℞. olei camem. ℥. iij. olei roſarum ℥. j. aceti roſarum ℥. j. miſce. Morbo verò ad ſtatum properante, fortiora reſoluentia adhibebis, vt ℞. olei camem. in quo ſerpillum, aut piretrum ſit incoctum, ℥. iiij. aceti ℥. j. miſce. Aut ℞. olei nardini, & irini ana ℥. ij. aceti ſchillitici ℥. ß. caſtorei, & euphorbij ana ℈. ß. miſce. Eundem vſum præſtat vnguentum, quod ex eiſdem oleis paratur, vt ℞. olei ruthæ, camemali, nardini, roſarum, ana ℥. j. vnguenti marciat. & Aragon. ana ℥. ß. pulu. euphorbij, & piretri, ſingul. ʒ. j. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum, quo caput inungatur, præcipuè ſuprà ſuturam coronalem, & non in occipite, vt vult Ioannes Paſchalis *cap. de lethargo.* Hæc quidem remedia fortiora in morbi vigore, & declinatione magis ex vſu ſunt, quæ non indiſtinctè ſunt accommodanda.

*Humorum præparatio & expurgatio.* Interea pituita eſt extenuanda ſyrupis de ſtœcados, rhodomelle, hydromelle, capill. ven. de duabus radicibus, & cetoſo, cum decocto fœniculi, caſſiæ ligneæ, origani, calamenti, & aliorum: deinde purganda pillulis aut potionibus huic vſui proficuis, præcipuè hac potione. ℞. rhabarb. & agarici trochiſc. ana ʒ. ß. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in decocto florum ſtœcados, borrag. & foliorum ſennæ, & adde elect. Indi ʒ. iij. ſyrup. perſici ſolut. ℥. iij. miſce. Vel ℞. electuar. diaphœnic. ʒ. vj. ſyr. ſennati ℥. iij. & cum decocto pugini fiat potus. Aut in pillularum forma, vt ℞. maſſæ pillularum cochiarum, & aggregat ana ℈. ij. cum ſyr. ſtœcados, aut melle roſaceo; formentur 7. pillulæ, & aurentur. Ad idem valent pillulæ de agarico, aureæ, & de hiera. Antiqui varias medicamentorum purgantiũ formas cõſtruunt, quæ quia ex validiſſimis medicamentis componuntur, conſultò eas omitto.

At quia huiuſmodi remedia in totum morbum non ſedant ad alia deuenire cogimur. *Somnum ſedantia.* Si ergo à ſomno non excitentur, naribus admoueatur decoctum thymi, pulegij, roris marini, ſaluiæ, rutæ, ſtœcados,

cados, & ſimilium, præcipuè ſi in aceto ſint elixa. Per capillorum etiam euulſionem ad vigiliam perducantur. Prodeſt etiam vacuatio per nares, & palatum, ita vt naribus per ſyringam hoc decoctum intromittatur. ℞. pulegij, origani, maioranæ, betonicæ, ſaluiæ, & ſtœcados, ana p.j. ſinapis, euphorbij, & piretri ana ℈.ij. fiat decoctum in ſufficienti quantitate aceti, ad tertiæ partis conſumptionem, & colaturæ adde ſucci betæ ℥. ij. mellis roſati ℥.j.ß. miſce; quo etiam os abluatur. Sternutatoria pariter conferunt, vt ℞. piretri, euphorbij, & hellebori albi, ana ʒ.ß. miſce, quæ naribus per calamum inſufflentur. Mox etiam valentibus medicamentis, vt Galenus præcepit, palatum vngemus, velut mithridato, & theriaca, aut ſynapi cum melle. Ruta in aceto infuſa, aut decocta, fronti admota iuuat, ex Apuleio Madaurenſi *cap.* 90. Tralianus vſum caſtorei ante acceſſionem ſumpti maximè commendat; etenim (inquit) extenuat, & corpus quod propè eſt, vt totum emoriatur, recalefacit, fouetque; & multos ex morbo victos, hoc ſolo remedio mortem euaſiſſe teſtatur: per ſe exhibitum proficit, adhuc autem magis cum oxymelite; quare non erit abs re ʒ.ß. caſtorei cum ℥.j.ß. oxymelitis vnà horâ ante acceſſionem aſſumere aliquibus diebus.

*Nota ex Traliano remedium.*

Cucurbita magna occipitio affixa, cum ſcarificatione, & ſine illa, ab aliquibus commendatur. Mercatus conſulit ſanguinem mittere ex vena naſi, aut frontis; ſed huius remedij vſum non laudo, quia magis refrigerabitur cerebrum, & in ſomnum immedicabilem fortaſſe incidet æger.

Balnea aquæ calidæ, ex decocto camemali, fœnugræci, meliloti, & ſimilium, ieiuno ventre, & à cruditatibus repurgato proficua ſunt, quæ multùm etiam iuuare Tralianus oſtendit. Frictiones, & ligaturæ crurum, & brachiorum ſunt etiam proficuæ.

Sed quia fermè omnes euacuationes per ſomnum, excepto ſudore, ceſſant, ſolent lethargici nec fæces, nec vrinam reddere, qui fortibus clyſteribus, & ſuppoſitoriis ſunt irritandi; & ſi vrina retineatur, oleo amygd. dulcium, ſcorpionum, & irino, & adipe cuniculi pubem inungere conuenit, & manibus fricare, & comprimere, quibus Deo auxiliante, huius morbi vires ſuperabis.

## CAPVT VIII.

### *De caro.*

Iſte affectus præcedenti eſt maximè affinis, ita vt ab aliquibus practicis, inter quos eſt Vega, ſub vnico capite vterque comprehendatur, neque in vtriuſque curatione diuerſa multùm inſtituantur remedia. Sed quia caros varias habet cauſas, & aliquibus euariat, de ipſo ſeorſum agere decreuimus, qui ſic definitur. *Caros eſt ſomnus profundus ſine febre, cum reſolutione imaginationis, cauſà magis afficiente cerebri anteriores ventriculos.* Hæc definitio datur per ſymptomata, quia maximè ad morbi agnitionem conferunt. Differt à lethargo per febris defectum; nam in caro non putreſcit pituita, ſicut in lethargo. Differtque etiam ab illo, vt inquit Aëtius, eo quod lethargici interrogati reſpondent, & non omninò ſine voce decumbunt; verùm qui in carum collapſi ſunt, ſomno profundiſſimo detinentur, & dum punguntur, ſentiunt

*Quid ſit carus.*

A quidem, non tamen loquuntur, neque oculos aperiunt.

Sed inſtabis, in caro reperitur febris: ergo ratione febris non diſtinguitur à lethargo. Quod probatur ex Aëtio *ſerm.* 2. *tetrab.* 2. *capite* 5. vbi ex Poſſidonij ſententia ait: *Cùm frigidi, & humidi humores cerebrum occupauerint, caros ſuccedit cum debili febre.* Idem inſinuat Paulus *lib.* 3. *c.* 9. dicens: *Carus ex eadem materia proficiſcens, ab eo differt, quòd febris carum præcedit, eaque vehementior; lethargum verò ſubſequitur.* Ergo ex horum Authorum ſententia ſemper carum comitatur febris, & per febris defectum nequit diſtingui à lethargo.

*Obiectio.*

Huic obiectioni facilè reſpondetur, quòd carus dupliciter inſurgit, aut nullo præcedente morbo febrili, & ſic ſine febre à principio inuadit, quia cùm humor non putreſcat, neque inflammetur, ipſa non requiritur ad illius conſtitutionem.

*Solutio.*

B Aut alium morbum ſubſequitur febrilem, in cuius acceſſionibus caros fieri ſolet, quia altiſſimo corripiuntur ſomno, qui eo tempore dicitur carus per conſenſum.

De hoc ergo loquuti ſunt Paulus, & Aëtius locis citatis; non tamen de caro primo modo ſumpto, qui ad eius conſtitutionem benè ſine febre ſaluatur; quæ ſi cum illo reperiatur, non attinet ad illius conſtitutionem, & eſt illi maximè accidentalis.

Pars affecta eſt cerebrum, magis tamen afficitur ſecundùm partem anteriorem, vt docet Galenus 4. *de locis, cap.* 2. vbi ait: *Et in caro quidem anterior pars magis, in apoplexia & morbo comitiali vtraque afficitur.* Idem comprobat Auicen. *fen.* 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. ex læſione earum partium, quæ in ſuis operationibus dependent à parte anteriore cerebri, inquit enim: *Et quoniam primi ſenſuum, qui priuantur in ſomno, & ſubeth, ſunt viſus, & auditus, oportet tunc, vt ſit impedimentum in ſubeth in anteriori cerebro.* Quia ergo nerui viſui, & auditui deſeruientes obſtruuntur, qui quidem à cerebri anteriori parte procedunt; hinc eſt, quod audiendi, & videndi actio in hac affectione maximè læditur; & licèt aliæ actiones vitientur, nempe actiones olfactus, & guſtus, quarum nerui ab eadem parte deriuantur, de eis tamen non fecit mentionem Auicen. quia ſenſibus non ſunt ita manifeſtæ, vt per illas poſſemus hunc morbum inueſtigare, quemadmodum per actum videndi, & intelligendi, per quem facilè colligimus, an homo dormiat, vel vigilet.

*Pars affecta in caro.*

C

Læditur etiam imaginatio, aut ſenſus communis magis quàm aliæ potentiæ rectrices, quia ſecundùm Auicen. reſidet in anteriori cerebri parte; exiſtimat enim potentias rectrices locis differre, *fen.* 1. 1. *doct.* 6. *c.* 5. & ex maiori læſione, & vitio huius potentiæ in huius morbi cognitionem deuenire nos docet. Tamen iuxta Galeni, & aliorum doctrinam, exiſtimantium in tota cerebri ſubſtantia omnes ſimul ſenſus internos reſidere, facilè poteſt dici, lædi potiùs actum imaginandi, quàm aliorum ſenſuum; quia etſi in toto cerebro ſit imaginatio conſtituta, viget tamen magis in eius anteriori parte, vt docet Vall. 2. *controuerſ. cap.* 21. & deſumpſit ex Galeno 8. *de vſu partium, c.* 6. Læditur imaginatio abolitè, vt docuit Galen. *de differ. ſympt. cap.* 3. vbi ait: *Eſt alia veluti paralyſis, aut reſolutio, quam Græci carum, aut catalepſim vocant.*

*Læditur imaginatio magis quàm reliquæ potentiæ rectrices.*

D

Læditur præterea cerebrum, non ſolùm ſecundùm anteriorem partem, ſed etiam ſecundùm poſteriorem, & mediam, vt deducitur ex Galen. 4. *de locis*

*locis affectis*, iam citato, vbi ait: *Qui ita affectus eſt, neque ſenſus, neque motionis munere fungitur.* Ex quibus infertur intentum; nam cùm ex toto cerebro ſentiendi, & mouendi facultas in corpus deferatur, ſi aliquæ illius partes illæſæ permanſiſſent, reuera per illas aliqua virtus corpori communicaretur. Sed quia in hoc affectu eſt in toto corpore inſenſibilitas, vt fatetur Galenus 5. *aphoriſm.comm.* 1. neceſſum eſt dicere, totum cerebrum affici. Quod etiam inſinuat Auicen. *fen.* 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 2. dicens: *Et omnes quidem ſpecies ſubeth facta ex frigore in ſubſtantia cerebri, aut propter medicinam ebibitam, ſequitur carruptio in cogitatione, & memoria.* Sed memoria ſecundùm Auic. reſidet in poſteriore cerebri parte, cogitatio verò in medio cerebri ventriculo: ergo in hoc affectu non ſolùm læditur ſecundùm anteriorem partem, ſed etiam ſecundùm poſteriorem, & mediam. Cùm hoc tamen dicimus, lædi magis partem cerebri anteriorem, quia magis elucet vitium actus imaginandi, & aliarum potentiarum, quarum nerui dependent à cerebri anteriori parte. Sed his præmiſſis ad ſequentem difficultatem enodandam deueniamus.

## §. I.

### *An lædatur reſpiratio in caro.*

GAlen. 4. *de locis, cap.* 2. de hoc affectu ſermonem inſtituens, ait: *Spirandi tamen facultas haudquaquam læditur.* Et paulò infra inſinuat diſtinctionem inter apoplexiam, & carum. *Et in caro* (inquit) *ſeruatur reſpiratio ſecundùm naturam.* Quod etiam oſtendit Auic. *cap. de ſubeth.* Et ratione ſuadetur, quia ex oppoſito ſequeretur, quod carus, & apoplexia non diſtinguerentur inter ſe; nam vtrobique eſt priuatio ſenſus, & motus, & difficilis reſpiratio: ergo ex nullo ſigno diſtinctio illorum deprehendi poteſt.

*Quid tenendum.*

Contraria tamen ſententia videtur mihi probabilior, quam deſumimus ex Galen. 5. *de locis, c.* 1. vbi agens de hoc affectu, & aliis, in quibus reſpirationis læſio percipitur, ait: *Namque ſi diligenter conſideraueris, inuenies per huiuſmodi affectus, quomodo ſpirent laborantes; quippe videbis & violentam, & difficilem reſpirationem, perinde ac ſi vinculo quodam conſtrictus thorax attolli prohiberetur.* Idemque oſtendit etiam 4. *de locis, cap.* 7. cuius ſententiam inſequitur Ludouic. Merc. 1. *de intern. morb. curat. cap.* 12. & Petrus Garc. *de locis affectis diſput.* 11. *cap.* 1. quæ etiam rationibus probatur. Nam in caro multò magis patitur cerebrum, quàm in ſomno naturali; ſiquidem magis obſtruitur: ergo non poteſt ſeruari reſpiratio naturalis in caro, ſicut in ſomno. Conſequens probatur, nam ratione maioris obſtructionis impeditur magis deſcenſus facultatis mouentis muſculos reſpirationi deſtinatos, & ſic maior erit noxa in hoc affectu, quàm in reſpirationis ſomno.

Secundò, nam in caro ex ſpirituum conſumptione adeſt vſus adauctus cum debili virtute motiua: ergo neceſſariò fiet mutatio reſpirationis, quia eo caſu virtus non eſt ita conſtans ſicut in ſtatu naturali, & vſus adauctus maiorem aëris attractionem expoſtulat, quàm ſecundùm naturam.

*Valleſ. opinio, & illius refutatio.*

Valleſ. 4. *de locis, cap.* 2. inquit, quod quando in caro eſt difficilis reſpiratio, variatur morbi ſpecies, & ex caro fit apoplexia.

Sed eius reſponſio non eſt ad rem; nam carus procedens ex maxima ſpirituum conſumptione, non poteſt migrare in apoplexiam: ergo etiamſi in illo ſit difficilis reſpiratio, non mutabitur in aliam morbi ſpeciem. Antecedens patet, quia apoplexia, vt ſuo loco dicemus, in cerebri obſtructione conſiſtit: ſed carus ex ſpirituum diſſipatione, & reſolutione inſurgit potiùs ex defectu ipſorum ſpirituum, & nequit conſiſtere in obſtructione: ergo neque in morbum obſtructionis migrare. Præterea Galenus loco citato, inter morbos, in quibus non ſeruatur incolumis reſpiratio, annumerat carum, & apoplexiam: ergo ſi carus quando eſt cum difficili reſpiratione, iam non cari, ſed apoplexiæ nomen meretur, impertinenter à Galen. inter morbos difficilis reſpirationis conſtitueretur.

Ad authoritates ergo Galeni, & Auic. reſpondetur, in caro eſſe reſpirationem naturalem, factâ comparatione ad apoplexiam, in qua difficilè, aut nihil reſpirat æger; tamen factâ comparatione ad reſpirationem naturalem, caro affecti difficilè, & inæqualiter reſpirant: quæ ſolutio eſt ad mentem Ludouici Merc. quâ Galeni loca contraria conciliantur.

*De cauſis cari.*

Variæ cari ſpecies aſſignantur, iuxta cauſarum varietatem, à quibus dependet, quas tradunt Galen. 4. *de locis, cap.* 2. toties repetito, & Auic. *cap. de ſubeth.* Huius prima, & frequentior cauſa eſt humor craſſus, & frigidus, aut omninò viſcidus, qui obſtruit cerebrum, ſomnumque inducit profundum, morbuſque tunc in obſtructione conſiſtit.

Aliam cauſam adducit Auic. videlicet intemperiem, dicens: *Omnis autem ſubeth ex complexione pendens eſt propter frigus primò, & propter humiditatem ſecundò.* Quod frigus poteſt exterius ab aliqua vehementi cauſa ſuſcitari, aut interius per aſſumptionem veneni frigidi, putà opij, mandragoræ, aut iuſchiami. Frigus enim ſomnum inducit ſpiritus incraſſando, & eos ad motum ineptos reddendo, vel cerebri ſubſtantiam comprimendo. Humiditas tamen per ſe, ſine humoris præſentia, non adiuncta frigiditati, ſomnum non conciliat; nam in tantùm ſomnum efficit, in quantùm materiam ſaptam reddit, vt ex illa vapores humidi excitentur, qui ſuâ obſtructione ſomnum inducunt, vt docet ſubtilis Petrus Garc. Ego tamen cenſeo humiditatem per ſe ad ſomnum conferre, vt colligitur ex Galeni verbis, qui ſecundùm locum conciliandi ſomnum ei concedit. Si enim ſiccitas per ſe homines reddit vigilantes, quid mirum, quod humiditas eos ſomniferos faciat. Aliam cauſam adduxit Galenus dicens: *Cùm oſſe quopiam terebrâ perforato medius ventriculus fuerit attritus, ſopor hominem occupat.* Et rurſus: *Quemadmodum autem inter perforandum cùm quis incautè premens meningophylace & meningem plus iuſto compreſſerit, carus fit; ita vbi os caluariæ vehementer attritum ipſius ventriculos comprimat, maximeque medium, ſtupor ſuperuenire poteſt.* Eandem cauſam refert etiam Auic. Quibus verbis conſtat, morbum hunc eſſe in conformatione, in vitio ſcilicet cauitatis.

*Dubium.*

Sed inſurgit dubium, quam ob cauſam ex medij ventriculi compreſſione fiat carus? Nam ſi in caro læditur magis cerebri pars anterior, anteriores cerebri ventriculi ſi lædantur, citiùs carum efficere valebunt, quàm medius.

*Solutio dubij ex Gentili.*

Gentilis in expoſitione loci Auic. *cap. de ſubeth*, inquit, quod ex læſione medij ventriculi fit carus, quia eſt aliis ventriculis anterioribus nobilior; & quia ſtrictior eſt aliis, à minori cauſa comprimitur, & ex minori compreſſione carum excitat; quæ compreſſio in tantùm carum progignit, in quantùm motum cerebri dilatationis,

latationis,& compreſſionis impedit, cuius defectu ſpiritus quoddam ſuffocationis genus patiuntur,vt patet etiam in defectu reſpirationis, vbi etiam ſpiritus vitales ſuffocari contingit: & quemadmodum per ſpirituum vitalium ſuffocationem actiones vitales ceſſant,ita per ſuffocationem ſpirituum animalium ceſſant etiam animales functiones, & ſenſu, & motu priuatur animal.

*Dolor eſt cauſa cari, & quare ſpiritus abſumit animales.*

Vltimam cauſam recenſet Galenus, ſpirituum animalium diſpendium ex vehementibus doloribus, vel aliis cauſis procedens; cùm enim ſpiritus ita ſint neceſſarij ad actiones animales obeundas, ipſis deficientibus, huiuſmodi actiones ceſſant, & inſurgit carus aut ſomnus profundus. Quod comprobat Auic. *fen.* 11.*lib.* 3.*tract.* 2. *cap.* 6. vbi ſic: *Membra ſuis propriis actionibus prohibet dolor, & virtutem diſſoluit, &c.* Ratio propter quam in vehementi dolore ſpiritus diſſipantur, adducitur à Gentili ſuper eundem Auic. locum; dolor enim cùm ſit immutatio realis in parte ſentiente, & intentionalis per ſpeciem ſenſibilem,& cognitio obiecti,ſeu ſenſatio, videtur non poſſe conducere ad ſpirituum reſolutionem; quare (inquit) dolor calefacit non congruum motum ponens in ſpiritibus,& humoribus,hæc autem eſt reſolutionis cauſa. Vbi Gentilis ſpirituum reſolutionem ab immodico illorum calore per motum adquiſito prouenire affirmat; nam ab obiecto dolorifico ſtimulatur natura ad illud expellendum; ad cuius expulſionem vtitur ſpiritibus, & ſanguine, quos mouet verſus partem dolentem, & per illum motum ſpiritus rarefiunt,& attenuantur, ita vt maior raritas,& calor in illis producatur, quàm eorum natura expoſtulat,productiſque diſpoſitionibus incompoſſibilibus ſpiritus reſoluuntur, & diſſipantur, & nequeunt ſub forma propria conſeruari. Quod autem ſpiritus moueantur præſente obiecto dolorifico, docet Galenus 5. *aphor. comm.* 54. Si verò aliæ huius affectus cauſæ inueniantur,ſub aſſignatis facilè comprehenduntur.

*Signa cari.*

Signa quibus iſte affectus innoteſcit,ex iis,quæ adducta ſunt, facilè percipiuntur: quare in eis enarrandis non immoror,quæ quidem videri etiam poſſunt apud Auic. *cap. de ſubeth.*

## §. II.

### *Curatio cari.*

*Cari ab intemperie calida curatio.*

PRopter cauſarum diuerſitatem diuerſam etiam carus exigit curationem; nam ſi ab intemperie frigida originem ducat, debito regimine circa res non naturales inſtituto, vt diximus capite de lethargo, ſolis alterantibus curationem adipiſcimur, vt dictum eſt etiam *cap.de capitis dolore à pituita,* cui etiam propinamus potum theriacæ antiquæ, diamuſci,aut mithridati,cum vino albo, aut aqua aniſi,vel fœniculi; capútque abluatur decocto rutæ, piretri, ſtœcados aſſæ, ſaluiæ, thymi, & ſimilium: deinde vngatur oleo irino,camemali,& rutæ, aut ex eis paretur vnguentum cum pulueribus piretri,caſtorei,euphorbij,maſtichis, & piperis nigri,& cera, quo inungantur caput, & tempora.

*Cari curatio ab humoribus.*

Si ab humoribus craſſis initium habere videatur,curatur eiſdem remediis, & aliquantulùm fortioribus, quibus curatur lethargus, videlicet ſanguinis miſſione, præcipuè ſi fortè à ſanguine procedat, vt notat Auic. & expurgatione, oxyrrhodino capiti deraſo impoſito, frictionibus, ligaturis partium extremarum,cucurbitulis ſcarificatis,& ſine ſcarificatione, ſpatulis adhibitis,& reſoluentibus, & attenuantibus capiti impoſitis; inſtitutâ etiam eâ victus ratione, quæ ad calidum vergat,& ſiccum, vt iam diximus *cap.de lethargo*, adhibitis omnibus debito tempore, & occaſione, quod eſt Medici proprium munus.

*Cari curatio à veneno.*

Si ab aliquo veneno frigido in carum incidat homo, quod cognoſces ex ſtupore, & frigore totius corporis,& ex eo, quod alia in ægro non præceſſit cauſa,à qua ſomnus ita profundus poſſet repentè dimanare, præſertim ſi pituitæ redundantia, aut vſus ciborum frigidorum, vel vicinia rei frigidæ non præceſſerint, exiſtimare oportet, huius mali cauſam aliquod narcoticum fuiſſe, cuius curationem ex Auic. require, qui *fen.* 6. *lib.* 4. *tract.* 1. de venenis ſermonem inſtituens,pro quolibet particularem, & communem curationem affert. Circa hoc lege etiam Petrum Apponenſem *tractatu de venenis*, vbi latè pro venenis frigidis alexipharmaca tradit.

*Curatio cari ex dolore & ſpirituum defectu.*

Tandem ſi ex vehementi dolore inſurgat affectus, cauſam detrahere conuenit; qui ſi ab inflammatione, aut decubitu alicuius humoris in aliquam partem procedere videatur, illicò ſanguinem extrahes ex vena competenti ſecundùm ſitum, & poſitionem partis dolorem patientis; tamen ſi ob virium iacturam non poſſit hoc auxilium ſuſtineri, ad ſtupefacientia ſtatim te conuertes; nam dum cauſæ abſciſſio eſt impoſſibilis, ad ea quæ accidentia mitigare valent, peruenire cogimur. In doloribus itaque internis vti poſſumus philonio perſico,aut opio,ſic.℞.philonij perſici ʒ.j. ſyr. violarum ℥.j. ß. papaueris, ℥. ß. aquæ chicorei, ℥. ij. miſce. Verùm ſi huiuſmodi auxilium ſomnum conciliat, maior vtilitas ſequitur ex eius adhibitione remittendo dolorem,quàm nocumentum ſomnum prouocando; ſiquidem dolore remiſſo ſpiritus denuò procreantur,& illorum diſſipationis cauſa deficit, quâ deficiente ſomnus recedit, & conſequenter affectus iſte aufertur.

Si verò dolor ſit in exterioribus partibus, partis in qua reſidet,ſenſum ſtupefacere expedit ſucco ſolani,in quo ſit diſſolutum parum opij, & ſupra ipſam partem lintea in eo imbuta imponantur, vel partem illines vnguento de cucurbita, & populeone, cum granis tribus opij, & ſuperimpones aquam roſaceam, plantag. & portulacæ, vel iuſchiami, & papaueris decoctum, quæ antequam calefiant, auferantur,& alia de nouo frigida reponantur.

Sed quia ſomnus iſte exiſtente dolore ex ſpirituum animalium reſolutione proficiſcitur, eius curatio in ſpirituum reparatione, & regeneratione conſiſtit; quare odores optimi,& alimentitij naribus appoſiti maximè iuuant,vt biſcoctum calidum vino madidum,& ipſum vinum per ſe, quo nares, tempora, & manûs arteriæ abluantur; odorent etiam moſchum,& ambarum,niſi ſit mulier,& timeatur matricis ſuffocatio; parum vini odoriferi deglutiant, & ius caponis ſaginati, quibus vires reſarciuntur, & ſpiritus denuò regenerantur.

Quod ſi carus ex ventriculorum cerebri compreſſione ortum ducat, adhibitis ſanguinis miſſione, & aliis,quæ vim reuellendi,& deriuandi à capite habent, in reliquis conſule doctum Chirurgum, quia hoc opus manualem deſiderat operationem.

CAP. IX.

## CAPVT IX.

### *De typhomania.*

*Quid ſit.* HVnc morbum definit Auic. *fen.* 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 12. dicens: *Subeth-ſahari eſt ægritudo compoſita ex apoſtemate calido, & frigido cerebri.* Et reddit cauſam dum dicit: *Quoniam apoſtema eſt factum ex duobus humoribus ſimul, phlegmate ſcilicet, & cholera.* Galenus hanc affectionem appellat mediam inter phrenitidem, & lethargum. Ita *lib.* 3. *de locis affectis, cap.* 5. vbi ait: *Præterea vltra iam dictas intemperies contrarias, alia quadam ſit mixta ex vtriſque, vt in vigilante comate, cùm pituitoſus, bilioſuſque humor abundauerit.* Paulus *lib.* 3. *cap.* 6. inquit vetuſtiores Medicos confudiſſe catochum, aut catalepſin cum ſopore vigilanti; nec mirum, cùm in catocho reperiatur priuatio ſenſus, & motus, per quam videatur æger dormire: & cùm ex alia parte oculos habeat apertos, videatur vigilare. Diuerſi tamen morbi ſunt, vt etiam Auic. *loc. cit.* teſtatur, dicens de hoc morbo, quem ipſe appellat Subet-ſahari, quod eum quidam Medicorum nominant ſuccos, ſed non eſt ipſa, imò ſuccos eſt ſpecies congelationis; & cum catochus, ſeu catalepſis ſit congelatio, reuerà diſtinguitur ab hac affectione, quæ eſt, vt dixi, affectio media per participationem inter phrenitidem, & lethargum, vt ex accidentibus conſtat; nam aliquando dormiunt, aliquando vigilant, & ſimul ad vtrumque inclinantur, & etiam in cauſis, quæ ſunt bilis, & pituita: vbi verò vincit vnus humor, eius vincunt etiam ſigna, vt ſi pituita ſuperat, ſomnus magis hominem apprehendit; ſi verò bilis, vigilia ſomnum ſuperat: quod ſi humores æquent, tam ad ſomnum quam ad vigiliam æger eſt propenſus: & hoc modo venit intelligendus Galen. *lib. artis medicinalis,* dum tradit ſigna calidi, & humidi cerebri, dicens: *Cum verò ſe ad ſomnum conuertunt, ſimul comatoſi fiunt, & vigiles.* Id eſt habent ad vtramque propenſionem; nam ſimul vtrumque propenſionem; nam ſimul vtramque paſſionem habere eſt impoſſibile, cum ſomnus, & vigilia opponantur priuatiuè.

*Typhomaniæ cauſa.* Ex dictis conſtat, hunc morbum fieri ab humore pituitoſo bili admixto; nec requiritur, quod iſti humores ſint ſeparati, & in diuerſis locis, vt quidam exiſtimant; nam calor, & humiditas, à quibus ſomnus & vigilia procedunt, cùm non ſint qualitates oppoſitæ, benè poſſunt eandem cerebri partem alterare, & in eodem ſubiecto eſſe ſecundùm intenſiores gradus.

Feri etiam poteſt ex bile ſanguini admiſta, vt docet Galenus 1. *prorrhet. comm.* 1. nam grauato capite à ſanguine, & à ſanguinis humiditate, ſomnus conciliatur, bilis verò ſua mordacitate, & calore ad vigiliam etiam commouet.

Præterea fieri poteſt à pituita, & ſanguine, vt notat Auic. ſi phlegma, & ſanguis coniungantur aggregatione apoſtematum, vbi videbis ſigna Karabiti, lethargi, & ſubeth-ſahari. Tandem Petrus Garcia cenſet fieri poſſe à ſanguine, qui cùm putreſcat per calorem, & mordicationem ex putredine productam, valebit inducere vigiliam, & ſua humiditate ſomnum prouocare.

*Signa.* Signa vigil coma habet media, mixta ex ſignis lethargi, & phrenitidis; impetu deferuntur in ſomnum, & palpebras continere nequeunt, in ſomnia patiuntur vehementia, vigilantes delirè loquuntur, liquida difficulter deglutiunt, facies intumeſcit, liuet, & aliquando rubet, aperiunt oculos, & eorum palpebræ retrahuntur, accidit eis anhelitus adſtrictio, & febris putrida continua ex humore putreſcente in cerebro.

### §. VNICVS.

### *Curatio typhomaniæ.*

HVic morbo ſuccurritur primò ſanguinis miſſione, præſertim ſi oculi, & facies rubeant, aut tumida appareant; quæ fieri debet ex vena communi, aut cephalica, pro virium ratione, & morbi vehementia, vt diximus *cap. de phrenitide*: fortibus etiam vtemur clyſteribus, ex decocto betæ, mercurialis, parietariæ, maluarum, biſmaluæ, radicis cucumeris agreſtis, cum ℥.j. hieræ picræ, aut elect. indi, & cum ſale gemma. Deinde eos præparabis ad expurgationem ſyrupo de ſtœcade, aceto, borrag. capill. veneris, aut melle roſaceo, cum aqua fœniculi, origani, aut thymi: mox eos purgabis cum elect. indo, aut diaphœnic. diſſoluto in decocto capitali ex origano, floribus ſtœcados, violarũ, & foliorum ſennæ confecto, aut cum diluto rhabarb. & agarici trochiſc. & ſyrupo regio, vel perſico ſolutiuo. Capiti admouebis oxyrrhodinum ex oleo roſaceo, & camemali, cum aceto, & vtemur remediis, quæ mediam nanciſcantur naturam inter reſoluendum, & repercutiendum; quorum copiam ex capite de lethargo, & phrenitide deducere poteris. Similiter vteris ligaturis, frictionibus partium extremarum, & cucurbitis, nariſuſoriis, maſticatoriis, & oris ablutionibus ibi numeratis. Victus ſit ius pulli, aut gallinæ, cum ciceribus, & petroſelino decoctum, oua tremula, borrago elixa, & ipſa pulli aut gallinæ caro. Potus ſit aqua hordei, ſi febris nimis infeſtat; ſi verò ſit remiſſa, ſit aqua mulſa, aut cinnamomi. *Victus ratio.*

## CAPVT X.

### *De catocho, ſeu catalepſi.*

HÆc duo nomina catochos, & catalepſis, prorſus eandem rem important, vt docet Paul. & aſſerit Galenus 4. *de cauſis pulſuum, cap.* 16. Licèt Galeno vetuſtiores confundebant hunc morbum cum vigili comate, vt capite antecedenti, ex Pauli ſententia enarrauimus; differunt tamen inter ſe, nam catochos ſignificat congelationem, ſeu detentionem, vt docet Paul. ſic inquiens: *Quam ob cauſam antiquiores Græci hoc preſſos morbo, catochos, vel catochomenos, quaſi dicas occupatos, detentoſque nominauerunt; recenetores catochon, vel catalepſin, veluti detentionem, & deprehenſionem;* quæ claritatis causâ definiuntur. *Catochus eſt morbus cerebrum lædens magis ſecundùm partem poſteriorem, in quo totum corpus manet rigidum, & oculorum palpebræ manent apertæ, ſine ſenſu, & motu, ab humore melancholico procedens.* Ex hac definitione colligitur Rondeletij error, qui in methodo curandi morbos inquit, quod membra remanent in eadem figura quâ apprehenduntur, vt ſi oculos habeant apertos maneant in eadem figura; ſi verò clauſos, ſimiliter remaneant. Quæ omnia deſumpſit ex Paulo, qui aſſerit, quod æger in illa permanet figura, quâ correptus eſt, ſtans ſcilicet, vel ſedens, clauſis oculis, vel reſpiciens: quod quam *Catochi definitio.*

A falſum ſit, ipſa experientia oſtendit, & millies ego vidi.

Pars affecta eſt cerebrum, magis tamen ſecundùm partem poſteriorem, vt adducitur ex Galen. 4. *de locis affectis, cap.* 2. & à Paulo *lib.* 3. *c.* 10. quod etiam confirmat Auic. *fen.* 1. 3. *tract.* 4. *c.* 1. vbi docet, hoc cognoſci ex motuum læſione, in quo diſtinguitur à caro, in quo magis læditur anterior cerebri pars. Læditur etiam anterior cerebri pars, vt conſtat ex oculorum apertione, quæ fit ex neruorum tenſione, qui ab interiori parte oriuntur. Quod verò palpebræ maneant apertæ, præter experientiam, docuit Galen. *loc. proximè citato,* & 1. *prorrheticorum, cap.* 1.

*Corpus quare rigidum maneat, declaratur.*

Aliud ſymptoma huius morbi proprium eſt, quod totum corpus maneat rigidum, & tenſum: huius euentus cauſam tradit Rondeletius, dum dicit, quod à multitudine materiæ venæ, & arteriæ cerebri, non ventres opplentur, vnde rigeſcit corpus, & diſtentum in modum corporum à frigore congelatorum conſpicitur. Quod etiam inſinuat Holler. & Iacotius 5. *lib. coac. ſuper text.* 13. *Hippocratis*; & ratione etiam id confirmatur. Quia maior obſtructio reperitur in apoplexia, quàm in catocho: ergo ſi in eadem parte cerebri pro vtroque morbo talis obſtructio reperitur, maior tenſio fieret in apoplexia, & magis rigidum maneret corpus, quàm in catocho; nam illa tenſio neceſſariò prouenit ab obſtructione: ergo quo maior obſtructio, maior tenſio: ergo cùm contrarium accidat in apoplexia, dicendum eſt, diuerſificari ratione partis. Quod docet Gal. *cap. proximè cit.* vbi ait: *In caro quidem anterior pars magis; in apoplexia, & morbo comitiali vtraque afficitur, & in catocho, catalepſi dicta, poſteriora cerebri potiùs afficiuntur.* Vbi partium diuerſitatem aſſignat, in quibus obſtructio fit, & ſic apoplexia fit obſtructâ magis cerebri ſubſtantiâ, vt ipſe inquit eodem capite: catochus verò inſurgit venis humore ſicco, & frigido repletis. Ex obſtructione ergo, & repletione venarum cerebri ipſius ſubſtantia comprimitur, ex qua compreſſione à ſenſu, & motu deſtruitur æger, vt etiam diximus capite de caro.

*Obiectio.*

Sed inſurges: Ex eo quod venæ cerebri intumeſcunt, non ſequitur quod rigidum, & tenſum maneat corpus, nam tenſio, rigiditas, & conuulſio, eſt affectio potiùs neruorum, & muſculorum, quàm venarum.

*Ad illum reſponſio.*

Reſpondetur, hanc tenſionem, ſeu conuulſionem non eſſe affectionem per ſe neruorum, aut muſculorum, ſed potiùs conſurgere per colligantiam venarum, & arteriarum cum neruis; nam inter ſe ſunt adeò vnita, vt dum venæ, & arteriæ tenduntur, ſtatim nerui, & muſculi trahantur in conſenſum, & ſequantur rigiditas, & tenſio membrorum; & ob neruorum dictam tenſionem oculorum palpebræ manent apertæ.

Manent etiam hoc morbo laborantes ſine ſenſu & motu, vt inſinuat Gal. *de different. ſymptomatum c.* 3. vbi ſic: *Eſt alia veluti paralyſis, aut reſolutio, quam Græci carum, aut catalepſin vocant.* Cùm igitur paralyſis ſit priuatio ſenſus & motus, & carus, & catalepſis ſint veluti paralyſis, liquidò conſtat, quod in ipſis non maneat ſenſus, nec motus; ac conſequenter potentiæ rectrices abolitam habent actionem.

*Obiectio contra dicta.*

Sed obiicies ex Galen. 4. *de locis, cap.* 2. *iam ſæpe citato,* qui refert quendam illius condiſcipulum hoc morbo fuiſſe oppreſſum, qui poſteà retulit, ſe vidiſſe, audiuiſſe, & meminiſſe; cùm tamen immobilis, & rigidus, habenſque oculos apertos iaceret: ergo hoc morbo oppreſſi priuationem ſenſus, & motus.

*Alia obiectio.*

Secundò; nam ſi in catocho datur ſenſus, & motus priuatio, non diſtinguitur ab apoplexia, quæ definiri ſolet per priuationem ſenſus, & motus: quod eſt falſum; nam ſunt morbi ſpecie diuerſi, diuerſaque habent accidentia.

*Ad primam reſponſio.*

Reſpondetur tamen ad primam obiectionem, quod duplex eſt catalepſis, vna abſoluta, & conſummata, in qua ſine ſenſu, & motu iacet æger; alia non conſummata, quæ vt inquit Iacotius, habet ſub ſe multos gradus intenſionis, & remiſſionis; & hoc catocho Galeni condiſcipulus fuit affectus, in quo aliquid ſentiunt, ſaltem obtuſiùs.

*Ad ſecundam reſponſio.*

Ad ſecundam reſpondetur, quod catalepſis diſtinguitur ab apoplexia ratione tenſionis, & rigiditatis, quæ non reperitur in apoplexia; & etiam ratione reſpirationis: nam quamuis lædatur reſpiratio in catocho, vt refert Galen. 4. *de locis, cap.* 7. *iuxta finem,* non tamen ita ſenſibiliter, ſicut in apoplexia; quia non eſt neceſſarium, vt omnes nerui æqualiter omnimodam tenſionem patiantur; ita vt aliquam contractionem, & dilatationem non admittant, patiunturque minus nerui reſpirationi inſeruientes, quæ actio fit etiam, quia obiectum maximè excitat potentiam ad reſpirationem, ſine qua homo viuere non poteſt, in cuius ſubſidium natura
B omnes ſuas vires apponit; quæ actio tantùm in catocho abſoluto reſeruatur, vt dictum etiam eſt *cap. de caro.* Reliquæ verò actiones pereunt, aut ita imminutæ ſunt, vt pro ablatis reputentur.

*Cauſa.*

Vltima definitionis particula demonſtrat huius morbi cauſam, quæ eſt humor melancholicus, vt conſtat ex Paulo iam citato, & ex Galen. 2. *aphor. comment.* 3. vbi ait: *Huiuſcemodi ſomnus fit refrigeratâ parte ſenſitiuâ, hoc eſt, cerebro ipſo; quæ refrigeratio cùm fortis ſit, miſta quidem humiditati lethargicas facit paſſiones, cùm ſiccitate verò eas, quæ deprehenſiones nominantur.* Idemque aſſerit Aëtius; quãuis ex ſanguinis multitudine fieri, nemo eſt qui dubitet, vt etiam ipſe fatetur Aëtius, qui vidit adoleſcentem hoc morbo laborantem, multo ſanguine refertum, qui quarta die ſanguinis eruptione largâ per nares factâ ab omni moleſtia confeſtim fuit liberatus. Nos autem curauimus mulierem catocho
C correptam, quæ cùm menſtruali purgatione timore fuiſſet oppreſſa, ſanguine reuocato venæ ſectione ex maleolis, cucurbitulis, & frictionibus partium inferiorum eam ad ſanitatem perduximus. Adduximus ergo in definitione ſolum cauſam frequentiorem.

Ex dictis claret, huius morbi eſſentiam in obſtructione ab humore melancholico frequentiùs, vel ſanguineo, in quo plurimùm melancholici adeſt, ſitam eſſe; non verò in diſtemperie frigida, & ſicca, vt aliqui autumant; hæc enim affectio confertim fit, vt notat Aëtius, & confertim ſoluitur; quod nequit procedere ab intemperie. Tum quia neminem vidi, qui ſolis alterantibus hunc affectum adimat, ſed euacuationibus illum propellit. Et quando ab Authoribus dicitur, quod ab in-
D temperie procedit frigida, & ſicca, ſunt intelligendi de ipſa cum humoris præſentia.

*Signa, & prognoſtican.*

Signa quibus dignoſcitur iſte affectus, adducta fuere in illius definitione, quibus præcedere ſolent dolor capitis, aut paruum delirium, vel obliuio, attoniti manent, vel ſtupidi, & in aſpectu feroces, facies rubet, neque audiunt, nec reſpondent; raram habent reſpirationem, eamque magnam efficiunt: pulſum habent tardum, magnum, & rarum. Conuulſi quandoque moriuntur, aut melancholici. Ex his ſignis plura adduxit Hippoc. in coacis prænotionibus.

§. Vni

## §. I.

*Curatio catochi, ſeu catalepſis.*

IN huius morbi curatione victus debet eſſe tenuis, vt aqua mulſa, ius pulli, aut cremor ptiſanæ: potus aqua mulſa ex origani decocto, aut aqua fœniculi. Statim eſt extrahendus ſanguis, ex Pauli decreto, præſertim ſi facies rubeat, ex vena cephalica, ſi non ſit plenitudo, quâ præſente ſanguinem ex communi mittimus, ad magnam quantitatem, ex Rondeletio, maximè ſi ætas ſit florens, & vires conſtent, & venæ iugulares ſint impletæ; quâ largâ ſanguinis profuſione liberari ſolent ab hoc morbo dum à ſanguine procedit: ſi verò ab humore melancholico ortum ducat, ſanguinem etiam extrahere expedit, non tamen in tanta quantitate; quo extracto caput inungere oportet oleo camemalino, & anethino, cum modico aceto; deinde ad valentiora deuenire cogit neceſſitas, quæ habent vim attenuandi, & reſoluendi, qualia tradidimus capite de lethargo. Frictiones etiam brachiorum, dorſi, & crurum ſunt vtiles, ſimiliter & ligaturæ partium extremarum, & cucurbitæ dorſo affixæ ſcarificatæ, & ſine ſcarificatione. Vtantur fortibus clyſteribus ex decocto capitali cum elect. indo, diaſenna, & hiera logodionis, ſale gemma, & melle. Et ſi fuerit occaſio exhibendi medicamentum expurgans, ſtatim eſt propinandum, quia iſte morbus non præſtat expectandi inducias; quare eos purgabimus cum confectione Hamech, ſeu electuario indo, vt ℞. confect. Hamech ʒ. iiij. catholici ʒ. ij. ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. miſce, & cum ℥. ij. ß. decocti liquiritiæ, prunorum damaſc. & foliorum ſennæ fiat potus. Si verò æger renuat, & non poſſit os aperire, oportet vt aliquo inſtrumento illius os aperiatur, & paulatim potionem deglutiat, quod obſeruaui in aliquibus cum felici ſucceſſu, ex quibus aliqui euomuerunt, alij verò per infernam aluum humorem depoſuerunt, & ab hoc immani morbo fuere liberati. Vtile etiam eſt, dum à ſanguine dependet, ſanguinem ſetis ex naribus extrahere, vt notat Rondel. Cùm verò morbus declinat, oportet eorum caput roborare, vt humor in eo derelictus abſumatur, & caput denuò humorem non recipiat; quod quidem efficimus hoc puluere capitali. ℞. macis, nucis moſcatæ, ligni aloës, guaiaci, & cubebarum ana ʒ. iij. foliorum ſennæ ʒ. ij. florum roſarum, borrag. & bugloſſæ, camem. ſtœcados, roris marini, & cæteraci ana ʒ. j. omnia ſecundùm artem in puluerẽ redigantur, & ex eis fiat cucufa cum baſtituris, quæ capiti impoſita per plures dies ſolet maximè prodeſſe; ad quod etiam conferunt errhina, maſticatoria, & oris collutiones, crurum, & brachiorum lauacra ex rebus calidis, quæ ſcripta reperies *cap. de dolore capitis à pituita*, & *cap. de lethargo*. Quod ſi æger aſſuetus fuerit alicui euacuationi per hemorrhoïdas, eam ſanguiſugis excitare conuenit.

*Obſeruatio.*

---

# CAPVT XI.

## *De memoriæ læſione.*

*Quibus modis actio lædatur.*

DE hoc affectu fecit mentionem Galen. 3. *de locis affectis*, c. 5. ad cuius intelligentiam ſupponere oportet ex Galeno *de differentiis ſymptom.* quamlibet actionem tripliciter lædi poſſe: abolitè, ita vt nullo fiat modo: diminutè, & deprauatè. De memoriæ læſione diminutè, & abolitè nulla eſt inter Authores controuerſia; nam omnes admittunt, memoriam lædi poſſe ſecundùm hoc duplex læſionis genus. Ita Galenus oſtendit *cap. citat.* & Auic. *fen.* 1. 3. *tract.* 4. *c.* 12. vbi ſolùm huius duplicis læſionis mentionem fecit, dicens: *Ipſa* (ſcilicet memoriæ corruptio) *eſt compar ſtoliditati, niſi quia eſt in poſteriori cerebro, quoniam eſt diminutio in aliqua operationum poſterioris cerebri, aut deſtructio in omnibus.* Idem inſinuat Aetius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *c.* 23. Vega 3. *de arte med. capite* 10. in quo quamplurimi conueniunt. Solùm difficultas enodanda in hoc verſatur.

## §. I.

*An memoria poſſit lædi deprauatè.*

*Pars negatiua probatur.*

COmmunior Medicorum ſententia tenet, huiuſmodi potentiam non eſſe actiuam, ſed ſolùm ſpecierum conſeruatiuam, ita vt circa obiecti cognitionem nullum actum efficienter producat: quæ probari poteſt ex Authoribus iam citatis, qui tantùm de actione diminuta, & abolita, & illius curatione mentionem fecerunt; ſi enim poterat memoria in actione pati deprauationem, de ea loquerentur Authores, & auxilia ad illius curationem traderent. Vnde infertur, quod memoria tunc dicitur lædi abolitè ſecundùm proprium actum, quia ſpecies non conſeruat, quibus alia potentia operatur, & habet actum memorandi; & ſic illis deficientibus ceſſat præteritorum cognitio. Vel dicitur lædi diminutè, quando diminutè dictas præteritorũ ſpecies conſeruat. Hanc opinionẽ iterum comprobat Galen. 4. *de locis*, *c.* 2. vbi de delirio egit, nullâ habitâ ratione actus memorandi: *Quippè* (inquit) *ſunt phrenetici quidam, qui de his, quæ oculis offeruntur, rectè, quantùm ad ſenſitiuam notitiam pertinet, iudicant, cogitando verò à naturali iudicio aberrãt. Alij quidẽ cogitatione falluntur minimè, ſenſibus tamen difformiter mouentur. Sunt prætereà qui ſimul & ſenſus, & cogitationis vitio laborant.* Vbi omnes delirij ſpecies diuerſis facultatibus à memoria euenientibus connumerat. Quod ſi aliquod delirium memoriæ accidere poſſet, ibi etiam de eo verba proferret. Quod etiam probatur ex Caiet. *ſuper* 1. *partem Diui Thomæ, quæſtione* 79. *artic.* 6. vbi inquit: *Memoria ſignificat vim conſeruatiuam cognitorum præteritorum, & eſt theſaurus ſpecierum.* Vbi memoriæ non tribuit actum memorandi, ſed ſolùm ſpecies conſeruare.

*Concluſio certa.*

Sed licèt iſti Authores hanc tueantur ſententiam, illam tamen non probant. A nobis tamen contraria verior exiſtimatur, quæ aſſerit, memoriam eſſe potentiam cognoſcitiuam, & effectiuè proprium actum cognoſcitiuum obiecti præteriti producere, iuxta quam poteſt delirium & deprauationem pati. Quam tenet Paul. *lib.* 3. *cap.* 11. vbi agens de memoriæ læſione, ait: *Si autem calor acceſſerit ſiccitati, deliria, & phrenitides mouebit.* Idem confirmat Valleſ. 3. *de locis*, *capite* 2. dicens: *Sed illud quoque oportet dictorum gratiâ adiicere, poſſe memoriam non minùs reliquis facultatibus pati, non minutionem ſolùm, & abolitionem, ſed deprauationem etiam.* Idem ſequitur Fernel. 5. *Phyſiologiæ*, *capite* 8. Ludouic. Merc. 1. *de internorum morborum curat. capite* 19. & Petrus Garc. *de locis affectis.* Probatur; nam nihil eſt in memoria, cuius ratione repugnet eſſe potentiam elicitiuam ſui actus; neque contrarij

illud tradunt, præter conſeruationem, & retentionem ſpecierum: ſed hoc non obſtat, nam intellectus poſſibilis etiam ſpecies intelligibiles conſeruat, & nihilominus producit intellectionem, ſeu verbum mentis, vt omnes admittunt: ergo pari ratione poterit memoria ſpecies ſui obiecti conſeruare, & ſuum actum elicere; neque inconuenit, quod ſecundùm diuerſos reſpectus vnica res ſimul ſit in actu, & in potentia, vt ex phyſicis accepimus.

Ex his facilis eſt reſponſio ad authoritates in oppoſitum, quæ cùm nullum adducant fundamentum, non ſunt redarguendæ. Ad Caietani tamen teſtimonium reſpondetur, potiùs noſtram ſententiam confirmaſſe, vt totum articulum legenti patebit.

Ex dictis conſtat, quod quacunque de cauſa memoria minuatur, tollaturve, per compaſſionem aliæ facultates rectrices patiuntur; priuatione, inquam, ſpecierum, quas memoria illis ſuppeditare debet, quapropter Galen. 3. *de locis affectis, cap. 5.* inquit: *Memoriæ læſio, ipſa enim ſæpe vnà cum læſione quadam rationis fieri conſpicitur.*

Et ſi dicas: Si huiuſmodi potentiæ reſident in eadem parte, quemadmodum à memoria conſeruantur ſpecies, & aliæ potentiæ eas à memoria recipiunt, ita ſimiliter aliæ potentiæ eaſdem poterunt conſeruare, & ipſi memoriæ ſuppeditare.

Reſpondeo, quod hoc eſt proprium munus potentiæ memorandi, vt iam dictum eſt; nam in rei abſentia ipſa ſpecies conſeruat, & eſt ſpecierum theſaurus, etiamſi ſimul omnes potentiæ in eadem parte reſideant; quod docet Ariſt. *lib. de memoria, & reminiſc. c. 1.* & Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. c. 23.* & probat Valleſ. *loc. proximè cit.* Nam fieri poteſt, vt homo non præuideat aliquod malum, quòd rei cuiuſpiam alterius, quæ illud portendebat, oblitus ſit; tuncque quodammodo ratio læſione memoriæ priuatur ſuo munere, videlicet quia non recipit ſpecies rei, cuius eſt oblitus. Similiter ſi aliæ potentiæ præteritorum ſpecies conſeruarent, & actum memorandi producerent, fruſtra memoria conſtitueretur in probabiliori opinione diſtincta ab aliis potentiis ſenſitiuis interioribus.

§. II.

*De cauſis læſionis memoriæ.*

Cauſas læſionis memoriæ plures tradunt Authores. Prima, & frequentior eſt frigiditas pura, aut cum humore, in qua omnes Medici conueniunt; nam cùm ad memorandum indigeat cerebrum intenſiori calore, quàm ad imaginandum & exiſtimandum, hinc fit vt cerebrum intemperatum à frigiditate citiùs memoriam amittat, quàm rationem, & imaginationem; nam quod calore intenſiori indiget, minùs poteſt ſuſtinere eius ſubtractionem, quàm cui minùs ſufficit. Hæc quidem frigiditas poteſt adiungi ſiccitati, aut humiditati, & vtroque modo lædere valet memoriam, & abolitè, aut diminutè, vt docet Auic. *loc. ſuperiùs cit.* & Galen. 3. *de locis, iam repetito,* dum dicit: *Cùm igitur vel periit, vel grauiter læſa eſt memoria, frigida eſt omninò intemperies; quocirca calefacere ipſam oportet: ſed ſi humiditati copuletur, arefacere; ſi ariditati, madefacere: & taliter memoria læditur, vt reliquas potentias in conſenſum trahere ſoleat.*

*Nota, & benè rationem, ob quam memoria læditur à frigore.*

Ratio verò propter quam memoria malè operatur ob cerebri frigiditatem, relictis rationibus adductis à Gentili ſuper locum Auicen. traditum, hæc eſt, quia ad operandum perfectè huiuſmodi potentia non ſolùm indiget ſpeciebus, ſed temperamento naturali ad actionem accommodato, & ita quælibet immoderata intemperies deiicit virtutem, vt inquit Galen. 3. *de cauſis ſympt. cap. 1.* & quia frigus intenditur, & poſitiue corrumpit calorem, quo indiget ad operandum, hinc eſt, quod ratione frigoris malè cerebrum diſponentis memoriæ actio læditur, & in ſpiritibus producit denſitatem, cuius ratione qualitatem ſibi naturalem amittunt; quâ deficiente ob inſtrumenti defectum memoria non operatur, imò & in cerebro eandem producet denſitatem, quæ impedit ſpecierum receptionem.

*In quo conſiſtat memoriæ lapſus.*

Ex dictis ſoluitur quoddam dubium; nam quamplurimi autumant, memoriæ actionem deperdi, nihil aliud eſſe, quàm totaliter ſpecies præteritorum amittere, ita vt nullæ maneant in cerebro; quod cùm non habeat temperiem accommodatam ad earum conſeruationem, & retentionem, ex defectu temperiei naturalis deperduntur; quod probari poteſt ex Auicen. exemplo quodam à ſimili ex externis deſumpto; in externis enim ſigillum in re molli facilè imprimitur, non tamen impreſſio perſeuerat; in re verò dura difficulter, ſed ſemel impreſſum difficilè etiam aufertur. Quæ omnia ſunt ad mentem Ariſtot. *libro de memoria,* vbi ait: *Qui animi celeritate præſtant, & qui obtuſo ingenio ſunt, fluxam æquè obtinent memoriam; illi enim magis hument, quam res ferat; hi magis ſicci ſunt: vnde alterius imagines non ſeruantur, alterius non adhærent.* Si igitur imagines rerum non ſeruantur, ſequitur quod deficere actum memorandi nihil aliud prærequirat, quàm ſpecierum defectum, & deperditionem.

Sed licèt hæc veritatem habeant reſpectu ſpecierum, quæ de nouo producuntur in memoria, & aliarum ſpecierum, quæ iam productæ ſunt, quæ facilè ex cerebri humiditate dilabuntur; reſpectu tamen aliarum cauſarum horum fundamentum non eſt vniuerſaliter verum: nam ſiue deperdantur ſpecies, ſiue non, ſi cerebrum eſt frigidum nimis, amittet actum memorandi, quia vt diximus, non ſolùm requiruntur ſpecies, ſed diſpoſitio cerebri ad talem actum accommodata, vt patet in actionibus aliarum potentiarum. Quod experimento quotidiano comprobatur, nam vidimus aliquos totaliter amiſiſſe memoriam, quam poſteà temporis tractu recuperarunt, & præteritorum, vt anteà, recordabantur. Quod nequaquam contingere poſſet, ſi ſpecies rerum amiſiſſent; nam ad earum productionem requiritur obiecti præſentia, & vt homo addiſcat res ſicut antea; quia memoria eſt tunc ſicut tabula raſa, in qua nulla eſt imago depicta. Dicendum ergo eſt, ad memoriæ defectum ſufficere diſpoſitionem illam præter naturam, ſiue ſpecies dilabantur, vel non.

Calor etiam ponitur inter cauſas læſionis memoriæ, vt conſtat ex Galen. iam citato, in hiſtoria agricolæ, qui ob labores, quos vites colendo ſubierat, ac tenuem victum, memoriam amiſit, qui calorificis remediis lædebatur. Idem docet Paul. qui aſſerit calorem ſiccitati adiunctum memoriam etiam deprauatam efficere: idemque teſtatur Auic. & relictis aliis, ratio eſt, nam calor conſumit ſpiritus animales, qui ſunt neceſſarij ad actus ipſius memoriæ, vt patet in conualeſcentibus, qui ſpirituum penuriam patiuntur maximam, & rerum obliuiſcuntur, qui refectis viribus ſtatim recordantur: & in communi opinione calor exſiccat cerebrum, & reſoluit eius ſubſtantiam ſubtiliorem, & tenuiorem, quâ ſemotâ cerebrum redditur ſiccius, & impotens ad receptionem ſpecierum, vt ſuprà diximus ex Ariſt.

Ariſt.doctrina; quæ quidem cauſa ſolet etiam delirium excitare, & memoriam deprauatam lædere. Ego quendam curaui, cui vulnus inflictum fuit in crure dextro, è quo magna ſanguinis copia profluxit,& ex ſanguinis,& ſpirituum defectu, cerebro perfrigerato memoriam amiſit.

*Signa.* Pro cauſarum diuerſitate varia adducuntur ſigna. Si ergo à cauſa frigida morbus excitetur, ex actionum torpore, & ſomno dignoſcetur; frigida enim intemperies animales actiones torpidas efficit,quòd animalia, quæ per frigora latêre coguntur, haud obſcurè declarant, vt inquit Gal. quod etiam videre eſt in medicamentis,& cibis frigidis; ſiquidem lactuca graues inducit ſomnos, ſi quis illius multã quantitatem, aut illius ſuccum ingeſſerit. Valleſ.ait,quod ſi ſubitò memoria lędatur,exiſtimandum eſt à frigiditate prouenire, quia ſiccitas, & humiditas lentam habent actionem, à qua paulatim memoria læſionem contrahit; & hanc ob cauſam Hip. *de morbo ſacro* obliuioſos appellat perfrigeratos; verùm ſi frigiditati adiungatur humorum crudorum copia,& vſus ciborum pituitam generantium, faciliùs percipies ab hac cauſa pendere. Si verò humiditas frigiditati adiungatur, vehementer ſomnolenti ſunt. Item excrementa humida è naribus excernunt, & eorum aggrauantur capita;at ſi frigiditas ſiccitatem comitem habet,ſomnus fit moderatus,& excrementa pauca,& ſicca; ſi verò à calore,& ſiccitate oriatur,agnoſcitur ex labore præcedente, ſtudiis,vigiliiſque, vt nouit Galen.in eo,qui vites colebat. Quod etiam percipitur ex delirio adiuncto,nam præcipuè hac de cauſa fieri ſolet. Similiter ſi capitis dolor, aurium ſonitus, vocis tarditas,manuumque torpor præcedant, hæc omnia obliuionem denunciant, ex Hipp. 5. *coacarum, textu* 12.

## §. III.

### *Curatio memoriæ læſæ.*

CVm frequentiùs memoria labem patiatur ob humores frigidos in caput irruentes, & eius poſticam partem,in qua magis viget memoria,præcipuè lædentes; ideò ab huius curatione exordium ſumam. In primis enim æger ſe abſtineat ab ebrietate,cruditate ventriculi,ſatietate, & ab immodico ſomno, præſertim ſupra cibum. Caueat ab immoderatis animi paſſionibus, quamuis iram excitare non erit abs re; moderato vtatur exercitio, ita vt cibum exercitium præcedat, & frictionibus partiũ extremarum, ventrem habeat lenem, aut vtatur clyſteribus,vel ſuppoſitoriis quotidie, aut de tertio in tertium diem; aërem eligat calidum, aut talis arte paretur; veneris vſus ſit rariſſimus. Victus ſit calidus,& extenuans,vt aqua mulſa,ius pulli cum ciceribus,& petroſelino elixi; obſonia parentur cum origano,pipere, & croco, & in fine prandij aſſumat coriandrum præparatum, aut dianiſum, vel amygd.toſtas; noctu aſſumat oua ſorbilia, vel poma odorifera aſſa,vel pulli carnem. Bibat vinum album,aut aquam mulſam ex origani decocto. Euitet lacticina,& alimenta craſſa flatus generantia; alia per interualla conferũt, quæ humorem attenuant,& diſſoluunt.

*Sanguinis miſſio, & expurgatio.* In ſanguinis extractione cautè eſt procedendum: quapropter ſi adſit ſanguinis redundantia, ſanguinem moderatè extrahes ex vena media; ſi verò deficiat ad humoris præparationem te conuertes, quæ fieri debet rhodomelle, hydromelle, oxymelle ſimplici, ſyrupo de ſtœcados, capillorum Veneris, &

A acetoſo,cum aquis betonicæ, ſaluiæ, aut fœniculi; & facta aliquibus diebus præparatione eum in hunc modum purgabis. ℞. agarici trochiſcati ℥.j. fiat infuſio, & expreſſio debito tempore in decocto corticum mirobalanorum, chebulorum, foliorum ſennæ,& florum ſtœcados, & adde catholici ℥.iij. ſyrupi perſici ſolut.℥.iij. miſce. Vel pillulis de agarico,& aggregatiuis,quæ formari poſſunt cum melle roſaceo. Sed ſi hic humor,quia frigidus, & craſſus eſt, nequit vnicâ vice expurgari, iterum illum præparabis,& expurgabis, facta potione ex cartami ſeminis emulſione, & agarico, cum infuſione ſennæ, & diaphœnici,aut pillulis aureis, cochiis, arabicis, & ſimilibus; quod quidem efficies pro virium robore,& vſus indigentia; nam quantitatem hic metiri eſt impoſſibile; eſt enim medicina ars coniecturalis, & docet nos conſiderare ægri ætatem, conſuetudinem,anni temperamentum, & regionem,ad quodlibet remedium exercendum, vt docet Hip.de veteri medicina, & 1.*aphor.textu* 2. *Quæ conſideranda in curatione.*

*Topica auxilia quæ conferant.* Facta igitur vniuerſali purgatione,ad topica remedia deuenire oportet, quæ capitis humorem reſoluant. Oportet itaque caput inungere oleis irino, camemalino,& nardino, quibus addes aliquid caſtorei,euphorbij, aut piretri, ex quibus linimentum
B parare etiam poteris. Irrigationes etiam capitis fiant ex alto cadentes,ex decocto hyſſopi, ſampſuci, ſerpilli,thymi,betonicæ,ſaluiæ, florum camemali, & foliorum ſennæ,cui addes vini albi parum, vt citiùs penetret. Sacculum præterea, vel cucufam ex prædictis herbis capiti impones,cui addere poteris pulueres macis,cinnamomi,nucis moſcatæ, zingiberis,& aliorum.

Ex eodem decocto poteſt fieri aqua mulſa, cui addatur ſuccus betæ, quem per nares abſorbeat æger; & etiam os colluatur. Maſticatoria ſunt ſimiliter ex vſu,quæ formantur ex piretro,maſtiche, ſinapi, & cariophylis,cum cera,melle toſto,aut ſyr. ſtœcados. Conuenit præterea aſſumere quolibet mane confectionem anacardinam cum aqua fœniculi, vel radicis chinæ. Quantitas quæ ſumi poteſt,eſt à ʒ.ß. ad ʒ.j. vel ſumat conſeruam ſtœcados,aut parum chicorei. Hoc antidotum confert
C obliuioſis,& lethargicis, ventremque corroborat, & omnia membra vi frigoris debilitata. ℞. zingiberis,origani, galangæ, maſtichis, ana ʒ. iij.nucis moſcatæ,calami aromatici,carpeſiorum,ligñ aloës, maceris,ſeminis apij,cariophylorum, cardamomi, ciperi,menthæ ſiccæ,& zedoariæ ana ʒ.ij.terantur omnia & pulverizentur, ac cùm penidiarum, & & mellis deſpumati quantitate ſufficienti fiat clegma,de quo ſumat æger quotidie ʒ.j.cum aqua fœniculi,aut aqua mulſa. Aëtius laudat eboris ramentum,aut cornu cerui,& etiam caſtoreum,quæ manè aſſumpta huic morbo opitulantur. Meliſſa memoriã confirmat,& ingenium acuit,ac comeſta hominem facit induſtrium: idem efficit naſturtium, ex Cardano *de ſubtilitate*; dens taxi hominis brachio alligatus, aut collo ſuſpenſus memoriam roborat,ex
D Iacob. Vuecrero: item fel perdicis atteriis temporum illitum ad confirmandã memoriam plurimùm prodeſſe ipſe etiam teſtatur. Paulus vſum clyſterum commendat,Mercatus inquit,quod ſi hæc non proſint, corpus ſudare cogimus ex decocto ligni guaiaci, vel radicis chinæ, aut balneis ſulphureis. Quæ omnia prudenter ſunt adhibenda, ne nimis corpus exſiccetur, & in contrariam incidat labem. *Sudationes conferunt ad memoriam.*

Vega laudat peſſulum erhinum, quod naribus inſertum memoriam labantem reparat, & amiſſam reſtituit,quo qui vti voluerit,priùs corpore purgato hunc ordinem ſeruabit. Quinquaginta noctibus nihil aliud præter paſſulas cum amygdal. paucis, & *Vega peſſulum probatum.*

& pauco pane in cœna ſumet; prandium erit pulli, gallinæ, aut perdicis caro aſſa; vinum album vnius anni modicè dilutum pro potu habeat, & ſingulis noctibus propè horam ſomni peſſulum ſiniſtræ nari inſerat,& narē goſſipio obturabit,& ſic ſeruabit non vltra quàm Virgilij decem carmina recitet: iis elapſis diebus, peſſulum nari inſerat, deinde attentè legat quæ voluerit addiſcere per integram horam,vel plus,& ſecluſo peſſulo dormiat, manè namque ſingula quæ legit,memoria tenebit, ita vt memoriæ tenacitate neminem parem inueniat, cuius peſſuli hæc eſt deſcriptio. ℞. menthæ ſiccæ, pulegij, euphraſ. verbenæ, ſemin.coriandri præp. polytrici,ana ʒ.j. floris roris marini ʒ.j. ß. calami aromatici,& cinnamomi,vtriuſque ʒ.ij.cariophylorum ʒ.j.ß. moſchi, & galliæ vtriuſque gr. vj.mellis anacardini, & ſtyracis calamites ana ʒ.ß. Quæ ex his triturationem patiuntur, in tenuem puluerem redigantur, & omnia cum aqua ſtillatitia fœniculi in paſtillos conformentur ad nuclei palmulæ formam,quibus,vt diximus, vti poterit.

*Curatio memoriæ ex ſiccitate,& frigiditate.*

Verùm ſi ſiccitati adiungatur frigiditas capitis, frictionibus vtendum eſt, & decocto ſeminis lini, fœnugræci,florum camemali, & capitis arietis caput irrigetur. Similiter proficuum eſt caput inungere oleo camemali,& anethino,& axungia anatis, & vnguento filij Zachariæ,ex quibus paretur vnguentum, quod vim humectandi, & calefaciendi habeat. Si verò ſit cum præſentia humoris melancholici, eum oportet euacuare (etſi hoc Ludouico Mercat. diſpliceat) facta priùs præparatione cum Syrupo borrag.fumariæ,Sabor.Regis,& aquis lupulorum,borrag.aut bugloſſæ:deinde corpus purgabis diaſenna,electuar.indo,aut confect. Hamech in hunc modum. ℞.mirobalanorum indorum,ſennæ, & epithymi,ana ʒ j.ß.florum borrag. bugloſſæ, & ſtœcados, ana p.j. coquantur debito modo in ſufficienti quantitate aquæ, cuius colaturæ accipe ℥. iij.confect.Hamech ʒ.iij.catholici ʒ.ij. ſyrupi ſennati ℥.iij.miſce, & fiat potus: aut pillulis indis,de fumaria, aut aggregatiuis catapotia parabis. Victus ſit caro elixa pulli,aut gallinæ, aut arietis, cum borragine,& lupulis, quæ etiam origano,& pipere condiantur,noctuque ſumat amygdalatum, quod mirificè humectat. Potus ſit vinum aquâ dilutum.

*Curatio læſionis memoriæ à ſiccitate.*

Si verò ſiccitas per ſe memoriæ læſionem inferat, prætermiſſis euacuationibus, eiſdem remediis vteris,dummodo in calore, & frigiditate attemperentur,ne plus debito incaleſcant,aut refrigerent.

Quod ſi frigiditas per ſe ſine alterius qualitatis conſortio hunc morbum procreet, eiſdem alterantibus, & eadem victus inſtitutione curabitur, ac dictum eſt in curatione huius morbi ab humore pituitoſo.

*Curatio memoriæ à calore & ſiccitate.*

Tandem ſi à calore, & ſiccitate cum humoris præſentia affectus inſurgat, victus debet eſſe refrigerans, & humectans, vt traditum eſt capite de phrenitide; & potus ſit aqua hordei,& ſcorcioneræ, vel fontana frigida: aër ad frigidum declinet,corpus etiam ſyrupis refrigerantibus attemperetur,& purgetur chalagogis medicamentis, quibus admiſcebis quæ eorum calorem, & ſiccitatem refrangant. Deinde imponendum eſt capiti oxyrrhodinum,& alia quæ ibi adduximus. At ſi intemperies calida,& ſicca ſine humore exiſtat, ſolis alterantibus eiſdem, eademque victus inſtitutione morbus aufertur.

## CAPVT XII.

### *De morbo comitiali.*

MOrbus iſte comitialis, quem Græci epilepſiam vocant,ita dicitur,quia ſi quem Romæ in comitiis prehendebat, comitia ſoluebantur. Dicitur morbus caducus à cadendo, quoniam ægros cadere facit; aut herculeus, quia fortitudine, & vehementia Herculi ſimilis exiſtit,ab Hiſpanis *gota coral*,ab Arabibus *alferecia*,& ab Hipp. *morbus ſacer* appellatur, de quo librum ſcripſit, qui *de morbo ſacro* nuncupatur.Hunc definit Galen.3. *de locis affectis*,c.7. in hunc modum: *Morbus comitialis eſt conuulſio omnium corporis partium, non perpetua,vt in emproſthotono, opiſthotono, & tetano videre eſt; ſed quæ ex temporum interuallis: neque ſolùm hac re, ſed mentis, ſenſuumque oblæſione.*

*Morbi comitialis definitio.*

In hac definitione ponitur conuulſio loco generis, in qua conuenit cum opiſthotono, & aliis ſpeciebus conuulſionis: reliquæ particulæ loco differentiæ conſtituuntur, per quas differt à qualibet ſpecie conuulſionis; nam in aliis durat perpetuò conuulſio, hæc autem longis accidit interuallis: tum quia in aliis reperitur ſenſus,& motus, in hac autem ſenſus, & motus amittuntur. Sed antequam ad alia properemus, eſt inter Authores diſſenſio, quam examinare oportet, quæ ſic proponitur.

### §. I.

### *An morbi comitialis eſſentia conſiſtat in obſtructione.*

ANtiqui, vt ex Hipp. didicimus *lib.de morbo ſacro*,hunc morbum ſacrum appellabant,exiſtimantes eius ortum diuinitus eſſe, habereque cauſas abditas, quæ naturæ operandi ſuperabant modum:quorum opinionem erroneam refutat Hip. & huius morbi cauſas eſſe manifeſtas oſtendit, morbúmque hunc eſſe notum,& per ſigna naturalia innoteſcere; improbatque expiationes, & incantationes,quibus intendebant hunc curare morbum, & illius remedia naturalia proponit, increpans ſimul antiquorum inſcitiam in cognoſcendo, & curando illum.

*Galeni doctrina traditur.*

Galen.*loc.proximè cit.*eum in obſtructione collocat,dum dicit: *Cæterùm velox eius diſcuſſio craſſum humorem ſpiritus vias in cerebri ventriculis obſtruentem,hunc maximè affectum peperiſſe declarat.* Et 4.*de locis*,c.2.idem inſinuat. Idem docet Auic. *fen.1.3.tract.5.c.8.*vbi ait: *Et illud eſt propter oppillationem contingentem, quæ oppillatio prohibet tranſitum virtutum ſenſus,& motus.* Idem aſſerunt Gordon.*partic.2.de paſſionib.capitis,c.24.*Vega 3. *de arte medendi,c.12.*Valle.3.*de loc.pat.c.7.*& alij. Ratio fundamentalis eſt, quia in hoc affectu eſt priuatio ſenſus,& motus, quæ neceſſariò fit impedito tranſitu ſpirituum animalium, qui ab humore obſtruente, vel flatu impediri neceſſariò debet.

*Rondeletij ſententia.*

Contrariam ſententiam ſequitur Rondeletius *c.2.de epilepſia*, qui inquit, epilepſiam neque per ſe, neque per conſenſum in obſtructione ſitam eſſe. Quam ſic nititur probare. Primò, nam ſi craſſu, & viſcidus humor ventriculos cerebri obſtrueret, ceſſaret motus, ſicut ceſſat ſenſus, aut ſaltem

minor

minor fieret, quia ad illum maior virtus requiritur, A quàm ad ſenſum, vt docet Galenus 1. *de locis affectis*, *cap.* 6. & alibi millies. Secundò, nam epilepſia magis à tenui humore, acri, & ſpumoſo fit, quàm à craſſo; nam humor tenuis, & ſpumoſus faciliùs ſurſum mouetur, & citiùs quàm craſſus; neque ſequitur, vt illi dicunt, ſubitò fit iſte morbus: ergo à craſſo, & viſcoſo humore. Quod autem repentè fiat epilepſia, materiam tenuem eſſe illius cauſam potiùs quàm craſſam indicat, ſicut cita morbi ſolutio materiæ paucitatem, & tenuitatem deſignat; craſſa enim materia difficilè mouetur, tenuis verò facillimè. Quam ob cauſam inquit, quod epilepſia à tenui humore excitatur; quod non poteſt negari in epilepſia per conſenſum, quæ à tenui ſubſtantia, & ſubtili initiatur; & hoc Galeni dictis maximè conſonum eſt, qui aſſerit de iuuene illo Grammatico, quod quoties vehementer B docebat, aut cogitabat, aut inediam ſuſtinebat, aut iraſcebatur, morbo hoc corripiebatur: & de puero epileptico, qui auram frigidam à pede oriri ſentiebat, quæ neceſſariò motu ſubito, & velociter aſcendebat, & tenuem, & leuem habebat ſubſtantiam, quæ non obſtruendo, ſed potiùs irritando cerebri motum, & concuſſionem agitabat. Hanc ſententiam tuetur Fernelius 2. *de abditis rerum cauſis*, *cap.* 5. & 5. *de partium morbis*, *cap.* 3. vbi aliquibus rationibus ſuum probare nititur intentum.

*Petri Garcia ſententia.* Mediam ſententiam inſequitur Petrus Garc. *de locis affect. diſput. de epilepſia*, *cap.* 3. qui aſſerit, aliquando requiri obſtructionem ad huius morbi conſtitutionem, aliquando fieri ſine illa, ita tamen vt morbus ſit inſtrumentalis, & in cauitatis vitio conſiſtens. Quod autem non ſemper requiratur obſtructio, ſic patet, quia vnum ſymptoma proprium huius morbi eſt concuſſio totius corporis, aut plurium partium neruoſarum: ſed propter obſtructionem concuſſio non fit neceſſariò: ergo morbus non petit obſtructionem ad ſuam conſtitutionem. Minorem robo, nàm concuſſio membrorum fit, quia cerebrum irritatur ab humore, vel alia ſubſtantia in ordine ad eius expulſionem: ſed nulla exiſtente obſtructione, cerebrum à praua, vel maligna qualitate ipſum infeſtante irritari poteſt: ergo impertinenter ponitur illa cerebri obſtructio; ſicut enim humor ſuâ quantitate aggrauat facultatem, & eam excitat ad expulſionem: ita ſimiliter ſuâ malignâ qualitate eam ad idem commouet, vt docet Galenus 2. *de differ. febrium cap. vltimo.* Hæc doctrina eſt ad mentem Galeni 3. *de locis*, *cap.* 7. *citato*, qui ex Pelopi ſententia ait: *Vnde ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit, aut quod qualitas quædam alteratis per continuationem partibus, aut ſpiritualis quædam ſubſtantia tranſmitteretur, ex qua morbus iſte procreetur, quæ potius irritando, quàm obſtruendo epilepſiam gignit.* Hanc ſententiam confirmat Auicenna *capite de epilepſia*, vbi ſic: *Tunc reſtat, vt eius quidem cauſa ſit aut contractio cerebri ad expellendam rem impedientem, quæ eſt aut vapor, aut qualitas mordicatiua, aut humectatiua malæ ſubſtantiæ, aut humor faciens euenire oppilationem.* Vbi ad vtramque cauſam hunc reducit affectum.

*Replica.* Sed inſtabis: Si non eſt neceſſaria obſtructio: ergo neque erit in hoc morbo priuatio ſenſus, & motus, quia ſpiritus motus non impeditur, cùm illius viæ maneant manifeſtæ.

*Alia obiectio.* Reſpondetur, quod non deficit ſenſus, & motus propter obſtructionem, vt probat argumentum, ſed potiùs propter compreſſionem cerebri, & ventriculorum illius; nam ad excuſſionem rei moleſtantis comprimitur cerebrum, vt aſſeruit Auic. & redditur ineptum ad ſenſum, & motum impartiendum, vt diximus *cap. de caro.*

Fit etiam ab obſtructione humoris craſſi, vt docuit Auic. *loco iam citato*, qui vias obſtruendo motum ſpirituum impedit, ac per conſequens motum, & ſenſum.

*Authoris ſententia.* Sed re vlteriùs perſpectâ, mihi videtur dicendum, aliud eſſe ad iſtum morbum aliquando dari obſtructionem; aliud verò in obſtructione conſiſtere. Primum eſt verum, vt Galenus, & alij ferè omnes admittunt; ſecundùm verò falſum, nam licet ad illum ſæpe detur obſtructio, humor tamen non tam facit obſtruendo morbum, quàm ſua quantitate, vel qualitate irritando. Et ratio eſt, quia obſtructio, vt talis eſt, ſolùm vias occludit, & hac ratione priuat animal tantum ſenſu, & motu; tamen obſtructio, vt talis eſt, neque efficit, neque efficere poteſt motum côuulſiuum, niſi quatenus cerebri virtutem expulſiuam excitat ad expellendum humorem noxium, & obſtruentem. Cum ergo motus iſte concuſſiuus ſit actio quædam deprauata facultatis expultricis cerebri, & neruorum, cuius obiectum eſt quid noxium, quantitate, vel qualitate naturam ſtimulans; obſtructio autem vt talis eſt, non ſtimulat, neque ad motum incitare valet, ideò neceſſariò morbus hic eſt reducendus ad aliud principium, nempe ad morbos in vitio cauitatis, vel inſtrumenti: cum quo incidimus in ſententiam Rondeletij, & Fernelij, qui talem morbum eſſe obſtructionem negant, licet ſæpè obſtructionem habeat adiunctam.

*Quid nomine conuulſionis intelligatur.* Diximus in definitione, quod iſte morbus eſt conuulſio vniuerſalis; apparet enim contractio muſculorum verſùs ſuam originem, quæ eſt de ratione veræ conuulſionis, vt *capite de conuulſione* C dicemus. Cum hoc tamen probabiliùs dicendum eſt, hìc non ſumi in rigoroſa ſignificatione, ſed ſumi pro motu conuulſiuo: quod facilè conſtat ex modo, quo conuulſio vera fit; nam ad rationem conuulſionis non ſolùm requiritur, quod fiat muſculorum retractio, & quod nobis inuitis fiat; ſed etiam, quod talis retractio tribuatur ſolùm morbo, & nullo modo natura operetur, vt docet Gal. *de rigore, tremore, & palpit. cap. vltimo*, & 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 1. vbi inquit: *Aliqui motus fiunt deprauati à natura ab aliqua cauſa violenter moueri coacta; alij verò morboſos comitantur affectus, naturâ ad eorum generationem ſuppetias minimè ferente, cuius generis ſunt conuulſio, & palpitatio.* Cùm ergo conuulſio in epilepſia fiat à natura irritata, & fit quædam membrorum concuſſio, & agitatio, nomen motus conuulſiui potiùs meretur, quàm conuulſionis: quod etiam conſtat ex verbis Galeni, qui definiens hunc morbum, appellat D hanc conuulſionem non perpetuam, ad differentiam ſpecierum veræ conuulſionis, quæ perpetuæ exiſtunt, vt in emproſthotono, & tetano videre eſt; præterquam quod Gal. motum conuulſiuum ſub conuulſionis nomine comprehendit; ita enim 2. *de cauſis ſympt. cap.* 2. vbi inuitam dentium concuſſionem τρισμὸς græcè, latinè *ſtridor*, dictam, muſculorum mandibularum conuulſionem appellat.

## §. II.

### *An motus cerebri fiat à facultate naturali.*

AD huius dubij intelligentiam ſupponere oportet,quod cerebrum mouetur, & concutitur vt rem noxiam, & ſibi moleſtam expellat; ſimiliter etiam in hoc morbo dum cerebrum concutitur,nerui,& muſculi retrahuntur,vt experientia oſtendit.

*Valleſ. ſententia.* Hoc ſuppoſito, aliqui exiſtimant,cerebrum, & muſculos in hoc morbo moueri à facultate animali. Ita Valleſ.5. *controuerſ. cap.*16. quod probari poteſt; nam hæc actio fit mediis muſculis, qui operantur præcedente cognitione. Et ſi dicas, quod motus voluntarius ita eſt in noſtra poteſtate, vt non factum efficere, & factum ſedare poſſimus; quod non contingit in motu epileptico.

Ipſe reſpondet, quod hæc concuſſio eſt opus liberæ potentiæ, & virtutis animalis actio, quamuis non fiat tanta cum libertate, vt poſſit impediri: quod à ſimili patet in reſpiratione per ſomnum, quæ eſt actio libera, & impediri non poteſt.

*Euſtachij ſententia.* Euſtachius Rudius 1. *de virtutibus cordis*, & Veiga *lib. artis medicinalis*, exiſtimant cerebrum moueri per motum arteriarum, ita vt ex ſe nullum habeat motum.

*Concluſio vera.* Sed iis, & aliis fundamentis relictis, vt certius tenendum eſt, cerebrum peculiari, & proprio motu naturali moueri; qui motus eſt ſimilis motui naturali cordis,vt docet Merc. *lib.*1. *de partib. claſſe* 5. *art.*2. Petrus Garcia *de locis affect.diſp.*2. *cap.* 5. Quod probatur primò fundamento capite primo huius libri tacto, vbi probauimus, cerebrum non ſentire: ſed actiones aliarum partium, quæ ſenſu carent, non ſunt animales, neque fiunt præcedente cognitione: ergo neque actiones cerebri. Minor conſtat; nam oſſa, & viſcera,quibus non ineſt ſenſus, non mouentur ſub imperio rationis, ſed naturaliter ſuas eliciunt operationes.

Secundò; nam homo ſanitate gaudens ſuas efficit actiones animales vt vult,& factas ſedat: ſed velit nolit, cerebri actiones, & motus fiunt, & nequit eas ſedare: ergo non ſunt actiones animales, neque imperio voluntatis ſubiiciuntur: ergo cùm in epilepſia cerebrum violenter mouetur,eius motus non eſt reducendus ad facultatem motiuam animalem, ſed potiùs ad naturalem. Nomine tamen naturalis non intelligimus motum merè naturalem,qualis reperitur in grauibus, & leuibus, quæ mouentur vſque ad vltimum potentiæ; ſed potiùs intelligimus motum naturalem vitalem,qui fit naturaliter,& pro vſus indigentia, vt dicitur de motu cordis, & arteriarum.

Tertiò, nam ſicut per arterias aër attrahitur ad ſpirituum vitalium generationem,& fuligines expelluntur motu ſyſtole, & diaſtole compoſito; ita cerebrum ſuo motu aërem attrahit ad ſpirituum animalium productionem, & fuligines expellit: ergo ſicut natura non denegauit cordi, & arteriis facultatem naturalem ad hunc finem exequendum, neque illam denegabit cerebro, cum vtriuſque ſit eadem ratio.

Quartò probatur ex D.Thom. 1.2. *q.*17.*art.*9. vbi probat actiones animæ ſenſitiuæ ſubiici imperio rationis, cuius contrarium in cerebri motu

A reperitur. Cùm igitur hæc facultas non ſit animalis, vt dictum eſt, neque fiat ab arteriis, vt ſtatim dicetur, neceſſariò fatendum eſt, eſſe naturalem.

*Ad Valleſ. reſpondetur.* Ex his reſpondetur ad Valleſ. quod motus cerebri non fit mediantibus muſculis, neque præcedente cognitione, & ſic non eſt animalis; nam de motu concuſſiuo muſculorum, & totius corporis ſtatim dicetur.

Ad illud de reſpiratione reſpondetur,reuerà eſſe actionem animalem, quæ non impeditur per ſomnum, etiamſi ſit libera, quia maximè eâ indiget reſpirans, qui per ſomnum non amittit totaliter ſenſum, nec cognitionem, & ſic fit præcedente cognitione; ſi enim ceſſarent omninò ſenſationes, neque fierent inſomnia, neque vociferarent dormientes, neque ſomno correpti deambularent, vt de aliquibus eſt relatum.

B *Ad Euſtachium reſponſio.* Ad Euſtachium reſpondetur negando, quod motus cerebri fiat per motum arteriarum; nam ſi attentè intuearis cerebri motum in ſincipite infantis nuper nati, aut alterius habentis propter vulnus cerebrum denudatum, & manum imponas in carpo manus illius, liquidò cernes non correſpondere motus motibus, ſed multò plures fieri pulſationes in arteriis eodem tempore, quàm in cerebro.

Secundò,nam religatis arteriis ſoporalibus caluariam ingredientibus manet adhuc motus in cerebri ſubſtantia, qui non poſſet fieri, ſi ab arteriis dimanaret. Tandem arteriæ cerebrum ingredientes exiguæ cùm ſint, non poterunt mouere cerebrum per tantam ſpatij magnitudinem, vt expedit ad aëris attractionem, & ſpiritus animalis generationem: quare fruſtra tanta ſpatij ampliatio à natura eſſet producta.

C *A quo principio moueantur nerui, & muſculi in epilepſia.* Quod autem muſculi, & nerui in epilepſia non moueantur à facultate animali, eodem fundamento probari poteſt; nam æger eſt ſine ſenſu, & motu: ergo ille motus non poteſt eſſe animalis, ad quem requiritur ſenſatio aliqua, ſeu perceptio obiecti. Quod verò ſit ſine ſenſu,& motu,docet Galen. 3. *de locis, cap.*7. *cit.* & in hoc omnes conueniunt.

Neque ſufficit dicere,quod talis motus eſt muſculorum,quem omnes reducunt ad facultatem animalem. Facilè enim reſpondetur, illum motum muſculorum eſſe facultatis animalis, qui fit, vt diximus, præcedente aliqua cognitione, ratione cuius muſculi obiectum motu ſuo inſequuntur, aut fugiunt; at quia iſte, de quo eſt noſter ſermo, fit ſine cognitione, & ſine ſenſu, nequaquam ad facultatem iſtam reduci quit. Quapropter dicendum eſt,neruos,& muſculos in epilepſia moueri ad
D motum cerebri,quod docet Gal. 1. *de cauſis ſympt. cap. vltim.* vbi ait, agens de apoplexia, & epilepſia: *Ambo enim hæc vitioſi motus cerebri ſunt,ideoque etiam partium ſigillatim omnium.* Et 3. *de locis cap.*7.*in principio*, vbi ſic: *Cæterùm velox eius diſcuſſio craſſum humorem ſpiritus vias in cerebri ventriculis obſtruentem hunc maximè affectum peperiſſe declarat, neruorum principio ſeipſum quatiente,quo excutiat id, quod noxium eſt.* Vbi talem concuſſionem eſſe ſolùm cerebri oſtendit, ad quam ſequitur aliorum membrorum concuſſio,ſicut moto trũco non eſt mirum ſi moueantur rami. Clariùs id oſtendit Auic. *cap. de epilepſia, citato*, vbi ſic: *Et cùm cerebrum contrahitur, motus eius diuerſificantur, & ſequitur ipſum contractio neruorum in facie, & aliis.* Vbi apertè neruorum contractionem ad cerebri contractionem, & non ad aliud principium reducit; quem ſequitur Gentilis *in illius*

*illius loci expoſitione.* Leonardus Iacchinus *in 9. Raſis, cap.* 14. Ioannes Arculanus *in eundem nonum Raſis, eodem cap.* Vega *cap.* 12. *ex* 3. *de arte medendi*, hanc protegunt ſententiam; & ratio fundamentalis eſt: nam nerui,qui in muſculos inſeruntur, oriuntur à cerebro: ergo ſi nimis contrahitur cerebrum, & ipſi nerui neceſſariò contrahi debent,qui ſecum muſculos trahunt, & conſequenter reliqua membra. Cerebrum enim ſe habet vt truncus arboris, nerui verò vt rami; & ſicut eſt impoſſibile, quod arboris truncus locum immutet, quin etiam rami moueantur, ſic ſimiliter dicendum eſt de cerebro. Hoc autem prouenire video ex admirando conſenſu, & vnione partium inter ſe; eſt enim conſenſus vnus, & conſpiratio vna, vt inquit Hippoc. *libello de alimento.* Ex quo infero, quod ſi in hoc morbo nerui vnius partis magis contrahuntur quàm alij; ideò fit, quia cerebrum non patitur ſecundùm omnem partium differentiam, ſed ſolùm irritatur ſecundùm partem illis neruis correſpondentem.

*Epileptici manent ſine ſenſu, & motu.*

Dictum eſt in definitione, quod hoc morbo vexati iacent ſine ſenſu, quod comprobat Galenus *capite in principio citato*, vbi aſſerit: *Accedit ad hæc, vt hic qui ſic laborat, neque videat, neque audiat, neque vllo ſenſu quidquam percipiat, ac ne conſequi quidem poſſit, quod factum ſit; ſed cum memoriæ viribus ratio quoque læditur.* Idemque demonſtrauit Auic. circa quod nullum relinquitur dubium: quod etiam docuit Hippocrat. *lib. de flatibus*, per hæc verba: *Eo enim tempore, quo corripiuntur à morbo, neque ſentiunt quidquam, neque audiunt, neque vident, neque aliquos dolores percipiunt.*

*Obiectio.*

Sed inſurges. Maior virtus requiritur ad motum, quàm ad ſenſum, vt docet Galen. 1. *de cauſis ſympt. cap.* 5. ſed qui hoc morbo tenentur, non habent virtutem ad ſentiendum: ergo neque illam habebunt ad motum, ac per conſequens non poterunt moueri, neque eorum membra concuti.

*Reſponſio euidens.*

Ex dictis facilis eſt reſponſio; nam ibi loquitur Galen. de virtute animali neceſſaria ad motum, & ſenſum; motus verò, qui fit in epilepticis, non eſt virtutis animalis, ſed naturalis ex cerebri motione naturali, & impulſu dependens, qui benè ſaluatur ſine motu animali: quo argumento facilè conuincitur Valleſij doctrina.

Pars affecta eſt cerebrum, vt docet Gal. 4. *de locis, cap.* 2. læditur tamen magis ſecundùm ventriculos, inquit enim: *Verùm in ſopore, & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minùs.*

*Tripliciter fit iſte morbus.*

Tripliciter iſte morbus producitur, nam vel cerebrum afficitur per primariam affectionem, aut aliquid à ventriculi ore ad cerebrum per conſenſum aſcendit, vel ab alia quauis parte.

*Cauſa.*

Huius morbi cauſam frequentiorem eſſe humorem frigidum cerebri ventriculos obſtruentem, docuerunt Auic. Galen. & alij. Rationemque reddit Galen. nam humoris crudi copia facilè, & breuiter colligitur in cerebro, & confertim expellitur ab illo, quia ad eius expulſionem coctionem non expectat, neque fieri poteſt ab euacuatione, aut aliqua prima qualitate, quia ſubitò fit, & ſubitò ſoluitur.

*Obiectio.*

Et ſi obiicias: Senes plurimis ſcatent excrementis, & humoribus crudis: ergo faciliùs deberent incidere in hunc morbum, quàm alij, quod eſt contra experientiam.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, ſenes citiùs in apoplexiam, quàm in epilepſiam incidere; nam deficit illis virtus ad motum concuſſiuum, qui eſt huius morbi acci-

A dens, ex cuius defectu citiùs apoplexiâ corripiuntur: quare dictum eſt ab Hippocrate 6. *aphoriſm. textu* 57. Apoplexiæ fiunt maximè à quadrageſimo ad ſexageſimum annum.

Similiter annumerat Galenus inter huius morbi cauſas humorem melancholicum, ex Hippocratis ſententia, qui etiam producitur à vapore, ſeu flatu, vel à qualitate maligna, & mordaci, præſertim dum ab aliqua parte cerebro per conſenſum communicatur affectio, vt diximus ex Pelopi præcepto; & vniuerſaliter à quolibet humore poteſt exoriri, qui ſua quantitate, aut qualitate cerebrum infeſtando illud irritet, & concutere faciat, vt docet Auicen.

*Signa per propriam paſſionem.*

Signa huius morbi per propriam paſſionem præcedentia, ſolent eſſe mœſtitia, inſomniorum turbulentia, capitis dolor, & grauitas, ſenſuum hebetudo, & loquela tarda: quando verò iam morbo ſunt oppreſſi, ex iis quæ adduximus in definitione morbus innoteſcit.

*Signa epilepſiæ à ventriculo.*

B Si ab ore ventriculi initium ſumat, dignoſcitur ex nauſea, cibi faſtidio, oris amaritudine, & ventriculi mordicatione, & aliquando inediam ſuſtinere non poſſunt, & ex aurium ſonitu, & ſplendoribus quibuſdam circa oculos obuerſantibus.

*Signa epilepſiæ ab alia parte.*

Si verò ab alia peculiari parte aura quædam ad cerebrum aſcendat, ex læſione quadam ipſius partis percipi poterit, & quia morbum præcedit ipſius partis tremor, & concuſſio, & cùm iam malum perſentire incipiunt ægri, clamant, & adiutores vocant.

Tandem ſi ex venenatæ feræ morſu contingat, interrogatione facilè conſtabit.

*Præſagium.*

Hic affectus eſt maximè periculoſus, vt inſinuat Galenus 2. *aphor. comm.* 45. quia quodam modo eſt apoplexiæ proximus, cùm tamen ætatis, temporis, loci, & victus mutatione curari ſoleat,
C vt ait Hippocrates 2. *etiam aphor. textu* 45. Quibus præterea ſpuma circa os fit, ſuffocari ſolent, quæ ex motuum vehementia, & agitatione, mixtis humida, & ſpirituoſa ſubſtantia fit, vt aſſerit Galenus 2. *aphor. comm.* 43. quia ob difficilem reſpirationem ſtrangulati intereunt. Quibuſcumque etiam morbi comitiales ante pubertatem fiunt, mutationem accipiunt; quibuſcumque vigeſimoquinto, commoriuntur, ex Hippoc. 5. *aphoriſm. textu* 7.

## §. III.

### *Curatio morbi comitialis.*

CVm iſte affectus infantulos, & nuper natos corripere ſoleat, ab eorum medela incipi-
D mus, quibus euenit aut à lacte in ventriculo concreto, & coagulato, ita vt fiat per conſenſum, quod frequentiùs accidere ſolet; aut cerebro per primariam affectionem patiente, quod quidem facilè generat excrementa, & cruditates, quæ ſunt huius mali cauſa. Illis etiam ſuperuenit iſte morbus ex vi generationis contractus; quo caſu difficilem, ne dicam impoſſibilem, admittit curationem: dum enim morbus eſt hæreditarius, imprimitur in parte, cui ineſt character, ſeu ſigillatio quædam, aut habitualis diſpoſitio à parentibus contracta, quæ partem diſponit, vt leui occaſione incidat in morbum, quem etiam curare oportebit; nam ſi ex toto non aufertur morbus, minores tamen, ac rariores habebit acceſſiones, vt docet Hippocrates *libro de morbo ſacro.*

In

In primis nutrix eligatur boni lactis, quæ optimo nutriatur alimento. Deinde ſi morbus ſit per propriam cerebri affectionem, quod frequenter accidere ſolet his, qui hoc morbo tenentur hæreditario, ſi æger in ipſa acceſſione ſit, oportet eum ab acceſſione liberare; quod efficies, ſi occipitio apponas parum theriacæ antiquæ in rutaceo oleo diſſolutæ, vel pannū madidum oleo vulpino, rutæ, & camemalino, cum puluere rutæ, aut carpeſiarum, ex quibus cū cera parari poteſt linimentum. Linguam etiam, & palatum illines cū theriaca, aut mithridato in ſucco rutæ diſſoluto. Reuocato puero ab acceſſione, factâ leui præparatione, ſi vires ferre poſſint, leue medicamentum purgans propinabis, tardare enim in talibus, malum eſt: quare primo acceſſu prorrigere oportet ℥. ß. aut ʒ. j. mellis perſici, aut ſyr. ſolut. roſarum perſic. aut Principis. Quam purgationem repetere oportet, & interim corpus præparare ſyrupo de peonia, de ſtœcade, aut melle roſaceo mirabili, quod conficitur ex aqua tiliæ, peoniæ, ceraſorum dulc. cum ſucco roſarum & melle deſpumato. Deinde conſulit Leonard. Iacchinus, vt cauterio vtamur, non ſolùm ad morbi curationem, ſed ad eius præuiſionem, præſertim vbi timor eſt imminentis mali. Affigitur autem ad primam vertebram: inſtrumentum oliuæ nucleum imitetur; excidente ſchara diu effluere ſinimus, nam ſic exſiccatur cerebrum, & illius excrementa deponuntur: cui etiam morbo hæreditario alia remedia inferiùs tradenda proficua ſunt.

Sed circa cauteriorum admotionem notare oportet ex Herodoto *lib. 4. melpomenæ, circa finem*, quod non quolibet tempore ſunt applicanda in pueris, ſed quando quadrimi effecti fuerint; nam antea cùm carnem habeant mollem, nequeunt ferre dolores, & ſæpe inflammationes excitantur, & inde grauiora mala, ob neruorum exortum; & ob cerebralem, & medullarem ſubſtantiam, quæ ibi eſt propinqua. Neque in ſincipite vſtiones proſunt, quia eſt difficile humorem ſurſum ferri. Solum ergo corroborationi prodeſſe poterunt, non verò expulſioni humoris noxij, vt D. Sancta Cruz oſtendit *lib. de morbo ſacro, in digreſſione ſuper textum 3.* Doctiſſimus noſter Mercatus *lib. de recto præſid. vſu, capite 16.* docet, non eſſe remorandum hoc auxilium in pueris, ſed ſtatim vno, aut duobus ab exortu menſibus eſt exercendum; nam eſt periculum in mora.

*Curatio per propriā paſſionem in pueris.*

Eiſdem auxiliis curatur iſte affectus per propriam paſſionem, quamuis non ſit hæreditarius. In omnibus primò nutrix benè ſe gerat; abſtineat à coitu, nam menſes viri conſuetudine prouocantur, & lac odoris gratiam in deterius mutat, quod guſtu, odoratu, & viſu diligenter eſt explorandum; ſiquidem quod optimum eſt, guſtanti, & olfacienti ſuaue, & dulce apparebit, videntique candidum, æquale, inter tenuem, & craſſum mediocrem habens conſiſtentiam: quod vitioſum eſt, contrariis eſt præditum qualitatibus, vt deſumpſimus ex Galeno *1. de ſanitat. tuenda, cap. 9.* quamuis Ariſt. *3. de hiſtoria animalium, cap. 21.* aſſerat, quod lac lactentibus commodius eſt, quod in liuorem trahit, quàm candidum; & fuſcæ mulieres commodius, & ſalubrius trahunt lac, quàm candidæ; & melius eſt, vt ad tenuem, quàm ad craſſum declinet, ne ſua craſſitie humores craſſos, & cruditates, gignat. Vinum non bibat nutrix, quæ ſi habeat lac vitioſum, eam mutare expedit, & aliam eligere. Quod ſi non adſit occaſio, ſtatim eam euacuabimus ſecundùm lactis vitium, qua purgatione puer etiam euacuari ſolet, ex Hippoc. *6. de morbis popularibus*, dum inquit: *Mulier aut capra elaterium comedentes, pueris purgatio.*

*Diſſenſio Galeni, & Ariſt. de electione lactis.*

His peractis, eiſdem prorſus remediis eſt vtendum, quibus morbum hunc hæreditarium curauimus: quod ſi illa non prodeſſe inſpexeris, ſummo mane, poſtpoſito lacte, parum theriacæ ſmaragdorum cum melle roſaceo diſſolutæ puero lingendum dabis, aut huius miſturæ quantitatem vnius ciceris. ℞. ſucci rutæ cochlearium, lapidis ſmaragdi præparati g. viij. radicis peoniæ ℈.j. miſce. Pariter etiam ventriculus, & caput roborantur ſi puer aſſumat bis, aut ter in hebdomada quantitatem vnius caſtaneæ huius confectionis. ℞. theriacæ ſmaragd. ʒ. ij. coralli rubri præp. viſci quercini, radicis peoniæ, & ſeminis eius, cranei humani, margaritarum præp. & vnicornij, ana ʒ. ß. puluerizentur puluerizanda, & cum rhodomelles vel ſyrupo peoniæ fiat confectio. Erit etiam conueniens os illius abluere aquâ vitæ, & theriacâ ſmaragd. miſtis, aut eadem theriaca in oxymelle diſſoluta.

*Curatio per conſenſum à ventriculo.*

Quod ſi ex lacte coagulato acido, vel aliter corrupto fiat, duplex erit medendi via; vna quæ ventriculi cruditates, & lac corruptum, ſiue coagulatum auferat; altera quæ ipſum ventriculum exteriùs, & interiùs corroboret, ne denuò cruditates generet; & etiam caput confortet, ne iterum huius morbi cauſam recipiat, & quod receptum eſt, conſeruet; ſed potiùs totum auferatur.

Curabis itaque primo die ventrem euacuare, idque efficies vt ſuprà dictum eſt: ad quod etiam ſyrupum maximæ vtilitatis arte parabis, vt ℞. agarici trochiſc. ʒ.ij. infunde in ℥. viij. aquæ ceraſorum dulcium, & facta debito tempore expreſſione, colaturæ adde ſucci roſarum perſicarum ℥. viij. mellis, & ſacchari, quod ſufficiat, vt fiat ſyrupus, de quo aſſumat æger ℥.j. aut ℥.ß. pro pueri ætate, & virium ratione. Sal melli mixtum lactis coagulationem impedit, & factam diſſoluit, ex Galeno *3. de aliment. facult. c. 14.* Item vermes lanuginoſi in rubo reperti, tres, vel quatuor in lacte, vel melle roſaceo aſſumpti, lac coagulatum diſſoluunt. Valet etiam hæc potio, quâ ego ſæpè feliciter vſus fui. ℞. mellis roſati perſici ℥.j. theriacæ ſmarag. ʒ.j. foliorum ſennæ, decocti in aqua peoniæ facti, & ſyrupi capill. Veneris, ana ℥.j. miſce, cuius puer ℥.j. vel ℥. ß. accipiebat. Prodeſt etiam cepe album perforatum, theriaca, & croco plenum in furno decoctum; deinde ſuccus exprimatur, quem ore ſumat puerulus, & reliquum in emplaſtri formam calidum ventriculo admoueatur. Oleum ſeſaminum, aut amygdalinum cum ſaccharo ſumptum ventrem lenit, & mundificat, ita vt ſi ante ablactationem ſumatur, eſt remedium præſeruans, vt inquit Ioannes Paſchalis, quo ſæpe feliciter vſus fui: coaguli hœdi ℈.j. cum ſyrupo acetoſo, aut oxymelite, lac concretum diſſoluit.

Exteriùs ventriculus corroboratur oleo nardino, & abſinthij, & melino, cum puluere diarrhod. Abb. aromatici roſarum, abſinthij & maſtichis; cui vſui proficuum erit hoc emplaſtrum. ℞. foliorum abſinthij, maluarum, & vlmi ana p.ij. coquantur in vrina hominis, aut in æqualibus portionibus vini, & aquæ, poſtea piſtentur, & adde olei nardini, & abſinthij ana ℥. j. axungiæ porcinæ ℥.j. vnguenti Agrippæ ℥.ß. fermenti ℥.j. miſce, & fiat cataplaſma, quod ventriculo antè, & retrò apponatur, quo venter benè concoquit, & quod illum aggrauat deiicit. Licebit etiam vti ſuppoſitoriis ex pulueribus agarici, hieræ, & ſale, cum melle toſto.

*Curatio*

Puero grandiori iam facto ſuccurrimus detracto

*Epilepſia pro puero epileptico.*

ĉto ſanguine, provt ætas tulerit, dummodo à ventriculi cruditatibus, vel alia cauſa in eo exiſtente morbus non ſuperueniat, quo tempore dictis iam auxiliis in maiori quantitate eam auferre tentabimus; quo facto ſtatim ſanguis eſt extrahendus ex brachiorum venis. Quod ſi ætas non permiſerit, crura ſunt ſcarificanda, vt ſic diſtrahatur humor; deinde humor præparandus ſyrupo peoniæ, de ſtœcade, melle roſaceo, & ſyrupo acetoſo, cum aqua ceraſorum dulcium, fœniculi, aut peoniæ. Deinde humor euacuandus iuxta ipſius ideam, & virium, & ætatis tenorem. Vlteriùs vtendum eſt cucurbitulis ſcarificatis dorſo appoſitis, frictionibus, fontanellis, & cauteriis, vt ſuprà diximus.

*Adultiorum curatio.*

Huiuſmodi etiam curatione vtimur in adultioribus, addita auxiliorum quantitate, ita vt ſanguinis miſſio non prætermittatur, vt aliqui volunt; nam quamuis morbus ſit diu durans, illius paroxyſmi ſunt acutiſſimi, qui ſtatim magnum expoſtulant auxilium. Neque ſufficit dicere, morbi cauſam eſſe frigidam, vt frequentiùs accidit; nam ſanguinis miſſio quemlibet euacuat humorem, illumque à capite reuellit; atque hanc ob cauſam ſanguinis miſſionem commendat Galenus de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, præcipuè veris tempore præuiſionis gratiâ. Ita ſentit Paulus proprio capite: & Auic. iubet ſanguinis extractionem eſſe faciendam à quocunque humore fiat morbus, non ex vno latere ſolùm, ſed ex vtroque ſimul. Deinde purgentur, & præparentur humores eo modo, quo iam dictum eſt, in maiori tamen doſi: purgatio tamen repetenda erit per epicraſin, quia quotidie aggregantur humores in capite ob illius intemperiem.

*Sanguinis miſſio an ſit conueniens.*

Sed cùm hæc prodeſſe non ſoleant, conſulit Auic. venas, quæ ſub lingua ſunt, aperire. Conferunt etiam apophlegmatiſmi ex aceto mulſo, origani, & pulegij decocto. Maſticent pillulas ex maſtiche, pipere, & piretro, & cera confectas; ſuccum betæ cum aqua mulſa per nares abſorbeant, fortibus vtantur clyſteribus. Aſſumant etiam in cauſa frigida confectiones in principio adductas, aut theriacam magnam, vel diamuſcum, aquam peoniæ, vel fœniculi. Hoc medicamentum adducit Ioannes Vvercer. quo vtebatur Rex Daniæ ad hunc morbum pellendum. ℞. cranei humani toſti, & in puluerem redacti ʒ. j. pulueris radicis peoniæ ℥. iij. miſce, & cum cochleari aquæ lauendulæ aſſumat æger ieiunus manè, & hanc quantitatem tribus diebus cum victus parſimonia, & exiguo potu aſſumere debet; cui etiam, inquit, non erit abs re manè per aliquod tempus cochlear aquæ lauendulæ exhaurire.

*Varia adducuntur remedia.*

Peoniæ radix, & ſemen eius maximè prodeſt huic affectioni, vt docet Galenus 6. *ſimplic. capite de peonia*, quod obſeruauit in puero epileptico, qui è collo peoniæ radicem octo menſium ſpatio ſuſpenſam habuit, & non fuit hoc morbo correptus; poſt hoc verò ſpatium cecidit ab eo, & ſtatim rediit ægritudo; deinde iterum radicem ſecum portauit, & receſſit morbus. Quam ob cauſam vtile indico peoniæ aquam bibere, & in cibis vti illius puluere. Similiter iaſpis viridis, lapis ſmaragdus, & corallus eadem virtute pollent. Ruta ſilueſtris, *harmel* dicta, & odorata, & collo appenſa eſt optima, ex Alexand. Vngula vel pars vngulæ alcis manu in pugnum complicata, aut in annulo incluſa, & in annulari digito inſerta, confeſtim paroxyſmum abigit. Item viſcus quercinum de collo ſuſpenſum. Aqua ſtillatitia ex floribus tiliæ eſt vtiliſſima, ex Cornelio Agrippa. Diſſectis ante plenilunium pullis hirundinum ex prima fœtura, reperiuntur in eorum ventriculis duo lapilli, vnus concolor, alter diſcolor; hi ſi in bucculæ, aut cerui aluta includantur, morbum epilepticum ſanant, ex Mizaldo. Os cranei humani, præcipuè quod futuram coronalem deſcribit, in puluerem redactum, & in confectionibus aſſumptum iuuat, ex Conrado Genero; quod auxilium ab omnibus accipitur.

*Adultiorum victus.*

Victus omnibus adultioribus conueniens ſit moderatus, magis ad tenuem, quàm ad craſſum declinans; & ſit exſiccans, vt panis benè coctus cum aniſo, aut fœniculo, aut ſit panis biſcoctus. Carnes ſint pulli, paſſerum, turturum, & caponis, quæ aſſæ magis ſunt ex vſu. Perdicum caro ab aliquibus reprobatur, quia perdices hoc morbo corripiuntur. Vtantur etiam borraginibus, betis, petroſelino, & aſparagis. Vitent legumina, caſeum & butyroſa omnia. Bibant aquam mulſam, cinnamomi, aut radicis chinæ, vel peoniæ, & ſi non poſſunt ſe à vino abſtinere, ſit vinum album clarum, aquoſum, vel nimis aquâ dilutum. Aërem eligant ſerenum, & ad ſiccitatem vergens, quem etiam arte parare licebit. Modico vtantur exercitio, & venere. Somnus ſit moderatus, & non ſupra prandium. Quibus remediis ſi fortè morbus non aufertur, minores tamen, atque rariores habebit acceſſiones.

*Perdicum caro nocua.*

*Curatio epilepſiæ ab aliqua parte.*

Si ab aliqua determinata parte, vt manu, aut pede morbus oriatur, ipſi parti ſubueniendum, & membrum inſtante paroxyſmo, ſi fieri poteſt, vinciendum, corpuſque euacuandum eſt, vt diximus. Deinde parti, quæ humorem diſcutiant, ac partem ipſam confirment, ſunt admouenda; quare veſſicatoriis vti poſſumus parti applicitis ex cantharidibus, & ſynapi, cum fermento, aut vnguento baſilicone; vel pars igne actuali exurenda, vlcuſque diu apertum ſeruandum; quo remedio quendam ſacerdotem hoc morbo maximè oppreſſum liberaui, è cuius pede dextro auram frigidam ad caput vſque aſcendere ſentiebat, & appoſitis cauteriis, vlceribuſque diu apertis ſeruatis, & in eodem crure aperta fontanella, quam interceptoriam vocamus, ex toto liber euaſit.

*Nota obſeruationem.*

*Epilepſiæ curatio ex vermibus.*

Solet etiam iſte affectus initium ſumere à vermibus, & lumbricis, qui in ventriculo & inteſtinis materiam agitant, & commouent, à qua flatus, & vapores eleuantur, qui caput petentes, hunc morbum producunt, cuius curationem pete ex cap te de curatione lumbricorum; ſiquidem ipſis lumbricis è corpore pulſis, tollitur epilepſia.

Sed quia ſæpè mulieribus epilepſia ſuperuenit ex vtero, ſicuti & alia ſæuiſſima accidentia, oportet quammaximè in illis eius originem cognoſcere, & illius cauſam demere: qua autem ratione id fiat, obſeruatione ſequenti demonſtrabo.

## §. IV.

### *Obſeruatio pro muliere epilepſia laborante ex vteri conſenſu.*

VT ſciamus qualiter ſit curanda epilepſia ex vteri conſenſu, caſum referam cuiuſdam nobilis mulieris, quæ nono die à partu legitimo, in quo filiam peperit, hora vndecima ante meridiem in epilepſiam incidit, quæ quolibet die eadem hora eodem premebatur morbo; non tamen omninò iacebat ſine ſenſu, ſiquidem ab acceſſione libera, ea quæ ab adſtantibus dicebantur, referebat ipſa; habebat tamen brachiorum, & aliarum partium exiguum

exiguum motum conuulſiuum,ſed ex ore ſpumam non excernebat. Acceſſio durabat vnius horæ quartam partem,paulò plus, aut minùs: laborauit febre ab eo die, erat tamen remiſſa. Vſque ad nonum diem à partu pro ratione purgauit; ab eo tamen die cohibita fuit quodammodo puerperij purgatio.

Peruenerunt ad me literæ caſum referentes, & auxilium poſtulantes; quâ autem ratione illius deciſionem, & curandi modum exhibui, breuiter referam.

Nihil ab Authoribus magis proclamatum, quàm quod plurimi morbi ex menſtruorum detentione ſuperueniunt. Ariſt. 2. *de generat. animal. cap.* 4. varios dicit eſſe morbos ex menſtruorum detentione ſubortos, ita vt mulieres gracileſcant,& ſteriles fiant, imò & deformitatem adquirant, & aliquibus innaſcuntur barbæ, vt alibi dicemus. Hipp. 5. *aphor. text.*57. ait, quod menſtruis detentis ex vtero morbi contingunt, cui totum compatitur corpus, vt inquit Galen. *in comment.* & expreſſius 6. *epidim.ſect.*1. *comm.*2. Quia ergo hæc mulier nunquam fuit antea ſimili morbo oppreſſa, neque illum habuit hæreditarium, nec cauſam habuit aliam, à qua morbus hic originem caperet, neceſſariò erat reducendus in affectionem vteri, cùm quo cerebrum magnam habet connexionem per neruos, venas, & arterias, vt ſtatuit Galen. *loco proximè cit.* præſertim detenta puerperij purgatione,quæ pro ratione non effluebat, à qua iſte morbus ſumpſit exordium. Sed quia puerperij purgatio non benè effluebat à nono die poſt partum, exiſtimare oportet id contigiſſe ob aliquam obſtructionem venarum ad vterum ferentium menſtruam purgationem, ob craſſitiem ſanguinis,vel ob aliquam frigiditatem inductam, ex cuius detentione non mirùm, quod febris fieret; ſiquidem humores inculcati, non tranſpirantes facile putreſiunt, & per arterias miſſis vaporibus ad cor ſuccendunt febrem, ita vt dicat Gal.6. *epidim. ſect.*1.*comm.*2. vehementes febres fieri his,quibus vteri purgamenta ſupprimuntur.

Ab eadem cauſa ortum duxit epilepſia, miſſis vaporibus ad caput, quorum præſentiâ cerebrum quodammodo obſtruebatur, non tamen omnimodè,vt deducebatur ex ſenſu non omnimodè deperdito, nam diminutè ſaltem ſentiebat. Sed quia vapores ex vtero prodeuntes plerumque prauam comparant qualitatem, vt conſtat in hyſtericis affectionibus, & inſinuat Gal. *lib. 6. de locis affect. cap.*5. ab hac qualitate infeſtante cerebrum irritabatur,& ſe concutiens,vt à ſe truderet vaporem illum ſua qualitate noxium, motum excitabat conuulſiuum, donec vapore illo ad extima pulſo, vel à calore ſpirituum reſoluto, breuiter finiebatur acceſſio, quæ ordinatè fiebat,eo quod ordinatè natura tranſmittebat humorem ad vterum, vt contingere ſolet in aliis fluxionibus, quæ periodicè fiunt. Qua autem ratione humores moueantur determinatis temporibus, & fluxiones fiant, docuit Galen. 2. *de febrib. cap. vltimo*, & nos *in tract. de febrium curat.*

*Obiectio.* Dubitabis tamen,ſi humores in vteri venis putredinem contrahebant, à quibus miſſis vaporibus putridis ad cor, febrem continuam excitabant: ergo pari ratione ab eiſdem vaporibus ad caput elatis deberet continuò hic affectus produci, & non tempore determinato.

*Reſpenſio.* Reſpondetur, quod ad vtrumque affectum maior copia vaporum erat neceſſaria, quàm ad febrium generationem tantùm. Quia ergo continuò humor ille putrefiebat, per arteriarum cauitatem facilè ad cor putridos vapores aſſiduè tranſmittebat vterus; non tamen ita facilè deferri poſſunt ad caput,quia humoris quantitas, quæ vaporibus miniſtrabat materiam, non erat ad vtrumque ſufficiens: veruntamen cùm quolibet die, & hora determinata natura ad vterum humorum maiorem copiam depoſuiſſet, non mirum ſi eo tempore vaporum quantitas maior gigneretur, quæ ad vtrumque affectum procreandum eſſet ſufficiens, præſertim cùm vterus eſſet calidus præter naturam, à cuius calore attenuato humore, & in flatus verſo, hic, & alter affectus exordiri poterat.

Alterum ſymptoma, quod frequenter hunc comitatur affectum, eſt ſpuma circa os, quâ carebat ægra. Spumæ generationem ſtatuit Galen. 2. *aphor. comm.*43. cuius cauſa materialis eſt humor craſſus,& viſcidus,intra quem aër, aut vapor includitur,qui ſua leuitate materiam illam eleuat, & tumefacit, & ſpumam producit. Cauſa efficiens eſt motus, vt apparet in ſpuma apri circa os apparente dum ira percietur, & in equo currenti, inter cuius crura ſpuma generatur, & in ore etiam illius. Similiter in aqua feruenti, aut lacte elucet ſpuma,quam adiuuat calor ignis,flatus,& vapores gignendo, qui aquam diſtendendo, ampullas eleuant, ſpumamque efficiunt. Sed quia iſte affectus pendebat ex flatu, vt dictum eſt, deficiebat verò humor craſſus, in quo ille flatus occluderetur, neque motus concuſſiuus erat vehemens ad generandum ſpumam; ideò ægra nullam ex ore ſpumam reiiciebat,propter defectum vtriuſque cauſæ. *Spuma quâ ratione fiat.*

His breuiter patefiunt ea,quæ circa nobilem hanc mulierem accidebant, cui ſubſequentibus ſubuenire iuſſi, conſiderando priùs an eſſet in acceſſione, an illi proxima,aut longè extra ipſam. Quando enim eſt in ipſa acceſſione, opportunum erit ventrem illinire oleo irino, laurino, & lilij, albi cum modico theriacæ, & guttulis aquæ vitæ, vt flatus abſumantur. : femoribus etiam cucurbitulas affigere. Quod ſi menſium ſuppreſſio non impediat,vmbilico cucurbita admota proficua exiſtit. Curandum ſimul eſt, vt omne id, quod in caput irruit,citò euaneſcat,idque efficies iis, quæ deficandi vim habent naribus indita, qualia ſunt bitumen, caſtoreum, rutæ folia, calaminta, pulegium, & alia, quæ licèt habeant vim excitandi epilepſiam, ſua vi reſoluendi,& attenuandi, ab acceſſione epileptica etiam liberant. In quem vſum conferunt papyrus, pili, & lana, ſi comburantur, & naribus adaptentur; reſoluunt enim, & citiſſimè ab acceſſione reuocant. *Curatio huius affectus ex vtero.*

Vtero etiam odorata ſunt admouenda, præſertim cùm mulier prægnans non ſit; tunc etenim fœtida ſurſum applicita, & odorata vtero admota aborſum prouocare valebunt. Frictiones, & ligaturæ partium inferiorum commendantur. Intra aures ad diſcutiendos flatus capitis oportet proiicere oleum tenuium partium,vt oleum de ſpica,de cina momo,denunce moſcata, vel balſamum cum modico aquæ vitæ.

Quod ſi inſtet acceſsio, vt in hac muliere, in qua hora vndecima ante meridiem quotidie in hunc incidit morbum,tutiſsimum erit ante acceſſionis aduentum vti eiſdem remediis, imò & ſuppoſitoriis, & clyſteribus, qui habeant vim reſoluendi flatus,& inſcindendi, & attenuandi humores craſſos; quibus remediis forſan ab acceſſione non ſolum liberabitur ægra, ſed protinus morbi cauſam euellemus.

Veruntamen futurum malum præcauentes,cùm ex purgationis puerperij detentione hæc oriatur affectio,

affectio,non aliter poſſumus eam curare, niſi illius cauſam ſubtrahendo, idque aſſequimur ſanguinis miſſione ex talo, & menſtruorum prouocatione, eo modo,quo ſuo capite dicemus. Quod ſi hæmorrhoïdas habuerit,vtile erit per illas ſanguinem extrahere, adhibitis ſanguiſugis, dummodo priùs ex aliis venis corpus ſufficienter ſit euacuatum.

A

Sed quia humores craſſi, & frigidi ſolent ſimul eſſe obſtructionis venarum vteri cauſa, eos præparare debemus ſyrupis attenuantibus, à leuioribus incipiendo, vt ſyr.intybi,capill.ven.duar. radic. fine aceto,& borrag. cum aquis peoniæ, meliſſæ, & cinnamomi: deinde per epicraſin redundantem humorem euacuabis, quem cognoſces ex corporis colore, illius habitu, & anteacta vita. Neque vnica euacuatio eſt ſufficiens pro humoribus craſſis, & frigidis; neque tales humores cedunt medicamentis purgantibus. Tutius ergo eſt paulatim humores præparare, & eos paulatim euacuare,idque aſſequeris pillul. de hiera, de agarico, & de fumaria, & aſſaieret, aut aliquo diluto rhabarb. & agarici,in decocto foliorum ſennæ,& polypodij,cum ſyr, Principis, aut Regio. Quod ſi aliquo ſerapio vti volueris, qui moderatè purget, eum hac lege conficies. ℞. radicis peoniæ ℥.j.ſemin.eiuſdem ℥.ß.polypodij quercini ʒ.j.epithymi ℥.j. capill.ven. mercurialis,ſcolopendrij,& agrimoniæ ana m. j. foliorum ſennæ ℥. ij. ſemin. cartami contuſi ℥. j. florum violar. bugloſſæ, & anthos,ana p. j. prunor. enucleatorum n.x. paſſularum ſine acinis ℥. j. ſeminis aniſi, & fœniculi ana ʒ. ij. omnia coquantur ex arte in ℔.vj. aquæ ad medietatis conſumptionem, & in colatura infunde agarici trochiſc.ʒ.iij. ſacchari,& mellis ana partes æquales,& fiat ſyrupus, cui adde cinnamomi ʒ.j. His auxiliis non ſolùm humorem in vtero, & venis exiſtentem demimus, ſed etiam febrem,quæ cùm ab eo dependeat humore, ex illius detractione tollitur; quapropter nolui alia remedia febri accommodare, nam ablatâ obſtructione humores attemperantur,putredo coërcetur, & denique aboletur febris.

*Syrupus ad epilepſiam.*

B

Sed quia contingere poteſt,quod in vteri venis aliquis humor maneat impactus,à quo vaporoſa ad caput eleuetur ſubſtantia, expedit vti clyſteribus ex decocto rerum aperientium,& flatus diſcutientium, qui ſimul habeant vim euacuandi humores craſſos; ſic enim poteſt ex vtero ob partium vicinitatem horum humorum fieri deriuatio ad inteſtina. Conuenit etiam vteri, & ventris regionem inungere eiſdem oleis, quibus vtimur durante acceſſione; quibus addes pulueres diacymini, corticis citri,& peoniæ,vt ex oleis, & pulueribus paretur linimentum.

Quod ſi hæc non ſufficiant, ſtudendum eſt omni arte cibis,potibus & medicamentis flatus diſcutere, & humorem abſumere: in quem vſum laudo quolibet manè aſſumere potionem calidam ex decocto radicis chinæ, ſmilacis aſperæ, ſaxifragæ indicæ,& radicis peoniæ; quo remedio omnes adimplentur indicationes, quæ ſumuntur à morbis, illorum cauſa, & accidentibus. Verumtamèn ſi hæc non ſint ſatis (quod difficilè arbitror) oportebit fontanellam in crure aperire,quâ menſes euocentur; quod auxilium proficuum fore ſpero. Si alia exoptas,quæ caputfirment,& illius debilitatem contractam reparent, capite de epilepſia ſufficienter ſunt diſcuſſa.

§. V.

*Obſeruatio mirabilis pro quadam monachâ epilepſiâ laborante.*

BReui verborum ſerie hiſtoriam complectar cuiuſdam monachæ ſanctæ Claræ oppidi de Areualo,quæ per cœnobij ſcalam deſcendens,vertiginoſo affectu correpta cecidit: ipſa quidem ex caſu contuſionem ſenſit in capite, verùm ſtatim in morbum epilepticum lapſa, habuit omnia accidentia,quæ huius morbi naturam inſequuntur. Tranſactâ verò acceſſione, & paroxyſmo, neque loqui poterat, neque videbat, aut audiebat; benè tamen comedebat, & benè in reliquis actionibus naturalibus ſe habebat. Deinde illi alter ſuperuenit paroxyſmus,qui eam vehementer vexauit,quo finito loquebatur,videbat,& audiebat veluti ſi tali morbo nunquam fuiſſet cruciata. Sed cum hûc morbum ſæpè exacerbationes habere videamus, ſubſequens altera acceſſio iterum ægram mutam,ſurdam,& viſu priuatam reliquit,non ſine adſtantium maxima admiratione, ita vt iudicarent eam à dæmone torqueri, donec adueniente altera acceſſione,eaque tranſacta,liberos habebat omnes ſenſus, & actionibus expeditos;quæ quidem plures habuit paroxyſmos taliter repetentes, vt actiones quas amittebat vi,& efficaciâ vnius paroxyſmi,ex alterius paroxyſmi acceſſu recuperabat. Sed quia huius mirabilis euentus cauſam à me plures inquirebant,eorum deſiderio commotus, eis ſic pro mei ingenij viribus ſatisfacere curaui.

C

Cùm monacha, antequam caderet, nunquam fuiſſet morbo comitiali affecta,exiſtimare oportet, hunc morbum ex caſu initium habuiſſe; nam dolore concitato in capite propter contuſionem, non mirum, quod humores ratione doloris ad caput confluerent, & hunc morbum gignerent; & quia diu durauit dolor,diu etiam excitauit humorum confluxum ad caput, ex quibus iſte morbus habebat exordium.Quâ autem ratione dolor ad tractionem conferat,non eſt huius loci:circa hoc legendus eſt Gal.5.*aphor.comm.*53.& *lib. de ſang. miſſione, c.*7.Valleſ.7.*controu.c.*3.Petr.Garc.*fen.*1.*lib.*1.*fol.* 1293.*c.*11. Humor ergo confluens ad caput cauſauit hunc morbum cum accidentibus illi debitis, quæ pathognomonica nuncupantur.

Sed quam ob cauſam reliqua ſuperueniebant accidentia,nunc iam exponam. Cùm ad paroxyſmi ſolutionem humor cerebrum occupans diſcuti debeat,& medio motu concuſſiuo expelli in aliquam partem, vt æger ab eo liber euadat; ſæpè natura humorem illum tranſmittebat ad ſenſuum videndi,& audiendi inſtrumenta, in quibus ille humor obſtructionem cauſabat,& conſequenter defectum videndi,audiendi,& loquendi; reliquæ verò cerebri partes tranſacto paroxyſmo liberæ ab omni noxa permanentes,nullam habebant in ſuis actionibus læſionem, & hanc ob cauſam in omnibus aliis actionibus nullum percipiebatur nocumentum.At verò ſuperueniente altero paroxyſmo, natura potens ab inſtrumentis ſenſoriis humores obſtruentes concutiebat, ita vt ſpumam multam ore reiiciens, tranſacto paroxyſmo, euacuatâ portione humoris,qui in neruis opticis,& quintæ coniugationis,& ſextæ,qui ad viſum,auditum,& loquelam inſeruiunt,reſidebat,ablatoque morbo obſtructionis earundem partium, ſtatim omnes ſuas actiones inculpatas habebat, donec altera dennò ſuperueniret acceſſio, in qua humor non benè diſcuſſus nouam cauſabat obſtructionem,& earum partium abolitam actionem.

D

Huic ſuccurrimus ſanguinis miſſione,& expurgatione,quam ſæpè repetere fuit conueniens,deinde apertâ in crure fontanellâ,ex toto libera euaſit.

## §. VI.

### *Vtrum aliqua remedia à nobis tradita in curatione epilepſiæ prodeſſe poßint.*

QVoniam à me probatum eſt, remedia à proprietate occulta operantia,ſeu amuleta dicta, non conferre niſi morbis,qui in qualitate,ſeu proprietate occultâ ſuam habent naturam; & in curatione epilepſiæ plura tradunt Authores remedia, quæ clam,& occultè operari videntur, vt aqua tiliæ,aqua ceraſorum dulc. vermes lanuginoſi in rubo reperti,os cranei humani,theriaca ſmaragd. & ſimilia,quæ nullam vim habere videntur aduerſus hunc morbum,qui in qualitate manifeſta conſiſtit, vt docet Hippoc. *lib. de morbo ſacro*,proptereaque reiiciuntur vt inutilia à ſapientiſſimo Doctore Ioanne Gall. de la Serna *lib.* 1. *tract.* 3. *de alendi infantis ratione,cap.* 25.*&* 26.nam cùm indicatio ſumatur à morbi cuiuſque idea, ſi morbus eſt manifeſtus, qualis eſt epilepſia, ſui ablationem indicat per remedia manifeſta; quapropter ſi eius natura in cerebri obſtructione collocatur, euacuatione humoris obſtruentis auferri debet, aliter verò detrahi non poterit, ſiue remedium operetur per qualitatem occultam, ſiue per manifeſtam; quia ergo talia remedia non opponuntur morbo, non poſſunt conferre ad illius ablationem.

*Medicamenta reſpiciunt partes.*

Vt hoc dubium diſſoluamus, nonnulla in memoriam reuocanda ſunt, ex quorum notitia veritas eluceſcet. Suppono igitur ex communi Medicorum conſenſu, quod aliqua medicamenta habent ſimpathiam, ſeu analogiam cum aliquibus partibus determinatis: quare Galen. 13. *methodi, cap.* 17. inquit, quod ſicut iecori abſinthium eſt accommodum,ita lieni capparis cortex; & quale iecinori eſt eupatorium,ita lieni ſcolopendrium; & ſicuti quædam medicamenta ſuis deterrimis qualitatibus partem determinatam lædunt ob antipathiam quam habent cum illa, vt venena cum corde,& cantarides cum renibus& veſſica;ita ſimiliter quædam medicamenta familiaritatem cum partibus determinatis habent, ex quorum admotione maximè iuuantur;non tamen cognoſcimus,in quo familiaritas illa,vel repugnantia fundatur.Sic etiã in remediis ad caput conducentibus, vt in pillulis cochiis ingrediuntur ſimplicia, quæ cum capite mirandum conſenſum habent, quæ dicuntur cochiæ,id eſt capitales, à κόχ@ græcè, quod eſt caput;quarum deſcriptionem inuenies apud Raſim 9. *ad Almanſ.* Sic etiam gemmæ ſunt cordi vtiles,& facilè feruntur ad illud, ſuaque vi occulta ipſum roborant,& venenum fugant,idque faciunt alexipharmaca omnia,quæ vi occultâ operantur.

Neque minùs certum eſt, quod vnicum remedium poteſt duplici virtute, imò & pluribus conſtare,quarum quædam ſunt elementales, quædam occultæ,ſeu ſpecificæ; cùm enim quodlibet remedium proprium habeat temperamentum, ita vt ſit calidũm,aut frigidum,&c. benè poterit corpus alterare per calorem,aut frigiditatem, vt dicimus de theriaca magna antiqua, quæ calorem, & ſiccitatem producit in corpore,& tamen ſimul habet virtutem ſpecificam,ſeu proprietatem, quâ opponitur cuicumque veneno. Margaritæ, & reliqui lapides pretioſi, licèt frigidi,& ſicci ſint, virtutem etiam habent mirificam roborandi cor, & cerebrum per qualitates abditas; quæ proprietates ſpecificæ dicuntur: & ſic de pluribus aliis.

*Indicatio ſumitur à morbo,& parte affecta.*

Ex quo deduco, quod in remediorum oblatione cùm indicatio curatiua non ſolùm deſumatur ex morbo, ſed ex parte etiam malè affecta, vt docet Galen. *lib.* 3.*methodi,c.* 16. & alibi millies,ſemper aliquid eſt admiſcendum,quod roboret ipſam partem, præſertim quando pars eſt princeps,vt cerebrum,aut cor.Si igitur vnico medicamento vtrumque munus conſequimur, nempe roborare partem, & morbum auferre, ſufficienter curatiua adimpletur indicatio; & propterea dum volumus euacuare humorem ex parte determinata, ſi remedium non habet familiaritatem cum ipſa parte,ex qua educi debet humor, ei admiſcemus quæ ipſam partem affectam reſpiciant, ſicque medicinarum operationes in melius mutantur,vt inquit Meſuë, quia detrahunt humorem ex parte, in qua ipſe erat congregatus. Quod ſi velimus vti remediis alterantibus pro corde, vel alia parte principe, eis roborantia admiſcemus, vt ſunt lapides pretioſi;in quem vſum habemus electuaria ex eiſdem compoſita, inter quæ locum habet theriaca ſmaragdorum,de qua controuertitur,an poſſit prodeſſe pro curatione huius morbi.

*Ex quibus componatur theriaca ſmarag.*

Et ratio dubitandi eſt; nam hæc compoſitio, licèt à variis tradatur Authoribus, ea tamen quæ in communi vſu habetur, componitur ex ʒ. i.ß. ſmaragd.& ʒ.ß.iacinth.& ℥.iij.coralli rubri;hi autem lapides potiùs lædere valent caput, quam iuuare; quia cùm affectus epilepticus plurimùm ex humoribus frigidis oriatur,lapideſque iſti ſint natura frigidi, potiùs adaugere morbum valebunt, quàm minuere; & quia ſimiliter ſunt naturæ terreſtris,& morbus iſte frequenter ſibi comitem habet obſtructionem, ipſam adaugebunt; quæ enim calida, & tenuia ſunt, obſtructiones delent, non verò quæ frigida, vt lapides, ex quibus hæc compoſitio fit.Non ergo conuenire poteſt in curatione huius morbi.

*Quid tenendum circa vſum theriaca ſmarag.*

Sed licèt huiuſmodi rationes conuincere videantur, non tamen faciunt nos recedere à communi praxi, & ab Authorum placitis,qui hanc compoſitionem admittunt; nam licèt lapides iſti frigidi ſint,ab aliis medicamentis calidis alterantur,& eorum frigiditas remittitur; nam componitur hæc confectio ex croco,cinnamomo,dyptamo regio,galanga,ſemine & radice peoniæ,quæ omnia calidã, & ſiccam habent naturam, à quibus medicamenta frigida ſuperantur. Et quia hæc confectio ex alia parte fermentationem accipit, omnia, ex quibus conficitur, ad vnam reducuntur formam, & eius temperies euadit calida à prædominio,ita vt lapides nequeant lædere ſua frigiditate. Vlteriùs ſmaragdus ſuâ mirâ virtute caput roborat,& ab epilepſia præſeruat,ita vt dicat Serapio *libro de ſimplic.ex mineralibus,cap.de lapide ſmaragdo*, quod ſi in annulo ſmaragdus deferatur, præſeruat ab epilepſia; & propter hanc rationem Reges ad collum ſuorum filiorum ſuſpendere faciunt ſmaragdum, ne eis ſuperueniat epilepſia. Quia ergo lapis iſte (& idem ſtatuo de iacintho) habet miram vim roborandi caput,etſi morbus iſte in obſtructione ex præſentia humoris frigidi fiat, nihilominus maximè confert eum admiſcere in confectionibus ad hunc finem ordinatis.Et quia ex ventriculo,cui confert corallus,ſæpe compatitur cerebrum, & vt inquit Hippoc.*lib. de locis in homine*, facilè ex ventriculo ad caput affectiones communicãtur,non mirum,quod Authores corallum admiſceant,vt ventriculus roboretur,indicatione ſumptâ ab ipſo,qui frequenter ſolet eſſe huius mali origo, vt quotidie experimur in pueris.

*Smaragdi vires proponuntur.*

*Lapides ſuis qualita-*

Neque eorum lapidum ſiccitatem ſpernimus,imò potiùs iuuat abſumẽdo humiditatem,& cerebrum, &

*tibus epilepſiæ opponuntur.*

& ventriculum exſiccando, & putredinem inhibendo. Neque poſſunt adaugere obſtructionem, quia lapides, licèt ſint terreſtres, & frigidi, per ſubtilem trituratione rectificantur, & ab aliorum medicamentorum calore, & conſortio penetrandi vim adquirunt; qua de cauſa Gal. 4. *de ſanit. tuenda, cap.* 7. docet tenui cribro eſſe cribanda, quæ in totum corporis habitum ſunt diſtribuenda, vt ſic venarum anguſta oſcula ſubire poſſent, & ad partes principes deuenire; quod obſeruant pharmacopolæ in trituratione medicamentorum cordialium, & in confectione, de qua à nobis actum eſt, in qua lapides iſtos conuenire arbitramur, quia ſuis virtutibus occultis roborant, & firmant caput & reliqua membra, & ſuâ ſiccitate faciunt commoda à nobis præſcripta, & ſua frigiditate officere nequeunt, quia ſupponitur euicta ex calidorum conſortio, & per fermentationem, quâ perficitur hæc mirabilis confectio.

*Num os cranei humani epilepticis vtile.*

Quid tamen dicam de oſſe cranei humani, de quo omnes teſtantur epilepſiæ prodeſſe, quo vtebatur Rex Daniæ toſto, & in puluerem redacto cum aqua lauendulæ ad epilepſiam propellendam, & eo benè ſe habebat, vt inquit Ioannes Vuecrerus. Certè cùm os cranei non differat natura, nec virtute ab aliis oſſibus, videtur dicendum, quod ſi iſtud os eſt vtile pro huius morbi curatione, idem munus reliqua oſſa præſtare valebunt, atque quodlibet os huius morbi curationi prodeſſe poterit, quod reſpuunt Authores.

Ne tamen à communi omnium praxi recedamus, mihi videtur, os cranei aliquid ampliùs habere, quàm reliqua oſſa; nam licèt temperamento ab illis non euariet, euius ratione poteſt abſumere, & exſiccare cerebri ſuperfluitates, habet tamen maiorem ſocietatem, & analogiam cum capite, quàm oſſa reliquarum partium, eo quod capitis oſſibus magis ſimile exiſtit, & minùs ab illis temperamento euariat; quare non mirum ſi in affectu hoc Medici eo vtantur, aliis oſſibus relictis. Et ſicuti in affectibus pulmonis Authores iubent ægris offerre pulmonem vulpis, vel loch confectum ex illo; & in morbis ventriculi, & inteſtinorum vtuntur pelliculis inteſtinorum gallinarum, & in affectibus hepatis lupi hepar; in morbis denique cordis, os de corde cerui adhibent, eo quod iſtę partes mirum inter ſe conſenſum habere dicunt: ſimili modo in morbis capitis docent adhibere oſſa illius, dimiſſis oſſibus aliarum partium: neque aliud fundamentum excogitare potui ad huius remedij vſum.

*An vermes ad epilepſiam conferant.*

Sed difficilè apparet inueſtigare, qua ratione vermes in rubo reperti, de quibus mentionem faciunt plures, vt Carthagena *lib. de faſcinatione, & de eius curandi via, c.* 6. Mercatus *lib.* 1. *de intern. morborum curat. cap. de epilepſia*, & alij, qui vermiũ vſum maximè commendant in huius morbi curatione, quos abhorret maximè Doctiſſimus Serna, quoniam putredine ſunt geniti, & facilè putrediné intra corpus contrahunt, tum quia humidi ſunt, & nequeunt morbo humido aduerſari, neque illis condonanda eſt alia virtus operandi.

Sed quid tenendum ſit, breuiter adaperiam. Vermes iſti non multum conducunt ad morbi comitialis curationem, idque non faciunt per qualitatem quandam illis inſitam, ſiue occultam, ſiue manifeſtam, cum eam neque ratione, neque obſeruatione inuenire valeamus; benè tamen alia via prodeſſe poterunt, quam inſinuat Plinius *lib.* 3. *natur. hiſt. c.* 14. vbi ait: *Lac deuocant poti cum mulſo.* Ex quo Plinij loco infero, eos prodeſſe ſi viui deglutiantur, qui ad ventriculi fundum deſcendentes ſuo motu lac coagulatum diſſoluunt, ſcindunt, A & diuidunt, & quodammodo irritandò, expultricem vim excitant, facileque ipſa lac illud iam diuiſum expellit, quo infantes ab epilepſia liberantur. Neque eſt credendum, vermes in quacumque epilepſia prodeſſe, ſed in ea tantùm, quæ ex ventriculi conſenſu, & ex lacte ibi coagulato originem ducit. Ex quo infero, vermium vſum non eſſe abſolutè vituperandum.

*An ceraſorum aqua epilepticis proſit.*

Sed non eſt facilè explicare, qua ratione ceraſorum dulcium aqua epilepticis ſit vtilis, quam vt remedium probatiſſimum commendant Authores. De ceraſis tamen ſermonem inſtituens Gal. *lib.* 7. *ſimplic.* aſſerit, illis parum adeſſe adſtrictionis, quæ qualitas epilepſiæ aduerſatur. Præterea ita ſunt ad putredinem parata, vt dicat Robert. Doдоneus *lib.* 3. *de hiſt. ſtirpium, cap.* 17. quod in Republicis bene geſtis non venduntur tempore peſtilentiæ. Quia ergo facilè putreſiunt, neque huic morbo opitulari debent.

B Ne tamen deſit ratio, quâ grauiſſimi Authores à calumnia liberentur, & conſtet benè ipſos aquâ ceraſorum vſos fuiſſe in hoc morbo effugando, eam quidem tradere non grauabor.

*Ceraſorum differentiæ.*

Ceraſorum ſunt plures differentiæ, vt ex Gal. accepimus *loco proximè cit.* & ex Ioanne Agric. & Lacuna. Quædam ſunt acerba, & maximæ adſtrictionis; alia verò acida, quæ à nobis, *guindas*, vocantur; alia denique dulcia, quæ ceraſa ſimpliciter dicuntur. Ex iis dulciora eliguntur, vt eorum inſtillemus aquam, quæ ſi illius naturam contemplemur, nihil adſtrictionis habet, de quibus egit Gal. *lib.* 2. *de aliment. facul. cap.* 12. dum ait: *Ex ceraſis quædam ſunt, quæ moris ſunt quammaxime ſimillima, cuiuſmodi ſunt ea, quæ minimam habent adſtrictionem; hæc enim ſunt dulcia, quæ ante cibos ingeſta ventrem ſubducunt, vt dicitur de moris maturis.* Ipſe etiam Galenus *lib.* 7. *ſimplic.* de eis lo- C quens ait: *Quæ dulcia ſunt, magis in inteſtinis ſubducunt.* Quam proprietatem eis tribuit Dioſc. *lib.* 1. *cap. de ceraſis*: *Mollem* (ait) *faciunt aluum recentia, ſicca ſiſtunt ceraſa.* Idem inſinuat Mathiol. & alij, circa quod nulla eſt dubitatio.

*Aqua ceraſorum vtilitas.*

Ex iis facilè deduco, ceraſorum aquam per ignẽ extractam vtilitatem ſortiri, quâ aluum ſubducit, & ſegregatis vi ignis partibus terreſtribus ceraſorum, quibus vis ineſt adſtringendi, magis ventri lubricando idoneam reddi, maximéque iuuabitur æger ex illius potu, ſi aliquem humorem, vel lac corruptum in ventre perſentiat, præſertim infans, qui plerunque ex ventriculi conſenſu hoc corripitur morbo. Neque hæc aqua eſt ita putredini obnoxia, vi enim ignis humiditatem ſuperfluam amittit, & ſine putredine ad plures vſus multo tempore adſeruatur. Quare cùm huius aquæ virtus ſit conſpicua nimis, & in ſubſidium huius immanis morbi ab omnibus commedetur, non ſunt increpandi Authores, qui eam adhibent, D neque omninò interdicendus illius vſus. Circa aliqua alia remedia in plurium morborum curatione ab Authoribus commendata, non ita facilis poteſt eſſe euaſio, cùm non conſtet qua virtute polleant; ea tamen, etſi non proſint, non lædere iudicamus, cùm exterius alligantur, vel apponuntur, vt lapis gagates, caput muris, corium hupupæ in doloribus capitis, & alia huiuſmodi. Eſt enim ſæpe ita rebellis morborum conditio, vt coëgerit Medicos non ſolùm vti remediis iuxta veram indicationem adhibitis, ſed aliis, quæ non ratione, ſed obſeruatione inuenta eſſe ab aliis acceperunt, quorum adhibendi vſus poteſt fundari in Hippocratis verbis 2. *epidim. ſectione ſecunda, textu* 50. vbi ſic: *Te ad hoc exerceto in morbis, vt proſis,* aut

*aut ne quid noceas.* Sed de hac difficultate dicta ſint ſatis.

---

## CAPVT XIII.

### *De incubo.*

HIc morbus à Latinis incubus dicitur, quia qui eo afficiuntur, ab alio incubari, & opprimi imaginantur: à Græcis ἐφιάλτης, à noſtratibus *peſadilla*; cuius varias deſcriptiones tradunt Authores. Auic. tamen *fen. 1. lib. 3. tract. 5. cap. 5.* ſic eum definit: *Incubus eſt ægritudo, in qua homo ſentit, cùm in ſomnum ingreditur, phantaſma graue ſuper ſe cadens, & comprimens ipſum; & anguſtiatur eius ſpiritus, & interſecatur vox, & motus ipſius.* Idem ſentiunt Paulus, & Aëtius, qui aſſerit, quod hic morbus eſt præludium morbi comitialis, aut apoplexiæ, & vt ait Gordonius *part. 2. de paſſionibus capitis, cap. 24.* iſte morbus non eſt dæmon, propter eos, qui exiſtimant eſſe dæmonem nomine *Incubum*, homines ſuffocantem, quamuis fieri poſſit à dæmone, vt reliqui morbi.

Itaque ex dictis conſtat clarè, per huiuſmodi affectionem homines ita ſuffocari, vt aliquod pondus ſupra pectus reſpirationem impediens ſuſtinere imaginentur.

*In quo conſiſtit incubi natura.* Quantùm ad morbi huius naturam ſpectat, communis Medicorum conſenſus tenet, eſſe morbum in obſtructione cerebri, non tamen integra, vt in apoplexia, nec tanta, vt ſenſum amittat, vt conſtat ex verbis Auicennæ, dum dicit: *Eſt ægritudo, in qua homo ſentit.* Qui poſtea addit: *Et ſuffocatur propter oppilationem pororum; & cùm ab ipſo ſeparatur, excitat eum ſubitò.* Vbi rationem tradit productionis morbi, & ſolutionis, vel ablationis eius; nam ſeparatâ cauſâ obſtruente, & oppilante, ſtatim ſoluitur affectus. Idem oſtendit Aëtius dicens: *Dum enim ventriculi cerebri vaporibus craſſis ac frigidis implentur, prohibent hi facultatem per neruos tranſire, & morbum ægrè excitabilem efficiunt.* Et rurſus: *Per multam verò anxietatem attenuato, & diſcuſſo ſpiritu, & apertis meatibus, derepentè excitantur.* Quo loco partem affectam, nempe cerebri ventriculos; morbi eſſentiam, videlicet illorum repletionem; & obſtructionem; & cauſam, ſcilicet ſpiritum obſtruentem, & morbi ſolutionem complectitur.

Quod autem eius natura conſiſtat in obſtructione, ex ſymptomatibus illam ſequentibus facilè percipitur; nam eſt diminutus ſenſus, & motus, & diminutio loquelæ cum difficili reſpiratione, ita vt vix reſpirare poſſint: ſed hæc omnia fiunt ab impedito tranſitu ſpirituum animalium, quod ſubitò fieri nequit, niſi ab obſtructione: ergo ad illam neceſſariò huius morbi natura eſt reducenda.

*Pars affecta.* Partem affectam eſſe cerebrum, etiam Authorum verba declarant, cùm læſus ſit motus, & ſenſus, & diminutas æger huiuſcemodi habeat actiones. Quod etiam notum fit ex deprauatione imaginationis; ſiquidem imaginantur ſibi aliquod onus incumbere, & eorum pectus eſſe grauatum; & cùm ibi apprehendant id quod non eſt, ac ſi eſſet, talis apprehenſio habet ſibi adiunctum delirium; nam apprehendit rem aliter quàm eſt, quod non eſt de ratione actionis diminutæ, nec abolitæ.

*Obiectio.* Si verò obiicias: Impoſſibile videtur, quod obſtructio delirium excitet; nam in caro, & lethargo, in quibus datur obſtructio, non reperitur delirium; nam ad rationem obſtructionis pertinet ſolùm vias impedire, & actiones diminutas, aut abolitas efficere, non tamen deprauatas.

*Obiectio alia.* Vlteriùs deliria procedunt ex calida, & ſicca intemperie, vt diximus capite de phrenitide: at huiuſmodi vapores ſuâ craſſitie obſtruunt cerebrum, & nequeunt aliquid aliud efficere.

*Ad vtramque reſponſio.* Ad vtramque obiectionem reſpondetur. Ad primam dicimus, vapores, obſtruentes aliquid aliud efficere, nempe commotionem ſpecierum, ex qua ſequuntur imaginationes variæ, vt patet in ſomniis, in quibus varia imaginamur ob ſpecierum conturbationem.

Ex quo reſpondetur ad ſecundam, plures alias cauſas aſſignari de delirio, præter connumeratas capite de phrenitide, vt ex prima ſolutione conſtat.

*Incubi cauſa.* Facilè aufertur iſte morbus, quia flatus facilè euincitur, & diſcutitur, & multùm durare nequit.

Cauſa huius morbi efficiens eſt vapor (vt dixi) craſſus, cerebrum obſtruens, vt ſentiunt omnes, qui tempore ſomni eleuatur; calor enim intrà recurrens flatus eleuat, & vapores ab humoribus, & cruditatibus, tanquam à cauſa materiali. Quoſdam etiam vidi per vigiliam hoc morbo tentari, præcipuè quendam familiarem pluribus cruditatibus refertum, qui poſt prandium ſe pondus in pectore ſuſtinere aiebat, & anxius reſpirabat, qui tandem in epilepſiam incidit. *Nota hiſtoriam de Sodali.*

*Præſagium.* Signis aliis non indiget morbus iſte, præter illa, quæ in eius definitione ſunt allata, qui eſt apoplexiæ, aut epilepſiæ præludium, vt inquiunt Auic. & Paulus; quare diligenter eſt curandus.

### §. VNICVS.

### *Curatio incubi.*

AVitæ regimine initium ſumentes, victum inſtituimus ſimilem illi, qui ſeruatur in epilepticis; cœna tamen ſit parca, præcipuè ſi adſint ventriculi cruditates: euitent alimenta craſſa, & flatuoſa, & ſuprà prandium, & cœnam aſſumant coriandrum præp. aut dianiſum, vel fœniculum, & reliqua obſeruent, quæ in curatione epilepſiæ commemorauimus.

*Curatio incubi ex ventriculi cruditatibus.* Inſtitutâ victus ratione, conſiderare oportet, an ex ventriculi cruditatibus iſte morbus excitetur, quod etiam dignoſces ex nauſea, & vomitu, & alimentis præcedentibus pituitam generantibus, & ægri frigida intemperie ventriculi; quo tempore oportet humorem illum crudum euacuare. Quod ſi æger ſit ad vomitum procliuis, illum excitabis penna oleo imbuta, aut decocto tepido ſeminis raphani cum aceto mulſo, aut aqua mulſa, in qua ſit decoctum abſinthium, quæ humores attenuat, ventremque corroborat; tamen ſi vomitu humor educi non poteſt, eum præparabis rhodomelle, ſyrupo de abſinthio, aut de mentha, cum decocto cinnamomi aut fœniculi; eumque purgabis pillulis de hiera, de maſtiche, & aggregatiuis, aut hac potione. ℞. elect. diaphœnic. ℨ.iij. mellis roſati perſici ℥.iij. miſce, & cum infuſione foliorum ſennæ facta in aqua fœniculi fiat potus. Facta purgatione, ventrem roborabis exteriùs, & interiùs. Oportet igitur aliquibus diebus aſſumere tabellas diarrhod. Abbatis, cum modico vino, aut aqua fœniculi, vel diacyminum mediocriter trituratum, vt magis ventriculo adhæreat, & de tertio in tertium diem, vel ſemel in hebdomada aſſumere tres, vel quatuor pillulas alephangiuas, maſtichis, aut de aloë. Exteriùs ventriculo admoueatur hoc vnguentum.

tum. ℞. olei abſinthij, citoneorum, maſtichis, & nardini ana ℥.j. aquæ vitæ, & ſucci abſinthij ana ℥.ß. bulliant ad aquæ, & ſucci conſumptionem; pulueris cinnamomi, cariophylorum, & maſtichis ana ʒ.ß. diarrhod. Abb. aromat. roſarum, & diambræ ana ℈.j. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum. Eiſdem oleis cum pulueribus menthæ, abſinthij, & roſarum, ventris regionem inunges, vel ſacculum conficies ex dictis pulueribus, quibus addes pulueres camemali, meliloti, carpeſiarum, zingiberis, & ſimilium.

*Incubi curatio ex genere venenoſo.*

Verùm ſi ex genere venoſo morbus iſte ortum ducat, itavt ex humoribus vapores ad caput aſcendant, qui ſint huius ſymptomatis cauſa, quod percipies ex corporis craſſitie, & vaſorum plenitudine, & quod in aliqua parte non eſt læſio ſenſibilis, ex qua talis ſuſcitetur morbus, eodem vitæ regimine ſeruato, oportet humorem è corpore pellere; quod quidem efficies detracto priùs ſanguine, præſertim ſi facies rubeat, venæ ſint latæ, vel adſit plenitudo, vel hæmorrhoïs, aut alia quæuis euacuatio ſit cohibita: ſi verò alij ſolùm humores à ſanguine ſuperſint, parciùs ſanguis eſt detrahendus, deinde humor præparandus, & euacuandus iuxta humoris peccantis ideam, vt capite præcedenti actum eſt.

*Incubi curatio per propriam paſſionem.*

Tandem ſi morbus fiat per propriam cerebri paſſionem, quod ex aliorum ſignorum defectu, & ex capitis dolore, grauitate, & debilitate percipies, ita vt excrementa generet, à quibus vapor craſſus oriatur, qui ventriculos cerebri obſtruat, & hunc gignat morbum, oportet eum ad purgationem diſponere ſyrup. ſtœcados, melle roſaceo, & ſyrupo de peonia, cum aquis fœniculi, cinnamomi, aut radicis chinæ: deinde eum purgabis pillulis cochiis, aut aureis, vel de agarico; vel potum præbebis ex diaphœnic. diacathol. electuario indo, cum decocto florum ſtœcados, ſeminis cartami, foliorum ſennæ, & polypodij, & cum agarici infuſione; ex quibus potiones, & catapotia parabis pro cuiuſque natura, & viribus.

His peractis caput roborare expedit oleo nardino, & irino, cum puluere rutæ, cubebarum, maſtichis, & piretri, & cera, ex quibus vnguentum conficies, quo caput à pilis denudatum vngatur; quod etiam abluere oportet lixiuio ex cinere vitis, in quo ſit decoctum hyſſopum, lauendula, camemalum, ſtœcas, & thymus: niger peoniæ fructus confert, ex Paulo, & Aëtio, ſi quindecim eius grana trita cum aqua in potu exhibeantur, idque continuis diebus fiat, donec morbus auferatur.

## CAPVT XIV.

### De Vertigine.

HIc affectus denominationem ſumit à ſymptomate, nam qui ipſum patiuntur, videntur verti, circumuolui, & omnia imaginantur in gyrum moueri; & ſic vertigo dicitur a vertendo, de quo meminit Gal. 3. *de locis*, c. 8. & 4. *aphor. comm.* 7. & 4. *de ratione victus in morbis acutis*, *comm.* 42. dum ait: *Cùm caput circumagi videtur, dinos, id eſt vertigo vocatur affectio; cùm autem, & tenebricoſa ſimul fuerit viſio, ſcotodinos, id eſt tenebricoſa vertigo appellitatur.* Vbi dinos eſt nomen genericum, omnem vertiginis ſpeciem comprehendens; ſcotodinos, ſeu ſcotomia ſumitur pro tenebricoſa vertigine. Auic. eſt huius ſententiæ *fen.* 1. 3. *tr.* 5. *c.* 1. vbi inquit: *Vertigo eſt, vt habens ipſam imaginetur, quod res ſuper ipſum voluatur, & quod eius cerebrũ & corpus ipſius reuoluantur; quare nõ regit ſe ita, vt*



A *firmetur, imò cadit*; in quo omnes conuenire video.

*In quo vertiginis eſſentia conſiſtat.*

Sed oportet inueſtigare huius morbi naturam. Paulus *lib.* 3. *cap.* 12. morbi huius naturam reducit ad frigidam intemperiem cerebri cum humoris conſortio, dicens: *Vertiginum affectus naſcitur cum frigidus, glutinoſuſque humor cerebrum occupat.* Gal. 3. *de locis citato*, eius eſſentiam reducit ad inæqualem cerebri intemperiem; tamen qualis ſit hæc intemperies, prætermiſit: at 3. *aphor. comm.* 23. eam reduxit etiam ad intemperiem frigidam cum humoris affluxu, vbi ſic ait: *Nam & hæc paſſio ſit, cùm caput repletum eſt pituita.* Quod etiam inſinuare videtur Hipp. *illo textu* 23. vbi inter morbos hyemales vertiginem collocat. Auic. & Aëtius hunc morbum fieri teſtantur à vaporibus commotis, & agitatis, ad quorum motum etiam ſpiritus intra cerebrũ mouentur in gyrum, itavt omnia appareant moueri. Qui Authores ſymptomatis potiùs, quàm morbi rationem reddunt, nam talis commotio ſeu circumvolutio inter ſymptomata annumeratur.

B Nihilominus vera ſententia eſt, huius morbi eſſentiam conſiſtere in diſtemperie calida, à qua flatus efficienter gignuntur vel in ipſo capite, ſi ſit propria illius paſſio, vel in alia parte, ex qua ad caput eleuantur, & per eorum motionem ſpiritus etiã mouentur, & agitantur, ad quorum motum omnia videntur circumuolui, & in gyrum moueri. Quæ ſententia probatur ex Galeno 3. *de locis affectis citato*, vbi inquit, fieri hunc morbum elato vapore, calidoque ſpiritu, atque cerebrum implente: qui quidem ſpiritus aut vapor calidus calidam cauſam requirit, in qua huius morbi natura ſita eſt, nam frigus potiùs vaporum motum impedit, & aſcenſum. Quod etiam docet Galenus 3. *de cauſ. ſympt.* c. 2. vbi ait: *At calor qui in cibos agit, cæterùm diminutè, is eos quodammodo diſſoluit, non tamen prorſus conficit, atque hinc oritur flatuoſus ſpiritus.* Vbi
C calorem diminutum eſſe flatuum cauſam efficientem oſtendit; calor enim nimis intenſus non ſolùm vapores gignit, ſed ſtatim eos reſoluit; & hac ratione ab intenſo calore minimè poteſt iſte morbus produci, neque ab intenſo frigore, vt ibi etiam Galenus probat, dicens: *Quippe ſincera frigiditas prorſus halitum non facit*; quòd ſcilicet ea omninò neque attenuat, nec conficit, neque alimentum diſſoluit. Requiritur ergo calor, non tamen intenſus, ſed frigiditatem ſuperans. Et ratione etiam probatur; nam ad flatuum, & vaporum generationem requiritur attenuatio materiæ, ex qua eleuantur: ſed attenuatio fit à calore: ergo vapores generantur à calore, nam ſicut calor attenuat, ita frigus incraſſat, & ſicut calor ſeparat tenue à craſſo, ita frigus congregat vtrumque: quod etiam patet in aqua, quæ in lebete calefit, quæ dum frigida eſt, flatus de ſe non mittit; tamen ſemel calore concep-
D to, ipſa inflatum magnam copiam tranſmutatur, & dum efferueſcere incipit, non tantam flatuum copiam congerit, quia immodicus calor eos reſoluere, & exhalare facit. Quibus clarè conſtat noſtræ doctrinæ elucidatio, quam etiam ſequuntur Donatus ab Altomari *de medendis humani corporis malis*, *c.* 17. & ſubtilis noſter Carrer. *de locis affect. diſp.* 16. *c.* 2.

Ex his facilè reſpondetur ad authoritates in contrarium adductas, quod quando Authores aſſerunt hunc morbum procedere ab humore pituitoſo, ſunt intelligendi quantùm ad cauſam materialem, ex qua mediante caloris actione flatus progignuntur, à quibus prædictum ſymptoma excitatur.

*Quare omnia circumagi videantur.*

Cùm omnia in hoc affectu circumagi videantur, reſtat huius euentus reddere cauſam, quam inſinuat Galenus 3. *de locis*, *capite* 8. *citato*, vbi inquit eſſe circumvolutionem ſpirituum intra

intra cerebrum: quod probat ab externis, inquiens: *Atque vbi quis cerebro vertitur, inæqualem,& turbulentum, & inordinatum motum,tum humorum, tum ſpirituum in eo fieri in confeſſo eſt.* Rationi igitur conſonum eſt, huiuſmodi accidentia vertigine affectis itidem euenire; nam ſi quis in gyrum moueatur,etiamſi poſteà quieſcat,omnia videntur circumuolui, motis ſcilicet ſpiritibus intra caluariam; ita enim in vertigine affectis fieri conſpeximus. Idem ſentiunt Auic. *loco iam cit.* Vall. 3. *de locis,cap.* 8. Vega 3. *de arte medendi, cap.* 11.& ferè omnes. Et ex hoc patet ratio, ob quam vertiginoſi decidant,nam ex motu illo, vt inquit Petrus Garcia, ſpiritus non poſſunt rectà vià ad neruos deſcendere,aut applicari; & ſic defectu virtutis non ſe poſſunt continere,& decidunt;ſunt enim ſpiritus media quædam,quibus deferuntur ſpecies ad ipſa ſenſoria.

Cùm igitur ſpiritus intra cerebrum in gyrum mouentur, omnia apparent moueri; non quia ſpiritus ſe habent vt inſtrumentum, ſed potiùs vt medium, in quo recipiuntur ſpecies rerum, quæ non mouentur: & quia medium mouetur, omnia ſimul moueri videntur ad motum medij.

Si verò obiicias: Per medij externi motionem non videntur moueri obiecta externa; nam aër eſt medium, in quo ſpecies obiecti externi etiam recipiuntur; & tamen ex illius motione non apparent res moueri: ergo pari ratione ex ſpiritus animalis motione,qui ſe habet vt medium, quatenus recipit ſenſibilium ſpecies,non ſequitur,quod omnia moueri videantur.

Huic obiectioni reſpondet, hoc prouenire ex diuerſitate medij; nam aër tenuis cùm ſit,non modificat ſpecies,quæ in illo recipiuntur; at verò ſpiritus craſſior eſt,& denſior aëre,& modificat ipſas ſpecies. Quod exemplo quodam confirmatur; nam nummi in aëre non apparent moueri ex motione aëris, etiamſi ſpecies in ipſo aëre recipiantur; at verò ſi nummi ſint in aqua, & aqua moueatur, etiam ipſi nummi moueri videntur, quia aqua ſuâ denſitate modificat ſpecies, quas ſuâ tenuitate aër modificare non valet. Similiter baculus,cuius medietas eſt in aëre,& alia medietas in aqua, craſſior apparet ſecundùm medietatem in aqua exiſtentem, quàm ſecundùm aliam exiſtentem in aëre; & ſi aqua moueatur,medietas baculi, quæ eſt in aqua, videtur moueri,alia verò exteriùs exiſtens, quieta ſemper apparet, ſiue aër moueatur,vel non: quod quidem prouenire non poteſt, niſi ex diuerſitate medij modificantis ſpecies.

*Pars affecta.* Pars affecta eſt cerebrum,vt ait Paulus, & Galenus 3. *aphor. comm.* 23. circa quod non diſſentiunt Authores, nam læditur viſio in tenebricoſa vertigine,& decidunt ægri,quia læditur actio motiua. Vitiatur præterea imaginatio,vt docuit Auicenna, dum inquit: *Vertigo eſt, vt habens ipſam imaginetur, quod res ſuper ipſum voluatur.* Non tamen læditur ratio, ipſa enim potiùs corrigit actũ imaginandi,quia iudicat rem non ita moueri ſicut per imaginationem repræſentatur. Nec læditur memoria,nam tale iudicium eſt de obiecto præſenti,& non de præterito, circa quod verſatur memoria; quæ actio eſt deprauata,quia iudicat rem eſſe aliter quàm eſt.

*Obiectio.* Si verò obiicias: Non eſt maior ratio, quare lædatur imaginatio circa obiectum viſibile, quàm audibile,vel circa aliud obiectum: ergo debet lædi circa omnia,aut circa nulla. Antecedens probatur, nam ſpiritus, ſiue vt medium, ſiue vt inſtrumentum,aut vtroque modo recipit ſpecies, & concurrit ad ſenſationem aliorum obiectorum: ergo quéA admodùm læditur in ordine ad obiecta viſibilia imaginatio, etiam lædi debet circa alia; & cùm ſpiritus concurrat etiam ad actus memorandi, & cogitandi,ſicut ad actum imaginandi,ſi actus vnus læditur, neceſſariò lædi debent aliarum potentiarum actus.

*Reſponſio.* Huic obiectioni reſpondetur, non benè ſequi, quod læſo inſtrumento reſpectu vnius actionis, & vnius potentiæ, ſequatur læſio actionum aliarum potentiarum;nam poteſt eſſe talis diſpoſitio in ſpiritibus,vt ratione illius ſolùm lædatur imaginatio abſque aliarum potentiarum nocumento.

*Tenebricoſa vertigo qua ratione fiat.* Tenebricoſa vertigo inſurgit,quia cùm ſpiritus moueantur in gyrum, non deſcendunt ad neruos opticos, & ſic priuantur ægri actione videndi, & propter eandem cauſam decidunt, & nequeunt ſe continere; non enim virtus rectà vià deſcendit, neque ad partes deſcendit ad motionem earum B cauſandam.

*Dupliciter vertigo inſurgit.* Dupliciter fit vertigo; per ſe, vt quando colligitur,& gignitur flatus intra cerebrum, qui ſpirituum motionem excitat;vel fit per conſenſum cum ventriculo,ab ipſo ad cerebrum communicatis vaporibus, vt docuit Galenus, qui tantùm adduxit frequentiorem vertiginem, cùm ab aliis partibus, & per venarum conſenſum prouenire poſſit.

*Cauſa vertiginis.* Suprà adduximus huius morbi cauſam efficientem,nempe calorem diminutum, & cauſam materialem ex qua fit,& gignitur vapor, quæ frequentiùs eſſe ſolet humor craſſus, & frigidus, licèt ab humoribus bilioſis ortum ducere poſſit, vt voluit Aëtius: quod etiam indicat Hippocrates 4. *aphor. textu* 17. dum dicit: *Si quis febrem non habens abſtineat à cibo, & cordis morſum, & tenebricoſam vertiginem patitur, & oris amaritudinem ſentit, purgatione indigere per ſuperiora ſignificat.* C Quæ omnia à bile dependent, vt notat Galen. *in comment.*

Sunt etiam aliqua extrinſeca, quæ cauſam intrinſecam excitare valent ad huius ſymptomatis productionem, propter diſpoſitionem morboſam interiùs exiſtentem, ſine qua iſtud accidens non poteſt veri ſymptomatis rationem habere, vt inſpectio ex alto,quæ (vt exiſtimo) in tantum vertiginem efficit, in quantum timorem producit, quo præſente ſpiritus intrò recurrunt, & propter morboſum apparatum facilè in gyrum mouentur. Propter externum calorem fieri ſolet etiam vertigo, in quantum vapores,aut humores attenuat,& eos ad motum reddit promptiores. Fit etiam à frigore, quod poros comprimendo flatuum exitum impedit,& intrò calore reuocato,ab eo flatus,& ſpiritus agitantur: agitantur etiam à percuſſione capitis, vel illius commotione. Si enim quis res in gyrum motas,aut aquas fluentes inſpiciat, facilè hoc acci-D dente corripitur, etiamſi ad res quietas poſteà oculos conuertat: quod fit quia oculus ſequitur motum rei externæ, quæ mouetur; & cum moueatur oculus per talem inſpectionem, facilè ſpiritus,qui ſunt iuxta oculos etiam mouentur,& continuitate quadam reliqui ſpiritus,qui ſunt intra cerebrum; quem motum ſeruant ſpiritus donec paulatim motus,& impulſus euaneſcat,quamuis oculus eo tempore res quietas inſpiciat. Quæ omnia deſumuntur ex Galeno, Paulo, Auicen. Donato ab Altom. locis ſuprà tactis, & ſunt conſona doctrinæ Petri Garciæ.

*Vertiginis ſigna.* Hunc morbum eſſe propriam cerebri paſſionem dignoſcimus ex aurium tinnitu continuo, ex auditus,& viſus hebetudine,capitis grauitate,& dolore,& ex defectu ſignorum,quæ ab alia parte procedere demonſtrent. Si verò ex ventriculo conſurgat,

ſurgat, illum deprehendimus ex eius morſu, nauſea, amaritudine, diſtenſione, & humorum intra ipſum fluctuatione. Tandem ſi ab alia parte oriatur, ex ipſius partis offenſione cognoſcere poteris.

*Præſagium.*

Huius morbi curatio non eſt paruifacienda, quia eſt proximus epilepſiæ, & apoplexiæ, vt inquit Galen. 3. *aphor. comm.* 17. Quod ſi ea quæ oculis obſeruantur, ſanguinolenta ſunt, ad inſaniam; ſi verò purpurea, ad morbum comitialem eſſe diſpoſitum ægrum oſtendunt, vt notat Aëtius.

## §. Vnicvs.

### *Curatio vertiginis.*

QVantùm ad curationem ſpectat, aër ſit temperatus, & in cauſa calida ad frigiditatem vergens; exercitium ſit moderatum, & ante prandium; locus in quo deambulet, ſit longus, ne cogatur ſæpè corpus circunvoluere, vt ait Vega. Ventrem habeat mollem, vel illum excitabis clyſtere carminatiuo, & emollienti ex furfuribus in linteo ligatis, mercuriali, beta, camemalo, fœnugræco, & maluarum foliis, ex quibus fiat decoctum, cuius ℞. ℔. j. hieræ picræ ℥. j. ſalis ʒ. j. olei anethini, & camemali ana ℥. j. ß. miſce, & fiat clyſter. Aut ſuppoſitorium conficies ex puluere hieræ, agarici, & ſale cum melle cocto. Abſtineat ſe ab immodicis animi paſſionibus, à clamoribus, & vociferationibus, & vtatur frictionibus moderatis ante cibum. Victus ſit boni ſucci, flatûs expers, & facilis concoctu, vt carnes pulli, paſſerum, attagenarum, caponum, & arietis, & oua ſorbilia: euitet legumina, cepas, & allia, & alimenta craſſa, & lacticinia, quæ maximè tentant caput. Vinum ſit album, aquoſum, tenue, & vnius anni, aut loco illius ſubſtituatur aqua aniſi, fœniculi, cinnamomi, ſmilacis aſperæ, aut ſaxifragæ indicæ.

*Curatio vertiginis in acceſſione.*

Si æger ſit in acceſſione, eum medicamentis, quæ odore mouent, idoneis excitare conuenit, vt conſulit Paulus, & frictionibus partium extremarum; quæ ſi non proſint, non erit abs re glandibus, aut clyſteribus vti, vt præcepit Donatus ab Altom.

*Curatio illius extra acceſſionem.*

Extra acceſſionem, ſi morbus ſit cerebro primariam affectionem patiente, eum euacuabimus per ſanguinis miſſionem, ex Paulo, quæ debet fieri ex vena media, ſi plethora ſit; quâ deficiente, ex humeraria fieri poteſt. Deinde in cauſa frigida, cùm pituita, aut melancholia redundauerit, illam præparabis, & euacuabis, vt diximus *cap. de incubo*, & *de dolore capitis ex pituita*, & *melancholia.* Si verò bilis exceſſerit, pari ratione eam demere tentabis, illam ſyrupis refrigerantibus priùs præparando, vt diximus *capite de phrenitide*, & *de dolore capitis ex bile.* Quibus factis, conſulit Auicen. vt cucurbitulæ occipitio admoueantur, & ſpatulis, quas iubet ſcarificare Paulus: mox in cauſa frigida apophlegmatiſmis eſt vtendum, & maſticatoriis ex nuce moſcata, maſtiche, piretro, & pipere. Similiter decet caput inungere oleis calefacientibus, & reſoluentibus, vt actum eſt capite de lethargo, & caput abluere cum decocto ex rebus capitalibus, quo etiam crura abluantur, ſaltem bis in hebdomada. Cucufa cum puluere piretri, ſaluiæ, macis, cubebarùm, nucis moſcatæ, galangæ, puluere granæ, & aliis capitalibus compoſita, capiti impoſita multùm prodeſſe poterit. Hæc ſi non proſint, æger ad balnea ſulphurea, aut aluminoſa ducatur, vel ad ſudationes, præſertim ſi ſit ſuſpicio luis venereæ. Si verò bilis ſit huius morbi cauſa materialis, oportet caput fouere oleo roſaceo, & camemali, cum ace-

A to, & alia efficere, vt actum eſt capite de phrenitide. Tandem iubet Aëtius arterias in capite iuxta tempora, & ſupra aures inſcindere, quamuis Galen. aſſerat, non omnes huiuſmodi auxilio fuiſſe curatos, cùm per alias arterias humor calidus, vel vapor poſſit peruenire ad caput. In quacumque vertigine, ſiue per ſe fiat, ſiue per conſenſum, clyſteres ſunt iniiciendi, qui carminatiui dicuntur, qui etiam ſimul euacuent, & emolliant, vt ℞. decocti maluar. radic. altheæ, ſeminis lini, fœnugræci, camemali, meliloti, parietariæ, & betæ ℥. x. benedictæ ʒ. vj. mellis roſati perſici ℥. iij. olei anethini, & camemali ana ʒ. j. miſce pro clyſtere. Similiter ſi aliqua euacuatio ſit cohibita, eam omni arte reducere tentabis.

*Curatio vertiginis ex ventriculo.*

Verùm ſi ab humoribus ventriculum infeſtantibus morbus oriatur, ipſos humores euacuabis, quod optimè efficies per vomitum, ſi æger ad illum ſit pronus; idque aſſequeris decocto ſeminis
B raphani, & hordei cum oxymelle, aut ſyrupo acetoſo, quod tepidum bibatur, & paulò poſt immiſſis digitis euomat. Quo facto reliquum humorem præparabis rhodomelle, ſyr. de mentha, de corticibus citri, & ſimilibus: mox illum euacuabis pillulis de hiera, maſtichinis, aggregatiuis, & id genus aliis, aut cum potionibus ex manna, vel diacathol. in decocto pugini diſſoluto, & ſyrupo Regio, vel perſico ſolutiuo; quam euacuationem per interualla licebit repetere. Tandem ventrem roborabis exteriùs, & interiùs, vt capite antecedenti de incubo annotauimus.

Interiùs tamen accipiat æger tabellas diacymini, & diarrhod. Abb. cum aqua fœniculi calida, vel cum aqua ſtillatitia cinnamomi, ex deſcript. Mathioli, vel pulueres Papæ Benedicti, qui triginta Medicorum conſenſu fuerunt compoſiti, quorum
C hæc eſt deſcriptio. ℞. puluer. carui, cumini ruſtici, liquiritiæ raſæ, cinnamomi, aniſi, fœniculi, dyptami regij, ana ʒ. ij. coriandri præp. ʒ. vj. ſacchari ad pondus omnium, ex quibus pondere ʒ. j. aſſumat æger manè ante prandium, imò & poſt prandium; quo remedio feliciter vſus fui in pluribus ægris, qui vertiginem patiebantur ex vteri, & aliarum partium inferiorum conſenſu. Reliqua ſiue interiùs, ſiue exteriùs admouenda pete etiam ex curatione inflationis ventriculi, quæ huic affectui adaptari poſſunt.

Quod ſi ab alia parte affectio oriatur, tota eius curatio conſiſtit in humoris exiſtentis in parte, & ad illam fluentis euacuatione, & in ipſius partis corroboratione.

*Curatio vertiginis ex vtero.*

Vt ſi prodeat ex vtero, ei remedia admouebis priùs cauſam detrahendo materialem, ex qua vapores ad caput feruntur, ea adhibendo iuxta ideam humoris peccantis; quo euacuato, reſoluentia ſunt ex vſu, vt ſic humor diſcutiatur, & vapores abſumantur; in quem finem cucurbitula ventri affixa
D miram vim habet: item cucurbitulæ femoribus appoſitæ, & partium inferiorum frictiones, quibus humor diſtrahitur. Alia plurima auxilia afferre poſſem, ea tamen ex curatione hyſtericæ affectionis accipere potes: omitto amuleta plura ab Hieronymo Montuo tradita *in ſua Anaſceue morborum, capite* 12. quia inutila ſunt.

## CAPVT XV.

### *De apoplexia.*

*Quid ſit.* CVm omnes pariter nerui, tum ſenſum, tum motum amiſerint, apoplexia huiuſmodi affectio appellatur, ex Galeno 3. *de locis*, *cap.* 10. in quo conueniunt omnes, inter quos Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 27. appellat hunc affectum ſiderationem, quia per illum manent ægri veluti ſi ſidere, aut fulmine eſſent percuſſi, ſine ſenſu, & motu iacentes; quapropter ſic definitur communiter iſte morbus: *Apoplexia eſt omnimoda, ſubitaque priuatio ſenſus, & motus.* Aliqui addunt, *cum læſione maxima reſpirationis*; quæ additio ſuperuacanea eſt, cùm ſub priuatione motus reſpirationis læſio comprehendatur; nam ſi eſt motus pariter & ſenſus amiſſus, vt inquit Paulus, & otioſitas membrorum in motu, & ſenſu, vt ait Auic. neceſſariò motus reſpirarionis erit amiſſus; nam aliàs dici non poteſt, quod omnes nerui ſenſu, & motu carent.

*Dubium.* Sed inſurgit dubium ex Gal. 2. *aphor. comm.* 42. vbi inquit: *In apoplexiis totum corpus repentè ſenſu priuatur ac motu; ſolum reſtat anhelitus, qui ſi & ipſe prohibeatur, maxima eſt, & acutiſſima hæc apoplexia.* Vbi docet, reſpirationem permanere, niſi in vehementi apoplexia: & paulò infrà rationem addit ex reſpirationis neceſſitate deſumptam, dicens: *Videtur autem hoc fieri propter reſpirationis neceſſitatem, quæ neruorum vim excitat ad operationem; & hanc ob cauſam magna ex parte muſculi omnes, qui thoracem mouent, in apoplexiis mouentur.*

Iacotius *lib.* 7. *coac. comm.* 1. *text.* 40. idem oſtendit: *Vt ergo* (inquit) *per ſanitatem dormientes reliquis neruis obſtructis ſolos eos qui pectus mouent, ſeruant liberos, ſolicitâ naturâ ne vlla occaſione reſpiratio pereat; ita in apoplexia omnium partium ſenſu motuque intercepto, ſola reſpiratio naturæ quodam inſtinctu ad extremum vſque vitæ actum ſeruatur.* Idemque aſſerit Valleſ. 3. *de locis*, *cap.* 10. Si igitur reſpirationis motus ſeruatur: ergo iam non datur omnimoda motus priuatio.

Præterea ſecundò ſequitur, quod adſit aliqua ſenſatio; nam reſpiratio eſt actio ſpontanea, quæ fit præcedente ſenſatione, ſeu cognitione obiecti neceſſitantis ad illam; ſed in apoplexia totaliter eſt amiſſa ſenſatio, & cognitio obiecti, cuius gratià fieri debet reſpiratio: ergo neceſſariò ex defectu cognitionis obiecti deficere debet reſpiratio; nam ſi fieret ſine ſenſatione, non eſſet motus ſpontaneus.

His dubitationibus reſpondetur, reſpirationem eſſe læſam abolitè in quauis apoplexiæ ſpecie, factâ comparatione ad alios morbos, in quibus parum læditur reſpiratio, vt ſi comparetur ad carum, vel catalepſim, qui leuem læſionem reſpirationis patiuntur; factâ tamen comparatione ad magnam, & fortem apoplexiam, in qua nihil reſpirationis ſeruatur, reuerà reſpiratio, etſi difficilis, permanet; paſſionis enim magnitudo cauſæ magnitudinem ſequitur; & cùm apoplexia leuis ſit caro, & catalepſi periculoſior, & in ea maior obſtructio cerebri reperiatur, etiam in ea maior læſio reſpirationis inuenitur, quàm in illis, quorum reſpectu reſpiratio amiſſa dici poteſt.

Tertium dubium inſurgit ex Hippocat. *libro de dieta*, vbi ait: *Non enim de repente morbi hominibus accedunt, ſed paulatim collecti, coaceruatim* A *fiunt.* Ergo hic neque alius morbus poteſt ſubitò aduenire. Reſpondetur Hippoc. doctrinam eſſe intelligendam de morbi cauſa, quæ paulatim colligitur, & coaceruatim apparet. Galen. verò loquitur de ipſo morbo, qui ex tali cauſa paulatim coaceruata ſubitò initium ſumere ſolet; & hoc modo accidit apoplexia, ſine eo, quod alter præcedat morbus, & propterea dicitur apoplexiam ſubitò fieri. Dubium tamen ſequens diſſoluendum eſt.

### §. I.

### *An homo viuere poſſit ſine reſpiratione, & quanto tempore.*

B QVoniam in apoplexia forti nulla adſeruatur reſpiratio, vt docet Galenus 2. *aphor. comm.* 42. dubitatur à Medicis, an homo poſſit viuere ſine reſpiratione, & quanto tempore? Ariſt. *lib. de ſpiratione, prope finem*, in hæc prorumpit verba: *Vita inſpiratione, & exſpiratione conſiſtit.* Ex quo ſequitur, quod deficiente reſpiratione, vita etiam ſtatim deficiat. Galen. 6. *de locis*, *c.* 5. ait: *Quippe in confeſſo eſt, & ſpirationem à vita, & vitam ab ſpiratione ſeparari non poſſe.* Quo nihil clarius, & ipſa obſeruatio oſtendit; nam qui ſtrangulantur, aut laqueo ſuſpenduntur, nec quartam horæ partem viuere poſſunt; & omnes mori, qui ſpirare nequeunt, cernimus: & hanc ob cauſam dictum eſt ab Hippoc. eſſe impoſſibile ſoluere fortem apoplexiam; non enim reſpirat æger, & ſic neceſſa- C riò moritur, quoniam nec ventilatur calor cordis, nec fuligines expelluntur, quæ calorem ſuffocando, ſtatim hominem ducunt ad interitum. Ex quibus videtur colligi, nequaquam eſſe adhibenda remedia huic morbo, nam vbi ſalus deſperata fuerit, imprudentis conſilij eſt apud vulgum infamare remedia, quæ multis fuere ſaluti, vt inquit Galen. 11. *methodi*, *cap.* 9.

*Vera concluſio.* His tamen non obſtantibus, vera concluſio eſt, hominem per aliquos morbos viuere poſſe ſine reſpiratione per aliquod tempus, in quo illi poſſunt admoueri remedia, & ſalutem amiſſam recuperare ipſe poteſt. Quam probare poſſumus ex Ariſt. 1. *de hiſt. animal. c.* 11. vbi ſic: *Sed datur viuendi facultas, etiamſi deſit reſpiratio.* Et hoc exemplo confirmat Galen. 6. *de locis*, *c.* 5. *citato*, in animalibus in latebris degentibus, in quibus toto hieme nulla apparet reſpirationis nota. Et ibi agens de mulieribus hyſtericis, in quibus nulla ſeruatur reſpiratio, cum hoc tamen reuiuiſcunt, ita ait: *Itaque ſi omnes af-* D *fectæ mulieres ita interiiſſent, ſimplex eſſet quæſtio; cùm verò nonnullæ ſeruatæ videantur, &c.* Auic. de apoplexia forti agens, etiam dicit: *Aliquando accidit, vt homo apoplexiam incurrat, & non ſit differentia inter ipſum, & mortuum, & non apparet in ipſo aliquid anhelitus, & poſteà reuiuiſcit.*

In reddenda tamen huius euentus cauſa diſſident Authores. Galen. exiſtimat in hyſtericis, & apoplecticis non eſſe reſpirationem neceſſariã, quia finis, & vſus illius deficit; nam reſpiratio eò tendit, vt cordis calor attemperetur, at in hyſtericis totum corpus remanet frigidum, & calor puſillus perſeuerans, ſufficienter arteriarum officio conſeruatur, & tranſpiratione etiam natura ſuo munere fungitur. In apoplecticis remanet etiam corpus frigidum, quod conſtat dum venam ſecamus, vbi ſanguis nullus profluit ob frigiditatem congelatus. Cui doctrinæ aſſentit Valleſ. eam tamen Petr.

Garc.

Garc. vniuerſaliter non probat; nam præter caloris attemperationem exſpiratio deſeruit ad fuliginum expulſionem; & quo tempore eſt maior ſuffocatio, tunc maior eſt indigentia expellendi fuligines,& ſic in apoplexia non deficit vſus,aut finis exſpirationis,& hanc ob cauſam non poteſt deficere reſpiratio.

*Quid tenendum.*

Quare exiſtimare oportet, reſpirationem deficere,quia nihil virtutis animalis neruis communicatur, propter nimiam cerebri obſtructionem, & tranſitus impedimentum. Quod ſi viuit animal, non tamen diu durare poteſt.Quod ſi non ſuccurratur,breuiter ſuffocatus interiit.

*Ad authorit. reſponſio.*

Ex quibus facile eſt reſpondere ad authoritates in oppoſitum, ſi dicamus, animal multo tempore viuere non poſſe ablata reſpiratione; non tamen quod breui temporis interuallo non viuat, vt iam probatum manet.

*In quo conſiſtat natura huius morbi.*

Morbi huius naturam ſitam eſſe in obſtructione, docent omnes; ita enim Galenus 3. *de locis, cap.*7. iuxta finem, vbi humorem frigidum, & craſſum cerebrum implentem, illius cauſam eſſe dicit. Et 2. *aphor. comm.*42. ſic ait: *Omnes autem apoplexiæ fiunt vi animali non potente defluere ad partes infrà caput exiſtentes, aut propter aliquam diſpoſitionem inflammatoriam, aut ventriculis cerebri humore pituitoſo repletis.* Vbi Galenus frequentiorem cauſam adduxit,qui 2. *de cauſis ſymptomatum, cap.*7. aſſerit, non poſſe fieri ab intemperie, quia ſubitò iſte morbus fit,& ſubitò ſoluitur; nam ſi ab aliqua intemperie fieri poſſet, maximè ab intemperie frigida,vt omnes alij affectus ſoporoſi,per quam poterant pori cerebri comprimi, & ſpiritus condenſari,& inepti reddi ad motum,& ſenſum,& hunc morbum procreare; quod eſt impoſſibile in hoc morbo. Nam animal non poteſt venire ad tantam frigiditatem, quæ morbum ita acutum producat,quin prius intereat homo,quamuis alias affectiones ſoporoſas minores propignere poſſit. Vbi quando in hoc capite dicitur, quod apoplexia ſubitò fit,& ſubitò ſoluitur, ideò dicitur, quia intemperies paulatim,& cum contrarij reſiſtentia introducitur, & non poteſt producere apoplexiam, quin alium morbum remiſſiorem priùs producat; quod non efficit humor obſtruens, qui motus celeritate ita breuiter obſtruere poteſt, vt alter morbus ſenſibilis non antecedat; nam quamuis minor obſtructio maiorem præcedat, ita breue inter vtramque intercedit tempus, vt dici poſſit, quod ſubitò,id eſt nullo alio morbo præcedente,apoplexia inuadat.

*Apoplexia non fit ab intemperie.*

Aduertere tamen oportet, quod nomine obſtructionis intelligere debemus quamlibet cauſam ſenſum,& motum totaliter impedientem, vt ſi eſſet aliquis affectus inflammatorius, vel cerebri ventriculi comprimerentur, aut tota cerebri ſubſtantia, vt relatum eſt *cap.de caro.*

*Pars affecta in apoplexia.*

De parte affecta nulla dubitatio relinquitur,omnes enim conueniunt,eſſe cerebrum. Sed licèt totum obſtruatur, ventriculos tamen illius maiorem pati obſtructionem,Authorum verba declarant,vt conſtat ex Galen.2. *aphor.cit.*& 3.*de locis, cap.*7. vbi hunc morbum fieri aſſerit, cùm frigidus humor ſubitò principaliores ventriculos cerebri impleuerit. Et 2. *de cauſis ſymptomatum*,eadem fermè prorſus verba proponit. Idem Paulus, Auicen. & Aetius.

*Obiectio contra dicta.*

Sed obiicies ex Galeno 4. *de locis affectis, capite* 2. vbi ſic: *Verùm in ſopore, & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minus; in apoplexia corpus magis affici ſolet.* Ergo ex Galeni doctrina non afficitur in hoc morbo cerebrum ſecun-

A dùm ventriculos, ſed potiùs ſecundum corpus, & ſubſtantiam illius.

*Ad illam reſponſio.*

Reſpondetur,quod illa particula magis,non denotat, quod corpus magis afficiatur in hoc morbo quàm ventres cerebri; ſed ſenſus eſt,quod in apoplexia corpus magis afficitur, quam afficiuntur ventres cerebri in ſopore,& morbo comitiali;nam aliàs eſſet in verbis Galeni euidens contradictio.

*De ſpeciebus apoplexiæ.*

Pro morbi huius vehementia maiori, vel minori, quatuor inſurgunt apoplexiæ ſpecies, ex Gal.2.*aphor.cit.* Prima,cùm prohibetur anhelitus, quæ maxima,& acutiſſima eſt.Secunda,cum reſpirant quidem,ſed magna vi,& hæc fortis eſt.Tertia fortis etiam eſt,ſed minùs, cum neque intentum, neque violentum, inæqualem tamen, atque inordinatum,ac præterea intermittentem habent anhelitum. Quarta tandem debilior exiſtit,in qua anhelitus aliquem ſeruat ordinem.

*De cauſis apoplexiæ.*

B Cauſa frequentior apoplexiam excitans eſt humor craſſus, & frigidus, vt omnes teſtantur; quæ etiam fit ex ſanguine, vt vult Auicen.qui *fen.* 1.3. *tract.*2. *cap.*5. docet fieri poſſe ab omni humore; nam licèt bilis ſuâ craſſitie non poſſit obſtruere, poterit tamen id ſua multitudine ſupplere. Quod etiam aſſerit Valleſ. 7.*epidim. comm.*83. vbi docet fieri poſſe ab omni ſucco,rarò tamen fit à bile; nam antequam ad tantam obſtructionem faciendam perueniat, ſuis qualitatibus irritantibus naturam excitabit ad expulſionem, & non fiet apoplexia conſummata, præcipuè ſi facultas expultrix ſit conſtans; ſi verò debilis ſit, nec mirum ſi à bile apoplexia etiam inſurgat.

Neque in hoc eſt ſequendus Fernelius *lib.*5. *de partium morbis, cap.*3. vbi aſſerit, hunc morbum neque à ſanguine, neque à melancholia gigni poſſe; quod etſi ipſe dicat, non tamen probat, cùm

C vterque humor ſuâ craſſitie obſtruere ſit potens.

Poteſt etiam excitari à flatu, quamuis rarò fiat vt conſtat ex Galen. 6. *aphor.comm.*51. vbi inquit, quod Hipp. mutos appellat apoplecticos; & adducens cauſas, ita ait: *Cauſam referre oportet in primis ad humorem flatuoſum.* Idem aſſerit 5. *aphor. com.*5. Huius ratio eſt, nam vapor craſſus valet obſtruere neruos, & conuellere, vt patet ex Hipp.5. *aphor. text.*5. Ergo ſimiliter valebit obſtruere cerebrum; ex quo naſcitur, quod fumus carbonum,& vapor ex cœnoſis locis poſſunt hanc producere affectionem, ſi in aliquo loco occluſus homo eos per reſpirationem trahat.

D Fit etiam apoplexia, vt notat Leonard. Iachinus, per obſtructionem iugularium vaſorum, quæ veteres carotidas, ſeu ſoporarias appellant: nam obſtructis arteriis deficit in cerebro materia ſufficiens ad ſpiritus animalis generationem. Hoc quidem deſumpſit ex Hipp. 4. *de ratione victus, textu* 23. vbi ait: *Quod autem quis repentè obmuteſcat,id venarum interceptiones, & occluſiones faciunt,ſi ſanè abſque occaſione contigerit.* Et Galenus *in comm.*transfert hunc ſermonem ad apoplexiam, & epilepſiam.

Breuiter tamen reſpondetur, quod ibi Hipp. fatur de apoplexia per conſenſum ob defectum alicuius, quod cerebro communicari deberet; quæ tamen apoplexia non conſiſtit in cerebri obſtructione, vt claret; ſed in defectu ſpirituum vitalium,qui conſurgit ex obſtructione vaſorum iugularium; quibus deficientibus non generantur ſpiritus animales in cerebro,priuaturque animal ſenſu,& motu.

Hunc morbum comitantur ſenſus & motus priuatio

uatio, vt diximus in definitione, quæ potiùs eſt quædam deſcriptio, quàm definitio eſſentialis. Cognoſcimus etiam illum ex difficultate reſpirationis, per quam diuerſæ ſtatuuntur ſpecies, vt dictum eſt: quibus accedit ſpuma aliquando circa os, iacent oculis clauſis, ac ſi eſſent in ſomno detenti, præcedereque ſolent cruditates, ebrietates, & repletiones, quæ maximè conducunt ad cauſæ intelligentiam; inſomnia præcedunt turbulenta, capitis grauitates, oculorum ſplendores, venæque iugulares intumeſcunt.

*Præſagium.* Apoplexiam fortem ſoluere eſt impoſſibile, debilem verò non facile, ex Hipp. Apoplexia nequaquam, aut rarò curatur, vt quæ mortem minetur præcipitem, ex Paulo. Apoplecticis ſudor ſuperueniens lethale, ex Hipp. *lib. coacarum*; nam ſudor vires reſoluit, & fit naturâ laceſſitâ, & grauatâ, humorum multitudinem expellere conante. Febris etiam in forti apoplexia ſolet non prodeſſe, aliquando tamen humorem deuaſtat.

Apoplexia in paralyſin terminatur, ex Galen. 4. *de locis.* Si verò febris ſit lenta, quæ potiùs materiam attenuet, & in flatus vertat, nihil iuuat, ex Holerio, & Iacotio; ſi fortis, prodeſſe poterit.

*An homo ſit mortuus, vel non.* Oportet etiam deprehendere, an homo ſit mortuus, vel non, quod inde colliges ſpeculo terſiſſimo naribus admoto, quod ſi viuit, reſpiratione ſpeculum infeſtabitur; aut lanæ carminatæ hapſo, quem naribus impoſito mouebit: aut ſuperponatur pectori vitrum aqua plenum, quod reſpirans etiam mouebit. At quia in forti apoplexia totaliter amittitur reſpiratio, oportet ægrum ſeruare, quin ſepeliatur, ſpatio vnius diei; non tamen, vt exiſtimat Ioannes Paſchalis, eſt poſt tres dies ſepeliendus, quia tanto tempore viuere ſine reſpiratione eſt impoſſibile, præcipuè ſi æger ſit debilis, aut ſenex, cui ætati iſte morbus eſt familiaris, vt docet Galen. 3. *aphor. comm.* 31.

## §. II.

### *Curatio apoplexiæ.*

Iſte affectus eſt exactè peracutus, citoque ei eſt ſubueniendum; & quia occaſio non adeſt exhibendi cibum, ſtatim ad remedia deuenire cogit neceſſitas: quare ſi pulſus appareat, ita vt vitalis facultas non ſit languida per eſſentiam, ſed potiùs per aggrauationem, quod docet cognoſcere Galen. *libello de pulſibus ad Tyrones, cap.* 11. vtramque venam humerariam ſecare conuenit, & copiosè ſanguinem detrahere, ex Auic. conſilio, quamuis Aëtio viſum ſit, talem copiam, quæ detrahitur, diuidi, ne virium maior exſolutio fiat, quæ copioſior debet eſſe pro ſanguinis redundantia; & talis fieri debet, ſi apoplexia ab inflammatione procedere videatur: quod genus auxilij præcepit Gal. libello illi adſcripto introductorio, ſeu Medicus, *capite* 13.

*Rondeletij conſilium non probatur circa apoplexiæ curationem.* Rondeletius methodo medendi morbos incipit à leuioribus auxiliis; tamen quia iſte morbus eſt extremus, extrema ſtatim exquiſitè remedia expoſtulat, & ſic ſtatim ad illa properandum; deinde vtantur clyſteribus acriter irritantibus, vt ℞. maluæ, biſmaluæ, origani, calamenti, pulegij, & camemali ana p. j. rutæ agreſtis, & vrticæ ana ℥. iij. coquantur omnia ſufficienter, cuius decocti accipe ℔. j. hieræ logod. ℥. j. ſucci roſarum perſic. ℥. ij. ſalis gemmæ ʒ. j. miſce, & fiat clyſter. Vel ℞. foliorum rutæ, origani, pulegij, betæ, & radicis altheæ, ana m. j. radicis cucumeris agreſtis, & hellebori albi ana ʒ. iij. pulpæ colocyntidis ʒ. j. coquantur omnia ſufficienter, cuius decocti accipe ℔. j. hieræ, colocyntidis, & benedictæ ana ʒ. ß. olei anethini, & rutæ ana ℥. j. ſalis gemmæ ʒ. j. miſce pro clyſtere. Fieri etiam poteſt ſuppoſitorium, quo vtatur æger, vt ℞. hieræ diacolocyntidis ʒ. j. caſtorei, & rutæ ana ʒ. j. ſalis gemmæ ʒ. j. miſce, & cum melle toſto fiant ſuppoſitoria longa, vt fortiùs irritent. Fortibus vtantur frictionibus crurum, & brachiorum, iũnctis manibus cum oleo anethino, camom. aut rutæ. Conueniunt ſimiliter earumdem partium ligaturæ, & cucurbitæ dorſo affixæ, & occipitio, quas ſcarificare iubent Authores. Sternutatoria ſunt ex vſu ex ſynapi, euphorbio, & helleboro albo per nares abſorpta, quamuis ea reformidet Rondeletius, quia exiſtimat, quod humor non poteſt ſternutatione excuti, quia non eſt in ventriculis cerebri, ſed ſolùm in eius ſubſtantia; quod quàm falſum ſit, ſuprà ex omnium conſenſu manet probatum. Errhina liquida non conferre iudico, quia ex naribus ad guttur facilè deſcendunt, & poterunt ægrum ſuffocare; & ſi quæ eſt reſpiratio, viam impediendo illam prohibere. In forma ſolida ſic parari poſſunt. ℞. puluer. piperis, euphorbij, & ſynapis, cariophylorum, & nucis moſcatæ, ana ʒ. ß. ceræ quod ſit ſatis, vt fiant naſalia pyramidis effigiem repræſentantia. Vel ſic. ℞. pulueris caſtorei, piperis longi, veratri albi, & ſtaphidis agriæ, ana ʒ. ß. mellis toſti, aut ceræ quod ſufficiat, vt fiant naſalia in formam prædictam, ex quibus ſimiliter formari poſſunt maſticatoria. Oportet etiam os colluere decocto ſaluiæ, maioranæ, ſtœcados, betonicæ, origani, & ſimilium, addito pauco oxymelite, & ore adaperto pituitam educere: quod ſi eidem decocto aquam vitæ addas, illud potentius efficies. Abluitur etiam os cum ℥. iij. aquæ vitæ, in qua diſſoluatur ʒ. j. theriacæ magnæ antiquæ; aut mithridati. Vlteriùs ſi ſanguinem abundare conſpexeris, ab inflammatione ve oriatur affectio, proficuum eſt ſanguinem ex vena frontis detrahere, facta priùs forti fricatione, & calefactione, vt ſanguis magis attenuetur, & fluxibilior reddatur; & ſi venæ iugulares intumeſcunt, ipſæ etiam deriuationis gratiâ ſunt aperiendæ, ex Holerij conſilio, anguſto tamen foramine, ne hæmorrhagia ſequatur: quod ſi fortè accidat, facilè adſtringentibus, & glutinantibus ſanguinem cohibemus, in quem vſum maxime confert Galeni emplaſtrum adductum 5. *methodi, cap.* 4. Detur odorandum galbanum, aut euphorbium, & piretrum, aut acetum in quo ſint decocta hyſſopus, thymus, pulegium, ruta, piretrum, & euphorbium, vt ſic humor paulatim diſcutiatur.

Præterea ſi poſſit deglutire, ſtatim aſſumat ʒ. vj. elect. diaphœnic. in aqua mulſa diſſoluti, cum ℥. iij. ſyr. perſici ſolutiui, aut ſennati, aut pillulas cochias in aqua mulſa diſſolutas cum granis duobus diagridij; nam præparandi humores nulla datur occaſio: quam potionem paulatim dabis deglutiendam. Oportet etiam caput calefacere, & humorem reſoluere cuiuſvis naturæ ſit, vt docet Galenus 2. *de locis affectis, cap.* 5. *prope finem.* Caput igitur abradendum priùs eſt, deinde fouendum oleo de caſtoreo, irino, nardino, & anethino cum pulueribus euphorbij, ſtaphidis agriæ, piretri, & ſynapis in linimenti formam redactis, quo etiam nucam illines, vel emplaſtrum efficies cum dictis pulueribus, pice, & therebentina; aut aliud ex ſtercore columbino, ſynapi, ſtaphide agria, & pice, cum oleo laurino, & irino. Decoctum etiam parabis ex rebus capitalibus, quo caput abluatur. Rhaſis iubet ſartaginem calefieri, vel galeam, & capiti admouere, & per interualla repetere.

Remiſſa

Remiſſa morbi acceſſione, ægrum nutries iure pulli, aut gallinæ, aut aqua mulſa, humoreſque ad expurgationem parabis, illumque euacuabis, ac caput roborabis remediis ſuprà allatis, & cucufis capiti admotis, quæ ſic parantur. ℞. macis, cubebarum, ligni aloes, galangæ, piperis longi, ana ℥. ß. pulueris granæ ʒ.iij. ligni ſancti ſcophinati ℥. ß. florum ſtœcados, & camem.ana ʒ.ij. foliorum ſennæ ʒ. ij. triturentur; & ex his fiat cucufa, quà vtantur pluribus diebus; maximè enim caput roborat, & humoris reliquias conterit.

Loco exercitij in lectica; aut curſu geſtentur, vel linteo aſpero fricentur manè, & veſpere. Aſſumant plurimis diebus ieiuno ventre ʒ.j. theriacæ, aut mithridati; cum aqua mulſa, aut fœniculi. Si ad vomitum ſit æger procliuis, vomitus prouocetur aquâ mulsâ tepidâ, vel decocto ſeminis raphani, & anethi, cum ſyrupo acetoſo, aut oxymelle. Declinante magis morbo, alimenta paulò craſſiora adminiſtrabis, & ad ſiccum vergentia. Vinum ab Auic. interdicitur. Quod ſi apoplexia in paralyſin terminatur, capite ſequenti propriam habebit curationem.

## §. III.

### *Obſeruatio pro quadam apoplectica.*

QVoniam hiſtoriæ, variique euentus valdè conferre poſſunt ad rerum gerendarum vſum, & vias abditas patefacere, & per analogiſmum, & epilogiſmum eas demonſtrare, placuit mihi caſum referre cuiuſdam ægræ, ad quam curandam acceſſi. Erat enim mulier quinquagenaria, habitus corporis obeſi, ſanguinea, bonis fruens alimentis, ob eorum tamen ingluuiem, & quia in otio degebat, pluribus ſcatens cruditatibus, & obſtructionibus. Ipſa equidem apoplexia forti ſubitò correpta fuit, non tamen erat de prima ſpecie, in qua, vt inquit Galenus 2.*aphor. comm.*42. nullus apparet anhelitus; hæc enim (vt ipſe ait, acutiſſima eſt: neque erat ſub ſecunda ſpecie conſtituta, in qua magna vi, & difficulter reſpirant; ſed potiùs erat illius apoplexia fortis, tertiæ tamen ſpeciei, in qua minori vi, inæqualiter tamen, atque inordinatè, & intermittenter ægri reſpirant: erat ſine febre, habebat tamen faciem, & venas frontis tumefactas, & rubedine, & calore affectas. Cùm ergo inſtaret remediorum adhibendorum neceſſitas, & extremis morbis extrema remedia adhiberi debeant, & viſum fuiſſet mihi, ipſam pati obſtructionem cerebri ab humoribus craſſis, ſimul cum ſanguinis multitudine, vt ſigna faciei, & alia oſtendebant; ſtatim ſanguinem copiosè mittere iuſſi, breui interuallo ex vtroqne brachio ſecta vena cephalica. Vſus etiam fui frictionibus, & ligaturis partium extremarum, & cucurbitulis, fortibuſque clyſteribus, & ſuppoſitoriis; non tamen ad vſum topicorum peruenire volui, ne ex eorum vſu magis grauaretur caput: ſed neque dictis auxiliis leuiùs ſe habuit, imò in eodem perſiſtebat ſtatu; quare cùm difficilè ſoluatur quælibet apoplexiæ ſpecies, vocari iuſſi ſocium, vt communi vtriuſque conſenſu remedia adhiberentur. Propoſui igitur ſtatim eſſe offerendum medicamentum purgans, quo humores à capite extraherentur, & neutiquam tale auxilium eſſe differendum, neque aliter huic immani malo ſubueniri poterat. Sed quia ægra erat iacens, ſine ſenſu, & motu, & timebat ſocius ægrotæ ſuffocationem, & quod non poterat deglutire pharmacum adhuc in A forma potabili, difficilè ferebat huius remedij adminiſtrationem, cupiebatque ei clyſterem purgatiuum iniicere, Hippoc. authoritate ductus, qui *libro de medicamentis purgantibus*, quando non adeſt occaſio offerendi purgans medicamentum, vel ratione temporis, vel ob morbi intenſionem, infuſum per clyſterem, quotieſcumque voluerimus, adhibere monet, quia minoris periculi eſt, quàm aliud pharmacum ore ſumptum. Ego tamen huius placito non acquieui, quia iudicaui hoc remedium, licèt magis tutum, eſſe inefficax ad detrahendum aliquid ex capite, vel efficiendam deriuationem, & reuulſionem; neque morbo ita magno, & exactè peracuto poterat ſubueniri auxilio paruo, præſertim quando timebamus ægram facilè, & breuiter ſuffocari poſſe, vt demonſtrabat reſpiratio inæqualis, inordinata, & ſæpè intermittens, ex nimia obſtructione ſubſtantiæ, & ventriculorum cerebri oborta. Quapropter cochlear aquæ paulatim tentandi gratia in os ægræ inieci, vt ſic experirer, an B facilè, vel difficilè aquam deglutiret; quam ipſa paulatim transglutiens dedit mihi anſam ſtatim offerendi potionem purgatoriam. Ex vtriuſque ergo conſenſu obtulimus hanc potionem. ℞. confect. Hamech. & elect. diaphœnic. ana ʒ.ij. decocti pugini facti ſupra decoctionem capitale ℥.ij.ß. ſyr. perſici ſolut. ℥.iij. miſce, & fiat potus: quæ ita feliciter purgauit, vt intra ſex horas habuerit reſpirationem æqualé, cœperitque ſe mouere, & aliquid ſentire, ita vt intra vnius diei ſpatium à purgatione immunis fuit à morbo. Neque hoc ſolum mihi contigit apud hanc ægram, ſed etiam apud alios hoc immani morbo affectos.

Quod autem ſtatim eſſet ſanguis mittendus, deducebatur ex ipſo affectu, qui erat cum ſignis plenitudinis ſanguinis; vbi conſulit Auic. quod in hora illa fiat phlebotomia, & emiſſio multi ſanguinis. Sed quia ibi etiam aderat præſentia humoris crudi obſtruentis, qui quodammodo poterat venæ ſectionem interdicere, adhuc ipſo humore crudo exiſtente, iubet ipſe ſanguinem mittere ſi ſimul C inueniuntur ſigna redundantis ſanguinis; quando enim vtrumque conſilium eſt neceſſarium, a venæ ſectione eſt exordiendum, vt præcipit Galen. *libro 6. epidim. ſect. 1. comm.6.* ſic enim poſteà melius purgatio ſuccedit, quia viæ patentiores fiunt, & humores magis fluidi, & ad motum paratiores.

Similiter purgatio ſtatim erat exercenda, vrgebat enim neceſſitas euacuandi humorem pituitoſum; quod inſpiciens Aëtius *tetrab. 2. ſermone 2. capit. 27.* ait: *Aliquando ipſi auſi fuimus ori hieram infundere; & cùm ſuſcipere non poſſent, quantùm oportet per clyſterem infudimus.* Auic. etiam aſſerit: *Deglutiat quod ſoluit, vt humor expellatur.* Vega in aqua mulſa diſſoluit diaſennam, vel pillulas cochias, quas ore adaperto deglutire facit. Neque in hoc ampliùs immorandum, cùm D ibi ad vtrumque auxilium magnum aderant ſcopi præcipui, ſimul cum indigentia talia exequendi remedia.

## CAPVT XVI.

### *De paralyſi.*

QVoniam hæmiplexia, ſeu paralyſis græcè dicta, latinèque reſolutio,fit multoties præcedente apoplexia,vt notat Galenus 4.*de locis,cap.*2. ideò poſt abſolutum ſermonem de apoplexia, ad hæmiplexiæ tractationem peruenimus, quæ etiam minùs diſtat ab apoplexia,quàm alij morbi, ſiquidem in paralyſi reperitur priuatio ſenſus, & motus in medietate corporis, aut aliqua eius parte; ſicut in apoplexia totum corpus ſenſûs, & motûs manet expers; quod docuit Galenus 1.*de cauſis ſymptom. capit.*5. vbi inquit, quod ſi ſenſus, & motus maneant expertes, vocatur huiuſmodi vitium neruorum reſolutio; quod vitium debet eſſe in corporis medietate, aut aliqua eius parte: idemque oſtendit 3.*de locis,cap.*10.& Auic. *fen.*2.3. *tract.*1. *cap.*2. Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*2.*cap.*28. in quo omnes conuenire video. Ex quibus ſic poteſt definiri: *Paralyſis eſt integra priuatio ſenſus, & motus in medietate corporis, aut aliqua eius parte.* Per quam definitionem facilè hunc morbum ab aliis diſtinguimus. Ab apoplexia iam conſtat qua ratione differat: ab epilepſia differt, nam in illa adeſt motus conuulſiuus, cum mentis, ſenſúſque oblæſione, quorum neutrum requiritur in paralyſi: à conuulſione diſtat, nam conuulſio eſt quædam retractio partium, in quibus reperitur ſenſus, & motus; paralyſis verò eſt relaxatio cum ſenſus, & motus amiſſione.

*Paralyſis quid ſit.*

Neque obſtat quod Galen. 3.*de locis,cap.*10.paralyſin appellet motûs deperditionem. Verba eius ſunt hæc: *Itaque neruorum reſolutio dicitur potiſſimùm, vbi motus deperditus eſt.*

Facilè enim reſpondetur, ibi Galenum non loqui de exquiſita paralyſi, ſed ſolùm de notha, ſeu ſpuria; aliis verò locis egiſſe de exquiſita. Sed ſequentem controuerſiam enodemus.

### §. I.

### *An paralyſis natura in obſtructione conſtituatur.*

CIrca hoc dubium, vt certum tenendum, paralyſin ab eiſdem cauſis proficiſci,à quibus dependet apoplexia, cuius naturam in obſtructione, & ventriculorum cerebri compreſſione ſitam eſſe, capite antecedenti docuimus. Quæcumque igitur cauſa, quæ motum, & ſenſum impedire valet, erit huius morbi natura. Huiuſmodi cauſas amplectitur Gal. 2. *de cauſis ſympt. c.*2. dum dicit: *Oſtendimuſque neruum, vel frigore denſatum, vel craſſis, & lentis humoribus obſtructum, vel à quapiam extrinſecus cauſa preſſum in torporem, & paralyſin adduci.* Quas cauſas nunc examinare eſt opportunum.

*Paralyſis cauſa.*

Et quod obſtructio ſit huius ſymptomatis cauſa,ab antiquioribus omnibus eſt receptum, & expreſsè docet Galen.1. *de cauſis ſymptom.cap.*5. vbi ait: *Quod ſi meatum aliquem neruus habet,qualem qui ad oculos deſcendunt, meatu obſtructo ab humoribus,virtus ſentiens,& mouens impeditur,ſicut capite de apoplexia diximus. Quod autem ſi nullus ſit meatus, vis animalis per ipſum corpus nerui permeat, qua ab obſtructione impeditur, ſicut nubes, nebula, fumus in aëre, lutum, & limus in aqua ſolis ſplendorem impediunt.*

*Obſtructio eſt cauſa paralyſi.*

Quod ſi obiicias, quamuis obſtructio impediat tranſitum ſpiritus animalis, aut virtutis influentis, non ſequitur,quod in parte deficiat ſenſus, & motus; nam quamuis humor obſtruat nerui exortum,& per illam partem neruo vis illa ſentiens,& mouens non communicetur; poterit tamen per aliam communicari, quia per alias neruus ille capax manet ad recipiendum influxum,cuius ratione poterit ſentire, & moueri.

*Obiectio.*

Reſpondetur, quod illa virtus partibus inferioribus communicatur ſecundùm rectitudinem, quâ deficiente, deficit illa virtus, & conſequenter ſenſus, & motus; ſicut lumen ſolis corporis opaci interpoſitione partibus inferioribus è directo reſpondentibus minimè impartitur, ſed ad latera corporis opaci ſolis lumen videtur: quem euentum experientia declarat; nam ſi quis ex alto cadat, & in dorſo feriatur, ita vt in paralyſin incidat, priuatur tantùm ſenſu, & motu ſecundùm partem correſpondentem directè parti læſæ dorſi,quia directè non communicatur vis, ſeu influxus: quæ directio eſt veluti conditio neceſſaria ad ſenſum,& motum impartiendum.

*Ad illam reſponſio.*

Obiicit ſecundò Valleſ.5. *controu.cap.*7. paralyſin dicens differre à conuulſione: ſed conuulſio eſt in obſtructione conſtituta: ergo paralyſis nequit per illam conſtitui. Diuerſa inquit ſymptomata, & ſpecie differentia diuerſos etiam morbos expoſcunt, à quibus proficiſcantur. Cùm igitur in vtroque morbo ſpecie differant accidentia, ipſos morbos differre etiam eſt exiſtimandum; & cùm in obſtructione conſiſtat conuulſio, paralyſis (inquit) magis fit humectatione,ita vt eius eſſentia ad intemperiei genus reducatur.

*Valleſij obiectio.*

Reſpondetur, quod tam paralyſis, quàm conuulſio in obſtructione conſiſtunt, qui morbi ſpecie medica differunt, quatenus ob partium diuerſarum obſtructionem diuerſa excitant accidentia, quamuis phyſicè in eandem rem coincidant; nam obſtructio in paralyſi eſt in cauitate aut exortu neruorum, ita vt impediat influxum virtutis ad ſenſum,& motum. At humor,qui conuulſionem ex repletione efficit, imbibitur in poris ſubſtantiæ neruorum,& muſculorum,eoſque contrahit ſecundùm longum, & ſecundùm latum in tumorem attollit. Vlteriùs paralyſis fieri ſolet ab inflammatione, vt inquit Auic. quæ multùm diſtat à conuulſione.

*Reſponſio.*

Quod etiam fiat ex compreſſione, claret; ſic enim impeditur via, nec poteſt pertranſire virtus influens,ſub qua comprehenduntur ligaturæ exteriores, oſſis aut vertebræ luxatio, & quilibet tumor,& omnes cauſæ extrinſecæ,& interiores, quæ in tantum hunc morbum gignunt, in quantum neruum, & partem comprimunt, poroſque ſtrictiores reddunt.

*Compreſſio eſt cauſa paralyſis.*

Sed qua ratione fiat à diſtemperie,nondum conſtat; quod tamen à frigida concitetur, docuit Galen. loco ſuprà tacto, & Auic. dum ait: *Ex cauſis enim deſtructionis motus ſunt frigiditas,& humiditas abſque materia.* Quod etiam defendunt Donatus ab Altomari, & Petrus Garcia. Et ratio deſumitur ex Galeno in eodem loco, vbi aſſerit, quod ab eiſdem cauſis, à quibus excitatur torpor,excitatur paralyſis: ſed torpor excitatur à frigore: ergo & paralyſis; nam in eodem genere eſt cum torpore, magnitudine tantùm ab eo differens. Cauſæ ergo, quæ torporem efficiunt, per maiorem intenſionem paralyſin producunt. Frigus igitur hunc morbum conſtituit neruos condenſando, & nerui propriam

*Paralyſis qua ratione fiat à frigore.*

propriam temperiem ſubuertendo, quæ neceſſariò requiritur ad quemlibet actum eliciendum; & vt inquit Auic. frigidum contrarium eſt ſpiritui, & nocet ei, quaſi diceret: Spiritus calidus eſt, & tenuis, cuius calorem, & tenuitatem frigus corrumpit, ineptumque reddit ad motum, quia qualitates incompoſſibiles producit, videlicet frigiditatem, & denſitatem.

*Humiditas paralyſin gignit.*

Humiditas etiam ſine materia idem efficere valet; nam membrum molle, & laxum eſt ineptum ad motum, vt patet in pueris, qui propter membrorum mollitiem non benè ſuos motus perficiunt, nec benè ſentiunt; ſua ſiquidem laxitate partes inter ſeſe concidunt, ita vt neruorum pori, & cauitates occludantur, vt expreſsè docet Auic. *fen.* 2. 3. *tract.* 1. *cap.* 13. inquiens: *Et quandoque accidit oppillatio propter mollificationem factam ab humiditate complexionali abſque materia, & ſequitur illam mollificationem clauſio meatuum.*

*An fiat à calore, & ſiccitate.*

Sed maior eſt difficultas, an poſſit fieri à calore, & ſiccitate. Auic. loco proximè citato paralyſin reduci poſſe ad ſiccitatem, & calorem, firmiter aſſerit, dum ait: *Et quandoque accidit illud ex ſiccitate, & exſiccatione, & oppillantur meatus propter collectionem villi, & eius coopertùram.* Vbi non ſolùm reddit cauſam, ſed etiam modum, quo fiat; nam ſiccitas condenſando ſtrictiorem reddit viam, ita vt per illam virtus non deſcendat ſufficienter, & ſic fit ſtupor: quæ ſi admodum conſtringatur, & condenſetur, paralyſin gignere certum erit. Alexander Tral. *lib.* 1. *c.* 16. idem oſtendit, vbi ſic: *At ſi qualitas ſola fuerit calida, & ſicca, tunc extenuantia, & calefacientia magis aſſant materiam, craſſioremque reddunt. Liquet igitur contraria qualitati remedia inducenda eſſe, hoc eſt, refrigerantia, & humectantia.* Quam ſententiam comprobat Petrus Garc. & inquit, quod iuxta modum communem philoſophandi eorum, qui aſſerunt in mixtis adeſſe partes diuerſis correſpondentes elementis, calor, & ſiccitas producunt priuationem ſenſus, & motus, quia calor ex accidẽti exſiccat, & reſoluit partes tenuiores, & remanent craſſiores, & denſiores, & ob humidi à calore conſumptionem ſicciores, ſicque manent illarum pori magis compreſſi, & denſi, quia ſunt magis vniti; quem effectum ſiccitas exſiccãdo producit, & adiuuat ſiccitatem ex accidenti calor. Ipſe verò, qui negat in mixtis partium diuerſitatem, aſſerit per calorem produci qualitatem aliquam incompoſſibilem motui, & ſenſui; & hac ratione eſſe horum accidentium cauſam effectricem.

*Traliani ſententia cui aſſociatur Petr. Garcia.*

*Paralyſis non fit à calore, & ſiccitate.*

Mihi tamen videtur ſtatuendum, calorem, & ſiccitatem non poſſe eſſe horum ſymptomatum cauſam effectricem, neque huius morbi eſſentiam conſtituere poſſe. Hæc concluſio probatur ex Auicen. *c. cit. de paralyſi*, vbi ait: *Et videtur quidem, quod calidum non prohibet impreſſionem ſenſus in eis, dum conſequitur finis, quemadmodum vides in habentibus extenuationem, & hecticis, in quorum tertia ſpecie, vbi ſiccitas magis præualet, calori adiuncta paralyſis non reſultat.* Quod etiam probatur in conuulſione ex ſiccitate, vbi contrahuntur muſculi, & nimis exſiccantur, & paralyſin tamen non patiuntur.

*Replica.*

Vidit hæc argumenta Petrus Garcia, imò ipſe ea adducit in contrarium ſuæ ſententiæ, quibus reſpondet, quod calor, & ſiccitas non faciunt ſenſus, & motus deperditionem ſecundùm ſe, ſed ſecundùm aliam qualitatem, ſecundam, quam producunt quæ in ſiccitate eſt, denſitatem, in calore verò alia.

*Argumentum contra illum.*

Contra quem ſic inſurgo. In hecticis tertiæ ſpeciei tanta ſiccitas reperitur, quanta reperiri poterat in paralyſi, ſi ab hac cauſa procederet: ſed in hecticis non inſurgit paralyſis ab hac cauſa: ergo neque paralyſis fieri poteſt ab illa, non enim repugnat, quod ſiccitas hectici producat denſitatem, ratione cuius pori ſtrictiores fierent, & ineptiores ad recipiendam virtutem cerebri influentem: neque poſſumus cauſam reddere, ob quam dum fit paralyſis, à ſiccitate denſitas producatur, aut alia qualitas incompoſſibilis ſenſui, & motui; & eadem non producatur ab hectici intenſiſſima ſiccitate: & cùm ex alia parte in hecticis ſit calor exſiccans, & ſiccitatem iuuans, ab vtriſque qualitatibus paralyſis inſurgere deberet.

*Replicat ſecundò iſte Author.*

Huius argumenti vim diſſoluere tentans, ipſe etiam reſpondet, quod non eſt neceſſe, vt denſitas producatur in hectica febre, neque ariditas illam ſemper producit; redditque à ſimili quandam rationem deſumptam ex conuulſione per exſiccationem, & ſiccitatem productam, quæ membrorũ eſt quædam retractio; ea tamen non reperitur in hecticis, licèt habeant ingentem ſiccitatem, quæ talis retractionis poterat eſſe cauſa: & ſicut impeditur ibi conuulſio, non mirum ſi impediatur denſatio, & conſequenter paralyſis.

*Argumentum contra illum.*

Hæc tamen reſponſio nullo nititur fundamento, debebat enim rationem reddere, ob quam denſitas in hecticis à ſiccitate non producitur, & cauſã aſſignare, propter quam illius productio impeditur, ſicut aſſignatur cauſa, ob quam in hecticis non fiat conuulſio. Non enim hectici conuelluntur à ſiccitate, quia partes muſculoſæ habent ſiccitatem cum æqualitate; conuulſæ verò ſiccitatem inæqualiter poſſident, vt patet in pelle animalium igni, aut ſoli expoſita; quæ ſi ſole irradietur, & exſiccetur, non contrahitur, nec corrugatur, quia æqualiter radius ſolis omnes calefacit partes, æqualiterque tangit illas, & ſic non eſt ratio quare magis verſus vnam partem, quàm verſus aliam contrahatur. Si verò igne calefiat pellis, corrugatur, & contrahitur, quia inæqualiter calefit; nã non poteſt æqualiter igni ſecundùm omnes ſuas partes approximari. Hoc equidẽ accidit in noſtro caſu; hectici enim æqualiter deſiccantur, & ſic non poſſunt contrahi ratione talis exſiccationis, neque conuelluntur; nam conuulſio fit ex ſiccitate inæqualiter producta, quæ nequit reperiri in hecticis. Tamen quod in hecticis non producatur denſitas à ſiccitate, ſicut dixit, reſtabat probandũ, quia experimento contrarium obſeruatur, ſiquidẽ videmus hecticos maximã duritiem, & denſitatẽ contrahere, quam etiam comparant conuulſi, in quibus conuulſio, vt ipſe docet, fit ratione denſitatis à ſiccitate poſitiua inductæ.

*Hectici quare non conuelluntur.*

*Ad Trall. reſpondetur.*

Ex his ad Tralianum reſpondetur, calorem, & ſiccitatem ſine humoris conſortio non efficere paralxſin, licèt in ſubiecto cauſent denſitatẽ quandã, & maiorem partium vnionem, quã meatus ſtrictiores, & compreſſiores fiant, vt patet in hecticis, & in conuulſione ex ariditate. Humiditas verò, & frigiditas, præterquam quod cauſant partium compreſſionem, ſunt maximè incompoſſibiles motui, & ſenſui, vt patet in pueris, qui torpidum ſenſum, & motum habent ratione humiditatis; & in ſenibus, qui propter frigiditatem difficilè mouentur, & facilè illorum ſenſus torporem comparat: calor verò, & ſiccitas etiamſi excedant, magis conferunt ad motum, & ſenſum, & propterea ex eorum præſentia, neque ſenſus, neque motus deperditur, vt experimento didicimus. Aliam cauſam huius morbi refert Auic. nempe nerui abſciſſionem, quæ vt ipſe ait, non recipit ſanationem.

*Frigus, & humiditas paralyſin faciunt, & quare.*

Hucuſque paralyſis cauſas enumerauimus, frequentior tamen eſt humor craſſus, & frigidus obſtruens, vt diximus de apoplexia. Omnes pariter humores hunc morbum valent excitare; ſi craſſi ſint, & frigidi, illum producunt ſua craſſitie, & frigiditate; ſi verò tenues, vt bilis, ſua multitudine idem efficere poterunt.

*Signa.* Signa pro huius morbi quacunque cauſa ſunt ſentiendi, & mouendi impotentia, quæ ſi ab obſtructione proueniat, præcedere ſolent cruditates, ebrietates, & quæcumque generant humorem craſſum, & viſcidum, & apoplexia, quæ in paralyſin terminari ſolet, neruis in exortu obſtructis, vt docet Gal. 4. *de locis, c.* 2. Præcedit quandoque epilepſia, ex Auic. etſi Gal. loco citato aſſerat, epilepſiā in paralyſin non finiri, cuius contrarium videtur oſtendere 4. *acutorum comm.* 27. ſed ne in Galeni verbis ſit contradictio, aſſerimus epilepſiam non finiri in paralyſin ita frequenter ſicut apoplexia; tamen quod nullo modo in illam terminetur, non debet colligi ex priori Gal. authoritate, vt denotant verba in ſecunda adducta. Si à tumore, vertebræ luxatione, ſolutione continui, intemperie, aut alia cauſa dependet, ex cuiuſlibet cauſæ notis deprehendes.

*Praſagium.* Iſte morbus eſt diu durans, & rarò eo affecti ad ſanitatem perueniunt, ex Cornel. Celſo *lib.* 3. *c.* 27. Si verò à nerui ſciſſione proueniat, vt incurabilis relinquenda, ex Paulo, & Auic. non enim virtus poteſt per illum neruum differri. Præterea qui à vertebræ luxatione paralyſin patiuntur, difficilè ſanitatem amiſſam recuperant.

*Membra in paralyſi quare extenuantur.* Quod ſi membrum paralyſi affectum extenuatur, nunquam admittit curationem. Extenuatur membrum, quia deficiente motu plura in parte congeruntur excrementa, quæ partem debilitant, & concoctricis facultatis munus impediunt: vlteriùs ablato motu non benè alimentum trahit membrum reſolutum; nam quamuis in illo facultas attractrix, & expultrix ſuo munere fungantur, aliquantulum tamen ob motus defectum impeditur; nam motus calorum viuificat, quo aperiuntur pori, in quos alimentum ingreditur, & per quos etiam excrementa excernuntur; quo deficiente vtrumque deficit, & conſurgit membri atrophia, ſeu extenuatio: quæ doctrina eſt ad mentem Galeni *de differentiis morborum c.* 4. eamque inſinuat Auic. *fen.* 7. 4. *tract.* 4. *c.* 1. vbi ad quietem, & motus defectum reducit membri extenuationem.

Difficilè etiam curatur, ſi ſenſibus accidat, propter caloris iacturam, & humorum crudorum exuberantiam, vt inquit Iacchinus *in* 6. *Raſis, c.* 10.

*In quo latere ſit deterior.* Quod ſi latus dextrum paralyſin patiatur, deterius eſt, quam ſi ſiniſtrum eodem morbo ſit oppreſſum; eſt enim latus dextrum calidiùs quam ſiniſtrum, ex Ariſt. 4. *de natura animal, c.* 8. vbi ait: *Parte enim dextera efficaciora ſuaptè naturâ ſunt animalia omnia, atque calidiora.* Et quia paralyſis frequentius ab humore frigido, & craſſo excitatur, periculoſior cenſetur, ſi lateri dextro ſuperueniat; plus enim inferunt periculi morbi diſſimiles, quàm ſimiles, vt conſtat ex Hippocrat. 3. *aphoriſ. textu* 34. Quod etiam fatetur Valleſ. 10. *controu. cap.* 12.

Neque valet dicere, quod iſte morbus in ſenibus curationem non admittit, quorum ætati iſte morbus congruit, quia frigidus eſt; & tamen in iuuenibus meliùs, & citiùs curatur, quorum naturæ eſt diſſimilis.

Reſpondetur enim, quod hæc computatio non debet fieri inter iuuenem, & ſenem, ſed inter duos

A ſenes, aut duos iuuenes, quorum vnus ſit naturâ ſimilis morbo, & alter diſſimilis, reſpectu quorum diſſimilis morbus eſt ſimili lethalior, vt Valleſ. probat. Cùm igitur iſte affectus à frigidis habet ortum ſuccis, periculoſior eſt in latere dextro, eo quod cùm calidum ſit, cum morbo nullam habet ſimilitudinem.

Tandem ſi paralyſis ſit notha, in qua motus ſine ſenſu, vel è contra deperditur, faciliùs curatur; hoc autem contingere poteſt reſpectu diuerſorum neruorum, vt conſtat ex Galeno 1. *de locis affectis, cap.* 6. non poſſunt obſtrui nerui, qui terminantur ad cutem, & ſic deficit ſenſus; vel nerui, qui inſeruntur in muſculis, qui deſeruiunt ad motum, quo tempore læditur motus illæſo manente ſenſu. Pari ratione reſpectu vnius nerui læditur motus ſine ſenſûs læſione; non tamen è contrà contingit, vt inſinuat Galen. *loco proximè citat.* & 1. *de cauſis* *Motus an ſeruari poſſit ſine ſenſu, & motu.*
B *ſymptom. cap.* 5. & reddit rationem dicens: *Conſiſtit enim in patiendo magis quàm agendo tangendi ſenſus.* Itaque paruâ virtute perfici poteſt, quæ erit ſufficiens ad ſenſum, inepta tamen ad motum. Nam per motum transfertur vnum corpus de vno loco in alium, ad quod maior virtus requiritur, quàm ad ſenſum, cuius actio in perceptione obiecti ſenſibilis tantummodò conſiſtit. Quapropter Ariſtotel. 2. *de anima, cap.* 5. inquit: *Sentire eſt quoddam pati, moueri eſt quoddam agere.* Ex quo non ſequitur, quod in ſenſu nulla ſit actio, ſed quod minor virtus ad illum requiratur quàm ad motum; ita enim dicimus de primis qualitatibus, quarum calor, & frigiditas vocantur actiuæ, quia efficaciores ſunt in operando; ſiccitas verò, & humiditas paſſiuæ, quia etſi operantur, earum actiuitas remiſſior, & tardior eſt, & paſſiuarum qualitatum obtinens nomen.

C Verùm ſi motus non deperdatur, ſenſum remanere vt certum exiſtimamus, quod etiam Galeno viſum fuit locis adductis, & ab omnibus admittitur, vno dempto Argenterio 2. *de cauſis ſympt. c.* 5. Et ratio eſt, quia cùm virtus ſit eadem ad ſenſum, & motum, quæ motum valet efficere, etiam ſenſum producere valebit; nam maior virtus requiritur ad illum, quàm ad ſenſum, & qui poteſt ad magis, poteſt ad minus, vt communiter fertur. Neque valet ſi obiicias, quod præter virtutem influentem ad ſenſum, & motum, etiam requiritur temperies ad vtrumque accommodata; & quia poteſt eſſe in debita menſura ad motum, & non ad ſenſum, ideò in eadem præciſa parte reſpectu eiuſdem nerui motus accidere poteſt cum ſenſûs defectu.

D Reſpondetur, quod ſicut ad ſenſum maior virtus ſufficit, ita ad illum non requiritur temperamentum ita exactum: quare cùm latitudinem habeat, poteſt cum temperamento motui accommodato optimè conſeruari: motus verò cùm maiorem requirat virtutem, vt fiat, exactiorem etiam temperiem exoptat, cuius ratione nunquam ſenſus deficit, quin priùs motus deperdatur.

### §. II.

### *Curatio paralyſis.*

QVia frequenter paralyſis fit ab humore frigido, aër in eius curatione calidus, & ſiccus eligatur; frigus apprimè cauendum. Victus etiam ſit calefaciens, & extenuans; euitet alimenta humida, bibat aquam mulſam, cinnamomi, aut ſmilacis aſperæ; vinum vitandum eſt, quia neruis officit; cibi & potus parſimoniâ in principio ſit contentus, ita

ita vt famem toleret ex Auic. nam carnes humidas habenti,famem adhibere conuenit;fames enim corpora ſiccat, ex Hippocrate 7. *aphor. textu* 59. Proinde aliquibus diebus ſolâ vtatur aquâ mulſâ,aut iure pulli, in quo ſint decocta cicera, radices petroſelini, & ſaluia; deinde ouis ſorbilibus, pullorum carnibus aſſis, paſſerculorum,perdicum nouellarum,turdorum, aliarumque auium montanarum æger veſci poterit, & vuis paſſis ac pineis, & amygdalis toſtis. Panis ſit bis coctus cum aniſi, aut fœniculi ſemine: ſomno vtatur moderato, illumque poſt prandium euitet. Partem affectam fricare expedit aſpero linteolo, aut inunctis manibus cum oleo anethino,aut rutæ,ipſamque contegere hapſo lanæ oleo vulpino, & camemali imbuto; in prouectioribus ætate caſtoreum inſpergendum eſt irrigationi, ex Aetio. Prodeſt etiam ſummam torpentis membri cutem exaſperare, vel vrticis cæſam, vel impoſito ſynapi, & vbi rubeſcere cœperit, hæc remoueantur. Sed hæc remedia competunt magis præcedentibus vniuerſalibus euacuationibus,& in cauſa frigida,ex qua frequentiùs originem ducit morbus, eaque de cauſa, illius curationem in principio tetigimus. Oportet etiam vt clyſterizetur enematibus fortibus,*capite de apoplexia* adductis, vt materia ad inferiora inclinetur ex Auic. humoremque redundantem euacuabimus: nec verò aptius principium in his reperire datur, quàm à venæ ſectione; quam detractionem moderatam facere tutius eſt, ne corporis tota moles frigeſcat, ex Aëtio. Deinde humores ad expulſionem parentur attenuantibus,& inſcindentibus, vt ſyrupo ſtœcados, oxymelle, rhodomelle,& aliis,cum aquis betonicæ,peoniæ, origani,& mulſa.Purgatio commoda fiet per pillulas aggregatiuas,cochias, aut aureas, aut epoto pharmaco ex elect.diaphœnic.indo,& diaſenna, in decocto pulegij, calaminthæ,aniſi,epithymi, & foliorum ſennæ,cum ſyrupo ſennato, aut perſico ſolutiuo; quam purgationem per interualla repetere licebit, vt paulatim humor euacuetur. Poſt purgationem pars fricanda oleo vulpino,anethino,& ſale, & aliis remediis ſuperiùs traditis eſt vtendum, partemque vulpinis pellibus cooperire expedit, eamque ætatis tempore radiis ſolaribus exponere, vt præcepit Aetius. Conferunt præterea cucurbitulæ parti, aut iuxta partem appoſitæ, quæ ſtricta habeant orificia, igneque multo apponantur, & velociter extrahantur, ex Auic. Sed ne in eorum lapſum incidamus, qui medicamentum parti exhibent, in qua eſt ſenſus,& motus amiſſio per conſenſum,eo quod neruorum exortus ſit per ſe oblæſus, neruorumque exortui auxilia non adhibent, ſicut contigit Medicis, quorum fecit mentionem Galenus 1. *de locis, cap.6.* qui medicamentum tribus digitis apponebant, vbi erat ſenſus priuatio, quod Galen. abiicere iubens, illi præcipuè parti ſpinæ, quæ affectæ particulæ initium obtinebat, medicamentum adaptauit: ideò neruorum partis affectæ exortum inſpicere oportet, quod quidem ex anatome didicimus, illiuſque maxima eſt habenda cura, ibique etiam admouenda remedia, quia tumor, aut obſtructio, aut aliud quodvis ibi exiſtens virtutis influentis ad partem tranſmiſſionem impedit, ſine cuius ablatione minimè ſenſus, & motus reſtituuntur. Dorſum igitur hoc inungimus medicamento.℞.olei vulpini,laurini,rutæ, & camemali,ana ℥.j.ß.pulueris piretri,euphorbij, ſagapeni,galbani, & piperis ana ʒ.j. ceræ parum, vt fiat vnguentum molle. Quod ſi capiti læſio aliqua impartiatur,illud abradere iubebis,& vnguento illines,ad quod proficuum eſt illud quod recipit

*Sanguinis miſſio,& ex-Purgatio.*

*A purgatione quæ facienda.*

olei laurini,& vulpini ana ℥.j.ß. pinguedinis vrſi ℥.j. vnguenti marciaton, & aragon.ana ℥.ß. pulueris euphorbij,piperis longi, & ſagapeni,ana ʒ.j. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum.Item accipe vulpem viſceribus extractis,& inteſtinis, & aqua vitæ interius ablutâ,herba paralyſis, betonica,ſaluia, ſtœcade,rore marino,maiorana,camedrio, camepitheoque plenam,quæ aſſetur,& ex pinguedine inter aſſandum collecta cum aliis, vt dictum eſt, poteſt vnguentum confici, quo pars læſa vngatur. Ipſa etiam pinguedo vulpis per ſe ad idem eſt vtiliſſima. Similiter emplaſtrum ex ſinapi, & melle parti admoueri poteſt,& dorſo. Confert non minus tacamachæ emplaſtrum, quæ odore ſimilis eſt galbano, & tenuioris ſubſtantiæ, & in initio tertij gradus calefaciens; aut hoc emplaſtrum.℞.empl. guillen.ſeruen.℥.j.acori,cubebarum,piperis longi, macis,nucis moſcatæ,ſing.ʒ.j.aſſæ fœtidæ,bdellij, & balſami ana ʒ.j.ß.miſce,& cum pice nauali fiat emplaſtrum longitudinis iuxta indigentiam partis affectæ, & quatuor digitorum latitudinis, quod in linteo extenſum, dorſo applicatum benè prodeſt.

*Aqua mirabilis.*

Aqua hæc mirabiliter proficit morbo iam inueterato, qua vſi fuimus feliciter pro curatione Excell.Marchionis de Aſtorga,quæ talis eſt.℞.cariophyl.nucis moſcatæ,macis,cyperi, piperis longi,& nigri, & galangæ ana ℥. j. calami aromatici, ſpicæ nardi,acori,coſti,& cinnamomi,ana ℥.j.ß. ammoniaci,bdellij,euphorbij,caſtorei,& myrrhæ, ana ℥.ß.benjoini, gummi elemni, & aſſæ fetidæ ana ʒ.j. camedryos,camepiteos,ſaluiæ,ſtœcados, betonicæ, thymi,pulegij,maioranæ,florum,& foliorumroris marini,ana m.j. radicis cucumeris agreſtis, & carnis ſchillæ ana ℥.j.therebenthinæ ʒ.iij. omnia infundantur in vino duorum vel trium dierum ſpatio, deinde ponantur in alembico vitreo ſimul cum vino,& inſtillentur, quorum omnium prima aqua erit imbecillior, ſecunda verò fortior; cui ſi ceram priùs emollitam admiſceas,ne aqua calefiat, vnguentum molle parabis, quod fortiter penetrat & reſoluit humorem craſſum obſtruentem. Oleum de lateribus, ſeu Philoſophorum, maximè etiam commendatur ad affectus capitis, & neruorum frigidos, mirificè enim penetrat, & reſoluit huius morbi cauſam.

At ſi caput patiatur, errhina, maſticatoria, & apophlegmatiſmi conferunt. In ore teneant nucem moſcatam,& ſaluiam,& dictis remediis vtantur, vt *cap.de lethargo,& apoplexia* annotauimus. Ex herbis ſuprà dictis fiunt etiam decoctiones, quibus caput,& dorſum, & pars reſoluta abluuntur,aut ex eiſdem ſacculi parantur, quibus obteguntur partes. Oportet etiam, dum hæc non proſunt,occiput inurere eo loco,quo ſpinalis medulla initium habet, & in ipſo occipite, ex Aëtij conſilio: vlcera diutius permanentia adſeruentur. Ingrediantur etiam balnea naturalia ſulphurea, & aluminoſa,quæ etiam arte parari poſſunt ſulphure, & aliis reſoluentibus.Proſunt quammaximè vinacea, ſi in eis pars affecta ſepeliatur aliquibus diebus. Lege circa hoc Donat. ab Altomari *de vinaceorum natura.*

Interim dum hæc fiunt, aliquibus diebus aſſumat æger ℈. ij. vel ʒ.j. caſtorei, theriacæ magnæ antiquæ,aut mithridati, cum aqua mulſa aniſi, aut fœniculi.Hæc confectio eſt etiam vtilis.℞.conſeruæ anthos, & ſtœcados ana ℥.j.ß. diamuſci dulcis ℥.ß.theriacæ magnæ, & mithridati ana ʒ.ij.pului. cinnamomi,calami aromat.radicis peoniæ,& piperis ana ʒ.j.ſyr.ſtœcados,aut mel.roſati,quod ſufficiat,vt fiat cõfectio,de qua quotidie ſumat æger ʒ.j.Sed quia iſte morbus à capite originè frequenter

trahit, à quo fluxiones in neruos defluunt, deillo ſemper eſt curandum.

*Nota circa vſum remediorum.* In horum auxiliorum vſu prouidendum eſt, ne calidis remediis pars affecta inflammetur,& nimis calefiat ante vniuerſales euacuationes, ne ſuo calore ad ipſas partes maior fiat attractio. Quæ quidem auxilia competunt etiam in diſtemperie frigida,& humida ſine humoris præſentia, exceptis tamen vniuerſalibus euacuationibus.

Paralyſis ex nerui ſciſſione, vt incurabilis relinquenda eſt.

Quæ verò ex luxatione vertebræ fit, vertebræ reductione curatur; ſi verò fiat ex inflammatione,aliove tumore, ad inflammationum, & tumorum remedia recurres.

Tandem ſi ab aliquo corpore extrinſecus comprimente reſolutio oriatur, per corporis illius ſemotionem promptè curabitur, adhibitis etiam aliquibus relaxantibus, & emollientibus, vt ℞. vnguenti Agrippæ, & filij Zachariæ ana ℥. ß. olei amygd.dulcium,camem.& anethi ana ℥.j.axungiæ gallinæ,& anatis ana ℥.ß.ceræ parum,& fiat linimentum,quo pars compreſſa inungatur. Veruntamen ſi ex compreſſione, & dolore pars inflammetur priùs inflammationem compeſces, quàm huiuſmodi vtaris auxilio.

## §. III.

### *Obſeruatio pro quadam poſt partum laborante paralyſi.*

QVædam mulier boni habitus, ſanguinea, & iuuenis,vtero gerens,cùm iam tempus pariẽdi legitimum inſtaret, filium peperit, & bene; tamen cum eſſet tempus æſtiuale, & calidum nimis, ipſa non potuit ferre tegumenta, quibus cooperta fuit, neque epigaſtrij ligationem, & compreſſionem ab obſtetrice linteis factam; & à ſe reiiciens aliqua opercula,& ligaturæ compreſſionem laxans, ab aëris ambientis frigiditate fuit offenſa,& conſtipatis viis,per quas ſanguis in puerperio ad vterum defluebat,illius ſuppreſſionem ſtatim fuit experta; mox velut mortua ſine ſenſu, & motu, & cum maxima difficultate reſpirationis apparuit: interpoſito tamen trium vel quatuor horarum tempore, habuit motum concuſſiuum, & vehementem, & multam ſpumam ore mittebat: deinde parum reſipuit, & cœpit vociferari; non tamen voces aliquem præbebant ſignificatum: amiſit ſenſum, & motum in toto latere dextro,pariterque loquelam, ſicque pluribus permanſit diebus,donec vi, & efficacia remediorum ſalutem amiſſam extra omnem ſpem fuit adepta, in quorum morborum cognitione,& curatione, ita me gerere arbitratus fui.

Quia ex accidentibus morborum cognitio magis innoteſcit,& à principio ægra abſque ſenſu, & motu,& cum inæquali,& difficili nimis reſpiratione iacebat, neque fortibus ligaturis crurum, & partium inferiorum ſenſum, vel motum recuperabat,facilè quiuis arbitrari poterat, hunc morbum fuiſſe apoplexiam, in qua pariter nerui tum ſenſum,& motum amittunt,vt dictum eſt ex Gal. 3.*de locis,c.*10. Quia ergo dum vniuerſaliter ſenſus, & motus deperditur, neceſſe eſt partem affectam eſſe eam,quæ harum actionum initium præbet, neque erat difficile iudicare caput pati obſtructionem maximam, ratione cuius virtus animalis his actionibus dicata non poterat ad ſenſoria delabi, obſtructionis cauſa erat etiam euidens,ſiquidem ſanguis, qui tempore puerperij per vuluam excerni deberet, viis impeditis ab aëris ambientis frigiditate,

A ſurſum commotus cerebri obſtructionem produxit, ſua enim multitudine,& qualitatibus ita naturam grauabit, & ſtimulabit, vt ipſa quærens viam ad ſanguinis exitum paratam,eamque conſtipatam inueniens, peruerſo naturæ ordine ad partes trudit ſuperiores,cerebrum obſtruxit,& apoplexiam cauſauit,quæ per cerebri obſtructionem definitur.

Sed quia natura laceſſita,vt ſe à forti malo liberet,& ab imminenti mortis periculo, ſuos apponit conatus, vt ſic morbi cauſam expellat, ideò magna vi motum concuſſiuum auxiliis aliquibus adiuta excitauit, & contractione partium facta, conuulſionis modo cœpit humorem excutere, eo modo quo epileptici ſolent; quo fuit factum, vt apoplexia in epilepſiam terminaretur, quæ proxima eſt apoplexiæ, vt dictat Galenus 2. *aphoriſ.comm.*45. fuit enim facta vniuerſalis convulſio, non perpe-B tua, ſed breuibus accidebat interuallis, cum mentis, ſenſuſque læſione, quod totum eſt de ratione epilepſiæ: veruntamen licèt ſpumæ copia apparebat circa os, quæ oſtendebat naturam humorem ad os pellere, vt ea alleuiaretur, quæ ſignum ſolet eſſe etiam ſuffocationis, vt loco proximè citato profert Galenus; non tamen ea euacuatio humoris fuit ſufficiens ad deponendam capitis plenitudinem,ideoque ad partem dextram humores tranſmiſit, vt caput defenderet, & ex epilepſia in paralyſin illius lateris incidit: quod etſi rarò adueniat, quandoque tamen accidit,vt inquit Auic.& oſtendit Galen.4.*de ratione victus,comm.*27. Obſtructis ergo neruis iuxta exortum, ita vt virtus animalis per illos communicari non poſſet, ſine ſenſu, & motu in latere dextro extitit: obſtructis ſimiliter C neruis ſeptimæ coniugationis cerebri, qui linguæ motum perhibent,nihil pronunciare poterat.

Cùm igitur hemiplexia laboraret in latere dextro, & hæc ob rationes à nobis antecedenter traditas ſit deterior in illo latere, quàm in ſiniſtro, ſtatim de eius curatione egimus,cœpimuſque ex talo ſanguinem copioſè extrahere manè, & veſpere; imò & altero die ſine cunctatione, vt ſic cohibitam euacuationem ſanguinis per loca conferentia moueremus, quibus caput onere, & ſanguinis multitudine oppreſſum leuius ſe habuit, magiſque mente conſtabat,quam antea, ſanguiſque per vuluam erupit. Quam euacuationem adiuuauimus etiam frictionibus, & ligaturis partium inferiorum,& cucurbitulis pubi,& femori adhibitis.

Sed quia exiſtimaui, non eſſe ſufficientem euacuationem, quia erat ſanguine repleta, ipſumque ſanguinem ſua craſſitie, & multitudine vias obſtruere,adhibui per os ea,quæ vim habent aperiẽdi,& attenuandi,neque aliter obſtructiones auferD ri poſſunt; in quem vſum commendaui aquam mulſam in decocto calaminthæ, rubeæ tinctorum, & capill. Ven.cum ſyrupo artemiſiæ,& capill. Veneris; nihilque aliud fecimus præter inſtitutionem earum rerum,quæ ad victus rationem attinẽt quovſque adimpleti fuere dies purgationis; neque erat tutum aliis vti auxiliis, quæ naturæ motum per eam regionem impedire valerent.Neque auſus fui partes affectas linere, vel alia remedia adhibere,donec non ſolùm per ſanguinis miſſionem, ſed etiam per expurgationem eſſet ſufficienter euacuata.Tranſacta purgatione per vterum,cœpit parum ſentire, non tamen mouere crus, aut brachium, quo tempore iterum venæ ſectionem facere iuſſimus ex brachiorum vena communi: humores præparauimus eos attenuando ſyr. de ſtœcade, capill. Ven.& de chicoreo; deinde ipſam purgauimus hac potione.℞.agarici trochiſc.ʒ.j.fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥. ij. decocti Pugini,

ni, eleƈt. piaphœnic. ʒ.iij. ſyr. Regij ℥.iij. miſce, & fiat potus.

Veruntamen cùm humores craſſi non poſſint ſimul vnica euacuatione auferri, ſyrupum magiſtralem confeci, vt per interualla de eo aſſumeret ℥.ij. vel tres, quem ſic parare præcepi. ℞. polypodij quercini ℥. j. ß. foliorum ſennæ ℥. j. epithymi ʒ. vj. ſeminis cartami contuſi ℥. j. prunorum damaſc. n. x. paſſularum ſine vinaceis p. ij. cinnamomi ʒ. j. florum violarum, borrag. & bugloſſæ, ana p. j. coquantur omnia ſecundùm artem in ℔. vij. aquæ ad duarum partium conſumptionem, & colaturæ adde ſucci chicorei, roſarum perſicarum, pomorum redolentium, & borrag. ana ℥. ij. ſacchari quod ſit ſatis, vt fiat ſyrupus, cui interim dum fit, adde in ligatura agarici trochiſc. & rhabarb. optimi ana ʒ. ij. & reiectâ reſidentiâ ſyrupus ſeruetur ad vſum, priùs tamen aromatizetur ʒ. ß. aromatici roſarum. Hoc ſyrupo vtens cœpit iam magis ſentire, & quodam modo mouere crus, ex quo conieci vtilitatem ex medicamenti purgantis oblatione, ſicque maxima cum ſecuritate ad topica auxilia peruenire potui, quæ etiam antea adhibui, leuia tamen, & nimis temperata, ne ob corporis impuritatem, & humorum redundantiam verſus partem affectam fieret attractio, & morbus adaugeretur. A die purgationis cœpimus inungere caput, & dorſi ſpinam verſus latus dextrum oleo ſeſamino; deinde hanc compoſui vnctionem. ℞. olei camemalini, & iriniana ℥. j. emplaſt. filij Zachar. vnguenti aragon. & marciat. ana ℥. ß. theriacæ magnæ antiquæ ʒ. ij. ceræ parum: miſce, & fiat vnguentum molle, quo vſus fui pluribus diebus, & in crure plus ſenſum, & motum recuperauit, non tamen in brachio, & lingua. Quapropter ad valentiora deuenire fui coactus, in quem vſum inſtillare feci aquam mirabilem, quam in curatione paralyſis propono, cuius inſtillationis ſecunda aqua oleo de lateribus admiſta cum pauca cera priùs emollita in forma linimenti, fuit maximi emolumenti, & cum prima aqua, quæ eſt imbecillior, & tenuior abluere priùs feci caput, dorſum, & partes paralyſi affectas, quæ erat potens reſoluere excrementa quæ in eiſdem partibus ob motus defectum quotidie ex coctionibus aggregabantur, caloremque partium fouebat, vias aperiebat, vt per illas alimentum ad partes nutriendas perueniret. Cucufam etiam parare iuſſi cum baſtituris, pulueribus capitalibus impletam, vt caput, quod eſſe ſolet frequenter huius mali origo, corroboraretur.

Inter vnam, & aliam ſyrupi magiſtralis purgatiui aſſumptionem quolibet mane aſſumpſit tabellam diamuſci, & diarrhod. Abb. cum ℥. j. ß. huius aquæ. ℞. nucis moſcatæ, piperis longi, & nigri, galangæ, macis, cyperi, cubebarum, cinnamomi, & cariophylorum ana ℥. ß. florum anthos p. ij. ſtœcados, maioranæ, thymi, & ſaluiæ, ana m. j. ſpicæ nardi, calami aromatici, ana ʒ. ij. herbæ paralyſis m. j. omnia infundantur in debita quantitate vini albi odoriferi trium dierum ſpatio, & cum ipſo vino in alembicum vitreum iniiciantur, & inſtillentur, quorum diſtillatio in vſu habeatur.

His remediis adiuta cœpit iam mouere brachium, & loquelam formare, & ſupra crus ſe potuit continere, iam enim remediis cedebat malum, ad cuius reliquias conterendas ex mei, & aliorum conſilio ad balnea Ledeſmæ naturalia euecta fuit, quibus, & aliis ſenſum, motum, & loquelam adquiſiuit, non tamen ita validè ſicuti antequam in morbum hunc immanem incideret.

## §. IV.

### *Dubiola quædam circa curationem paralyſis proponuntur.*

PRimum dubium capeſſo ex Auic. *fen.* 2. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap. de cura paralyſis*, quem & alij ſequuntur, vbi ait: *Et non properes in vſu medicinarum fortium in principio rei, imò tarda vſque ad quartum, & ſeptimum. Quod ſi ægritudo fuerit fortis, vſque ad quatuordecimum.* Vbi conſulit Auic. vt à leuioribus exordiamur.

*An remedia debeant eſſe æqualia morbo.*

Contra cuius, & aliorum placitum facilè inſurgimus ex Gal. *lib. artis medicin. c.* 89. vbi docet, curationem eſſe perficiendam contrariis æqualibus; aſſerit enim morbum, & illi contrarium paribus numeris diſtare debere à mediocritate, quod & confirmat 3. *ſimplic. cap.* 12. imò principium eſt in medicina, quod curatio fiat per contraria æqualia morbo: ergo in paralyſi, aut alio quouis morbo non eſt incipienda curatio à leuioribus, ſi curatio rectè fieri debet. Quam ob cauſam Cornelius Celſus *lib.* 2. *cap.* 11. ait, non poſſe vehementi malo, niſi per æquè vehemens auxiliũ ſuccurri. Quod etiam voluit Hipp. *lib.* 1. *aphor. textu* 6. dum ait: *Extremis morbis extrema exquiſitè remedia optima ſunt.* Ratio huius traditur à Galeno *lib.* 3. *ſimplicium, cap.* 12. *citato*, vbi aſſerit, quod ſi affectio ſit frigida, & calor medicamenti tepidus, iuuabit quidem, non tamen perſanabit. Ex quo fit, quod curationi deficiat vna ex conditionibus allatis à Galeno *lib.* 14. *methodi, cap.* 13. videlicet, quòd fiat citò; turpe enim eſſet differre remedium magnum, quando magnus morbus eſt, & magna vrget neceſſitas.

Huic dubio reſpondetur, quod ſi morbus det expectandi inducias, tunc tenet verum Auic. ſententia; nam cùm humores, à quibus paralyſis frequenter initium habet, ſint craſſi, tenaces, aut viſcidi, debent priùs inſcindi, & attenuari, deinde expurgari; neque oportet in principio parti affectæ remedia admouere nimis attenuantia, aut calefacientia, ne ad partem maior fiat humorum attractio, aut ibi exiſtentes rarefiant, & ſe extendant ad cauſandam obſtructionem maiorem; eſt enim paralyſis affectus, qui habet ſuum eſſe dependenter à cauſa continente. Quare licèt per ſe morbus petat remedium contrarium æquale, cauſa tamen tollit occaſionem exhibendi illud, quia difficilè cedit remediis maioribus quovſque attenuetur humor, & paulatim diſponatur ad euacuationem; quod quotidie experimur in febribus putridis, quarum curatio in vſu refrigerantium poſita eſt. Veruntamen quia cauſa febres putridas excitans coctionem petit, & quandã ad naturam aſſimilationem, quæ aquæ frigidæ potu impeditur, ideò Galen. aquæ frigidæ potum interdicit, donec ſigna coctionis appareant; nam non ſolum reſpicimus febrem, ſed etiam illius dependentiam à cauſa. Idem ergo proportionaliter eſt ſtatuendum de paralyſi. At verò ſi morbus magnus nimis ſit, vel diſcrimen de maiori morbo impendet, tunc ſtatim magna illi ſunt admouenda remedia; nam materia cùm rebellis, & contumax ſit, & in partibus corporis remotiſſimis incluſa, parum, aut nihil prodeſſe poterunt imbecilla medicamenta, neque tunc poſſumus expectare aliud tempus, niſi miteſcat morbus, & inducias expectandi habeamus.

Secundum dubium fundamentum habet in doctrina Pauli, qui *libro* 3. *cap.* 12. agens de linguæ para-

*An in lin-*

*Qua paralyſi venæ ſectio conferat.*

paralyſi ait: *Vbi lingua reſoluta fuerit, venæ illius incidendæ ſunt.* Quod etiam confirmant alij, inter quos Rondeletius capitibus de paralyſi, vbi docet, quod ſi paralyſis ſi in medietate linguæ, ex parte ſana venæ ſectio eſt facienda; ſi verò tota lingua malè affecta ſit, ex vtraque parte vena eſt ſcindenda. Idemque conſulit noſter Mercatus. Ex quorum verbis deducitur, quod factâ vniuerſali euacuatione per ſanguinis miſſionem, & expurgationem, recurrendum eſt ad venas linguæ, tanquam ad auxilium particulare, vt fiat euacuatio ab ipſa parte, & obſtructio detrahatur, præſertim quando æger eſt ſanguineus.

Si igitur hæc doctrina eſt amplectenda, quanam ratione in caſu propoſito non diſſecui venas linguæ, ſiquidem ægra erat ſanguinea, & habebat amiſſam loquelam ob obſtructionem à ſanguine craſſo cauſatam.

Huic dubio ſic ſatisfit. Fatemur quidem tale auxilium ab aliquibus commendari; illud tamen reformido non parua ductus ratione; nam ſi dum B adeſt paralyſis in aliqua parte, ſanguinis miſſionem eiuſdem partis abhorremus, ne magis ex ſanguinis euacuatione offendatur, cur etiam non renuemus venæ ſectionem linguæ, dum paralyſi eſt tentata? Si enim ſanguinem ex parte affecta non extrahimus, ne eâ pars refrigeretur, & debilitetur, ob eandem rationem non licebit venas, quæ ſub lingua ſunt, ſecare, etiamſi æger ſanguineus ſit; nam ſanguis ille eſt craſſus, & extra venas, & reſoluentibus, & attenuantibus auferri debet potiùs quàm venæ apertione. Demùm Authores omnes iubent vti frictionibus, & cucurbitulis in ipſis partibus, vt ſic calor ad illas reuocetur, & alimentum diſtribuatur, & concoquatur, excrementaque abſumantur: quæ diſtributio non probè fit ob defectum motus; nam motus iuuat ad diſtributionem alimenti ſpirituum ad partem, quo deficiente pars extenuatur, & infrigidatur. Ergo cùm ſanguinis miſſio detrahat calorem partis, & eam refrigeret ſanguinem euacuando, neutiquam eſt exercenda in ipſa parte, etiamſi ſolum medietas linguæ C ſit malè affecta. Neque ob aliam cauſam (vt exiſtimo) Excellentiſſimus Marchio de Aſtorga non recuperauit loquutionem, niſi quia talem ex lingua venæ ſectionem exercuerunt; & licèt ex latere dextro paralyſi affecto meliùs ſe habuit ex remediorum adhæſu, non tamen amplius pronuntiare valuit. His rationibus commotus nolui in ægra linguæ venas ſcindere, & felicem euentum fuit adepta.

Dubitabis tamen tertiò, ſi adhuc ægra vocem dictis auxiliis non recuperaſſet, qualiter deinceps fuiſſet tractanda.

Reſpondeo, quod ſi alia non profeciſſent, non erat affectus relinquendus vt inſanabilis, ſed ad fortiora remedia deueniendum erat; nam quæ medicamentis non curantur, ferrum curat, &c. Quapropter in ipſo occipite eo loco, quo ſpinalis medulla initium habet, vlcera configerem, aut ſetonem, vel fontanellam, quæ diu aperta permanſiſſent, vt præcipit Aëtius: ſic enim per illa humor exſpiraret, fieretque euacuatio, deriuatio, imò & retractio humoris; quod auxilium habet fundamentum ex Hippocrat. *libro quinto aphor. textu 68.* vbi ait: *Dolenti partem capitis poſteriorem in fronte recta vena inſciſſa prodeſt.* Vbi *in comm.* Galenus aſſerit, quod in affectibus partis capitis poſterioris auerſio fit ex fronte, & euacuatio, ſicuti anterioris ex occipite: in quem vſum etiam commendat cucurbitulas occipiti affixas; quod auxilium prodeſt etiam inueteratis oculorum fluxioni-

A bus, vt eodem loco tradit. Sed quia ex adhæſu fontanellæ aut ſetonis in occipitio poterat fieri ad caput retractio ſanguinis, qui ſingulis menſibus erumpit, non fuiſſet abs re priùs in crure ſano fontanellam aperire, vt ſic meliùs ſanguis menſtruus per magis conuenientem regionem duceretur.

Neque ſemper in morbis remediis eſt inſiſtendum, imò oportet quieſcere, & aliquid naturæ relinquere; nam ſine intermiſſione remediis alterantibus affligitur natura, quiete verò vires deperditas reſarcit, & denique morbum euincere ſolet.

## CAPVT XVII.

### *De melancholia morbo.*

B HIc morbus ſumit denominationem ab humore à quo fit, de quo inquit Paulus *lib. 3. c. 4.* quod eſt mentis quædam alienatio ſine febre, ex melancholico maximè humore naſcens, qui mentem occupauerit. Galen. *3. de locis, c. 7.* dicit, hunc morbum fieri ab humore melancholico, in quo timor, & triſtitia reperitur, cui iuxta Authorum verba hæc deſcriptio congruit. Melancholia morbus eſt delirium ſine febre cum timore, & triſtitia ab humore melancholico procedens. Delirium ponitur loco generis, in quo conuenit cum phrenitide, & mania. Reliqua locum obtinent differentiæ. Per Ly *ſine febre* differt à phrenitide, in qua ſemper febris reperitur. Per alias particulas diſtinguitur à mania, in qua audacia, & furor potiùs quàm timor, & triſtitia inueniuntur. Ex quibus infero timorem, & triſtitiam eſſe propria, & peculiaria huius morbi ſymptomata; quod etiam deſumitur ex Hippoc. *6. aphor. text. 23.* dum ait: *Si timor & triſtitia longo tempore perſeuerent, melancholiam adeſſe ſignificant.* Quod ſi aliquando melancholici rideant, & lætentur, ideò fit, quia alia cauſa potentior accedit, quæ riſum, & lætitiam inducere eſt potens, vt diximus etiam *c. de phrenitide,* ad quam requiritur reſpiratio magna, & rara, quæ impeditur ob ſepti tranſverſi inflammationem, & fit celer, & crebra.

*Huius morbi definitio.*

Sed quoniam huc uſque dictum eſt, in hoc morbo, ſicut in phrenitide delirium ſuboriri, dubium ſequens diſcutiendum eſt.

### §. I.

### *A quibus cauſis, & quomodo excitetur delirium.*

D HÆc quæſtio ſupponit aliam; nempè, quid ſit delirium? A qua breuiter me expediam. Gal. *lib. 2. de cauſ. ſympt. c. vlt.* delirium vocat motum deprauatum regentis facultatis. Nomine autem regentis facultatis omnes intelligunt facultatem cognoſcitiuã internam, ſiue ſit vna, vel multiplex; ſub qua comprehendimus memoriam, vt ſuo loco diximus, quæ præter ſpecierum conſeruationẽ habet etiam cognoſcere obiectum præteritum, circa quod poteſt contingere delirium. Itaque nomine delirij intelligimus actionem deprauatam ſenſus cuiuſque interni. Aduertere tamen oportet, quod delirium, ſicut & quælibet actio deprauata, ſtat tripliciter; in re, modo, & intenſione, vel magnitudine. In re, vt quando potentia cognoſcitiua vnum

pro

pro alio apprehendit, vt dum apprehendit vtile pro inutili, rem triſtem pro delectabili, aut dum iudicat æger ſe eſſe teſtam, aut vitrum, vel aliud quiduis, vt in melancholicis experimur. In modo, vt quando rem quietam iudicat moueri, & circumuolui, vt apparet in vertiginoſis, in quibus imaginatio læditur; quæ fallacia verſatur circa ſenſibile commune. In intenſione, vel magnitudine, vt quando qui modeſtè, & temperatè loqui ſolebat, furioſè loquitur, & nimis vociferatur, etiamſi non erret in his, quæ loquitur; eſt tamen error in magnitudine, imò & in modo. Quare dicitur ab Hipp. *lib. 1. prorrhetic. Ex homine manſueto ferox reſponſio mala.*

Hac igitur doctrinâ intellectâ, ab hac quæſtione abſtinere poteram; ſiquidem Petr. Garc. de ea ſatis diffuſè pertractat. Tamen ne huic Operi aliquid deſit, quod ab aliis requirant, ideò eam breuiter agitabo.

Ad cuius intelligentiam ſupponere oportet ex omnium conſenſu, quemlibet humorem peculiare delirium producere, ita vt ex delirij diuerſitate humorem propriè illud producentem dignoſcamus. Quod docet Paulus *lib. 3. c. 6.* ſic inquiens: *Quibus ſanguineus humor morbum fecit, y cum riſu inſaniunt; quibus flaua bilis, ferociter, quemadmodum quibus atra vitium contraxit, tam immaniter ſæuiunt, vt coërceri nequeant.* Auic. eſt eiuſdem ſententiæ *fen. 1. 3. tract. 4. cap. 9.* quod tandem oſtendit Galen. *6. aphor. comm. 53.* itaque ſi delirium ſit cum riſu, ſanguinem pro cauſa habet, & eſt incolume, quia à benigniori naſcitur cauſa, de quo loquitur Hipp. *6. aphor. text. 53.* vbi ſic: *Deſipientiæ, quæ cum riſu ſunt, ſecuriores; quæ verò cum ſtudio, periculoſiores.* Vbi Galen. *in comm.* aſſerit, ferina deliramenta à bile exuſta induci, ſicut cum timore, & triſtitia à melancholia. Sed qua ratione ab ipſis humoribus talia deliria innaſcantur, nondum benè explicant, quod nos in præſentia inueſtigamus.

*Prima opinio.* Quidam exiſtimant, cauſam adæquatam delirij eſſe flatus exiſtentes in capite, ita vt pro diuerſitate humorum, ex quibus eleuantur flatus, diuerſa etiam excitentur deliria; quod patet in ebriis, & in ſomniis, in quibus varia finguntur deliramenta ob ſpecierum commotionem à vaporibus cerebri cauſatam.

Neque valet ſi dicas ex omnium opinione, quod deliria à calore, & ſiccitate fiunt, vt poſteà videbimus. Facilè enim reſpondent, quod calor eſt cauſa mediata, cuius ratione flatus generantur, qui ſunt delirij immediata cauſa.

*Illius refutatio.* Sed horum ſententia improbatur; nam quando delirium fit in melancholicis per propriam cerebri paſſionem, non fit à flatibus, ſed à ſiccitate humoris melancholici, quæ non eſt potens eleuare flatus; tales ſiquidem fiunt ab calore diminuto, vt *cap. de vertigine* probauimus.

Secundò, quia ſequeretur, quod ſolùm eſſet deceptio circa obiectum commune, & non circa proprium, quod eſt falſum. Nam in tantùm à flatibus delirium producitur, in quantum ipſi flatus ſpiritus animales intra cerebrum mouent, & agitant, & ſic omnia imaginarentur mota, & ſolum eſſet deceptio circa motum, quod eſt ſenſibile commune; & non circa proprium, vt diximus *cap. de vertigine.* Quod docet Auicen. *fen. 1. 3. tract. 4. cap. 4.* delirij cauſas recenſens, vbi præter vaporem calidum alias delirij cauſas adduxit.

*Qua ratione flatus ſunt cauſa delirij.* Ex his infertur tertiò, quod flatus non cauſant delirium circa proprium obiectum immediatè, mediatè tamen benè illud producere valebunt ſuo A calore cerebrum diſtemperando, vt patet in paraphrenitide, vaporibus calidis ſurſum elatis ab aliqua inferiori parte, & præcipuè à ſepto tranſverſo. Neque poſſunt producere immediatè delirium circa obiectum commune; nam flatuum commotio in tantum cauſat delirium, in quantum ſpiritus animales commouet, & agitat, & ſic ſpirituum agitatio eſt illius immediata cauſa, non verò flatuum illa motio.

*An delirium fiat per cerebri irritationem.* Quare Auic. loco proximè citato agens de delirio ex cauſa calida, inquit, quod procedit ex calore puro, id eſt abſque humore; aut ex ſanguine calido inflammato, aut ex cholera citrina, vel rubea. Idem oſtendit Gal. *2. de cauſis ſympt. cap. vlt.* dicens: *Ac reliqua quidem deliria ex mordentibus, & calidis oriuntur ſuccis, qualis maximè eſt flaua bilis; ſæpe etiam ex calidiori cerebri intemperie.* Idem fatetur *2. de locis affectis, cap. vltimo*, vbi B narrat hiſtoriam pueri cuiuſdam, qui ex vini potu cerebro calefacto delirans interiit.

Sed quamuis hæc ab omnibus recipiantur, qui exiſtimant calorem eſſe delirij cauſam, nihilominus cenſet Galen. deſipientiam a bile exortam fieri à qualitate bilis mordaci cerebri membranas irritante, aut illius ſubſtantiam; ita enim *6. aphor. comm. 57.* & *2. de cauſis ſympt. proximè citato*, vbi inquit, quod ſi bilis ſit exuſta, & malignam induerit acrimoniam, efficit delirium; & ex huius qualitatis mordentis defectu fit, vt humor pituitoſus non cauſet delirium, vt ibi etiam ipſe inſinuat. Hoc placitum ſequuntur Iacotius *comm. 1. in lib. 2. coac. Hipp. textu 30.* & Vega *3. de arte medendi, cap. 5.* ex quibus infertur, bilem inducere deſipientiam cum furore, quia cerebrum ab illius mordaci qualitate irritatur, ita vt ægrotantes vinculis ligatos, & oppreſſos, vel obiurgatos minimè quietos ſer- C uare poſſimus, nec ſi flagellis puniantur, eos reducere valemus.

*Impugnatio.* Hæc tamen doctrina falſo nititur fundamento, præſertim in noſtra opinione; nam cerebrum cum ſenſus expers ſit, non poteſt illam qualitatem ſentire, neque ab illa irritari. Si verò dicas, qualitatem mordacem membranas cerebri irritare, & hoc ſufficere ad delirium cauſandum. Contrà eſt; nam ex eo, quod membranæ pungantur, vel irritentur, non ſequitur quod cerebrum in ſuis actionibus patiatur deprauationem, neque eſt ratio, quæ ad illud ſuadeat. Vlteriùs ex verbis ipſius Vegæ idem probatur, nam in mania poteſt eſſe delirium ſine tali qualitate mordaci, ex vi caloris atræ bilis inductum, vt ipſe etiam ex Galeno probat; quod etiam claret in aliis ſpeciebus delirij à mania diſtinctis, quæ fiunt ab intemperie calida, in qua nulla talis naturæ irritatio percipitur, ac per conſequens neque in mania reperiri debet.

*Vera concluſio.* D Quapropter exiſtimare oportet, in phrenitide, & mania delirium excitari ab intemperie calida, & ſicca; in phrenitide cum febre, in mania ſine illa. Aduertere tamen oportet, quod nomine intemperiei non ſolùm intelligimus primas qualitates, ſed etiam ſecundas, quæ primas inſequuntur; nam calor, & ſiccitas dum nimis intenduntur, illas producunt, & ſic calorem ſequitur tenuitas, & raritas; ſiccitatem verò denſitas, & aliæ; quæ quidem efficienter non concurrunt ad producendum delirium, ſed illud producunt prauè diſponendo organum, in quo reſidet potentia, quæ ex vi prauæ diſpoſitionis prauè operatur. Quod deducitur ex principiis Philoſophiæ; nam ad rectè operandum non ſolùm requiritur potentia actiua, ſed ex parte organi, in quo reſidet potentia, optatur optima temperies ad talem actionem diſpoſitiuè concur-

rens. Cùm igitur cerebrum nimis diſtemperetur in primis,& ſecundis qualitatibus, non mirum ſi ſuarum potentiarum actiones vitientur. Quod patet euidenter in actionibus naturalibus.Facultas enim expultrix ob nimiam humiditatem maximè expellit, ſicut retentrix ob ſiccitatis exuberantiam plus quàm docet retinet: quarum actiones cùm auctæ ſint, ad genus deprauationis reducuntur. Quod ſi (vt aliqui non ſine probabili fundamento autumant) qualitates primæ inſtrumentaliter concurrunt ad actiones, faciliùs reſpondetur, ſi dicamus ideò vitiari actionem, quia illius inſtrumentum eſt deprauatum per qualitatum intenſionem.

*Quare diuerſa deliria excitantur.*

Ex his igitur variis, & diuerſis diſpoſitionibus varia,& diuerſa inſurgunt deliria, quæ benigniora,aut deteriora dicuntur, iuxta benignitatem,aut malitiam cauſarum,in quas referuntur.Et hæc eſt ratio, propter quam deſipientiæ, quæ cum riſu fiunt, ſunt ſecuriores, quia ſcilicet à benigniori cauſa procedunt, nempe à ſanguine. Et quoniam diſpoſitio cerebri maiorem analogiam, & proportionem habet cum aliquibus ſpeciebus vnum obiectum repræſentantibus,quàm cum aliis; ideo illæ ſpecies magis obiiciuntur potentiæ,& illa circa obiectum ab illis repræſentatum magis delirat. Idemque videtur dicendum de inſomniis, in quibus errant potentiæ circa aliqua obiecta, & non circa alia,de quorum cauſis agit Diuus Thom. 2.2. *q.9.art.6.*

*Melancholica deliria à quo producantur.*

Hæc doctrina etiam locum habet circa deliria melancholica, videlicet circa timorem, & triſtitiam, quæ ab intemperie ſumpta pro ſiccitate, & ſecundis qualitatibus ortum habent; quæ quidem intemperies ita cerebrum diſponit,vt magis in eo ſpecies obiecti metum,& triſtitiam inferentis exagitet, quàm aliorum. Quod oſtendit Galen. *3. de locis,c.7.* vbi ait: *Si humor melancholicus vergat ad animam, melancholiam efficit: ſi verò ad corpus, epilepſiam.* Vbi per animam omnes intelligunt intemperiem, quam ſi producat in cerebro humor melancholicus, hunc conſtituit morbum. Quod ſimiliter denotat Auic.dicens: *Dicitur melancholia mutatio exiſtimationum, & cogitationum à curſu naturali,propter complexionem melancholicam.*

*Valleſ. ſententia.*

Valleſ. tamen huic doctrinæ non aſſentit, qui exiſtimat delirium in melancholicis ab atro colore humoris procedere, & non ab intemperie. Quod nititur probare ex Galeno 2. *de cauſis ſympt.cap. vltimo,*& *3.de locis,capit.7.*vbi ſic: *Sanè quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauorem inducunt, niſi vel audaces admodum, vel docti fuerint: ſic atræ bilis color mentis ſedem tenebris ſimilem reddens timorem efficit.* Quam rationem etiam ſequitur Vega 3. *de arte medendi, cap.14.*& ratione probat Valleſ. Nam aliter, inquit, fierent omnes ſenes melancholici ſine morbo, cum habeant ſiccitatem dominantem naturalem ratione ætatis: & ſimiliter hectici, & tabidi omnes hoc morbo vexarentur, cùm in illis magis vigere videatur ſiccitas, quàm in melancholicis, cuius contrarium quotidie obſeruamus.

*Valleſ. redarguitur.*

Sed hanc Valleſ. ſententiam irridet Auerr. *loco iam citato,* vbi aſſerit, quod qui dicunt, *quod anima terretur propter humorem melancholicum nigrum,ſicut terretur homo in obſcuro,dicunt verba cantionum.* Nam cùm color non ſit qualitas actiua, non poteſt animæ virtutes vitiare, ſed ſolùm ſenſus inſtrumentum immutare dum ab illo percipitur. Quod clarè conſtat in tenebris exterioribus,quæ in tantùm pauorem, & triſtitiam inducunt,in quantùm ſaltem priuatiuè videntur. Cùm

*Auerroïs doctrina proponitur.*

A igitur atri humoris color non percipiatur à ſenſu, nec videatur, metum, & triſtitiam haudquaquam inducere poteſt. Præterea, ſenſus internus, vt cognoſcat, debet habere ſpecies obiecti cognoſcendi,quæ illud obiectum repræſentent: ſed illius coloris non habet ſpecies: ergo non poteſt illum cognoſcere, ac per conſequens neque erit timor, & triſtitia; nam huiuſmodi paſſiones fieri nequeunt ſine cognitione.

*Valleſ. reſponſio.*

His rationibus reſpondet Valleſ. quod humor ſuo colore terrere non valet, quia non percipitur, vt probant Auerroïs rationes; ſed ſpiritum animalem obſcurat, qui eſt inſtrumentum proprium animæ, & indiget lumine naturali ad operandum, quo deficiente mens deprauatè mouetur, vitiato ſibi proprio inſtrumento.

*Impugnatur Valleſ.*

Quamuis hæc doctrina ſit communis, & propter ſuorum Authorum eruditionem ſuſtineri queat, contraria tamen probabilior exiſtimatur, B quam ſuprà probauimus; quæ ſtabilior etiam redditur ex reſponſionum Valleſij impugnatione, contra quem primò ſic inſurgo. Defectus luminis, & ſplendoris ſpirituum animalium ab humore nigro producti potiùs arguit defectum in actione, quàm illius deprauationem. Quod patet, nam ſi ad rectè operandum requiritur tantum lumen, ad minùs operandum minus etiam lumen exigetur. Quod facilè in actionibus naturalibus colligitur; nam ad benè coquendum alimentum in ventriculo,tantum calorem venter expoſtulat,quo detracto aut actio diminuitur, aut in totum aboletur, non tamen deprauatur. Cùm igitur lumen ſpirituum deficiat ob humorem atrum, talis defectus valebit efficere actionem defectuoſam, ſeu diminutam, non verò deprauatam.

Secundò,quia humor maniam efficiens,eſt etiam C niger, ſiquidem eſt bilis atra; ſed ratione coloris nigri non fit in mania timor,& triſtitia:ergo neque fiet in melancholia morbo.

Tertiò, effectus contrarij cauſam contrariam exigere videntur: ſed triſtitia eſt effectus contrarius letitiæ:ergo à contraria cauſa debet proficiſci: ſed triſtitia oritur à colore nigro cerebrum, & ſpiritus denigrante: ergo lætitia debet oriri à colore albo ipſos ſpiritus dealbante,ac per conſequens ab humore pituitoſo, quod nullus dixit; ſiquidem omnes concedunt, deſipientiam cum riſu fieri à ſanguine. Cùm ergo nulla alia cauſa detur præter intemperiem,ad illam reducere oportet delirij cauſam. Quod inſinuauit Auic.dicens,quod complexio melancholica facit ſpiritus ſilueſtres, qui cùm reddantur terreſtres, & craſſiores, & ſimiliter cerebrum,hinc naſcitur,quod ex vi talis diſpoſitionis deliria huiuſmodi excitentur.

Quartò, vt delirium fiat in phrenitide, & ma- D nia,requiritur tantùm intemperies calida,& ſicca; in phrenitide cum febre continua; in mania verò ſine illa: ergo pari ratione in melancholia morbo,vt delirium excitetur, ſufficit intemperies frigida, & ſicca, abſque colore atro ipſius humoris melancholici.

Demùm probatur. Omne ſymptoma procedit à morbo: ergo & delirium: ſed color non eſt morbus: ergo delirium non procedit ab illo. Maior cum conſequentia eſt euidens, minorem probo. Morbus cùm paſſio viuentis ſit,vt conſtat ex Ariſt. *lib.de ſenſu,& ſenſibili,* & ex Diuo Thoma *in expoſitione illius loci,* debet ſubiectari in ipſo viuenti,& eſſe in illo inhæſiuè,tanquam in proprio ſubiecto:ſed color niger humoris melancholici habet pro ſubiecto in hæſionis ipſum humorem melancholicum, non verò ipſum viuens: ergo non poteſt

teſt induere rationem morbi : ergo neque produ-cere ſymptoma.

Dices, colorem ſaltem habere ipſum viuens, vt ſubiectum denominationis ; & hoc ſufficere ad morbi conſtitutionem, licèt viuens non ſit ſubie-ctum inhæſionis.

Sed quantam vim habeat hoc argumentum, alibi dicemus ; nunc tamen illud ſic impugno. Vt aliquid habeat rationem morbi, debet malè diſponere ſubiectum viuens, aliquid ab ipſo ſubiecto detrahendo, vel addendo ; neque ob aliam rationem aſſerimus Medicinam eſſe appoſitionem vel detra-ctionem : ſed color niger humoris melancholici exiſtens in cerebro, nihil addit, vel detrahit de ipſo cerebro : ergo neque malè cerebrum diſponit. Minor probatur. Color niger non tollit qualitatem aliquam ipſius cerebri, quia cùm ſit qualitas ſecunda, non eſt operatiua, neque productiua ſui; quapropter neque colorem album, vel aliquam cerebri qualitatem demere valet, neque aliam producere, quà malè cerebrum afficiatur. Dices, auferre ſplendorem ab ſpiritibus, qui ſplendor eſt neceſſarius vt benè cerebrum operetur. Contra eſt, nam color non opponitur lumini, neque lumen, ſeu ſplendor habet contrarium aliquod poſitiuum, quia lumini ſolum opponuntur tenebræ, quæ priuatiuè tantùm lumini contrariantur. Si igitur color non concurrit in aliquo genere cauſæ ad malè diſponendum cerebrum, vel illius inſtrumentum lædendum, neque poterit habere morbi rationem, neque aliquod ſymptoma producere.

*Quartò ad Valleſ. reſpondetur.*

Ad argumenta ergo Valleſ. reſpondetur, quod in ſenibus tanta ſiccitas in cerebro non datur, vt valeat hunc morbum producere; nam ex defectu caloribus pluribus humiditatibus ſunt referti, & licèt hectici, & tabidi nimis ſicci ſint, non tamen ſequitur, quod cerebrum eorum ſit ita intensè ſiccum ; deficit enim in illis natiuus calor, ob cuius inopiam cruditates gignunt, quæ cerebrum humectando huius morbi euentum prohibent ; præterquam quod, etſi cerebri ſiccitas in illis detur, poterunt deficere aliæ qualitates ſecundæ ſiccitatem illam coadiuuantes.

Ex dictis facilè colligitur, hunc morbum poſſe procedere ab intemperie ſicca abſque humoris conſortio, vt docuit Auic. quo tempore potiùs melancholia morbus appellabitur ratione temperiei, quàm ratione humoris melancholici. Quæ doctrina adducitur etiam à Petro Garcia *diſput. de melancholia morbo.*

*Pars affecta quæ.*

Pars affecta eſt cerebrum, in eo enim actionis læſio apparet, ſiquidem conſtat læſam eſſe imaginationem, vt docet Galenus 2. *de cauſ. ſympt. cap. vltim.* vbi inquit, quod melancholica deliria multarum ſunt ſpecierum, ex corruptis ſcilicet ſpeciarum imaginationibus ; quod etiam oſtendit 3. *de locis, cap.* 7. *iam citato*, vbi de hoc varia adduxit exempla, quæ ibi legi poſſunt.

*Quæ potentiæ lædantur.*

Læditur prætereà ratio, vt oſtendit Auic. dum dicit, quod eſt mutatio æſtimationum, & cogitationum : quod etiam ipſa ratio ſuadet, ſiquidem timor, & triſtitia ſunt paſſiones appetitus ſenſitiui, ad quas non mouetur appetitus per actum ſolius imaginationis ; nam in tantùm mouetur, in quantùm obiectum percipitur ſub ratione conuenientis, aut diſconuenientis ; quod eſt munus æſtimatiuæ potentiæ, quæ obiectum apprehendit ſub ratione boni vel mali, ad cuius fugam, vel proſequutionem excitatur appetitus ſenſitiuus ; imaginatio verò verſatur circa ſimplex obiectum, nihil de illo affirmando, vel negando, neque illius conuenientiam, vel diſconuenientiam iudicando. Quapropter ad illius cognitionem nequit ſuſcitari timor, aut triſtitia ; atque adeò Diuus Thomas 3. *de anima, cap.* 3. *lect.* 4. ait, paſſionem appetitus non ſequi ad phantaſiam, quia non mouetur propter ſimplicem apprehenſionem rei, quam phantaſia proponit.

*Tripliciter fit melancholia morbus.*

Tripliciter conſurgit iſte affectus, aut cerebro primariâ affectione patiente, aut conſenſu totius corporis, aut alicuius partis, præcipuè ventriculi ; quam affectionem dum à ventriculo, vel aliquo viſcere dependet, melancholiam hypocondriacam vocitant.

Circa huius morbi cauſas nulla eſt diſſenſio; conueniunt enim omnes procedere ab humore melancholico, vel ab illius dyſcraſia, vt dictum eſt. Quod ſi fiat per conſenſum, vapores craſſi, & melancholici cerebrum petentes ſunt illius cauſæ.

*Signa melancholiæ ab vniuerſo corpore.*

Hunc morbum fieri per conſenſum venarum, aut totius corporis dignoſcimus ex vniuerſo corporis habitu ; nam macri, nigri, & hirſuti, & quibus latæ ſunt, vt in ipſis huiuſmodi humor cumuletur, hoc morbo laborare ſolent, fitque interdum, vt præ rubro colore homines in melancholicam temperiem decidant ; atque poſt hos flaui ſiunt, vt inſinuat Gal. *cap. proximè cit.* & *lib. artis medicinalis*, præcipuè quando multis laboribus, vigiliis, & ſolicitudine educati fuerint, & ſi carne bubula, hircina, leporina, lentibus, aut aliis leguminibus, aut vino rubro vſi fuerint, aut aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa.

Si verò ex ventriculo, aut alia parte originem ducat, ex ipſius partis obſtructione, rugitu, & inflatu, ardore, & actionum læſione percipies. Quod ſi hæc deficiant, morbum eſſe per cerebri propriam affectionem iudicabis.

Præter ſigna tradita malo iam inueterato, ſi melancholicus bonum comparet colorem cum mœſtitia multa malum eſt, ex Hippocr. 2. *prorrhet.* nam ex vehementi actu imaginandi caput incaleſcit, & attractis ſpiritibus, & ſanguine facies rubeſcit; imò ob eandem rationem ſecundùm partes ſuperiores impinguatur magis, & facies maiorem adquirit molem, vt docet Rhaſis *lib.* 1. *tract.* 9.

## §. II.

### *Curatio melancholiæ morbi.*

Initium curationis ex rebus non naturalibus deſumentes, aër ſit ad calidum, & humidum vergens, lucidus, & minimè tenebroſus; per loca amœna, & viridia odorem ſuauem referentia deambulet æger, mediocrique vtatur exercitio, euitet timorem, & triſtitiam, eis apponens contrarias paſſiones, gaudium ſcilicet, & lætitiam, vtatur cantilenis muſicis, & fabulis riſum promouentibus, præcipuè eis quæ tempore ſalutis delectabatur. Somnus excedat vigiliam, vt eo cerebrum magis humectetur, vt Auic. & Celſus conſulunt. Cibi ſint boni ſucci, mediocriter humidi, faciles concoctu, & flatus exſortes. Conueniunt carnes coctæ gallinarum, caponum, phaſianorum, & ſturnorum iuuenum, & piſces ſaxatiles, & oua ſorbilia. Ex oleribus conferunt borrago, bugloſſum, malua, & lactuca cum carnibus elixa. Ex fructibus poma dulcia, vuæ paſſæ, ceraſa dulcia, & pruna damaſcena. Bibat vinum album benè aqua dilutum. Euitet carnes bouinas, leporinas, hircinas, & omnes carnes ſalitas, caſeum, & legumina. Quotidie arte, vel natura ventris excrementa deponat. Oportet etiam

illum

illum aliquando increpare, & blandis ſermonibus à falſis imaginationibus auertere, terroreſque ab animo remouere, eiuſque opera laudare, & cum amicis, & familiaribus conuerſari, vt docuit Aloyſius Luiſinus 2. *de compeſc. animi affectibus, capite* 15.

His exactè peractis, ſi morbus non ſit inueteratus, facilem admittit curationem, quem ſolùm frequentibus balneis, victuque humido, ac boni ſucci curauit Galenus, vt ipſe aſſerit 3. *de locis cap.* 7.

*Vena ſectio qualiter facienda.*

Si verò diuturnus factus iam ſit, ſiue ſit per cerebri propriam paſſionem, ſiue per venarum, aut totius corporis conſenſum, fortiora etiam prædictis oportet adhibere remedia. Quare viribus ægri ac aliis conſentientibus, à venæ ſectione eſt exordiendum, iuxta Galeni præceptum *loco proximè citato*, ea tamen debet eſſe media, communis appellata, quia tam vniuerſum corpus, quàm caput faciliùs euacuat. Quod ſi ſanguis non exeat niger, ſtatim illum ſiſtere iubet Galenus, cuius doctrina mihi diſplicet; nam quamuis in principio ſit tenuis, & ruber, poſtea poterit exire craſſus, & niger, vt aſſerit Auicen. dicens: *Ampliùs ſi phlebotomas, & inuenis ſanguinem ſubtilem, non retineas ſanguinem propter hoc, quoniam multoties in ipſa præcedit ſubtilis. Similiter,* inquit, *oportet vt amplifices phlebotomiam, vt non effluat, quod ſubtile eſt, & retineatur groſſum, & augeatur malitia.* Quamquidem euacuationem efficies ex talo, ſi menſtrua deficiant, aut hæmorrhoïdes ſint ſuppreſſæ. Vt maximum auxilium commendat Hippocrat. euacuationem ſanguinis melancholici per hœmorrhoïdas, vt ipſe ait 6. *aphoriſm. text.* 21. vbi dicit: *In inſanientibus ſi varices, vel hæmorrhoïdes ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio.* Et textu 11. *hæmorrhoïdes melancholicis ſuperuenientes bonum.* Et 6. *epidim. ſect.* 5. *text.* 25. idem teſtatur; & Galen. *in comm.* aſſerit, hunc morbum euidenter leuari per ſanguifluas venas, quapropter oportet talem euacuationem vt præſentaneum remedium excitare.

Interim humores præparentur ſyrup. borrag. de pomis, ſtœcade, aut de fumaria, cùm aquis bugloſſi, borrag. fumariæ, & lupulorum, deinde humor euacuetur in hunc modum. ℞. decocti epithymi, mirobal. indorum, florum borrag. bugloſſi, & violarum, paſſularum ſine vinaceis, prunorum damaſc. & foliorum ſennæ ℥.iij. confectionis Hamech ʒ.ij. diacath. ʒ.iij. ſyrup. ſennati ℥.iij. miſce. Aut ℞. confect. Hamech. ʒ. iij. elect. indi ʒ. ij. diſſolue in ℥.iij. decocti foliorum ſennæ, & florum cordial. ſyrupi Regij ℥. iij. miſce. Conferunt pillulæ etiam de fumaria, aut alſeiaret Auic. & morſelli ex caſſia, & confect. Hamech. cum ſaccharo confecti.

Perſeuerante malo purgabitur prunis ſaccharo, & ſennâ conditis, quæ vulgariter *ciruelas de ſen* appellantur, aut ℥.x. ſeri lactis caprini, in quo per noctem infundantur foliorum ſennæ, & epithymi ana ʒ.ij. quod cum ſaccharo propinatur; & huiuſmodi auxilium repetere licebit aliquibus interuallis, vt paulatim humor melancholicus euacuetur. Sed quia iis non aufertur morbus, caput, & vniuerſum corpus humectabis, quod optimè aſſequeris balneo aquæ dulcis calidæ, aut decocto, quod recipit foliorum viol. maluar. altheæ, borrag. & lupulorum ana m. j. florum ſtœcados, violarum, bugloſſi, & camemali ana ℥. ß. capitis arietis n. j. coquantur omnia ſecundùm artem in debita quantitate aquæ, quo caput irrigetur abraſum, deinde iungatur oleo amygd. dulc. anethino, violarum, & camemali, ex quibus ad idem cum vnguento filij Zachar. & axungia gallinæ, & anatis poteſt parari vnguentum, quod caput madefacit, & calorem moderatè ſuſcitat. Benè facit etiam balneum lactis, & aqua ſtilatitia ex cochleis.

Conferunt præterea clyſteres emollientes ex decocto maluarum, violarum, mercur. betæ, radicis altheæ, & ſimilium, cùm oleo amygd. dulc. & camem. & caſſia fiſtula, vel electuario indo. Lapis armenus eſt vtilis ad purgationem humoris melancholici, & præfertur veratro albo ex Tralliano, qui etiam per vomitum humorem expellit, ſi quantitate ʒ.j. aut ℈.iij. præparatus aſſumatur. Verùm conſiderare oportet, inquit ipſe, ſpeciem imaginationis, aut rationẽ, aut aliud quoddam eorum, quæ ſubitam mutationem efficere poſſunt, plurimi namque ſic curati ſunt videntes, & audientes ea, quæ conſequi deſiderabant. Ita ergo Philodotus Medicus quendam, qui ſibi caput amputatum eſſe putabat, caſumque deplorabat, curauit impoſito repentè capiti ipſius plumbeo pileo, vt grauitatem ſentiens, caput ſe recepiſſe rurſus putaret; gauiſuſque eſt plurimùm, atque à vana imaginatione receſſit. Iam mulierem etiam (aſſerit ipſe) quidam curauit, quæ cùm putaret ſerpentem ſe deuoraſſe, vomitum medicamento citauit, atque in id quod reiectum fuit, paruam beſtiam per omnia imaginationi illius, & deſcriptæ à vana imaginatione ferè ſimilem impoſuit, quâ viſâ gaudio magno ſubitò accedente liberata fuit. Quem curandi modum in iis, & ſimilibus imaginationibus obſeruare expedit.

*Cordialia ſunt ex vſu*

Conferunt etiam cucurbitæ dorſo affixæ, frictiones, & ligaturæ partium extremarum, vt humor diſtrahatur, & reuellatur.

Remedia etiam cordialia, & lætitiam inducentia ſunt ex vſu. Inungere itaque oportet cordis regionem vnguento naphæ, & puluere diarrhod. Abbatis cum modico olei Mathioli, & vini albiguttulis; aut aſſumat æger conſeruam borraginis, aut bugloſſæ cum confectione alchermes, & electuario lætificante Rhaſis adducto 5. *continentis, & 9. ad Almanſ.*

*Curatio melancholiæ hipocondriacæ.*

Melancholia verò flatuoſa, ſeu hipocondriaca, ex conſenſu ventriculi aut alterius partis curabitur eadem victus inſtitutione, præparantibus, & euacuantibus humorem, & flatus diſſipantibus. In primis humor præparabitur rhodomelle, ſyrupo borrag. Sabor. Regis, & fumariæ, cum aquis fœniculi, meliſſæ, & aniſi; deinde purgatio fiet per pillulas maſtichinas, de hiera, & indas, aut hac potione. ℞. pulpæ caſſiæ ℥.ß. extrahatur in decocto lupulorum, & ſennæ, vel in decocto pugini, cui addes ſyr. regij ℥. iij. & fiet potus, aut formentur morſelli ex ℥. j. caſſiæ, aut diacathol. cum ʒ. j. pulu. hieræ, vel foliorum ſennæ, & ſaccharo: quibus iteratis ſi vrget neceſſitas, & non valentioribus vti poſſumus, ne per eorum attractionem à remotis partibus adaugeatur affectio, & ab eorum immodico calore pars affecta inflammetur, quod ſi ex obſtructione venarum meſaraïcarum ortum ducat affectio, deobſtruentibus eſt vtendum, in quem vſum confert ſerum lactis caprini cum ſaccharo quolibet mane ſumptum, & per interualla ei addere oportet aliquid epithymi, & foliorum ſennæ, vt paulatim materia obſtruens euacuetur.

Præterea aſſumere oportet quolibet manè abſinthij, aut pulegij decoctum, quod aſſiduè ſumptum laudat Aëtius, adeo vt ex eius vſu plurimos vidit liberatos. Quod auxilium comprobat Paulus, qui etiam iubet purgare epithymo, & aloë, & pauxillum ex his quotidie ſumptum maximè iuuat,

tiat, & leuiter aluum ſubducit; at ſi noctu aloës A aſſumatur, ſomnum prouocat, ex Dioſcoride *cap. de aloë.*

Poſſumus etiam vti iis, quæ vrinam prouocant, vt ſunt aniſum, fœniculum, carabe, daucus, & diacyminum, quæ prærerquam quod vrinam eient, flatus ſimiliter reſoluunt. Exteriùs ſuprà partem cucurbitam affigere expedit, ex Auic. partemque fouere oleo, in quo decoctum ſit pulegium, ruta, baccæ lauri, & cyminum. Quod ſi ventriculus ſit affectus, oportet addere abſinthium, menthã, & ſpicam nardi, quæ etiam valent patiente iecore. At ſi ſplen pati contingat, addes ſcolopendrium, & capparis radicem, camepitheos, & camedryos, quo oleo partem affectam illines, aut ex eiſdem herbis decoctum parabis, quo pars abluatur. Emplaſtrum etiam eſt vtile ex pice, oleo laurino, anethino, & rutæ; addito puluere aniſi, & cymini, parti affe- B ctæ, & ventri, & dorſo parti correſpondenti appoſitum.

Tandem ſi ad vomitum æger ſit procliuis, illum prouocabis aqua mulſa tepida, aut decocto ſeminis raphani, & agarici, cùm ſyrupo acetoſo. Sed quia affectus per conſenſum taliter lædit caput, vt ipſum non ſolùm patiatur conſentaneè, ſed etiam per ſe, ideò caput humectabimus, & attemperabimus iis, quæ ſuprà attullimus, quæ non licet iterum repetere. Si verò viſcera inflammata ſint, eorum intemperiem corriges humectantibus, & modicè refrigerantibus, vt capite ſequenti notum fiet, quibus etiam ſomnus conciliatur.

*Curatio melancholia ex humore.* Ex amore prætereà inſaniunt quidam, & mœrentur valdè, vt explicat Galen. *lib. de prænotionibus*, qui fœminam Piladis amore captam agnouit, quia cùm Piladis mentio facta fuiſſet, fœminæ pulſum variis modis agitatum inuenit, quod etiam accidit dum amatum vident amantes: & Eraſi- C ſtratus Antiochum Seleuci Regis filium Stratonicæ nouercæ amore correptum agnouit, quoniam fœmina, quam diligebat, præſente pulſus illius variè fuit immutatus. Incidunt amantes in hunc morbum ob mœrorem, triſtitiam, & ſolicitudinem, & vehementes animi paſſiones, quibus corpus vniuerſum tabeſcit: hanc inſaniam ab amore ortam vocat Plato *in conuiuio cap. 3.* inſaniam cordis, quia à cordis vehementi paſſione proficiſcitur. Dignoſcimus tamen illam ex animi inquietudine, & paſſionum animæ diuerſitate, & ex pulſu, qui varius exiſtit, pro animæ paſſionum varietate, propter quod Galenus amantium pulſus differentias non adduxit, idque oſtendit Valleſ. *3. controuerſ. cap. 4.* fiunt tandem pulſus illorum debiles, & duri, ſuſpirant frequenter, & reſpirationis obliti, poſteà vt phrenitici magnam illam efficiunt: fiunt decolorati, & inſomnes, & variis torquentur ima- D ginationibus.

Hos igitur curare licebit prudentibus conſiliis, & ſæpiùs obiurgationibus; & admonendi ſunt, vt caſtè, & religioſè viuant, & omnibus modis in diuerſa ſunt reuocandi, vt cecinit Ouidius *de arte amandi.* Vtantur etiam cantilenis muſicis, & conuerſationibus, quibus animus diſtrahitur, eiſdemque remediis alios curabimus, qui ex mœrore, vigiliis, labore, ac ſolicitudine hoc premuntur morbo, adhibitis etiam balneis, & aliis humectantibus, & corpus reficientibus, vt ſuprà tetigimus.

## CAPVT XVIII.

### *De mania.*

Ex dictis capite præcedenti facilè huius morbi naturam inueſtigabimus, ſiquidem ab eiſdem cauſis proficiſcuntur mania, & melancholia morbus; hac tamen adhibitâ diſtinctione, vt ab humoribus exuſtis oriatur mania, quam tamen vſtionem non patiuntur humores in melancholia vt docuit Galenus *3. de locis affectis, cap. 7.* cuius morbi, vt ex Authorum verbis colligi poteſt, hæc aſſignatur deſcriptio: *Mania eſt delirium ſine febre, cum furore, & audacia, ab humoribus calidis, & mordacibus ortum ducens.* Hæc definitio datur per ſymptomata, & cauſas, ex quibus in eſſentiæ cognitionem, & illius curationem faciliùs deuenimus. Delirium ſe habet vt genus, in quo conuenit mania cum phrenitide, & melancholia: reliqua loco differentiæ conſtituuntur. Eſt ſine febre, & ſic diſtinguitur à phrenitide. Quod ſi aliquando maniacis febris ſuperueniat, eſt nimis per accidens, neque confert ad illius naturam. Diſtinguitur à melancholia per furorem, & temeritatem; melancholici verò quieti, & timore pleni perſeuerant.

Huius morbi cauſam eſſe humorem calidum, & *Cauſa.* exurentem, docent omnes. Gal. *cap. iam citato*, inquit: *Quemadmodum alter atræ bilis ſuccus, qui præaſſata flaua bile naſcitur, ferina deliramenta inducit, &c.* Et *2. de cauſis ſympt. cap. 7.* Idem oſtendit Auic. *fen. 1. 3. tract. 4. cap. 18.* ſic inquiens: *Humor autem cholericus cum in ipſo cadit aduſtio, facit maniam.*

Fit etiam ab intemperie calida & ſicca, vt omnes admittunt, etiamſi non adſit humor adurens. Quod oſtendit Gal. *2. de cauſis ſympt. cap. 7.* vbi ſic: *Iam deliria omnia, tum praui motus regentis facultatis ſunt, tum vel ex vitioſis contracta ſuccis, vel ex eorum, quæ ſunt in cerebro, intemperie nominantur: ex iis, quæ quidem cum febre ſunt, phrenitides; quæ ſine febre, inſaniæ.* Et rurſus: *Ac reliqua quidem deliria ex mordentibus, & calidis oriuntur ſuccis, qualis maximè eſt flaua bilis; ſæpe etiam ex calidiori cerebri intemperie.*

Et ratio eſt, nam vt ſuprà probauimus, delirium excitatur ab intemperie calida, & ſicca. Cùm ergo huiuſmodi intemperies cerebrum nimis alteret, poterit quidem delirium cauſare, ſiue dependeat ab humore, vel non. Quæ intemperies poterit etiam producere ſecundas qualitates, à quibus omnibus cerebrum prauè diſponitur, & eius potentiæ deprauatè mouentur, vt *cap. de melancholia*, ſufficienter probauimus.

Ex his claret, huius morbi eſſentiam eſſe ſitam in intemperie calida, & ſicca; quod ferè omnes *In quo mania natura conſiſtit.* vnico ore confitentur, inter quos Aurelianus *1. lib. tardarum paſſionum, cap. 5.* & Vega *3. de arte medendi, cap. 15.* quod comprobat Petr. Garc. & deſumitur ex Gal. *lib. artis medicin. cap. 29.* dicente: *Quod ſi multum caliditatis exceſſerit, tunc iræ præcipitatio, & furibunda temeritas adſunt.* Et *cap. 31. eiuſdem libri*, agens de cordis calore, & ſiccitate, ait: *Habent iram feram, quæ non facilè ſedari quit.* Quapropter furibundi, & animoſi, calidi, & ſicci ſunt, qui fibras, ac neruos firmiores, & ſicciores habent, vt notat Ariſt. *2. de partibus animalium, cap. 4.* quid tamen ſit ira, ſuo loco dicemus.

Quam

*De maniæ ſpeciebus.*

Quamuis pro delirij diuerſitate variæ aſſignentur maniæ ſpecies, ſeu differentiæ, duas tamen frequentiores adduxit Auic. Primam appellat *cucubut*, quod ſignificat beſtiolam quandam in ſuperficie aquæ deambulantem, quæ variis motibus mouetur abſque vllo ordine. Qui hac maniæ ſpecie tenentur, hominum conuerſationem abhorrent, & in monumentis degunt; quam ſpeciem *lycantropiam* vocat Paulus, ſeu inſaniam lupinam, quia luporum mores imitantur, & noctu domo egreſſi, donec dies elucеſcat circa defunctorum monumenta plerumque vagantur. Alia ſpecies dicitur *illiſci*, quam cinantropiam, ſeu inſaniam caninam vocitant, quia per eam canum mores inſequuntur, & amicorum conuerſationem non effugiunt, ſed blandiuntur, & obedientes fiunt; aliquando rident, ſæpeque lugent: quod prouenire cenſeo ex humoris maiori benignitate, vt ex accidentium bonitate percipitur. Hæ duæ ſpecies frequentiores ſunt, quamuis aliæ plurimæ fieri poſſint, iuxta diuerſitatem humoris, & diſpoſitionis cerebri, vt notat Aëtius. Sed priùs ſequentem quæſtionem examinare oportet.

## §. I.

### *An rabies ſit ſpecies maniæ.*

Ratio dubitandi eſt, nam videtur, quod rabies, ſeu hydrophobia, eſt ſpecies melancholiæ morbi, & non maniæ; quod patet ex definitione melancholiæ morbi, quæ eſt delirium cum timore: ſed in hydrophobia eſt timor aquæ, nam rabientes aquam reformidant, vt omnes admittunt: ergo non poteſt reduci ad ſpecies maniæ, in qua audacia, & temeritas adſunt. Idem probatur ex Aëtio dicente: *Omnes enim qui à rabioſo cane morſi ſunt, ſi neglecti fuerint, aut malè curati, in affectionem timoris aquæ incidunt.* Et rurſus: *Canis à quo morſi ſunt, imaginem in aquis apparere imaginantur; recordati autem formæ canis, ab immodico timore corripiuntur.* Si igitur timor in hoc morbo datur, non poteſt eſſe ſpecies maniæ.

Sed contraria ſententia eſt verior, quæ aſſerit, rabiem inter maniæ ſpecies annumerari, vt conſtat ex illius definitione ab Auic. tradita *fen.6. lib.4. tract.4. cap.5.* vbi ait: *Rabies eſt conuerſio complexionis ad melancholiam malam, malignam, & venenoſam.* Vbi per melancholiam malignam debemus intelligere atræ bilis deteriorem ſpeciem, & complexionem calidam, & ſiccam, vt ipſe explicat, ſic inquiens: *Quoniam calor vehemens adurit humorem eius, quare ſit rabioſus in autumno.* Idem ſentiunt Aëtius *tetrab.2. ſerm.2. cap.24.* Paul. *lib.5. cap.3.* Et ratione claret, nam rabientes inſaniunt cum maximo furore, & ſunt iracundi nimis; quæ accidentia ab intemperie calida, & ſicca prouenire anteà probauimus. Quare ad rationem dubitandi reſpondetur, timorem, & triſtitiam non eſſe ita propria ſymptomata melancholiæ morbi, vt aliis morbis conuenire non poſſint; nam poteſt eſſe talis diſpoſitio in cerebro, vt non ſolùm ex ea excitetur inſania cum furore, ſed etiam cum metu, & timore; ſiquidem conſtat, facultates naturales contrarias in eadem parte exiſtentes, diuerſas, & contrarias functiones producere; quia cum membri diſpoſitio non conſiſtat in indiuiſibili, ad vtrumque actum, etſi contrarium, adaptari poteſt.

Ex his deducitur, hydrophobiæ ſignum eſſe timorem aquæ, quod non ſemper à principio ineſt; ſed inſurgit iis, qui à principio fuerunt malè curati, quamuis aliquando à principio etiam inuadat, vt ſentit Aëtius. Aquam, vel res liquidas reformidant rabientes, quia ibi canem adeſſe imaginantur.

*Obiectio.*

Sed inſtabis: Ideo rabientes aquam formidant, quia imaginantur exiſtere in aqua canem, qui eos momorderit; ſed canis rabidus per ſe, & non morſus ab alio, non poterit talem imaginationem habere, cum à nemine ſit morſus: ergo neque formidabit aquam. Secundò ſæpe accidit, vt homo morſus ſit ab alio homine rabiente, vel altero animali, & non à cane: ergo eo caſu non eſt propter quid reformidet aquam ob canem in ea imaginatum; ſiquidem non eſt morſus ab eo. Ex quo inſurgit tertiò, quod omnes rabientes cùm continuò exſiccentur. in genti ſiti præmantur, & bibere quammaximè appetant: ergo ſaltem rabientes, qui non fuerunt morſi à cane, aquam non formidabunt.

*Reſponſio.*

His rationibus facilè reſpondetur, hoc eſſe rabientis peculiare delirium, & ob cerebri diſpoſitionem taliter liquida repræſentantur, vt rabientes, ſiue morſi ſint à cane, vel ab alio animali, vel non, ſemper imaginentur, in rebus liquidis canem adeſſe; & hanc ob cauſam omnes timent aquam, & ſiti vehementi correpti potum non admittunt, vt inquit Aëtius: idemque oſtendit Gal. *lib. de Theriaca ad Piſonem, c.16.* ſic inquiens: *Aquam enim expauеſcunt, & quamuis ob nimiam ſiccitatem ipſam vehementer affectent; tamen eam bibere reformidant, quia corrupto mentis iudicio, quid ipſis prodeſſe poſſit, non intelligunt, ſicque remedium vitando, & aquam metuendo, miſerabili morte pereunt.*

*Læditur imaginatio in maniâ.*

Ex quibus conſtat, mentem aberrare in rabie, & mania, imaginationem ſcilicet, quæ circa ſimplicia verſatur, quia imaginatur canem exiſtere vbi non eſt, quamuis circa alia ſimplicia non erret; ſiquidem ſine errore aquam, & res liquidas, & alia benè percipit, & cognoſcit. Quod ita contingere poſſe docuit Gal. *de different. ſympt. cap.3.* in hiſtoria illius phrenetici, qui dicebat eſſe tibicines in angulo domus, & domum, & illius angulos cognoſcebat, & ſolum circa tibicinum exiſtentiam delirabat. Quod prouenire diximus ex peculiari cerebri diſpoſitione, quâ vnum, & non aliud excitatur delirium.

*Læditur etiã ratio.*

Læditur præterea in qualibet ſpeciæ maniæ ratio; nam non ſolùm rabientes imaginantur ibi canem adeſſe, ſed illum effugiunt; quem non effugerent niſi eum ſub diſconuenientis ratione perciperent, quod eſt munus æſtimatiuæ potentiæ, ad quam ſequitur fuga, aut proſequutio in appetitu ſenſitiuo; & in qualibet ſpecie maniæ ira, aut furor excitantur, in quantùm obiectum iraſcibile excitat potentiam ad proſequutionem vindictæ: quod nequit fieri, niſi tale obiectum ſub ratione diſconuenientis ab æſtimatiua potentia cognoſcatur, vt eleganter probat Petrus Garcia *de locis affectis diſput.14. cap. de mania.*

*Quæ animalia rabie corripiantur.*

Inter reliqua animalia ſolus canis rabie corripitur, ex Gal. *6. de locis, cap.5.* Ariſt. verò *8. de hiſt. animal. cap.22.* inquit, quod rabies etiam camelum apprehendit, & omnia quæ momorderit, intereunt excepto homine. Fit enim in cane tanta humorum corruptio dum rabidus eſt, vt ſolùm eius ſputum, ſi humanum corpus contigerit, rabiem excitare valeat; nam ratione veneni contracti humores vitiantur, & vniuerſum corpus exſiccatur, & cerebrum præcipuè diſtemperatur, læduntur que illius potentiæ, vt anteà dictum eſt.

*Cauſa rabiei in canibus.*

Sed explicare oportet, quam ob cauſam canes rabie infeſtantur. Auic. & Aëtius *locis ſuprà citatis*, & Iacobus Claromontanus *1. de venenis, c.35.* dicunt, quod duabus de cauſis ſibi inuicem contra-

riis canes in rabiem incidunt,ob vehementiſſimos æſtus, & intenſiſſimum frigus. Quare in caniculæ ardoribus, & autumno, & hieme in maximo frigore rabie corripiuntur; quod ideò fit,quia canes ſuâ naturâ calidi ſunt, & ſicci; & ob hoc humoribus abundant atrabiliariis,qui tempore autumni ob calorem æſtatis præcedentis,& in ipſa æſtate ad tantam vſtionem, & pernitiem deueniunt,vt hunc morbum excitare valeant. Hieme verò fit, quia frigus poros conſtringit,& conſtipat,& calor intrà recurrens,ipſos humores adurit; ad quod maximè iuuat eſus carnium putridarum: nam vt inquit Auic. vitiatur canis temperies,& vitioſus fit, quia comedit ex cadaueribus, & bibit ex aquis putridis.

Signis oportet diſtinguere canem rabidum à non rabido; quæ præcipuè deſumuntur ex Auic. nam canis rabidus manet ſolitarius,ignauus, non cognoſcens dominum ſuum, famem patitur, & non comedit,ſiti vexatur,& abhorret aquam,& videns eam,horripilatur,& tremit;habet oculos horribilis aſpectus,linguam extrahit,& ſpuma ex eius ore fluit, & ex naſo res nocens & ſpiſſa; caudam habet humilem, ambulat decliuis, timidus, quaſi ebrius, triſtis, anguſtioſus, & cum videt vmbram ſuam,contra illam currit,inuadendo ipſam,& tandem ſiccus, ſiticuloſus,& conſumptus interit.

*De ſignis rabiei in homine.*

Omnium,qui ab animali rabido morſi ſunt,ſtatim aliqui aquam, liquidaſve res timent; alij poſt quadraginta dies, alij poſt longius tempus ſtatim ac vident aquam,aut ſpeculum,conturbantur,cùm in ipſo videant faciem rubicundam,& irâ plenam, & in aqua canem aſpiciant,& confertim immodico timore corripiuntur: ſunt iracundi, temerarij, & de mirabilibus diſpoſitionibus eorum eſt,vt ait Auic.quod ſint prompti ad mordendum,& latrant ſicut canis,& quandoque mingunt pinguedinem, in qua ſunt res carnoſæ ſimiles canibus paruis.

*De ſignis maniæ in communi.*

Oportet etiam ſigna tradere,vt cognoſcere poſſimus maniam in communi, quam antecedere ſolent inſomnia terribilia, vigiliæ immodicæ, riſus abſque cauſa,dolores capitis,ſplendores ante oculos,ad venerem promptitudo, nocturnæ pollutiones,ad iram facilè mouentur,grauitatemque capitis,& aurium ſonitum patiuntur,quibus aliquando aliqua ſupprimitur euacuatio: ſuperuenit iter agentibus,& in itinere fatigatis,præcipuè tempore æſtiuo, & ſub ardenti ſole; tolerant inediam, & alimentis ac cibis calidis vtuntur. Si verò iam morbo premantur,ante oculos habere dicunt imaginunculas riſum promouentes,& ex conſurgentibus euaporationibus ad caput, tibicines ſe audire putant. Quod ſi à bile præaſſata inſurgat affectio, ferina deliramenta inducit,& quantò magis exuſta fuerit, eo inſaniæ magis furioſæ apparebunt, vt inquit Aëtius.

Ægri ſunt temerarij,percuſſores,iniurioſi,ita vt amicis inſidias parent,vulnerent,& aliquando occidant. Quidam etiam per feneſtras exſiliunt, alij verò ſeipſos dilacerant, veſteſque diſrumpunt, ciboſque deguſtare nolunt, niſi ligentur, & flagellis percutiantur; aliquando nimis ſilent, & taciturni ſunt, præſertim quando ex melancholia naturali aduſta mania excitatur; tamen dum loqui inceperint, minimè ſilere queunt.

## §. I I.

### *Curatio maniæ.*

HVius morbi cura ab initio fieri debet antequam confirmetur,vt ſcriptum reliquit Auic. In principio equidem facilè admittit curationem, cum verò eſt confirmatus, difficilè, aut nunquam

A curatur. Aër ergo in primis ad humidum vergat, & ſit frigidus,aut temperatus in calore & frigiditate,nam quamuis bilis atra frigida,& ſicca ſit a prædominio,vt fatur Gal. *de cauſis morborum cap.6.* & 2. *de naturalibus facultat.c.9.* & hanc ob cauſam aërem calidum expoſtulare videatur, tamen cum paulatim aduratur, aut putreſiat, ipſa alteratione non ceſſante,frigidum,aut temperatum ſaltem aërem requirit, hancque ob cauſam febrem non accendit, quia cùm remiſsè, & paulatim aduratur, nunquam ex ea copioſi eleuantur vapores,vt febrẽ ſuccendere ſufficiant,vt notat Vega. Multorum ingreſſus prohibeantur, maximè incognitorum, nec oportet eos eſſe ſolos,vel inter ignotos,neque inter eos,quos contemnunt. Quieſcant, aut ligati detineantur,moderatiſque vtantur frictionibus: ſomnus diligenter eſt procurandus his quæ diximus

*Maniaci non febricitant,& quare.*

B *cap. de phrenitide*; ventrem habeant mollem, aut clyſteres parẽtur ex decocto maluarum,biſmaluæ, foliorum lactucæ,hordei,florum violarum,& borraginis,cum pulpa caſſiæ,& oleo roſaceo,& violarum. Alimenta liquida, & humectantia eis exhibeantur, vt ius pulli, aut gallinæ,aut borrago, vel lactuca elixa, & cucurbita, aut pultes ex hordeo. Procedente tempore ſolidiorem victum imperabis, vt carnes elixas gallinæ, pullorum,& veruecis. Potus ſit aqua hordei, radicis ſchorcioneræ,vel bugloſſi: à vino omninò ſe abſtineant. Amici, & familiares cum eis conuerſentur, qui eos hortentur, & ſi opus fuerit,eos increpẽt,& etiam ſi ſapere videantur,non ſunt credendi,quia ſic à flagellis,vinculis,aut carceribus ſe cupiunt liberare. His ſic inſtitutis, cubiti venam mediam ſecare expedit, aut

C humerariam; quæ ſi non appareant,circa talos venam perquiremus,maximè in mulieribus,vt Aëtio viſum fuit, qui iubet generoſam facere euacuationem. Ego autem exiſtimo ſanguinis extractionem cautè eſſe faciendam, propter motus inordinatos, & eorum immodicas vigilias, quibus vires proſternuntur,itaque non euacuabimus pro morbi indigentia,ſed accidentibus aliquid relinquemus, vt nos monet Gal. 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.13.* Facta ſanguinis miſſione, capiti eſt imponendum oxyrrhodinum,ex Pauli præcepto,vt ℞. olei roſarum ℥.iij.olei violarum, & aceti roſarum ana ℥.j. miſce: vel olei roſarum ℥.iiij.olei myrthi ℥.j.ſucci polygonij ℥.iij.aceti roſ.℥.j.miſce. Conueniunt etiã panni in lacte imbuti,& capiti admoti. Interim tamen dum hæc fiunt, ad purgationem humor parabitur ſyr.borraginis,de pomis,violarum, roſarum, & acetoſo,cum aquis ſtillatitiis borraginis,bugloſſi,& ſchorcioneræ. Deinde illum euacuabis pillulis ſine quibus,de rhabarb.& de fumaria, vel hac po-

D tione. ℞.florum violarum,borraginis, bugloſſi, & nimpheæ ana p. j. paſſularum ſine vinaceis, & tamarindorum ana ʒ.j.foliorum ſennæ, & epithymi ana ʒ.j.ß.coquantur omnia debito modo,cuius colaturæ accipe ℥.iij.in qua infunde rhabarb.ʒ.j. & factâ debito tempore expreſſione, in ea diſſolue pulpæ caſſiæ ℥.ß.ſyrup.perſici ſolutiui ℥.iij.miſce, & fiat potus. Gal.*lib.de purgant.medicam.facultatibus.c.vlt.* inſanientes ſolâ purgatione ad ſanitatem reduxit. Serum lactis caprini,in quo ſit infuſa rhabarb.& foliorum ſennæ,ſing.ʒ.j.eſt laudabile,ſi cũ ſaccharo aſſumatur. Quod ſi medicamentum expurgans deglutire nequeant,illud cibis immiſcebimus aut in iure pulli,vel gallinæ diſſolues mannæ electæ ℥.iij.cuius ſorbitionem fortaſsè non recuſabit æger:& vt ægrũ fallamus,purgantia inferenda ſunt cõſeruis,caricis,aut palmulis. Mox ad localia remedia,& ſomnum prouocantia recurres,quod quidem efficies prędictis oxyrrhodinis tõſo capiti applicitis.

Prodeſt etiam caput irrigare hoc decocto. ℞. foliorum maluarum,& lactucæ,ana p.j.corticum papaueris albi ʒ.iij. florum roſarum, violarum, borraginis, ſtœcados, & camemali, ana p. j. radicis iuſchiami ℥. ß. coquantur omnia debito modo, quorum decocto adde aceti albi ℥. ij. quo tepido vtere. Verùm ſi ſomnus adhuc non conciliatur, conſulit Aetius pharmacum dare ex papauerum capitibus cum ptiſanæ, aut alicæ ſucco, aut cum aqua. Vſus lactis,& balneum eius in capite eſt accommodum. Vnctiones temporum,& futuræ coronalis vnguento populeone factæ maximè ſomnum prouocant:item ſyrupus papau.& violarum,ſi dormiturus eum aſſumat in hac doſi.℞.ſyrup.papaueris ʒ.ß. violarum ʒ.j. philonij perſici ℈.ij. aquæ portulacæ ʒ.ij.ß.miſce. Quod ſi iis adhibitis nondum morbus auferatur,venam frontis ſecare debemus,ex Aetio; quo remedio caput refrigeratur,& ſomnus conciliatur, quamuis ſanguinis miſſionem reformidet Rondolet.*c.2.de maniæ curatione.*

Morbo in declinationem tendente, per nares excrementa euacuabimus aquâ mulsâ attractâ cum betæ ſucco. Paulus etiam iubet aſſumere quotidie ʒ.j.pulueris radicis brioniæ, ex cuius aſſumptione maximum ſequitur commodum. Balneum præterea aquæ dulcis tepidæ ab omnibus commendatur, & caput aquâ frigidâ irrigare eo tempore,quo caput calidum perſentiatur.

Quod ſi exiſtimes,hunc morbum à calida,& ſicca intemperie ortum ducere ſine humoris conſortio, præter extractionem ſanguinis, & expurgationem eiſdem & aliis auxiliis refrigerantibus, & humectantibus, eademque victus ratione eſt vtendum.

Si verò per conſenſum fuerit genitus morbus, affectu primigenio curato, ipſe quoque ceſſabit; quod ſi in cerebro aliquid iam factum, & independens ſit,dictis iam remediis localibus curabitur.

## §. III.

### *Curatio rabiei.*

QVoniam hydrophobia habet aliqua, quæ in aliis maniæ differentiis non reperiuntur,ideò de illius curatione ſeorſim eſt agendum. Inſtituta ergo victus ratione,quæ corpus humectet,& refrigeret, cùm homo incidat in rabiem, ob morſum animalis,conſulit Galen. *de theriaca ad piſonem c.16.*vulnus inflictum curare non ſimpliciter,vt quidam faciunt,ſed potiùs carnem circumquaque auferemus,ipſumque maius illicò faciemus,& ne facilè cicatricem obducat, & quadraginta dierum ſpatio ad minùs perſeueret,ad rotunditatem redigemus, nam vlcera rotunda difficiliùs coaleſcunt,vt notat Celſus; quo tempore rabidi canis venenum ab vlcere manabit, quod quidem ſcalpello diuidere, ac dilatare, ipſumque ſcarificare poſſumus, vt ſanguinis multùm effluat;deinde ferramentis valde ignitis inurere vlcus oportet, & medicamenta admouere attrahentia, quæ intra carnem venenum manere non ſinant; in quem vſum conferunt cucurbitulæ ſupra ipſam partem appoſitæ, & cepæ, aut allia contrita,mercurijque puluis,quibus vulnus irritatur,diuque apertum ſeruatur.Theriaca roſaceo emollita ſupra vulnus impoſita venenum ad ſe allicit,& interius aſſumpta præſentaneum remedium eſt,vt expertus eſt Galenus. Quidam ſenex morſos à cane rabido curabat ſola oxalide;nam vlcus decocto illius perfundebat,& herbâ integebat, & de ipſa bibendum dabat,& hoc pharmacum ipſe mille laudibus extollebat, vt inquit Aetius,qui etiam teſtatur, neminem vidiſſe aquæ timore correptum,ſi continuis primis tribus diebus theriacam

A aſſumpſiſſet nucis auellanæ magnitudine,ad quod etiam vtilis eſt terra lemnia in vino epota,& vlceri cum aceto impensè acri impoſita, quæ etiam ad vlcera maligna prodeſt,ex Gal.*9. ſimpl.c. de differentiis nominatæ paſſim terræ.* Idem efficit ſaliua humana.Nigella,& gentiana maximè ab Auic.laudantur:camedryos item,& ſcordium,ex quibus decoctis cum floribus cordialibus potum parabis, quem manè ieiuno ventre aſſumat æger cum ℈.ij. theriacæ magnæ,aut mithridati, & ℈.j.terræ ſigillatæ,quo vti poterit aliquibus diebus.Quidam etiã hepar canis rabidi coctum commorſo præbent,aut ipſum aſſatum,ac datum cum modico oleo,& ſale. Cinis etiam capitis canini illitus vulneri ab aquæ pauore tuetur,ex Plinio *29.naturalis hiſtoriæ,c.5.* Alia quamplurima ab Authoribus traduntur, quæ apud Auicen.Aetium,& alios legere potes, quorum cateruam in præſentia omittimus.

B Tranſactis aliquibus diebus, ſi ſcire cupis,an æger liber euadat, vlcus nucibus regiis leuiſſimè tritis intege;ſequenti verò die ſolue,& cataplaſma gallinæ,aut gallo edendum obiice: quod ſi ex eius eſu moriantur,venenum adhuc in parte eſt imbutum,& curatione indiget,donec ex tali eſu gallina incolumis perſeueret; quo tempore licebit etiam cicatricem inducere, & in totum vulnus curare, ex Aetij conſilio.

Aduertere tamen oportet circa ſanguinis miſſionem,quod in principiis non eſt facienda,vt optimè aduertit Auic.*fen.6.lib.4.tract.4.cap.9.* nam per ſanguinis miſſionem venenum ad interiora defertur,quod ideò fit,quia cùm ſimul cum ſanguine ſpirituum vitalium maxima copia euacuatur: arteriæ exinanitæ magis dilatantur,vt aëris maiorem copiam ad ſpirituum regenerationem attrahere C poſſint, & ſimul cum aëre venenum ad interiora reuocant. *An in rabie ſit ſanguis mittendus.*

Non tamen hoc fit,vt aliqui cenſent, quia per venæ ſectionem humores ad intra recurrunt; nam ſequeretur, quod in affectibus cutaneis tale remedium non poſſet adhiberi, ſiquidem in illis humores ad extra propellere tentamus; quod haudquaquam fieri poſſet per ſanguinis miſſionem. Procedente verò tempore,ſi ad fuerit neceſſitas, ſanguinem mittere poteris, & pharmacis expurgantibus humorem noxium expurgare, ex eiuſdem Auic. conſilio.

Balnea, & reliqua humectantia vtiliſſima cenſentur. Aetius laudat potum aquæ frigidæ, quammaximè enim hunc corrigit morbum, vt refert in hiſtoria Philoſophi, dicens: *Philoſophus quidam morſus à rabioſo cane, & generoſo animo affectioni* D *reſiſtens,& in conſequens ratus canem in balneo apparere,ſecum ſic loquutus fuit:Quid cani,& balneo, commune eſt? Qui cum citra timorem bibiſſet,ſuperauit* affectionem,& ſanatus eſt.Nec me latet,plurimos reperiri homines ſuperſtitionibus addictos, qui inſufflatu,& incantationibus,& remediis ineſficacibus, & imprecationibus morbum hunc auferre tentant,quibus etiam in aliis morbis vtuntur, declinantes à remediis naturalibus,& ſuis ſermonibus alios decipientes, quorum verbis fidem adhibent: ſed horum examen ad Theologos potiùs, quàm ad Medicos ſpectat; ad alia igitur ſermonem transferamus.

Dicam tamen in calce capitis, quod contigit in populo, quo natus fui, qui dicitur *Huerta de Rey*, diœceſis Oxomenſis. Dum eſſem puer, lupus quidam rabie correptus hominem momordit,Cúmque ipſe,vel ſui nihil de ſua ſalute curarent,neque venenum in vulnere inflictum detraherent,homo ille denique ſigna habere cœpit, quæ illius oſtendebant rabiem, & ne alios læderet,eum in cubili occlu *Obſeruatio notanda.*

occluſum permanere fecerunt, in quo magnam alliorum copiam reſeruatam habebant. Ille ergo rabie percitus, allia in multa quantitate comedit, quibus ſalutem inopinatè recuperauit. Quod autem allium comeſtum rabientibus prodeſt, docet Dioſc. *lib.* 2. *cap.* 141. in quo omnes conueniunt; qui effectus non poteſt reduci ad qualitates manifeſtas allij, quoniam ipſæ potiùs vim illius veneni adaugere debent; ſed ad proprietatem occultam, ſeu ſpecificam, quâ qualitati veneficæ obſiſtit. Erat enim homo ille ruſticus, & alliorum eſui aſſuetus; quare ex eorum immodico vſu nullam perſenſit noxam.

## CAPVT XIX.

### *De conuulſione.*

NOn minùs ac in aliis morbis ad huius morbi naturam inneſtigandam, ab eius definitione exordium ſumere expedit, quæ facilè ex verbis Galeni 3. *de locis affectis, cap.* 6. colligi poteſt, vbi aſſerit, quod omnis motus, qui à voluntate procedit, attractis muſculis in eas, in quibus innaſcuntur, partes fieri videtur; neque poteſt fieri attractio, niſi ad ſuam originem retrahatur muſculus. Conſtat conuulſionem in partibus conuulſis factam hac ſola ratione à motu voluntario differre, quòd præter voluntatem noſtram fiat. Ex quibus, & aliis à Galeno, & aliis Authoribus adductis talis deſcriptio de hoc morbo aſſignatur.

*Conuulſio quid ſit.* Conuulſio eſt retractio inuoluntaria muſculorum verſus ſuam originem, ab inanitione, & repletione procedens. Hæc definitio datur per ſymptomata, & cauſas, quæ etiam ſigni rationem habet, per quæ facilè hunc morbum ab aliis diſtinguimus. Inter motus, & opera, quæ tantùm à morbo procedunt, annumerat Galenus conuulſionem, & palpitationem 2. *de cauſis ſympt. cap.* 1. Ex quo infertur, *Quibus modis accipiatur conuulſio.* quod conuulſio aliquando ſumitur pro morbo, aliquando pro ſymptomate morbum inſequente; nam retractio illa muſculorū, dicitur conuulſio, & morbus à quo talis retractio procedit, etiam conuulſionis nomine gaudet. Quod autem huiuſmodi retractio vi morbi tantùm fiat, probat Gal. *de rigore, tremore, & palpit. c.* 8. & 3. *de locis, cit.* exemplo chordarum, quæ ab ambientis humiditate, & ariditate contrahuntur ſine alicuius facultatis adminiculo. Verba eius ſunt hæc: *Etenim, ſi videris aliquando neruoſa corpora, vt lyræ chordas, ob ambientis aëris immodicam intemperiem adeò vehementer, vt rumpantur, intentas, non difficulter intelliges idem in animantis quoque neruis poſſe contingere.* Sed quâ ratione id aër efficiat, iam percipies; nam tenduntur chordæ, ſi aër humidus, vt auſter, madefacit ipſas, qui in poris imbibitur, & in tumorem eas attollit, quæ cùm contrahantur, facillimè diſrumpuntur, quia propter extenſionem latitudinalem adquiſitam longitudinem neceſſariò amittunt. Si verò aër nimis aridus ſit, chordas etiam trahit, ac tendit, vt patet in loris, quæ cùm ad ignem exſiccantur, contrahi, tendique videntur. Simili modo cùm nerui, & muſculi contrahuntur, ſimilem affectionem patiuntur, quia ab humoribus replentur, & in tumorem præter naturam attolluntur, aut à rebus calidis, & ſiccis illos exſiccantibus (vt loris, & corrigiis igni appoſitis accidit) ipſi etiam corrugantur, & contrahuntur. Quæ omnia fiunt nobis inuitis, nullaque operante virtute naturali, aut animali motiua; & hanc ob cauſam huiuſmodi retractio dicitur in definitione, quod ſit inuoluntaria.

*Argumentum primum contra dicta.* Contra dicta tamen obiicere potes primò; nam A chordæ, & loræ non contrahuntur magis verſus vnam partem, quàm verſus aliam, niſi pro maiori applicatione cauſæ contrahentis in hanc quàm in illam partem: ergò ſimili modo nerui, & muſculi pro cauſæ applicatione contrahi debent, & non versùs ſuam originem.

*Argumentum ſecundum.* Secundò, talis retractio fit etiam naturâ operante, vt conſtat in epilepſia, quæ eſt quædam conuulſio, in qua natura operatur, vt omnes concedunt.

*Argumentū tertium.* Tertiò probatur ex Hippocrate *lib. coacarum prænot.* vbi ait: *Quibus tempora ſecantur, conuulſio ex contrariis partibus ſectioni oboritur.* Quæ conuulſio, vel retractio cùm à ſectione fieri non poſſit, neceſſariò ab ipſa natura fieri debet.

*Vltimum argumentum.* Vltimò probatur in conuulſione canina; nam ex eo, quòd relaxetur vna pars faciei, altera retrahitur, abſque eo quod pars retracta morbum aliquem patiatur, & ſic tota illa retractio in naturam, tanquam in cauſam reduci debet.

*Ad primum reſponſio.* His tamen reſpondetur. Ad primum, quod loræ contrahuntur iuxta cauſæ applicationem, quia B nullum aliud habent à quo contrahantur, principium: at nerui, & muſculi, quamuis à cauſa morbifica contrahantur, ideò verſus originem talis retractio fit, quia naturaliter inclinantur ad illam, vt docet Gal. 1. *de motu muſcul. c.* 8. vbi ait: *Flectuntur muſculi ab ipſo muſculorum internorum corpore in ſeipſum natura conſidente.* Ibi enim agebat Galen. de retractione muſculorum inuoluntaria, quæ retractio fit à morbo verſus originem, propter inclinationem membri, & vnionem cum ſua origine, vt etiam *c.* 9. ipſe Galen. teſtatur. Impeditur enim retractio ad aliam partem propter connexionem partis conuulſæ cum ſua origine.

*Ad tertium, & vltimum.* Ad ſecundum reſpondetur, in epilepſia non dari veram conuulſionem, ſed motum conuulſiuum, quem etiam latâ ſignificatione conuulſionem appellat Galen.

Ad tertium, quod in muſculi temporum ſectione in alia parte contraria fit retractio naturaliter, C quia naturaliter membra vnionem inter ſe, & cum ſuo principio expoſtulant; quæ tamen retractio ob ſimilitudinem dicitur conuulſio. Et idem dicendum eſt ad quartum; nam in conuulſione canina, ex vi relaxationis vnius partis, muſculi alterius retrahuntur, ob naturalem inclinationem, quam habent ad ſuum principium; quæ retractio potiùs eſt accidens, quod ex vi prioris morbi conſurgit, quàm conuulſio.

*Quod ſymptoma ſit conuulſio.* Sed dubitant Authores, ſub quo genere ſymptomatis comprehendatur retractio; videtur enim, quod ſit actio ablata facultatis animalis motiuæ, cùm vt dictum eſt, nullo modo operetur. Vlteriùs quamuis in fieri retractionis detur aliqua actio, tamen in illius termino nulla poteſt reperiri; nam mobile in termino quieſcit, vt Philoſophus aſſerit.

*Conuulſio eſt actio deprauata facultatis animalis.* Nihilominus aſſerendum eſt, huiuſmodi retra- D ctionem eſſe actionem deprauatam, vt docet Galenus 2. *de cauſis ſympt. cap.* 1. & *de rigore, tremore, & palpitat. cap.* 2. vbi illam motum vitioſum inſtrumentorum appellat. Et *cap.* 4. id comprobat exemplo auis, quæ in aëre quieſcens, ab actione non deſiſtit. Verba eius ſunt hæc: *Aues non modò ſurſum, & deorſum tendentes, ſed etiam locum vnum in aëre occupantes, in motu tunc quoque eſſe cenſebuntur; nam ſi in eo loco mortuum auis corpus ſitum fuerit, facilè ad terram decidet pondere ſuo declinans.* Quapropter ibi neceſſariò aliqua actio debet dari, quæ illud corpus in aëre detineat. Ita ſimiliter præſente conuulſione, ab ipſa membrum retractum in eodem ſitu, & poſitione conſeruatur; quæ actio cùm non ſit abolita, vt patet, nec dimi-

nuta, quia magis quàm decet membrum retrahit, & retractum conſeruat, ideo ſub deprauationis genere comprehenditur; quod etiam inſinuauit Galen. *de different. ſympt. cap. 3.* vbi conuulſionem appellat vitioſam mobilitatem, & aſſerit, eſſe ſymptoma facultatis motricis, non quia ab illa facultate fiat, cum probatum ſit, quod ſolùm fit à morbo; ſed quia ad eius inſtrumentum & illius motũ pertinet.

*A quo morbo procedit conuulſio.*

Sed à quo morbo talis actio excitetur, nondum conſtat. Iobertus confundit conuulſionem cum motu conuulſiuo, cuius fundamentum deſumitur ex Galen. *de different. ſymptomat. c. 11.* vbi ait: *Ruptio autem, & conuulſio ex eodem genere ſunt.* Vbi Galenus reducit conuulſionem ad ſolutionem continui, ex qua ſuboriri ſolet motus conuulſiuus: & ſtatuens iſte Author conuulſionis cauſas, ſic inquit: *Ego vnicam ſtatuo, punctionem, mordicationem, aut arroſionem, quæ ad continui ſolutionem haud dubiè refertur, vt morbus à quo proximè pendet.* Sed hæc cauſa potiùs motum conuulſiuum, quàm conuulſionem producit, & in hoc ſenſu eſt intelligendus Galenus, dum ad ruptionis genus conuulſionem reducit, vt actum eſt *c. de epilepſia.*

Aliâ viâ incedit Valleſ. 5. *controuerſ. c. 17.* vbi aſſerit, quod conuulſio ex inanitione, & repletione differunt genere, quamuis propter ſimilitudinem ſymptomatum à Medicis ſub vnico nomine comprehendantur; nam conuulſio ex repletione eſt morbus in compoſitione, propterea quod in ipſa pori dilatantur, vt ex Galeno adduximus *3. de locis, c. 6.* vbi aſſerit, quod nerui, & muſculi in tumorem attolluntur, & ſic talis conuulſio eſt morbus in magnitudine adaucta. Conuulſio verò ex inanitione in temperamento conſiſtit; nam ex ſiccitate contracta membrum corrugatur, & conuellitur, & nihil aliud poſitiuè ibi datur, à quo poſſit dependere. Sed hoc tranſigi non poteſt ſine controuerſia, quapropter inquirendum eſt.

## §. I.

### *Quæ ſint conuulſionis cauſæ.*

EX dictis conſtat, omnem conuulſionem fieri ex repletione, aut inanitione, quemadmodum & ſingultus, vt docuit etiam Hippocrates *6. aphoriſmor. textu 39.* & Galenus ſuper eundem locum, & alibi millies. Conuulſionis cauſas annumerat Auicenna dicens: *Et materia quidem ſpaſmi ſecundùm plurimum eſt phlegmatica, quandoque melancholica, quandoque ſanguinea.* Et paulò poſt ait: *Et non eſt quidem longinquum, quin ſit ſpaſmus eueniens à ventoſitate inflatiua, & ſpiſſa.* Vbi quatuor cauſas annumerat, inter quas frequentior eſt pituita; nullamque fecit mentionem bilis, quia rarò, aut nunquam ab illa progignitur.

*Prima opinio.*

Quâ verò ratione fiat ex inanitione, examinare oportet. Aliqui probare intendunt, non fieri à ſiccitate poſitiua, hoc ducti argumento. Nam ſi fiat propter ſiccitatem, non oportet pati partem ſubſtantiæ defectum, ſeu conſumptionem; ſiquidem ſiccitas à cauſa exſiccanti, ſine tali conſumptione produci poterit: cuius contrarium oſtendit Galenus, & experientia comprobat; & hanc ob cauſam talis conſumptio difficilè, aut nunquam curatur. Prætereà hectici, & maraſmo affecti, maiori ſiccitate conſtant in neruis, & muſculis; & tamen non patiuntur conuulſionem. Ergo talis conuulſio non poſt fieri à ſiccitate poſitiua.

*Secunda opinio.*

Quod verò à ſiccitate priuatiua, ſeu defectu ſubſtantiæ nõ poſſit oriri, etiam probatur; nam effectus poſitiuus requirit cauſam poſitiuã: ſed ſiccitas priuatiua, aut defectus ſubſtantiæ non ſunt cauſæ poſitiuæ: ergo talis effectus non poteſt ab illis oriri.

*Tertia opinio.*

Alij dicunt, huiuſmodi retractionem fieri gratiâ vitandi vacuum; cùm enim ſubſtantia abſumatur, aliæ partes retrahuntur ad implendum illud vacuum a partibus abſumptis derelictum, & ad ſeruandam continuitatem inter ſe.

*Vera concluſio.*

His tamen non obſtantibus vera eſt Valleſij ſententia, quæ aſſerit, conuulſionem ex inanitione à ſiccitate poſitiua procedere, eiuſque naturam in intemperie ſicca conſiſtere. Quam etiam tuetur Petrus Garcia, faciléque defendi poteſt, ſi inueneri-mus modum, quo ſiccitas retractionem producere valet; quam quidem efficit producendo denſitatem. Ad cuius intelligentiam ſupponere oportet, quod ſicut raritas prouenit à calore, & humiditate, vt videre eſt in pueris, & docet Galen. *de optima ſecta ad Traſib. c. 26.* ſic denſitas à ſiccitate, & frigore ortum habet, vt videre eſt in ſenibus; hacque ratione probat Philoſophus, terram eſſe frigidam, & ſiccam, quia habet denſitatem ſibi adiunctam, per quam partes inter ſeſe magis vniuntur, ſicut per raritatem magis ſeparantur, & denſa omnia ſunt ſicca, vt patet in auro, plumbo, & ferro, & aliis, vt docuit Ariſt. 4. *Phyſic. cap. 9.* quæ paruos, & exiguos poros habent, quod eſt de ratione denſi, vt probat Galen. 2. *de ſanit. tuenda, cap. 5.* quod definitur à Diuo Thom. 3. *parte, quæſtione 77. art. 2. ad 3.* dicens, quod denſum eſt, quod ſub parua dimenſione multùm habet materiæ; rarum verò, quod ſub magnis dimenſionibus parùm materiæ habet. Quod etiam inſinuat Ariſt. 1. *Phyſicorum.*

*Denſum, & rarum quid ſint.*

Cùm igitur ſiccitas producat denſitatem, per quam pori minores fiunt, & quantitas magna per illam ad minorem dimenſionem reducitur; ſic in conuulſione ſiccitas producendo denſitatem idem efficere valet; & hoc modo partes vnit, & retrahit ſine aliarum cauſarum interuentu.

*Obiectio.*

Sed inſtabis: Ex ſuperflua euacuatione conuulſio, aut ſingultus excitatur, abſque eo quod aliquam cauſa exſiccans poſitiua præſens ſit, à qua initium ſumat: ergo non ſemper à cauſa ſicca conuulſio producitur ex inanitione. Nam per talem euacuationem, etiamſi cum humoribus ipſæ partes humidiores euacuentur, non tamen ſequitur, quod ex earum defectu illud, quod remanet, ſiccius appareat.

*Reſponſio ad illam.*

Reſpondetur, ibi remanere partes ſiccas, quæ in humidarum defectu magis eluceſcunt, à quibus denſitas producitur, & partium retractio, quæ anteà non producebatur, quia partes humidæ, & calidæ illius productionem impediebant; deficientibus verò illis, facilè talis inſurgit effectus, qui partium defectus eſt neceſſaria conditio ad huiuſmodi morbum progignendum, & ſic partes per denſitatem minorem locum occupant, & in ſe retrahuntur.

*Alia obiectio.*

Sed iterum inſtabis: Illa partium ſiccitas eſt naturalis, quia ab intrinſeco procedit: ergo non poteſt eſſe cauſa morbi, nam morbus eſt quid violentum, cuius principium debet eſſe foris, id eſt extrinſecum, in quod nihil id, quod agit, aut patitur confert, vt docet Ariſt. 3. *Ethic. c. 1.*

*Reſponſio.*

Reſpondetur, quod violentum abſolutè habet duo, & quod ſit à principio extrinſeco, & quod ad illud nullam habeat patiens inclinationem, vt definitionis illius verba declarant: at violentum ſecundùm quid poteſt prouenire ab intrinſeco principio, etiamſi ratione alicuius cauſæ extrinſicæ fiat, vt patet in ſenſatione doloroſa, quæ procedit ab intrinſeco, & eſt naturæ violenta, quatenus præ-requirit obiectum dolorem inferens extrinſecum.

*Violentum duplex.*

Et quia iſte morbus non eſt violentum abſolutè, ſed ſolùm ſecundùm quid, ideò poteſt prouenire, &

dima

dimanare à principio interno. Dicitur tamen violenta,quatenus prærequirit cauſam externam violentam, & contra naturam,à qua excitetur; & ſic eſt contra ſubiecti naturalem inclinationem.

*Ad opiniones reſpondetur.*

Ex his facilis eſt ad argumenta reſponſio. Ad primum reſpondetur,quod humidæ ſubſtantiæ defectus prærequiritur, vt conditio neceſſaria ad hunc morbum,etiamſi fiat à ſiccitate poſitiua.

*Ad ſecundam.*

Ad ſecundum reſpondetur, ſiccitatem in hecticis eſſe æqualem in omnibus partibus proportionaliter,& ſic non fit,nec poteſt fieri retractio verſùs vnam partem, nec versùs aliam, vt diximus *cap. de paralyſi.*

Ad aliud de vacuo reſpondetur, quod illud vacuum faciliùs poterat repleri ab aëre circunſtanti, vel ab alia ſubſtantia tenui, quæ loco deperditi ſuccederet, vt patet in benè valentibus, in quibus dum per poros expellunt fuligines,ſtatim aliæ ſuccedunt,vel aëre adimplentur,ne detur vacuum.

Inter conuulſionis cauſas conſtituit Auic. calorem, & frigus abſque materia; nam calor conſumendo, & reſoluendo ſubſtantiam humidam, ex accidenti producit ſiccitatem, & conſequenter conuulſionem ex inanitione. Frigus verò illam producit,quatenus congregat, & vnit partes inter ſe,illas condenſando,& conſtringendo; quam cauſam adduxit Hippocrat. 5. *aphor. textu* 17. vbi ſic: *Frigidum diſtenſiones,conuulſiones, &c.* Quæ conuulſio ex frigore non poteſt comprehendi ſub illa generali propoſitione,dum dicimus: Conuulſio fit ex repletione,aut inanitione, cùm nihil ſubſtantificè adquiratur,nec deperdatur;nam ibi ſolùm adducuntur cauſæ conuulſionis frequentiores.

Meminit præterea Auic. ſpaſmi non proportionati ad materiam; quod idem eſt, ac ſi diceret, conuulſionem aliquam eſſe,quæ neque ex defectu, neque ex redundantia fieret,vt cùm membrum irritatur,& fit motus conuulſiuus, qui largâ ſignificatione conuulſio vocitatur.

*De conuulſionum ſpeciebus.*

Tres conuulſionum ſpecies annumerat Gal. 3. *de locis,cap.*7. Emproſthotonos, quando caput ad pectus, ſeu ad anteriora retrahitur. Opiſthotonos,quando ad ſpatulas, ſeu poſteriora. Tetanus, quando ad nullam partem retrahitur caput,ſed rigidum manet. Quæ ſpecies, vt frequentiores, & tanquam per exempla adducuntur.

*An tetanus ſit conuulſionis ſpecies.*

Sed circa tetanum eſt difficultas, nam conuulſio eſt retractio verſus originem; ſed in tetano manet membrum rigidum,nam nerui,& muſculi oppoſiti æqualiter afficiuntur, ita vt caput non poſſit retrahi magis verſus vnam partem, quàm aliam: ergo cùm nulla fiat retractio, tetanus non eſt inter conuulſionis ſpecies conſtituendus.

Nihilominus ſtatuendum eſt, tetanum eſſe veram conuulſionem, vt tenent ferè omnes, inter quos Paulus *lib.* 3.*cap.*20.vbi ait: *Tetanus eſt quædam conuulſio.* Et Gal.4. *aphor.comm.*57. inquit: *Eſt quidem diſtenſio, græcè tetanus, neruorum conuulſio.*In quo etiam conueniunt Actius,& Auicenna.Quæ doctrina ex dictis ſuaderi poteſt;nam conuulſio eſt actio inuoluntaria,ſimilis tamen voluntariæ; ( ſolùm enim in principiis differunt :) ſed actio voluntaria aliquando fit ſine motu: ergo ſimiliter inuoluntaria fieri poterit ſine illo.Maior patet,& ab omnibus accipitur.Minor probatur facilè in brachio, aut alio membro voluntariè retracto, quod ſic per actionem conſeruatur ſine motu; & in auribus, quæ in aëre quietæ permanent, & ſine motu detinentur. Ita ſimiliter in tetano contingit, in quo quamuis non fiat retractio per actionem motiuam, fit tamen talis retractio per actionem, quâ membrum ſine motu taliter conſeruatur; & ſic tetanus veræ conuulſionis nomen adipiſcitur.

*Quæ ſit pars affecta.*

Ex conuulſionis definitione claret, partem affectam eſſe muſculos: quod clarè oſtendit Gal. 3. *de cauſis ſympt. cap.* 2. vbi agens de ſingultu, ait: *Singultus in totum conuulſio non eſt, quæ ſolis accidit muſculis.* Et Auic. inquit, quod conuulſione mouentur lacerti ad ſua principia, & fiunt inobedientes ad motum; eſt enim muſculus inſtrumentum facultatis motiuæ,& ex illius vitio vitiatur etiam facultatis motus.Quapropter requiritur, quod muſculus patiatur per ſe,vel per conſenſum; per ſe enim neruum pati contingit,& ad illius vitium conuulſionem reduxit Galen.1.*de cauſ.ſympt. c.*8.& *de tremore,& palpit. cap.*5. & alibi millies. Cuius ratio eſt in promptu; nam cauſa poteſt neruum afficere,& illum retrahere, ſi humor in illius poris imbibatur,ſicut retrahitur muſculus,ex cuius retractione neruus etiam contrahitur, ſaltem per conſenſum; & hanc ob cauſam in definitione de muſculis ſolùm fuit mentio facta. Cum hoc tamen nullus committeretur error,ſi conuulſio neruorum, & muſculorum retractio appellaretur,& hoc modo illam definiunt Iobertus Delphinas, Vega, & alij.

*De ſignis conuulſionis.*

Ex iis, quæ dicta ſunt, facilè conuulſionem ex repletione, ab ea quæ ex inanitione fit, diſtinguimus,& ex modo fiendi, vt oſtendit Gal. 2. *aphor. comm.*26. dicens: *Si homo ſanus repentè conuellatur, huiuſmodi conuulſionem neceſſe eſt fieri repletione.* Replentur autem nerui frigidis ac glutinoſis humoribus.Similiter ſi temulento cuipiam homini,ac omninò pleno, qui videlicet in otio degit, id euenire conſpexeris,à repletione ortum habet conuulſio,ex Galeno 3. *de locis,cap.*6. At ſi conuulſio fiat à labore,vigiliis, fame, ſolicitudine, vel arida, æſtuanteque febre, aut ab aliqua euacuatione immodica, cauſam eius eſſe inanitionem, aut ſiccitatem rectè putaueris,ex eodẽm Galen. *locis citatis.* Quod ſi à frigore ortum ducat, ex his, quæ præceſſerunt, diſcere potes; ex externa ſcilicet refrigeratione,aëre frigido,regione frigida,& decubitu ſupra locum frigidum.

*Præſagium.*

Conuulſio ex inanitione difficiliùs curatur, quàm ea quæ fit ex humorum abundantia,ex Gal. 5.*aphor.comm.* 1.ita vt aſſerat Hippoc. *eodem libro,* quod conuulſio ex vulnere, ex ſanguinis fluxu, & ex alia quauis euacuatione ſuperflua,eſt mortalis; quod idem eſt ac ſi dixiſſet,quod eſt valdè periculo plena, vt Gal. exponit. Aliquando enim curaui amicum meum quendam preſbyterum, cui ex ſuperflua euacuatione per vomitum facta fuit retractum caput ad anteriora, brachia, & crura, & omnes digiti conuulſi; qui circa omnes habens ſalutem deſperatam,adhuc incolumis viuit. Præterea ſi febris conuulſioni ſuperueniat, melius eſt, quàm febri conuulſionem,ex Hipp. 2. *aphor. text.* 26. Quod ſi æger tetano laboret, quatuor diebus perit; ſi verò hos effugerit, liberatur, ex Hipp. 5. *aphor.*Tandem mulieres faciliùs quàm viri,& pueri quàm iuuenes, ob frigiditatem conuelluntur,& ſimiliter ſenes,qui propter naturalem frigiditatem, & virium defectum difficilè ſalutem recuperant.

*Nota hiſtoriam.*

## §. II.

### *Curatio conuulſionis.*

CVm frequentiùs cõuulſio ex repletione,quam nunc curare intẽdimus,& ab humoribus frigidis,& craſſis ortum ducat,ad illius curationẽ aër ad calidum,& ſiccum vergẽs eligatur,aut talis arte paretur ſuffumigiis,&odoratis rebus in cubili ſuc-

cenſis, & ex Celſi præcepto, in cubili, in quo iacet æger, ignis eſſe debet: & Hipp. *lib. de locis in homine*, iubet ignem ſuccendere ab vtraque lecti parte.

Somnus moderatus eſſe debet, frequentibus vtatur frictionibus, præſertim ante cœnam, & prandium; partes tamen conuulſæ in quiete ſunt ſeruandæ, ex Pauli conſilio, & ne ad illas maior fiat attractio, venter leniendus eſt enemate ex aqua mulſa, ſucco betæ, aut decocto mercurialis, maluarum, hyſſopi, & pulegij, cum hiera logodionis, melle, & ſale, quibus, & aliis enemata parari poſſunt. Euitentur animi paſſiones, quamuis iram excitare non erit abs re.

Alimenta vſque ad ſeptimum diem debent eſſe tenuia, vt aqua mulſa, ptiſanæ ſuccus, oua ſorbilia, aut ius pulli, quibus tranſactis confert caro pulli, turturis, caponum, phaſianorum, perdicis nouellæ, & paſſerculorum montanorum, quæ tamen aſſa magis eſt ex vſu. Potus ſit aqua mulſa ex origani, aut radicis chinæ decocto, aut aqua cinnamomi. A vino præcipuè circa initia omnino ſe abſtineant.

*De vena ſectione in hoc morbo.*

Deinde ſi vires conſtent, & ſanguinis adſit abundantia, & eius cauſa ſit humorum repletio, & vini potatio, ſtatim ſanguinem detrahes in maiori quantitate. Verùm ſi horum non ſit plethora, & redundent humores frigidi, talem euacuationem partiri melius eſt, & minutam efficere, ex Auic. quam efficimus ex latere ſano; in tetano verò ex vtroque ſimul, quia eſt acutiſſima affectio, & citam remediorum admotionem expoſtulat. Et vt inquit Auic. non extrahas totum, quod neceſſarium eſt ex ſanguine; accidentibus etenim eſt aliquid relinquendum. Prætereà humor parandus eſt ad expurgationem ſyrupo ſtœcados, de fumaria, acetoſo, rhodomelle, & borraginis, cum aqua mulſa, fœniculi, radicis chinæ, aut decocto lauendulæ, pulegij, betonicæ, & ſaluiæ; deinde eſt euacuandus pillulis de agarico, aut fœtidis, additis ℈.ij. agarici, vt ℞. maſſæ pill. fœtidarum ʒ.j. agarici trochiſcati ℈ij. cum melle roſaceo perſico, formentur pillulæ. Aut potu, vel morſellis, quorum formam deſcripſimus capite de dolore capitis ex humore pituitoſo, & melancholico, & capite de epilepſia: quâ euacuatione ſemel factâ non ſis contentus, ſed per interualla eam repetere licebit; eſt enim humor craſſus, frigiduſque, & vnica euacuatione euacuari nequit.

*De topicis auxiliis.*

Topica remedia habeant vim calefaciendi, exſiccandi, & extenuandi. In primis partes conuulſæ ſunt fouendæ oleo laurino, irino, & de caſtoreo, aut hoc vnguento. ℞. vng. marciaton. & Agrippæ, ana ℥.j. olei vulpini, & laurini, ana ℥.j.ß. pulueris euphorbij, caſtorei, galbani, & opoponacis ana ℈. ij. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum, quo pars conuulſa, & dorſum inungantur, & lana ſuccida obtegantur. Laudant etiam practici cati, & anſeris pinguedinem, quæ ſic parari poteſt. ℞. catum in multas partes diuiſum, & intra ventrem anſeris ponatur; chamedryos, & chamepiteos ana p.j. aſſæ fœtidæ, & caſtorei ana ʒ.ij. omnia in anſeris ventrem immittantur, cuius dum aſſatur, ſeruetur pinguedo, quâ membrum, & dorſum inungantur. Confert etiam oleum antiquum, in quo vulpes ſit elixa. Cucurbitulæ cum ſcarificatione locis affectis ſunt affigendæ, vt iubet Aëtius, quæ ſine ſcarificatione partibus oppoſitis admoueantur, vt aſſerunt Rondelet. & Vega. Aqua vitæ eſt etiam vtilis, ſi ipsâ pars conuulſa abluatur, & oleis & vnguentis miſceatur, vt ocyùs penetret. Conferunt etiam errhina, maſticatoria, & oris collutiones, quorum copiam inuenies *cap. de lethargo.* Frictio dorſi, & partium conuulſarum poſt vniuerſales euacuationes eſt accommoda: ſimiliter balneum, in quo ſint decocta fœnugræcum, ſaluia, camemalum, ſtœcas, ros marinus, ruta, melilotum, & pulegium, & emplaſtra reſoluentia adducta capite de paralyſi. Expedit etiam aliquibus diebus ieiuno vẽtre aſſumere ℈.j. caſtorei, cum aqua mulſa, aut fœniculi, aut ʒ.j. theriacæ, aut mithridati, cum eadem aqua, aut modico vino.

*An liceat excitare febrem in conuulſione.*

Aliqui etiam conſulunt, quod febris excitetur, quæ ſolet hunc morbum curare, vt diximus ſuprà ex Hippocrat. doctrina. Neque mirum, inquiunt, vt morbus morbo curetur, ita vt Celſus *lib. 3. c. 9.* doceat febrem intenſam producere, vt febris lenta, quæ ab humoribus frigidis oritur, auferatur, & humores à febris intenſiori calore citiùs abſumantur: & Vega adhibet remedia ad febrem excitandam in conuulſione. Exiſtimat enim, febrem conuulſioni ſuperuenientem ab ipſa liberare, vt innuit Hippoc. *lib. de locis in homine*, dicens: *A conuulſione ſi febris inuaſerit, ſedatur eadem die, aut ſequenti, aut die tertia.* Et 4. *aphor. text.* 57. ait: *A conuulſione, aut diſtenſione neruorum vexato febris ſuperueniens morbum ſoluit.* Quorum doctrina fundamentis non caret; ſiquidem conuulſioni adhibentur remedia calefacientia, & exſiccantia; febris autem eſt huiuſmodi, ſiquidem eſt paſſio calida, & ſicca. Prætereà Medicus eſt imitator naturæ: ſed natura curat conuulſionem per febrem: ergo Medicus febrem excitando illam curare debet.

Horum tamen ſententia non poteſt ſuſtineri, ideoque contraria à nobis eſt amplectenda, quam tuetur Valleſ. 8. *controuerſ. c.* 10. nam ſi febris excitetur, ſequuntur multa inconuenientia; qui enim conuulſione vexantur, habent humorum ſarcinam; & ſi illis adhibeantur calidiſſima remedia ad febrem diariam excitandam, facilè incidunt in febrem putridam, & malignam, qua fortaſsè peribit æger. Deinde morbi pendentes ab humoribus frigidis indigent euacuatione manifeſta per purgationem, quam impedit febris; nam ipsâ præſente licet expectare perfectam coctionem, & non quouis tempore expurgare, nec ſudores promouere, vt docet Galenus *de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, c. 9.* dicens: *Vbi crudi ſucci exſuperant, antequam morbus fiat cautè euacuabis; ſed vbi iam febricitant, nequaquam.* Cùm igitur præſente febre non poſſimus expurgare, non licebit febrem ſuccendere, ne à tanto remedio deſtituatur æger.

Vlteriùs febris vires deiicit, appetitum proſternit, ſitim auget, dolorem capitis, & totius corporis mouet, & alia mille incommoda affert, quæ in totum ſunt fugienda, præſertim cùm Medicus non poſſit eſſe ſecurus, an excitetur febris diaria, vel putrida ex calidorum admotione. Quapropter hæc cura vt temeraria eſt reiicienda, præſertim cùm tanta auxiliorum ſilua ab Authoribus proponatur, quibus hunc morbum deuaſtare poſſimus maiori cum ſecuritate.

Ad rationes ergo in oppoſitum reſpondetur, ad primam, febrem dicimus eſſe remedium familiare; non tamen licet ipſam ſuccendere, ob incommoda allata, cùm alia ſecuriora tradantur.

Ad ſecundam dicimus, quod Medicus eſt naturæ imitator; tamen ſicut natura non producit febrem, ita neque Medicus debet illam excitare, propter eandem rationem; nam febris eſt quid ab extrinſeco proueniens, vt alibi dicemus.

Paulus etiam reiicit vt temerariam eam curationem, quæ fit ex aquæ frigidæ perfuſione, de qua loquitur Hipp. 5. *aphoriſm. textu* 21. vbi ſic: *Eſt autem in diſtenſione ſine vlceratione, iuuene bene carnoſo, æſtate media, vbi frigidæ aquæ multa perfuſio calorem reuocat, calor autem hæc ſoluit.*

Balnea ſulphurea, & aluminoſa vtilitatem præſtant,

ſtant,& ſudationes ligni guaiaci,ſmilacis aſperæ,& radicis chinæ. Sudationes pari modo cum vinaceis vtiliſſimæ ſunt, ſi in ipſis quotidie manè, & ſerò duarum horarum ſpatio ſepeliatur æger,dummodò caput diſcoopertum maneat,vt liberè reſpiret. Voco autem vinacea, ſolidas vuæ reliquias, cùm in torculari ſuccus illius omnis expreſſus fuerit; ita enim appellantur à Galeno 2. *de aliment. facult. cap.* 9. quæ etiam vocant vini fæcem, quorum facultatem,& vtendi modum, apud Donatum Anton. ab Altom. ſcriptum inuenies; quo remedio vſus fui in quodam viro nobili manuum, & pedum conuulſione laborante,& benè ſucceſſit. Confert etiam partem fricare quinta eſſentia roris marini,aut elexir vitæ, vt extrahitur ab Alchimiſtis. Quod ſi à frigore ſine humoris conſortio inſurgat conuulſio,eiſdem remediis curabitur,exceptis vniuerſalibus euacuationibus.

*Vinaceorum vtilitas.*

*Obſeruatio.*

Solet etiam conuulſio ex repletione pendere ab inflammatione,quæ curatur ſanguinis miſſione,& aliis remediis inflammationi conferentibus; quorum copiam pete ex Galen. 13. *methodi*, *cap.* 19. & 14.*method.c.*2.& 3.

*Curatio conuulſionis ex inanitione.*

Siccam conuulſionem curare eſt perdifficile,quæ quidem curatio humectantibus perficitur. Alimenta ſint ptiſana hordacea, ius pulli, amygdalatum, lac mulieris,aut aſinæ,pedes arietis, aut hœdorum,& caro contuſa caponum, gallinarum, & phaſianorum, & eorum aqua cum borragine, aut lactucis alterata. Potus ſit vinum album aquâ nimis dilutum, aut aquâ hordei, in qua parum cinnamomi ſit decoctum. Somnus procuretur, qui corpus humectat. Famem non tolerent,quia corpora exſiccat. Ab immodicis animi paſſionibus caueant, clyſteribus humectetur corpus ex decocto maluarum,violarum,borrag.radicis altheæ,& oleo camem.& violarum, aut amygd.dulc. & diapruno ſimplici,vel caſſiæ pulpa, aut paretur ex pullorum iure cum ſaccharo, vitellis ouorum, & oleo amyg. dulcium. Totum corpus præterea fouebis oleo amygd.dulc. & violarum, aut hydrelæo, aut vnguento ex dictis oleis cum cera alba in aqua fontana abluta confecto, vel vnguento reſumptiuo. Confert etiam balneum aquæ tepidæ,& lactis,poſt quod dictis oleis,& vnguentis inungatur,& à balneo aſſumat lac ab vbere mulctum, antequam calorem amittat naturalem.

## §. III.

### *Curatio conuulſionis caninæ.*

ORis torturam, conuulſionem caninam Græci appellant, à canibus ſumpta ſimilitudine; canes enim mordere minantes, dum cibum defendunt, naſum ad latus conuertunt. Idem euenit in hoc morbo,in quo naſus, & vna pars faciei retrahitur, & ad latus etiam conuertitur. Fit iſte morbus ex vulnere vnius lateris,ex cuius ſolutione alterum retrahitur, vt docet Hipp.in coacis prænotionibus, vbi ait: *Quibus tempora ſecantur, conuulſio ex contrariis partibus ſectioni ſuboritur.* Habent enim faciei partes talem tenorem inter ſe,vt ſi vna ſeparatur ab alia, & ſcindatur,altera non ſciſſa, ſtatim naturaliter retrahitur, & amittit tenorem, quem antea cuſtodiebat: ſed huiuſmodi retractionem diximus non eſſe veram conuulſionem, quia fit à natura,conuulſio verò fit à morbo. Quapropter dicendum eſt, eſſe accidens quoddam, ſeu actionem deprauatam ex vi vulneris procedentem, quæ curatur vulnus inflictum curando, ad quod doctum require Chirurgum.

A Fit etiam conuulſio hæc ex relaxatione vnius partis faciei, ex qua ſequitur retractio partis oppoſitæ,ob naturalem ipſius partis inclinationem ad ſuum principium: quæ conuulſio etiam per ſimilitudinem dicitur talis, nam potiùs eſt accidens paralyſis partis oppoſitæ, in cuius curatione ſe habet Medicus; vt diximus capite de paralyſi, & remedia admoueantur parti paralyſi affectæ, non verò parti conuulſæ; nam ex vi paralyſis conſurgit in parte oppoſita illa ſimulata conuulſio.

Tandem contingere poteſt canina conuulſio per veram conuulſionem, quando ſcilicet muſculi faciei retrahuntur, causâ retractionis in eis exiſtente, vt ſi repleantur humoribus, vel ab aliqua cauſa exſiccentur, aut ab aliquo frigore contrahantur: quam conuulſionem diſtingues ab ea, quæ procedit ex alterius partis relaxatione, vel paralyſi; nam in conuulſione vera adeſt dolor in parte conuulſa, vt inquit Galen. 2. *prorrhetic. comm.* 2. vbi inquit, quod conuulſio eſt affectio
B plena doloris; qui quidem dolor deficit dum prouenit à relaxatione alterius partis, quia in parte conuulſa,aut retracta nulla eſt cauſa,quæ dolorem excitet. Hæc conuulſio curatur, vt reliquæ ſpecies veræ conuulſionis. Aduertere tamen oportet pro qualibet conuulſione canina, vt æger ſeipſum ad ſpeculum inſpiciat, & totis viribus partem retractam reducere tentet, & capiſtro applicato eam in oppoſitum reuocet; quæ ſi non fiat ex vlcere, curatur etiam ſectis vaſis linguæ ſubiectis, vt docent Paulus, & Aëtius.

## §. IV.

### *Obſeruatio pro quodam amico vomitibus, & conuulſione ſicca vexato.*

PRimis annis, quibus medicam artem exercere cœpi in præclaro Areuallenſi oppido, quidam amicus meus ætatem habens iuuenilem,natura bi-
C lioſus, & temperamenti calidi ad ſiccitatem vergentis,qui quolibet manè aſſuefactus vomitui bilis erat, tempore æſtatis ob inordinatam victus rationem inordinatè euomere cœpit, non ſolùm bilem, ſed alios humores, ita vt quotidie euomeret cibum, & potum, ſimulque maximam humorum copiam qualitatem acidam referentium; quam largam euacuationem neque victus ratione,neque medicamentis per os ſumptis,neque ligaturis partium inferiorum, & cucurbitulis inferiùs appoſitis,neque ſtomachicis auxiliis extrà admotis ſedare valui, vnde fuit ſubſequuta conuulſio maxima crurum,& brachiorum, & faciei,ita vt in formam globi miſerabilis æger permanſiſſet, & cum vehementiſſimis doloribus in partibus, quæ retrahebantur,eo modo quo torquentur illi,qui patiuntur
D hanc affectionem, quam vulgari ſermone vocamus *calambre*, circa cuius morbi agnitionem, & curationem ſic me habui.

Cùm ſymptomata conferant ad morbi, imò & partis affectæ agnitionem, vomitúſque ſit ſymptoma in eis quæ excernuntur præter naturam, & talis excretio fiat ob motum deprauatum facultatis expultricis ventriculi,vt docet Galen.*lib.* 3. *de cauſis ſymptom. cap.* 2. & quoties natura ab humoris qualitate irritatur, vel ab illius quantitate grauatur, inſurgit aduerſus ea quæ illam contriſtant, non mirum ſi excitetur ad eorum expulſionem, & per conuenientem regionem; hæc autem per os facta conueniens eſt, vt probauimus capite de vomitu. Quia ergo noſter æger quotidiano vomitui

erat aſſuetus, facilè erat pèr eandem regionem humores in maiori,quàm anteà,quantitate trudere,& ex iis coniectari, ventriculum eſſe partem affectam. Veruntamen quia ventriculus poteſt pati affectionem per ſe, vel per conſenſum, oportebat inueſtigare, an iſti humores in ventriculo generabantur, vel aliunde ad ventriculum confluebant: quod docet cognoſcere Tralianus *lib.7.cap.11.* Si enim in ventriculo generentur,ſolet præcedere intemperies humoris generationi conueniens, quæ propriis notis, & ex anteacta vita dignoſcitur,imò & crebrior vomitus,nullo inſigni ſpatio interpoſito inter vnum,& alterum vomitum,ſin autem inſigne ſpatium intercedere videatur,neque vomitus frequenter infeſtet, id quod euomitur,ex aliis partibus effluere eſt exiſtimandum.

Sed quia maiorem copiam humoris euomebat, quàm poſſet generari ex eduliis in ventriculo,& ex alia parte iecur habebat intemperatum verſus calorem, & ſiccitatem; facile erat colligere maximam illam humoris quantitatem à iecore ad ventriculum tranſmitti, qui humor morſum inferens ventriculo, illum excitabat ad expulſionem, non ſolùm eiuſdem humoris, ſed etiam cibi ingeſti: quod frequenter accidit,vt docet Gal. *lib.5. de vſu part.cap.4.* ſed quia alimentum ventriculum ingrediens breui interuallo acidam comparabat qualitatem, exiſtimaui eam eſſe frigiditatis ventriculi ſobolem, iuxta Galeni ſententiam *1. de locis affect.cap.4.* cui aſſentitur Auic. *fen.13.lib.3. tract.1.cap.17.* vbi ait: *Acetoſus ſignificat frigus ſtomachi: exemplo ſunt fructus immaturi, qui acidi ſunt, & frigidiores ipſis iam maturis.* Et quia fermè omnes,qui calida iecoris intemperie tenentur, frigidum ventriculum habere ſolent, cenſui illius ventriculum eſſe frigidum. Neque contrarium ſuadebat oris ſiccitas,& amaritudo, & ſitis; nam hæc omnia in ventriculo frigido poterant euenire à bile in ventriculum ex aliis partibus prorumpente; & benè compatiuntur hæc ſigna cum dyſcraſia ventriculi frigida. Quapropter ei cibum probi ſucci,& facilis coctionis obtuli; ſed iis deteriùs ſe habebat, & facillimè acorem comparabant, & ſimul cum copia humorum vomitu reiiciebat. Tanta ergo per vomitum fuit facta euacuatio, & partium vniuerſalis inanitio, vt inde ſubſequuta fuit convulſio ex inanitione cum vehementiſſimis doloribus omnium partium, in quibus ea apparuit convulſio. Cùm igitur neutiquam vomitus compeſcere valuiſſem,& alimentis aſſumptis quotidie ad interitum tendebat æger, venit mihi in mentem, an acor in cibis contractus eſſet caloris ventriculi effectus, ita vt à calore potiùs quam à ventriculi frigiditate initium haberet; quo in caſu tutius erat mutare conſilium,& offerre alimentum craſſius, quod non facilè à ventriculi calore corrumperetur, præſertim cùm ſæpè à iuuantibus, & nocentibus ſumatur indicatio; quod expreſſit Galen. *lib.3. de compoſit. medicament. ſecundùm locos, capite 1.* dum ait: *Verùm certa cognitio tempore contingit, & poſt vſum pharmacorum artificiali coniectura exhibitorum.* Si enim ſemper certam haberemus morborum cognitionem, nunquam Medicus falli poſſet: at quia ſæpè coniectura vtimur,quæ ex ſignis probabilibus,& non certis naſcitur,facilè decipimur. Neque alio modo in ſeipſo deceptus fuit Galenus *lib.2. de locis affectis, cap.3.* qui putabat in vreteris lapidem eſſe impactum, quando dolore infeſtiſſimo in inteſtinis craſſioribus vexabatur. Quapropter mutato conſilio, alimenta refrigerantia, & craſſæ ſubſtantiæ, & aquæ frigidæ potum ei obtuli, quorum vtilitatem breuiſſimè percepit, minúſque euomebat, donec tandem eorum vſu vomitu ceſſante, cœpit nutriri, & partes deperditas reſtaurare, & paulatim convulſione minori reddita priſtinam recuperauit ſalutem.

Neque eſt contra plurium Authorum placitum aſſerere,quandoque ab excedenti calore aciditatem fieri. Auic. *loco ſuperiùs citato*, hæc adducit verba: *Et ſignificat illud, vt ſit eructatio acetoſa cum ſignis inflammationis, & caliditatis, & amaritudititudinis oris,& ſitis, & iuuamento,cum eis, quæ infrigidant.* Tral. *lib.7. cap. 12.* ait: *Video multos à frigerantibus eſſe adiutos, qui antea à calefacientibus plurimùm offenderentur. Quare talibus repudiatis, contrariiſque vſi, aqua largiori, cibis boni ſucci,& qui ægrè confici poſſunt, celerrimè tali affectu liberati ſunt.* Sed de hoc puncto latiùs agemus *cap.de ventriculi cruditatibus*, vbi rationibus hæc fulcitur ſententia.

*An aciditas à calore proficiſci valeat.*

Si igitur calefacientibus ventriculus offendebatur,ipſa ratio ſuadet, quod contrariis vteremur,vt ipſè oſtendit Tralian. quibus vomitus, & convulſio ceſſarunt.

Neque obſtat,quod convulſio exinanitione ſit lethalis, ex Hipp.nam loquitur de convulſione confirmata,& radicata, quæ adhuc ablatâ causâ perſeuerat, vt patet in partibus quæ nimis exſiccantur, quæ nunquam rehumectari poſſunt;& in corrigiis,aut loris,quæ ſi nimis ad ignem exſiccentur, etiamſi magis,ac magis humectentur,nunquam humiditatem ſubſtantificam reſumunt. Vidi ego puellam trium annorum in quodam oppido nomine *Iſcar*, quæ habebat caput retractum verſus poſteriora,& ſimiliter crura; & illius convulſionis cauſam inquirens, eius mater dixit, quod ſtatim ab exitu in lucem obſtetrix accepit infantulam,& poſuit eam nudam ſuprà lapidem molarem, ſupra quem focus accendebatur, qui lapis erat nimis calidus,& dorſum illius concremauit,ita vt ſtatim talem convulſionem paſſa ſit, quam ego nudam inſpexi, dorſi cutem aridam reperi, & illius ſubſtantiam ſiccam nimis,& immedicabilem. At convulſio ex inanitione non radicata, quæ adhuc eſt in ipſo fieri, & dependenter à cauſa, curationem admittit,ſicque convulſio de qua agimus, ceſſante vomitu, qui erat illius occaſio, facilè potuit reparari.

*Nota hiſtoriam.*

## CAPVT XX.

### *De tremore.*

DE hoc ſymptomate egit Galenus *de tremore, & palpit.cap.5.* vbi quandam illius deſcriptionem aſſignat, dicens: *Tremor eſt motus præter voluntatem patrium, quo ſurſum, & deorſum vicibus permutatis feruntur.* Quæ definitio datur per ſymptomata, quæ ad morbi exactam notitiam ſunt neceſſaria. Hæc tamen deſcriptio eſt inſufficiens, quia in noſtra poteſtate eſt membrum continere,ne tremat,vt ipſe etiam probat *2. de cauſis ſympt.cap.2.* dum dicit: *Si cui caput tremit, & ſuper molle aliquod caput retinet, non amplius tremet.* Prætereà ſi quis cruribus, cùm ingreditur, ſit tremens, ſi ingredi deſinat,non tremet. Quapropter, cùm ex voluntatis imperio tremor fiat, non poſſumus dicere abſolutè, quod fiat præter voluntatem. Quam ob cauſam dicendum eſt, Galeni placitum

placitum eſſe verum, quantum ad motum deorſum, qui animali inuito fieri ſolet; nam poſtquam animal incepit ſurſum mouere membrum ob virtutis debilitatem, non poteſt membrum continere, & ſic proprio decidit pondere, & talis motus deorſum fit præter voluntatem: de quo venit intelligendus Galen. *in hoc loco.* At 2. *de cauſis ſympt. cit.* inquit tremorem eſſe ſymptoma facultatis animalis motiuæ, quæ voluntatis imperio ſubiicitur; inquit enim; *Sunt qui putant voluntatem à tremore eſſe ſeparabilem; ſed hi ignorant, quòd etiam in cuſtodienda quauis particula recta, tum voluntas agit, tum tenduntur ab ea maſculi.* Ex quibus poſſumus deducere hanc definitionem deſcriptiuam. *Tremor eſt motus facultatis motiua ex ſurſum & deorſum compoſitus, & voluntatis imperio ſubiectus.* Dicitur motus facultatis motiuæ, non quia motus deorſum fiat ab illa, cum potiùs fiat à grauitate membri naturali; ſed quia propter debilitatem facultatis animalis motiuæ membrum non continetur, ideo ad illam reducitur; nam ſi ipſa eſſet conſtans, & membrum continere poſſet, nequaquam motus deorſum fieret. Cum hoc tamen rigorosè loquendo, ibi ſunt duo motores; facultas animalis, quæ ſurſum mouet, & naturalis, quæ dorſum membrum impellit.

*Tremoris deſcriptio.*

*Obiectio.*

Sed inſtabis: Sequitur ex hoc, quod grauitas naturalis ſit morbus. Probatur ſequela, quia producit motum dorſum, qui eſt ſymptoma ſequens morbum.

*Reſponſio.*

Reſpondetur negando ſequelam; nam ſymptoma non ſemper effectiuè dependet à morbo, ſed ſufficit, quod morbi ratione fiat, vt patet in actionibus læſis, quæ fiunt à facultate illarum, & ad illas morbus non concurrit efficienter, ſed diſpoſitiuè.

*Qua actio lædatur in tremore.*

Inter accidentia, quæ partim à morbo, partim à natura fiunt, annumerat Galenus tremorem, *lib. 2. de cauſis ſymptom. c. 1. & de different. ſymptom. c. 3.* vbi etiam conſtituit illum inter motus deprauatos.

Mihi tamen videtur, tremorem eſſe actionem ſimiliter diminutam, ſecundùm motus diuerſitatem; ille enim motus deorſum reuerà eſt deprauatus, cum ibi fiat motus, qui minimè fieri deberet à corporis pondere, ſeu grauitate; tamen alter motus ſurſum, qui fit à facultate motiua, eſt actio diminuta, quia ibi nullum genus deprauationis reperitur, ſed tantùm facultatis languor, quæ non poteſt membrum continere, neque ad debitum ſpatium mouere, vt notat Paulus *lib. 3. cap. 21.* facultas enim debilis debiliter, & diminutè operatur. Quare errat Leonard. Iacchinus *in 9. Rhaſis, c. 12.* qui exiſtimat tremorem eſſe ſolummodò actionem diminutam, cum potiùs ſit ex vtraque mixta.

*Quis morbus ſit tremor, & eius cauſa.*

Morbus à quo tremor dependet, eſt varius pro cauſarum diuerſitate, à quibus ortum ducit; quilibet tamen virtutem debilitat, debileſque reddit muſculos ad motum, ſiue morbus ſit intemperies, ſiue obſtructio, aut aliud quodvis, vt oſtendit Galen. *locis iam citatis, & 3. epidim. comm. 1. text. 4.* vbi inquit, quod tremor fit muſculis, & neruis, non tantùm affectis, ſed etiam benè valentibus, vt vbi quis vltra vires onus attollere moliatur, etiamſi iuuenis robuſtus ſit, facilè tremit, maximè vbi ſcalas aſcendere tentet. Senes etiam ob virium iacturam incidunt in tremorem; quæ quidem ſuâ ſponte, inquit, interim ſunt infirmæ, aut propter affectum animi, timoris ſcilicet, aut triſtitiæ, vt ſi quis ad præaltum aliquem locum accedit, vel in conſpectu Magnatum, aliquid efficit, ſtatim tremit; deiicit enim virtutem timor. Quod ſi ob metum, aut pondus non tremat, aut patitur organorum intemperiem, aut humoribus nerui, & muſculi grauantur. Ex quibus colligimus, tres adduxiſſe cauſas, inſtrumentorum intemperiem, animi affectum, & oneris grauitatem. Auic. addit, quod cauſa tremoris afficit virtutem, aut inſtrumentum, aut vtrumque ſimul. Afficit virtutem cùm ab illa debilitatur, ſpiritus retrahitur, aut conſumitur, vt in timore accidit, & conualeſcentibus; debilitatur autem à coitu immoderato, immodicis vigiliis, & laboribus. Afficit inſtrumentum, quando aggrauatur humorum multitudine, & pondere, & diſtemperatur præcipuè verſus frigiditatem, & obſtruitur, ita vt virtus ſufficiens ad membrum non perueniat. Vtrumque afficit ſimul, quando cauſæ ita communes ſunt, vt vtrique poſſint læſionem impartiri; quæ quidem cauſæ concidunt cum cauſis, quas Galenus attulit, vt conſideranti patebit. Quibus cognitis facile erit cognoſcere, in quo huius morbi natura conſiſtat, & cauſas illum promouentes, neque ad hoc aliis ſignis indigemus.

## §. Vnicvs.

### *Curatio tremoris.*

Cognitis tremoris cauſis, ex his, quæ dicta ſunt facilè curationem adhibemus. Si ab ebrietate morbus initium ſumat, curabitur, vt diximus *c. de dolore capitis ex ebrietate*, ebrietatem arcendo iis, quæ ibi adduximus. Si ab immodico veneris vſu, ab eo ſe abſtineat, & caſtè viuat, alimentiſque boni ſucci, & optimo vino vires reſtauret. Si ab euacuationibus, eas ſupprimere conuenit, deinde vires reficere. At ſi tremor fiat ob humorum aggrauationem, & plenitudinem, eam demere tentabis ſanguinis miſſione, victu tenui, balneis, & moderato exercitio. Quod ſi humores obſtruentes, & naturam grauantes eſſe in cauſa exiſtimes, eos præparabis ad expurgationem ſyrupis ſcindentibus, & attenuantibus, & expurgabis, vt diximus *capite de paralyſi.* A purgatione membra trementia, & dorſum fricentur, & oleo vulpino, de caſtoreo, & laurino vngantur, ex quibus cum pulueribus caſtorei, ſynapis, euphorbij, & piperis longi vnguentum efformabis ad idem. Regimine vtantur, & aliis ibi adductis, quæ ad vtrumque morbum deſeruire poſſunt. Conferunt etiam balnea ſulphurea, & aluminoſa, & inſudationes ex ſmilace aſpera, & radice chinæ. Aſſumant quotidie pliris arcoticon in tabellis, aut eius puluerem cum melle deſpumato, aut theriacam, vel mithridatum; quibus etiam vti poterunt in intemperie frigida, exceptis vniuerſalibus euacuationibus. Si verò tremor ſit in conualeſcentibus, virium, & ſpirituum reparatione aufertur. Quod ſi in febribus tremor accidat, deletur his remediis, quibus & ipſa febris. Tandem tremor, qui ex ſenij frigiditate procedit, ab omnibus vt incurabilis relinquitur; non enim remedia ſunt admouenda, vbi nullam ſpem ſalutis habere iudicamus. Sed hic liber iam iuſtum conſequitur finem.

LIBER

# LIBER SECVNDVS.

## De internorum Morborum Natura, & Curatione.

### PROOEMIVM.

HVCVSQVE egimus de morbis ſenſuum internorum; in hoc autem libro conſequutione quadam de morbis ſenſus externos oblædentibus agere decreuimus. Et quia oculus eſt inſtrumentum principalioris ſenſus, vt omnes admittunt, ideò de eius morbis priùs inſtituitur ſermo. Eſt equidem oculus aliis principalius inſtrumentum, quia plures colorum differentias percipit: & cum omnia corpora ſint colorata, per viſum de omnibus notitiam habemus; habétque etiam pro obiecto lumen reliquis aliorum ſenſuum obiectis præſtantius, & in modo operandi reliquos excellit; ſiquidem in inſtanti obiecta nimis diſtantia percipit, atque ad operandum maiorem ſphæram habet, quàm cæteri ſenſus; & vt ſummatim dicam, creauit Deus caput animalis, & poſuit ipſum, vt ait Galen. *lib. de anatomia viuorum*, in ſuperiori parte, propter quod oculos, & anteriorem capitis partem eminentiorem fecit, vt in illa parte eſſent ſiti inſtar ſpeculatoris vndique proſpicientis aciem, ſiue exercitum in plano poſitum; & ſunt mundi parui (hominis ſcilicet) duo luminaria, ſeu fulgentia ſidera, qui ſitu, & poſitione, figurâ orbiculari, motûs velocitate, fulgore, & illuminatione ſoli ſunt quamſimillimi; propter quorum excellentiam de eorum morbis maxima eſt habenda cura. Et vt ad inſtitutum deueniamus, oculi cum variis conſtruantur partibus, variis etiam affliguntur morbis, quos Galenus annumerat 4. *de locis affectis, cap.* 1. nam modò ipſorum ſenſus, modò motus, ac nonnunquam tam motus, quàm ſenſus reſoluitur; quibus etiam, vt ſimilari parti, octo adueniunt intemperantiæ, & vt inſtrumentali, in ipſis nullo malo apparent. Læditur cernendi potentia, cum nerui optici phlegmone, obſtructione, aut ſchirrho tentantur; & illis alij ſuperueniunt morbi, qui tripliciter læſionem actionum inferunt: nam aut lædunt viſionem ablatè, vt in cæcitate contingit; aut diminutè, aut deprauatè, quando ſcilicet imaginantur videre obiecta, quæ non ſunt, vt in ſuffuſionibus; vel quando obiecta duplicata apparent, de quibus omnibus ſigillatim eſt agendum.

---

### CAPVT I.

#### *De ophthalmia.*

NOn eſt nobis in animo oculorum anatomen deſcribere, neque illorum partes, & earum munus referre, cùm apud Galenum, & Veſalium, & alios ſufficienter ea inuenias pertractata tamen inter oculorum tunicas ſe quodam ordine conſequentes, prima ſe offert adnata ſeu coniunctiua, ſic dicta, quia reliquas oculorum partes coniungit, in qua fit ophthalmia, quæ à Gal. definitur ſic 4. *de compoſit. medic. per locos.* Lippitudo, ſeu ophthalmia, eſt inflammatio tunicæ os capitis, & caluariam ambientis; oritur enim, vt omnes admittunt, hæc tunica à pericraneo, & propterea inquit, quod in hoc morbo tunica cal- A uariam ambiens afficitur; quem morbum vocat oculorum phlegmonem, 2. *methodi, cap.* 2. & Auic. *fen.* 3. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 6. inquit: *Ophthalmia eſt apoſtema in coniunctiua, ſeu inflammatio tunica adnata.* In quo omnes conueniunt. Vbi nomine inflammationis intelligimus tumorem præter naturam; quæ ſi ad tantam magnitudinem perueniat, vt oculi prohibeat clauſionem, tegatque pupillam, chymoſis græcè dicitur, & Arabicè *alguardeniſi*, vt ipſe Auicen. teſtatur.

B Cauſæ huius morbi ſunt ſanguinis copia, qui tunicæ venas adimplet, & humores bilioſi ſanguinis admiſti, vel humores craſſi, & frigidi. Solet etiam excitari ab ſpiritu flatuoſo membranæ venas diſtendente, & dolorem inferente, vt docet Auicen. dicens: *Et violentia quidem doloris in ophthalmia, aut eſt propter humorem mordicatiuum tunicas corrodentem, aut propter humorem plurimùm extenſiuum, aut propter vaporem groſſum.* *Cauſæ.*

Si à ſanguine in oculos defluente ortum ducat, dignoſcitur ex tumore rubro, ex calore, diſtenſione, *Signa.*

&

& dolore cum lachrymarum effluxu. Quod ſi ſanguinis copia tantùm ſit in capite, ex illius grauitate, pulſatione, dolore, & calore percipies: quemadmodum ſi adſit totius corporis plenitudo, propriis etiam ſignis deprehendes. Si verò cum humoris bilioſi, & mordacis conſortio fiat, ex dolore pungenti, vehementi, cum immodico calore, & lachrymarum valde acrium effluxu dignoſci quit. Craſſos verò humores oſtendunt oculorum ipſe tumor, illorum, & palpebrarum grauitas, dolor ſine punctione, aut morſu, & ſi lacrymæ defluunt, neque erodentes, neque multæ ſunt. Flatum eſſe cauſam indicat dolor membranam diſtendens, & veluti diſrumpens ſine rubore, pondere, & lachrymis.

*Præſagium.* Quantùm ad huius morbi prædictionem, qui exactè intueri velit, legat *cap. 6. lib. 6.* ex Celſo, vbi pro humoris diuerſitate, & miſtione, & illius ad oculos vehementi defluxu, aut lenta motione, docet morbi breuitatem, vel longitudinem præſagire; qui quidem morbus fieri ſolet tempore æſtatis, ſi hiems aquilonia fuerit, ver verò pluuioſum, & auſtrale, vt aſſerit Hipp. *3. aphoriſm. text. 11.* & *lib. de aëre, locis & aquis*; de quo reddit rationem Galenus *in comment.* nam tempore veris pluuioſi, & auſtralis caput repletur multis cruditatibus, præcipuè in mulieribus, & iis, qui naturâ suâ ſunt humidiores; poſteàque accedente æſtate, ſuo calore capitis humiditates attenuat, ad oculóſque defluere facit, & ſic iſte gignitur morbus. Quod ſi hiems auſtralis fuerit, & pluuioſa, aut ver aquilonium, & frigidum, etiam huius morbi euentum prædicere poſſumus, ex eodem Hippocrat. *text. 12. eiuſdem libri*; nam à ſiccitate, & frigiditate veris humores capitis intrà detinentur, & calore ad intrà reuocato, attenuantur, & excitantur fluxiones ad oculos.

## §. I.

### *Curatio ophthalmiæ.*

VT meliùs curetur iſte affectus, aër non ſit ſplendens, ſed potiùs æger in loco obſcuro conſtituatur; nam quando virtus viſiua patitur, facilè à quouis excedente ſenſibili læditur, quatenus ſenſibile viribus ſentientibus non eſt proportionatum, eaſque ſuperat, & diſſoluit, vt inquit Ariſt. 2. *de anima, cap. 22.* & Galen. 10. *de vſu partium, cap. 3.* vbi ſplendoris occurſu præcipuè repentino virtutem viſiuam diſſolui aſſerit; & vt refert hiſtoria, vt homines obcæcaret Dionyſius Siciliæ Tyrannus, domum ſplendidiſſimam, ac longè clariſſimam ſuper carcerem conſtruere iuſſit, & vinctos, qui in infimo nimis obſcuro erant occluſi, ſurſum educebat in domum claram, & ſplendidam, qui egreſſi luminis ingentis repentino occurſu ſtatim obcæcabantur. Eligatur ergo aër frigidus, aut temperatus pro cauſæ morbum facientis ratione, habeátque ante oculos pannum nigrum, cæruleum, vel viridem. Victus in principio fluxionis ſit tenuis, & vſque ad ſtatum, ſi vires conſentiant, & cœna imminuatur; aſſumat in prandio ius pulli, aut gallinæ, hepata gallinarum, cremorem ptiſanæ, vel amygdalatum. In cœna deſeruiunt borragines, vel lactucæ elixæ, pira aut poma aſſa, aut ex piris conſerua: bibat aquam hordei, aut ſcorcioneræ, & in cauſa frigida aquam cinnamomi, in flatuoſa aquam fœniculi, vel aniſi, aut vinum benè dilutum. Ventrem habeat mollem, aut clyſteribus emollientibus, & attemperantibus

A pro cauſæ varietate illum irritabis. Æger in quiete ſeruetur, ſomnum habeat moderatum, euitet animi paſſiones, vtatúrque frictionibus partium extremarum, & hoc præcipuè tranſactis vniuerſalibus euacuationibus. Varia exigit hic morbus remedia pro cauſarum, & temporum morbi varietate, quæ omnia comprehendit Hippocrates *6. aphoriſmor. textu 31.* dum ait: *Dolores oculorum meri potio, balneum formatum, venæ ſectio, aut medicamentum epotum ſoluit.* Quibus verbis confusè ſaltem totam morbi curationem à quacumque cauſa deſignat, vt exemplis ſtatuit Galenus *in comm.* Si ergo adſit inflammatio cum ſanguinis redundantia, ſtatim illum extrahes ex vena communi eiuſdem lateris, vt docet Gal. *de euacuandi ratione, cap. 16.* qui oculorum dolores perſæpè grauiſſimos venæ ſectione è directo intra horæ vnius ſpatium compeſcuit. Quod ſi dolor vehemens ſit, magnáque inflammatio, ad animi vſque deliquium ſanguinem mittere expedit, vt etiam ibi teſtatur. Verun-

B tamen ſi humores bilioſi, & acres ſint, vel frigidi, cum humoris ſanguinei præſentia, ſanguinem etiam demes, in minori tamen copia, quàm in inflammatione, & plethora. Deinde ipſos humores præparabis, & euacuabis; quod inſinuat Hipp. *6. aphor. text. 17.* dicens: *Lippientem corripi alui profluuio bonum.* Quod ſi humor bilioſus ſit, & erodens, illum temperabis ſyrupo roſarum, granatorum, oxalidis, borrag. & acetoſo, cum aquis ſtillatitiis chicorei, borrag. aut oxalidis, illúmque purgabis rhabarb. diluto in aqua chicorei, cum ſyrupo ex 9. infuſionibus violarum, aut roſarum perſicarum, aut caſſia fiſtula in tamarindorum decocto diſſoluta, cum ſyrupo Regio: vel poſſumus vti pillulis aureis, ſine quibus, vel de rhabarb. quæ medicamenta cùm humores qualitate peccant, ab initio ſunt admouenda, Traliano teſte *lib. 2. cap. 2.*

C præſertim fluentibus humoribus bilioſis, qui tenues cùm ſint, minori indigent præparatione. Et Vega incipientibus inflammationibus ingentes oculorum dolores ſanauit viginti horarum ſpatio, adhibitâ purgatione per pillulas ſine quibus. Et ſi ab humoribus craſſis ortum ducat affectio, ſyrupis attenuantibus ſunt præparandi, vt ſyrupo ſtœcados, acetoſo, rhodomelle, & oxymelle, cum aquis fœniculi, aut cinnamomi: deinde ſunt purgandi agarico trochiſ. in decocto pugini infuſo, & diacathol. ſeu electuar. diaphœnic. cum ſyrupo ſennato, vel perſico ſolutiuo, aut pillulis cochiis de agarico, ſeu aggregatiuis, quibus etiam vtere ad ophthalmiam à vapore, ſeu flatu procedentem, vt materia, ex qua flatus eleuantur, euacuetur.

Corpore recrementis mundato, cucurbitas occipitio, & dorſo ſcarificatas, & ſine ſcarificatione affigere poſſumus, & fortibus vti frictionibus, & li-

D gaturis, ac balneis partium extremarum, vt citiùs humorem ad inferiora reuellamus.

His peractis, ad ocularia remedia deuenire cogimur, quæ ad omnem inflammationem communia ſunt, in quorum admotione reſpicimus partis naturam, & exactum ſenſum, quæ ſuper omnem totius corporis cutem excellentem nacta eſt mollitiem, & ſic facilè ab exaſperantibus læditur. Sunt igitur in principio adhibenda repellentia mordacitatis expertia, & quæ non ſunt ſortita multam adſtrictionem, vt docet Galen. *4. de compoſ. medic. ſecundùm locos, cap. 2. & 4.* Itaque in principiis maximè vrgente dolore, & inflammatione, vti oportet repercuſſiuis, & lenitiuis, inter quæ oui albumen, & lac primum locum tenent, ex Galeno *eodem loco*, lac verò ſit ab vbere emulctum, & oui albumen agitetur, donec in ſpumam conuertatur,

cui

cui admiſcetur collyrium album Rhaſis cum opio; in remiſſione verò doloris ſine opio. Vtimurque lacte cum capitum papaueris decocto, aut mandragoræ, ſeu polygonij ſucco, vel lacte, & aqua roſarum miſtis, aut hac miſtura. ℞. mucaginis tragacanthæ in aqua roſarum extractæ ℥.ß. ſarcocollæ nutritæ ʒ.j. lactis muliebris ℥.j. miſce, atque oculis lineis linteis ſæpe applicetur. Si verò dolor remittitur, & quodammodo inflammatio ſedatur, repercuſſiuis aliquid reſoluentium immiſcebis, in quem vſum confert pomum aſſum, deinde in aqua roſarum decoctum, cum puluere ceruſæ lotæ, aut tuthiæ præparatæ. Laudat Galen. fœnugræci decoctum 13. *methodi*, *cap.* 22. eſt namque medicamen hoc maximè omnium, quæ oculis applicantur, ſine offenſione digerens, quare illud aquæ roſarum permiſcemus, aut lacti, deinde per ſe ſolum maximè prodeſt. Fœniculi decoctum ab omnibus commendatur, quod etiam nobilitauere ſerpentes oculorum aciem ſucco eius reficiendo, vnde intellectum eſt hominum quoque caliginem eo præcipuè leuari, vt notat Plinius *lib.* 20. *naturalis hiſtoriæ, cap.* 23. Itaque fœniculi, atque fœnugræci decocto balneetur oculus. Vtile etiam cenſetur balneum aquæ dulcis tepidum. Tuthia etiam præperata, & amylum lotum modicè reſoluunt, & oculorum dolores, & aſperitatem leniunt, ſi in aqua roſarum, aut fœniculi diſſoluantur. Morbo autem in declinationem tendente, proſunt vapores ex fœniculi, fœnugræci, camem. & croci decocto, aut eiuſdem in oculos fotus. Præterea fronti, & temporibus adhibere oportet ea medicamenta, quæ repellendi vim obtinent, vt oui albumen, cum pulueribus ſantalorum, boli armeni, ſanguinis draconis, roſarum, thuris, & ſimilium, vel aqua roſarum cum oui liquore, & dictis pulueribus impoſita. Galenus *libro de facilè parabilibus*, laudat vitis folia viridia in formam cataplaſmatis fronti aſſiduè adhærentia; aut myrthi, & lentiſci folia.

*Curatio ophthalmiæ ex frigidis, & flatuoſis humoribus.*

Si verò ex frigidorum, craſſorúmque humorum, flatuum, vaporúmve redundantia ophthalmia oriatur, non oportet vti repercuſſiuis, vt Galenus monet locis proximè citatis; ſed ſtatim reſoluentia ſunt adhibenda, vt fœnugræci, & meliloti decoctum; non tamen id efficimus ante vniuerſalem euacuationem, vt 13. *methodi*, *cap. iam citato*, aſſeruit Galen. nam potiùs implebit, quàm reſoluet. Vtilia ſunt etiam collyria ex aloë lota, ſarcocola nutrita, & tuthia præparata, quæ ſic formari poſſunt. ℞. aloës lotæ, & tuthiæ præparatæ ana ʒ.ß. aquæ fœniculi, euphraſiæ, ana ℥.j.ß. miſce. Vel ℞. ceruſæ aquâ roſarum lotæ, & collyrij albi Rhaſis, ana ℈. ij. decocti fœnugræci, & fœniculi ana ℥.j. vini albi ℥.ß. miſce. Vel ℞. ſarcocolæ ʒ. iij. ſpicæ ʒ.j. florum roſarum, & camem. ana p. j. aloës ʒ. j. croci ℈. j. ſeminis fœniculi, & fœnugræci, ana ʒ. j. coquantur omnia in aqua ſecundùm artem, & cum colatura fotus ad oculos paretur: vel cum ſpongia aut lintheo hoc adhibeatur fomentum. ℞. camemali, meliloti, ſeminis lini, anethi, & fœnugræci, ana m.j. contundantur omnia, & coquantur in aqua ſecundùm artem, quo foueantur oculi.

Verumtamen ſi hæc non proſint, conſiderare oportet, an ex capitis intemperie prodeat affectio, quæ frequenter ſolet eſſe frigida, & humida ſeorſim, aut ſimul congeſta, quo tempore diutinas fluxiones curabimuss oculis ipſis dimiſſis, & ad capitis curationem conuerſi, vt admonet Galenus 13. *method. citato*, & 2. *de locis*, *cap.* 5. quapropter oportet intemperiem contrariis corrigere, vt actum eſt pro curatione cuiuſvis doloris capitis.

Quod ſi neque iis morbus quieuerit, fluxióque ad oculos ſemper perueniat per externas venas, quod ex earum tumore, inflammatione, & pulſatione percipies, adhibitis cauteriis iuxta capillorum radices ſupra frontem, cauentes tamen muſculos temporales, rectitudine ſeruatâ ad ipſum oculum, diúque apertis ſeruatis vulneribus cauterio factis, ſolet iſte affectus inueteratus curari, & ego cum felici ſucceſſu huiuſmodi auxilio aliquos curaui. At ſi fluxio per venas interiores in oculos migrare videatur, per ſetonem, aut fontanellam occipitio affixam, & per fontanellam eiuſdem brachij correſpondentis auferri ſolet: verùm ſi ſanguis vaporoſus ad caput aſcendit, iubet Galenus, vt in ipſo inſcindantur arteriæ, quæ retrò aures calidiores apparent; & in fronte modum id efficiendi reperies 13. *methodi citato*. Auicen. conſulit ſanguinem mittere ex cephalica vena, & ſi non ſufficiat, ſcindere iubet arterias frontis, temporum, & auris, vt abſcindatur via, per quam defluit vapor ad oculos: circa quod lege caput 9. Auic. *fen.* 3. *tract.* 1. Vbi copiosè ſatis de huius morbi curatione agitur, licèt ob illius arduitatem, & artificum imperitiam hic curandi modus iam ab vſu receſſit.

## §. II.

### *De vngue oculi.*

Vnguis, quam πτερύγιον Græci vocant, inter adnatæ tunicæ morbos conſtituitur, & eſt membranula neruoſa oriens ab angulo oculi, quæ nonnunquam ad pupillam quoque peruenit, eique officit. Sæpius à narium, interdum etiam à temporum parte naſcitur, authore Celſo *lib.* 7. *cap.* 7. Auic. *fen.* 3. *lib.* 3. *tract.* 2. *c.* 22. inquit: *Eſt additio coniunctiuæ, & velaminis continentis oculum, incipiens ſecundùm plurimùm à lachrymali, & currens ſemper ſuper coniunctiuam.* In quo conueniunt omnes. *Quid ſit.*

Hunc morbum collocat Galen. *de different. morb. c.* 8. inter morbos numeri adaucti, & exemplum ponit in ſexto digito alicui adnaſcenti.

Iſte affectus pupillam lædit viſum impediendo, & pupillam obtenebrando; nam vnguis ſuâ craſſitie impedit ſpecierum viſibilium receptionem, & luminis perceptionem; quod requiritur ex parte obiecti, vt inſinuat S. Thomas 1. *part. quæſt.* 67. *art.* 3. *ad tertium*, vbi inquit, quod lumen requiritur, vt faciat colores viſibiles, aut ex parte medij: quapropter illud definit Ariſtot. 2. *de anim. cap.* 7. ſic: *Lumen eſt actus perſpicui, in quantum perſpicuum.* Vbi per perſpicuum omnes intelligunt corpus diaphanum, ſine cuius lumine nequit fieri viſio; nam in corpore denſo, & non tranſparenti, non benè ſubiectantur ſpecies viſibiles, neque per illud ad viſum peruenire poſſunt, vt ipſe etiam teſtatur 3. *de anima, cap.* 3. quare cùm deficiat lumen nec recipiatur in corpore denſo, quale eſt vnguis oculi, & per illud ad viſum ſpecies non penetrant, neceſſariò diminuitur, vel in totum aboletur. *Lumen ad viſum neceſſarium.*

Cauſæ huius morbi ſunt humores craſſi, & frigidi à capite defluentes in oculos, & ſic fieri ſolet præcedente ophthalmia, lachrymarum effluxu, aut alia quauis diſtillatione in oculos, aut pruritu, ſiue vlcere oculorum. Iſte morbus notus eſt, neque ſignis aliis indiget ad eius exactam notitiam. *Cauſa.*

§. III.

## §. III.

### *Curatio vnguis oculi.*

*Signa.* IN huius morbi curatione victus inſtituendus eſt extenuans,& inſcindens humores, vt capite de caro, & lethargo diximus, & reliqua ſunt obſeruanda circa res non naturales,vt ibi diximus.Deinde ſi vires conſtent,reuulſionis gratiâ,vt cohibeatur fluxio,ſanguinem mittere erit vtile ex brachio parti affectæ è directo correſpondenti, & ex vena media,ſi adſit plenitudo; ſi verò non adſit, ex humeraria. Præterea humores craſſos attenuabimus, & inſcindemus,& poſteà illos euacuabimus,vt capite antecedenti demonſtrauimus. Vlteriùs oculum fouere oportet decocto emollienti,& reſoluenti,vt aquâ calidâ, vel decocto maluarum, radicum altheæ,florum violarum, ſeminis lini,anethi, & fœnugræci, & poſt oculi in ipſo balneationem,vtendum eſt abſtergentibus, & mundificantibus.

Confert ergo in principiis puluis thuris, quem iubet Auicen. infundere in aqua ſpatio vnius horæ, ex quo colato, & exſiccato fiat cum ipſo alcohol. Similiter liquiritiæ radix ſicca ad læuorem redacta, vnguibus oculorum idoneum eſt illitu remedium, ex Galen.6. *de ſimplic.medic.facult.* quod etiam adducit Dioſc. 3. *lib.cap.*5. Sepiæ teſta vſta cum ſale amnoniaco æquis portionibus trita confert, vel lapis magnes tritus ſemel in die appoſitus, ex Aëtio *tetrab.*2.*ſerm.*3.*c.*59. Quod ſi iis non cedat affectio,ad valentiora deuenire oportet,vt ſunt æris vſti ſquamma,& flos æris,chalcantum,& myſia,quæ ſi lauentur,ſunt ſecuriora,& magis mordacitatis expertia,vt docet Galen. 1. *de compoſit. medic.ſecund.locos*, *c.*4. ex quibus collyria parantur, vt ℞.æris vſti,& chalcanti vſti, ana ʒ.j. ſalis ammoniaci ʒ.ß. miſce; aut atramenti ſutorij, & ſalis ammoniaci, ana ʒ.j.ß. Quod ſi morbus ſit inueteratus,manualem abſciſſionem expoſtulat, vt docent Paul. & Aëtius.Quare diligenter expedit vngulam amputare, eam priùs vnguibus eleuando, vel filo, aut alio inſtrumento ſubtili. Poſt ſciſſionem ei ſubuenies cum vitello oui, & albumine eius, vt dolor ſedetur, quæ oleo roſarum immixta linteis in eis madidis oculis admoueantur. Deinde poſt tres dies collyria acuta,& abſtergentia adminiſtrentur, vt reſiduum exſtirpetur, vt aduertit Auic.nam alio modo impoſſibilis erit huius partis additæ detractio.

## §. IV.

### *De oculorum vlceribus.*

NEmini dubium eſſe poteſt, quod vlcus inter morbos ſolutæ vnitatis connumeratur, ob quod non oportet illius eſſentiam inueſtigare. Cuilibet oculi tunicæ ſolutio continui accidere poteſt, ratione cuius læditur viſio;quæ ſolutio etiamſi generice ſit vna, ſub ſe tamen varias continui ſolutiones comprehendit,vt ait Paulus *lib.* 3. *cap.* 22. vbi varias vlcerum differentias annumerat. Auic. *fen.*3.*lib.*3.*tract.*2. *cap.*3. ſeptem vlcerum oculorum differentias aſſignat; alia enim ſunt magna aut parua,munda aut ſordida; alia verò boni,aut mali moris,exedentia, aut cancroſa, quæ omnia à cauſis,& accidentibus differentiam,& nomen ſumunt, vt aſſerit Ioannes de Vigo *libro* 4. *cap.* 2. ex Auic. ſententia. A cauſis, dum dicitur vlcus eſſe ſordi- *Vlcerum differentia.*



A dum, virulentum,putridum, ſeu puſtuloſum. Ab accidentibus,vt quando inuenitur vlcus dyſcraſiatum,doloroſum,aut inflammatum, vel cum carne ſuperflua,& ſic de reliquis, quorum ſigna, & differentias legere potes apud Auic. *fen.*4.*lib.*4. *tractatu* 3. *cap.*1. quæ quidem pro diuerſitate cauſæ, & accidentium variam, & diuerſam curationem requirunt. Hic morbus eſt partis ſimilaris per ſe, quatenus tunica aliqua, verbi gratiâ quæ eſt pars ſimilaris, patitur ſolutionem ſuæ continuitatis; dicitur tamen morbus per accidens reſpectu inſtrumenti,oculi ſcilicet,quoniam inſtrumentum in tantum læditur, in quantum pars aliqua ſimilaris illius afficitur, quod docet Galen. *lib.de different. morbor. cap.vltimo*, vbi etiam idem aſſerit de lippitudine.

Cauſa huius morbi aut eſt interna, vt humor *Cauſa.* B fluens ad oculos, eorúmque membranas diſrumpens,ac corrodens, vt in ophthalmia accidere ſolet,quâ præcedente oculi tunicæ exulcerantur; aut cauſa eſt externa, vt percuſſio,contuſio, ruptio, & ſimilia.

Qui oculi anatomen non ignorauerit,facilè per- *Signa.* cipiet,quæ pars oculi ſit affecta,vlceríſque magnitudinem, & differentiam viſu diſcernere poterit: quapropter ſigna ad illorum curationem conſultò omitto. Vlcera magna in oculis cæcitatis ſunt cau- *Præſagium.* ſa,ex Galen. 1. *de cauſis ſympt.c.*2.& ſi vlcus,quod eſt ante pupillam introrſum deſcendat,aliquid humoris aquoſi foras effundit,quo etiam cæcitas ſuboritur; vlcera verò, quæ fiunt in tunica cornea, difficilè coaleſcunt, ob illius duritiem, ex Galeno *eodem loco.*

C

## §. V.

### *Curatio vlcerum oculorum.*

VIctus inſtitui debet pro morbi cauſæ ratione, & quantum fieri poſſit, humorum ad oculos fluxio compeſcenda eſt balneis, frictionibus crurum,& brachiorum,& cucurbitulis dorſo,& occipitio affixis; quæ omnia ſunt ex vſu poſt vniuerſales euacuationes.

Itaque ſi adſit humorum redundantia, præcipuè cum oculorum inflammatione, ſtatim ſanguis eſt mittendus ex vena media, aut humeraria brachij eiuſdem lateris oculi patientis,& hoc pro morbi,& virium ratione. Deinde humor eſt præparandus, & euacuandus iuxta humoris peccantis ideam: mox reprimendus his, quæ habent vim adſtringendi,fronti, & temporibus appoſitis,vt capite de ophthalmia diximus. Quod ſi adſit inflammatio, priùs eſt auferenda,ex Auic.cõſilio, & intemperies D corrigenda iis,quæ ibi tradita ſunt. Poſt hæc vlcus eſt curandum. Quod ſi ſordidum, & immundum fuerit,illud tergere conuenit aquâ mellis, aut fœnugræci decocto cum melle,ex Paulo *lib.*3. *c.*22.

Validiùs etiam mundificat mel roſaceum, cui etiam ineſt vis adſtringendi.Poſt mundificationem incarnantia competunt, & cicatricem inducentia. Confert ergo tuthia præparata,thus, & ſquamma æris vſti, lota in aqua chalybeata, aut hoc collyrium.℞. hæmathitis lotæ in aqua roſarum ʒ.j.ceruſæ lotæ, amyli, gummi arabici, & tragacantæ, æris vſti,& antimonij,ana ℈.j.opij g̃.x.formentur paſtilli cum ſucco foliorum oliuæ,deinde cum ſucco fœniculi in oculos inſtillentur. Alia quàplurima inuenire poteris apud Gal.4. *de compoſit. medic.ſecundum locos,c.*3.inter quæ propter partis exactum ſenſum mitiora ſunt eligenda. Vlcera verò cancroſa, & mali moris difficile, aut nunquam curantur

Z

tur in oculis, vt omnes admittunt, in quibus, & aliis vlcerum differentiis optimum conſilium eſt poſt vniuerſales euacuationes totum opus Chirurgicis committere, quorum munus eſt vulnera, & vlcera curare, & ad hoc remediorum habent exactam notitiam.

## §. VI.

### *De albugine, & cicatrice oculorum.*

QVæ per ſumma oculorum cicatrices fiunt, aliqui hoc nomine ſolo cicatrices vocant, alij verò nubeculam; altiùs autem deliteſcentes, albugines dicunt, teſte Paulo *lib.3.c.22.* Dicitur ergo cicatrix quando tunica adnata poſt aliquod vlcus illâ afficitur, & eſt ſubtilis in oculi ſuperficie, & etiam nominatur nubecula. Quod ſi cornea craſſeſcat, aut ingroſſetur, albuginis nomen meretur, ex Auic. *fen.3.lib.3.tract.2.c.17.* túncque viſus hebeteſcit, cùm corneæ tunicæ pars, quæ pupillæ anteſtat, craſſior, & ſpiſſior facta eſt; túncque dicitur propriè albugo, ad eundem modum ac ſi colorem mutauerit, vt conſtat ex Gal. 1. *de cauſis ſymptom.c.2.* quoties enim cornea craſſeſcit, impedita naturali perſpicuitate, color albus ſuccedit; cùm enim cornea tunica ſit pars ſeminalis, & alba, ſi illi cicatrix ſuperueniat, neceſſariò erit alba, vt docet Vega *3. de arte medendi, ſect.2.c.5.* Neque in hoc eſt ſequendus Ariſt. *ſect.9.problem.problem.20.* vbi ait, quod cicatrix debet habere parti colorem contrarium; non enim eſt ratio quæ ad illud ſuadeat. Sed quia diximus ex Galeni ſententia, quod viſio læditur ex colore albo tunicæ corneæ ex vi cicatricis inducto, examinare oportet ſequens dubium.

## §. VII.

### *An color intus oculum exiſtens prohibeat extraneum.*

*Valleſij ſententia.* ALiquibus videtur, viſionem lædi ex mutatione coloris tunicæ adnatæ, inter quos Valleſ. 4. *controuerſ.c.2.* vbi inquit, quod color intus præter naturam exiſtens, in oculo eſt morbus, qui per ſe viſioni officit, qui nullo modo ſub morborum diuiſione generali comprehenditur, qui facit videri omnia eodem colore infecta. Quod probatur ex Gal. *loco proximè citato*, vbi ait, quod ſi in oculis ſit coloris mutatio ab humoribus, pro humorum natura error in viſu reſpondet: proinde qui regio morbo laborant, pallida omnia videre ſe putant.

Ex quo ſequitur, quod ſi tunica ab humore albo, aut cicatrice intenſiorem comparet albedinem, omnia obiecta alba ſimiliter apparebunt, & pro huius ſententiæ confirmatione adducitur Ariſt. 3. *de anima*, *c.4.* qui aſſerit intus exiſtens prohibere extraneum; quæ doctrina etiamſi adducatur ad probandum intellectum non eſſe mixtum, ſicut Anaxagoras dixit; reſpectu tamen ſenſuum ſic poteſt comprobari.

*Prima ratio.* Color exiſtens in vitro viridi impedit perfectam viſionem, cum omnia appareant viridia, ſi ea per illud inſpicias: ergo ſimiliter ſi pupilla, aut oculi tunicæ haberent colorem, multò meliùs impediretur viſio perfecta coloris, quia impedimentum eſt magis potentiæ coniunctum.

*Secunda.* Secundò probatur à ſimili. In ſenſu tactus, qui non percipit qualitates primas ſimiles gradu niſi ab illis ſit organum denudatum.

*Vltima.* Tertiò idem probatur in ſenſu guſtus; nam ſi lingua ſit aliquo amaro humore imbuta, omnia iudicat eſſe amara; & ſi in auditu aliquis aër ſit incluſus, qui commotus ſonum efficiat, non benè percipitur ſonus externus. Cùm igitur in aliis ſenſibus intus exiſtens prohibeat extraneum, idem etiam debet intelligi reſpectu potentiæ viſiuæ.

Quamuis hæc ſententia his rationibus ſit ſtabilita, in contrarium tamen ſunt efficaciſſimæ rationes, quæ intellectum planè conuincunt; ideóque aſſerimus, colorem in oculo exiſtentem non impedire viſionem, neque efficere, vt omnia appareant eiuſdem coloris. Quam ſententiam tuentur Murc. de la Llana *3. de anima*, *diſp.3.q.1.* Petr. Garc. *diſputatione 23. de locis affect.c.1.* & alij. Ad cuius intelligentiam ſupponere oportet, oculos habere colorem naturalem, vt docet Ariſt. 1. *de hiſt.animal.c.9.* & *5. de generat. animal. c.1.* vbi inquit, quod membrana oculum circundans requiritur tranſlucida; talem autem eſſe, quæ tenuis, alba, & leuis ſit, neceſſe eſt; idque etiam ex anatome conſtat, ſiquidem per viſum iudicamus de tunicis, & humoribus oculorum, dum illarum partium fit ſeparatio. Hoc ſuppoſito primò ſic probatur concluſio. Si quis in ſpeculo ſe intuetur, videt pupillam oculi ipſius, in qua reſidet potentia viſiua: ergo color realis exiſtens in oculo non impedit receptionem ſpeciei intentionalis ſui ipſius: ergo neque impediet receptionem ſpecierum alterius coloris, quia vtriuſque eſt eadem ratio: ergo intus exiſtens non prohibet extraneum. Si verò dicas contra quotidianam experientiam, non videri pupillam, ſaltem negare non audebis, videri tunicas oculum, ſeu pupillam ambientes, in quibus recipiuntur ſpecies, vt ad pupillam perueniant; ſed illarum tunicarum color non impedit viſionem ſui ipſius, nec facit vt viſibilia ſint, vel appareant illius coloris: ergo intus exiſtens non prohibet extraneum.

Secundò probatur; nam quamuis intellectus ſit ſecundùm eſſe reale intellectus rei materialis, quia omnia ad modum rei materialis intelligit, ſi eſſet aliqua cauſa productiua ſpeciei alterius intellectus nequaquam repugnaret ex parte ipſius intellectus illam recipere, & intelligere: ergo intus exiſtens non prohibet extraneum ſecundùm eſſe intentionale.

Tertiò probatur experientiâ; nam ſi quis habeat manum ſatis mollem, & aliam manum ita mollem apprehendat, percipit ſanè alterius manûs mollitiem, & mollities interior non impedit mollitiei externæ perceptionem.

Quartò, nam ex eo, quod in organo viſus ſit aliquis color, non poteſt ſequi, quod ea, quæ videntur, ſint eiuſdem coloris, quantùm ad apparentiam; nam obiecta viſibilia, ſicut & aliorum ſenſuum, producunt ſuas ſpecies repræſentatiuas iuxta proprias naturas: ergo licèt recipiantur in oculo nigro, non eſt cur nigra talia obiecta appareant. Aliqui reſpondent, quod ſpecies modificantur per ſubiectum, per quod tranſeunt, & in quo recipiuntur, & ſic receptæ in ſubiecto nigro, illarum obiecta nigra apparent. Contrà, nam proprium ſenſibile percipitur per propriam ſpeciem, & non per modum ſpeciei; hoc autem tribuitur ſenſibili communi, & ſic propria ſpecies non modificatur. Tum quia ſi hæc eſſent vera, ſpecies viſibiles deberent modificari per lumen medij, aut organi, & omnia etiam apparerent lucida.

Tandem, quoniam tactus licèt ſit in organo corporeo qualitatibus primis tangibilibus affecto, alias excedentes, & intenſiores eiuſdem generis ſentit: ergo ad minus viſus deberet ſentire etiam obiecta viſibilia

A viſibilia in colore excedentia, etiamſi organum viſus eſſet affectum aliquo calore in gradu remiſſiori; & hac ratione non poterant apparare omnia obiecta eiuſdem coloris, nec externorum viſio impediri. Qua autem ratione tactus non percipiat primas qualitates in eo gradu ac ſunt in organo illius, non eſt huius loci, pertinet enim illius deciſio ad libros de anima.

*Ad argumenta reſponſiones.* Ad argumenta ergo in contrarium reſpondetur. Ad primum, ideò vitrum viride trahere potentiam ad ſui cognitionem, quia illius color mittit ad oculos ſpeciem efficaciorem quàm aliud obiectum; alia verò quæ per vitrum videntur, remiſsè videntur, non tamen viridia apparent, quia vt dixi, eorum ſpecies non modificantur, ſed tantùm remſſæ ad oculos perueniunt propter vitri viridis impedimentum; quod cùm magis moueat potentiam, ideò intenſiùs percipitur: colores verò exiſtentes
B in oculo non videntur, quia ad viſionem aliqualis obiecti diſtantia requiritur, & ſic non immutant potentiam.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ad perceptionem primarum qualitatum in organo tactus requiritur præuia alteratio, quæ fieri nequit inter qualitates primas eiuſdem gradus, & ſic ſenſus tactus non percipit illas, quia à ſimili alteratio non fit; percipit tamen qualitates excedentes, quia ab illis alterationem patitur: quæ alteratio non requiritur in organo tactus reſpectu qualitatum ſecundarum, & ſic in quocumque gradu illas ſentire poteſt.

Ad tertium reſpondetur, quod exiſtente bile in lingua, omnia apparent amara ex permiſtione cum bile, quæ ob excedentem amaritudinem, & efficaciorem ſpeciem, quam producit, magis potentiam eo tempore excitat, quàm reliqua guſtabilia. Si ve-
C rò intra auditum ſomnum efficit aër commotus, ideò non percipitur alter ſonus, quia natura cùm ſit limitatæ virtutis, non poteſt ſimul varios, & diuerſos ſonos percipere, ſecundùm commune axioma, *Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*; & per præſentiam vnius obiecti audibilis intenſè ſui ſpeciem producentis, diſtrahitur natura à perceptione aliorum obiectorum; quod fieri diximus capite de phrenitide, ratione aduertentiæ circa vnum, & non circa aliud.

Ad id quod aſſerit Galen. nempe in morbo regio omnia pallida apparere, reſpondetur hoc non fieri ob humoris colorem intra oculum exiſtentem, ſed potiùs fieri, quia vapores exeunt extra oculos, & producunt ſpeciem ſibi accommodatam, vt oculus illos percipiat, qui cùm pallidi ſunt, indicant ſe pallida videre. Neque eſt credendum, quod muſcis,
D quarum oculi ſunt rubri, obiecta colore rubra repræſententur, ac per conſequens ex colore oculi non ſequitur, quod viſibilia illum colorem, & non proprium repræſentent.

*Oculi calor non eſt morbus.* Ex his infero, oculi colorem non eſſe morbum, ſed potiùs ſymptoma in qualitate mutata, quæ dependet ex qualitatibus primis, vt reliquæ qualitates ſecundæ; & ſic iſte morbus reducitur ad morbos intemperiei, ſeu partium ſimilarium. Si igitur humor aliquis ad oculum perueniat, poterit quidem viſionem lædere, non tamen ratione coloris; ſic ſimiliter albugo, ſeu cicatrix reddit oculum ineptum ad videndum, quia reddit partem, cui inhæret, craſſiorem, & denſiorem, minúſque lucidam, ſeu diaphanam; & hanc ob cauſam non benè pertranſeunt ſpecies ad oculi pupillam, actióque videndi diminuitur, aut in totum aufertur.

*Cauſa.* Huius morbi cauſam inueſtigare non eſt difficile, cùm ſequatur ad vlcera, inflammationes, & dolores oculorum, fierique etiam ſolet ab humoribus craſſis intra corneam perſpicuitatem impedientibus; qui ſi parùm craſſi fuerint, nubeculas; ſi craſſiores, albugines procreant.

Facilis cognitu eſt iſte morbus, qui ſi inueteratus ſit, curationem non admittit, vt inquit Aëtius; *Signa.* nam calloſas ac diuturnas, & craſſas cicatrices ſi velis curare, neceſſe eſt collyriis valdè acribus vti, & à vehementi illorum mordacitate aliæ partes exulcerantur; mitioribus autem collyriis minimè cedit affectio, & ſic vt incurabilis relinquenda eſt.

## §. VIII.

### *Curatio albuginis, & cicatricis oculorum.*

SI quis cicatricem exterere velit, quæ curationi ſubiicitur, bono vitæ regimine inſtituto circa res non naturales, ita vt à vino abſtineat æger, aut parum bibat, victúque vtatur moderato, & boni ſucci, & probæ coctionis, qui minimè flatuoſus ſit, ac ab omnibus acribus, ſalſis, craſſiſque cibis ſe abſtineat; ſi humor craſſus in cauſa fuerit, illum oportet extenuare, & ad purgationem præparare his, quæ aliis capitibus diximus, præcipuè in curatione lethargi: mox vtendum eſt frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis partium extremarum, idque efficies ſi humor adhuc in oculos dilabatur; vtendúmque errhinis, & maſticatoriis eiſdem locis traditis.

Quibus factis, & interim dum fiunt, topica auxilia ſunt adminiſtranda, in quem vſum confert hæc aqua. ℞. aquæ plantag. & roſarum, ana ℥.ij. vini albi odoriferi ℥.ß. bulliant ſimul vnicâ ebullitione; floris æris optimè triturati ʒ.j. tuthiæ, & ſacchari candi, ana ʒ.ß. per duos dies agitentur, & poſtea clarificetur aqua, cuius gutta intra oculum iniiciatur. Quod ſi tuthia, & æs abluantur, priùs benignius medicamentum efficies. Extergit etiam moderatè cornu cerui vſtum, & ſimiliter præp. ex Galen. 4. *de compoſ. medic. ſecund. locos, cap.* 4. & centaurij ſuccus cum melle nubeculas abſtergit, ex Paulo, aut hæc aqua. ℞. aquæ fœniculi, chelidoniæ, & euphraſiæ, ſing. ℥.ij. ſarcocollæ nutritæ, æris vſti, & tuthiæ, ana ℈.ij. teſtæ ſepiæ vſtæ, ſtercoris lacerti, & collyrij albi raſis, ana ʒ. ß. omnia ſimul miſta agitentur, & calida hæc aqua inſtilletur in oculùm: aut cum ſebo hœdi, ſtercore lacerti, puluere tuthiæ præp. felle vaccino, & ſaccharo cando vnguentum conficies, quo oculus liniatur. Ad albuginem confert ſepiæ teſta combuſta cum melle leuigata, vel hæc mirabilis aqua. ℞. ſchillam in fruſtra diuiſam, quæ vino albo operiatur, aquæ fœniculi, chelidoniæ, & roſarum, ana ℥.ij. mellis virginis ℥.j. æris vſti ʒ.ij. aloës lotę, tuthiæ, & ſacchari candi ana ʒ.ij. foliorum rutæ p. j. mittantur ſimul in alembicum, & ex eis aqua inſtilletur, quæ in oculos immiſſa prodeſt, & humores craſſos reſoluit, nubeculam, & albuginem extergit; quæ quidem ſeruari debet in vaſe benè cooperto. Mellis aqua inſtillata ſaccharo cando, vel tuthiæ præparatæ admiſta abſtergit oculos moderatè. Ouum recens ſub cineribus coctum, & induratum prodeſt, ſi detracto vitello, loco illius albumen diuiſum repleatur viridi ære, & ſaccharo cando; deinde ſtrictè ligatum in aqua euphraſiæ, & chelidoniæ quatuor dierum ſpatio ſit immerſum, ex quo collyrium paratur vtiliſſimum, de quo periculum feci.

## §. IX.

### *De lacrymarum effluxu.*

PRæter dicta oculis ſuccreſcit epiphora, ſiue lacrymarum effluxus, quo caput per oculos excrementa deponit, vt docet Gal. *lib. ſpurio de compagine membrorum*, ſiue *de natura humana.* Sunt equidem lacrymæ aqueus quidam liquor per oculos defluens, vt etiam ipſe teſtatur 7. *ſimplic.* agens de ſciſſo, ſeu hædera. Lacrymæ fiunt ex eadem materia à qua fit ſudor, vt Galen. inſinuat *lib. ſpurio de hiſtor. Philoſophica*: & cùm ſudor naturalis ſalſus ſit, vt ipſe retulit 10. *ſimplic. cap. de ſudore*, lacrymæ etiam ſalſæ percipiuntur, vt quiuis experiri poterit. Quapropter inquit Ariſt. 5. *ſect. problemate* 35. quod lacryma ſudor quidam eſt. Qua verò ratione ſudor, & lacrymæ ſalſa fiunt, colligitur facilè ex Galen. & aliis, qui tradunt cauſas ſalſæ pituitæ; nam eædem de omnibus verificari poſſunt.

*Quibus modis fiat ſapor ſalſus.* Tribus modis referunt, aliqua ſalſa reddi. Primò per putredinem, ita enim oſtenditur à Galeno 2. *de facult. natur. cap. vltimo*, vbi appellat pituitam acidam crudam, ſalſam verò putridam. Quod confirmat Auic. *fen.* 1. *lib.* 1. *doctrina* 4. *cap.* 1. dicens: *Et nos quidem dicimus putredinem ipſum ſalſum efficere*: & huius euentus rationem reddit; nam putredinis calor in ipſo phlegmate producit vſtionem, & cinereitatem, quæ cum eius humiditate commiſcetur.

Sed obiicies. Sequitur ex hoc, quod omnis pituita dum putreſcit, redditur ſalſa, ſiquidem habet cauſam ſalſi ſaporis, putredinem ſcilicet, & ſic ſemper dum putreſcit, illum ſaporem comparabit; quod eſt contra experientiam.

Reſpondetur, non ſemper eſſe vnum modum putredinis, & ita non quauis putredine redditur pituita ſalſa, ſed peculiari. Quod facilè intelliges; nam animalia per putredinem genita non à quauis putredine generantur, ſed tunc in rebus putridis producuntur, quia calor naturalis, idemque diſcretus, remanet cum aliqua vi congregandi, & vniendi ea, quæ à calore putredinali ſunt ſeparata. Sic ſimiliter in pituita putreſcenti, & alio quouis liquore, qui putreſit, calor naturalis, qui remanet, ſi habet vim vniendi, & permiſcendi humidum cum ſicco cineritio, reuerà ſapor acidus inſurget. Sed quia talis permiſtio non ſemper à calore fieri poteſt, ita neque ſemper ex putredine terræ generantur animalia, neque ex liquoris putredine ſalſus ſapor reſultat.

Secundo modo fit ſalſus ſapor ex permixtione amaræ bilis, vel alterius rei amaræ cum humiditate, vt etiam oſtendit ibi Auic. dum ait: *Omnis verò ſalſuginis cauſa eſt vt aquoſæ humiditati pauci ſaporis, aut priuatæ eo terreæ partes aduſtæ complexionum ſiccarum, & ſaporis amari æquali temperamento miſceantur; ſi enim multæ fuerint, amarus ſapor prouenit.* Quod probat Ariſt. 2. *meteor. cap.* 3. exemplo aquæ per cinerem colatæ, quæ poſteà ſalſa remanet, propter admiſtionem cineris amaritudinem habentis; ſicque, inquit, vrina redditur ſalſa ex bilis permixtione, cùm ipſa tamen vrina fiat ex potu dulci. Hoc etiam modo maris aqua ſalſa fit, ob permiſtionem ſcilicet partium terreſtrium aduſtarum, quæ per calorem ſolis amarorem contraxerunt, ſicut cineres per calorem ignis: quæ quidem partes amaræ ſi in multa quantitate aquæ dulci admiſceantur, iam non ſalſum, ſed amarum reddunt totum liquo-

A rem, id experientia comprobante in lacu Paleſtinæ, qui ob ingentem calorem ſolis, & plurium partium aduſtionem, maiorem nanciſcitur amaritudinem, quàm aquæ maris, & paludum.

Tandem fit ſapor ſalſus ob permixtionem ſeroſæ humiditatis ſalſæ cum alio liquore, vt docet Galen. 2. *de different. febr. cap.* 6. quamuis permixtionis huius non recordetur 2. *lib. de facult. naturalibus, cap. vltim. citato.* Quapropter cùm iis de cauſis ſalſus ſapor ortum ducat, ab eiſdem lachrymarum, & ſudorum ſalſedinem oriri poſſe exiſtimamus.

*Cauſa.* Quantùm ad cauſæ lachrymarum conſiderationem ſpectat, frigiditas lachrymarum fluxum excitare valet, vt docet Gal. 4. *de ſimplic. medicam. facult.* quod efficit conſtringendo, & comprimendo; ex qua compreſſione tenues excernuntur humiditates, & ponit exemplum in lachrymis oculorum.
B Ex calore humorem diſſoluendo, & attenuando fluunt lacrymæ, quod etiam inſinuauit Ariſtot. 5. *ſect. problem.* 13. & 35. Fit etiam lacrymarum effluxus à cauſa exteriori, vt à fumo, puluere, & ictu, & ab inflammatione, & oculorum dolore, qui per ſemotionem cauſæ facilè aufertur. Prætermitto eum lacrymarum effluxum, qui ſequitur morbos acutos, de quo Hipp. dixit 1. *prognoſt. Si nolentes illacryment, &c.* nam per morbi ablationem ipſæ etiam delentur, neque curare intendimus illum, qui ſequitur carnium lacrymalium conſumptionem, qui eſt incurabilis, vt patet in ſenibus; ſed ſolùm illum, qui ex humorum redundantia in capite, & toto corpore procedit.

*De ſignis.* Si enim lacrymæ calidæ, & erodentes ſint, bilis exceſſum oſtendunt; ſi verò aquoſæ, & frigidæ,
C humorem pituitoſum denunciant, quæ morſu, & acrimonia vacant, ſicut calidæ, & acres oculos mordent, irritant, & calidæ perſentiuntur, palpebras exedunt, & acutos dolores inferunt.

Præterea cognoſcere oportet, an lacrymæ defluant in oculos extra caluariam: quod inde percipies, nam venæ frontis intumeſcunt, palpebræ implentur, & dolor in extimis ſentitur, & arteriæ valdè pulſant, & ſiccantibus ſuprà frontem applicitis adiuuantur.

Quod ſi à partibus intra caluariam manauerint, narium pruritus aderit, & capitis dolor internus, & pondus, quod immodicè fluentibus lacrymis ſedari ſolet.

Cùm omnis fluxio excitetur ex duplici cauſa, vt docuit Galen. 2. *de different. febr. cap. vltimo*, nempe ex parte debili recipiente, quæ promptè humorum redundantiam in ſe recipit, & ex forti-
D tudine, & robore tranſmittentis, quæ humores, & excrementa in partem debilem tranſmittit, clarò conſtat partem recipientem in hoc affectu eſſe oculos, tranſmittentem verò eſſe caput, quod ab intemperie debile redditur, cuius ratione plura congerit excrementa, & ea in oculos deponit, aut ea recipit à toto corpore, vel ab alia parte, deinde in oculos tranſmittit. Huiuſmodi intemperies ſi calida ſit, aut frigida, vel alterius ſortis, percipitur iis ſignis, quæ capite de dolore capitis adducta fuere.

§. X.

A

## §. X.

### *Curatio effluxus lachrymarum.*

VIctum in huius affectus curatione tenuem inſtitues, vt capite de ophthalmia diximus, qui infrigidans ſit, dum lachrymæ calidæ, & erodentes exeunt, quo tempore bibat aquam frigidam, hordei, aut ſcortioneræ. Procedente tempore ad craſſiorem victum declinare fas eſt, quia morbus diu durans cùm ſit, cum victus parſimonia tolerari non poteſt. Verùm ſi lachrymæ aqueæ, & frigidæ ſentiantur, victus exſiccans adminiſtretur, vt carnes pulli, turdorum, turturum, perdicum, & paſſerculorum, quæ aſſæ magis ſunt ex vſu. Noctu aſſumat amygdalas cum vuis paſſis, & panem biſcoctum, & oua tremula: in fine prandij, & cœnæ aſſumat coriandrum præparatum, dianiſum, aut citoneorum conſeruam. Bibant aquam cinnamomi, aniſi, aut vinum aquoſum nimis. Modicis vtantur frictionibus, ventrémque habeant lenem, ſomnóque fruantur moderato. Si ad fuerit ſanguinis multitudo, illam demere tentabis venâ brachij communi ſciſsâ, quæ ſanguinis miſſio bis, aut ter eſt facienda pro ſanguinis, & humorum redundantia, & virium fir mitudine; & hoc fieri debet à quacunque parte morbus procedat. Acribus, & ſalſis humoribus redundantibus fiet præparatio, & eorum purgatio cholagogis medicamentis, vt diximus *c. de ophthalmia*; redundante verò pituita, illâ priùs attenuantibus ſyrupis præparatâ, phlegmagogis eſt etiam euacuanda. Mox cucurbitæ occipitio ſunt affigendæ, & inueterato malo ceruicis initio ſetonem transfigere expedit, diúque apertus eſt ſeruandus. Fronti, & temporibus repellentia ſunt admouenda, vt dicto iam capite egimus.

Si cauſa calida ſit, & lacrymæ erodentes, & acres fluant, contrariis eſt corrigenda, *vt c. de dolore capitis* dictum eſt: deinde oculis imponatur hoc collyrium. ℞. ſarcocollæ nutritæ ʒ.ij. tragacanti ʒ.j. miſce; quod ſubtiliter puluerizatum mirificè prodeſt, hæc enim duo medicamenta ad lacrymas maximè conferunt, ex Gal. *lib. illi attributo de ſimplic. medicamentis*. Aut ℞. aquæ roſarum, & portulacæ ana ℥.ij. collyrij albi Rhaſis ſine opio, & in dolore vehementi cum illo, & ceruſæ lotæ, ana ʒ.j. quod in oculos inſtilletur, aut cum tuthia præparat. & amylo loto, & aqua roſarum collyrium formetur. Quod ſi ardor nimius ſit, oculos fouebis decocto maluarum, & papaueris.

Solent prætereà palpebræ exaſperari, & exeſſionem pati à dictis humoribus: eos igitur liberabis, ſi liniantur palpebræ ſebo hœdino liquato, & aqua maluarum loto, vel axungia gallinæ eodem modo lota.

At ſi lacrymæ ſint frigidæ, & aqueæ naturæ, oculis inſtillabis id quod recipit ſucci fœniculi, & aquæ chelidoniæ ana ℥.ij. amyli, aloës, & thuris lotorum, ana ʒ.ß. miſce. Vel ℞. decocti fœnugræci, & fœniculi ana ℥.ij. vini albi ℥.j. tuthiæ, antimonij, & ſarcocollę ana ʒ.j. miſce. Earundem rerum puluis etiam oculis impoſitus vtilis cenſetur. Item piceæ tædæ fuligo in ſcutella, aut olla collecta lacrymas compeſcit, ex Galen. 8. *de ſimpl. medic. facult.* Tandem ſectiones venarum, temporum, & quæ ſunt in angulis oculorum lacrymalibus vtiles ſunt, ex eodem *lib. de anatomia viuorum*, & vt dixi capite de dolore capitis, frigida capitis intemperies contrariis eſt corrigenda, quorum copiam ibi deſcriptam inuenies.

## §. XI.

### *De ſuffuſione.*

HIc affectus apud Græcos ὑπόχυμα, ab Arabibus *gutta*, à latinis ſuffuſio nominatur, qui nihil aliud eſt, quàm humorum affuſio, qui inter tunicam cryſtalloïdem, & ceratoïdem concreſcunt, vt ait Paul. *lib. 3. c. 22.* & vt inquit Auic. *fen. 3. lib. 3. tr. 4. c.* 18. deſcenſus aquæ eſt ægritudo oppilatiua, & eſt humiditas extranea ſtans in foramine tunicæ vueæ; quare prohibet penetrare formas ad viſum. In quo conuenit Aetius *tetrab. 2. ſerm. 3. c.* 51. Ex quibus claret, hunc morbum conſiſtere in obſtructione, nam in tantum lædit viſum B in quantum impedit tranſitum ſpecierum viſibilium, vt aſſerit Auicen. *loco citato*, & *fen. 3. lib. 3. tr. 4. c.* 1. dicens: *Aut oppilatur integrè, aut non integrè, ſicut cùm eſt deſcenſus aquæ.* Idémque oſtendit Galen. 7. *de placitis Hipp. & Plat. c. 6.* vbi ait: *Suffuſio appellatur, in qua fulgoris vitrei meatus, qui in cianali tunica eſt, obſtruitur.*

Neque in hoc eſt ſequendus Ludouic. Merc. *de intern. morb. curat. cap.* 21. qui hunc morbum reducit ad intemperiem cum humoris affluxu; ſiquidem conſtat, humorem viſionem lædere obſtruendo, & impediendo ſpecierum tranſitum, aut luminis interni ad extra, potiùs quàm oculum diſtemperando; & hanc ob cauſam Gal. *de different. morb. cap.* 8. hunc morbum collocat inter morbos numeri additi toto genere præter naturam, vt in veſ- C ſica lapis, qui etiam obſtruendo læſionem actionis efficit. Quod ſi totum oculi foramen à craſſo humore obtenebratum non ſit, nec obſtructum, ſed aliqua pars eius pura ſuperſit, per illam quidem, quæ extrinſecus ſunt, nihilo deteriùs quàm antea videbuntur; non tamen vno tempore multa, vt aſſerit Galen. 1. *de ſympt. cauſis, cap.* 2. qui rationem huius reddit dicens: *Quia ſcilicet anguſtior quàm antea factus eſt viſionis conus.* Poſſunt itaque videri obiecta perfectè per partem foraminis non obſtructam, quia nullum eſt impedimentum, vt per illam ad oculi pupillam viſibiles ſpecies perueniant: ſed quia illa pars eſt exigua, non poſſunt plura ſimul videri, quoniam accidit vt obiecta videantur ſolum ſecundum partes parti non obſtructæ correſpondentes, cum qua habent rectitudinem, ratione quarum dicitur à Gal. quod viſus nihilo deteriùs quàm antea obiecta percipit: licèt enim ſpecies obiectiua habeat extenſionem obiectiuam, quæ producitur à toto obiecto, & recipi- D tur in medio, nempe in aëre, ratione cuius habet etiam extenſionem ſubiectiuam; cum hoc tamen non videtur totum obiectum, quia ſpecies tantùm ad oculos perueniunt, quæ dependent à partibus obiecti foramini correſpondentibus, aliæ verò obiecti partes non percipiuntur, quia foramini oculi non obſtructo directè non reſpondent: & hanc ob cauſam inquit Auic. *Illud ergo, quod ex viſibilibus coram parte oppilata exiſtit, non comprehendit viſus, ſed comprehendit illud, quod eſt coram parte diſcooperta, & quandoque comprehendit viſus alicuius rei medietatem, & partem eius, & non comprehendit reliquum.* Si verò in pupillæ centro exigua fuerit ſuffuſio, ita vt in medio foraminis ſit humor viſionem lædens, tunc latera obiectorum quaſi per feneſtras videntur, propter eandem rationem. Quod ſi humor ſit diuulſus, nec in ſe coniunctus, & ſit in oculo fluitans, iis qui ſic ſe habent, tanquam culices quidam foris obuerſari videntur, vt Gal. ait.

*Mercati lapſus.*

*Quibus modis fiat ſuffuſio.* Dupliciter inſurgit morbus iſte, aut oculis per ſe patientibus, aut ab aliis partibus malo communicato, præcipuè tamen à ventriculo. Si enim tibi pupillam contemplanti ſuffuſionis apparuerint accidentia tribus, aut quatuor, aut etiam pluribus menſibus, & nihil tenebroſum in oculis videatur, ab ore ventriculi affectionem procedere inuenies, vt docet Galen. 4. *de locis affect. cap.* 1. Quod ſi vterque oculus afficiatur, ab eodem principio initium ſumere certum eſt; nam quando in oculis primariè fit ſuffuſio, non fit ſimul in vtroque oculo, ſed frequenter incipit in vno, deinde tractu temporis alterum oculum occupat. Quod ſi ſuffuſio intermiſſionem habuerit, neque ſemper oculi moleſtentur, intermiſſio ſuſpicionem excitat, quod malum à ventriculo prodierit, ſicut aſſiduitas, & permanentia oculos per ſe pati declarant: & ſi humor aliquis ventriculum mordens, aut crudus humor perſæpe in ventriculo ſentiatur, ab eo procedere affirmare audebis.

Affecto cerebro quædam accidentia ſuffuſioni ſimilia ſuccreſcere ſolent, vt in aliquibus phrenitidis ſpeciebus cernimus; nam ab humore torrido exiſtente in cerebro oritur fumus quidam, veluti in lucernis ab oleo, qui ad oculum delapſus, viſum obtenebrat viam, & oculi meatum obſtruendo; & hoc ſolet eſſe præludium ſuffuſionis eis, qui exiſtimant ſe videre culices, aut muſcas ante oculos obuerſantes, qui affectus imaginatio vocitatur ab Auic. *fen.* 3. *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 9. quia qui hoc affectu laborant, imaginantur ſe videre, quæ non vident. Culices, ſeu muſcas apparentes exiſtimo formari ex vaporibus, qui ante oculos ad extra obuerſantur, non autem ab iis, qui intra oculum manent; nam quæ intra oculum ſunt, videri non poſſunt; aliàs enim totam oculi, & cerebri compaginem videremus. Præterea huiuſmodi vapores ab aliis non videntur propter eorum tenuitatem, & ſubtilitatem, & quia ob eorum exiguam virtutem non poſſunt producere ſpecies ad tantam diſtantiam, vt ab aliis videri non poſſint.

*Obiectio.* Sed inſtabis: Vapor extrà exiſtens iuxta humorem cryſtallinum poteſt ſuas ſpecies producere in oculo: ergo poterit etiam videri, cùm nihil deficiat ad talis actus exequutionem.

Reſpondetur, non ſufficere illam ſpeciem quomodocunque, ſed modificatam cum ſenſibili communi, nempe cum præſentia locali, quæ aliquantulum diſtare debet à potentia viſiua, vt tale obiectum percipiatur; nam de potentia viſiua verificatur, quod ſenſibile poſitum ſupra ſenſum lædit ſentationem.

*Cauſa.* Cauſam ſuffuſionis eſſe humorem craſſum, & frigidum, omnes admittunt, in principio tamen à flatibus, ſeu vaporibus craſſis fieri contingit, vt deducitur ex Gal. 4. *de locis iam cit.* Gentilis *in expoſ. loci Auic. in princ. citati*, aliam cauſam adducit, craſſitiem ſcilicet humoris albuginei, quæ impedit viſionem, & facit accidentia ſuffuſioni ſimilia; quod deducitur ex Gal. 1. *de cauſ. ſympt. c.* 2. vbi ſic: *Sin vehementer craſſus eſt factus* (loquebatur de tenui humore) *veluti in ſuffuſionibus euenit, vtique videre hominem prohibet.* Qui morbus reducitur ad ſuffuſionem, quatenus craſſities humoris albuginei impedit humoris perſpicuitatem, & viam, per quam ſpecies ad pupillam peruenire debent.

*Signa.* Hunc morbum antecedunt lachrymarum effluxus, opththalmiæ, capitis dolores, frigidi, & craſſi humores, & alimentorum craſſorum vſus. Incipiente morbo ante oculos apparent muſcæ, calices, & fila, circulique circa lucernas, quo tempore pupillam diligenter inſpicies, nempe an ſit lucida, & ſplendens, an verò turbida: procedente verò tempore pupilla refert colorem maris, deinde dum magis concreſcit, albicantem colorem habet, mox ad colorem plumbeum, & glaucum peruenire ſolet, & ad nigrum, & alios colores, quos Auic. refert.

*Præſagium.* Suffuſio ſi recens ſit medicamentis ſæpè diſcutitur, ſed vbi vetuſtior facta ſit, manus curationem deſiderat ex Celſ. *lib.* 7. *c.* 7. Suffuſionis ſunt plures differentiæ ex colorum varietate deſumptæ. Quædam quidem ſunt aërei coloris, aliæ vitrum referunt, aliæ ſunt albicantes, vel ad viridem colorem mutantur, aliæ colorem glaucum habent. Quæ ſunt coloris glauci, incurabiles cenſentur, ex Aetio: quæ ſunt coloris nigri, & gipſi, difficilè, aut nunquam curantur, ex Auicenna.

*Nota.* Cùm iſte affectus vetuſtior ſit redditus, ita vt medicamentis diſcuti humor non poſſit, oportet cognoſcere, an manuali operatione poſſit curari; quod docet Galen. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. dicens:
B *Quippe quibus altero conniuentibus, alterius pupillam dilatari contingit, iis ſi compunctio adminiſtretur, recipiendi viſus fiducia eſt. Quibus non dilatatur, nemo vnquam reuidit.* Et ratio eſt, quia per vnius oculi conniuentiam, & compreſſionem ſpiritus animalis qui ad oculum compreſſum defluebat, in alterum oculum facilè dilabitur, quare illius diſtendit, & dilatat pupillam; quod ſi pupilla non dilatetur, iam humor nimis eſt concretus, & ita oculo affixus, & obſtruens, vt adhuc manualem operationem effugiat, & ſic non oportet illius curationem aggredi. Si verò illius oculi pupilla dilatetur, ſpes ſalutis propter contrariam rationem eſt habenda.

## §. XII.

### *Curatio ſuffuſionis.*

C PAulus, & Aëtius pro morbi huius curatione victum in principio attenuantem commendant. Itaque morbo per oculi propriam affectionem ſuccurres ſuccorum craſſorum, & eorum, quæ caput replent, abſtinentia. Vinum euitent: bibant aquam fœniculi, aniſi, aut cinnamomi. In fine prandij, & cœnæ, accipiant dragetam ex fœniculo, aniſo, aut coriandro præparato, ſeu carnem citonerum, vel pira auſtera condita. Antequam malum radices egerit, ſanguinis detractione ex vena media, aut humeraria, & humorum craſſorum præparatione attenuantibus, & incidentibus facta, & eorum expurgatione curari ſolet affectio, vt ait Paulus. Deinde vtendum eſt frictionibus, & cucurbitulis, & enematibus fortibus, vt præcipit Aëtius, qui etiam iubet cucurbitulam ſcarificatam occipitio affigere, & errhinis, & narifuſoriis vti. Mox medicaminibus ſim-
D plicibus, & leuioribus ad oculos in principio eſt vtendum, putà melle, & fœniculi ſucco, aut melle, & ſaccharo cando, & fœniculi decoctum per initia ſuper fuſum adiuuat. Item aqua chelidoniæ, & euphraſiæ, & vini albi parū, cum tuthia præparata, & aloë vtilia cenſentur, vel hæc aqua. ℞. florum camemali, meliloti, & antos, ana p. ij. fœniculi, & euphraſiæ ana m. ß. ſeminis fœnugræci ʒ. ij. croci ℈. ij. vini albi ℥. ij. aquæ fœniculi, & roſarum ana ℥. iij. viridi æris, & aloës, ana ʒ. ij. mellis ℥. ij. folior. rutæ m. ß. Omnia ſimul per alembicum inſtillentur; quæ aqua mirabiliter hunc morbum curat in oculos inſtillata, præcipuè cum iam morbus inueteraſcit. *Aqua mirabilis.* Præter dicta conferunt ea, quæ pro albuginis curatione adduximus. Præterea ieiuno ventre pectine ſcalpant caput anterius retroſum.

troſum. Laqueus, aut ſeto iuxta terminationem capillorum in occipitio affixus materiam ad oculos fluentem potenter retrahit. Oportet etiam caput roborare, ad quod fieri poteſt ſacculus aut cucufa ex pulueribus milij torrefacti, maioranæ, roſarum, ſtœcados, roris marini, camem. maſtichis, & ſimilium, aut ex eiſdem cum cinere vitis poteſt fieri lixiuium, quo ſemel, aut bis in hebdomada capitis lotio fiat.

*Curatio ſuffuſionis per chirurgiam*

Quod ſi iſte affectus iis remediis non cedit, tunc ſuffuſio, ſeu cataracta, ſi confirmata ſit, nec nimis recens, neque antiqua nimis, ita vt mediocrem conſiſtentiam habeat, per manualem operationem eſt curanda; nam tunc temporis reſoluentibus auxiliis illam curare eſt impoſſibile, quæ curatio manualis indiget viro maximè in arte exercitato. Curationis modum ſcriptum inuenies apud plures Authores, præcipuè tamen apud Ioannem de Vigo 4. *de vlceribus, cap.* 7. Si verò nimis ſit concretus humor, & morbus inueteratus, maximeque oculo adhærens, acu minimè ſeparari poteſt: quapropter talis curatio eſt prætermittenda, ſicut ſi humor eſſet fluidus, & ſine conſiſtentia, vt circa initia apparere ſolet; quo tempote nec talis curatio eſt tentanda, quia facilè humor in hanc, & illam dilabitur partem, & acu extrahi non poteſt, ſed digerentibus & reſoluentibus potiùs abſumitur.

*Curatio ſuffuſionis ex ventriculo.*

Si verò ſuffuſio per conſenſum à ventriculo fiat, illum enacuare præcipit Galen. 4. *de locis, c.* 1. vbi inquit, ſe plures ſanaſſe medicamento ex aloë, quod hieram vocant. Itaque in humorum crudorum abundantia illos præparabimus rhodomelle, ſyrupo de abſinthio, de mentha, aut de duabus radicibus: deinde illos euacuabimus pillulis de hiera, de maſtiche, de agarico, aut aggregatiuis, quam euacuationem licebit etiam per interualla repetere. Deinde ventrem oportet roborare exteriùs oleo abſinthij, menthæ, & maſtichis, ex quibus cum puluere diarrhod. Abbatis, aromatici roſarum, cinnamomi, & calami aromatici cum cera fieri poteſt vnguentum, vel ceratum pro ſtomacho. Verùm ſi humores ſint bilioſi, eos præparabis rhodomelle ex ſaccharo, & ſyrupo acetoſo, borrag. & roſarum; deinde illos euacuabis cum diluto rabarb. & ſyr. Regio, vel ex nouem infuſionibus roſarum perſicarum, vel pillulis de hiera, & de rhabarb. mox oleo roſarum, citoneorum, myrthi, & nardini ſtomachum fouebis, & cum puluere roſarum, myrthi, coralli præp. & margaritarum præpar. & cera vnguentum, vel ceratum effinges ad ſtomachum. Reliqua capite de ventriculi imbecillitate ſcripta reperies.

## §. XIII.

### *Obſeruatio pro quodam ægro ſuffuſione oculorum laborante.*

QVidam homo genere præclarus, qui circiter ſeptuageſimum agebat annum, fluxionibus ad oculos obnoxius, qui oculos habebat prominentes, & conſequenter debilis viſûs; virtus enim diſtributa redditur infirmior: ipſe quidem ſuffuſione antiqua ſeptem annorum laborabat in vno oculo, ita vt videndi actionem omninò abolitam haberet; altero verò ob continuum humorum defluxum parum, aut nihil videbat, erat enim oculus intemperatus, illachrymans, & illius tunicæ humiditatibus plenæ, quæ ſpecierum viſibilium receptionẽ in pupilla impediebant, & oculi ſplen-

A dorem ab ſpirititibus animalibus impartitum remittebant. Hic igitur cupiens viſum recuperare, quendam vocauit artificem, nos *oculiſta* vocamus, qui oculi malum intuens, & oculum confricans, conſtanter aſſeruit illum oculum (erat enim oculus ſiniſter) ſanitatem recuperare poſſe acu cataractam ſeparando, quæ erat boni coloris, & ſubſtantiæ modum habebat medium, ita vt facillimè acui ſubiiceretur. Nobilis ſenex hoc nuntio lætus vocare iuſſit Medicum ſcientiâ præclarum, & antiquum: me quoque vocauit, qui omnes ſimul conuenimus, & de caſu propoſito tractare cœpimus. Artifex affectu, vel deſiderio operandi, aut vt meliùs dicam, pecuniæ deſiderio commotus, adduxit quaſdam rationes ſenſui apparentes, quibus probare nitebatur, ex acus punctione ægrum ad ſanitatem reſtitui poſſe, quas deſumpſit ex colore ſuffuſionis, & ſubſtantiæ modo, quæ licèt eſſet

B inueterata, ſicque poterat nimis oculorum tunicis adhærere, & acui reſiſtere, aſſerabat tamen, quod ex oculi compreſſione, & commotione dilatabatur, & ad maiorem loci extenſionem deueniebat; quod quidem non ita eueniret, ſi eſſet nimis radicata, & adhærens; atque adeo nil impediebat huius remedij admotionem. His rationibus ſuaſus alter ſocius præbuit conſenſum, neque meam volebat expectare ſententiam, diiudicans eam non poſſe euertere artificis fundamenta. Sed me audire coactus, ſubticuit, & ad rem deueniendo, aſſerui nullam rationem ex artifice traditam validam eſſe; nam illæ ſolùm probabant, cataractam acu ſeparari poſſe, non tamen inde poterat deduci viſus reparatio. His rationibus ductus. Primò, quia nobilis ille ſenex in illo oculo habebat fluxionem continuam ex ca-

C pitis debilitate ortam; & ſicuti in altero oculo viſionem amiſit ratione h moris defluentis abſque ſuffuſione, pari ratione cùm ille oculus eſſet ſemper eiſdem tentatus fluxionibus, non rat potens videre, quamuis ſuffuſio, ſeu cataracta acu ſubtraheretur; nam erat obſtructus neruus oticus, neque erat locus deſcenſui ſpirituum animalium, & totus oculus erat humiditatibus imbutus, neque tunicæ, & oculi humores habebant eum ſplendorem & diaphaneitatem, quæ ad ſpecierum viſibilium receptionem conducit. Sed ſocius meus aliàs doctiſſimus interrogauit, quanam ratione optici obſtructio dignoſci quit? Si enim nullo in oculis malo apparente cernendi ſenſus deperditur, vt accidit in morbo, quem guttam ſerenam dicimus, reuerà in neruo optico morbum, ſeu obſtructionem exiſtere fatemur; hîc tamen vitium adeſt in oculo: non ergo oſtendere poſſumus nerui optici obſtructionem. Quapropter ſi ſemel cataracta ſubtrahatur, ſtatim

D videbit æger, ſaltem diminutè. Accipe iam (dixi) huius veritatis fundamentum ex Galeno deſumptum *lib.* 1. *de cauſis ſympt. cap.* 2. vbi in hæc prorumpit verba: *Quippe quibus altero conniuentibus, alterius pupillam dilatari contingit, ſi compunctio adminiſtretur, recipiendi viſus fiducia eſt, &c.* Quibus verbis oſtendit, quod ſi oculum alterum manibus contrectemus, modò illum comprimendo, modò aperiendo, ſi alterius oculi pupilla, in qua adeſt cataracta, dilatatur, tunc ſpes habenda eſt viſionis, quia ſignificat nullam eſſe obſtructionem in neruo optico, qui in cataractæ oculum infigitur; nam illa dilatatio pupillæ conſurgit ex ſpirituum animalium confluxu, quia impelluntur ex vi motionis factæ in altero oculo: at verò ſi eſſet obſtructio, neutiquam ad illum oculum ſpiritus animales peruenire poſſent, quia obſtructio illorum deſcenſum impediret. Quare non ſufficit ampliatio pupillæ eiuſdem oculi, quando ea fit ex motione facta in

ipſomet oculo ab artificis manu, quia tunc talis ampliatio fit media compreſſione manus, quæ extendit humores ad latera, & à calore per manus motu adquiſito attenuatur humor, & diſtenditur, ita vt pupilla dilatata appareat; quæ dilatatio non ſufficit vt ſignum ad ſubtrahendam cataractam. Licèt huiuſmodi fundamenta infallibilia ſint, & accedentes ad ægrum, de alterius oculi conniuentia periculum fecerimus, nulloque modo oculi cataractâ affecti pupilla dilatabatur; me tamen renuente coram ægro, & adſtantibus, ſapientiſſimus ſocius me antiquior iuſſit artifici ad manualem operationem peruenire; æger tamen, qui de me benè ſentiebat, maximo cum timore artifici ſe ſubmiſit. Multùm artifex laborauit in ſeparatione cataractæ; denique tamen eam ſubtraxit, nihilque vidit æger, imò concitata fluxione dolores exacerbati ſunt, & pluribus diebus deteriùs ſe habuit, neque è lecto ſurgere potuit, vnde factum fuit, vt ſocius meus, & artifex pudore, & verecundiâ oppreſſi ſtatim abiiſſent, ſimulque oleum, & operam perdidiſſent; non enim mercedem laboris receperunt, neque ad eandem domum redire auſi ſunt.

Hanc obſeruationem propoſui, vt ſciatis, quod ſæpe ſolet eſſe complicatio plurium affectuum, quo tempore conſiderare debemus, an vnus habeat rationem cauſæ reſpectu alterius; ſi enim vnus dependet ab alio, priùs detrahere debemus illum affectum, qui habet rationem cauſæ. Quia ergo cataractæ initium præbuit diſtillatio humoris ex capite per neruos opticos, & inde fuit ſubſequuta ſuffuſio, priùs erat habenda prouidentia circa humorem affluentem; ſed cùm ea fluxio inueterata nimis eſſet, & partes omnes pupillam circumiacentes, & ei inſeruientes eſſent nimis intemperatæ, & humoribus impletæ, & ægri ætas ſenilis fluxionibus oculorum parata, illiuſque caput debile, & humorum receptioni aptum, fruſtra erat ei auxiliares manus imponere, & curationem tentare; non enim eſt in Medici poteſtate, vt ſemper releuetur æger, præſertim cùm ſalus deſperata eſt; quapropter ad Medici officium, & honorem ſpectat tunc ægrum prognoſticis relinquere, neque Medico imponetur pœna ignominiæ, quam ſtatuit Hippocrat. *lib. de legibus*, iis Medicis, qui ſibi commiſſa malè pertractant.

## §. XIV.

### *De gutta ſerena.*

Cvm quis hoc morbo premitur, illius cauſam eſſe in neruis à cerebro in oculos deſcendentibus docuit Galenus 4. *de locis, cap.* 1. dicens: *Cùm igitur nullo in oculis malo apparente, cernendi ſenſus deperditus eſt, deſcendens à cerebro in ipſum neruus cauſam in ſe continet, cùm vel inflammatione, vel ſchirrho laborat, vel alioquin ex humorum defluxione afficitur, aut aliter quomodolibet foramen ipſius obturatur.* Quibus verbis morbi eſſentiam, cauſam, & actionis læſionem aſſignat. Si enim neruus opticus obſtruatur ab humoribus, vel quomodolibet nerui cauitas impediatur, ſtatim viſus totaliter amittitur; quare non vnus, ſed multiplex morbus in hac affectione inueniri poteſt, qui vel comprimendo, vel obſtruendo viſionem impedit. Ex quo fit, quod oculus per conſenſum patiatur, ob defectum ſcilicet alicuius requiſiti ad videndum. Deficit quidem ſpiritus animalis, qui eſt facultatis ſentientis inſtrumentum, ſine quo fieri non poteſt viſio, quia via eſt impedita, per quam ad oculos deferri debebat; non verò deficiunt ſpecies viſibiles, vt cenſet Manard. *lib. 6. epiſt. 6.* qui exiſtimat, quod viſio fit in cerebro completè, ibique abſoluitur; ad quod ex neruorum opticorum obſtructione non poſſunt peruenire ſpecies. Cuius contrarium oſtendit Galenus pluribus in locis, præcipuè tamen 8. *de vſu part. cap.* 5. vbi docet viſionem conſummari in oculis, cuius principaliſſimum inſtrumentum eſſe humorem cryſtallinum ibi declarat, & 10. *de vſu partium*, & 1. *method. cap.* 6. idem teſtatur, & eſt iuxta mentem Ariſt. 4. *de hiſtor. anim. cap.* 8. in quo ferè omnes conueniunt. Quam ob cauſam dicunt, humorem cryſtallinum, quem oculi pupillam vocant, tot tunicis, & humoribus eſſe ornatum, & cuſtoditum, quia in illo tanquam in principaliſſimo inſtrumento fit viſio, reliqua verò vſum, & commoditatem præſtant ad illam efficiendam; ſicut enim aliorum externorum ſenſuum organa, & inſtrumenta extra cerebrum natura conſtruxit, idem etiam eſt de viſu ſtatuendum. Quare cùm in oculi pupilla viſio fiat, non poſſunt deficere ſpecies ex neruorum cerebri obſtructione.

Sed obiicies: Spiritus animalis in oculo exiſtens pupillam dilatat, & eam ſuo lumine ſplendidam efficit, vt conſtat ex Galeno 10. *de vſu partium, cap.* 6. ergo ex defectu ſpiritus ſplendorem amittit oculus, & ſimiliter corrugabitur. Reſpondetur, oculum aliquo modo ſplendorem amittere, non tamen corrugari, nam à flatibus, qui quotidie generantur, extenditur, & ampliatur oculus: dicimus tamen oculum per ſe aliquod malum non pati, neque in illo apparere reſpectu illius, quod percipitur in ſuffuſione, albugine, & aliis; abſolute tamen aliquid patitur, nempe ſplendoris defectum ex ſpirituum amiſſione; qui ſi totaliter impediantur, in totum abolita viſionis actio inſurgit; tamen ſi aliqua ſuperſit via, per quam aliqui ſpiritus in exigua ſaltem quantitate ad oculos perueniant, actio diminuta apparebit.

*Cauſæ.* Cauſam frequentiorem dicunt eſſe humorem craſſum, & frigidum neruos obſtruentem, quem ſolent præcedere ebrietates, cibi repletiones, capitis dolores, & diſtillationes. Si verò ab inflammatione ortum ducat, ex pulſatione, ardore, dolore capitis, & febre dignoſcetur, & ſi oculus nimis humidus ſit, tunc valdè humida erit materia; at ſi fuerit ſiccus, materia erit melancholica, vt docet Auic.

*Prognoſtica.* Hic affectus ſicut facilè cognoſcitur, ita difficilè curatur, vt notat Manardus; quem præcedere ſolent ſplendores ante oculos obuerſantes, qui noctu, & in ſomnis apparere ſolent, vt refert Galenus 7. *de plac. Hipp. & Plat. cap.* 4. qui fieri ſolent ratione humoris neruos obſtruentis, & ad illos deſcendentis, qui ſpiritus ſuo impulſu ad extra propellit, quorum lumen, & ſplendorem noctu, & in loco obſcuro percipit æger. Noui ego Monacham ordinis Sanctæ Claræ, cui dum erat in loco obſcuro, magna apparebant luminaria, quæ breuiter hoc morbo fuit correpta, licèt iam Dei auxilio remediis adhibitis ſalutem fuerit conſequuta. *Nota hiſtoriam.*

## §. XV.

### *Curatio guttæ ſerenæ.*

Gvtta ſerena ſic dicta propter ſerenitatem in oculis apparentem, eandem curationem fermè expoſtulat, ac ſuffuſio, ob quod in remediis tradendis non eſt multùm immorandum. Victum itaque tenuem, & vini abſtinentiam imperabis, humoreſque ad expurgationem attenuantibus præparabis, eoſque

eoſque non ſemel, ſed bis, terve euacuabis; priùs tamen ſanguinem extrahes ex brachij vena communi, ſi adſit plenitudo, qua deficiente, ex humeraria ſanguinem demes, niſi menſes, hæmorrhoïdeſve, aut alia euacuatio inferior ſit ſuppreſſa; quo tempore ex venis malleoli ſanguis eſt educendus, deinde vteris frictionibus, & cucurbitulis dorſo & occipitio affixis cum ſcarificatione, & ſine illa. Contingit enim plerumque, ſtatim incumbente adhuc cucurbita in occipitio, hominem reſpicere, ex Aetio *tetrab.* 2. *ſerm.* 3. *cap.* 48. Mox oculus abluatur decocto calido fœniculi, fœnugræci, euphraſiæ, & croci, aut dicti decocti vaporem recipiat. Iecur hirci, aut leporis aſſum, & oculis calidum appoſitum confert, & fomentum aquæ calidæ marinæ per ſpongiam, ex Aetij præcepto. Præterea oportet vti errhinis, maſticatoriis, apophlegmatiſmis, & oris collutionibus, caputque exterius corroborare; interiùs verò aſſumere huius electuarij ʒ.ij. ℞. ſeminis aniſi, fœniculi, ameos, ſileris montani, zingiberis, cariophylorum, cubeb. piperis longi, nucis moſcatæ, radicis chelidoniæ, euphraſiæ, cinnamomi, & coriandri præp. ana partes æquales, omnia triturentur, & cum ſaccharo fiat electuarium, quod etiam aſſumere poterit duabus horis tranſactis à cœna. Deinde fontanella in brachio aperiatur, vel in capitis parte poſteriori iuxta capillorum radicem ſetonem imponimus, quem diu ſetis equinis ſeruare apertum iubet Manardus, vel iuxta ſuturam coronalem ferro ignito, aut auro partem inurere expedit. Reliqua caput roborantia ex capite de caro, & de dolore capitis ab humore pituitoſo, & melancholico deſumere poteris. Quod ſi fiat ab inflammatione, curabitur, vt reliquæ inflammationes.

*Nota.*

### §. XVI.

#### *De ſtrabyſmo.*

PRæter affectus oculorum à nobis connumeratos, alius affectus oculis ſuperuenit, & ſtrabyſmus dicitur, qui vt Paulo placet, *Eſt conuulſio muſculorum oculos mouentium, ratione cuius ea quæ videntur, duplicata apparent.* Hæc conuulſio poteſt eſſe vera, quia in muſculis poteſt adeſſe cauſa veram conuulſionem gignens. Vel poteſt eſſe ſymptoma ex paralyſi conſurgens, vt diximus de conuulſione canina ex paralyſi orta; proptereáque Auic. *fen.* 3. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 28. ait, quod ſtraboſitas quandoque fit propter mollificationem quorundam lacertorum mouentium illud, quod apparet de oculo. Itaque morbus iſte eſt conuulſio, aut paralyſis, in qua oculus ſitum præter naturam adquirit, ita vt reſpectu oculi etiam dici poſſit morbus in ſitu; & propter hanc rationem Galen. 1. *de cauſ. ſympt. c.* 2. hunc morbum appellat inſtrumentalem.

Quando ergo oculus peruertitur, aut mouetur versùs partem ſuperiorem, vel inferiorem, obiectum viſibile ſingulare duplicatum apparet. Sed rationem reddere oportet, quare obiecta ſimplicia duplicata apparent ex oculi motione versùs ſuperiora, vel inferiora; ſi verò ad latera moueantur, minimè. Reſpondetur ex Gal. eodem loco, quod quia pupillæ oculorum ſunt in eodem plano, ideò axis oculorum in ordine ad obiecta ſeruat rectitudinem, & ſic omnia apparent ſingularia, & perfecta fit viſio: at verò quando oculus eleuatur, aut deprimitur, pupillæ non manent in eodem plano, nec ſpecies, quæ ad oculos perueniunt, ab obiecto

A eandem ſeruant rectitudinem: quapropter linearum diuerſitas, ſeu varietas facit, vt obiectum varium, & diuerſum appareat. Sed quia dum oculus ad latera mouetur, ſeruat idem planum, eius pupilla cum pupilla alterius oculi, & linea non variatur, ideò obiecta, quæ videntur, non apparent duplicata.

Iſte affectus ad ſui cognitionem ſignis non eget, ſiquidem facilè cognoſcitur, quia oculus deprauatè videt dum obiecta ſingularia vt plura cognoſcit, cuius curatio pendet ex cognitione cauſarum; & quia habet eaſdem cauſas, quas paralyſis, & conuulſio, eas examinare expedit; quibus cognitis curabitur per cauſarum detractionem, vt diximus *c. de paralyſi, & conuulſione.* Sed quia infantes frequenter hoc morbo corripiuntur, eos curare *Curatio ſtrabiſmi*
B docet Paulus larua faciei circumpoſitâ, vt in rectum videant: ſimiliter lucerna è regione poſita, & non à latere elucens confert.

### §. XVII.

#### *De mydriaſi, & phthiſi.*

EST alter affectus oculorum ad vueæ tunicæ foramen ſpectans, qui dicitur ampliatio pupillæ, græce μυδρίασις, cui opponitur pupillæ anguſtia, quæ dicitur illius partis phthiſis, de quo egit Galen. *lib.* 1. *de cauſ. ſympt. c.* 2. In mydriaſi enim plus dilatatur pupilla, quam decet, tuncque maximè offenditur viſus, quia virtus diſtributa redditur infirmior, ita vt minùs conferat ad viſionem pupillæ dilatatio naturalis, quàm illius anguſtia; immutu-
C tio verò à natiuitate incipiens propter contrariam rationem acutiſſimi viſus eſt occaſio; ſi verò ſuperueniat ratione morbi, mala eſt cenſenda, non propter pupillæ anguſtiam, ſed propter cauſam præter naturam, à qua fit; nam ratione ſui anguſtia pupillæ minimè noxam inferre poteſt, quia potiùs congregat ſpiritus, & virtus vnita redditur ad operandum fortior, vt ſtatuit Galen. *loco proximè cit.* In mydriaſi ergo omnia obiecta minora apparent quàm antea, & denique deperdi ſolet actio videndi, vt omnes Authores docent; & hoc accidit, quia virtus diffunditur, quæ eſt neceſſaria ad viſum, licèt ex parte ſpeciei obiecti viſibilis nullus ſit defectus.

Cauſas huius affectus tradit Galen. vbi ampliationis cauſam tenſionem eſſe dicit; quæ quidem *Cauſæ.*
tenſio fit, vel à ſiccitate tunicam ragoïdem contrahente, ratione cuius partes tunicæ inter ſe magis
D vniuntur, & foramen tunc magis amplum elucet; vel fit ab humoribus tunicam adimplentibus, qui tenſionem excitando, etiam amplum reddunt foramen. At verò paruitatis foraminis cauſa eſt laxitas tunicæ ab humiditate inducta, cuius ratione partes laxæ quodammodò extenduntur, & oculi pupillam minorem faciunt. Poteſt etiam fieri à ſiccitate, & partium humidarum conſumptione, quo tempore dicimus phthiſim pati, & oculum corrugari; quo in caſu veluti abſumptus manet oculus, & foramen exiguum videtur.

Vterque morbus eſt in conformatione, & vnus *Curatio.*
alteri opponitur: vterque etiam eſt morbus notus. In cuius curatione conſiderare debemus vtriuſque cauſam, ita vt ſi ab humoribus procedat, debito regimine inſtituto per alimenta exſiccantia, & facta vniuerſali euacuatione per ſanguinis miſſionem, & expurgationem, ad capitalia auxilia, & ocularia à nobis adducta capite de albugine oculorum deuenire debemus. Quod ſi à ſiccitate, & humidæ

ſubſtantiæ defectu accidat, humectantibus, & reficientibus reſtaurari debet.

## CAPVT II.

### *De aurium dolore.*

INter ſenſus externos ſecundum obtinet locum auditus, qui in tenuitate à viſu,ſicut guſtus in craſſitudine a tactu parum differt,vt oſtendit Galenus 4. *de locis affectis,cap.*2. ideo poſt tractationem morborum oculi,de aurium morbis eſt agendum. Dictum enim eſt capite antecedenti, humorem cryſtallinum eſſe proprium viſus inſtrumentum; tamen, quod ſit inſtrumentum auditus, nondum conſtat. Oportet equidem hoc ſcire, vt morbos, qui auditionem lædunt, auferamus, partem agnoſcendo,in qua talis actio fit, vt ſic illius temperiem, & naturam adſeruemus. Breuiter tamen dicimus, huius ſenſus inſtrumentum eſſe aërem quendam,aut vt meliùs dicam, eſſe ſubſtantiam aëream animatam, quæ in meatus audiendi extremitate inſita eſt: quod docuit Ariſt. 2.*de partibus animal. cap.* 10. & Galenus *lib. de oculis, partic.*2.*cap.*6. & 7. *de placitis Hippoc. & Plat. cap.*5. vbi ait: *Aptè igitur dicimus viſus inſtrumentum lucidum eſſe, aëreum auditus, vaporoſum olfactus,guſtatus humidum, terreum tactus.* Quod Empedocles his verſibus ſignificauit.

*Quod ſit inſtrumentum auditus.*

*Conſpicimus terram tellure, liquore liquorem.*
*Aëre naturam aëream; ignem cernimus igne.*

Quam doctrinam ſequuntur Valleſ. 2. *controuerſ. cap.*25. & Petrus Garc. *fen.* 1. *Auic.diſp.*41. *cap.*2. & eſt ferè communis, eamque probant ex proportione, & ſimilitudine obiectorum ad ſenſuum inſtrumenta; nam vt ſenſus fiat, neceſſe eſt inſtrumentum affici à rebus,quæ ſentiuntur: affici verò à ſonis aër tantùm poteſt; non enim efficitur ſonus,niſi aër verberetur à corporibus duris, & pro verberationis diuerſitate in aëre diuerſus ſonus inſilit, & in aërea auditus ſubſtantia, tanquam auditus inſtrumento percipitur. Læditur ergo auditus ratione doloris, qui cùm ſymptoma egregium ſit ſenſus tactus, vt oſtendit Galenus *de different. ſympt. cap.*3. in omnibus partibus ſenſu præditis inuenitur, & ab omnibus cauſis naturam alterantibus,aut corrumpentibus ſuſcitatur; ideoque varias ac diuerſas cauſas inſequitur in quacumque parte exiſtat, quas in præſenti deſcribere ſum aggreſſus, licèt omnes media ſolutione continui dolorem inferant, vt ego ſuſpicor, & Valleſ. probat 5. *controuerſiar. cap.*5.

Hoc ſymptoma inſequitur intemperiem calidam, aut frigidam cum humoris præſentia, vel ſine illa: multoties fit à flatu,vel inflammatione, vel ab aqua medicata in aure incluſa,ſiue à quapiam re extrinſecus occurrente, vt ictu, percuſſione,arena,lapillo ingrediente, aut verme.

Si ab aurium inflammatione procedat, dolor habet adiunctum calorem, diſtenſionem, pondus, pulſationem, & febrem continuam. Si ab intemperie nuda, & calida, dignoſcitur ex ardore ſine grauitate, & quia facilè à frigidis iuuatur. Si ab humoribus acribus,& mordacibus fiat,aderit punctio, & morſus cum calore, & aliquali pondere. Si verò ex intemperie frigida nuda ortum ducat dolor,ex ægri relatu agnoſcitur, qui cauſas refrigerantes referret,& ex frigore,quod in auditu perſentitur, & quia à calidis iuuatur. Quod ſi humor frigidus in cauſa ſit, ex pondere, & grauitate, victu præcedenti craſſo, & frigido, ægri temperatura,regione, & ex tempore percipietur. Flatus verò dolorem efficit partem diſtendendo ſine pondere,& cum aurium aliquo tinnitu, ſine caloris,aut frigoris perceptione. Aqua etiam medicata, lapillus,& vermes,& reliqua exteriora, partim viſu,partim ex ægri relatu cognoſcuntur.

*Præſagium.*

Peruerſior, maligniorque eſt dolor ille auris, qui ex apoſtemate calido, & profundo cum febre continua,& intellectus deprauatione fit,vt ait Auicen. *fen.*4.*lib.*3.*tract.*1.*cap.*6. Cùm neruus auditorius oriatur à cerebro, & dolore acuto ipſe afficiatur,dolor ille vehemens multos è medio tollit, in conſenſum perducto cerebro,ex Galeno 3.*prognoſt.comm.*13. Aurium item dolor acutus cum febre continua,& vehementi difficilis eſt,periculum enim delirij mortiſque imminet, ex Hippoc. *text.* 13. *eiuſdem libri.* Cùm enim neruus ille ſit exacti ſenſus,in ipſo acutiſſimi dolores excitantur,qui fluxiones,& aurium ingentes inflammationes commouent,quarum cerebrum fit particeps, ipſumque inflammari ſolet.

### §. I.

### *Curatio doloris aurium.*

CVm aurium dolor varias inſequatur cauſas, pro qualibet illarum variam victus inſtitutionem, & curationem requirit. Victus itaque in cauſa calida debet eſſe refrigerans, ſicut in frigida calefaciens,& in flatuoſa flatûs expers,qualem tradidimus in curatione doloris capitis. In aurium verò inflammatione victus ſit refrigerans,& extenuans,ſaltem primis diebus. Sanguiſque ſtatim eſt mittendus ex brachio eiuſdem lateris,ex venâ communi,ſi adſint ſigna plenitudinis, quibus deficientibus, ex humeraria mittatur. Vtendum etiam eſt frictionibus, cucurbitulis,& balneis aquæ tepidæ, aut decocto tepido florum roſarum, violarum, foliorum ſalicis, cannarum,& hordei. Partes extremæ abluantur,deinde ad localia deuenire cogimur, auribuſque inſtillare conuenit lac, ex Hippoc. 2. *de morbis popul. ſectione* 5. Semperque obſeruandum vt præceptum vniuerſale, quod remedia in auribus calida,aut tepida ſunt admouenda,vt communiter admonent Practici; nam illa pars eſt cartilaginoſa,ad quam terminatur neruus auditorius frigidus,qui etiam à cerebro frigido dependet,quibus omne frigidum eſt inimicum,& perimens,calidum amicum,& vtile,ex Hippoc. 1. *aphor. textu* 19. Vtile etiam eſt oleum roſaceum cum albumine oui, aut roſaceum cum ſucco perdicij herbæ, vel ſucco ſolani,aut haſtulæ Regiæ,vel oxyrrhodinum tepidum,ex Paulo *lib.*3.*cap.*23.aut oleum lumbricorum, & roſarum, cum axungia gallinæ, quibus etiam exteriùs poteſt pars illiniri. Hoc auriculare anodinum valde eſt bonum,ſi frequenter infundatur. ℞. adipis anſerini, aut gallinacei ʒ. vj. opij, myrrhæ,croci,ſing.ʒ.ij. cum fiducia vtitor, vt inquit Tralianus *lib.*3.*cap.*2. Quod ſi dolor nimis infeſtet,vſus lactis cum pauco opio confert, ex eodem Traliano. Pomum præterea ſub prunis decoctum, & cum oleo roſarum miſtum, & ouorum duobus vitellis,& pauco croco,ſi ſimul vnica ebullitione ebulliant, in emplaſtri forma maximè ſedat dolorem, & ſi inflammatio tendat in ſuppurationem,ipſam etiam adiuuat, ex Vigone *lib.*4. *c.*8. quo tempore oportet vti tetrapharmaco, vel emplaſtro farinæ hordaceæ, & tritici,cum ſapa, aut decocto

*Curatio doloris ex inflammatione.*

*Præceptum commune obſeruandum in dolore aurium.*

-cto maluarum, biſmaluæ, & ſimilium. Aut cum decocto maluarum, biſmaluæ, violarum, pallularum ſiue vinaceis, & caricarum fiat fotus. Rupto verò abſceſſu, melle roſaceo eſt abſtergendum, & vt alia vlcera curandum.

*Curatio doloris aurium ab intemperie calida.* Procedente autem dolore ab intemperie calida ſine humore, dimiſſa ſanguinis miſſione, eiſdem localibus auxiliis eam auferre eſt neceſſe, quæ debent eſſe magis aut minùs frigida pro doloris intenſione, & vehementia. At ſi ab humoribus bilioſis, & mordacibus originem ducat, poſt ſanguinis miſſionem eos ad expurgationem parabis ſyrupis roſarum, borrag. acetoſo, & oxyſaccharo, cum aquis ſtillatitiis chicorei, oxalidis, aut borrag. Mox eos euacuabis in hunc modum. ℞. rhabarb. optimi ʒ.j. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in aqua chicorei, & colaturæ adde pulpæ caſſiæ ℥.ß. ſyrup. perſici ſolut. ℥.iij. miſce. Vti etiam poteris pillulis ſine quibus, aureis, vel de rhabarb. Tandem eadem remedia localia, & reliqua ſunt admouenda, vt ſuprà diximus.

*Curatio doloris à cauſa frigida.* Dolorem ab intemperie frigida ſubortum auferre ſolent oleum laurinum, nardinum, rutaceum, amygd. amararum, aut balſaminum. Quod ſi dolor augeatur, & perſeueret, conuenit oleum antiquum cum pauco euphorbij, aut cum pipere exquiſitiſſimè trito, ex Galen. 3. *de compoſit. medic. ſecund. loc. cap.* 1. & pro ruralibus hominibus magnas cepas exſcalpere, deinde eas oleo explere, & in feruenti cinere moderatè calefacere, & in aures infundere, optimum eſt: aut allium contuſum in oleo feruefiat, & infundatur. Pro delicatioribus parum galliæ in aures immittere expedit. Oportet etiam auri cucurbitam affigere, ex Hippoc. 2. *epidim. ſect.* 6. quæ in dolore flatuoſo maximè prodeſſe conſpeximus. Auicen. iubet bibere vinum purum, & forte, deinde ſuper illud dormiat æger, qui cùm excitatur, nullam ſentit læſionem, ſuo enim calore auris frigiditatem euincit.

Quod ſi humores frigidi in cauſa ſint, illos attenuare, & calefacere oportet ſyr. ſtœcados, duarum aut quinque radicum, borrag. fumariæ, vel melle roſaceo, cum aquis fœniculi, & cinnamomi: deinde eos purgabis pillulis alſeiaret, cochiis, aggregat. de hiera, vel de agarico, aut hac potione. ℞. agarici trochiſc. ʒ.j. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in decocto Pugini, & reiectâ reſidentiâ adde catholici, aut elect. diaphœnic. ʒ.iij. ſyr. Regij, aut perſici ſolut. ℥. iij. miſce. Quibus factis eiſdem prorſus remediis localibus calefacientibus vteris.

*Curatio doloris ex flatu.* Dolorem itidem à flatu dimanantem curare docebimus capite de aurium ſonitu, qui etiam commemoratis remediis auferri ſolet.

Aqua medicata ſpecillo auriculari goſſipio obuoluto educi debet, aut per ſyringam eſt extrahenda, aut calamo exſugenda: quandoque eam expellere facit tuſſis, & ſternutatio, ſeu capitis commotio: aut oleum calidum aſſiduè infundere conuenit, quo meatum auditorium eleuamus; deinde lana molli extergere, rurſuſque infundere, ex Gal. conſilio capite ſuperiùs citato.

*Curatio doloris à vermibus, & aliis rebus.* Si verò vermis, quodviſve aliud animal in aure ſit incluſum, ſucco abſinthij, aut ſcammoneo in aceto diſſoluto, aut ſucco, ſeu decocto cucumeris ſilueſtris, vel hellebori albi interfici debet, ad quod confert quam maximè ſuccus radicis capparis, centaureæ, aut praſij, vt notat Auic. Et ex eis, quæ experta ſunt ad vermem, eſt vt ſumatur vini ℥.ij. mellis ʒ.iij. roſacei ʒ.j. miſceantur cum albumine duorum ouorum, & tepida apponantur in aurem, lanâ infuſa, ex qua impleatur auris; & recumbat ſuper eam ægrotus, & poſtea ſubitò auferatur, cum quo multoties egreditur vermis, vt ipſe Auic. aſſerit. Tandem ſi lapillus, aut ſemen aliquod in aures inciderit, ſpecilli mucrone diuidi, & extrahi debet, aut ſpecillum goſſipio, aut lana obuolutum terebinthina, aut melle illitum extrahetur, facile enim illi adhærebit, vt inquit Vega.

## §. II.

### *De aurium ſibilo, & ſonitu.*

Sonitus quidem ex flatuoſo ſpiritu intrà auriculam generatur, aut ob ſenſus exquiſitam audiendi ſubtilitatem, quemadmodum in oculis propter vapores imaginationes fiunt, vt docet Gal. 3. *de compoſ. medic. ſecundùm locos, cap.* 1. Hæc diſpoſitio eſt vox, quam homo inceſſanter audit exteriùs, ideſt abſque cauſa exteriori; & eius comparatio ad auditum, eſt comparatio imaginationum, & tenebrarum, quas videt homo abſque cauſa exteriùs ad oculum, inquit Auic. *fen.* 4. *lib.* 3. *tractat.* 1. *cap.* 9. Aliud vitij genus eſt vbi aures intra ſe ſonant, ait Celſus *lib.* 6. *cap.* 7. Itaque ex verbis Authorum conſtat, per aurium ſonitum audiendi actionem deprauari, ſicut per imaginationem viſio in ſuffuſionibus imaginariis vitioſe etiam operatur; hac tamen adhibita diſtinctione, quod in auditu percipitur quod eſt intra aurem, videlicet ſonus, qui ab aëre ibi incluſo aeris interiora quatiente, & verberante producitur; at in ſuffuſis nihil interiùs exiſtens percipi poteſt ab oculo, niſi per ſpecies reflexas. Ratio verò deprauationis non conſiſtit in perceptione intra aurem ſonitus aëris, cum reuera percipiat auditus ſonum realem ibi productum; ſed conſiſtit in hoc, nam apparet ſentiri, quod non eſt exteriùs, ac ſi eſſet, ratione ſonitus interioris. Idem contingit in ſuffuſione imaginaria ratione humoris intra oculum affuſi; nam apparent videri exteriùs ea, quæ non ſunt: nam quamuis aliquid videatur, percipitur tamen ſub culicis, aut muſcæ, vel fili figura; illi enim vapores ante oculos obuerſantes talem figuram repræſentant, quæ actio partim eſt diminuta, quatenus diminutè ſentit obiecta; partim deprauata, quatenus non ſub proprio eſſe ea comprehendit. Ita ſimiliter in auditu accidere viſum eſt.

*Quomodo excitetur ſonus à flatu in auribus.* Somnum internum producit aër intra aurem incluſus, quia cùm exitus non patet propter aliquam obſtructionem, aliudve impedimentum, aër propria ſua leuitate ſurſum mouetur, qui percutiens auris partem ſuperiorem, ab ipſa deorſum impellitur, & denuò ſe ſurſum eleuans, continuum motum, & ſonum efficit; quod quidem facilè experimur, ſi digito comprimamus aurem, itâ vt aër intrà incluſus egredi nequeat, qui ſtatim mouetur, & talem ſonum efficit; aure verò adaperta ſubitò ſonus ſedatur.

*Cauſa.* Huius ſymptomatis cauſam immediatam eſſe flatum incluſum intra meatum auditorium, nemo eſt qui dubitet, qui ab humoribus craſſis, & frigidis frequentiùs eleuatur actione caloris diminuti, qui materiam attenuando, & in flatus vertendo illum producit, vt capite de vertigine aſſerimus; qua ratione ſequitur intemperiem tanquam morbum, à quo procedit, quem præcedere ſolent ventriculi cruditates, & repletiones, vini potus, & alimenta craſſa flatus generantia, aëris frigida temperies, vel calida, & humida, quæ maximè replet caput, vt videre eſt in conſtitutionibus auſtrinis.

Frequen-

Frequenter ſequitur cerebri debilitatem excrementorum copiam congerentis, aut ventriculi imbecillitatem alimentum non bene perficientis, à quibus vapores, & flatus eleuari contingit, qui ad aures peruenientes, hunc ſibilum procreant; quod facilè dignoſcetur ex harum partium debilitate, grauitate, & actionum læſione.

*Exquiſitus ſenſus eſt cauſa ſonitus.*

Aliam cauſam adduxit Galenus *cap. iam citato*, nempe exquiſitam ſenſus audiendi ſubtilitatem; quam cauſam etiam aſſignat Auerroës 4. *collect. cap.* 48. & Auicen. *capite citato*. Sicut enim ex acumine videndi aliqua accidentia apparent ſuffuſioni ſimilia, quæ cernendi facultate non ita acutiori exiſtente non apparent; ita ſimiliter in auditu contingit. Quo tempore leuem ſonum à vaporibus commotum, aut à quauis alia cauſa interiùs, aut exteriùs occurrente ſentiunt ægroti, ita vt aſſerat Galenus 1. *de cauſis ſympt. cap.* 4. per huius ſenſus acutiem, membranarum cerebri motum ſentiri. Morbus à quo dependet, eſt intemperies calida, & ſicca, ſiue ab origine, ſiue temporis tractu ſit producta; quod patet, ſiquidem in morbi huius curatione ſtupefacientia adhibet Galen. quibus iſte morbus aufertur, vt ipſe ait loco iam citato: quæ quidem ſenſus acuties conſeruari non debet, quia non eſt naturalis; nec per illam perficitur potentia, quia ipſa non petit naturaliter ita exactam ſenſationem, vt motum cerebri, & arteriarum percipiat.

Hanc ſenſus auditus acuitatem præcedere ſolent vigiliæ, calida, & ſicca cerebri intemperies, ciborum calidorum vſus, calida ægri, regionis, & temporis conſtitutio, & alia huiuſmodi.

## §. III.

### *Curatio ſonitus aurium.*

HVius morbi curatio pro cauſæ diuerſitate variatur, diuerſaque victus ratio inſtituitur, quam ex his, quæ diximus, haud difficulter percipies; & ex his, quæ mox dicemus. Cùm igitur à craſſo, frigidoque humore flatuoſus oriatur ſpiritus, à quo ſonus intra aures conſurgit, victus calidus, & extenuans eſt ordinandus: bibant aquam fœniculi, cinnamomi, aut aniſi, & in cruditatibus ventriculi parum vini albi. Quod ſi à ventriculo ortum ducat, illius humorem euacuare expedit, illum priùs attenuantibus, & inſcindentibus præparando; in quem vſum confert rhodomel, hydromel, ſyrupus de abſinthio, & de mentha: deinde illum expurgabis pillulis de hiera, maſtichinis, aut de agarico, vel in forma potus cum elect. diaphœnic. & diacath. melle roſato perſico, & decocto pugini. Mox ventrem roborabis oleo nardino, melino, & abſinthites, vt dicemus capite de ventriculi imbecillitate.

Verùm in cerebro humor exiſtens eiſdem auxiliis ad euacuationem diſponitur, & pillulis cochiis, aureis, alſeiaret, aut de agarico humorem è corpore trudes; in quem vſum facilè potiones parabis, aut morſellos, quæ ex dictis facilè confingi poſſunt. Ab hinc caput roborabis iis, quæ diximus capite de cephalea, & morbo comitiali, errhiniſque, maſticatoriis, & oris collutionibus capitis excrementa depones, vt monet Celſus. Mox diſſecantibus, diſcuſſoriis, & attenuatoriis eſt vtendum, ex Galen. *loco ſuprà citato*, de quorum numero eſt oleum rutæ, aut amygd. amararum in aurem inſtillatum; aut oleum antiquum, in quo ſit ebullitum cyminum, aut cyminum oleo admiſtum priùs bene tritum; ſiue oleum, in quo decocta ſit radix cucumeris ſilueſtris, & vt ait Gal. ex Archigenis ſententia, inueterato malo proſunt veratrum cum aceto contritum, deinde melle cocto excipitur, aut caſtoreum cum aceto, ſeu oleo irino, aut laurino, ex Celſo. Medulla etiam cucurbitæ ſilueſtris in oleo infuſa confert, ex Apollonij ſententia. Oleum in cauitate cucurbitæ ſilueſtris ebullitum ad idem facit. Per arundinem, aut inſtrumentum anguſti orificij vaporem intra aurem ſuſcipiant ex decocto ſampſuci, abſinthij, origani, rutæ, camem. ſtœcados, ſaluiæ, & cymini, & ex prædictis herbis ſacculi parantur, & calida auribus admouentur.

Quod ſi ab acumine ſenſus prodeat aurium tinnitus, prædictis pharmacis aliquid ſtupefacientium eſt admiſcendum, vt docet Galen. Conferunt ergo papaueris, & mandragoræ ſuccus aliis admiſtus, aut raphani ſuccus cum roſaceo, aut oleum lumbricorum cum pauco opio, vel raphani ſuccus cum lacte muliebri, aut roſaceo, ex Apollonio; aut roſaceum, & acetum in aures inſtilla. Stupefacientia tamen magnâ cum prouidentiâ, & in parua quantitate ſunt adhibenda, ne maior noxa ex eorum vſu ſequatur.

Si tamen in febribus ſonitus fiant, minimè interturbandi ſunt, vtplurimùm enim ſtatim ſedantur, vt omnes ex Galeno deſumunt. At ſi ex debilitate procedant, vt in conualeſcentibus, facilè reparatis viribus reſtaurantur: vbi tamen inueterauerit ſonitus aurium, præcipuè qui non ſit ex ſenſus acuitate, hoc medicamentum confert adductum à Donato ab Altom. *de medendis humani corporis malis, cap.* 34. ℞. ſeminis porri, & cariophylorum, ana ℈.j. moſchi g̃.v. cum ſampſuci, & rutæ decocto, interim pauco vino addito auribus inſtilletur.

## §. IV.

### *De ſurditate, & graui auditu.*

AVdiendi ſenſus maximè ad prudentiam confert, cùm ſermonem percipiat, qui diſciplinæ eſt author, vt inquit Ariſt. *de ſenſu, & ſenſibili*; idcircò aures habemus duas, & os vnum, vt plura audiamus, & loquamur pauca, vt dixit Zeno Stoïcorum Princeps. Per ſurditatem igitur, aut grauem auditum, ſermonem minimè, aut difficilè percipimus; & hac ratione imperfectiores, & imprudentiores ſumus, atque adeò de huiuſmodi affectione, & eius cura diligenter eſt agendum. Cùm nihil homines audiunt, ſurdi vocantur; quod ſymptoma in actione audiendi ablata conſiſtit; ſi verò difficulter audiunt, grauis auditus ab Authoribus vocitatur hoc ſymptoma, quod ad actionem diminutam reducitur. De vtroque agitur in hoc capite, quia penes magis, aut minus differunt, eaſdemque cauſas inſequuntur, & omnimodam curationem expoſtulant.

Multis de cauſis iſte affectus ſuccreſcit, qui etiam pro cauſarum varietate varius exiſtit, vt docet Galenus 1. *de cauſis ſympt. cap.* 3. fit enim aliquando à bile ad aures defluente, vt deſumitur ex Hipp. 4. *aphor. textu* 28. vbi ait: *Quibus bilioſæ deiectiones, ſuperueniente ſurditate ceſſant.* Quæ ſurditas ſoluitur facilè ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus, vt ipſe ibi etiam teſtatur, vel medicamento bilem expurganti facilè aufertur, vt notat Paulus *lib.* 3. *c.* 23. Hæc ſurditas fieri ſolet per febres ardentes, vt ait Galenus 4. *aphoriſm. comm.* 28. quæ etiam medicamentis expurgantibus facilè tollitur,

atque adeò de illius curatione non eſt aliquid agendum.

Fit etiam ab humoribus frigidis, & craſſis, à quibus in plurimum excitatur, aut ab intemperie frigida, & humida potiùs quàm ab alia, & in auſtrina conſtitutione ratione humiditatis auris. Quapropter dicitur ab Hipp. *textu* 5. *ex* 3. *lib. aphor. Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, &c.* Requiritur enim ad audiendi ſenſus operationem certa ſiccitas, quæ per humiditatem auſtri flantis remittitur, vel per humiditatem, & calorem illius humores liquefiunt, defluuntque ad aures, & auditorium meatum obſtruendo, auditum obtundunt. Similiter frigiditas ad audiendum eſt incommoda, quatenus ipſam partem diſtemperat; quæ cùm neruis, fibris, & cartilagine conſtet, facilè à frigore læditur.

Neque valet ſi obiicias ex Hippoc. 3. *aphor. textu* 17. aquilonias conſtitutiones ad benè audiendum conferre; nam licèt ſuâ frigiditate lædere poſſint, ſuâ tamen ſiccitate iuuant ad actiones aliquas naturales, & animales, quatenus humiditates, & excrementa deſiccant, quæ huiuſmodi actiones impediunt, vt in commento allatæ ſententiæ oſtendit Galenus.

A calore tamen, & ſiccitate per ſe hoc accidens prouenire non iudico, cum potiùs huiuſmodi qualitates audiendi ſenſum acuant, vt capite præcedenti demonſtratum eſt. Poteſt etiam ſuſcitari ab aurium inflammatione, quouiſve alio tumore, aut carne ſupercreſcente, callo, verruca, verme, ſordibus, ſiue ab alia quauis re exteriori callum obdurante.

*Quibus modis fiat.*

Iſte morbus fieri ſolet per ſe, aut per conſenſum, vt docet Gal. 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 3. Per conſenſum quidem, cerebro affecto, aut neruo auditorio, in ipſo nempe à cerebro exortu, aut alia quauis ipſius parte obſtructo; quod vitium diximus accidere viſui, dum nerui optici in gutta ſerena obſtruuntur: proportionaliter equidem eodem modo ſe habent, ſiquidem per eiuſmodi affectus à cerebro virtus ſenſitiua non communicatur. Fit etiam per ſe, organo audiendi primariè affecto, cauſa morbi in ipſo exiſtente, vt etiam de oculorum morbis diximus.

*Signa à quibus cauſa deſumpta.*

Si ab humoribus craſſis, & frigidis prodeat affectio, grauitate, & partis frigiditate, & obturatione, ex iis quæ præceſſerunt, & à iuuantibus, & nocentibus dignoſcetur. Si ab intemperie frigida & humida, aut calida & humida, huiuſmodi qualitates percipit æger ſine pondere, quas ex his quæ præceſſerunt, & ex ægri relatu, & deambulatione in locis frigidis & humidis, & calidis & humidis, agnoſcere poſſumus. Si à ſchirrho dependeat, ex præcedente inflammatione, aut humorum craſſorum multitudine, & grauitate notus fiet. Si ab inflammatione, ex dolore, ardore, pulſatione, pondere, & febre. Callus verò, & caro adnata aurium vlcera inſequuntur, quæ ſicut & verruca ſpecillo tanguntur, aut viſu apprehenduntur. Quod ſi vermis in cauſa ſit, illum ſignificat aſſiduatio commotionis cum exitu vermis in quibuſdam horis, vt ait Auic. *fen.* 4. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. At verò ſi per conſenſum à cerebro fiat, ex capitis intemperie, grauitate, excrementorum congerie, & etiam aliorum ſenſuum aliqua læſione percipies.

*Prognoſticum*

Surditas ex principiis generationis contracta vt incurabilis omittenda, quæ verò continua eſt, diu durans, & abſoluta, nullo remedio, aut difficili eliditur, ex Paulo. In febre non intermittente, ægro iam debili exiſtente, ſi ſurditas ſuperueniat, mors proxima eſt, ex Hipp. 4. *aphor. textu* 49. Surditas

A etiam in morbis acutis, & turbulentis eſt mala, ex Hipp. *in coacis prænotionibus*. Quæ ſi ſchirrho fiat, difficilè, aut nunquam curatur, vt tenent omnes.

## §. V.

### *Curatio ſurditatis, & grauis auditus.*

SI accidens iſtud ab inflammatione oriatur, vt aliarum partium inflammationes curari debet, & iis remediis localibus in curatione doloris aurium ex inflammatione traditis. Si verò callus, vel carnis excreſcentia ſint, ea abſcindere expedit tenaculis, aut aliquo inſtrumento inſcindenti, vel ſi fieri poteſt, cùm ligatione fili iuxta radicem, vt B poſtea paulatim exſiccentur, aut cum vnguento Ægyptiaco, & Apoſtolorum miſtis, aut puluere præcipitato Ioannis de Vigo abſtergi, & abſumi debent, alio verò modo nunquam curantur. Idem etiam faciendum ſi verruca ſit huius ſymptomatis cauſa. Quod ſi à vermibus, lapillis, ſemine, aliáve quauis re exteriori ortum ducat, modum extrahendi reperies capite de aurium dolore.

At ſi ab humoribus frigidis, & craſſis (à quibus frequentiùs iſte affectus excitatur) originem ſumat, eiſdem auxiliis curatio adimplebitur; quibus curatur aurium ſonitus ab humoribus frigidis, quæ omnia habere debent vim vias reſerandi, & attenuandi humores, vt monet Galenus 3. *de compoſ. medic. ſecund. locos*, *cap.* 1. in quem vſum confert leporis fel recens cum mellis æquali portione miſtum, & in cepæ corio tepefactum in aurem immiſſum, quod auditum reſtituit, ex Galeno *lib. de medicam. facilè parabilibus.* Vel cepas duas C minutatim ſecabis, & in alembicum iniicies, quibus admiſcebis mellis ℥. iiij. ſucci porri aut abſinthij ℥. viij. ex quibus inſtillata aqua in aurem infuſa mirabiliter ſurditatem, & aurium ſonitum tollit, ex Vega proprio capite. Fel item capræ, aut rutæ ſuccus cum melle, aut caſtoreum cum oleo anethino idem efficit, ex Paulo. Conuenit etiam vti errhinis, & maſticatoriis, ex eodem Authore, præcipuè ſi caput ſit huius mali cauſa; quod oportet corroborare, eiuſque intemperiem corrigere, vt capite de cephalea traditum eſt. Tandem ſi ab intemperie frigida, & humida ſine humore dependeat, eiſdemmet auxiliis eam auferre tentabis, exceptis vniuerſalibus euacuationibus.

## §. VI.

D

### *De parotidibus.*

PArotis glandularum iuxta aures affectus eſt, ſeu tumor quidam materiâ morbi illic eructante, aliàs à capite humoribus in eo impactis, aliàs à reliquo corpore in febribus critico modo proueniens, vt docet Paulus *lib.* 3. *cap.* 23. Parotides etiam è genere ſunt inflammationum, vt conſtat ex Galeno 3. *de compoſit. pharm. local. cap.* 2. ex quibus conſtat in quo conſiſtat huius morbi natura. Cùm tumores præcipui quatuor numerentur ab Authoribus, iuxta naturam quatuor humorum, qui eos poſſunt producere, pari modo parotides ab eiſdem humoribus dimanare autumo, ſiquidem fieri poſſunt à ſanguine, bile, pituita, & melancholia.

Parotides ſuperueniunt febribus, naturâ ſuperfluos humores ex vaſis effundente ad regionem

inter cutem, & ſubiecta corpora, vt inquit Galenus *loco iam citato*; aut humor à capite defluens, vel à toto corpore huius morbi cauſa exiſtit, vt aduertit Paulus.

Signa. Si à ſanguine fiant, aderit in parte rubor, calor, pulſatio, & grauitas. Si à bile, intenſior calor apparebit, & dolor mordicans cum grauitate minori. Si à pituita fiat, tumor erit laxus cum minori ardore, & maiori pondere, & colore albicante, parum ad rubedinem tendente. Tandem ſi melancholia ſit huius morbi cauſa, maior grauitas, & durities aderunt pro tumoris magnitudine, dolor tamen non magnus. Quod ſi à capite humor tranſmittitur, priùs caput grauabitur, & dolebit, deindè tranſmiſſione facta leuabitur. At ſi totius corporis plethora adſit, vel cacochymia, à toto corpore procedere eſt exiſtimandū. Præſentibus verò febribus, ſiue acutis, ſiue diuturnis, per modum criſis natura ad illam partem humores tranſmittit: quod ſi in humoribus coctionis ſigna præcedunt, parotides tempeſtiuæ, & bonæ erunt, vt docet Hipp. 1. *de morb. popul. ſect.* 2. verùm ſi crudi, & incocti humores appareant, in malos abſceſſus conuerſi, acriſias, labores, diuturnitatem, aut mortem oſtendunt, ex eodem Hipp. proximè citato; quod etiam inſinuat Auic. Prætereà accuratè inſpici debet tum qualitas, tum quantitas materiæ influentis, & parotides excitantis, vt meliùs futurum euentum præſagire poſſimus, vt notat Tralianus *lib. 3. cap. 7.* quod eſt maximè neceſſarium etiam ad curationem, ſiquidem apoſtemata frigida, & craſſo humore conſtantia difficilè in ſuppurationem, aut reſolutionem terminantur, præcipuè ſi humoris copia in multa colligatur quantitate.

## §. VII.

### *Curatio parotidum.*

Victus ratio in hoc morbo eſt inſtituenda affectui ſecundùm cauſæ diuerſitatem accommodata; qui ſi à ſanguine ortum ducat, dummodò vires conſtent, ſtatim eſt extrahendus, ſiue per febres, ſiue à principio inuadat affectio, qui extrahi debet ex vena communi, aut humeraria eiuſdem lateris; quod fieri debet ante localium adminiſtrationem, ex Traliani decreto, ne ex eorum admotione maior fiat ad partem attractio, quam ſequi ſolet aliquando ſtrangulatio. Deinde curabitur vt inflammationes aliarum partium; hac tamen adhibitâ diſtinctione, quod in principio parotidis repulſoria, & reprimentia remedia non conueniunt, ſed potiùs attrahentia, ex Galeni, & Auic. ſententia; nam cùm tumor iſte fiat iuxta partem principem, ne in cerebrum defluat humor, ad extra potiùs eſt reuocandus: neque in hoc ſequendus eſt Celſus, qui aſſerit, quod ſi pars intumuit ſine morbo aliquo præcedente, vtendum eſt reprimentibus in parotidis initio: quod quàm falſum ſit, non indiget probatione. In principio igitur fouenda eſt pars oleo amygd. dulc. lumbric. roſarum, & camemali, & cum axungia gallinæ, & anatis, & dialthea, aut œſypo linimenta parabis. Vel fomenta aſſidua adhibebis ex camemali, meliloti, ſeminis lini, & fœnugræci decocto.

Nota. Verùm ſi morbi ratione criſis ſuperueniat, & dictis remediis magnitudinem ſufficientem non conſequatur, nihilque memorabile efficiant, præſertim ſi in capite affectio ſit firmata, non ſolùm fomenta adhibebis, ſed etiam cucurbitam affigere oportebit, ex eiuſdem Galeni decreto: tamen ſi dicta ſufficiant, totum opus naturæ permittendum

A eſt. Quod ſi tumor non reſoluatur, ſed dolor adaugeatur cum pulſatione, & noua partis inflammatione, & cum febre, vel ardore, ad ſuppurantia deuenire cogimur, velut eſt frumenti farina cum maluarum, & caricarum decocto, & oleo camemali, & croco in cataplaſmatis formam; ad quod confert emplaſtrum triapharmacum Galeni. Vti etiam poſſumus emplaſtro ex foliis maluarum elixis cum axungia porci malaxatis, & oleo camemali, & violarum cum farina tritici, & pauco croco, atque vitellis ouorum. Cùm iam ſuppuratæ fuerint parotides, per ſectionem pus educemus, vel per pharmacum acre abſceſſum rumpere licebit, deinde vt reliqua vlcera curandus eſt.

Veruntamen ſi ex craſſiori, & frigidiori materia excitentur, priùs humore præparato, & expurgato, fomenta parabimus ex decocto pulegij, hyſ-
B ſopi, maioranæ, fœnugræci, radicis altheæ, & ſerpilli, quæ maiorem vim reſoluendi, & diſcutiendi nanciſcuntur: deinde fotus fiat ex oleo laurino, irino, amygdal. & anethino, ex quibus etiam cum adipe ſuillo, vnguento Agrippæ, & dialthea, & cum cera vnguenta parabis. Aut apponatur emplaſtrum ex farina ſeminis lini, fœnugræci, fabarum, & erui, cum oxymelite, vel aqua mulſa, ſeu camemali decocto. Fotus etiam ex muria parotidem reſoluit, ex Paulo. Tamen ſi his adhibitis ſuppurationis ſigna ſuperſunt, ſuppurantia adhibere conuenit, qualia ſuprà tradidimus.

Quod ſi adhuc induratur tumor, nec remediis cedat ſupra adductis, partim emollientia, partim diſſoluentia adminiſtrari debent. In quem vſum diſcutit maximè ficus aquâ marinâ cocta, ac trita impoſita, ex Archigene. Vel fiat hoc cataplaſma.
C ℞. radicum alteæ ℔. ß. camem. meliloti, fœnugræci, ana m. j. bulliant omnia in ſufficienti quantitate iuris carnis donec perfectè coquantur; deinde cum medulla panis in decoctione infuſa omnibus priùs expreſſis, piſtatis, inciſis, ac cribellatis ad ignem fiat iterum emplaſtrum ſolidum, addendo olei camemali, & anethini, ana ℥. ij. butyri, & pinguedinis gallinæ, ana ℥. j. miſce. Quod emplaſtrum emollit, & reſoluit tumorem induratum. Valet etiam ad inueteratas parotides buccinorum aut purpurarum cinis cum melle, vel axungia impoſitus, aut emplaſtrum ex pice liquida, ſebo taurino, cum ammoniaco, bdellio, ſtirace, & medulla ceruina, ex Paulo; aut hoc vnguentum. ℞. axungiæ vrſi, & medullæ crurum vituli ana ℥. j. vnguenti Aragonis, & filij Zachariæ, ana ℥. ß. olei camem. anethini, & rutæ, ana ℥. j. ceræ quod ſufficiat, vt fiat vnguentum. Conferunt etiam vt in aliis tumoribus ſchirrhoſis emplaſtra, aut vnguenta ex mi-
D neralibus confecta, quæ potenter deſiccant, & reſoluunt, quibus emollientia admiſcebimus, ex Galen. 3. *de comp. medic. ſecund. locos, cap. iam citato*, quorum copiam apud Chirurgos inuenies.

Tandem ſi à bile dependeat parotis, factâ ſanguinis miſſione, & expurgatione, localia remedia mitiora ſunt adhibenda, qualia adduximus in curationis principio. Quod ſi à materia venefica ortum ducat, illius curationem *tract. de febre maligna, & peſtilenti*, ſcriptam reperies.

CAPVT

## CAPVT III.

### *De narium morbis, & primò de ozenis.*

SVbtile, aut tenue obiectum percipit olfaciendi ſenſus,& hanc ob cauſam inter ſenſus externos tertium occupat locum; res enim odorabiles, & vaporoſas percipit, vt conſtat ex Galen. *lib. de inſtrumento odoratus,cap.*3. tamen in qua parte reſideat huius ſenſus inſtrumentum,& quod ſit, non eſt huius loci; ſi de hoc vis exactam habere notitiam, lege Petrum Garciam *in fen.* 1. *lib.* 1. & Valleſ. *in controuerſias*, & alios.

Huius ſenſus actio tripliciter læditur, vt ait Galen. 1. *de cauſ.ſympt.cap.*4.abolitè,quando nullus odor percipitur; diminutè, quando debiliter ſentitur; deprauatè, & hoc dupliciter: primò, vt ſi odoret odorem fraudulentum, quamuis non ſit inuentus: ſecundò, vt ſi ſentiat odores, qui mali ſunt,ac ſi eſſent boni,vel è contra,vt quando delectatur odore ſtercoris, & abhorret aromaticum.

*Cauſa* Huiuſmodi actiones lædi poſſunt ab intemperie nuda,quæ contrariis alterantibus aufertur,aut cum humoris affluxu, quæ indiget etiam euacuatione, & expurgatione,errhinis,maſticatoriis,& oris collutionibus, & bono vitæ regimine. Quæ omnia fieri debent pro humoris peccantis idea. Lædi etiam poteſt ab obſtructione à craſſis humoribus, cuius curatio in viarum apertione ſita eſt; vel à carne ſupercreſcente, vt in polypo accidere comperimus, cuius curationem proprio capite trademus; *Ozenæ quid ſint.* vel ab ozenis de quibus in hoc capite agere decreuimus, quæ nihil aliud ſunt quàm narium vlcera ex humorum acrium,& putreſcentium fluxu genita, vt docet Galen. 3. *de compoſ. medic. local.*4.*cap.* Celſus tamen *lib.* 6. *cap.*8. cenſet ozenas dici tantùm ea vlcera, quæ fœdum habent odorem: idemque inſinuat Leonard. Iacchin.*in* 9. *Rhaſis, cap.*26. ſed in tradendis nominibus non eſt multùm immorandum,dummodo res intelligatur.Morbus per ſe notus eſt, qui facilè deprehenditur.Cauſam etiam ex dictis facilè colliges,nempe humorem acrem,& erodentem, qui ad nares defluens eas exulcerat; qui quidem humor ſi putridus ſit,vlcera ſordida,& fœtida producit. Difficilè curantur huiuſmodi vlcera, vt fatur Galen. *loco iam citato*,propter continuum humorum defluxum ex capite ad nares, in quo etiam omnes conueniunt.

#### §. I.

#### *Curatio ozenarum, ſeu vlcerum narium.*

CVm iſte morbus ex humorum fluxu oriatur, victum tenuem expoſcit,in principio ſaltem; qui quidem debet eſſe refrigerans, minimè flatuoſus, & mordacitatis expers: à vino ſe abſtineat æger, & loco illius bibat aquam fontanam, hordei, vel ſcorcioneræ, cum caſſiæ ligneæ modico, & in lue venerea cum ſmilace aſpera, & radice chinæ.

Cùm autem totius corporis, aut capitis humorum redundantium ſuſpicio ſubeſt, ſanguis eſt mittendus, ex Pauli conſilio *lib.* 3. *cap.*24. deinde caput, & vniuerſum corpus purgandum pillulis ſine quibus, aureis, de rhabarb. & ſimilibus, vel



A potionibus huic vſui dicatis,facta priùs humorum præparatione. Mox cùm ex capite in nares defluant humores, ipſum roborare expedit, eiuſque ſuperfluitates abſumere, & exſiccare, & nouum humorum aſcenſum impedire, vt docent Paul. & Galenus. Quem vſum præſtat oxyrrhodinum capiti tonſo impoſitum cum puluere myrti, maſtichis, gallarum,& roſarum,& acatiæ,& aliis, quæ capite de cephalea nominauimus, quæ hîc accommodari poſſunt. Poſt hæc ad narium vlcerum curationem particularem deuenimus iis remediis, quæ ſimul adſtringendi, diſcutiendi, & exſiccandi vires habent, vt deſumimus ex Galeno. Priùs tamen cruſtam vlcerum decidere faciemus cum melle,& exiguo modo reſinæ terebinthinæ, ſi in nares coniiciatur, quod ſpecillo lana involuto fit, ex Celſi præcepto: in quem vſum confert etiam axungia gallinæ,aut butyrum vaccinum lotum. Poſtquam cruſta deciderit, vlcus abſtergemus melle roſaceo; B tamen quia ægrè mundificari ſolet,magis exſiccantia,& mundificantia competunt. Itaque adhibere oportet vnguentum Ægyptiacum, & Apoſtolorum,præcipuè ſi vlcera ſint ſordida, & malè olentia. Aut vnguentum de lithargyrio cum puluere boli armeni, myrrhæ, & aluminis vſti. Vel hoc medicamentum,quod ab Oribaſio adducitur *lib.* 3. ℞. ſpumæ argenti,& ceruſæ ʒ.vj. plumbi vſti,& loti ℥.iiij. myrrhæ, & aloes, ana ʒ. ij. gallarum ʒ.j. omnia vino,& oleo myrtino diluantur,& vtere ad narium vlcera. Puluis item præcipitatus Vigonis cum vnguento Apoſtolorum ad idem valet; item calamintæ ſuccus,aut eius puluis in nares inſufflatus eſt vtilis, ex Archigenis ſententia. Benè facit etiam aqua, in qua æs vſtum, & vitriolum Romanum ſit diſſolutum. Reliqua apud Aëtium, Alexandrum, Celſum, & alios inuenire poteris. C Vlcere mundificato facilè remediis incarnantibus, & cicatricem inducentibus, vt in aliis vlceribus, ſalus amiſſa reſtauratur.

#### §. II.

#### *De polypo.*

POlypus tumor eſt præter naturam, qui in naribus generatur polypodis carni ſimilis iuxta ſubſtantiæ proprietatem,teſte Galeno 3.*de comp.medic. ſecund.locos,cap.*3. Ex genere tumorum præter naturam polypi in naribus generantur, ex Aëtio *tetrab.*2.*ſerm.*2. *c.*90. ex quibus liquet,quod huius morbi natura conſiſtit in magnitudine adaucta.

Quod ſi obiicias ex Auicen.*fen.*5.*lib.*3.*tract.*2. D *cap.*11. vbi inquit, quod polypus eſt caro addita, quandoque mollis,& alba, quandoque rubea,quod etiam confirmat Celſus *lib.*6.*cap.*8. ac per conſequens videtur reducendus iſte morbus ad morbos numeri additi. Facilè reſpondetur, carnem appellari per analogiam, aut ſimilitudinem, quia in coloribus, & accidentibus carni ſimilis apparet: ſicut etiam dicitur polypus,analogicè ſumpta ſimilitudine à carne polypodis piſcis,cui in colore,& conſiſtendi modo non apparet abſimilis. Iſte morbus dici etiam poteſt in obſtructione, in quantum narium meatus obſtruit, & occupat.

Duæ polypodis differentiæ traduntur ab Authoribus,præcipuè tamen ab Auic. *proprio capite*, vbi ait,quod polypus alter eſt cancroſus, figuram naſi corrumpens, & dolorem inferens, cum extenſione ſua vehementi,qui eſt coloris fuſci, partibus narium adhærens, vergens etiam in colore ad liuiditatem cum fœtore,maximè ſi fuerit exulceratus, & cùm parua, aut nulla humiditate.

Alter verò non cancroſus, rubei coloris, vel albi, gracilis in ſua radice, & pendens ſine fœtore, & ſine dolore,& cum multa humiditate,& ſanie.

A

Vterque ab humoribus craſſis,pituitoſis,& melancholicis dependet, vt docent Galenus, & Aëtius. Non cancroſus tamen frequentiùs ſequitur fluxiones catarrhales,diſtillationes,& alios capitis morbos.Cancroſus verò accidit nullâ fluxione apparente,& ſi in capite morbus præcedit,ex melancholico inſurgit humore; & dum incipit, eſt ſicut cicer, aut auellana, vt inſinuat Auicen. Illorum autem quiuis ad labra pendens,& narem implens, aut retrò per id foramen,quo ſpiritus à naribus ad fauces deſcendit, ſi adeò increſcat, vt poſt vuam conſpici poſſit, hominem ſtrangulare ſolet, vt notat Celſus. At ſi fuerit cancroſus, difficilem, ne dicam impoſſibilem, curationem radicatiuam admittit, qui ferro tangi non debet. Alter curatu facilior eſt, vt omnes vno ore confitentur.

B

## §. III.

### *Curatio Polypi.*

NOn abſimilem expoſtulat curationem iſte affectus, ac vlcera narium; quapropter debito vitæ regimine inſtituto,per alimenta extenuantia, & inſcindentia, ſi nihil prohibeat, ſtatim ſanguinem effundimus ex vena communi, exiſtente plenitudine, in cuius defectu ex humeraria extrahimus,deinde corpus eſt purgandum pillulis indis, de agarico,de fumaria,cochiis, aut alſeiaret Auic. quam euacuationem per interualla repetere licebit. Deinde caput roborabis iis, quæ diximus pro curatione doloris capitis ab humore pituitoſo, & melancholico. Mox ad remedia polypi localia deuenies,in quem vſum accommodari poſſunt ea, quæ capite antecedenti adduximus.Confert etiam veratrum tritum, eique additum origani par pondus tritum,& in nares inſufflatum; quod quidem etiam cum melle, aut oleo in linimenti formam reduci poteſt,ex Apollonij ſententia à Gal. adducta capite ſuperiùs citato. Atramentum viride tritum ſicut alcohol,in nares inſufflatum ſerò,& manè eſt ex eis, quæ expertus fuit Auic. Quod ſi iis non aufertur morbus, eum exſtirpare expedit inſtrumento ferreo ſubtili, aut cauterio cum igne actuali,ita vt abſumatur aut extrahatur, quod eſt in naribus ſuperfluum, vt iubet Auic. Ego autem polypum vlceratum, & cancroſum curaui vnguento pompholigos,& de plumbo, cum puluere præcipipato Ioan.de Vigo,quo remedio ille tumor radicitus fuit abſumptus. Alia inuenire potes, ea tamen,quæ hoc capite,& antecedenti adduximus, probabiliora cēſentur pro huius morbi curatione.

C

*Nota hiſtoriam.*

D

## §. IV.

### *De fluxu ſanguinis narium.*

*Quibus de cauſis fluat ſanguis.*

QVinis ſanguinis fluxus, ſiue ex naribus, aut alia quauis parte fluat, accidit aut reſerato venarum,aut arteriarum ore, vel vaſe vulnerato, vel prærupto, vel ab humoribus mordacibus ſanguinis vaſe eroſo, vt docet Gal. *de different.ſympt. cap.vltimo*,& 5. *methodi,cap.* 2. vbi tres conſtituit affectiones, quibus ſanguis fluere poſſit; per anoſtomoſin,ideſt apertionem oſculorum,quæ ſunt in vaſis; per diapedeſin, id eſt tranſcolationem,cùm ſudoris modo eſt tranſmiſſus; per diereſin verò, ideſt per ruptionem, aut vulnerationem.

Aduertere tamen oportet,quod anaſtomoſis non ſignificat quomodocumque oſculorum apertionem, ſed ſolum apertionem vaſorum maiorum; diapedeſis verò ſignificat apertionem vaſorum gracilium, ex quorum ore aut poris exit ſanguis paucus, tenuis, & ſeroſitati permiſtus.

Ex his facilè deducitur,quod nares in hoc affectu frequentiùs afficiuntur per conſenſum cum vaſis ſanguinem continentibus.

*Læduntur facultatis expultricis actiones, & quomodo.*

Læditur facultas expultrix,quatenus ſanguinis ſubſtantiam,quam retinere debebat,excernit; quæ actio cum adaucta ſit, & magis quàm pro naturæ lege, deprauationis nomen meretur, ad quam ſequitur ſymptoma in eis quæ excernuntur præter naturam. Læditur etiam contentrix,dum ob eaſdem cauſas ſanguinem intra propria conceptacula retinere nequit, & diminutè aut abolitè operatur: quæ omnia deſumuntur ex Gal. *de different.ſymptom. cap. citato.*

Diereſis agnoſcitur ex vaſis ruptione, vulneratione,contuſione,caſu,ſaltu,& vociferatione; ſanguinis etiam plethora vaſa diſrumpere ſolet,vt docet Gal. 1. *aphor. comm.* 3. Frigus ſimiliter rumpit vaſa, & facit ſanguinem manare.

*Cauſa, & ſigna.*

Diapedeſis agnoſcitur,dum ſanguis exit tenuis, ſeroſus,aut bilioſus,aut venæ ſunt rarefactæ; qui ſanguis ita fieri ſolet vitio ſanguificæ virtutis non benè ſuum munus perficientis, & ſanguinem aquoſum producentis, quem cùm non ſit naturæ familiaris,facultas excretrix excernit.

Quod ſi hæc ſigna,& cauſæ abſint, ſcire oportet ſanguinem fluere per anaſtomoſin, id eſt per oſculorum vaſorum apertionem,quæ fieri ſolet ob ſanguinis copiam, qui impetu quodam ad ora vaſorum ruit; quod quidem agnoſcimus per plenitudinis ſigna.

Verùm ſi morbus præceſſerit acutus, & fiat in die critico, & cum ſignis ſolutionis, naturæ opus eſt,quæ per criſim ea quæ ſibi moleſta ſunt,excernit,& ſeparat,vaſorum ora adaperiens; quam euacuationem non licet impedire, dummodo non ſit immodica, vt conſtat ex Galen.1. *aphoriſm. comment.*20.

Stillatio ſanguinis è naribus per febres ardentes pernicioſa eſt,ex Hipp. 1. *prorrhet.text.* 1.Sanguinis profluuia, ſi in tempore quidem opportuno fiant, proſunt; intempeſtiua autem nihil iuuant, Gal.teſte 1. *de criſibus,cap.*7. Menſtruis deficientibus ſanguis ex naribus fluens,bonum,ex Hipp. 5. *aphor.text.* 33. Vbi ſanguis multus effluxerit, ſingultus,aut conuulſio ſuperueniens,malum, ex eodem *lib. etiam* 5.*aphor. textu* 3. Ex ſanguinis profluuio immodico hydrope laborant, ex Hippoc.6. *epidim. ſect.*4.

## §. V.

### *Curatio fluxus ſanguinis narium.*

VIctus dum ſanguis quantitate peccat, debet eſſe tenuis: quod ſi ſanguis effluat ſeroſus tenuis,aut vaſorum ora ſunt adaperta,& eorum foramina rarefacta,rupta,ſeu vulnerata,victus debet eſſe adſtringens,agglutinans,& infrigidans, vimque emplaſtricam habens,vt inſinuat Gal. 4.*meth. cap.*5. Conferunt ergo caro gallinæ, aut arietis, perdicis,aut turturis aſſa,aut amylum,vel oryzum toſtum, & lacte chalybeato, aut lapillis ignitis ſuccenſo conditum, aut pultes ex farina triticea. Ex conſeruis vtiles ſunt conſerua citoneor. pirorum,& meſpillorum: item ipſa citonea, ſorbæ, & meſpilli,& alia huius cenſus. Potus ſit aqua pluuialis, maſtichina, chalybeata, aut deaurata, vel vinum rubrum, & adſtringens huiuſcemodi aquis

dilutum,

dilutum. Debito vitæ regimine inſtituto, ſtatim A reuulſionis gratiâ ſanguis eſt mittendus: quod ſi ſanguis erumpat ex dextra nare, ex cubito dextero; ſin ex altera, ex ſiniſtro, vt præcipit Gal. *de euacuandi rat. per ſanguinis miſſionem, cap.* 11. Quo auxilio validam ſanguinis è naribus fluxionem ſedauit Galenus, vt ipſe ibi retulit. Tum hypocondrio directè ſuppoſito cucurbitam apponere eſt vtile; eſt enim hæc reuulſio ad originem facta, vtendumque eſt frictionibus, & ligaturis partium extremarum,& cucurbitulis cum ſcarificatione,& ſine illa.

Verumtamen ſi ob humorum acrium eroſionem ſanguis erumpat, illos euacuabimus poſt ſanguinis miſſionem in hunc modum. ℞. rhab. optimi triturati ʒ. j. ſyr. ex 9. infuſionibus roſarum rubearum ℥. iij. decocti pugini ℥. ij. ß. miſce, qui potus præterquam quod euacuat,corroborat etiam, & adſtringit.

*Interius quæ aſſumantur.* Poſt hæc interiùs, & exteriùs adhibenda ſunt B medicamenta adſtringentia. Interiùs ergo ſumere expedit ſyrupum myrtinum, roſarum, & citoneorum, aut conſeruam antiquam roſarum, & citoneorum cum puluere boli armeni orient. coralli rubri præp. & maſtichis,cum ſyrupo myrtino,vel roſarum ſiccarum, vel hoc, quod recipit ſacchari roſati antiqui,carnis prunorum ſilueſtrium, & citoneorum ſaccharo conditorum, ana ℥. ß. ſyrupi myrtini, citoneorum, roſarum ſiccarum, ana ℥. ß. philonij perſici benè fermentati, & micletæ, ana ʒ. j. trochiſc. de terra ſigillata, & de ſpodio, cum ſemine acetoſæ,& de charabe,ana ℈. ij. margaritarum præpar. & vtriuſque coralli præp. ana ʒ. ß. foliorum auri n. iiij. aquæ deauratæ,vel chalybeatæ,quod ſufficiat, vt fiat loch, de quo ſumat æger ſingulis horis cochlearium. Vtiles admodum ſunt C trochiſci de ſuccino in aqua plantag. aſſumpti. Frigida etiam epota ſanguinem ſiſtunt, ex Gal. 5. *meth. cap.* 5. quapropter ſi nimis vrgeat affectio, bibat æger ſyrupi papaueris ℥. j. ſyr. roſarum ſiccarum ℥. ß. aquæ chalybeatæ ʒ. iij. philonij perſici ℈. j. quæ potio ſomnum conciliat, cuius ratione ſanguis,& reliqui humores intrà recurrunt.

*Exterius admouenda.* Exteriùs verò naribus, collo, & fronti ſunt apponenda quæ refrigerant, repellunt, ſanguiniſque motum ſiſtunt, dummodo à leuioribus incipiamus; quæ quidem ſunt aqua roſarum, plantag. & portulacæ,cum albumine oui,& aceto,quæ valentiora efficies,ſi eis ſuperaddas pulueres adſtringentes,vt pulueres boli armeni, thuris, maſtichis, & ſimilium. Gypſum etiam oui albumine ſubactum fronti, & naribus impoſitum eſt vtiliſſimum. Accommodum eſt frontem ſpongiis refrigerare. Aures quoque intenſè per linteola ac ceram obturentur,& in ore aqua pluuialis frigida contineatur,ex D Gal. 3. *de comp. medic. ſecund. locos, cap.* 4. Hoc medicamento vtitur Galen. ad ſiſtendum ſanguinem 5. *method. cap.* 4. quod recipit thuris partem vnam, aloës partem dimidiam, miſceantur cum albumine oui ad mellis ſpiſſitudinem, quibus adde pilorum leporis minutim inciſorum quod ſufficiat, quod per linamentum contortum naribus aptetur, & exterius ſupra nares ac tempora. Fimi aſinini cinerem inſpirare eſt optimum,vt ait Paulus, quo auxilio maxima cum vtilitate vſus fui, dum alia non proficerent. Valet ad idem eiuſdem ſtercoris aſinini ſuccus inſtillatus,vel vapor lapidis molaris ſuccenſi,& aceto acerrimo extincti, ſi naribus trahatur, ex eodem Paulo. Puluis tragacanti, amyli, thuris, ſanguinis draconis, & maſtichis in nares inſufflatus ſanguinem ſiſtit. Spongia noua, & pix in ollaapponantur ad ignem donec comburantur, ita vt pix ſuam amittat humiditatem, ex quibus fiunt pulueres, qui per calamum in naribus inſufflentur, vel inſpiratione trahantur: poſt inſufflationem conſulit Auic. *fen.* 5. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 9. vt conſtringatur naſus vna hora, & exſpuatur illud, quod deſcendit ad os. Ex ſacroticis medicamentis maximè commendo ellychnium ex contortis linamentis,aut goſſipio in atramento ſcriptorum infuſum,& naribus inditum; quod auxilium faciliimè adminiſtrari poteſt, & eo ſæpe vtiliter vſus fui. Oportet etiam cucurbitam cum ſcarificatione occipitio affigere, in quo omnes conueniunt. Item faciem, & caput ſubitò aqua frigidà inſpergere, & pudenda aquâ frigida irrigare,terroremque incurrere erit vtile. Quandoque eſt neceſſarium vt ſedeat æger in aqua frigida, etiamſi niue infrigidetur, vt docet Auic. Quod ſi æger in ſyncopen, aut animi deliquium incidat, ſanguinis fluxus ſiſti ſolet, ex eodem Auicen. & Galen. 5. *method. cap.* 5. vbi ſuccum plantaginis ad ſanguinem ſiſtendum maximè etiam commendat: quem curandi modum deſumpſerunt ex Hippoc. 6. *epidim. ſect.* 7. vbi ait: *Sanguinis venarum ſuppreſſiones faciunt animi deliquium, figura alterata, interceptio, linamentum intortum, oppoſitio, & deligatio.* Vbi omnes modos ſiſtendi ſanguinem complectitur. Quædam vetula Monſpeliana ſolà mentha naribus impoſitâ ſanguinis fluxum è naribus trium dierum curauit, vt refert Ioan. Paſchal. mentha enim trita naribus inſufflata vtilis cenſetur,ex Gal. 3. *de compoſ. medic. ſecund. locos, c.* 3. ex Eraclidis ſententia. Verùm valde vrgente malo ad ſarcotica, quæ cruſtas inducunt, deuenire cogimur; in quem vſum confert chalcitis contrita linamento ex ellychiniis contorto aquâ imbuto excepta, & narium foraminibus demiſſa. Tandem ſi aliqua ſanguinis portio ad ſtomachum deſcendat, ibique concreſcat, aceto mulſo liquari ſolet,& euomi,ſi verò in ventrem elabitur,clyſtere educi debet antequam deterrima excitet accidentia.

## CAPVT IV.

### *De dentibus, & eorum dolore.*

AD varios,& diuerſos vſus natura dentes conſtruxit,vt docet Ariſt. *lib.* 3. *de partib. anim. cap.* 1. commune tamen officium pro omnibus animalibus eſt cibum terere, & conficere. Primores enim acutos produxit,vt alimentum ſecent;maxillares verò latos,vt molant: quapropter primi dicuntur inciſorij, ſecundi verò molares; in vtrorumque medio ſiti ſunt canini, ſic dicti, quia canum dentibus ſunt quàm ſimiles, quorum munus eſt frangere id, quod minimè inciſorij frangere queunt,qui quidem in inferiori baſe lati ſunt,parte autem ſuprema acuti,vt deducitur ex Galen. 11. *de vſu partium, cap.* 8. Sunt præterea loquutionis gratiâ conſtructi,& ad vocem efformandam, & ad oris ornatum conferunt, præcipuè primi dentes, quibus vires ſunt commiſſæ,vt alia animalia mordeant,quibus vtuntur vt armis,vt ſeſe defendant, & ab iniuriis tueantur:quam ob cauſam de eorum conſeruatione maxima eſt habenda prouidentia, illorum morbos expellere curantes. *Ob varios vſus dentes ſunt creati.*

Sed quia difficile diſtingui quit, an dentes, vel pars illis adiacens dolore afficiatur, ideò facilè potuit decipi Gal. 5. *de compoſit. medic. ſecundum locos, c.* 8. exiſtimans ſe dolorem fuiſſe paſſum ſecundum dentiũ ſubſtantiam;quo caſu ratio ſenſum corrigere debet. Vnde quando inſtituitur caput de dentium dolore, ideò inſtituitur,quia ſic communiter dici

ſolet ; non tamen dentes dolent,quia ſenſu carent, vt reliqua oſſa , licèt ſint ſicciores, & duriores oſſibus aliis,proptereáque difficiliùs franguntur, aut vruntur quàm illa ; & in lapide ſarcophago condita oſſa abſumuntur intra quadraginta dies, dentes verò minimè, vt ait Plinius 37. *naturalis hiſt. cap.*17. Quapropter cùm dentes ſine dolore ſcindantur , & abradantur , neutiquam ſenſum habere poſſunt ; nam ſenſatio triſtis ex continui ſolutione ſubitò facta in illis inſurgeret , ſi ſenſu præditi eſſent. Sed potiùs dentes ſunt doloris cauſæ, quatenus ſua duritie comprimunt partes inflammatas, & tumefactas, videlicet neruum, & gingiuas; aut ipſas diſtemperant partes , de quibus omnibus breuiter rationem adducere tentabimus.

Quandoque enim dolent gingiuæ , aut nerui propter humorem calidum in ipſos defluentem, & propter inflammationem ab eiſdem humoribus concitatam ; quod facilè ex pulſanti dolore, ardore,doloris vehementia, rubore, & gingiuarum tumore deprehenditur ; non tamen dentes veram pati poſſunt inflammationem, nam quamuis oſſa, & dentes recipiant incrementa per materias in eis penetrantes, & recipiant extenſionem, & in tumorem attollantur; non tamen in rigore veram inflammationem patiuntur , vt oſtendit Conciliator *differ.*96. & Petrus Garcia *de locis affect. diſputat.* 33.*cap.*5. & ratio eſt, nam inflammationem comitatur dolor & renitentia : cùm verò doloris dentes , & oſſa expertes ſint , talem affectionem pati non poſſunt ; dicuntur tamen inflammari ſumptâ inflammatione pro tumore,& magnitudine adaucta , & hoc modo veniunt intelligendi Galenus 5. *de comp. medic. ſecundum locos* , *cap.*8. & Auicen. *fen.*7. *lib.*3. *tract.*1. *cap.*1. Quandoque etiam ab humoribus frigidis , & craſſis initium ſumit dolor ; quod dignoſces ex maiori pondere,& partium frigiditate,& quia frigidis intenditur dolor.

Multoties à vaporibus ab ſtomacho elatis dentium dolor conſurgit , qui ex diſpoſitione ventriculi præcedente,& ciborum cruditate cognoſcitur. Similiter rheumaticæ fluxiones , quæ à capite in dentes deſcendunt,ſunt huius ſymptomatis cauſæ, quæ agnoſcuntur ex capitis grauitate,& dolore earum partium,per quas defluit humor. Huiuſmodi cauſæ , ſi dentes diſtemperent, corrodant, & frangant,non tamen dolorem inferunt,donec partibus dentibus proximis ſentientibus damnum communicetur,& ſi fortè ab humore corrodente dens frangitur,dolor antea præexiſtens ſedari ſolet, quia patet via,per quam effluat humor.

Tandem inter doloris cauſas gingiuarum ponitur dentitio, ſiue exitus dentium pertinens ad puerorum morbos,vt refert Hippoc.3.*aphor.textu* 24. licèt enim dentitio ſit ſecundùm naturam , maximos tamen concitat dolores,quia caro gingiuarum mollis, & tenera à dentium ſubſtantia dura diuiditur, & ſcinditur, variáque cauſat accidentia , quæ ibi retulit Hippocrates , & correctione indigent.

## §. I.

### *Curatio doloris dentium.*

*§ Dentitio in infantibus dolores cauſat.*

DEntium dolor initium ſumens à ſanguine (inſtituta victus ratione per refrigerantia)curatur primò ſanguinis miſſione brachij partis affectæ,ex vena communi;qui ſi bili admiſtus ſit,aut bilis ſit in cauſa , poſt ſanguinis miſſionem bilem A præparabis,& ſtatim expurgabis colagogis medicamentis. Poſt eorum vſum conferunt cucurbitulæ, frictiones, ligationes, & balneationes partium extremarum. Verùm ſi dolor nimis infeſtet,opium,& alia ſtupefacientia ſupra dentem apponere oportet,vt theriaca recens,& vtrumque philonium. Valet etiam decoctum,quod recipit foliorum plantag. lactucæ,& tapſi barbati,ana m.j.ſumach m.ß.hordei mundi p.ij. radicis iuſchiami ʒ.iij. bulliant ſecundùm artem,& colaturæ adde ſyr. roſarum ℥.ij. diamoronis , & aceti acerrimi , ana ℥. j. ß. bulliant iterum,& hoc decocto abluatur os. Ad idem etiam valet ſuffumigium cum ſemine iuſchiami, aut decoctum radicis illius in aceto, vel decoctum ſeminis iuſchiami , & radicis mandragoræ in ore detentum. Aqua etiam niue refrigerata multoties in ore accepta dolorem ſedat,ex Auic. qui in aures remedia diſtillare iubet, vt dentium dolor leuetur; B quod fieri cenſeo ob communem partium colligantiam , & conſenſum : quapropter oportet in aures inſtillare lac ab vbere mulctum,aut oleum roſarum tepidum,aut granum vnum opij,& alterum caſtorei in oleo roſarum , vel lacte diſſoluta. Ex amuletis conferunt ſuffumigium ſenectæ ſerpentis , & oris ablutio cum decocto illius ex aceto.Exteriùs facies illinenda eſt oleo roſarum , amygdalarum dulc. & lumbricorum cum axungia gallinæ, aut anatis,aut vnguẽto anodino.Refrigerantia extrà applicita nocere ſolent,quatenus humorem intrà repellunt,niſi tantùm adſit calida intemperies; quo tempore prodeſſe ſolent,& ſecuriùs adhibentur.

*Remediorum inſtillatio in aures minuit dentium dolorem.*

Si verò doloris cauſam eſſe inflammationem exiſtimes , curari debet vt reliquæ inflammationes: quod ſi in ſuppurationem terminetur , ſuppurantibus adiuuari debet. Pure verò conſummato, ferreo inſtrumento , vt reliqui abſceſſus, aperia- C tur.

*Curatio doloris ex inflãmatione.*

Veruntamen ſi ab humoribus corrodentibus dentes vitientur,& perforentur, habitâ prius cauſæ prouidentiâ,dentes abſtergere,& mundos reddere expedit per auxilia exſiccantia , & abſtergentia, quæ ſint potentioris virtutis,ita vt dentes corroborent,& firmos reddant,humoremque corrodentem abſumant ; qui dum ad gingiuas,& neruos peruenit,acutum,& toleratu difficilem dolorem promouet;cui affectioni ſic ſubueniendum eſt.Primò ſubtili inſtrumento ferreo dentis partem ſordidam abſtergimus,deinde in dentem perforatum oleum feruens immittimus,aut ignito ferro cauterizetur,vel cum oleo de vitriolo, vel ſulphuris. Quod ſi hæc non ſufficiant,manuali operatione eſt extrahendus, quo extracto frequenter ſedatur dolor , præcipuè D cum gingiuæ , & nerui ſunt tumefacti, in quibus propter dentis compreſſionem dolor intenditur, ipſoque extracto facilè ſedari ſolet.

Quod ſi humores frigidi huius mali cauſæ extiterint,optimo vitæ regimine inſtituto,vt dixi capite de cephalea ab humore pituitoſo , ſi ſanguis redundauerit,ex eodem latere ex vena brachij communi ſanguinem detrahes,frictionibuſque, & cucurbitulis vteris,humoremque præparabis,& euacuabis,vt ibi diximus : deinde ad localia deueniendum,quæ debent eſſe calida,& reprimentia,vt humorem frigidum reſoluant, & illius motum compeſcant.Oportet ergo dentes colluere aceto,in quo bullierint alumen,nuces cupreſſi,& tæda,aut aqua vitæ per ſe,aut in qua ſint infuſa ros marinum, & piretrum,aut in qua parùm theriacæ ſit diſſolutum. Confert etiam vinum,in quo ſint decocta roſa,piretrum , ſpolium ſerpentis, ros marinum , & thymum; aut acetum, in quo ebullierit radix cucumeris ſilueſtris. Maſticent piretrum , aut hoc quod

*Curatio doloris ex pituita.*

recipit

recipit maſtichis,piretri,piperis, & aluminis, ana ʒ.ß. ceræ, aut terebinthinæ, quod ſufficiat, vt fiant paſtilli, quorum vnum in ore teneat verſus partem dolentem. Dentes theriacâ,aut mithridato perfricare conſentaneum eſt. Intra aures ſi iniicia-tur oleum rutæ, aut abſinthij, aliúſve liquor calidus, dentium dolorem ſedat.

Exteriùs partem inungere conuenit oleo lumbric.camem.amygd.dulc. & vnguento filij Zachariæ,quibus dolor mitigatur, humor reſoluitur, & ad extra reuocatur.Iuxta tempora,& retrò aures in fluxionibus rheumaticis emplaſtrum de centaura, aut de pelle arietina appoſitum confert, & cataplaſma ex albumine oui cum puluere thuris, roſarum,ſanguinis draconis, & ſimilium, aut gummi caranna, & tacamaca dictum.

At ſi à vaporibus à ventriculo prodeuntibus dolor excitatur, eum ſedabimus detracto humore, aut cruditate ventriculi, præparato priùs melle roſaceo, ſyrupo de mentha, de abſinthio, aut ſtœcados; deinde ipſo euacuato pillulis de hiera, maſtichinis,vel de agarico, aut cum melle perſico,vel ſyrupo Regio,& decocto pugini cum diacathol.vel elect. diaphœnic.

Solet etiam dolor iſte initium ſumere à vermibus,qui ex putrefactione aliqua humoris aut alimenti iuxta dentes, aut inter ipſos detenti producuntur, quos occidere ſolent ſemen iuſchiami albi,& ſemen porri, præcipuè ſi ex eis ſuffitus fiant. Item amara omnia eos enecant, vt abſinthium, myrrha,aloës,colocynthis, & lupini, ex quibus in aceto decoctis recipitur euaporatio, vel cum ipſo decocto os colluitur.

*Curatio doloris ex dentitione.* Si verò dentitio, aut exitus dentium dolorem excitet, gingiuas emollire oportet oleo amygdal. dulcium,aut cerebro leporis,vel axungia gallinæ, aut vitello oui cum butyro: aliqui conſulunt vt dentes lupi, aut iaſpis, vel caput viperæ collo appendantur,quæ vt inutilia non probo.

Quantùm ad cibum attinet,hoc commune præceptum eſt obſeruandum,vt à rebus nimis calidis, & frigidis ſe abſtineant,ab his enim maximè alterantur dentes, & patiuntur. Fugiant demùm alimenta dulcia,pinguia,& lacticinia,quæ facilè corrumpuntur, poſt quorum eſum os abluere, & abſtergere conuenit vino albo. Síntque alimenta facilis coctionis,& dolore dentium infeſtante, quæ paruam triturationem admittant.

## §. II.

### *De dentium euulſione, defœdatione, & eorundem inſtabilitate.*

INter coctiones,quæ in noſtro corpore celebrantur,prima perficitur in ventriculo, quæ quidem ab ore ſumit initium, in quo alimentum dentibus atteritur, vt docuit Galen. 3. *de naturalibus facultat. cap.*7. & Valleſ. 1. *controuerſiar. cap.* 3. quæ quidem ſine dentibus non benè perficitur,ideò eorum conſeruationem maximè expoſcimus; deſeruiunt enim ad vitæ longitudinem, ita vt longæuos vocet Hippocrates, qui plures dentes habent, vt conſtat *ex* 2. *epidim. ſect.*6. háncque ob cauſam mobiles fixos reddere,defœdatos abſtergere,& qui aliis incommodant, euellere docebimus.

*Dentium euulſio.* Euellimus ergo dentes,quando corroſionem patiuntur,ita vt remediis corroſio non auferatur, & quando taliter ſunt oblæſi, vt ſibi proximis læſionem inferant, aut ob nimium dolorem gingiuas & neruos infeſtantem,qui à dente eroſo,& defœdato originem trahit, quo tempore tenaculis, aut inſtrumentis vſui proficuis extrahi debent. Quod ſi ob metum doloris, vel ob alias cauſas non ſe audeant committere artifici, aliis remediis eſt vtendum, quæ ſine dolore dentes extrahunt, vt aliqui fatentur; in quem vſum conuenit piretrum in acetum coniectum ad dies tres,vel quatuor,deinde tritum, & denti malè affecto impoſitum, ita vt per tres dies, aut quatuor dentem hoc pharmaco integas, dentibus aliis permunitis, & cera illitis, vt monuit Galen. 5. *de compoſit. medic. ſecund. locos, cap.*9. Ad idem valent radices cucumeris ſilueſtris eodem modo præparatæ,ex eodem Galeno, & eodem loco. Farina etiam cum liquore tithymali denti impoſita, & deſuper hederæ folium ſuperpoſitum vnius horæ ſpatio dentem extrahit, ex Paulo *lib.* 3. *c.* 26. De iis tamen periculum non feci.

Denigrantur dentes, aut liuent, aut vitioſum alium colorem contrahunt à prauis ſuccis, qui ad eos perueniunt, aut ob alimentum, quod in ipſis detinetur, ibíque putreſcit, dentiúmque colorem mutat. Humores enim frequentiùs, & excrementa à capite, & ſtomacho deferuntur, quæ non ſolùm hæc incommoda efficiunt, ſed deterrimum odorem concitant. Ad huius ſymptomatis correctionem euacuato priùs humore,vt alibi millies dictum eſt,dentes mundos reddere licebit collutionibus,& frictionibus. Oportet ergo colluere os vino albo,in quo decocta ſint tæda,& ros marinum; aut fricentur quotidie hoc puluere, qui vim deterſoriam habet. ℞. pulu. coralli albi, aluminis vſti, oſſis ſepiæ,& pumicis, ana ʒ.ij. miſce. Aqua vitæ dentes dealbat, ſi ſæpe eâ abluantur. Valet etiam hoc dentifricium. ℞. ariſtoloc.longæ,ſal gemmæ, piperis longi,cinnamomi,cornu cerui,& ſulphuris combuſti, ana partes æquales, quæ omnia in puluerem redacta dentes clarificant. Dentium candorem conciliat, & oris ſuauitatem, gingiuáſque reprimit hoc, quod recipit pumicis, ſalis toſti, iridis, ſing.ʒ. iiij. iunci odorati anguloſi ʒ. v. ſpicæ nardi ʒ. j. piperis ʒ. vj. quibus tritis dentes fricamus,ex Paulo 3. *method. cap.*26. Eos etiam dealbat oleum ſulphuris,& de vitriolo, vel aqua fortis,cautè tamen eis eſt vtendum,ne neruos,& gingiuas tangant, quia ab illis exſiccantur, & conſumuntur. Tandem ad dentes dealbandos, & oris fœtorem mirificè prodeſt id quod recipit panis frumenti,amborum corallorum, cornu cerui, ana ℥.ß. aluminis ʒ.ij. parietariæ, capillorum ven.ana m.j. corticum ouorum n. iiij. ponantur omnia in vaſe fictili in furno, donec in cinerem conuertantur, cuius cineris accipe ℥.iv.cariophyl.macis,ana ʒ.j.ſpicæ,calami aromat, ana ʒ.ß.mellis roſati colati, quod ſufficiat ad incorporandum, aceti ſchill. ℥.j.fiat ad formam opiatæ,qua manè fricentur dentes,& poſtea vino abluantur,ex Rondel. *in method. curandi morbos, cap.* 75. Maſtichis puluis idem efficit,ſi eo dentes quotidie fricentur.

Hæc aqua dealbat dentes, eóſque firmos reddit ſi ea fricentur. ℞. aluminis rochæ ℔. j. ſalis nitri ℔.ß.maſtichis ℥.ij. diſſoluantur cum aceto, & diſtillentur.

Dentes mobiles reddit carnis gingiuarum conſumptio, & extenuatio, quæ ſi ratione ætatis ſenilis proueniat,incurabilis cenſetur; ſi verò ex aliis cauſis oriatur,cauſas demere tentabimus humorem laxantem euacuando, mox dentes abſtergere decet; nam ſi ſordidi ſint,caro ſupercreſcere non poteſt: deinde adſtringentibus, & humiditatem reſoluentibus eſt vtendum. In hunc vſum valent remedia ſuperiùs adducta,& vinum adſtringens, quod debet eſſe album,ne dentes denigrentur,quod conficitur ex roſis,foliis myrthi,nucibus cupreſſi,ma- *Dens mobilis quomodo ſtabiliendus.*

ſtiche,balauſtiis,rhu,rore marino,lentiſco,ſale,alumine, & ſimilibus. Puluis iſte eſt laudabile dentifricium ad mobiles dentes fulciendos. ℞. oſſium omnium mirobalanorum,ſanguinis dracon. maſtichis,thuris,vtriuſque coralli,ana ʒ.j.ß. cinnamomi, cariophyl. pumicis vſti, & aluminis vſti, ana ℥.j. margarit. præparat, & boli armeni aquâ roſarum loti,& gummi arabici, ana ʒ.ß. moſchi, & ambræ, ana g̃. vj. miſce; qui puluis dentibus inſpergatur dormituris, & vt meliùs adhæreat, ex eiuſmodi puluere, & oui albumine petias conficimus, quas dentibus ſuperimponimus; mane verò os colluimus vino albo,in quo ros marinum ſit incoctum,vel ipſo vino per ſe ſumpto.

Tandem ſi ſtupor dentium adſit,oportet vt portulacam manducent, aut oleum calidum ore contineant, ex Galen. 5. *de compoſ. medic. ſecundùm locos, cap. 9.*

## CAPVT V.

### *De oris affectibus; & primò de aphthis.*

VLcerationes in ſuperficie oris obortas aphthas appellant,habentes quidpiam igneæ ſalſedinis,vt docet Galenus 6. *de compoſit. medic. local.capite* 4. & Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*4.*capite* 29. itaque vlcera quæcumque,ſi in ore fiant,ex Galen. aphthæ dicuntur. Celſus verò *libro* 2.*cap.*1. aphthas tantùm appellat ſerpentia vlcera. Morbus per ſe notus eſt, cum in ſolutione continui cum diſtemperie conſiſtat, & aliquando cum tumore.

Solent oris vlcera pueris nuper natis accidere, vt innuit Hipp. 3.*aphoriſm.textu* 24. Cùm enim neque tactum, neque lactis qualitatem mordacem ſuſtinere poſſint, ob illarum partium mollitiem facilè à lactis ſeroſitate exulcerantur. Aliquando hoc etiam fit ratione alicuius ex capite diſtillationis. Adultos etiam moleſtare ſolent, quæ frequentiùs ortum ducunt ad humoribus acrioribus, & erodentibus bilioſis; cum hoc tamen ab aliis humoribus dependent,vt ex eorum ſignis innoteſcit; ſi enim ab humoribus pituitoſis, ſalſiſque vlcera fiant, ipſa alba apparebunt, referentque colorem humoris pituitoſi; pallida bilem, nigra verò atram bilem demonſtrant, & maximam vſtionem, ſicut rubra ſanguinem dominari oſtendunt.

Quandoque diuturna fiunt, & curatu difficilia, & proceſſu temporis putredinoſum quid adquirunt, quod à Medicis nomine vlcus depaſcens, ſeu ſerpens dicitur, vt ex Galeno deſumitur loco in principio citato. Ex his deterior aphtha eſt nigra, ſimilis carboni; alba verò, & rubra benignior, vt notat Auic.*fen.*3. *lib.*1. *doct.*1. *cap.*3.

### §. I.

#### *Curatio vlcerum oris.*

VT debitum ordinem ſeruemus,priùs curationem vlcerum infantium adducemus, deinde ad alios prouectioris ætatis deueniemus. In primis ergo oportet lac nutricis corrigere, quod cùm ſit ſeroſum,& mordax,illius qualitates corrigunt alimenta boni ſucci mordacitatis expertia, vt ſunt caro caponis, gallinæ, arietis,& ſimilium, quæ ſine ſpeciebus,& modico ſale condiantur. In totum nutrix à vino abſtineat, aſſumàtque noctu borragines elixas,chicoreum, aut lactucas,& oua ſorbilia, vel pulli carnem. Aliquibus diebus aſſumat amylum,vel amygdalatum, & quolibet mane bibat ſyr. violarum, borrag.aut ſcortion. cum aquis bugloſſi, aut hordei,vt ſic ſanguis, & lac attemperentur. Quod ſi hæc non ſufficiant,ipſam expurgabimus cum infuſione rhabarb. & pulpa caſſiæ, & ſyrupo perſico ſolut. & Regio. Quod ſi occaſio ſe obtulerit, tutius erit aliam nutricem eligere.

Interim tamen dum hæc fiunt, oportet infantium oris vlcera colluere, non tamen fortibus auxiliis, vt in ætate prouectis, quia eorum caro eſt nimis mollis, & tenera, nec remedia fortia ſuſtinet, vt docuit Aëtius loco citato. Conuenit ergo oris ablutio cum aqua hordei, plantag. & portulacæ, aut cum ſucco plantag. vel ſucco foliorum oliuæ, cum ſaccharo, quibus admiſcere poſſumus aliquid rob moron, vel ſyrupi roſarum.

Quod ſi aliqua ſordities in illis appareat,illis admiſcebimus mellis parum, aut mel roſaceum; verumtamen ſi vlcera profundiora ſunt, & ſerpentia, ea curat mel roſaceum per ſe,aut cum puluere aluminis vſti, vt aſſerit Vega; aut abluantur cum aqua plantag.roſarum, & aluminoſa, quibus addantur mel roſaceum, & parum vnguenti Ægyptiaci, aut æris vſti. Aqua etiam roſarum, in qua diſſoluatur æs vſtum, & parum vitrioli Romani vtilis eſt, ſi eâ vlcera abluantur. Sed ante horum remediorum vſum, ſi ætas permiſerit, crura, vel brachia ſcarificanda, vel cucurbitulæ dorſo,& natibus ſunt apponendæ, vt conſulit Mercurialis 2. *de morbis puerorum, cap.*13.

Si verò aphthæ ætate grandiores moleſtent,optimo vitæ regimine inſtituto ſecundùm humoris peccantis ideam, ita vt æger ſe abſtineat à rebus ſalſis,& mordacibus,& quæ replent caput, & à ſolis æſtu,nimiáque frigiditate, & ventriculi caliditate,& repletione; ſi ſanguis abundauerit,eius copiam demes ex vena communi,ſi adſit plethora; ſi verò non,ex humeraria: quod ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa, vt hæmorrhoïs, ſeu menſtrua purgatio, ex talo ſanguis eſt extrahendus.Mox humores præparabis, & conuenientibus pharmacis illos è corpore pelles, quibus factis, ſtatim remediis localibus vteris, quæ habeant vim adſtringendi, abſtergendi,& exſiccandi, vt conſulit Auic.quæ quidem debent eſſe magis calida,aut frigida, quatenus ipſe humor plus caloris,aut frigoris participat, vt monet Aëtius; quæ quidem melle, aut ſaccharo attemperabimus,& guſtui gratiora faciemus.Conferunt igitur remedia ſuprà allata, quæ in vlcerum initio prodeſſe ſolent, vel hoc decoctum. ℞. foliorum myrthi, oliuæ, roſarum, balauſt. & gallarum recentium, ana p.j. coquantur omnia in ℔. iij. aquæ ad medietatis conſumptionem,& colaturæ adde ſyrup. roſarum, & rob moron, ana ℥. j.ß. miſce. Quod ſi vlcera ſerpentia ſint, & maligna, proſunt collutiones ſuprà traditæ, quibus addere licebit vnguentum Ægyptiacum, aut ipſum vnguentum per ſe: Vel hæc aqua.℞.ſublimati g̃.12. aquæ roſarum,& plantaginis, ana ℥. iij. ponantur ad lentum ignem in duplici vaſe ad conſumptionem medietatis, & vnâ illius guttâ tangatur vlcus, vt docet Mercurial. Hoc etiam remedium eſt expertum. ℞. ſublimati ℈. j. pulueris minij ℈. ij. aquæ roſarum vel fontanæ ℥.vj.miſce,quo bis,aut ter quolibet die tangatur vlcus: cautè tamen eſt procedendum,ne quidquam laborantes deglutiant, & pereant, quoniam huiuſmodi remedia venefica ſunt.

Denique

Denique ſi vlcera cruſtam habuerint, eam decidere faciunt decoctum maluarum, violarum, fœnugræci, & radicis dulcis, & paſſularum ſine vinaceis, vel lac gargarizandum cum terra ſigillata, aut bolo armeno, aut butyrum vaccinum aquâ roſarum lotum ſuperpoſitum cum pauco puluere aluminis vſti: reliqua ex capite conſequenti deſumere potes.

## §. II.

### *De anginoſis, & lethalibus faucium, & gutturis vlceribus, quæ vulgariter* garrotillo, *dicuntur.*

HVius capitis doctrina maximam habet affinitatem cum præcedenti; atque adeò poſt exactum ſermonem de aphthis, mihi viſum fuit conſentaneum de tumoribus anginoſis, fauciúmque, & gutturis ſermonem inſtituere. Eſt equidem huius morbi tam ſæua, & dira conditio, vt omnes fermè quos corripit, breuiſſimè è medio tollat, qui his temporibus dum hæc ſcribo, per noſtræ Hiſpaniæ quaſdam prouincias ita graſſatur, vt nihil communius appareat, pueros, & eos qui ſunt teneræ ſubſtantiæ ita affligens, vt qui ſemel ab eo corripitur, difficilè, aut nunquam libere euadat. Quapropter huius morbi naturam, cauſam, & ſigna diligenter inueſtigabimus, deinde illius curam adducemus; quod quidem haud facile eſt, cum de hoc morbo parum ab Authoribus ſit traditum, ita vt quidam exiſtiment, hunc morbum non fuiſſe ab antiquis cognitum, inter quos Villareal Vbetenſis libro de morbo ſuffocanti, quem refutat Doctor Herrera Protomedicus Regius in libri huius Authoris ſupremi Senatus iuſſu approbatione, vbi ait, ab antiquis iam hunc morbum tractatum inueniri: quod etiam confirmat Ludou. Merc. *libro vnico ſuarum conſultationum medicinalium, cap.* 34. de quo mentionem egerunt Galen. *lib.* 6. *de compoſit. medicam. ſecund. locos, cap.* 2. Aetius *tetrab.* 2. *ſermone* 4. *c.* 46. Aretheus *lib.* 1. *c.* 9. Paulus *lib.* 3. *c.* 26. vbi ad peſtifera tonſillarum vlcera quædam fortia adducit remedia, & etiam Plinius *lib.* 26. *naturalis hiſtoriæ, cap.* 1. qui quidem Authores varia ſymptomata, & aliquando diuerſa tradunt, quæ huic morbo ſuperueniunt; ea tamen dum de ſignis illius erit ſermo, nota faciemus: aliqua tamen afferemus, vt quid ſit iſte affectus, conſtituamus.

*An fuerit cognitus morbus iſte ab antiquis.*

*In hoc morbo reperitur vlcus.*

In primis enim reperitur vlcus, quod morbum in ſoluta vnitate conſtituit; & ſimiliter inflammatio ſaltem pro flogoſi ſumpta, quæ inter morbos intemperiei collocatur; ita enim à calore, & ſiccitate læditur guttur, vt difficulter, aut minimè deglutire queat. Accedit ad hoc, quod iſtum affectum frequenter comitatur inflammatio, quæ ociſſimè exulceratur, & vlcerum putridorum nanciſcitur conditionem, vt ipſe fœtor oſtendit; quæ quidem ſunt corroſiua, & depaſcentia, & profundè exulcerantur fauces, & guttur: aliquando in tumorem illæ partes attolluntur, eo quod humor partibus eſt fixus, & adhærens ob eius lentorem, & craſſitiem, ita vt partem prominentiorem faciat, impediátque deglutionem, & reſpirationem. Tandem conſtituitur iſte morbus tanquam per formam ſuum eſſe complens à qualitate quadam venefica, & contagioſa ex putrido humore orta, qui ſuâ fœda corruptione, & vſtione carnem vſque ad oſſa corrumpit, ex quibus poſſumus ſic hunc definire morbum. *Eſt vlcus cruſtoſum, malignum, contagioſum, citò plurimos, quos corripit, interficiens, guttur, & fauces afficiens, & à materia craſſa, & lenta dependens.* Quâ definitione breuiter huius morbi naturam, accidentia, partem affectam, & cauſam percipimus. Vlcus enim gerit vicem generis, ſine quo talis morbus non datur, in quo conuenit cum aliis morbis, quorum natura in ſoluta vnitate conſiſtit; reliqua verò differentiam conſtituunt. Per illam particulam *cruſtoſum*, diſtinguitur ab vlceribus cruſtam non obducentibus, & ab vlceribus non putridis, quia talis cruſta ab humore putrido, & craſſo fit, vt ex fœtore aëris exſpirati quiuis percipiet. Eſt etiam malignum, & contagioſum, & per hoc diſtinguitur à morbis non malignis, & non contagioſis. Sed quia ſermo de morbis malignis proponitur noſtro tractatu de febribus, *capite de febre maligna*, ad illum Lectorem remitto, vbi etiam huius morbi mentionem fecimus.

*Definitio huius morbi.*

## §. III.

### *An iſte morbus ſit contagioſus.*

*Contagij definitio traditur.*

AD huius nodi ſolutionem oportet à contagij definitione exordiri; eſt enim contagio, vt ab omnibus accipitur, quædam ab vno in aliud tranſiens infectio, cum quo analogiam habet, de qua plura dicemus *tomo* 2. *libro* 5. *cap. de febre peſtil.* Breuiter tamen dicemus ad rationem actualis contagij, ad minus duo corpora requiri, quæ eadem labe extrinſecè inficiantur ab vno in alterum communicata; & hanc ob cauſam venenata beſtia, & venena non dicuntur infecta: nam deleteria qualitas, quâ coinquinant, non eſt illis extranea, ſed naturalis; nec ratione illius infecta dici poſſunt, ſicque non habet rationem contagij. Quare ſi aliqua beſtia priùs aërem inficeret (vt de baſilico fertur) qui deinde homines inquinaret, aër infectus quidem diceretur, & homines; ſiquidem ab vno in aliud eſt tranſiens infectio, & eſt vtrique ab extrinſeco. Id verò quo aër, & homo coinquinatur, tenuis vapor eſt, ita elaboratus, & miſtus, vt difficillimè diſſoluatur; quapropter plurimis menſibus, & annis in fomitibus conſeruatur. Voco autem fomites, veſtes, ligna, lectulum, & alia, in quibus iſte vapor ob ſui tenuitatem imprimitur; vapor verò ille dicitur ſeminarium contagioſum, quia per illud de vno corpore in aliud contagium diſſeminatur, & ab illo, ſeu à quodam ſemine morbi contagioſi oriuntur; & quia iſtud contagionis ſeminarium non ſolùm agit calefaciendo, refrigerando, humectando, vel exſiccando, qualitates primas ſubuertendo, ſed ſubſtantiam contaminat, & euertit, vt efficere ſolent medicamenta quædam, vt innuit Gal. *in proœm. ad lib.* 5. *de ſimplic. medic. facult.* & *cap.* 17. *eiuſdem libri*, quæ quidem à tota ſubſtantia operari dicit; ideò dicimus contagionem illam fieri à proprietate ſubſtantiæ, & à totius ſubſtantiæ viribus: quapropter excluduntur à ratione contagij omnes morbi, qui ex primis qualitatibus reſultant, quoniam qualitatibus primis, ac manifeſtis, & ſine contagionis vi ſuum opus producunt.

*Quotuplex ſit contagiũ.*

Triplex huius contagij aſſignatur differentia: alia enim contactu ſolo quantitatiuo coinquinant, vt vuæ ad vuam, & poma ad pomum, aliquo illorum priùs marceſcente, & putredinem ſubeunte, & putredinem aliis contactu ſuo communicante. Alia etiam fomitem relinquunt, & per ipſum contagioſa fiunt, vt ſcabies, lepra, phthiſis, & lues venerea, quorum veſtes ſi quis induat, facillimè in morbum ſimilem incidit ob ſeminarium contagionis in veſtibus derelictum. Nonnulla etiam ſunt, quæ

quæ etiam ad diſtans contagionem producunt, vt ſunt peſtilentes febres, quæ medio aëre ſemine contagioſo delato alios inficiunt. His igitur ſic habitis, certum eſt, hunc morbum eſſe contagioſum, cùm obſeruatum ſit integras familias hoc morbo apprehendi ab vno incipiente, & per plures ſerpente, qui modus contagij fit per contactum quantitatiuum, ad quem minor virtus requiritur, quàm ad alium modum contagij. Præterea per fomitem huius morbi contagium etiam communicatur, cùm viderim plurimos hoc morbo laborantes, qui in ægrotantium lectulis dormierunt, & eorum veſtimenta induerunt. Cum hoc tamen cenſeo, non eſſe contagioſum ad diſtans, per aërem ſcilicet, quia ſeminarium contagionis non eſt tantæ virtutis, vt aërem eadem labe inficiat; neque tam indiſſolubile, vt per aliquod tempus in aëre conſeruetur, & per illum aliis communicetur; quod didici non poteſt niſi obſeruatione eorum, quæ quotidie contingunt. Diximus etiam in definitione huius affectus, contagium guttur, & fauces afficere, quod quidem prouenit ob mirandam ſimpathiam, & analogiam, quæ inter hoc contagium, & ipſas partes intercedit; quod clarè conſtat, ſiquidem videmus quaſdam contagiones reſpicere determinata animalia, & non alia; peſtémque arboribus officere, & nulli animalium obeſſe; aliam animalia lædere, quæ tamen arboribus parcit, & inter animalia hæc homines inficit, illa equos, aut alia: pari modo in membris idem euenire comperimus. Lippitudo enim nulli membro officit niſi oculis, & eius contagio oculis tantùm communicatur; ſic alopecia, phthiſis, & alij morbi contagioſi particularia membra reſpiciunt, quod in analogia, & proportione harum partium cum dictis morbis neceſſariò fundatur, vt docuit Fracaſt. 1. *de morbis contag. cap.* 8. Idémque dicendum de huius morbi contagione, quæ reſpicit fauces & guttur ob aſſignatam cauſam.

*Vlcus cruſtoſum anginoſum diſtinguitur ab anthrace.*

Ex dictis deducitur, iſtud vlcus cruſtoſum diſtingui à carbunculo; nam licèt carbo ſit contagioſus, & ab humore calido, & craſſo fiat, qui comburendo vlcus cum cruſta efficit, non tamen reſpicit determinatam partem, ſed quodlibet membrum occupare poteſt, vt inſinuat Gal. 2. *de arte curatiua ad Glauc. c.* 1. *&* 1. *methodi, c.* 10. Habet tamen cum carbunculo maximam affinitatem, quatenus ab eadem procedit cauſa, & fermè eadem expoſcit auxilia.

## §. IV.

### *De cauſis vlcerum malignorum faucium, & gutturis.*

VLtima diffinitionis huius morbi particula expoſtulat, vt de illius cauſis agamus, de quibus nihil traditum fuit ab antiquis, quamuis (vt dixi) huius morbi mentionem fecerint. Breuiter tamen dicimus, quod cùm iſte morbus maximam affinitatem habeat cum carbunculo, ab eiſdem cauſis proficiſcitur, à quibus carbunculus ortum ducit, ſiquidem vt ex humoris craſſitie, feruore, & ſiccitate in parte affecta exiſtente dignoſcitur, à craſſo, & feruente humore, ac putrido, & malignantis naturæ ipſi parti adhærente producitur, ſed deteriori modo putreſcit humor in iis vlceribus, quàm in anthrace, vt ex eorum ſignis, & effectibus notum fit.

*Morbi huius cauſa communis aſſignatur.*

Sed quam ob cauſam his annis hæc deterrima conſtitutio ſuperuenerit, nondum attigimus, quæ cùm communis eſſet, & populariter graſſaretur, neceſſariò ad cauſam communem eſt reducenda, nempe ad aërem, qui morborum epidimialiũ cauſa exiſtit, vt conſtat ex Hipp. *lib. de aëre, locis, & aquis,* & 3. *epidim.* Quid verò ſint morbi epidimici, tractatu de febre maligna explicatur, & quibus de cauſis producuntur; eſt enim aër medium quoddam, per quod aſtrorum influentiæ ad nos perueniunt, quibus quotidie ſubiicimur, ſecundum dictum Ariſt. 1. *meteororum, c.* 2. vbi ait: *Neceſſe eſt hunc mundum contiguum eſſe lationibus ſuperioribus, vt inde eius virtus regatur, & gubernetur.* Quæ virtus medio aëre nobis impartitur; & ſic Galen. libro illi attributo de ſpermate, docet eſſe neceſſariam cognitionem aſtrorum, & aſpectuum illorum ad morbos propellendos, & vt feliciùs curatio ſuccedat; qui 3. *de diebus decretoriis, c.* 2. maximam virtutem lunæ tribuit, quam principem conſtituit inter nos, & ſolem, quæ hanc terreſtrem regionem gubernat, reliquos Planetas non potentiâ, ſed vicinitate quoad nos exſuperans; quæ quia magis nobis vicina, magis etiam nos alterat, ex cuius aſpectu, & ſchemate in duodecim ſignis zodiaci varij morbi exoriri ſolent, & in diuerſis partibus, cui varia, & admiranda tribuuntur. Tanta etiam eſt huius mundi concordia ſecundùm ſtellas, quod ſicut in nobis cuiuſlibet membri principalis qualitas, & virtus aliis membris ignobilioribus communicatur, ita Planetæ, qui ſunt totius orbis veluti membra principalia, ſuas facilè nobis virtutes communicant, & membra inferiora facilè capiunt à ſupremis vltrò dare paratis, vt inſinuat Marſil. Ficinus 3. *de vita cœlitus comparanda, cap.* 2. Et cùm ſeptem ſint Planetæ, qui per aſtrolabium diſcernuntur, orbis totus in ſeptem diſtributus eſt partes, in quibus variæ, & diuerſæ mutationes fiunt, variique, & diuerſi morbi eas inſequuntur pro natura Planetæ influentis, cuius qualitates partes terræ retinent, & conſeruant. Hinc naſcitur, quod aliqui morbi ſint alicui regioni, aut prouinciæ communes, quos vocat Hipp. endimicos, nos autem patrios, aut vernaculos, qui non poſſunt reduci, niſi ad cauſas ſuperiores, ad Planetas ſcilicet, & eorum diuerſum aſpectum; quæ quidem cauſæ nos alterant priùs aerem immutando, circa quod legendus eſt Hippoc. *de aëre, locis, & aquis.* Inter patrios morbos iſte affectus ab Ægyptiis, & Syriis numeratur, in quorum prouinciis maximè viget, vt refert Aretheus *libro* 1. *cap.* 9. In noſtra verò Hiſpania annis iam elapſis fuit communis, & epidimialis, ſiquidem per omnes ferè ciuitates, & populos fuit graſſatus, flante auſtro, & aëre varias permutationes patiente, qui morbi peſtilentis, & maligni communis cauſa exiſtit, vt docet Galen. 1. *de differ. febr. cap.* 4. & explicat Valleſ. 1. *de morbis popul. ſectione* 1. *in prœmio*, qui docet, quod omnes tempeſtates, quibus morbi epidimiales fiunt, quanquam aëris affectionem coniunctam habeant, non tamen omnes ab aëre eandem affectionem patiuntur, cùm aër variis alterationibus ſubiiciatur, variaſque patiatur affectiones, ex quibus morbi populares producuntur; & ſic hæ ineffabiles affectiones, & differentiæ faciunt, vt quædam peſtes hæc animalium genera, quædam alia inficiant, & cum quibuſdam naturis, ſexibus, ætatibus, & partibus ſimpathiam habeant, ita vt non omnes apprehendant: cuius rationem reddit Hippocrat. *libello de flatibus*, dicens: *Differt natura à natura, corpus à corpore*; non enim omni animantium generi eadem conferunt, aut ſunt incommoda, eo quod nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt, quæ quidem in omnibus nequit reperiri, vt dilucidè Galenus *loco citato* inſinuat. Háncque ob cauſam iſte

*Lunæ virtus.*

*Planetarum vis.*

*Morbi endimici.*

*Iſte morbus inter endimicos numeratur ab Ægyptiis.*

*Qui frequentiùs hoc mor-*

morbus

*bo corripiuntur.*

morbus frequentiùs capit pueros, iuuenes, & adoleſcentes, rarò verò conſiſtentes, & ſenes; nam in illis maior aptitudo reperitur ad hunc morbum, quàm in aliis. De pueris patet, qui calidam, & humidam naturam habent, & ad putredinem paratam; cui adiungitur humorum crudorum copia, ob edacitatem, qui materiam præſtant ad hunc morbum procreandum.

Adoleſcentes etiam ad hunc morbum ſunt parati, quoniam calidi ſunt, & eorum calor gradu ſimilis calori puerorum, qui talis perſeuerat vſque ad ſummum ætatis incrementum; nam quantùm de naturali deperditur, tantùm de adſcititio adquiritur, vt conſtat ex Gal. 2 1. *de ſanit. tuenda, capite* 12.

Cùm ergo pubertas, & iuuentus ſint ætates calidæ, quibus ſiccitas adiungitur, præcipuè iuuentuti, facilè inflammationem patiuntur, & morbis calidis ſunt obnoxij: quod ſi iis ætatibus edacitas, & ciborum incontinentia adiungantur, ad hunc morbum ſunt procliues; nam facile ſuccenduntur humores craſſi, & attenuantur, & fluxiones concitant. Ætas verò ſenilis, licèt pluribus cruditatibus ſit referta, rarò tamen hoc corripitur morbo; eſt enim ſenile corpus frigidum, vt ait Hipp. 1. *aphor. textu* 14. neque facilè illorum aduruntur humores; & licèt aliis fluxionibus corripiantur, non tamen in hanc labem incidunt, quæ ab humoribus aduſtis cruſtam obducentibus ortum ducit. Aër ergo auſtrinus ſolet huius mali eſſe origo, quatenus ſuo calore, & humiditate caput recrementis replet, & ob hoc dictum eſt ab Hipp. 3. *aphor. text.* 5. *Auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes, &c.* Item ſi præceſſerit hiems ſicca, & aquilonia, ver verò pluuioſum, & auſtrale, æſtate diſtillationes fiunt, præſertim iis, qui naturâ ſunt humidiores, vt docet Galen. 3. *etiam aphor. comm.* 11. Quod ſi autumnus pluuioſus, & auſtralis fuerit, ad hiemem tuſſes, raucedines, & grauedines, & diſtillationes fiunt, ex Hipp. *eodem lib. text.* 13. quæ omnia huic morbo viam parant. Fieri etiam ſolet iſte morbus tempore æſtiuo, & autumnali, quia fluxio calida ac nitroſa iis temporibus ſit ratione caloris æſtatis, & hoc modo anginas fieri teſtatur Hippoc. 4. *de ratione victus in morbis acutis.*

*Pars mandās eſt caput.*

Ex quibus claret, partem mandantem, ex qua humor in fauces, & guttur deriuatur, eſſe caput, quod plura congerit excrementa, & in fauces, & guttur tranſmittit, vt ex propriis ſignis dignoſcitur; ſiquidem hoc morbo oppreſſi graui ſomno ſunt delati, grauitatem capitis ſentiunt, & naribus, & ore plurima excrementa deponunt, quibus caput leuius ſe habet: reliqua ſigna, quæ huius morbi naturam patefaciunt, iam audies.

## §. IV.

### *De ſignis huius morbi.*

VAria huic morbo ſuccreſcere ſolent accidentia, ob illius deteriorem vel benigniorem qualitatem, magnitudinem cauſæ, & morbi vehementiam: quæ omnia in promptu ſunt habenda, vt non ſolum hunc morbum cognoſcamus, ſed etiam malum imminens præuideamus.

Fiunt igitur (vt dixi) vlcera iſta in pueris, & iuuenibus frequentiſſimè, & adoleſcentibus, aliiſque ætatibus, rarò tamen, accidere comperimus, quibus præcedere ſolent eſus eduliorum craſſorum & praui ſucci. Curaui ego mulierem quandam, quæ ex nimio eſu carnis porcinæ in hanc incidit

A labem. Præcedunt etiam auſtrinæ conſtitutiones, quæ caput humoribus replent; & aliquando aquiloniæ, quæ ſua frigiditate poros conſtringendo, & humores ad intra reuocando huiuſmodi fluxiones concitant, ex quibus in faucibus fiunt vlcera cruſtoſa, partim alba, aut maculis ſimillima, cinerei coloris, vel nigra, quam ſimillima cruſtis, quæ candenti ferro fieri cernimus: quæ omnia comparant talem colorem ſecundùm humoris naturam, à quo dependent; quibus adiungitur tranſglutiendi difficultas, & difficilis reſpiratio ob ſiccitatem, & calorem illarum partium; nam ſic inobedientes fiunt ad motum, & ob tumorem, & inflammationem aëris ingreſſum, & egreſſum impedientem, adeſt etiam in partibus rubor, & tumor, qui ad externas vſque partes extenditur, ita vt iugulum, &

B pectus aliquando magnam videantur pati inflammationem, quam comitatur febris. Quod ſi vlcus interius in os depaſcendo ſerpit, ad columellam vſque peruenit, ipſámque exedit, linguamque occupat, & gingiuas, ac dentes labefactat, & denigrat. His accedit fœtor oris à putrilagine, & deterrima humoris ſorte ortum ducens; quam odoris fœditatem, & humoris malignitatem medio aëre per inſpirationem ad intra reuocatam, cor & pulmo nequeunt ſuſtinere; quæ quidem ſpiritum vitalem vittando, & corrumpendo, & calorem naturalem deperdendo, mortem producit, ac etiamſi nulla deficiat reſpiratio, & bene cibum deglutiant, pereunt equidem ægri ex vi illius malignæ qualitatis potiùs, quàm ex defectu tranſglutionis. Quod ſi vlcera curata maneant, quæ ſecum maximam attulerunt malignitatem, & eis ſuperueniant ſudores frigidi, nulla ſpes ſalutis habenda eſt: quod notat *Nota, & bene.*

C Aëtius in hiſtoria puellæ, quæ poſt quadrageſimum tandem diem conſumpta fuit, cum ſe iam à morbo recolligeret; quod ego ſæpius in aliquibus obſeruaui. Qui euentus reduci debet ad malignitatem intus ex vlceribus derelictam. At ſi in pectus per arteriam id vlcus deſcendat cum humore, & odoris fœditate, eadem die ſtrangulare viſum eſt; immundum adeò eſt vlcus, vt neque ſuum ipſorum odorem ferre queant. Dolor etiam mordax, vt in carbunculo, eos infeſtare ſolet, præcipuè dum tonſillæ comprimuntur. Sitis adeſt vehemens, cum hoc tamen potus in nares reſilit: triſtantur valde, neque quieti permanent, ſtantes enim decumbere exoptant, & ſemel decumbentes ſe erigunt, & ſedent, & nunquam in eodem ſtatu perſiſtunt; tanta enim eſt malignæ huius morbi qualitatis vis. Frigidum aërem reſpirare deſiderant, quibus ſuperuenit raucedo, & grauato capite eos ſomnus corri-

D pit; quibus quidem caput ita recrementis ſcatet, vt non ſolùm ſomnum appetant, ſed etiam in fauces, pulmonem & aſperam arteriam delapſa recrementa, ſpeciem ſuffocationis præbeant, & ex naribus maxima excrementorum copia defluat.

## §. VI.

### *Curatio vlceris anginoſi faucium & gutturis.*

QVamuis pro huius morbi curatione victûs formam tenuem deſcribamus, quæ morbis acutis debetur, ſub ratione tamen tenuis non poſſumus certam victus formam determinare, ob morbi incertam naturam, qui aliquando eſt peracutus exactè, aliquando peracutus ſimpliciter, vel eſt acutus exactè, vel acutus ſimpliciter; & ſic pro illius diuerſitate diuerſam victus tenuis formam inſtituere debemus; ad hoc enim maximè oportet conſiderare ſæuitiem accidentium, neque ipſis fiden- *Victus ratio.*

dum

dum eſt etiamſi mitiora appareant, facilè enim decipiunt; expedit enim futurum præcognoſcere ſtatum, quantum poſſibile fuerit, vt in ordine ad eum victum inſtituamus, vt inquit Gal. 1. *criſium, cap. 3.* Tamen quia iſte morbus præter acutiem eſt valde malignus, & peſtilens, & valde vires deiicit, ideò pleniori victu eſt vtendum, quàm in aliis morbis acutis, qui ſibi non habent adiunctam qualitatem veneficam, aliàs viribus deficientibus ante ſtatus aduentum periclitabitur æger, vt pluribus contigit in peſte diuturna tempore Galeni, vt ipſe refert 3. *de morbis vulgaribus, comm.* 3. (quod quidem obſeruari debet in cuiuſlibet morbi peſtilentis curatione) qui aſſerit, quod cum faſtidirent, factum eſt, vt multi morerentur, fortiores verò, qui cibum oblatum aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites euaſerunt. Cibus prætereà habere debet alexipharmacam naturam, aut aliquid illi admiſcendum, quod tali vi præditum ſit, putredinemque cohibeat; & quia humor eſt craſſus, & calidus, attenuantia, & refrigerantia competunt alimenta. Conferunt ergo iuſcula gallinarum, caponum, phaſianorum, & arietis, cum oxalidis, borrag. aut lactucæ foliis elixa, quibus admiſcebis parum ſucci arantij, aut limonis; vel ipſæ auium carnes elixæ aceto, vel ſucco arantij conditæ, aut oua ſorbilia, ſeu borrago, oxalis, aut lactuca elixa, vel poma acida aſſa; quæ victus ratio adultis magis competit. Pueris verò conueniunt iura pulli, aut ipſius caro, & oua ſorbilia, aut hæc diſtillatio, quæ recipit pullorum ab omni recremento mundatorum n. ij. quorum ventres reple foliis borrag. oxalidis, & chicorei, radice ſcorcioneræ, quatuor ſeminibus frigidis maioribus; aquæ tamarindorum, & oxalidis, & ſcorcion. ana ℥. iiij. coquantur in ſufficienti aquæ quantitate ad tertiæ partis conſumptionem, deinde cum ipſo iure eis admiſcebis margarit. præparatarum ʒ. j. confect. iacynth. & alchermes, ana ʒ. ij. quæ omnia in duplici vaſe inſtillentur, cui inſtillationi aliquid acidi admiſcebis, & quotidie bis, terve infanti propinabis. Potus ſit aqua hordei, ſcorcion. aut tamarindorum, aut aqua hordei ſaccharata, quæ pectus lenit, & detergit citra calorem. Verùm ſi puer lactans fuerit, eiſdem alimentis vtatur nutrix. Aërem eligant temperatum, aut ad frigidum inclinantem, quem etiam per artem parare licebit, ſparſis per cubile foliis ſalicis, & violarum, aut floribus violarum, borraginis, & nimpheæ, vel aceto, aut aqua roſacea irrorato cubili.

*Nota circa victus rationem in hoc morbo.*

Somnus, & vigilia, vtraque, ſi modum exceſſerint, malum, dicente Hippocrate 2. *aphoriſm. textu* 1. tamen ſomnus excedens magis lædit in hoc morbo, quia per illum ad intra delatis humoribus, & reuocato calore fluxiones adaugentur; qui enim vigilat, calidior eſt exteriùs, qui dormit econtra, vt inquit Hippocrates 6. *epidim. ſect.* 4. *text.* 11. Oportet igitur, vt ſomnus ſit moderatus, vel moderato minor.

*An ſanguis ſit mittendus, vel expurgandum.*

Ventrem habeant lenem, & ſi in prima regione cruditatum copia adſit, clyſteribus, & ſuppoſitoriis eſt vtendum, neque erit abs re pulpæ caſſiam in boli formam aſſumere, quæ pectus lenit, & ventrem emollit. Deinde cùm morbus iſte acutiſſimus ſit, magnum ſtatim exigit remedium, quale eſt ſanguinis miſſio, quæ debetur omni vlceri recenter facto, vt incipientem fluxionem reuellamus, & motum humorum ad guttur compeſcamus, vt docet Gal. 4. *method. cap.* 6. præſertimque dum feruet ſanguis, ſtatim eſt euacuandus, vt monet etiam Galen. *lib. de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem*, c. 12. in quo conueniunt Aëtius, Aretheus, Mercat. & alij, qui de hoc affectu pertractant. Neque eſt neceſ-

A ſaria plenitudo ad huius remedij executionem, vt inſinuat Gal. 8. *methodi, cap.* 4. vbi iubet ſanguinem mittere, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint. Sed quia ex malignitate huius morbi facilè vires ſuccumbunt, cautè eſt procedendum circa huius remedij executionem; non enim debemus inſpicere ſtatum præſentem virium tantùm, ſed futurum, quod eſt generoſi Medici officium, vt dictat Gal. *lib.* 1. *de criſib. c.* 3. & alibi millies. Quod ſi æger ſit puerulus, ita vt non poſſit ferre venæ ſectionem, illius loco oportebit brachiis ſanguiſugas apponere, vel crura ſcarificare, vt quodammodo humoris motum ad partem affectam cohibeamus; ſi verò puer poteſt ferre venæ ſectionem, non eſt prætermittenda. Abemoron Auenzoar filio ſuo trium annorum ſanguinem extraxit, eumque ſic à morte liberauit, vt refert Auerroës 6. *collect. c.* 3.

Circa purgationem, an in huius morbi initio ſit exercenda, poterat eſſe dubium, eſt enim remedium B reuellens, vt docet Hipp. 4. *de rat. vict. textu* 64. & in morbis malignis, & peſtilentibus ſtatim Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 4. euacuare præcipit per venæ ſectionem, & expurgationem, præſertim quando humores coctionem reſpuunt, & inobedientes ſunt, in quibus ad eorum expulſionem non eſt expectanda coctio.

*Obſeruatio.*

Mihi tamen videtur tutius eſſe eos humores euacuare ſanguinis miſſione, neque tentare licebit expurgationem medicamento ſeligenti faciendam; nam licèt vt reuellens auxilium poſſit conferre, maiori cum ſecuritate reuellimus per venæ ſectionem, & quia medicamenta purgantia calida ſunt, in ipſis humoribus calidis confluentibus feruorem concitant, imò & ipſam fluxionem ad partem affectam adaugere ſolent. Quapropter Aëtius, & Are- C theus in horum vlcerum curatione ſanguinem mittunt, & purgationis non recordantur. Eſt enim humor hunc efficiens morbum tenax, & viſcidus, maximè partibus adhærens, minimè medicamento purganti cedens, proptereáque ex illius medicamenti vſu humor ſubtilis euacuari ſolet, craſſo humore remanente, qui eſt huius mali origo.

Sed quia hic morbus acutiſſimus eſt, ſtatim ad remedia localia oportet deuenire, quæ quidem etiam alexipharmacam naturam habere debent, vt immanis huius morbi malignitatem coërceamus.

Si igitur ab initio inflammatio appareat, vtendum eſt repellentibus, vt conſtat in angina, in qua, & in inflammationibus incipientibus, eis vtuntur Medici, fiuntque gargariſmata ex decocto hordei, roſarum, lentium, myrti, plantag. florum violarum & borragin. cui addes ſyrupum roſarum, & diamoron, & aceti modicum, & ſaccharum, vt guſtui ſit gratum. At ſi vlceris ſignum ſtatim appareat, D admiſcenda ſunt exſiccantia, & abſtergentia, quo tempore repellentia debent eſſe mitiora, nam propter humoris craſſitudinem & malignitatem auertere fluxionem nunquam poteris; & ſi quando id feceris, aliud quoquequod ſit in profundo corporis offendes, vt clarè docuit Gal. 14. *methodi, cap.* 10. in curatione carbunculi. Conferunt autem gargariſmata ex decocto hordei, aquæ portulacæ, roſarum, plantag. & aluminoſæ, cum puluere aluminis, & pauco oxymelite. Verumtamen ſi vlceris ſordities, & craſſities appareat, ad valentiora deuenire cogimur, quæ maiorem exſiccandi, & abſtergendi nanciſcantur vim; non tamen debent eſſe humida, vt exiſtimat Villareal; nam iſtud vlcus eſt putridum, ſordidum, & corrodens, cuius putredo, & ſordities neceſſariò humidorum vſu adaugebitur; omne enim vlcus, ſiue ſponte, ſiue ex accidenti, ſiue ex vulnere factum fuerit, exſiccari deſiderat,

*Vlceribus exſiccantia conueniunt, & non humectantia.*

vt

vt Galenus inſinuat 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. ea tamen auxilia non debent eſſe mordacia, neque vehementer irritantia, niſi vlcus ſit malignum & putrilaginoſum, quale eſt de quo agimus; tale enim acriora expetit medicamenta, & quæ ignis vires habeant. Quandoque etiam ipſum ignem adhibere conuenit, vt ibi Galenus oſtendit, cuius tamen vſum improbat Aretheus in hoc vlcere propter iſthmum. Competunt ergo alumen cum melle, aut parum nitri, ſulphuris, & aluminis cum melle, aut pauco oxymelite. Valet etiam hæc aqua, quam tradit Mercatus, quæ componitur ex quatuor granis arſenici, & modico viridis æris liquatis in aqua roſacea, quibus tangitur vlcus. Vtile etiam eſt vnguentum ægyptiacum, cum aluminis puluere, & pauco ærè vſto, & puluere præcipitato Vigonis, & melle roſaceo in linimenti forma. Aliqui etiam partem tangunt aquâ argentariorum, aut oleo vitrioli, vel ſulphuris, quorum vſum non probat Mercatus, timet enim conuulſionem ex ſiccitate eorum inductam. Ego tamen eorum vſum laudo in natu maioribus, & in vlceribus profunde deambulantibus. *Obſeruatio.* Præterea aqua, in qua aliquid vitrioli, & æris vſti diſſoluatur, ſolet eſſe maximi emolumenti. Laudat etiam Aetius canum ſtercus melle illitum, aut paſtillum Andronis aut calcitis, vel miſſi toſta, & melle adhibita. His equidem auxiliis caro putrida abſumitur, cruſtaque inducitur, quam quidem vi extrahere non licèt, vt docet Aetius, ne adaucto dolore denuò partes inflammentur, & noua humorum fluxio concitetur: neque eſt extrahenda cruſta, donec benè firmata fuerit, ob incommoda allata, ſed ſupra ipſam cruſtam huiuſcemodi medicamenta apponere eſt conueniens, vt inquit Galenus loco proximè citato agens de cruſtis, quæ in carbonibus fiunt. Ego quidem plures curaui tangendo gutturis vlcera maligna cum aqua capitum roſarum, & plantag. addito vitriolo Romano, quod ex Armenia vehitur, à noſtratibus verò *piedra lypis* appellatur, quæ pro pueris, & delicatis ita componitur. ℞. aquæ capit. roſarum, & plantag. ana ℥.j. vitrioli Romani ℈.j. ſyr. roſar. ℥.ß. miſce, & eâ ablue leniter vlcera; eſt enim remedium ſecurum, ſiccans, & roborans partem, & inflammationem inhibens, & ne aliquid ſtranglutiat æger, parum exprime penicillum, quo vlcera tanguntur. At in adultioribus vitrioli quantitatem adaugere poteris, aliquid etiam æris, aut aluminis addendo, præſertim ſi vlcus nimis ſordidum ſit; oportet tamen cautè vlcus tangere, abſque aliarum partium non exulceratarum contactu. Quod ſi iis non benè inducitur cruſta, pauco oleo vitrioli vtor, quo cohibetur putredo, ſordities emundatur, & cruſta firmatur.

Dum verò firmata iam fuerit, eam auferre tentabimus rebus mollientibus, in quem vſum confert decoctum maluarum, violarum, prunor. damaſc. & paſſularum ſine vinaceis, & hordei, quo tepido gargarizetur æger. Ad idem valet ſerum lactis, aut ipſum lac, vel lac amygd. dulcium cum ſaccharo, quibus remediis emollientibus poſt cruſtæ decidentiam adhuc vti poſſumus, vt ſiccitas contracta in illis partibus ex vi morbi, & medicamentorum remittatur.

Quod ſi dicta auxilia non proſint, & pars nigrum, vel liuidum colorem comparet, ita vt in gangrenam, aut eſthiomenon tendat, iubet Mercatus partem ſcarificare, deinde eam abluere aliquo ex prædictis remediis exſiccantibus, donec cruſta fiat: cuius doctrina poteſt fundari in verbis Galeni 14. *methodi, cap.* 10. *citato*, qui in cruſtoſis vlceribus ſcarificationem eſſe faciendam iubet; & A quia iſtud vlcus eſt huiuſmodi, maioraque concitat accidentia, tale auxilium videtur illi conuenire; quod quidem non renuerem, ſi poſſibile fuiſſet. Difficilem tamen illius executionem iudico, propter partis anguſtiam, & profunditatem, præſertim in pueris, quos rationibus, aut alio modo ſubiicere non poſſumus. Idem etiam dicimus de igne actuali. Sed quia iſte morbus periculoſiſſimus eſt, & ægrum ducit ad mortem, pronunciato periculo, cùm alia non proficiunt, non omninò ab huiuſcemodi remediis abſtinerem, de quibus ipſe Mercatus periculum fecit in quodam nobili ægro, & bene ſucceſſit.

*Exteriùs admouenda.* Exteriùs admouentur humida medicamenta, & laxantia, quæ calida circa colli partes adhibebis, vt oleum camemali, lumbricorum, lilij albi, amygd. dulc. dialth. axungia gallinæ, & anatis, vnguentum B filij Zachariæ, & Agrippæ, quibus ad extra humor aduocari ſolet: in quem vſum conferunt cucurbitulæ ſcarificatæ ſub mento, & circa ceruicem appoſitæ, vel cauterio, ſiue igne actuali tumorem aperimus antequam matureſcat; quod in tumoribus malignis obſeruauit Valleſ. 7. *epidim. textu* 92. *Tumores maligni aperiendi antequam matureſcant.* vbi durum tumorem nulla ſuppuratione expectata, ignito ferro aperire iuſſit: quod ſi in vtraque parte tumor ſit, vtramque aperit, deinde cataplaſma ſuppurans apponit, quod ſimul ſcharam decidere facit, & facilè pus emanat. Quod (inquit) neque cuipiam debet videri atrox, cum pars, quæ vritur, adenoſa ſit, & vilis, quamque ob id licet vrere & ſecare, & vtrumque contemnere; quo remedio humor diſtrahitur à membro, quod obledit, cuius medela deriuatio eſt, vt 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. aſſerit Galenus.

*Veſſicatoria commendantur.* Solent etiam prodeſſe veſſicatoria iuxta ſcapu- C las, quibus etiam diſtrahitur humor, & deriuatur, quæ fiunt ex baſilicone vnguento cum pulueribus cantharidum, piperis, & piretri, quæ ampullas erumpere faciunt, à quibus defluit humor liquidus, & fœtidus; quæ quidem vlcera diu aperta ſeruanda ſunt, donec morbus remittatur.

Præterea ſi tumor aut inflammatio faucium, & gutturis hominem ſuffocent, vel deglutionem impediant, oportet venas ſub lingua ſecare, vel ipſam linguam ſcarificare, præcipuè ſi tumor linguam infeſtat, vt conſulit Paulus *lib.* 3. *cap.* 27. Hoc tamen auxilium exequendum eſt, detracto priùs ſanguine ſufficienter ex venis maioribus; nam aliàs citius ſuffocabitur æger. Confert quammaximè venam ſecare ex carpo manus.

Quamuis ab antiquis plura tradantur remedia ad vlcera iſta maligna, nos tamen magis vſu probata adduximus, quibus promiſcuè, & ſine delectu D non eſt vtendum in omni vlcere, ſed ad eorum admotionem conſiderare debemus morbi vehementiam, patientis ætatem, & ſubſtantiæ modum; ſecundùm quorum varietatem mitiora, aut fortiora ſunt exhibenda remedia; cautè tamen ea, quæ vlcus tangunt, adhibentur, ita vt nequaquam deuorentur, ne ob eorum veneficam qualitatem citiùs ipſa interficiant, quàm morbus.

*Alexi pharmaca.* Sed quia iſte morbus malignus & peſtilens eſt, plurimoſque ſuâ deterrimâ, & malignâ qualitate interficiens, vt diximus in principio, oportet interiùs, & exteriùs alexipharmaca adhibere remedia, quæ cor corroborent, vitalem ſpiritum regenerent, & illam veneficam qualitatem deſtruant. Conuenit ergo aſſumere confectionem alchermes, & de iacyntho, cui parum theriacæ magnæ adhibere poteris, cum puluere margarit. præp. diamargarit. frigidi, boli armeni orient. & terræ ſigillatæ, cum ſyrupis oxalidis granatorum, violarum, & de ſucco limonum, cum aquis ſtillatitiis ſcorcioneræ, bugloſ

bugloſſi, & oxalidis, ex quibus potiones, & electuaria confingere poteris; quæ quidem alexipharmaca ſunt admiſcenda omnibus medicamentis, quæ ore aſſumuntur, & aquis, & aliis quibus vlcus abſtergitur.

Exteriùs inungere expedit tempora, & cordis regionem oleo mirabili Mathioli, aut pinguedine naphæ, vel vnguento cordiali Guanerij, quibus à principio vti oportet antequam calor naturalis extinguatur ex vi malignæ huius qualitatis.

*Obſerua.* Tandem aliqui, qui ab hoc morbo liberantur, ita pigri, ſegnes, & inepti ad motum remanent, vt non poſſint ſe continere; & ſi deambulant, id efficiunt cum motu tremulo: quod quidem prouenire cenſeo ex humore, qui defluit ex capite in ſpinalem medullam, & in exortum neruorum; & hoc efficitur obſtruendo, & virtutis motiuæ tranſitum impediendo, & ipſos neruos grauando; quibus de cauſis ille motus difficilis, aut tremulus fit. Hos deinde curare oportet, vt diximus capite de paralyſi. Aliquos nos curauimus ſudationibus ex ſmilace aſpera, radice chinæ, aut ligno guaiaco, & aliquibus vnctionibus per ſpinam factis cum vnguento aragon, marciaton, oleo vulpino, & de caſtoreo, & etiam cum vnguento pro morbo gallico, quod ex hydrargyro conficitur in his, qui gallica lue ſunt infecti.

## CAPVT VI.

### *De angina.*

Angina, vt ipſum nomen ſonat, dicitur ab angore, quia per illam animal ſuffocari videtur, de qua loquitur Galenus 4. *de locis affectis, cap.* 3. quæ communiter per faucium, aut gutturis inflammationem definiri ſolet; non quia ab aliis cauſis procedere nequeat, ſed quia inter anginæ ſpecies hæc communior apparet. Ex quo ſequitur, hunc affectum eſſe morbum in compoſitione: quod conſtat ex Galeno 4. *de cauſis pulſuum*, *c.* 20. vbi tribuens rationem, quare in anginoſis pulſus habeant tenſionem, ipſe reſpondet, quia omnis inflammatio habet commune ſymptoma, nempe tenſionem. *Quid ſit.* Præter dictam communem anginæ ſpeciem aliam tradit Hipp. 2. *de morbis popularibus*, eamque aſſignat Galenus *loco citato*, quæ fit ex luxatione vertebræ ad interiora, ita vt guttur comprimat, impediatque reſpirationem; quæ quidem potiùs in ſitu conſiſtit, quàm in inflammatione: ex quo non ſequitur, anginam eſſe ſpeciem ſubalternam, eo quod in morbum in ſitu, & in inflammatione, tanquam in diuerſas ſpecies diuidatur; nam huiuſmodi inflammatio, & vertebræ luxatio potiùs ſunt cauſæ anginæ, quàm ipſa angina; quæ quidem anginam producunt, quatenus morbum in cauitate diminuta conſtituunt, quæ cauitatis diminutio à quacumque cauſa dependeat, ſemper eſt eiuſdem ſpeciei infimæ.

*Obiectio, & illius ſolutio.* Neque obſtat, quod definiatur per inflammationem; nam definitur per cauſam, tanquam per quid notius: nam ibi reuerà inflammatio, quamuis morbi rationem ſubeat, non dicitur tamen rigoroſè angina, niſi quatenus viam reſpirationis impedit, & anguſtiorem efficit: neque inconuenit, quod vnus morbus habeat rationem cauſæ reſpectu alterius.

Quod ſi aliæ cauſæ tradantur, à quibus gutturis anguſtia oriri poſſit, ita vt impediat reſpirationem, vt patet in aſthmaticis, & in ſtrangulatis, & A in his qui laqueo ſe ſuſpendunt; non tamen tales dicimus angina laborare: quod quidem prouenire cenſeo magis ex communi loquendi modo, quàm ex alia cauſa.

*Angina eſt ſpecies infima.* Licèt in rigore phyſico angina ſit ſpecies infima, quantùm tamen ad Medici conſiderationem in plures ſpecies diuidi poteſt; nam habita ratione cauſæ duplex eſt angina, vt deſumitur ex Hippoc. 4. *de ratione vict. in morb. acutis.* Prima fit, cùm fluxio ex capite multa, ac glutinoſa tempore hiberno, & verno ad venas iugulares defluxerit. Secunda verò, cum tempore æſtiuo, vel autumnali fluxio calida, ac nitroſa deſcenderit, vtpotè ex tempore acris, ac calida facta.

Alio modo communior eſt diuiſio in quatuor ſpecies, ſumptâ differentiâ ex parte affecta, quam tradit Galen. *loco iam citato*, & 4. *aphor. comm.* 35. Quando enim gutturis interiora inflammantur, ita vt nihil conſpicuum appareat, & præbeat ſpeciem B ſuffocationis, tunc angina cynanche vocitatur: ſi verò in faucibus inflammatio ſit, paracynanche dicitur. *Fauces quid ſint.* Fauces enim voco internum oris locum, vbi coëunt gulæ, & gutturis partes extremæ. Quando verò inflammantur extrinſecus partes circa fauces, dicitur ſynanche: at ſi gutturis partes externæ inflammentur, talem affectionem paraſynanchen appellitant. Diuiditur tandem angina, ſumptâ diuiſione ex periculi magnitudine, in tres ſpecies, ab Hippoc. 3. *prognoſticorum, text.* 16. dum ait: *Angina grauiſſima eſt, ac celerrimè interimit, quæcumque neque in ceruice, neque in faucibus conſpicuum aliquid efficit; plurimùm verò doloris infert, ac ſpirationis difficultatem, quæ non niſi erecta ceruice trahatur: hæc enim eodem die, ſecundo, tertio, & quarto ſtrangulat.* Quibus conſtat, anginam C iis ſignis comprehenſam eſſe maximè exitialem. Deinde ſecundam tradit ſpeciem, dicens: *Quæcumque verò dolorem alteri ſimilem infert, attollitur verò, ac ruborem in faucibus efficit, admodum exitioſa, ſed paulò longior, quàm præcedens eſt.* Quæ quidem, etſi exitialis, non ita ſicut ſuperior, eo quod non ſpirant admodum difficulter, cùm muſculi in gutture nec multum inflammatione vexentur. *Quibus verò fauces rubent, & ceruix hæc diuturnior eſt; maximè verò ex ea ſeruantur, ſi ceruix, ac pectus ruborem traxerit, nec ſacer ignis intrò recurrerit.* Quibus verbis tertiam ſpeciem conſtituit, quæ minùs periculi ingerit, quàm aliæ ſpecies, eo quod humor exteriora occupat; quando verò intrà recurrit, tunc magis exitialis eſt, & poteſt ad primam, vel ſecundam anginæ ſpeciem ex periculo deſumptam reduci.

*Angina cauſa.* D Angina ab omnibus humoribus excitari poteſt; quod quidem ferè communiter recipitur. Cùm enim omnes humores poſſint efficere tumorem, vt conſtat ex generali tumorum diuiſione, poterunt quidem ad fauces, & guttur deſcendere, & tumorem, aut inflammationem concitare, & viam anhelitus impedire: quod claret ex prima diuiſione ab Hipp. adducta, & docet Auic. tradens ſigna huius morbi pro quolibet humore.

*Fernelij ſententia.* Neque inſequendus eſt Fernel. 5. *de partium morbis, cap.* 9. qui exquiſitæ anginæ tantùm duas cauſas aſſignat, videlicet bilem, & ſanguinem; ſi verò ab humore frigido deperdeat, eam anginam notham appellat; autumat enim talem eſſe notham, quia febris eſt expers; quod benè ipſe colligeret ſi probaret febrem eſſe neceſſariam ad conſtituendam exquiſitam anginam: quod neque ex Authorum verbis infertur, neque ad huius probationem rationem adducit.

*Signa communia.* Vt morbum hunc agnoſcamus, adducemus priùs communia

communia ſigna, deinde propria, iuxta humoris anginam producentis naturam. In omni igitur anginæ ſpecie, vel adeſt difficilis reſpiratio, aut cibi, aut potûs difficilis deglutio; in parte affecta ſentitur pondus maius, vel minus pro diuerſitate humoris aggrauantis; adeſt etiam dolor, & erecta ceruice meliùs reſpirant, & multoties potus ad nares reſilit.

*Signa particularia.* Quod ſi à ſanguine oriatur, aderunt febris, dolor, tumor cum rubore, pulſatio, & quandoque plenitudo. At ſi mordicatio, dolor punctorius, calor immodicus, & color citrinus adfuerint, bilem oſtendunt.

Dolor verò remiſſus cum mollitie, ſine mutatione coloris, & ſine febre, & cum pondere, indicant pituitam. Sicut tumor durus ſine febre, & cum aggrauatione maiori melancholiam denunciat. Si verò nullum appareat malum in faucibus, neque in alia parte, & nihilominus ſuffocatur æger, conſtituit primam ſpeciem anginæ, quæ periculo plena eſt, vt ſuprà probatum eſt ex Hipp. Reliquæ etiam ſpecies ſua ſigna habent, quæ iam in anginæ diuiſionibus ſunt enumerata. Præterea ab angina habito tumor, & rubor in pectore ſuperueniens bonum; extra enim vertitur morbus, ex eodem 7. *aphoriſm. text.* 49. A febre etiam habito tumore non exiſtente in faucibus, ſi ſtrangulatio repentè ſuperuenerit, lethale, ex Hipp. 4. *aphor. text.* 34. Præterea qui ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, & in ſeptem diebus pereunt; ſi verò hos effugerint, liberantur, ex eodem etiam, 5. *aphoriſmorum, textu* 10.

Veruntamen ſi ex luxatione vertebræ ad interiora fiat angina, cauus locus ad extra apparebit, & per luxatam vertebram lingua impellitur, ita vt aperto ore difficilè reſpiret æger; quem morbum præcedere ſolent caſus, aut ictus, vel fieri etiam ſolet ob conuulſionem ex repletione, quæ neruos contrahit, & vertebram ex proprio loco extrahere facit, quæ difficilis eſt curationis, vt inquit Paulus, quæ conſiſtit in reductione vertebræ in proprium locum.

## §. I.

### *Curatio anginæ.*

Victus debet eſſe tenuis, quia morbus auetus eſt, & ex fluxione dependens; quapropter conſulit Paulus, quod triduo ſit aqua mulſa, deinde ptiſanæ cremor, aut ius pulli, aut poma aſſa. Declinante iam morbo competunt vitella ouorum, & amylum cum iure pulli; qui quidem victus ſit magis, vel minùs tenuis, pro maiori, vel minori acutie morbi. Potus ſit aqua ſaccharata, hordei, vel prunorum damaſc. verùm ſi acutiſſimus exactè iſte morbus ſit, oportet vt æger ſe omninò à cibo abſtineat, dummodò vires ſuſtinere poſſint. Somnus ſit breuis, quia fluxiones ad interiora reuocat, maiorique per ſomnum egemus reſpiratione, vtaturque frictionibus, & ligaturis partium extremarum, & balneis aquæ calidæ, clyſteribuſque, & ſuppoſitoriis acribus.

*Sanguinis miſſio.* Victus regimine inſtituto curatio ſanguinis miſſione primò perficitur, quæ ſi plenitudo adſit, fieri debet ex vena communi, ſi verò deficiat, ex cephalica, quam licet repetere pro morbi, & virium ratione, præſertim quia in iſto affectu ſanguis frequentiùs eſt illius cauſa, vel reliquos ſuperat humores, quæ facillimè ſecatur in carpo manus, vt notat Carolus Stephan. *lib.* 1. *de diſſect. part. capite* 93. Cum hoc tamen, dum ab aliis humoribus ortum ducit, non ita exquiſitè euacuabis, ſed ad purgationem te conuertes, vt ſtatim dicemus. Quod ſi ex brachiis ſanguinis miſſio non ſufficiat, ad venas, quæ ſub lingua ſunt, confugere oportet, vt Hipp. docuit 4. *de ratione victus in morbis acutis*, vbi totam anginæ curationem deſcripſit, ſecabiſque venas leonicas dictas; quod auxilium cùm ſit humoris exiſtentis in parte euacuatiuum, prærequirit ſufficientem ſanguinis effuſionem ex vaſis maioribus. Vidi ego quendam Medicum, qui ante ſufficientem venarum euacuationem leonicas ſecare iuſſit, & ſtatim æger ſuffocatus periit. *Textu* 30.

Quod ſi lingua tumeat, ita vt non poſſis illius venas aperire, ipſam linguam ſcarificare erit optimum conſilium, ex Pauli præcepto. At verò ſi aliqua conſueta euacuatio detenta ſit; vt hemorrhoides, & in mulieribus purgatio menſtrualis, ex malleolis ſanguinem detrahes, mox ad brachiorum venas confugies, ſeruata ſemper cum parte affecta rectitudine, vt docuit Galen. *de ſanguinis miſſione, cap.* 19. & *cap.* 16. Verumtamen ſi alter humor à ſanguine hunc morbum procreet, eum ſtatim licebit euacuare, iuxta Hipp. ſententiam ſupra citatam, vbi poſt venarum ſectionem medicamentis attractoriis vti iubet.

Facta igitur leui humorum præparatione eos expurgabis adhibitis catarcticis medicamentis iuxta ideam humoris peccantis; quam euacuationem leuibus medicamentis & pectus, & caput reſpicientibus tentare licebit, quamuis difficulter deglutiant, vt admonet Donatus ab Altomari *capite* 46. *de medendis corporis malis*; quod auxilium deſeruit vt humor diſtrahatur ad partes inferiores; in quem vſum conferunt cucurbitæ ſcarificatæ, & ſine ſcarificatione. Interim dum fiunt huiuſcemodi auxilia, gargariſmate eſt vtendum, quod varium, & diuerſum conſtituitur pro temporum morbi diuerſitate, & etiam pro diuerſis habitibus, & naturis, vt inſinuat Tralian. *libro* 4. *capite* 1. Conferunt ergo in principio repellentia cum lenitate quadam, vt lac caprinum cum ſaccharo, vel diamoron, aut diacarion, quod fit ex ſucco corticum nucum, & melle; circa cuius compoſitionem lege Galeni hiſtoriam 6. *de compoſit. medic. ſecund. locos, cap.* 2. Quibus vti poteris cum decocto hordei, balauſtiorum, & roſarum, vel rob moron, cum decocto ſumach, hordei, & prunorum damaſc. cum ſaccharo, & modico aceti roſarum. *Gargariſmata.*

Quod ſi fluxio fuerit pituitoſa à principio, licebit aliquid croci, capill. Veneris, vel liquiritiæ admiſcere. Verùm increſcente morbo, & properante ad ſtatum, oportet aliquid de adſtringentibus detrahere, & aliquid reſoluentium addere. Competit ergo hoc gargariſma, quod recipit decocti hordei, roſarum, croci, myrrhæ, & radicis liquiritiæ ℔. ß. rob moron, & ſyrupi roſarum, ana ℥. j. ß. aceti roſarum ℥. j. miſce. Vel ℞. aquæ roſarum, & plantag. ana ℥. vj, in eis decoquantur croci ℈. iiij, myrrhæ ʒ. j. & colaturæ adde rob moron, & mellis roſati, ana ℥. j. ß. In ſtatu verò iis addere poteris decoctum liquiritiæ, fœnugræci, dactylorum, thymi, pulegij, & caricarum, cum diamoron compoſito. Declinante verò morbo iam ſolùm reſoluentium vſus confert, niſi inflammatio in ſuppurationem tendat, quo tempore gargarizandus eſt æger decocto hordei maluarum, liquiritiæ, prunorum, caricarum, & paſſularum ſine acinis, & ad extra admouendum eſt emplaſtrum ſuppuratiuum commune, & facta ſuppuratione, tuſſi vehementi concitata, aut vociferatione aperiri ſolet. Nos autem inflammationem apparentem in faucibus aperuimus inſtrumento ferreo ſubtili, cum feliciſ- *Suppurantia.*

ſimo euentu; deinde vlcus abſtergendum eſt, & facilè curandum.

Sed quia ſuperiùs tradita reſoluentia prodeſſe non ſolent, conſulunt Authores, quod dum morbus eſt in ſtatu, præſtantiſſimum remedium eſt ſtercus caninum aridum contuſum melli admiſtum, quo ipſa pars inungatur, aut rei liquidæ admiſceatur, vt meliùs ad partem affectam perueniat; quod remedium maximè extollit Gal. 10. *de ſimplic. medic. facultatibus*. Item ſtercus pueri farinâ lupinorum nutriti, & puluis hirundinum vſtarum eandem vtilitatem præſtant.

*Exteriùs admouenda.* Exteriùs conferunt reſoluentia, vt oleum camem. amygd. dulc. lumbr. laurinum, & de lilio, cum axungia gallinæ, & anatis, & vnguento filij Zachariæ. Vel emplaſtrum ex farina fœnugræci, hordei, & ſeminis lini, cum puluere florum camem. & ſapa, aut oxymelite, vel decocto fœnugræci, & camemali confectum. Ad idem valet emplaſtrum ex nido hirundinum, quod recipit nidum hirundinis, quem fac diù in aqua ebullire, poſteà eum cribro cola, & in colatura coquantur radicum lilij, maluauiſci, & brioniæ, ana ℥.j. foliorum maluarum p.j. piſtentur fortiter, & incorporentur cum eis fermenti benè acris ℥.ß. farinæ fœnugræci, & ſeminis lini, ana ℥.j.ß. olei veteris, & axungiæ gallinæ, ana ℥. j. ß. miſce. Simili modo cataplaſma ex farina hordei cum ſucco apij potenter reſoluit, vt ait Ioan. Paſchal. 1. *de morbis curand. c.* 14. quod ipſe fuit expertus. Filum etiam ex lana purpurâ tinctum, quo vipera poſteà ſit ſtrangulata, collum circundans, anginam curare aſſerunt à proprietate occulta. Iacob. Vuecrerus ex Archelai ſententia inquit quod ſanguinis humani illitu curatur angina. Sed quia pars mandans frequenter ſolet eſſe caput, conſulit Hipp. *loc. cit. de ratione victus*, quod vtamur fomentis calidis, ceratis, aut emplaſtris ſupra caput. Raſo ergo capite illud ex aqua calida ſpongiâ expreſſâ fouebis, aut aliquo decocto capitali, quod habeat vim reſoluendi, & caput roborandi, vt eſt decoctum lauendulæ, origani, ſerpilli, roris marini, camemali, & roſarum, vel vti poſſumus emplaſtro de centaura, aut vnguentis reſolutiuis capite de lethargo ſcriptis.

Tandem in vltima deſperatione, quod aperiatur gula, vt poſſit æger reſpirare, docuit Gordonius: melius autem dixiſſet, quod aperiretur aſpera arteria, quæ eſt via ad reſpirandum deſtinata; quod auxilium propter difficilem, & temerariam illius executionem non probo, quamuis propter ægri ad reſpirandum neceſſitatem locum habere videatur.

## §. II.

### *Obſeruatio pro quodam angina laborante.*

SEd quia exempla mouent, caſum referam admiratione dignum, ex quo deducitur vtilitas medicamenti purgantis in huius morbi curatione, quo animos excitem, cum nimis vrget neceſſitas, & alia non proſunt, ad huius remedij exhibitionem. Erat mihi æger anginoſus ex decubitu humoris pituitoſi ſimul cum ſanguinis conſortio ex capite in fauces, & aſperæ arteriæ caput, ita vt ibi perciperetur tumor calidus, & rubeus, cuius ſuperficies irrigabatur ſæpe maxima copia pituitæ viſcidæ, & craſſæ è capite deſcendentis, quæ ſimul cum tumore ſanguineo ita ægrum premebat, vt reſpirare nequiret, niſi erecta ceruice, & maximo conatu, ad extra linguam impellens, vt ſic aëris ingreſſui daretur locus, deglutiebat tamen, licet difficulter. In cuius curatione vſus fui clyſteribus, venæ ſectione ex vena communi, & ex cephalica, & de-

A nique ex eis, quæ ſunt ſub lingua, quas leonicas vocant, & aliis remediis, quæ huic morbo debentur; nihil tamen vtilitatis expertus fui, ſed potius iis omnibus deteriùs ſe habebat æger, & cum maxima virium exſolutione; & ne mihi accideret id quod ait Hipp. *libro de medicamento purganti*, dum inquit: *Turpis enim eſt calamitas medicamento purganti hominem occidere*; medicamenti purgantis vſum reformidabam, verumtamen cùm alia non proficerent, viſum fuit mihi nimis laborioſum eſſe ſolis prognoſticis hominem periturum relinquere; quapropter adſtantes vocari iuſſi, quibus ægri periculum notum feci, & quod ſolum vnum faciendum reſtabat auxilium, purgatio nempe, quo forſan poterat humor ad fauces, & aſperam arteriam confluens reuelli, deriuari, & euacuari; non tamen erat remedium tutum, ob virium iacturam, & ob timorem, ne moti humores magis ad partem affectam decumberent: cum hoc
B tamen in caſu ancipiti erat melius anceps periculum experiri, quàm nullum, vt ait Celſus. Ne tamen infamaretur remedium, quod multos ad ſanitatem reduxit, ſi fortè ex illius vſu mors illi adueniret, nolebam illud offerre abſque eorum conſenſu. Illi verò, qui meis dictis, & operibus fidem adhibebant, animo ſubmiſſo, nihil iam curantes de ægri vita, facilè mihi aſſentiuntur. Iuſſi igitur ſtatim ægrum oleo ſancto inungere, deinde hora octaua ante meridiem dedi potionem purgatoriam ex emulſione ſeminis cartami in decocto pugini extractam, cum ſyrup. perſico ſolutiuo, quam libenter aſſumpſit æger, diiudicans vi illius ſanum euaſurum, cui, vt ſperabat, ita feliciter ſucceſſit; nam veſpere hora ſecunda ad eum viſendum acceſſi, quem liberum ab omni difficili
C reſpiratione inueni, qui multis amplexibus pro tanto beneficio mihi gratias egit. Huius euentus felicitas fuit mihi maximi honoris, & aliis admirationis.

Hanc volui adducere obſeruationem, vt ſciamus, qualiter ſe Medicus habere debet, dum æger nimis periculo eſt expoſitus; nam vt inquit Gal. 11. *method. c.* 9. imprudentis conſilij fuerit apud vulgum infamare remedia, quæ multis fuere ſaluti. Hipp. etiam nos monet operari ita, vt noſtra operatio profit, aut ſaltem non noceat. Neque ob aliam rationem Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 4. *c.* 20. iubet in morbis, quorum expectamus recidiuam, ne auxilia adminiſtremus, quibus humores agitentur, & ſtatim recidiua ſuperueniat, qua mori ſolet æger, & infamiam conſequitur Medicus, vt docet Genti-
D lis ſuper eundem locum. Quapropter nihil temerè eſt faciendum, nihilque negligere debemus. Ne ergo meo adſcriberetur errori, ſi ex medicamenti purgantis vſu mors illi ægro ſtatim adueniret, malui omnium conſenſum habere, quàm mei honorem, & medicinæ detrahere. Neque erat extra Medicinæ metas purgans offerre medicamentum, cùm ſæpè vim habeat reuellendi, & euacuandi, imò Galen. primo, ſecundo, & tertio die medicamentum purgans propinauit, vt ipſe ait 4. *de ratione victus in morbis acutis*: & 14. *methodi, cap.* 8. Sexagenarium ſanauit habentem linguam tumefactam, adhibitis ſine vlla præparatione pillulis ex aloë, ſcammoneo, & colocynthide compoſitis. Et 13. *methodi* plures ſanauit oculorum inflammatione tentatos exhibito eadem die pharmaco purganti. Tralian. etiam *lib.* 4. *cap.* 1. *titulo de ſanguinis miſſione*, anginoſum liberauit veſperè adhibita purgatione. Vega etiam magnas oculorum inflammationes curauit intra vigintiquatuor horas, adhibitâ purgatione per pillulas ſine quibus. Neque obſtat, quod iſti Authores adhibuiſſent hoc remedium

*1. epidim. ſect. 2.*

remedium incipientibus inflammationibus; quod vtique me facere debere alicui videretur, non tamen feci; nam cùm à principio adeſſet inflammatio cum rubore, dolore, & ardore, etiamſi eſſet aliqualis confluxus pituitæ, tamen in inflammationibus reuulſio optimè perficitur venæ ſectione, quæ tutius auxilium eſt quàm expurgatio; ideò eà exordium ſumpſi, quæ quodam modo ſedauit inflammationem, non tamen potuit auferre imbibitionem pituitæ, & illius ad eam partem confluxum, donec tandem pronuntiato periculo auſus fui cum Dei adiutorio medicamentum pituitam ducens offerre, quo eadem die liber euaſit à morbo. Neque hoc remedio ſolùm vſus fui in hoc ægro, ſed in aliis pluribus, quibus inerat tumor aut inflammatio in gutture, in hoc, ſicuti & in aliis, Galeni, & probatiſſimorum Authorum veſtigia ſequens.

# LIBER TERTIVS.

## De internorum Morborum Natura, & Curatione.

### PROOEMIVM.

VT Authorum, qui praxim ſcripſerunt, morem inſequamur, incipit noſtra tractatio poſt anteà dicta, de morbis thoracis, vel pectoris, qui varij, & plurimi, & curatu difficiles cenſentur, ob partium principatum, cui inhærent, & quia difficilè remedia per os aſſumpta ad pectus perueniunt. Ex eorum ſiquidem morborum præſentia vel ipſum cor per ſe primò læditur, vel partes thoracis, quæ in ſubſidium cordis, & illius tutelam ad minùs ſunt concreatæ, quæ facilè cordi ſuam communicant affectionem, & ab illis trahitur in conſenſum: de quibus omnibus accuratè eſt agendum. Primum ergo, quod pertractandum ſe offert, ſequens affectio eſt.

### CAPVT I.

#### *De aſthmate.*

ASthma, ſic enim Græcè dicitur, Latinè verò ſuſpirium, & aſthmatici ſuſpirioſi, vel anhelosi dicuntur, vt conſtat ex Aët. *tetrab. 2. ſerm. 4. c. 57.* dum ait: *Qui frequenter reſpirant citra febrem, quemadmodum ſolent à vehementi curſu fatigati, eos aſthmaticos, hoc eſt anheloſos Medici vocare conſueuerunt.* Idem oſtendit Paul. *lib. 3. cap. 29.* Auic. *fen. 10. lib. 3. tract. 1. c. 38.* & Gal. *7. de comp. medic. ſecundùm locos, c. vlt.* vbi ſic: *Qui citra febrem densè reſpirant, qualiter faciunt qui velociter decurrerunt, ab acceſſione Medicis Græcis aſthmatici, Latinis anheloſi appellantur.* (*Aſthmatici qui dicantur.*) Vbi nomine denſæ reſpirationis omnes intelligunt reſpirationem crebram, in qua natura parum in quiete detinetur ob magnam reſpirandi neceſſitatem; ſupplet enim motus ſua crebritate, quod ei deficit de magnitudine, ob anguſtiam aſperæ arteriæ. Ex quibus colligitur, non quamlibet reſpirandi difficultatem eſſe ſymptoma huius morbi, ſed eam tantùm, quæ in frequentia, & crebritate conſiſtit, vt docet Hipp. *3. aphor. text. 26.* & *6. aphoriſ. comm. 46.*

Ex dictis conſtat, talem reſpirationem partim eſſe diminutam, quia via reſpirationis eſt impedita, & obſtricta, & diminutè per illam attrahitur aër; partim eſt etiam deprauata, quatenus thoracis muſculi maximè extenduntur in ordine ad pectoris extenſionem, & maiorem aëris attractionem. (*Qua actio lædatur.*)

Non requiritur febris ad huius morbi naturæ conſtitutionem, vt ex Authoribus deſumitur, quæ

A ſi fort è accidat, ſe habet accidentaliter nimis reſpectu huius morbi.

Neque eſt difficile inuenire huius morbi naturam, cùm ex dictis clareat, conſiſtere in cauitate impedita, ſiue impediatur per obſtructionem, vel tuberculum, aut per compreſſionem humorum craſſorum, à quibus frequentiùs euenire contingit, vt expreſsè Gal. docet *3. aphor. comm. 26.* (*Aſthma in quo conſiſtat.*)

Si verò obiicias: Angina eſt etiam morbus in cauitate gutturis diminuta, vt proprio capite diximus: ergo non diſtinguitur eſſentialiter ab aſthmate. (*Aſthma diſtinguitur ab angina.*)

B Reſpondetur, quod in aſthmate afficiuntur pulmo, & bronchia aſperæ arteriæ; in angina verò fauces, & gutturis partes ſuperiores, quod ſufficit vt ſpecie diſtinguantur quantum ad Medici conſiderationem; in rigore tamen phyſico haud quaquam diſtinguntur, cùm vterque morbus in via impedita, ſeu cauitate conſtituatur, quod non poteſt cauſare diſtinctionem eſſentialem.

Accedit ad hoc, quod iſte morbus eſt chronicus, & fit frequenter à tuberculo crudo, & humoribus crudis; angina verò eſt acutiſſima affectio ab inflãmatione frequentiùs procedens, & ab humoribus calidis. Aſthma prætereà habere ſolet determinatas periodos & circuitus, quos nõ habet angina, quæ omnia valet diuerſificare hos morbos inter ſe.

C Partem affectam eſſe pulmonem, & illius cannam, docent omnes, & clarè inſinuat Auic. dicens: *Quandoque enim fit propter nocumentum in ipſo pulmone, propter inuiſcationem humorum craſſorum in arteriis, & quandoque in canna pulmonis, & quandoque ex capite iſtæ humiditates ſunt effuſæ, & quandoque ſunt expulſæ ad pulmonem ex aliis locis.* Vbi etiam connumerat partem mandantem, & inquit fumum, & vaporem quando- (*De parte affecta.*)

que eſſe huius morbi cauſas, nempe quando membra anhelitus impedire poſſunt.

Signa huius morbi ex dictis facilè colligi poſſunt; ſiquidem adſunt reſpiratio crebra, veluti ſi æger curſu veloci eſſet fatigatus, & pondus ſentitur in pectore; reſpiratio fit cum aliquo ſtertore, morbus repetit per interualla, & ſuas habet exacerbationes, humórque paulatim congeri ſolet in pulmone, & aſpera arteria, vel à capite defluit, vel ab alia parte: quod docet Gal. agnoſcere per præterita accidentia 4. *de locis affectis*, *cap.* 8. dicens: *Si quis per bonam valetudinem cum ſolutas actiones facere poteſt, ſic difficulter ſpirare cœperit, augeatúrque accidens, neque inter reſpirandum ſtertere videatur, crudi tuberculi ortus ſuſpicari oportet.* Ex quibus colligitur, illum tumorem fieri per paulatinam congeſtionem, ſine defluxu ab alia parte. Tamen ſi ſtatim ſtrepitum, ſeu ſtertorem ſentire incipiat, humorum craſſorum defluentium multitudo in cauſa exiſtit; & ſi ſtatim etiam difficilè ſpirauerit, & cum illo ſtertore, fluxionem à capite, vel vicinis ſedibus in pulmonem irruentem portendit. vt ibi etiam inſinuat Galen. His accedit ciborum craſſorum eſus, ebrietates, ambulatio in locis frigidis, & huiuſcemodi alia.

*Prognoſticum.* Aſthma in ſenibus difficilè, aut nunquam curatur, ex Galen. 2. *aphor. comm.* 46. aliquibus tamen remediis alleuiatur. Quod ſi in aſthmate reſpiratio eſt frigida, & parua, ac tarda, iam mors proxima eſt, vt omnes fatentur. Quod ſi pulſus ſit maximè inæqualis, & inordinatus, ſignificat obſtructionem maximam arteriarum pulmonis, quam ſequitur mors, vt Antipatro Medico Romæ contigit Galeni tempore, vt ipſe teſtatur 4. *de locis, c. vlt.* & Areuali idem nobili viro Gomezio de Montaluo ſuperuenit, qui ſubitò omnem pulſus inæqualitatem paſſus fuit, deinde pluribus diebus tranſactis ſubſequuta fuit difficilis reſpiratio, & tandem mors. *Obſeruatio.* Dicam tamen, quod fidiſſimo experimento obſeruaui. *Alia obſeruatio.* Tetigi pulſus plures eorum, qui aſthmate laborabant, & erant in extremo periculo conſtituti, habebántque reſpirationem nimis difficilem, quo tempore habebant etiam pulſus magnos ſecundùm totam dimenſionem; quod prouenire indicaui ex reſpirationis defectu: nam cùm reſpiratio, & pulſus ſint ad eundem finem, reſpirationis defectum ſupplebat pulſus magnitudo, quouſque calore cordis ſuffocato pulſus breuiſſimè minuebantur, & ſubſequebatur mors.

## §. I.

### *Curatio aſthmatis.*

CVm iſte affectus frequenter à tuberculo crudo, & humoribus craſſis initium ſumat, præcauere ante omnia oportet ea, quæ tales humores apta ſunt generare; & quia ſimiliter caput ſolet eſſe huius mali origo, quia ab eo ad pulmonem facilis eſt humorum deſcenſus; ideò etiam ea, quæ tentant caput, euitare oportet, vt ſunt lac, butyrum, & omnia caſeoſa, & alia alimenta craſſa, vt caro bubula, porcina, caprina, & id genus alia. Victus itaque ſit extenuans, & calefaciens, vt carnes elixæ caponum, pulli, aut perdicis nouellæ, & ius pulli cum ciceribus elixi, & oua ſorbilia, amygdalatum loco ſacchari cum melle confectum; panis bis coctus, aut benè fermentatus. *Victus ratio.* Potus ſit aqua mulſa, liquiritiæ, fœniculi, vel radicis chinæ, aut vinum tenue concedendum, ex Aëtij conſilio. In vniuerſum autem (ipſe inquit) paucus potus conuenit quibus abſceſſus, aut tuberculus crudus alicubi adeſt; multus verò quibus bronchia tenacibus, & craſſis humoribus ſunt obſtructa. In fine prandij aſſumant dragetam, ſeu coriandrum præparatum. Cœna ſemper erit parca, vt oua ſorbilia, poma aſſa, vel amygdalatum.

Obſonia parentur cum croco, & aliis ſpeciebus, quibus aliquod acetoſum admiſceatur, vt humores inſcindantur, vt eſt ſuccus limonum, arantiorum, & aceti parum. Aër ad calidum, & ſiccum declinet, quem licebit arte parare rore marino, ſtœcade, & thymo, vel earumdem rerum ſuffitu. Ventrem habeant lenem, vel enematibus fortibus vtantur, vel ſuppoſitoriis ex hiera, ſale gemma, & melle compoſitis, præcipuè exiſtente ægro in ipſa acceſſione, qui quidem habeat erectam ceruicem, nec multùm dormiat; quo tempore vtatur frictionibus, & ligaturis partium extremarum. *Sanguinis miſſio.* Verùm ſi ſanguis abundet, ſtatim eſt mittendus, præcipuè ſi adiungatur febris, vt admonent Paulus, & Aëtius; parcè tamen eſt detrahendus. Sed quia humor ex capite, vel alia parte paratus eſt fluere in aſperam arteriam, illum præparare expedit ad expurgationem per inferiorem aluum; nam ille, qui in aſpera arteria, & pulmone continetur, per ſputum faciliùs educitur, quia propinquior, & paratior eſt via, quàm per aliam partem.

*Purgatio.* Præparatur ergo humor attenuantibus, & inſcindentibus, vt aquâ mulſâ cum origani decocto, aut ſyrupis liquiritiæ, de praſio, & melle roſaceo, cum pauco oxymelite ſimplici, & decocto pectorali. Deinde purgabitur elect. diaphœnic. & aliis in hunc modum. ℞. elect. diaphœnic. ʒ. vj. ſyr. regij ℥. iij. miſce, & cum decocto pectorali, & foliorum ſennæ fiat potus. Vel ℞. agarici trochiſc. ʒ. j. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in decocto pectorali, & foliorum ſennæ, in quo diſſolue pulpæ caſſiæ ℥. ß. ſyr. perſici ſolut. ℥. iij. miſce, & fiat potus. Sed quia morbus chronicus eſt, longámque poſtulat curationem, per interualla licebit paulatim expurgare, vt ſic maius malum præcaueamus. At ſi pars mandans ſit caput, ipſum euacuabis pillulis de agarico, cochiis, vel aſſeiaret Auicen. Quæ ex diſtantioribus partibus, præcipuè ex capite humores attrahunt. Oportet etiam humorem diſtillantem coercere gargariſmatibus repellentibus, vt rectè animaduertit Vega. Quod ſi iis humor non diſtrahatur, cucurbitulæ, frictiones, & ligaturæ partium inferiorum ſunt ex vſu. Quod ſi inueteraſcit morbus, fontanellam in brachio aperire oportet, vt conſulit Mercatus. Quod ſi aliqua euacuatio inferior ſit ſuppreſſa, omni ſtudio eſt reuocanda, & fontanella in crure aperienda. Deinde caput roborabis humores in ipſo exiſtentes reſoluendo, & diſcutiendo, ad quod benè facit ſacculus de milio, aut qui conficitur ex pulueribus florum camemali, meliloti, ſaluiæ, betonicæ, ſampſuci, macis, cubebarum, cariophylorum, granæ, & ſimilium; qui ſacculus ad cucufæ modum fieri debet.

Ex eiſdem prætereà rebus fieri poteſt lixiuium, quo caput abluatur, & tandem emplaſtrum appones de centaura, aut de ſtercore columbino, vt monet Galenus 5. *method. capite decimo tertio,* quo humor ad extra reuocatur, & reſoluitur, & poſt tres horas auferri debet, & caput contegi.

*Quæ pectori interius, & exterius adminiſtrantur.* Interim tamen dum hæc fiunt, pectoris ſemper eſt habenda prouidentia, ita vt humorem in ipſo exiſtentem, & reſpirationem impedientem per ſputum educamus; idque efficimus bechicis medicamentis, quæ vim attenuandi, inſcindendi, &

& calefaciendi poſſideant, vt faciliùs tuſſi eiiciantur; in quem vſum conferunt ſyrupus capill. Veneris, liquiritiæ, & de hyſſopo, cum oxymelite, vel loch ſanum, & expertum, loch de pulmone vulpis, loch de pino, vel de caulibus, aut electuar. diaïris, vel hic ſyrupus, qui recipit paſſularum ſine vinaceis p.j. prunor damaſc. & caricarum, ana n.x. radicis liquiritiæ ℥.j. capill. Ven. m.j. hyſſopi, & calamenti, radicis apij, & fœniculi, ana ʒ.ß. coquantur omnia ſecundùm artem in ℔. vij. aquæ ad medietatis conſumptionem, & colaturæ adde mellis quod ſufficiat, vt paretur ſyrupus, cui addere poteris aliquid oxymelitis ſchillitici, aut ſimplicis. Vel fieri poteſt loch, quod recipit conſeruæ capill. Vener. & enulæ campanæ, ana ℥.ß. pulver. pulmonis vulpis exſiccati, & præparati ʒ.j. ß. ſacchari candi ℥. j. oxymelitis ſimplicis ℥. j. ſyr. capill. Veneris, & liquiritiæ, ana partes æquales, miſce, & fiat loch. Conferunt etiam pillulæ bechicæ, quarum vnam in ore teneat æger, paulatimque deglutiat, quæ etiam ad tuſſim ſiccam deſeruiunt, quarum deſcriptio ex Meſuë talis eſt. ♃. ſucci liquiritiæ, & ſacchari tabarcet, ana ʒ. x. amyli, tragacanti, amygd. mundatarum, ana ʒ. vj. incorporentur prædicta cum mucilagine ſeminis citoneorum, & fiant pillulæ. Laudatur etiam ius galli gallinacei rebus pectoralibus infarcti.

*Pillularum bechicarum deſcriptio.*

Alia quamplurima arteriaca medicamenta tradunt Authores; nos autem prolixitati parcentes probatiora eligere curauimus.

Exteriùs etiam pectori ſunt admouenda, quæ facilem ſputum reddant, humoremque diſcutiant, vt emplaſtrum filij Zachariæ, & de meliloto ad pectoris magnitudinem extenſum: vel vnguentum ex oleo laurino, amygd. dulcium, cum axungia gallinæ, & anatis confectum, aut oleum irinum, coſtinum, & amygdalarum dulcium, cum mucilagine ſeminis altheæ, & fœnugræci, & modico emplaſtro filij Zachariæ, & cera, ex quibus vnguentum efformabis.

Tandem ad conterendas huius morbi reliquias conſulunt Authores, vt aſſumat æger aliquibus diebus theriacam magnam, aut mithridatum, aut ſulphur cum melle, aut ouo, & alia, quæ quia nimis fortia ſunt, conſultò omitto. Profunt etiam ſudationes ex ligno guaiaco, ſmilace aſpera, & radice chinæ, cum rebus pectoralibus. Aut ſuffumigium ex ſulphure, maſtiche, terebinthina, & ſtyrace. Vſum arſenici in ſuffumigiis non probo, quia veneficum eſt. Conuenit quammaximè quolibet manè bibere hauſtum calidum decocti liquiritiæ, radicis chinæ, ſaxifragæ, & ſmilacis aſperæ quantitate ℥. vj.

## §. II.

### *Obſeruatio pro quodam pharmacopola difficili reſpiratione, & variis accidentibus moleſtato.*

QVidam pharmacopola naturâ bilioſus, & ſanguineus, habitu mediocris, ætate conſiſtens, inordinatè vitam agens, victu, & rebus non naturalibus immodicè vtens, neque veneri indulgens, lue gallica infectus, variiſque morbis & ſymptomatibus oppreſſus, poſtquam variis vſus fuerat remediis, quibus diram ſuorum morborum naturam euincere tentaſſet, inter alios Medicos me quoque accerſere voluit, & ad conſultationem ſimul omnes conuenimus. Conſultationes ſiquidem in rebus magnis, & dubiis ſunt neceſſariæ, vt inquit Ariſt. 3. *Ethic. cap.* 3. neque indecorè ſe gerit Medicus, qui in rerum anguſtia circa aliquem ægrum, alios accerſere iuſſerit, vt ex communi conſideratione res inquirantur, & cognoſcantur, vt teſtatur Hipp. *lib. de præceptionibus.* Scire enim in rebus difficillimis quid fieri debeat, magni artificis eſt, inquit Galen. *lib. 3. methodi, c.* 1. in quem finem non ſunt ſpernendæ conſultationes. Cùm igitur ægri ſtatum miſerrimum contemplarer, audire cupiens omnia, quæ ipſe ſex menſium ſpatio paſſus fuit, ſic ab ægro, & recentiori Medico enarrata fuere.

*Conſultationes ſæpe ſunt vtiles.*

Cœpit à principio pati difficilem reſpirationem, ſentiebatque ſæpe dolorem tenſiuum in ſuperna œſophagi parte, qui eructatione quadam leuiùs ſe habebat; ipſo tamen dolore præſente ſpeciem quandam ſuffocationis ſentiebat, neque reſpirare valebat, niſi erecta ceruice: ſæpius etiam ſine tali dolore ita difficilè reſpirabat, vt adhuc è lecto reſurgens, neutiquam poterat pectus ampliare, neque aërem attrahere, & anxius è pectore, ceruice, & capite frigidum reiiciebat ſudorem; neque hoc ſemel, vel bis illi ſuperueniebat, ſed pluries intra eandem diem, ita vt ſudaret, & fermè extinctam reſpirationem haberet. Dormire cupiebat, & dormire tentans haudquaquam dormire poterat. Pedes, & crura tumida habebat abſque coloris naturalis mutatione, hypocondria obſtructa, febrem continuam, noctu magis ingraueſcentem, dolores in toto corpore, veſperè incrementum accipientes, ob gallicam affectionem. Hæc omnia ſimul miſerrimè hominem perdebant. Quandoque etiam pulſus obſcuri tactu deprehendi nequibant, & animo linquebat æger. Tandem paulò ante obitum ſomno profundo fuit correptus, & febre adaucta, vitam cum morte commutauit.

*Caſus proponitur.*

Hæc hiſtoria plurima continet difficillima, quorum quædam habent rationem ſymptomatis, quædam verò cauſæ, ſeu affectus; licèt ex ſymptomatibus aliqua veluti affectus maximè lædebant, vt difficilis reſpiratio, & dolores vehementes noctu præcipuè cruciantes, quæ cum actiones vitiare valent, tunc quidem ad ſe curantis conſilium arripiunt, & non vt ſymptomata, ſed vt morbi ſunt pertractanda, vt liquet ex Gal. 12. *methodi, c.* 1. maioris tamen claritatis gratiâ de quolibet ſeorſum agemus, eiuſque cauſas notas faciemus, quamque ſignificationem præbeat, enarrabimus, & qualiter in curatione ſit tractandum, docebimus.

Primum ſymptoma, quo maximè vexabatur æger, erat difficilis reſpiratio. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt, quod difficultatis reſpirationis, aut anhelitus triplex ſtatuitur differentia, vt docet Celſus *lib. 4. c. 4.* Quando enim ſpirandi difficultas non eſt admodum difficilis, neque ſtrangulat, dipnœa dicitur. Quando verò cum ſonitu, & ſtrepitu reſpirant, aſthma. Quando denique ita difficulter reſpirant vt cogantur erecta ceruice reſpirare, tunc orthopnœa vocitatur, quam erectum anhelitum vocat Auerroës *lib. 3. collect. c.* 34. Cum hoc tamen dipnœa genericè ſumpta ſignificat quamlibet difficilem reſpirationem, & hoc modo frequenter vſurpatur apud Galenum, præcipuè *lib. 1. de difficultate reſpirationis, c.* 1. Aliter etiam ab Authoribus hæ voces accipiuntur, tamen cùm res intelligantur, non eſt opus de nominibus certare. Præter huiuſmodi voces alia datur, apnœa ſcilicet, quæ omnimodæ reſpirationis quoad ſenſum defectum ſignificat. Ex iis tribus differentiis noſter æger patiebatur orthopnœam, ſiquidem ægrè nimis reſpirabat, & erecta ceruice, maximoque conatu, ita vt cogeretur ſe erigere. Non

*Reſpiratio difficilis triplex.*

*Apnœa quid ſit.*

enim poterat aërem attrahere, neque vſui reſpirationis ſatisfacere, ſicque ſuffocationem meritò timebat, atque adeo ſymptoma hoc erat in actione diminuta reſpirationis; quæ actio pertinet ad facultatem motiuam animalis, quæ mediis muſculis tanquam inſtrumentis perficitur. Sed quia hæc reſpirandi actio, ſicuti & pulſifica, ex triplici principio lædi poteſt, vt docet Galen. *lib.* 1. *de difficult. reſpir. cap.* 4. nempe ex facultate motiua, ex inſtrumento, aut vſu; dubitatum fuit, à quonam ex his actionis læſio ſuborta fuiſſet? Coniecimuſque facultatem neutiquam pati, quia quemlibet alium motum localem facillimè exercebat; ex quo facile erat inferre, quod natura ſufficienter influxum à cerebro dimanantem pro actionibus his obeundis communicabat, ſpirituſque animales tranſmittebat, meliuſque tranſmitteret ad reſpirationis inſtrumenta, vtpotè magis vitæ conſeruationi dicata; ſiquidem vita in ſpiratione, & exſpiratione ita eſt, vt docet Ariſt. *lib. de ſpiratione, propè finem*; quam totis ſuis viribus natura conſeruare nititur. Neque vitium cœpit ab anhelitus vſu; nam vt conſtat ex Ariſt. *lib. de ſpiratione*, & ex Galeno 1. *lib. de difficult. reſpirat. cap.* 8. & alibi millies, reſpiratio, & pulſus ſunt ad eundem finem, nam per vtrumque attemperatur calor, & generationi ſpirituum materia miniſtratur, ſicque tam pulſus, quàm reſpiratio duplici conflantur motu, ex ſyſtole, & diaſtole, ad eundem finem ordinato: non poterat autem reſpirandi actio minui, quin ipſe minueretur vſus, qui potiùs erat adauctus febrili calore, & attemperatione indigebat, quæ non poterat fieri, niſi maxima aëris attractione per pulſum, & reſpirationem. Quapropter vſus petebat aëris maiorem attractionem, non verò illius imminutionem. Non ergo hoc vitium in actione diminuta ex vſu natum fuit, cùm ratione vſus ea actio adauctè fieri deberet.

*Inſtrumenta reſpirationis plura.*

Remanet igitur, quod fiat ſolùm ex vitio inſtrumenti. Sed quia inſtrumenta huic muneri dicata ſunt nares, os, guttur, pulmo, ſeptum tranſverſum, & reliqui muſculi pectoris, imò & abdominis, oportebat etiam inquirere, quænam ſit pars affecta, & qua affectione vexata? Veruntamen cùm non continuò vexaretur difficili anhelitu, ſed (vt diximus) per interualla, facilè coniecimus, eam affectionem non eſſe per propriam paſſionem inſtrumentorum reſpirationis, ſic etenim continuò affligeret, ſed potiùs per conſenſum, aliunde ſcilicet communicata, vt clarè demonſtrat Galenus 4. *de locis affectis, c.* 1. ſuffuſionis exemplo. Quapropter cùm ipſe obſtructiones pateretur in venis meſaraïcis, in lienis, & hepatis parenchymate, vt tactu facilè deprehendimus, & plurimis cruditatibus ob inordinatum vitæ modum fuiſſet refertus, neque haberet tuſſim, quæ oſtendere poſſet pulmonem aut aſperam arteriam affici, omnes conuenimus, difficilè eum reſpirare ob vapores craſſos ex obſtructionibus actione caloris febrilis eleuatos, qui ſæpe aſcendentes per œſophagum, non poterat eos ructu excernere, & cum œſophagus nimis diſtenderetur, ex eius dilatatione ſtatim aſpera arteria comprimebatur, ita vt neque aër egredi, aut ingredi quiret; quod etiam cuidam homini accidiſſe refert Vega Complutenſis *lib.* 3. *methodi, cap.* 8. Licèt enim guttur cartilagineum ſit, vt anatomes docet, cùm deberet dilatari, & comprimi pro ratione vſus, & indigentiæ, naturæ Artifex ſupremus conſtruxit illud in parte poſteriori, per quam gulæ annectitur, membranoſum; ſic enim etiam cedit gulæ in ciborum deglutione, quod neutiquam accidere poſſet, ſi totum guttur eſſet cartilaginoſum;

*Aſpera arteria compoſita.*

A nam ob cartilaginum duritiem non poſſet ſe dilatare, vel comprimere, neque aliis cedere partibus, vt ſtatuit Galen. *lib.* 7. *de vſu partium, cap.* 4. & *cap.* 7. Quia ergo ſæpe ſentiebat in ſuperiori parte gulæ dolorem quendam, & ſimiliter reſpirandi difficultatem, facilè erat conijcere, quod vapores craſſi, quos non poterat ructu excernere, comprimebant guttur, & illud anguſtius reddebant, & anhelitum difficilem cauſabant, quoties œſophagum replebant. Sæpe etiam œſophago immuni exiſtente, eandem ſpirandi difficultatem ſentiebat, neque enim thoracem dilatare poterat, quem euentum etiam ab eiſdem cauſis proficiſci exiſtimauimus; nam vapores ſurſum delati ſeptum tranſverſum opprimebant, & illius impediebant motum. Scimus quidem quantam vim habeat iſte muſculus ad reſpirationis vſum, vt etiam inſinuat Galenus *lib.* 4. *de anotomicis adminiſt. cap.* 5. & *lib.* 7. *de vſu partium, cap.* 1. ita vt ex huius muſculi coarctatione parua, velox, & denſa fiat reſpiratio, docente Galeno *lib.* 1. *de difficultate reſpiration. cap.* 11.

*Septum trāſuerſum reſpirandi inſtrumentum.*

B Noctu deteriùs reſpirabat, quia noctu magis febricitabat, & à calore febrili maiori fuliginum, & vaporum copiâ excitata, maior in anhelitu ſequebatur noxa, quouſque ſudare inciperet ſudorem frigidum, quo leuiùs ſe habebat, miſſis vaporibus ad cutem, quos vehementi impetu natura expellere nitebatur, vt inſtrumenta reſpirationis manerent expedita, cor, caput, & reliqua viſcera deonerata, quibus depoſitis, & in ſudorem frigidum conuerſis vaporibus, eo quod ex materia frigida, & craſſa exſpirarunt, parum quieſcebat æger, donec paulatim denuò alij à calore gignebantur, qui ſurſum moti eaſdem partes infeſtantes, iterum difficilem reſpirationem procreabant.

*Noctu quare deterius reſpirabat.*

C Ab eadem cauſa initium habere exiſtimaui pulſus defectum, oppreſſo nempe corde, ita vt à vaporum copia illius impediretur motus, aut quia ſurſum diaphragma pellebatur à vaporum craſſorum multitudine, ob hancque cauſam cordis mucronem natura verſus læuam inclinauit, ne ſcilicet dum diaphragma, & cor mouentur, ſe mutuò impedirent, vt bene ſentit Andreas Laurentius in hiſtoria *anatomica de corde*. Quia ergo vapores nimis impellebant ſurſum diaphragma, ipſum contingebat cordis mucronem, & illius coërcebat motum, & deficienter ſe habebat pulſus.

*Pulſus deficientis cauſa.*

Neque mirum, quod in tot anguſtias coniectus æger, in animi deliquium, imò & in ſyncopen laberetur, conſumptis ſpiritibus vitalibus, & animalibus ex continua elaboratione, & immodicis vigiliis.

*Syncopis cauſa.*

D Neque dormire poterat, licèt ad ſomnum eſſet procliuis; non tamen exiſtimauimus, hoc ſymptoma, quod in actione vigilandi præter naturam conſiſtit, ex capitis affectione propria naſci, ſed potiùs ex defectu reſpirationis, qui tempore ſomni ſuffocationis præbebat indicium. Rationem huius inſinuant Authores; nam augetur (inquiunt) vſus reſpirandi per ſomnum, quatenus retrahuntur ſpiritus vitales, & animales ad interiora, & conſequenter fuligines, quæ valent calefacere cor, & etiam opprimere. Neque ob aliam cauſam Galenus 3. *de cauſis pulſuum, cap.* 9. ait, quod inter dormiendum contractio eſt maior dilatatione pulſûs, quia motus caloris ad interna viget; in vigilia accidit è contrà: quod Hippoc. aſſeruit 6. *epidim. ſect.* 4. *textu* 13. vbi ait, partes internas calefieri tempore ſomni, & externas refrigerari. Ariſt. 2. *de hiſt. animal. cap.* 19. ait: *Porrò ſanguinis copia dormientibus partes exteriores deſerit, ſubitque interio*

*Quare non dormiebat æger.*

*Per ſomnum ad intrà refugit calor.*

*interiores, itavt adacto cultello ſanguis non aquè* A *fluere poſſit.* Idem Auic. *fen.* 2. *lib.* 3. *tract.* 4. *capite* 1. Et ratio ipſa, imò & obſeruatio id comprobat, ſiquidem per ſomnum tegumentis indigemus, vtpote quia exteriora refrigerantur, ad intra reuocato calore. Coctiones etiam in ſomnis vberiores fiunt, quæ cùm calore perficiantur, intenſiorem, vel copioſiorem exigunt calorem. Quanam autem ratione interiora in ſomno caleſcant magis, longè eſt inquirere, pertinet enim ad libros de ſomno, & vigilia; & quia longum poſtulat diſcurſum, eum omittentes ad alia deuenimus.

*Quare in ſomno deterius ſe habebat æger.*

Ex hac conſideratione infertur, quod ad viſcera reuocato calore, magis attenuatur materia in interioribus vigens, & in flatus abiens, qui ſurſum peruenientes, inſtrumenta anhelitus opprimebant fortiùs adhuc quàm tempore vigiliæ; quod ſignum eſſe mortale, ait Hippocrat. *lib.* 2. B *aphoriſm. textu* 1. dum inquit: *In quo morbo ſomnus laborem facit, mortale, &c.* Quapropter ſuffocationem ſentiens, non poterat non vigilare, & refrigerium quærens, è lecto ſurgebat, & maximo conatu reſpirare deſiderabat. Febris continua illum aſſiduè moleſtabat; noctu tamen graues habebat exacerbationes. Hæc febris ab humoribus craſſis in venis putreſcentibus habebat exordium, & ab humoribus in ſubſtantia hepatis, lienis, & pancrearum impactis, qui frequentiùs noctu magis ſuccenduntur. Si enim morbi figura propria non impediat, veſpere, & noctu exacerbatur frequentiùs; nam ſi acceſſionis initium ſummo mane eueniat, ad veſperam inclinatio fit, & ad veſperam leuatur; ſi verò acceſſio id non facit, ipſa diei hora facit vt morbus exacerbetur, vt docet Valleſ. *lib.* 4. *epidim. ſuper textum* 32. *Hipp.* & *lib.* 1. *ſect.* 3. *ſuper textum*, qui incipit: *Nocturna non* C *valde lethalis, &c.* Nam ſicut lumine, calore, & motu, atque vigilia calor, & excrementa ab internis euocantur, ita tenebris, frigore, & quiete, & ſomno occurrunt ad viſcera, grauantque partes; proinde ſi inclinatio veſpere non accidit, eo tempore morbi ingraueſcunt; ſed hoc non eſt imputandum morbi naturæ, ſed horæ. Quia ergo calor, & excrementa intra reuocantur noctu, non mirum ſi febrium ratione temporis exacerbationes maiores fiant.

*Febris continua noctu creſcebat, & quare.*

Ab eiſdem cauſis exordium ſumpſit obſtructio hepatis, lienis, ventriculi, & reliquarum partium primæ coctioni miniſtrantium; qui enim inordinatè viuit, cibumque ingerit immodicè, neque tempore coctionis quieſcit, alimentum inconfectum diſtribuit, obſtructiones parat, & ſe ad varios diſponit morbos. Ex eodem principio orta fuit debilitas iecoris, quod calore naturali debili- D tato, & primà coctione defectuosè paractà, non poterat ſubſtantiam chiloſam in laudabilem conuertere ſanguinem, proinde maximam humoris crudi copiam producebat, qui cùm non eſſet nutritioni aptus, tum propria grauitate ad pedes, & crura dilabebatur; tum ipſa natura grauata ad inferiores trudebat partes, ægerque erat malo corporis habitu præditus, imò & iam hydrope anaſarca laborabat. His addere oportet dolores crurum, & brachiorum, & ſcapularum noctu quandiu grauiores, qui gallicam contagionem ſequebantur. Quibus omnibus ita afflictus æger in vitæ ſummum diſcrimen quotidie incidebat, donec tandem grauato capite à vaporibus craſſis propè obitum, & ab eis in capite ſubortà obſtructione, quos neque calor euincere potuit, neque natura expellere, mors illi fuit ſubſequuta.

*De obſtructionibus quibus moleſtabatur æger.*

*Quare illi intumuerunt crura, & pedes.*

*Somni illius cauſam ſtatuo.*

§. III.

## *Curatio aſthmatis.*

IN affectuum complicatorum curatione Galen. *lib.* 7. *method. cap.* 11. docet conſiderare, an vnus affectus habeat rationem cauſæ reſpectu alterius, vt ſic priùs illum tollamus, qui cauſæ locum habet. Videndum etiam, quid ante quod, quid cum quo, quid etiam poſt quod curari debeat, vt ipſe Gal. tradit *lib.* 12. *method. cap.* 1. Similiter ſi aliquis affectus, vel ſymptoma nimis vrget, illi etiam priùs eſt ſubueniendum, etiamſi cauſæ locum non teneat, vt ait Gal. *lib.* 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 13. Cùm igitur omnes affectiones ex obſtructionibus auſpicarentur, tota medendi ratio in cauſæ ſubmotione conſiſtere videbatur. Sed quia difficilis vrgebat reſpiratio, ad illam debebat ſimul Medicus inſpicere, & cauſam flatuoſam totis viribus diſſoluere; nam reliquæ affectiones tribuebant expectandi inducias. Quare inſtituta victus ratione per ea, quæ ſimul vias reſerandi poteſtatem habent, & adhibitis clyſteribus emollientibus, carminantibus, & vim purgatoriam habentibus, vt flatus, & cruditates, & excrementa deponerentur, viſum fuit nobis, quod tota curandi ratio in euacuatione humorum obſtruentium, & flatuum reſolutione ſita erat; nam iis detractis nullus manebat locus anhelitus difficultati. Veruntamen cùm hæc aſſequi non poſſent, niſi humorum euacuatione, ſtatim eum euacuare præcepimus adhibito leui pharmaco purganti, quo cruditates, quibus prima ſcatebat regio, deponerentur. Sed quia febris erat continua, noctuque maximè exacerbabatur, & ratione caloris reſpirandi vſus adaugebatur nimis, quem propter orthopnœam intenſiùs noctu aduenientem non poterat adimplere, vt calor cordis attemperaretur, ex omnium conſilio ſanguinem extraximus, quo auxilio quodammodò remiſſa fuit febris, & acceſſiones nocturnæ leuiores effectæ; quo auxilio vti iubent in obſtructionibus inueteratis Gal. 10. *lib. methodi, cap.* 2. Paul. *lib.* 3. *c.* 46. Sic enim aufertur cauſa efficiens febrem, & tollitur obſtructio, & conſequenter auferuntur flatus, quatenus eorum cauſa materialis euacuatur; imò anemiem, id eſt flatus, venæ ſectio ſoluit, vt docet Hippoc. *lib* 2. *epid. ſect.* 3. Et licèt hæc vox *anemie* ſignificet etiam vomitum, & iuxta Iacobum Steue, ſignificet ſemen quod citra concubitum effluit, tamen iuxta verſionem Iani Cornarij flatum ſignificat. Et libello de antiquatis vocibus Hipp. anemie idem ſonat, quod inflatio; vnde propriè idem eſt ac flatus, vt ibi Galen. oſtendit. Verùm cùm eſſet noſter æger paratus ad hydropem, parcè ſanguinem detrahere iuſſimus; vrgebat enim contraria indicatio.

*A quo debuit incipere curatio.*

*An flatus curari poſſint venæ ſectione.*

His peractis, decreuimus paulatim humorem obſtruentem euacuare, factà priùs illius etiam attenuatione, & inciſione; quotidieque accipere iuſſimus ſyr. de chicoreo, & de radicibus, cum aceto, & aquis ſtillatitiis fœniculi, & aſparagi; in quem finem in duplici vaſe inſtillata fuere plura, quæ ſimul flatus exſoluerent, vt quinque radices diureticæ, ſemen fœniculi, ameos, & aniſi, agrimonia, ſcolopendrium, intybum, capill. Ven. radix rubeæ, & capparorum, meliſſa, abſinthium, cinnamomum, & alia his ſimilia, quorum aquam calidam ſumebat, vt ſimul flatus diſſiparet, & cum ſyrupis miſta obſtructionibus tollendis proficeret, ac ventriculum, & hepar roboraret. Sed cùm hæ affectiones

nes nimis abditas radices haberent, & obſtructiones antiquatæ fuiſſent, viſum nobis fuit ei etiam viciſſim aliquod pharmacum purgans offerre, quod ſimul omnia adimpleret munera, roboraret ventriculum,& iecur,flatus deuaſtaret,obſtructiones tolleret & febrem extingueret, & gallicæ impreſſioni ſe opponeret,cuius hæc fuit compoſitio. ℞. ſmilacis aſperæ, & ligni guaiaci ſcophinati, ana ℥.j. epithymi, & polypodij,ana ℥.ij. turbith ʒ.vj. radicũ chicorei, petroſilini,apij,& fœniculi, ana ℥.j. ſemin. aniſi, & fœniculi, ana ʒ.ij. paſſularum Corinthi ℥.j. ſpicæ nardi, & calami aromatici,ana ʒ.ij. florum violarum,borrag. & bugloſſi, ana m.j. coquantur omnia ſecundum artem in ℔. xij. aquæ hordei, quouſque remaneant ℔. ij. & colaturæ adde ſucci pomorum & lupulorum, & roſarum rubearum, ana ℥.ij. ſacchari quod ſit ſatis,vt fiat ſyr. & interim dum fit, adde agarici trochiſc. in ligatura, & rhabarb. optimi,ana ʒ.ij. & reiecta agarici,& rhabarb. corpulentia, adde diarrhod. Abb. ℈. ij. & ſyrup. ſeruetur, de quo æger ſumat ℥.ij. vel ℥. iij. Fortia enim medicamenta non deſiderantur in obſtructionibus, & affectibus primæ regionis, vt dicemus *cap. de curatione obſtructionis iecoris*, ne à toto corpore attrahant, & obſtructiones maiores concitent. Quod ſi facilius auxilium parare volueris, ita confingito. ℞. paſſularum Corinthi ℥.ij. prunorum damaſc.n.vj.ſmilacis aſperæ ℥.ij. cinnamomi ʒ.ij. ſeminis aniſi,& fœniculi,ana ʒ.j.foliorum ſennæ,& epithymi,ana ℥.ij. ſeminis cartami ℥.j. florum violarum,borrag. & bugloſſi, ana p. j. coquantur omnia ſecundùm artem in ℔. iiij. aquæ hordei ad medietatis conſumptionem,& colaturæ adde ſacchari quod ſufficiat, vt fiat ſyr. cuius accipiat ægrotus ℥.ij.ß.inter vnam, & aliam purgationem quolibet mane dare iuſſimus ius pulli gallinacei radicibus diureticis, & hordei infarcti, quod proficuum fore exiſtimauimus ad delendas obſtructiones, & conſequenter febrem. Interim dum hæc fierent, inunximus ventrem oleis anethi,lilij albi & de capparis,facta in eis ebullitione ſucci ebuli, & abſinthij ad ſuccorum conſumptionem. Similiter ex rebus emollientibus, aperientibus, & reſoluentibus fit decoctum,quo ſpongia, vel filtro foueatur venter, vt ℞.foliorum maluarum,violariæ,branchæ vrſinæ, parietariæ,abſinthij, camemali, meliloti, ana m.j. radicum altheæ, rubeæ tinctorum, & de capparis ana ℥.j. ſeminis aniſi,& fœniculi, & fœnugræci, ana ʒ.ij.ſcolopendrij,& agrimoniæ, ana m.j. coquantur omnia ex arte in debita quantitate aquæ ſufficienter,& decoctum ſeruetur ad vſum. Conueniens etiam eſt ſplenem, & totam ventris regionem linire oleo irino,& de capparis, in quo priùs ſint coctæ radices altheæ & cucumeris ſilueſtris, & ſemina apij, baccæ lauri, & nigella.

*Syrup. magiſtralis.*

*Curatio difficilis reſpirationis.*

Sed quia vehementer vrgebat reſpirandi difficultas,oportebat etiam huic ſubuenire ſymptomati: verùm cùm à flatibus craſſis initium habuiſſet,curauimus ipſos flatus diſſoluere, cui vſui prodeſſe poterant ea omnia à nobis connumerata; tamen ipsâ reſpirandi difficultate infeſtante,ſtatim aquam meliſſæ, & fœniculi calidam nimis offerebamus,& loco illius etiam aquam ſtillatitiam cinnamomi ex Mathiolo: item ea inſtillatio,quæ fit ex aniſo, & aqua vitæ, quam ſpiritum aniſi vocant, temperatam tamen aquâ meliſſæ, vel ceraſorum dulcium propter febrem.Extrinſecus etiam admouimus ventri inferiori cucurbitulas cum multa flamma, quæ inſtar incantamenti flatus diſſipare ſolent, vt docet Gal. *lib.* 12. *methi c.vltimo.* Sed quia iecur erat iam habitualiter intemperatum, & habebat intemperiem frigidam priuatiuè ſaltem, propter conſumptionem partium calidarum,quibus conſtruitur hepar,ex quarum defectu non poterat ſanguinem probè coctum gignere, imò verò humores craſſos, & frigidos generabat,qui his malis occaſionem præbebant, ex omnium conſenſu adhibuimus medicamenta roborantia moderatè calida, propter intemperiem calidam, qua iecur actu laborabat ratione febris. In quem vſum parauimus interiùs ea, quæ à nobis ſunt tradita, quæ cuilibet horum affectuum proficua exiſtimauimus. Exteriùs verò adhibuimus hoc vnguentum. ℞. olei abſinthij ℥.j. de ſpica, & roſarum,ana ℥. ß. pulu. triaſantali, aromatici roſarum,& diarrhod. Abb. ana ʒ.ß. vng. deoppilatiui pro hepate ℥.j. ceræ parum miſce, fiat linimentum. Fotum etiam adminiſtrauimus ex decocto abſinthij,vtriuſque ſpicæ,roſarum,aſplenij, camemali, & meliloti, vt ſic roboraretur, & vis ſanguificandi adiuuaretur,illiuſque deobſtrueretur ſubſtantia.

*Cucurbitarũ vtilitas.*

His adhibitis, & aliis, haudquaquam miſer æger meliùs ſe habuit,ſed quotidie deteriùs,donec tandem nimis grauato capite à vaporibus & humoribus,ſimulque ab eiſdem obſtructo, difficiliùs reſpirare cœpit, quouſque ſuffocatus interiit.

*An aliquis morbus à cauſis ſuperioris ordinis excitetur.*

Cùm huiuſmodi auxilia non ſufficerent, quæ maximè ſecundùm rationem adhibita proficere deberent, controuerſum fuit inter omnes, an aliquid naturæ ordinem ſuperans eſſet tantorum malorum cauſa. Quod autem plures morbi habeant cauſas altioris ordinis, docebimus *noſtro tract. de febribus*, ita vt ab Angelo bono, vel malo, imò & ab ipſo Deo Optimo, & Maximo originem capiant; nunc autem in examen venit,quomodo cognoſcantur? nam difficilè eſt diſcernere effectus magiæ ex pacto conuento, ab effectibus phyſicis, imò & à miraculoſis,& artificioſis: ea tamen interſtinguere docent plures, inter quos Caietanus *in ſumma, verbo Incantatio.* Victoria *de Magia, num.* 26. Bapt. Codronchus Medicus *lib.* 3. *de morbis veneficis, cap.* 13. Martinus del Rio *lib.* 2. *diſquiſitionum magicarum,quæſt.* 5. & *lib.* 6. *ſect.* 2. *quæſt.* 3. *cap.* 2. Cognoſcitur ergo primò, quod morbus non dependet ſolùm à cauſis naturalibus, iuxta naturæ legem operantibus, quando morbus naturalem cauſæ facultatem excedit, ita vt non habeat ſufficientem virtutem ad illum. Similiter dum Medici difficilè de morbo,& accidentibus iudicant, & ambigui ſunt, hucque, & illuc animo agitantur, nec aliquid certi pronuntiare audent, nec remedia ex arte adhibita morbum minuunt, imò quotidie magis exaſperatur, & augetur, accidentiaque ſæuiora fiunt,quæ creſcere videntur ſine manifeſta cauſa,ita vt licet accidentia ſint naturalibus ſimilia, in multis tamen euariant. Quidam Medicus remedium exigens pro quodam morbo, quo vehementer quotidie vexabatur ad me peruenit,qui patiebatur motus epilepticos totius corporis,& intrepidè ſine ſenſus amiſſione, neque loquelæ,aut viſus deperditione, velociter omnia ſua agitabat membra; & quod magis erat, poſt vehementem membrorum commotionem, nullam ſentiebat laſſitudinem,nec laborem,poſtea verò quietus permanens ſubitò arripiebatur, & velociter in hanc,& illam partem ferebatur,& totus concutiebatur ſecundum omnes ſuas partes; taleſque ſaltus,& corporis ſui conuolutiones faciebat, quales nunquam factas ab homine velociſſimo iudicaui: ad cuius curationem,conuocatis aliis ſociis,omnes conuenimus hunc ægrum pati accidentia morbi comitialis,ea tamen agitari, & commoueri interuentu

*Quibus ſignis dignoſcatur morbus iſte.*

uentu cauſæ altioris, quæ mouebat humores calidos, & acres, quibus æger abundabat (erat enim natura bilioſus, habitûs gracilis, & ſicci) & conducens eos ad neruos, & muſculos ſuâ mordacitate eaſdem irritabant partes, & excitabant motus illos inordinatos: & quia non mouebat eos ad caput, neque ad principium neruorum, ideò neque ſenſum amittebat, neque rationem; imò mente erat conſtans, & omnium, quæ illi eueniebant, reddebat rationem. Quapropter cùm talia ſymptomata in magnitudine, & modo fiendi excederent alia, quæ in hoc morbo quotidie concernimus, ægrum ad exorciſtam remiſimus, qui exorciſmis, & orationibus ab Eccleſia inſtitutis ad fugandos dæmones, ægrum abſolutè liberauit, & nunc dum hæc ſcribo, incolumis perſeuerat.

Neque eſt contra rationem, imò ab omnibus admittitur, quod ſi dæmon hominem vexat, & intra hominis corpus eſt aliquis humor reliquos ſuperans, illum humorem agitat, & mouet, morboſque producit ipſius humoris naturæ conformes: quare in melancholicis melancoliam morbum, aut inſaniam excitat; in his qui cruditatibus abundant, obſtructiones gignit, & conſequenter flatus, & prohibitâ ventilatione febres, & alios morbos, & accidentia ad febres conſequuta. Quia ergo in noſtro ægro aderant tot morbi, & ſymptomata, quæ excedere videbantur vim cauſarum naturalium, & medicamenta ritè adhibita nihil prorſus proficiebant, imò illis deteriùs ſe habebat, non mirum ſi Medici in cauſam altiorem hos reducerent effectus.

## CAPVT II.

### *De peripneumonia.*

*Quid ſit.* HIc affectus denominationem ſumit à parte, nempe à pulmone, vt ex Gal. conſtat 2. *methód. c.* 2. qui communiter ita definitur. *Peripneumonia eſt pulmonis inflammatio.* Quam definitionem ex Gal. accepimus 2. *de locis affect. cap.* 9. eamque tradit Paul. *lib.* 3. *cap.* 3. circa quam nulla eſt inter Authores diſſenſio. Vnde facilè conſtat, eſſe morbum compoſitionis cum intemperie calida, & continui ſolutione, vt de aliis inflammationibus dicere ſolemus.

*Cauſa peripnumoniæ.* Dubitant tamen Authores, an huiuſmodi inflammatio fiat ab omnibus humoribus? Siquidem Galenus videtur tantùm admittere pituitam, vt cauſam effectiuam illius, 4. *de cauſis pulſuum, c.* 12. dicens: *Cùm enim molle, laxum, tenueque membrum pulmo ſit, à craſſiori, pituitoſiorique ſanguine inflammatur; ſiquidem ſubtilis, bilioſuſque fuit ferè, nec cum viſcere vlla ratione cohæreſcere poteſt.* Vbi rationem affert, ob quam à pituita tantùm fiat; nam humor bilioſus, quia tenuis, non detinetur intra poros, & cauitates pulmonis, faciléque dilabitur: pituitoſus tamen ob eius craſſitiem, & lentorem pulmoni adhæret, & ſic à pituita, & non à bile excitari poteſt.

Sed reuerà illo loco Galenus tantùm aſſignat cauſam frequentiorem, neque ibi negat fieri poſſe à bile, vt indicat illa particula *ferè*, quæ non negat vniuerſaliter, ſed indicat maiori ex parte fieri à pituita.

Quod verò fiat à bile, docuit Galenus 2. *de locis affect. cap. iam citato*, vbi ait: *Qui etiam calidam ſentiunt reſpirationem, idque maximè ſi eriſypelatis particeps fuerit inflammatio.* Cùm ergo eriſypelas à bile ortum ducat, fateri cogimur ex Galeni do-

A ctrina, bilem eſſe poſſe huius morbi cauſam; quod confirmat Paulus, inquiens: *Cùm verò ſigna ad æſtum flagrantiorem declinare videntur, pulmonis inflammatio eriſypelatis naturam recipiens ſubeſſe exiſtimabitur.* Quod etiam probatu non eſt difficile, ſiquidem plures bilis ſpecies dantur, non ſolùm ſubtiles, & tenues, ſed etiam craſſæ, à quibus pulmonis inflammatio ſuboriri poteſt; nam bilis vitellina, praſina, & æruginoſa habent craſſam conſiſtentiam, ratione cuius poterunt adhærere pulmoni, & in illius poris imbibi, & hunc morbum gignere, ita vt accidentia referant naturam humoris bilioſi. Neque dubium eſt, hunc affectum dependere poſſe ab omnibus humoribus, vt docet Auic. dicens: *Et peripneumonia quidem fit ab omni humore, verùm plurimùm eius fit à phlegmate, quoniam in membro raro raro continetur humor ſubtilis.*

B Ex his depromitur, quod inflammatio in præſenti non ſumitur in rigore pro vera inflammatione, quæ ſemper fit ex ſanguine, ſed ſumitur pro tumore calido præternaturaliter, à quacumque cauſa fiat; cum hoc tamen frequentiùs fit ex ſanguine pituitoſo putreſcente, vt ſupra traditum eſt.

Iſte morbus excitari ſolet per ſe, nullo alio morbo præcedente; quandoque etiam fit præcedentibus aliis, qui in hunc morbum tranſmutantur, vt patet de angina, quæ humore ad pulmonem defluente in hunc morbum migrare ſolet, ex Hipp. 5. *aphoriſm. text.* 10. vbi ait: *Quicunque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur, &c.* Et de pleuritide idem ſcribit 7. *aphoriſmor. text.* 11. dicens: *A morbo laterali pulmonis inflammatio, malum.* Idem confirmat Auicen. qui etiam aſſerit, pulmonis

C inflammationem quandoque permutari in pleureſim; quod quidem raró euenire exiſtimo, quia via ad exitum, & expulſionem humoris amplior eſt aſpera arteria, & commodior, & ſic faciliùs per illam excernitur humor, quin efficiat pleureſim.

Huius morbi ſigna refert Galenus 2. *de locis affect. cap.* 9. & 4. *de locis, cap.* 8. Quando enim cum ſpirandi difficultate, cui anguſtia, & grauitas coniuncta eſt, acuta quoque febris inciderit, is affectus pulmonis inflammatio eſt. At ſi intolerabile fuerit incendium, anguſtiæ verò grauitatiſque ſenſus minor, eriſypelas ipſum vexare cenſendum eſt. Quibus addunt Paulus & Auic. maxillarum rubedinem, quæ ſe habet vt ſignum pathognomonicum huius morbi; cùm enim vapores calidi ad faciem aſcendant, ab illis genæ ruborem contrahunt magis adhuc quàm in aliis morbis: ſunt quidem maxillæ magis raræ, & ſpongioſæ quàm cæteræ partes faciei, ac per conſequens aptiores ad recipien- *Signa.*

D dos vapores calidos, à quibus ita repletur facies, vt inquit Auic. vt oculorum grauitas, & venarum repletio inſurgat. Adeſt etiam in pectore ingens ardor, ratione cuius ſpiritus calidus exſufflatur, & eum frigidum ſpirare cupiunt, quo magis quàm frigidæ potu delectantur: quibus adiungitur grauitatis ſenſus, non quia pulmo ſit ſenſus particeps, ſed ob membranam illum inuoluentem, quam ipſa inflammatio grauat.

Pulmo enim nullum recipit neruum, per quem ſentiendi virtus illi communicetur, vt docet Galenus 4. *de locis affect. cap.* 5. neque nerui attingunt pulmonis ſubſtantiam, ſed per membranam illi adiacentem ſunt diſperſi: procedente verò morbo naſus fit acutus, appetitus deiicitur, ſitis ad augetur, lingua fit ſcabra, aut nigra, præcipuè ſi inflammatio referat naturam eriſypelatis; quibus adiungitur delirium, vt docet Hipp. *de diebus indicatoriis, circa finem.*

Præte

Præterea humorem peccantem ex colore ſputi, & linguæ inuenire poteris; lingua enim lotium ſignificat, nam lingua flaua bilem, rubra ſanguinem, nigra atram bilem, alba pituitam, arida fuliginoſam vſtionem demonſtrat, vt docet etiam Hipp. 6. *epidim. ſect.* 5. *textu* 13.

*Præſagium.* Si circa initia ſputum appareat, morbum breuiat; ſi verò poſtea appareat, morbum producit, vt aſſerit Hippoc. 1. *aphoriſm. text.* 12. Quicumque etiam ſanguinem ſpumoſum exſpuunt, iis ex pulmone eductio fit, ex Hipp. 5. *aphor. textu* 9. vbi Galen. *in comm.* aſſerit, quod ſi ſputum exeat ſpumoſum, & non cruentum, tale ſputum ſignificat pati pulmonem ſecundùm ſubſtantiam: quod ſi ſputum ſit cruentum, patitur ſecundùm vaſa. Quæ doctrina deſeruit maximè ad cognitionem partis affectæ ipſius pulmonis. Præterea in omnibus morbis circa pulmonem, & circa coſtas ſputum oportet citò, & facilè ſpui, & permiſtum apparere flauum valdè ſputo, vt oſtendit Hippocrat. 2. *prognoſt.* Sputum rotundum, flauum, glutinoſum, viride, & nigrum, mortem aut morbi longitudinem denunciat, vt ibi Hippoc. inſinuat, præcipuè ſi ſuccedant vigiliæ, extremorum frigiditates, & ipſorum liuor.

## §. Vnicvs.

### *Curatio peripneumoniæ.*

IN huius morbi curatione victus debet eſſe tenuis, vt ptiſana amygdalatum. A principio confert butyrum recens, vt refert Paulus; nam ad ſputum ſcreandum eſt vtile. Celſus aquam mulſam commendat, quam magis in hoc morbo à craſſo humore procedente conuenire iudico. Tranſactis quatuor aut quinque diebus, conducunt iura pulli, aut gallinæ, cum cremore hordei, & poma aſſa cum ſaccharo, & oua ſorbilia. Procedente verò tempore, cum facilè exſpuant, & multùm, ſorbitionis quantitatem adaugere oportet, ex Hippoc. 1. *de ratione victus, textu* 22. Potus ſit aqua hordei ſaccharata, prunorum, aut liquiritiæ. Aër ſit temperatus, & ad frigus magis declinans. Aluus ſi ægrè reſpondet, clyſteribus eſt ducenda. Deinde ſi iſte morbus fiat præcedente alio, vires conſiderandæ ſunt ad ſanguinis miſſionem; nam ſi ex vi morbi præteriti vires ſunt amiſſæ, nequaquam ſanguinem detrahes, ſed ad clyſterum vſum te conuertes, vt conſulunt Paulus, & alij. Thoraci, & lateribus cucurbitulas ſcarificatas admouebis. Verùm ſi vires conſtare videantur, ſanguinem mittere expedit ex brachiis, & ex vena baſilica, moxque ad cucurbitarum vſum deuenire oportebit. Pectori emplaſtra aut vnguenta admouebis, quæ pectus leniunt, & ſputum mouent, quæ ſic confici poſſunt. ℞. olei irini, camem. & amygd. dulc. ana ℥. j. butyri vaccini, axungiæ gallinæ, & anatis, ana ℥. ß. pulueris iridis ſiccæ ʒ. j. ß. ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum, vel linimentum. Vel ℞. farinæ fœnugræci, & ſeminis lini, ana ℥. ij. radicum, & foliorum altheæ coctorum, & contuſorum, ana m. j. olei camem. & amygdal. amararum, & anethini, ana ℥. j. butyri vaccini, & œſipi liquidi, ana ℥. j. pulu. radicis iridis ʒ. ij. miſceantur cum aqua mulſa, aut cum cepa, & fiat cataplaſma. Prodeſt etiam vnguentum pleuriticum, & filij Zachariæ, vel medicamentum ex cera, reſina, terebinthina, medulla ceruina, butyro, œſipo humido & iride ſicca tenuiſſimè trita compoſitum, quod adducunt Paul. & Aët. Huius morbi auxilia efficaciora ſunt, quàm ea quæ in pleuritidis curatione adhibentur, quoniam in hoc morbo humor eſt magis tenax, & craſſus quàm in pleuritide; quapropter magis extenuantia competunt.

Sed quia hæc non ſufficiunt, interim dum hæc fiunt, humorem præparabis, vt faciliùs tuſſi educatur iis, quæ vim habent attenuandi, ſi humor craſſus ſit, vt frequenter euenit; ſicut ſi humor tenuis ſit, ipſum incraſſabis, & ad mediocritatem reduces, vt monet Galen. 4. *de locis affectis, c.* 8. ad quod conducunt ſyrupus capill. Ven. liquiritiæ, violarum, de praſio, de iuiubis, aut ficuum decoctum cum hyſſopo, vt docet Paulus. Sub lingua detineat æger mel in paſtillos redactum, cui in decoquendo inſperſa ſint hyſſopum, & calamintha quamtenuiſſimè trita, ex Aëtij conſilio. Alia eclegmata adducere poteram, quorum copiam capite de pluritide, & aſthmate requires. Quod ſi purgandi occaſio ſe obtulerit, manna, aut caſſiæ pulpa, vel diacatholic. & ſyrupo ex nouem in fuſionibus violarum, cum decocto pectorali humorem expurgabis. Solet quandoque pulmonis inflammatio in ſuppurationem verti, quod docet agnoſcere Hippoc. 2. *progn. text.* 52. ex dolore grauante, qui remediis non ſedatur, videlicet neque ſcreatione, neque ventris ſubductione, neque venæ inciſione, aut victus ratione, neque febris ceſſat. Si enim talia adſint, certum, eſt quod humor ſuppuratur, cuius curationem ſcriptam inuenies capite de pleuritide.

## CAPVT III.

### *De ſanguinis ſputo.*

APud Medicos receptum eſt agere de ſanguinis reiectatione, dum de morbis thoracis ſermonem inſtituunt, eo quod initium ſumit multoties ex morbis pulmonis, & pectoris, quamuis ab aliis partibus originem trahere poſſit, & ideò eorundem ordinem inſequentes, de eo hîc agere decreuimus. Pro quo aduerte ex Celio Aureliano *lib.* 2. *tardarum paſſionum, c.* 9. quod ſputum differt à ſanguinis fluore, ita vt fluor ſanguinis ſputum dici non poſſit; nam ſputum refert paruæ materiæ ſignificationem, fluor verò plurimæ, vt quando ex gingiuis, aut ore parua ſanguinis quantitas educitur, dicitur ſputum, & è contrario quando copia ſanguinis excernitur, dicitur fluor. Quam doctrinam ſequuntur Donatus Anton. *de medendis corporis malis, c.* 49. & Petrus Garcia *de locis affect. diſp.* 4. *c.* 1. Eſt itaque ſputum ſanguinis crebra, & parua expulſio voluntariè producta; per quod differt à fluore, qui ſæpè non fit voluntariè, neque in parua quantitate excernitur. *Sputum ſanguinis, & fluor illius diſtinguuntur.*

Læditur in hoc affectu actio facultatis retentricis, quæ diminutè operatur, ſiquidem non retinet quod retinere debebat. Similiter actio virtutis expultricis vitiatur, & deprauatè operatur; ſiquidem excernit, quod non excernere debebat, & inſurgit ſymptoma in eis, quæ excernuntur præter naturam; imò frequentiùs accidit, quod læsâ vnâ ex his facultatibus, alteri læſio impartiatur. Quod expreſsè docet Galenus 5. *de locis affect. cap. vltimo*, dicens: *Igitur quemadmodum retentrix facultas cùm imbecillior eſt, aërem, quæ ipſam grauat, retinere non valet, vis expultrix id quod moleſtat, euacuat; ita infirma expultrice, res quædam retineri ſolent, facultate retentrice non admodum grauatâ.* Ex quibus colligitur, quod ex læſione *Quæ actio lædatur.*

læſione vnius facultatis inſurgit in alia actionis propriæ læſio.

Sed cùm omnis actio læſa præſupponat morbum, oportet etiam agnoſcere quis morbus ſit, à quo talis actionis læſio reſultat. Fernelius 1. *de morb. different. cap.*9. aſſerit hunc morbum ſemper fieri à ſolutione continui.

Sed quia hoc non eſt neceſſarium, cùm venarum pori,& oſcula poſſint dilatari, & aperiri ſine tali ſolutione; ideò exiſtimo non ſemper eſſe reducendum ad illam, niſi nomine ſolutionis continui intelligamus etiam ſolutionem contigui. Itaque ſi ſanguis prodeat ex venis ruptis, aut eroſis, tunc morbus neceſſariò in ſolutione continui eſt collocandus; ſi verò ſudoris modo ſit tranſmiſſus, vaſis adapertis, & reſeratis, talis morbus eſt in via aut cauitate, vt deſumitur ex Galeno 5. *methodi, capite* 2. & 4. *de locis affect. cap.*5. & *de differentiis ſympt. cap. vltimo*; vbi ait, quod quiuis ſanguinis fluxus ex quauis parte fiat, fit aut reſerato venarum, aut arteriarum ore, aut vaſe vulnerato, vel prærupto, vel ab humoribus mordacibus ſanguinis vaſe eroſo. Vbi tres affectiones conſtituit, quibus poteſt ſanguis è vaſis fluere; per anoſtomoſin, id eſt apertionem oſculorum vaſorum; per diapedeſin, id eſt tranſcolationem, ſudoris modò tranſmiſſus; per dierefin, id eſt per vulnerationem, & ruptionem, à quacumque cauſa fiant: & ne idem plurie s repetamus, lege caput de ſanguinis è naribus fluxu, vbi hæc diffuſiùs pertractauimus, & ſanguinis effuſionis omnes cauſas complexi ſumus.

*Signa.* Sed quia plures ſunt partes, ex quibus ſanguis dimanare poteſt, neceſſariò pro qualibet parte, à qua profluit, ſigna ſunt adducenda, vt omnia diſtinctè comprehendantur. *Signa ſanguinis ex ventriculo, & pectore.* Si enim ex ventriculo, & gula procedat, vomitu educitur; ſi verò ex aſpera arteria, & pectore, tuſſi; ex faucibus, & gurgulione, ſcreatione; ex ore tandem, & gingiuis, ſimplici exſpuitione excernitur. Sed cùm iſte ſanguis, licèt tuſſi excernatur, à variis pectoris partibus, & ab aliis membris in aſperam arteriam confluere poſſit, oportet quammaximè membrum læſum percipere, vt inde ſciamus, cui parti ſunt admonenda remedia.

*Signa ſanguinis fluentis ex capite.* Aliquando enim ſanguis è capite diſtillat, & tuſſi eiicitur, vt oſtendit Galen. 4. *de locis affectis, cap.*5. quia ſanguis ſubitò gutturi irruens tuſſim mouet: quod docet cognoſcere Auic. ex dolore capitis præcedente, & grauitate illius, quæ ſubſequuta tuſſi, & ſanguinis ſputo auferri ſolent. Præterea ſanguinem dimanare à iecore, vel liene, & aliis partibus percipies ex ipſarum etiam dolore, tumore, & grauitate in ipſis partibus, aut iuxta illas; nam quamuis iſtæ partes per infernam aluum meliùs humores excernant, & per vrinam, nihilominus credendum eſt, ad ſuperiora poſſe retrudere, & per tuſſim, aut vomitum illos ad extrà pellere; quod quidem claret in fluxu ſanguinis narium, qui maximè prodeſſe ſolet in morbis iecoris, & lienis. Quæ doctrina communis eſt, eamque inſinuat Auic. *fen.* 10. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.*4. & Aretheus 2. *de cauſis, & ſignis morborum acutorum, cap.* 2.

*Signa ſanguinis ex gutture, & pulmone.* Cùm ſanguis tuſſi educitur ex pulmone, pectore, & aſpera arteria, dignoſcitur pars affecta ex modo exeundi ſanguinis, ex ſubſtantiæ modo, ex illius quantitate, & colore. Si enim ſanguis exeat cum tuſſi parua, & in parua quantitate, pars affecta eſt ſputo propinqua; ſi verò cum tuſſi plurima, & vehementi, pars affecta eſt loginqua, & quantò longinquior, tantò cum tuſſi vehementiori exſpuitur; nam maiori vi indiget quod truditur à diſtantiſſimis partibus, quàm quod à propinquioribus expellitur. Itaque ſi ex aſpera arteria exeat ſanguis, leui tuſsi ſputum excernitur; ſi ex pulmone, adhuc maiori; ex alia verò parte profundiori vehementiorem tuſſim requirit: hac tamen diſtinctione adhibita, quod in aliis partibus dolor ſentiri ſolet, pulmonis verò vlcera dolor non comitatur, eo quod eſt membrum inſenſibile, vt docet Gal. 4. *de locis affectis, cap.*8. Cognoſcitur etiam pulmonem pati ex ſpumoſo ſputo, vt aſſerit Hippoc. 5. *aphoriſmorum, text.*9. & Gal. 4. *de locis, citato cap.*5. dum ait: *Quocirca diligenter conſiderare oportet, an ſpumoſum quidpiam ſimul educatur; id enim efficaciſſimum fuerit indicium, quod ex pulmone facta ſit excretio.* Et ratio eſt, nam cùm pulmonis ſubſtantia ſpumoſa ſit, ſanguis ad illam perueniens pulmonis qualitates adquirens, vt ex eo pulmo nutriatur, ſpumoſus etiam redditur.

*Obiectio.* Sed inſtabis ex Auic. dum de huius affectus ſignis agit. Quandoque expellunt ſpumoſum pleuritici, & peripneumonici: ergo ex ſpumoſo ſputo non diſtinguitur affectus pulmonis à pleuritide.

*Reſponſio.* Reſpondet Petr. Garc. quod ſputum ex pulmone eſt ſicut ſpuma; ſputum verò ex pleuritide, ſpumoſum dicitur, quia habet aliquid ſpumæ admiſtum. Nos tamen addimus, quod ſputum ſpumoſum non eſt per ſe ita proprium ſignum vlceris pulmonis, vt aliis non poſſit etiam conuenire; ſed quia pulmo eſt quaſi ſpuma, frequentiùs ſputum in affectibus pulmonis refert ſpumæ naturam, quàm in aliis. Neque ſemper ſequitur, quod ſputum ſpumoſum exeat ex pulmonis vlcere, vt docet Gal. 5. *aphor. comm.* 13. vbi aſſerit, quod ſi rumpatur aliquod vas pulmonis, exit ſanguis ruber, vt ſiquis cadat ex alto, aut in palæſtra ſit percuſſus, aut ſuper thoracem inciderit, ſanguinem coloratum plurimum, & non ſpumoſum cum tuſſi, & ſine dolore exſpuit, quem ratio dictat ex aliquo ſanguinis vaſe prodire; quo tempore habet locum alterum ſignum ex dolore deſumptum, quo caret pulmo, ex cuius defectu, & aliorum ſignorum præſentia coniecturâ aſſequimur, pulmonem pati, quòd ſi ſimul aliquam pulmonis particulam eiecerit æger, vt bronchium, membranam, aut carunculam, maius & certiùs indicium præbet pulmonis affecti, quod euenire ſolet ex ruptione, & eroſione.

Quod ſi ſanguis exeat ex thorace primariò affecto, ſigna refert Gal. 4. *de locis proximè citato*, ſic inquiens: *Cùm igitur dolente thoracis parte quapiam, ſanguinem quis ſpuendo reiecerit, neque multum, neque rubrum, ſed nigricantem, grumoſumque, huic thorax primariâ affectione infeſtatur.* Itaque ſi ſanguis ex thorace exiit, amittit colorem rubrum, & nigrum comparat; & cum ex ſua natura ſit corpus fluidum, coagulatur, & in grumos concreſcit, & in pectore ſentitur dolor, qui indicat partem, in qua eſt ægritudo, vt inquit Auic. à cauſa morbum efficiente excitatur. *Cur ſanguis grumeſcit.* Fit ſanguis grumoſus (vt ipſe etiam teſtatur) propter longitudinem ſpatij, quod pertranſit. Sed quam ob cauſam ſpatij longitudo cauſat nigredinem, & ſanguinis concretionem, explicuit Gentilis *fen.* 10. *tr.* 3. *lib.* 3. *c.* 5. dum ait: *Quia per longam tranſit viam, in mora ſanguis de ſuo deperdit calido naturali, quo tenebatur magis liquidum, & lucidum; fit autem iſta coagulatio inter pectus, & pulmonem.*

*Obiectio.* Sed obiicies: Coagulatio, & concretio rei calidæ fit à frigore, vt deſumitur ex Ariſt. 4. *meteororum*, & omnes confitentur; ſed illud ſpatium eſt calidum; ergo in illo non poteſt fieri coagulatio, nec cócretio ſanguinis, ſed potiùs ab illius calore debebat liquari.

*Reſponſio.* Reſpondetur, quod non quilibet caloris gradus

dus poteſt liquare, & fundere ſanguinem, etiamſi calor prædominet; & quia in pectore non eſt tam intenſus gradus caloris, ſicut in vaſis, à quibus exit ſanguis, ideò ibi à remiſſiori gradu caloris concreſcit. Ad quod intelligendum eſt appoſitiſſimum exemplum in aqua feruente, quæ ob intenſum calorem ignis liquatur, & in vapores conuertitur: qui vapores cùm detinentur in operculo vaſis, in quo feruet aqua, ſtatim concreſcunt, & in aquam conuertuntur, licèt operculum calidum ſit à prædominio; ad quod maximè iuuat cuiuſque rei quæ concreſcit diſpoſitio ex parte materiæ: quam ob cauſam cùm ſanguis amittat proprias qualitates, & nouum ſubſtantiæ modum comparet, ita etiam diuerſum colorem ad nigredinem vergentem acquirit.

*Dubium.* Sed reſtat examinare, per quam viam ſanguis è pectore ad aſperam arteriam deuenit, vt ſic tuſſi eiiciatur. Hanc dubitationem abſoluit Galenus 4. *de locis affectis, cap.* 5. & 5. *de locis affectis, cap.* 3. dum aſſerit, quod ſanguis in thoracis cauitate exiſtens per pulmonem educitur tuſſi, & compreſſione thoracis, ad quam requiritur virium robur, ex cuius defectu plures ſolent interire, cùm ſanguinem, nec pus excernere poſſent. Sed nondum manet ſoluta dubitatio, cùm à pectore ad aſperam arteriam nulla ſit via manifeſta, per quam ad os ſanguis peruenire poſſit. Quapropter Gentilis inquit, quod ſanguinem grumoſum natura ſagaciſſima in minimas partes diuidit, & pectoris compreſſione expellit: quod ſi in pectore tempore ſufficienti non detineantur, vt poſſit in grumos conuerti, citiùs expellitur, & ad guttur perueniens vna pars minima ſanguinis obuiat alteri, & grumeſcit, tuſſique educitur; & licet nulla via appareat, per quam poſſit excerni, pulmo tamen eſt ſpumoſus, & rarus, ad recipiendum paratus, qui ſanguinem recipit, & ad ſpongiæ modum in aſperam arteriam exprimit, neque alium modum, quo ſanguis expellatur, inuenire poſſumus.

*Praſagium.* Quantum ad prognoſticum ſpectat, nulla ſanguinis euacuatio facta ſurſum eſt bona, dicente Hipp. 4. *aphor. textu* 25. vbi Galen. inquit, quod nulla euacuatio ſanguinis facta per os eſt bona; excipit enim ſanguinis fluxum è naribus. Quæ ſententia non eſt vniuerſalis, ſed eſt in plurimum vera, cùm ipſe Hipp. aſſerat 7. *aphor. textu* 37. quod quicumque euomunt ſanguinem ſine febre, eſt ſalutare; ſi verò cum febre, malum. A ſanguinis etiam ſputo purulentum ſputum malum eſt, ex Hipp. 7. *aphor. textu* 15. & ſi ſanguinis euacuatio fiat eroſis vaſis, difficilis eſt curationis, quia per illam deperditur aliqua portio ſubſtantiæ vaſorum, quæ difficilè reproducitur; ad quam ſequi ſolent maximi ſanguinis fluxus, qui præſentaneam mortem inferunt, vt docet Paulus. Verùm ſi ex pulmone exeat ſanguis, periculoſum eſt valdè; ex thorace verò non ita periculo plenum. Ex capite verò, aut gingiuis fluens ſanguis faciliùs curatur. Similiter qui euomitione reiicitur, faciliùs auſertur, quàm qui ex ſpiritalibus membris.

## §. I.

### *Curatio ſputi ſanguinis.*

QVia frigidi proprium eſt conſtringere, & conſtipare, ſubſtantiamque immobilem reddere; ideo aër in huius morbi curatione ad frigidum declinare debet. Alimenta etiam ſint frigida, & adſtringentia, & vim emplaſtricam habentia, quæ etiam vias obſtruendo, ſanguinis exitum impediant

A quæ in parua quantitate aſſumantur, vt natura ob alimenti defectum ſanguinem intra propria conceptacula retineat ad eius nutritionem. Huius generis ſunt ptiſana, amylum oryza, mala citonea, & pira aſſata, aut eorundem conſerua, caro pulli, aut gallinæ, turdorum, perdicum, ac reliquarum auium montanarum aſſa, aut ius pulli, vel gallinæ, in quo ſint decocta mala citonea, aut oryzum toſtum, oua tremula, mali punici grana, poma auſtera, meſpilli, ſorbæ, & alia huiuſmodi. Potus ſit aqua pluuialis, maſtichina, aut chalybeata, aut vinum rubrum, & adſtringens. Sed quia à pluribus partibus ſanguis dimanare poteſt, & à diuerſis cauſis, vt dictum eſt; ideò ſigillatim de cuiuſlibet curatione eſt agendum.

Si ergo à capite, gingiuis, aut ore ſpuatur ſanguis, præſente plet hora, ſtatim eſt euacuandus ex vena communi, & per interualla ſanguis eſt ducendus, deinde depoſitâ plenitudine, ex cephalica illum B detrahes, vt docet Galen. 5. *methodi, c.* 3. In mulieribus verò, quibus ſanguis méſtruus eſt ſuppreſſus, ex talo venam inſcindes, deinde ad brachiorum venas te conuertes. Quod ſi hæc non ſufficiant, cucurbitulis vteris, balneis, frictionibus, & ligaturis partium extremarum; deinde vtatur collutionibus, & gargariſmate ex ſucco portulacæ, aut decocto eiuſdem, & polygonij, balauſtiorum, & ſumach in aqua pluuiali, admiſtis puluer ibus boli Armeni, & terræ ſigillatæ; ſorbeatque per nares (ſi à capite deſcendat ſanguis) ſuccum portulacæ, vel decoctum roſarum, myrti, & plantaginis, aut ſuccum menthæ. Prohibendæque ſunt loquutiones, & capitis motiones, paſſioneſque animi euitandæ, præſertim ira. Conueniunt etiam irrigationes capitis, & faciei ex aqua frigida, aut aqua, & aceto; frigido enim eſt C vtendum in his, vnde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, ex Hipp. 5. *aphoriſm. text.* 23. Fronti, & temporibus, & collo ſunt adhibenda albumina ouorum cum puluere ſanguinis draconis, aut acetum cum aqua roſarum, & portulacæ, & puluere boli armeni, roſarum, & myrti. Conuenit etiam cucurbita occipitio affixa, præcipuè ſi malum inueteraſcit, vt docet Paulus. Confert emplaſtrum in fluore ſanguinis, aut diſtillatione à capite ex tapſia, aut ex ſtercore columbino, vt ſuo calore ad extra humorem reuocet, & reſoluat. Tralianus *lib.* 7. *c.* 1. damnat Galeni ſententiam, & vſum oxyrrhodini, & refrigerantium commendat. Vtramque curationem admittit Vega; nam etiam refrigerantia humorem incraſſant, ſanguiniſque motum compeſcunt, & ſic vtraque viâ procedere poſſumus.

*Curatio ſputi ſanguinis ex capite, gingiuis, & ore.*

Si vomitu reiiciatur ſanguis, ſtatim eſt extrahendus ex baſilica, vt reuellatur, & euacuetur. Quod ſi coniectura aſſequimur, quod iecur eſt pars D mandans, ex brachio dextro; ſi verò lien, ex ſiniſtro ſanguinem detrahes. Vtendum præterea eſt reuulſionibus, cucurbitulis, frictioibus, & ligaturis, vt ſuprà dictum eſt; quod præceptum eſt vniuerſale ad omnem ſanguinis fluxum ſiſtendum, vt deducitur ex Galeno 5. *methodi.* Supra partem etiam mandantem cucurbitula appoſita iuuat, & eſt reuulſio ad originem, eamque commendat Gal. *lib.* 5. *methodi, citato c.* 3. & ad maiorem reuulſionem Auic. iubet ſanguinem mittere ex ſaphœnis, quæ euacuatio in principio vt reuulſoria non improbatur. Conueniunt præterea ea, quæ diximus pro curatione fluxus ſanguinis narium per os aſſumpta, quæ breuitatis cauſa nunc relinquimus. Sed quia in ventriculo facilè ſanguis concreſcit, & praua admodum ſymptomata conciat, & animi deliquia, oportet coagulatum ſanguinem excernere, & coagulationem impedire; quod quidem benè facit acetum mulſum, aut ℈.j. coaguli

*Curatio ſputi ſanguinis ex ventriculo.*

coaguli leporis in aceto mulſo aſſumptus, aut poſca tepida, aut theriaca in aqua mulſa, vel oxymel ſimplex in thymi decocto.

Verùm ſi è pulmone ſanguis reiiciatur, ſi fiat ob diſtillationem ex capite, curabimus vt ſuprà tetigimus. Si verò à plenitudine, ſeu vaſorum eroſione, caſu, vociferatione, aut frigiditate vaſa diſrumpente, aliáve cauſa procedat, ſtatim eſt ſanguis euacuandus, vt iam dictum eſt, & alia reuulſoria auxilia ſunt admouenda. Sed quia in pectore facilè ſanguis concreſcit, aſſumat æger poſcam tepidam, vt diximus pro curatione ſanguinis concreti in ventriculo.

*Curatio ſputi ſanguinis ex pulmone.*

Sed quia remedia adſtringentia, & emplaſtrica ob eorum craſſitiem non poſſunt ad pectoris regionem peruenire, ideo Galenus 4. *methodi, cap. vltimo* conſulit, vt iis, quæ thoracis, & pulmonis vlceribus ſunt deſtinata, mel admiſcatur, vt citiùs, & faciliùs penetrent; nam ſi craſſa, & agglutinantia, ſeu adſtringentia tantùm ſunt, ventriculo, & gulæ adhærebunt, pulmoni verò, & thoraci nullum præſtabunt commodum. Vnde infertur, quod à poſitione partium indicatio ſumitur; & quia gula eſt ori propinqua, ſi è gula ſanguis prodeat, paulatim, nec tota ſimul, & aſſiduè ſunt aſſumenda medicamenta, vt iuxta partem poſſint detineri, quæ craſſiora debent eſſe, vt illi adhæreſcere poſſint. Eadem etiam conferunt, ſi à ventriculo exeat ſanguis; nam craſſum, & lentum medicamentum diutiùs ibi immoratur. Similiter ſi vlcus ſit in aſpera arteria, ſupinus æger quamdiutiſſimè medicamentum in ore teneat, ac omnes muſculos, qui ibi ſunt, relaxare intendat. Sic enim, inquit Galenus *loco proximè citato*, aliquid medicamenti ſenſim, & paulatim influit in aſperam arteriam cauendum tamen eſt, ne largè influat; nam ſic excitabit tuſſim.

*Purgatio quo caſu conueniat.*

Sed quia in exeſione, & eroſione vaſorum dictis auxiliis ſanguinis fluxus non ceſſat, niſi humor erodens euacuetur; ideo ipſum euacuabimus iis, quæ ſimul vim habeant corroborandi. Et quia humor frequenter eſt bilioſus, conducit potio, quæ recipit rhabarb. & corticum mirobal. citrinorum, ana ʒ.ß. ſyrup. roſarum perſic. & ex nouem infuſionibus ℥.iij. aquæ portulacæ ℥.ij.ß. Vel ℞. rhab. parum toſti ʒ.j. abluatur aquâ capitum roſarum; ſyrup. Regij ℥.iij. decocti Pugini ℥.ij.ß. Conducit etiam conſerua roſarum cum rhabarbari, & foliorum ſennæ puluere. His ſic habitis, ſi vena eſt rupta, agglutinantibus eſt vtendum, ſi verò eroſa, adſtringentibus, & obturantibus: quæ quia eandem videntur habere naturam, vt docet Gal. 7. *de compoſ. medic. ſecundùm locos, cap.* 4. ideò plurima adducemus remedia, quibus pro neceſſitate, & vſus indigentia vtatur æger.

*Quæ peros ſumenda.*

In primis ergo conferunt portulaca commanducata, & potentior eſt ſuccus eius epotus, ex Paulo, aut lapidis hæmatites puluis ſubtilis, quantitate ℈.j. cum ſucco mali punici, vel polygonij, & conſerua roſarum antiquarum, cum puluere boli armeni, terræ ſigillatæ, margarit. præparat. aut vtriuſque coralli; vel tunica, quæ ſubeſt putamini glandis cocta, & quercûs membrana cortici ſubiecta. Valent etiam ſyrup. myrtinus, citoneorum, roſarum ſiccarum, cum aquis portulacæ, plantag. & ſanguinariæ, & ſupradictis pulueribus; aut loch quod recipit conſeruæ roſarum antiquarum, & citoneorum, ana ℥.ß. pulueris maſtichis, coralli præp. marg. præp. trochiſc. de terra ſigillata, & de ſuccino, ana ℈.j. ſyrupi myrtillorum, & roſarum ana ℥.i. miſ. & cum aqua deaureata, vel chalybeata fiat loch. Quod ſi morbis thoracis, aut pulmonis adminiſtretur, illi addes quæ partem affectam reſpiciant, vt gummi arabicum, vel tragacantum, cum ſucco liquiritiæ, & pauco melle. Trochiſci de karabe in aqua portulacæ potenter ſanguinis fluxum coercent. Quod conficitur ex viperis medicamentum, circiter quatuor menſes ante confectum, cum ſyrupo aliquo adſtringenti, & aqua chalybeata ante ſomnum ſumptum iuuat. Similiter & philonium, vt præcipit Galen. 5. *method. c.* 5. *&* 13. Poſſumus etiam ſyrupum conficere ex ſuccis plantag. ſcabioſæ, pimpinellæ, vngulæ cabalinæ, ſanguinariæ aut eorundem decocto, & ſaccharo, qui aſſumi poteſt cum puluere cornu cerui vſti, lapidis hæmatitis, & boli armeni. Alimentis item admiſcetur electuarium diarrhod. Abb. diamargar. frigid. trochiſci de terra ſigillata, & vterque corallus præparat. Lac etiam, in quo chalybs, aut parui lapilli ſuccenſi extinguntur cum amylo feruefactum, & cum aliquo puluere ex ſupra dictis mirificè ſanguinis impetum ſiſtit. Hæc catapotia conferunt in omnis ſanguinis ſputo, præſertim ad eos, qui ſanguinem ex faucibus, aſpera arteria, pulmone, & pectore reiiciunt. ℞. gummi, acatiæ, ſing. ʒ.j. aluminis ʒ.iiij. decocto citoneorum excipito, fingitoque catapotia, & ſub lingua tenenda dato, ex Traliano, qui aſſerit, quod ſi lapis hæmatites in tenuiſſimum puluerem redigatur, & in panniculo lineo ſit impoſitus, & diligenter vndequaque conſtrictus, colligatuſque, in poculo, quod vinum odoratum modicum haberet, per noctem ſuſpendatur: ſi quotidie ex illo vino bibat æger, ſanitatem recuperare viſus eſt, de quo ipſe periculum fecit.

*Exteriùs admouenda.*

Exteriùs thoraci, & aliis partibus accommodatur vinum nigrum chalybeatum, aut ſuperinfuſiones ex oleo roſaceo, omphacino, melino, aut myrtino cum aceti aliquo, aut ex eiſdem cum pulueribus ſuprà enumeratis, & cera vnguentum finges, quo inungatur pars. Confert quammaximè illud, quod fit ex thure, terra ſigillata, bolo armeno, & ſanguine draconis, ſi æquis portionibus cum albumine oui incorporentur. In ſanguinis fluxu ex pectore adhibet Aetius pectori ſpongiam poſca imbutam. Valet etiam hoc emplaſtrum. ℞. reſinæ pini, ceræ, & picis, ana ℥. iij. ceruſæ ℥. j. mannæ, & thuris ℥.ij. aceti ℥. j. olei myrtini, & roſarum, ana ℥. j. oleum, ceram, picem, & reſinam in vaſe colliqua, & deinde ab igne ſemoueto, & admiſce mannam, & ceruſam, & fiat emplaſtrum, cui addere poteris alios pulueres adſtringentes. Alia quamplurima apud Authores inueniuntur, quorum copiam relinquimus, quia probatiora adduximus.

## §. II.

### *De ſanguinis ſputo ex hirudine deuorata.*

PRæter cauſas ſuprà traditas, ſanguiſugæ etiam ſanguinis fluorem, ſeu ſputum concitare ſolent; quod quidem ſic cognoſces. Si enim quis ſine capitis dolore, & grauitate præſenti, nec præterita cruorem emunxerit, & ſcreauerit, neque is ex ictu procedat, neque ex alia cauſa manifeſta, & ſanguis qui ſpuitur, eſt tenuis, & ſeroſus, & ſaniei ſpeciem refert, ſiue ex ventriculo, ſiue ex naribus, ſiue ex ore feratur; interrogare oportet, an æger ex aliquo fonte immundo bibiſſet, ex

quo aliquando ſanguiſugæ apparuiſſent; qui ſi affirmatiuè reſpondeat,exiſtimare oportet, hirudinem deuoraſſe.Quo tempore ſi vomitu ſanguis ille educitur, in ventriculo hirudo permanet; quod ſi ſpuitione,aut ſcreatione excernatur ſanguis, tunc accuratè inſpicere oportet ad ſolis radios totum per nares meatum, atque eam oris partem, quæ ad naris foramen tendit; & licèt primis diebus hirudo ſenſum effugiat, vtpote exigua, cùm in dies augeatur, tertio, aut quarto die non obſcurè conſpicitur: quæ omnia deſumuntur ex Galeno 4. *de locis,cap. toties citato.*

*Curatio.* Quantùm ad curationem attinet,inſpicere oportet, an aliquo inſtrumento extrahi poſſit hirudo. Verùm ſi gulæ, aut ventriculo adhæret, ita vt extrahi non poſſit, tunc alliorum eſu eiicitur, ex Gal. 11. *de ſimplic. medic. facult.* quo remedio eas perpetuò eiicere fecit Gal. vt ibi teſtatur.Petr. de Largelata *lib.5. tract.11. cap.2.* ait, quod præter eſum alliorum nunquam indiguit cymicibus, & aliis remediis. Cymices ſi cum aceto bibantur, aut eis ſuffumigentur,hirudines abſorptas eiiciunt. Si inſtilletur origanum,aut bibatur,ſtatim locum relinquunt, & ſpuuntur. Calidum etiam acetum abſorptum hirudines deuoratas excutit. Succus ſyriacus epotus idem facit: eſt autem talis ſuccus ſyriacus dictus, quia laſerpitium, ex quo extrahitur, ex Syria optimum adfertur: circa hoc lege Dioſcor. *lib.3.cap.85.* Eum etiam,qui hirudinem deuorauit,in calidam aquam mento tenus demitti- to, phialam verò frigidæ plenam ori eius admoueto, ſed potui ne dato: ſtatim frigidam quærens hirudo exibit. Tandem ariſtolochia trita, & ſale conſperſa idem efficit. Hæc fermè omnia deſumuntur ex Galen. *lib.3. de medicinis facilè parabilibus*; quæ etiam ab aliis Authoribus traduntur.

## §. III.

### *Obſeruatio.*

PRo fine tamen huius capitis mentione dignum iudico, quod ego in Pintiana vrbe obſeruaui. Conueni enim cum alio Doctore ad viſendum ægrum per ſputum ſanguinem grumoſum breuibus interuallis eiicientem,ſine tuſſi tamen, & ſine vomitu, aut ſimplici exſpuitione; quo iudicauimus,neque ventriculum,neque pectus, neque os, aut gingiuas pati,ſed potiùs gurgulionem,aut fauces eſſe affectos; ſiquidem forti ſcreatione ſanguinem excernebat.Et cùm ex eis, quæ illi antea occurrerunt, huius euentus cauſam inueſtigaſſem manifeſtam, & bibiſſetne aquam in aliquo fonte immundo, in quo ſanguiſugæ quandoque apparuiſſent, interrogarem, iis omnibus ipſe negatiuè reſpondit. Inito ergo circa rem conſilio,cum huius excretionis nullam aperuiſſet cauſam,ad abditas,& latentes ſtatim confugimus, & aliquibus rationibus conuicti ab humoribus mordacibus factam fuiſſe alicuius venulæ gurgulionis eroſionem exiſtimauimus,per quam ſanguis effluebat, qui extra venam facilè in grumos conuerſus moleſtiam inferens,ad excretionem excitabat; adhibitis tamen quamplurimis auxiliis, neutiquam cedebat affectio,quouſque tandem tranſactis nouem diebus,ex mei conſilio pro cœnæ initio ſcariolam cum aceto deuorauit, & paulò poſt moleſtiam in gurgulione perſentiens,ſcreatione forti vtens, ſimul cum ſanguinis grumis ſanguiſugam exſcreauit, & integrè liber euaſit: qui admiratione captus, attentè excogitauit, quo in loco ſimul cum aqua hirudinem abſorbere potuiſſet; & recordatus fuit, quod in

A quodam populo ſiti magna oppreſſus aquæ poculum petiuit, eique obtulerunt aquam ex fonte illius populi, in quo hirudines quamplurimæ procreantur,in vaſe fictili ſtricti orificij, qui aquam deglutiendo ſimul cum illa aliquid amplius deglutire perſenſit, & ex illa die ſanguinem exſpuere cœpit.

Hanc retuli hiſtoriam primò, vt ſciamus, quod licèt inter ſigna hirudinis deuoratæ ſanguis, qui ſpuitur,eſt tenuis,& ſeroſus, vt ex Authoribus accepimus,non tamen ſemper talem ſubſtantiæ modum ſeruat, ſed potius concreſcit, & in grumos vertitur, vt contingere ſolet cuicumque ſanguini extra venas detruſo,& intrà corpus detento; non enim fruitur eo calore,quo intra venas fouetur,& ſic facilè alterationem à frigore ſubiens grumoſus, & concretus excernitur. Si verò ſtatim ac ſugitur à ſanguiſuga,ad extra trudatur,antequam detur locus concretioni, exit ruber,& fluidus,tenuis,& ſeroſus, vt in præſenti euentu periculum fecimus. *Præſertim ex Gal. lib.4.de locis affectis, cap.5.*

B Quæ omnia attentè ſunt inſpicienda,ne decipiamur in huius affectus cognitione, & medela. Secundò caſum propono,vt cognoſcamus vtilitatem ex aceti admotione conſequutam, ſiquidem ſolùm ex eſu ſcariolæ cum aceto commota eſt hirudo ad deferendum locum,in quo fixa permanebat, & facilè fuit ſimul foras cum ſanguine excreta. *Aceti vtilitas in hirudinis remotione.*

## CAPVT IV.

### *De phthiſi, ſeu tabe.*

C LIcèt apud Authores phthiſis, aut tabes totius corporis extenuationem ſignificet, Hipp. tamen phthiſim appellat vlcera pulmonis inſanabilia cum febre parua,& totius corporis extenuatione,vt animaduertit Gal.7. *aphor.comm.16.* & hoc modo ſumitur in præſenti affectione, ita vt ſi aliqua alia vlcera dentur in pectore cum prædictis ſignis, non conſtituant hunc morbum exquiſitè, quamuis dici poſſint phthiſis notha,ſeu illegitima; & hoc modo reſpondetur ad Matthæum de Gradi *ſuper 9. Rhaſis ad Almanſ.* qui exiſtimat vlcera pectoris cum febre lenta ſub phthiſi vera comprehendi. Sunt equidem pulmonis vlcera inſanabilia, vt refert Galen.5. *methodi, cap.4.* alia verò faciliùs curantur,vt docet Auic. *fen.10. lib.3.tract.4. cap.18.* *Quid ſit phthiſis.*

D Ex dictis conſtat, hunc morbum ſitum eſſe in ſolutione continui,neque ad hoc requiritur carnis amiſſio, vt exiſtimat Capibaceus; poteſt enim fieri vlcus cum intemperie abſque carnis amiſſione,& putrefieri pulmonis caro ſine illius deperditione: neque ad puris generationem eſt neceſſarium, vt caro putrefiat,ſed ſolùm quod pars ſit diſtemperata versùs calorem, & humiditatem, quæ accedens alimentum putrefaciat,& in pus vertant; poſtea tamen tractu temporis pulmonis caro putreſcit, vt tradit Petrus Garcia *de locis affect. diſput.41.cap.1.*

Iſte ergo calor putredinalis propter cordis viciniam cor calefacit, & per continui alterationem, & per vapores putridis, quos ex materia putreſcenti eleuat,qui cor calefaciunt,febremque lentam progignunt, quæ perpetuò hunc morbum comitatur, ad quam ſequitur totius corporis extenuatio, & conſumptio,vt apparet in febre hectica.

Sed quia corpus exſiccatur,& conſumitur,vt in hecticis cernimus,& ſimillima hecticis patitur accidentia,dubitant Auth.an hæc febris ſit de genere *An febris hæc ſit de genere hecticarum.*

hectica

hecticarum? Galenus 1. *de morbis popul. comm.* 3. *ſuper textum* 9. inquit, quod tabidi hectica febre laborabant, nunquam ceſſante; quod confirmat Auic. dicens: *In hoc morbo febris hectica fit propter humectationem vehementem cum cibo; quod ſignum in hecticis ſolùm reperitur.* Gentilis aſſerit, quod ibi adeſt febris putrida propter vapores ſaniei putridos; & adeſt etiam hectica per inflammationem cordis in ſubſtantia ex defectu ventilationis; quod ex accidentibus phthiſim inſequentibus probari poteſt, nam phthiſici quotidie extenuantur, & exſiccantur, cum febre continua, habentque pulſum debilem, & arteriam duram, ita vt dicat Galen. 4. *de cauſis pulſuum, cap.* 11. quod phthiſici habent pulſum hecticum; & cùm ex alia parte remediis humectantibus curentur, videtur dicendum quod febris hæc eſt ad hecticam reducenda.

*Vera concluſio.* Sed licèt hæc probabilitatem quandam habere videantur, nihilominus vt certum tenendum eſt, hanc febrem in hecticarum genere non comprehendi, neque eſt ratio, quæ ad id ſuadeat. Nam non repugnat, quod à vaporibus putridis pulmonis caleſiat cor, qui febrem excitent ab hectica diſtinctam, ſicut dum calefit à vaporibus putridis aliarum partium, à quibus non reſultat febris hectica. Cùm igitur hæc febris perſeueret, & continuò affligat, non mirum ſi corpus extenuet, & pulſum paruum & durum faciat, & tandem migret in hecticam. Vnde reſpondetur ad Gal. & aliorum authoritatem, quod in principio poteſt corpus tabidi extenuari, & exſiccari à calore febrili non hectico, qui poſteà frequenter in membris eſt in facto eſſe, febremque hecticam excitat, ad quam ſequuntur ſuprà allata accidentia; quo tempore humectantibus alimentis, & auxiliis curationem expoſcit, quæ mox à cibo aliarum hecticarum more innaleſcit, vt docet Fernel. 5. *pathologiæ, cap.* 10. Ad quam autem febris ſpeciem ſit reducenda febris hæc, dum non eſt hectica, ſuo loco dicemus.

Alterum ſymptoma hunc ſequitur morbum, videlicet ſputum cum tuſſi, quod quotidie reiicitur ſpumoſum, aut cruentum, aut purulentum, ſiue fœtidum; qua verò ratione exeat ſpumoſum, aut cruentum, capite præcedenti diximus: purulentum, & fœtidum fit ob nimiam putredinem, cuius fœtor ſoboles eſt, quod ſignum eſt inſeparabile, & proprium huius morbi, niſi ab alia potentiori cauſa impediatur.

*Cauſæ.* Cauſæ etiam à priori faciunt nos venire in morborum cognitionem, ſine quarum detractione morbus auferri nequit, quas oportet recenſere, eaſque tradit Auic. qui aſſerit, quod catarrhus mordicatiuus, corrodens, aut putrefactiuus eſt cauſa vlcerum pulmonis, vel ſanies ad pulmonem perueniens ex alio membro, aut præcedens peripneumonia, quæ in pulmone vlcus relinquere ſolet, aut pleuritis, cuius materia in pulmonem confluens, ſuâ acrimoniâ exulcerat illum, vt docet Hippoc. 5. *aphor. textu* 15. dum ait: *Quicumque ex morbo laterali ſuppurantur, ſi in quadraginta diebus purgantur à die àqua fit ruptio, liberantur; ſi verò non, ad tabem tranſeunt.* Externæ cauſæ valent etiam pulmonem exulcerare, vt vociferatio, ſaltus, caſus, frigus, quod comprimendo & denſando poros, fluxiones mouet, ſicut calor attenuando. Huiuſmodi cauſas etiam iuuat ægri naturalis ſtructura, per quam paratior redditur ad hunc morbum, vt ſi habeat ſtrictum pectus, & ſpatulas nudas carne, & propriè poſteriùs decliues ad anteriora, & habeat collum longum, & debilitatem cerebri, ratione cuius plura congerit excrementa, talis eſt ad phthiſim paratus.

A Dictum eſt ſuprà, pulmonis vlcera eſſe inſanabilia, ſed nondum conſtat qua ratione id fiat. Galenus 5. *method. cap.* 8. inquit, non poſſe fieri, nec perfici curationem vlcerum pulmonis. Ratione, & experimento conſtat. Ratione, quoniam pulmo inter viſcera propter anhelitum perpetuò ſit in motu, cum vtique quietem requirant ea, quæ ſunt ſananda. Experimento, quòd neminem vnquam eorum qui ita ſunt affecti, ſanatum viderint. Cùm enim pulmo habeat ſubſtantiam laxam, & facilè ſuſceptiuam humoris fluentis à capite, & aliis partibus, facilè putreſcit, & fouetur vlcus, quod ob continuum pulmonis motum agglutinari nequit, & quia tuſſis valde partes dilacerat, nulla relinquitur ſpes ſalutis, vt etiam aſſerit 4. *de locis affect. cap. vltimo,* vbi plurium refert hiſtorias, qui hoc morbo vexabantur, & haudquaquam ſanitatem recuperarunt; & cùm medicamenta ore aſſumpta antequam perueniant ad pectus, per longam viam tranſeant, & in itinere eorum vires refrangantur, parū, aut nihil proſunt. Vlcera verò thoracis faciliùs curantur, nam ſanies non remanet in eis, imò ad pectoris ſpatium currit, & ita non impedit illorum curationem; nec ita læduntur ab aere reſpirationis, ſicut ipſe pulmo: & quia pectus etiam magis carnoſum eſt quàm pulmo, maius robur habet ad ſanitatem recuperandam, vt cenſet Galen. 5. *meth. cap. citato.* *Vlcera pulmonis an ſint inſanabilia.*

B Ex hac doctrina non colligitur, pulmonis vlcera eſſe inſanabilia, ita vt nunquam ſanitatem recuperent; ſed ſolùm colligitur, rarò ad ſanitatem peruenire, quod deducitur ex Galeni verbis *loco proximè citato,* vbi incipit: *At quæ in pulmone hæſerunt vlcera, difficiliora ad curandum ſunt.* Vbi non tradit impoſſibilitatem curationis, ſed ſolùm C illius difficultatem. Quod etiam comprobat Auic. dum ait: *Quod ſi accidant vlcera à ſolutione ſingulari, non ab apoſtemate, neque corroſione humoris corroſiui, & non fiunt vlcera ſanioſa, recipiunt ſanitatem.* Conciliator *different.* 194. curauit quandam phthiſicam vſu ſacchari roſacei. Tamen ſi ſputum, quod extuſſiunt, graueolet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale eſt; ſignificat ſiquidem maximam corporis extenuationem, & putredinem in pulmone. Quod ſi ſuperueniat ventris profluuium, eſt etiam lethale, ex Hipp. 5. *aphor. textu* 11. & 12.

Similiter ſi ſputum ſit virulentum, aut cum pure cruorem reiecerit, aut è pulmone particula externatur, nulla ſpes ſalutis eſt habenda, vt docet Galenus 4. *de locis, cap. vltimo.* Verùm ſi in principio, antequam vlcus ſordidum fiat, auxilia debitè D adminiſtrentur, & æger in figura, & modo non ſit ad hunc morbum paratus, curationem admittere ſolet, vt docet Matthæus de Gradi. Item ſi in aquam ſputum ægrotantis coniiciant, & ſubſidet, indicium eſt huius morbi, & malum futurum imminet. Malo iam inueterato genæ liueſcunt, vngues curuantur, fœtidam emittunt exſpirationem, pulſum paruum, durum & debilem habent; quæ omnia partim deſeruiunt ad agnitionem morbi, partim ad prædictionem.

## §. I.

### *Loci difficilis Hippocrat. explicatio circa tabem.*

NIl magis receptum in Medicina, quàm quod autumnus tabidis eſt malus: ita promulgatum eſt ab Hipp. *lib.* 3. *aphor. text.* 10. & *lib.* 6. *epid. ſect.* 7. cuius euentus cauſam refert Gal. *lib.* 3. *aphor. comm.*

*comm.9.* vbi aſſerit autumnum eſſe malum tabidis, quia eſt nimis intemperatus; nam eadem die modò calor, modò frigus fit, maximeque corpus debile, quale eſt tabidum, offenditur ex varia temporum mutatione. Eſt etiam malus, quia ſuccedit æſtati, quæ vires debilitat, humoreſque adurit. Præterea malus autumnus cenſetur, quia ſua frigiditate, & ſiccitate humores intrò repellit, qui æſtate ad cutem euocabantur, & motu contrario viſcera grauat, & in ipſis fluxiones creat. Ex his naſcitur, quod autumno plures intereant, præſertim tabidi, præ virium maximo languore. Veris tamen tempore contraria eueniunt, proptereàque ab Hippoc. ſaluberrimum, & minimè exitiale vocatur, eo quod bonam habet temperaturam; ſanguis vberrimè vere generatur, & ſi aliquis ſuperuenit morbus, ſalubriùs terminatur quàm autumno, quia vires validæ, quibus corpora fruuntur, omnia contemnunt, & cauſa materialis morbum producens ſanguinis redolet naturam, qui cùm aliis humoribus ſit benignior, morbi ex eo pendentes mitiores euadunt.

His ita præmeditatis, extat Hipp. locus *libro 6 epidim. ſect. 7.* vbi ſibi contrarius apparet; nam poſtquam dixerat, autumnum eſſe tabidis malum, ſubdit: *Malum item ver, cum fici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint.* Ecce repugnantiam in illius verbis; nam ſi autumnus tabidis eſt malus, ex hoc licet inferre, potiùs ver tabidis eſſe bonum; nam habet oppoſitas qualitates: ſi enim autumnus ſuà ſiccitate, & frigiditate tabidos lædit, ver ſuâ, qua pollet, humiditate, & calore fouet; ſi autumno vires languidæ, & debiles exiſtunt, ob rationes ſuperiùs tactas, vere ob contrarias rationes vires validæ, & robuſtæ permanent. Si autumnus exſiccat, & abſumit corpora, eaque marceſcit, ver ſuo calore, & ſanguine viuificat, & reddit obeſa. Qua ergo ratione ver tabidis eſt malum, cùm fici folia cornicis pedibus ſimilia ſunt?

Huic textûs difficultati ſic ſatisfaciendum cenſeo. Autumnum dici tabidis malum, quia tabe correpti omnes ferè eo tempore pereunt; non enim perferre poſſunt temporis inæqualitatem, & alias cauſas à nobis aſſignatas, quæ in illa conſtitutione eueniunt. Ver autem propter huiuſmodi rationes non cenſetur malus, ſed propter humorum fluxiones, quæ vere excitantur, tabidi plures fiunt, defluentibus humoribus ad pulmonem. Itaque ver tabeſcentibus eſt malum, non tam quòd eo tempore moriantur, quàm quòd eo tempore plurimi tabeſcere incipiant, ob catarrhales fluxiones, & diſtillationes, quæ accidunt vere, dum fici folia cornicis pedibus ſimilia exiſtunt; quo tempore venti auſtrales capita grauare ſolent, & humores attenuare, & ad motum paratos reddere, qui in pulmonem decumbentes eum exulcerare ſolent, & tabis initium præbent.

## §. II.

### *Curatio phthiſis.*

PRo huius affectus curatione aër ſit temperatus in calore, & frigiditate, & in qualitatibus paſſiuis ad ſiccam inclinet, vt docet Gal. 7. *method. capite 6.* & 5. *meth. cap. 12.* vbi laudat locum Tabias dictum, inter Surrentum, & Neapolim, in quo aër, & alimenta quæ ibi producuntur, ſunt ſicca, & maximè huic morbo proficua. Euitent animi paſſiones; vociferationes, & tuſſim cohibere tentabunt: & ſi ſint in loco humido, mutatio ad locum ſicciorem conuenit; non enim rebus humidis vlcera curari poſſunt, vt diximus capite de vlceribus anginoſis. Sed quia febris indiget victu humido, viſcera verò ſiccitatem expoſtulant, & medicamenta agglutinantia, ideò medicamentis, & alimentis mediam facultatem habentibus eſt vtendum; cum hoc tamen in principio abſtergentia ſunt ex vſu, vt vlcus mundificetur.

Cibi igitur ſint pthiſana, oryzum, & amylum, aut ius pulli, gallinarum, perdicum, caponum, aut eorumdem carnes, & etiam carnes turdorum, & aliarum paruarum auium, & hœdulorum lactantium, & lac amygdalarum dulc. cum ſaccharo.

*Lactis vſus.*

Lac autem omnibus alimentis præfertur: optimum quidem, vtpotè cognatum, lac muliebre eſt, præcipuè ſi æger ex mammillis hauſerit; quod magis in principio conuenit, quia magis abſtergit: præter quam quod nutrit, & corporis conſumptionem prohibet. Verùm quia hoc ſic plurimis non placet, melius eſt adhuc calens ocyſſimè in ægri ventriculum transferre. Sed quia aſſumere lac humanum aliqui recuſant, ideò loco illius conuenit aſininum, quod magis tenue eſt; deinde caprinum, & tandem ouinum, quod magis agglutinat, & nutrit; quod calidum ſtatim aſſumi debet, ne ab ambiente aëre refrigeretur, & corrumpatur. Ab eius aſſumptione dormiat æger, nam caput grauat in vapores conuerſum.

*Quibus noceat lac.*

Quod ſi morbus à diſtillatione capitis originem ducat, lactis vſus eſt interdicendus, ſicut interdicitur iis, qui valdè febricitant, vt docet Hippoc. *5. aphor. textu 64.* lacti etiam abſtergendi gratiâ parum optimi mellis eſt admiſcendum, vt iubet Gal. *7. method. cap. citato,* & ne in ventre concreſcat, adiuuat etiam mel, aut lacti ſaltem admiſcemus, vt monet Galen. *3. de aliment. facult. cap. 15.* Quantitas lactis ab initio non excedat ℥. iiij. quam procedente tempore adaugebis. Ex fructibus conducunt vuæ paſſæ, amygdalæ, nuces pineæ, & dactyli. Teſtudinum, & ranarum caro in ſalubribus aquis degentium, & limacum ius, & cancri fluuiatiles benè præparati nutrimentum glutinoſum gignunt, & tardè diſſolubile. Hæc confectio vt alimentum & medicamentum deſeruit phthiſicis, & hecticis, (præcipuè morbo inueterato) quæ recipit pectoris gallinæ n. iij. carnis ranarum ℥. iiij. coquantur ſufficienter in aqua hordei; ſtrobylorum recentium, & amygd. mundat. ana ℥. ij. macerentur in aqua roſarum per octo horas, quæ omnia extrahantur per ſetam, & cum aqua roſarum, bugloſſæ, & ſaccharo fiat confectio, & in fine adde margarit. præp. diarrhod. Abb. & coralli rubri præp. ana ʒ. ß. & ex hac confectione fiant morſelli, & deaurentur. Reliqua pete tractatu de febre hectica. Potus ſit aqua pluuialis, aut mulſa inde confecta, ex Paulo, aut aqua hordei priùs toſti, & liquiritiæ. Sed quia eorum vires inualidæ ſunt, & alimentum non benè digerunt, illis parum cibi, & ſæpè eſt adhibendum.

Somnus diuturnus eſt vitandus, præſertim ſi morbus à diſtillatione dependeat; & nocturnus ſit moderatus.

His igitur ſic ſtatutis, ſi morbus à capitis diſtillatione dependeat, curabitur vt diximus capite antecedenti, habito reſpectu ad partem mandantem, quam roborare oportet, ne denuò recipiat, idque aſſequimur ſacculis ex herbis capitalibus, vel emplaſtro ex tapſia, quod commendat Galen. vel de centaura, & guill. ſeru. aut ex ſtercore columbino. Cucurbita occipitio affixa fluxionem reuocat ex profundo ad extima. Cruſtas inducere igne, aut medicamento cauſtico circa occipitis capita-

tem,quo loco ſpinalis medulla initium habet, non dubitarem , vel fontanellam ibi aperire , eámque diutiùs apertam ſeruare ; quod quidem feci quandoque cum maximo ægrotantis commodo,& conſulit Aëtius *tetrab.2.ſerm.2.capite* 28. de paralyſi agens, & monet Hipp. *lib. 6. epidim. ſect.7.* vbi ſtatim vrere præcipit.

Quod ſi ab humoribus erodentibus ortum ducat,ipſos etiam euacuabimus,vt ibi etiam diximus. Sed,quia vlcus non poteſt ad cicatricem peruenire, niſi priùs mundificetur,in primis vtendum eſt abſtergentibus,vt rhodomelle, ſyrupo liquiritiæ , capill. Vener.& de praſio,quæ vtilia ſunt ſi paulatim omni horâ tranſglutiantur ; deinde vt alia vlcera curari debet. Abſtergunt etiam tabellæ , quæ recipiunt puluer.liquiritiæ raſæ ʒ. j. diatragac. frigidi ℈.ij.margar.præpar.℈.j. ſacchari quod ſufficiat,vt fiant tabellæ, quarum vnam ore teneat, paulatimque deglutiat. Aut fiant catapotia cum melle toſto,& puluere liquiritiæ ad eundem vſum. Deinde eſt vtendum agglutinantibus,inter quæ principatum obtinet ſaccharum roſaceum, in principio recens,mox antiquum,quod comprobat Auic. *in hiſtoria mulieris phthiſicæ* , quæ cùm morti propinqua eſſet , & eſſent iam præparata quæ ad obitum erant neceſſaria,reuixit,& ſanata fuit,& impinguata vſu ſacchari roſacei , de quo multùm comedit ; cui adhiberi poteſt puluis boli armeni,aut terræ ſigillatæ. Poterit inſuper parari medicamentum in formam loch, quod recipiat loch de pulmone vulpis,& de pino, ana ʒ.ij. rhodomel. ſyrupi myrtini,& liquiritiæ,& de hyſſopo, ana ℥.ij. diatragac. frigidi, & radicis ſymphiti, boli armeni , & terræ lemniæ,ana ʒ.j.miſce .Referunt etiam authoritate Democriti adeſſe quandam herbam nobis incognitam,quam naturali inſtinctu cognoſcit ouis, eaque curatur.Puluis pulmonis vulpis in fruſtra diuiſi,& paulatim exſiccati in loco calido,& non in furno, vtilis eſt, qui pulmo abluatur priùs aquâ roſarum, vel aliâ aquâ ſecundùm Medici intentionem,vt inſinuat Matthæus de Gradi.Competunt vlteriùs lapis hæmatites , & trochiſci de carabe. Quod ſi phthiſis inueterata ſit,& incurabilis , per remedia exſiccantia prolongatur vita , vt contigit cuidam fornariæ Mediolanenſi , quæ fuit phthiſica plus quàm viginti & octo annis, & ſiccitate ignis furni,& aëris circundantis callo obdurato,tanto tempore perdurauit,vt etiam ipſe aſſerit.Deſiccant optimè mithridatum,& theriaca antiqua , & præſertim eis vtimur ſi febris ſit mitis. Similiter ambroſia,& athanaſia,ex Galeni præcepto 4.*de locis affectis, cap.vltimo.*

Balnei vſus eſt vtilis, præcipuè quando corpus extenuatur, ex Celſo ; quod indicat Hippoc. 2. *de morbis*, de tabe agens, dum ait : *Lauandum tepidâ tabidum, excepto capite.* Excipit enim caput, quia capitis lauacrum cum tepida auget fluxiones , à quibus pulmonis vlcus conſeruatur.

*Extrinſecus admouenda.* Extrinſecus dum pectus repurgatur, pectori adhibentur vnguentum reſumptiuum , aut ceratum ex butyro,oleo laurino,& cera.Aut ex terebinthina,butyro , oleo cyperino,laurino, medulla ceruina , adipe taurino , iridis , & hyſſopi puluere vnguentum conficies. Tamen dum vlcus agglutinatur , pectori admouebimus oleum myrtinum , aut roſarum,cum puluere myrti , roſarum , aut ſymphiti : aut cum puluere aluminis,malicorij,& gallæ, & dictis oleis , & cera vnguentum compones. Hîc agere ſolent Authores de correctione accidentium huius morbi,vt ſunt fluxus alui,& capillorum defluuium ; quæ quia propria capita habent,conſultò in præſentia ea relinquo.

## CAPVT V.

### *De empyemate.*

MOrbus quem Græci ἐμπύημα vocant , Latini ſuppurationem appellant ; & ſic qui hoc morbo vexantur,empyematici, aut ſuppurati vocantur. Sed vt colligitur ex Auic.*fen.* 10. *libro* 3. *tract.*4. *c.*17. dupliciter accipitur ſuppuratio : aut pro mutatione,ſeu actione, qua pus ex aliquo humore producitur in quolibet apoſtemate , vel pro collectione puris in cauitate thoracis ; & hoc ſecundo modo morbum conſtituit,de quo nunc agere intendimus. *Suppuratio dupliciter ſumitur.* Quando igitur inter cauitatem thoracis , & pulmonis pus colligitur , ſuppuratos eos vocat Hipp. vt docet Gal. 5. *aphor.comm.*29. Sed quis morbus ſit, reſtat dicendum. *Quis morbus ſit.* Donatus ab Altomari,& Pereda tenent , quod empyema eſt morbus in numero addito , quia in thorace eſt addita pars præter naturam, nempe pus ; quod deducitur ex Galen. *libro de differ. morb. c.*8. vbi pus inter morbos numeri additi conſtituit.

Nihilominus dicendum eſt , pus in cauitate pectoris collectum potiùs conſtituere morbum in obſtructione ; in tantum enim eſt morbus, in quantum lædit actionem : non tamen poteſt explicari, quæ actio ibi lædatur,propter numerum additum; bene tamen explicatur lædi cauitatem thoracis à pure obſtruente,& illius motum impediente.Quapropter ad Galeni locum reſpondetur , ipſum aliquando confudiſſe morbos obſtructionis aut cauitatis , cum morbis in numero addito ; nam ibi etiam connumerat lapidem veſicæ inter morbos numeri,cum potius morbum in cauitate efficiat.

*Cauſa.* Cauſæ huius morbi plures ſunt ; nam aut præcedit capitis diſtillatio , vt catarrhus materiam in thoracem fundens,vt ait Auicen. aut pleuritis,cuius materia non euacuatur, & in pus verſa in thoracis cauitatem dilabitur. Sequitur etiam ad anginam, vt inquit Hippocrates 5. *aphoriſmorum,textu* 10. dum ait : *Quicumque ab angina liberantur, iis ad pulmonem vertitur , & in ſeptem diebus pereunt ; ſi verò hos effugerint , ſuppurantur.* Hancque ob cauſam Galenus 2. *de locis affectis* , dixit quod ſuppuratio ſequitur ad ingentes inflammationes. Præterea fieri ſolet in ſanguinis reiectatione perſeuerante , ſi in thoracis cauitatem dilabatur : & ita dicitur ab Hipp. 6. *aphor. text.* 20. *Si in ventrem ſanguis præter naturam effunditur , neceſſe eſt ſuppurari.* Vbi venter ſignificat cauitatem quamlibet, vbi præter naturam ſanguis deriuetur, in qua ſanguis facilè putreſcit.

*Signa.* Sed cùm ex inflammationibus , dum ſuppuratur,fiat pus, oportet notis diſtinguere ſuppurationem incipientem,& iam factam,& cùm in thoracis cauitatem delabitur. In principio quidem ſuppurationis,& dum conficitur pus,dolores ac febres fiunt magis quàm iam confecto , ex Hip.2.*aphor. text.*47. inflammatur enim calor , & ſuccenditur ita vt febrem intenſiorem efficiat ; qui facit etiam materiam ebullire,& illam raram efficiendo,& extendendo, dolorem gignit : pure verò confecto ſedatur febris,& dolor,vt docuit Gal. *in com.* Præterea ſi febris non dimittit, ſed interdiu tenuior,noctu vehementior eſt,ſi copia ſudoris elicitur,ac tuſſiendi cupiditas eſt, vel dolor non deſinens, neque ſcreatione,purgatione, venæ ſectione,nec victus ra-

tione ſedatur, in ſuppurationem verti ſciendum eſt, ex Hippoc. 2. *progn. textu* 52. Quod ſi pro dolore ſentiatur pondus in loco, qui dolore afficiebatur, expectare oportet puris eruptionem, vt docet Hippoc. *eodem libro, textu* 58. Rupto verò abſceſſu ſtatim ſedatur febris, quo tempore pondus iam non ſentitur in parte, vbi erat inflammatio; ſed ſurrectus æger, vt ait Fernel. nouum grauitatis ſenſum in imo thoracis ad diaphragma percipit.

Quod ſi de vno latere in aliud ſe conuoluat, ſentit pus transfluere, & fluctuare. Sed quia thorax in duas partes diuiditur per mediaſtinum, quod alligatur cum ſpinis dorſi poſteriùs, anteriùs verò pectori, pulmonemque quaſi diuidit in duas medietates, ne tranſeat aliquod læſiuum ab vna parte in aliam, vt docuit Galenus *de anathomia viuorum*, agens de anathomia pulmonis, & Andreas Vealius 6. *de humani corporis fabrica*. ideò in eiuſdem lateris cauitate, in qua præceſſit inflammatio, fluctuabit pus, ibique in imo thoracis pondus, aut grauitas ſentietur. Verùm ab angina, peripneumonia, & capitis diſtillatione humor ſuppuratus in vtranque partem defluit ob vtriuſque partis rectitudinem; & ad maiorem cognitionem lateris affecti conducit, ſi latus vnum ſit altero calidius; nam in latere magis calido pus eſt reconditum, & decumbens æger in latus ſanum, onus ſentit in pectore, quod non ſentitur ſi decumbat in latus ægrum, pure in coſtas decumbente. His accedit febris lenta, & languida, quæ in hecticam permutari ſolet, vt diximus de phthiſicorum febre.

*Præſagium.* Ex his potiſſimùm ſuperſunt, quos febris eodem dimiſerit die poſt ruptionem, ac cibos citiùs appetunt, & ſiti liberantur, & quibus pus album, leue, concolorque eſt, & abſque labore, & valida tuſſi expurgatur, hi optimè ac celerrimè iudicantur, ſin minus, qui ad hæc proximè accedunt. Quos verò febris non deſierit, & ſitiunt, cibumque non appetunt, & pus viride, liuidunque ſpuunt, vel pituitoſum, vel ſpumoſum, omnes moriuntur, præſertim ſi eorum oculi caui redduntur, & vngues manuum curuantur, atque in pedibus tumores conſiſtunt, vt dicit Hippoc. 2. *progn. text.* 60. & 63.

## §. Vnicvs.

### *Curatio empyematis.*

Svppurati eligant aërem ſiccum, & in calore, & frigiditate temperatum, magiſque ad calorem inclinantem. Ventremque quotidie exonerent, & ſi non ſponte, enematibus ſaltem mollientibus, & ſuppoſitoriis. Animi paſſiones euitent, præſertim timorem, & triſtitiam. Victus ſit optimus, & qui facilè coquatur, vt pullus gallinaceus, gallina, turtur, aut eorum iura, oua ſorbilia, & poma dulcia aſſa, aſparagi, maluæ, borrago, & alia huiuſmodi. Potus ſit aqua mulſa, aut hordei, vel mulſa ex hordei decocto, vel decoctum liquiritiæ, aut prunorum damaſc. Vel vinum benè aqua dilutum. In quiete ſeruetur æger, niſi pus ad renes deſcendat, quo tempore leuis deambulatio puris deſcenſum adiuuat. *Suppurantia.* Quod ſi abſceſſus non ſit ruptus, & pus collectum non perficiatur, illud adiuuare oportet; quod quidem efficimus ſi ſupra partem apponatur emplaſtrum diachilon magnum, oleo camem. & amygd. dulc. malaxatum, aut fomentum ex hydræleo, vel ex decocto ficuum pinguium, paſſularum ſine vinaceis, foliorum maluarum, & altheæ, & radicum eorundem, & ſeminis fœnugræci, aut inungatur hoc vnguento. ℞. olei violarum, & amyg. dulcium, ana ℥. j. camemali, & lumbric. ana ℥. ß. vng. Agrippæ, axungiæ gallinæ, & anatis, ana ℥. ß. ceræ, quod ſit ſatis: miſce, & fiat vnguentum vel ceratum. Valet etiam emplaſtrum triapharmacum Gal. quod conficitur ex farina triticea, oleo, & aqua, quod efficacius reditur, ſi fiat cum decocto maluarum, oleo camem. & amyg. dulc. croco, & vitellis ouorum. Vel fiat hoc emplaſtrum. ℞. foliorum maluarum, & violarum, ana m. j. radicum altheæ ℥. iiij. coquantur omnia in aqua debito modo, deinde ſubtiliſſimè inſcindantur, piſtentur, & cribellentur; farinæ tritici, & hordei, ana ℥. iij. ex quibus cum decocto earundem rerum fiat emplaſtrum, addendo in fine butyri vaccini, & pinguedinis porcinæ ſine ſale, ana ℥. j. olei communis ℥. iij. vitelli ouorum n. iij. Expedit etiam, vt æger ſuper latus affectum decumbat, ex Auic. ſententia, vt citiùs pus perficiatur, & abſceſſus rumpatur. Profunt etiam quæ ore lambendo ſumuntur, vt ſyrup. liquiritiæ, & violarum, aut decoctum maluæ, biſmaluæ, ficuum, & paſſularum ſine vinaceis, de quo accipe ℔. iij. olei amygd. dulc. ℥. iij. ſyrupi violarum ℥. ij. miſce, & ſæpe in die de illo tranſglutiat æger.

Pure iam confecto, ſi non rumpatur abſceſſus, vtatur æger vociferatione, tuſſi vehementi, ſaltu, vomitu, ſternutamentis, & corporis vehementi concuſſione. *Abſceſſum rumpentia.* Iuuat etiam ex Paulo mulſæ ſorbitio interpoſito tempore, & ptiſanæ cremoris cum melle. Opitulatur etiam rupturæ ſalſamentorum eſus, & ſic ius pulli cum multo ſale bibat, aut mulſam cum ſale, vel mulſam ex decocto origani, thymi, & pulegij, ex Gal. 13. *methodi*, *c.* 18. Valentiores etiam bibere poſſunt decoctum hyſſopi, & thymi cum melle, vel aſſumant catapotia hieræ diacolocynthidos tempore ſomni, ex eiuſdem Pauli decreto.

*Apertio quomodo facienda.* Cæterùm quia graue eſt, abſceſſum rumpi ad interna, ob ſuffocationis periculum, ideò apertionem ad externa aliqui commendant, quam vtilem eſſe cenſeo antequam pus in thoracem dilabatur, efficiatque hunc morbum immedicabilem. Quem curandi modum docuit Hippoc. *lib. de internis affectionibus*, à linea quæ incipit *ſi in latere tuberculum naſcatur, & ſuppuratus fiat*; deinde addit: *Suppuratur maximè in quadraginta diebus, aut paulò prius. Hoc autem cognoſces, vbi ſuppuratum fiat latus, pus enim non exſpuit, neque reuomit. Hunc cùm ſic habuerit, vbicumque tumor ſignificationem de ſe præbuerit, ſecato, aut vrito, & poſtea pus paulatim emittito.* Ex quibus colligitur, non eſſe neceſſe expectare ruptionem abſceſſus ad interna, præcipuè ſi vires conſtent, & æger apertionem poſſit tolerare; cognito enim loco affecto ex dolore, pondere, & maiori calore loci, ibi inter duas coſtas ferro paulatim inſcindes, donec pus exire videatur, moxque à ſciſſione, vel vſtione deſiſtes, ne interior tunica etiam perforetur, quam perforationem extracto pure poſtea curabis, vt reliqua vlcera, ad quod opus require doctum Chirurgum: quod etiam docet Paulus *lib.* 3. *cap.* 44. Ego equidem hoc expertus fui in quodam pleuritide laborante; cui cùm alia non proficerent, & morbus ad ſuppurationem tenderet, cucurbitam profundè ſcarificare iuſſi ſupra partem dolentem, & maximam puris copiam extraxi, & liberatus fuit.

Tamen ſi abſceſſus rumpatur, & pus ad thoracis imum deueniat, conſiderare oportet regionem, per quam pus natura expellit; ſi enim per vrinam, illam adiuuabimus ſyr. capill. Vener. duarum, & quin

quinque radicum,cum decocto radicum apij, fœniculi, petroſelini, & cicerum nigrorum. Ad hoc etiam maximè conducit vſus terebinthinæ cum oleo amygd. dulc. Quod ſi per ventrem excernitur,aluum ducentibus eſt vtendum, vt ſunt clyſteres ex aqua mulſa, & quotidie aſſumere oportet caſſiæ fiſtulæ pulpam in morſellorum forma: idem efficit terebinthina abietina aquâ capill. Veneris lota,ſi quantitate ℥.ß. quotidie, aut alternis diebus aſſumatur, quæ diſſolui poteſt in ſyr. capill. Veneris,aut oleo amygd.dulc.& ſaccharo,hæc enim leniunt pectus, & illud expurgant. Sed quia frequenter pus per ſputum excernitur,excretionem illius adiuuauimus ſyr.de radice dulci,de hyſſopo, aut aquâ mulsâ ex origani,aut hyſſopi decocto,aut loch de pino,vel ſano,& experto, & aliis quæ capite de aſthmate tradidimus.

Cæterùm cùm tanta puris copia in aliquorum pectore ſit recondita, vt deſperent per ſputionem poſſe expurgari, quos etiam anhelitus difficultas maximè infeſtat, ideò conſulunt Authores, vt Gal. *6. aphor. comm.* 27. vt vrantur,aut ſecentur; ita tamen eſt faciendum, vt pus vniuerſim non exeat: nam diſſolutis viribus omnes moriuntur,vt conſtat ex Hipp. *6. aphor. textu* 27. Apertio fieri debet inter quintam, & ſextam coſtam tranſverſa linea, & cute paulùm obliquè diuiſa; ſed membrana quæ coſtas ſubcingit, non eſt perforanda, vt ait Paulus *libro 6. cap.* 44. namque qui ferro ad imum vſque adurunt, mortem inferunt, vitali robore diſſoluto, aut fiſtulas reddunt inſanabiles; ſed vt ſuprà diximus, paulatim inſcindes, donec pus exire videatur: ſed quia hoc difficile eſt, imò impoſſibile apparet, vt exeat pus abſque tunicæ huius apertione,ideò conſulunt Paulus *loco citato*, & Albucaſis *libro* 1. *cap.* 31. vt diuerſis in locis fiant vſtiones, quæ thoracem non penetrent,vt per illas pus refudare poſſit.

*Nota.* Tandem obſeruare oportet, quod ſi pus in pectore fiat ob diſtillationem à capite,vel ab alia parte, nullo modo ſcalpello, aut ſcindenti ferro licebit partem ſcindere, niſi priùs diſtillatio, aut humoris fluxus compeſcatur, & diſtrahatur; nam ex vſtione,aut apertione nullum ſequitur commodum, quovſque fons,& origo,à qua pus initium ſumit, auferatur. Hæc tibi quamdifficillima trado, quæ iuxta morbi magnitudinem, vſus indigentiam, & virium conſtantiam adminiſtrare poteris.

## CAPVT VI.

### *De pleuritide.*

*Quid ſit.* PLeuritis, vt ipſum nomen ſonat, denominationem ſumit ex parte affecta; afficitur enim pleura,vt docet Gal. 2. *method.cap.* 2. cuius definitionem tradit *lib. de definitionibus medicis*, & 5. *de locis affectis, cap.* 3. vbi inquit, quod pleuritis eſt inflammatio membranæ, quæ coſtas ſubcingit. Quam amplectuntur omnes; quod quidem conſtat ex pulſu duro,& ſerrino, qui ad inflammationes ſequitur, vt dum de ſignis erit ſermo, declarabitur.

*Duplex pleuritis.* Duplex pleuritis ab Authoribus traditur, vera, & non vera: veram appellat Galen. 5. *de locis, cap.* 3. vbi membrana ſubcingens coſtas inflammatione laborat, idemque aſſerit 1. *de ratione* A *victus in morbis acutis, textu* 33. & 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 3. Ita vt ex illius ſententia in exquiſita pleuritide ſemper pars affecta eſt pleura. Notha verò pleuritis, ſeu non vera, dicitur quicumque dolor pectus offendit, dummodo non ſit illius membranæ inflammatio,neque habeat quinque ſymptomata, quæ veræ pleuritidis naturam inſequuntur, vt quando dolor ſit ex muſculorum intercoſtalium inflammatione, vel ex alicuius humoris ad illos defluxu, aut ex flatu, aliáve cauſa. Neque in hoc eſt ſequendus Auic. qui exiſtimat, quod pleuritis vera eſt apoſtema calidum in partibus pectoris, aut in velamine diſtinguente pectus, vel in velamine cooperiente,aut in lacertis intrinſecis;nam ſi hoc eſſet verum,non ſolùm dolor punctorius eſſet ſymptoma huius morbi proprium, ſed etiam dolor pulſatorius;nam inflammatis interdum B intercoſtalibus muſculis, arteriarum eleuationem dolorem inferre neceſſe eſt,atque pro inflammationis magnitudine ſentiet in parte inflammata pulſationem, vt declarat Galen. 2. *de locis affectis, c.* 3. quod nequaquam vidimus,neque experti ſumus in vera pleuritide.

Ex dictis claret,hunc morbum conſtitui in magnitudine adaucta cum intemperie, & ſolutione continui; quod eſt de ratione cuiuſlibet apoſtematis.

Cauſæ huius morbi ſunt quilibet humor, vt oſtendit Galen. 6. *aphor. comm.* 33. vbi ait: *Dictum autem à nobis eſt, vbi de morbo laterali ſermonem habuimus,quod lateralium morborum hic quidem, qui vnà cum pallidis, & flauis fit ſputis, ex bilioſis humoribus ortum habet,hic verò,qui cum ſpumeis,ex pituitoſis,ſicut qui cum nigris,ex melancho-* C *licis; qui verò cum rubeis,ex ſanguine.* Et *libro de conſtitutione artis medicæ*, idem inſinuat. Itaque cùm per ſputi colorem deueniamus in cognitionem humoris pleuritidem excitantis, cùm varia ſint ſputa, varios, & diuerſos humores demonſtrant; in plurimùm tamen huius morbi cauſa eſt bilis,vel ſanguis bilioſus,vt aſſerit Auic.rationémque reddit inquiens: *Quoniam in membris tunicoſis non penetrat niſi ſubtilis cholericus, deinde ſanguis purus; & propter hoc fiunt paroxyſmi tertio die fortiores, ſicut in febribus tertianis.* Ex quibus inſurgit dubium; nam ſi in tunica denſa non penetrat illius exiguos poros, niſi tenuis humor, & ſubtilis: ergo non poterit fieri pleuritis ab aliis humoribus craſſis, qui minimè poterunt membranam penetrare. *Cauſa pleuritidis.* *Primum dubium.*

D Reſpondetur facilè, humores craſſos per ſe, & ſine tenuium adminiculo non poſſe inflammationem hancefficere, benè tamen cum tenuibus, qui ſunt veluti vehiculum, ratione cuius reliqui humores penetrant; aliàs enim minimè penetrarent. *Ad illud reſponſio.*

Sed inſtabis iterum: Licèt humor tenuis penetret, non ſequitur, quod ex illius admiſtione cum craſſo craſſus aptior reddatur ad penetrationem. Sequelam probo. Ante admiſtionem non poterat penetrare ob ſuam craſſitiem: ſed poſt admiſtionem remanet humor intrinſecè ita craſſus ſicut antea: ergo & ita ineptus ad poros penetrandos ſicut antea. Minorem probo, nam tenuitas non eſt qualitas actiua productiua ſibi ſimilis, & ſic non poteſt auferre craſſitiem ab alio humore. *Secundum.*

Reſpondetur, quod cùm humor tenuis ſit calidus,ſuo calore attenuat humorem craſſum, & eum aptum reddit ad penetrationem: neque ad hoc requiritur,quod tenuitas ſit qualitas actiua. *Reſponſio.*

Sed rurſus inſtabis: Omnis inflammatio pendet *Tertium.*

ex

ex ſanguine quarto humore, vt docet Galen. 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 1. Ergo pleuritidis inflammatio non poteſt fieri ab aliis humoribus.

*Reſponſio.* Reſpondetur, quod ibi nomine inflammationis intelligimus tumorem calidum à quouis humore procedentem; neque ſumitur in rigore pro exquiſita inflammatione: qui tumor licèt ab humoribus frigidis excitari poſſit, dicitur tamen calidus, quia humor putreſcit, & febrem accendit.

Mouet ergo, & concitat humorum fluxionem ad illam partem illorum immoderata copia, tenuitas, & acrimonia, immodica exercitatio, calor immodicus, potus vini, & ſubita refrigeratio. Quapropter aquilonia conſtitutio coſtarum dolores, & pectoris gignit, vt habemus ex Hipp. 3. *aphor. text.* 5. & 17. Hieme etiam fieri ſolent grauedines, diſtillationes, & raucedines, quæ facilè pleuritidem producunt humore ad membranam defluente, vt conſtat ex Hippoc. *eodem libro, textu* 23. Fit etiam tempore veris ob ſanguinis dominium, vt omnes admittunt, & vniuerſaliter omnes morbi in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibuſdam.

*Signa pathognomonica.* Signa pathognomonica quinque numerantur ab Authoribus, quæ vnà cum morbo inuadunt: febris acuta, lateris dolor pungenti ſimilis, tuſſis difficilis, crebra & parua reſpiratio, ac tandem pulſus durus ac ſerrinus. De quatuor primis egit Gal. *lib. de criſibus, cap.* 5. & 2. *de difficult. reſpirationis, cap.* 8. at verò *libro* 5. *de locis affectis*, inter pleuritidis ſigna appoſuit pulſum paruum, & durum: idemque fecit 4. *de cauſis pulſuum, capite* 8. de quibus omnibus, & quonam modo fiant, ſeorſim eſt agitandum.

*Primum ſignum.* Fit febris continua, vt docet Galen. *de Medicæ artis conſtitutione, cap.* 5. & 5. *de locis, cap.* 3. quia ſedes affecta parum diſtat à corde, & cum panniculo ipſum inuoluente cognationem habet, ita vt aſſerat Auic. quod febris ſit inſeparabilis propter vicinitatem cordis. Cùm enim humor ſit extra proprium locum, ſtatim putreſcit, & ſuccendit febrem; quæ quidem dicitur febris accidens, quia eſt ſymptoma alterius morbi, nempe inflammationis pleuræ, & tanquam ſignum inflammationem oſtendit.

*Secundum ſignum.* Secundum ſignum eſt dolor punctorius, qui fit, vt ait Galen. 2. *de criſibus, capite* 10. Quia membrana eſt inflammata, quæ cum dura, & denſa nimis ſit, ab humore penetrante læditur, veluti ſi acu pungeretur, tales enim ſunt ſentientium membranarum dolores, & ita Auicen. ait: *Dolor pungitiuus fit ſub coſtis, quoniam membrum eſt panniculoſum.* Non fit dolor pulſatorius, qui reperiri ſolet in inflammationibus aliis; nam dolor pulſans expoſcit in parte inflammata arterias, ratione quarum dolor pulſans inſurgit; at verò cùm membrana iſta, quæ coſtis ſubiacet, arteriis careat, ideò deficit in pleuritide dolor pulſans: quod quidem ex anatome conſtat, & eleganter oſtendit Galen. 2. *de locis affectis, cap.* 3. per hæc verba: *Atque in hoc ſpatio arteriæ ſunt, quæ per intercoſtalia vocata ſpatia, & per craſſas, laxaſque laterum partes extenduntur, atque in profundum magis deliteſcunt, vt ſuccingentem coſtas tunicam haudquaquam attingant.* Itaque ſi fortè accidat pulſatorius dolor, ex inflammatione muſculos inter coſtales attingente prouenire cenſendum eſt.

*Tertium ſignum.* Tertium ſignum eſt difficilis reſpiratio, quæ fit, vt aſſerit Galen. *libro de Medicæ artis conſtit. c.* 15. quoniam pars reſpiratorij inſtrumenti afficitur dolore; prohibet enim dolor quominus reſpirationis inſtrumenta plurimum attollantur, & ſic fit reſpiratio parua; & quia vſus per reſpirationis paruitatem non poſſit adimpleri, minùs detinetur in quietibus, & ſic fit reſpiratio crebra; ſupplet etenim crebritate, quod de magnitudine deficit: quod etiam inſinuat Auic. dicens: *Et tertium eſt conſtrictio anhelitus propter coarctationem factam ab apoſtemate, & paruitas, & frequentia eius.*

*Quartum ſignum.* Quartum ſignum eſt tuſſis, de qua loco proximè citato ait Galenus: *Ac ſeiungi quidem tuſſis ab affectu non poteſt; ſcreatio autem poſt tuſſim inſeparabilis minimè eſt, ſed magna ex parte fit.*

Tuſſim definit Galenus *libro* 2. *de cauſis ſympt. capite* 4. dicens: *Tuſſis eſt vehementiſſima quædam efflatio, quâ plurimus ſimul, celerrimeque foras actus ſpiritus attrahat, propellatque ſuo impetu, quæ vias ſuas obſtruunt.* Ex hac definitione conſtat, tuſſim eſſe exſpirationem vehementem, qua aër ex pulmone, & aſpera arteria extrà fertur, ſuoque impetu ea, quæ impediunt, aut coarctant aſperam arteriam, ad extra propellit, vbi etiam partem affectam oſtendit eſſe aſperam arteriam. Quia ergo impeditur ab humore, vel vapore aliquo reſudante ex ipſa pleuræ inflammatione, tuſſi natura eum reiicere tentat, vt aër liberè ingredi, & egredi poſſit. Sed quia tuſſis eſt exſpiratio quædam, reſpirationeque componitur ex inſpiratione, & exſpiratione, clarè conſtat, quod tuſſis eſt pars reſpirationis, vt *loco citato* oſtendit Galen. Quapropter tuſſis quæ eſt actio quædam deprauata, pertinet ad eandem facultatem, ad quam pertinet reſpiratio. Quapropter reſpiratio eſt motus facultatis animalis, vt probat Gal. *libro* 2. *de motu muſcul. capite* 6. in hiſtoria ſerui, qui cum vehementi ira concitatus mortem ſibi conſciſcere decreuiſſet, poſtratus humi, reſpirationeque cohibita ſeipſum ſuffocauit; qui euentus fieri nequiret, ſi ea actio non eſſet ſubordinata voluntati, vel rationis imperio, idem de tuſſi expreſſit Galen. *lib.* 2. *de cauſ. ſympt. c.* 4. aiens: *Atque hæc quidem ſymptomata voluntariæ ſunt facultatis. Quando enim quæ fiunt, ſedare potes, ſi vis, & quæ non fiunt, facere, ſi citiùs, aut tardiùs, crebriùs, aut rariùs ea faciendi poteſtatem habes, certum eſt actiones has obedire voluntati. Totum hoc reperitur in tuſſi.* Eſt igitur tuſſis actio læſa facultatis animalis motiuæ comprimentis pectus. Qui exactiùs de tuſſi pertractare cupit, legat Petrum Garc. *in libro de locis affectis, cap. de tuſſi*, vbi ſatis diffuſè illius inquirit naturam.

*Vltimum ſignum.* Vltimum ſignum eſt pulſus durus, & ſerrinus, celer, & creber. Dicitur durus, non quia verè ſit talis, ſed quia tenſionem, & contractionem quandam videtur habere. Dicitur ſerrans, ad ſimilitudinem ſerræ; nam ſicut ſerra habet partes prominentes, quas dentes appellant, & partes depreſſas, ita accidit in pleuriticorum pulſu. Pulſus talis communis eſt omnibus inflammationibus, vt docet Galenus 4. *de cauſis pulſuum, cap.* 7. Fit ergo durus pulſus, vt ibi refert Galenus, quia omni parti inflammatæ accidit tenſio, quæ paruadit etiam arterias, ob partium communitatem, & colligantiam, licèt in eadem parte inflammata non ſint arteriæ. Accidit etiam parti inflammatæ calor præter naturam, & febris, ratione cuius vſus pulſus adaugetur, & debebat fieri magnus; cuius magnitudinem tenſio arteriæ impedit, & ſic illius defectus celeritate, & crebritate ſuppletur. Sed quia illa tenſio, & calor non poſſunt eſſe æquales in omni parte arteriæ, ideò fit pulſus ſerrans: neque enim fieri poteſt, vt partes inflammationi propinquæ non patiantur maiorem tenſionem, quàm aliæ: & partes non ſunt æqualiter tenſæ, quia non ſunt æqualiter inflammatæ. Si igitur partes

partes neruoſæ, & membranoſæ inflammatione tenentur, vt in pleuriticis, maiorem contractionem, & tenſionem arteriæ patiuntur, ideoque hæc pulſus differentia fit magis nota.

*Lethargici, & peripneumonici habent pulſus molles, & quare.*

Neque hoc fundamentum euertunt peripneumonicorum, & lethargicorum pulſus, qui magni, & molles fiunt, & tamen ſequuntur inflammationes, vt docet Galenus *libro proximè citato, cap.* 12. & 13. nam hæc & alia accidentia etiamſi propria alicuius morbi ſint, impediri poſſunt ab alia cauſa potentiori; quod dilucidè explicat Valleſ. 3. *controuerſ. cap.* 16. quod deſumitur ex Galen. *cap.* 7. *ſuprà citato*, vbi inquit, quod hæc accidentia mutari poſſunt ob ea, quæ caſu coniuncta ſunt, vel ob loci affecti naturam; laxitas enim membri, pulmonis ſcilicet, impedit tenſionem in peripneumonia, ſicut pituitæ humiditas in lethargo, quæ emollit partem affectam, & conſequenter arterias; atque adeò pulſus fiunt magni, & molles, & ſine tenſione.

## §. I.

### *De ſignis aſſidentibus pleuritidis, & aliis ſignis.*

PRæter ſigna pathognomonica, alia conſtituit Galen. 1. *aphor. comm.* 12. & *libris criſium*. Quædam dicuntur aſſidentia, quæ aliquando ſimul cum morbo inuadunt, aliquando ſuperueniunt, nonnunquam verò neque omninò veniunt; neque à morbo ſeparabilia ſunt; non tamen ſunt morbi conſtitutiua, vt ſunt ſigna pathognomonica, ſed aliquam differentiam faciunt, vt docet in pleuritide, ad iugulum v. g. dolor aſcendens aut ad præcordia deſcendens; qui quanto magis diſtenditur, & intenditur, indicat cauſæ efficientis magnitudinem, maiorem copiam, & actiuitatem, vt Galeno viſum fuit in yſagoge, *cap.* 15. *de conſtitutione artis Medicæ*. Neque ex hoc intelligi debet, quod dolor vt ſic, eſt ſignum aſſidens, cùm probatum ſit, eſſe ſignum proprium huius morbi, ſemperque illum comitatur; ſed quod dolor ſi intendatur, aut extendatur verſus partem ſuperiorem, & inferiorem, tunc ille ſecundùm hanc rationem aſſidens ſymptoma appellari debet. Huic morbo aliud ſignum accedit, nempe facilior decubitus ſupra vnum latus, quàm ſupra aliud; aut quod non afficiatur dolore magis ſi ſupra vnum, quàm ſi ſuprà aliud latus decumbat. Sed ad huius intelligentiam ſupponere oportet ex Galeno proximè citato, quod membrana coſtas ſubcingens non eſt ſimplex, ſed duplicata. Ex quo ſequitur, quod ſi pars illius exterior circa oſſa inflammatione vehementiùs infeſtatur, faciliùs, & cum minori dolore in oppoſitum latus æger inclinatur; tali enim decubitu minùs opprimitur pars affecta ab oſſium duritie. Quod ſi pars membranæ, quæ eſt intus, patitur, quod frequentiùs accidere viſum eſt, decumbens in latus oppoſitum magis dolet, quia ſuſpenditur pars inflammatione vexata. At ſi vtraque membranæ pars ſecundùm æqualitatem afficitur, non magis adaugetur dolor, ſi decumbat ſupra vnum latus, quàm ſupra aliud. Verumtamen ſi dolor ſit ſpurius, & inflammatio muſculos intercoſtales, aut perioſtion afficiat, aliamve partem exteriorem, tunc ſupra latus affectum cubare eſt perdifficile, comprimitur enim pars inflammata, & dolor intenſior producitur.

*De ſignis coctionis.*

His finitima ſunt ſigna coctionis, & cruditatis, quæ etiam ſigna mox apparentia vocitantur, quæ in hoc morbo præcipuè deſumuntur ex ſputo, vt

A aſſerit Hippoc. textu ſuprà allegato, dum inquit: *Ex his, quæ mox apparent, indicia ſumuntur; quemadmodum in morbo laterali, ſi ſputum circa initia appareat, morbum breuiat; ſi verò poſteà appareat, morbum producit*. Coctiones equidem morbi celeritatem, & ſecuritatem oſtendunt, adeò vt Gal. aſſerat 3. *de criſibus*, ſe neminem vidiſſe intereuntem, qui cum ſignis coctionis criſim habuiſſet.

*Quæ in ſputo conſideranda.*

In ſputo veniunt conſideranda quantitas, qualitas, tempus exeundi, & modus exitus illius. Quantitas, an ſit pauca, vel multa; quod coniectura artificioſa aſſequi debemus. Qualitas attenditur in colore, figura, & ſubſtantiæ modo. Si enim flauum ab initio valde ſit permiſtum ſputo, bonum eſt; flauum verò ſincerum, & impermiſtum malum, ſicut liuidum, viride, & nigrum ſputum eſt
B mortale, vt deducitur ex Hippoc. 2. *prognoſtic.* Ex ſapore, nam ſalſum, & amarum ſignificat humorem corroſiuum, & bilem dominantem, & ſic de reliquis. Dignoſcitur etiam ex ſubſtantiæ modo, nam ſputum, vt excernatur, medioctem conſiſtentiam habere debet in craſſitie, & tenuitate; & ſi ab iis recedit, neque tuſſi benè excernitur, neque laudatur, vt deſumitur ex Galen. 4. *de locis affect. c.* 8. Sputi figuram conſiderare iubet etiam Hipp. 2. *prognoſt. text.* 45. vbi reiicit figuram rotundam, & glutinoſam cum candore tanquam inutilem, quia ſignificat pituitam propter caloris vſtionem talem craſſitiem, & figuram comparaſſe, vt notat Galen. *in commento*. Præterea oportet conſiderare tempus exitus, & modum exeundi, ita vt dicat Hipp. *eodem libro, textu* 43. *Oportet in omnibus morbis circa pulmonem, & circa coſtas citò, & facilè ſpu-*
C *tum ſpui*. Vbi illa particula *citò*, tempus denotat; nam ſi ſputum circa initia appareat, morbum breuiat; ſi verò poſteà, illum producit, vt ex eiuſdem ſententia traditum eſt. Illa particula *facilè*, modum exeundi ſignificat: exit facilè ſputum ob ſubſtantiæ modum, & facultatis robur: quod ſi facultas ſit debilis, ſputumque craſſum, aut tenue, difficilè excernitur.

Alterum ſignum adducere ſolent, videlicet quod pleuritici vinum appetunt, quod eſt vulgariter receptum, licèt antea vinum non guſtauerit æger; quod quidem ſine fundamento dicitur, cùm non ſemper iſte morbus ab eadem cauſa proficiſcatur; & etiam in aliis morbis idem contingere ſolet, neque huius euentus cauſa ſufficiens aſſignari poteſt.

Alia inſuper ſigna ſunt ſalutis & mortis, quæ prognoſtica vocamus. Quicunque ergo morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non
D repurgantur, ii ad ſuppurationem vertuntur, ex Hippoc. 5. *aphor. textu* 8. verùm ſi ſuppuratio ſuperuenerit, & in quadraginta diebus à die quâ fit ruptio, expurgantur, liberantur; ſi verò non, ad tabem tranſeunt, ex eodem Hipp. *ibi, textu* 15. Quod ſi pulſus magnoperè durus, paruus, celer, & creber fuerit, cum tali pulſu neminem vidit ſeruatum Galenus, vt ipſe aſſerit 4. *de præſag. ex pulſib. capite* 5. Præterea à pulmonia, & pleuritide habito, fluxus alui ſuperueniens malum, ex Hip. 6. *aphoriſm. textu* 16. faciliùs enim humor per ſputum euacuatur; & quia à pleuritide detentus debilis redditur ob alui euacuationem, ita vt non poſſit humorem per ſputum expurgare, à quo poſtea ſuffocari ſolet. Aut dicendum eſt, quod fluxus alui eſt malus vt ſignum, quatenus humor ille non eſt à natura regulatus, licèt vt cauſa prodeſſe videatur, quatenus per illum morbi cauſa euacuatur. Verùm ſi ſigna coctionis appareant, & per modum

dum criſis fiat,vtilis eſſe poterit, vt Galenus *in illius textus comm.* oſtendit. Reliqua ſigna, vt alui egeſtio,& vrina ſunt communia,quæ etiam ad futurum euentum præſagiendum conferunt, vt in aliis morbis, vt docet Auicenna: non tamen primum tenent locum,vt ſigna pathognomonica,neque illis eſt æqua dignitas in hoc morbo, vt ſputis,vt ait Galen. 1. *de criſibus, cap. 3.*

## §. II.

### *In quo latere pleuritis ſit deterior.*

*Auic. ſententia.*

HÆc quæſtio eſt etiam neceſſaria, vt ſciamus, quam ſalutis ſpem habere poſſumus ex pleuritide iuxta partis affectæ diuerſitatem. Auic. ait, quod pleuritis propinqua parti ſiniſtræ eſt deterior; ſed conuenientior ad hoc, vt maturetur, & recipiat reſolutionem, ſi fuerit de proprietate eius, vt recipiat illam. Et illa, quæ remotior eſt à parte ſiniſtra, eſt ſalubrior, verùm ipſa eſt ex parte reſolutionis, & maturationis magis inobediens.

*Illius improbatio.*

Sed hæc Auic. verba non decidunt quæſtionem, ſed pro vtraque parte argumenta proponunt, quæ nihil concludunt:imò malè aſſerit, quod pleuritis in latere ſiniſtro eſt conuenientior ad maturationem, & reſolutionem; ſic enim neceſſariò parti ſiniſtræ intenſiorem calorem tribuere debet, vt melior fiat reſolutio; nam reuerà illud latus eſt tantò frigidius, quantò lien hepate; cor enim in medio thoracis eſt conſtitutum.

Nec valet ſi obiicias, quod ſiniſter cordis ventriculus eſt ad partem ſiniſtram, qui calidior eſt ventriculo dextro, & arteria magna oritur à ſiniſtro cordis ventriculo. Nam arteria magna ſtatim dextrorſum reflectitur ad ſpinam,& ramos inde in vtramque partem mittit,ſed in dexteram ampliores,vt ex actionibus partis dexteræ percipitur, quæ vegetiores, & fortiores ſunt, vtpotè quia à parte calidiori, & robuſtiori fiunt: quam doctrinam tradit Valleſ. 7. *epidim. ſuper textum* 13.eamque tetigimus capite de paralyſi, quæ eſt ad mentem Ariſt. 4. *de natura anim. cap. 2.* vbi ait: *Parte enim dextera efficaciora ſunt ſuapte natura animalia omnia,atque calidiora.*

*Quid dicendum.*

Quapropter exiſtimo, pleuritidem dextri lateris eſſe deteriorem, vt ſentiunt Rhaſis 3.*continent.* Valleſ. *loco cit.* & Petrus Garcia *de locis affect. diſput.* 44. *cap.* 7. Ad cuius probationem ſupponere oportet, quod reſpectu ſitus,& loci, in quo fit inflammatio, poteſt eſſe deterior in latere ſiniſtro, quàm in dextro, vt ſi ibi eſſet cordi propinquior, neceſſariò periculoſior erit, quàm ſi eſſet in parte dextra, & à corde ſeparata; in hoc enim paritas ſeruari debet, ſicut in aliis,vtpotè in inflammatione,& dolore.

*Probatio concluſionis.*

Quibus ſuppoſitis probatur concluſio; nam morbus magnus dicitur ob principatum partis, ſicut per eſſentiam, & cacohetiam, vt conſtat ex Galen. 4. *methodi, cap. 6.* ſed pars dextra pectoris eſt principalior ſiniſtrâ: ergo morbus illius erit maior quàm morbus ſiniſtræ. Maior ab omnibus admittitur,minor probatur ex Ariſt. *textu ſuperius citato*, vbi animalia eſſe calidiora, & perfectiora ſecundùm partem dexteram aſſeruit. Secundò,nam perfectio alicuius membri dignoſcitur ex perfectione actionis illius: ſed actio partis dexteræ eſt fortior, & perfectior actione ſiniſtræ: ergo & pars dextera perfectior eſſe debet.

*An latus dextrum ſit robuſtius ſiniſtro.*

Pereda *in Paſchalis meth. ſcholio* 2. reſpondet, latus dextrum non eſſe calidius, nec robuſtius ſiniſtro. *Neque vos* (inquit) *decipiat brachium dex-*

A *trum, quia non eſt par ratio; nam brachium dextrum plus mouetur, & exercetur quàm ſiniſtrum,& ideo calidius, & robuſtius eſt; quod lateri ſiniſtro non accidit.* Quæ ratio falſo nititur fundamento; nam non ſolùm ex motuum conſuetudine brachium dextrum calidius, & robuſtius euadit, ſed hoc habet ex natura ſua: quod etiam patet in crurum motione,nam quamuis vtrumque crus æqualiter moueatur ab initio,dextrum tamen crus faciliùs,& fortiùs mouetur ſemper:& in compoſitione naturali plures infantes dum eduntur in lucem,habent brachium, & crus dextrum maioris molis,& dimenſionis latitudinalis, quàm ſiniſtrum. Et hoc à ſimili probari poteſt; nam puer ſiniſter, quem noſtrates *zurdo* appellant, habet naturaliter brachium ſiniſtrum robuſtius, & calidius: ergo puer dexter habebit etiam naturaliter brachium dextrum robuſtius,& calidius. Patres enim à filiorum infantia ligant manum ſiniſtram,vt cohibeant manus,&

B brachij ſiniſtri actionem, quam filij ſiniſtri naturaliter efficere cupiunt:& hoc tamen non ſufficit vt pueri non maneant ſiniſtri, & cum maiori vi brachij ſiniſtri, quàm dextri: ergo in tali caſu talis perfectio actionis non ex motu aſſueto, ſed ex vi naturæ reſultat. Hæc equidem obſeruatio quotidie accidit,quam negare non poſſumus.

Tandem id probatur ex Hipp. 2. *de morbis, textu* 51. vbi agens de ſuppuratione aſſerit, quod ad apertionem thoracis optandum eſt, vt pus ſit in latus ſiniſtrum, & hunc locum ſi ſeces, minùs lethale eſſe. Si igitur ſectio lateris ſiniſtri minus periculi habet quàm lateris dextri, idem eſt dicendum de morbis illius lateris,& conſequenter,quod pars ſiniſtra eſt ignobilior dexterâ,quod ipſe confirmat 3.*de morbis,textu* 27. dicens: *Dextras vrere,*

C *& ſecare,lethalius eſt.* Rationes verò,quas in contrarium adducunt Gentilis de Fulgineo, & Brauo 2.*progn.* facilem ſolutionem admittunt.

## §. III.

### *Curatio pleuritidis.*

QVoniam frequenter plurimos corripit pleuritis,multoſque è medio tollit,oportet quammaximè eius curationem inueſtigare; & morem ſolitum inſequentes,aërem in calore, & frigiditate temperatum, aut ad calorem vergentem reſpirent; nam frigidum pectori,& partibus neruoſis eſt inimicum, Authore Hipp. 5. *aphor. text.* 18. euitent animi paſſiones, aluus lenibus clyſteribus eſt ſub-

D ducenda, ſomnus ſit moderatus.

Victus ſit in principio tenuis, neque in principiis eſt vberiùs cibandum, vt in aliis morbis iuſſit Hippoc. nam iſte morbus dependet ex inflammatione, in quo cibandi ordo variatur, vt diximus *tract. de phrenitide*, ex Auicen. ſententia, qui debet eſſe varius pro morbi temporum varietate; nam in principio ſi morbus ſiccus ſit,nihilque exſpuat æger, non multùm dare oportet. Quod ſi os madeſcat,& talia exſpuuntur,qualia oportet,ſorbitionem adaugebis; & quantò copioſior fuerit expurgatio, tantò magis ad indicationem vſque dare oportet, vt monet Hipp. 1. *de ratione victus, textu* 23. *& ſequentibus.* Dum enim per ſputum expurgatur,victum dare eſt neceſſe, ne virtus, quæ per ſpuitionem langueſcit,in totum deſtruatur,ſed potiùs corroboretur, vt Galenus docet *in comm. textus allegati.* Conueniunt ergo manè ptiſanæ cremor largè decoctus,donec quod flatuoſum ſit, depoſuerit; veſpere autem amygdalarum ſuccus, ex Traliani

Traliani conſilio ; aut accipiant ius pulli cum mica panis ante miridiem, noctu verò amygdalatum cum ſaccharo, aut poma dulcia aſſa. Ex amygdalis quoque,& ſaccharo dulcis panis efficitur, qui eis pro cibo offertur. Quod ſi vires debiles appareant, ciborum quantitatem adaugebis, quibus vtilia ſunt ius,& caro pulli, oua ſorbilia, mala granata dulcia,pruna damaſcena,& ceraſa dulcia. Potus ſit aqua hordei ſaccharata,dactylorum,aut liquiritiæ, aut aqua mulſa,præſertim in pleuritide à ſanguine pituitoſo, & melancholico ; qui potus propinetur in æſtate tepidus,in hieme calidus,vt notat Auic. & aduertit Matthæus de Gradi, ne ab illius frigiditate pectus offendatur : cum hoc tamen in ingentibus inflammationibus, & febribus nimis ardentibus frigidus eſt offerendus. A vino abſtinendum eſt,niſi in magna virium iactura, aut in morbi declinatione manifeſta ; vinumque debet eſſe album, & ſubtile,multæ aquæ permiſtum.

His ſic debitè inſtitutis, ſi pleuritis,ab initio mitis ſit,& dolor eluceat ſine ſignis redundantiæ humorum in toto corpore,illum calidis fomentis auferre tentabis, vt præcipit Hipp. 2. *de ratione victus*, *text.* 1. fomenta enim calida ſanguinem per halitum digerunt,& inducendo cuti raritatem, humorem attenuatum,& in vapores conuerſum euacuant,vt in illius textus commentario Galen. conſcripſit. In quem vſum accommodari poſſunt lintea calida,aut ſacculi ex furfure, ſale, & floribus camemali toſtis,aut ex milio,qui actu calidi applicentur. Quod ſi iis dolor non mitigetur,ſed potiùs adaugeatur,ſignum eſt,quod ex vi caloris plus ad partem attrahitur, quàm reſoluitur, & quod in corpore adeſt humorum ſarcina, vt aſſerit Tralian. quo tempore iis relictis, ad efficaciora præſidia eſt deueniendum. Sed quia in humorum redundantia aliqua euacuatione reuulſoria eſt opus, quæ bifariam fieri poteſt,ſanguinis ſcilicet miſſione, & expurgatione, dubium ſequens reſoluendum eſt.

## §. IV.

### *An pleuritidis curatio ſit inchoanda à ſanguinis miſſione, vel expurgatione.*

HÆc difficultas fundamentum habet in verbis Hippoc. qui 2. *de ratione victus,text.* 10. ait : *Quod ſi dolor ad clauiculam pertigerit, & ad partes ſuperiores,internam cubiti venam ſecare expedit.* Et textu ſubſequenti inquit : *Si verò eas,quæ ſub ſepto tranſverſo ſunt, partes dolor infeſtat, nullumque ad clauiculam ſignum fecerit, vel nigro veratro,vel peplio mollire oportet.* Ex quo colligitur, quod in dolore aſcendente ſanguis eſt mittendus, & in deſcendente eſt expurgandum. Conſiderat enim ibi Hippocrates naturæ motum per loca conferentia,quò maximè natura vergit, & eò ducere intendit : quam doctrinam Paulus, & Aëtius obſeruarunt.

*Galeni doctrina vera.* Galenus tamen Hippocratis placitum damnat ; nam in acutis paſſionibus rarò in principiis medicinis purgantibus eſt vtendum, & hoc cum præmeditatione faciendum, vt ipſe Hipp. teſtatur 1. *aphor.comm.* 24.& cum pleuritis ſit morbus acutus cum febre vehementi, nequaquam eſt in illius principio expurgandum, donec remittatur febris, vt ipſe etiam docet *lib. de medic. expurganti* ; nam facilè purgantium vſu ſuccenditur febris,& aliqui difficulter purgantur,aliqui verò copioſè ; atque adeò vt ſecùrius auxilium iubet ſanguinem mittere in vtraque pleuritide,quamuis minus auxilium quàm per expurgationem ſequatur : quod confirmat *lib. quos,quando,& quibus,&c.* vbi in inflammationibus interioribus purgationem interdicit, ne commotis humoribus adaugeatur inflammatio. Vlteriùs ratione id ſuadetur ad minùs in pleuritide deſcendente, quæ fit ex ſanguine ; in qua nemo ſanæ mentis compos medicamentum expurgans propinabit, cùm nullum ſit medicamentum ſanguinem attrahens, niſi deleteriam facultatem habeat, vt omnes concedunt.

Quare ſi in prima regione æger cruditatibus abundet, optimum auxilium eſt eas enematibus educere, aut aſſumat æger ℥.j. pulpæ caſſiæ cum ſaccharo in morſellorum forma,aut ipſam aſſumat cum ſyrupo ex infuſionibus violarum,& decocto pectorali.

*Qua vena ſecanda eſt.* Deinde ſtatim ſanguis eſt mittendus ex baſilica eiuſdem lateris, quod auxilium maximè expoſtulatur, nam reuellit,euacuat, & deriuat, vt omnes concedunt.

Quod autem venæ ſectio fieri debeat ex eodem latere ( relictis Arabum ſententiis ) docuit Hipp. 4. *de ratione victus,text.* 73. vbi iubet venam brachij ſecare, quâ dolor afficit parte. Idem aſſerit Galen. *in comm.* & *lib. de ſanguin. miſſione,c.* 16. vbi hæc tradit verba : *Quin pleuriticis quæ è directo laborantis lateris adhibita fuit ſanguinis miſſio, clariſſimam ſæpe vtilitatem attulit ; quæ verò ex brachio oppoſito, aut omninò obſcuram, aut certè poſt temporis internallum.*

Neque valet ſi obiicias, quod Hippocrates, & Galen. vſi ſunt ſanguinis miſſione ex eodem brachio grat iâ deriuationis,& euacuationis, non tamen causâ revulſionis : nam ſic ſanguinem extrahere debebant ex partibus diſtantiſſimis,vt conſulit Auic.qui iubet ſanguinem mittere ex ſaphœna eiuſdem lateris, mox ex brachio oppoſito, deinde euacuationis gratiâ ex eodem latere ſanguinem extrahere iuſſit. Quæ doctrina videtur habere fundamentum in verbis Hipp. *lib. de natura humana, comm.* 3. *text.* 9. vbi aſſerit,quod ſectiones venarum fieri debent quammaximè longè à regionibus, in quibus dolores fiunt ; ſic enim humorem fluentem permutabimus, nec in poſterum in eundem locum colligetur ; humoribus etenim fluentibus, retractio medela eſt,quæ ex diſtantiſſimis partibus facta maiorem humoris fluentis diſtractionem facit. Hoc, inquam,non valet;nam Gal. revulſionem facit ſanguine detracto ex eodem latere, vt præcipit *lib. de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem,cap.* 15. vbi inquit : *Reuulſio in directum facta euidentem vtilitatem adfert ; quæ verò ex contrario, aut nocet, aut non iuuat.* Sic enim ſeruatur partium rectitudo, quam in euacuationibus ſeruare iubet Hippoc. 6. *epidim. ſect.* 2. *text.* 12. quam quidem ſeruat natura, ſi rectè operatur, vt oſtendit Galen. 3. *de criſibus,cap.* 1. de hepatis inflammatione ſermonem inſtituens, vbi ſic : *Oportet autem per directum fluere ſanguinem, ex dextra quidem nare,hepate patiente,vel locis in dextris præcordiis poſitis ; ex ſiniſtra autem,liene, & locis vicinis.* Et 13. *method. cap.* 11. inquit,quod ſi ſanguis ad iecur fluit, internam dextri cubiti venam ad reuellendum ſecare oportet, & hoc non aliâ de cauſa, niſi propter rectitudinem,ſocietatem, & colligantiam membrorum inter ſe, faciliùs enim iecur deponit ſua excrementa in partes,quæ ſibi lateris conſortes ſunt,vt inſinuat Valleſ. 7. *controuerſ. c.* 4. nam ex iecoris plenitudine fiunt bubones in inguine dextro ; & in iecoris inflammatione ſanguis pro-

fluit ex nare dextra,& in manu,& pede dextro maior percipitur calor quàm in ſiniſtris: & idem porportionaliter dicendum eſt de aliis partibus,ita vt ſi quæ ſeruetur oppoſitio partium, vt Arabes ſentiunt, in ſanguinis extractione, ſeruari tamen debet rectitudo partium dextrarum cum dextris, & ſiniſtrarum cum ſiniſtris, vt voluit Hippocrates, in quibus datur etiam oppoſitio,& contrarietas,quam Arabes expoſtulant, ſiquidem in latere dextro (verbi gratiâ) reperitur ſurſum & deorſum,dextrum & ſiniſtrum; nam pars dextra reſpectu brachij dextri ſe habet vt ſiniſtra; & pars ſiniſtra lateris ſiniſtri ſe habet vt dextera reſpectu brachij ſiniſtri; & ſic de aliis oppoſitionibus, ſiquidem in ipſis partibus reperitur longitudo, latitudo,& profunditas,ſeu ſurſum,& deorſum,dextrum & ſiniſtrum,ante,& retrò: nec oportet omnes diametros tranſgredi dum reuellimus, in eorum opinione, ſed ſecundùm magis remotum à parte affecta; quod quidem benè facimus ſanguinem euacuando ex brachio lateris affecti; quæ euacuatio licèt vnum ſit auxilium, eſt tamen virtute multiplex; nam reuellit, euacuat, & deriuat, & alia commoda efficit: quæ omnia conſequimur ex venæ eiuſdem brachij ſciſſione; ſi verò ex aliis partibus diſtantioribus talis reuulſio fiat, hæc omnia ſimul conſequi nequibimus, ſed ſolùm reuulſio fiet. Hanc tuentur ſententiam ferè omnes Medici Græci, & ex recentioribus Vega, Valleſ. Donatus Antonius, Victor Trincauellus, Mercatus, & alij quamplurimi, & eſt communis praxis, ita vt Arabum ſententia ſit iam perpetuæ obliuioni tradita.

*Sanguinis miſſio eſt auxilium multiplex.*

*Vſquequò ſanguis mittendus.*

Euacuare igitur oportet ſi vires conſentiant, donec ſanguis rubidior,vel flauior appareat, quod ſignum demonſtrat iam aliquid ex parte inflammata euacuari,quod iubet Hippocrates eſſe faciendum 2. *de ratione victus*, *textu* 10. vbi ſanguinem mittere vſque ad coloris ſanguinis mutationem præcipit.

*Quæ conſideranda in ſanguinis miſſione.*

In cuius remedij exequutione veniunt conſideranda ætas, conſuetudo, regio, & tempus. Per ætates quidem in pueris minus detrahimus quàm plenitudo commonet, docente Galeno *lib. de ſanguin. miſſione*, *cap.* 13. Habent enim ſubſtantiam facilè euaporabilem,atque adeò minori egent euacuatione; quam quidem in aliis ætatibus efficimus habitâ ratione habitus. Candidi enim minorem euacuationem ferunt, & qui calidi nimis, & ſicci ſunt,ab integris euacuationibus offenduntur, & qui euacuationibus non ſunt aſſueti, præſertim tempore nimis frigido, aut calido. Quæ omnia obſeruare docet Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 13. & *lib. quos, quibus,& quando purgare conueniat.*

*Dubium maximum circa venæ ſectionem.*

Sed eſt locus difficilis ex Hippoc. *libro de humoribus, propè finem*, vbi aſſerit impedimentum in ſpuentibus cruenta ad venæ ſectionem eſſe anni tempus, & pleuritidem, &c. Ergo ex mente Hipp. dum in pleuritide exit ſputum cruentum, non eſt mittendus ſanguis. Huic dubio facillimè ſatisfacies, ſi in memoriam adduxeris Hipp. mentem *lib.* 2. *de rat. vict. in morb. acut.* vbi lateris dolorem calidis fomentis diſſoluere tentare iubet. Cùm enim pars plegmone obſidetur, fomenta calida ſanguinem attenuare, & in halitus digerere conſueuerunt,quibus mitior reddi ſolet dolor,reddita minori partis diſtenſione ob vaporis ſanguinei abſumptionem; quo tempore etiamſi ſputum cruentum ſit,non expedit venam ſcindere,quia ex fomentorum vſu ſufficienter euincitur morbi cauſa. At ſi fomentis calidis adhibitis dolor adaugetur,ſignum eſt,quod ſanguis non diminuitur, imò pars affecta calore plus trahit quàm euaporet, & corpus pluribus humoribus eſt refertum; tuncque inſigni aliqua euacuatione eſt opus,neque licet differre ſanguinis miſſionem. Hæc doctrina conſonat veritati doctrinæ Gal. *lib.* 2. *de rat. vict. comm.* 1. Neque alium commodiorem explicandi modum inuenio.

§. V.

### *De aliis remediis in pleuritide exercendis.*

PRæter ſanguinis miſſionem conferunt etiam frictiones,& cucurbitulæ partium inferiorum, vt ſic diſtrahatur humor. Sed quia dolor nimis infeſtare ſolet,exteriùs ſunt admouenda anodina,repellentia enim non conueniunt, quia affectus eſt iuxta partem principem. Conuenit ergo partem dolentem inungere oleo amygd. dulcium, cum axungia gallinæ,& anatis,vel vnguento,quod recipit olei camem.& amygd.dulc.ana ℥.j.butyri recentis,axungiæ gallinæ,& anatis,ana ℥.ß. miſce, & cum cera fiat vnguentum. Valet etiam vnguentum pleuriticum dictum. Quod ſi humoris craſſi, & frigidi ſigna appareant, calidiora erunt ex vſu, vt oleum camemal. lumbric. & anethi, ex quibus cum dialthea compoſita vnguentum formabis; aut emplaſtrum filij Zachariæ ad vnguenti formam redactum.

Vtilis etiam eſt veſſica bubula oleo calido ſemiplena, & lateri patienti applicata. Idem efficit decoctum florum camem. meliloti, fœnugræci, & ſimilium in veſſica appoſitum. Poſt ſeptimum autem diem ſi dolor perſiſtat, cucurbitula lateri affigenda eſt, & cutis ſcarificanda; manifeſtiſſima enim vtilitas in pleuritide ex cucurbitæ appoſitione apparet, vt inſinuat Aëtius, præſertim in dolore laterali ſpurio, in quo exteriora magis vexantur; faciliùs etenim per cucurbitulam humoris ad extra fit attractio. Vlcuſcula etiam loci ſcarificati ſale, aut nitro ſunt inſpergenda, ſi ſuſtinere queant, vel linteum oleo madefactum, ac ſale conſperſum ſuperponatur. Sequenti verò die à ſcarificatione, optimum eſt rurſus cucurbitam affigere, qua ſanguis ſanioſus ex dictis vlcuſculis extrahatur; non enim ſanguis, ſed ſanies in ſecunda cucurbitæ admotione extrahitur, vt notat Aëtius,qui etiam laudat braſſicæ radicem ſiccam vnà cum caulis exuſtam,vetere ſuilla ſufficienter exceptam; aut ſulphur tenuiſſimè tritum cerato liquefacto inſperſum; præclarè enim diſcutiunt,& reſoluunt,& dolores ſic mitigant. Quæ omnia ſedatâ fluxione adminiſtrari debent; nam eorum nimius calor maiorem ad partem fluxionem concitabit, & attractionem.

*Quæ ore aſſumuntur.*

Lingenda pariter damus ea, quæ ſputum ad expulſionem aptum reddant. Sed conſiderare oportet,an craſſum,viſcidum,an tenue fuerit, quocumque enim modo ad mediocritatem reduci debet, vt docet Gal. 4. *de locis affect. cap.* 8. Si enim tenue ſit, illud incraſſabimus ſyrupo violarum, iuiubarum, & de papauere; ad quod etiam iuuant tabellæ diatragacanti frigidi. Sputum verò craſſum attenuabimus ſyrupo capillorum Ven. liquiritiæ, de praſio, aut aquâ mulsâ, aut loch de pino, vel ſano, & experto, aut diaphœn. vel diatragacanto calido, & ſucco liquiritiæ. Quod ſi ſputum ſit tenax,& viſcidum, iis admiſcebimus aliquid oxymelitis ſimplicis, vel ſyr. acetoſi. Tandem ſi iis non cedat dolor, neque medicamentis,neque aliter auferatur, expectare oportet ſuppuratione futuram,cuius ſigna, &

curatio

curationem ſcripta reperies *cap. de empyemate*. Sunt etiam aliqua amuleta, quæ huic morbo proficere ſolent, quorum duo probatiora referam. Primum eſt dens apri in pollinem redactus, qui ſumi debet in decocto pectorali, aut aliquo ex ſyrupis conuenientibus, ex Octauio Lando. Alterum denique eſt pomum odoratum, & flauum, ab interioribus ſeminibus mundatum, & olibano impletum; deinde operculo eius ſupradicto ſub cineribus coquatur perfectè, & ſine vſtione, & in partes diſſectum ægro ad comedendum præbeatur; quod auxilium adduxit Alexius Pedemont. *Amuleta pro pleuritide.*

Tandem ſi febris remittatur, & accidentia mitigentur, humorem euacuabimus aliquo medicamento expurganti iuxta humoris peccantis ideam, in quem vſum accommodantur manna, caſſiæ pulpa, diaprunum ſimplex, & compoſitum, elect. de dactylis, rhabarb. infuſio in decocto pectorali, & ſyrupus ex 9. infuſionibus violarum, ex quibus morſellos, aut potiones effinges; & humoris reliquias conteres.

## CAPVT VII.

### *De cordis palpitatione.*

GAlenus 1. *de differentiis pulſuum, c.* 2. ex antiquorum ſententia nomen palpitationis motui arteriarum tribuit: quod deſumi poteſt ex Ariſtot. *lib. de ſpiratione*: at 2. *de cauſis ſympt. c.* 2. inquit, quod palpitatio eſt quædam dilatatio præter naturam. Sed rem magis attingens *lib. de rigore, tremore, & palpit. c.* 5. illam exactiùs definiuit, dicens: *Palpitatio eſt inuitale leuatio depreſſioque membri.* *Quid ſit palpitatio.*

Sed antequam examinemus, qua ratione palpitatio fiat, oportet illius cauſam immediatè adducere, quà cognitâ facilè illius naturam inueſtigabimus. Palpitationis cauſam tradit Galen. *lib. & cap. proximè citatis*, dum ait: *Palpitationis cauſam eſſe pro nuncio ſpiritum craſſum, & vaporoſum, cui non ſit tranſitus.* Idemque aſſerit 1. *de differ. pulſuum, cap. etiam citato*, vbi ait: *Neceſſe eſt cauſam, vnde palpitatio exoritur, aëream eſſe ſubſtantiam.* Probatque, non poſſe eſſe humorem, ob facilem palpitationem ſolutionem, & motus celeritatem, qui illicò fit, & ſtatim deſinit: & quia nullus eſt humor, qui ita celeriter influat, & refluat, ideo exiſtimare oportet illius cauſam immediatam eſſe aëream naturam, quæ in cauitate collecta, neque inueniens exitum, partem diſtendit, & motum efficit dilatationis. *Illius cauſa.*

His intellectis, motum dilatationis (nam de compreſſionis motu poſteà erit ſermo) exiſtimant quidam fieri à vaporum, ſeu flatuum leuitate, qui cùm ex ſua natura leues ſint, ſurſumque moueantur, ſecum deferunt partem, ipſam dilatando. Sed hæc ratio facilè conuincitur, ſiquidem experimur talem dilatationem etiam fieri ad latus, quando aliquà pars impellit vaporem versùs latus. Similiter ſi pars, quæ dilatatur, ponatur versùs centrum, non ceſſat ille motus; quo tempore non poſſet moueri flatus deorſum ſua leuitate, quia eſt potentia naturalis determinata ad vnum, nempe ad motum ſurſum. Cùm ergo adhuc tunc moueatur flatus, & partem dilatet, neceſſariò ad illam cauſam eſt reducendus talis motus flatus deorſum. *Dilatatio quomodo fiat.*

Quapropter dicendum eſt, dilatationem in palpitatione fieri à flatu, non tamen ſemper moueri à leuitate, ſed à parte, in qua flatus continetur: pars

A enim à flatu irritata impellens flatum, eſt cauſa motionis illius, ad quam ſequitur, quod pars dilatetur flatu partem diſtendente.

Sed hæc doctrina videtur eſſe contra Galenum, qui 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 1. ait: *Solius morbi opera ſunt palpitatio, & conuulſio.* Ergo ad palpitationem efficiendam non intercedit actio naturæ, ac per conſequens vt fiat palpitatio, natura non debet impellere flatum; nam eo caſu motus dilatationis partim fiet à natura, partim ab ipſo morbo. *An dilatatio ſit motus à natura factus.*

Petrus Garcia inquit, nequaquam eſſe admittendam Galeni doctrinam de motu dilatationis in palpitatione, ſiquidem talis motus à natura initium habet. *Petri Garciæ opinio.*

Sed ne à Galeni doctrina recedamus, dummodo commodè explicari poſſit, & non ſit fundamentum efficax, quod ad eius doctrinæ impugnationem nos cogat, ideò dicendum eſt, illius placitum verificari in palpitatione; nam poteſt contin- *Quid ſequendum.*
B gere, quod vapor includatur in alicuius partis cauitate, qui propriâ leuitate ſurſum aſcendendo partem dilatet, & ſurſum extendat: ergo tunc talis dilatatio non eſt reducenda ad impulſum ipſius partis, ſed potiùs ad leuitatem ipſius flatus. Reſpondet Petrus Garcia, quod quando fit motus ſurſum, ad illum pars etiam concurrit impellendo flatum. Contra cuius ſolutionem ſic inſurgo.

Si per poſſibile, vel impoſſibile actio illa naturæ impediretur, tunc adhuc vapor, ſiue flatus incluſus in parte manet cum propria leuitate: ergo ab illa ſurſum mouebitur: ergo ad eius motum ſequetur dilatatio partis, in qua continetur; & conſequenter dicendum eſt, quod motus ille ſine partis actione perfici poteſt. Cùm ergo palpitatio *Acuta reſponſio.*
C ex ſua natura non expoſtulet actionem partis, ad producendum motum dilatationis, ideò bene Gal. doctrina ſaluatur dum ait, quod palpitatio, & conuulſio ſolius morbi opera ſunt; nam quamuis naturâ adiuuante multoties palpitatio fiat, id tamen non requiritur ex ſua natura.

Sed explicare oportet, à quo fiat alter motus, qui eſt depreſſio? Et relictis aliis, dicendum eſt, fieri à flatu ipſo impulſo à parte, cui ſubiacet; nam quando flatus impellit partem, vt dilatetur, pars ipſa reſiſtit, & flatus exire non poteſt, & ſic ab illa illi communicatur impulſus: qui impetus cùm vincat priorem motum, alium contrarium producit, ſicut dum pila ex pariete reſilit. Ex quo non ſequitur, quod ille motus fiat à parte ſecundùm aliquam potentiam naturalem vitalem, ſed naturali- *Depreſſio à quo fit.*
D ter fit, ſicut per reſiſtentiam naturalem cuiuſlibet corporis inanimati fieri ſolet, vt patet in pariete, quando pilæ reſiſtit; atque adeò talis depreſſio non eſt opus naturæ animatæ vt ſic, cum quo verè Galeni doctrina elucidata manet.

Pars affecta in palpitatione eſt quæuis pars, quæ dilatari poteſt: porrò ea eſt, quæ naturaliter eſt mollis, ita vt tum dilatationem ſui tolerare, tum rurſus in ſe ſidere poſſit. Neque palpitatio eſt paſſio voluntariæ virtutis propriè, neque inſtrumentorum ad hanc ſpectantium, vt docet Galenus 2. *de cauſ. ſympt. c.* 2. quibus conſtat palpitationem differre à tremore, quia tremor eſt motus imperio voluntatis ſubiectus, vt ſuo loco diximus. Conſtat etiam pati poſſe palpitationem quæcumque membra apta ad compreſſionem & dilatationem; & quia cor in ſe habet cauitatem, ratione cuius poſſit dilatari, & comprimi, & ex alia parte non repugnat, quod ab aliqua cauſa præter naturam excitentur flatus, qui vnius, aut alterius ventriculi cauitatem repleant, qui etiam intra *Pars affecta.*

pericardion colligi poſſunt, ideo cenſendum eſt, cor veram pati poſſe palpitationem.

*Quæ actio lædatur.* Eſt præterea hoc ſymptoma ex eis,quæ in actione deprauata conſiſtunt,nam fit motus, qui minimè fieri deberet,vt docet Gal. 2.*de cauſ.ſympt.c.*1. vbi inter motus illegitimos palpitationem connumerat.

*Quis morbus ſit.* Sed quia omne ſymptoma oritur à morbo, dicendum eſt, vaporem illum efficienter produci à calore diminuto, qui materiam craſſam attenuando,& in flatus vertendo palpitationem cauſat. Circa hoc lege caput de vertigine,nam de vtroque eſt eadem ratio.

*Signa.* Dignoſcitur facilè cordis palpitatio ex ægri relatu; nam præter pulſum motum palpitationis ſentiunt à pulſu maximè diuerſum, & ſupra cor manus admota palpitationis motum à pulſu facilè diſtinguit,& quoſdam cordis ſaltus percipit. Si verò fiat ob aquoſum humorem in pericardio contentum,cùm in quantitate modum exceſſerit,cognoſcitur ex cordis motu; mouetur enim cor ſicut in aqua ſubmerſum, & cum ſonitu, ita vt non ſolum ab ægro, ſed à reliquis præſentibus ſonus ille percipiatur,vt docet Galen. 5.*de locis affect. cap.*2. exemplo ſimiæ, quam ipſe diſſecuit.

Solet etiam præcedere refrigeratio, ratione cuius cutis conſtipatur, debileque membrum redditur,& quod eſt ſub eo, à calore debili attenuatur, & in vapores craſſos,& nebuloſos conuerſum, huius ſymptomatis eſt cauſa immediata; nam ſi tenues ſint vapores,facilè per cutem exeunt,& tranſpirant, vt inſinuat Galen. 2.*de cauſ.ſymptom.cap.*1. *citato,* & *de trem.rigore,& palpit.cap.*5. vbi etiam aſſerit,quod palpitationis cuiuſlibet ex frigido generatio eſt. *Corpora palpitationi parata.* Ex quo ſequitur,quod ætates frigidiores,natura corporis frigidior,regiones frigidæ, anni tempus hibernum, vita otioſa, repletio,& ebrietas,cibi frigidi,& flatulenti ſunt huius morbi cauſa; hæc enim cutem denſant, vias obſtruunt,ſpiritum turbidum intrà detinent; craſſos, & frigidos humores producunt,qui ſunt cauſa materialis, ex qua flatus illi eleuantur. Quam ob cauſam veteres Medici palpitationum remedia adinuenere, quæ excalefacere,& attenuare valent,vt ibi Galenus oſtendit.

*Obiectio.* Si verò obiicias ex Galeno 5.*de locis affect.c.*2. quod ipſe adultos, & adoleſcentes hoc morbo vexatos ſanguinis miſſione curauit,quod minimè efficeret,ſi affectus frigidus fuiſſet.

*Petri Garciæ ſolutio.* Huic Galeni placito reſpondet Petrus Garcia, quod Galenus ibi non intellexit veram palpitationem,quando ſanguinem mittebat, ſed motum palpitationi ſimilem.

*Vera reſponſio.* Sed quia reuerà ex Galeni verbis id non deducitur,& eo loco de palpitatione agebat,mihi videtur dicendum,adoleſcentibus illis, quibus ſanguinem miſit, adfuiſſe copiam ſanguinis craſſi, ex cuius euacuatione ab hoc morbo immunes reddebantur,vt ex eius verbis deduci poteſt, ſiquidem ait: *Atque hoc accidenti planè liberati ſunt, qui poſt miſſionem ſanguinis vſi ſunt victu,& medicamentis, quibus eſſet extenuandi facultas.* Cùm ergo extenuatio debeatur humoribus craſſis,& frigidis, talibus humoribus,& ſanguine craſſo adoleſcentes,& iuuenes illi neceſſariò erant infarcti. Aduertere tamen oportet, an palpitatio exordium ſumat ab alia parte alio morbo affecta, vt ab obſtructione ſplenis,ventriculi, meſenterij, aut vteri; quod dignoſcere poteris ex ſignis peculiaribus cuiuſcumque affectus, quæ propriis locis tradentur.

## §. VNICVS.

### *Curatio palpitationis.*

QVoniam ex cordis palpitatione mors repentè ſuperuenire ſolet,vt aſſerit Galenus 2. *aphor. comment.*41.eius curatio diligenter eſt inſpicienda. Aerem itaque eligimus ad calorem, & ſiccitatem vergentem, aut talem arte parare licebit rebus calidis,& odoriferis. Victus debet eſſe extenuans, & flatûs expers,faciliſque coctionis; in quem vſum conferunt carnes aſſæ pullorum,gallinarum,caponum,perdicum nouellarum, phaſianorum, & turdorum, quæ etiam elixari poſſunt dummodo eorum iuri admiſceantur cariophylum, crocum,piper,& alia aromatica. Potus ſit vinum aquoſum,& facilis digeſtionis,aut aqua mulſa, ſeu cinnamomi aut fœniculi. Modico vtantur exercitio. Somnus ſit moderatus. Ventrem lenem ſeruabunt, aut clyſteribus carminatiuis vtentur,animique perturbationem vitabunt, præſertim timorem, & triſtitiam. Deinde ſanguinem mittere iubet Galen. *lib.& cap. citatis de locis affect.* quo auxilio multos præſeruauit; eoque eſt vtendum pro virium, morbique ratione. Sed quia humor craſſus eſt frequentior huius mali cauſa,illum ad expurgationem attenuantibus, & calefacientibus præparabimus,ſyrupo capil. Veneris,de duabus vel quinque radicibus,acetoſo,aut oxymelle ſimplici; & ſi humor fuerit melancholicus,conducunt ſyrupi borrag. de fumaria, de pomis, & de epithymo, cum aquis borraginis, bugloſſi,fœniculi,& meliſſæ. Mox illum purgabimus agarici trochiſc. infuſione cum diacathol. & ſyrupo perſico ſolut. & cum aliquo decocto cordiali,aut vti poſſumus confect. Hamech, & infuſione foliorum ſennæ,& florum cordialium,& ſyrupo ſennato,aut infuſione epithymi, & foliorum ſennæ in ſero caprino facta,quâ non ſemel, ſed per interualla eſt vtendum præſeruationis cauſâ.

Facta humoris ſufficienti detractione, calefacientia,& roborantia cor interiùs,& exteriùs ſunt adhibenda. Galenus de tremore,& palpit. ex veterum ſententia commendat caſtoreum, quod intus aſſumptum, & exteriùs appoſitum eſt generoſum medicamentum, cuius ℈.j. cum aqua miliſſæ, aut cùm vino albo tenui in potu aliquibus diebus ſumat æger. Valent ad hoc etiam cortex citri, confectio alchermes, diambra, vterque diamoſchus,aromaticum roſarum,conſerua bugloſſi,& de corticibus citri,elect.de gemmis cum ſpeciebus,theriaca, & mithridatum, ex quibus ʒ.j. quotidie aſſumat æger,aut bis,vel ter in die aſſumat ʒ.j. huius confectionis,quæ recipit conſeruæ borraginis, & bugloſſi,& naphæ,ana ℥.j.ß.theriacæ, ſmaragd. diamoſchi dulcis, & confect. alcherm. ana ʒ.j. pulu. elect.de gemmis cum ſpeciebus, diamarg.calidi,& aromatici roſarum, ana ℈. ij. foliorum auri n.ij. ſyr. Sabor. Regis, quod ſit ſatis, vt fiat confectio.

Exteriùs cordi ſacculus admoueatur,qui recipit florum bugloſſi,naphæ, ana ℈. iij. coriandri præp. ʒ. ij. corticum citri, cariophyl. caſſiæ ligneæ, & pulu.granæ,ana ʒ.j.flor. baſiliconis ʒ.j.ß. moſchi, & ambræ,ana g̃.v. puluerizentur pulueriżanda,& ex iis fiat ſacculus ad cordis formam cum ſyndone coccinea, aut vnguentum efformabis ſic. ℞. pingued.naphæ,olei nardini,laurini, & iridis,ana ℥.j. pulu.cinnam.ligni aloës,galangæ,galliæ moſcatæ, & diarrhod.Abb.ana ʒ.ß.croci parũ,vini albi odo-

ri feri

riferi guttulas miſce,& cum cera fiat vnguentum. A Valent etiam epithema ex aquis meliſſæ, naphæ, citrangulorum,borrag.& fœniculi,cum vino albo odorifero,& puluere diambræ, aromatici roſarum, & diamuſci dulcis, & aliorum, quæ ad hunc finem accommodari poſſunt.

At ſi hæc affectio prodeat à flatibus,qui ab aliis partibus cordi communicantur,ita vt cor patiatur per conſenſum, priùs affectus primarius aliarum partium eſt detrahendus,cuius naturam,ſigna,cauſas, & curationem proprio capite ſcriptam reperies; quo ablato facilè palpitatio deficiet, neque aliter curari poterit.

## CAPVT VIII.

B

### *De tremore cordis.*

INter morbos cordis aliqui conſtituunt tremorem illius,inter quos eſt Auic.*fen.*12.*lib.*3.*tractat.*2.*cap.*1. vbi de cordis tremore, & eius cauſis ſermonem inſtituit.Et Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*4.*capite* 58. vbi cordis tremorem cum palpitatione confundit. Adducit Auic. illius definitionem dicens: *Tremor cordis eſt motus tremulus accidens cordi.* Sed reuerà videtur mihi cordis tremorem non eſſe verum tremorem, ſed potiùs motum tremulum ſimilem vero tremori; nam vt ex Auicen. conſtat *fen.* 2. *libro tertio*, *tractatu tertio*, *cap.* 21. tremor eſt motus voluntarius cum motibus non voluntariis commiſtus. Et Galen.2. *de cauſis ſympt.cap.*2.inquit,quod eſt motus facultatis motiuæ voluntati ſubueniens.Idemque oſtendit *lib.de tremore,rigore,&c. cap.*6. circa hoc lege caput vltimum primi libri. Et quia motus cordis C tremulus non fit mediis muſculis, nec ſubiicitur voluntatis imperio,vt certum tenendum eſt,talem motum haudquaquam eſſe verum tremorem, ſed potiùs pulſum tremulum à nimio languore facultatis vitalis prodeuntem, vt docet Galenus 2. *de præſag.ex pulſibus,cap.*12. Ita vt ſit actio diminuta facultatis vitalis, parumque diſtet à pulſu formicanti, qui maximè differt à tremore; nam tremor,vt dixi,fit à facultate animali, & conflatur ex motu ſurſum,& deorſum: tremor verò cordis potiùs conficitur ex motu dilatationis, & compreſſionis. Quapropter impropriè tremor appellatur.Sed quia hæc actio tremula morbum ſupponit tanquam cauſam, ſcire oportet,cauſæ rationem habere quidquid nimis facultatem motiuam cordis debilitare valet, vt ait Galenus *loco proximè citato.* D Auic. adducens illius cauſas, ait: E*t cauſa eius eſt omne quod lædit cor, ex eis quæ ſunt in ipſo, aut in panniculo eius, aut continuatur ei ex membris vicinis,& quandoque fit à materia humoroſa, & quandoque fit à malitia complexionis puræ, & ab apoſtemate,reſolutione, vel morſu animalis venenoſi, vel ab externa cauſa.* Quæ omnia cùm valeant vel intemperiem inducere, aut cordis vires aggrauare, poſſunt quidem cordis virtutem debilem reddere, & motum tremulum cauſare; quorum ſigna ex ægri relatu,& eis,quæ in ægro viſuntur,& ex eis, quæ præceſſerunt, facilè percipies. Qui quidem tremor quando ſuperfluit,permutatur ad ſyncopen; & quando magis ſuperfluit, permutatur ad mortem, atque adeò de illo eſt maxima habenda cura.

### §. VNICVS.

#### *Curatio tremoris cordis.*

SI tremor cordis ab intemperie frigida ortum habeat, auxilia ſuprà in palpitatione cordis tradita proſunt, exceptis vniuerſalibus euacuationibus. Verùm ſi ab intemperie frigida cum humoris conſortio initium ſumat, priùs eum euacuare expedit, vt capite antecedenti annotauimus.

Quod ſi ab humoribus calidis originem ducat, factâ ſanguinis detractione, & inſtitutâ victus ratione per refrigerantia,eos ſyrupis refrigerantibus ad expurgationem parabis, & cholagogis medicamentis expurgabis. Deinde calidam intemperiem interiùs,& exteriùs refrigerantibus adhibitis corriges. Oportet ergo aſſumere in tabellis puluerem diamarg. frigidi, aut trium ſantalorum, cum aqua bugloſſi,aut radicis ſcorcion. vel conditum, quod recipit conſeruæ roſarum, borraginis, & acetoſæ, ana ℥.j.confect.iacynthorum ʒ.ij. margarit.præp. coralli rubri præp.& oſſis de corde cerui, ana ʒ.j. ſyrupi acetoſit. citri quod ſufficiat, vt fiat conditum. Exteriùs proſunt epithemata cordi adhibita, vt ℞.aquæ roſarum,borrag. & oxalidis, ana ℥.ij. aceti albi ℥.j.aut loco illius vini albi ℥.ß.pulu.diamarg.frig.trium ſantal. & trochiſc. de camphora, ana ʒ.ß.miſce,quod hieme tepidum, & æſtate frigidum cordi admoueatur. Valet ad idem ſacculus, qui recipit 4. florum cordialium, & nenupharis, ana ʒ.j.pulu. trium ſantal.diamarg.frigid.& coralli rubri,ana ʒ.j. miſce,& fiat ſacculus cum ſyndone coccinea ad cordis formam,vel cum eiſdem pulueribus,cum oleo roſarum, violarum, & citoneorum,& cera vnguentum ad idem confici poteſt.

Verumtamen ſi tremor fiat à virium reſolutione,& ſpirituum defectu,vt contingit conualeſcentibus,virium reparatione aufertur, quæ fit per alimenta boni ſucci,& potu optimi vini, cui data eſt virtus reparandi quamcelerrimè vires. Quod ſi ex morſu animalis venenoſi, aut ex aſſumpto veneno tremor ſuperuenerit,iis vtendum eſt, quæ vim habent alexipharmacam, & vlcus ex morſu curandum eſt vt diximus in curatione rabiei.

Tandem ſi ratione ætatis ſenilis accidat cordis tremor, vt incurabilis eſt relinquendus.

## CAPVT IX.

### *De ſyncope.*

HIc affectus eſt exactè peracutus, ita vt per illum propè mortui appareant ægri; qui eſt præceps virium lapſus,vt ex Galen.deſumitur 12. *method.c.*5. Alex. Tralianus virium ruinam ſubitò in ægris orientem ſyncopen appellat. *Quid ſit.*

Sed vt meliùs ſyncopis natura intelligatur, eſt dubium circa illam particulam, *præceps lapſus*, an ſcilicet ſyncopis fieri debeat ſubitò? Gentilis de Fulgin. oſtendere vult, partem negatiuam eſſe veram; inquit enim,quod illa particula *præceps*, vel poteſt ſignificare cauſam extrinſecam, id eſt, quod non fiat à cauſa intrinſeca; & hoc non,quia ab intrinſeca cauſa fieri poteſt: vel poteſt ſignificare tempus momentaneum,quod etiam impoſſibile videtur,ſiquidem æger poteſt paulatim reſolui,& incidere in ſyncopen, & non ſubitò, cùm ad *An ſubitò fiat.*

hoc nulla ſit repugnantia. Nam ſi v. g. ſyncopis fiat ex reſolutione ſpirituum, ſiue reſolutio ſit ſubitò, vel paulatim facta, neceſſariò cùm vtraque perueniat ad vnum gradum, valebit virium lapſum producere; quod etiam confirmat Auic. ſiquidem *fen.* 11. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 6. ſyncopen definiens, talem particulam omiſit. Et *cap.* 7. *ſequenti*, adducens ſyncopis ſigna, inquit: *Et ad ſummum cùm ſyncopis non ſit ſubitò, tunc ad ipſam minoratur pulſus in primis.* Quæ verba oſtendunt ſyncopen quandoque ſubitò non fieri.

Petrus Garcia *de locis affect. diſput.* 48. *cap.* 1. aſſerit verum eſſe, exſolutionem paulatinam ſæpe præcedere virtutis caſum ſubitum, non tamen dici ſyncopen, niſi quando ſubitò, ideſt breuiſſimo tempore, vires deſtruuntur. Quæ reſponſio non habet vim contra dicta, nam ſi in paulatina exſolutione adeſt virium lapſus, ſicut in ſyncope ſubitò facta, eademque accidentia apparent, neceſſariò debent conſtituere ſyncopen, neque alium inuenio morbum ad quem talium virium iactura reduci poſſit.

Quapropter dicendum eſt, illam particulam *ſubitò*, non ſignificare quomodocunque tempus, ſed potiùs inuaſionem morbi, nullo alio morbo præcedente ſenſibili, qui Medici curatione indigeat. Quod ſi aliquando contrarium euenerit, id ex accidenti continget.

*In quo virium eſſentia conſiſtat.*

Dictum etiam eſt, quod ſyncopis ſit lapſus virium. Ad cuius intelligentiam ſupponere oportet ex Galeno ſuprà citato, quod eſſentia virium, quibus regitur corpus, tum in ſpiritu, tum in ſolidorum corporum temperamento conſiſtit. Conſonum ergo erit, vt cùm vires labuntur, vt ſyncopis ſuperueniat, quod ſpiritus, vel ſolida corpora nimis præter naturam ſe habeant, mutatâ ipſorum qualitate, & quantitate, in quarum moderatione, & conſeruatione vires per ſanitatem tuentur; quas quidem ſeruare nihil aliud eſt, quàm vitam cuſtodire, docente Galeno 9. *method. c.* 10. Verùm cùm vires, quæ animal gubernant, tres ſint, & diuerſi generis, & ex diuerſo fonte oriantur, quas Plato animas vocat, vt docet Galenus 5. *de locis affect. c.* 1. poteſt meritò quiſpiam quærere, nunquid ſyncopis ſit lapſus virium animalium, aut omnium ſimul? Quam dubitationem facilè dirimunt omnes Authores; aſſerunt ſyquidem, ſincopen eſſe lapſum omnium virium, præcipuè tamen vitalium, licet talis lapſus non ſemper incipiat ab omnibus ſimul; quandoque enim afficitur cerebrum, & trahit in conſenſum cor; tamen ſyncopis fieri nequit, niſi cor ipſum per ſe, vel per conſenſum afficiatur. Tamen ſi cor priùs patiatur maximam intemperiem, vel ſpirituum exſolutionem, ſtatim reliqua in conſenſum trahit; & ſi mouendi, ac ſentiendi vim amiſerit animal, non inde ſequitur, quod ſtatim in facultate vitali percipiatur noxa: quod dilucidè explicat Galenus *loco proximè citato.* Maius ſiquidem auxilium recipiunt membra à corde, quàm ipſum cor ab illis, quamuis mutuò inter ſe dependeant; nam licèt iecur debile ſit, & alimentum non commutet; abſque alimento tamen per aliquod tempus viuet animal, & conſeruabitur cor: tamen ſi cor amittat temperiem propriam, ita vt ſpiritus vitales non generet, & in actionibus pulſandi deficiat, ſubitò omnia ruunt. Sed controuertitur apud Authores ſequens quæſtio.

*Tres ſunt vires quæ animal gubernant.*

## §. I.

### *An ſyncopis, & animi deliquium differant inter ſe.*

PRo huius quæſtionis deciſione ſupponere oportet, quod hæc nomina, *lipothymia*, id eſt animi deliquium, & *eclyſis*, id eſt virium exſolutio, idem prorſus ſignificant, vt conſtat ex Gal. 1. *de arte curat. ad Glauc. c.* 13. & 12. *method. c.* 5. & ex Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *c.* 101. Aëtius tamen ibi *c.* 69. inter animi deliquium, & ſyncopen nullam conſtituit differentiam, imò vnum explicat per aliud, vocátque ſyncopen animi deliquium. Ex cuius doctrina deſumitur, animi deliquium eſſe cordis affectum; & ſi aliquam differentiam aſſignat, illa nequaquam eſt eſſentialis; ſolùm enim inquit, quod lipothymia de repente incidit, ſenſu, & motu hominem priuans, & omninò non ſudant; ſyncopis verò vigilantes, & dormientes inuadit, & omninò cum ſudoribus, qui ſyncoptici appellari ſolent.

*Pars negatiua.*

Victor Trincau. 6. *de ratione curand. part. humani corporis affect. cap.* 12. idem fatetur, dum ait: *Syncopis quaſi virium omnium conciſio dicitur; lipothymia verò eſt ipſe virium defectus, non tamen integra conciſio.* Vbi differre ſolùm aſſerit penès magis aut minùs. Et rurſus ait: *Cordi autem præſertim attribuitur.* Vbi partem affectam in vtroque morbo, eſſe cor oſtendit. Idem ſentiunt Donatus ab Altom. *de medend. humani corporis malis, c.* 55. Valleſ. 7. *controuerſ. cap.* 8. & alij, quorum ſententia probari poteſt; nam ſi aliter differrent hi morbi, maximè propter diuerſam partem affectam: ſed hoc non, quia eidem parti, cordi ſcilicet, remedia applicata proſunt in vtroque affectu: ergo nullo modo differunt. Secundò, nam animi deliquium inſurgit ex ſanguinis miſſione, quia per illam ſpiritus vitales extrahimus: ſed ex extractione ſpirituum vitalium per ſe læditur facultas vitalis, ſicut ex deperditione animalium offenditur facultas animalis: ergo animi deliquium ad facultatem vitalem pertinet, & non ad animalem, ac per conſequens in animi deliquio pars affecta eſt cor.

Contrariam ſententiam vt probabiliorem ſequimur, quam tuentur Mercatus 2. *de intern. morbor. curatione*, *cap.* 10. & Petrus Garcia loco ab initio citato, & alij: quam probare poſſumus primò ex Auic. *fen.* 11. *lib.* 3. *tract.* 2. *c.* 9. vbi ait: *Et ſcias, quod caſus virtutis quandoque ſequitur ſyncopen, & quandoque eſt infrà ſyncopen, vbi virtus non deſtruitur, niſi à neruis, & lacertis.* Cùm igitur virtus, quæ in neruis, & lacertis deſtruitur, ſit facultatis animalis, ex illius doctrina claret, quod animi deliquium quod ad talis virtutis deſtructionem reducitur, ad talem facultatem neceſſariò pertinet; quæ non ſtatim ſi deficiat, vt ſuprà diximus, trahit in conſenſum cor, ita vt ſimul cum illa lædatur facultas vitalis: atque adeò animi deliquium differt à ſyncope ratione partis affectæ, ſiquidem in illo afficitur cerebrum, in ſyncope verò cor. Quod etiam ſic probatur. Nam maior quantitas ſpirituum vitalium eſt neceſſaria pro corde, & cerebro ſimul, quàm pro corde tantùm: ſed poteſt deficere quantitas ſpirituum vitalium ad cerebrum neceſſaria, ſine defectu ſpirituum pro actionibus cordis: ergo eo caſu animi deliquium apparebit ſine cordis offenſione, ac per conſequens animi deliquium non poteſt pertinere ad cor, neque ad facultatem vitalem. Ex quo ad argumenta reſpondetur. Ad primum, hæc ſymptomata ſpecie differre, & ſubiecto, & ſic licèt auxilia

*Sententia vera.*

auxilia eadem pro vtroque conferre poſſint, pro ſyncope tamen cordi adhibentur, & pro animi deliquio capiti admota congrua ſunt. Quod ſi vni parti adhibeantur in vtroque morbo, non inde ſequitur, quod iſti morbi ſint idem inter ſe; nam in eadem parte vtrique prodeſſe poſſunt, quatenus conducunt ad generationem ſpirituum vitalium, ex quibus etiam animales gignuntur, quibus vtrique ſuccurritur facultati. Ad ſecundum reſpondetur, quod per ſanguinis miſſionem animi deliquium fit, non ob ſpiritus vitalis diſpendium immediatè, ſed ob animales, qui ad cerebrum retrocedunt, natura fugiente eorum diſpendium, & ob ſubitum motum ad interiora hoc ſymptoma efficiunt; quod benè accidere poteſt ſine cordis vitio: at verò ſi euacuatio vltrà pergat, non ſolùm ſequitur animi defectio, ſed & ſyncopis, diſſipatis vltra modum ſpiritibus vitalibus, & corde eis deſtituto.

*An animi deliquium ſit intrinſecum ſyncopi.*

Sed ex dictis ſuboritur alia difficultas, an ſcilicet animi deliquium includatur eſſentialiter in ſyncope? Partem affirmatiuam ſequuntur Mercatus, & Valleſ. quam probare intendunt ex ſyncopis definitione, ſiquidem ſyncopis nihil aliud eſt quam virium lapſus, in qua includitur lapſus facultatis animalis, ad quam pertinet animi deliquium.

*Concluſio.*

Sed re vlteriùs perſpectâ, exiſtimo animi deliquium non includi eſſentialiter in ſyncope, licèt ſyncopis non poſſit dari ſine illo; nam cùm animi deliquium ſit facultatis animalis lapſus, ſyncopis verò vitalis, minimè poſſunt vnicum morbum conſtituere, cùm potentiæ iſtæ inter ſe eſſentialiter differant, & ſint in diuerſis partibus. Itaque horum affectuum differentia ſtat in membro affecto, in facultatum læſarum diuerſitate, & in modo affectionis: quod probari poteſt, nam ex eo, quod ſit caſus facultatis vitalis in ſyncope, ſequitur lapſus facultatis animalis: ſed quod ſequitur ad aliud, eſt realiter diſtinctum ab illo, ad quod ſequitur: ergo lapſus facultatis animalis, ſeu animi deliquium diſtinguitur realiter à ſyncope. Quod verò caſus facultatis animalis ſequatur lapſum facultatis vitalis, probatur; nam in ſyncope fit animi deliquium, aut defectu caloris influentis à corde in cerebrum, qui calor eſt neceſſarius ad omnes actiones viuentis; aut defectu ſpirituum vitalium, quibus reſarciri debebant animales, tanquam ex materia: ſed vtroque modo fit animi deliquium in ſyncope per conſenſum, ex defectu ſcilicet alicuius requiſiti (nam deficit calor, & ſpiritus:) ergo neceſſariò eſt aſſignanda diſtinctio inter illa, tanquam inter morbum per ſe, & morbum per conſenſum, & ſicut inter effectus primarios, & ſecundarios. Cùm ergo animi deliquium præſupponat caloris influentis, & ſpirituum vitalium defectum antequam fiat, exiſtimare oportet eſſe affectum per conſenſum; dicitur tamen includi in ſyncope, non quia reuerà ſit aliquid intrinſecè ſpectans ad ſyncopen, ſed quia ſtatim ac deiicitur facultas vitalis, per quandam ſubordinationem trahitur in conſenſum animalis, & hac ratione dicimus, animi deliquium includi in ſyncope, licèt non ſit de illius eſſentia.

Neque obſtat, quod ſyncopis ſit omnium virium præceps ruina, vt aduerſarij intendunt; nam eſt præceps ruina facultatis vitalis primò, deinde reliquarum: prætérquam quod hæc definitio potiùs eſt quædam deſcriptio; nam ruina, ſeu lapſus facultatum nihil aliud eſt quàm diminutio, ſeu abolitio actionum illarum, & talis lapſus præſupponit morbum à quo fiat, ac per conſequens datur per aliquid poſterius; ſæpe enim per morborum accidentia tanquam per magis nota, morbos definiunt Authores. Conducit equidem quammaximè hæc ſyncopis deſcriptio ad illius naturæ inueſtigationem, atque adeò nullam aliam adduxerunt.

*Quo modo lædatur.*

Cognitâ igitur horum ſymptomatum naturâ, quæ in actione ablata, aut maximè diminuta omnium facultatum ſita eſt, reſtat nunc examinare, quomodo fiant. Mercatus inquit, quod in animi deliquio duo conſideranda veniunt, ſpirituum diſſipatio, & remanentium ad cerebrum retractio: aſſeritque animi deliquium fieri immediatè ex ſpirituum retractione, quam efficit natura dum diſſipantur ſpiritus, præcauens maius malum, & verens ne omninò qui remanent, diſſoluantur. Ratio illius eſt, quia cùm ſpiritus animales perpetua propagatione generentur ex vitalibus, & reſarciantur, hinc oritur, quod licet animales diſſipentur, cùm protinus à vitalibus foueantur, non poteſt ex diſſipatione ſpirituum animalium immediatè conſurgere animi deliquium, niſi pro defectu cogantur in cerebrum retroire. Hæc doctrina habet fundamentum in verbis Auic. *cap. ſuprà allegato*, vbi de ſyncope agens (nam vtriuſque eſt eadem ratio) ait, quod ſyncopis fit propter aggregationem ſpiritus totius ad cor. Idemque inſinuat Auerroes *3. collect. cap. 25.* *Dubium.*

*Dubij ſolutio.*

Sed quia huius placiti nulla ratio firma adducitur ab Authoribus, ideò exiſtimare oportet, non ſemper eſſe neceſſarium, vt ſpirituum retractio ſit immediata horum ſymptomatum cauſa, ſed quandoque ſufficit ipſorum ſpirituum defectus. Hanc doctrinam tuetur Petrus Garc. & quantum ad animi deliquium ſic probat. Ex natura rei hæc duo ſunt diuerſa, deficere ſpiritus animales, & retrocedere remanentes ad cerebrum: ſed non repugnat eſſe vnum ſine alio: ergo poſſunt deficere ſpiritus ſine retroceſſu remanentium. Iam audio te dicentem, deficientibus ſpiritibus cerebrum reliquos ad ſe allicere; nam tempore indigentiæ cerebrum, & cor ad ſe attrahunt ſpiritus ad ſuas actiones obeundas, ipſoſque ob eandem cauſam conſeruant, vt docet Euſtach. Rudius *3. de virtutibus, & vitiis cordis, cap. 2.* Hæc tamen eſt inefficax reſponſio; nam ſi ab aliquo agente impediretur talis ſpirituum ad interiora retroceſſus, reuerà fieret animi deliquium: ergo non ſequitur, quod immediatè fiat ab illo. Probatur antecedens, quia ſi deficeret ſufficiens quantitas ſpirituum ad motum, & ſenſum, animi deliquium inſurgeret, etiamſi ſpiritus non retrocederent. Et confirmatur, nam in tantùm retroceſſus ille cauſat animi deliquium, in quantùm per illum organa ſenſuum, & motuum ſpiritibus orbantur neceſſariis ad ſuas actiones efficiendas: ſed per ſpirituum defectum, eorumve diminutionem idem eiſdem accidit organis: ergo eo tempore impertinenter adducitur ſpirituum retractio.

De ſyncope etiam idem probatur ex Galen. *12. method. cap. 5. citato*, vbi aſſerit, quod ex voluptate nimia, ſeu gaudij exceſſu ſubitò eueniente aliqui in ſyncopen inciderunt: ſed tempore gaudij ſyncopis accidit propter ſpirituum diſpendium, & eorum ad extima effuſionem: ergo eo tempore non poteſt accidere propter retroceſſum ad cor. Sicut enim ex timore, & triſtitia ſpiritus & ſanguis intrà recurrunt, ita per gaudium contrarium motum ſubeunt, & durante gaudio non poſſunt ad intra reuocari; impedit enim paſſio illorum motum ad interiora. Cùm igitur ſpirituum defectus actionum defectum in potentiis cauſet, ad talem defectum immediatè huiuſmodi ſymptomata, tanquam

ad cauſam ſunt reducenda, ſiue ſpirituum retroceſſus fiat, vel non.

Quare ad Auic. & Auerroëm dicendum eſt, quod licèt ſpiritus aggregentur frequentiùs, non tamen aggregatio eſt horum ſymptomatum immediata cauſa, ſed potiùs ipſorum ſpirituum defectus, vt dixi.

*Dubium, & eius ſolutio.* Sed antequam ad ſyncopis cauſas deueniamus, explicare oportet, quomodo ſe habeant animi deliquium, & ſyncopis, an ſcilicet in productione vnum præcedat aliud? In qua re breuiter dicendum eſt, quod licèt animi deliquium ſæpe præcedat ſyncopen, quia à minori penuria ſpirituum excitatur, & poſteà maiori illorum quantitate diminutâ ſyncopis ſequitur; nihilominus contingere poteſt ſyncopis nullo præcedente animi deliquio; nam cùm ad diuerſas partes pertineant, & in corde fiat ſyncopis, poteſt contingere, quod aliqua cauſa præter naturam corrumpat ſpiritus vitales, remanentibus per aliquod breue tempus animalibus, aut è contrà; tuncque non mirum ſi ſyncopis præcedat deliquium.

## §. II.

### *De cauſis ſyncopis.*

SYncopis cauſas complectitur Galen. *loco ſuperius citato*; hæ quidem ſunt animi ſæua pathemata, vt timor grauis, gaudiumque excedens; interdum etiam mœſtitia fortis. Item euacuatio immodica, labor, dolor vehemens, vigiliæ, copia & multitudo humoris craſſi, aut prætenuis ſucci, febres malignæ, & ardentes, cordis affectus, inter quos annumerat etiam intemperiem calidam nimis, & frigidam. Similiter humor venenatus, ſiue veneno ſimilis in corpore genitus, aut venenum aſſumptum, vel ex morſu venenoſi animalis ad cor tranſmiſſum, aut malitia aëris, & quæcumque calorem, & ſpiritum diſſoluunt, cordiſque propriam temperiem deperdunt. Accedit ad hæc ſyncopis per conſenſum cauſa, quæ quia frequenter prodit ex ſtomacho, eam ſtomachicam vocant, quam ex inflammatione, aut alio ingenti morbo prodire certum eſt; quæ omnia ſpiritus vitiando, vel corrumpendo ſyncopen inferunt.

Sed circa primas qualitates inſurgit dubium, an poſſint eſſe ſyncopis cauſæ. Fernel. 5. *pathologiæ, cap.* 12. autumat ſimplices intemperies non eſſe ſyncopis effectrices. Inquit enim: *Syncopen autem inferunt cordis affectus omnes præter ſimplicem intemperiem.* Quod videtur Galeni doctrinæ conſonum 5. *de locis affectis, cap.* 2. vbi ait: *Maiores, intemperantiæ ſcilicet, ſubitam mortem non inducunt.* Quod ratione probatur; nam ſi calida intemperies, v. g. poteſt inducere ſyncopen, ſequeretur quod omnes laborantes febre ardenti in ſyncopen inciderent; nam calor illius eſt nimis exurens, & intenſior quàm in aliis morbis: cuius contrarium quotidie experimur.

Sed oppoſita ſententia mihi probabilior videtur, nempe qualitates primas eſſe ſyncopis effectrices; quam tuetur Galenus 12. *method. cap.* 5. & 5. *de locis affect. cap.* 1. Vbi agens de partium principalium propria temperie, ait quod cor ſuâ temperie proprias elicit actiones, quâ pereunte, actiones pereunt: ſed calor, & frigiditas nimis intenſa poſſunt cor diſtemperare, & illius temperiem deſtruere: ergo ex tali intemperie neceſſariò cordis actiones peribunt, & conſequenter ſyncopis fiet.

*Dubium.* Secundò, nam ſpiritus ſunt neceſſarij ad omnia munia exequenda, propter illorum qualitatem, non tamen propter ſubſtantiam; nam non eſt immediatè operatiua: ſed per alterationem poteſt produci qualitas incompoſſibilis ſpirituum qualitati: ergo defectu qualitatis requiſitæ ad operandum eorum actio ceſſabit, licèt non corrumpantur ſubſtantialiter. Si enim ſpiritus indigent tanto calore, vt operentur, illumque remittat frigus, certè operationibus vacabunt. Pari modo ſi indigent tenuitate, & medio frigore qualitas ei oppoſita, denſitas ſcilicet, inducitur, nequaquam operabuntur, atque adeò ſyncopis ſuperueniet.

*Dubij ſolutio.* Petrus Garc. huic ſolutioni non acquieſcit, & reſpondet, quod primæ qualitates ſyncopen inferunt, non duntaxat alterando, ſed corrumpendo; & hoc modo inquit eſt intelligendus Galenus: & quia corruptio præſupponit alterationem, ideò ex alteratione fit ſyncopis, non tamen ſine corruptione ſubſtantiali ſpirituum. Sed huius ſolutio non ſatisfacit, nam benè poteſt cor, & aliud quodvis habere qualitates ſibi repugnantes, & illius actiones cohibentes, abſque formæ ſubſtantialis corruptione, ſeu amiſſione, vt patet dum corpus aliquod diſponitur ad corruptionem; & eſt aptiſſimum exemplum in hecticis tertiæ ſpeciei, in quibus temperamentum vitalitatis remanet, inſufficiens tamen ad operandum, vel ſaltem diminutè nimis operatur; & in aqua nimis feruente, quæ conſeruatur cum qualitatibus illi repugnantibus, & paruam, aut nullam vim refrigerandi poſſidet, donec calefaciens ſemoueatur, & ipſa per ſe ad priſtinum ſtatum reducatur; idemque proportionali modo affirmare valemus de corde, & ſpiritibus, qui nimis diſtemperari poſſunt, & inepti reddi ad operandum; & tamen non eſt neceſſe, vt corrumpantur, nam antequam ſint in vltima diſpoſitione in ordine ad corruptionem, poteſt ſemoueri cauſa illos alterans, & denuò in illius abſentia vires priſtinum ſtatum per ſe recuperabunt, quo tempore ſyncopis etiam ſemouetur. Ex his ad rationem Fernel. reſpondetur, non ſemper in febribus ardentibus ſyncopen aduenire, quia in omnibus non eſt eadem reſiſtentia, nec diſpoſitio in ordine ad effectum; quod à ſimili conſtat in febrium productionibus, nam ex eo quod febris exurentiſſima producatur, non ſequitur, quod ſpiritus vitalis, qui reliquis calidior eſt, ſtatim inflammetur, ita vt febrem accendat diariam; cùm ſæpe conſpiciamus febres ſine huiuſmodi complicatione, de quo forſan alibi dicemus; non enim ſufficit caloris actiuitas, ſi ex parte paſſi non eſt diſpoſitio ad effectus receptionem, ac per conſequens licèt in aliquibus febribus ardentibus ſuperueniat ſyncopis, non inde ſequitur, quod ſit communis omnibus.

*Qualiter cauſa ſe habent ad ſyncopen.* Quam verò ob cauſam dolor ſyncopen exagitet, breuiter dicendum: quod punctum tetigimus *cap. de caro*; per dolorem etenim ſpiritus nimis mouentur, & agitantur, & ratione motus qualitates ſibi incompoſſibiles adquirunt, quibus non poſſunt conſeruari, ſed potiùs reſoluuntur, & attenuantur nimis, propriamque formam amittunt. Et vniuerſim ſciendum eſt, omnes cauſas ſyncopen efficere aut alterando ſpiritus, vt primæ qualitates, præſertim magis actiuæ, aut corrumpendo, qualiter efficiunt venena, & humores praui malignam qualitatem comparantes; aut euacuando, vt in magnis euacuationibus; aut diſtrahendo, vt in gaudio, & voluptate; vel ſuffocando, vt in maxima humoris crudi copia, & in vehementi timore, & mœſtitia. Ex quibus conſtat, quod licèt Gal. 12. *methodi,*

*methodi,c.5.cit.* afferat, quod eſſentia virium, quibus noſtrum regitur corpus, in ſpiritu, & in ſolidarum partium temperamento conſiſtit, quibus integrè ſe habentibus ſalus conſeruatur, ipſis verò corruptis, deperditur, donec iterum reſtaurentur; non tamen licet inferre, quod ex mutatione temperamenti partium ſolidarum ſyncopis inſurgit: quapropter hecticus in tertia ſpecie conſtitutus ſyncopticus dici nequit; & idem ſtatuo de quolibet alio habitualiter, vel aliter nimis intemperato, donec ſpiritus vitientur, aut deficiant, ita vt lapſus virium immediatè ex vitio aut defectu ſpirituum vitalium originem trahat; nam ſyncopis eſt morbus exactè peracutus, citò hominem perdens; languor verò virium ex partium conſumptione, & intemperamento plurimùm durat, ita vt cum maximo virium lapſu plurimo tempore perſeueret, quod non accidit ſyncope laborantibus, eo quod ſpiritus conferunt ad omnes vitæ actiones obeundas; quapropter ipſis ſpiritibus deficientibus, neutiquam vita conſeruari poteſt, citoque perit æger.

*Signa.*

Ex iis plures cauſæ ex ægri, & adſtantium relatu dignoſcuntur; nos verò eas, quæ non ita facilè percipiuntur, conſcribemus, & duas præcipuè ſyncopis ſpecies trademus, quas curare docet Gal. 12. *method. toties repetito*, videlicet quæ ab acribus humoribus, & quæ à crudis ortum habent, & nonnihil etiam de aliis ſcribentes capiti finem imponemus. Sed quia os ventriculi ſæpe trahit in conſenſum cor, frequentiùs accidit ſyncopis ſtomachica dicta, quâ præſente ſi ab humoribus craſſis proficiſcatur, facies apparebit alba, pulſus imminutus, & inæqualis, hypochondria intumeſcunt, & inflantur, calor exiguus, aut nullus ſentitur. Ad quod etiam conſiderare oportet anteactam vitam, vt ſi aſſuetus fuerit craſſis, & prauis eduliis, repletionibus, & ebrietatibus, & ſi iis adiungatur immobilitas, & æger ſine ſenſu iaceat, ſcire oportet quod humores ſuâ multitudine vires premunt, & meatus obſtruunt, caloremque ſuffocant.

Eos verò, quos tenuis ſuccus infeſtat in ore ventriculi infarctus dignoſcimus ex aſſidua oris ventriculi mordicatione, dolore, anxietate, & inquietudine. Quod ſi in vniuerſo corpore redundent, ex toto ſudores prodeunt, quamcitiſſimè debili reddita vi retentrice, totum corpus langueſcit, & facies, quam depingit Hipp. apparet. Sudores frigidi ſolent eſſe, qui extinctionem oſtendunt, ad cuius cognitionem adiuuat etiam defectus aliarum cauſarum.

*Prognoſticum.*

Hic morbus eſt maximè exitialis, & citò interimens, ita vt qui frequenter, ac fortiter abſque cauſa manifeſta exſoluuntur, repentè moriuntur, ex Hipp. 2. *aphor. text.* 41. Quod ſi affectus iſte primariò accidat cordi, omni Medicorum auxilio deſtituitur, & in præſentaneam mortem præcipitat, vt cùm inflammationibus, eryſipelate, & intemperiebus validiſſimis cor ipſum afficitur. At ſi conſortij lege, ſiue per conſenſum, iecinore, cerebro, ore ventriculi affectis ſyncopis inſurgit, eam ſuſtinebit æger. Item ſi ſyncopis valida eſt, non eſt medicinæ locus; quod ſi quadantenus vires conſtent, aliquando ad ſanitatem perducuntur, vt oſtendit Paulus *lib.* 3. *cap.* 24.

## §. III.

### *Curatio ſyncopis.*

*Curatio ſyncopis in acceſſione.*

Qvoniam iſtud accidens à pluribus cauſis originem ducit, ideò in curatione diuerſa eſt habenda indicatio pro cauſæ diuerſitate; in vna tamen conuenire debent: nam ſi æger ſyncope corripiatur, omne curantis conſilium ad ſymptomata dirigi debet, vt docet Gal. 12. *method. c.*6. in quo conueniunt omnes. Et quia ex ſpirituum vitalium defectu, vel vitio proficiſcitur, à quacunque cauſa dependeat, eorum reſtauratione indigere vt certum exiſtimamus: quod optimè conſequimur alimentis facilis coctionis, & nutritionis, vt iuſculis gallinarum, & caponum, & optimo vino ebibito, quo etiam facies irroretur, & ſupra cor linteum vino madidum, & tepidum apponatur, cui admiſcere poſſumus aquam naphæ, & roſarum. Quod ſi æger nihil tranſglutiat, vinum in os illius inſtillabimus. Odoret etiam vinum, & offam panis, vel biſcoctum calidum vino imbutum, vel res odoriferas, vti moſchum, & ambram vino, & aquâ roſarum inſperſam; qui enim celeri indigent appoſitione, per epota; qui verò adhuc citiori, per odorata reſarciuntur, dicente Hippoc. *libello de alimento.* Verumtamen ſi ſyncopis ex vteri conſenſu inſurgat, res fœtidas odorent, & benè redolentia inferiùs applicentur, reliquaque ſunt facienda, vt capite de hyſterica affectione actum erit.

*Curatio ſyncopis ex humoribus crudis.*

Tranſactâ acceſſione ſi ſyncopis ex magna crudorum copia, & cum ventriculi noxa incipiat, ægros cibabis alimentis calefacientibus & extenuantibus; in parua tamen quantitate, quia abundant craſſis humoribus, & ſic primis diebus ſolum ſis contentus aquâ mulſa ex hyſſopi decocto, aut iure pulli, cum cariophylis, croco, & pipere. Quod ſi febris non valdè infeſtet, vinum album, tenue, & aquoſum eſt concedendum. Aër eligatur ad calidum declinans, aut talis arte paretur; ſomnus, atque vigilia ſint moderata. Sed vt ex Aëtio conſtat, cum neque venæ ſectionem, neque expurgationem ferunt, quamuis euacuatione indigeant, ideò nullum euacuandi modum inuenit præter confricationem, quam incipimus à cruribus per lintea moderatè aſpera ſupernè deorſum: deinde brachia, & reliquum corporis confricantur. Poſtquam verò ſint fricatione calidi, & timor ſit ne ob vehementem fricationem in laſſitudinem incidant, oleo laxanti eſt vtendum, quale eſt oleum dulciſſimum, aut anethinum, vel camem. quo valenter ſunt fricandæ partes. Fouendus etiam eſt venter oleo abſinthij, maſtichis, & menthæ, aut cataplaſma apponatur ori ventriculi, quod conficitur ex croco, aloë, maſtiche, abſinthio, & vino, cui addere poteris oleum abſinthij, nardini, & maſtichis, vel cum eiſdem oleis, & puluer ibus abſinthij, maſtichis, & cinnamomi, & cariophylorum, & cera vnguentum effinges. Verùm ſi eger ad vomitum fuerit procliuis, aut in ore ventriculi quidpiam ſupernatauerit, eum prouocabimus aſſumpto aceto mulſo tepido, & penna oleo intincta, & ori immiſſa.

Præterea ſi vires aliquantulum firmiores reddantur, licèt multam humoris euacuationem ſimul tolerare non poſſint, eos tamen paulatim & aſſiduè euacuare tentabimus, vt animaduertit Galen. *loco proximè citato.* Eos itaque præparabimus aceto mulſo, aquâ mulſâ, melle roſaceo, & ſyrupo aceto ſo, duarum, vel quinque radicum. Quod ſi æger frigidæ

frigidæ potor fit, huic æſtate frigidum ſyrupum dabis, hieme verò omnibus calidum, vt notat Aëtius. Deinde eos euacuabimus melle roſaceo perſico, vel ſyr. Principis, & decocto Pugini, aut ſyr. perſico ſolutiuo cum emulſione ſeminis cartami in decocto foliorum ſennæ, & epithymi extracta; vel pillulis maſtichis, de hiera, aut de agarico. Conuenit etiam clyſterum vſus ex decocto betæ, mercurialis, & parietariæ, cum melle, & ſale gemma, & hiera ſimplici. Aut ex aqua mulſa ex origani, thymi, camem. & pulegij decocto, cum hiera diacolocyntidos, vel electuario diaphœn. Interim tamen dum hæc aſſequuntur, interiùs ſunt aſſumenda calefacientia, & extenuantia, vt diatrion pipereon, & tabellæ diarrhod. Abbatis, cum duplicato rhabarb. Aqua ſtillatitia cinnamomi, ex Mathiolo vtilis cenſetur, corroborat cor, humoreſque attenuat; quapropter ſyr. attenuantibus, & ſcindentibus eſt admiſcenda. Valet etiam ſequens ſtillatio vnius cochlearij menſurâ ebibita, vel ſyr. admiſta. ℞. theriacæ magnæ ℥.ß. ſeminis citri ʒ.ij. florum naphæ, anthos, borrag. & bugloſſi, ana p.j. meliſſæ, & tormentillæ, ana m.j. cinnamomi, & cariophylorum, ana ʒ.ij. omnia macerentur, & cooperiantur aquâ vitæ, & ex omnibus in balneum Mariæ immiſſis fiat inſtillatio. Mirabiliter prodeſſe poteſt ʒ.j. huius liquoris. ℞. mellis roſati ℔. iij. aquæ vitæ ℔.j. meliſſæ p.j. florum naphæ, & anthos, ana p.j. omnia inſtillentur in duplici vaſe, & inſtillatio ſeruetur vſui. Hæc omnia conferre etiam poſſunt in palpitatione, & tremore cordis à cauſa frigida.

*Curatio ſyncopis ex bile.*

Prædictis etiam auxiliis curatur ſyncopis, quæ ob craſſorum humorum copiam in toto corpore redundantium fit, quo tempore non oportebit circa os ventriculi tantam habere prouidentiam, cùm ab eo originem non trahat.

Si verò ſyncope laborantes humorum acrium, & mordacium in ore ventriculi copiam habuerint, diuerſa a iam dictis ratione ſunt curandi, qui facillimè exſoluuntur, vt notat Galenus præfato loco. Tranſacta itaque acceſſione ad frigidum aër vergat, potu, ac cibis vtantur frigidis, vt ptiſanæ cremore, aut mica panis in ſucco mali punici aut mali cotonei, vel vitellis ouorum ſorbilibus, cum ſucco arantij, aut limonis, vel aliquo iure pulli, in quo ſint decocta borraginis, vel lactucæ folia. Potus ſit vinum album aquoſum modicè adſtringens, aut vinum rubrum aquâ deaurata, vel chalybeata dilutum. Hos etiam paulatim, & aſſiduè nutrire iubet Aëtius, quamocyſſimè enim reſoluuntur. Cùm humor morbum efficiens ſit tenuis, & leuis, eum per vomitum euacuare curabimus, quem digitis, aut pennis oleo imbutis, & ori immiſſis promouebimus, aut hidrelei potu, vel aqua hordei, & ſyrupo acetoſo tepidis.

Vlteriùs os ſtomachi corroborabis per ea, quæ foras imponuntur, facta prius humoris euacuatione per vomitum, vt dixi, & per clyſteres, qui fieri poſſunt ex decocto hordei, & oleo roſarum, & violarum, cum pulpa caſſiæ, vel diacatholic. Quod ſi vires permittant, aſſumat æger ʒ.j. rhabarb. in aqua chicorei, cum ℥.iij. ſyr. Regij, vel perſici ſolutiui, vt humor euacuetur, ſimulque ventriculi os corroboretur. Exteriùs ventriculo adhibeatur oleum myrtinum, citoneorum, & roſarum, cum puluere coralli rubri præp. margar. roſarum, & myrti: vel hoc vnguentum. ℞. olei myrti, roſarum, & maſtichis, ana ℥.j. acaciæ, hypociſtid. & rhu obſoniorum, ana ʒ.j. ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum.

Interiùs quacunque hora ſyrupum acetoſum,

A miuam citoneorum, ſyrup. granatorum, de acetoſitate citri, vel de ſucco limonum, quibus effrenis humoris bilioſi qualitas coërceri ſolet, propinabis.

*Sudorem ſedantia.*

At ſi ſudor nimis infeſtet, eis adhibemus quæ humorem bilioſum incraſſant, & vias obſtruunt. Huius cenſus ſunt pulueres boli armeni, terræ ſigillatæ, vtriuſque coralli, maſtichis, trociſchi de Karabe, & de ſpodio, cum ſemine acetoſæ.

Tamen quia hæc interiùs aſſumpta ſæpè non proficiunt, ſimul per adſtringentia, & refrigerantia ſudorem coërcebimus. Oportet ergo totum corpus inungere oleo myrtino, roſato, omphac. & citoneorum, fortiuſque auxilium effeceris, ſi eis addideris albumina ouorum agitata, & fortius adhuc, & potentius, ſi omnibus iis addas pulueres ſubtiliſſimos
B roſarum, myrtillorum, balauſtiorum, boli Armeni, & terræ ſigillatæ.

Cordi præterea admoueantur epithemata frigida ex aqua roſarum, borrag. & acetoſæ, cum pulueribus trium ſantalorum, & coralli, cum modico moſchi, & ambræ, & vini guttulis, vnguentaque conficies ex oleo myrtino, & roſarum cum pulu. ſantal. margaritar. & cnnfect. iacynth. & guttulis aceti roſarum.

Quod ſi ſyncopis à dolore proficiſcatur, curatio conſiſtit in remotione cauſæ dolorem excitantis, & ſi adhuc dolor non auferatur, narcoticis partis affectæ ſenſum ſtupefaciemus. Verùm ſi ab immodica euacuatione oriatur, vt à repente rupto abſceſſu, vel ab immodico ventris profluuio, debitè ſunt cohibenda, & rebus alimentitiis & odoriferis vires recreandæ, quemadmodum ſi ex vene-
C noſi animalis morſu, vel veneni aſſumptione, bezoarticis, & vim alexipharmacam habentibus curari debet.

Tandem ſi ab inflammationibus internis initium habeat, aut à vehementi febris malignitate, & ardore, eos fortiter fricare expedit, humoreſque ad extra euocare, & crura ac manus eorum ligare, & iubere vt vigilent, & ab omni cibo ac potu abſtineant, vt conſulit Aëtius. Si enim aliquod viſcus phlegmone obſedit, cui ſyncopis superueniat, inſanabilis eſt, vt docet Galenus, præcipuè ſi languentibus viribus phlegmone infeſtentur iecur, os ventriculi, & pulmo, quibus fermè inutile eſt curationem adhibere. Reliqua in tractatu de febre cum accidentibus traduntur.

D

## CAPVT X.

### *De lactis defectu.*

QVia lac pueris eſt nutrimentum proprium, & magis naturale, vt docet Ariſt. 7. *politic. cap.* 17. ideò de illo maxima eſt habenda prouidentia, & antequam de cauſis defectus illius ſermonem inſtituamus, oportet illius naturam, & cauſas ac generationem inueſtigare; quæ omnia breuiter comprehendam. Ariſt. 3. *de hiſtoria animal. cap.* 20. lac deſcribit dicens: *Lac eſt ſanguis ſuperfluus, coctus, & dealbatus in mammis.* Vbi illius generationem, modum generandi, partem in qua gignitur, & cauſam illius materialem demonſtrat. Eſt quidem ſanguis ſuperfluus, ita vt aſſerat Galenus 7. *de vſu partium, cap.* 22. quod lac eſt ſuperfluum vltimi alimenti; conſtat enim ex Hippoc. *lib. de hominis ſtructura* (in quo omnes

*Lac quid ſit.*

etiam

etiam conueniunt) quod lac,& ſemen fiunt ex eadem materia, nempe ex ſanguine redundante: & propter hoc dictum fuit ab Hipp. 2. *de morb. popul. ſect.* 3. lac eſſe ſanguinis menſtrui germanum, quod coctione fit in mammis. Neque circa hoc reiicienda eſt Empedoclis ſententia, quæ aſſerit, lac nihil aliud eſſe, quàm pus; nam concocta putrida appellabant veteres, vt conſtat ex Plutarcho 2. *de cauſis naturalibus*: & Ariſt. refert 4. *topicorum, cap.* 5. Empedoclem vocaſſe vinum aquam in ligno putrefactam, id eſt concoctam. Itaque ex omnium ſententia lac coctione fit in mammillis, quod optimè cordis calore conficitur, vt inſinuat Gal. 7. *de vſu partium citato.* Cùm enim mammæ ſanguine nutriantur, & alimentum fiat alito ſimile, illum per coctionem mammæ dealbant, & in lac conuertunt, ex quo immediatè nutriuntur,& quod remanet,ad infantuli nutritionem,& alitionem deferuit; ſicut enim rubra rubificant materiam quam in ſe conuertunt, vt hepar; ita membra alba albificant ſanguinem ex quo nutritionem accipiunt; & quia mammæ ſunt eiuſmodi,ideò lac debet eſſe album, vt docet Galenus *libr. de anotomia viuorum*,& 1. *de ſanitate tuenda, cap.* 9. in quo tamen quodammodo diſſentit Ariſtot. 3. *de hiſtor. animal. cap.* 21. qui inquit,quod lac commodius eſt, quod liuorem trahit, quàm quod candidum eſt.

*Cur mammæ pectori inhæreant.* Mammæ ſunt partes ad lactis generationem deſtinatæ, meritoque pectori inhærent, vt ex ipſis cor oſſi pectoris ſubiectum tegumentum accipiat,& in huius beneficij gratiam cor mammis calorem præſtat, vt lac in ſui, & infantium alimoniam gignant, vt oſtendit Galenus 7. *de vſu part. cap.* 22. *citato.*

*Lac quare dulce.* Remanet lac dulce, quia ex parte ſanguinis puriori generatur, quæ dulcis guſtu percipitur, & in hac qualitate ſanguini ſimile perſeuerat. Et quia infantes dum erant in vtero ſimilem ſaporem deguſtabant, ideò in lucem editi lactis dulcedine delectantur, vt aſſerit Hieronymus Mercur. 3. *de morbis mulierib. cap.* 1.

*Quibus partibus conſtat lac.* Lac ex triplici ſubſtantia conflatur, vt inſinuat Galenus *de cibis boni, & mali ſucci, cap.* 4. quarum vna eſt ſeroſa,tenuiſque; altera craſſa, & caſeoſa; tertia denique pinguis, & oleoſa. Quod etiam oſtendit 10. *ſimplic. cap. de lacte*, & aliis in locis, & Ariſt. 4. *de hiſtor. anim. cap.* 20. quod enim magis craſſum,& pingue eſt, magis nutrit quàm tenue, quod vi abſtergendi eſt præditum, & magis aut minus nutrit, prout magis ad extremum craſſitiei, aut tenuitatis accedit.

*Lactis temperies.* Circa lactis temperiem varius Galenus apparet, & hoc ob diuerſitatem ſubſtantiarum quibus componitur,& ob diuerſas facultates quibus conſtat; ſiquidem 1. *ſimplic. cap.* 2. &14. *ſimplic. c.* 17. & 5. *aphoriſm. comm.* 40. aſſerit in lacte calorem à frigiditate euinci: & 3. *de temperam. cap.* 4. lac, carnem,& mel inter calida conſtituit: & tandem 5. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 21. inquit, quod in medio pituitæ,& ſanguinis lac eſt, vtique quod ad calorem attinet; non tamen æquè ab vtroque abeſt,ſed longiùs abeſt à pituita, & propiùs accedit ad ſanguinem, vbi etiam lac tepidè calidum appellat. Ex quibus verbis eò loci potiùs ad calorem lac vergere deducitur, quàm ad frigus.

*Quo tempore gignitur lac.* Tempus generationis lactis eſt à duodecimo ætatis anno vſque ad quinquageſimum annum, ideſt à tempore apparitionis ſanguinis menſtrui, vſque ad tempus, quo fluere deſinit, vt colligi poteſt ex Galeno 14. *de vſu partium, cap.* 8. ſunt enim,vt ibi aſſerit,ipſæ mãmæ, & vterus ad eundem finem comparata, hacque de cauſa mammæ cum vtero tantùm habent conſortium, eaque per vaſa quædam natura coniunxit, vt quando in matrice fœtus continetur, ex ipſis vaſis fœtus alimentum capit; in lucem verò eo edito alimentum totum mammis affluit ad lactis generationem: & quia ex ſanguine menſtruo generatur, ideò lac fieri poteſt à tempore fluxus menſtrualis vſque ad eius deſitionem,frequentiùs tamen fit infantulo in lucem edito, quo tempore iam illo indiget natura ad infantuli alitionem loco ſanguinis,quo in vtero materno nutriebatur.

*Quæ actio læditur in lactis defectu.* Si igitur lac deficiat, maximum infantibus incommodum inſequitur,qui defectus eſt ſymptoma in actione diminuta,ſeu abolita,ſi quidem lac non fit, vel diminutè fit, eo quod ſanguis in mammis non colligitur ad illius generationem: nec poteſt dici eſſe in eis, quæ excernuntur, aut retinentur præter naturam, vt autumat Hieronymus Mercur. nam eo tempore non retinetur lac præter naturam, ſed potiùs non fit, quo tempore fieri deberet.

*Quibus de cauſis deficit lac.* Hoc ſymptoma à pluribus morbis proficiſcitur; quandoque fit ex mammarum paruitate, & mala conformatione; debet enim mammarum caro mediocrem nanciſci magnitudinem, & eſſe fungoſa, & foraminibus plena, vt ait Ariſt. 1. *de hiſtoria animal. cap.* 12. ob quorum defectum lac in humanum mammis nequit generari, licet in aliquibus viſum ſit, vt cenſet Ariſt. *loco citato*, & Auic. *fen.* 12. *lib.* 3. *tractat.* 1. *cap.* 2. Quandoque etiam ſequitur ſanguinis defectum, ita vt paucior fiat, ſi deficit ſanguis ob alimenti defectum, vel ob immodicas euacuationes, vel ingentes febres, & inflammationes,& quia ſanguis ad alias partes tranſfertur. Impediunt etiam ſanguinis fluxum ad mammas viarum obſtructiones & anguſtiæ,& facultatis attrahentis mammarum debilitas, vel animi ingens quæuis paſſio, quæ ad alias partes ſanguinem mouet,& illum conſumit. Deterior fit lac ob prauorum eduliorum eſum, aut ob dominium alicuius humoris à ſanguine; nam cùm lac ex puriori ſanguine generetur, vt docet Auic. *loco proximè citato*, alimenta quæ ingeruntur, facilè in humoris peccantis naturam conuertuntur, & non in ſanguinem; atque adeò deficiente ſanguine, deficit lac ob materiæ defectum: quod ſi aliquod generatur, illud impurum eſt, & humoris naturam redolens.

*Defectus lactis ſigna.* Signa defectus lactis ex puero lactante primò deſumuntur; nam ſi videas illum continuò acclamantem, & extenuatum,& pannos,quibus inuoluitur, ſiccos, ſignum eſt lactis defectum adeſſe. Item ſi menſtrua nutrici ſuperueniant, diminuunt lac, & illius odoris gratiam in deterius mutant. Quod ſi ſanguis vitioſus ſit ratione humoris bilioſi, viſu,& guſtu id percipies, quia ſubpallidum erit lac,& ſubamarum, & tenuis ſubſtantiæ. Quod ſi lac pituitoſum exiſtat, inquit Auicenna, declaratur ex vehementia albedinis, & aquoſitate ipſius, & declinatione eius ad acetoſitatem in odore,& ſapore ſuo. Cum hoc tamen cenſeo lac non comparare intenſiorem albedinem ex pituitæ permiſtione, cùm lac in albedine pituitam excedat. Tandem ſi lac melancholicum ſit, craſſum nimis apparebit, quod maximè euitare debemus, vtpote plurium malorum principium; quippe epilepſiam, cruditates, nauſeam, vomitum, obſtructiones, flatus, & furunculos generare ſolet. Lac etiam tenue nimis euitare debemus, quia habet parum ſubſtantiæ alitioſæ,& infantes extenuatos,& graciles reddit, aluum proritat, & vrinam multam gignit. Aëtius lactis vitium cognoſcere docet dicens: *Tenuia ac candidiſſima*

*diſſima linteorum fruſta lacte imbuta in vmbra ſiccabimus, & in his quantum à natiuo colore lac diſceſſit, ſpeculabimur.* Ex colore enim in linteolis relicto cognoſcitur humor illius coloris ſoboles. Requiritur ergo lac colore album, ſubſtantia mediocre, inter craſſum, & tenue, ſapore dulce, & grati odoris, & maternum, quod omnibus aliis præfertur, tanquam magis familiare, in cuius defectu nutrix eligenda eſt, vt inquit Moſchio, quæ ſit adoleſcens, & pulchri coloris, & iam bis pepererit, & pectus latum habeat, ipſáſque mammas neque nimium laxas, neque valde tenſas, papillas neque multùm graciles, neque valdè breues, neque ſit parua, & breuis, neque iraſcatur, ſi fieri poteſt, & ſit grata, & munda, & dentes habeat mundos, & completos. Addit Galenus 1. *de ſanitate tuenda, cap.* 9. quod vtatur alimentis boni ſucci, moderatéque ſe exerceat, abſtineat à veneris vſu, nam menſes viri conſuetudine prouocantur, quæ ſi vtero concipiat, maior puero inde ſequitur noxa.

*Nutricis electio.*

Neque minùs eſt attendenda nutricum ætas. Paulus *lib.* 1. *cap.* 2. docet nutricem neque debere eſſe aniculam, neque iuuenculam; & illius ſtatuens ætatem, natu minimam eſſe annorum 25. dicit, & natu maximam 35. Auic. etiam eam approbat à 25. anno ad 35. Aëtius à 20. ad 40. Nos autem iudicamus nutricem eſſe eligendam à 20. ad 30. vel 35. annum, qui eſt iuuentutis complementum, & finis; nam ante 20. ſanguis plurimus abſumitur in nutritione, neque partes habent robur requiſitum pro infantis alitione: poſt trigeſimum verò annum, vel 35. robur partes amittere incipiunt, neque lac ita laudabile generare valent.

Quod ſi talem inuenire non valemus, lac emendabimus ſecundum vitium, quod habet. Primum ergo quod ſe offert, eſt illius defectus, cuius curationem tradere eſt opportunum.

## §. I.

### *Curatio defectus lactis.*

SI ob ſanguinis inopiam lac deficere videatur, ea victus ratio eſt inſtituenda, quæ ipſum adaugere valeat, & hoc efficimus, vt docet Galenus 5. *lib. de ſimpl. medic. facult. cap.* 21. per alimenta moderatè calida, & humida, vt carnes caponum, phaſianorum, gallinarum, oua ſorbilia, lac elixum cum vitellis ouorum, & cum ſaccharo, & amylo. Conueniunt etiam pultes ex lacte, & farina tritici, vel ſeſami, vel animalium vbera cocta, vel cibus albus dictus, qui ex gallinarum pectoribus elixis, & farina oryzæ, lacte, & ſaccharo conficitur. Ex piſcibus laudantur troctæ, barbelli, belſuccus, & ſalmo. Albertus Magnus, & Moſchio ſalitorum piſcium capita comprobant, deſeruiunt etenim ſalſa ad eduliorum penetrationem, fluidumque reddunt ſanguinem, vt ſic faciliùs ad mammas permeet. Ex nucleis conducunt amygdalæ, nuclei pini, & vuæ paſſæ. Valent etiam piſtachia, æruca, & paſtinaca. Pro potu accipiant vinum album aquoſum, aut nigrum non auſterum, ſed dulce. Vtatur nutrix exercitiis ſupernarum partium, vberumque frictionibus, iiſdemque cucurbitula affixa prodeſt, Paulo teſte *lib.* 1. *cap.* 4. Laudat Auic. lactucæ, & papaueris ſemina, quorum vſum non probamus, niſi bilis dominium adſit: neque fœniculo, anetho, & apio vtimur, niſi in his, quæ pituitæ copiâ abundant; nam ſuo calore lac reſoluunt, & diminuunt. Vitex, ex Dioſc. teſtimonio *lib.* 2. lac gignit, quæ non conuenit niſi abundet pituita, cuius vſus frequens improbatur; nam ſuo calore conſumit lac, & diminuit ſemen; omne enim quod diminuit ſperma, diminuit lac; & quod facit exuberare ſperma, facit etiam exuberare lac, vt notat Auic. Puluis cryſtalli vtilis cenſetur per os aſſumptus, ex Gal. *lib. de ſimpl. medic.* aut aqua hordei cum puluere ſeminis fœniculi epota, aut ſeſamum crudum cum vino. Præterea inteſtina theræ vino abluta, & in pulueres redacta, & vino epota proſunt. Succus betæ epotus, & naſturtium in vino epotum multum gignit lac, ex Hipp. 1. *de morbis muliebribus, text.* 26. Lapis galactites alligatus, aut vino generoſo epotus, vel aqua diſſolutus vtilis eſt, ex Aëtio. Lapis lactici coloris, cum maculis, ſeu lineis ad rubedinem tendentibus, qui communiter à nutricibus collo ſuſpenſus trahitur, maximè conferre ſolet. His, & aliis eſt vtendum, conſideratâ nutricis temperie, & humoris prædominantis idea, quem remediis idoneis attemperabis, & poſtea expurgabis, vt ſic lactis impuritas auferatur. Expurgantia tamen non debent eſſe fortia, vt aſſerunt Hieron. Mercurial. & Donatus ab Altom. quæ enim nimis purgant, corpora exſiccant, & ſanguinem abſumunt, quorum copiam ex aliis locis deſumere poteris.

Prætereà ſi mammæ debiles appareant, & ſanguinem non attrahant, eas fricare expedit, vt dictum eſt, & illis cucurbitulas affigere, & balneo calido illarum poros aperire, vt faciliùs ſuccedat ſanguis. Verumtamen ſi ob aliquam euacuationem deficiat lac, eam compeſcere erit opportunum, deinde optimo alimento corpus reficere. Tandem ſi ob viarum obſtructionem lac diminuatur, extenuantia, & calefacientia competunt, & ea, quæ humores craſſos expurgare valent; quibus debitè adhibitis, lactis defectui ſuccurrimus.

## §. II.

### *De lactis redundantia.*

LActis abundantia plurimùm nocere ſolet, vt inquit Auicen. *fen.* 12. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 3. nam mammæ intumeſcunt, & dolent, ſæpeque inflammantur, vel lac concreſcit, ex quibus puero lactanti plurima ſuccreſcunt incommoda; ſiquidem illi ſuperueniunt morbi comitiales, conuulſiones, ventriculi cruditates; quæ omnia per redundantis lactis diminutionem corriguntur. Sed quia ex ſanguinis vbertate lac gigni dictum eſt, ideò in ſanguinis diminutione, & detractione conſiſtit, dummodò lac è mammis non effluat, quo caſu curatione non eget. Signa redundantiæ lactis ſunt per ſe nota; ideóque conſultò ea omittimus.

## §. III.

### *Curatio redundantiæ lactis.*

AD lac diminuendum cibos offerimus, qui quampauciſſimum exhibent alimentum, eorumque parſimoniâ vtantur: aquam bibant quamparciſſimam, & vinum omnino euitent, vtanturque frictionibus, & ligaturis partium infernarum.

Quod ſi mammæ dolitent, conſulit Aëtius ne lac

lac ſugatur; nam maior per lactationem illuc materies ciebitur. Verumtamen ſi dolor non nimis infeſtet, vtile iudico, ſi leniter exſugantur, vt ait Ludouic. Mercat. nam leui ſuctione lac foras effertur, quod mammas infeſtat, & dolorem excitat. Verùm ſi hæc non ſufficiant, conſulunt omnes ſanguinis miſſione lac minuere; quam euacuationem crebrò eſſe faciendam tenet Mercurialis, quæ fieri poteſt ex vena interiori vtriuſque brachij, & etiam ex talo, vt ſic magis diſtrahatur ſanguis. Eſt etiam vtilis vſus cucurbitarum, ſi cruribus, ac coxis affigantur.

Prætereà lac in mammis reſoluit, & ſanguinis motum ad mammas compeſcit hoc vnguentum, quo mammæ illiniuntur, cuius efficaciam ſæpè probaui. ℞. butyri vaccini ſepties aquâ roſarum loti ℥.iij. olei roſarum, & myrti, amygd. dulc. & camem. ana ℥.j. vnguenti filij Zachariæ, & anodini, ana ℥.j. aceti roſarum guttulas: miſce, & cum cera fiat vnguentum. Conuenit etiam per initia ſpongia mollis poſcâ tepente imbuta, expreſſaque, & mammis accommodata, & alligata, vt ait Paulus; aut ouum totum oleo roſaceo agitatum, & ſuperpoſitum. Confert etiam fotus ex dulci oleo calenti, vel ex decocto fœnugræci, altheæ, cymini, & ſeminis apij: & rurſus apponendum eſt emplaſtrum ex farina fœnugræci, ſeminis lini, & lentium cum hydromelle, & pauco croci.

Quod ſi in totum lac auferre tentabis, quæ lac exſiccant adhibenda ſunt, ex Galeni, & Auic. ſententia. In quem vſum laudatur fotus ex decocto foliorum lauri, florum camemali, fœnugræci, fœniculi, petroſelini, & apij cum radicibus; deinde vnguento ſuprà adducto mammas illinire erit præſentaneum auxilium. Vtilis etiam eſt therebinthina, quam vino albo ſæpiùs abluere permittes, cui duo, aut tria oua, & croci ℈.j. adiicito, & in emplaſtri formam redigito: aut cum cera vnguentum formabis additis inſuper oleis lilij albi, camemali, & amygd. dulcium. Cyminum, & crocum, ſi collo appendantur, lac abſumere valent. Spongiæ recentes madefactæ in aceto, in quo incoctum ſit cyminum, ſi mammis arte ligentur, vna nocte ſolent lac diſſipare, ſi prius lac ſugatur, vel mammæ lacte deonerentur, vt Mercat. oſtendit. Mirificè prodeſt ceratum hoc. ℞. radicum lilij albi, & raphani, ana ℥. j. foliorum petroſelini m. ß. coquantur ſufficienter in æquali quantitate olei ſeſamini, & amygd. dulcium, donec radices marceſcant, & cum cera alba fiet ceratum, vel vnguentum, de quo periculum feci, & profuit.

## §. IV.

### De lactis concretione.

DIſſident Authores circa hunc affectum. Exiſtimant plurimi, lactis concretionem duplicem morbum conſtituere, ſecundùm duplicem cauſam, à qua talis concretio excitatur; aliud enim aſſerunt eſſe lactis coagulationem, ſeu conuerſionem eius in caſeum; aliud verò ipſius in grumos tranſmutationem. Illud primum à calore excedenti, ſecundum verò à frigore condenſante fieri autumant, inter quos Donatus Antonius, & Ludouicus Mercatus; quorum ſententia probatur à ſimili ex Galeno de cibis boni, & mali ſucci *c.* 4. vbi ſanguinem extra vaſa concreſcere, & in grumos conuerti aſſeruit, & hoc reduxit in cauſam frigidam: ergo idem dicendum eſt de lacte, exprimitur enim per frigus lactis ſerum, & quod rema-

A net ex lacte, grumoſum, & craſſius videtur: quod confirmat Auicenna *fen.* 12. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. vbi ſic: *Quandoque lac caſeatur in mammillis propter caliditatem exſiccatiuam, & quandoque caſeatur propter frigiditatem congelatiuam.*

In contrarium eſt Ariſtoteles 3. *de hiſtoria animal. cap.* 20. vbi ſic: *Nullum lac coit frigore, ſed ſerum potiùs trahit. Igne nimirum omne ſpiſſatur, & craſſeſcit.* Calor etenim ſerum exſiccat, & ſecernit, & ab illo lac concreſcit ex conſumptione ſeroſæ ſubſtantiæ. Ego quidem exiſtimo, quod lac non concreſcit frigore intra propria vaſa, ſicut nec ſanguis concreſcit donec extra vaſa prorumpat; neque viuo animali tanta poteſt eſſe in mammis frigiditas, vt ea lac concreſcere poſſit: ſi verò extra mammas lac effluat, non mirum ſi à frigore in grumos conuertatur; cum quo benè ſaluatur, quod
B lac coaguletur ab vtraque cauſa, in mammis ſcilicet à calore, extra mammas vel à calore, vel à frigore, vt tenet Vega *c. de lactis concretione*, & alij.

Hic morbus non ſemper eſt in magnitudine adaucta, vt quidam cenſent; nam non repugnat, quod lac in mammis concreſcat ſine illarum magnitudine, & extenſione maiori. Sed mihi potiùs videtur dicendum, illud lac coagulatum eſſe ſymptoma in eis, quæ retinentur præter naturam; eſt enim lac dum concretum eſt, naturæ inutile, quod reiici deberet, ſequiturque morbum in intemperie calida, vt dictum eſt. Quod ſi mammæ magnitudinem præter naturam nanciſcantur, morbus tunc in magnitudine adaucta conſiſtit.

Cauſæ ſunt mammarum caliditas, lactis abundantia, & longa in mammis mora; ad quod maximè adiuuat lactis craſſities, ratione cuius diutiùs moratur in meatibus anguſtis, ibique putreſcens
C mammæ calefiunt, & lac coagulatur, febris accenditur, & mammæ inflammantur. *Cauſæ.*

Signis facilè innoteſcit, nam tactu duritiem percipies, in lacte caſeato longam aut latam, in lacte verò in grumos conuerſo, hinc & inde grumos, & tubercula parua deprehendes, in quibus tradendis non eſt cur immoremur. *Signa.*

## §. V.

### Curatio concretionis lactis.

INſtituto vitæ regimine per refrigerantia alimenta, in principio eiſdem vtimur auxiliis, quæ capite præcedenti tradita ſunt, vt ſpongia mollis poſcâ tepente imbuta, expreſſaque, & mammis alligata. Idem præſtat ſuccus ſolani, aut portulacæ,
D vel illius herbæ, quam morſum gallinæ appellant, aut oleum roſatum omphacinum cum albumine oui agitatum, aut oleum roſarum, myrti, & amygd. dulcium. Mitigato dolore, ea quæ lac concretum, & in grumos conuerſum diſſoluunt, ſunt mammis adhibenda, vt ſunt furfures in aceto cocti cum rutæ decocto, aut fotus ex oleo dulci, vel ex decocto fœnugræci, radicis altheæ, camem. & meliloti. Valet etiam emplaſtrum ex farina hordei, ſeminis lini, & fœnugræci, cum oleo camem. lumbric. & roſarum, & oxymelite, aut vnguentum filij Zachariæ, & axungia gallinæ, & anatis, ex quibus cum prædictis oleis poteſt vnguentum effingi. Betæ folia oleo incocta, cum pane, & fabarum farina, oleoque ſeſamino, & cera admiſta vtilia ſunt. Ammoniacum cum aſſa fœtida, & oleo, & cera ad formam emplaſtri grumos maximè diſſoluit.

Verumtamen ſi lac concreſcat ob nimiam illius multitudinem, victus extenuans ordinandus ante

ante topicorum admotionem, & à catulo, vel à peritis mulieribus leuiter lac exſugatur, ſi mammæ aſſiduè non dolent; inſtante verò dolore, non oportet exſugere, ne ſuctione plus materiæ trahatur, vt ait Aëtius, ex Sorani ſententia. Neque erit rationi diſſonum ſanguinem extrahere ex vena baſilica brachij mammæ affectæ è directo reſpondentis, vt citiùs lac diminuatur. Deinde vtendum remediis iam traditis, vt anteà dictum eſt.

*De mammarum inflammatione.*

Hîc agere ſolent Authores de mammarum inflammatione; tamen quia eſt morbus communis aliis partibus, non indiget curatione particulari. Scire tamen oportet, quod ob ſanguinem redundantem, vel lactis copiam, & corruptionem hanc inflammationem noſtræ fœminæ pilum appellant, deceptæ fortè ab Ariſtot. 7. *de hiſtoria anim. capite* 21. vbi ait: *Vbera enim tota fungoſa ita ſunt, vt ſi in poculo pilum fortè hauſerit mulier, dolor mouetur in mammis, quod malum pilare appellant; nec ſedatur dolor, donec pilus vel preſſus exeat ſponte, vel cum lacte exſugatur.* Quæ ſententia quàm A falſo conſtet fundamento cuiuis patere arbitror, ita vt impugnatione non egeat.

*De mammarum corroſione.*

Solent præterea mulieres pati fiſſuras, ſeu ragadias papillarum, ob acutiem, & ſuperfluitatem lactis, præſertim primis diebus lactationis, in quibus lac ſeroſum, fluidum, & malè confectum eſt, reformidantque ſuctionem lactis, nec ori infantis audent papillas committere ob ingentes dolores, qui ob ſuctiones eis ſuperueniunt. Illæ ergo fiſſuræ curantur vnguento de minio, vel vnguento de ceruſa in aqua aluminoſa decocto, & priùs eâ abluto. Mirificè opitulatur hoc vnguentum. ℞. olei omphac. & de vitellis ouorum, ana ℥.x. ceruſæ ℥.ij. plumbi vſti ℥.vj. vtriuſque lithargyrij, ana ℥.v. antimonij, & tuthiæ, ana ℥.iij. butyri vaccini ℥.ij. ſucci plantaginis, & ſolatri, ana ℥.x. bulliant ſucci cum oleis, & butyro ad conſumptionem B ſuccorum, deinde cum cera alba, & aliis ingredientibus in mortario plumbeo fiat vnguentum. Communiter etiam vtuntur mulieres vnguento de caſtaneis. Sed de hoc libro dicta ſint ſatis.

# LIBER QVARTVS.

## De internorum Morborum Natura, & Curatione.

### PROOEMIVM.

POSTQVAM præcedenti in libro morborum thoracis opus adimpleuimus, ipſe ordo expoſtulat, vt ad ventriculi, & inteſtinorum morbos conuertatur noſter ſermo. Cùm enim prima coctio in ventriculo peragatur, cuius vſus ad vitam eſt maximè neceſſarius, variique morbi illam interturbent, ita vt ciborum coctionem vel diminuant, aut totaliter auferant, vel cibos in alienam mutent qualitatem; operæpretium eſt horum morborum inueſtigare naturam, quâ cognitâ eorum curationem percurremus. Primus ergo qui ſe offert, eſt qui ſequitur.

### CAPVT I.

### *De cibi faſtido, & inappetentia.*

*Cibi faſtidiũ quid ſit.*

QVoniam cibi faſtidium, & inappetentia ab eiſdem cauſis oriuntur, de vtroque in eodem capite agere decreuimus. Cibi faſtidium igitur *eſt actio quædam deprauata appetitus ſenſitiui, per quam æger abhorret alimenta ſibi conuenientia, eaque auerſatur, ac ſi eſſent illi noxia.* In quo deprauationis ratio conſiſtit.

*Inappetentia quid ſit.*

Inappetentia verò actionis defectum eiuſdem appetitus dicit, & priuatiuè opponitur fami, quæ vt inquit Ariſt. *lib.* 2. *de anima, cap.* 3. eſt appetitus calidi, & ſicci, ſicuti ſitis appetitus frigidi, & humidi. Vbi nomine appetitus non debemus intelligere ipſam potentiam appetitiuam, ſed potiùs actum elicitum illius. Quapropter fames nomine appetitus expoſita, appetitio, ſeu actio appetitus dici debet. Quia ergo inappetentia conſurgit à contrariis cauſis, à quibus originem ducit fames, cognitis cauſis famis naturalis, facilè in cognitionem cauſarum inappetentiæ, & cibi faſtidij deueniemus. Quinque accidentia ſe ordine conſequentia dantur in fame naturali. Primum eſt alimenti defectus in ambitu corporis, ſeu in tertia regione.

Secundum ipſarum partium appetitus naturalis, qui eſt propenſio, ſeu naturalis inclinatio earundem partium ad ipſum alimentum, tanquam ad C quid familiare, quo nutriuntur, augentur, & conſeruantur. Tertium eſt attractio naturalis ipſius alimenti ex venis, iecore, & aliis partibus, donec è ventriculo alimentum ſugunt. Suctionem ſequitur quartum ſymptoma, nempe ſenſus ſuctus, ratione cuius inſurgit vltimum, quod eſt animalis appetitus, cuius in fame duplex eſt actus. Primus eſt auerſio, ſeu fuga ab obiecto ventriculum tempore famis moleſtante, quidquid illud ſit, de quo in præſenti non diſputo. Secundus actus, imò & vltimus, qui reperitur in fame, eſt appetitus alimenti, quo aſſumpto fames abigitur. In quonam ex his fames conſiſtit, longam exigebat tractationem, à qua breuitatem diligens, me in præſenti abſtineo; certum enim eſt, quod alimenti defectus, ſeu inanitio, appetentia naturalis, & ciborum attractio non valent famem animalem conſtituere; nam hæc ſunt plantis communia,

communia, neque etſi plantis inſint hæc omnia, dicimus plantas fameſcere. Eſt equidem fames accidens quoddam animali ſolùm conueniens, pro-vt reparatione indiget per alimenta. Relinquitur ergo, quod vel in ſenſu ſuctus, vel in actibus appetitus fames ſit conſtituta. Sed in hoc varius extitit Galenus, qui 2. *aphoriſm. comm.* 16. famem vocat alimenti defectum: & 1. *de cauſis ſympt. cap.* 7. eam appellat appetentiam, quæ alimenti defectum conſequitur: & 4. *de vſu partium, cap.* 8. eam definit per ſenſum ſuctus, qui cauſatur in ventriculo dum reliquæ partes ſugunt ex illo. Denique *libello de inæquali intemperie*, famem, & ſitim inter doloris ſpecies connumerat, dicens: *Dolor fit eſuriendo, vel ſitiendo, deficiente hîc humida, illic ſicca ſubſtantiâ.* Ex cuius verbis nihil certi affirmare poſſumus, aliiſque dedit occaſionem errandi; ſiquidem variè ſentiunt de famis natura. Valleſ. 5. *controu. capit.* 7. famem collocat in ſenſu ſuctus, & in repletionis appetentia. Veiga aſſerit eſſe ſenſum ſuctus tantùm. Petrus Garcia famem eſſe doloris ſpeciem ſtatuit, & vnuſquiſque in ſui placiti comprobationem fundamenta proponit. Sed ego exiſtimo, famem non dari, dum non ſit alimenti appetitus, nam reliqua accidentia, quæ hunc appetitum antecedunt, etiamſi actu ſint, non reddunt hominem famelicum, niſi alimentum appetat; in appetitu ergo alimenti fames eſt conſtituenda, cui vt dixi, priuatiue opponitur ciborum inappetentia, cuius cauſas inquirimus, quæ quidem vel ſuctionem impediunt, aut ſenſationem ventriculi auferunt, vel denique appetitum deiiciunt, quas tradit Paulus *lib.* 3. *cap.* 37. eáſque reducit ad vitioſam intemperiem, & humorum redundantiam, quæ ventriculi os diſtemperando deiicit actum appetendi, & in ore ventriculi ſequitur defectus ſenſus ſuctionis, & ſenſatio impeditur. Quandoque etiam ſuctio non fit, quoniam in membris non fit conſumptio, aut in venis alimenti copia abundat, vel quia debilia ſunt membra, & nequeunt attrahere, aut quia venæ iecoris, & meſaraïcæ obſtructionem patiuntur, aut ob nimium calorem, cuius ratione ventriculus taxatur, impotenſque ad appetendum redditur, vt patet in febribus, in quibus propter calorem immodicum, vel propter humorem bilioſum deiicitur appetitus, præcipuè ſi copia moderata melancholiæ, quæ quotidie in ſtomachum effundi deberet ad famem excitandam, aliqua ex cauſa deficiat. Idem efficiunt ventriculi inflammationes, vlcera, & dolores, quibus potiùs irritatur ad expellendum, quàm attrahendum alimentum; & in mulieribus retentio menſtruorum, & grauiditationes appetitum proſternunt, & vitiant; quæ omnia etiam deducimus ex Auic. *fen.* 12. *lib.* 3. *tractat.* 1. *cap.* 7. Sed in hoc capite ſolùm eſt agendum de cibi faſtidio, quod ex intemperie ventriculi, & humoris conſortio ortum habet; nam quod ex aliis morbis conſurgit, ex illorum morborum capitibus curationem petit.

*Cauſa.*

*Signa.*

Intemperies calida ex ardore, & ſiti, & ex his, quæ præceſſerunt, vt ſole, æſtu, & ciborum calidorum vſu deprehenditur, & ex eorum corruptione in nidoroſam ſubſtantiam. Frigida contrariis, vt frigiditate, ſitis defectu, & cruditate, & ciborum conuerſione in acidam naturam, & ex his quæ præceſſerunt, vt tempore hiemali, & frigido, & cibis frigidis, & potu aquæ inordinato. Verùm ſi intemperies cum humore bilioſo ſit, eadem ſentiuntur accidentia, quæ adduximus pro intemperie calida, quibus adiunguntur oris amaritudo, vomitus bilis, & oris ventriculi morſus. Quod ſi frigidi humores ventriculum infeſtent, ſimilia exiſtunt accidentia, ac in frigida intemperie, cum nauſea, & vomitu pituitæ, ventriculi grauitate, & coctionis defectu.

## §. VNICVS.

### *Curatio inappetentiæ, vel cibi faſtidij.*

*Curatio cibi faſtidij ab intemperie calida.*

SI huius morbi origo calida ſit intemperies, victu refrigeranti eſt vtendum. Aër itaque frigidus eſt eligendus, ſomnus, & vigilia vtraque ſint moderata, quies præcipienda, alui excrementa ſingulis diebus deponantur, vel enematibus refrigerantibus, & mollientibus vtantur. Cibus etiam refrigerans condonandus, qui aceto, aut aranei, vel limonis ſucco condiatur; qui præterquam quod refrigerat, appetitum excitat: huius cenſus ſunt mica panis in miua citoneorum, lactuca, chicoreum, oxalis, poma auſtera, miloplacenta, oua ſorbilia, carnes gallinarum, & caponum, gallorum teſtes, & aues montanæ, ceraſa acria, & pruna damaſcena. Potus ſit poſca, ex Pauli præcepto, vel aqua frigida, aut aqua chicorei, vel radicis ſcorcioneræ. Vitæ regimine inſtituto, ea adhibebis remedia, quæ ſimul refrigerandi, & roborandi ventrem vim habeant, quæ ſtatim adducemus, ſi priùs aliquid circa diſtemperiem calidam cum humoris conſortio dixerimus; nam in vtraque affectione eadem remedia localia proficere exiſtimamus.

Si igitur humor bilioſus redundat, vomitione eſt educendus, ſi æger ad vomitum ſit procliuis, in quem vſum confert aqua tepida cum oxymelite, vel cum ſyrupo acetoſo, aut aqua mulſa dilutiſſima præbibita, ex Pauli decreto. At ſi difficilè æger euomat, præſtat materiam ad aluum elicere pillulis de hiera, & de rhabarb. aut pulpa caſſiæ recenter extractæ, vel manna electa, vel ℥.iij. ſyrupi ex 9. infuſionibus violarum cum decocto Pugini, in quo ſit macerata rhabarb. ʒ.j. Ante hoc tamen humorem attemperabimus ſyrupo acetoſo, de ſucco roſarum, de ſucco limonum, granatorum, chicorei, & ſimilium, in quorum refrigerantium adminiculo cautè eſt procedendum; nam eorum immodicus vſus non ſolùm non iuuat, ſed etiam ſæpe morbum efficit inſanabilem, vt ibi Paulus teſtatur. Qui enim ſupra quam par eſt, calidum morbum refrigerat, is ſanitatis mediocritate tranſmiſſa, alium excitabit morbum, qui ſit frigidus, ex Galeno 2. *method. cap.* 15. Prætereà factâ purgatione ventriculum roborabis, & alterabis interiùs per aſſumptionem miuæ ſimpl. citoneorum, aut citoneiſaccharo conditi, vel quolibet mane aſſumat æger ℥.j. ß. ſacchari roſacei cum aqua chicorei, aut bugloſſi, vel bibat ℥.ij. ſyrupi chicorei, & borrag. cum eiſdem aquis.

Exteriùs ventriculo admoneatur oleum citoneorum, myrti, & roſarum, cum puluere roſarum, myrti, & vtriuſque coralli, ex quibus cum cera vnguentum, aut ceratum efformari poteſt. Citoneum in poſca decoctum, & poſteà contuſum, & ventri admotum prodeſt.

*Curatio illius à frigiditate.*

Verùm ſi frigida intemperies huius mali cauſa ſit, aër ad calidum vergat, & omnia ſint contraria iis quæ pro intemperie calida annotauimus. Condimenta carnium ſint varia, quæ cariophylis, pipere, cinnamomo, croco, & melle, & aliquo acido miſtis fieri

fieri debent, in quorum vſu ſeruanda eſt conſuetudo; nam aliqua alimenta parum deteriora melioribus quidem, & minùs ſuauibus ſunt præſerenda, præcipuè ſi eis aſſuetus fuerit æger, dicente Hipp. 2. *aphor. textu* 38. Odoramenta etiam naribus admota ab omnibus commendantur, quæ ex alimentitiis rebus exhalari debent, vt odor panis recenter è furno extracti, aut odor carnis elixæ, vel citoneorum, & pomorum redolentium, aut vini aquæ naphæ miſti. Potus ſit vinum album, aut aqua cinnamomi, aniſi, vel fœniculi.

Quod ſi ciborum auerſio non ſolùm ab intemperie frigida, ſed etiam ab humoribus craſſis, & tenacibus ortum ducat, eos præparare licebit aceto mulſo, melle roſaceo, ſyrupo capill. Vener. duarum radicum, & de corticibus citri, & de abſinthio. Deinde vomitus procurandus aceto mulſo, & raphani decocto tepidis. Et ſi cibis priùs repleatur ventriculus, vt beta, raphanis, & aliis cibis pinguedinem, & oleoſam ſubſtantiam habentibus, deinde ſuperbiberit æger aceti mulſi vnius libræ pondus, faciliùs euomet. Tamen ſi hæc non ſufficiant, per infernam aluum eſt humor expurgandus, in quem vſum laudat Gal. 7. *method. cap.* 11. ea quæ ex aloë componuntur, aut ipſum aloës per ſe, quod non lotum magis purgat, lotum verò minùs. Conueniunt ergo pillulæ ex hiera, aut maſtichis, vel agarici, vel potio ex elect. diaphœn. vel diacathol. cum ſyrupo perſico ſolut. ſeu Regio, & decocto foliorum ſennæ, vel Pugini, aut agarici trochiſc. ʒ. j. in decocto Pugini infuſa, cum ℥. iij. ſyrupi ſennati, vel mellis roſati perſici. Hoc tamen vnum obſeruare iubet Gal. *loco proximè citato*, nempe quod in ventriculi affectibus moderatè purgantia ſunt idonea, ita vt eorum vis ventriculi, & inteſtinorum loca non tranſcendat, aut ſi quid vltra vaſa, tandem in meſenterio contingat. *Præceptum obſeruandum* Quapropter vtiliſſimum cenſeo decoctum Doct. Pugini, quod vulgariter etiam decoctum magiſtrale foliorum ſennæ appellatur, quod moderatè purgat, cuius hæc eſt compoſitio. *Decocti Pugini compoſitio.* ℞. ſennæ orientalis, & polypodij, ana ℥. j. ß. paſſularum Corinthi ℥. ij. & ʒ. ij. prunor. damaſc. n. xv. aniſi ʒ. iij. omnia coquantur ſecundùm artem in lb. vj. aquæ hordei ad conſumptionem lb. iij. florum borrag. bugloſſi, & violar. ana p. j. ferueant parum, decoctumque coletur, & ſeruetur ad vſum. Illi etiam in cauſa frigida addimus cinnamomum, & zingiberem. Quod ſi velis in ſyrupi formam illud confingere, addito ſaccharo per coctionem poteſt ad ſyrupi conſiſtentiam reduci, de quo ſecurè poteſt æger aſſumere ℥. iij. vel v. Deponit ſimiliter ventriculi cruditates, & humores in prima regione contentos, ventremque roborat ſyr. Principis, qui ita dicitur, quia Aetius medicinæ Princeps *tetr.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 135. mel roſaceum compoſuit ex ſucco roſarum, & melle, cuius compoſitionem imitando loco mellis ſaccharum, & loco ſucci roſarum rubrarum, ſuccum roſarum ad miniſtramus, ſic. *Syrupi Principis compoſitio.* ℞. ſucci roſarum perſicarum exunguium colati partes tres, ſacchari partem vnam, ad ignem paulatim coquito, & ad ſyrupi conſiſtentiam redigito, & eo vtere in pueris, & delicatis, & confert ad purgandum per epicraſin. Tandem ventriculum roborabis, & calefacies iis, quæ Galenus adduxit 7. *meth. cap.* 7. exteriùſque ventri appones oleum maſtichis, nardinum, & abſinthites, & opobalſamo eſt vtendum per ſe, vel aliis admiſto. Quod ſi corpori ea adhærere ſtudebis, etiam ceræ aliquid admiſcebis, quibus addere poteris pulueres ſpicæ nardi, calami aromatici, radicis iridis, abſinthij, maſtichis, diarrhod. Abb. galangæ, & aromatici roſarum, aut hoc finges vnguentum. ℞. olei menthæ, abſinthij, nardini, maſtichis, ſucci abſinthij, & vini albi ana ʒ. j. bulliant ad ſucci, & vini conſumptionem; puln. menthæ ſiccæ, ligni aloes, macis, cariophyl. & vtriuſque coralli, ana ʒ. ß. ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum. Ex eiſdem etiam pulueribus ſacculus parari poterit. Conducit etiam ad hoc emplaſtrum ſtomachicon dictum, ex deſcriptione Meſuë, vel quod conficitur ex palmulis, aloë, maſtiche, vino, hordei farina, & croco, adiectis oleo nardino, & abſinthij ſuccco. Conducunt etiam catelli pingues ventri admoti, quos in hunc vſum habere ſolent, non in aduerſa modò valetudine, verùm etiam in proſpera, vt ibi Galenus refert. Idem efficit puellus boni habitus, ita vt ſemper ægri abdomen contingat. Abſinthium intra calceos pedibus ſubſtratum demortuum appetitum ſuſcitare aiunt.

Interiùs commendat Galenus mel deſpumatum ore aſſumptum, neque aliquid in corpore frigido melle aptius eſt expetendum, neque in calido magis reſpuendum aſſerit. Medicamentum diatrion pipereon, aut diacalamentum quantitate ʒ. j. quotidie aſſumptum valdè vtile eſt, ex Galen. 6. *de ſanit. tuenda, cap.* 10. aut tabellæ diarrhod. Abb. vel aqua mulſa, in qua abſinthij comata per noctem maduerint, ventriculum abſtergit, roborat, calefacit, & appetitum ciet: idem efficit ſyrupus corticum citri, & menthæ. Veruntamen ſi fiat iſte affectus per conſenſum, inſpicere oportet morbum, à quo dependet, ex cuius curatione huius ſymptomatis medela dependet.

---

## CAPVT II.

### *De fame canina.*

Galenus 2. *aphoriſmorum, comm.* 21. vehementem, & indefinentem ciborum appetentiam famem caninam appellat, quæ eâ ratione talis dicitur, quia homines per eam canum more in cibos vehementer feruntur, quos cùm deuorent, eorum multitudine oppreſſi, ſtatim eos euomunt, & rurſus ad cibos capiendos redeunt, vt notat Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 21. *Quid ſit.* Hæc appetendi vehementia eſt ſymptoma in actione deprauata, quæ ita dicitur, quia adaucte fit, vt colligitur ex Galen. 1. *de cauſis ſympt. cap.* 7. vbi ait: *Vitioſa quidem appetentiæ, quæ in quantitate modum excedunt, & vocantur à quibuſdam caninæ, &c.* Quæ actio reduci debet ad actiones appetitus ſenſitiui, vt dictum eſt de fame naturali.

Huius morbi cauſas ad duas tantùm reduxit Gal. 1. *de cauſ. ſympt. cap. proximè citato*, dum ait: *Cauſa.* *Caninæ appetentiæ exiſtunt, cùm vel acidus quiſpiam vitioſus ſuccus ventriculum mordet, vel totum corpus immodicè digeſtum inops alimenti redditur.*

Ex quibus conſtat, humorem acidum, pituitoſum, vel melancholicum, ſi quantitate exſuperet, hunc affectum gignere; nomine tamen humoris melancholici intelligimus humorem illum, qui præter naturam aciditatem comparauit intenſiorem, quàm in ſtatu naturali, vt docet Gal. *lib. de plenitudine*, vbi ait: *Manifeſtè autem ſunt fameliti quibus atra bilis aciditatem ſuperantem obtinet.* Similiter immodica euacuatio, & corporis præter naturam conſumptio, ratione quorum maxima è ventriculo fit attractio, eſt huius morbi cauſa, quæ frequenter fieri ſolet à nimio calore corporis partes abſumente, & venas vti ſuctione cogente.

Alias

Alias cauſas adduxit Auicenna, quæ ad has reduci poſſunt, vt vermes, & ſerpentes magni cum ſubitò veniunt ad comeſta, & appropinquant eis, & dimittunt corpus, & ſtomachum famelicum. Fieri etiam ſolet ex retentricis debilitate, quæ non retinet alimentum, vt ex eo poſſit nutriri æger. Ex quibus claret facilè, quem morbum hoc ſymptoma ſequatur.

*Signa.* Si fames canina fiat ab humoribus acidis, dignoſcitur ex ructu acido, & ſucci acidi vomitu, ex frigiditate, & ventriculi cruditate, ex anteacta vita, & ægri naturali temperie. Si verò fiat ob immodicam corporis exſolutionem, agnoſcitur ex calore ingenti, ſiti, ventris ariditate, ita vt difficulter deponant illius excrementa, & ex febribus, & cauſis calidis præcedentibus. Quod ſi aliqua præceſſit immodica euacuatio, dicendum eſt, fieri ab imbecillitate facultatis retentricis. Tandem ſi à vermibus alimentum capientibus producatur, proprio capite notas habebis.

*De buliſmo.* Aliam famis ſpeciem tradunt Authores, quam buliſmon vocant, de qua egit Gal. 2. *aphor. comm.* 21. vbi aſſerit decipi omnes, qui cenſent buliſmon eſſe famem. *Paſſio enim* (inquit) *buliſmos nominata, eſt caſus potentiæ ex frigiditate exteriori, quæ à fame quidem inchoauit, ſed eam ampliùs non habet adiunctam.* Auicen. *fen.* 13. *lib.* 3. *tr.* 2. *c.* 15. eam famem vaccinam nominat, fortaſsè quia in eam boues incidere ſolent. Gentilis aſſerit illam dictionem ſignificare magnam famem, quæ potiùs membrorum fames appellari debet cum ſtomachi ſatietate; ſunt enim membra valde famelica, & nutrimento indigentia, & ventriculus alimentum reſpuit. Ex cuius verbis deducitur, in hoc affectu dari appetentiam deiectam ventriculi, & hoc ſymptoma eſſe actionis abolitæ; & cum in toto corpore reperiatur conſumptio, & extenuatio, cuius ratione in omnibus partibus ſequitur immodica appetentia naturalis, ideò hæc actio reducitur ad genus actionis deprauatæ.

*Buliſmi cauſa.* Cauſam eſſe frigiditatem exteriorem teſtatur Galenus, cum hoc tamen cenſeo fieri poſſe ab humorum frigiditate, vt inſinuat Auic. dicens: *Et fit ex humoribus tegentibus os ſtomachi, cooperientibus illum, & ſparſis in villis eius, &c.* vbi etiam ait cauſam illius eſſe malitiam complexionis mortificantem virtutem ſenſibilem, & virtutem membrorum attractiuam. Quæ verba non ſolùm frigidam denotant intemperiem, licèt ab ea frequenter affectio procedat; ſed etiam aliam intemperiem deſignant, quæ ſi nimis intendatur, poterit etiam totaliter deiectionem appetendi cauſare. Quod confirmat Tralianus dicens: *Fit autem, vt ratio ſubindicat, ab immoderato oris ventriculi calore, & imbecillitate; vnde niſi alimentum immodicè aſſumant ægri animo deficiunt, & in ſyncopen incidunt.*

Sed quia huius ſymptomatis ratio in cibi auerſione, & faſtidio, ſenſuſque deperditione in ore ventriculi ſita eſt, ideo eius curationem capite de cibi faſtidio ſcriptam reperies ſecundùm diuerſitatem cauſæ à qua dependet. Oportet ergo ad caninæ famis curationem deuenire.

## §. I.

### *Curatio famis caninæ.*

SI hoc ſymptoma fit corpore extenuato, & conſumpto, propter aliquem morbum præcedentem, vt contingit aliquibus conualeſcentibus, per alimenta boni ſucci, & ſubſtantiæ auferri ſolet, quæ ſi pinguia ſint, ventrem laxant, & famem diminuunt. Huius cenſus ſunt pedes elixi arietis, ſuis, & bouis, & oryza cum iure pingui carnis arietinæ. Veruntamen ſi extenuatio fiat à calore immodico, contrariis eſt auferenda. Aër itaque eligatur frigidus: animi paſſiones euitentur, præſertim iræ: quies eis imperetur: frigidæ potu vtantur: alimenta etiam frigida, & ægre corruptibilia ſint, quæ pinguia concedantur; laxant enim talia os ventriculi, vt ventres arietis, & ſuilli, & pedes illorum, vt iam dictum eſt. Sed quia per cutem facile diſſipantur, ipſam denſiorem reddes oleis adſtringentibus, vt roſaceo, omphacino, vel myrtino, vel hoc vteris vnguento. ℞. ſucci plantag. & ſemperuiuæ, ana ℥.j. olei myrtini, roſarum, & citoneorum, ana ℥.j. farinæ hordei ℥.iij. albumina ouorum n.ij. pulu. boli Armeni, ſanguinis drac. terræ ſigillatæ, & ſantalorum rubrorum, ana ʒ.ij. aceti parum, ceræ quod ſufficiat, vt ex iis omnibus ſecundum artem fiat vnguentum. Tamen ſi affectionem à frigiditate, vel ſuccis acidis fieri contigerit, aër eligatur ad calidum vergens, ſomnus eſt procurandus, exercitium ſit moderatum, alui excrementa quotidie deponat, aut vtatur clyſteribus calefacientibus. Quantum ad cibum attinet, famem hanc vini potio ſoluit, vt docet Hipp. 2. *aphoriſmorum, textu* 21. multoſque ſanauit Galenus vinum ipſis abundanter exhibens ex eorum genere, quæ ſufficienter calefaciunt, vt in huius textus commentario refert Galenus. Vina non ſint acerba, nec adſtringentia, nam hæc famem non tollunt, imò illam adaugent. Sint ergo coloris fului, vel rubei, abſque adſtringenti ſapore. Cibos etiam illis offerimus pingues, & qui multo parantur oleo; neque aliquid auſterum, aut acerbum habeant, vt pultes cum melle, & oleo plurimo. Iura valde pinguia abſorbeant, cerebella, & animalium partes pinguiores comedant, & ex oleribus maluam, fœniculum, origanum, & alia id genus. Potum præbebimus ante cibum, multumque, ac aceruatim bibendum, calidum aut tepidum, & vinum ieiunantibus plurimùm præbeatur, ex Aëtij decreto.

Verùm ſi humor acidus huius mali ſit origo (nam à pituita acida frequenter fieri ſolet, vt inquit Paulus) illum præparabis aquâ mulsâ, melle roſaceo, & ſyr. duarum radicum ſine aceto; nam omnia acetoſa ſunt interdicenda. Deinde eos purgare iubet Aëtius hiera, quæ non tantùm purgat humores innatantes, ſed eos in ventriculi ore imbibitos extrahit. Aut purgari poſſunt elect. diaphœn. in forma potus.

Quod ſi humor ſit melancholicus, purgabitur confect. hamech, vel diaſenna in decocto pugini diſſoluta, cum ſyrupo ſennato, aut Regio?

## §. II.

### *De fame pica.*

ISte affectus frequentiùs vtero gerentibus ſuperuenit, licèt viris etiam accidere conſpiciamus, vt docet Gal. 1. *de cauſis ſympt. cap.* 7. vbi ait: *Vitioſas autem qualitates concupiſcunt hi, quibus ventris tunica vitioſum aliquod excrementum imbiberunt. Solet id maximè mulieribus, quæ vitioſi ſunt ſucci, cum grauidæ ſunt, incidere, vocaturque hic affectus græcè cita, aliqui latinè picationem appellarunt. Porrò ſic afficiuntur earum pleraque vſque ad ſecundum, & tertium menſem.* Appetunt per hunc morbum acida, & maximè acerba,

acerba, ſicut nonnunquam vel terram cimoliam, teſtas, vel extinctos carbones, taléve aliquod alienum edulium; & propter appetitus diuerſitatem dicitur iſte affectus fames pica, ſumptâ ſimilitudine ab aue pica, de qua refert Ariſt. 9. *de hiſtor. animal. cap.* 13. quod quotidie mutat vocem, variéque canit, variiſque coloribus eſt ornata.

*Quare grauidis ſuperueniat.*

Sed non eſt difficile rationem reddere, quare hic morbus grauidis ſuperueniat vſque ad tertium prægnationis menſem; nam cùm primis menſibus parum ſanguinis in fœtus nutritionem attrahatur, eſt enim exiguus, & parum ſanguinis abſumit, & cùm eo tempore menſtruæ purgationes ſupprimantur, illud quod ſanguinis, & humoris vitioſi ſupereſt, ventriculum occupat, & in eius tunicis imbibitur; poſtea verò creſcente fœtu indiget maiori ſanguinis copia, & ſic aliis menſibus grauidationis ceſſare ſolet affectio, quæ pueris, mulieribus, & viris accidit etiam, quia ſimilis humor in illis generatur, & in ventriculi poris imbibitur. Sed quia vitioſas qualitates ciborum, & aliarum rerum concupiſcunt, vt inquit Aëtius, reducitur, hoc ſymptoma ad genus actionis deprauatæ, quæ intenſione non eſt talis, vt diximus de fame canina, ſed vitio, quatenus appetunt res alienas.

*Quare appetunt res alienas.*

Ex dictis conſtat, morbi cauſam eſſe humorem vitioſum in ventriculi membranis imbibitum: ſed qua ratione appetitus talis ſequatur, nondum conſtat. Veiga *lib. artis medic. cap.* 63. Capibaceus 3. *de affect. cap.* 7. & Vall. 5. *controu. cap.* 7. aſſerunt in hoc morbo eſſe appetitum ad ſimilia, ita vt qui exuſto humore abundant, carbones appetunt; qui verò ſalſuginoſo, ſal edunt; qui melancholico, terram ingerunt; qui verò humoribus craſſis abundant, gypſum inſatiabili appetitu expetunt. Quæ ſanè omnia exquiruntur ob ſimilitudinem humoris deprauantis appetitum.

*Veiga, & Valleſ. ſententia.*

Quorum fundamentum eſſe poteſt, nam ſi contraria appeterent, eorum vſu ſanaretur affectio, cùm contraria contrariis curari debeant, cuius contrarium experimur; ſiquidem potiùs eorum ingeſtione morbus iſte adaugetur. Cùm ergo morbus ſimilibus conſeruetur, & ex harum rerum comeſtione idem accidat huic morbo, dicendum eſt, quod per illum appetitus mouetur ad ſimilia.

*Concluſio vera.*

Oppoſita tamen ſententia eſt à nobis amplectenda, nempe in fame pica eſſe appetitum ad contraria, quam tuentur Auic. *loco ſuperiùs citato*, Vega 3. *methodi*, *ſect.* 7. *cap.* 4. Petrus Garcia, & alij, eamque deſumunt ex plurimis Galeni locis, præcipuè tamen ex capite 63. artis medicinalis, vbi inquit: *Malæ verò temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant, hoc differunt ab his, quæ naturales exiſtunt, quoniam contraria, non autem ſimilia appetunt, quemadmodum naturales.*

*Vall. expoſitio*

Valleſ. Galenum explicat dicens, ipſum loqui de intemperiebus, quæ ſunt ſine ſucci redundantia, quæ quidem contraria appetunt, & diſſimilia ad ſui ablationem; quæ verò ſunt cum ſucci redundantia, ſuccis ipſis ſimilia appetunt, etiamſi illi ſucci præter naturam ſint congeſti: & rationem reddit, nam humor, qui totas tunicas iam penetrat, quamtumvis noxius ſit, moleſtiam non infert; non enim quod alterauit, & quietum eſt, infert iam moleſtiam, ſed id quod alterat denuò. Succus ergo qui aduenit, ſimilis ei qui totam tunicam antea imbuebat, perinde afficit, ac ſi non adueniret denuò. Cùm ergo moleſtiam non infert, non poteſt eſſe contrarium; nam ab eo alteratio fieret, ac per conſequens appetitus ad illud eſt ad ſimilia.

*Illius refutatio.*

Sed hæc Valleſ. explicatio non quadrat, cùm A toties à Galeno, & ab omnibus ſit proclamatum, naturalia appetere ſuam conſeruationem, præternaturalia verò ſuam ablationem, quæ contrariis neceſſariò perficitur, ſicut conſeruatio per ſimilia. Neque ratione ſuaderi poteſt, quod Galeni dictum tantummodò intelligatur de intemperiebus ſine ſucci redundantia; ſiquidem omnes affectus, qui ex humorum multitudine fiunt, etiam medelam expoſcunt, quæ ſimilibus fieri nequit. Naturaliter enim quælibet pars, dum eſt in ſtatu præter naturam, appetit reduci ad priſtinum ſanitatis ſtatum; quæ reductio neceſſariò fit per contraria, & ſic appetitu naturali illa appetit, quamuis appetitu animali ſimilia appetere poteſt. Pro cuius intelligentia ſuppono, quod vt appetitus animalis operetur, prærequirit obiectum ſenſibile, quod excitet appetitum ad operandum, quod minùs benè fert B appetitus, imò reſpuit, quando moleſtiam infert, ſicuti dum obiectum eſt iocundum, fertur in illud. Ex quo deduco, quod ſi aliquid humori exiſtenti in ventriculo contrarium in fame pica animal deglutiat, reuerà alteratur, & quammaximè offenditur: quapropter vt talem effugiat moleſtiam, appetit ſimilia, à quibus non immutatur, ſicut ex contrariorum ingeſtione. At verò animal ſuo naturali appetitu ſemper appetit morbi ablationem, quæ fieri nequit niſi per contraria.

Ex quo infero, quod natura ſemper expoſcit morbi ablationem, ſiue morbus ſit habitualis, ſiue ſe habeat per modum diſpoſitionis: & hoc dico propter Veigam, qui cenſet morbum habitualem petere illud, cuius commercio corroboretur: ſed quia corroboratio fit per ſimilia, exiſtimat morbos habituales ſimilia expoſcere; cuius ſententia ita falſa eſt, vt impugnatione non egeat; ſequeretur C enim, quod febres hecticæ nunquam curationem admitterent, quæ contrariis perficitur, ſed potiùs ſimilibus corroboraretur.

Vel dicendum eſt, illum appetitum in fame pica eſſe ad contraria, quibus aufertur morbus, aut cauſa præter naturam. Sed quæ contrarietas reperitur inter humorem imbibitum in ventriculo, & carbonem, v.g. explicare oportet, atque adeò exiſtimamus in carbonibus, & aliis quæ appetuntur, adeſſe aliquam qualitatem humori, aut morbo repugnantem, quam æger appetit, licèt prauâ eorum ſubſtantiâ, & aliis qualitatibus humorem adaugeant; quod inſinuat Auic. dicens: *Quapropter accidit quibuſdam appetitus luti, imò carbonum, terræ, & gypſi, & rerum huius generis, propter qualitatem, quæ in eis eſt, exſuccantem, aut incidentem, contrariam qualitati humorum.* Quod verò ſentitur in ventriculo dum talia appetit, difficile eſt intel- D lectu; ſufficit tamen dicere, qualitatem, & quantitatem humoris ibi exiſtentis potentiam excitare ad ſenſationem, & perceptionem obiecti ibi moleſtantis.

## §. III.

### *Curatio famis picæ.*

QVicumque adultiores hoc morbo corripiuntur, admonendi ſunt, & coërcendi, pueri verò flagellis cædendi, & obiurgandi, vt ſic à prauis eduliis ſe abſtineant. Cunctis commune eſt, vt moderato cibo vtantur, qui neque facilè in ventre corrumpatur; quod ſi laudabiles cibos auerſentur, obſoniorum diuerſitate delectentur. Aëtius commendat oliuas albas muriâ conditas, & amygd. amaras à ieiunis acceptas. Poſt cibum autem vuæ paſſæ, mala punica, aut pira, vel miloplacenta comedãtur.

Potus

Potus etiam ſit moderatus, ne alimenta ventriculo innatent. Quod ſi æger facilè euomat, vomitum prouocabis iis quæ capite antecedenti diximus. Deindè humor præparandus ad expurgationem ſyrupo acetoſo, oxymelite ſimplici, melle roſaceo, & oxyſaccharo, & aliis, quæ humorem inſcindunt, & attenuant: mox eſt expurgandus pillulis hieræ, & maſtichis, aut de agarico, vel rhabarb. aut potionibus, vel morſellis iuxta ideam humoris peccantis. Venter etiam extrinſecùs roborandus oleo de mentha, abſinthij, & nardino, aut illi ſuperponatur emplaſtrum ex miloplacenta cum oleo abſinthij, & menthæ, & puluere abſinthij, maſtichis, & cinnamomi malaxato. Verumtamen ſi mulier in hunc affectum incidat ob menſium retentionem, ſanguis eſt mittendus ex vena interiori malleoli: deinde ſi affectio non cedat, vomitus procurandus, qui ſi non ſufficiat, humorem præparabis, & euacuabis vt dictum eſt; cuius reliquias auferre tentabis ſi dicta non ſufficiant, per ea auxilia, quæ capite de cibi faſtidio adduximus, interiùs aſſumpta, & exteriùs admota.

Si verò vtero gerentibus hoc accidens ſuperueniat, tractu temporis ſponte ſanantur, multoties enim euomunt, craſſique, ac tenaces humores ciborum paucitate abſumuntur, & fœtus cùm in dies augetur, in ſui alitionem ſanguinem redundantem abſumit. Interim tamen probè eas gubernare licèt, & alimenta grata eis offerre, vt carnes perdicum, & gallinarum, quæ cum ſalſamento ex petroſelino, & aliis aſſumere poſſunt. Aetius commendat ad eſum pedes, ventriculos, & roſtra porcorum. Conuenit etiam ſalſatitium ex lactucis, chicoreo, petroſelino, mentha viridi, & oleo, aceto, & ſaccharo. Item fructus maturi, & acidi, vt ceraſa acria, mala cotonea, & eorum conſerua, quæ præterquam quod guſtui ſunt grata, appetitum etiam conciliant. Potus ſit vinum album, vel loco illius bibant aquam cinnamomi, fœniculi, aut aniſi. Purgatio eis non conuenit, ex Hipp. 4. *aphor. text.* 1. tamen ſi neceſſitas cogit, aliquibus diebus aſſumant mel roſaceum, deinde erit vtile rhabarb. cum ſaccharo roſaceo, quod præterquam quod euacuat, roborat etiam ventrem. Exteriùs admouebis ea quæ tradidimus. Neque in grauidis vomitum excitabimus, vt aliqui cenſent, ne ex corporis agitatione, & vehementi commotione ſequatur aborſus.

## CAPVT III.

### *De cardialgia.*

Oris ventriculi dolorem, cordis dolorem appellarunt antiqui, vt conſtat ex Gal. 2. *methodi, cap.* 2. & 2. *de plac. Hipp. & Plat. cap.* 8. vbi ſic: *Quin etiam neque cordis dolor, quem cardialgiam appellant, cordis illius, qui in thorace continetur, dolorem ſignificat; eodem enim vocabulo, & thoracis viſcus, & ventriculi orificium cor appellare veteres conſueuerunt.* Idque confirmat ex Hippoc. ſententia in hiſtoria mulieris quæ oris ventriculi dolore vexabatur, & cordis dolorem nominauit Hipp. Ratio verò propter quam os ventriculi nomine cordis fruatur, eſt propter admirandum conſenſum, qui inter os ventriculi, & ipſum cor intercedit; eſt enim talis nexus, & vinculum per arterias, quæ ex corde in ventriculi os implatantur, vt

A facilè ore ventriculi patiente, cor illi paſſioni aſſentiat, & illi infertur moleſtia, vt docet Galen. 1. *de cauſis ſympt. cap.* 7.

In iſto affectu non reperitur dolor quomodocunque, ſed ille qui à bilioſis, & mordacibus humoribus ortum ducit, vt docuit Gal. 1. *de cauſ. ſympt. cap. cit.* vbi inquit: *Superque cardialgia, quod oris ventris infeſtum eſt ſymptoma, & ad ſenſum refertur, à ſuccis mordentibus proueniens, &c.* Qui humores morſum inferunt, & eroſionem, morbumque conſtituunt in ſolutione continui, & ſuâ prauâ qualitate deterrima concitant accidentia, qualia ſunt quæ ex Aetio, & Traliano referemus. Fit etiam quandoque à lumbricis, quatenus prauos humores commouent, ex quibus vapores excitantur deterrimi, qui os ventriculi petentes hunc morbum cauſant; hæ enim beſtiæ (inquit Tralianus) adeò repentinam mortem, & ſyncopas non minus quàm pernitioſi humores inferunt.

B Sed oportet conſtituere differentiam inter cardialgiam, & cardiacum affectum, quam deſumere poſſumus ex Aetio *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 1. vbi ait, in cardiaco affectu dari febrem acutam, & maximè æſtuoſam; & ſi habuerit pulſum, illum eſſe obſcurum cum extremarum partium frigiditate, & ſudoribus glutinoſis circa faciem, & ad pectus vſque, quibus accedit deſperatio, angor animi, & corporis iactatio. Hoc modo affectum cardiacum eſſe dico, in quo os ventris primum eſt, quod afficitur, per conſenſum vehementer oblædens cor ipſum. Eadem retulit Tralianus *libro* 7. *cap.* 9. nullam tamen de febre mentionem fecit, quam tamen eſſe neceſſariam ad cardiaci affectus conſtitutionem, inſinuat Galenus *lib. introduct.* ſeu *Medicus, c.* 13. ſic dicens: *Cordis affectus eſt, quem Græci cardiacum vocant, non quod in corde affectus ſit, ſed quoniam veteres ſtomachum cor appellabant, quo in febre acuta reſoluto, ægrotos immodicè digeri contingit.* Quare dicendum eſt, huiuſmodi affectus differre inter ſe ratione febris, quam ſibi adiunctam habet cardiacus affectus; cardialgia verò ex ſe illam non expoſtulat. In vtriſque eſt eadem pars affecta, & ab eiſdem proficiſcuntur cauſis. *In quo differunt cardialgia, & cardiaca affectio.*

C Sed quia plures dolores poſſunt ori ſtomachi ſuperuenire, oportet cardialgiam ab illis diſtinguere; differt enim ab alio quouis dolore ratione cauſæ, & ſymptomatum. Ratione cauſæ; nam fit, vt diximus, ab humoribus mordacibus, non quamcunque ventriculi partem infeſtantibus, ſed ventris os oblædentibus, cui maximus ineſt ſenſus, & propterea dolor ille eſt moleſtiſſimus, aut ſuperueniunt ſymptomata grauiſſima, vt virium exſolutio, ſyncopis, pulſuum paruitas, ſudores frigidi, anxietas, ſeu deprauata motio localis; nam quieſcere non poſſunt, D & iacendi figuram euariant, & quacumque re moleſtantur, ſuique tædium habere videntur, quod propriè eſt eſſe anxium, vt docet Galenus *lib. de humoribus, comm.* 17. ſicque motis periculum inferunt: quæ omnia deficiunt in aliis doloribus ventriculi ab aliis cauſis excitatis, vt patet in fame naturali, in qua dolor quidam naturalis, & à natura intentus reperitur; & in fame canina, & aliis ab aliis cauſis ſubortis. *In quo cardialgia diſtinguitur ab aliis doloribus.*

Si ab humoribus mordacibus oriatur, ex ſignis redundantiæ illorum humorum, & ætate, temperamento, anni conſtitutione, victus ratione, & aliis promptè percipies. Quod ſi ab inflammatione, vel alio morbo, aut à vehementi animi paſſione ad intrà humores reuocante, vel à lumbricis ortum ducat, ex eis quæ præceſſerunt, & ex cuiuſlibet propriis notis, quid illorum ſit in cauſa, non erit difficile percipere. Iſte affectus eſt acutiſſimus, & citò

interimere facit, vt ex Aëtij, & Traliani verbis conſtat.

### §. Vnicvs.

### *Curatio cardialgiæ.*

CVm cardialgia, ſeu dolor oris ventriculi, & cardiacus affectus ab eiſdem cauſis originem naſciſcantur, eandemque partem afficiant, eandem fermè curationem expoſcunt; ideò ſub curatione cardialgiæ, alterius curationem comprehendam. Aër itaque frigidus eligatur, ægrique domus ſolem non admittat, ſitque minimè alta, ſed depreſſior, & non valdè lucida, vt conſulit Aëtius. Somnus ſit moderatus, quies præcipienda, aluus ſit lenis, aut ſuppoſitoriis, & enematibus leniatur: animi paſſiones immodicæ vitandæ ſunt, præſertim timor, & triſtitia. Cibus non multus eſt dandus, ſæpe tamen, nocte, & die, vt nutriat, neque oneret: is debet eſſe ex infirmiſſima materia, & ſtomacho aptus; neque ad vinum feſtinare oportet, niſi neceſſitas vrgeat, & hoc tempore auſterum eſſe debet, vt docet Celſus *lib. 3. cap.* 19. His addit Tralian. quod cibi, præterquam quod refrigerent, etiam partem affectam confirmare, & roborare debent. Probè itaque refrigerant, corroborantque tum mali punici grana comeſta, tum ſuccus eorum, & mala non admodum dulcia, ſed modicè adſtringentia, & panis ex aqua frigida, tepidaque ſumptus, & miua citoneorum ſimplex. Conferunt etiam lactucæ, & chicoreum elixa, cum aceto parata, pulli gallinacei, perdices nouellæ, phaſiani, meruli, turdi, & aliæ aues montanæ aceto, aut ſucco arantij conditæ: offerendi etiam ſunt paulatim cibi, qui ægrè coquuntur, & humorum roſioni reſiſtunt, idque tranſacto morbi principio, vt ventriculi anſerum, pedes ſuilli, & porcorum roſtra; in ſumma, quæ non citò corrumpuntur, vt ait Tralian. Hipp. 2. *epidim. ſect.* 2. mulierem curauit, cui os ventriculi dolor infeſtabat, polline polentæ in mali punici ſucco inſperſo, quo ſemel in die accepto, eam vno die liberauit. Potus ſit aqua hordei, ſcorcion. vel deaurata, quæ ventris os corroborat, & adſtringit, cui admiſcebis parum ſyrupi acetoſi, vel ſucci limonum. Hæc omnia frigida propinentur, ſi caloris ſenſus circa ſtomachum ſit, & æger inflammatione non laboret; aliis verò calida, aut tepida propinare iubet Aëtius.

Sed quia ſtomachus reſolutus parum retinet, ſpontè vomere oportet, rurſuſque poſt vomitum cibum aſſumere. Si ne id quidem manſerit, ſorbeat vini auſteri cyathum, interpoſitaque hora ſumat alterum; nam ex vini potu vires reſtaurantur, & pulſus obſcuri adaugentur, ex Celſi ſententia. Quod ſi ſpontè vomitus fieri nequeat, illum confeſtim excitabis aquâ hordei, & aceto, vel oxyſaccharo, & aliis clementibus vomitiuis tepidis aſſumptis. Tamen ſi æger difficilè euomat, humor erodens ſtatim eſt expurgandus per infernam aluum iis, quæ ſimul etiam roborent, vt ℞. rhab. optimi, & corticum mirobal. citrinorum, ana ʒ. ß. ſyr. ex 9. infuſion. roſarum rubearum ℥. iij. decocti tamarindorum, & foliorum ſennæ ℥. ij. ß. miſce, & fiat potus. Vel ℞. rhabarb. toſti ʒ. j. abluatur aqua plantaginis, ſyrupi perſici ſolut. ℥. iij. decocti ſpicæ nardi, & tamarindorum ℥. iij. miſce.

His peractis oportet interiùs, & exteriùs os ventris corroborare: interiùs quidem ſyrupo roſarum ſiccarum, citoneorum, & eorum miua ſimplici, & oxyſaccharo, in quibus diſſolui poſſunt tabellæ electuarij manus Chriſti, aut margaritæ præparatæ, vel corallus rubeus, aut electuarium de gemmis, puluis boli armeni, aut terræ ſigillatæ.

A Exterius auxiliantur mica panis toſti ſucco mali punici imbuta, aut in agreſta, quæ etiam loco cibi adminiſtratur, & eſt laudabile alimentum; aut olea adſtringentia, & refrigerantia, vt oleum roſarum, citoneorum, & myrti, cum puluer. roſarum, diamarg. frig. vtriuſque coralli, & myrti, ex quibus etiam vnguenta cum cera conficies. Aut mala citonea à corticibus, & recrementis mundata in vino nigro decocta, quibus prædicti pulueres admiſceantur, & ad cataplaſmatis formam redigantur. Aëtius commendat cataplaſmata vtilia nimis ſtomacho, & mammæ ſiniſtræ impoſita, ex foliis myrti, cum pane, aut pampinis vitis, aut ex malis citoneis, & palmis. Imbecillioribus polentam cum palmis imponere ſufficiet.

B Quod ſi ſudores ſyncoptici maximè vigeant, vireſque deiiciant, exſudantibus partibus confert illinitio olei roſati, omphacini, myrti, melini, & lentiſcini, quibus etiam myrtus ſicca, & trita inſpergatur, aut cimolia, aut malicorium cum manna inſperſum, & galla per ſe, & cum ſulphure viuo, vel manna, & amylum: bolus armenus, & vrticæ ſemen oui candido excepta proſunt, ſi eis corpus inſpergatur; ſudorem enim compeſcunt, ſi ante eorum admotionem cutis pinguis, & ſudoſa linteolo abſtergatur. Pauimentum etiam irroretur, ac foliis conſternatur myrti, platani, roſarum, ac quercus.

C Tandem ſi extremæ partes ſint refrigeratæ, fæce vſta, aut ſulphure viuo, piretro, aut pipere ſunt conſpergendæ, vel dictis pulueribus, oleo rutaceo, & camemali, & cera vnguentum parabis, quo dictæ partes fricentur, & vngantur; linteaque calida ſuperponantur, vt docent Paulus, Aëtius, Tralianus, & alij, vinoque calido fouendæ ſunt.

D Quod ſi ab inflammatione oriatur affectio, curatur vt reliquæ inflammationes. Si verò ex cibi immodica abſtinentia, ſtatim cibum capiant, neque ieiunium tolerent. Si verò dependeat ex animi pathemate, nempe mœrore, & triſtitia, ea euitabit æger, & vt dictum eſt, curabitur. At ſi ex lumbricis aſcendentibus fiat, eos amaris, & acidis medicamentis necabimus, quorum copiam proprio capite adducemus.

## CAPVT IV.

### *De ſiti præternaturali.*

SIcut in præcedentibus diximus ad famem naturalem requiri ea ſymptomata, quæ connumerat Galen. 2. *de cauſ. ſymptom. capite* 7. Pari modo dicendum eſt de ſiti naturali, per quam ventriculus percipiens etiam qualitatem quandam ſibi moleſtam, in ſeipſum contrahitur, abhorrenſque ipſam appetit potum, quo aſſumpto, ſtatim ſitis ſedatur. Quidquid enim ſicci oris ſubſtantiæ effluxit, cibo reſtituimus; quidquid verò humidioris, potione reſtauramus, ex Galen. 1. *de ſanit. tuenda, capite* 2. Hancque ob cauſam Ariſt. 2. *de anima, cap.* 3. ſitim appellat appetitum frigidi, & humidi; & à Galeno dictum eſt libro de inæquali intemperie, ſitim, & famem fieri deficiente hîc humida, illic ſicca ſubſtantia; qui defectus eſt neceſſarius, vt fames, & ſitis inſurgant, vt *cap. de cibi faſtidio*, traditum eſt.

Licèt

*Ad quæ deſeruit potus.*

Licèt potus vt ſic non nutriat, neque alimentum ſit, ſummoperè tamen nutritioni deſeruit, & hoc modo venit intelligendus Ariſt. 2. *de generat. animal. cap.* 2. vbi inquit, quod aqua omnibus pro alimento eſt. Eſt enim potus neceſſarius pro alimento, quatenus cum illo fit elixatio in ventriculo, & eſt alimenti vehiculum, illudque ad partes nutriendas perducit, cibos attenuat ſolidos, vt meliùs poſſint ſuperari, & in ſanguinem conuerti; deinde irrigat partes, vt illis affigatur alimentum, non ſecus ac febri murariis irrigant muros, vt calx meliùs hæreat. Cùm enim quotidie continuo motu, & alteratione noſtrum corpus exſiccetur, deficiente humida ſubſtantia illam reparat natura potum appetens tempore ſitis; eſt enim ita neceſſarius, vt aſſerat Ariſt. *ſect.* 18. *problem. problem.* 6. nos minùs poſſe ferre ſitim, quam famem, & ſiti magis contriſtari; maiorque voluptas eſt ad potum capiendum, quàm ad cibum, eo quod ad plura munia eſt neceſſarius, cibus verò ſolum ad vnum deſeruit, nempe ad nutritionem.

Quemadmodum in fame præter naturam adeſt immodica appetentia, & vitioſa, vt conſtat in fame pica, & fame canina, in potionis etiam appetentia altera totidem fiunt iis ſimilia; aliquando enim immodicè bibunt, vt cùm humor ſalſus, & bilioſus in ipſis ventris tunicis continetur, aut præ nimio calore naturale humidum in eo efferueſcit. Alieni verò deſiderantur potus, perinde vtique ac cibi, prædominantis vitioſi ſucci ratione, vt docet Galen. 1. *de cauſis ſymptom. cap. toties citato*, vbi cauſas ſitis præter naturam recenſet, & immodicæ ſitis cauſas ad ſiccitatem, & calorem præter naturam reducit. Et 1. *ſimplic. cap.* 3. ſitim duplici ratione prouenire ait, partim humoris inopiâ, partim caloris copiâ; ibique aſſerit fieri in febribus exurentibus ex calore, & ſiccitate, quatenus humidam depaſcunt ſubſtantiam.

*Dubium.*

Sed eſt dubitatio, an ex calore ſine ſiccitate poſſit fieri ſitis; nam ad ſitim ſicut & ad famem requiritur ventriculi corrugatio, vt probatum eſt ex Galeni doctrina: ſed calor potiùs ventriculum laxat, & dilatat, impeditque oris ventris corrugationem: ergo non poteſt ſine ſiccitate ſitim excitare.

*Solutio.*

Reſpondetur facilè, quod licèt ventriculus ratione caloris dilatetur; tamen quia calor ventriculo infert noxam, ideò ipſe in ſeſe concidit, & corrugatur, fugiens moleſtiam quam illi infert.

*Quæ actio lædatur in ſiti.*

Ex dictis facilè colligitur, ſitim immodicam eſſe actionem deprauatam, vt dicitur de qualibet actione adaucta; ſitim verò vitioſam reduci etiam ad genus actionis deprauatæ, quatenus per illam appetimus bibere res à natura alienas; circa quam eodem modo eſt philoſophandum, ac in fame præter naturam. Sed quia ſitis cauſæ variæ exiſtunt, illarum ſigna adducere oportet; nam ſi ex humoris inopia excitatur, defectus potus, aut immodica aliqua euacuatio, & ægri loquela eam manifeſtam faciunt: ſi ob calorem fiat, præcedere ſolent immodica vigilia, immoderatum exercitium, vini potio, alteriuſve rei calidæ aſſumptio, & in ventriculo calorem æſtuantem percipient. Verùm ſi calori adiungatur ſiccitas, ex linguæ ariditate, & tempore æſtiuo, & febribus ardentibus cognoſcere poteris. Tandem ſi humores bilioſi, & ſalſi huius cauſa ſint, ex linguæ amaritudine, & ſalſo ſapore percipiuntur. Quod ſi iecoris caliditas, & ſiccitas, & renum affectio, quam diabetem appellant, ſitim excitent, propria habebunt ſigna ſuis capitibus annotata.

*Sitis cauſa & ſigna.*

Fit etiam ſitis quædam ſuperficialis ex alimenti vaporibus, dum in ventriculo coquitur, quæ facilè ſedatur, & ſomno aufertur, vt docet Hipp. 6. *epidim. comm.* 4. *textu* 23. ſitis etiam noctu ſuperueniens ſomno etiam aufertur, ex eodem Hippoc. 5. *aphor. textu* 27. quatenus ſomnus humectat.

Sed quia ex ingenti ſiti aliqui perierunt, vt docuit Galenus 1. *de cauſis ſymptom. citato*, præſertim qui viperas deuorarunt, aut vinum, in quo talis ſerpens fuerit merſa, biberunt, non ob aliam cauſam, niſi quia calore nimio, & ſiccitate excedenti corpus ſqualidum, & aridum fecerunt, & in febribus ardentibus ſitis eſt toleratu difficilis, & ſuſtineri nequit, ideò non paruifacienda eſt illius curatio, ſicut neque ſpernendus ſitis defectus in morbis acutis, ſi ſitis præter rationem ſoluatur, ex Hippoc. *lib. coacarum prænot.* & 1. *epidim. comm.* 3. *ægroto* 6. Lingua exiſtente nigra, & exuſta, ſi ſitis deficiat, eſt ſignum lethale, ſignificat enim læſionem mentis, vel emortuam facultatem appetentem animalem ventriculi, vt ibi Gal. inſinuat.

*Sitis defectus in morbis acutis non ſpernendus.*

## §. Vnicvs.

### *Curatio ſitis præter naturam.*

SI ex ventriculi ariditate ſitis ſuperueniat, humectantibus curatur. Conuenit ergo ſomnus ſolito longior, quies etiam percipienda eſt; cibi humectare debent, qui ſint optimi ſucci, vt ſorbitiones iuris pulli, aut gallinarum, ptiſana, amygdalatum, lactuca decocta, aceto, oleo, & ſaccharo præparata. Potus ſit aqua, aut vinum nimis aquâ dilutum, & tale ſit rubrum. Tamen ſi ſiccitatis calor comes ſit, refrigerantibus, & humectantibus ſitim compeſcimus, quæ ſi ob vini potum, vel eduliorum calidorum eſu oriatur, aquæ potu auferri ſolet, vt inquit Galenus 6. *de morbis popul. comm. cit.* & 1. *ſimplic. cap.* 30. commendat acetum cum aqua frigida ebibitum. Prodeſt etiam iulepum violatum cum aqua frigida ſumptum, & ſyrupus acetoſus, vel oxyſaccharum cum aqua chicorei: vtilis nimis cenſetur aqua frigida cum guttulis olei vitrioli. Conferunt etiam portulaca, lactuca, melopepon, & & panis aquâ frigidâ lotus. Oportet etiam in ore detinere mucilagines pſillij, aut lactucæ folia aquâ priùs irrotata, vel cryſtallum. Tralianus præcipit bibere vuæ acerbæ ſuccum, vel malorum citoneorum, mali punici dulcis, aut acidi cum aquæ pari menſura, aut lactucæ albæ ſemen, cum aquæ frigidæ cyathis quatuor; aut ſub lingua catapotia detineat, quæ ſic formantur. ℞. ſucci radiculæ dulcis ℨ.vj. cucumeris ſatiui ℥.iiij. tragacanthi ℨ.ij. leuigata in vnum miſceto, & albuminibus ouorum adiectis ſubigito, fingitoque catapotia, & vtitor. Tragacanti tabellæ etiam vtiles ſunt.

Extrinſecùs ventriculo ſuperponimus ceratum refrigerans Galeni, & in nimio æſtu veſſicam aquâ frigidâ plenam, vel cucurbitæ ramenta iniicito, aut panis in ſucco vuæ acerbæ, aut malorum citoneorum imbutus: quæ omnia etiam prodeſſe comperimus in febribus ardentibus, vt meliùs ſitim tolerent, quæ per irrigationem capitis ex oleo roſaceo frigidiſſimo mitigari ſolet, Paulo, & Aetio id comprobantibus.

Quod ſi humores bilioſi in ventriculo ſint, vomendi, & expurgandi ſunt, factâ prius eorum præparatione: deinde vtendum eſt ſupradictis auxiliis. At ſi ex ciborum in ventriculo corruptione ſitis ſuperueniat, vomitus eſt etiam procurandus, & clyſteribus per infernam aluum ſunt ducendi. Tamen ſi ab humoribus ſalſis ſuperueniat,

vt hydropicis accidit,per humorum euacuationem ſitis aufertur; quæ ſi non ſufficiat,ſitim extinguere ſolet aqua calida ebibita, vt inquit Auic. *fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 21. Quod ſi ſitim excitat immodica euacuatio, euacuationis cohibitione, & alimentis boni ſucci, & humectantibus reprimitur. Veruntamen ſi à calore iecoris, & aliarum partium flogoſi ſitis ſuccreſcat,eam illarum intemperie curatâ ſedabimus. Tandem ſi aliena bibere appetunt, vt in fame pica,ſeu malicia,facta humoris imbiti in ventriculi tunicis purgatione, ſitim compeſcimus.

## CAPVT V.

### *De ciborum cruditatibus.*

*Coctio quid ſit.* QVod maximè expeti debet in ciborum aſſumptione, eſt illorum perfecta concoctio, quam definit Ariſt. 4. *meteor. cap.* 2. dicens: *Coctio eſt perfectio à calore naturali,& proprio ex oppoſitis patibilibus*; hoc eſt ex ſubiecta materia: cuius tres aſſignat ſpecies,maturationem, aſſationem, & elixationem; aſſeritque cibi concoctionem in ventriculo eſſe ſimilem elixationi, quæ concoctio eſt à calore profecta humido; ita enim *eodem lib. cap.* 3. & Galen. 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 1. inquit, quod coctio eſt aſſimilatio in qualitatibus, quæ fit à ventriculo cibum ipſi aſſimilante; aſſimilatio verò in ſubſtantia iam non coctio, ſed nutritio propriè dicitur.

*Coctio,& nutritio in quo differunt.* *Quibus modis lædatur coctio.* Tripliciter læditur coctio; aut abolitè, ita vt non fiat, & alimenta remaneant ſicut fuere deuorata, quæ græcè apepſia dicitur: aut fit diminutè, quando coctio non perficitur,& ægrè fit,& longo tempore, quæ bradypepſia: aut læditur deprauatè, nempe in aliam qualitatem conuerſo alimento, quæ à græcis dicitur dyſpepſia, de quibus omnibus egit Galenus *libro de differ. ſympt. cap.* 4. & 3. *de cauſis ſympt. cap. citato.*

A plurimis cauſis læditur coctio; nam læditur à morbis temperamenti, aut compoſitionis. Temperamenti,vt ſi ſit frigidus,aut calidus nimis, humidus,aut ſiccus,aut copulatim duæ harum qualitatum nimis exſuperant.

*Cauſæ.* Læditur à morbis compoſitionis, vt ſi adſit inflammatio,vel tumor,aut ſolutio continui, vel inſtrumentum ſit malè conformatum. Citra morbum etiam alimentum ſolet vitiare coctionem; nam poteſt eſſe incommodum quantitate,aut qualitate, aut ordine aſſumptionis. Quantitate, quia plus ingeritur, quàm concoctrix facultas valeat commutare. Qualitate,quia ſuis qualitatibus noxium eſt, aut inſuetum,alioquin non noxium,vt inquit Valleſ. 6. *controuerſ. cap.* 8. Quod enim conſuetum eſt, etiamſi parum deterius ſit, dummodò ſit ſuauis, amicè recipitur,vt aſſerit Hipp. 2. *aphor. text.* 50. In ordine aſſumptionis, vt ſi alimenta craſſa priùs ingerat, quàm tenuia, variáque, ac diuerſæ naturæ alimenta vnica cibatione aſſumat; vel ſi ſemel,aut bis,aut pluries aſſumantur. Quod ſi in cibi quantitate, qualitate, & aſſumptionis modo nullum ſit peccatum, nempe morbum patiatur ventriculus, exiſtimare oportet defectum coctionis à cauſis non naturalibus procedere; nam motus immoderatus poſt cibi aſſumptionem coctionem impedit, propterea dicitur à Galeno 2. *de ſanit. tuenda, cap.* 2. Labores cibum præcedant: & ab Hippoc. 6. *epidim.* Labor,cibus, ſomnus, venus, omnia moderata. Quippe ſanitatis tutelas à labore eſt auſpicianda, quem excipere debent cibus,potus,deinde ſomnus,mox venus in iis,quibus venere eſt vtendum, vt loco citato retulit Galen. periculum enim eſt, ne priùs quàm maturè coquatur cibus, ratione exercitij in vniuerſum corpus rapiatur. Idem incommodum ſequitur ex immodicis animi paſſionibus,& ex ſomni defectu; ſi enim quis commodè cœnauerit, & fortuità occaſione minùs dormierit, cruditas cibo ſuperuenit; calor enim per ſomnum intra refugit, adiuuátque coctionem; ipſo verò ad extra recurrente, vt vigilantibus accidit,coctiones diminutæ fiunt, dicente Hipp. 6. *epidim. ſect.* 4. *text.* 11. Aër ambiens calidus coctionibus aduerſatur: qua ratione hieme, & vere vberiores fiunt coctiones, copioſiorique alimento indigimus, vt ipſe etiam teſtatur 1. *aphor. text.* 15. æſtate verò cibos difficillimè coquimus, ex eodem Hipp. 1. *etiam aphoriſ. text.* 18, cuius euentus cauſam ad frigiditatem, & calorem aëris ambientis Galenus reduxit. Sicuti enim aëris frigiditas calidum effluuium hieme poros condenſando reprimit, ita illius caliditas æſtate aperiendo eos exhalare facit.

Sed in dubium vertitur, an ciborum corruptela, ſeu illorum conuerſio in alienam qualitatem procedat à calore, vel frigiditate ventriculi. *Dubium.* Ad huius intelligentiam vt certum ſupponimus, duplicem eſſe cibi corruptelæ ſpeciem in ventriculo; aliam quæ in acidam vergit qualitatem; aliam verò, quæ in nidori ſimilem. Omnes firmiter tenent qualitatem nidori ſimilem à calore proficiſci, acidam verò à frigore. Galen. 1. *de locis affect. cap.* 4. ait: *Si enim cibi aceſcant in ventriculo, eam eſſe frigidam (ſupple intemperiem) eſt neceſſe.* Et Auic. *fen.* 13. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 17. ſic: *Aceto-ſus ſignificat frigus ſtomachi, ſed minus frigore,cum quo non digeritur cibus omninò. Exemplo ſunt fructus immaturi, qui frigidiores ſunt ipſis maturis.* Et quia ante maturationem ſunt acidi, neceſſariò acor ille ipſorum frigori eſt tribuendus. Idem ſentiunt Valleſ. Vega, & alij.

Ex his deduco, quod quandoque producitur ratione caloris diminuti crudum in ventriculo cum acore, quandoque ſine illo; ſi enim coctio ſolùm diminutè fiat, differátque à perfecta coctione penes magis aut minus, hæc coctio non producit acorem, alias ſemper acor præcederet coctionem perfectam: ſi verò præter hoc producit terminum diuerſum, nempe aciditatem, talis coctio non ſolùm eſt diminuta,ſed etiam deprauata; quem euentum reducimus in diuerſam proportionem, quæ reperitur inter calorem illum diminutum, & alimentum; alimentum ſiquidem frigidum cum partium tenuitate faciliùs acorem comparat, quàm aliud diuerſæ naturæ.

Sed quamuis aciditas frequenter à calore diminuto initium habeat, vt certum tenendum eſt, quandoque à calore immodico excitari poſſe, vt probat Auic. *cap. iam citato*, vbi inquit, calorem producere acetoſitatem faciendo ebullire humiditatem; & adducit ſigna acoris ex caloris vehementia,dicens: *Et ſignificat illud, vt ſit eructatio acetoſa cum ſignis caliditatis, & inflammationis, & amaritudinis oris, & ſitis, & iuuamento, cum eis quæ infrigidant.* *Acor quandoque fit à calore.* Illudque comprobat experimento in lacte,quod velociùs facit aceſcere calor,quàm frigus. Idem ſequuntur Auerr. 3. *collect. cap.* 16. & Tralianus *lib.* 7. *cap.* 12. vbi ait: *Nouimus autem pleroſque Medicos putare omnem acorem à ſola frigiditate prouenire; qua de cauſa iis ſemper calefacientia adhibent. Video multos etiam à refrigeran-*

tibus

*tibus fuiſſe adiutos, qui anteà à calefacientibus plurimùm offenderentur. Quare talibus repudiatis, contrariiſque vſi, temperatâ aquâ largiori, cibis boni ſucci, & qui ægrè confici poſſunt, celerrimè tali affectu liberati ſunt.* Quod etiam exemplo ſumpto à calore externo comprobat Petrus Garc. nam vina aceſcunt, ſi in calidis domiciliis exiſtant, & flante auſtro; & fermentum acorem comparat à calore; & lac æſtate citiùs aceſcit, quàm hieme. Vina in meridianis locis, & ſoli expoſitis repoſita promptè aceſcere docet Galenus 4. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 13. Sed quia non omnia vina caliditate aceſcunt, poſteà ipſe ſubdit: *Etenim non omnia caliditate aceſcunt, ſed quæ initio tantùm frigidiora ſunt; neque id veteri alicui vino accidit.* Et *cap.* 14. *ſubſequenti*, rationem reddit dicens: *Natura enim infirma neque validum motum, neque calorem ſuſtinet; verùm ab iis diſſipatur potiùs quàm augetur, & creſcit.* Neque ſequendus eſt Ludouic. Merc. 3. *de internorum morborum curatione*, *cap.* 7. vbi aſſerit acorem nullâ ratione fieri per putredinem, ſed ſolùm per diminutam à frigiditate caloris actionem; quæ frigiditas ſimul cum calore coagit ad acorem producendum. Non enim coagere poſſunt calor, & frigus, niſi ſimul mobile duobus contrariis moueatur motibus. Rurſus illius dictum eſt contra communem aſſertionem, ſiquidem cibi acorem in ventriculo comparatum, per corruptelam, & putredinem fieri omnes teſtantur Medici, neque in hoc ampliùs eſt immorandum.

Signa. Intemperiem calidam ventriculi oſtendunt ſitis, ardor, ciborum inappetentia, à calidis læſio, & à frigidis iuuamen, corruptio ciborum in nidoroſam qualitatem, dum ipſi non ſunt talis naturæ. Siccam intemperiem ſignificant ſitis, linguæ ariditas, corporis extenuatio, & ab humidis leuamen. Humidam denuntiant contraria, vt ſitis defectus, multa in ore ſaliua, & quod exiguo potu ſatiantur; ſicca appetunt, & ab humidis læduntur, aliquandoque oculorum palpebræ intumeſcunt. Frigidam intemperiem indicant ventriculi frigiditas, ciborum appetentia, ſitis defectus, & à calidis iuuari. Quod ſi cruditas ventriculi ab humoribus calidis ortum habet, ex calore, ſiccitate, oris amaritudine, & deiectione humoris biliosi per ſupernam, & infernam aluum percipere poteris.

Tandem ſi humores frigidi ſuperſint, ſitis deficit, lingua albicat, pituitam euomunt, & ventriculi aggrauationem ſentiunt. Quod ſi à tumore, inflammationeve, vlcere, aut alio morbo, vel ex ciborum quantitate, & qualitate, & modo aſſumendi illorum initium habeat, ex propriis notis, & ex iis quæ præceſſerunt, & ex ægri relatu dignoſci quit.

### §. Vnicvs.

### *Curatio cruditatis, & debilitatis ventriculi.*

Ex dictis patefit, à plurimis cauſis hoc ſymptoma excitari, quæ in curatione etiam plurimùm euariant. Intemperies igitur calida frigidis curari debet, vt aëre frigido, ſomno moderato, & quiete. Cibi ſint carnes pullorum, gallinarum, & veruecis, & iura eorum, in quibus lactuca, cucurbita, & agreſta decoquantur, ptiſana, lactuca, portulaca, borrago, chicoreum, & pepones, ceraſa acria, & pruna damaſc. Potus ſit aqua hordei, ſcortion. vel fontana. Interiùs, & exteriùs adminiſtranda ſunt quæ diximus in curatione cibi faſtidij ab intemperie calida; hoc tamen animaduerſo, vt in cruditate acida neque alimenta, neque medicamenta acida aſſumantur. Quod ſi humores calidi ventrem infeſtent, vomendi, & expurgandi ſunt, vt ibi egimus.

Frigida ventriculi intemperies calidis auxiliis curatur, vt ibi etiam annotauimus, quorum copiam ibi tradidimus. Alimenta ſint calida, & pipere, cinnamomo, & cariophylis condita. Bibant vinum generoſum, odoratum, & illud, quod claream vocamus, aut hippocraticum; aſſumantque diatrion pipereon, zingiber conditum, mel roſaceum, ſyrupum de mentha, & de corticibus citri.

Exteriùs admoueantur oleum nardinum, abſinthites, & menthæ, & emplaſtrum magiſtrale, quod recipit maſtichis, abſinthij, menthæ, cinnamomi, cariophylor. maceris, cubebarum, ana ℈. j. cum laudano, & terebinthina fiat emplaſtrum ad ſcuti formam. Idem efficit emplaſtrum ſtomachicon, ex deſcriptione Meſuë: valet mirificè vtrumque balſamum.

Humores verò frigidi ventriculum lædentes præparari, expurgati, & euomi debent, vt dictum eſt capite de cibi faſtidio.

Siccam intemperiem corrigunt humectantia, vt iura carnium, lac calidum ab vbere mulctum, amylum, aut lac elixum cum vitellis ouorum, & ſaccharo, ptiſana, pultes ex hordei farina, & lacte, lactuca, & borrago elixa. Bibant aquam hordei, aut decoctum prunorum, vel vinum album benè aquâ dilutum: reliqua *cap. de febre hectica* require.

Humidam intemperiem exſiccantibus curabimus, illique accommodantur quæ pro intemperiei frigidæ curatione adduximus; illam ſiquidem reſoluunt, & exſiccant, & humidam intemperiem coërcent. Quod ſi ex inordinato modo aſſumendi cibum fiat illius corruptela in ventriculo, aut increudeſcat, vel maior cibi copia ingeratur, conſulunt omnes, vt cum aqua tepida & pennæ in os immiſſione vomitus prouocetur, aut clyſteribus, vel lenienti purgatione educatur; deinde ciborum quantitas moderanda, moduſque illos aſſumendi debitus ſeruandus.

Tamen ſi non nimis grauent ventriculum, neque corrumpantur, ita vt eorum coctionem expectare poſſimus, tunc ventrem roborabimus oleis abſinthij, menthæ, & nardi, cum pulueribus maſtichis, menthæ, cinnamomi, & cariophylorum.

Tandem ſi ab animi paſſionibus, & ab aliis cauſis non naturalibus ventriculi cruditas, ſeu imbecillitas oriatur, eas euitare oportet; & ſi quid remanſit, per contraria auferre. Quod ſi ab inflammatione, alióve tumore, & vlcere, vel alioquouis morbo compoſitionis inſurgat, vel à morbo per conſenſum alterius partis, iis morbis curatis, ipſa ventriculi cruditas aufertur, quorum curationem hoc capite amplecti eſt perdifficile, præſertim cùm propriis locis non ſit curatio neglecta.

## CAPVT VI.

### *De ventriculi inflatione.*

Qvi flatus generationem optimè ediſcere vult, legat caput de vertigine, vbi copioſiùs de hac re diſſeritur: ſufficit nunc dicere, flatus generari in ventriculo ſuccis quibuſdam pituitoſis, vel cibis inibi à deficiente calore in halitum ſolutis, vt inquit Galenus 3. *de cauſis ſympt. cap.* 2. Cùm enim calor diminutè in

in cibos agit, is eos quodam quidem modo diſſoluit, non tamen prorſus conficit, & hinc oritur flatuoſus ſpiritus. Idem etiam inſinuat *6. epidim. comm. 3. textu 12.* dicens: *Flatu repleri ab ingeniti caloris debilitate prouenit.* Illiuſque materiam aſſignat *1. prorrhetic. comm. 1. text. 35.* dum inquit: *Flatus in ventriculo generantur humoribus, vel cibis exigua caliditate in vaporibus diſſolutis.* Frigiditas cùm extenuare, ac diſſoluere non ſit idonea, nullos flatus procreat. Vehemens caliditas cùm non tantum extenuet, ſed etiam diſcutiat, flatûs generationem impedit, minor verò caliditas diffundit quidem, & tranſmutat alimentum, verùm minùs quàm opus ſit, vnde flatus excitantur. Ex quibus claret, cauſam flatuum effectricem eſſe calorem debilem, ſeu diminutum; materialem verò eſſe humorem craſſum, frigidum, vel cibum in ventriculo contentum.

*Quis morbus ſit.*

Hic affectus conſtituitur à Galeno inter morbos magnitudinis, vt conſtat 14. *method. cap. 4.* cum hoc tamen propriùs reducitur ad morbum intemperiei, à qua flatus efficienter producuntur: flatuum verò retentio eſt ſymptoma in eis, quæ retinentur præter naturam, vbi etiam reperitur actio coquendi diminuta, quæ immediatè à calore diminuto dependet.

*Signa.*

Hunc affectum comitantur eructatio, ventriculi diſtenſio, & dolor, & aliquando iuxta os ventriculi tumor, & à ventriculo per gulam flatus craſſus aſcendere ſolet, ibique remoratur, ita vt ægrotanti ſpeciem præbeat ſuffocationis. Verùm ſi ex flatuoſis cibis inflatio inſurgat, ab eorum paulò poſt aſſumptione venter intumeſcit, idque ex ægri relatione cognoſces.

Quod ſi flatuoſi cibi non comeduntur, & ſine cibis in ventriculo ſit aggrauatio, & ad vomitum, ſeu nauſeam inclinatio, exiſtimare oportet, humores frigidos eſſe huius morbi cauſam.

## §. VNICVS.

### *Curatio inflationis ventriculi.*

QVia defectus vnius coctionis non benè aliâ ſuppleri poteſt, vt probat Valleſ. *6. controu. c. 3.* ex Galeni decreto 4. *de ſanitate tuenda, c. vltimo*, ideò ſi coctio ventriculi non benè à natura perficitur, arte defectus naturæ ſuppleri debet, vt coctiones eam ordine ſequentes rectè peragantur. Aër in primis debet eſſe calidus, aut talis arte paretur; ſomnus ſit moderato longior, qui quando acceſſerit, ex toto leuat affectus, vt inſinuat Paulus, iuuátque coctionem, vt docet Galen. 12. *method. cap. 7.* Si in ventre onus ſentiat æger, illud deponat glande immiſſo ex puluere hieræ, cumini, & rutæ ſiccæ, & melle toſto; vel enemate ex decocto pulegij, fœniculi, aniſi, & calaminthæ, cum melle, & oleo anethino, & ſale. Vel ſic parari poteſt. ℞. foliorum rutæ, florum camem. meliloti, & calaminthæ, ana m. ß. ſeminis aniſi, fœniculi, carui, dauci, & cumini, ana ʒ. ij. furfuris in linteo ligati p. ij. coquantur omnia ſecundùm artem, cuius decocti recipe ℔. j. olei camem. rutæ, & anethi, ana ℥. j. diacathol. & hieræ picræ, ana ℥. ß. miſce, & fiat clyſter. Cibi ſint calidi, & flatûs expertes, vitandaque olera flatuoſa, & fructus virides. Potus ſit vinum album antiquum, aut loco eius aniſi, aut fœniculi decoctum. Cibi tamen, & potus abſtinentia imperanda, vt præcipit Celſus *lib. 4. c. 5.* Quod ſi venter cibi, aut pituitæ copiâ ſit grauatus, vomitus procurandus, ſi æger ad illum ſit procliuis; nam alio modo illum ad vomitum cogere abſurdum eſt, vt oſtendit Galen. 1. *de locis, c. 4.* idque efficies potu aquæ tepidæ, ſyrupo acetoſo, aut oxymelite permiſto. Quod ſi adhuc pituita redundet, extenuanda eſt aquâ mulsâ, melle roſaceo, & pauco oxymelite, vel aquâ mulsâ ex origani, & aniſi decocto: deinde iubet Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 1. c. 17.* expurgare cum aloë, in quem vſum accommodari poſſunt quæ pituitam purgant, vt pillulæ de hiera, de agarico, & maſtichis, quas per interualla repetere non erit abs re. Deinde venter fouendus oleo, in quo ſint incocta ſemina flatus reſoluentia, & ſemina apij, maratri, cumini, ſinonis, & id genus alia, vt oſtendit Galen. 8. *method. c. 5.* aut in oleo decoquantur baccæ lauri, nigella, fœniculum, aniſum, & abſinthium, & inſpergatur venter cumino, & apij, & ſinonis ſemine tritis, vt monet Aëtius. Cucurbita magna ventri admota flatus digerit, vt aſſerit Gal. 12. *method. c. vlt.* ſacculus etiam ex millio, furfure, & chamemalo impoſitus iuuat. Talus ſuis combuſtus, & potus, tormina, & flatus ſoluit, ex Paulo: idemque facit ariſtolochia rotunda. Item caſtoreum prodeſt ex poſca potum, aut extrà cum oleo chamem, aut anethi impoſitum. Vtilis etiam eſt in ieiunio potio abſinthij, hyſſopi, aut rutæ, ex Celſo. Conferunt etiam dianiſum, diacyminum, diacalaminthum, aut diatrion pipereon cum modico vino dilutum, ieiunè aſſumptum.

*Puluis Papæ Benedicti.*

Puluis Papæ Benedicti, qui triginta Medicorum conſilio fuit compoſitus, optime flatus diſſipat, & reſoluit, ſi manè ante prandium illius cochlear aſſumatur per ſe, vel cum pauco vino, & poſt prandium, & cœnam, qui etiam coctionem iuuat, inteſtinorum tormina delet, & dolores à flatu mitigat, qui ſic deſcribitur. ℞. pulu. aniſi, fœniculi, carui, cumini ruſtici, gliciritiæ raſæ, dictami Regij, & cinnamomi, ana ʒ. ij. coriandri præp. ℥. ß. ſacchari ad pondus omnium: miſce. Tandem cataplaſma poteſt confici, quod flatus potenter diſcutit, ex farina loliacea, & fœnugræci, & puluere ſeminis lini, cumini, aniſi, & apij, cum oleo camem. & rutæ, & hydromelite. Reliqua ſcripta reperies in curatione hydropis tympanitis dictæ.

---

## CAPVT VII.

### *De nauſea, & vomitu.*

*Quid ſint vomitus, & nauſea.*

DE his accidentibus egit Galen. 3. *de cauſis ſympt. c. 2.* vbi aſſerit, quod nauſea, & vomitus ſunt praui motus facultatis expultricis, ad ea quæ ventris corpus contriſtant, quamcitiſſimè per ſtomachum euacuanda: vbi vnica deſcriptione vtrumque comprehendit. Tamen 2. *de cauſ. ſympt. cap. 4.* inquit, quod nauſea vomitum præcedit, quæ nihil aliud eſt, quàm propenſio, aut inclinatio ventriculi ad vomitum, ſeu ad rei noxiæ per ſupernam aluum expulſio. Vomitus verò *eſt prauus motus, per quem expultrix facultas actu rem noxiam per eandem partem excernit*, vt deducitur ex Auic. *fen. 13. lib. 3. tract. 5. cap. 8.*

*Definitio.*

*Quæ actio lædatur.*

Cùm dictum ſit à Galen. nauſeam, & vomitum eſſe prauos motus facultatis expellentis, exiſtimare oportet, illius actionem lædi deprauatè, non enim læditur diminutè, cùm ibi fiat motus, qui non fieri debebat: nec abolitè, ſiquidem fit ille motus, quem non expoſtulat natura. Præterea cùm humor ventriculi os infeſtet, & irritet, & ob eius exactum ſenſum rem noxiam percipiat, illa ſenſatio doloroſa cùm ſit, eſt etiam

depra

depravata actio facultatis ſenſitivæ tactus, atque adeò reperitur læſio in facultate ſenſitiva,& in facultate expultrice naturali. Dubitatur tamen apud Authores quod hic proponitur.

### §. I.

### *An vomitus ſit euacuatio naturalis.*

NObis anſam arguendi dedit Gal.ex cuius verbis deducitur, vomitum tam eſſe euacuationem naturalem, quàm præternaturam: *libro enim 5.method.c.*11.aſſerere videtur,eſſe euacuationem præter naturam dicens: *Hinc etiam fit,quod venter vtrinque poſſit expurgari,ſurſum per vomitum,deorſum ſecundùm naturam.* Quaſi euacuatio per vomitum facta non ſit ſecundùm naturam. *Lib. etiam* 11.*c.*9. idem inſinuat; & 3. *de cauſ.ſympt.c.*4. ita ſcriptum reliquit: *Ac venter quidem cùm pro naturæ lege ſe habet, trahit quidem ad ſe ſupernè per ſtomachum,deorſum verò excernit.* Et rationibus id ſtabiliri poteſt, nam multi homines vitam tranſigunt citra vomitum; quod minimè ſuſtinerent, ſi vomitus eſſet naturalis. Secundò,nam per vomitum fundus ventriculi mouetur ſurſum, & res etiam grauis,quæ ſurſum per vomitum expellitur, mouetur contra ipſius naturam,& ventriculus per illum motum dilaceratur, & læditur. *Prima opinio.*

Tertiò, nam vt ex Galen.conſtat, vomitus eſt deprauatus motus facultatis expultricis, qui cùm ſit ſymptoma, neceſſariò morbum præſupponit, tanquam cauſam à qua dependet. Quartò,nam in vomitu reperitur ſenſatio, ſeu perceptio doloroſa obiecti moleſtantis, quæ etiam eſt ſymptomatica, & interuentu morbi fieri debet.

*Secunda opinio.* Contraria ſententia habet etiam non leuia fundamenta in Galeni doctrina,qui 1.*aphor.comm.*21. inter regiones conuenientes ad expulſionem naturalem,connumerat inteſtina,& ventrem; inteſtina ad infernam euacuationem; ventrem verò ad ſupernam. Et 5. *de locis affect. c.* 5. œſophago duplicem vſum tribuit, vnum ad deuorandum ea quæ ab ore ad ventriculum deferuntur; alterum ad reiiciendum ea, quæ à ventriculo ad os ſurſum feruntur; quorum vſuum alterum eſſe ſemper neceſſarium, alterum verò propter occaſiones quaſdam, ipſe ibi ſtatuit. Id clariùs explicat 4.*aphor.comm.*12.dum ait: *Sola enim euomi naturâ apta ſunt,quæ in ventriculo continentur.*Et ratione fulcitur,quia ille motus eſt naturalis, qui quaſi finis eſt à natura intentus, & ad quem inſtrumenta ſunt naturaliter deſtinata: ſed ventriculo ſunt deſtinata inſtrumenta naturalia, nempe fibræ,vt attrahat,& expellat, vt conſtat ex Galen.4. *de vſu partium, c.*8.ergo cùm vomitus fiat mediis illis,erit naturalis.Præterea vomitu expellitur,quod eſt præter naturam,& naturam contriſtat; ſicut in aliis actionibus naturalibus natura quod noxium eſt excernit: ergo ſicut ipſæ ſunt naturales,idem erit dicendum de vomitu.

*Vera ſententia.* Sed quia pro vtraque parte militant authoritates, & rationes,media ſententia eſt à nobis amplectenda,quæ aſſerit, vomitum aliquando eſſe euacuationem naturalem, aliquando præter naturam; ſicque omnia Galeni loca conciliantur: quam ſententiam ex eodem Gal.deducimus *lib.de ſympt. differentiis,c.*6. vbi ſic: *Aliqua etiam,quamuis toto genere præter naturam ſunt, veluti ſanguinis per nares profuſio, vel vomitus, &c.* Et ſtatim ſubdit: *Tamen præter naturam non ſunt ſi tempeſtiuè fiant.* Non enim requiritur, vt euacuatio ſit naturalis, A vt ea ad vitam ſemper ſit neceſſaria; nam ſine menſtruis purgationibus multæ mulieres optimè degunt: ſed vt dicatur naturalis, ſufficit vt pluri-mis cum multo commodo eueniat, vt notat Valleſ. 5.*controu.c.* 1. & deſumitur ex Gal. 5. *de locis affect. cap. etiam* 5. vbi aſſerit deuorationem ſemper eſſe neceſſariam, vomitum verò propter occaſiones quaſdam. Neque ſufficit dicere, ſanguinis vomitum eſſe toto genere præter naturam, vt docet Galen. *de differ.ſympt.c.vlt.* Nam licèt ſanguinis vomitus ſit toto genere præter naturam ratione ſubſtantiæ excretæ, non tamen vomitus abſolutè. Quid,quod vomitus ſit à natura ſtimulata vi cauſæ morbificæ,quæ in ventriculo morbum producit,reddens ægrum anxium, & ſenſationem triſtem inferens? Ne hoc perturberis: dico quod in excrementorum expulſione naturali, vt in alui,& vrinæ deiectione, ſentitur noxa ratione qualitatis, B & quantitatis excernendi excrementi: ita ſimiliter in menſtrua purgatione.Cum hoc tamen huiuſmodi euacuationes ſunt naturales, quia tempeſtiuè,& ſtatutis temporibus fiunt.Quod proportionali modo dicendum eſt de vomitu, ſi tempeſtiuè fiat, & modum non excedat. Ex his facilis eſt reſponſio ad argumenta pro vtraque parte.

### §. II.

### *De vomitus cauſis.*

SEd quia nullum animal euomere docetur, vt ait Galen. 2.*de cauſis ſympt.c.*3. cauſam vomitum excitantem, & quæ ad illum naturam cogit, demonſtrare debemus. Galen. *loco cit.* duas cauſas aſſignat, eaſque refert Tralian. *lib.*7.*c.*11. nempe C humorem,& alimenti copiam, eorumque vitium, & corruptelam; copia enim ventriculum grauando mouet, vitium verò,& prauitas mordendo, & irritando. Quod ſi cibi copiâ vomitus fiat,ex ægri relatu dignoſcitur. Tamen ſi humores ſint huius ſymptomatis cauſæ,ipſis etiam venter grauabitur, & onus percipiet. Verumtamen ſi eorum praua qualitas infeſtat,propriis ſignis innoteſcent.Bilioſi calorem & ſiccitatem,ſitim,mordicationem,& oris amaritudinem inferunt, & facile in ſuperiorem ventriculi partem confluunt, inappetentiam cauſant, & facilè alimenta in qualitatem nidoroſam tranſmutant.Quod ſi humores frigidi ſint,contraria euenire ſolent,ita vt neque calorem, neque ſitim ſentiant, ſed potiùs frigus, & ſitis defectum, niſi ſalſa fuerit pituita, quæ ſitim, ſalſedinem, & ſiccitatem gignit. Alimenta etiam qualitatem acidam comparabunt, aderitque maior cibi appeten- D tia,quàm in humoris calidi præſentia. Quod ſi ſemel euomant ex calore,& guſtu,odore,& ſubſtantiæ modo ipſius humoris ipſi laborantes humorem peccantem percipient. Sed quia huiuſcemodi humores poſſunt in ventriculo generari, aut aliunde tranſmitti,diligenter eſt inſpiciendum ex qua parte originem ducant. Si enim in ventriculo generentur,ſolet præcedere intemperies,quæ ad eorum generationem eſt accommoda, quæ etiam proprias habebit notas, & ex anteacta vita colligi poſſunt, vt ſi æger crapulis,ſatietati,& vitæ otioſæ ſit aſſuetus,aut præter aſſuetudinem illis ſe commiſit. Quod ſi vomitus crebrior nullo ſpatio inſigni interpoſito vrget, ſciendum eſt humorem,qui per illum reiicitur, in ventriculo potiùs generari. Sin autem ſpatium notatu dignum intercedere videatur,id quod reiicitur, ex aliis partibus influere eſt auſpicandum, vt notat Tral. Conſiderare itaque *Signa.*

oportet totum corporis habitum, an humoribus prauis, & vitioſis ſit refertum; quo tempore ex toto corpore ad ventriculum confluere humores certum erit; at ſi aliquod membrum noxam inſignem patiatur, quam propria ſigna manifeſtabunt, optima coniectura aſſequeris, ab illo humores deriuari.

Tandem ſi difficilè humores euomantur, id efficere ſolet illorum craſſities, & quia ventris tunicis adhærent; tamen ſi tenues ſint, vel in ventriculi ſpatio detinentur, faciliùs euomuntur, vt ait Galen. 2. *de aliment. facult. cap.* 20.

Quantùm ad prognoſticum attinet, legendus eſt Hipp. 2. *prognoſt.* vbi diffuſè ſatis de prædictione ex vomitu deſumpta pertractat.

## §. III.

### *Curatio nauſeæ, & vomitus.*

*Curatio vomitus ex cibo.*

IN hoc capite ſolùm curare intendimus eum vomitum, qui ex ventriculi propria affectione conſurgit; qui enim ex toto corpore, aliáve quauis parte originem trahit, habitâ totius corporis, aut illius prouidentiâ, auferri ſolet. Si igitur ob ciborum immoderantiam, & prauum, & indebitum cibandi ordinem vomitus concitetur, cibi quantitas moderanda, debituſque ordo eſt ſeruandus in ciborum aſſumptione; ita vt qui facilius ſubducuntur, primo loco deglutiantur, & hora cibationis aſſueta ſeruetur, & alimenta ſuis qualitatibus, & ſubſtantiæ modo non multùm euarient; facilè enim inter ſe alterantur, & corrumpuntur, & ventris cruditas eos inſequitur, ſimiliter & vomitus; quo tempore licebit ciborum quantitatem, ſi ſuperari non poteſt, & illorum corruptelam euacuare, idque vomitu optimè aſſequimur, quem potu aquæ tepidæ, aut hydrelæi, aut pennæ in os immiſſione excitabimus, vt monet Galen. 8. *de compoſ. medic. ſecund. locos, c.* 4. Quod ſi cibi electi debito tempore, & quantitate conuenienti aſſumantur, & tamen vitientur, & vomitu trudantur, cenſendum eſt, huius euentus cauſam eſſe humorem in ventriculo contentum, cuius naturam ſignis ſuprà traditis inueſtigabimus, & ad illius curationem, ſeu euacuationem properabimus, quæ quomodò facienda ſit, iam audies.

*Curatio vomitus ex bile.*

Si humor bilioſus ventriculum infeſtat, & nauſeam, vomitúmque concitat, cibus ſit refrigerãdus, & humectans, vt lactuca, chicoreorum, borrago, portulaca, cucurbita, pepones, ptiſana, iura carnium, in quibus cucurbita, aut lactucæ folia ſint decocta, aut caro ipſa rebus acidis condita, vt aceto, aut arantij ſucco. In fine prandij manducet æger pira condita auſtera, & miloplacentam, & alia quæ vim adſtringentem habeant, quibus vomitus compeſcitur. Hoc tamen obſeruare debemus in omnibus morbis iecinoris, & ventriculi, vt ſemper admiſceantur ea, quæ roborandi vim habent, vt docet Gal. *de compoſit. medic. ſecund. locos, c.* 1. Potus ſit aqua fontana, vel hordei. Euitentur quæ bilem procreant, vt nimia vigilia, immoderatum exercitium, & ira. Ventrem habeant lenem, vel clyſteribus ſubducatur. Quod ſi humor tenuis ſit, & in ventriculo fluitet, vomitu eum ducere oportet, aquâ tepidâ adhibitâ cum pauco oxymelite, vel ſyrupo acetoſo. Si craſſus, & tenax ſit, & ventriculi tunicis adhæreſcens, illum inſcindes, & attenuabis per aſſumptionem ſyrupi acetoſi cum aqua tepida, aut cum melle roſaceo, & oxymelite, aut vomitus procurandus eſt cum decocto agarici, ſeminis raphani, & pauco oxymelite. Quod ſi hæc non ſuffi-

*Præceptum obſeruandum*

A ciant, bilem expurgabis picra ex aloë, quam maximè commendat Galen. *loco iam citato, cap.* 2. aut pillulis de rhabarb. diluto in decocto Pugini cum ſyrupo perſico ſolutiuo, vel Principis, vel cum pulpa caſſiæ, & diacatholicone ad morſellorum formam redactis.

Exteriùs admouebis oleum myrtinum, melinum, & roſarum, cum ſucco vuæ acerbæ; quibus admiſcere poteris pulueres roſarum, myrti, diamargarit. frigidi, & vtriuſque coralli, ex quibus additâ cerâ fiet etiam vnguentum ventriculo conueniens, vel vnguentum refrigerans Galeni.

*Curatio vomitus ex humoribus frigidis.*

At ſi humor craſſus, & frigidus ventriculo ſit infixus, tunc victus præcedenti contrarius eſt inſtituendus. Alimenta itaque condiantur pipere, cinnamomo, cariophylis, croco, & menthâ: poſtremò aſſumant mala citonea, ſorbas, meſpilla, aut
B pira adſtringentia, aut eorundem conſeruas.

Potus ſit vinum adſtringens. Aër ſit calidus, vel ſic arte paretur. Animi paſſiones euitentur, præſertim timor, & triſtitia. Quotidie ventris onus deponant ægri, aut clyſteribus ex aqua mulſa cum hiera picra, & oleo camemali, & ſale venter ſubducatur. Mox extenuantibus, & inſcindentibus eſt vtendum, vt conſulit Aetius *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 10. Quibus etiam vomitus prouocabitur, vt diximus. Sed quia ſæpe humores tenaces ventriculi tunicis adhærent, & leuia medicamenta non ſufficiunt, vt euomantur, ad fortiora deuenire cogit neceſſitas; cautè tamen, vt inquit Celſus de helleboro agens, ſunt adminiſtranda; in quem vſum helleborus albus, ſtybium, peplium, chymelæa potenter vomitum excitant: ea tamen reformido. Quercenatus vitrioli ſal commendat in vino, aut aliquo iure,
C quantitate g̃. 6. 7. vel 8. dummodo priùs oxymelite, & aliis ventriculus ad vomitum præparetur. In quem vſum confert decoctum anethi, & ſeminis raphani, cum pauco oxymelite, & ʒ. j. agarici, ſi bibatur tepidum: quod ſi ei admiſceas ℥. ß. oxymellis ſchillitici, fortius illud efficies. Tamen quia hæc non ſufficiunt, humorem ad expurgationem per infernam aluum præparabimus melle roſaceo, aquâ mulsâ, oxymelite ſimplici, ſyrupo duarum, aut quinque radicum. Humor prætereà euacuabitur pillulis de hiera, aut de agarico, aut diluto agarici trochiſcati, ex decocto Pugini, cum ſyr. ſennato, vel Regio. Aloës maximè reliqua expurgantia excellit in humoribus vitiatis expurgandis circa ventrem, & ſtomachum, vt omnes admittunt.

Forinſecus autem ſtomacho maſtichen chiam oleo nardino dilutam, & tritam, purpureaque lana exceptam imponito, ex Aëtio: aut oleo maſtichis, abſinthij, & menthæ ventrem illines, & pannus
D purpurâ tinctus ſuperponendus eſt, aut emplaſtrum ſtomaſtichon dictum, quod etiam ex maſtiche confici poteſt, vel cum pulueribus maſtichis, abſinthij, maceris, cariophyl. galangæ, menthæ, cinnamomi, & calami aromatici, & ſupradictis oleis vnguentum efformabis, aut ſacculum ex eiſdem rebus contuſis, & vino irroratis conficere poteris. Quod ſi adhuc vomitus perſeueret, extrema ſunt vincienda & fricanda, ex Aëtij conſilio, & in aquã calidam immittenda. At ſi cibi non detineantur, cucurbitula cum largiori flamma admota magnificè auxiliatur, vt inquit Paul. *lib.* 2. *cap.* 56. quâ affixâ cibus præbeatur, nec auferatur donec cibus ſit concoctus. Quod ſi hæc non prodeſſe comperiamus, aſſumant per interualla ſaccharum roſaceum antiquum, aut loch confectum ex ſaccharo roſaceo, cum miua compoſita citoneorum, & in cauſa calida, cum miua ſimplici, puluere boli armeni, terræ ſigillatæ, & amylo: aut ſyrupum

rupum citoneorum cum dictis pulueribus. Album oui fortiter agitatum, aſſumptum crudum cum trochiſcis de karabe, aut de terra ſigillata, ſuâ vi emplaſtricâ, & adſtringenti vomitum ſedare ſolet, ex Rondelet. 3. *methodi*, *cap*. 8. & ſicut quies imperanda, ita maſticatio ciborum prohibenda eſt, ne ventriculus commoueatur: quapropter alimenta licèt ſpiſſa ſint, & viſcida, non tamen ſolida, & maſticatione indigentia adminiſtrentur, vt ipſe etiam *cap*.7. *eiuſdem libri*, aſſerit.

Sed quia vomitus cibi fieri ſolet à flatibus ſurſum cibum ferentibus, illius curatio ex capite de ventriculi inflatione eſt petenda. Neque ex eo, quod vomitum vomitu curemus, euertitur verum dogma Hippocraticum, videlicet: *Contraria contrariis curantur*. Nam vomitu euacuatur humoris ſarcina; morbos autem quos facit repletio, curat inanitio, dicente Hipp. 2. *aphor. textu* 22. & ſic ex accidenti vomitus vomitui contrariatur, quatenus per vomitum detrahimus cauſam vomitum excitantem. Contrarietas autem ex accidenti ſufficit aliquando ad morbi curationem, ſiquidem aqua frigida morbos frigidos curat, vt docuit Hippoc. 5. *aphoriſm. text*. 21. quatenus aquæ frigidæ perfuſione calor ad intra reuocatur, & per antiperiſtaſin adaugetur.

*Curatio vomitus ex vomitu morbus ... fidis.*

## CAPVT VIII.

### *De ſingultu.*

VT ex verbis Galeni colligere poſſumus 3. *de cauſis ſymptom. cap*. 2. & 6. *aphor. comm*. 39. ſingultus nihil aliud eſt quàm motus vehemens ventriculi, veluti conuulſiuus, quo quæ in proprium corpus impacta ſunt, excutere conatur. Quæ expoſitio Fernel. placuit, eamque adduxit 6. *de partium morbis*, *cap*. 3. Auic. verò *fen*. 13. *lib*. 3. *tract*. 5. *cap*. 9. ait: *Singultus eſt motus diuerſus compoſitus, ſicut ſpaſmus contractiuus, cum tenſione dilatatiua exiſtens in ore ſtomachi, aut toto corpore eius.* Quæ quidem huius ſymptomatis naturam exactè declarant.

*Singultus quid ſit.*

Eſt enim motus vehemens, & præter naturam, ita vt aſſerat Galenus 6. *aphoriſmorum*, *comm*. 39. quod in ſingultu ventriculus vehementiori motu mouetur, quàm in vomitu; rationemque reddit dicens: *Siquidem in vomitibus appetit ea tantùm, quæ in ventriculi ſpatio continentur latiori expellere, in ſingultibus autem ea, quæ ſunt in ventriculi ore penitiora.* Indigent enim maiori vi, & naturæ conatu, vt expellantur quæ in penitioribus poris ſunt recondita. Talis etiam motus cùm ſit adauctus, neque abolitè, neque diminutè fiat, neceſſariò reducendus venit ad genus actionis deprauatæ; atque adeò Gal. 3. *de ſymptom. cauſ. cap*. 1. conſtituit illum inter motus illegitimos.

Eſt præterea talis motus veluti conuulſiuus, non tamen conuulſiui motus nomen meretur, quia iſte ſolis accidit muſculis; ventriculus autem nec ipſe muſculus eſt, vt ait Galenus 3. *de cauſis ſymptom. capite citato*, & hanc ob cauſam eum Auicen. non appellat ſpaſmum, ſed veluti ſpaſmum, eo quod in dilatatione, & compreſſione motui conuulſiuo aſſimilatur.

Singultum eſſe ventriculi accidens, nemo dubitabit, ſemper enim per ſe, vel per conſenſum ventriculus afficitur in ſingultu, vt docet Galen. 1. *de cauſ. ſympt. cap*. 6. vbi inquit, quod ſingultus fit cùm in ventriculo, & gula ſubſiſtit cauſa irritans; & quia talis motus fit in ſubſidium naturæ conantis rem irritantem, & noxiam expellere, propterea cenſendum eſt ſingultum eſſe ſymptoma facultatis expultricis: quod expreſſit Galen. 6. *epidim. comm*. 5. *ſuper textum tertium*, dum ait: *Singultus purgamentorum expellendorum cauſâ proueniunt.* Et licèt facultas retentrix etiam patiatur, vt ibi aſſerit, quatenus ratione ſingultus non benè complectitur cibos, potiſſimùm tamen eſt motus prauus expellentis virtutis.

Sed cùm in pluribus locis dictum ſit, virtutem expultricem naturalem expellere mediâ conſtrictione, fruſtrà in ſingultu aliquibus videbitur, fuiſſe poſitum motum illum dilatationis; nam ventriculus ad illum motum non habet fibras, ſicut ad motum compreſſionis, quo exprimit, & reiicit à ſe obiectum noxium.

Huic dubio ſatisfacit Auic. nam aſſerit, talem dilatationem eſſe præparationem quandam neceſſariam ad expulſionem illius humoris in ventriculi poris imbibiti; quod etiam in vomitu accidit, in quo poſt compreſſionem ventriculus dilatatur, vt ſe denuò comprimat; & per dilatationem pori laxiores fiunt, & maiores, ſicque faciliùs decidit humor, & poſtea ſuperueniente compreſſione ad extrà velociùs truditur.

Quantum ad morbi eſſentiam ſpectat, exiſtimo conſiſtere in continui ſolutione, à quacumque cauſa fiat ſingultus: quælibet enim irritando hunc morbum gignit, mordicationem verò, & irritationem continui ſolutio ſequitur, licèt non manifeſta.

### §. I.

### *De cauſis ſingultus.*

SIngultus ab eiſdem proficiſcitur cauſis, à quibus conuulſio, vt dicitur ab Hipp. 6. *aphor. text*. 39. vbi ſic: *Conuulſio fit ex inanitione, & repletione, quemadmodum & ſingultus.* Cum hoc tamen alias cauſas referunt Authores, inter quos Galenus 8. *de comp. medic. ſecundùm locos*, *capite* 3. vbi ait: *Ego verò in conuulſione tertiam aliquam cauſam ſupra euacuationem, & repletionem nondum reperi. Singultum etiam ſine his fieri video.* Ibique enumerat acres, & ſeroſos humores ſtomachum mordentes, quos ſi vomitu reiiciant, ſtatim à ſingultu liberantur, & pipere deuorato, aut alia re acri, & ſuperbibibito vino facilè, ſingultiunt. Si cibi corrumpuntur, & qualitatem mordacem in ventriculo nanciſcuntur, etiam ſtatim ſingultire incipiunt. Ob frigiditatem, in pueris præcipuè, ſingultus ſuperuenire ſolet. Fit etiam ſingultus in febribus, ſtomacho præſertim, aut aliquo alio viſcere inflammato, vt in iecinoris inflammatione contingit; & ita dicitur ab Hippocrate 7. *aphor. textu* 17. *Ex hepatis inflammatione ſingultus malum.* Sed quia de modo efficiendi ſingultum circa aliquas cauſas poteſt eſſe dubium, reſtat aliqua proponere, vt meliùs intelligatur quâ ratione vnaquæque ſingultum producit. Et circa ſingultum ex repletione dicendum eſt cauſam illius illum producere ventriculum grauando; humorum enim, & ciborum repletione moleſtiâ afficitur ventriculus, & diſtenditur; flatus etiam ſingultum excitant ventriculum dilatando.

*Qualiter cauſa producunt ſingultum.*

Sed quam moleſtiam ventriculo inferat inanitio, ſeu euacuatio, & quid per illam ſentitur in ventriculo, vt ad motum conuulſiuum excitet, declarare

*Dubium.*

declarare expedit. Non enim ſentitur defectus ſubſtantiæ euacuatæ,nam cùm non ſit iam in ventriculo, haudquaquam ſentiri poteſt; obiectum enim cuiuſvis potentiæ debet eſſe potens mittere ſpeciem ad illam; quod efficere nequit ſubſtantiæ defectus, qui entitatiuè in ſe nihil eſt. Neque ſentitur ſiccitas aliqualis præter naturam; nam præter humidæ ſubſtantiæ defectum debemus aſſignare cauſam poſitiuam præter naturam exſiccantem; effectus ſiquidem poſitiuus cauſam poſitiuam requirit.

Dices, ſiccitatem illam à principio intrinſeco dimanare, defectum verò ſubſtantiæ occaſionaliter ſe habere, vt talis ſiccitas ab intrinſeco dimanet. Contra; nam non benè infertur: Deficit in hac parte ſubſtantia humida: ergo neceſſariò ab ipſa parte dimanabit ſiccitas. Neque aſſignari poteſt finis cuius gratiâ ſiccitas eo tempore à natura producitur. Præterea cùm huiuſmodi ſiccitas ſit naturalis, & à principio naturali procedens, non videtur qua ratione naturam ſtimulet,& concitet ad efficiendum motum concuſſiuum, vt ipſa à natura ſic expellatur.

Nihilominus dicendum eſt, deficiente illic humidâ ſubſtantia ſiccitatem illius partis magis elucescere,vt diximus capite de conuulſione,cuius doctrina hic accommodari poteſt; quæ ſiccitas ſuppoſitâ euacuatione ſubſtantiæ humidæ producit denſitatem, & corrugationem partis; quam quidem reſpuit ipſa partis natura,& abhorret, & fugit, & ideò monetur medio ſingultu ad illius expulſionem: & licèt in facto eſſe non irritet,neque naturam alterare valeat, vt patet in intemperiebus æqualibus,vtpote in febre hectica, tamen in ipſo fieri bene poteſt ſentiri,ſiquidem intemperies,quæ dicitur inæqualis, & fiens, naturam alterare conſpicimus. Cùm igitur talis corrugatio, & partis condenſatio fit,quam ipſa natura abhorret, naturæ infertur noxa, & excitatur ad excretionem illius, & eo tempore fit ſingultus.

*Obiectio contra dicta.* Quod ſi obiicias: Illa ſiccitas naturalis cùm ſit, & facta,non poteſt ſentiri, ſicut nec ſentitur ſiccitas febris hecticæ, que per modum naturæ ſe habet: ergo nec denſitas ab illa producta ſentietur. Patet conſequentia; nam denſitas in hecticis non infert noxam,nec ſentitur: ergo nec ea, quæ à ſiccitate in ſingultu conſurgit, atque adeò irritabit naturam ad illius expulſionem.

*Alia obiectio.* Præterea illa denſitas eſt naturalis, ſiquidem ab intrinſeco principio dimanat,nempe à ſiccitate naturali: ergo non ſtimulabit naturam ad illius excretionem; quod enim naturale eſt, iuxta naturæ inclinationem producitur, & ipſa non abhorret illud.

*Ad primam reſponſio.* Sed iſtæ obiectiones doctrinam non euertunt. Ad primam dicimus, quod ſiccitas in hecticis paulatim, & quaſi inſenſibiliter inducitur, & eodem modo hectici partes corrugantur, & condenſantur; moleſta enim ſenſatio,& dolor fit,dum ſubitò,& affatim natura alteratur, & corrumpitur: & quia hoc deficit in hecticis, ideò in illis denſitas non cauſat ſenſationem; at in ſingultu, qui ex immodica euacuatione originem ducit,cum talis euacuatio breuibus interuallis fiat, citò ſiccitas elucescens in partibus denſitatem, & corrugationem producit,à qua ſubitò natura corrumpitur,& alteratur, atque adeò irritatur ad motum efficiendum conuulſiuum.

*Ad ſecundã.* Ad ſecundam reſpondetur, verum eſſe, ſiccitatem illam eſſe naturalem, non tamen inde ſequitur,quòd denſitas, quæ eſt illius effectus, ſit naturalis; nam licèt procedat à principio intrinſeco, non tamen procedit ab illo, quatenus illa ſiccitas eſt naturalis viuenti; nam vt ſic viuens non petit illam denſitatem, neque ad illam habet inclinationem: procedit tamen à ſiccitate illa, quatenus eſt quoddam agens naturale, quod in ſe habet vim producendi denſitatem illam tanquam effectum ſecundarium; qualitates ſiquidem vitalibus actionibus inſeruientes non poſſunt abſolui ab actionibus quæ illis, vt agentia naturalia ſunt, conueniunt; neque omne quod ab intrinſeco dimanat, dicitur naturale abſolutè; ſicut neque quod ab extrinſeco, violentum,vt tractatu de febribus diximus.

Petrus Garc. *de locis affect.diſp.* 53. *c.* 2. aſſerit huiuſmodi denſitatem, & ſiccitatem occaſionaliter ſe habere ad ſingultum, non tamen naturam irritare ad motum; ſed aliam cauſam (inquit) addere oportet, quæ naturam ſtimulet; quam eſſe humorem aliquem ad ventriculum confluentem cenſet. Eius tamen ſolutio mihi non quadrat,nam ſingultus ex inanitione eſt lethalis,vt docet Galen. 4. *de ratione vict. comm.* 69. ſed ille humor ſingultum concitans poteſt detrahi vi alicuius medicamenti, atque adeò ceſſabit ſingultus ex defectu cauſæ irritantis: ergo non erit lethalis,neque ita malus, vt exiſtimat Hipp. 5. *aphor.text.* 2. *&* 3. ſiquidem facilem admittit curationem.

Inter ſingultus cauſas annumerat Auic. frigus, quod ſingultum tribus modis efficit, vt ipſe ait; aut ex parte inſeparabilitatis materiæ, quia illam magis contumacem reddit, & inſeparabilem; aut excedendo temperiei ventriculi mediocritatem, & ſuâ contrarietate ventriculum ad ſingultum incitando; aut denique poros comprimendo, & illos inſpiſſando, in quibus humor collectus magis detinetur. Calorem etiam vt cauſam conſtituit,quatenus ſcilicet humidum reſoluendo ſingultum ex inanitione producit, ſicut producitur ex aliis immodicis euacuationibus,eo modo quo diximus,vel gignendo humores calidos, qui ſuâ acri qualitate ventriculum irritare valent.

Ex dictis facilè conſtat huius morbi natura, neque oportet ſigna adducere ad illius cognitionem, cùm facilè ex ægri relatu,& eis quæ præceſſerunt, poſſit cauſa percipi,à qua originem ducit.Et quantùm ad prædictionem ex Hippoc.deducitur,ſingultum ex inanitione eſſe ſanatu difficilem: neque in hoc amplius immorandum eſt.

## §. II.

### *Curatio ſingultus.*

Eorum,qui ob nimiam frigiditatem ſingultiunt, nimium iam ſufficientem medelam inueniemus calorem,per ea quæ interiùs aſſumuntur, & exteriùs adhibentur, eaque capite de cibi faſtidio ſcripta reperies. Quod ſi flatus ſit huius ſymptomatis cauſa, curabitur vt dixi capite de ventriculi inflatione,illumque ſanare ſolet ſpiritus cohibitio, vt docet Galenus 3. *de difficultate reſpirationis, cap.* 1. quæ etiam iuuat in cauſa frigida, vt inquit Auic.quoniam facit accreſcere caliditatem, & reſoluit flatus, & materiam frigidam. Appoſitio cucurbitarum cum multa flamma ſupra ventrem eſt aptiſſimum remedium ad ſingultum ex flatu & cauſa frigida.Idem præſtat confectio illa elexir vitæ dicta,quam extrahunt alchimiſtæ; & illa,quam aniſi ſpiritum appellant, & potus aquæ feruentis.

Quod ſi ab humoribus acribus ſingultus fiat, vomitum eſſe ſufficientem medelam aſſerit Galen. 8. *de compoſit. medic. ſecund. locos, cap.* 3. & 5.

*de remediis facilè parabilibus*, *capite* 202. quare vomitus ſtatim prouocandus eſt potu æquæ tepidæ cum pauco aceto, aut ſyrup. acetoſo. Aquæ etiam frigidæ potus ſingultum ex acribus humoribus, & ex alia re acri reprimere ſolet. Tamen ſi vomitu non euacuatur, illum præparare licebit ad expurgationem, & per inferiorem ventrem ſubducere.

Deinde ſi hæc non ſufficiant, commendat Galenus ea, quæ ſenſum hebetant, & acredinem arcent, vt theriaca recens, aut Philonij medicamentum in aqua endiuiæ diſſolutum, & ebibitum, aut ſyrupus de papauere, cum aqua chicorei. Acidi etiam ſyrupi conueniunt, niſi venter vlcus patiatur; tales enim ſunt ſyrupus acetoſus, de agreſta, de ſucco limonum, & oxyſaccharum.

Exteriùs admonenda ſunt quæ capite de vomitu, & cibi faſtidio adduximus pro intemperie calida.

Quod ſi humores craſſi ſint, vomitu eos euacuare tentabimus iis quæ diximus *capite de vomitu*, inſtituta etiam prius victus ratione, quam ibi adduximus. Purgatio fiat per pillulas de hiera, & de agarico, vel de tribus Fernelij, aut cum ℥. ß. terebinthinæ abietinæ, & ʒ. j. mechoacam, facta priùs præparatione cum melle roſaceo, & pauco oxymelite. Enematum vſus eſt conueniens, quæ calefaciendi, euacuandi, & reſoluendi poteſtatem habent. Conuenit etiam ſternutatio, vt ſic commotione factâ, humor ventriculi tunicis impactus concutiatur. Similiter oportet cohibere reſpirationem, vt calor intrà detentus humorem extenuet.

Deinde conferunt extremarum partium frictiones, vt humor attenuetur, & diſtrahatur, atque deambulatio longa, & concitata geſtatio, atque adhuc magis equitatio, & vociferatio concinna cum plurimo clamore, & ſternutatio, ſpirituſque cohibitio, vt iis humor moueatur, attenuetur, & reſoluatur, ex Aëtio. Caſtoreum potum, & olfactum iis probè opitulatur, ex Traliani decreto, vel ruta cum vino exhibita, vel apium in aqua mulſa decoctum.

Exteriùs oleum lanâ exceptum ſtomacho eſt imponendum, in quo ruta, cuminum, & abſinthium ſint decocta, aut oleum de caſtoreo. Benè facit etiam oleum nardinum, anethinum, & abſinthij, & balſamum, ſi eis venter foueatur.

Singultus ex inanitione humectantibus, & reficientibus curatur, reficitur enim cibis boni ſucci, vt vitellis ouorum, lacte amygdalato, iure, & carnibus gallinarum, caponum, phaſianorum, & veruecis, aut extremitatibus animalium, vt pedibus porcorum, hœduli, & veruecis. Potus ſit vinum album aquoſum. Mox corpus humectabitur, præcipuè venter, & dorſum oleo amygd. dulcium, vel vnguento ex oleo ſeſamino, violarum, & amyd. dulc. confecto, vel vnguento reſumptiuo, aut cerato ex butyro, oleo amygdal. dulcium, & cera.

Quod ſi ab inflammatione ſingultus oriatur, curata inflammatione ſedatur. Si verò per conſenſum fiat, inſpicere oportet morbum partis à quo procedit, ex cuius curatione ſingultus ſtatim auferri ſolet. Tandem ſi acerba medicamenta ſingultum concitauerint, dulcia alimenta, & pinguia erunt ex vſu, aut potus aquæ frigidæ, vt refert Plato *in conuiuio*.

A

## CAPVT IX.

### *De cholera morbo.*

CHolera morbus ſic ab aliquibus dictus eſt, quia per illum bilis ſurſum, & deorſum copioſè effunditur. Tralianus tamen *lib.* 7. *cap.* 14. inquit ita appellari ſumpta à parte affecta denominatione; nam inteſtina veteres choladas appellabant, vt Homer. teſtatur. Illum definit Paul. *lib.* 1. *cap.* 39. dicens: *Cholera eſt immodica perturbatio ſupra, infraque*. Quam definitionem deſumimus etiam ex Galeno *lib. ſuo Iſagoge, cap.* 13. qui 3. *de cauſis ſympt. c.* 2. inquit, quod iſte affectus toti ventri contingit, ita vt ad expulſionem vtroque vtatur ore; hancque ob cauſam Aëtius *lib.* 4. *c.* 11. ait vitium hoc commune eſſe ſtomacho, & inteſtinis, & per illud grauiter huiuſmodi partes torquentur, vt Galenus refert *loco Iſagoge citato*. *Quid ſit.* *Pars affecta.*

B

Hic morbus eſt exactè peracutus, vt conſtat ex Galen. *de definitionibus medicis*; citò enim pertranſit, & maximum vitæ imminet periculum, vt ex eius accidentibus notum fiet, in quo cùm humor noxius ventrem, & inteſtina mordeat, & irritet, ſuaque multitudine diſtendat, neceſſariò reperitur ſolutio continui, ad quam reduci debet huius morbi natura, quam ſequitur læſio facultatis expultricis, quæ deprauatè excernit pluſquam oportet, vt animaduertit Galen. *loco proximè citato, ex* 3. *de cauſis ſympt.* ſimulque læditur actio retentricis virtutis, quatenus diminutè retinet, vt ibi oſtendit Galenus.

Circa cauſas huius affectus aliqui cenſent (inter quos Pereda) ſolùm eſſe bilem; quod confirmat primò ex nomine: nam ideò hic morbus cholera dicitur, quia à cholera initium ſumit. Similiter cùm per hunc morbum totum corpus euacuetur, & conſumatur, non poteſt fieri ab alimento, nec ab aliis humoribus exiſtentibus in ventriculo. *De cauſis.*

C

In hoc tamen non eſt recedendum ab antiquorũ, & communi opinione: aſſerit equidem antiquitas fieri hunc morbum à ciborum cruditatibus, & eorum corruptela, vel ob prauorum humorum qualitatem ventriculum nimis offendentem, ita vt Gal. 2. *de alim. facult. c, de peponib.* aſſerat, quod ex peponum ſucco iſte progignitur morbus: ſed inter omnes cauſas præcipua eſt bilis, quæ ad inteſtina, & ventris os confluens, naturam ſurſum, & deorſum ad excernendum irritat.

Huius morbi notæ ſunt vomitus bilioſus, nidoroſus, & acidus, ad plures horas continuè perſeuerans, venterque infernè eadem excernit, vel inclinatur ad excretionem ob cauſæ irritationem, & deterrimam conditionem: adeſt ſitis, exſudatio, pulſus impeditus, muſculorum manuum, pedumque contractio, & tenſio ex nimia totius corporis euacuatione, vt ex Aëtio conſtat, & nos quoque vidimus: ſyncopen ſequitur inſignis, immodicaque virium exſolutio, vt notat Tralian. Præterea inteſtina torquentur, & eorum inflatio adeſt; bilis ſupra, infraque erumpit, primùm aquæ ſimilis, deinde vt ſi in ea recens caro lota eſſe videretur, interdumque alba, nonnunquam nigra, vel varia, vt Celſus ait. Liquet quidem huius morbi acutiſſimam naturam poſtulare accuratè internoſci, & celerrimè curari. Etenim dilatio in acutis morbis nociua eſt; in hoc autem affectu etiam exigua, ac leuis curandi mora haud paruam offenſam cauſat, vt Tralianus inquit. *Signa.*

D

## §. VNICVS.

### *Curatio choleræ morbi.*

IN huius morbi principio non licet ea,quæ euacuantur , cohibere ; nam inutilia cùm ſint, euacuatione opus habent, vt inquit Aëtius. Si igitur nauſeabundus ſit æger,cibis crudis,aut humoribus in ventriculo manentibus, aquam tepidam propinabimus, deinde eum vomere cogimus digito,vel penna ori indita,aut alui ductione adiuuandus eſt, vt Paul. monet.

Quod ſi iis conquieſcat æger, ſtatim venter fouendus eſt oleo melino,maſtichis , & nardino ; & ſomnus procurandus, vt vires reficiantur : deinde cibis probi ſucci eſt vtendum. At ſi iis non ceſſet euacuatio , & corpus collabi , & ægrè euacuationem ſuſtinere conſpexeris, victu, & medicamentis naturam adiuuare expedit. Victus ergo ſit adſtringens , vt nouellæ perdices , & pulli gallinacei aſſi, vel illorum iura cum malis citoneis decocta. Conuenit etiam amylum & ante , & poſt cibum ; maiora adſtringentia ſunt ex vſu,vt mala citonea,meſpilla,ſorbæ , mala punica,pira auſtera,ſeu eorumdem conſeruæ.

Quod ſi bilis nimis infeſtet,ptiſanæ cremor eſt vtilis,vel lactuca cum modico aceti refrigerata, & pampini vitis commanſi ſucco deuorato,vel chicoreum elixum,vel mica panis in ſucco mali punici; quæ omnia etiam vtilia cenſentur ſi febris adſit. Potus ſit vinum adſtringens aquâ chalybeatâ, ſeu deauratâ dilutum , vinum enim iſtud præterquam quod ventrem roborat,omnium maximè ſubitò,& celeriter vires collapſas refocillare poteſt, & multi præter ſpem ex vini potione mortis periculum euaſerunt,ex Tralian. Conuenit etiam aqua deaurata,aut chalybeata per ſe. Somnus, & quies ſunt procuranda,animi paſſiones vitandæ , aër frigidus eligendus,aut talis arte parandus.

Vitæ regimine inſtituto humorem euacuabimus iis, quæ ſimul vim roborandi habeant , vt rhabarb.mirob.citrinis ; & ſi materia fuerit pituitoſa,mirobalanis chebulis, quæ toſta,aſſa,aut vſta, deinde aquâ roſarum lota , vel aquâ plantaginis propinanda ſunt,ſi retinendi , & roborandi nimis vrgeat neceſſitas,quorum ℈.iij.cum ſyr. ex ℈. infuſionibus roſarum rubearum , & aquâ portulacæ aſſumi debent.

Neque in hoc eſt ſequendus Amatus Luſit. *cent*. 2.*curat*.44.vbi rhab.& mirabol.vſtionem reprobat.Scimus enim, & experientiâ didicimus,per vſtionem,& lotionem,& alias præparationes, medicamenta virtutes quaſdam amittere,& alias conſeruare,& augere, vt aloës indicat , quæ non lota magis purgat, & lota magis corroborat.

Rurſus interiùs ventrem roborabis potu aquæ roſatæ calidæ quantitate quatuor,vel quinque vnciarum ebibitæ,præcipuè ſi fiat à bile, vt eſt expertum.Confert etiam deuorare ſuccum meſpillorum, & mali citonei : ſimplex mica eſt aſſumenda,& in ventriculi cruditatibus aromatizata conuenit. Vtilis etiam eſt vſus clyſterum ex decocto capitum papaueris cum amylo ; cohibent enim,refrigerant, & ſomnum inducunt, ex Aëtij decreto.

Exteriùs ventri admouebimus emplaſtrum ex palmulis,ſchenante, hypociſtide, acacia , rhu, & malicorio , ſuccoque eiuſdem confectum : vel id , quod recipit farinæ hordei ℔. j. pulueris roſarum ℥.ij. albumina ouorum n.iv.ſucci plantag.aut caudæ equinæ , quod ſit ſatis ad emplaſtrum : aut il-

A lud quod conficitur ex palmulis elixis in aceto malaxatis,cum oleo melino,acaci a,puluere rhu,& farina hordei,vel hoc vnguentum ℞.olei myrtini, & citoneorum,ana ℥.ij. acaciæ , hypociſtidos , rhu obſoniorum,roſarum ,& vtriuſque coralli,ana ʒ.j. ceræ quod ſufficiat ad vnguentum.

Conferunt etiam ligaturæ , & frictiones extremarum partium,& conſtrictio fœmorum , & talorum , paululùm ipſa diſſoluendo , rurſuſque ligando, vt docet Tralian. quæ potiùs fieri cenſeo,ſi vomitus nimis vrget ; è contra verò vrgente aluo ſuperiora ligando,vt manus,& brachia. Quod ſi iis non cedat affectio,nec cibus retineatur,cucurbitulas magnas medio ventri affigere iubet Gal. *lib.de remedijs paratu facilibus*.

Tandem ſi vigiliæ immodicæ infeſtent,ſomnum procurabis illitionibus ſoporiferis,quibus nares,&
B tempora inungantur ; & ſi partes extremæ frigent, oleis,& pannis calidis ſunt ad calorem reuocandæ. Si verò animo deficiant, & in ſyncopen incidant, odoramenta naribus admoueantur , vt dictum eſt in ſyncopis curatione ; vinúmque concedendum, & ipſo aquæ frigidæ admiſto , ægroti facies irroranda ; iis enim vires reſtaurari ſolent.

---

## CAPVT X.

### *De lienteria, & cœliaco morbo.*

LÆuitas inteſtinorum ( græcè lienteria) eſt velox exitus eorum quæ comeduntur , atque bibuntur,quæ talia deiiciuntur , qualia fuere deuo- *Lienteria quid ſit.*
C rata,dicente Galen.6.*aphor.comm*. 1. vbi etiam ait, quod ſi quis vult breuiorem definitionem afferre, dicat eam eſſe coctionis priuationem. Dicitur iſte affectus læuor, ſeu inteſtinorum læuitas, quia antiqui exiſtimabant fieri ob tunicæ intrinſecæ ventriculi læuitatem , ob quam cibos in ventriculo contentos non apprehendit ſicut dum ſeruabat ſibi à natura inditam aſperitatem, quæ ad ciborum retentionem maximè conducebat,vt ex eodem Galeni loco deducitur.Iſte affectus diabeti ſimilis exiſtit, in quo exuberanter id quod ebibitur, reddunt ægri , eo à ſuis qualitatibus non mutato , vt docet Gal.6. *de locis, cap*.3.

Sed contra à Gal.adductam definitionem poteſt quis inſurgere ; nam tam diu viuimus , quamdiu nutrimur , cùm viuens tranſigere non poſſit ſine alimento : ergo in hoc morbo neceſſe eſt fieri alimenti aliquam tranſmutationem , vt ex illo fieret nutritio; aliàs enim per plures dies æger conſerua- *Obiectio.*
D ri non poterit.

Hoc leui fundamento conuictus Antonius Muſa aſſerit alimentum exiguam ſaltem immutationem ſubire,nam ſi nulla fieret, non nutriretur corpus,& moreretur. Facilè tamen reſpondetur, quod in ipſius alimenti tranſitu aliquid tenue illius retinetur,& commutatur, ex quo beneficium ſuſcipit natura , & illo conſeruatur; quod verò reiicitur,eſt alimentum magis craſſum , in quo non apparet immutatio ſenſibilis ; & ſic verificatur,quod æger poſſit viuere ratione alimenti tenuis , quod in nutriti ſubſtantiam conuertitur ; & verificatur Galeni doctrina reſpectu partis craſſioris alimenti, quæ quoad ſenſum nullam mutationem recipit. *Illius dilutio*

Quantùm ad ſymptomata ſpectat , certum eſt, dari in hoc morbo ſymptomata tertij generis in his quæ ex cernuntur præter naturam ex læſione facultatis retentricis,quæ habet actionem abolitam, *Quæ actiones lædantur.*

vt

vt Galen. verba indicant 3. *epidim. comm.* 3. *ſuper text.* 54. & *de ſympt. differentiis cap.* 4. vbi aſſerit, adeſſe priuationem actionis retentricis, cùm potius ventriculus cibos non complectitur, vt accidit in lienteriis. Læditur etiam deprauatè actio facultatis expultricis, quatenus irritata, aut grauata ab aliqua cauſa, à ſe alimentum eiicit, vt inſinuat Gal. 2. *de cauſis ſympt. cap.* 3. & 3. *de cauſis ſympt. cap.* 2. vbi docet in lienteriis, ſicut in vomitu, adeſſe prauos motus facultatis expultricis.

*An concoctrix lædatur.* Præter dictas facultatum actiones, videtur etiam lædi facultatem concoctricem, vt Gal. docet, vbi morbum hunc appellat priuationem coctionis; cùm enim nulla fiat alimentorum coctio, coquendi actio totaliter erit ablata: quod confirmat Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap. vltimo*, vbi ait: *Cæterùm lienteria ipſa propriè ex permutantis cibos, ac digerentis facultatis debilitate contingit, cuius ſignum eſt, quod cibi crudi excernuntur.*

Sed hæc leuia ſunt; non enim coquuntur alimenta ob defectum virtutis concoctricis, ſed quia non retinentur debito tempore, & ſic ſiue facultas concoctrix benè, vel malè ſe habeat, eſt nimis per accidens reſpectu huius ſymptomatis: cum hoc tamen dicimus, concoctionem lædi, quia ſuum munus non exequitur.

*Pars affecta.* Partem affectam eſſe inteſtina, & ventrem, nemo poteſt dubitare, quod docet Galenus 6. *de locis affectis, cap.* 2. vbi ait: *Sunt alia quoque accidentia, quæ quidem non abſurdè inteſtinis, & ventriculo ſimul affectis euenire creduntur, quas læuitates inteſtinorum, ideſt ventrales diſpoſitiones nominant.* Ad id etiam ipſa ratio ſuadet. Quod ventriculus afficiatur, de ſe notum eſt; nam aliàs retineret, & concoqueret. Quod verò etiam inteſtina patiantur, patet; nam in ſtatu naturali alimentum alterant, eademque coctio, quæ peragitur in ventriculo, agi poteſt in inteſtinis, quamquam maiori vi coquendi ventriculo quàm inteſtinis inſit; quod expreſsè docet Galen. 4. *de vſu partium, cap.* 17. vbi ſic: *Iam verò inteſtinorum ſubſtantia non multum à ventriculo eſt diuerſa, quo fit, vt ſi facultatem alteratricem ipſis quoque inditam fuiſſe oportuit ipſi ventriculo aſſimilem, in iis quoque cibum concoqui neceſſariò conſequitur.* Idque declarat quotidianus vſus clyſterum rerum nutrientium; non enim ſubſtantia nutritiua per clyſteres iniecta in ventriculum aſcendit, ſed in ipſis inteſtinis commutationem accipit. Cùm igitur alimentum neque retineant, neque concoquant inteſtina in hoc affectu, neceſſariò fateri tenemur, ægrè ſe habere.

*Inteſtina habent facultatem concoquendi alimentum.*

*Cœliaca quid ſit.* Cœliaca non multùm diſtat à lienteria, vt ex Pauli verbis cognoſcere poſſumus, qui *lib.* 3. *c.* 11. inquit: *Etenim in hac* (cœliaca ſcilicet) *cùm venter præ imbecillitate nequeat cibos concoquere, & diſtribuere, læuia, & cruda, & perliquida redduntur, aluo in omnibus fluida. Verùm in lienteriis celeriter, quæ aſſumpta ſunt, egeruntur; tamque intenſa eſt cruditas, vt alimenti aſſumpti genus apertè cognoſcatur.* Vbi omnimodam cruditatem in lienteriis aſſignat, in cœliacis verò exiguam cum cruditate coctionem, differentiamque conſtituit inter hos affectus ſecundùm magis, & minus. Idem ſentit Tralianus *lib.* 8. *cap.* 5. & omnes communiter recipiunt, vno dempto Cornel. Celſo *lib.* 4. *cap.* 12. qui cenſet hunc morbum non comprehendi ſub fluxu ventris, imò per illum aluus nihil reddit, ac ne ſpiritum quidem tranſmittit.

*Lienteria cauſa.* Sed in quo conſiſtat horum morborum eſſentia nondum claret; varij enim ſunt, vt ex cauſarum diuerſitate conſtabit, quas iam enumerare oportebit. Oboritur lienteria (& idem eſt dicendum de cœliaca) à nimia humiditate, & relaxatione ventriculi, & inteſtinorum, & eorum frigiditate, quibus maximè retentrix vis debilis redditur. Fit etiam frequenter præcedente dyſenteria magna, & ex profunda vlceratione, cicatrice denſa, & læui ſuccedente; ob læuorem enim cibus facilè dilabitur, ſemota ventriculi aſperitate naturali, quæ retentionem adiuuabat. Quandoque etiam aqua intercus per ventrem euacuata huius ſymptomatis ſolet eſſe cauſa. Item ingeſtio ciborum prauæ naturæ, & ſupra modum humidorum, & medicamentorum expurgantium vſus hunc morbum efficere valet.

*Prognoſtica.* Hic morbus notus eſt, neque ſignis aliis indigenius ad illius cognitionem, cùm ea ſufficienter ſint tradita. In longis læuitatibus inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperueniat, qui priùs non erat, ſignum eſt bonum, ex Hipp. 6. *aphor. textu* 1. ſignificat enim iam calorem ſuſcitari, qui vt extinctus antea nullo modo cibum alterabat, ex Galeno *in comm. textus allati.* Quod ſi ægri cibum non ſentiunt, & malum corporis habitum adquirunt, vtrumque malum incorrigibile exiſtit, ex Aëtio. Succedit etiam illis aſſidua excretio cruda, colore ſubalbida, & aquoſa, citra ſanguinis, & bilis complexum; ſimul & ardor per tota præcordia, & cibi faſtidium comitatur, quæ omnia praua ſigna ſunt, vt Aëtius, & alij teſtantur.

## §. Vnicvs.

### *Curatio lienteriæ, & cœliacæ.*

Qvia in his morbis vis retentrix, & expellens debilitantur, vtramque refocillare iubet Aëtius, quod ſanè primò per ciborum conuenientem exhibitionem fieri debet. Cibi ergo eis conueniunt, qui non nimis aluum reprimant, ſed qui facilè concoqui, & in totum corpus diſtribui poſſint; cum hoc tamen aliquam vim adſtringendi nanciſcantur, vt Traliano placuit: huius naturæ ſunt ius pulli gallinacei aquâ chalybeatâ factum, aut ipſius caro aſſa, vel caro perdicis nouellæ, turdorum, & arietis: hepata etiam gallinarum, & pullorum gallinaceorum teſtes ſunt ex vſu. Conueniunt præterea amylum, oryza, panis biſcoctus, & inter fructus citonea pira, ſorbæ, meſpilla, & eorum conſeruæ. Potus ſit vinum adſtringens, ſi non adſit febris, qua præſente bibat aquam chalybeatam, vel deauratam. Vſus ciborum, & medicamentorum acrium eſt euitandus in cauſa calida, licèt Aëtius ea non deneget. Vega obſonium parat ad lientericos, iubetque gallinæ, aut capi elixi pectus minutatim ſcindere, deinde duos ouorum vitellos elixos induratos, & folia pauca petroſelini, mox ius gallinæ ſuperinfundit, & ſemen coriandri, & cinnamomum, quæ lento igne miſcentur, & inſpiſſantur. Cibus tamen impartiendus eis eſt; nam vires languorem comparant, & ſimul multam cibi quantitatem non ſuſtinent. Similiter multus potus ventri infeſtiſſimus eſſe ſolet.

*Curatio lienteriæ ab humoribus calidis.* Deinde ſi ab humoribus calidis & mordacibus ventriculum, & inteſtina irritantibus ortum ducat, priuſquam vires deficiant, ſunt euacuandi, factâ priùs (ſi occaſio ſe obtulerit) præparatione ſyrupo roſarum, myrtino, & citoneorum, vel eorum mitia ſimplici, cum aquis plantagin. & portulacæ. Mox ad expurgationem conferunt rhabarbar. in ſubſtantia, & cortices mirobalanorum citrinorum, aut eorundem decoctiones,

decoctiones, au: infuſiones in aqua bugloſſi, aut portulacæ, cum ſyrupo ex 9. infuſionibus roſarum rubearum: vel ægrum purgabis ℥.iij. ſyrupi perſici ſolut. & totidem decocti corticum mirobalanor.citrinor.& foliorum ſennæ.Purgationem ſiquidem eſſe faciendam iubet Aëtius *tetrab.3.ſerm.1.c.37.*qui docet etiam ex vomitu maximum commodum ſequi, diſtrahitur enim humor,& ad contrariam partem mouetur.Facta purgatione eis opitulatur ſemen plantag.ſiccum,tritum ac potatum, & gallinarum ventriculi excitati,& triti,potuique inſperſi, & cornu cerui vſtum tenerrimum cum modica galla ebibitum, vel lapathi ſemen tritum, vel glans quercina contuſa, & cribrata inſtar farinæ, cochlearij menſurâ,cum vino auſtero, ex Aëtio. Item quinquefolij radicis decoctum,aut rubi radicis, necnon ſalicis arboris decoctum ebibitum prodeſt,ex Tral. vel ſyrupus myrtinus,vel roſarum ſiccarum, cum cornu cerui vſti, aut corallo rubro præparato, vel diamarg. frigido,aut trochiſci de ſuccino cum aqua plantaginis.

Extrinſecùs venter roborandus eſt, ad quod valet emplaſtrum ex miloplacenta malaxata cum oleo melino, aut myrtino, quibus addes rhu obſoniorum,acaciam,& hypoſcitidem,vel vnguentum,ſeu ceratum conficies ex oleo myrtino, roſarum,& citoneorum, cum puluere rhu obſoniorum, maſtichis, roſarum, & cera,aut emplaſtrum admouebis ex foliis rubi,myrti,& lentiſci decoctis,& malaxatis cum oleis ſupradictis, additis etiam pulueribus annumeratis roſarum,myrti, maſtichis, & vtriuſque coralli.

Frictiones itidem brachiorum,& dorſi cum linteolo aſpero,& brachiorum ligaturæ humorem ad ventriculum fluentem reuellunt.

Verumtamen ſi hic morbus ab intemperie calida ſine humoris affluxu ſignis aliquibus apprehendatur,relictâ purgatione,& vomitu,eiſdem auxiliis eſt curandus. Neque admittenda eſt Peredæ doctrina *ſcholio* 37.vbi aſſerit lienteriam oriri non poſſe ab humoribus acribus, & mordacibus; oppoſitum enim tenent ferè omnes,& ad oppoſitum ipſa ratio ſuadet.

*Curatio lienteria ex humoribus frigidis.*

Sin autem frigidi humores huius mali cauſa extiterint, aër ad calidum vergat,& cibi calidi adhibeantur, quibus admiſcebis cinnamomum, galangam,cariophylos,aniſum,fœniculum,& mentham. Braſſicam bis coctam conferre aſſerunt Paulus, & Aëtius. Potus ſit vinum vetuſtius aquâ pluuiali, vel chalybeata dilutum. Deinde ſi æger ad vomitum ſit procliuis,vomitus procurandus eſt decocto raphani cum oxymelite, aut cum aqua mulſa tepidis.Humores etiam ſunt parandi ad expurgationem ſyrupis de abſinthio,de mentha,de corticibus citri, aut rhodomelle,cum pauco oxymelite. Mox ſunt expurgandi pillulis maſtichinis Fernelij,aut pillulis de hiera,vel agarico,aut hac potione.℞.agarici trochiſc.in ligatura ʒ.j.infunde in decocto Pugini, vel polypodij,& epithymi,& facta expreſſione colaturæ adde ſyrupi perſici ſolut. ℥. iij. miſce. Vti etiam poteris diacathol. vel diaphœnic. in eodem decocto,aut cum ſaccharo in morſellorum formam. Poſt purgationem aſſumat æger granum olibani fabæ magnitudine in vino nigro,aut in ſucco ſanguinariæ diſſolutum,aut peoniæ decoctum,vel ipſius peoniæ radicem ſiccam, & in puluerem redactam,& potui inſperſam, vt monet Aëtius. Theriaca etiam antiqua, ſeu mithridatum cum vino ebibita ſunt optimum auxilium,item & miua aromatica.

Exteriùs conferunt vnctiones, & emplaſtra, quæ capite ſequenti tradere decreuimus; quæ ta-A men ſi non ſufficiant, ex Aëtij conſilio vſtiones in ſupremo ventre ſunt faciendæ interuallo duorum digitorum, vlceraque diu aperta ſeruanda, quæ igne,aut cauſticis medicamentis fiant. Quod ſi ſimul venter intumeſcit, liniendus oleo camem. abſinthij, & anethi, & inſpergendus puluere cumini, rutæ, & aniſi: reliqua capite de ventriculi inflatione,& de curatione tympanitis ſcripta reperies.

*Curatio lienteria ex vlcere, & obſtructione.*

Sin autem ab vlcere ortum ducat affectio,abſtergentibus eſt vtendum,deindeque agglutinantibus, reliquaque fient, vt capite de dyſenteria annotauimus.

Tandem cæliaca fieri ſolet ab obſtructione venarum meſeraïcarum, ita vt non diſtribuatur chilus, nec deferatur ad iecur, ſed potiùs per inteſti-B na deſcendit, quo caſu remediis deobſtruentibus vtemur; ea tamen capite de iecoris obſtructione referemus.

## CAPVT XI.

### *De diarrhæa.*

*Quid ſit.*

DIarrhæam communiter alui fluxum appellant, vt conſtat ex Gal. *3.epidim.comm.2. text.36.* Suâ tamen ſtrictâ ſignificatione ſignificat eum alui fluxum,quo ſinceriores humores defluunt ſine dolore,& ſine exulceratione,vt conſtat ex Gal. *lib.de definitionibus medicis.*Itaque cum venter fluxione tentatur, & citra cruentam deiectionem humores C excernit ſine dolore vehementi,aut exulceratione, alui profluuium,ſeu diarrhæa vocitatur.

*Quæ actiones lædantur.*

Circa ſymptomata, quæ in hoc morbo fiunt, eodem modo eſt philoſophandum, ac in capite antecedenti. Læditur in primis facultatis expultricis actio, vt ex Galeno didicimus 2. *de cauſis ſympt. cap.*4.quæ deprauatè operatur, quatenus excernit quod minimè excernere debebat. Læditur etiam retentricis actio,non enim retinet,& ſic diminutè, aut abolitè operatur. Neque ſufficit dicere cum Euſtachio Rudio, non lædi facultatem inteſtinorum retentricem, quia inteſtina fibris carent, quæ ſunt inſtrumentalis facultatis, cùm conſtet, quamlibet partem viuentem quod ſibi vtile eſt retinere,ſiue fibras habeat,ſiue non. Ex harum igitur actionum læſione inſurgit tertium ſymptoma in eis, quæ excernuntur præter naturam.

*Quæ ſit pars affecta.*

Pars affecta in diarrhæa ſunt inteſtina, non tamen ſemper afficitur per propriam paſſionem, ſed D potiùs per conſenſum ad illam, delatis humoribus ex aliis partibus,qui moleſtiam ſuis qualitatibus,& quantitate inferentes, facultatem expultricem excitant ad motum, & retentricis actum diminuunt: & quamuis iſte affectus vnus eſſe videatur, & inteſtinis proprius; tamen cùm ex toto corpore,vel aliquibus partibus diuerſimodè affectis ortum habeat,ideò dicimus non eſſe vnum, ſed plures,vt ex eius cauſarum varietate notum fiet. Et licet inteſtina irritentur,aut aggrauentur, & ex irritatione,& aggrauatione ſequatur morbus,nempè continui ſolutio, à qua ſemper dimanat iſtud ſymptoma; tamen quia leuis eſt,neque curatione indigens,ideò dicimus, quod iſte morbus fit ſine exulceratione, & per hoc diſtinguitur à propriè vocata dyſenteria, in qua vlcus curationem expoſcens cum dolore,& cruciatu reperitur.

Sed quia huius ſymptomatis correctio pendet ex cognitione partis, à qua dependet affectus,

fectus, ea de re morbum partis affectæ cognoſcere docebimus.

*Signa diarrhææ ex toto corpore.*

Si igitur in toto corpore redundet humor, ex quo diarrhæa excitatur, pro cuiuſque humoris redundantis natura ſigna particulariter ſcripta reperies apud Galenum pluribus in locis, præcipuè tamen 4. *de ſanitate tuenda*, *capite* 4. & *de multitudine capite* 11. præter quæ primùm æſtimabit, quonam, qui affligitur, vſus ſit victu. Secundò, ſolituſne ſit malum ſuccum naturæ ſponte congerere. Ad hæc, an naturalis aliqua euacuatio, & conſueta illi defecerit, & ſi moderato vſus exercitio, ab illo poſteà ſe abſtinuit. Verùm ſi ex corporis colliquatione ſequatur, febris colliquans præcedit, & deiectio erit exigua, glutinoſa, opima, & graueolens: ſolet etiam fieri phthiſi præcedente, vt docet Hipp. 5. *aphoriſm. text.* 11. & 12. ob debilitatem ſcilicet facultatis retinentis.

*Signa ex capitis diſtillatione.*

Si humor à capite in inteſtina deſcendat, excrementa alui ſpumoſa videntur, vt teſtatur Hippoc. 7. *aphor. textu* 30. tamen hoc indiſtinctè dictum eſt, vt inquit Galen. *in comm.* Cùm enim humor ſpumoſus fiat ex aëris commiſtione, & agitatione, & hoc ex deſcenſu humoris in inteſtina ab aliis partibus poſſit contingere, non eſt ſignum certum capitis affecti, niſi ei alia adiungantur ſigna: quare ſi ſimul adſit capitis dolor, grauitas, ſomnus excedens, diſtillatio, vel ſurditas, aliudve quidpiam in capite, & ex alui fluxu ſuperueniente caput meliùs ſe habeat, cenſendum eſt, à capite ortum ducere, hancque ob cauſam mirus dixit Hippoc. 4. *aphor. textu* 28. Quibus bilioſæ deiectiones, ſuperueniente ſurditate ceſſant; & quibus ſurditas, ſuperuenientibus bilioſis deiectionibus ceſſat.

*Signa diarrhææ ex iecoris diſtillatione.*

A iecore ſi humor in inteſtina decumbat, excrementum, quod eiicitur, ſimul bilioſum, & chiloſum apparebit, vt oſtendit Gal. 2. *aphor. comm.* 20. Quod ſi tantùm chiloſum excernatur, id contingit ob obſtructionem venarum meſeraïcarum. Solet etiam præcedere anteacta vita otiis dedita, & cibaria craſſa, quæ lentos, & craſſos humores generant, quorum ratione percipi ſolet grauitas, & dolor circa illam partem, & iecur ab humoribus oppreſſum, & obſtructum chilum non attrahit, & ſic per infernam aluum deiicitur.

*Signa illius ex liene.*

Si verò tanti mali lien ſit origo, in illo percipitur dolor, & grauitas, & ea quæ deiiciuntur, nigra apparent, ex quorum excretione ſiniſtrum hypochondrium leuari ſolet.

*Signa diarrhææ ex dentium exitu.*

Dentium exeuntium occaſione ſolet in pueris alui profluuium euenire, & maximè cum caninos edunt dentes, vt ſcribit Hipp. 3. *aphor. textu* 25. cuius euentus cauſam eſſe alimentum, quod nec benè concoquitur, nec diſtribuitur, Galen. *in comment.* teſtatur: quod prouenire indico ex dolore gingiuarum, inquietudine, & ſomni defectu: quæ omnia coctionem interturbant.

*Signa diarrhææ ex inteſtinorum propria paſſione.*

Balbi etiam ab alui profluuio maximè capiuntur, ex eodem Hipp. 6. *aphoriſm. text.* 32. contingit enim iis, qui balbi naturâ ſunt, vt vel cerebrum humidum habeant, vel linguam, vel vtrumque, & à cerebro in linguam, & à lingua in ventrem multæ humiditates defluunt; habent enim lingua, & venter tunicam vnam communem, & facilè inter ſe communicantur, vt inſinuat Galen. *in comm.*

Quod ſi ſigna humoris vitioſi, & redundantis in toto corpore, aut aliqua parte defecerint: exiſtimare oportet ventriculum, & inteſtina eſſe partem, quæ primò afficitur.

Sæpiùs autem fit alui profluuium cùm cibus

A non probè alteratur, nec diſtribuitur, vt ſi in maiori quantitate aſſumatur, aut ordo aſſumendi peruertatur, vel cibus ſit concoctu difficilis, & prauæ naturæ, ita vt naturam ſtimulet ad expulſionem, quod ex ægri loquela manifeſtum fiet.

Signa verò humoris fluentis non adduco, cùm ex dictis, & ex ipſius humoris colore, & ſubſtantiæ modo facilè ea inueſtigabis.

Circa prognoſticum mutationes excrementorum in profluuiis alui iuuant, niſi ad mala mutatio ſit, ex Hippoc. 2. *aphor. textu* 14. Mulieri etiam vtero gerenti, ſi aluus plurimum profluat, periculum eſt ne abortiat, ex eodem 5. *aphoriſm. textu* 34.

Quod ſi præterea vniuerſim, & ſæpe deiicitur, periculum defectionis animi imminet; exitioſumque valde eſt inter omnes deiectiones, quod eiici-B tur nigrum, liuidum, opimum, aut fœtidum, vel graueolens, docente Hipp. 2. *prognoſt.* Verùm ſi talia deiiciantur qualia conueniant, & ægri facilè tolerant, ſignum eſt bonum, dicente eodem 1. *aphor. textu* 2. & 23. Sed antequam ad curationem deueniremus, explicari poterat, an alui fluxus ſymptomaticus eſſet coërcendus: quam quæſtionem pertractatam inuenies in noſtro libro de febribus.

## §. VNICVS.

### *Curatio diarrhææ.*

Alui fluxûs curatio à victus inſtitutione eſt exordienda, quæ pro diuerſitate cauſæ diuerſa C eſt inſtituenda; in hoc tamen conuenire debent, vt alimenta, & medicamenta vim adſtringentem, & roborantem nanciſcantur. Victus igitur in principio ſit in parua quantitate, & parum nutriens, & concoctu facilis, vt partes auaræ redditæ alimentum, & humores intra propria conceptacula retineant. Conferunt quidem mala citonea aſſa, & pira auſtera, & caro pulli toſta, vel ius illius aquâ chalybis factum, & panis biſcoctus in miua ſimplici citoneorum, ſi cauſa ſit calida; ſi verò frigida, in miua citoneorum cum aromatibus. Perſeuerante malo, viribuſque debilioribus exiſtentibus, parum, & ſæpe cibus eſt offerendus, vt iubet Galen. 1. *aphoriſm. comm.* 17. parum, quia virtus eſt debilis, & nequit ſimul multa conficere: ſæpe, quia multis indiget affectio. Nutriatur ergo amylo, oryza toſta, in iure caponis, arietis, aut perdicis poſteà D decocta, vel hepate gallinarum, & ouis elixis induratis. Conueniunt præterea carnes gallinarum, caponum, perdicum, turdorum, & columbarum toſtæ: quod ſi elixentur, decoquantur in aqua pluuiali, vel chalybeata, cum fruſtis malorum citoneorum, & granis mali punici, quibus addimus parum ſucci vuæ acerbæ, aut arantij in cauſa calida, in frigida verò addimus rhu obſoniorum, mentham, & cinnamomum, & loco ſalis maſtiche cibos inſpergimus. Mora immatura vtilia cenſentur, ex Galeno 2. *de aliment. facult. cap.* 11. ouum etiam in aceto coctum, & induratum alui profluuium ſiſtit, ex Galeno 11. *de ſimpl. medic. facult.* Mica panis cum aqua, & ſebo hircino lento igne ad pultis formam redacta, & ante alios cibos aſſumpta prodeſſe ſolet. At ſi ad tantam debilitatem ægri perueniant, vt fermè deglutire non poſſint, nutriantur aquâ gallinæ, arietis, perdicis, & malorum citoneorum per balneum Mariæ extractâ, quibus addes vtrumque corallum præp. & margaritas, ſuccum vuæ acerbæ, & maſtichem, vt ſimul ex eis virtus roborans extrahatur. Potus ſit in cauſa calida

calida aqua pluuialis chalybeata, aut deaurata, aut acinorum vuæ nucleis decocta,quæ omnibus ventris cum profluuio iunctis affectibus compendio conferunt, vt ait Gal. 6. *de ſimpl. medic. facult. c. de gigarta.* In cauſa verò frigida potus ſit vinum rubrum,& adſtringens,aut aqua maſtichina. In quiete ſeruetur æger, animique paſſiones euitet, ſomnoque vtatur magis quàm vigilia. Verumtamen auxiliorum adminiſtratione paulatim adſtringere debemus, ſi vires ferant; nam ſubitò detentus humor dolores capitis,phrenitidem, lethargum,ventriculi,& inteſtinorum roſiones, & ciborum corruptiones efficere ſolet, vt animaduertit Tralian. *lib.* 8. *cap.* 7. eo enim tempore cauſæ potiùs quàm ſymptomatis habenda eſt ratio. Si ergo ex toto corpore humor in ventrem confluat,priùs eſt euacuandus quam ſupprimendus,ne ex eius detentione incommoda ſuprà allata ſequantur; idémque faciendum, ſi ex aliqua parte ad ventrem deſcenderit.

*Curatio diarrhœa bilioſæ.*

Itaque ſi humores ſint bilioſi, purgabimus medicamentis, quæ præter vim ſolutiuam adſtrictione gaudeant: quod præceptum eſt obſeruandum in quouis alui fluxu à quacunque cauſa procedente. Purgatio igitur fiat hac potione. ℞. rhab. pulueriz. ʒ.j. ſyrupi perſici ſolut. ʒ.iij. aquæ portulacæ ℥.ij. ß. miſce. Quod ſi magis adſtringere cupis, rhabarb. torrefiat,aut cortices mirobalani citrini; deinde abluantur aquâ plantaginis, vel capitum roſarum,& cum dicto ſyrupo,vel ſyrupo Regio dentur in potu. At ſi iis non acquieſcit, rhabarb. & mirobal. lutei vſti, & loti conferunt cum ſyrup. myrtino, & roſarum ſiccarum, & decocto tamarind. vel aqua chalybeata, aut capitum roſarum. Interim dum hæc fiunt,aſſumere etiam oportet ea, quæ interiùs ventrem corroborant, & confirmant. In primis commendant Authores lactis vſum, ad diarrhæam præſertim bilioſam,ſi non adſit febris, vt inquit Tralianus; quod conuenit ad ignem coctum,ita vt ſemper agitetur donec ad tertiam partem redigatur. Paulus *lib.* 1. *capite* 87. inquit lac eſſe coquendum vſquedum æquabiliter craſſiuſque dulciuſque crudo euaſerit; aut lapillis ignitis, aut laminis ferreis ſuccenſis in eo extinctis optimum adhibendum paratur lac. Sic enim quod in eo tenue,& ſeroſum eſt,optimè conſumitur. Si verò quarta pars aquæ miſceatur lacti, coquaturque donec dimidia pars totius conſumatur, vtile etiam eſt, vt Traliano placuit.

*Dubium circa vſum lactis.*

Dubium tamen ſe offert ex verbis Hippoc. 5. *aphoriſm. textu* 64. vbi lac febricitantibus,& quibus in febribus acutis bilioſæ deiectiones fiunt, denegat: ergo lactis vſus eſt interdicendus.

Neque valet ſi reſpondeas, ibi Hippocratem lactis vſum prohibere in bilioſis deiectionibus ſimul cum febribus acutis, non tamen ſine febribus. Contrarium ſiquidem oſtendit Galenus *in comm.* dicens: *Neque ambobus ſimul iunctis tantummodò noxium eſt lac, ſed ſeorſum in vtroque.* His igitur paſſionibus lac plurimùm aduerſatur, atque adeò non ſolùm in febribus acutis, ſed in alui bilioſis deiectionibus cum febre,& ſine illa,lactis vſus eſt prohibendus: ad quod etiam ipſa ratio ſuadet,nam lac in ventriculo calido facilè in nidorem abit, ſicut in frigido aceſcit, vt ibi etiam Galen. oſtendit; ex quo ſequitur, quod nullo modo in his caſibus conueniat.

*Dubij ſolutio.*

Relictis aliis ſolutionibus, vt certum dicendum eſt, lactis vſum in bilioſa diarrhæa eſſe probatiſſimum,illudque commendat Gal. 10. *ſimpl. cap. de lacte*, vbi ait,lac ad acres, & mordaces fluxiones eſſe vtiliſſimum. Quare dicendum eſt,lac coctum, vel lapillis ignitis inſpiſſatum,difficiliùs,ac tardiùs corrumpi, quia ob ſuam craſſitiem, quam ex ſeri conſumptione adquirit, magis alterationi, & corruptioni reſiſtit; denſitas enim materiæ ad reſiſtendum,& operandum iuuat,vt patet in aqua, quæ ſi tenuiſſima ſit,facilè caleſcit,& refrigeratur; ſi verò craſſa videatur,tardiùs vtrumque recipit terminum: ita ſimiliter lacti accidit,quod cùm craſſius, & denſius reddatur per coctionem, minùs à calore præternaturali offenditur, neque ita facilè tranſit in nidoroſam naturam, ſicut anteà quam coctionem reciperet; quo tempore cùm tenuius ſit,minùs reſiſtit,faciléque corrumpitur. Ex his facilis eſt ad dubium reſponſio. At verò ſi lac ſemel in nidorem abit,ab eius vſu recedere erit opportunum,& aliis vti auxiliis, vt ſunt ſyrupi myrtini, roſarum ſiccarum,& citoneorum,cum aquis portulacæ,plantag. aut chalybis,& puluere cornu cerui præp. margarit. præpar.& maſtichis, quæ ſi non proſint, ad valentiora eſt deueniendum: huius cenſus ſunt trochiſci de electro, & de ſpodio,cum ſemine acetoſæ,vel de terra ſigillata. Valentius eſt myrti baccas legere,& ex eis vinum exprimere,idque decoquere, vt decima pars remaneat, eiuſque cyathum ſorbere,ex Celſo. Malum punicum etiam excauatur, exemptiſque ſeminibus, membranas, quæ inter ea fuerunt,iterum intra coniicies; tum infunde oua cruda,radiculaque miſce, & malum ſuper prunam impone,& vbi ſiccum,& induratum fuerit, quod intus eſt, extrahe, & cochleari detur infirmo, & inter coquendum illi addere potes pulueres adſtringentes, ex eodem Celſo. Ouum in aceto coctum ſiſtit alui fluxum, vt iam ſuprà diximus, ex Galeni ſententia. Saccharum roſaceum antiquum cum aqua plantag. exhibitum prodeſſe ſolet, & efficacius redditur, ſi ei admiſceantur pulueres boli armeni, vtriuſque coralli, & trochiſc. de ſuccino, ana ʒ.ß. micletæ ℥.ß. ſyrupi myrtini,& miuæ citoneorum ſine aromatibus, quod ſit ſatis, vt fiat confectio, cuius qualibet hora aſſumat æger cochlear vnum.

*Clyſterum vſus.*

Similiter huic morbo opitulantur clyſteres ex lacte chalybeato, aut in quo lapilli igniti fuerint extincti,quibus addes vitellos ouorum,& pulueres incraſſantes boli armeni,& terræ lemniæ,ac maſtichis,cum oleo roſarum,& myrti: vel fieri poſſunt ex decocto oryzæ toſtæ, & hordei torrefacti, balauſt. rhu,& roſarum,cuius decocti recipe ℔.j. olei roſati omphac. ℥.iij. vitellos ouorum n.ij. ſacchari rubri ℥.j. miſce.

*Extrinſecus quæ adhibenda.*

Extrinſecus ventrem roborabis oleo melino,roſato,omphacino, & myrtino; & ſi magis adſtringere vis, addes acaciam, hypociſtidem, rhu obſoniorum, maſtichem, & myrti puluerem, & cum cera vnguentum formabis. Hoc cataplaſma ventri admotum ventris profluuium curat. ℞. micæ panis toſtæ,& miloplacentæ,ana partes æquales, coquantur in vino rubro ad vini conſumptionem,& inter coquendum adde olei myrtini, & citoneorum,& in cauſa frigida olei maſtichis,menthæ, & abſinthij,ana ℥.j. ß. puluer. roſarum,myrti, maſtichis,& thuris, ana ʒ.j. miſce, & fiat cataplaſma. Ad idem valet emplaſtrum ſtomachicon dictum, aut quod ex æqualibus portionibus eiuſdem emplaſtri, & maſtichis fit: vel emplaſtrum diaphœnicon Alexandri,quod mirificè prodeſſe ſolet. Fotus etiam paratur ad idem ex decocto rerum adſtringentium,malicorij ſcilicet,gallarum,omphac. nucum cupreſſi, balauſt. roſarum, myrti, & ſumach, quod decoctum in cauſa frigida fieri debet in vino rubro adſtringenti, & in cauſa calida cum aqua pluuiali, & chalybeata.

*Pituita aut*

Si verò diarrhæa ſit pituitoſa,aut melancholica, eodem

*melancholia redundante.* eodem modo procedendum eſt, adhibitis ſcilicet remediis, quæ humorem euacuent, ſimulque corroborent ventriculum, & inteſtina. Purgabis igitur pituitam ſic. ℞. agarici trochiſc. ʒ.j. fiat infuſio,& expreſſio debito modo in decocto Pugini; ſyrupi ex 9. infuſ. roſarum rubearum ℥.iij.miſce: huic etiam aliquid diacatholici admiſcebis,ſi vires validæ ſint,& purgandi maior adfuerit neceſſitas: aut ſic. ℞. corticum mirobalanorum chebulorum in puluerem redactorum ʒ.j. decocti Pugini ℥.ij. ß. ſyr.perſici ſolut.℥.iij. miſce. Quod ſi adſtringendi vſus vrgeat,mirobalanorum cortices torreantur, & cum ſyrupo citoneorum,& menthæ,& decocto tormentillæ fiat potus.

Ad humorem melancholicum expurgandum conferunt mirobalani indi, qui vt & alij, ſunt præparandi, & cum decocto epithymi, & ſyrupo ſennato,aut Regio dentur in potu: vel ſic.℞. foliorum ſennæ,& epithymi, ana ʒ.j. florum borraginis,& bugloſſi, ana p.j. coquantur in aqua pluuiali, vel maſtichis, cuius decocti accipe ʒ.ij. ß. mirob. indorum ℈. ij. ſyrupi ſennati ℥.iij. miſce. Vtilis eſt etiam confectio Hamech, & elect. diaſennæ.

Inſuper enematibus ſuprà traditis vteris,ſed loco olei roſati, vel alterius frigidi iniiciatur oleum camemali,anethi, & menthæ.

Præter dicta in curatione diarrhææ bilioſæ, quamplurima adducunt Authores maximè proſicua diarrhææ tam pituitoſæ, quàm melancholicæ, quæ bilioſæ etiam prudenter adhibita, illam etiam coërcent. Micleta enim omnem ventris fluxum curat, ſiue per os ſumatur, ſiue per clyſteres iniiciatur. Mora immatura pluribus diebus ad ſolem exſiccata,deinde trita, & ebibita, aut ſic comeſta,alui fluxum,& dyſenteriam curare ſolent,ex Aëtio,magiſque aluum ſiſtit rubi morum immaturum,& eodem modo præparatum. Caſeus antiquus in aqua chalybeata infuſus per diem,& ſæpius ipſâ aquâ lotus, & quantitate vnius drachmæ aſſumptus eſt vtilis: idem facit ʒ. j. virgæ cerui in puluerem redactæ. *Clyſteri- vſus.* Coagulum hœdi alui profluuium curat, cuius tamen vſum improbat Galenus 10. *de ſimpl. medic. facult. cap. de coagulo*,eſt enim acris,& digerentis potentiæ; neque ipſe auſus fuit eo vti ad effectum adſtrictionem poſcentem, vt ibi aſſerit; quapropter etſi ab aliis Authoribus commendetur vt potens auxilium, eo non eſt vtendum. *Aſtringentia adhibenda.* Oſſa etiam humana ad læuorem puluerata, & in vino rubro ſubauſtero ſumpta, hunc morbum, & dyſenteriam curant; adſtringunt enim, & humorum fluxum compeſcunt, ex Mizaldo.

*Præceptum obſeruandum.* Hoc tamen vnum obſeruandum eſt, vt remedia quæ per os aſſumuntur, ante prandium,& non in fine ſunt aſſumenda; ſic enim ciborum, & humorum deſcenſum impediunt, alio verò modo adiuuant.

Exteriùs ventri,& dorſo è regione oppoſito admoueantur vnguenta, & emplaſtra ſuprà tradita, eiſque admiſcebimus olea calida, vt oleum abſinthij,nardi,maſtichis, & menthæ, & pulueres calidos, vt pulueres abſinthij, menthæ, maſtichis, diarrhod. Abb.aromat. roſarum, calami aromatici, & ſimilium, ex quibus cum cera vnguenta efformamus. Confert præterea emplaſtrum de baccis lauri,& id quod ex maſtiche chia in oleo abſinthij diſſoluta, & in emplaſtri formam redacta fieri poteſt,& reliqua emplaſtra ſuprà adducta. Decoctum item balauſtiarum, roſarum, gallarum, malicorij, ſumach,menthæ,abſinthij,vtriuſque ſpicæ,& maſtichis in vino rubro factum, in quo extinguatur *Pituita* lignum pini nodos habens ignitum,aut cortex pini ignita,quo foueatur venter,& dorſum.

*Reuulſoria auxilia.* Præter dicta auxilia humorem euertunt frictiones, & ligaturæ partium ſuperiorum, ſiue à toto corpore,ſiue ab alia quavis parte humor in ventriculum dilabatur; corrigendaque partium temperies, & earum morbi curandi, ne denuò in ipſis nouus coaceruetur humor.

*Venæ ſectio an conueniat.* Aliqui in hoc affectu venæ ſectionem commendant, à cuius vſu abſtinendum cenſeo; eſt enim contra Galenum 1. *de arte curatiua ad Glauc. cit.* vbi in ventris profluuio ſanguinis miſſionem prohibet, eſt enim humor, qui in diarrhæa euacuatur ſeparatus à ſanguinis conſortio, petitque per alia reuelli. Vtimur tamen vomitu,quo humor ad contrariam diſtrahitur partem,in quem finem vtuntur Authores remediis vrinam cientibus.Cucurbitulæ etiam dorſo affixæ humorem fluentem retrahunt.

At ſi deiectio chiloſa fiat obſtructis venis meſeraicis,curabitur vt dicemus capite de iecoris obſtructione,iis remediis,quæ vim aperiendi, & corroborandi habeant.

Quod ſi deiectio ſit ex colliquantium genere,vt in febribus colliquantibus conſpeximus, calorem febrilem auferre tentabimus corpus refrigerando, & attemperando, ſimulque roborantibus, & adſtringentibus fluxum ventris compeſcemus.

Sed quia iis ſedari non ſolet alui fluxus, cùm ſomnus faciat ceſſare omnes euacuationes præter ſudorem, ſomnum conciliabis iis, quæ capite de phrenitide annumerauimus.

---

## CAPVT XII.

### *De dyſenteria.*

Qvatuor ſanguinolentæ excretionis differentias annumerat Galenus 3. *de ſympt. cauſis, cap.* 2. vna quidem eſt ipſius ſanguinis, in iis,quibus artuum aliquis eſt abſciſſus, vel qui exercitationem dimiſerunt,per circuitum repetens. Altera cùm ex imbecillitate iecinoris aquoſus ſanguis deiicitur, quem vtique loturæ carnis aſſimilant, vocantque hepaticam dyſenteriam. Tertia cùm ſanguis niger,& ſplendens melancholicus excernitur. At hæ tres,vt multùm ſimul excernatur efficiunt. Ex iis prima curatur capite de ſanguinis ſputo, & per abſciſſionem cauſæ. Secunda curabitur capite de hydrope, quæ cùm à iecoris debilitate initium ſumat, tota illius curatio in iecoris roboratione, & intemperiei illius correctione conſiſtit.

*Dyſenteria quid ſit.* Tertia curatur, vt dixi capite de diarrhæa. Quarta verò quæ propriè dyſenteria appellatur, eſt deiectio cruenta, parua, & frequens,ab inteſtinorum vlcere procedens. Hæc latinè etiam dicitur inteſtinorum difficultas, aut inteſtinorum tormina, quoniam per illam difficilè excrementa excernuntur,& inteſtina dolore torquentur.

Huius morbi natura facilè per definitionis particulas explicatur; eſt enim vlcus inteſtinorum, vt Galenus *loc.citatis*,tum 6. *de locis affect.cap.*1. & 12.*methodi,cap.*7. teſtatur. Modus quo fiat, ab omnibus explicatur, præcipuè à Galen. 2. *de locis affect.cap.*5. & 6.*de locis affect. cap.*2. vbi aſſerit, humores ſua mordacitate, & acrimoniâ inteſtina corrodere, & exulcerare, ſicque quod deiicitur,eſt cruentum, & eſt ſymptoma in eis, quæ excernuntur præter naturam. Actio læſa, à qua procedit, eſt

eſt facultatis expellentis, quæ genus deprauationis patitur; actioque retentricis diminutè vel abolitè operatur, quatenus diminutè, aut abolitè retinet. Deiectio fit parua, quoniam humor, qui in inteſtinis colligitur, ſtatim irritat, & dolorem infert, & antequam in maiori quantitate coaceruetur, excitat virtutem expultricem ad ſuum motum, denuoque humor accedens iterum, atque iterum idem efficit, ex quo reſultat frequens deiectio.

*Cauſa dyſenteriæ.*

Cauſæ huius morbi quædam ſunt internæ, quædam verò externæ; internæ ſunt humores mordaces erodentes inteſtina, vt humor bilioſus, & atra bilis. Galenus etiam annumerat ſalſam pituitam, vt conſtat ex *3.lib.aphoriſm. comm.* 12. Iſti enim humores ſuâ viſciditate iuxta partem affectam detinentur, ita vt partis corroſionem faciant; ad productionem enim effectus cum paſſi reſiſtentia requiritur agentis mora iuxta paſſum, ex eodem Galeno *loco proximè citato*. Ex quo infero, humores bilioſos tenues non producere hunc affectum, quia facilè ab inteſtinis dilabuntur, neque illis adhærent, faciuntque diarrhæam.

Cauſas externas adduxit Aëtius *tetrab. 3.ſerm.*1. *cap.*43. vbi inquit hunc morbum fieri à frigore, ardore, venenatorum pharmacorum potu, & quæ iis ſimilia exiſtunt; iam verò à cruditatibus, peregrinorumque, & acrium ciborum acceptione. Pereda tamen *ſcholio* 38. non admittit, quod frigus ſit dyſenteriæ cauſa, neſcio quo ductus fundamento; nam Hipp. 2.*epidim.ſect.* 3.*textu* 4. inquit: *Atque permulta erant, quæ quibuſdam ibant, quod quis in frigore iaceret poſtratus, vt exulceret quidem frigus.* Neque valet dicere (vt ipſe aſſerit) illum librum non eſſe Hippocraticum, cum idem Hipp. aſſerat 5. *aphor. textu* 24. frigus vaſa diſrumpere: idemque teſtatur Galen. 4. *de locis affect. cap.*8. Contrahit quidem frigus partes, & cogit, ſicque eas diſrumpit, venaſque rumpendo fluxiones excitat, quæ dyſenteriam cauſare poſſunt: tum frigus poteſt eſſe cauſa veræ dyſenteriæ, quatenus comprimendo humores mordaces repellit verſus ipſa inteſtina, aut congerendo in interioribus excrementa viſcida, quæ inteſtinis adhærentia putrefiunt, & malam, ſeu mordacem qualitatem contrahere poſſunt, quæ vlceris cauſa exiſtat.

*Dyſenteriæ ſigna.*

Ex Aëtij, & Pauli verbis tres gradus dyſenteriæ aſſignari poſſunt, quorum primus eſt, cùm deiectio bilioſa eſt, & ſubpinguis, pingui nimirum, quod intrinſecus affigitur inteſtinis, & adhæret, paulatim circumliquefacto, & quibuſdam cum torminibus excretiones contingunt. Quum verò ſuperficies inteſtinorum fuerit denudata, exulceratióque ſupernè conſiſtit, fæculenta, ac cruenta, bilioſaque excernuntur, dyſenteriæ ſecundus gradus conſtituitur. Quod ſi altiùs, & profundiùs penetrarit vlceratio, & ſordes inteſtinorum pelliculas admiſtas habentes excernantur, & ſanioſa quædam, qualia ab occiſorum corporibus defluere conſueuerunt, tunc tertius dyſenteriæ gradus, & vltimus fit, & eſt ſanè acuta dyſenteria. Quæ ſi fiat à cauſa externa, vt à medicamenti expurgantis ſuperpurgatione, vel alimenti acris, alteriuſve rei aſſumptione, aliáve cauſa, ex ægri, & adſtantium relatu facilè percipies. Cùm in hoc affectu inteſtina oblæſa ſint, non parum conducit ad curationem cognoſcere, an in tenuibus, vel craſſis inteſtinis vlcus conſiſtat, quod docet cognoſcere Galenus *præcitato loco, ex 6. de locis affect.* & Paulus *lib. 3. cap.*4. Si igitur ab vlceratione cruenta ſtercori commiſta deiici cum dolore, & torſionibus ſuprà vmbilicum cernantur, vlcus tenuia inteſtina occupat. Sin autem ſincerum, & impermiſtum ſtercus deſcendat, vlcus in craſſis inteſtinis conſiſtit. Addit Aëtius, quod inteſtinis tenuibus exulceratis, bilioſa, & porri colorem habentia, atque omninò variegata ſtercori commiſta excernuntur, quibus adiungitur cibi faſtidium, animi deliquium, virium exſolutio, febris, & ſitis, nauſea, & vomitus. Item quæ per aluum procedunt, neque pinguia, neque craſſa apparent, ſed tenuia, & membranoſa, referuntque ſubſtantiam inteſtini tenuis. Tralianus etiam inquit, quod quæ ex craſſis excernuntur inteſtinis, carnoſa apparent, quoniam eorum membrana carnoſior eſt; & ſuprà ſtercus guttæ ſanguinis, & naturalis inteſtinorum pinguedo efferuntur, & dolor in illis obtuſior ſentitur, quàm in tenuibus inteſtinis. Verùm vbi deiectiones iis, quæ ab vlcere emanant, neque admodum permiſtæ, neque diſcretæ ſunt, exiſtimare oportet in mediis inteſtinis affectum conſiſtere, eodem Traliano authore.

*Præſagium.*

Grauis, & curatu difficilis eſt huiuſmodi affectio, maximè in his, de quibus ait Hipp. 7. *aphor. text.*23. A deiectione ſincera difficultas inteſtinorum malum. Et 6.*aphor.text.*43. Quicumque lienoſi à difficultate inteſtinorum capiuntur, iis ſuperueniente longâ difficultate inteſtinorum aqua inter cutem, aut læuitas inteſtinorum aduenit, & moriuntur. Et ibi *text.* 30. In longis difficultatibus inteſtinorum cibi faſtidium malum, & cum febre peius. Et 4. *aphor.text.*24. Difficultas inteſtinorum ab atra bile ſi inceperit, lethalis. At ſi à pituita ſalſa longiori tempore mordente ortum habeat, quia maximè inteſtinis adhæret, difficilis eſt curationis, vt colligi poteſt ex Galen. 3. *aphoriſm. comm.* 12.

## §. VNICVS.

### *Curatio dyſenteriæ.*

AD curationem accedentes, aër in actiuis qualitatibus ſit temperatus, & in paſſiuis ad ſiccitatem vergat, qui magis, vel minùs à moderata temperie declinabit pro cauſæ dyſenteriæ diuerſitate. Quies præcipienda ita, vt aſſerat Aëtius, quod principium curationis huius affectus à quiete, & modico cibo fiat. Somnus etiam procurandus. Cibi ſint boni ſucci, & facilis coctionis, qui adſtringendi vim aliquam habeant, & in primis diebus ſint in pauca quantitate. Carnium vſum interdicit Aëtius; dandæ tamen ſunt eis, qui diuturno malo vexantur. Cibus ergo erit, qualem pro diarrhæa capite antecedenti inſtituimus. Pultes ex lacte optimum nutrimentum præſtant, & oryza cum lacte, & amylum, & oua lacti commiſta, aut pultes ex alica, aut ouorum aſſatorum lutea cum modico aceto, ac rhoë, pauciſſimo oleo admiſto.

Fructibus parcè vtantur, pirum tamen coctum, & malum citoneum concedimus: meſpillorum, ſorbæ, piri auſteri, & mali citonei ſucci propinandi ſunt, craſsâ eorum ſubſtantiâ reiectâ, hæc enim exaſperat inteſtina: lentes in aqua priùs elixæ, deinde abiectis lentium corticibus, & aqua, ſi ipſæ rurſus elixentur in iure gallinæ, additis ſemine coriandri, & pauco ſucco arantij, aut aceto, ſunt accommodum alimentum. Omnibus tamen eduliis lac præferendum. Sed quia in principio vlcera abſterſione indigent, confert lac ab vbere mulctum, caprinum ſcilicet, quod ſua ſeroſitate magis abſtergit: quod ſi in ventriculo concreſcat, parum mellis, aut ſalis ei admiſcendum, vt docet Gal. 3.*de aliment.facult.c.*15. Eſt enim lac optimum dyſente-

*Lac optimum alimentum, & medicamentum.*

ricis

ricis remedium,vt teſtatur Gal.10.*ſimplic.c.de lacte, & lactis ſero*. Quod ſi retinendi,& agglutinandi iam vrgeat neceſſitas,tunc lac decoquendum,vt capite præcedenti diximus,& lapillos ignitos,ſeu laminas ferreas in eo extinguere conuenit; nutrit enim lac, & lenit,dolores vlcerum mitigat,& humorum fluxum cohibet. Quod ſi ei admiſceatur ſtercus caninum candidum, ſiccum, & minimè fœtidum , ſic magis exſiccat,& agglutinat vlcera.Potus ſit aqua pluuialis, quæ non ſit ex domibus plumbo intectis delapſa ; talis enim aqua ſanis etiam dyſenteriam propinat,ex Aëtio;in hac tamen aqua,aut alia, vt chalybeata,vel maſtichina, coquantur fructus adſtringentes , maximè verò vuarum acini contuſi. Quod ſi vires deiectæ fuerint , vinum adſtringens eſt tribuendum,non tamen vetuſtum.

Verùm ſi ſanguinis impetus vrgeat,aut inteſtinorum adſit inflammatio,aut æger plurimo ſanguine abundet,vel aliqua ſanguinis euacuatio ſit cohibita,vireſque permittant,vena brachij interna eſt B inſcindenda,non tamen humeraria,vt cenſet Aëtius qui timet internæ venæ ſectionem ob ſubiacentem arteriam. Pauca ſanguinis copia multo tempore emitti debet,quoniam ſic ſanguinis ad inteſtina delationem retrahit,minuſque vires labefactat; quæ adhuc ſanguinis miſſio facienda eſt diffidente etiam dyſenterico,maxima enim ex ea ſequitur vtilitas,vt pluries obſeruaui. Ad eundem finem vtemur frictionibus,& ligaturis brachiorum,& cucurbitulis ſupra dorſum.

*Sanguinis miſſio.*

Vlteriùs materiam euacuabimus iis , quæ ſimul euacuant,& adſtringunt,qualia capite de diarrhæa tradidimus,redundantéque bile illam euacuabimus rhabarbaro,& mirobalanis luteis in decocto tamarindorum,cum ſyrupo ex 9. infuſionibus roſarum rubearum. Redundante verò pituita,vtendum eſt C agarico,cui Dioſcorides *lib.3.c.1.* tribuit adſtringendi vires; confertque ad dyſenteriam. Vtimur etiam mirobalanis chebulis. Si verò ex atra bile dependeat dyſenteria , vtimur mirobalanis indis, cum decocto epithymi , foliorum ſennæ , florum borrag. & blugoſſi,cum ſyrupo ex 9. infuſionibus roſarum. Verùm ſi iis non ceſſet fluxio, magis adſtringentibus eſt vtendum,quo caſu conferunt rhabarb.toſtum,& mirobalani toſti,& abluti,vt diximus capite præcedenti.Neque admittenda eſt Rondeletij doctrina, qui horum torrefactionem damnat,eo quod medicamentum acrius redditur propter empyreuma : tum quia vis rhabarb.& mirobolan.exſoluitur vſtione. Cuius rationes facilem admittunt ſolutionem; dicimus enim acrimoniam,& calorem,quem ex vſtione compararunt,lotione auferri,& eorum vim ſolutiuam inde deperdi,reſolutis partibus ipſorum tenuioribus ; non tamen partes terreſtres ignis abſumit, in quibus vis adſtringens ſita eſt,imò ea adurimus, vt eorum virtus ſolutiua exſoluatur.

*Rhabarbari toſti vtilitas.*

Sed antequam ad alia efficaciora adſtringentia deuenias, conſiderare oportet, an inteſtina tenuia, vel craſſa,vel intermedia vlcus patiantur ; ſi enim vlcera ſint in tenuioribus inteſtinis,epota,& per os aſſumpta magis conueniunt;ſi verò ſint in inteſtinis craſſioribus , ea quæ per ſedem iniiciuntur magis proſunt;quod ſi in mediis inteſtinis vlcus perſiſtat, tam quæ per os aſſumuntur, quàm quæ per ſedem iniiciuntur,vtilia ſunt,vt oſtendit Gal.4.*meth.c.7.*

*Præceptum obſeruandum*

Tamen quia vlcus agglutinari non poteſt , niſi priùs mundificetur,conſiſtente vlcere in tenuioribus inteſtinis,aſſumendum eſt lac ab vbere mulctum primis diebus,quod poſteà coctione,vt dictum eſt, craſſius reddes,vt agglutinare poſſit;vel bibat ℥.vj. decocti hordei cum ſaccharo rubro,vel aquam mulſam ex hordei decocto,vtaturque cibis , & medica- A mentis *hoc c.*& *c.de diarrhæa* adductis.Valet etiam ad hoc ptiſanæ ſuccus,qui abſtergit,attemperat,& dolorem aufert : deinde deſiccantia ſunt ex vſu,ſiquidem vlcus vt vlcus exſiccationem deſiderat. Ad hoc conducunt etiam trochiſci de ſpodio,& de ſuccino, cum aqua plantaginis,aut portulacæ,aut puluis hic.℞. ſeminum plantag.oxalidis,roſarum, & portulacæ, ſing.℈.j.coralli rubri præp.& cornu cerui vſti,ana ʒ.j.amyli,& tragacanti ana ʒ.ß.miſce,& aſſumat æger ʒ.j. cum ſyrupo myrtino , aut citoneorum, aut cum miua ſimplici eorum. Item conſerua citoneorum, & roſarum antiqua pulueribus dictis poteſt admiſceri , & multis diebus ante prandium adhiberi. Succus etiam portulacæ ebibitus,vel ipſa portulaca cocta,& comeſta iuuant. Stercus canis album,& ſiccum lacti,aut aliis admiſtum vehementer dyſentericis prodeſt. Puluis corticis thuris epotus auxiliatur dyſentericis à pituita ſalſa, ex Aëtio. Celſus frigidæ potum commendat,cuius tamen vſum interdicimus;eſt enim frigidum vlceribus mordax.Syr.ex corallo confectus,quem Quercetanus tradit,mirifice prodeſt cuicũque aluifluxui.

*Inteſtinorum tenuium vlcerum mundificatio.*

Quod ſi inteſtina craſſa vlcus patiantur, per ſedem remedia iniici debent eiſdem facultatibus prædita. Clyſteres ergo parantur ex lacte cum ſaccharo nigro,& vitellis ouorum,vel cum decocto lupinorum,abſinthij, & hordei torrefacti,cum melle roſaceo : vel ſic.℞.decocti hordei ℔.j.ſacchari nigri ℥.ij.vitelli ouorum n.ij. miſce, & fiat clyſter, quo dolor ſedatur , intemperies calida corrigitur, vlcuſque abſtergitur. Idem præſtat inteſtinorum arietis decoctum,& eorum pinguedo,propter ſubſtantiæ ſimilitudinem.

*Craſſorum inteſtinorum vlcerum curatio.*

Ex his ad adſtringentia,& conſolidantia eſt deueniendum,quibus addere licet quæ inteſtinorum ſuperficiem tegunt , & muniunt , vt inde humor fluens facilè dilabatur,vt ſunt pinguedines,& vnguenta,& ex iis ſic parari poſſunt.℞.lentium toſtarum,& oryzæ toſtæ,ſeminis oxalidis,& florum roſarum ſiccarum,ana p.j.balauſtiorum, caudæ equinæ,& ſanguinariæ,ana m.j. fiat decoctum ex omnibus,de quo accipe ℥.x.mieletæ ℥.ß. trochiſc. de ſuccino ʒ.j.vitell. ouorum n.ij. ceræ & pinguedinis caprinæ liquefactæ,ana ʒ.iij.miſce.Vel ℞.tapſi barbati,foliorum myrti,& acetoſæ,ana m.j.ſeminis portulacæ ʒ.ij. roſarum, balauſtiorum,& ſumach, ana p.j.fiat decoctio in aqua pluuiali,vel chalybeata,de qua accipe ℥.x.ſebi hircini,& axungiæ gallinæ,ana ℥.ß.olei roſarum,& myrti,ana ℥.j.miſce,& fiat clyſter.Aut ℞.ſucci plantag.& polygonij,ana ℥.vj.olei roſarum ℥.ij.ſebi hircini ℥.ß.puluer.boli armeni,ſanguinis drac.maſtichis,& terræ ſigillatæ,ana ℈.j.miſce pro clyſtere. Quod ſi dolor nimis D infeſtauerit,theriaca recens, aut philonium clyſteribus iniiciendum eſt,aut aliis narcoticis caute inferiùs,& ſuperius iniectis eſt vtendum.

Cataplaſmata,aut irrigationes exteriùs appoſita non benè vlcera curant, vt inquit Aëtius, quare ea , neque vnguenta ſunt ventri apponenda ; quò etenim magis cutem denſaueris,magis fluxiones ad intra reuocabis. Si tamen dolor ita moleſtus ſit,vt talia remedia non poſſint prohiberi, aliquid vini, aut aceti eis ſemper admiſcebis , vt ſic eorum virtus ad inteſtina deferatur.

*Vnguenta, & emplaſtra non conueniunt.*

Porrò ſi à venenati pharmaci potione dyſenteria oriatur , vomitus ſtatim procurandus eſt,deinde de extinguentibus venenum vtemur ; in quem vſum Auenzoar vt remedium expertum laudat lapidem ſmaragd.ſupra ventrem ſuſpenſum , & in ore ſine trituratione detentum , quo ipſe fuit liberatus à dyſenteria venenoſa,vt ait *lib.2. cap.5.* Neque in hoc eſt ſequendus Aloyſius Mundella 1. *epiſtola* , vbi ſmaragdi vſum improbat, cùm ad

*Dyſenteriæ curatio ab aſſumpto veneno.*

ad varios vſus medicinæ deſeruiat,& in confectionibus cordialibus ingrediatur contra morbos peſtilentes,& malignos. Valent etiam ad hanc dyſenteriam confectio mirabilis de iacyntho,& alchermes dicta,& electuarium de gemmis,cum conſerua roſarum antiqua, & micleta, & cum lapide ſmaragdo præp.& puluere terræ ſigillatæ, & ſyrupo citoneorum, ex quibus confectio confingi poteſt, de qua ter, vel quater quolibet die aſſumat æger cochlearium vnum,vel aſſumat theriacæ ℨ.j.aut alia iuxta veneni epoti naturam.

Tandem ſi medicamenti purgantis vi ſuperueniat dyſenteria,eius acrimoniam obtundimus quatuor aut ſex vnciis aquæ calidæ epotæ, aut decocti hordei cum ſaccharo,aut mucilagine ſeminis pſillij & citoneorum in aqua hordei extracta,& cum ſaccharo bibita,& aliis remediis ſuprà enumeratis.

## CAPVT XIII.

### *De teneſmo.*

*Teneſmus quid ſit.* ISte affectus maximam cum præcedenti habet affinitatem,ita vt aliqui vtrumque vnico capite cõprehendant.Tamen quia aliqua habet peculiaria,de eo caput proprium inſtituere decreui. Eſt ergo teneſmus implacabilis deiiciendi cupiditas,quâ nihil præter pauca cruenta, & mucoſa deiiciuntur, vt conſtat ex Paulo *lib.* 3.*c.* 41.illumque appellat Gal. 6.*de locis affect.c.* 2.continuam deiiciendi cupiditatem,cuius naturam in recti inteſtini vlcere eſſe ſitã ferè omnes teſtantur,ita vt ratione partis affectæ ſolùm differat à dyſenteria, quæ reliquorum inteſtinorum eſt vlcus. Neque obſtat Peredæ ſententia *ſcholio* 39. qui cenſet tantummodò eſſe vehementem,& inanem conatum ad egerendum, nihilque aliud deduci poſſe ex verbis Gal. 7. *aphoriſmorum, comm.* 27.Hoc enim non obſtat,nam aliis locis Gal. explicuit huius affectus naturam, eamque ad vlceris ſpeciem reducit, vt conſtat *ex* 6.*de locis affect. c.* 2.*citato*, vbi ait: *Atque vlcera,quæ in recto inteſtino oriuntur,teneſmum vocant.* Quod ſi iterum afferas, ibi non loqui ex propria ſententia, vt indicant illa verba, *teneſmum vocant*; ipſe tamen idem affirmat 3.*de cauſis ſympt.c.* 2.vbi ſic: *Eſt autem ex eodem,quo iamdicta dyſenteria,genere, qui teneſmos dicitur,cùm vlcus in recto inteſtino eſt factum.* Is cætera quidem ſymptomata infert dyſenteriæ ſimilia, nixus tamen multò vehementiores. Et 1. *epidim. ſect.* 2.*comm.* 36.ait: *Teneſmi ſunt ex omni vehementi in recti inteſtini dyſenteriis exulceratione.* Vbi nullam videtur admittere differentiam inter teneſmum, & dyſenteriam,niſi tantùm ratione partis,& vehementioris cupiditatis,quæ reperitur in teneſmo ad egerendum,quàm in dyſenteria. Quod etiam patet ex cruenta deiectione,& ſanguinis guttulis,quæ in hoc affectu deiiciuntur, quæ ſine vlcere,& continui ſolutione excerni nequeunt.

*Cauſæ.* Eædem ſunt cauſæ huius affectus,& dyſenteriæ; cum hoc tamen à ſtercoris obſtructione contingit aliquando, à frigiditate tamen frequenter euenit, præſertim in pueris, qui facilè ſuper lapidem frigidum ſedent,& aëri frigido ſe exponunt;cuius affectus cauſas ex ægri relatu,& aliis coniecturâ facilè aſſequi poteris, cum ad has, & ad pituitam ſalſam,& ad humores ſeroſos,acres,& bilioſos, & ad atram bilem omnes reducantur, quas ex iis, quæ deiiciuntur,ſufficienter dignoſces.

*Signa.* Dignoſcitur iſte affectus ex iis quæ adduxit Galen. 6.*de locis iam citato*,nempe ex vehementi tenſione, & prompta deiiciendi cupiditate,paucis admodum ſequentibus excrementis, quæ quidem ab initio pituitoſa, & pinguia, & inteſtino recto adhærentia difficilè deiiciuntur; progreſſu verò temporis abraſionis etiam ſpeciem præbent: plerumque flatus erumpunt,& interdum poſt excrementa ſanguis diſtillat,vt inquit Tralianus.

Ex teneſmo ſuperueniente vtero gerentes abortire ſolent,vt inſinuat Hippocrates 7. *aphor. textu* 27.ob tenſionem enim licèt totum corpus laboret, præ cæteris tamen matrix, quæ inteſtino recto eſt cognata, vt teſtatur Gal.*in comm.* Poſt teneſmum etiam ſolet ſequi dyſenteria,vt inquiunt Paulus,& Aëtius. *Prognoſticum.*

### §. VNICVS.

### *Curatio teneſmi.*

COgnitâ huius morbi naturâ, cognitiſque illius cauſis, facilis eſt cibi, & aliarum rerum non naturalium inſtitutio, eademque ſeruari debent, vt in capite præcedenti, ita vt cibi ſint boni ſucci,& concoctu faciles, & leniter adſtringentes.

Deinde ſi à cauſa frigida externa teneſmus oriatur,calidis fomentis aufertur ſine purgantium medicamentorum adminiculo,quæ fieri poſſunt ex decocto hyſſopi,pulegij,origani,camemali,& radicis altheæ,in quo calido exiſtente ſpongia madefiat,& expreſſa pluries podici admoueatur,aut ex decocto eodem vaporem recipiat, & eaſdem herbas contuſas, & decoctas podici admoueat, vel decocto rutæ in vino facto, ter aut quater quotidie pars affecta foueatur,aut oleo rutaceo,irino, & laurino,& laudano depurato, & ſtyrace in eiſdem oleis liquefacto; aut vnguento Aragon, & Marciaton eadem pars inungenda:vel ſacculus ex floribus camemali, & furfuribus toſtis,vino albo irroratus peritoneo, & aluo applicandus eſt. Tapſus barbatus in partes diuiſus,& vino optimo decoctus,ſedique admotus, eſt optimum remedium; in quem vſum deſeruit allij caput aſſum, contuſum, & ibi calidum appoſitum. Suffitus ex thure,& colophonia eſt expertus. Aëtius *tetrab.* 3.*ſerm.* 1.*c.* 44. laudat laterem perquàm vetuſtum, & à fumo denigratum, vnà cum contentis in eo paleis tuſum,deinde feruenti aceto ſubactum,linteoloque illigatum,ac ſedi ſubditum. Clyſteres etiam ſunt iniiciendi ex decocto pulegij, chamem. meliloti, fœnugræci, & calamenti, cum oleo camem.& anethi,& melle; inſtrumentum autem,quo clyſteres iniiciuntur,ſit ad latera perforatum,vt liquor per foramina exiens, inteſtini recti omnes irriget partes.

Si verò ob fæcum retentionem teneſmus oriatur, clyſteribus emollientibus ſunt ducendæ, qui confici poſſunt ex aqua mulſa,aut ex decocto maluarum,biſmaluæ,violarum, fœnugræci,& ſeminis lini, cum oleo violaceo,& pulpa caſſiæ, vel hiera picra.

Quod ſi ab humoribus acribus excitetur, priùs eos euacuabimus vt diximus capite præcedenti;deinde vlcus abſtergendum eſt, & inteſtina abluenda, vt ibi etiam actum eſt: mox vlcus agglutinandum eſt, & dolor ſedandus etiam auxiliis ibi traditis; in quem vſum conferunt infuſiones in decocto maluarum, violarum, roſarum, plantag. altheæ, & hordei,& interiùs anus inungatur cum vnguento ex oleo roſaceo recenti,butyro, & adipe anſerino,cum modica cera ſolutis.

Cæterùm ſi pituita ſit huius morbi cauſa, illam euacuare oportebit facta priùs præparatione ex rhodomelle,ſyrupo acetoſo, & de mentha: deinde phlegmagogis medicamentis pituita eſt educenda, mox vlcus abſtergendum aquâ mulsâ per clyſteres iniectâ. Quod ſi pituita ſit ſalſa, clyſterem

rem conficimus ex decocto hordei, & maluarum, cum ſaccharo nigro, & oleo violaceo: aut conficitur ex lacte caprino, & vitellis ouorum, quibus dolor maximè ſedari ſolet. Verumtamen ſi pituita ſit ita viſcida,& tenax, vt difficilè ſeparetur, clyſteres fiant ex aqua mulſa,& melle roſaceo, aut ex decocto betæ,mercurialis,chamæm.hyſſopi,& calamenti,cum melle,aut benedicta,vel hiera picra, oleo chamæm. & rutæ. Mox adhibenda ſunt quæ diximus in curatione teneſmi a cauſa frigida.

Tandem ſi ab inflammatione initium habeat, eius carationem capite ſubſequenti adducam, ne huic capiti aliquid deficere videatur.

Sed quia iis æger non quieſcit, nec dolor ſedari ſolet,maximâ vrgente neceſſitate ad narcotica,ſeu ſtupefacientia deuenire conſulunt Authores, quapropter eo tempore vtendum eſt ſuppoſitoriis ex requie magna, aut philonio cum cera confectis, præſertim in mulieribus grauidis,in quibus abortus timetur: aut fiat hoc ſuppoſitorium. ℞. opij ℈.ij.athanaſiæ,& philonij,ana ʒ.ß.croci ℥.ij.myrrhæ ℈.ij.cum melle cocto fiat ſuppoſitorium: vel clyſteribus iniiciatur aliquid decocti iuſchiami, ſolani, aut mandragoræ, vt præcipit Aetius.

## CAPVT XIV.

### De colico dolore.

*Quare ſic dictus.* ISte affectus denominationem ſumit partim à ſymptomate, nempe à dolore; partim verò à parte affecta,quæ eſt inteſtinum colon dictum, in quo frequentiùs iſte morbus excitatur, vt oſtendit Auicen. *fen.* 16. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 6. vbi ait: *Et colica quidem ſecundum veritatem eſt nomen eius, in quo eſt cauſa.* Sed quia in aliis inteſtinis craſſis eadem cauſa perſiſtere poteſt, vt ibi Auic. demonſtrat, ideò dixi ſecundùm plurimùm in inteſtino colon excitari. Sed quâ ratione frequentiùs in inteſtino colon fiat, quàm in aliis duobus inteſtinis craſſis, videtur deduci poſſe ex eius propria ſtructura, & vſu; eſt enim anguſtus,ſinus quamplurimos habens, & quaſi cellulis plurimis conſtans,& concamerata habens inuolucra, in quibus figurantur fæces, & inæqualem intus adipem habens,vt diutiùs ineo contineantur fæces,& ex cunctatione integra fiat ſucci exſuccatio.Cùm ergo talis ſit illius ſtructura,& compoſitio, & ad retinendum maximè accommodata, quod ſemel in eo ingreſſum eſt, difficilè inuenit exitum, & hanc ob cauſam citiùs, & frequentiùs iſte dolor in hoc inteſtino inſurgit, & ab ab eo denominationem ſumit. *Quæ ratione ſit frequenter in inteſtino colon.*

Ex dictis claret, dolorem eſſe ſymptoma actionis deprauatæ ſenſus tactus, qui vt exiſtimo, ſemper ſit cum ſolutione continui, qui quidem eſt veluti ſi partes terebrà perforarentur, narrantibus ita infirmis. Sunt alij dolores per quos palus videtur infixus,qui & ipſi corpus affectum craſſum eſſe ſignificant,vt docet Gal. 2.*de locis affect. cap.* 4. eſt enim dolor punctorius membranoſæ partis ſymptoma, vt *eodem lib. cap.* 5. inſinuat Galenus; & quia inteſtina ſunt huiuſmodi, talem doloris modum patiuntur; præcipuè tamen craſſa, quæ denſioris, & craſſioris ſubſtantiæ ſunt.

*Cauſa.* Plures cauſas huius ſymptomatis adduxit Auic. nos autem magis immediatas, & quæ plerumque hunc morbum progignunt, ſolummodò trademus, quas connumerat Galenus 12. *method. cap.* 8. & Paulus *lib.* 3.*cap.* 43. ſunt autem hæ numero quatuor: craſſus ſcilicet, pituitoſuſque humor inter tunicas coli receptus: ſpiritus craſſus,ac flatulentus, non inueniens exitum: inteſtini inflammatio, aut acris,mordaxque humor; aliqui addunt fæcum retentionem,ex quibus ſigna propria tradem9.

Si humor craſſus, & frigidus dolorem excitet, ſentient ægri inteſtinum quaſi terebra perforari, dolorque grauis infeſtabit partes, quæ ſunt iuxta vmbilicum,flatuſque,& fæcum excretio cohibebitur, & tormina patientur, vomentque pituitam. Gal. 2.*de locis affect. cap.* 5. inquit illi dolorem colicum vehementem accidiſſe, ita vt illi videretur in intimo ventre terebra perforari in eo ſpatio,per quod à renibus ad veſicam vreteres extenduntur, ita vt putaret lapidem in vretere eſſe impactum, & eſſe illi dolorem nephriticum; iniectoque deinde clyſtere ex oleo rutaceo,excreuit cum ingenti dolore humorem vitreum à Praxagora appellatum; qui humor ita frigidus permanſit, vt facile quiuis tactu illum diſcernere poſſet,quod vtique admiratione dignum eſt; euincebat enim ille humor ſua frigiditate calorem interiorem partis, in qua permanebat. Inter alia ſigna Paulus conſtituit ſtercus excretum bouino ſimile, leue,& flatu plenum. Similiter ſi præceſſit frigidorum, & craſſorum ciborum continuus vſus,& otium, & tempus hiemale vel frigidum,cauſam eſſe humorem frigidum hæc omnia indicare videntur. *Signa.*

At ſi ab inflammatione ortum ducat, feruorem internum percipiunt laborantes: febris adeſt non ignaua,vrinæ,& fæcum retentio, pulſus in ventre moleſtat,ſitis,ardor,nauſea,vomitus bilis, qui nihil leuat; & inter colicas affectiones hæc eſt grauiſſima,quæ in ileum tranſitionem minatur, præceduntque ea quæ diximus pro dolore colico ab humoribus acribus, & mordacibus.

Hoc tamen vnum eſt commune cuiuis colico dolori à quacumque cauſa,videlicet quod poſt cibi, aut potus aſſumptionem dolor ſtatim adaugetur,& hora vacuitatis alleuiatur,vt inſinuat Auic. grauantur enim inteſtina ipſo alimento aſſumpto, dolorque intenſior excitatur; & quia ex alimento fæces in inteſtinis etiam generantur, ipſæ etiam inteſtinis moleſtiam inferunt. *Signum commune omni dolori colico.*

Sed quia non eſt facile cognoſcere, an dolor moleſtans ſit colicus,vel nephriticus, oportet adducere ſigna,quibus vnum ab alio ſeparetur; deceptus enim in ſeipſo fuit Gal.vt ipſe fatetur 2.*de locis cap. iam citato*,qui dum dolore colico à pituita vitrea laborabat, putauit lapidem in altero ex vreteris eſſe impactum, & ab eo renalem dolorem excitari.Et 6. *de locis affectis, cap.* 2. ait: *Sed coli vehementem dolorem ſæpe numero conſpexi, Medicis illum non ad colum, ſed ad renes pertinere putantibus, veluti quoque renum cruciatus ad colon referre videatur.* Sed ne in horum cognitione decipiamur,aliqua ex Authorum verbis, quæ difficultatem augent, altiùs ſunt perpendenda. In primis nephritici,& colici doloris reddit cognitionem difficilem Auic.*fen.* 16.*tract.* 3.*lib.* 3.*c.* 10. vbi ait: *Renalis ſit fortis horâ vacuitatis,& colicus alleuiatur in ea, & ſit fortis cùm ſumitur aliquid.* Ipſe tamen *fen.* 18.*eiuſdem libri,tr.* 1.*c.* 17.contrarium aſſerere videtur,dum ait: *Et repletio cibi facit vehementiùs excitare dolores* ( nephriticos ſcilicet ) *& propriè quando deſcendit cibus ad inteſtina.*Ex cuius primo loco deducitur,quod horâ vacuitatis ciborum renalis dolor ſit fortis,& colicus alleuiatur; ex ſecundo verò loco contrarium deducitur,nempe quod repletio cibi facit dolorem renũ fortem.Quod etiam indicare viſus eſt Hip.6.*epidim.ſect.* 1.*text.*6. dum inquit:*Renum dolor grauis cùm cibo implentur.* Si igiturdolor renum ſit grauis cùm cibus aſſumitur & ſimiliter colicus, nulla ex hoc ſigno inter illos oriturdiſtinctio:& cùm ex alio loco Auic.deducatur *Dubium ex Auicenna.*

ciborum euacuationem dolorem renalem adaugere, videtur Auic. ſibi ipſi contrariari.

Sed ne tempus in re vnica conſumamus, breuiter Auic. loca ſunt concilianda, dicimuſque vtrumque dolorem tempore repletionis ciborum adaugeri, cùm ibi ſit præſens cauſa quæ renes, & inteſtina aggrauet, & moleſtiam inferat, quâ ablatâ, non mirum ſi vterque dolor alleuietur; neque hoc negauit Auic. dum inquit, quod dolor renalis fit fortis hora vacuitatis ciborum, & excrementorum; nam licèt à cibis, & excrementis tunc temporis dolor fieri non poſſit, quia ſupponimus iam fuiſſe euacuata, eſt tamen ibi alia cauſa, quæ renalem dolorem auget, nempe ſanguis, qui ex ciborum commutatione fuit genitus in iecore, & in vniuerſum corpus diſtributus; qui etiam cum deferatur ad renes, ipſos aggrauat, & dolorem in illis maiorem excitat. Quæ doctrina habet fundamentum in verbis Galeni *6. epidim. ſect. 1. comment. 6.* vbi ait: *At dolor ex ſanguine in venis contracto proueniens, quando in renes incubuerit, etiamſi venam cæcideris, haud illicò diſcutitur.* Cùm ergo tempore euacuationis ciborum, & excrementorum à ventriculo, & inteſtinis ſanguis in renibus contrahatur, ab eo dolor grauis conſurgit, quo tempore dolor colicus remittitur ob defectum alimenti, & fæcum excretionem. Ex quibus colligitur, nullam eſſe contradictionem in verbis Auic. nam dolor renalis fit fortis horâ vacuitatis ciborum, & excrementorum à ſanguine ad renes tranſmiſſo, qui ipſos renes grauat. Fit etiam fortis horâ repletionis ciborum, quia & ipſi renes à cibis nimis grauantur, & ſic manet in totum vera Auic. doctrina. Colicus verò dolor intenſior redditur ex ciborum aſſumptione, propter aggrauationem inteſtinorum, quibus euacuatis dolor alleuiatur. Præter hoc ſignum alia adduxit Gal. *6. de locis citato.*

*Alia ſigna à Galeno adducta.*

Nauſea enim, & vomitus vrgent multò grauiores, & magis aſſidui, dolente colo, euomuntque ita laborantes pituitoſa quædam, atque corrupta, hac in re nephriticos longè ſuperantes. Sæpe etiam dolor videtur circuire, & ampliorem locum occupare; nonnunquam in diuerſis particulis vehementior fit, nephriticus verò dolor in eodem loco ſtabilis iugiter infeſtat. Et ſi dolor fuerit in loco renibus altiori, manifeſtum colicæ indicium portendit; ſi verò in vno loco vbi renes ponuntur ſit, nihil ad notitiam poteſt ſitus ipſe conferre; quapropter ſunt etiam conſiderandæ vrinæ, nam nephritici ab initio dilutas, puraſque reddunt vrinas, deinde ſequentibus diebus aliquid in illis ſubſidere videtur, & aliquando arenoſæ minguntur. Tandem colicorum cruciatus multò magis quàm nephriticorum, laxantibus clyſteribus mitigatur. Neque errorem committes, ſi in prima horum dolorum inuaſione eos difficulter diſcernas, eo quod non multùm differentibus auxiliis egent, quæ vtrumque dolorem leniunt, licèt Tralianus huic Galeni doctrinæ aduerſetur *lib. 10. c. 1.* dum ait: *Quod accuratè internoſcentes ad curationem deueniemus, ne maiorum malorum, & interdum mortis authores ſimus.* In vtroque enim affectu laxantibus clyſteribus, & anodinis in principio eſt vtendum.

*Tralian. notatur.*

## §. Vnicvs.

### *Curatio doloris colici.*

*Curatio ab humoribus frigidis.*

Si iſte affectus ab humoribus craſſis ortum ducat, in principio attenuatoria dieta eſt vtendum, vt docet Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 30.* Conuenitque victus calefaciens, & attenuans; ita tamen, vt in principio medicamenta, & alimenta non calefaciant vehementer, nam nimis calefacientibus humores funduntur, & in flatus vertuntur, vt inſinuat Paulus *lib. 3. cap. 43.* Panis itaque non ſit aridus, nec durus, neque à furno recenter extractus, benè fermentatus, cum aniſo, & fœniculo decoctus. Ex carnibus eligantur gallinæ, nouellæ perdices, turtures, columbæ iuuenes, phaſiani. Ex oleribus conueniunt aſparagus, fœniculum, apium, petroſelinum, quæ in iure carnium decocta, & non cruda aſſumenda ſunt: allium etiam comeſtum commendat Galenus *12. meth. cap. 8.* quod citra ſitim calefacit, ac flatus diſcutit. Condimenta parantur ex ſale, cinnamomo, cariophylis, croco, & origano. Olera vitanda ſunt, & quæcumque pituitam, & flatus generare ſunt apta. Potus ſit vinum album, tenue, mediocriter adſtringens, & vnius anni, aut aqua aniſi, cinnamomi, aut fœniculi.

*Clyſteres.*

Deinde curatio calefacientibus, attenuantibus, & inſcindentibus eſt perficienda, vt loco allegato Galenus oſtendit, quibus etiam dolor mitigandus, in quem vſum laudat Paulus clyſterem ex oleo communi, quo excerni ſolet pituita vitrea, & dolor ſubitò finiri: aut clyſteres iniiciantur ex oleo, in quo decoctum ſit cuminum, vel ruta, cum adipe anſerino, aut gallinaceo, aut ex decocto camemali, meliloti, fœnugræci, anethi, radicis altheæ, & rutæ, cum oleo anethino, & camemali, & axungia gallinæ. Quod ſi iis dolor non mitigetur, ad valentiora deuenire cogimur, parenturque clyſteres in hunc modum. ℞. radicis cucumeris ſilueſt. ℥.j. foliorum maluarum, biſmaluæ, mercurial. & betæ, ana m.j. rutæ, anethi, florum camemali, ſeminis lini, fœnugræci, & aniſi, ana p.j. coquantur omnia ſufficienter, cuius decocti accipe ℥.viij. olei rutæ, & camæm. ana ℥.j. ß. benedictæ, aut elect. diaphœnic. ℥.j. miſce, & fiat clyſter. Clyſterem etiam efficimus ex vino albo, in quo folia rutæ decoquantur, addito melle, vel ex decocto origani, pulegij, rutæ, meliloti, lauendulæ; & caſtorei, cum oleo anethino, & irino. Galenus cum clyſtere ex oleo rutaceo pituitam vitream excreuit, & liberatus fuit, vt de ſignis huius morbi agentes annotauimus.

*Glandes.*

Quod ſi clyſteres retinere non poſſint ægri, glandes ſex digitorum ſunt componendæ, vt monet Paulus, cum puluere hieræ, cumino, ſale, & melle toſto.

*Sacculi.*

Sacculus ex millio, aut fomentum ſiccum ex illo accommodum eſt: aut ex millio, furfuribus toſtis, camemalo, meliloto, fœnugræco, & lini ſemine vino albo irroratis paretur ſacculus, qui calidus ventri applicetur.

*Fomenta.*

Fomenta etiam conueniunt ex oleo irino, rutæ, camemali, & anethi, ſi cum aqua vitæ, & vino albo ad aquæ vitæ, & vini conſumptionem ſimul decoquantur: deinde eis foueatur venter. Anethum autem, & pulegium, ruta, & melilotum, & allia in vino elixanda, deinde oleo anethino, & camemali malaxanda, & ad emplaſtri formam redučenda, & admouenda ſunt. Vel fotus fiat ex decocto fœnugræci, ſeminis lini, aniſi, cumini, artemiſiæ, camemali, meliloti, foliorum rutæ, & lauri. Quæ omnia decoqui poſſunt in æquis portionibus vini albi, & aquæ, & poteſt fieri fotus in ventre cum ſpongia ab alto expreſſa, aut hoc decoctum in veſica ſemiplena ventri calida admoueatur.

*Purgatio.*

Sed quia iis nondum diſcutitur humor, nec dolor ſedari ſolet, illum ad expurgationem præparabimus attenuantibus, & inſcindentibus, in quem vſum præſtant rhodomel, ſyrupus de abſinthio, de duabus radicibus, capill. veneris, & hydromel. cum aquis aniſi, fœniculi, petroſelini, & cinnamomi; deinde conſulunt Paulus, & Aëtius humores hierâ expurgare. Quoſdam colicos Galenus ſanauit dato in potu medicamento ex aloë; quod idem eſt, vt ipſe teſtatur *1. de locis affectis, c. 4.* Ego autem

pluri

plurimos ſanaui pillulis de hiera, quibus poſſunt accommodari etiam pillulæ de agarico, aggregatiuæ, vel maſtichis Fernelij : vel hic potus. ℞.agarici trochiſc.in ligatura ʒ.j.fiat infuſio, & expreſſio debito modo in decocto foliorum ſennæ, epithymi, & ſeminis aniſi, cui adde catholici ʒ. iij. mellis roſati perſici ℥.iij. miſce, & fiat potus : aut aſſumat elect. diaphœnic. vel diacathol. cum ſaccharo in morſellorum forma. Altera autem die poſt purgationem ſi dolor non quieſcit,iterum vtemur remediis ſuprà traditis, & præter dicta,oportet, vt æger quolibet mane aſſumat vinum abſinthites quantitate ℥.vj.quod eſſe conuenientiſſimum auxilium Aëtius teſtatur. Caſtoreum etiam aſſiduè potatum totius affectionis apparatum demolitur: datur eius ʒ. j. in tribus cyathis aquæ mulſæ,vt etiam ipſe refert Aëtius. Propinatur etiam ei theriaca,aut diatrion pipereon,ex Paulo.Mentham viridem aliquandiu decoctam per tres dies exhibeto, & nunquam dolore afficietur, quod in ſeipſo Aëtius fuit expertus. Valent etiam ad id aqua vitæ ebibita,quæ etiam profit,ſi eâ fortiter fricetur venter, vt in quodam ægro periculum feci : aut illa confectio,quam aniſi ſpiritum vocant, vel quod elexir vitæ appellant, quæ in parua quantitate aſſumpta ventrem vehementer calfaciunt,flatus reſoluunt,& dolores à cauſa frigida mitigant. Benefacit maximè aquâ ſtillatitia cinnamomi,ex Mathiolo,quantitate ℥.j.ß.ebibita.

Præter dicta auxilia exteriùs conferunt cucurbitæ ventri admotæ, quæ in modum incantamenti dolores tollunt ex cauſa frigida,præcipuè ex flatu, vt oſtendit Galenus 12. *meth.cit.* & filum ex lixiuio cum cineribus decoctum, calidum ventri ad motum,vtile eſſe ſolet.

*Curatio colici a flatu.* A flatu ſi dolor procedat, eiſdem auxiliis curationem perficies,vt docet Galen.*loco proximè citato*,adhibitis tamen in maiori quantitate iis,quæ magis flatus diſcutiunt. Conducit prætereà quammaximè quotidiè aſſumere dianiſum, diacyminum, aut diacalaminthаm cum vino.Eſt etiam expertum remedium chamæmali decoctum, ſi intenſè calidum condonetur, & vt dixi præſentaneum remedium eſt cucurbita cum multa flamma ventri admota, quæ illicò facit ceſſare dolores à flatu, nec redire ſolent, niſi adſit humor frigidus, ex quo denuò flatus eleuentur ; quo tempore curantis conſilium ad curationem dirigetur, vt ſic materia, ex qua flatus gignuntur, è corpore pellatur.

*Curatio colici ab inflammatione.* Porrò cùm inflammatio doloris colici ſit cauſa, victus tenuis,ac febricitantibus proprius conuenit, quouſque inflammatio diſcutiatur, Paulo teſte; deinde vena cubiti interna ſecanda, vt proximè loco citato inſinuauit Galenus: mox deriuationis, & euacuationis gratiâ ex talo ſanguinem detrahes, eodem Paulo authore. Quod ſi iis dolor non ſedatur, indicat profectò, quod illud, quod contriſtat, eſt in ipſa particula impactum, tuncque lenientibus,& attemperantibus clyſteribus eſt vtendum,& cataplaſmate,vnguentis,& irrigationibus. Clyſteres componuntur in hunc modum. ℞. foliorum maluarum, altheæ, violarum, & lactucæ, ana m.j. hordei p.iij. fiat decoctum, cuius accipe ℥. x. olei violarum, & roſarum,ana ℥.ij. adipis anſeris, aut gallinæ ℥. ß. vitella ouorum n. ij. ſacchari ℥. j. ß. miſce. Vel. ℞.lactis caprini,aut aſinini ℔.j.ſacchari ℥.j.olei violarum ℥.ij.miſce, quibus adiicere poteris caſſiæ pulpam aut diaprunum ſimplicem, quæ magis emolliunt: poſtea verò ad conterendas reliquias, eis admiſcebis quæ vim reſoluendi habent, vt chamæm, fœnugræc.anethum, & ſimilia ; quo tempore conuenit clyſter ex iure galli gallinacei veteris,qui humoris reliquias conterit,& euacuat, qui ſic paratur. ℞.florum violarum,borrag.& chamæm.ana p.j.hordei mundi p.ij. ſeminis aniſi, & fœniculi,ana p.j.epithymi,agarici,& rhabarb.ana ʒ.ij. his omnibus contuſis farciatur, & conſuatur gallus gallinaceus vetuſtiſſimus ante mortem verberatus, deinde decoquatur donec oſſa à carne ſeparentur,& ex vna libra huius decocti fiat clyſter, cui addere poteris olei violarum, & chamæm. & caſſiæ pulpam,ſeu benedictam.Quod ſi clyſteribus non educatur humor,ad clementia cathartica medicamenta deueniendum, quibus humor per ventrem ſubducitur,qualia ſunt hiera Galeni,qua ipſe vſus fuit, & pulpa caſſiæ nouiter extracta, manna electa, ſyrup. perſicus ſolutiuus, & rhabarb. dilutum. Medicamenta acriter purgantia ſunt euitanda ex Traliano. Simili modo vnguenta, emplaſtra, & irrigationes ſint in principio temperata,procedente verò tempore valentiora, & magis diſcutientia ſunt exhibenda.

*Curatio colici ab humoribus bilioſis.* At ſi ab humoribus acribus,& mordacibus morbus iſte oriatur, eadem victus ratio eſt inſtituenda ac in inflammatione, vtendumque clyſteribus ad curandam inflammationem traditis,qui ſi non ſufficiant, ad purgationem animum conuertes, quæ fieri debet (vt dixi) clementibus, & benignis medicamentis. Et exteriùs admouenda cerata, & vnguenta ex oleo melino ,roſarum, violarum, chamæm.& cera,& cum eiſdem oleis,& farina hordei, & ouorum vitellis cataplaſma conficies. Cucurbitæ etiam ventri ſunt admouendæ, ex Pauli decreto.

*Curatio colici doloris ex fæcum retentione.* Quod ſi ex fæcum retentione dolor concitetur,in fæcum detractione conſiſtit ſalus, quæ emollientibus perficitur auxiliis. Victus itaque ſit humectans,vt ius carnis cum prunis decoctum,aut pruna ipſa decocta cum melle, vel borrago, vel beta elixa cum oleo, aceto, & ſaccharo condita. Item & maluarum folia eodem modo præparata. Vtatur æger clyſteribus ex decocto maluarum, biſmaluæ, violarum, ſeminis lini, & fœnugræci, ex quorum decocto accipe ℔. j. olei violarum, & amygd. dulc. ana ℥. j. pulpæ caſſiæ ℥.j. miſce pro clyſtere. Aut aſſumat pulpam caſſiam, & diacatholic. cum ſaccharo in morſellorum forma. Oportet etiam fouere ventrem oleo communi, & butyro vaccino, vel vnguento Agrippæ, deoppilatiuo, aut dialthea. Aliquæ mulieres vtuntur peluicula, aut cortice arantij per medium diſſecta, butyro plena,quæ vmbilico admota fæces liquat, ventremque emollit.

*Sæpe facientium vſus.* Sed quia dolorifica hæc affectio iis remediis non cedit multoties, ſiue ab hac, vel illa cauſa dependeat, ad narcotica, & ſtupefacientia deuenire conſulunt Authores, præſertim Galenus *loco proximè citato*; ea tamen magis conueniunt in dolore ab inflammatione, & ab humoribus acribus, & bilioſis pendente; nam præterquam quod torporem ſenſui inducunt, humorem etiam tenuem incraſſant, & refrigerant, ita vt minùs ſuis qualitatibus infeſtent. Sed quia per clyſteres iniecta minus officere poſſunt, tutius erit ea experiri per ſedem infuſa, quàm per os aſſumpta. Clyſteribus igitur refrigerantibus, & anodinis addes ʒ. ij. philonij, aut requiei magnæ, vel theriacæ recentis : vel poteſt parari clyſter ex decocto ſeminis, & radicis iuſchiami, hordei,violarum,& chamæmali, cum oleo roſarum, violarum, & ſaccharo. Si verò hæc non prodeſſe conſpiciamus, narcotica in minori quantitate per os ſunt propinanda, poterit

poterit quidem aſſumere æger ℈.ij. tripheræ magnæ, aut philonij in ℥. iij. vini albi, aut decocti chamæmali.

Præter aſſignata remedia, alia afferunt Authores, quæ amuleta, ſiue à tota ſubſtantia operantia dicuntur. Inter quæ iuuat auis alauda dicta, aſſata in cibo aſſumpta, ſiue cum plumis combuſta, ac diligenter trita, & ex ea terna cochlearia cum aqua calida per triduum propinentur: à quodam Authore commendatur.

*Alauda auis*

Galeritam autem, quam noſtrates *cuguada* appellant, elixam, & illius ius commendat Aëtius; vtrumque enim, tam caro, quàm ius, comeſta proſunt.

*Galerita auis.*

Lapis etiam viridis, qui ex Indiis adſportatur, maculis quibuſdam albis conſtans, ventri admotus, aut brachio alligatus, huic morbo ſolet eſſe proficuus.

*Lapis viridis.*

## CAPVT XV.

### *De ileo, ſeu volulo.*

QVi exactè inteſtinorum numerum, vſum, figuram, & ſubſtantiæ modum dignoſcere cupit, legat Galen. 5. *de vſu partium, cap. 3.* & *lib. de anatomia viuorum, capite de anatomia inteſtinorum.* Inter illa connumeratur inteſtinum ilion dictum, à quo iſte affectus denominationem ſumit. Dicitur ilion ab ilibus, quia ſubter vmbilicum ad ilia, & coxas vtrimque poſitum eſt, vel ab eo ilia nomen acceperunt. Eſt huiuſmodi inteſtinum confuſum, ſiue inuolutum, varias habens inuolutiones, vt moram in eis faciat maſſa chiloſa, donec ab hepate attrahatur. Dicitur prætereа hic affectus voluulus, aut chordapſon, quia inteſtinum eſt ad ſimilitudinem chordæ conuolutum, vt inquit Galen. 6. *de locis affect. cap. 2.*

Dubitatur tamen, an pars affecta ſit ſemper inteſtinum ileon? Et pars affirmatiua probatur ex Galeno 6. *aphoriſmorum, comm. 44.* vbi ait: *Quod igitur interclusa via inferioris exitus hæc paſſio fiat, quodque in tenuibus inteſtinis, non autem in craſſis, omnes ferè fatentur.* Nam iſte morbus ſumit denominationem à parte: ergo ſi in aliis etiam inteſtinis fieret, ab ipſis denominaretur, & non ab ileo tantùm.

*Quæ pars afficitur.*

Oppoſita tamen ſententia eſt verior, quæ aſſerit, hunc affectum non tantùm accidere inteſtino ileo, ſed aliis, craſſioribus ſcilicet, licèt frequentiùs ileo inteſtino ſuperueniat. Neque eſt ratio, quæ ad oppoſitum ſuadeat, & probari poteſt ex Galeno 3. *de morbis vulg. parte 2. comm. 9.* vbi ſic: *Et cùm ſit periculoſus omnis voluulus, qui in ſublimibus inteſtinis conſiſtit, at is, qui in craſſis, eſt deterior, vt qui contagio afficit iecur, & lienem.* Ex quibus verbis conſtat, hunc affectum poſſe eſſe communem tenuibus, & craſſis inteſtinis.

Neque in hoc eſt ſequendus Leonardus Iacchinus *ſuper 9. Rhaſis ad Almanſorem, capite 56.* Vbi voluulum in inteſtinis craſſis factum, appellat talem per ſimilitudinem, neſcio quo ductus fundamento: quod etiam ratione probatur. Nam ſi in inteſtino colon fiat ingens inflammatio, aut fœcum retentio, ita vt nullus pateat exitus, nec deſcenſus excrementorum, ſequuntur omnia accidentia, quæ iliacam affectionem comitantur: ergo ibi reverà dabitur talis affectio; imò ſtercoris vomitus, qui eſt ſignum huius paſſionis exitiale,

A facilius datur: nam cùm in inteſtinis craſſis ſtercus appareat ſub propria forma, ipſis obſtructis, & impeditis ſtercus ſurſum eiicitur, nullam inferne habens viam expeditam, per quam deſcendat; quo tempore motus expulſionis incipit ab inferiori parte ad ſupernas. Cùm igitur obſtrui poſſit inteſtinum colon, ob varias inuolutiones, & anguſtias, quas habet, & impediri deſcenſus excrementorum ex eius obſtructione, cogimur aſſerere iliacam paſſionem, ſeu voluulum poſſe in aliis inteſtinis generari, quamuis in ileo inteſtino frequentiùs producatur ob eius ſtructuram, & varias inuolutiones, quæ maximè adiuuant ad retentionem, & difficilem expulſionem eorum quæ valent hunc morbum procreare; & hanc ob cauſam ileus ab Authoribus vocatur iſte morbus, qui maximè acu-

*Quis morbus ſit ilion.*

B tus, & dolorificus eſt, & eſt morbus in via, aut in cauitate impedita; in tantum enim illum propria inſequuntur ſymptomata, in quantum excrementorum inferiùs non patet exitus, vt docet Galenus 6. *aphoriſmorum comment. 44.* vbi aſſerit, hanc paſſionem fieri interclusâ viâ inferioris exitus, ita vt ſit huius morbi inſeparabile ſignum, nihil ad inferiora deſcendere.

Neque euertit Galeni placitum hiſtoria mulieris, quam refert Hippocrates 3. *epidim. part. 2. textu 9.* vbi ait, quandam mulierem hoc morbo exactè peracuto fuiſſe correptam, quæ nihilominus habebat deiectiones tenues, crudas, & paucas. Facilè enim reſpondetur, eam excreuiſſe excrementa quæ erant ab inflammatione, vel obſtructione deorſum, non verò quæ ab inflammatione, vel

*Nota.*

C obſtructione ſurſum continebantur; iſta enim ob viam impeditam deſcendere erat impoſſibile, de quibus veniunt intelligendi Authores, & non de conſiſtentibus in inteſtinis craſſis, quæ facile clyſteribus, & glandibus educi poſſunt.

Eſt etiam ibi morbus in ſoluta continuitate, vt dolor in ipſa parte declarat; nam ab inflammatione, vel obſtructione ipſa pars vehementer diſtenditur, ita vt vehementes ſequantur dolores; vehementiores tamen ſunt qui in craſſi ſinteſtinis excitantur, vt inſinuat Galen. 2. *de locis affectis, capite 5.* Cuius ratio fundatur in maiori denſitate, & craſſitie inteſtinorum, quæ non ita facilè poſſunt diſtendi, ſicut tenuia, quæ raræ ſunt contexturæ, nec tantis inuolutionibus implicata, & ſic faciliùs cauſæ morbificæ viam, & exitum parant, vt oſtendit Gal. 6. *de locis affectis, cap. 2.*

D Cauſas ex Authoribus deſumptas iam tradere erit opportunum. Galen. 6. *de locis proximè citato,* duas adduxit, inflammationem, & aridi ſtercoris obſtructionem; & 6. *aphor. comm. 44.* ex aliorum ſententia addit obſtructionem ab humoribus craſſis, & tenacibus. Ego tamen dum hæc ſcriberem, ex nimia ſtudiorum ſolicitudine, & caloris ventriculi deperditione quamplurimas cruditates generaui, ex quibus in hunc morbum incidi, à quo non ſine maximo labore, & ſolicitudine, fauente Deo, liber euaſi. Ratio ergo experimento adſtipuletur, cui fauet Auic. *fen. 16. lib. 3. tract. 4. cap. 29.* vbi inquit: *Ileos accidit ex omnibus cauſis, ex quibus accidit colica.* Idemque ſentiunt Paulus, & alij; cùm enim humores craſſi obſtruere poſſint, quod nec ipſe Galenus negat, ſiquidem quamplurimos obſtructionis morbos ex hac cauſa deſignat, vt patet de apoplexia, caro, morbo comitiali, & aliis, hoc non eſt denegandum illi reſpectu huius morbi. Aëtius inter cauſas collocat veneni, aut deleterij medicamenti potum, quatenus verſùs inteſtina mouet, & agitat humores, qui

*Cauſæ*

qui obſtructionem, & inflammationem efficere ſolent, vbi ciborum corruptionem aſſiduam eſſe huius morbi cauſam refert, præſertim ſi multi, ac varij, & pingues accipiantur. Quod ſi aliæ cauſæ externæ huic morbo præſtent occaſionem, ex ægri, & adſtantium ſermone ſunt inquirendæ.

*Signa.* Signa huius affectus ſunt ſi dolor ſit ſupra vmbilicum, & non egrediatur aliquid de ſubter, & nullum fiat iuuamentum cum clyſteribus, ſintque ructus inanes, cohibitio flatus, & ructus cum murmure, & perſeuerante malo vomitus bilis, aut pituitæ, & in lethalibus fæces euomuntur, & venter ab inferioribus aliquid capit nam aliquibus aliquid clyſteris iniecti in ventrem ſubit, ita vt vomant illud; quo tempore inteſtina non trahunt, ſed recipiunt violenter ipſis inteſtinis retrudentibus id quod moleſtat; incipit enim inferne conſtringendi motus, & ea quæ in eis continentur, ſurſum feruntur, docente Galeno 3. *de cauſis ſympt. c.* 2. & 3. *de natural. bus facultatib. cap.* 13. operantur enim deprauate, peruerſo ordine naturæ, & motus expellentis virtutis non fit per conuenientem regionem. Cognoſcitur etiam admota manu circa inteſtina tenuia, durities enim tunc tactui ſuccumbit. Tandem ſi omnia ſurſum ferantur, frigiditateſque totius corporis, dolorque, & ſudor frigidus, ſpirandi difficultas, vrinæ detentio, podicis adſtrictio, & vt dixi, vomitus fæcum, & ructus fœtidi ſuperueniant, ſignum eſt lethale, ſicut ſi conuulſio, ſingultus, & deſipientia ſuccreſcant, dicente Hippoc. 7. *aphor. text.* 10. Iſte morbus ita acutus cenſetur ab Authoribus, & mortalis, vt omnes fermè, quos corripit, interficiat; quapropter à Barbaris dicitur, *miſerere mei*, vt notat Rondeletius, quia nullum efficax auxilium inuenientes, Dei auxilium, & miſericordiam implorant, quaſi à nullo alio beneficium ſe ſuſcepturos ſperent.

## §. VNICVS.

### *Curatio ilei, ſeu voluuli.*

CVra iliaci doloris colicæ curæ appropinquat, vt inſinuat Auic. *fen.* 16. *lib.* 3. *tract.* 4. *c.* 31. quia ab eiſdem proficiſcitur cauſis, vt ibi *cap.* 29. etiam ipſe tradit. Victus ergo ſit qualem in colicæ curatione diximus; varius tamen pro diuerſitate cauſæ, qui debet eſſe pauciſſimus, & facilis coctionis, ne inteſtina aggrauet, & comprimat.

*Curatio ilei ab inflammatione.* Si igitur ab inflammatione procedat, ſtatim ex omnium conſenſu ſanguis eſt mittendus ex baſilica, venæque ſectio iteranda, ſi vires ferant, ita vt Aretheus venam in cubito magna ſectione aperire iubeat, vt multus ſubitò ſanguis vſque ad animi deliquium effundatur. Deinde vtilis erit venæ ſectio ex talo, hæc enim euacuat, & deriuat humorem exiſtentem in parte inflammata, vt dixi in curatione colici doloris ab inflammatione. Interim etiam vomitus procurandus (nam omnia breuiſſimè adhibere conuenit ex Pauli decreto;) ex aqua tepida, aut decocto hordei, cum ſyrupo acetoſo, aut pauco oxymelite: quod intelligendum eſt ſi in ventriculo adſit ciborum cruditas, aut humorum redundantia; nam aliàs eo non licebit vti, ne ex illius prouocatione, quæ in inteſtinis ſunt detenta ſurſum ferantur. Mox vtendum eſt enematibus lenientibus, & refrigerantibus ex decocto maluarum, violarum, hordei, cum pulpa caſſiæ, adipe anſerino, vitellis ouorum, & oleo violarum, & aliis.

Tamen quia affectio hæc frequenter fieri ſolet in inteſtinis tenuibus, medicamenta per os ſumpta citiùs iuuant, vt diximus capite de dyſenteria; quia faciliùs ad partem affectam perueniunt; quapropter vtendum eſt lenientibus ore aſſumptis, vt ſunt manna, ſaccharum violaceum, ſyrupus ex 9. infuſionibus violarum, diaprunum ſimplex, & pulpa caſſiæ recenter extracta; eſt enim alui ductio inutilis; ſi inflammatio, aut tumor ſit ſupra vmbilicum, vt inquit Celſus; ſicut vtilis, ſi infra vmbilicum morbus exiſtat, & ſic ſolis lenientibus contenti eſſe debemus, licèt aliquid diacatholici adiicere iubeant aliqui.

*Ilei curatio ex facum retentione.* Præterea vtemur ligationibus, & frictionibus partium inferiorum. Fomenta etiam fient ex oleo roſarum, & violarum, cum modico aceto, aut apponatur emplaſtrum ex farina hordei, vitellis ouorum, oleis roſarum, violarum, & chamæmali, cum oxymelite factum. Deinde deueniendum ad clyſteres, quæ vim reſoluendi nanſciſcantur ex decocto maluarum, radicum altheæ, ſeminis lini, aniſi, chamæm. & fœnugræci, cum oleo violarum, chamæmali, & diacatholicone, & aliis capite de coli dolore adductis.

Quod ſi ex fæcibus induratis, & detentis hæc prodeat affectio, emollientibus per os aſſumptis, & per clyſteres iniectis curatio perficitur, ventremque fouebis oleis anethi, chamæm. & butyro, aut vnguento Agrippæ, & dialtheæ; vel eos ſedere præcipies in ſolio ex decocto emollienti maluarum, altheæ, mercurialis, ſeminis lini, meliloti, & fœnugræci, & per quartam horæ partem ibidem detineri. Neque dandum eſt medicamentum expurgans fæcibus adhuc duris exiſtentibus, vt aliqui autumant; nam ex humorum attractione magis inteſtina torquentur: oportet ergo priùs ea emollire, vt ſimul omnia excernantur; quod quidem benè efficies victu humectanti, & aliis capite antecedenti traditis. *Nota.*

*Ilei curatio ab humoribus frigidis.* At ſi ab humoribus craſſis, & frigidis citra inflammationem morbum hunc procedere inſpexeris, eadem curatio eſt adhibenda ac in colico dolore ab eadem cauſa dimanante. Aduertere tamen oportet, quod ab omnibus commendatur oribaſij remedium *ex lib.* 9. *ſynopſeos*, *c.* 16. nempe anethum in oleo, & aqua decoctum, ſi ipſum decoctum ebibatur: deinde fruſtra panis ex aqua ferventi ſtatim dum incaleſcit, comedant; ſeruabuntur enim (inquit) etſi iam ſuffocentur: aut rutam, & cuminum trita, & cum oxymelite epota ſumant, hæc enim diſcutiunt, & attenuant humores craſſos, eoſque diſponunt ad euacuationem, quam efficere tentabimus clyſteribus irritantibus, & euacuantibus, quos tradidimus in curatione doloris colici ab humoribus frigidis. Vtemur præterea fomentis, vnguentis, & emplaſtris, & aliis ibi deſcriptis.

Poſt clyſterum euacuantium vſum, dum hoc morbo immani oppreſſus fuiſſem, mihi profuit potus vini albi generoſi, quo acquieui, & ſomnum conciliaui; in quem vſum laudo vinum hippocraticum dictum, quod in parua quantitate mirabiliter huic morbo opitulatur. *Vtilitas vini.*

*Curatio voluuli.* Si verò ex veneno aſſumpto ortum ducat morbus, ex Auicennæ conſilio vomitus ſtatim excitandus eſt aquâ calidâ, & oleo ſeſamino, amygdal. dulcium, aut oleo communi; neque vnico vomitu ſis contentus, ſed cum dicta aqua tepida, & oleo, vel cum decocto ſeminis raphani, agarici, & turbith, & pauco oxymelite vomitum rurſus excitabis; quem etiam excitare ſolet ius pinguis carnis cum butyro ibi liquato: neque hoc caſu

timere oportet excrementorum motum ad ſuperiora; nam ſi ſtatim per vomitum venenum non deiiciatur, mortis ſine dubio erit author, quo detracto facilè morbus alleuiabitur, deinde vteris alexipharmacis.

*Curatio ex deſcenſu inteſtini in ſcrotum.* Aliam cauſam huius morbi aſſignat Aëtius, nempe deſcenſum inteſtini in ſcrotum, cuius curatio in inteſtini reductione ad ſuum locum ſita eſt; quare corpus ſupinè ſituandum eſt, & inteſtina ſenſim oleo calido manibus illitis in priſtinum locum reducenda, atque poſt, citra violentiam, ac compreſſionem vehementem, ligamento adhibito contineantur.

Præter connumerata remedia conſulunt Authores, quod ſi dolor nimis infeſtat, ad vſum narcoticorum deueniamus, præcipuè in ileo ex inflammatione; cautè tamen ea adminiſtrabis, in quorum adminiſtratione procedendum eſt ſicut diximus in curatione colici doloris. Alia etiam ſunt, quæ hunc profligant morbum à proprietate occulta, eaque ibi tradidimus, quæ hîc accommodari poſſunt. Sed quandoque obſeruaui vtilitatem ſequi aſſumptis duabus, vel tribus pillulis plumbeis, vt ſuo pondere inteſtinorum vias aperirent, & deorſum excrementa impellerent, & illis viam ad exitum pararent.

*Remedium commune ex Hippoc.* Tandem ſi dictis auxiliis non obediant morbus, iubet Hippoc. 3. *de morbis*, *cap. de voluulo*, folle fabrili in ventrem flatum immittere, à quo venter, & inteſtina diſtenduntur; deinde extracto folle clyſterem iniicere oportet, quibus huic immani, & peracuto morbo fortaſſe ſuccurres.

*Curatio ilei ex bile.* Dictum præterea eſt ex Auic. ſententia, quod iſte morbus fit ab eiſdem cauſis, à quibus fit coli dolor: & quia colicus dolor fit etiam ab humoribus bilioſis, & acribus, idem videtur dicendum de ilei dolore; tamen rarò hoc accidit, cùm ob ſui tenuitatem non obſtruat, neque impediat excrementorum deſcenſum; qua de cauſa illius curationem omitto, quæ parum diſtat à curatione colici doloris ab iſta cauſa procedentis, ibique iliaci curationem requires.

## CAPVT XVI.

### *De lumbricis inteſtinorum.*

IN lumbricorum generatione conſiderare poſſumus efficientem cauſam, & materialem, ex quarum ablatione eorum aufertur generatio. Cauſam efficientem eſſe calorem, non quomodocunque, ſed plurimum, & præter naturam, docuit expreſsè Gal. 3. *aphor. comm.* 26. qui putridam reddens materiam, ex ipſa vermes ſeu lumbricos gignit: ſunt enim ex animalium genere, quæ ex materia putrida generantur, vt ibi oſtendit Galen. & inſinuat Ariſt. 5. *de hiſtor. animal. cap.* 19. & Auic. *fen.* 16. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 1. inquit, quod vermes, & muſcæ, & quæ curſu eorum currunt, ex materiis putridis progignuntur. Cùm ergo à calore præter naturam, & extraneo putredo excitetur, conſtat ex eorum dictis ab ipſo efficienter produci. Neque expertum eſt, quod lumbrici rotundi, teretes dicti, pariant, vt cenſet Hippoc. 4. *epidim. textu* 44. neque lati inteſtinis adhærentes pariunt ſimile cucumeris ſemini, vt autumat Ariſt. loco iam citato, ſed omnes ex putredine fieri cenſemus.

*De cauſa efficienti vermium.*

Ex dictis tamen inſurgit dubium; nam vt docet Ariſt. 4. *meteor. capite* 1. putredo eſt contraria ortui naturali, ſiquidem per putredinem res potiùs corrumpuntur, quàm generentur, & omnia quæ vi non interimunt per putredinem perire neceſſe eſt præter ignem, vt eodem loco ſcriptum & ipſe reliquit; ea verò quæ generantur, per coctionem quandam fiunt: coctio autem putredini contrariatur, atque adeò impoſſibile videtur, quod per putredinem vermes producantur.

Qua in re dicendum eſt, in animalium generatione, ſiue ex ſemine, ſiue ex putredine fiant, adeſſe quandam coctionem, per quam immediatè coguntur ea, quæ putredine diſcreta, & ſeparata ſunt: quod oſtendit Ariſt. *loco proximè citato*, dicens: *Et viuentia putridis in rebus innaſcuntur, propterea quod naturalis calor, idemque diſcretus, facultatem eorum cogendorum habet, quæ excreta iam ſunt.* Ex quibus verbis colligitur, quod licèt talium generatio fiat interueniente calore putredinali, non tamen fit ab illo; nam ad generationem requiritur, quod partes materiæ ſegregatæ vniantur, & hoc facit calor naturalis; nam calor præter naturam, & extraneus omnia diſgregat, & diſſoluit. Cùm ergo animalis cuiuſvis cadauer, v.g. putreſcit, multa aninalia è vermium genere ex illius partibus putreſcentibus generantur; talis tamen generatio tribuitur calori naturali, nam vnire diſcreta, & commiſcere humidum cum ſicco, ad calorem attinet naturalem coquentem, quæ vnio, & commiſtio partium, eſt quædam coctio, & perfectio caloris natiui, quæ fit ſemotâ causâ putrefaciente; nam ipſa præſente, non poterit calor naturalis, debilis ibi remanens, vires ſuas colligere, & vnire ea quæ actu ſeparat putrefaciens calor, qui eſt intenſior quàm calor naturalis, & intrinſecus rei putreſcentis, qui à calore aëris ambientis, vel alterius rei externæ adiutus poterit quidem aliqualem coctionem perficere, & inſtrumentaliter, & diſpoſitiuè vermes, & lumbricos generare, ad quorum generationem concurrit principaliter cauſa vniuerſalis, ob defectum cauſæ principalis particularis. Sed hæc omnia longiorem ſatis poſtulabant tractationem.

*De cauſa materiali vermium.* Hæc quæſtio non procedit de omni vermium materia, ſed ſolùm de materia, ex qua in inteſtinis, & aliis animalium partibus ortum ducunt. Hippocrates 4. *epidim.* inquit, quod horum materia debet eſſe dulcis, vbi ex lacte, & ſanguine computreſcente animalia iſthæc generantur. Auicenna aſſerit, quod non eſt eorum generatio ex omni humore, ipſi enim non generantur à cholera rubra, neque nigra; & rationem reddit dicens: Quoniam vna earum eſt vehementis caliditatis, & ſiccitatis, quare non generatur ex ea vermis humidus, imò eſt contraria complexioni eius; & altera eſt frigida, & ſicca, longinqua à proportionalitate animalis. Et de ſanguine inquit, quod illum cuſtodiunt membra, neque effunditur ad inteſtina, & ſic non generatur ex eo vermis. Remanet ergo tantùm pituita, quæ quando putrefit in inteſtinis aut alia parte, eſt materia vermium, & lumbricorum. Quam ſequuntur ſententiam Capibaceus, & Euſtachius Rudius. Cùm igitur omnia amara, vt bilis; & acida, vt melancholia, vermes interficiant, non poſſunt illis pro alimento deſeruire, neque ex illis generari.

*Auic. ſententia.*

*Quid tenendum.* Sed ex horum Authorum verbis ſolùm deducimus, pituitam eſſe vermium materiam frequentiorem; non tamen negare poſſumus adeſſe aliam cauſam, ex quo poſſint etiam generari; nam non repugnat, quod fiant ex ſanguine, vt Hippocrates teſtatur *loco iam citato*; nam licèt deſeruiat ad nutritionem, & illum membra cuſtodiant, ne ad inteſtina

inteſtina deſcendat; poteſt tamen caſu quodam, & præter naturam in inteſtina diffundi, aut in aliam partem,in qua cùm putreſcat, adquirere poterit diſpoſitiones, quæ conducant ad vermium generationem,in quo nihil ſupponitur impoſſibile. Rarò etiam generantur ex bile,eo quod, vt inquit Galenus *lib.4. ſimplic. cap.20.* minimè omnium amara putreſcunt, minimeque vermes, aliaque nonnulla animalcula procreant, neque ea videmus naſci, niſi in corporibus humidis; neque amara nimis eſui ſunt apta,vt abſinthium,& allia; ſunt ſiquidem nimis ſicca, alimentum verò maiorem expoſtulat humiditatem, cùm animal omne plus minuſve ſit humidum. Præterea amara enecant vermes, & eorum generationi obſiſtunt, vt patet in lacu Paleſtinæ, quem Mare mortuum appellant,in quo ob ingentem amaritudinem, nec vermes, nec piſces, nec aliud animal producitur; & ſi piſces, vel aliud animal in eo proiiciuntur, ſtatim pereunt.

*Mare mortuum quare ſic dictum.*

Similiter idem percipimus in ſale, in quo nullum animal generatur, imò ſalſa putredinem impediunt, & conſequenter generationem eorum, quæ putredine fiunt.

Sed ex iis ſolùm probatur,ſalſa, & amara, dum ſub iis qualitatibus permanent,non eſſe materiam vermium generationi aptam; non tamen probant,quod inductis aliis diſpoſitionibus contrariis procreari non poſſint; nam licèt quodlibet non fiat ex quolibet,reſtat tamen probandum, quod ex amara, & ſalſa materia non fiant vermes; nam ſi aliqua cauſa vehemens, humectans, & putrefaciens accedat, quæ eorum ſiccitatem, amaritudinem,& aciditatem auferat,procul dubio apta redduntur ad vermium generationem. Quare verba Galeni,Pauli,& Auicennæ,& aliorum ſolùm oſtendunt, cauſam materialem frequentiorem eſſe humorem crudum, & pituitoſum; cum hoc tamen, licèt rarò, ab aliis humoribus ortum ducere poſſunt.

*Quibus in partibus generentur lumbrici,ſeu vermes.*

Fiunt frequentiùs lumbrici in inteſtinis, tanquam in partibus,in quibus magis vrget putredo: dubitant tamen,an in ventriculo generari poſſint, quod dubium ſoluit Valleſ. 4. *meteor.* vbi probat eos non poſſe naſci in ventriculo, cui aſſentit Hieron. Mercurial. *3. de morb. puerorum, cap.5.* nam dum ventriculus perfectè concoquit cibum, eos non producit,quia in perfecta coctione nulla reperitur putredo,quæ prærequiritur ad eorum generationem. Neque dum diminutè coquit; nam ex eo, quod diminuatur coctio, non ſequitur quod alimentum putrefiat, vt ex eo generentur; & dato caſu,quod cibus putreſcat,& corrumpatur, adhuc non producuntur; nam corruptio cibi terminatur in qualitatem nidoroſam,& amaram, aut in qualitatem acidam, vt capite de ventriculi cruditatibus oſtendimus; quæ quidem qualitates potiùs vermes enecant,quàm eorum generationi inſeruiant; ſiquidem acidis, & amaris vtimur ad eos interficiendos.In aliis verò partibus poſſe produci,deducitur ex aliquorum Authorum verbis. Hipp. *2. de morbis muliebrib.* non longè à fine, ſcribit lumbricos generari in vtero mulieris, idque aſſerit Conciliator *differentia 3.* Ariſt. *2. de hiſtor. animal.c.15.* inquit, vermes naſci in ceruorum capitibus, qui naſci ſolent ſub lingua, Plutarchus *8. ſympoſiacorum. cap. 9.* ait, ephœbum quendam Athenienſem lumbricum ſemel cum ſemine reieciſſe. Alexander Tral. *lib.1.cap.15.* oſtendit, in capitibus caprarum vermes generari, quos ad morbum comitialem conferre docuit Oraculum quoddam. Auic.*fen.1.lib.3. tract.2.cap.31.* curationem tradit doloris capitis à vermibus. Vega *3. methodi, ſect.7.cap.17.* inquit,quod aliqui vermes generantur in putridis vlceribus; quod & nos ſæpe vidimus. Itaque cùm obſeruatum ſit in aliis partibus ab inteſtinis diſtinctis,vermes,& lumbricos gigni, dicendum eſt, Authores aſſignaſſe inteſtina tanquam partem, in qua frequentiùs, & faciliùs gignuntur.

*De vermium differentiis.*

Tria vermium genera refert Ariſt. *5. de hiſtor. cap.15.* latum,teres ſeu longum, & quod aſcarida appellatur. Eaſdem eorum differentias tradit Galenus *3. aphoriſm.comm.26.* & *lib.introduct.*ſeu *Medicus, cap.13.* & Paulus *lib.4.cap.57.* Longi, ſeu rotundi, palmi longitudine parum maiori, vel minori, plerumque in gracilioribus conſiſtunt inteſtinis,& ventriculum ſuperiorem ſubeunt,& frequenter per os reiiciuntur, & quandoque per nares, vt Paulo viſum eſt. Plurimi ex his generantur in pueris,ob ciborum cruditatem, & repletionem,& inordinatum exercitium,ratione cuius cibus ad inteſtina ante tempus deſcendit,ibique putreſcens lumbricorum generationi redditur idoneus.

*De lato lumbrico.*

Lati lumbrici generatio rarior eſt,qui & longiſſimus eſſe ſolet, ac per tota extenditur inteſtina; pluries tamen ſemini cucurbitæ ſimiles apparent, ſed ſæpiùs longiores, ac latiores, qui ex interna inteſtinorum membrana putreſcente generantur,ſi Paulo, & Actio credimus. Ego tamen potiùs exiſtimo, ipſos generari ex craſſa pituita, quæ inteſtinorum membranæ adhæret.

*De aſcaradibus.*

Aſcarides ſunt vermes quidam parui, ſimiles iis qui in caſeo generantur,aut in quibuſdam putridis vlceribus, aut in carnibus occiſorum animalium, in quibus muſcæ fæcem depoſuerunt, quam noſtrates appellant *quereſa*,vt ait Vega. Generantur in parte extrema recti inteſtini,ex excrementis putreſcentibus, & materia viſcola ibi adhærente.

*Lumbrici excernuntur in morbis acutis, & quid ſignificant.*

Solent lumbrici longi in morbis acutis cum excrementis excerni, & quandoque per os, eunte morbo in iudicationem, quod eſſe ſignum bonum docet Hippoc. *2. prognoſtic.* ſignificat enim naturam aggredi coctionem, & humorum malitiam frænare, vt Valleſ. docet *ſuper eundem Hipp. textum.* Neque in hoc eſt ſequenda Pauli ſententia, qui aſſerit, lumbricos in morbis nunquam præbere bonam ſignificationem, niſi in declinatione, in ſtatu verò morbi malignitatem ſequi; nam lumbrici licèt requirant putredinem,vt fiant,coctione tamen quadam generantur ex pituitoſis, & crudis humoribus; coctiones verò ante morbi inclinationem inchoantur, quæ & in incremento fiunt; quæ quidem ſufficiunt ad animalculi huius generationem: nec ſcio an malignitate morbi in ſtatu fieri poſſint lumbrici, vt exiſtimat Paulus,cùm humoris malignitas eos interficere valeat. Quare morbi, in quibus multi lumbrici apparent, non ſunt valdè maligni ratione materiæ, ſed ratione ſymptomatum, quæ lumbrici efficere ſolent.

*An lumbricos exire viuos melius ſit quàm mortuos in morbis.*

Hic ſolet agitari quæſtio, an lumbricos exire viuos melius ſit, quàm ſi mortui exeant? Et vtraque pars Authores non infimæ notæ habet. Hanc quæſtionem facilè decidit Valleſius loco iam citato, vbi vtramque partem debito modo intellectam, veritatem habere dicit. Viui enim grauiora ſymptomata faciunt,anxietates ſcilicet, animi deliquia morſus oris ventriculi,conuulſiuos motus, & alia praua ſymptomata. Mortui verò morbi malignitatem oſtendunt; ſiquidem ipſa morbi malignitas eos enecat.

Sed quare dixit Hippocrates,quod ſi deſcendant lumbrici rotundi, eſt expediens, cùm expediens

etiam

etiam ſit eos eiicere per os. Facilè reſpondetur,ibi tantum Hippocratem egiſſe de eiectione per infernam aluum; quod ſi per os ſalubriter eiiciuntur,id eſt perrarum in morbis.

Sed iterum rogabis, ſi lumbricorum genus eſt triplex, cur tantùm deiectio rotundorum ſit vtilis, morbo in indicationem tendente. Reſpondetur, Hippocratem ibi agere de ſignis ex lumbricis deſumptis; ſed quia lati rariſſimè reiiciuntur, de eis mentionem non fecit,neque de aſcaridibus, qui tantùm in podice ex recrementis putridis generantur,& non ex materia morbi; quapropter ad morbi cognitionem non conducunt.

*Signa vermium.* Tempeſtiuum iam eſt de ſignis vermium ſermonem inſtituere. Teretes, ſiue rotundos lumbricos,& longos oſtendunt tuſſes ſiccæ, dentium ſtridores,narium prutitus,morſus ventriculi, & inteſtinorum; ſomno expaueſcunt, & quandoque exſurgunt, & rurſus oculos claudunt. Cibum abhorrent, præcipuè infantes,& ſæpe fames inſatiabilis eos corripit, quoniam vermes eorum alimentum capiunt, febricitant inordinatè, vertiginem, & oculorum turbationem patiuntur, & quandoque habent pulſum inordinatum,nunc intercadentem, nunc recurrentem, & ex ventriculi mordicatione, corde conſentiente, in ſyncopen, aut animi deliquium incidere ſolent,eorumque extrema refrigerantur, & ſudores frigidi eos conſequuntur,& totius corporis conſumptio, & extenuatio; quæ ſigna euenire etiam ſolent iis, qui vermibus latis abundant, quorum ſpeciem cognoſces ex vermibus, qui ſupernè, aut infernè eiiciuntur. Quod ſi pruritus in ano ſentiant ægri, vt certum tenendum eſt,aſcarides illum excitare, qui cum fæcibus deiici ſolent,& facilè cognoſcuntur.

## §. I.

### *Curatio lumbricorum.*

CVm vermes ſint toto genere præter naturam, vt docet Galenus *lib. de different. morborum*, & 14. *method.cap.* 13. ſui ablationem expoſtulant omnes, maiores tamen potiùs quàm minores, & multi magis quàm pauci,& rubri quàm albi, quia peiores cenſentur, vt ſentit Aëtius *tetrabili* 3. *ſerm.*1.*cap.* 39. ſed vt eorum cura inſtituatur,exordium ſumimus ex cibis, qui debent eſſe probi ſucci, nec craſſi: frequenter autem eos nutrire oportet, ne ob alimenti defectum lumbrici roſionem pariant eiſque cibos offerre debemus antequam exinaniantur,teſte Paulo,qui rebus acetoſis,& aceto admiſceri debent, præcipuè ſi febris adſit. Bibant vinum album aquoſum, & in febre aquam radicis oxalidis, aut chicorei: deinde eos expellere curabis; expelles autem eos, vt aſſerit Galen. *loco proximè citato*, ſi priùs enecaueris; necabis autem amaris medicamentis, viuentes namque obſiſtunt inteſtinis adhærentes; at mortui expelluntur vnà cum ſtercore,aut excernuntur ſtupefacti, aut vt ita dicam,ſemimortui,inter quos lati vehementiora medicamenta deſiderant, tanquam inteſtinis magis adhærentes, quorum, & teretum curatio priùs eſt inſtituenda, quæ duplex aſſignari poteſt; *Duplex curandi via.* vna quæ cauſam reſpiciés prohibet eorum generationem, alia quæ eos genitos enecat; vtraque tamen eiſdem auxiliis perfici ſolet. Itaque cùm eorum materia ſit craſſa,attenuantibus,& inſcindentibus, amaris, aut acetoſis eſt præparanda, quibus vti Galenus præcipit *lib. introduct. c.* 13. in quem vſum conferunt ſyrupus acetoſus,oxymel ſimplex,

A ſyrupus portulacæ,oxalidis,abſinthij, & menthæ, cum aquis portulacæ, chicorei, aut oxalidis: deinde materiam euacuabis hiera Galeni, quam plerique ſummoperè commendant, eamque euacuationem per interualla repetere licebit; deſeruit enim non ſolùm humorum expurgationi, ſed vermes enecat, & à corpore pellit. Valent ad idem pillulæ de agarico, aggregatiuæ, de hiera, de rhabarb. & maſtiche: aloes etiam alexandrinum ab omnibus commendatur. Incipere tamen oportet à leuioribus medicamentis, præcipuè in pueris,quibus frequentiùs lumbrici ſuperueniunt; deinde ad fortiora deuenire oportet.

Si igitur expurgantibus auxiliis non obediunt, *Vermes enecantia.* eos enecabimus, ad quod plura medicamenta tradunt Authores, nos autem probatiora adducemus. Ex iis quædam ſunt ſimplicia,quædam verò compoſita. Inter ſimplicia maximè conueniunt abſin-B thium,vtrumque abrotonum, naſturcium,nuclei, & folia perſicorum,myrrha, & aloës, rhabarbar, ſcabioſa,ariſtolochia, præſertim longa, matricaria herba, folia mori, inter quæ ſemen alexandrinum primum locum tenet: ſimiliter ſemen coriandri, & portulacæ,malum granatum acidum, cortex, & flos illius,ſuccus arantij,& limonum,ſuccus menthæ,& abſinthij, oxalis,& ſuccus illius,cornu cerui vſtum,cardamomum,dictamum, pulegium, & quæcunque alia acetoſa,& amara, quorum puluerum doſis eſt in infantibus ab℈.j.ad ʒ.ß.cum aqua portulacæ, graminis, vel chicorei, vel cum aqua mulſa, vel ſyrupo de abſinthio, aut de mentha, quorum quantitatem in adultioribus adaugere poteris, aſſumentque pillulas, quæ in hunc modum confici poſſunt. ℞. ſeminis alexandrini, dictami, pulegij, origani, menthæ, & gentianæ, ſing.ʒ.ß. omnia puluerizentur; farinæ lupinorum ʒ. iij. C miſce, & cum ſyrupo de abſinthio, aut decocto myxarum formentur pillulæ paruæ, quarum tres, vel quatuor deglutiat æger aliquibus diebus.

Compoſita medicamenta ſunt theriaca magna, mithridatum, ſyrupi de mentha, de abſinthio, & inter pleraque Galeni hiera, quæ non ſolùm enecat vermes,ſed eorum materiam euacuat,vt dictum eſt. Quod ſi ieiuno ventre aſſumat æger quatuor, vel quinque pillulas de hiera, & deſuper bibat aquæ mulſæ ℥.iij.facilè vermes deiiciet. Vel quotidie aſſumat ʒ.ß.pulueris cornu cerui vſti,cum ℥. ij.ſyrupi abſinthij,aut menthæ,cum decocto dictami,aliaque varia componere poteris medicamenta, cùm tibi ex dictis tradita ſit eorum ſufficiens materia.

Quod ſi iis remediis per os deglutitis vermes non eiiciantur, clyſteres iniicimus ex decocto abſinthij, pulegij, abrotani, & vtriuſque centaureæ, D cum melle; dulcedo namque mellis, vt ait Vega, ad capiendos lumbricos eſt neceſſaria, cui addere poſſumus hieram picram,aut aloëm.

Et vt lumbricos auocemus,optimum conſilium erit, bibitis rebus amaris, paulò poſt clyſteres ex rebus dulcibus, vt aqua mulſa, & lacte iniicere; nam ſi lumbrici amara ſurſum proſequantur, morientur; ſi verò fugiant, & versùs dulcia deſcendant,ad extra cum clyſteribus propellentur.

Ventri,& dorſo è regione oppoſito vnguenta,& emplaſtra admouebimus, præcipuè in pueris, qui *Exteriùs admouenda.* alia remedia ſuſtinere non poſſunt. Admoueantur ergo fel bouinum, aut arietinum, cum puluere aloës, abſinthij, aut colocynthidis: aut hoc vnguentum.℞. pulueris abſinthij,menthæ,calamenti,ſeminis ſantonici,myrrhæ,ſeminis portulacæ,& dictami,ana ʒ.ß. aloës,agarici, & colocynthidis, ana ʒ.j.olei abſinthij, menthæ, & amygd. amara-

rum,

rum, ana ℥.j.ß. ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum. Hoc emplaſtrum etiam vtile cenſetur. ℞. foliorum vtriuſque abſinthij, & arboris perſicæ, & menthæ, ſing. p.ij. coquantur, & contundantur; farinæ lupinorum ℥.iij. aloes, & colocynthidis, ana ʒ.ij. pulueris ſeminis alexandrini ʒ.j. miſce, & cum aceto, aut oxymelite fiat cataplaſma.

Tandem aſcarides curabimus iniectis clyſteribus ex decocto abſinthij, abrotani, menthæ, & aliorum, adiecto oleo abſinthij; aut eos conficimus ex muria, & abſinthij oleo. Glandes etiam componimus ex melle toſto, & hieræ puluere, aut aloe, aut fiat glans ex alumine, aut radice cucumeris aſinini oleo amygd. amarum illita. Glans ex carne porcina veteri ſalita, pinguedine deraſa, ſi podici adaptetur, atque adſtrictiori ani parti intrudatur, quam diu ligamento adhibito ſuſtineat æger, dum extrahitur, non paucos vermiculos ſecum extrahere ſolet. Oportet etiam partem ipſam fouere aliquo decocto adſtringenti, & amaro, vt ipſa pars corroboretur, & vermes interficiantur; quod quidem efficies ex cortice mali punici, rhoe, aloe, ariſtolochia, ſemine alexand. mentha, & ſimilibus. Vapor aceti, in quo melanthium ſit elixum, eos occidere ſolet, aut ſuffumigium ex melanthio, abſinthio, abrotano, & aloe. Aduertere tamen oportet, quod licet vermes omnes eiſdem curentur auxiliis, aſcarides tamen meliùs per infuſa ſuppoſita, quàm per epota, & exteriùs admota, vt ipſe ſitus partis in qua generantur, indicare videtur.

Vnum prætereà obſeruandum in omnium lumbricorum curatione, quod ſi febris ægros affligat, tunc vtantur auxiliis magis temperatis, & ad frigidum inclinantibus.

### §. II.

*Obſeruatio pro homine quodam magnum lumbricum eiiciente.*

PEruenit ad me quidam homo remedium exigens, non tamen ſciebat ſuæ afflictionis cauſam reddere; ipſe tamen erat ſine febre, & conſumptis carnibus, cutem oſſibus adhærentem habebat, fame ingenti correptus, & morſu frequenti ventriculi, & inteſtinorum afflictus: ſentiebat ſimiliter in ventriculo, & inteſtinis aliquid ſurſum, & deorſum ferri, ita vt exiſtimaret aliquod animal intra ſe habere: ſæpe in animi deliquium incidebat, & partium extremarum frigiditatem patiebatur. Interrogatus autem, an aliquando ſupernè, vel infernè eieciſſet aliquem vermem, conſtanter aſſeruit, id nunquam ſibi accidiſſe; timebat tamen (quia ſæpe in ægro dormiebat) anguem paruum per ſomnum forſan deuoraſſe, qui in corpore increſcens, eſſet horum ſymptomatum cauſa. Erat ætate iuuenis, ob maximum tamen virium languorem non poterat ſe continere, & vt ſummatim dicam, non erat potens ob eandem rationem remedia ferre.

Verumtamen ne omninò à remediis deſtitutus ille homo miſer euaderet, vt hunc ſeruaret ordinem iuſſi. Cùm vires debiles haberet, parum, & ſæpe cibari præcepi: parum, quia vires debiles nequeunt multa conficere: ſæpe, quia maximus defectus, ſeu conſumptio maximam exigit adiectionem, vt docet Galen. *libro* 1. *aphor. comm.* 17. Neque ipſe poterat inediam ferre, quia ſtatim mordicationem, ſeu moleſtiam in ventriculo ſentiebat, inſuper & motum rei moleſtantis fieri ab inteſtinis versùs os ſtomachi, ex quo conieci, vel lumbricum aliquem, vel anguem moueri ſurſum ad quærendum cibum. Sed quia res acidæ conferunt ad enecandos vermes, vt diximus anteà ex Authorum mente, iuſſi vt aceto, vel rebus acidis cibum admiſceret, biberet etiam vinum modice aqua dilutum, vt ſpiritus nouos gigneret, & extrema recuperarent calorem, quem habebant extinctum. Sed quia ſymptomata niſi per cauſæ ablationem auferri nequeunt, ei obtuli quotidie ſummo mane tres pillulas ex aloe, & abſinthio confectas, vt ſic interficerent animal illud, vel amarorem fugiens infernè exiret. Tribus diebus tranſactis à prima pillularum deuoratione, per infernam aluum eiecit lumbricum mortuum, & ſimul cum ipſo æger vitam amiſit. Erat tamen lumbricus longitudinis xx. digitorum, & rotundus, & in rotunditate æquabat magnitudini carpi manus hominis robuſti; erat ſanguine plenus, & in vaſe teſtaceo immiſſus: facta ſanguinis ex illo expreſſione reiecit à ſe pluſquam vnam ſanguinis libram cum dimidia. Ex quo euentu facile fuit colligere, omnia ſymptomata in hoc caſu connumerata ab hoc animali exordium habuiſſe, ægrumque ob alimenti defectum ad eum marcorem, & partium extremarum refrigerationem, ad animi deliquium, imò & ad ſyncopen deueniſſe, & tandem euacuatâ multâ ſanguinis copiâ, viribuſque exſolutis, ſimul reiecto animali periiſſe. In qua cauſa dignum admiratione iudico, quod ſolùm vnus generaretur lumbricus, & quod eſſet ita ingentis magnitudinis, vt dictum eſt; ad quod videndum acceſſerunt plures, & omnes admirati fuere.

## CAPVT XVII.

*De hæmorrhoïdibus.*

HÆmorrhoïdes ſignificant quemlibet ſanguinis fluxum paulatim factum: quæ differunt ab hæmorrhagia, quæ eſt ſanguinis abundans effluxio, vt docet Galen. *lib. de definitionibus medicis*; peculiariter tamen eum ſanguinis melancholici fluxum ſignificant, qui fit per venas, quæ in podicem terminantur, & iam communiter hæmorrhoïdas appellamus illarum venarum in ſede eminentiam, ſiue ſanguis fluat, ſiue non, quas dum ſanguis non fluit, cæcas vocant omnes. Itaque prima diuiſione eas diuidimus in cæcas, quæ nihil ſanguinis eiiciunt; & in non cæcas, ſeu apertas, quæ ſanguinem reddunt, ita vt eas appellet Galenus 6. *epidim. ſect.* 3. *textu* 37. ſanguifluas venas, quæ ob varias figuras, & modum diuerſa ſortiuntur nomina, eaſque diuidit Auicen. *fen.* 17. *libro* 3. *tract.* 1. *cap.* 2. in verrucales, quæ ſunt verrucis ſimiles; & in vueas, morales, & ficales, quia in colore, & figura vuis, moris, & ficubus ſimiles apparent. Rursùs quædam ſunt exteriùs apparentes, quædam verò profundæ, & occultæ, quæ intrà manent; quæ ſi non purgant, intenſiſſimum dolorem excitant, quia in tumorem attolluntur. *Hæmorrhoïdum diuiſiones.*

Sed cum in aliis partibus reperiantur venarum extremitates, quæ humore adimpleri poſſunt, & per eas euacuari, dubium inſurgit, quare potiùs ad harum extremitates confluat humor, quàm ad aliarum extrema, & terminationem. *Dubium.*

Huic dubio ſatisfacit Mercatus; inquit enim, quaſdam partes debiles ex naturæ inſtituto fuiſſe productas, vt humoribus ſuperuacuis recipiendis idoneæ eſſent: huius cenſus ſunt adenoſæ partes, quas tanquam emunctaria capitis, & viſcerum fabrefecit *Dubij ſolutio.*

brefecit natura; verùm cùm ineunte ætate, dum homo iam vtitur ſolidiori alimento,laboribuſque, ſtudiis, atque vigiliis aſſueſcit, neceſſum fuit ex ipſis plurimùm humoris melancholici generari, qui per emunctoria expurgari non poterat ob eius nimiam craſſitiem: decreuit ergo ſagaciſſima natura locum quendam conſtituere huic humori expurgando idoneum, vt à ſanguinis fæce meliùs venoſum genus ſeſe exoneraret, conſtruxitque venas,quæ ad podicem terminantur,molli quadam tunica coopertas, laxiori ſubſtantia intertextas, vt hac ratione imbecillitatem contraherent, faciliúſque humorum receptioni obedirent: & quia frequenter humorem melancholicum euacuant, ideò inquit Auicen.quod plurimùm generantur ex melancholia,& parum ex plegmate,licèt per ipſas reliqui humores etiam poſſint euacuari, aut ipſas in tumorem vertere.

*Cauſa.*

*Hebræi quare hæmorrhoïdibus ſunt parati.*

Eis maiori ex parte Hebræi afficiuntur, & ſingulis menſibus humoris melancholici fluxum patiuntur,quia timidi cùm ſint,humorem atrum, & melancholicum gignunt, & per illarum venarum extremitates excernunt. Si igitur humor defluens ad illas ſit craſſus nimis,& tranſcolationi ineptus, tunicaſque inueniat denſas ex aliqua occaſione, vt aëre frigido, vel ſeſſione in loco frigido, vel ob ſiccitatem ipſius humoris fluentis, ita vt non poſſit exire, neque inſtillare, tunc hæmorrhoïdas cæcas conſtituit. Verùm ſi humor magis tenuis ſit, & calidus, aut alicui ſeroſitati admiſtus, inueniatque tunicas, & venarum ſubſtantiam laxam,facilè quidem defluit, & inſtillat, & conſtituit hæmorrhoïdes apertas.

*Hæmorrhoïdum vtilitates.*

Sed antequam ad earum curationem deueniamus, aliqua ſunt conſideranda, ſine quorum contemplatione non benè curatio perfici poteſt. In primis ergo ſcire oportet,earum euacuationem eſſe vtilem ad plurimos morbos curandos; per illas enim ſtatutis temporibus noxij humores euacuari ſolent, quorum euacuatione meliùs ſe habet corpus. Sanant lienem induratum, vt inſinuat Galen. *6. epidim. ſect. 3. in fine*: quod ſi melancholicis, & renum vitio laborantibus hæmorrhoïdes ſuperueniant,ſignum bonum eſt; & ſi inſanientibus ſuccreſcunt, inſaniam ſoluunt, ex Hippocrat. *6. aphor.textu* 11. & *textu* 21. quam euacuationem cohibere non decet, niſi immodica ſit, vireſque deiiciat. Prætereà quibus hæmorrhoïdes ſunt conſuetæ,ſolent morbos iudicare, vt Galenus docet *3. de criſibus,cap. vltimo.* Ipſis etiam præcauemus morbos, ita vt aſſerat Hippocrates *6. epidim. ſect. 3. textu 37.* hæmorrhoïdas habentes neque pleuritide,neque pulmonia, neque phagedæna, neque inflammationibus, neque terminto, fortaſſe neque leprâ laborare. Quod ſi antiquas ſanare volueris, oportet vnam ſeruare, iuxta Hippoc. dictum *6. aphoriſmorum, textu* 12. vbi ſic: *A diuturnis ſanato hæmorrhoidibus, ſi vna non ſeruetur, periculum eſt aquam intercutem,vel tabem aduenire.* Quare prætermittenda eſt Aëtij doctrina, *qui tetrab.4. ſerm. 2. capite 5.* cenſet nullam eſſe ſeruandam, quod eſt error manifeſtus, vt indicant Gal. verba *6. epidim. ſect.3. ſuper textum 38.* vbi ait: *Illi errant qui vnam ex iis ſaltem non relinquunt, cum ſolita ſit excerni tempore longo materia fæculenta,& vitioſa per tales vias, quas omninò cohibere non erit tutum, ſed ſenſim conſuetudo mutanda, continenduſque deinde homo in debito victu, vt intemperies corrigatur; quod ſi factum fuerit, licebit etiam reliquam obſtruere.* Eritque tunc hæc curatio vltima ſanatio, ita vt Hippocrat. ſententiæ nihil ſit aduerſum: quo tempore locum non habet Aëtij obiurgatio, qui aſſerit, quod ſi vna ſeruetur, non

*Antiquas hæmorrhoïdas an licet omnino ſanare.*

A erit integra ſanatio; eas enim integrè ſanare intendit Hippoc. non tamen repentè, & affatim,ſed paulatim, ob conſuetæ euacuationis permutationem. Ex quibus deſumitur, non debere cohiberi niſi immodica,& excedens ſit euacuatio, quam reprimere expedit; alioquin vires iecinoris, & ventriculi, ac tandem vniuerſi corporis diſſoluentur; vnde euacuato ſanguine laudabiliori, floridus, & naturalis color faciei,& totius corporis deperditur, moxque facies, & pedes intumeſcunt, & fit ad aquam intercutem tranſitus,aliquandoque in mortem, vt oſtendit Galenus *de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, cap.19.*

Quod ſi hæmorrhoïdes ſint cæcæ, aut occluſæ, & humoris multitudine tumeant, inflammationemque patiantur,maximos cruciatus progignunt, ex quarum humoris,qui debebat euacuari, detenB tione ſubuenire ſolent hydrops,& tabes,delato humore ad iecur,vel pulmonem,vt inſinuat Hippoc. *6. aphor.text.12.iam citato,* quas mouere, & fluxionem euocare oportet,vt per aſſueta loca humor excernatur,qui ad hæmorrhoïdas perueniens conſtituit ſymptoma in eis,quæ excernuntur,aut retinentur præter naturam; quod ſequitur intemperiem iecoris,ſplenis,aut aliarum partium, in quibus colligitur humor, & ad hæmorrhoïdes mittitur, ibique reſultat morbus in magnitudine adaucta,qui in ſe complectitur intemperiem,& ſolutionem continui; vel reduci poteſt ad morbum cauitatis,aut obſtructionis,quatenus obſtruit viam excrementorum expulſioni dicatam.

Vlteriùs conſiderare oportet hæmorrhoïdum terminationem; nam aut ſuppurantur, aut reſolC uuntur, aut lapidis duritiem contrahunt, vel in corruptionem finiuntur: quarum terminationum reſolutio melior cenſetur, & cum minori naturæ incommodo; deinde ſuppuratio,mox in lapidis duritiem conuerſio, tandem ipſarum gangræna, & corruptio omnium eſt deterrima.

*Quibus modis terminentur.*

Signa quibus deprehenduntur,ſunt ſatis nota; cæcas tamen frequenter comitatur dolor ani, grauitas, quibus adiungi ſolent ardor & inflammatio, & ex earum colore humorem peccantem dignoſcimus.

## §. VNICVS.

### *Curatio hæmorrhoïdum.*

D SI hæmorrhoïdes immodicè fluant, & præter debitum ordinem, ita vt timor ſit futuræ hydropis,animi deliquij,vel deſtructionis caloris,eas ſiſtere opportunè debemus, & non ſubitò, ne ex earum inopinata retentione grauiora mala ſuccreſcant. Victus itaque ſit adſtringens,bonum,& paucum ſuccum continens, non melancholicum, vt ius carnium, in quo mala citonea, & pira auſtera, vel oryza ſint decocta, & pultes ex alica, & ouorum vitellis,cum modico aceto,rhoë, & ſaccharo, aut amylum,& oua lacti commiſta, aut caro pulli, vel gallinæ aſſa,& alia quæ adduximus in curatione ſputi ſanguinis,quæ hîc accommodari poſſunt. Potus ſit aqua chalybeata,maſtichina, aut deaurata, vel lentiſcina. Euitet calida,& aromatica, quæ ſuo calore vias adaperiunt. Inter animi paſſiones timor, & triſtitia ſunt fugiendæ. Abſtineat ſe ab exercitio, præſertim immoderato, & ab equitatione. Quod ſi ſanguis adhuc immodicè fluat, venam baſilicam vtriuſque brachij ſecare præcipimus, ex Galeni præcepto *lib. de ſanguinis miſſione, cap. 19.* in omni enim ſanguinis profluuio ſanguinem mittere iubet ipſe *5. methodi,cap. 3.* Præterea 1. *de arte*

*Curatio hæmorrhoïdum immodicè fluentium.*

*te curatiua ad Glauc.cap. vltimo*, admonet eſſe faciendas frictiones, & ligaturas partium ſuperiorum, in quem vſum vti etiam poſſumus cucurbitulis, & balneis calidis illarum partium. Similiter aſſumat æger ſyrupum myrtinum, citoneorum, & roſarum ſiccarum, cum aquis plantag. vel portulac.& cum trochiſcis de terra ſigillata, aut de electro. Vtile etiam eſt ſaccharum roſaceum antiquum, cum bolo armeno, aut lapis hæmatites, cum ſucco, aut aqua plantag. Prodeſt etiam hieracites lapis ſuſpenſus, ex Galeno 9. *ſimplic.* Verumtamen ſi humor ſeroſus, & bilioſus conſpicuè apparet, quod ex totius corporis colore, & humoris inſpectione venaberis, cum rhabarb. toſto, & abluto in aqua plantag. & cum ſyrupo ex 9. infuſionibus roſarum, & decocto Pugini expurgabis, vel cum ſaccharo roſaceo, & rhabarb. puluere admiſtis.

Exteriùs ano admouebis emplaſtrum Galeni, *ex 5. methodi, cap. 4.* quod miro modo ſanguinem ſiſtit, quod recipit thuris partem, aloës partem ſemiſſem; miſceantur cum candido oui ad mellis ſpiſſitudinem, quibus adde pillorum molliſſimorum leporis, quod ſufficiat, & fiat emplaſtrum, & parti applicetur faſciis ſuprà poſitis; aut emplaſtrum ex thure, bolo armeno, ſanguine draconis, & albumine oui, aut ex farina volatili, araneorum tela, albumine, & gypſo, cum oui albumine commiſtis: vel fiat fomentum ex decocto roſarum, balauſtiorum, myrti, ſumach, malicorij, & aluminis, quo foueatur pars.

Quod ſi nec iis profluuium cedere videatur, ad valentiora deueniendum eſſe ipſa ſuadet vrgentia; & licèt antiqui hamulis ipſas hæmorrhoïdes diſtendant, funiculiſque ligent, & rurſus diſtentas excidant, deinde ipſas igne actuali, aut cauſticis vrant; mihi tamen diſplicet talis curandi modus ob ingentes dolores, qui ex tali curatione excitantur, quos ægri non poſſunt ſuſtinere. Tutius ergo erit ſiccantibus auxiliis curationem perficere, qualia ſunt puluis radicis caulis torrefactæ, ſtercus caninum, fæx vini arida, & vſta, cum aliqua portione vitrioli, aut æris vſti, ex quibus quodlibet per ſe valenter deſiccat, & hæmorrhoïdes abſumit, & ex illis cum oleo roſaceo, & oui albumine poteſt confici vnguentum. Idem efficit ſandaraca, aut auripigmentum in lixiuio diſſoluta, aut ſublimatum. Oportet tamen, vt aſſerit Ludouic. Mercat. priùs vino calido partem madefacere, moxque remedia apponere. Similiter ſi vis, eas ligate poteris, ſiccatique ſines, aut vres: ligantur benè filo facto ex interiori cortice nucis arboris.

*Curatio hæmorrhoïdum non fluentiū.* Verùm ſi ſanguis hæmorrhoïdalis, qui alioquin ordinatè, & cum naturæ commodo ſolitus ſit fluere, omninò ſupprimatur, aut parciùs fluat, neque præcedat aliqua euacuatio, quàm per aliam regionem ſit molita natura, vt aliquando mulieribus accidit, quibus menſtruæ purgationes fluentes hæmorrhoïdibus ſuppreſſis præſidio ſunt, & defectus vnius euacuationis aliâ ſuppleri ſolet, vt docet Galen. 5. *aphor. comm.* 33. cùm in nullo iſtorum referri poſſit hæc hæmorrhoïdum fluentium ſuppreſſio, curandum eſt omni arte, vt illis apertis ſolitus fluxus reuocetur. Aperiuntur frictione ex aliqua re aſpera, vt folio borraginis, ficus, aut cucumeris agreſtis, aut aſpero linteo. Aëtius commendat frictionem ex viridibus foliis perdicij herbæ, quam parietariam appellant, aut mercurialem tritam, in forma glandis immiſſam. Poſteà verò in ſeſſione aquæ calidæ, vel decocti maluarum, biſmaluæ, mercurialis, parietariæ, fœnugræci, & ſimilium ſanguinem attenuabis, & cutem laxa-

A bis, donec ſanguinis ſufficientem quantitatem extraxeris. Quod ſi iis mitioribus ſanguis non fluat, medicamentis acrioribus rem aggredi oportet, vt ſucco cepæ, vel ciclaminis, aut felle tauri, aut porci.

Sed quia ob horum mordacitatem dolores maximi exacerbantur, quos haudquaquam ferre queunt ægrotantes, ideò oportet, vt inſtrumento acuto, & ſubtili aperiantur, aut ſanguiſuga arundine includatur, ita vt tantùm caput exerat, & hæmorrhoïdi aperiendæ applicetur. Sed quia ſanguiſugæ facilè ſanguine replentur, earum caudas abſcindere iube; ſic enim magis, ac magis ſanguinem ſugunt: decet tamen debitâ minorem quantitatem extrahere, quia poſt ſanguiſugarum ſemotionem adhuc ſanguinem manare videbis. Sint autem ſanguiſugæ per diem antè captæ, & pauco ſanguine alitæ, ſed interim in aqua dulci, & pura ſeruentur; earum dorſa viridia ſint, & ventres rubeant; non ſint nigræ, nec lanuginem habeant, capiantur ex fluentibus, & mundis aquis. Pars cui applicantur, ſit munda, & ſine fœtore; nam aliàs parti non adhærebunt: abluatur verò pars vino calido, cui ſi non adhæreſcunt, eam ſanguine pulli, aut columbino illine. Poſtea verò cùm opus fuerit, ipſas ſemouebis ſale inſperſo, aut cinere; & ne virus ibidem relinquatur, cucurbitæ appoſitione extrahitur. At ſi poſt earum ſemotionem immodicè ſanguis fluat, remediis ſuprà traditis illum ſiſtes, aut puluis roſæ, aut gallæ combuſtæ parti accommodetur. Sanguiſugis vti præcipit Galen. libro illi attributo *de dinamidiis.* *Sanguiſugarum vſus, & eiectio.*

B

Iuuat etiam ad earum motionem venæ ſectio ex ſaphœna, vt ex Galeno conſtat *libro ſpurio de anatomia viuor.* & *de ſanguinis miſſione, capite* 19. Conferunt etiam ligationes, & frictiones partium inferiorum, & cucurbitæ, crurumque ſcarificationes, vt docet ipſe etiam *libello de ſcarificat. capite* 18.

C

Quod ſi hæmorrhoïdes ſint occultæ, & non apparentes, maximo ægrotantium conatu eas ad extra propelles, aut cucurbitulâ ad extrà reuocentur, eiſdemque auxilia attrahentia, & emollientia adhibebis, qualia tradidimus. *Hæmorrhoïdum occultarum curatio.*

Sed quia hæmorrhoïdes inflammari ſolent, maximoſque excitare dolores, curari debent, vt aliarum partium inflammationes, victu refrigeranti, & ſanguinis miſſione ex brachiorum venis, reuulſionis gratiâ: deinde ſanguinem ex talo extrahere perutile eſt deriuationis, & euacuationis causâ. Mox repellentibus vteris, vt aqua roſarum, portulacæ, & plantag. & oui albumine, cum oleo roſaceo. Repellunt etiam, & dolorem mitigant mica panis cum lacte elixa & malaxata, aut farina hordei cum eodem lacte deinde applicata: aut hoc medicamentum. ℞. olei roſacei ℥. iij. tragacanti ʒ. j. ceruſſæ ℥. ß. album. oui n. j. ceræ parum, miſce. Quod ſi iis dolor non ſedetur, eis admiſcebis theriacæ recentis, aut philonij ʒ. j. aut eiſdem partem illines, vel hoc, quod recipit olei roſac. ℥. j. croci ℈. v. opij ℈. iij. Aut olei roſacei ℥. j lutei oui n. j. opij ℈. iiij. miſce. Valent etiam vnguentum roſarum, & refrigerans Galeni, aut albumen oui cum lacte muliebri, vel capræ, aut vnguentum populeon dictum, vel hoc vnguentum. ℞. butyri recentis ℥. ij. olei lumbric. & violarum, ana ℥. j. vitelli ouorum n. ij. opij ℈. ij. omnia agitentur in mortario plumbeo ad linimenti, vel vnguenti conſiſtentiam. Mitigat etiam dolores, & materiam reſoluit inſeſſio, & fotus ex decocto florum chamæmali, meliloti, violarum, roſarum, foliorum maluarum, *Hæmorrhoïdum inflammatarum curatio.*

D

uarum, biſmaluæ, parietariæ, tapſi barbati, ſeminis lini, & fœnugræci, radicis aut ſeminis iuſchiami. Si verò in reſolutionem terminentur, oleis, & vnguentis reſoluentibus, & inſeſſionibus ex rebus calidis vteris. Sed quia id quod in parte eſt impactum, facilè indureſcit, ſiccantibus, idque mineralibus auxiliis auferre oportet, vt vnguento plumbeo, aut de pompholigo, aut hoc quod recipit olei, ſeminis lini, & lumbric. ana ℥.j.ß. pulueris lithargyrij, & ceruſæ, ana ʒ. ij. miſce, & in morta i o plumbeo agitentur ad linimenti formam. Quod ſi hæc non ſufficiant, ad valentiora exſiccantia deuenire cogimur, quæ ſuperiùs tradidimus. Quod ſi in ſuppurationem tendant, ſuppurantibus vteris deinde eas adaperies, vlcuſque curabis, circa quod conſule doctum Chirurgum, ſicut dum in corruptionem terminantur. Tandem quia dolores exacerbantur ex fæcum duritie, iubet Auic. vt emollientibus ore aſſumptis vtamur. Conueniunt igitur maluæ, mercurialis herba, & beta elixa, & earum iura cum ſaccharo, quæ etiam decoqui poſſunt cum carnibus. Potus ſit aqua liquiritiæ, aut prunorum damaſc. Optimum conſilium eſt quotidie ante prandium aſſumere caſſiæ pulpam, quæ ventrem emollit, laxat, & attemperat, & dolorem lenit. Idem faciunt diaprunum ſimplex, aut pruna damaſcena ſennâ & ſaccharo confecta, quæ nos *ciruelas de ſen* appellamus.

## CAPVT XVIII.

### *De ani procidentia.*

INteſtini recti pars extrema anus dicitur, vbi tres muſculi ab Anatomicis reperiuntur; vnus tranſuerſus, anum circundans, ſphincter dictus, qui anum comprimendo excrementorum inuoluntarium fluxum cohibet; alij duo ſunt obliqui, membranoſi, & lati, ſupra prædictum muſculum ſitum habentes, quorum vſus eſt in magnis contentionibus extremam partem ani ſurſum retrahere, quæ ſuâ membranâ lumbis, & oſſi ſacro annectitur. Cùm ergo hæc inteſtini pars foras delabitur, dicitur ani procidentia, quæ morbum in ſitu conſtituit.

*Cauſa.* Fit iſte affectus per ſe, aut per conſenſum. Conſenſu quidem, ſi nerui, qui in dictis muſculis inſeruntur, vimque mouendi, & ſentiendi illis impartiuntur, paralyſi afficiantur ob obſtructionem, aut compreſſionem, aliamve cauſam, quâ reſolui ſolent motus inſtrumenta: reſoluuntur etiam ob caſum, vel contuſionem ſupra dorſum. Per ſe, & ex proprio affectu hoc incommodum fit, quando nimia humiditate laxantur muſculi illius partis, & reſoluuntur, præcipuè ſi ſit cum præſentia humoris pituitoſi, aut quando nimis refrigeratur anus, vt contingit natantibus in aquis frigidis, aut ſedentibus ſuper lapides, & ſuper terram frigidam, & tempore frigido, aut iis, qui nudos pedes habent in loco frigido, & humido. Fit etiam cùm fæces duræ multa vi excernuntur.

Huius morbi cauſas ſic diſcernes; nam ſi propter caſum, vel contuſionem fiat, repente producitur, & cognitâ contuſione, & caſu facilè cognoſcitur, quod ab ipſis morbus dependet. Quod ſi ab humiditate, & humoribus frigidis ortum habeat, paulatim gigni ſolet, ad quod iuuat eſus ciborum frigidorum, & nimius aquæ frigidæ potus, & tempus frigidum. Tandem ſi ex frigiditate, & aliis cauſis procedat, ex iis quæ præceſſerunt, & ægri ſermone cognoſci poterit. Hoc morbo faciliùs corripiuntur pueri, quia imprudenter ſedent in lapidibus, & locis frigidis, & cuilibet cauſæ frigidæ ſe exponunt.

### §. VNICVS.

### *Curatio procidentiæ ani.*

SI morbus iſte fiat ex nerui reſolutione, aut muſculi, curabitur vt diximus capite de paralyſi. Quod ſi ab intemperie frigida, aut humida oriatur, contrariis corrigendus eſt, cui ſi adiungatur humor eſt etiam euacuandus, clyſteribuſque inteſtina ſunt detergenda, quæ fieri poſſunt ex aqua mulſa, cum decocto pulegij, origani, calamenti, chamæmali, & ſimilium, cum ℥.j. hier. ſimplic. aut elect. diaphœnic. Aëtius anum prolapſum fouet per muriam, aut marinam aquam, & ſæpe nullo alio auxilio opus habuit. Aliquando etiam ſalem tritum inſpergit, quo diſtillantur humiditates: deinde ablutâ prolapsâ inteſtini parte vino aliquo adſtringenti anum retrudere iube. Fouebis itaque partem vino rubro, in quo decoquantur galla immatura, malicorium, nuces cupreſſi, ſumach, cortex pini, ſigillum Salomonis, & chamæmali flos: deinde manibus oleo myrtino calido illitis anus intromitti debet, eumque inſperges puluere myrti, ſumach, ſeminis coriandri, gallię, & acaciæ, aut picem aridam tritam inſpergito, aut picem, & gallam æquis portionibus tritis. Iuuat etiam picis, & maſtichis ſuffitus. Oſſi ſacro admouebis emplaſtra corroborantia, & deſiccantia, qualia ſunt emplaſtrum contra rupturam, confortatiuum Vigonis, ſtomachicon dictum, aut ex tacamacha.

Quod ſi causâ excernendi fæces induratas morbus ſuccreſcat, clyſteribus emollientibus vteris, qui fieri poſſunt ex decocto foliorum maluarum, biſmaluæ, violarum, parietariæ, mercurialis, ſeminis fœnugræci, & lini, cum oleo chamæmali, & anethi, & modico ſale, quibus licebit addere caſſiæ pulpam, quam etiam in boli formam adminiſtrare non erit abs re.

Tandem ſi inteſtinum inflammetur, curari debet vt reliquæ inflammationes, neque inteſtinum intromitti debet, donec inflammatio ſedetur. Sed huius libri hic eſto finis.

# LIBER QVINTVS
## De internorum Morborum Natura, & Curatione.

### PROOEMIVM.

CVM in præcedentibus actum ſit de partibus primæ coctioni inſeruientibus, & de earum morbis, quos illis, vt ſimilaribus, & inſtrumentariis euenire conſpicimus, quod ad partes ſecundæ coctioni dicatas, & earum morborum cognitionem, & curationem deueniamus, ipſe expoſtulat ordo. Sed quia iecur eſt illius officina, & inter partes præcipuas toties à Galeno connumeratur, de eius intemperie, & compoſitionis cuſtodia, & illius morbis profligandis maxima eſt habenda ſolicitudo; ſic enim illius actionem tantoperè neceſſariam ſeruabimus, cùm ex debita compoſitione, & qualitatum naturali proportione omnes obeantur actiones, quibus deficientibus, ſanguificandi actio neceſſe eſt vt deficiat. Primò ergo agendum eſt de ipſius inflammatione.

### CAPVT I.

#### *De iecoris inflammatione.*

INter morbos compoſitionis, qui ſimul & temperiem lædunt, ponitur inflammatio, quæ in præſenti ſumitur pro tumore præter naturam ab humore ſanguineo procedente; ſic enim accipitur à Galeno 5. *de locis, c.7.* quæ quidem iecori ſicut aliis partibus ſuperuenit. Modum quo fiat, docet Gal. *de inæquali intemperie c.3.* cauſam aſſignat 2. *de arte curatiua ad Glauc.c.1.* & 14. *methodi, c.3.* vbi inquit: *At communis omnium phlegmonarum generatio ex ſanguinis influxu eſt, copioſioris ſcilicet, quàm pars poſtulet.* Influit copioſiùs ſanguis in hanc partem, aliis partibus eum aliquando mittentibus, ac ea, quæ phlegmone laborare incipit, recipiente; aliquando particula, quæ affligitur, hunc ad ſe trahente, vt ibi Galen. oſtendit. Attrahunt partes morboſo calore affectæ, aut doloribus vexatæ, vt liquet ex eodem Gal. *eodem cap.* & 2. *de differentiis febrium, cap.vltimo.*

*An iecur poſſit pati œdema.* Solet in dubium verti, an iecur poſſit pati œdematoſum tumorem. Et quod illum non patiatur, fundari poteſt in verbis Galeni 4. *de præſagat. ex pulſibus, cap.4.* vbi ait, non fieri pulſum mollem in iecinoris tumore, eo quod illi non innaſcitur œdema pituitoſum. Huic doctrinæ aſſentitur Vega 3. *de arte medic. ſect.* 8. *cap.3.* quæ probari poteſt, nam iecur cùm calidum ſit, ipſam pituitam extenuare poterit, ita vt anteà reſoluatur, quàm tumorem faciat: ad quod iuuat maximè iecoris compago, cuius ſubſtantia denſa eſt, in cuius poris humor ita craſſus imbibi non poteſt; aut quia pituita cum ſit ſanguis ſemicoctus, quæ vlteriori coctione in ſanguinem conuertitur, potiùs generabit inflammationem, quàm œdema, quoniam à iecoris calore natiuo in ſanguinem conuertetur.

*Vera ſententia.* Verior tamen eſt oppoſita ſententia, quæ etiam fundamentum habet in verbis Galen. 4. *de præſag. ex pulſibus, c.9.* vbi ſic: *His præ cæteris vicinior eſt ille* (pulſus ſcilicet) *qui ex iecinore, & liene affectis oritur œdemate; nam etiam ſchirrho hac viſcera obſeſſa pulſus ſatis duros efficiunt.* Idque confirmat Auic. *fen.* 1.4. *lib.* 3. *tract.* 3. *c.*8. vbi ſigna tradit apoſtematis phlegmatici in hepate: quæ ſententia ſufficienter probata manebit ex contrariæ argumentorum ſolutione; nam ex eo, quod iecur calidum ſit, non ſequitur, quod pituitam coaceruatam extenuet, præſertim cùm poſſit pati intemperiem frigidam. Neque illius ſubſtantiæ denſitas impedit œdematis generationem, cùm neque impediat ſchirrhi productionem, qui ex craſſiori ſubſtantia ortum habet, vt Gal. ibi oſtendit, & communiter omnes fatentur. Neque omnis pituita eſt apta in ſanguinem conuerti, ſed ſolùm naturalis, quæ adhuc ſi iecori appropinquet, non ſequitur, quod in ſanguinem tranſmutetur; ſicut neque in ſanguinem fuit conuerſa, dum iecur eam ex materia chiloſa ſibi approximata produxit. Quare vt certum teneo, quod quando Galen. negat, œdema fieri in iecore, idem eſſe, ac ſi diceret, ibi rarò fieri, & non ita frequenter, ſicut in aliis partibus.

*Signa.* Huius inflammationis ſigna deſcribit Galenus 5. *de locis affectis*, *capite citato*. Adeſt enim in dextro hypochondrio grauitas, dolor hypochondrium retrahens, & ipſius doloris vſque ad iugulum extenſio; qui dolor non eſt pungens & acutus, ſicut in pleuritide; nam iecur cùm ſenſu careat, dolore affici nequit. Reſultat ergo dolor ex humore grauante membranam iecur integentem, vt docet Galenus *lib. de multitud. capite quarto*, vbi aſſerit, quod nerui adeò breues ſunt, qui ad portas inſeruntur iecinori, vt ſolam ipſius membranam integere videantur. Adeſt etiam febris ardens, pulſus durus, cibi faſtidium

ſtidium,ſitis inſatiabilis,tuſſis ſicca, in qua nihil, aut parum reiicitur, lingua arida, ab initio rubra, deinde nigra; vomitus bilis vitellinæ,deinde porraceæ; dextri hypochondrij tumor, ſpirandi difficultas,ſingultus, aluus adſtringitur, niſi vnà cum viſceris huius imbecillitate aluus nimis humida ſit. Vrina mingitur paſſea, aut ſubuiridis, & totius corporis color pallidior fit. Et licèt qualibet parte iecoris affecta, ob continuitatem cum aliis,ipſis eiſdem partibus communicetur affectio, cum hoc tamen magis pati ſolet ſecundùm vnam partem, quàm ſecundùm aliam,vt Galen.*loc.proximè citat.* demonſtrare viſus eſt. Cognoſces itaque partem vehementiùs oppreſſam,ſiquidem vbi partes ſimæ magis infeſtantur, ſymptomata, quæ ventriculi conſenſu fiunt maiora,& fortiora reliquis,apparebunt, vti ſitis,nauſea,ſingultus, vomitus, linguæ color, & ariditas. Si verò gibbæ partes magis afficiantur,iuguli retractio,& ſpirandi difficultas,tuſſiſque intenſiùs moleſtabunt. Tactu etiam deprehenditur tumor, niſi æger ſit valde carnoſus, aut inflammatio ſit parua, aut ob ingentem dolorem nequeat æger ferre manus compreſſionem.

Sed quia muſculi hepati incumbentes inflammari ſolent, & eorum inflammationem eſſe in hepate aliqui ſuſpicantur, neceſſarium eſt eas affectiones inter ſe diſtinguere, quarum diſtinctionem adducit Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 2. c. 3.* vbi inquit, quod iecore inflammato tumor erit rotundus,& figuræ ipſius iecoris. Muſculis verò inflammationem patientibus, tumor prolongatur, & in anguſtum vergit,ſicut & ipſa muſculorum figura, niſi muſculi tranſverſi,& obliqui ſimul inflammentur. Ampliùs autem in hepatis inflammatione incumbens cuticula naturali modo ſe habere conſpicitur; muſculis autem inflammatis cutis circumtenditur,vt ſi quis digitis eam apprehenſam attrahere velit, ea minimè ſequetur.

Hic morbus eſt maximè periculoſus, præcipuè ſi febris nimis ſit ardens, ita vt eriſypelatis iecoris præbeat indicium. Similiter ſi à iecoris inflammatione ſingultus ſuperueniat, ſignum malum eſt, ex Hipp. 7. *aphor.text.* 17. nam licèt ſingultus hunc morbum ab initio comitetur,dicimus tamen illum ſuperuenire quando ad magnitudinem attollitur, feruente inflammatione,vt explicat Galen.*in commento.* Quod ſi inflammatio hæc bilioſis ſuperueniat,mortifera eſſe ſolet, vt inſinuat Gal. 10. *method. c. 5.*

### §. I.

### *Curatio inflammationis iecoris.*

GAlenus 13.*methodi, cap.* 14. inſtituit nutrimenta inflammationi iecoris conuenientia, quæ debent eſſe tenuis ſubſtantiæ, quibus inſit abſtergendi vis citra motdacitatem, cuiuſmodi eſt aqua mulſa. Sed quia rebus dulcibus, tùm iecur, tum lienem magis intumeſcere ait, laudat ptiſanam, quæ ſine morſu detergit,& refrigerat. Conuenit etiam ius pulli cum chicoreo elixi, vel cum radicibus petroſelini, & ciceribus; aut ptiſana, & eius cremor cum decocto apij exhibeatur: chicoreum,& lactuca elixa eſui etiam ſunt apta, & lac amygdalarum dulc. & viribus exiſtentibus imbecillis, ipſa ptiſana cum iure pulli, & gallinæ, ſeu perdicis nouellæ parari poteſt, carneſque deguſtari ſimiliter poſſunt. Potus ſit aqua hordei, oxalidis, vel ſcorcion.

*Sanguinis miſſio.*

Curatio incipiat à ſanguinis miſſione, quæ fieri debet ex brachio dextro, & ex vena baſilica, re-

A vulſionis, & euacuationis gratiâ, vt inſinuat Gal. 13.*methodi,c.* 11. quæ ſi non appareat, vena media eſt ſecanda,detrahenduſque ſanguis pro ratione virium: deinde illum extrahimus ex ſaluatella manus dextræ, vt conſulit Paulus *lib.6. cap.*4. Ante has euacuationes, ſi opus fuerit, vtemur clyſteribus,qui præterquam quod ventrem leniant, refrigerent etiam, & abſtergant, qui confici poſſunt ex decocto hordei,violarum,foliorum maluarum, radicis altheæ,& folior.lactucæ,cum pulpa caſſiæ,aut diacathol. & oleo violarum,& ſaccharo rubro.

A venæ ſectione ad topica auxilia deuenire oportet,quæ in communi inflammationis cuiuſvis curatione in principio repellentia debent eſſe, ſicut in declinatione reſoluentia; tamen ſumpta indicatione à parte,in iecinoris inflammatione aliquid corroborans eſt admiſcendum, vt deducitur B ex Gal. 13.*meth.c.* 16. & ex Paulo *lib.3.c.*46. Eſt enim hepar pars princeps, cuius munere fungitur totum corpus,& illius conſeruatio,& corroboratio ſemper maximi habenda eſt,ex Aet. *tetrab. 3. ſerm.* 1.*c.* 16. Prætereà cùm iecoris inflammatio facilè tranſeat in ſchirrhi naturam,vt *loc.cit.*Gal. oſtendit,remedia non ſunt admouenda actu frigida,ſed quodam modo tepida.

His ita intellectis, oportet regionem iecinoris extrinſecùs illinire oleo roſaceo, melino, myrtino, & abſinthij, & iis addere aceti parum, vt faciliùs penetrent. Vel ſic. ℞. olei citoneorum,roſarum, & amygd.amararum,ana ℥.j. aceti, & ſucci abſinthij, ana ʒ.ß.bulliant ad aceti,& ſucci conſumptionem; admoueatur vnguentum ſanthalinum tepidum. Aut ℞. olei citoneorum,myrti, & de ſpica,ana ℥. C j.puluer.trium ſanthal. coralli rubri præparati, & trochiſc.de camphora,ana ʒ.j.aceti roſarum guttulas,miſce,& cum cera fiat vnguentum,quod ſæpe iecori admoueatur: vel fiat epithema in hunc modum. ℞. aquæ endiuiæ,& roſarum, ana ℥. iij. aquæ plantag.& portulacæ,ana ℥.j.aceti ſambucini ℥.j.pulu.triaſanthal. ʒ.j.ß.miſce. Aut ℞. florum roſarum,foliorum plantag.& chicorei,ana m.j.florum cham.& meliloti, ana p.ß.ſummitatum abſinthij p. j. coquantur omnia in aquæ debita quantitate,& colaturæ adde aceti ℥. ij. miſce. Cataplaſma etiam effinges ex farina hordei, fœnugræci, & ſeminis lini, cum palmulis meliloti, & chamæmali floribus,& abſinthio,vt viſum fuit Paulo, cui aliquid aceti admiſcebis. Aduertere tamen oportet, quod quantò à principio receſſerit morbus, tantò digerentia, & reſoluentia adſtringentium vires exD cedere debent. Itaque admiſcebimus eis anethum, chamæm.melilotum,myrrham,pulegium, & aſſarum,ex quibus cum farina hordei, & fœnugræci, & miloplacenta in oleo roſarum malaxata emplaſtrum efformabis, aut eorumdem decocto, addito modico vino, & ſucco abſinthij, vel eupatorij, & puluere trium ſantalorum, tota iecoris regio foueatur.

Poſt totius corporis euacuationem,& morbi initio tranſacto,vt ſtrenuum auxilium laudat Gal.13. *meth.c.*19. cucurbitam ipſi parti affixam, quæ præterquam quod reſoluit, ad extra etiam humores euocat.

*Si in ſuppurationem tendat.*

Quod ſi iis non auferatur, imò duritiem contrahat inflammatio,curabitur vt diximus capite deiecoris obſtructione. Verumtamen ſi in ſuppurationem tendat, quod cognoſces ex dolore magis grauante,& ex rigore febrili,febre inordinata,ſiti, & difficili reſpiratione, eam adiuuabis cataplaſmate ex ficubus,maluis,biſmaluis,paſſulis ſine vinaceis, decoctis malaxatis, & cribellatis, ex quibus cum farina fœnugræci, tritici, & hordei, vitellis ouorum,

rum,pauco croco, butyro recenti, & oleo amygd. dulcium, & roſarum fieri poteſt emplaſtrum. Vel fotus fieri poteſt ex decocto foliorum maluarum, radicis altheæ,fœnugræci,abſinthij,ſeminis lini,& ceterac : aut vnguentum ex oleo lumbricorum,roſarum,& anethi, & axungia gallinæ, adipe anſerino, butyro recenti, vitellis ouorum, pauco croco, & cera.

Rupto verò abſceſſu, quod percipies ex doloris, & ponderis defectu,& ex aliorum accidentium remiſſione, cuius ruptionem adiuuare ſolent vociferatio,corporis commotio,& ſaltus, vlcus abſterges ebibitâ aquâ mulsâ, aut aquâ hordei cum ſaccharo, vel ebibito ſero lactis caprini. *Nota.*

Sed interim dum hæc fiunt, aliqua per os ſunt propinanda, ad quorum exhibitionem conſiderare oportet, quæ iecoris pars præcipuè ſit affecta; ſi enim gibboſa iecinoris pars ſit affecta, per renes; ſi verò pars illius caua, per ventrem expurgare oportet, vt docet Galen. 13. *method. c.* 17. Si igitur gibba iecinoris phlegmonem patiatur,conueniunt ſyr. capill. Veneris,acetoſus,liquiritiæ, & oxymel ſimplex cum decocto radicis lupulorum, aſparagi, & quatuor ſeminum frigidorum maiorum, quæ modicè vrinas mouent. Sedatâ verò inflammatione,valentioribus etiam vti licebit, vt ſyr. duarum, aut quinque radicum,aut de biſantiis,& de eupatorio, cum decocto aſſari,ſpicæ celticæ, petroſelini, meuphu,id eſt valerianæ,& apij, vt *c.* 15. *eiuſdem lib.* Gal. expreſſit. At ſi caua pars illius phlegmone laboret per ventrem purgantia magis ſunt ex vſu, quæ clementia debent eſſe,ne aliunde ad iecur trahant,ſed modicè aluum deiiciant,quæ cibis admiſta, tranſacto morbi vigore prodeſſe ſolent, vt vrticæ, & mercurialis folia,quæ quocunque tempore ob eorum benignitatem prodeſſe comperimus. Conferunt etiam caſſiæ pulpa in iure pulli diſſoluta, aut manna electa, vel rhab. ex quo ſic parari poteſt potio. ℞. rhab. ſpicâ vigorati ʒ. j. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in aqua chicorei, & factâ expreſſione colaturæ adde pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥. ß. ſyr. perſici ſolutiui ℥. iij. miſce, & fiat potus. Aut ℞. pulpæ caſſiæ ℥. ß. diſſolue in decocto Pugini; ſyrup. Regij ℥. iij. miſce. Aut pulpæ caſſiæ,& diacathol. ana ʒ. ß. miſce,& cum ſacchato fiant morſelli.

Tandem iecur roborabis oleo nardino,abſinthij, & roſarum, cum puluere triaſanthali, coralli rubri præp. & maſtichis, ex quibus poteſt confici vnguentum, quo illius regio inungatur; ſic enim illud vi morbi debile redditum firmamus ac roboramus.

## §. II.

### *De iecoris obſtructione.*

INter plura morborum genera, quæ iecori accidere comperimus, vnum eſt ipſius obſtructio,& venarum illius conſtipatio, ad cuius cognitionem conſiderare oportet, quod quatuor obſtructiones ad iecur referuntur, propter partium, quæ obſtruuntur,affinitatem,& colligantiam cum eo. Prima eſt in vena porta, & venis meſeraïcis, quibus obſtructis,chilus non poteſt ad iecur deferri, ſucceduntque per aluum chiloſæ deiectiones; de hac etenim egit Gal. 5. *de locis affect. cap.* 7. illamque iecoris obſtructionem in illius capitis initio appellat,& Auic. *fen.* 14. *lib.* 3. *tract.* 2. *c.* 5. *etiam in principio.* Secunda fit in propaginibus venarum, quæ in venam cauam degenerant, ex qua ſequi ſolet totius corporis atrophia, & extenuatio, ob defectum diſtributionis ſanguinis, de qua egit Auic. *loc. proximè cit. c.* 4. Tertia fit dum obſtruitur via,per quam ad veſſicam fellis bilis deſcendit,aut ea, per quam à veſſica fellis ad inteſtina bilis ipſa transfertur,de qua omnes agunt *c. de morbo Regio.* Denique quarta,& vltima eſt,cùm pori ipſius hepatis obſtruuntur,de qua *c. proximè cit.* Gal. etiam ſermonem inſtituit. Has omnes complexus eſt Auicen. *c.* 4. *iam cit.* ſub duplici diuiſionis membro, vbi ait : *Oppilationes hepatis accidunt in carne illius, & quandoque accidunt in venis, quæ ſunt ab ipſo.* Ex his quarta in rigore eſt vere obſtructio hepatis, quâ propria illius ſubſtantia obſtruitur; reliquæ verò dici poſſunt hepatis obſtructiones ſecundùm quid, vel cum addito. Et licet omnes communem curandi rationem habere videantur, propriùs tamen caput hoc inſtituitur pro curanda obſtructione ſubſtantiæ ipſius hepatis; alia enim capita habent propria, in quibus de illis agitur.

Morbus eſt in compoſitione, nempe in via, aut cauitate impedita. Actio quæ læditur,eſt ipſius hepatis nutritio, quia alimentum non poteſt per poros ingredi, quia ab humore obſtruente ſunt detenti. Quod ſi ratione humoris ibi impacti iecur in magnitudinem attollatur,efficiet ædema,aut ſchirrhum,ſeu morbum in magnitudine adaucta.

*Cauſæ.* Cauſæ ſunt in duplici differentia; internæ, & externæ. Internæ ſunt humor craſſus,qui vt inquit Auic. ſuâ craſſitie, aut multitudine vias replet : aut ſpiritus craſſus,& nebuloſus. Quod confirmare viſus eſt Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *c.* 2. Pereda tamen *ſcholio* 42. horum doctrinæ contrariatur, qui aſſerit obſtructionem tantùm reduci debere ad humorem craſſum, quem vt illius cauſam tantùm adduxit Gal. 5. *de locis, c.* 7. *citato*, & 1. *de compoſit. medic. ſecundum locos, c.* 6. miraturque de his, qui practicam ediderunt,alteram cauſam obſtructionis iecoris ad flatum referentibus : reprehenditque Donatum Anton. ab Altom. qui ex Galeni verbis 5. *de locis citato*, id probare intendit. *Pereda ad. Arinn.*

*Quid tenendum.* Sed certè, cùm plures ſint Authores, qui contrarium tueantur,non eſt recedendum à communi opinione, cùm conſtet, flatum eſſe obſtructionis cauſam, ſi aliquam cauitatem adimpleat, vt patet in appoplexia, quam etiam à flatu fieri poſſe teſtantur, vt diximus capite de apoplexia : & in incubo, qui à flatu prouenit, vt omnes affirmant. Neque ſufficit dicere, hanc cauſam non adduxiſſe Galenum; nam Galenus tradit ſolùm cauſam frequentiorem,ſufficit enim,vt ab aliis tradatur. Neque valet ſi dicas, quod vnum obſtructionis ſignum eſt ſenſus grauitatis; flatus verò, licet craſſus ſit,leuitatem habet à prædominio, ita vt pondere moleſtare non poſſit. Reſpondetur facilè, quod ſenſus ponderis,& grauitatis,eſt ſignum obſtructionis ab humore craſſo, non verò à flatuoſa ſubſtantia, quæ potiùs producit tenſionem partis, in qua continetur.

His cauſis adiungit Auic. tumorem,& quæcunque venas iecoris,& eius ſubſtantiam valent comprimere, meatuſque anguſtos reddere : ſed de his non agitur in præſenti capite. Cauſæ externæ ſunt quæcumque gignendi humores craſſos vim habent, vt alimenta craſſa,quemadmodum oryza,lac, caſeus, caro bubula,porcina,& hircina,legumina, óſtrea,& anguillæ,& alia huiuſmodi,quorum meminit Gal. 5. *de ſanit. tuenda, cap.* 6. & 6. *de ſanitate tuenda, c.* 3.

*Signa.* Cognoſcitur iecoris obſtructio ex ſenſu grauitatis cum dolore circa dextrum iliũ,quandoque quidẽ cũ febre,quandoq; abſque illa. Ex motu poſt cibũ moleſtãtur valde,& ad exercitium inualidi fiunt

ægri; & ſi ſcalas,aut locum accliuem aſcendunt, ſtatim eis difficilis, ac crebra reſpiratio ſuccreſcit, quibus adiungitur coloris naturalis in album mutatio,& vrina mingitur alba. Quod ſi à flatu, ſeu craſſo vapore ortum ducat,ægri diſtenſionem ſentiunt,cui adiungi ſolent grauitates ſenſus, ob humores craſſos, qui ſunt flatuum cauſa materialis, ex qua eleuantur.

*Præſagium.* Oppilatio inueterata non tantùm in hepate, ſed in omni membro putrefactionem operatur, febremque accendit: quare attenuantium, & reſoluentium oppilationem quamcelerrimè requiritur vſus, ex Aetio. Quod ſi ab oppilationis initio curatio exerceatur, ſpem ſalutis habere poſſumus.

## §. III.

### *Curatio obſtructionis iecoris.*

CVm obſtructionis curatio in partium reſeratione,& apertione ſita ſit, aperientibus,abſtergentibus, atque inſcindentibus perficitur medicamentis,vt docet Galenus *lib. artis medic.c.*94. & 5. *ſimplic. cap.* 12. quibus vti cum fiducia iubet Tralian. *libro* 8. *cap.*2. ſed ſi febris adſit, ea temperata eſſe debent, vt omnes fatentur. Aër igitur eligatur ad calidum vergens,quies vitanda eſt; exercitatio maximè ſalutaris erit, ea tamen cibum præcedat: alui excrementa quotidie naturâ,vel arte deponantur.

Cibus ſit tenuis,qui ſi febris abſit,calefaciendi, & abſtergendi vires habeat,vt carnes gallinarum, caponum,nouellarum perdicum,phaſianorum,turdorum, paſſerculorum elixæ,cum ciceribus,petroſelino,chicoreo, cinnamomo, pipere, vel ſatureia. Conueniunt etiam aſparagi, radiculæ folia,cappares, fœniculum, cicerorum rubrorum ius, in quo petroſelini radices fuerint decoctæ.

Quod ſi febris moleſtet, ptiſana vti poſſumus, quæ moderatè abſtergit; & chicoreorum genus, adiantum, aſplenium,quod ſcolopendrium vocant, Arabes verò ceterac,ſunt vtilia, & in calore moderata,& aperiendi non leuem vim habent. Potus ſit vinum album, & tenue, aut aqua cinnamomi, fœniculi,vel ſcolopendrij. Euitent alimenta craſſa, & potum aquæ frigidæ, & cauſas omnes procatharticas, quæ vias ſtrictiores reddunt.

*An ſit ſanguis mittendus.* Debito vitæ regimine inſtituto, vertitur in dubium, an ſanguis in hoc affectu ſit mittendus? Et videtur quod non; nam humores obſtruentes cùm frigidi, & craſſi ſint, indigent calore ſanguinis,vt attenuentur, & reſoluantur, ex cuius extractione calor ipſe remittitur, & humores magis incrudeſcunt, ac affectio magis immedicabilis redditur.

*Quæſtionis enodatio.* Sed licèt hæc ratio veritatem habere videatur, vt certum exiſtimo, redundante ſanguine faciendam eſſe venæ ſectionem,quam inſinuat Galenus 10. *methodi, c.*2. vbi docet, ſanguinis miſſionem eſſe præferendam in obſtructione ea, quam copia facit, ſicut expurgatio præfertur in ea,quæ ex humorum qualitate conſiſtit; & quia ſuprà dictum eſt ex Auicen. ſententia, quod humores ſuâ multitudine vias replent,& obſtructiones faciunt; ideò ſanguinis miſſione humorum copiam auferre tentabimus: quod etiam inſinuauit Paulus *lib.* 3. *capite* 46. pro curanda veteri obſtructione, vbi ſic: *Si morbus in vetuſtatem incidit, etiam venæ ſectio, & purgatio adhibenda.*

Idemque confirmat Auicenna dicens: *Et quandoque antiquatur oppilatio, & indiget phlebotomia*

A *baſilicæ, & ſolutiuo.* Et licèt hoc referant de oppilatione inueterata, non eſt ratio, quæ perſuadeat ſanguinis extractionem non eſſe faciendam in huius morbi principio; ſiquidem obſtructiones tollit, vias reſerat, & putredinem inhibet, & obſtructionis cauſam euacuat: quæ omnia in principio morbi conuenire haudquaquam negabis. Moderatè tamen ſanguis eſt extrahendus, ob rationem ſuprà tactam; liberaliùs tamen illum extrahes, ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa.

Deinde ſi in iecoris ſimis ſit maior obſtructio, per ventrem; ſi in gibba, per vrinas expurgabimus humores, ex Galeni & omnium decreto. Cum hoc tamen ſi humores nimis redundent,qualibet parte ex iis affecta, priùs eos per ventrem euacuabimus; nam accedere ad abſtergendum obſtructiones ante expurgationem per ventrem, ti-

B moroſum eſt; impingitur enim magis humor, & remediis abſtergentibus ad partes obſtructas defertur,vt docet Galenus 8. *method. capite* 4. Euacuatâ ergo humoris ſarcinâ, ad curandam obſtructionem accedemus, vt ipſe etiam refert 11.*method. cap.*10.

Præparare itaque oportet materiam attenuantibus, & inſcindentibus, vt rhodomelle, oxymelle, ſyrup. acetoſo, de duabus, aut quinque radicibus, cum decocto intybi, capillor. Vener. & hordei: deinde fiat expurgatio phlegmagogis medicamentis in hunc modum. ℞. agarici trochiſc. ʒ.j. fiat infuſio & expreſſio ſecundum artem in decocto radicis rubeæ tinctorum, chicorei, & capill. Veneris,& colaturæ adde catholici ʒ.v.ſyrupi perſici ſolut.℥. iij.miſce, & fiat potus: vel catapotia formentur ex maſſa pillularum, & agarico,& de rhabarb. aut ex ipſo agarici, & rhabarb.puluere,cum aqua fœniculi, vt ℞. agarici trochiſc.& rhabarb.

C optimi, ana ℈. ij. cum aqua fœniculi formentur pillulæ,& aurentur. Vtile etiam eſt aliquibus interuallis, tertio nimirum,aut quarto die,aliquod leue medicamentum expurgans propinare, quod ſimul habeat vim aperiendi; fortia enim medicamenta in iecinoris affectibus non deſiderantur, cùm eorum vires vltra hepar progredi non ſit neceſſe;nam ſi à remotioribus partibus, & à toto corpore trahunt, maiores fortaſſe concitabunt obſtructiones, vt aduertit Trincauel. *cap. de hepatis obſtructione.* Conuenit ergo ius galli veteris decocti cum cartamo, radice rubeæ, foliis ſennæ, & modico agarico. Beta etiam elixa, & mercurialis herba aceto,& oleo conditæ vtiles ſunt, ſicuti & earum decoctum. Interim dum hæc fiunt, interiùs, & exteriùs ſunt adhibenda remedia aperientia: interiùs aſſumuntur ſyrupus de abſinthio, de quinque radicibus, de biſantiis, cum decocto radicis

D chicorei,rubeæ tinctorum,petroſelini,& cinnamomi. Hoc decoctum quotidie manè ebibitum potenter deobſtruit. ℞.quinque radic.diureticarum,ſingul. ℥.ij. foliorum radiculæ, & naſturtij aquatici, ana p.j.capill.Vener.m.j.prunor.n.xx. paſſularum ſine vinaceis p.ij. coquantur omnia debito modo in ℔.xvj.aquæ ad medietatis conſumptionem, & facta expreſſione,colaturæ huius accipe ℥.iiij. ſyr. biſantini,& capill. Vener.ana ℥.j. miſce. Oportet etiam aſſumere diacurcumam, aut dialaccam, troſchiſcos de eupatorio,de rhabarb.vel de abſinthio, quantitate ʒ. j. cum ſyrupo acetoſo, diarrhod. & de quinque radicibus, cum aqua fœniculi, vel graminis. Idem efficit ſyrupus de ſcoria ferri, vel fiat opiata hæc, quæ recipit ſyr. eupat. ℥. vj. chalybis præp. vel ſubtiliter limati, & ſæpiùs aqua graminis loti ℥.j.ß.dialaccæ, & diacurcumæ, & iecoris lupi præp.ana ℥.j.ß. ſyrup.capill.Vener.

quod

quod ſufficiat : miſce, & fiat opiata. Doſis quolibet mane cochlearia duo. Proſunt etiam pillulæ, quæ fiunt ex trochiſcis de capparis, de abſinthio, & de rhabarb. & chalybe præpar. cum ſucco apij, aut fœniculi, ſi quotidie tres pillulæ aſſumantur. Vſus terebinthinæ abietinæ aquâ chicorei, vel graminis lotæ vtilis cenſetur, ſi ex ea, & ʒ.j. rhabarb. fiant boli, qui per interualla aſſumantur. Ab horum medicamentorum exhibitione exercitium imperandum, quod in abditas corporis partes medicamentum deducit, vias aperit, & vniuerſum corpus calefacit; oportet tamen à remiſſioribus incipere, deinde ad valentiora deuenire.

*Exterius admouenda.*

Exteriùs admouebimus deoppilatiuum ſuccorum, aut hoc quod recipit ſuccorum apij, petroſelini, fœniculi, ſenecionis, ana ℥.ß. aceti ʒ.j. olei abſinthij, & nardini, ana ℥.ij. bulliant donec ſucci, & acetum euaneſcant; ſpicæ nardi, & ſchœnanti, & trium ſantalorum, ana ℥.j. ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum. Vel fieri poteſt fotus, qui recipit abſinthij, & ſcolopendrij, ana m.j. florum chamæm. & meliloti, ana p.j. radicum apij, fœniculi, & bruſci, ana ℥.j. calami aromatici, & vtriuſque ſpicæ, ana ʒ.j. coquantur ſecundùm artem in ℔. xij. aquæ ad medietatis conſumptionem, & colaturæ adde aceti albi, & vini albi, ana ℥.ij. miſce, quo foueatur iecur bis quotidiè; deinde vnguentis traditis vngatur.

Tandem iecur roborabis theriaca magna, mithridato, trochiſcis de rhabarb. puluere diarrhodonis Abb. & aromatici roſarum, ſi ʒ.j. aſſumatur cum aqua abſinthij aliquibus diebus : vel bibat æger quotidie ℥.iij. vini abſinthites. Hepar etiam inungatur hoc vnguento. ℞. cerati ſantalini ℥.j. olei de ſpica, & abſinthij, ana ℥.j. puluerum roſarum, diarrhod. Abb. & abſinthij, ana ʒ.ß. miſce, & cum cera fiat vnguentum. Quod ſi febris ſimul infeſtet, ea eliges medicamenta, quæ vim habeant temperatam.

*De hepatis ſchirrho.*

De ſchirrho hepatis caput inſtituunt Authores; eius tamen curatio à præcedenti parum diſtat : & quia infrà agendum eſt de lienis ſchirrho, vbi remedia trademus, quæ hepatis ſchirrho accommodari poſſunt, ideò conſultò ab eius tractatione ſuperſedere decreui.

## CAPVT II.

### *De hydrope.*

*De cachexia.*

EX Authoribus plures priùs caput inſtituunt de cachexia, ſeu malo corporis habitu; tamen quia eius curatio parum diſtat ab hydropis curatione, quam anaſarcam vocant, & eſt veluti via, & tendentia ad illam, ideò prolixitati parcens, ab eius tractatione me abſtineo, dummodò aliquid priùs dixerim, vt quid illa ſit, intelligatis. Auicenna *fen.* 14. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 3. inquit : *Quando corrumpitur diſpoſitio hepatis, & dominatur ſuper illum debilitas, accidit in primis diſpoſitio antecedens hydropiſin, & nominatur cachexia, & appropriatur nomine corruptionis complexionis.* Vbi aſſignat partem affectam per ſe, vel per conſenſum, eſſe iecur; morbumque reducit ad corruptionem intemperiei, ſeu ad intemperiem præternaturam, quæ iecur debilitat in ordine ad ſanguificationem, & ad hydropen diſponit. Idem docet Galen. *lib. ſpurio de Virtutibus*, & Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 19. in quo omnes conuenire video. Differt tamen ab anaſarca penes magis, & minus, vt ex vtriuſque accidentibus colligi poteſt; accidentia enim in cachexia remiſſiora ſunt, quàm in anaſarca, & ſi diutiùs cachexia perſenerat, in aquam intercutem tranſit, vt inquit Aëtius. Ex quo non colligitur, quod cachexia, ſeu malus corporis habitus ſemper hydropen præcedat, vt exiſtimat Veiga 5. *de locis affect. cap.* 6. Nam benè poteſt à principio inuadere hydrops, nulla præcedente cachexia, vt ſi cauſa aliqua nimis refrigerans accedat, quæ iecur ita diſtemperet, vt producat ſufficientem diſpoſitionem ad generationem hydropis, reverà ibi hydropis ſigna apparebunt; & non ſolùm ibi actio ſanguificandi erit diminuta, vt in cachexia, ſed etiam erit deprauata, qualis reperitur in hydrope, vt poſteà videbimus.

*Chachexiæ & anaſarcæ differentia.*

*Obiectio.*

Sed inſtabis : Gradus remiſſus præcedit intenſum : ſed cachexia conſtituitur per gradum remiſſum frigiditatis iecoris; hydrops verò per gradum intenſum : ergo cachexia debet præcedere hydropem. Reſpondetur, quod gradus remiſſus præcedit intenſum, & quod cachexia conſtituitur per gradum remiſſum; negamus tamen, quod debeat præcedere hydropem : nam licèt in rigore phyſico argumentum concludat, non tamen in rigore medico : nam medicè tantùm dicitur morbus, qui ſenſibiliter actiones lædit, & habet permanentiam. Sed quia in hoc caſu, ob cauſæ præternaturam vehementiam accidere poteſt, vt antequam gradus ille, per quem cachexia conſtituitur, lædat actionem ſenſibiliter, accedat alter gradus intenſus hydropem conſtituens, qui intenſiùs, & ſenſibiliter actionibus officiat; ideò dicendum eſt, non eſſe neceſſarium, vt vnum præcedat aliud. Plerumque tamen cachexia hydropem præcedit, quæ diutiùs perſeuerans in illam terminatur; & hoc modo eſt intelligendus Auic. dum inquit : *Accidit in primis diſpoſitio antecedens hydropiſim, & nominatur cachexia.* In qua dum chilus ad iecur peruenit, diminutè coquitur, & ex illo fit ſanguis aquoſus, qui per vniuerſum corpus diſtributus ad partium alimoniam, ob eius diſſimilitudinem non conuertitur in membrorum ſubſtantiam, ibique detentus membra laxat, & emollit, totumque corpus cum virore album reddit, defectuque nutritionis illud etiam debilitat, ita vt crura inter eundum vacillent, pedeſque aliquando intumeſcunt, & oculorum palpebræ inflantur; quæ ſigna, & alia in gradu intenſiori reperies in hydrope anaſarca, ab eiſdemque cauſis dependet, & eadem ferè auxilia expoſcit, quæ in curatione anaſarcæ trademus, quæ huic affectioni accommodare poteris. Dicta ergo ſufficiant circa huius morbi naturæ, ſignorum, & cauſarum indagationem.

*Ad illam reſponſio.*

Tres hydropis ſpecies Authores conſtituunt, quas Galenus refert *lib. introduct. ſeu Medicus, cap.* 14. & *de definitionibus medicis*; & Paulus *lib.* 3. *cap.* 48. & alij quamplurimi. Prima dicitur aſcitis, ab aſco, ideſt vtre, quia intra peritoneum tanquam intra vtrem aqua continetur.

Secunda tympanitis, quia per eam tympani modo venter pulſatus ſonat, in qua intra peritoneum maxima flatuum copia colligitur. Tertia appellatur anaſarca, aut leucophlegmatia, per quam totum corpus alba, & frigida impletur pituita.

*Qua pars afficiatur.*

Sed antequam examinemus, quis morbus ſit hydrops, ſcire priùs conuenit, quod iſte morbus haudquaquam fieri poteſt, niſi hepar afficiatur per ſe, vel per conſenſum, vt expreſſe docuit Galen. 5. *de locis affectis, cap.* 7. *iam citato* : quod, inquit, nemo negabit, niſi fortè ſuapte naturâ con-

tenſioſus, aut omninò fuerit indoctus. Idemque tenet Auicenna *loco iam citato*, vbi ſic: *Et non quidem accidit hydropiſis abſque ægritudine hepatis propria, aut propter communitatem eius.* Et rationem reddit Galenus *loco citato*, dicens: *Etenim quia ipſum eius facultatis, quæ ſanguinem gignit, inſtrumentum eſt, conſequens eſt, vt vitiato hoc viſcere, actio quoque eius vitietur.* Cùm enim iecur ſit inſtrumentum generationi ſanguinis dicatum, non poteſt eſſe vitium, aut error circa ſanguinis generationem, donec iecur patiatur.

Neque ſufficit, vt hydrops conſtituatur, quod ex alia parte diſtemperatâ maxima flatuum copia generetur, qui faciant tenſionem, ſicut in hydrope tympanite accidit, aut quod ob partium intemperiem frigidam humores refrigerentur nimis, ita vt nutritioni ſint inepti, & diſperſi per corpus, illud laxum & tumidum reddant, vt contingit in hydrope anaſarca; nam licèt affectionem hydropi ſimilem producant, non tamen hydropis nomen merentur, donec iecori vitium communicetur, in quo tanquam ſanguificandi inſtrumento, læſio actionis apparere debet; ita vt cuiuſvis aquæ inter cutem communis generatio ſit, vbi ſanguificationis officium intercidit, vti Galen. declarat 2. *prognoſt. cap.* 1.

*Quo morbo laborat iecur in hydrope.*

His ſic intellectis circa huius morbi naturam communis ſententia tenet, in hydrope iecur laborare diſtemperie frigida, ſiue per ſe, vel per conſenſum afficiatur. Hanc doctrinam deducunt ex Gal. 2. *de naturalib. facult. cap.* 8. & ex Auicenna, Paulo, Aretheo, & omnibus qui propriis capitibus ad cauſas per ſe, aut ex accidenti infrigidantes hunc morbum reducunt; quorum ratio deſumitur ab effectu: nam humores, qui generantur in hydrope, ſunt frigidi, & infra ſanguinem: debent ergo fieri à cauſa frigida, vel ſaltem à diminuto calore, ita vt aſſerat Aetius, quod citra hepatis refrigerationem impoſſibile eſt in hydropen incidere. Sicut enim humores, qui calidi ſunt ſupra ſanguinem, à iecoris calore immodico generantur, vt omnes fatentur, & deſumitur ex Galeno loco proximè citato; ita ſimiliter humores frigidi infra ſanguinem, calorem diminutum, aut frigus ad eorum productionem expoſtulant; ſed de hoc puncto quæſtione ſequenti erit ſermo. Sed cùm hydropis ſpecies ſint diuerſæ, diuerſos etiam frigiditatis gradus prærequirunt in iecore; nam à maiori frigiditate generatur aſcitis, quàm anaſarca; & anaſarca etiam à maiori quàm tympanitis; maior ſiquidem frigiditas eſt neceſſaria ad generationem aquæ, quàm ad pituitæ productionem; & maior ad pituitæ generationem, quàm ad flatuum copiam progignendam; nam flatuoſa ſubſtantia gigni non poteſt ſine aliquo calore, ſaltem debili, vt inſinuat Galen. 4. *aphoriſmorum, comm.* 11. Cum hoc tamen aliqui ex Authoribus oppoſitum ſuadere intendunt, inter quos Amatus Luſit. *centur.* 1. *curat.* 30. & Donatus Antonius *de medend. humani corporis malis, cap.* 91. qui exiſtimant, anaſarcam à frigidiori iecoris intemperie prouenire, quàm aſcitem, quoniam totum habitum pituitæ plenum habent laborantes; & quantò pituita frigidior eſt humore ſeroſo, tanto à frigidiori iecore generatur pituita quàm aquoſus, & ſeroſus humor. Quod verò ſeroſus ille humor, qui in aſcite gignitur, non ſit ita frigidus ſicut ipſa pituita, probat Donatus, ex Aetio, qui ait, quod humor ſeroſus, & tenuis, qui in aſcite congregatur, ſalſus eſt, & putrefactus, & maiorem ſitim excitat, & propterea largiorem potum deſiderant qui aſcite laborant, quàm reliqui hydropici; hoc autem neceſſariò prouenit ab intenſiori calore: ergo in

*In qua ſpecie intenſior frigiditas reperitur.*

*Amati Luſitani opinio.*

A aſcite intenſior calor reperitur, quàm in anaſarca, & tympanite.

*Concluſio.*

Sed horum ſententia meritò reiicitur, conſtanterque aſſerimus, à frigidiori iecoris intemperie aſcitem ortum ducere; idque probatur ex Galeno 4. *aphoriſmorum, comm.* 11. *citato*, vbi ait, quod à maiori frigiditate generatur aquoſa hydrops, quam aſcitem vocant, quoniam in membrana abdominis interiori peritoneo dicta, humor aquoſus veluti in vtre quodam continetur: & rationibus ſuadetur, nam aquoſus humor multò frigidior eſt pituitâ; nam pituita, vt communiter dicitur, eſt ſanguis ſemicoctus; aquoſus verò humor maximè diſtat à natura ſanguinis: quod quidem fit ob caloris defectum. Rurſus pituita craſſior eſt aquoſo humore: ſed hæc craſſities prouenit à calore; nam ea quæ coquuntur, per coctionem craſſiora redduntur, & calidiora, vt docet Ariſt. 4. *meteor. cap.* 2. & probat Valleſ. 7. *controu. c.* 12. ergo pituita calidior eſt
B humore aquoſo. Neque aliam cauſam inuenio, à qua humor pituitoſus craſſitiem comparet in iecore, dummodò ex parte chiloſæ ſubſtantiæ in aſcite, & anaſarca cætera ſint paria. Accedit ad hæc, quod in anaſarca ſanguinem mittere iubent Authores, quod nequaquam admitteret, ſi eſſet affectus ita frigidus ſicut aſcitis, in quo omninò ſanguinis miſſionem interdicunt.

Ex his ad Aetij rationem facilis eſt reſponſio, ſi dicamus, quod humor tenuis, & ſeroſus reperitur ſalſus & calidus in aſcite, non quia ſic generetur in hepate, ſed quia detinetur in ſpatio illo intra peritoneum, ibique putredinem aliquam contrahit, quia calefit à vaporibus & fuliginibus ibi detentis, ſalſuſque redditur, & ſitim excitat; in ſua tamen prima productione frigidus, & humidus, & ad aquæ naturam accedens fuit conſtitu-
C tus.

Ex dictis ſolùm conſtat, hydropem fieri à iecoris frigida intemperie; nunc tamen controuerſia ſequens dirimenda eſt.

## §. I.

### *An hydrops fieri poſſit à iecoris calida intemperie.*

HOc punctum tetigit Petrus Garcia, illudque ſufficienter abſoluit *diſp.* 58. *cap.* 7. *in libros de locis affectis*: ne tamen aliquid huic Operi deſit, noſtram proponemus ſententiam. Pro parte negatiua ſtant rationes, & authoritates ſuprà traditæ, quæ habent fundamentum in verbis Galeni 3. *de cauſis ſympt. cap.* 1. vbi ait: *Atque omnes qui-*
D *dem magnæ intemperies virtutem deiiciunt; verùm quæ ex frigido ſuperueniente conſtant, frigidos affectus excitare ſunt idoneæ; quæ verò ex calido, contrario.* Sed in omni hydrope relucent ſigna frigus demonſtrantia: ergo omnis hydrops à frigore excitari debet.

Sed oppoſita ſententia eſt à nobis amplectenda, quæ aſſerit hydropen fieri poſſe à calida iecoris intemperie; quam deſumpſimus ex Hippoc. 2. *prognoſt. textu* 1. vbi ait: *Aqua inter cutem omnis, ſi ex acuto morbo exiſtit, malum eſt, non enim ſedat febrem.* Quæ verba ſatis declarant, iecur calida intemperie laborare, ſiquidem febris non ſedatur, quæ ante hydropem perſiſtebat: eam etiam oſtendit Galen. 5. *de locis affect. cap.* 1. vbi ſic: *Haud ſecus hallucinari conſueuerunt in ea quoque aqua inter cutem ſpecie, quæ ad acutos morbos ſequitur; quippe abiis iecur calida, & ſæpenumerò ſicca intemperie*

*perie afficitur, vt cibum in ſanguinem tranſmutare nequeat.* In hoc etiam conueniunt Paulus, Auicenna,& alij. Sed qua ratione ex diſtemperie calida iecoris hydrops ortum ducat, non eſt facile explicare.

*Braui, & Donati ſententia.* Brauus Petraſitanus 2. *prognoſt. ſuper textum* 1. & Donatus Anton. *capite de hydrope*, inquiunt,calidam intemperiem, quæ ad acutos morbos ſequitur, ſpiritus, ſanguinemque diſcutiendo, innatumque calidum diſſipando,ad frigiditatem,id eſt, ad caloris naturalis inopiam, iecur perducere, ita vt iecur non ſuo calore natiuo, ſed potiùs frigiditate quadam priuatiua, quæ in defectu caloris conſiſtit,talem affectum producat.

*Horum ſententia impugnatur.* Horùm tamen Authorum ſententia meritò impugnatur. Nam omnis effectus poſitiuus cauſam poſitiuam requirit: ſed aqua,& pituita,quæ in hydrope generantur,ſunt effectus poſitiui: ergo cauſam poſitiuam requirunt. Quod enim in ſe nihil eſt, aliquid entitatiuè producere non poteſt; defectus enim caloris nullam entitatem producit, ſed potiùs ſui priuationem.

*Obiectio.* Secundò, quia vnum quodque operatur in quantum eſt in actu: ſed iecur eſt in actu per calorem ſaltem præternaturalem: ergo operabitur per illum. Neque valet ſi dicas, quod ille calor, *Illius ſolutio.* cùm ſit præter naturam, non eſt naturæ inſtrumentum ad ſuas actiones obeundas. Hoc, inquam, non valet; nam licèt ille calor non ſit inſtrumentum naturæ, nihilominus natura per illum operatur, ex quo, & ex calore inſito debili ſit vnus numero calor; & ſicut aqua calefacta calefacit, quia actu calorem habet,licet frigiditatem ex ſe requirat,ita ſimiliter iecur, quia calidum eſt, calore præter naturam,neceſſariò calefacere debet, & vti calore illo ad generationem humorum. Ex quo ſequitur, quod cùm in iecore ſint qualitates poſitiuæ, quibus operari poſſit, illius actio tribui non debet qualitatibus priuatiuis,quæ tantùm habent ſe ab intellectu.

*Valleſ. ſententia.* Valleſ. tamen 2. *prognoſt.* ſuper eundem Hippocratis textum, horum opinioni fauere videtur, ſed eam diuerſimodè explicat; inquit enim, quod iecur dupliciter calida intemperie laborare poteſt, fienti ſcilicet,vt quando radicale temperamentum mutatum non eſt, aut calor eſt iam factus, euerſumque eſt radicale temperamentum,& in calidius mutatum; quod temperamentum eſſe quendam ſubſtantiæ modum ex partium elementorum proportione reſultantem,ipſe docuit 1. *controuerſ. capite* 6. à quo ſingula membra ſuas participant actiones. Si ergo iecur primo modo ſe habet,non generat humores infrà ſanguinem, ſed ſuprà illum; nam licèt temperamentum primarum qualitatum in calidius mutetur, non tamen mutatur, nec euertitur temperamentum radicale, nec facultas quæ in talis temperamenti robore conſiſtit; & ſic eo tempore iecur non producit materiam hydropis. At ſi radicale temperamentum ſit mutatum, & ſubuerſum, facultas ſanguificandi debilis remanet, ita vt non poſſit generare humores calidos, neque ſupra ſanguinem, minuiturque taliter illius opus, vt ferè attingat ſanguinis productionem, & ſic producit humores frigidos, & flatus, ex quibus hydrops reſultat, ita vt prima generandi hydropem cauſa ex ſanguificationis defectu proueniat,vt aſſerit Galenus 2. *de natural. facult. cap.* 8. & ſic calida, & ſicca intemperie afficitur iecur, & chilum in ſanguinem tranſmutare nequit,vt Galenus etiam inſinuat 6. *de locis affectis, cap.* 1. *iam citato.*

*Valleſ. ſententia refutatur.* Hæc tamen ſententia ſic intellecta non caret A difficultate, contra quam inſurgo primò ex Galeno 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 1. vbi ait: *Omnes magnæ intemperantiæ virtutem deiiciunt; & frigidæ frigidos,calidæ calidos affectus excitant.* Ergo intemperies calida iecoris, ſiue fiens, ſiue facta, calidos generabit affectus, & non frigidos. Præterea non ſequitur,quod ex ſola mutatione,& euerſione radicalis temperamenti versùs calorem, generetur aqua,aut pituita, quæ cùm frigida ſint, frigiditatem expoſtulant ad ſui productionem.

*Reſponſio inefficax.* Sed fortaſsè reſpondebis, factum illum calorem generare aquam reſolutione partium calidarum in materia chiloſa,quibus reſolutis,id quod remanet, frigidius eſt; ſicut dicitur de vino, quod à calore in acetum conuertitur, & remanet frigidum ob calidarum partium conſumptionem, & reſolutionem à calore inductam. Contrà; nam calor fiens B in eodem gradu, aut intenſiori, eſt eiuſdem actiuitatis ad reſolutionem harum partium: ergo non eſt neceſſarius calor factus, & habitualis ad talem reſolutionem: ab vtroque ergo calore fieret hydrops,& non à facto,& habituali tantùm.

Vlteriùs non probat ſufficienter, hydropis materiam produci per actionem diminutam facultatis concoctricis iecoris; nam licèt reverà ita ſit, non ſolùm reperitur ibi ſymptoma in actione diminuta, ſed etiam adeſt ſymptoma in actione deprauata; ſiquidem generatur ſubſtantia à natura aliena,quæ non ſolùm arguit diminutionem actionis, ſed aliquid aliud,ratione cuius talis deprauatio in actione, & eius termino percipitur.

*Aliorum opinio.* Aliorum ſententia eſt,calorem iecoris naturalem C deperdi reſolutis calidioribus, & tenuioribus partibus iecoris à calore febrili, ita vt mutato temperamento radicali, & primarum qualitatum, quod remanet,frigidum eſt,à quo tanquam ab efficienti producitur hydropis ſubſtantia frigida; cum quo ſaluatur, quod ſemper hydrops à frigida cauſa excitetur. Hæc ſententia videtur habere fundamentum in verbis Auic. *cap.* 4. *citato*, vbi ait, quod calori innato accidit reſolutio, aut extinctio ex calido, aut frigido in hydropiſi. Deficientibus enim calidis partibus, frigidarum partium actio eluceſcit,ibique manet temperamentum habituale in frigidius mutatum.

*Huius opinionis improbatio.* Hanc ſententiam reiicit Petrus Garcia, qui probare intendit, eſſe Philoſophiæ aduerſum admittere talem partium diuerſitatem in mixtis; quæ quidem impugnari poteſt ſic: Nam licèt iecur habeat temperamentum frigidum habituale, operatur tamen temperamento formali, & actuali; D ſed temperamentum formale, & actuale eſt calidum calore febrili, & præter naturam: ergo illo debet operari; loquimur enim de hydrope,quæ ſequitur ad morbos acutos, & non ſedat febrem; quo tempre iecur laborat calida, & ſicca intemperie.

*Totius quæſtionis ſolutio.* Quare exiſtimare oportet cum Auicenna,quod cauſa communis, & coniuncta cuiuſlibet ſpeciei hydropis eſt debilitas digeſtionis hepaticæ, ob defectum caloris natiui, ſiue à calore extraneo, ſiue à frigore calor natiuus reſoluatur,aut extinguatur: & quia caloris natiui defectum comitem habet facultas,ideò dicitur communiter, quod omnis hydropis ſpecies à frigore originem trahit, licèt in iecore præſens ſit calor præter naturam. Sed quia facultas debilis,vt ſic,ſolum poteſt producere effectum debilem,& diminutum,per quem non reſultat ſubſtantia aquea hydropis,quæ eſt etiam à naturali ſubſtãtia aliena,ideò exiſtimare oportet,quod ex parte cauſæ efficientis aliqua qualitas,ſeu diſpoſitio producitur,ratione cuius non ſolùm varius,&

à

à natura alienus effectus producitur,ſed etiam hæc hydropis ſpecies magis quam illa, cùm omnes tamen habeant eaſdem cauſas,tam coniunctas,quam remotas, quas adiuuat etiam diuerſa hepatis diſpoſitio,ex qua ſequitur id quod diximus, & ob illius defectum non ſemper producitur hydrops, quamuis defectus caloris natiui adſit in iecore, & eius temperamentum ſit ſubuerſum,vt patet in hecticis,& maraſmo affectis, & in hepatica dyſenteria. Quæ doctrina eſt ad mentem doctoris Petri Garciæ,& quæ nobis magis quadrat.

*Obiectio.* Sed ex dictis obiicere poteris: Licèt in iecore adſit defectus caloris naturalis,qui requiritur ſaltem vt conditio neceſſaria ad hydropis generationem, tamen vt ſuprà tetigimus, effectus frigidus poſitiuus in cauſam frigidam poſitiuam eſt reducendus: ergo dum iecur calidum eſt à prædominio præternaturaliter,non poterit talem effectum frigidum producere.

*Reſponſio.* Reſpondetur cum Petro Garcia, quod licèt calor ille impediat generationem ſubſtantiæ frigidæ hydropis, cum hoc tamen aliæ diſpoſitiones conſiderantur in iecore, quæ cum exigua frigiditate diſponunt ad generationem aquæ, & ſubſtantiæ alterius frigidæ, vt in externis patet; nam aqua tempore hiemis producitur in cauernis terræ, vbi calor prædominat; hocque experimur in aquis puteorum, in ſpecubus petroſis, & locis aliis profundis,vbi loca aquam continentia calida ſentiuntur à prædominio, & nihilominus ob alias diſpoſitiones maior aquarum copia in caloris præſentia hiemis tempore producitur, quàm tempore æſtatis, quo loca illa profunda frigidiora iudicamus. Idemque proportionali modo dicendum eſt in generatione materiæ hydropis, iecore calido exiſtente.

Rogabis tamen, quænam ſit hæc qualitas, ſeu diſpoſitio in iecore, ratione cuius iecur aquam, vel aliam ſubſtantiam gignit à natura alienam.

Hanc diſpoſitionem vt ignotam Garcia reticuit, nec mirum, cùm difficile ſit eam perquirere, præſertim cùm ipſe partium diuerſitatem in mixtis homogeneis aufugiat, licèt iecori eas non deneget, propter actionem diuerſorum humorum productiuam ab hepate pullulantem, quæ in agente diuerſitatem partium ſupponit.

Nos tamen, qui ſatis probabiliter talium partium diuerſitatem admittimus,aſſerimus iecur,dum aquam, vel aliam ſubſtantiam loco ſanguinis gignit,dum calore præter naturam afficitur, eſſe malè diſpoſitum,non ſolùm ratione caloris,quo actu læditur, ſed etiam ex diuerſo temperamento ſubſtantifico,quod ex peruerſione à calore febrili reſultauit; nam iuxta maiorem,vel minorem partium calidarum reſolutionem inſurgit, quod maior, vel minor copia partium frigidarum in hepate reluceat, quibus forma determinatur ad productionem intenſioris, vel remiſſioris frigiditatis in partibus illis frigidis remanentibus; & conſequenter ad productionem huius ſubſtantiæ magis frigidæ, quàm ad productionem alterius minùs frigidæ; ex quo ſumitur neceſſitas producendi in iecore triplicem ſubſtantiam,quæ datur in triplici hydropis ſpecie.

His ſic definitis,vertitur in dubium apud Autores,vt ſtatim proponitur.

## §. II.

### *An vna hydropis ſpecies ſit deterior aliâ.*

IN huius nodi ſolutione euariant etiam Authores. Aliqui cenſent,tympanitem eſſe deteriorem aliis: quam ſententiam ſequuntur Valleſ. 8. *contr. c.* 10. & Pereda *ſchol.*46. eamque deſumunt ex Aëtio ſuperiùs citato, vbi inquit: *Eſt autem tympanitis omninò periculoſa, minùs eâ aſcites; adhibetur enim in ea punctio, & reliquis quoque remediis promptiùs, quam illa obedit.* Sarcites quoque aliquando curabilis ſit per ea, quæ cuti adhibentur humorem detrahentia, ac reſiccantia pharmaca: quod probare intendit Valleſ. qui aſſerit,quod licèt tympanitis ſit leuior morbus,necat tamen plures,ob eius difficilem curationem; ſi enim (inquit) hydropum genera diſcuſſione tantùm,& calefactu curarentur, curaretur faciliùs, vt par erat,hydrops tympanitis; faciliùs enim diſcutitur flatus, quàm aqua, & hepar minùs refrigeratum faciliùs recaleſcit: non tamen ſufficit reſolutio illa, ſed indiget chirurgia, & operatione manuali, & euacuatione, quibus adhuc non paret morbus. Et hoc aptiſſimo exemplo explicare nititur in ſuffuſione, aut cataracta incipiente,quæ non benè curatur, donec humor illam efficiens concreſcat,& viſionem magis lædat, ita vt fiat cataracta conſummata, quo tempore acus punctione extrahitur, ac meliùs curatur,quàm dum erat fiens. *Aëtij ſententia.*

In hac tamen difficultate,vt certum habeo, deteriorem hydropis ſpeciem eſſe illam,quæ ſequitur ad morbos acutos; hæc enim non ſedat febrem, ſed dolorem infert, & mortem, vt refert Hipp. 2. *prognoſt. citat.* & Auic. inquit, quod deterior eſt hydropiſis illa, quæ eſt cum ægritudine acuta; hæc enim cuiuſvis ſit ſpeciei, difficillimè curatur: nam ſi auxilia calida adhibueris, febris, & iecoris calida intemperies adaugentur; ſi frigida admoueantur, hydropum materia creſcit; ſi temperata ſint remedia,tardè,aut nunquam ægrum ad ſanitatem perducent,quia remiſsè operantur. *Veritas explicatur.*

Ex aliis verò,quæ ex morbo acuto non dependent, periculoſior cenſetur aſcitis, vt indicat Auicen. dum aſſerit: *Verum dignius eſt, vt ſit aſcites malignior illis omnibus.* Et ratio ſuprà tacta fuit, nam requirit maiorem calidi innati defectum, quàm in aliis ſpeciebus hydropis, magiſque euerſum eſt temperamentum naturale iecoris, minuſque ſanguinis generat. Quam ob cauſam in illa non iubet Galenus ſanguinem mittere,ſicut in anaſarca,in qua plus ſanguinis generatur: qua de cauſa 4. *de ratione victus,text.* 111. in illa ſanguinem extrahere iuſſit; tantò enim periculoſior eſt morbus,quantò hominem facit recedere à naturali ſtatu,intenſiúſque actionibus officit.

Deinde (dicunt) ſequitur anaſarca, quæ maiorem expoſtulat frigiditatem,quàm tympanitis,ſiquidem ad pituitæ generationem intenſius frigus requiritur, ad tympanitem verò calor diminutus ſufficit,qui eſt flatuum ſufficiens cauſa,cùm omnes fateantur flatuum generationem à diminuto calore initium ſumere, ac per conſequens omnium minimè periculoſa eſt tympanitis. Sed hæc ratio non conuincit,nam pituita etiam fit à calore diminuto, & ex alia parte eſt ſubſtantia naturaliter ordinata ad nutritionem; flatus verò eſt omninò à natura alienus,& toto genere præter naturam. Quapropter vt certius teneo, tympanitem eſſe anaſarca minùs ſecuram,difficiliuſque curari.

Ad

*Argumentorum reſponſio.* Ad Valleſ. ergo reſpondetur, non ſolùm tympanitem eſſe leuiorem hydropen, ſed curatu faciliorem; nam licèt flatus, qui eſt materia hydropis, non poſſit euacuari, euacuatur tamen materia antecedens,ex qua producitur,multáque reperiuntur auxilia flatus reſoluentia interiùs, & exteriùs admota,quibus etiam iecur calefit,& corroboratur faciliùs,quia minùs à naturali ſtatu diſtat,quàm aſcitis.

*Per quam viam aqua, & flatus in ventre ingrediantur.* Sed cùm dictum ſit, aquam, & flatum colligi intra peritoneum, oportet viam inueſtigare, per quam ad illum locum ingrediantur; quam patefecit Auicenna dicens: *Egreditur ſecundùm ſemitam reſudationis, aut coarctatione ventoſitatis, aut propter vehementiam expulſionis. Deinde & plurimum ſtationis eius non eſt,niſi inter zirbum,& inter ſiphac intrinſecum.* Vbi Auicen.partem,in qua colliguntur flatus, & aqua oſtendit, & ſimiliter modum,quo ad illam partem perueniunt;ſiquidem reſudationis modo per poros ingrediuntur, illorumque ingreſſum adiuuat facultas expultrix iecoris,vt docet Galenus 3.*de cauſis ſymptomat. cap.*2. vbi venas, & iecur in ventrem ſerum, & aquam mittere teſtatur. Et licèt paulò poſt adducta verba dicat Auicenna, quod aqua penetrat ſecundùm ſemitam ſciſſuræ,non tamen vult,quod aqua rodendo, aut ſcindendo partes penetret; ſed ibi refert modos, quibus aliquid ad partes expulſum peruenire poteſt. Quod verò ſine ruptione hoc accidere poſſit,docet Gal.7. *aphor. comm.*54. exemplo puris, quod in ſuppuratis ex pectore tuſſi reiicitur; quæ cùm craſſioris adhuc conſiſtentiæ ſit quàm aqua,& flatus hydropicorum,ſine ruptione tamen per poros natura ipſum pus attenuante eiici ſolet.

*Hydropum cauſa.* His ſic intellectis, ad hydropum cauſas deuenire oportet, quæ cuilibet hydropis ſpeciei communes cenſentur, & ſunt quæcumque corpus infrigidare valent, vt intemperies frigida, & calida ex morbis acutis,vt dictum eſt.Ego vidi quemdam,qui ex nimio vini potu in hydropem anaſarcam incidit, reſoluto hepatis calore à vini meracioris calore, quo frequenter vtebatur. Apoſtemata,tumores,diuturnæ hæmorrhoides immodicè fluentes, & earum ſubita ſuppreſſio,menſium profluuium excedens,& intempeſtiuus aquæ frigidæ potus hydropem cauſant, vt tradit Galen. 2.*de natur.facult.cap.*8. vbi reprehendit Eraſiſtratum,qui ex iecinoris ſchirrho tantùm hydropem gigni exiſtimabat. Quod etiam refert 6. *de locis affectis, cap.*1. *citato.* Sequitur etiam malum corporis habitum,lienteriam,dyſenteriam, longamque diarrhæam; quæ omnia hunc morbum progignunt, quatenus iecoris virtutem ſanguificam debilem reddunt, ſiue per ſe, ſiue per conſenſum iecur afficiatur.

*Signa aſcitis.* Notas quibus dignoſcimus quamlibet hydropis differentiam, tradere eſt neceſſe. Itaque ſi aſcitis infeſtat, intra peritoneum aqua plurima continetur; & ſi æger moueatur de latere in latus,ſonitum fluctuantis aquæ ſentiet; quod ſi venter pulſetur, ſonat ad modum vtris aquâ pleni: diſtenditur etiam venter maximè ob flatuum copiam, qui ex aqua eleuantur: ſcrotum, palpebræ, & pedes intumeſcunt, & reliquæ partes extenuantur; ita tamen, vt ferè ſemper aſcitis tympaniti coniungatur, vt Galenus inſinuat *lib.definitionibus medicis.*

*Signa tympanitis.* Tympanitem comitatur tumor ventris flatuoſus,venterque pulſatus ad tympani modum ſonat: dolores accidunt circa vmbilicum, tormina, & lumborum dolor, quæ nec medicamentis, neque aliter ſoluuntur, quæ tympanitis indicia ſunt, vt conſtat ex Hipp.4.*aphoriſm.text.*11. Totum corpus extenuatur, & areſcit, difficilè reſpirant, & eructare deſiderant, & exitu ventoſitatis alleuiantur ægri.

*Signa anaſarca.* In anaſarca apparet totum corpus œdematoſum, tumorque apparere incipit in pedibus, & cruribus, & in manibus; & ſi digitis comprimantur, loca compreſſionis caua conſpiciuntur: totum corpus, & facies albicant ratione humoris pituitoſi, qui per venas in omnes corporis partes diffunditur; qui cùm ſit humor aptus, vt vlteriori coctione in ſanguinis naturam tranſmutetur, eum natura ad nutritionem in propriis reſeruabit receptaculis. Sed quia non eſt ſufficienter diſpoſitus ad partium alimoniam, eas implet,& in tumorem eleuat, parteſque atrophiam patiuntur ob alimenti proprij defectum.

*Prognoſticum.* Omnis hydrops, qui ex acuto morbo dependet, dolorem infert,& mortem, ex Hippocrat. 2. *prognoſt.citato*; & ſi hydrops ſit inueteratus, eſt periculoſus,teſte Aëtio. Si vlcera hydropicis ſuperueniant, difficulter ſanantur, Hippoc. aſſeuerante 6. *aphor.textu* 8. non enim facilè ad exſiccationem perducuntur, vt notat Galen. *in comm.* Quod ſi hydropicum tuſſis atripiat, malum quidem eſt, vt Hippoc.etiam teſtatur eodem libro, *text.*35. Et ſi in hypoſarca affluxus alui fortis ex pituita ſuperueniat, à morbo liberat, ipſo etiam dicente 7. *aphoriſm. text.* 29. In his etiam, qui ab hydrope detinentur,ſi aquoſitas ad veſſicam, aut ad ventrem fluat,ſolutio fit,ex Hippoc.*lib.de iudicationibus.*

## §. III.

### *Curatio anaſarcæ.*

QVamuis quælibet hydropis ſpecies cùm alia in curatione aliquid commune habeat; tamen quia multis euariant, de cuiuſlibet ſeorſum curatione agere decreui, incipiens ab anaſarcæ curatione, dummodo priùs afferam eam, quæ omnibus in communi conuenit. Pro omnibus itaque eligatur aër ad calidum,& ſiccum vergens; habeant domum in ſublimi,& ſicco loco repoſitam, in qua ſint ſparſa vitex, thymus, pulegium,calaminthes, & alia exſiccantia,ex Aëtio. Cibus etiam calidus ſit, & reſiccans, vti panis probè coctus cum aniſi, & fœniculi ſemine. Carnes ſint aſſæ,turturum,perdicum nouellarum, pullorum gallinaceorum, turdorum, & phaſianorum, ita vt aues ſilueſtres domeſticis præferantur. Quod ſi carnes elixentur, eis adiicienda ſunt aromatica, vt cinnamomum, piper, cariophylum,crocum, & alia id genus. Olera,& legumina ſunt vitanda,præter aſparagos,folia raphani, petroſelinum,apium, allia,& porra cocta. Ex fructibus conueniunt amygdalæ toſtæ,piſtacia, caricæ, auellanæ toſtæ,& vuæ paſſæ,omnia tamen moderatè,neque omnia quotidie. In potu tantùm præbendum,quantùm ad infringendam aliquo modo ſitim ſufficiat; neque potus vltrà dandus eſt, quàm vt vitam ſuſtineant; nam quamminimùm bibere, & plurimùm laborare optimum eſt, vt inquit Galen. 4. *de ratione victus in morbis acutis, comm.* 11. Bibant ergo vinum fuluum,tenue quidem ſubſtantiâ, vt vrinas moueat, ſed non ætate nouum, vt ibi etiam Galenus monet; aut loco eius bibant aniſi,aut fœniculi aquam, aut aquam rhabarb. quæ potenter iecur corroborat, & abſtergit. Lectus non valde mollis ſit, & ſimiliter opercula. Exercitium valde confert, frictionéſque hydropi-

*Victus ratio communis.*

cis

cis ſunt faciendæ, donec partes incaleſcant. Con-
fert etiam quammaximè ægros in arena calida ſe-
pelire ſub æſtiuo ſole,& in frumenti aceruis obuo-
lutos,& abſconditos à ſomno ſurrexiſſe firmos, Aë-
tius etiam teſtatur.

*Curatio communis.* His ſic debitè inſtitutis,ad curationem acceden-
tes, conſiderare debemus cauſam, à qua hydrops
dependet, eamque auferre tentabimus. Si enim ex
immodica euacuatione ſanguinis, alteriuſve hu-
moris ortum habeat, ſiſtentibus auxiliis eam fræ-
nabis, quæ capite de ſanguinis ſputo, & aliis capi-
tibus tradita ſunt. Si verò ex aliqua euacuatione
ſuppreſſa, eam denuò excitabis, ſi morbus ſit in
principio, & eam vires ferre poſſunt; quod nos
docet Galenus *lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſt.
cap.* 5. Verùm ſi ex ſchirrho aut obſtructione ie-
coris, vel ex affectu alterius partis contingat, de
iis omnibus in curatione eſt habenda conſideratio:
non enim auferri poteſt effectus, niſi priùs præſcin-
damus cauſam. Præter dicta habent etiam com-
munem euacuationem; hac tamen adhibita diſtin-
ctione, quod anaſarca aliquando ſanguinis miſſio-
nem petit, vi docet Galenus 4. *de ratione victus, ci-
tato*; in quo conueniunt Paul. Aëtius, Auic. &
alij, quod remedium aliis hydropum ſpeciebus de-
negant Authores.

*Anaſarcæ curatio.* Deuenientes ergo ad anaſarcæ curationem par-
ticularem, ſi vires conſtent, & aliqua euacuatio
ſit ſuppreſſa, licebit ſanguinem extrahere in mo-
derata quantitate, vicibus partitis; ſanguinis ſiqui-
dem detractio naturam leuat, vt minorem redditam
materiam faciliùs natura ſuperet. Videmus vtique,
quod ignis externus cùm à lignis viridibus prope-
modum extinguitur, refocillatur rurſus, ſi illa, quæ
ipſum ſuffocabant, auferantur, vt ait Tralianus.
Deinde eiuſdem, ac omnium conſilio humores ad
expurgationem præparabimus iis, quæ vim ha-
bent aperiendi, deobſtruendi,& ſcindendi, qualia
tradidimus capite de iecoris obſtructione. Mox
humor euacuandus, non tamen vna vice, ne vi-
res deiiciantur, vt ipſe Tralianus teſtatur; idque
efficies phlegmagogis medicamentis, à leuioribus
ſemper incipiendo; cui muneri, & vt ſimul ven-
triculi humoris reliquias conteras, porrige infuſum
rhabarb.& agaric. trochiſc. in liquore ex 9. infu-
ſion. roſarum perſic. addito modico turpeti, aut pul-
uere hieræ Galeni, cui accommodari poſſunt rha-
barb. optimi ſpicâ vigorati, & agarici trochiſc.
ana ℈.ij. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem
in decocto apij, eryng. aniſi, & foliorum ſennæ,
pulu. hieræ ʒ.ß. ſyrupi perſici ſolut. ℥.iij. miſce, &
fiat potus. Aut ℞. decocti ſeminis cartami contuſi,
radicis apij, petroſelini, ſeminis fœniculi, & folio-
rum ſennæ ℥.iij. catholici ʒ.v. ſyrupi ſennati, vel
Regij ℥. iij. miſce. Vel ℞. maſſæ pillularum
de hiera ℈.ij. agarici trochiſc. ʒ.ß. cum aqua ab-
ſinthij, fiant pillulæ ſeptem. Hæc, & alia for-
mare poteris ad expurgationem maximè accom-
modata.

*De vomitu.* Sed quia ventriculus,& ventris tota regio cru-
dis ſuccis ſunt referta, ante expurgationem,& poſt
illam optimum eſt vomitum concitare, ſi æger ad
vomitum pronus ſit, & clyſteribus aperientibus,
& purgantibus vti. Vomitum ergo præparabis, ſi
quotidie aſſumat æger oxymelitis, & rhodomellis,
ana ℥.j. aquæ fœniculi ℥.iij. miſce: deinde tertio,
aut quarto die euomat æger, aſſumptis prius decocti
raphani ℥.v. oxymellis ſimplic. ℥.ij. tepidis; aut
aquæ mulſæ ℥.v. oxymelit. ſymplicis ℥.j. quibus,
& aliis traditis *cap. de vomitu*, vti poteris, vomi-
tumque prouocabis pennæ oleo imbutæ, vel digiti
in os immiſſione, maximè à paſtu, cùm venter va-

A riis obſoniis, & acetoſis ſit repletus, vt iubet Aë-
tius. Clyſteres parentur ex decocto betæ, mercuria-
lis, ſeminis aniſi, fœniculi,& fœnugræci, cum ſuc-
co roſarum perſicarum & hiera ſimplici, aut dia-
phœnic. vel diacathol.

*Diureticorum vſus.* Sed quia iſte morbus eſt diu durans, neque fa-
cilè remediis cedit, conſulunt omnes, vt ad diure-
ticorum vſum deueniamus; eſt enim humor cru-
dus, & craſſus, qui in venis etiam cuti, & carni
proximis exiſtit,& non benè medicamento expur-
ganti ducitur: quapropter illum quantum fieri
poſſit, attenuabimus, & per vrinam ducere tenta-
bimus; in quem vſum laudantur ſyrupi quinque
radic. capill. Ven. liquiritiæ, de biſantiis, de eupa-
torio, cum decocto radicis eryngij, aſſari, cinnamo-
mi, iuniperi, dauci, cardamomi, ameos, & radicis
rubeæ tinctorum. Eandem præſtant vtilitatem tro-
chiſci de eupatorio, de rhabarb. de abſinthio, dia-
B lacca, diacurcuma, aromaticum roſatum diarrhod.
Abb. theriaca, & mitridatum, & vinum abſinthi-
tes. Hæc conſerua mirabilem vim poſſidet ad iecur,
& ſtomachum frigidum roborandum, & humores
diſcutiendum. ℞. corticum citrorum ℔.ß. infun-
dantur in aqua donec molleſcant,& minutatim in-
ſcindantur; cinnamomi, cariophyl. ligni aloës,
macis, galangæ, cardamomi, zingiberis, ſchœnanti,
& ſpicæ nardi, ana ʒ.ß. mellis deſpumati quod ſuf-
ficiat, miſce, & fiat conſerua. Confectio etiam,
quæ ex Indiis adſportatur, quam vulgariter ap-
pellant *chocolate*, quotidie aſſumpta idem efficere
ſolet.

*Exterius admouenda.* Exteriùs admouebis emplaſtra, & vnguenta,
quæ reſoluendi, exſiccandi, & roborandi vires ha-
C beant; in quem vſum ſic paretur vnguentum ad
hepar,& ventris totam regionem. ℞. oleorum ab-
ſinthij, nardini, menthæ, anethi,& chamæm. ſing. *Vnguenta.*
℥.j. ſucci ebulorum, & abſinthij, ana ℥.j. bulliant
ſimul ad ſuccorum conſumptionem; pulueris cin-
namomi, cariophyl. abſinthij, menthæ, baccarum
lauri, nucis moſchatæ, cubebarum, & macis, ana
ʒ.ß. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum. Benè facit
etiam vnguentum Agrippæ, ſi bis quotidie tota
ventris regio eo inungatur. Vnguentum de arta-
nita potenter reſoluit, & exſiccat humores, &
aquam in ventre detentiam euacuat, ſi eo venter
vngatur. Ex emplaſtris conferunt emplaſtrum *Emplaſtra.*
de baccis lauri, & de meliloto; aut hoc quod reci-
pit ſtercoris ſicci caprini, bubuli,& columbarum,
ana partes æquales, pulueris abſinthij, menthæ,
origani, rutæ ſilueſtris, & baccarum lauri, ana ℥.j.
aquæ vitæ ℥.iij. miſce, & cum ſapa, aut vino fiat
emplaſtrum, quod quotidie recens ventri applice-
D tur. Caprinum ſtercus in vrina pueri impubis ve-
neris expertis, vel in ipſius capræ vrina coctum, ad
emplaſtri formam redactum, egregiè per aluum ex-
purgat. Stercus bouis reſiccatum, & tritum, in
poſca coque, inſperſâ ſulphuris vini quarta parte,
& illud ad emplaſtri conſiſtentiam reduces,& per
ventris totam amplitudinem impones, ex Gal. 9.
*de compoſit. medic. ſecund. locos, cap.* 3. loco tamen
poſcæ, vinum, aut ſapa poni poſſunt. Valet etiam
hoc cataplaſma. ℞. farinæ fœnugræci, ſeminis li-
ni,& orobi, ana ℔.ß. pulueris cinnamomi, cymini,
origani, abſinthij, rutæ, acori, cubeb. cardamomi,&
baccarum lauri, ana ʒ.ij. aquæ vitæ ℥. ij. ſapæ
quod ſit ſatis vt fiat cataplaſma.

*Fomenta.* Fomenta etiam adminiſtrantur, in hunc modum.
℞. pulegij, origani, calamenti,& foliorum lauri, ab-
ſinth. ceterac, foliorum rutæ, menthæ, & thymi, ana
m.j. ſeminis aniſi, cumini ruſtici, fœniculi, & car-
ui, ana p.j. aliquantulum contuſa bulliant in æquis
portionibus vini albi, & aquæ, ad tertiæ partis
conſum

conſumptionem ; quo decocto calido foueatur venter, deinde linteo calido ſiccetur, & vnguentum, aut emplaſtrum aliquod ex ſuprà dictis apponatur.

Sacculi etiam prodeſſe conſpiciuntur ex eiſdem rebus vino, aut aqua vitæ irroratis, quibus addes ſal, milium, & ſulphur. Similiter, vt iam diximus, proſunt frictiones totius corporis cum oleo, & ſale nitro, aut ſulphure factæ ; aut nitro ſubtiliter trito vniuerſum corpus conſpergatur, & fricetur ; ſic enim corpus firmatur, & ſudor commoueri ſolet, ſi in ſole, aut propè ignem fricetur. Aliquando autem ægrum ſoli æſtiuo exponemus trium, aut quatuor horarum ſpatio, iuxta meridiem, velato capite, interimque oleo anethi, & ſale miſtis fricare conueniet. Aut arena à ſole ignita, aut pellibus à ſole ferueſactis ægrum occulere oportet, capite tantùm reuelato ; arena tamen ex mari omnibus præfertur, vt docet Plinius *lib. 39. nat. hiſt. cap. 6.* Poſt hæc aquâ marinâ, aut aluminoſâ, ſiue ſulphureâ lauetur ; hæc enim morbum deterunt, & habitum corporis valentiorem reddunt, vt inquit Aëtius. Tandem Aſclepiade Authore, quem ſequuntur Galenus, & Aëtius, crura ſcarificare oportet circa talum internum, in loco quatuor digitorum ſpatio ſupra talum eminente, factis ſciſſuris ea profunditate, quâ quis in venæ ſectione vtitur. Vidi ego puellam ad quam curandam acceſſiui, valde anaſarcâ, crurum & pedum tumore oppreſſam, cui dum crura ſcarificare vellem, ſponte vlcera aquoſo humore plena facta ſunt in illius cruribus, ex quibus tanta humorum copia quotidie effluebat, vt quindecim dierum ſpatio, ſine alio medicamine ad ſanitatem fuerit perducta, & nunc incolumis perſeuerat. Si igitur ars imitatur naturam, ipſos naturæ defectus ars ſupplere debet. Itaque crura ſunt ſcarificanda in hoc affectu, quod ſolet eſſe maximi emolumenti.

*Crurum ſcarificationes.*

Sed non licet expectare quouſque nimis crura diſtemperentur, aut eorum temperies ſubuertatur ; nam ex vſtione, aut ex ſcarificatione crurum calor nimis debilitatur, & gangræna ſubſequi ſolet ; quod ego vidi in quodam ægro anaſarca laborante.

## §. IV.

### *Curatio tympanitis.*

AQua intercus, quam tympanitem vocant, eundem expoſtulat ordinem circa res non naturales, ſicut hypoſarca, de qua priùs dictum eſt. Præterea ad curationem illius maximè conducit euacuatio, quæ fieri debet medicamento expurganti, vt omnes fatentur ; nam licèt non detur medicamentum, quod habeat vim expurgandi flatus ; oportet tamen euacuare pituitam, & humores craſſos, ex quibus flatus quotidie generantur : quam euacuationem efficimus phlegmagogis medicamentis pro curatione anaſarcæ traditis, quibus addere licebit flatus diſcutientia, vt ſemen aniſi, fœniculi, carui, vel dauci. Clyſteres etiam parantur ex eiſdem rebus, quibus addes etiam aniſum, fœniculum, anethum, & ſimilia. Glandes etiam parari poſſunt ex melle toſto, cumino, & ſale, & hieræ puluere, aut ex melle toſto, & agarici puluere, & ſale gemma.

Vlteriùs vrinam prouocantia, & flatus diſcutientia ad intra, & ad extra ſunt offerenda. Interiùs aſſumat æger quæ in curatione anaſarcæ tradita ſunt. Vtilia etiam ſunt diacyminum, dianiſum, diatrion pipereon, diagalanga, diamoſchum, & pul-



A ueres Papæ Benedicti per ſe ſumptæ, aut in aqua fœniculi, vel vino albo ; illorum tamen quantitas pro vna vice ſit cochleare vnum, vel ʒ.j.

Ventri admoueantur quotidie cucurbitæ cum multa flamma, quæ tantam vtilitatem præſtant, vt incantamenti quid ſimile huiuſmodi præſidium efficere viſum fuerit, vt inquit Galenus 12. *method. cap. vltimo.* Poteris etiam ſalubriter vti ſuprà commemoratis emplaſtris, & vnguentis, aut fiat emplaſtrum quod recipit farinæ fœnugræci, & ſeminis lini, ana ℥.iij. ſtercoris caprini, & columbini, ana ℥.j. panis toſti ℥.ij. ſalis nitri, ſeminis apij, fœniculi, dauci, & cumini, ana ʒ. ij. aquæ vitæ ℥.ij. aquæ mulſæ quod ſufficiat, vt fiat emplaſtrum.

Sacculi etiam ex ſale, milio, ſulphure, anthos, origano, pulegio, calendula, & chamæmalo ventri admoti, & aqua vitæ irrorati iuuant. Iuuant etiam balnea ſulphurea, & ſalſa, aut arena igne, aut ſole B calefacta, & ſuffitus per ignitos lapides. Reliqua ex aliarum hydropum curatione pete.

## §. V.

### *Curatio aſcitis.*

SImilis ordo eſt ſeruandus in cibi, & potus electione, & in aliis rebus non naturalibus, qualem diximus in curatione anaſarcæ. Quibus inſtitutis, ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa, vt hæmorrhoïdes, & in mulieribus menſtrualis euacuatio, vireſque validæ ſint, à ſanguinis miſſione eſt exordiendum, vt diximus in generali hydropum curatione, ex Galeni conſilio. Imò ſi poſſibile fuerit, à ſanguinis miſſione eſt abſtinendum, quoniam ſubſtantia aquoſa tumorem efficiens eſt extra ve- C nas ; quapropter Galenus 4. *de ratione victus, comm.* 111. ait : *Tympaniam verò, & aſcitem nullus per ſanguinis miſſionem ſanare eſt auſus.*

Sanguinis tamen quantitas parca ſit, ne iecur ex euacuatione imbecillius reddatur. Deinde vias reſeramus, ſi aliquibus diebus recipiat æger ſyr. de eupatorio, de agrimonia, de duabus, vel quinque radicibus, & mel roſaceum, cum aquis abſinthij, fœniculi, & ceterac. Mox humor aquoſus eſt expurgandus, in quem vſum comprobant Authores ſuccum radicis iridis, qui potenter humorem aquoſum expurgat : doſis eius eſt ab ℥.ß. ad ʒ.vj. & in fortioribus ad ℥.j. ſic. ℞. ſucci radicis iridis ℥.j. mulſæ, aut mellis roſacei ℥.j.ß. puluer. diarrhod. Abb. ʒ.ß. miſce ; quam euacuationem licebit aliquibus diebus elapſis rurſum repetere, vt monet Tral. Neque in hac parte eſt ſequendus D Alexander Maſſarias, qui aſſerit quantitatem ſucci radicis iridis extendi poſſe vſque ad ℥. iiij. cùm ſufficienter purgatio adimpleatur ℥.j. vel ℥.j. ß. eiuſdem ſucci. Braſſicæ quoque marinæ ſuccus, quam ſoldanellam vocant, benè aquam purgat à ʒ.j. vſque ad duas, vel tres, cum ℥.iij. aquæ mulſæ : addere tamen oportet ʒ. ß. pulu. diarrhod. Abb. vt corrigi poſſit, ne ventriculum, cui aduerſatur, lædat, vireſque diſſoluat. Succus aridus cucumeris ſilueſtris, quantitate dimidij ſcrupuli, cum aqua mulſa ebibitus fortiter aquam educit, ex Dioſcorid. *lib. 4. cap. 149.* Radix ſambuci, aut ebuli in vino decocta hydropicorum aquam etiam euacuat, ex eodem *lib. citato, c. 168.* Syrupus ex elaterio compoſitus optimus eſt, ſi quantitate ℥.ij. per interualla aſſumatur. Succus ſambuci, aut radicis ebuli in vino aſſumptus iuuat, ex Paulo. Iuuant etiam pillulæ Rhaſis, quæ recipiunt rhab. ſucci agrimoniæ, ſeminis endiuiæ, ana ʒ.iij. agarici ʒ.v. folior. laureolæ infuſorum in aceto, & ſiccorum ʒ.vj. fiant pillulæ,

*Aquam expurgantia.*

quarum doſis ſint ℈.ij. quæ fortiores erunt ſi eas ſucco iridis radicis efformaueris, aut oxymelite, in quo maduerit euphorbium,aut mezereon, vel laureola. Remiſſiores eas efficies demptis laureolæ foliis.Pillulæ de ſerapino,de euphorbio,& mezereon violenter aquam purgant; quare ab earum vſu recedes,niſi alia non ſufficiant.

*Cantharidum vſus.* Aliqui cantharidum vſum probant,quia vrinas cient,& per illas ventrem expurgant,vt docet Galenus 11.*ſimplic.* & Plinius *lib.*29. *naturalis hiſt. capit.*4. earum tamen vſum improbat Auic. ſunt etenim venenoſæ, vt conſtat ex Galen.3. *ſimplic.* & ex Plinio *loco proximè citato.* Neque ſufficit ex Arabum ſententia earum extrema detrahere, caput nempe, pedes, & alas, vt iubet Hippocrates 4.*de ratione vict. in morb.acutis,text.*122.vbi poculum pro hydropicis parat ex cantharidibus,abiectis capite, pedibus, & alis; nam id conſtat ex Galeno *in comm.illius textus*, qui duorum Medicorum hiſtorias refert, ex quibus vnus corpora cantaridum, alter illarum extrema in potu hydropicis tribuerunt, & larga effuſione aquæ eos interfecerunt. Meritò ergo conſulit Valleſ.*in comm.textus Hippocratici adducti*, vt aliis auxiliis morbos deuaſtemus potiùs, quàm hoc remedio nociuo inducamus noxam: lac caprinum, & camelarum fœtarum in potu dare iubet Auicenna,quod aquam clementer purgat. Optimum prouocatiuum etiam eſt ſerum caprinum, in quo infunditur nardi ſpica,ex Matthæo de Gradi.Idem efficit vrina capræ, in qua infuſa fuerit ſpica nardi cum melle ſumpta. Hoc tamen vnum ſeruare debemus,vt à clementioribus ſemper incipiamus,quæ ſi non ſufficiant, ipſa vrgentiæ ratio ad valentiora deuenire nos cogit. Alia multa afferunt Authores,nos autem faciliora, & probatiora adduximus.

Inter vnam, & aliam euacuationem oportet ante cibum aſſumere ʒ.j.dialaccæ,vel diacurcumæ in vino, aut in aqua fœniculi, vel graminis diſſolutam, aut catapotia finges ab Aëtio adducta in hunc modum.℞.ſeminis fœnic. cardam.radicis eryngij, corticis radicis capparis,cuiuſque ʒ.j.ſtercoris columbini cochlearia duo, contere, & cum aqua catapotia ciceris magnitudine forma, & quinque ex eis quotidie præbe. Summè etiam conducit decoctum corticis radicis aſſari ex vino; aut ipſius radicis pulu.℥.j.in vino; vel decoctum iunci odorati, ſpicæ nardi, aſſari, phu, & meu; vel vinum aut aqua mulſa, in quibus per noctem maduerint abſinthij comata.

Clyſteribus etiam fortibus aquam educere tentabimus,qui ſic parantur.℞.radicis cucum. ſilueſt. ℥.j. foliorum rutæ,anethi,chamæm,meliloti,mercurial,& betæ, ana m.j.radicis ebuli ℥.j.polypodij ℥.ß. coquantur in debita quantitate aquæ, cuius decocti accipe ℔.j. mellis roſacei perſici ℥.ij. hieræ ſimplic. ℥.j.ſalis ʒ.j.miſce. Vel ℞.decocti ſeminis carthami,& polypodij contuſorum,origani, pulegij,rutæ, foliorum laureolæ, radicis altheæ, & betæ ℔.j.olei anethini,& de capparis,ana ℥.j.elect. diaphœnic.℥.j.miſce.

*Exteriùs admouenda.* Exteriùs admouenda ſunt emplaſtra,& vnguenta ſuprà tradita: linimenta tamen fieri poſſunt ex oleo de abſinthio,irino,nardino & mentha; & ſuperinſpergemus puluerem abſinthij, carpeſiarum, aniſi,fœniculi,cariophylorum,ammoniaci, & galbani. Valet vnguentum de Agrippa,dialthea, & de artanita, & hoc emplaſtrum. ℞. ſtercoris caprini, bubuli,& columbarum, ana ℥.iij. ſucci abſinthij, & ebulorum, ana ℥.j. ß. ſucci cucumeris ſilueſtris ℥.j.pulueris abſinthii,cariophylorum, cardamomi, aſſari,& cubebarum,ana ʒ.j.bulliant in aceti mulſi debita quantitate ademplaſtri conſiſtentiam,& inter coquendum adde ſulphuris ℥.ß. miſce, & fiat emplaſtrum.

*Manualis operatio quomodo exercenda.* Sed quia eiuſmodi auxilia finem non attingunt, ſi vires validæ ſint, ad ventris punctionem, ſeu apertionem deuenire oportet,quam apertionem indicare viſus eſt Hippoc.6. *aphor. text.*27. vbi ſic: *Quicumque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes vruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua vniuerſim effluxerint, omnes moriuntur.* Vbi non ſolùm docet eſſe faciendam ſectionem, ſed euacuationis quantitatem metiri iubet, ne ex immodica euacuatione ſpiritibus exſolutis, moriatur æger. Idem inſinuat Paulus *lib.* 3. *cap.* 48. *in fine*, vbi ait, quod ſi aſcitis prædictis remediis non ceſſerit, ad perforationem veniendum eſt, quæ nulli alij aquæ inter cutem generi conuenit.

Aduertere tamen oportet, quod ad apertionem non debemus expectare quovſque viſcera ſint nimis diſtemperata; nam ſic poſteà apertione factâ, & aquâ totaliter extractâ, nondum reſtaurantur: quapropter Hipp.*lib.*6.*epidem.ſection.*7. iubet hydropicos ſtatim ſecare.

Sed de loco apertionis eſt diſſenſio inter Authores. Andreas Laurent.exiſtimat,commodiorem eſſe apertionem per medium vmbilicum factam: quod probare nititur plurimis experimentis, ſiquidem plures viſi ſunt,quibus ſponte ſolutus fuit vmbilicus, & poſtea refectis viribus incolumes euaſerunt; idque ratione ſuaderi poteſt; ſi enim quò natura vergit,eò ducere oportet, vt inquit Hipp.ſæpeque talem euacuationem per vmbilicum molitur natura,tutò naturam imitando eam adminiſtrare poſſumus. Accedit ad hoc, quod in aſcite vmbilicus prominet adeò,vt ſi ſola cutis acuto ferro compungatur, ſtatim aquarum fiat effuſio. Modum etiam apertionis inſinuat ipſe Andreas Laurentius, dicens: *Tota vmbilici circumferentia filo primò traiicienda eſt, vt arctari poſſit foramen, ſi maiori impetu erumperent aquæ; deinde acuto,& pungenti ferro ſecanda eſt cutis, qua parte vaſa dehiſcunt; mox ænea, aut argentea fiſtula in vulnus immitti debet, per quam paulatim effluere poſſit aqua.* Auic. tamen, & antiquiores, vt Cælius Aurelian. 3. *tardar. paſſionum,c.de hydrope*, Albucaſis, Meſuë, & alij apertionem moliuntur ad vmbilici latus; quam apertionem oportebit facere tribus digitis diſtantem ab vmbilico,ita vt ſi hydrops habeat ortum à liene, ſecare oportet partem ab vmbilico dexteram; quod ſi à iecore, aut à parte dextera initium ſumat, partem ſiniſtram ſcindere iubent; quam ſectionem ſecuriorem exiſtimant. *Authoris obſeruatio.* Ego enim quendam puerum curaui, adhibita ſectione in latere ſiniſtro ventris, ex qua paulatim tantam copiam aquæ extraxi, vt ſeptem, aut octo diebus habitum naturalem recuperauerit. Neque Andreæ Laurentij obſeruationum inſcius eram, ſed reuerà timui, ne vmbilici ſectione ſecarentur venæ vmbilicales, & arteriæ, & euacuatis ſpiritibus, & ſanguine mors inopinata ſuccederet. Natura equidem docta eſt ſine doctore, & per vias nobis ignotas morbi cauſas propellere ſolet, quas naturam imitando ars non ſemper aſſequi poteſt; & hac ratione vmbilici ſectionem euitaui,& propter timorem ruptionis vaſorum, quæ in vmbilicum terminantur, probabilior, & ſecurior apparet antiquorum diſſecandi modus, quem in hac parte ſequi volo.

*Nota benè.* Aduertere tamen oportet, quod non debemus ſecare membranam peritoneum dictam, ſed tantùm cutem, & membranam carnoſam, ne ſubitò

effluat

effluat vniuerſa aqua, ſic enim per reſudationem, & tranſcolationem paulatim aqua ex membranâ illa tranſmittitur, de quo periculum feci. Neque eſt ſequendus qui docet ſecare ſyphac.

Conducunt etiam vlcera iuxta vmbilicum candenti ferro facta; aut cutis ventris ſcarificationes ſeparatim factæ in quem vſum vtile etiam eſt veſſicatoria apponere, & permittere aquam effluere. Sed ſecutius, & facilius auxilium eſt ſcroto ſetonem affigere, illumque apertum ſeruare, donec aqua euaneſcat.

*De hydrope cum febre.*

Quod ſi hydrops febri adiungatur, aut ex febre, vel inflammatione, vel iecoris intemperie calida ortum contrahat, temperata remedia ſunt ex vſu, vt docet Tralianus, vt ſunt ſyrup. cichor. capill. Ven. acetoſus ſimplex, & ſerum lactis caprini. Purgatio fiet per mirobalanos citrinos, quæ aquam citrinam educunt; & vt ait Auic. iecur roborant. Idem efficit rhabarb. dilutum cum ſeminis carthami emulſione, & agaricum trochiſc. Purgatio ſimiliter debet fieri per vices, & interualla. Rurſus ad extremum vſum calidorum, vel frigidorum remediorum deuenies, pro ratione morbi exſuperantis. Simili modo iecur attemperabis, & roborabis vnguento ſanthalino, & roſarum, cum puluere aromatici roſarum, & calami aromatici; & vt ſummatim dicam, in omni hydropis ſpecie poſt auxilia tradita iecur, & venter ſunt roboranda, & firmanda.

Tandem ſi duæ hydropis ſpecies reperiantur, vt aſcitis, & tympanitis, remedia vtrique ſunt admouenda, quæ ex dictis facilè aptari poſſunt.

## CAPVT III.

### *De ictero, ſeu morbo regio.*

SI huius morbi nominis etymologiam ſpectes, denominationem ſumpſit à quadam aue, quam latinè galbulam vocant, quæ eſt huius coloris; & vt alij volunt, quia hoc morbo affecti auis inſpectione ſanantur. Dicitur morbus etiam Regius, aut arcuatus, à colore arcus cœleſtis. De hoc morbo egit Galen. 5. *de locis affect. cap.* 7. illumque definit Paulus *lib.* 3. *cap.* 5. dicens: *Regius morbus eſt bilis per totum corpus ſuffuſio, modò atræ, modò flauæ.* Auic. etiam inquit: *Icteritia eſt alteratio coloris corporis fœda ad citrinitatem tendens, propter curſum humoris citrini, aut nigri ad cutem, & quæ ſequuntur ipſam ſine putredine.* Quorum verba quandam deſcriptionem huius morbi includunt potiùs quàm definitionem quidditatiuam, quoniam coloris cutis mutatio eſt ſymptoma in qualitate mutata, quod præſupponit morbum. Hæc coloris mutatio in tunicis albis oculi clariùs conſpicitur, cui accidit error in viſu, vt infinuat Galen. 1. *de cauſis ſympt. cap.* 2. vbi ait: *Proinde qui morbo regio laborant, pallida omnia videre ſe putant, & pro humorum colorem mutantium natura error correſpondet in viſu.* Valleſ. 4. *controuerſ. c.* 2. probare intendit, vitium hoc prouenire ex humore intra oculorum tunicas collecto, quo præſente omnia quæ videntur, apparent eiuſdem coloris: ſed de hoc ſatis diffusè actum eſt *cap. de albugine, & cicatrice oculorum.*

*Cauſa icteri citrini.*

Alteratur quidem color propter humorem citrinum, vel atrum, ad cutem transfuſum, vt inquit Auicenna: ſed quam ob cauſam iſte humor funditur, reſtat nunc explicare; incipiemus tamen à



A caufis icteri citrini. Fit etenim icterus citrinus à iecoris calida intemperie, ratione cuius maiorem bilis copiam generat, quàm pro ſtatu naturali, eamque natura ad cutem transfundit. Fit etiam ex totius corporis calida intemperie, quæ humores, & alimentum in bilem conuertit; quam etiam adiuuant cibi calidi, & aliæ cauſæ externæ calorem procreantes, inter quas connumeratur morſus viperæ, quo vniuerſi corporis color in porri colorem mutatur, vt refert Galen. 5. *de locis affect. cap.* 7. *iam citato*, in hiſtoria cuiuſdam Imperialium ſeruorum; aut ob potum venefici medicamenti. Inſurgit etiam ex iecoris inflammatione, qua bilioſi redduntur humores. Frequenter tamen fieri ſolet ratione obſtructionis meatus, per quem ad veſſicam fellis iecur bilem transfundit, vel propter obſtructionem viæ, per quam defertur bilis à veſſica fellis ad inteſtinum ieiunum dictum. Aut ob

B veſſicæ fellis imbecillitatem, non potentis iecur mundare, nec ſuum munus adimplere, vt ſi nimis repleta veſſica ſit, ita vt magis trahere non poſſit; aut ratione alicuius intemperiei, quæ illius facultatem trahentem debilitat. Accidit etiam tempore criſis, quando natura cauſam alicuius morbi præcedentis die critico ad cutem diffundit, aut alio die non indicatorio. Cùm enim bilis ob dictas cauſas per inteſtina non purgatur, in iecur, & venas regurgitat, & ex illis ad cutem tranſmittitur, & conſurgit dictum ſymptoma in qualitate mutata, & aliud in eis, quæ retinentur præter naturam. Ex quibus deducitur, huiuſmodi ſymptomata præſupponere varios morbos, à quibus fiant, vt cuilibet conſideranti patebit, & oſtendit Galenus 4. *aphor. comm.* 62.

*Dubium.*

Sed antequam ad alia properemus, explicare oportet textum Hippocratis 4. *aphoriſm.* 62. vbi

C ait: *Quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum.* Videtur enim ex huius verbis, quod ſi accidat ante diem ſeptimum, non poſſit conferre. Quod confirmare videtur Galenus *in eiuſdem textus comm.* vbi inquit; quod ante ſeptimum non poteſt iudicatoriè bilis ad corpus effundi: & ratio huius eſt, nam vt criſis perfecta fiat, requiritur humorum perfecta coctio; & quia bilis, ex qua icterus morbus fit, eſt craſſa, & coqui non poteſt, nec euinci ante diem ſeptimum, ideò ante illum diem in febribus ſuperueniens non eſt bonus, quia eſt ſymptomaticus: ſed quia à die ſeptimo iudicatoriè poteſt bilis excerni, quia poteſt euinci, & coqui, ideo aphoriſmo ſubſequenti inquit Hipp. *Quibus in febribus morbus Regius ſeptimo, vel nono, vel vndecimo, vel quatuor decimo ſuperuenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrium obduruerit.*

*Plinij ſententia.*

D Sed pro contraria parte ſtat Plinius *lib.* 26. *capite* 12. vbi ait: *Hipp. morbum regium ante ſeptimum diem in febre mortiferum ſignum eſſe docuit; noſcimus tamen vixiſſe aliquos ab hac deſperatione.* Auetr. 4. *collection. cap.* 43. inquit, quod ſi febribus quinto die morbus regius ſuperuenerit, laudabile eſt, vina ratione, & maximè in temporibus, & corporibus calidis; & hæc (ait) eſt ſententia Collegiorum Medicorum omnium Perſarum, & Indiæ maioris, & pro maiori parte illorum de Antaliſi: & poſſibile eſt, quod iſtud quod dixit Hipp. locum in Græcia habuit; quia terra illa hac frigidior exiſtit; & ratio huius eſt, nam ſi morbus peracutus eſt, in quinto die, & ante illū iudiciales euacuationes facit: ergo poterit eo die vtiliter morbus regius aduenire. Quod ſi dicas materiam morbi regij eſſe craſſā, quæ ante 7. diem coqui nequit, contrà eſt, nam ſi craſſa eſſet, non poſſet in tenuiſſimas,

& denſiſſimas tunicas ſubire, & ad cutem peruenire.

*Valleſ. ſententia.* Valleſ. aliâ viâ incedit, qui 10. *controu. cap. 9.* inquit, quod Hippoc. ſub exemplo ſingulari vniuerſalem doctrinam tradidit, & tanquam per exemplum ſeptimum diem appoſuit, vt ſub illo alij iudiciales, & decretorij intelligantur; ita enim efficit etiam 2. *aphor. text.* 25. vbi inquit, morbos autumnales longos, æſtiuos breues eſſe, exemplum apponens in quartana, vt ſub illa reliqui morbi intelligantur, vt docet Gal. *in comm.*

*Vega ſententia.* Vega 4. *aphor. comm. etiam* 62. Valleſ. ſententiam redarguit, neque eius admittit interpretationem, ſiquidem *aphoriſ.* 64. Hipp. adducens dies criticos, quibus febres in morbum regium terminantur, nullam quinti diei fecit mentionem: quod confirmant Galeni verba, dum aſſerit, quod bilis ante ſeptimum iudicatoriè efferri non poteſt; neque tertio, inquit, neque quinto die bilis, quæ icterum facit, cocta eſt, quæ ob craſſitudinem cutem non permeat, neque ſudore, neque ſenſibili euacuatione educitur. Quare reſpondet ad Plinium, quod ipſe deceptus fuit; nam Hipp. non dixit, quod morbus regius ante ſeptimum eſt ſignum mortiferum, ſed quod eſt ſignum malum; neque parum intereſt, h[illegible] aut illud dixiſſet. Neque Auerr. experimentum concludit, benè enim poteſt ante ſeptimum morbus regius in febribus ſymptomaticè aduenire, & ſine ſignis coctionis, & poſteà quod æger liberetur auxiliis Medici, naturâ valente; quod neque negauit Hipp. Cum hoc tamen eſt malum ſignum, quia fit ſine ſignis coctionis.

*Quid tenendum.* Sed vt verum fatear, potiùs exiſtimo, vt iam alibi dixi, Hippocratis doctrinam non eſſe vniuerſalem, ſed in plurimum eſſe veram; neque eſſe regulam tam generalem, quæ nullam patiatur exceptionem; neque inuenio rationem pro aliqua iſtarum partium concludentem, vt inquit Hugo Senenſis in huius loci expoſitione: & quia rarò euenit morbus regius ante ſeptimum diem per febres, qui febrem ipſam iudicet, ideò de quinto die nihil profert Hippocrates in ſententiis ſuprà allatis. Sed de hac breui quæſtiuncula dicta ſufficiant.

*Cauſa icteri nigri.* Icterus niger fit vitio ſplenis, vt inquit Galenus 5. *de locis affectis, cap. vltimo*; nam licet niger color fieri poſſet à iecore calido, vt inquit Auicen. nigrior tamen apparet, & frequenter fit ob vitium lienis, qui propter debilitatem attractricis non attrahit humorem nigrum, neque ſanguinem pro more expurgat, vt notat Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 17. Debilis redditur lien propter tumorem, inflammationem, & obſtructionem venarum, per quas melancholiam attrahit, aut ob intemperiem, præſertim frigidam.

*Nota.* Præterea aduertere oportet ex Auicennæ ſententia, quod humor icterum faciens eſt ſine putredine; ſi enim putreſceret, febris neceſſariò adeſſet illi humori proportionata. Rationem adducit Petrus Garcia; nam humor licèt ſit extra vaſa, tamen quia eſt in cute, aut iuxta illam, facilè ventilatur ab aëre externo, qui putredinem inhibet, quia ad defectum ventilationis in noſtris corporibus frequentiùs ſequi ſolet putredo. Similiter neque fit rigor, dum humor ad cutem pellitur; nam rigor eſt concuſſio facta mediis muſculis, at venæ neque muſculi ſunt, neque facultatem concuſſiuam habent; & ſic licèt humorem expellant, non concutiuntur membra, vt accidit in rigore. Eſt etiam alia icteri differentia ex vtriſque compoſita, quam etiam adducit Auicen. *fen.* 15. *lib.* 3. *tractatu* 1. *capite* 3. & alij.

Ad huius morbi cognitionem ſignis opus non habemus, cum ſecum ſignum in mutatione coloris afferat, quo facilè cognoſci quit; ſed quia ſub ſe plures complectitur ſpecies, ſigna tradere oportet, quibus illas dignoſcamus.

*Signa.* Si igitur ex inflammatione, ſchirrho, aut obſtructione iecoris, aut lienis ortum ducat ſymptoma, in peculiaribus de his morbis capitibus ſigna tibi damus, aderitque harum partium grauitas. Quod ſi intemperies calida, & ſicca iecoris ſit illius cauſa, nulla percipitur grauitas, & in manibus, ac pedibus calorem ſentiunt. Cauſæ externæ calidæ ægri ſermone agnoſcentur. Verùm ſi obſtruatur via ab hepate in veſſicam fellis, vrina flaua, & ſæpe virens redditur, & quædam grauitas in parte ſentietur. Quod ſi tractionis debilitas ſit in cauſa, nulla erit grauitas in parte; vrina tamen flaua, & virens reddetur. At ſi meatus obſtruatur, qui à veſſica fellis in inteſtina terminatur, fæces albæ apparebunt, & duræ, & non facilè deiicientur, & vrina excernitur coloris crocei. Quod ſi causâ obſtructionis lienis morbus inſurgat, aderit cutis nigredo, & vrina nigra, eritque eius ſubſidentia vt fæx vini nigri. Idemque eueniet, ſi aderit ſchirrhus lienis, inflammatio, intemperies frigida, vel debilitas facultatis attrahentis, aut expellentis illius. Quæ omnia ſigna propria habent, & ex dictis facilè deprehendes.

*Præſagium.* Morbo regio laborantibus ſi fiat hepar durum, malum eſt, ex Hippocrat. 6. *aphor. text.* 42. Et quibus in febribus morbus regius ante diem ſeptimum accidit, malum; quod ſi ſeptimo die, nono, vndecimo, & decimoquarto ſuperuenit febribus, bonum, niſi dextrum hypochondrium obdurnerit; ſi verò non, non bonum, ex eodem Hippocrat. 4. *aphoriſmor. text.* 62. *&* 64.

### §. VNICVS.

### *Curatio icteri, ſeu morbi regij.*

MOrbus regius, qui ratione criſis febribus ſuperuenit, facillimè ſedatur balneis aquæ dulcis, & totius corporis frictione, quæ aperientibus, & diſcuſſoriis fieri debet, vt oleo chamæmali, anethi, & iridis. Quod ſi ex iecoris inflammatione ortum ducat, curabitur vt diximus capite de illius inflammatione. Verùm ſi ex ſchirrho, aut obſtructione originem ducat, curationem accipies ex capite de obſtructione iecoris, & de ſchirrho lienis. Aliqua tamen adducemus ad hunc morbum, dum procedit ab obſtructione, à qua frequenter fieri conſpeximus.

Cibi omnes inciſorij, & attenuatorij ſint. Ex volucrum quidem genere montanæ aues domeſticis ſunt præferendæ, quæ elixentur cum iis quæ vim attenuandi, & deobſtruendi habent, vt petroſelino, ciceribus nigris, cichoreo, ſcariola, cinnamomo, pipere, & ſatureia. Olera ſint aſparagus, carduus, eryngium, cappares, fœniculum, radiculæ folia. Potus ſit vinum album, tenue, & non nouum, aut aqua ſcolopendrij, vel graminis. Animi paſſiones euitent, exercitatio ante cibum ſalutaris: frictiones, & balnea conueniunt; & alia, quæ adduximus in curatione obſtructionis iecoris. Deinde duo maxima remedia principatum obtinent, ſectio venæ, & purgatio. In quibus igitur multitudo ſanguinis vnà cum bile in

toto

toto corpore abundat, & quos circa hepar dolor, aut diſtenſio infeſtant, nihil venæ ſectione commodius fieri poteſt, vt oſtendit Aëtius. Paulus iubet ſecare venam baſilicam lateris dextri. Verùtamen ſi lien ſit pars affecta, ſiniſtri brachij venam ſecare debemus, vt monet Galenus *de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, cap. 16.* Mox humores attenuare, & vias aperire oportet ſyrupo cichorei, capill. Ven. duarum, & quinque radic. & abſinthij, cum oxymelite, & cum decocto radicum acori, fœniculi, petroſelini, & prolytrici. Deinde humorem bilioſum, & craſſum obſtruentem purgabis in hunc modum. ℞. rhabarb. optimi, & agarici trochiſc. ana ℈.ij. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in decocto radicis cicerei, rubeæ tinctorum, capill. Veneris, & foliorum ſennæ, & adde catholici, aut elect. diaphœnic. & in ictero nigro confect. hamech, aut elect. diaſennæ ʒ.iij. ſyr. perſici ſolut. ℥.j. miſce, & fiat potus. Poſſunt etiam formari catapotia ex maſſa pillul. de rhab. & de agarico, vel aſſumat æger pillulas fœtidas, & aggregatiuas; purgationeſque reiterandæ ſunt ex Aëtij conſilio. Alia ſolutiua accommodare poteris in formam potus, vel boli, vt tibi viſum fuerit; quæ ſi non proſint, valentioribus aperientibus eſt vtendum. Conferunt ergo ſerum lactis capræ, quæ herbis aperientibus ſit nutrita, aut decoctum apij, pulegij, calaminthæ, cuſcutæ, radicum cichorei, lupulorum, & aſparagi, ſi aliquibus diebus ſumantur illius ℥.iiij. cum ℥.ij. ſyrupi duarum, vel quinque radicum, aut ſuccus foliorum radiculæ cum melle. Valent etiam ad idem dialacca, diacurcuma, trochiſci de rhab. de eupatorio, & alia *capite de obſtructione* adducta, ex quibus poſſunt formari pillulæ, ne ægrum ſua amaritudine offendant, vel omnia per balneum diſtillare conuenit, & illius diſtillationis quotidie bibere ℥.iiij. Oportet etiam partem affectam roborare, & deobſtruere exteriùs admotis. Si ergo iecur ſit pars affecta, aut veſſica fellis, eam inungere oportet vnguento deoppilatiuo ſuccorum, cui miſceantur olea nardi, abſinthij, & menthæ. Quod ſi ſplen patiatur, oleo nardino, & de capparis, aut vnguento de Agrippa, vel deoppilatiuo foueri debet.

Mox humor cutis diſcutiendus eſt balneis, & frictionibus, & ſudationibus. Sudor igitur prouocetur decocto calido fœniculi ebibito, & ſeruetur æger in loco calido pannis circumtectus. Cutem etiam abſterges ſucco raphani, & vino albo miſtis. Quod ſi color faciei, & oculorum vitiatus adhuc perſiſtat, narium infuſionibus eſt vtendum, quæ fieri poſſunt ex ſucco betæ, & aqua mulſa, aut ciclaminis ſucco, aut melantio cum aceto.

Si verò à morſu animalis venefici fiat, theriacam commendat Gal. 5. *de locis affect. citat.* quâ ipſe ſeruum Imperialem curauit: mithridatum etiam eſt vtile, & alia alexipharmaca.

Si verò à iecoris intemperie calida inſurgat morbus, vteris refrigerantibus capite de iecoris inflammatione allatis; idemque efficies, ſi ex totius corporis calore immodico oriatur: ad quem maximè iuuat balneum aquæ frigidæ tempore æſtatis, & aquæ tepidæ tempore hiemis, & tandem conferunt ſyrupi, vnctiones, & clyſteres, quibus vis refrigerandi inſita ſit.



A

## CAPVT IV.

### *De ſchirrho lienis, & eiuſdem obſtructione.*

DVplici de cauſa lien crebriùs ſchirrhoſis vitiis affligitur, vt docet Galenus 13. *methodi, cap. 16.* aut propter eius ſubſtantiam raram, in quam facilè humor imbibitur; & propter nutrimenti, quo vtitur, ſpeciem; quod eſt humor craſſus, & melancholicus, ex quo tumor ſchirrhoſus generatur, dum partibus quæ indurantur, tenaciter

B infigitur. Duplex ſchirrhus aſſignatur à Galeno 2. *de arte curat. ad Glauc. cap. 4.* exquiſitus, & non exquiſitus. Exquiſitus ſchirrhus eſt tumor præter naturam, ſenſu priuatus, duruſque; non exquiſitus, non omninò inſenſibilis eſt, difficulter tamen omninò ſentitur. Qui lienis tumore hoc afficiuntur, eos ſplenicos appellare conſueuerunt, vt ſcriptum reliquit Gal. 9. *de compoſ. medic. ſecund. locos, c. 2.* Ex dictis conſtat, morbum hunc conſiſtere in magnitudine adaucta, cum intemperie frigida, & continui ſolutione, vt inſinuat Galenus 5. *de ſimplic. medic. facult. cap. 7.*

Cauſæ ſunt humores craſſi, viſcoſi, in particulæ paruis meatibus impacti, in quibus digeſta per halitum tenui humiditate, quod remanet, frigidum, & congelatum eſt, efficitque tumorem ſchirrhoſum dictum. Congregatur humor à principio paulatim, & augetur; quo tempore ſanationem reci- *Schirrhi cauſa.*

C pit, vt inquit Galen. 2. *de arte curat. ad Glauc. cap. 5.* vbi ſe ſchirrhum hepatis ſæpiùs ab initio ſanaſſe ait; vbi verò ad plures dies fortè fuerit extenſus, neque ipſe ſanare potuit, neque alium vidit, qui poſſet. Si enim conſummetur ſchirrhus, & legitimus fiat, curationem non admittit; quod ſi illegitimus ſit, licèt incurabilis non ſit, difficulter tamen recipit curationem, vt ipſe *eodem libro, capite 4.* teſtatur. Sequi etiam ſolet ad inflammationes, & eryſipelata, propter imperitiam Medicorum, qui in earum principiis nimis adſtringentia, & infrigidantia adhibuerunt, aut dum aliquem tumorem calefacientibus reſoluere tentarunt, reſolutis, & abſumptis tenuioribus partibus, & humidioribus, reſiduum exſiccatum in lapidis duritiem conuertunt; quod accidere etiam poteſt ex nimio ardore inflammationis tenuem humoris partem diſſoluente, craſſiori relictâ.

D Inter cauſas externas annumerantur quæcumque humorem craſſum gignunt, vt alimenta craſſa, vinum nigrum, & aquæ frigidæ nimius potus. Inter animi paſſiones timor, & triſtitia, ſi longo tempore perſeuerent, humorem craſſum, & melancholicum progignere valent: item ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa, vt hæmorrhoïs, aut menſtrualis purgatio.

Schirrhum lienis agnoſcimus ex tumore, & duritie ſiniſtri hypochondrij, cum exiguo, aut nullo dolore: in intenſa ambulatione, velocique curſu fatigantur; totius corporis color ad nigredinem vergit, eo quod eius munus attrahendi melancholiam ex venis, & hepate deficit; mœſtitias facit, ac nonnunquam ciborum vehementiſſimas appetentias, ſæpe numero ſubuerſionem, & nauſeam. Aqua etiam inter cutem ſuperuenire ſolet, quia lienis frigiditati iecur conſentit, vt inquit Galen. 6. *de locis affectis, cap. 1.* Superueniunt etiam cruribus ulcera, quæ omninò non ſaneſ- *Signa.*

Ii 3 cunt,

cunt, aut certè cicatricem vix recipiunt, fierique ſolet tumor crurum, ex Celſo *lib.4. cap.9.*

*Obſtructio lienis.* Lienis obructio ab eiſdem cauſis proficiſcitur, à quibus iecoris obſtructio, eademque ſigna habet; in parte tamen ſiniſtra ea inquirere debes, quæ cum à craſſis & frigidis humoribus initium habeat, vt ſchirrhus, eandem ferè intentionem curatiuam habet cum ipſo, parumque diſtat ab obſtructionis iecoris curatione.

## §. Vnicvs.

### *Curatio ſchirrhi, & obſtructionis lienis.*

Morbi, qui in iecinore, & liene ſimiles inueniuntur, ſimilia genere medicamenta requirunt; cæterùm tanto valentiora lien, quantò craſſiori vtitur alimento, vt docet Galen. 13. *method. cap.* 17. Mitiora ergo remedia adhiberi debent in curatione ſchirrhi iecoris, quàm in curatione ſchirrhi lienis; ea tamen omnia in hoc capite tradere decreuimus.

*Victus ratio.* Victus ratio eadem eſſe debet, quâ in obſtructionibus iecoris vſi fuimus, & in icteritio morbo; cibi enim concoctu faciles ſint, & qui facultatem inciſoriam, & repurgantem habeant. Vitanda ſunt craſſa, & viſcoſa edulia, dulciaque; nam dulcibus iecur, & lienem intumeſcere ait Gal. 13. *meth. cap.* 14. Potus ſit vinum album, in quo radix capparis, aut ſcolopendrium ſint infuſa, vel decocta, ex Traliano; aut vinum, in quo ferrum ignitum ſit extinctum. Quod ſi febris adſit, extinguatur in aqua; ſit autem ferrum, quod in ipſis extinguitur, ſtomoma, quod eſſe conuenientiſſimum refert Aëtius. Vitium hoc quies auget, ex Celſo; quare exercitium laudatur, quo meliùs ſe habere ægrotantes quotidie experimur. His ſic debitè inſtitutis, ſi adſit ſanguinis copia, ex vena baſilica ſanguinem extrahes, quod fieri debet ex brachio ſiniſtro; moderatè tamen eſt ſanguis extrahendus, & humorum fiet præparatio cum ſyrupis, & decoctis inſcindentibus, & attenuantibus, vt ſunt ſyrupi fumariæ, lupulorum, duarum, & quinque radicum, mel roſaceum, oxymel, & ſyrupus de pomis, qui aſſumi debent cum decocto capill. Vener. tamariſci, & aſplenij: deinde vacuantibus vteris, vt ℞. diaſennæ, & confect. Hamech, ana ʒ.ij. ſyrupi ſennati ℥.iij. decocti Pugini ℥.ij. ß. miſce pro potu. Aut ℞. capill. Ven. & ſcolopend. ana m.ß. ſeminis cartami contuſi, epithymi, & foliorum ſennæ, ana ʒ.j. coquantur in debita quantitate aquæ ad medietatis conſumptionem, cuius decocti accipe ℥.iij. in quo infunde agarici trochiſc. in ligatura ʒ.j. facta expreſſione, adde diaſennæ ʒ.iij. ſyrupi Regiij ℥.iij. miſce, & fiat potus, in quem vſum accommodari poſſunt pillulæ de fumaria, indæ, & aggregatiuæ. Poſt purgationem verò ad emollientia, & reſoluentia deuenire oportet, in quorum vſu aduertere oportet ex Gal. 14. *meth. cap.* 4. Quod nimis reſoluentia, & exſiccantia non ſunt adminiſtranda in hoc affectu; nam quod eſt in eo tenuium partium, facilè digeritur, & reſoluitur; reliquum verò veluti lapidoſa concretio linquetur, & inſanabile fiet. Quapropter ea tantùm apta ſunt, quæ emolliendo digerere poſſunt, vt ſunt medulla ceruina, vitulina, ſebum caprinum, leoninum, taurinum, bdellium, & thymiama, ex quibus cum oleis parari poſſunt vnguenta, quibus lienis regio inungatur, vt ℞. olei de capparis, & abſinthij, ana ℥.j.ß. axungiæ gallinæ, & anatis, & medullæ crurum vituli, ana ℥.ß. dialtheæ, & hyſſopi humidi, ana ℥.j. ammoniaci in aceto diſſoluti ℥.ß. ceræ quod ſufficiat, vt fiat vnguentum. Vel ℞. olei amygd. amar. lilij albi, irini, & de capparis, ana ℥.j. pulueris corticum, radicum capparorum, & euphorbij, ana ʒ.ij. medullæ ceruinæ, & vitulinæ, & adipis anſerinæ, ana ℥.ß. aceti ʒ.ß. ceræ, quod ſufficiat ad vnguentum. Ad idem valent vnguentum deoppilatiuum, & dialtheæ, & vnguentum aragon, aut hoc, quod recipit olei laurini, capparorum, & abſinthij, ana ℥.j. ſucci ebulorum, & aceti albi, ana ℥.ß. bulliant ad aceti, & ſucci conſumptionem; ſaponis mollis, dialtheæ, vnguenti Aragonis, & Agrippæ, ana ℥.ß. adipis anſerinæ, ſebi caprini, ana ℥.ß. galbani, & ammoniaci in aceto diſſolutorum, ana ʒ.j. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum.

Procedente verò tempore, ſi hæc non proſint, ad valentiora deuenies, ammoniacique, bdellij, opponacis, & galbani aliquid in maiore quantitate addes, dum priùs in aceto diſſoluantur. Aliqui vtuntur ammoniaco in aceto diſſoluto ad luti craſſitudinem lieni impoſito, idque ſolum ei curando ſæpe ſatis fuit, vt oſtendit Galenus 14. *method. cap.* 5.

Sed antequam iis ſplen liniatur, foueri poteſt decocto radicum altheæ, & capparorum, abſinthij, eupatorij, & chamæmali, ſcolopendrij, origani, anethi, & hyſſopi, aut in oleo irino, vel de capparis incoquimus radicem altheæ, ac ſilueſtris cucumeris, vt eo foueatur lien, vt *capite citato* Galen. inſinuat. Aut in aceto acerrimo candentem igne lapidem extingues, quem pyritem vocant; ſin eius copia non datur, molarem, ex quo molas faciunt; & illum vaporem aſcendentem recipiat æger in parte vbi ſchirrhus vexat: deinde aliquod vnguentum præſcriptum impone; quem curandi modum Gal. *loco proximè citat.* obſeruauit. Valent etiam emplaſtra de meliloto, & diachilone, & filij Zachariæ, aut emplaſtrum quod fit ex myrrha, ammoniaco, & galbano in aceto acerrimo diſſolutis, & cum reſina terebinthina exceptis.

Interim dum hæc fiunt, aſſumat æger ea, quæ vim habent attenuandi, & repurgandi humores, inter quæ ſicut abſinthium eſt iecori accommodum, ita lieni capparis cortex; & quale iecinori eſt eupatorium, ita lieni ſcolopendrium: ab his eſt tamariſcus, myrtica dicta, polytricum, hederæ cacumina, ſalicis folia & ſemen, radix eryngij, ſcordium, acorus, trifolium, calaminta, & quinque radices diureticæ, & alia quamplurima, quibus varia poſſunt aptari medicamenta, quæ aſſumi poſſunt per os. Bibat ergo æger ſummo mane abſinthij decoctum, aut vinum abſinthites, quod bibatur in vaſe tamariſci, de quo Lacuna ſuper Dioſcoridem refert, quod lienem deuaſtat, vel coërcet. Oportet etiam aſſumere aliquibus diebus trochiſcos de capparis, de eupatorio, aut de rhabarb. quantitate ℥.j. cum vino, aut decocto tamariſci, ſcolopendrij, & capill. Veneris. Idem efficiunt dialacca, & diacurcuma, eadem quantitate aſſumptâ in pillularum forma, aliter enim ſunt guſtui ingrata. Syrupus etiā ex chalybe confectus prodeſſe conſpicitur, cuius tamen vſum aliqui reformidant; illum tamen approbat ipſa obſeruatio, ſi debitè adminiſtretur. De iis omnibus actum iam eſt capite de iecoris obſtructione: quæ ergo ibi adduximus, in hoc caſu ſunt obſeruanda. Quæ verò adduximus medicamenta ad ſchirrum curandum, obſtructionis lienis curationi etiam accommodari poſſunt, & iecinoris ſchirrho; ex his tamen benigniora elige.

CAP.

## CAPVT V.

### *De lienis inflammatione.*

CVM lienis ſubſtantia rara ſit, omni excrementorum generi excipiendo aptiſſima eſt; & licèt ob humores craſſos, quibus nutritur, tumores frigidos frequenter patiatur, nihilominus aliquibus inflammationibus moleſtari ſolet, ſanguine nimirum ad ipſum lienem confluente, ibique putreſcente; rarò enim eryſipelate afficitur, vt inquit Auicenna *fen.* 15. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 4. nam humor bilioſus, & tenuis ob laxam huius viſceris ſubſtantiam facilè fluit; craſſus verò remanet.

Productionis modos, & cauſas ex capite de iecoris inflammatione require.

Agnoſcimus morbum ex pondere, dolore, ardore in ſiniſtro hypochondrio, & ſi digitis prematur, tumor ob duritiem facilè deprehenditur, quia ex ſanguine craſſo, & fæculento prodit. Accedit etiam febris continua, quæ quarto die, maiorem ſolet habere acceſſionem; corpus, & facies vigiliis emarceſcere ſolent, ſitis infeſtat, color melancholicus, aut pallidus fit, & aqua ſubter cutem ſubſequi ſolet, vt aſſerit Tral. *libro* 8. *cap.* 2. Quod ſi ex ſiniſtra nare ſanguis erumpat, ægrotantibus commodum eſt, vt inquit Auicen. lienoſis etiam, ſi difficultas inteſtinorum ſuperueniat, bonum eſt, ex Hipp. 6. *aphor. text.* 48. non tamen debet eſſe inteſtinorum difficultas nimia, aut longa; ſic enim aqua inter cutem, & læuitas aduenit inteſtinorum, & moriuntur, vt ipſe etiam teſtatur *eodem lib. textu* 33. lienis inflammatio plerunque in ſchirrhum degenerat, vt notat Paul. *lib.* 3. *cap.* 49.

### §. VNICVS.

#### *Curatio inflammationis lienis.*

CIbus ſit, qualem deſcripſimus in curatione inflammationis iecoris; declinet tamen ad minùs tenuem, quia iſte morbus ob ſanguinis craſſitiem longior eſſe ſolet. Ab initio ergo conuenit ius pulli cum mica panis, aut alæ auium elixæ cum lactuca, cichoreo, & petroſelino. Lactuca, cichoreum, & ſcariola elixa, pauco oleo, & aceto, & ſaccharo condita, eſui apta ſunt, aut vt vult Tral. ſolo ptiſanæ cremore æger ſit contentus. Procedente verò morbo conueniunt aues elixæ, vt gallinæ, capones, phaſiani, perdices nouellæ, & turtures, oua ſorbilia, piſces ſaxatiles, poma acida, & alia huiuſcemodi, quæ modico aceto parari debent. Potus ſit aqua hordei, aut ſchorcioneræ, vel vinum album aquoſum. Ventrem lenem habeant, aut clyſteribus emollientibus vtantur.

Rurſus, quia venæ ſectio omnibus viſceribus inflammatis præſentaneum remedium eſt, in lienis inflammatione adhibenda eſt, ex Traliani præcepto, quæ fieri debet ex baſilica brachij ſiniſtri, & ex ſaluatella eiuſdem manus, vt docent Galen. *de euac. ratione per ſang. miſſionem, cap.* 16. & Paulus *lib.* 3. *capite* 49. Sic enim fit reuulſio ex longioribus interuallis, propter quandam cognationem, quæ inter venam manus ſiniſtræ, & lienem intercedit, vt ibi Paulus ait.

Interim humorem ad expurgationem parabis, quem quia craſſus eſt, attenuabis ſyrupo borrag.
A acetoſo, capill. Veneris, & cichorei, cum aquis hordei, borraginis, & lupulorum. Deinde leuia medicamenta aluo ducendæ ſunt idonea, vt notat Tral. fortiora enim non coueniunt in inflammationibus internis, donec inflammatio ſedetur. Competuſit ergo mercurialis, & vrticæ folia elixa, aut manna, vel pulpa caſſia in iure diſſoluta: aut ℞; pulpæ caſſiæ ℥.ß. diſſolue in ℥.iij. decocti Pugini. ſyrupi ſennati, aut perſici ſolutiui ℥.ij. miſce, vel cum pulpa caſſiæ, & diacatholic. & ſaccharo parari poſſunt morſelli.

Extrinſecùs etiam medicamenta admouentur, quæ citra calorem euidentem extenuent, quibus admiſceantur adſtringentia, magiſque, aut minùs adſtringes pro irruentis humoris maiori, vel minori impetu, vt docet Aëtius. Conueniunt ergo in principio vinum auſterum oleo dulci, aut roſaceo permiſtum, aut acetum, in quo bullierint oliuæ, aut
B rubi folia, cui in decoctione abſinthij aliquid addes, illudque miſcebis cum oleo roſaceo, aut lentiſcino. Quod ſi dolor ſedari incipiat, ad ea, quæ attenuandi, & reſoluendi vires habent, deuenire oportet. Fotus itaque fiet ex poſca, aut vino auſtero, in quo decocta ſint abſinthium, lentiſcus, & pulegium, aut radix capparorum. Emplaſtra etiam conueniunt ex farina fœnugræci, ſeminis lini, & hordei, cum poſca; aut hoc quod recipit farinæ hordei, & loliaceæ, ana ℥. ij. olei roſarum, & laurini, & de capparis, ana ℥.j. adipis gallinæ, & anatis, ana ℥.j. miſce, & cum poſca fiat emplaſtrum. Vel ℞. farinæ ſeminis lini, furfuris, & panis toſti, ana ℥. j. pulu. abſinthij, pulegij, & origani, ana ℥. ß. olei caparorum, & laurini, ana ℥. j. ß. bulliant in poſca, & fiat emplaſtrum.

Quod ſi in ſuppurationem tendat inflammatio, curabitur vt capite de iecoris inflammatione dixi-
C mus; quæ ſi in tumorem ſchirrhoſum conuertatur, ad caput de lienis ſchirrho confugies.

Præter lienis morbos traditos caput inſtituunt Authores de lienis flatuoſo tumore; ſed quia facilè cognoſcitur, & cauſas, & curationem ſufficienter oſtendimus *cap. de ventriculi inflatione*: ideò conſultò à lienis flatuoſi tumoris curatione me abſtineo, eamque eo capite requires. *De lienis inflatione.*

## CAPVT VI.

### *De diabete.*

CVm triplex in hepate redundet excrementum, bilioſum, melancholicum, & ſeroſum, duo
D priora peractâ coctione in hepate expurgantur; in venis tamen adhuc ſeroſum excrementum ſupereſt, vt humores craſſos, & ineptos ad motum vehat, & in penitiores partes deducat; quod cùm peractum ſit, tanquam inutile, & redundans ſecernitur, & expurgatur; in quem vſum renes natura conſtruxit, vt ſeroſi excrementi conceptacula, quibus data eſt ſeroſum excrementum trahendi facultas, vt docet Galen. 5. *de vſu partium, cap.* 5. Ex ipſis etiam ad veſſicam meatus prælongos, forteſque, quos reteras nuncupamus, natura ſtruxit, per quos renes ad veſſicam vrinam tranſmittunt, quæ ſi ſtatim ac ebibitur, in maiori quantitate excernitur, eſt huius morbi euidens indicium. Diabetes equidem dicitur à διαβαίνω, hoc eſt pertranſeo, quem hydropem matellæ, vrinæ profluuium, aut dipſacon appellant. Cùm ergo potulenta ſtatim qualia aſſumpta ſunt, per vrinam tranſmittuntur, diabetes

vitium appellatur, vt inquit Paulus *lib.3.c.45.* In hoc morbo ſupra modum bibunt, & ſitiunt ægri, & exuberanter id quod biberunt, reddunt, eo à ſuis qualitatibus non mutato, vt oſtendit Galen. loco proximè citato. Hic affectus ſimilis eſt inteſtinorum læuitati, quatenus in vtroque affectu ea quæ per os ſumuntur, nullam mutationem recipientia celeriter pertranſeunt; & quemadmodum in lienteria excitari ſolet vehementiſſima ciborum cupiditas, ita etiam in diabete vehemens appetitus bibendi inſurgit, ob vehementem renum appetitum, quo ad ſe ſerum per cauam venam alliciant.

Habet etiam ſimilitudinem cum fame canina, per quam multa impetuosè ingeruntur, atque ea celeriter excerni coguntur, quia deuoratorum pondus ſuſtineri non poteſt: ita enim in renibus quoque accidit, qui impetuosè humorem ſeroſum attrahunt, ac eum ſtatim in veſſicam impellere coguntur, quia ex eius multitudine nimis grauantur.

*Quæ ſunt conſideranda in hoc affectu.* Ex dictis tria ſunt conſideratione digna in hoc affectu; celeris quidem tranſitus eius, quod potatur; immodica copia ingeſtæ, & egeſtæ ſubſtantiæ; & ſitis inexhauſta, quæ ex celeri tranſitu potulentæ ſubſtantiæ, & eius profuſione ſuccreſcit. Quæ omnia breuiter ſunt examinanda.

De celeri tranſitu dicendum eſt, quod cùm renes attrahant ſanguinis ſerum, & ſanguis in venis huiuſmodi humiditate maneat exſpoliatus, vaſa exſiccata tunc attrahunt ex hepate, deinde hepar attrahit ex inteſtinis, & ventriculo; & cùm ventriculi venæ horum attractione exſiccentur, & ab ore ventriculi ſugant, ſequitur ſtatim appetitus deſiderij, deinde bibunt, & exhibitam potionem venæ exinanitæ rapiunt, atque ex iis aliæ, donec ad renes perueniat; qua renes grauati, eam ad veſſicam vrinæ excernunt, & rurſus dennò appetunt. Quæ omnia cùm breuiſſimo tempore fiant, ideò dicimus, eorum quæ bibuntur, adeſſe celerem tranſitum.

Ingeritur immodica copia potulentæ ſubſtantiæ ob eandem rationem, quia immodica attractio fit ex ventriculo, & maximum appetendi deſiderium excitatur; & hanc ob cauſam ſitis etiam inexhauſta conſurgit: quæ omnia ſunt ad mentem Galeni loco ſuperiùs citato.

Plus excernitur, quàm bibitur, quia non ſolùm potulenta ſubſtantia, ſed humor ſeroſus in venis contentus attrahitur, & ſecernitur, ita vt afferat Ioannes Paſchalius *2. lib. cap. 50.* quod puella olim Mediolanenſis per ſexaginta dies ſingulos ſexdecim matulas vrinæ mictu impleuit, cum biberet circiter tres ampullas. Vlteriùs carnium ac membrorum ſubſtantia colliquatur, & per vrinam ſecernitur, vt notat Aretheus *2. de ſign. & cauſis diuturn. morborum, cap.2.* & ita potus licèt ſit copioſus, multitudini tamen vrinæ non reſpondet.

Hunc affectum appellat Aëtius diuturnum, non quia ſi ſemel ſit perfectus, diu duret, quia velox eſt eius tranſitus, vt inquit Aretheus; ſed quia diuturna eſſe ſolet huius morbi creatio, & longo parturitur tempore. Neque hoc eſt contra Galenum, qui loco citato inquit, quod hic morbus ſubitò euenire ſolet; nam ibi ſe ipſe explicat, dum dicit, quod ſupra modum ſitiunt ægri; non enim datur diabetes exquiſitus, donec vehementer ſitis infeſtet, quam præcedunt attractiones renum, hepatis, & venarum, quæ humorem ſeroſum ſugunt ex venis, & toto corpore, donec ſenſus ſuctus in ore ventriculi percipiatur, & inſatiabilis ſitis inſurgat; quæ omnia fieri ſubitò non poſſunt, ſed ſen-

A ſim fiunt. At verò quando iam ingens ſitis infeſtat, & ſimul eo quod ebibitur, non ſatiatur æger, & aqua egreditur ſicut ebibitur, tunc diabetes perfectus exiſtit, qui ſubitò, id eſt breui tempore percipitur, & ad ſtatum peruenit, nullâ factâ mentione principij, & augmenti, vt docet Gent. de Fulg. *fen.19. lib.3. tract.2. cap.18.*

Hoc ſymptoma eſt tertij generis in eis quæ excernuntur præter naturam, quod reſultat ex imbecillitate facultatis retentricis, vt ſentiunt Paulus, & Aëtius. *Quod ſymptoma ſit.* Eſt ibi etiam motus deprauatus facultatis trahentis, cum magis attrahat quàm opportunum ſit: læditur etiam deprauatè expultrix facultas; immodicè enim excernit quod retinere debebat: retentrix verò abolitè operatur, ſiquidem non retinet quod conueniens erat. Neque eſt neceſſe, vt

B coctrix facultas lædatur; nam licet incoctum ſerum relinquatur, non fit ex defectu coctionis, ſed potiùs quia non retinetur, vt coqui poſſit, vt etiam diximus *capite de lienteria.*

*Cauſa.* Sed explicare oportet cauſam, ſeu morbum, à quo huiuſmodi ſymptomata oriuntur. Galenus tantummodò dixit fieri hæc ſymptomata ex renum debilitate; & licèt quæuis immodica intemperies virtutem deiicere valet, non tamen omnis valet inducere debilitatem huic morbo accommodatam. Aretheus aſſerit, quod frigida, & humida, vt in aqua inter cutem, cauſa eſt. Auicenna idem fatetur, dum dicit: *Et quandoque fit illud ex frigore dominante corpori, aut renibus; & quandoque facit illud potus aquæ frigidæ.* In his tamen verbis cauſam vniuerſalem non adducunt, cùm paulò poſt

C frequentiorem cauſam referant, nempe calorem immodicum cum humoris præſentia, & ſine illa. Paulus, & Tralianus ad immodicum calorem renum hunc morbum tantùm reducunt, neque exiſtimo, ex cauſa frigida poſſe hoc ſymptoma procedere, vt illius propria ſigna calorem referentia teſtantur, quæ ſtatim trademus.

*Pars affecta.* Partem affectam eſſe renes, omnes vnico ore confitentur; ſed dubium eſſe poteſt, an etiam veſſica aliquid patiatur. Cui dubio ſatisfacit Galenus loco allegato, vbi ait, veſſicam etiam pati. Verba eius ſunt hæc: *Atque hic renum, veſſicæque affectus ſimilis eſt ventriculi, inteſtinorumque læuitati.* Et ratio eſt, quia ſi veſſica non patitur, potus non excernitur tanta velocitate, quin detineatur in veſſica; ſicut ad læuitatem inteſtinorum non ſufficit, quod ventriculus patiatur ſine inteſtinis. Coſtæus

D hanc doctrinam non admittit, ſed aſſerit, quod veſſica ſuo munere fungitur, cum materiæ copiâ grauata ex naturali inſtinctu id, quod grauat, excernit; *Coſtæi doctrina.* idque contingit in hoc morbo. Eius tamen ſolutio non ſatisfacit; nam idem dicere poſſemus de inteſtinis in læuitate illorum: cum hoc tamen dicunt, quod morboſè ſe habent; nam aliàs alimentum retinerent in moderata ſaltem quantitate, nam à quantitate cibi moderata non grauabuntur, & nihilominus illum excernunt: idemque continget in diabete, nam licèt in parua, aut moderata quantitate potus aſſumatur, ſtatim per vrinam excernitur; quo tempore non poteſt dici, quod veſſica expellit, quia pondere eſt defeſſa; ſed potiùs quia malè affecta, & quia illius virtus eſt debilis, & retinere nequit.

*Signa.* Ex dictis huius morbi ſigna ſunt manifeſta: ardentiſſima ſitis eos infeſtat, & à potu os ſtatim ſiccatur, corpus areſcit, viſcera conflagrari videntur, neque cum intermiſſione lotium reddunt, ſed indeſinens ferè eſt profuſio; totum corpus colliquatur, & feſtina interdum mors aduenit. Illum præcedere ſolent morbus acutus, vt febris ardens,

aut

aut aliquod pernicioſum venenum ex iis, quæ renes, & veſſicam infeſtant, vt cantharides; & ſi à dipſade fera æger morſus fuerit, morſum ſequitur affectio, quæ propter hoc dipſacon vocitatur.

### §. VNICVS.

*Curatio diabetis.*

Victum refrigerantem commendat Paulus, qui modicè adſtringat, & humectet, vt totum corpus attemperetur, & confirmetur: cibi ſint craſſi ſucci, ne facilè diſſoluantur, & minimè mordaces ſint, & qui mordacitatem humorum potiùs obtundant, vt carnes ſuillæ, macræ, & coctæ, pedes, & roſtra, carnes etiam gallinarum, & perdicum, & pedes boum; lactucæ etiam conueniunt, portulaca, ptiſana hordacea, & amylum, pira auſtera, & mala citonea elixa, & mala punica, caſeus recens ſine ſale, lac lapillis, aut ferro ignitum, & in quantitate copioſiori exhibeatur, carneſque ſucco arantij, mali punici, aut aceto condiantur. Potus ſit vinum nigrum frigidum, aqua frigidâ dilutum, aut aqua ex hordeo toſto, vel aqua frigida, cum ſyrupo myrtillorum, aut roſarum: decoctum radicis pentaphili, aut tormentillæ optime vrinam ſiſtit: vtilis etiam eſt ptiſanæ ſuccus, ex Aëtio. Frictionibus partium ſuperiorum vtantur, quæ fieri debent inunctis manibus oleo chamæmali, ſimiliter & clyſteribus, quæ vim refrigerandi, & humectandi habeant: exercitium euitent, & animi paſſiones; aërem eligant frigidum, vel talem arte parare licebit.

*Sanguinis missio.* Si morbus in initio ſit, vireſque validæ exiſtunt, monet Paulus ſanguinem mittere. Sanguinis ergo extractio ex brachiis, & ex vena baſilica erit exercenda, quâ reuellimus humores ſeroſos, & calidos, eorumque, & renum calidam intemperiem corrigimus, vt præcipit Aëtius. Quod ſi ex ſaluatella manus dextræ ſanguinem mittas, non errabis vtique. Tamen ſi morbus ſit inueteratus, vireſque languidæ, ſanguinis miſſio eſt omittenda, & ab omnibus quæ vrinam mouent, abſtinendum. De cætero velut æſtuantem febrem curare oportet, vt Aët. etiam teſtatur; & quia ex nimia attractione, & calore renum humores ad illos fluunt, & bilis, & pituita ſalſa hunc morbum fouere ſolent, ſyrupis refrigererantibus, & modicè adſtringentibus, corroborantibus eam præparare, & attemperare licebit vt ſyr. roſar. myrti, violar. iuiubarum, & citoneorum cum aquis hordei toſti, portulac. plantag. & ſcorcion. Deinde purgatio fiat clementibus

*Purgatio.* medicamẽtis, & modicè adſtringentibus vt caſſiæ pulpa in tamarindorum decocto diſſoluta, cum ſyr. ex 9. infuſionibus roſarum; aut manna diſſoluatur in decocto mirobalonarum citrinorum, & chebulorum. Valet etiam diacatholicum in eodem decocto diſſolutum.

*Balneum.* A purgatione commendant Authores balneum aquæ calidæ, ita vt in dolio fiat euaporatio ad exſudandum, taliter vt caput extra dolium promineat, frigidumque aërem inſpiret, vt Aretheus ait. Ad attemperandum tamen exiſtimo conferre balneum aquæ dulcis tepidæ; ſic enim totum corpus refrigeratur, & humectatur. A balneo aſſumat æger conſeruam roſarum antiquarum, aut citoneorum cum aqua portulacæ, aut hordei, vel veſpere, & mane aſſumat ℥. ij. ſyrupi roſarum ſiccarum, myrtillorum, aut citoneorum, cum aqua portulacæ frigida, aut aqua oxalidis, & bugloſſi, cum ʒ. j. trochiſc. de ſpodio, de charabe, vel de terra ſigillata.

Extrinſecùs renibus, & dorſo, & iecori admoueantur vnguentum roſarum, ſantalinum, de cucurbita, aut populeon, vel vnguentum refrigerans Galeni, aut hoc quod recipit ſucci ſolani, pampinorum vitis, lactucæ, & portulacæ, ana ʒ. ß. olei myrtini, roſarum, & citoneorum, ana ℥. ij. bulliant ad ſuccorum conſumptionem; farinæ hordei ℥. ß. pulu. trium ſanthalorum, rhu obſoniorum, corali rubri præp. & mytillorum, ana ʒ. ß. aceti albi parum, ceræ albæ quod ſit ſatis: miſce, & fiat vnguentum. Vel ℞. olei roſarum, & papau. ana ℥. ij. mucilaginis, ſeminis pſillij, & citoneorum in aqua roſarum extractæ, ana ℥. ß. pulu. trium ſanthal. vtriuſque coralli, & diamargarit. frigidi, ana ℈. ij. ceræ quod ſufficiat, vt fiat vnguentum.

Cataplaſma etiam conficies ex farina hordei, oleo roſarum, myrtillorum, & poſca. Aut ℞. foliorum vitis, papaueris, hyoſciamis, roſarum, vmbilici Veneris, & ſolani, ana m. j. olei roſacei, myrtini, & nimpheæ, ana ℥. j. ß. pulu. trium ſanthalorum, roſarum, & balauſt. ana ʒ. j. mucilaginis ſeminis citoneorum ℥. iij. farinæ hordei ℥. j. ß. contundantur contundenda, & miſceantur, & cum ſucco pampinorum vitis, aut ſolani, vel modico aceto fiat cataplaſma. Oportet etiam vti iis quæ ſomnum conciliant, ſomnus enim omnes euacuationes cohibet præter ſudorem, vt alibi diximus: circa hoc lege caput de phrenitide.

## CAPVT VII.

### *De vlceribus renum, & veſſicæ.*

Renum, & veſſicæ vlcera morbi ſunt in ſoluta vnitate, cauſamque habent communem cum vlceribus aliarum partium, quas tradunt Paul. *libro 3. cap. 45.* & Auic. *fen. 18. lib. 3. tract. 2. c. 10.* fiunt enim ab inflammatione ſuppurata illarum partium, aut à venæ ſciſſura, & ruptione, vel ab humoribus biliofis corrodentibus, vel phlegmate ſalſo diutius per veſſicam, & renes tranſeunte; aut à renum, vel veſſicæ calculo illas partes dilacerante: accedunt etiam alimenta acria, & ſalſa, & medicamentorum acrium vſus. *Cauſa.*

Signa adducit Galen. *6. de locis, cap. 3.* nam ſi ex ex abſceſſu, aut inflammatione ſuppurata fiant, ſentietur antea pondus, & dolor in lumbis, & vrina puri admiſta mingi ſolet. Similiter ramenta cum vrinis expelli videntur, ac ſanguis, quæ ſunt ſigna renis eroſi: quod ſi veluti carunculæ exeant cum vrina, ſubſtantiæ renum exulceratæ à cauſa erodente indicia ſunt; ſunt enim carunculæ renum eſſentiæ partes, vt docet Gal. *4. aphor. comm. 76.* Quod ſi à calculo renum fiant, notas proprias habent capite de renum calculo. *Signa.*

Veſſica autem vlcerata dolorem in pectine, & imo ventre excitat: vrinæ difficultas vrget, & pus in vrina ſubſidet, & ſi furfuracea in vrinis ſedimenta ſimul cum vrina craſſa, id eſt cocta exeunt, veſſicam eſſe affectam denunciant. Galeno Authore *4. aphor. comm. 77.* item ſi grauis odor in vrina adſit, aut ſquammulæ, veſſicæ vlcerationem ſignificant, ex Hippoc. *4. aphor. text. 81.*

Solent etiam meatus vrinarij exulcerari, quo tempore mediam inter renes, & veſſicam occupat regionem, puriſque cum vrina mixtio medio modo ſe habet, ex Paulo. *Præſagium.*

Renum, & veſſicæ vitia in ſenioribus curationem non admittunt, ex Hippoc. *aphor. textu 6.*

Vlcera

Vlcera renum ſunt minoris malitiæ, quàm vlcera veſſicæ, ex Auicen. nam vlcera membri neruoſi difficiliùs coaleſcunt, quàm vlcera membri carnoſi. Puris color, & ſubſtantiæ modus indicant curationis facilitatem, aut impoſſibilitatem, ex Auic. nam ſi pus eſt album, læue, & æquale, & minimè fœtidum, ſalutis indicium præbet: at ſi contrarias conditiones habuerit, contrarium oſtendit.

### §. Vnicvs.

*Curatio vlcerum renum, & veſſicæ.*

SI renum, aut veſſicæ vlcera ex calculo ortum ducant, à calculi abſciſſione, curatio eſt exordienda. Quod ſi ex venarumruptione contingat, capite de mictu ſanguinis curationem trademus. Similiter ſi ex inflammatione ſuppurata, vt reliquæ inflammationes, & abſceſſus curationem expoſcunt, antequam ad vlcerum particularem curationem deueniamus; priùs enim cauſam abſcindimus, vt auferamus effectum.

Acribus tamen infeſtantibus humoribus, qui vlcerum cauſæ exiſtunt, cibus conuenit, qui moderatè renes attemperet, & refrigeret, vt ptiſanæ cremor, aut ipſa ptiſana, amylum, lac coctum, lactucæ, ſcariolæ, cucurbita elixa, & melopepones; carnes gallinarum, caponum, perdicum nouellarum, turdorum, turturum, & aliarum auium montanarum nouellarum. Conueniunt etiam ex piſcibus ſaxatiles, troctæ, barbelli. Lactis vſum maximè commendat Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 3. *cap.* 29. Nam aſperitates lenit, exulcerationes eluit, & abſtergit; in principio tamen vtilius eſt lac aſininum, aut caprinum, aut lactis ſerum cum melle, aut ſaccharo, quia mundificat vlcera, deinde ouinum, aut bubulum, quod magis agglutinat, modicéque abſtergit. Potus ſit vinum ſubnigrum, modicè auſterum, aquâ dilutum, aut aqua hordei torrefacti. Ab iis conſiderare oportet, an ſanguis redundet, quo tempore ſanguinem mittere erit vtile ex brachiorum vena baſilica; ſic enim magis reuellimus humores ad renes defluentes, & veſſicam, vt docet Galenus *libr. de renum affect. & medela, cap.* 4. nam licèt renes ambigant, vt ipſe teſtatur *lib. de ſanguinis miſſione*, meliùs tamen fluxum humorum compeſcimus detracto ſanguine ex brachiis, quàm ex talo; ſicut deriuationis, & euacuationis causâ meliùs ſanguinem euacuamus venâ malleoli interioris ſectâ. Deinde humores erodentes, bilioſos, & ſalſos præparabimus ſyrup. violarum, borrag. portulacæ, capill. Veneris, & acetoſo, cum aqua hordei, aut maluarum. Mox ipſos euacuabimus iis, quæ ſimul ventrem leniant, vt ℞. rhabarb. optimi ℈. iiij. fiat infuſio, & expreſſio debito modo in aqua maluarum, in qua diſſolue pulpæ caſſiæ ℥. ß. ſyrupi perſici ſolutiui ℥. iij. miſce, & fiat potus. Aut ℞. ſeminis cartami contuſi ℥. ß. emulge in ſero lactis caprini; pulpæ caſſiæ ℥. ß. ſyrupi Regij ℥. iij. miſce pro potu. Vomitum etiam concitare iubet Aëtius. Præterea abſtergentia remedia ſunt inſtituenda, quæ in renum vlceribus per os, in veſſicæ vlceribus per penem ſunt iniicienda ſyringâ in penem immiſsâ. Inter omnia primum tenet locum lac caprinum, aut aſininum cum melle, aut ab vbere emulctum, aut aqua mulſa ex hordei decocto, vel cremor ptiſanæ cum modico melle, vel ſerum lactis, aut decoctum hordei, radicis dulcis, & ſeminis portulacæ. Aut ℞. ſeminis mundati melonis, cucumer. & peponis ſingul. ℥. ß. ſucci radicis dulc. & ſacchari, ana ℥. j. de quo quolibet manè aſſumat æger cochleare vnum cum aqua maluarum, hordei, aut radicis dulcis. Aqua plantag. portulacæ, & hordei, cum melle roſaceo in veſſicam iniecta abſtergit, & agglutinat. Cùm iam munda redduntur vlcera, quod tibi notum fiet, ſi pus exeat album, læue, & æquale, paucum, & non fæculentum, agglutinantibus vti oportet, quare aſſumat æger ʒ. j. pulu. boli armeni, cum aqua hordei, & ſyrup. roſarum, & myrtillorum: aut ℞. ſucci liquiritiæ ʒ. iij. tragacanti, thuris, boli armeni, ſpodij, & myrrhæ, ana ʒ. j. quatuor ſemin. frigid. maiorum ana ʒ. ij. cum aqua plantag. formentur paſtilli, quorum ʒ. j. aſſumat æger cum aqua hordei, chicorij, aut liquiritiæ. Valent etiam trochiſci alchechengi eodem modo aſſumpti. In veſſica iniiciantur eadem, ad cuius vlcera agglutinanda, & ad cicatricem perducenda optimè conducunt aqua hordei torrefacti, cum puluere thuris, aut boli armeni, aut collyrium ex lacte, cum tuthia præparata; vel trochiſci de ſpodio, cum aqua plantag. & portulacæ. Exteriùs appones ceratum ex ceruſa, amylo, ſarcocolla, oleo myrtino, roſaceo, & cera; aut vnguentum hoc. ℞. olei maſtichis, myrti, & citoneorum, ana ℥. j. pulu. boli armeni, thuris, ſarcocollæ, & ſantalorum rubeorum, ana ʒ. j. ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum. Aut fiat emplaſtrum ex farina hordei, albuminibus ouorum, & prædictis pulueribus, cum poſca; quæ omnia agglutinant, & cicatricem inducunt.

## CAPVT VIII.

*De mictu ſanguinis.*

QVibus de cauſis ſanguinis profluuium excitetur, iam dictum eſt capite de fluxu ſanguinis narium, & de ſanguinis ſputo, propterea breuiter in præſenti de eis mentionem faciemus, quas Cauſa.
Galenus adduxit *lib. de different. ſymptom. capite vltimo*, & 5. *methodi, cap.* 2. Fieri ſiquidem poteſt primò per diereſim, id eſt per ruptionem, dum vaſa diſrumpuntur vulneratione, contuſione, vociferatione, & ſaltu, aut humorum eroſione; idemque efficere valent calculi renum, & veſſicæ, qui vaſa diſrumpunt. Fit etiam per diapedeſim, id eſt, per tranſcolationem, dum ſanguis eſt tenuis, & ſeroſus, aut bilioſus, aut venæ ſunt arefactæ, & facultas renum retentrix debilis, ita vt ſimul cum lotio ſanguis loturæ carnis ſimilis excernatur, eo quod renes eo non nutriuntur.

Exit ſimiliter per anoſtamoſim, ideſt per oſculorum vaſorum apertionem, quæ fieri ſolet ob ſanguinis multitudinem, qui impetu quodam ad ora vaſorum ruit. Solent etiam præcedere rerum calidarum vſus, & immoderata corporis agitatio, & omnia ea, quæ attenuare, & calefacere ſanguinem valent, quibus etiam renum calor adaugetur, & eorum fit fortior attractrix. Præcedit etiam aliquando hepatis imbecillitas, quo tempore vrina emittitur cruenta. Præcedere ſimiliter ſolet renum, aut veſſicæ inflammatio, & tunc ſuppuratione factâ, ſimul cum ſanguine pus excernitur, & illæ partes exulceratæ remanent.

Sæpe etiam renes per circuitum, quemadmodum hæmorrhoïdes, ſanguinis profluuio laborant, vt inquit Paulus *lib.* 3. *cap.* 45. ſic enim per interualla grauata natura onus deponit, & poſteà ſine Medici auxilio ſiſtitur ſanguis.

Aliquando excernitur etiam ſanguis ſecundùm

modum criſis; quas cauſas tradunt omnes, eaſque deſumimus præcipuè ex Auicen. *fen.* 19. *libro* 3. *tract.* 2. *cap.* 20. Hic ſanguinis mictus excitatur patientibus renibus, aut veſſica, aut patientibus membris, quæ ſunt ſupra renes, aut patiente toto corpore, ob plenitudinem, vt diximus: de quibus omnibus ſigna iam adducimus.

*Signa.* Si ſanguis tenuis, & ſeroſus exeat, & nullus morbus in iecore, aut alia parte ſuperiori apparet, renes affici exiſtimamus, qui debiles redditi, ſanguinem illum, quo nutriri debebant, ob facultatis retentricis debilitatem non retinent, læſaque virtute expellente, conſurgit hoc ſymptoma in eis quæ excernuntur toto genere præter naturam, mingiturque ſanguis ſimilis illi, qui in hepatica dyſenteria excernitur.

At ſi ob diereſim, ideſt ruptionem, exeat, præcedent ſaltus, ictus, caſus, vociferatio, vulneratio, aut humorum eroſio, aut in renibus, & veſſica lapidem deprehendes per propria ſigna propriis capitibus tradita, cuius ratione vaſa diſrumpi ſolent. Quicumque enim ſponte ſanguinem mingunt, iis à renibus venulam ruptam ſignificatur, ex Hippoc. 4. *aphor. text.* 78. Quod ſi ex renum, aut veſſicæ exulceratione ſanguis procedit, ſanguis, & pus ſimul mingitur, ex eodem Hippocrate 4. *aphoriſmorum, textu* 75. Sed quæ pars afficiatur magis, ipſarum dolor diſtinguit; qui in differentibus accidit locis, vt inquit Galenus *in comm. textus proximè citati.* Paulus addit, quod ſi è renibus ſanguis, aut pus deſcendant, magis vrinæ miſcetur, quàm ſi ex veſſica. Sanguis itaque exiens cum ſanie, vlcera, aut rupturam abſceſſus ſignificat; & quando multus effluit, & ſubitò, ruptam venam oſtendit, ſicut dum paulatim, roſionem, deſudationem, & modicam apertionem. Quod ſi ex anaſtomoſi, & ſanguinis impetu ad renes decumbat, ita vt adſit plenitudo, ipſam diſpoſitio corporis oſtendet.

*Signa ſanguinis concreti.* Præterea ſanguis in veſſica concreſcere ſolet, & vrinæ meatum obſtruere, ſiue ex renibus, vel ex veſſica deſcendat, & eum ſequuntur praua ſymptomata, vt vrinæ retentio, animi deliquium, mentis perturbatio, extremorum refrigeratio, pulſuſque parui, & obſcuri, faciei que pallor, vt notat Aëtius.

## §. VNICVS.

### *Curatio mictus ſanguinis.*

MIctus ſanguinis per circuitus repetens, niſi immodicè fluat, non eſt ſiſtendus; natura enim eo tempore ſanguinis multitudine oppreſſa, illum excernere conatur: idemque obſeruandum, ſi per modum criſis ſuccedat. Quod ſi ſanguinis fluxus immodicè perſeueret, tunc baſilicam ſecare præcipit Paulus, ſanguinemque paulatim extrahimus, & per vices, vt diximus capite de ſputo ſanguinis: deinde medicamentis, quæ ad ſanguinis ſputum, aliaſque ſanguinis eruptiones ibi ſunt inſcripta, vti eſt neceſſe, ex quibus etiam in hoc capite aliqua in medium adducam. Idem efficimus ſi ex vena rupta à quacunque cauſa ſanguinis mictus procedat. Quod ſi ex renum, aut veſſicæ vlceribus oriatur, eodem modo ſiſtendus; deinde vlcus curandum vt diximus capite de vlcerum renum, & veſſicæ curatione. Similiter ſi calculus renes, aut veſſicam exulceret, capite de eius cura curatio tradetur, quæ prius in lapidis detractione conſiſtit.

At ſi ex renum imbecillitate ſuperueniat, quæ frequenter ex frigida, & humida renum intemperie prouenit, in renum intemperie auferenda, & eorum corroboratione, & adſtrictione ſalus ſita eſt. *Victus ratio.* Victus itaque omni ſanguinis mictui, qui curationem expoſcit, communis eſſe debet, adſtringens, & agglutinans, qualem deſcripſimus capite de ſanguinis e naribus profluuio: quo inſtituto, in hoc ſanguinis fluxu, ſicut & in aliis, ſanguis eſt extrahendus ex brachiis reuulſionis cauſa, partitis euacuationibus, vt iubet Aetius, frictionibuſque, & ligaturis partium ſuperiorum, & cucurbitulis veteris: quies etiam impetranda. Somnus omnes coërcet euacuationes, præter ſudorem; & in omni ſanguinis profluuio iuuare ſolet. Deinde adſtringentibus, & agglutinantibus internis, & externis vteris, niſi ab humoribus corrodentibus fiat ſanguinis mictus; quo tempore humorem præparare, & euacuare iis, quæ ſimul adſtringant, & euacuent, conſulunt omnes: quibus factis oportet aſſumere ſyrup. myrtinum, roſarum ſiccarum, & citoneorum, cum aqua ſanguinariæ, plantag. aut portulacæ, vel cum aqua chalybeata, cum trochiſc. de terra ſigillata, de ſpodio, aut de ſuccino. Valet etiam lac chalybeatum cum pauco bolo armeno, aut conſerua roſarum antiqua, vel hæc confectio. ℞. conſeruæ roſarum antiquæ, & citoneorum, ana ℥. ij. micletæ ℥. ß. pulu. marg. præpar. coralli præpar. boli armeni, & diatragac. frigidi, lapidis hæmatitis præpar. & ſpodij, ana ʒ. ij. ſyrupi citoneorum quod ſufficiat, vt fiat confectio, de qua ſumat æger quater, aut quinquies cochleare vnum quotidie. Polygonij, & plantag. ſuccus cum poſca vtilis eſt, ex Paulo. Non minùs conducit ʒ. j. cornu cerui vſti cum aqua chalybeata, aut decoctum rhu, & malicorij cum ʒ. j. trochiſc. de terra lemnia, vel de ſpodio.

*Exterius admouenda.* Extrinſecùs parti affectæ admouebis ea, quæ ipſam partem roborent, & adſtringant, vt ſunt rubi, myrti, ac quercus folia, cum poſca aut vino rubro malaxata, & impoſita, ex Aëtio. Aut ℞. palmularum coctarum in vino adſtringenti ℥. iij. foliorum plantag. m. j. tragacanti, & ſucci ſemperuiuæ, ana ʒ. ß. farinæ hordei p. j. olei myrtini, & roſacei, ana ℥. j. ß. pulu. acaciæ, & roſarum, ana ʒ. j. miſce, & fiat cataplaſma. Valet etiam ad idem vnguentum ex oleo roſarum, & myrti, & maſtichis, cum puluere trium ſantalorum, roſarum, coralli rubri, myrtilorumque, & cera: vel vnguentum roſarum, & ſanthalinum, vel de cucurbita, præcipuè ſi ex cauſa calida initium habet ſanguinis mictio.

Maximoperè auxiliantur ſucci plantag. ſanguinariæ, aut herbæ ſyderitis, ſi inſtrumento huic vſui proficuo in veſſicam infundantur, vt ait Aëtius. Poſſunt etiam infundi lac chalybeatum cum bolo armeno, aut rubi, & lentiſci decoctum, quæ etiam per ſedem infuſa proſunt.

*Curatio ſanguinis concreti in veſica.* Quod ſi ſanguis in veſſica in grumos cogitur, & concreſcit, eum diſſolues bibito artemiſiæ decocto, aut ſucco laſeris, apij, aut ſucco cyrenaïco, qui aceto temperantur, vt docet Paulus. Valet etiam coagulum hœdi, aut leporis in oxymelite: acetum mulſum per ſe ſumptum grumos paulatim diſſoluit, & per vrinam prodire facit, vt inſinuat Galenus 6. *de locis affectis, cap.* 4. Idem efficit potus lapidem terens. Sed quia ſanguinis grumus multorum malorum Author eſſe ſolet, vt ibi fatetur Galenus, ſi hæc non ſint ſatis, ad alia fortiora deueniemus. Itaque ſi vrina ex grumis ſupprimatur, neceſſe eſt adhibere catheterem, per quem vbi vrinas eduxerimus, rurſus prædicta in potu exhibebimus, in veſſicamque infundimus aquam mulſam

cum

cum ſucco betæ,aut apij, aut cum coagulo leporis. Idem efficit oxymel, aut lixiuium ex cinere ficus cum mulſa, aut decoctum radicum apij, cicerum nigrorum,aſſari, ſpicæ nardi, & ariſtolochiæ, cum ℈. j. benzoïni.

Forinſecus ſpongiam ex muria, vel lixiuio calido Paulus accommodat. Inſeſſiones etiam fiunt ex decocto rubeæ,calaminthæ,centaureæ, origani,pulegij,& radicis altheæ : aut oleo nardino,lilij albi, amygd. amararum, & anethino veſſicæ regionem inunges : ex quibus cum axungiis gallinæ, cuniculi, & anatis vnguentum ad idem efformabis. Tandem ſi hæc non proſint, neque grumi diſſoluantur, extremum remedium eſt locum ſecare inter anum, & penem, vt ſecantur illi, qui lapide veſſicæ laborant, vt oſtendunt Paulus, & Aetius; ſic etenim ſanguinis grumi extrahuntur, & vrinæ ſuppreſſio curatur.

## CAPVT IX.

### *De lapide renum.*

GRauis admodum,& curatu difficilis cenſetur iſte affectus, quem ſoli homini euenire teſtatur Ariſtotel. *ſect.* 10. *problem. problem.* 6. quia habet meatum veſſicæ anfractuoſum; & in renibus non paucas habet inuolutiones, in quibus lapides plerumque generantur,vt inquit Galenus *de renum dignotione & medela*, *cap.*1. reliqua verò animalia ampliores meatus habent, craſſioremque vrinam excernunt,ita vt raro, aut nunquam lapidem gignant. Licèt omnis affectus, quo renes laborant,nephritis dicatur; propriè tamen lithiaſis, ideſt calculi morbus,nephritis appellatur,vt oſtendit Galenus *loco proximè citato*.

*Nephritis quid ſit.*

Plura ſe offerunt examinanda in præſenti affectu,inter quæ in dubium verti ſolet, an calculus renum, & veſſicæ habeat rationem morbi, cauſæ illius,vel ſymptomatis : à qua diſputatione me abſtineo,quam longè pertractat Garcia *diſput.*62. *de locis affectis*, quam etiam nos diſcuſſimus in noſtris prælectionibus *de morbo.& ſymptom.* Sufficit enim ſcire,quod lapis eſt toto genere præter naturam, qui continuum ſoluendo, viaſque coarctando grauiſſima infert accidentia, proptereaque ſui ablationem deſiderat, & ſuarum cauſarum remotionem exigit, de quibus priùs agere decreuimus, vt ſcientificè procedamus. Priùs tamen erit ſermo de illius cauſa materiali, in qua aſſignanda nulla eſt inter Authores diſſenſio, ſiquidem fatentur eſſe humorem craſſum,& viſcoſum, ſiue ſit ſanguis, ſiue pituita, aut melancholia, vt docent Galenus 3. *aphor.comm.*26. *& de renum affect. cap.*2. & Auic. *fen.*18.*lib.*3.*tract.*1.*cap.*18.& rationem deſumunt ex Ariſt. 4. *meteor. capite* 4. & *capite* 6. vbi inquit, quod ea, quæ concreſcunt,ad aquam, vel ad terram & aquam pertinent; debent enim habere corpulentiam,quam ab aqua,& terra præcipuè deſumunt: debent etiam habere lentorem,& viſciditatem, quæ ſunt neceſſaria ad partium vnionem, ex quorum defectu non lapides, ſed arenulæ generantur; nam ob lentoris defectum materia in multas, & exiguas diuiditur partes, ex quibus mutuo adhæſu colligatis etiam lapides generari exiſtimamus.

*De cauſa materiali calculorum.*

Frequenter in ſenibus eos fieri cernimus; aceruant enim humorem crudum non paucum,ob facultatis coquentis imbecillitatem; materiamque ſuppeditant ad lapidis generationem. Eſt etiam pueris hæc paſſio frequens, qui ob edacitatem, & motus inordinatos magnam humoris crudi copiam gignunt. Eſt tamen differentia, quòd in pueris calidum innatum abundat,& fortes eliciunt actiones, ita vt craſſam materiam vnà cum vrina ad veſſicam excernant, in cuius amplitudine lapides producuntur. Contrario modo ſe habent qui ætate proceſſerunt, qui calorem diminutum, & debiles habentes actiones, coactam, & craſſam materiam humorum à renibus non excernunt, & ſic lapides in renibus frequentiùs generant, vt dilucidè Galenus inſinuat *locis iam citatis*.

*Pueris,& ſenibus frequenter accidat,& quare.*

Circa cauſam efficientem omnes conueniunt, quod lapis producitur à calore immodico. Dubium tamen eſt, an frigus ſit cauſa illius. Partem affirmatiuam probant aliqui, ex Ariſtot. *ſect.* 24. *problemate* 11. vbi ait: *An non ſolum calor elapidat, ſed frigor etiam humorem nimio gelu abſumendo indurat, facitque lapidem.* Si ergo in exterioribus lapis immediatè à frigiditate progignitur, in nobis etiam ſimili modo fieri debet. Secundò probatur ex eodem Ariſtotele 4. *meteor. cap.*6. vbi ait : *Quod quæ calore concreſcunt, frigore liquantur; quæ verò frigore cohærent, calore diſſoluuntur.* Sed lapis non diſſoluitur, nec liqueſcit frigore : ergo neque concreſcit calore, imò cùm calore diſſoluatur, potiùs à frigore, quàm à calore naſci exiſtimatur; nam omnia medicamenta, quæ lapidem comminuunt,ſunt calida.

*De cauſa efficienti calculorum.*

His tamen non obſtantibus, ſit prima concluſio. Lapides, qui in noſtro corpore generantur, nullo modo à frigiditate concreſcente fieri poſſunt: quæ probatur ex Galen. *de renum dignotione, & medela, cap.*2. vbi aſſerit, quod in nobis lapidem frigus non parit; & rationem reddit, nam lapides generantur à frigore media concretione, vt in externis videmus : ſed eſt impoſſibile, quod viuo animali tantum frigus accedat, quo concreſcat in homine lapis : ergo in illo à frigore non poteſt generari; nam omnes partes corporis à calore influenti calefiunt,à quo ſi deſtituantur, impoſſibile eſt quod viuant; quo præſente frigus ita remittitur,& attemperatur, vt non poſſit cauſare concretionem, ad quam requiritur frigus nimis excedens.

*Prima concluſio.*

Secunda concluſio : Lapides in noſtris corporibus in plurimùm generantur à calore excedenti,vt docent Galen. *loco iam citato*, & Ariſt. *ſect.*24. *problem. probl.* 11. & ratione probatur; nam lapides fiunt aut à frigore concreſcente, vel à calore reſoluente: ſed vt manet probatum, in homine non poſſunt fieri à frigore : ergo neceſſariò fieri debent à calore excedenti; & quia calor excedens magis reſoluit humoris,quod tenue eſt, ideò quod craſſum remanet, induratur,& in lapidis naturam migrat; ita etenim in lebete aquâ pleno, & igni approximato lapides generari comperimus, aquæ parte, quæ tenuis fuerat,diſſolutâ, manente alia, quæ craſſa, & terrena eſt.

*Secunda concluſio.*

Tertia concluſio : Calor moderatus,& naturalis valet etiam lapidem generare. Quam probare poſſumus ex eodem Galen. *eodem loco*, & 6. *epidem. comment.* 3. *ſuper textum* 15. vbi inquit : *Caliditas mediocris etiam ad huiuſmodi materiam inſpiſſandam ſatis eſt.* Nam ſi craſſa materia adeſt,ſufficere poterit tepida, & moderata caliditas, & quæ naturalis eſt ad firmandam, & indurandam terræ modo craſſam hanc materiam, vt ipſe aſſerit. Calor enim moderatus,quamuis moderatè reſoluat, ſi materia,in quam agit, eſt craſſa,& benè diſpoſita,

*Tertia concluſio.*

&

& accommodata, vt ex illa lapides fiant, facilè eam craſſiorem reddet, licèt ob eius remiſſam actiuitatem longum tempus requirat.

*Calor eſt cauſa inſtrumentalis lapidum.* Neque ex dictis ſequitur, calorem eſſe cauſam principalem lapidis, ſed ſolummodò inſtrumentalem, cum accidens, vt cauſa principalis, non poſſit attingere productionem ſubſtantiæ; debemus enim deficiente cauſa particulari principali, ad vniuerſalem confugere.

Ex his ſic ſtatutis ad argumenta reſpondetur. Ad primum, quod licèt in externis lapides à frigore progignantur, id accidere non poteſt humanis corporibus, propter rationem in prima concluſione adductam.

Ad ſecundum dicimus, verum eſſe, lapidem calore concreſcere; non tamen omnia calore concreta frigore liquari, ſed ea tantùm, in quibus imbibitur aliquis humor, quæ ratione humiditatis frigore liqueſcunt. Tamen ſi humor in eis imbibitus conſumitur, & exprimitur, nullo modo liquantur, vt fictilia, quæ ineliquabilia eſſe teſtatur Ariſtotel. 4. *meteor. capit.* 7.

Ad tertium reſpondetur, quod in calculi curatione vtimur medicamentis tenuium partium, quæ contraria ſunt craſſitiei lapidis, & humorum. Sed quia talia maiori ex parte ſunt calida, ideò vtimur remediis calefacientibus, vt monet Auic.

*Dubiolum.* Dubitabis tamen, qua ratione lapides pluririmis laminibus conſtant, quas ſæpe vidimus in lapidibus veſſicæ nondum benè induratis. Reſpondetur, ideò laminas fieri, quia materia ex qua fiunt, paulatim accedit, & vna pars illius poſt aliam; quod ſi ſimul copia materiæ colligitur, & induratur, tunc lapides ſine laminis fiunt, vt in lapidibus exterioribus cernimus.

Inter cauſas, quæ diſponunt ad lapidis procreationem, annumerat Galenus veſſicam, & renes; ſi enim renes nimis calidi exiſtunt, materiam attrahunt generationi lapidis accommodatam, quæ ſi in veſſicam deferatur, ibi ex eadem materia procreantur; aut ſi renes & veſſica vitium contraxerunt hereditarium ex ſemine deciſum, vt inquit Fernelius 6. *de partium morbis, cap.* 12.

*Pars affecta.* Generantur lapides in renum ſubſtantia, aut eorum cauitate, vt conſtat ex Galen. 6. *epidem. parte* 1.*comm.*6. & *de renum dignotione & medela, cap.* 3. quod etiam confirmat Daneſus Daneſius, qui renes calculis plenos ſecundùm totam ſubſtantiam ſe conſpexiſſe ait, idque ex diſſectione deprehendimus. Neque in hoc eſt ſequendus Pereda *ſcholio* 47. vbi contrarium ſuadet, nempe quod lapides ſolùm generantur in renum cauitatibus, & non in ſubſtantia; inquit enim, quod ſi in renum ſubſtantia producerentur, haudquaquam ad vreteras peruenire poſſunt; & quia renum ſubſtantia eſt inſenſilis, lapis in ea genitus non poteſt inferre dolorem acutum. Præterea nullus locus adeſt, aut cauitas in renum ſubſtantia, in qua lapis generari poſſit. Huius tamen rationes non conuincunt; non enim repugnat, quod ex ſubſtantia renum ad vreteras lapis permeare valeat; & licet renum ſubſtantia ſenſu careat, vel habeat ſenſum obtuſum, dolor tamen fit ratione membranæ, quam lapis diſſoluit, cui maximus ineſt ſenſus. Quod ſi Galen. 6. *epidem. citato*, aſſerit, quod calculi in renum ſubſtantia geniti non ſolùm inter exeundum, verùm etiam creationis tempore eo in loco dolorem inferunt, non eſt ſenſus verborum Galeni, quod renes habeant ſenſum, cùm potiùs oppoſitum ſuadeat; ſed quod calculi in carne renum geniti, qui proportione tophis in articulorum morbis genitis reſpondent, membranam diſtendant, & aggrauent, eamque diſſoluant, ex quibus neceſſariò inſurgit dolor.

*Signa.* Aliqua ſigna diagnoſtica capite de coli dolore adduximus; breuiter tamen, vt huic capiti nihil deficiat, iterum ſunt repetenda. Cognoſcitur lapis renum ex dolore in ſitu renum perſeuerāte, qui acutiſſimus eſſe ſolet, dum lapis ad exitum mouetur, propter magnam vaſorum diſtenſionem: quando autem lapis quietus eſt, dolor adeſt grauatiuus, præcipuè cùm cibo implentur ægri. Quod ſi magnitudinem contrahit, etiamſi quietus permaneat, non ſolùm grauat, ſed etiam membranam dilacerat, & maximos excitat cruciatus.

Solent etiam præcedere arenæ in vrina, vt conſtat ex Hipp. 4. *aphor. textu* 79. quæ licet vt ſic non indicent lapidem in renibus magis quàm in veſſica; nihilominus lapidis generationem denuntiant, vt docet Galen. *in comm. textus præcitati*, quæ dum è renibus deſcendunt, rubrum, aut flauum colorem habere ſolent, quia in renibus calor intenſior, & humor magis aduſtus plerumque reperitur, quàm in veſica. Renum etiam lapides minores ſunt, quàm lapides veſſicæ, ob minorem renum capacitatem, & meatuum anguſtiam, qui pro materiæ diuerſitate, magnitudine, & figura, colore alij ſunt magni, alij parui, alij mediocres, alij lenes, alij aſperi, quidam longi, alij verò rotundi; quidam etiam colore varij, albi, ruffi, flaui, aut nigri. Solet etiam adeſſe dolor, & retractio teſtis è directo reſpondentis reni dolenti, vt Paulus docet, quæ fit propter communionem, quam habent vaſa ſeminaria cum renibus, ad quorum diſtenſionem teſtis retrahitur.

*Stupor cruris eſt ſignum calculi.* Aliud ſignum adducunt Authores, ſtuporem ſcilicet in crure eiuſdem partis, qui fit quia à lapide comprimuntur nerui ad crus deſcendentes, & impeditur tranſitus facultatis animalis.

Præterea, ſi lotium mingunt ſanguinolentum cum renum dolore, etiam indicare ſolet exulcerationem renum, vel ruptionem propter lapidem deſcendentem. Vrina etiam aquoſa in principio apparere ſolet; nam ob obſtructionem, ceu per cribrum effluit, deinde ſabuloſa, & craſſa, demùm calculi deſcendunt, & cùm meatus vrinarios ingrediuntur, dolorem vehementiorem mouent, propter illorum anguſtiam. A calculo ſimiliter, & humorum craſſitie in totum ſupprimi ſolet vrina.

Vlteriùs hunc morbum comitatur vomitus pituitæ à principio, quia talis humor abundare ſolet in ventriculo; eſt enim tanta ſimpathia inteſtinorum cum renibus, & renum cum inteſtinis, & vtrorumque cum ventriculo, vt colicus dolor, & nephriticus inter initia communia videantur habere ſigna, & curationem, vt notat Valleſ. 6. *epid. ſect.* 1.*com.*5. quos tamen docet diſtinguere Galen. 6. *de locis affect. cap.* 3. ex nauſeæ, & vomitus multitudine, & magnitudine; nam maiores concitantur in coli dolore, ſiue pituitoſa, ſiue melancholica, ſiue birioſa excrementa excernantur. Dolor etiam colicus ad plures ſe extendit partes, & ſæpe numero ſupra renes dolor reuoluitur; renalis verò dolor fixus in parte exiſtit, donec per vreteras deſcendat, in quibus, vt diximus, maximè cruciat. Quod ſi ex vrinis, aut lapide antea excreto aliquid diſcernis, facilè vtrumque dolorem diſtingues. Tandem ſi lapis ad veſſicam deſcendit, dolor ſtatim ſedatur, qui poſtea vt lapides alij veſſicæ curari debet.

*Prognoſticum.* Hic affectus magna cum diligentia curari debet; nam

nam ob dolores, & vigilias vires debilitantur, vt inquit Tral. & ſanguis æruginoſus, & prauus fit, qui euomi ſolet, vt ex Galeno didicimus 6.*epidem. citato*. Renum morbos non vidit curatos Hipp. vltra quinquageſimum annum, vt ipſe etiam fatetur 7. *epidem.text*. 4.

### §. VNICVS.

### *Curatio calculi renum.*

QVoniam iſte morbus acceſſiones habet, ei debetur curatio in acceſſione, & extra acceſſionem; quæ dum fit extra ipſam, curatio præſeruatiua nuncupatur, quia impedit lapidis generationem, ipſius cauſas auferendo, de qua priùs eſt inſtituendus ſermo.

*Curatio lapidis præſeruatiua.*

Ante acceſſionem ergo cuitanda ſunt ea omnia, quæ pituitam augent, vt alimenta craſſa, frigida, viſcida, & difficilia concoctu, vt ſunt panis azymus, caro bubula, ceruina, caprina, porcina, & leporina, lac, caſeum, oua dura, & frixa. Vitent piſces craſſæ ſubſtantiæ, vt ſunt anguillæ, thynnus, & polypus. Vinum etiam nigrum interdicitur, & legumina. Sint igitur carnes facilis coctionis, quales pullorum, gallinæ, coturnicis, perdicis nouellæ, turdorum, attagenorum, & arietis, quæ aſſæ conueniunt, aut cum ciceribus, & cortice radicis petroſelini decoctæ. Vtilia ſunt etiam ius cicerum, ptiſana, & ex fructibus nuclei pini, amygdalæ, piſtaciæ, vuæ paſſæ, cappares, & melones. Ex oleribus conferunt chicoreum, ſcariola, petroſelinum, apium, fœniculum, carduus, raphani folia, berula, paſtinaca, aſparagus, cicer, & alia huiuſmodi.

Panis ſit benè fermentatus, & cum aliquibus granis aniſi, aut fœniculi decoctus. Potus ſit vinum album, & tenue, aut aqua tenuiſſima fluuij, aut fontis, vel per mortarios lapideos percolata, vel aqua ſaxifragæ, vel capill. Veneris. Satietatem, & ciborum repletionem reformident ægri, quæ non ſolùm morbum exaſperant: ſed etiam (ſi non adſit) illum gignunt, vt inquit Aëtius. Animi paſſiones euitent, exercitium ſit moderatum, ſomnus ſit paulò conſueto longior. Quæ omnia variari debent pro ratione ætatis, & temporis, vt conſulit Galen. *loco citato de renum dignotione.*

Præterea admonere oportet ægros, vt poſt cœnam ter, vel quater in menſe euomant, ex Auicennæ, & Aëtij conſilio; nam præterquam quod humores ſuperiora euocantur, pituita quæ in ventriculo generari ſolet, & eſt huius morbi materia, etiam euacuatur. Ventris lubricitas omni arte procuranda emollientibus, & purgantibus, adhibitis clyſteribus, vt ſic ex renibus, & veſſica diſtrahatur humor, & euacuetur, quem etiam expurgabis pulpa caſſiæ, & diacathol. in forma boli cum ſaccharo, aut in forma potus, in quem vſum primum locum habet terebinthina, quæ pro guſtu laborantis variis paratur mediis, quæ humores abſtergit, renes purgat, vrinas ciet, & vias emollit, vt inquit Dioſc. *lib.* 1.*c*.78. & Galenus 8. *ſimplic.capit. de reſina*, cui maximam vim abſtergendi tribuit Galenus, & quæ in profundo reſident, attrahit. Inter reſinæ ſpecies, quæ ex terebintho diſtillat, bonitate alias ex cellit; poſt hanc lenticiſna, deinde abietina, deinde quæ ex tæda fluxit, vt ipſe Dioſcor. teſtatur, ex qua variæ parantur medicamentorum formæ, vt ℞. terebinthinæ abietinæ ℥.iij. pulpæ caſſiæ ℥. ß. pulu. liquiritiæ ℥. j. miſce, & fiant morſelli. Vel ℞. terebinthinæ lotæ decocto gramin. & ſaxifrag. ℥ ß. ſacchari quod

*Terebinthinæ vſus & electio.*

A ſufficiat, miſce, & fiant boli; aut eadem lota, & in oleo amygdal. dulcium diſſoluta in potu dari poteſt. Vega præbet etiam cum magno ægrotantium auxilio medullæ caſſiæ ℥. j. in ʒ. iij. olei amygd. dulc. & totidem vini albi; quæ potio ſi fiat cum ℥.ß. terebinthinæ lotæ loco caſſiæ phiſtulæ, vtilis cenſetur. Inter vnam & aliam purgationem (nam per interualla purgare expedit) ſi ventriculus frigidus ſit, & pituitæ copiam coaceruat, ipſum roborabis adhibitis exteriùs oleis abſinthij, ſpicæ, maſtichis, & citoneorum, cum puluere diarrhod. Abb. aromat. roſarum, maſtichis, & menthæ, abſinthij, & cinnamomi, ex quibus cum cera parari poteſt vnguentum. Aut vti poteris aliis, quæ capite de ventriculi cruditate adducta fuere.

Rurſus renes abſterges attenuantibus, & inſcindentibus, quæ non admodum calefaciant, neque B acria ſint, vt docet Tralian. talia enim iecur, & renes intemperata, & ignea reddunt. Debent ergo eſſe temperata, qualia ſunt adianti decoctum, vel aſparagi, graminis, apij, radicis eryngij, & quinquefolij herbæ, & liquiritiæ radix, ex quibus etiã cum ſucco limonum, & ſaccharo fieri poteſt aqua ſtillatitia, quæ pretioſior erit, vt inquit Ludouic. Merc. ſi extrahatur ex corticibus, caulicibus, & floribus fabarum, calcitrapa, ſucco limonum, & arantiorum, melle, & decocto maluarum, & dialtheæ, quæ lento igne per alembicum diſtillentur, ſed non permittantur comburi, neque liquores ex toto conſumi. Bibere ante omnem cibum aquam tepidam vtile eſt, ex Traliano, nihil enim renes adeò temperatos reddit, vt non amplius calculos procreare poſſint; aquæ tamen non C nihil oxymelitis addere poteris. Valet etiam decoctum altheæ, & maluarum, ſi illius ℥. v. cum ℥. j. ſacchari candi propinentur. Oleum citoneorum mirificè purgat, & abſtergit, ſi eius ℥. j. ß. cum ſaccharo, ventre ieiunio bibatur, aut aqua ex terebinthina per alembicum extracta, vel puluis ex virga aurea, quantitate ʒ. j. aut puluis ſeminis vrticæ, aut citruli, cum aqua ſaxifragæ, aut vino; vel hic puluis, qui recipit pulueris liquiritiæ, ſeminis potroſel. & corticum radicis illius, ſeminum melonum, & cucurbitæ, ana ℥. j. quorum cum ſaccharo aſſumat æger ante prandium cochleare vnum, cum aqua maluarum, & graminis. In iure carnium aliquid ſucci limonum iniiciunt, & prodeſt.

*Diſtillatio vtiliſſima.*

Aduertere tamen oportet, quod neque iis continuè eſt vtendum, ſed tunc ſolum cùm ſuſpicio quædam fuerit, materiam paulatim in renibus congregari, vt optimè animaduertit Tralian. Conducit D etiam quammaximè puluis qui recipit gummi ceraſorum, milij ſolis, ſeminum petroſelini, melonum, & maluæ, & radicis dulcis raſæ ʒ.iij. ſacchari candi ʒ.x. fiat puluis ſubtiliſſimus, ſed iſte puluis magis confert ad lapidem conterendum.

His præſidiis renibus expurgatis, eorum calidam intemperiem ad priſtinum ſtatum reduces, quos, & dorſum inunges vnguento refrigeranti Galeni, roſarum, & de cucurbita; & lacte caprino, mulieris, vel aſinæ illas partes fouebis. Quod ſi iecur ſuo calore excedenti, vel totum corpus calidum renes calefaciant, balneis aquæ tepidæ eſt vtendum, aut iecur, & totum corpus ſupradictis vnguentis inungendum.

Simili modo laboranti porriges ℥.v. aquæ hordei, aut ſeri lactis caprini, aut emulſionis quatuor ſeminum frigid. maiorum, cum ſaccharo, aut ſyrupi violarum aliquid cum ℥.iiij. decocti hordei, & maluarum. Tandem ſi aliqua euacuatio eſt cohibita, aut ſanguinis adſit abundantia, depoſitis

ventri

ventriculi,& inteſtinorum cruditatibus, à ſanguinis miſſione curationem auſpicabimur.

*Curatio lapidis in ipſa acceſſione.*

Quod ſi iis adhuc adhibitis lapis in renibus generetur,& ad exitum moueri incipiat, ita vt dolorem inferat, tota curationis ratio in viarum apertione,lapidis detractione,illius comminutione, & doloris ſedatione ſita eſt.Itaque ſi ventriculi cruditas,aut inteſtinorum adſit, ſtatim vomitus procurandus iis,quæ capite de vomitu tradidimus; venterque clyſteribus lenientibus eſt euacuandus,qui fieri debent ex decocto maluarum, biſmaluæ, parietariæ, ſeminis lini,fœnugræci,fœniculi,& chamæm.cum oleo amygd.dulc. ſcorpionum, & ſeſamino, & caſſiæ pulpa, diapruno ſimpl. vel diacathol.in minori tamen doſi clyſteres iniiciantur, quàm in aliis affectibus, ne ex eorum multitudine renes nimis comprimantur.

*Sanguinis miſſio.*

Prætereà ſi vires conſtent, & ſanguis abundet, ſtatim eſt mittendus,niſi enim illum euacues,facilè in renes confluet, tanquam in partem imbecilliorem,& ratione doloris maior ad illos fiet attractio,vt conſtat ex Galeno *libro de renum affect. & medela, cap.*5. Et licèt Hipp. *6. epidim. parte* 1. *textu* 6. poplitis venam inſcindere iubeat,in principio tamen,reuulſionis gratiâ,& ne renes inflammentur,conſulit Aëtius brachiorum venas ſcindere, deinde malleoli venas, ſeruatâ tamen partium rectitudine, quam etiàm eſſe faciendam monet Galen. *libro de ſanguinis miſſione, capit.* 18. Sed quia dolor, & vigiliæ immodicæ nimis infeſtant, vireſque deiiciunt, minùs eſt euacuandum, quàm ipſa plenitudo commonet; aliquid enim accidentibus eſt relinqueudum, vt teſtatur Galen. 1.*de arte curat.ad Glauc.cap.*13. Deinde vtendum eſt medicamento purganti, quod ſuprà in præſeruationis cura adduximus. Purgationem commendant Hippoc. *loco proximè citato*, & Galenus, & alij omnes.

A purgatione conducunt balneationes, fomenta, vnguenta, & emplaſtra, quæ laxare, emollire, & dolorem coërcere queant.Balnea fiunt ex decocto maluarum, biſmaluæ, chamæm. meliloti,ſenecionis, fœnugræci,ſeminis lini, mercurial. pariet. ceterac,& capill.Veneris, quo veſſicam etiam bubulam ſemiplenam iuxta renes appones,quæ ſi oleo dulci calido, aut anethino, vel ſcorpionum ſemiplena renibus admoueatur, vtilis cenſetur. Renes, & vreteres inungantur hoc vnguento. ℞. olei amygd.dulc. ſcorpionum,chamæm.& ſeſamini, ana ℥.j.adipis cuniculi,gallinæ, & anatis, & butyri recentis,ana ℥.ß.croci g̃.vj.ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum, cui addere poteris mucilaginem ſeminis lini, & fœnugræci, in aqua maluarum extractam, aut oleo anethino, ſcorpionum,amygd.amararum, & lilij albi eaſdem partes fouebis.Conducit optimè tortella ex ouis frixa, cum cepe albo diuiſo,& cum oleo ſcorpionum pubi, & renibus impoſita. Emplaſtra etiam renibus, & viis vrinariis admoueantur,vt ℞.foliorum maluæ,laueris, parietariæ, & herbæ medicæ, ana m.j. decoquantur ſufficienter,& malaxentur,quibus adde farinæ fœnugræci, & ſeminis lini,ana p.j. olei ſcorp. chamæm. & ſeminis lini,ana ℥.ß.miſce,& fiat emplaſtrum. Vtile etiam eſt renibus, & parti dolenti parietariam, & herbam medicam in vino decoctam admouere.

*Cuburbitarum vſus.*

Cucurbitæ paruæ etiam lapidem in locum ampliorem transferre ſolent, eumque à renibus veſſicam verſus traiiciunt: quapropter à renibus ſunt apponendæ, procedendumque per obliquam ilium poſitionem, quo loco dolores in lapidis deſcenſu affligere ſolent; eas tamen renibus non admouebimus, ſi in renibus adſit inflammatio, vt inquit Aëtius. Corpus præterea variè agitetur, & commoueatur,vt ſic lapis ex proprio loco ſemoueatur.

*Interius porrigenda.*

Sed quia hæc remedia ſæpe non ſufficiunt, ea porriges, quæ ore aſſumuntur, quæ vim habeant lapidem comminuendi, & frangendi, & virtutem tepidam obtineant;calida enim nimis vrinam prouocant,lapidem magis indurant, & materiam verſus renes mouent, à quorum vſu abſtinere iubet Galenus Inſcindunt itaque, & attenuant cum calore moderato ea,quæ ſuprà retullimus ad renes abſtergendos,inter quæ annumerat Galen. 5.*ſimpl. capite* 13. radices regiorum aſparagorum, & rubi, betonicam, polium, vitrum vſtum, ocram, & ex ſchilla confectum acetum. Præter hæc commendat plantag.radices, & folia, ſemenque peucedani, & rumicis domeſtici radices, & radiculam, quorum ſingula partim decocta, partim in tenuiſſimum puluerem redacta bibantur.Bibat ergo æger præcipuè dum balneum egreditur,acetum mulſum cum decocto radicis tribuli,aut eryngij, aut apij; vel bibat ſyrugum quinque radicum,cum decocto aſplenij,rubeæ,adianti,corticis lauri,& ſaxifragiæ: vel aſſumat decoctum cicerum nigrorum, radicis peucedani,fœniculi, petroſelini, eryngij, & ſimilium, quibus ſi neceſſitas vrget,medicamenta fortiora compoſita addes in hunc finem præparata,inter quæ primatum tenet lycontripon quantitate ʒ.j. cum aliquo ex dictis decoctis ebibitum. Valent etiam dialacca,diacurcuma,dianiſum, diacyminum,& puluis ſuprà ſcriptus pro lapide præſeruando. Gummi ceraſorum in vino albo ſolutum contra calculum profuiſſe refert Mizaldus. Præter dicta auxilia ſimplicia & compoſita,alia reperiuntur, quæ à proprietate ſubſtantiæ lapidem comminuunt,& frangunt,vt ſunt lapis iudaïcus, & ſanguis hircinus, quem præparare docent Aëtius, & Tral.qui tanta vi eſt præditus,vt eum manum Dei appellarent.Lapis ſpongiarum,lapis lyncis,& lapis hominis proſunt,adhibitâ tamen hac diſtinctione; nam lapis à renibus extractus ſi bibatur,renum lapidem frangit; lapis verò à veſſica deciſus, veſſicæ lapidem comminuit, vt Authores autumant.Eſt etiam aptiſſimum remedium, vt ait Paulus, paſſerculus troglodites,dictus,omnium auium minimus, eâ ſolâ excepta,quæ regulus appellatur; hac enim ſola paulò maior eſt,eique ſimilis colore,tenuis roſtro, in muris magis, ac ſepibus degens: hanc alij vocant caudam tremulam,nos autem *bizbita*.Hæc auis cruda edenda eſt, non ſemel, ſed ſæpe; priùs tamen ſale condîta, aut cum pennis integrè combuſta,& in cinerem verſa,per ſe,aut cum pipere,& folio bibenda cum vino albo,& melle; quæ ſi frequenter commanducetur,calculos iam creatos per vrinam expellit, in poſterumque generari prohibet, vt docet Aëtius, & illius auis cinerem cum melle cocto adſeruare poſſumus. Leporis pellis in furno combuſta,& in puluerem minutiſſimum redacta, ſi ex ipſa cochleare vnum cum vino in ſolij calidæ aquæ ingreſſu aſſumatur, optimè lapidem frangit,idque experimento conſtare ait Aët. nam ſi quis in vino pellis leporis puluerem iniiciat,cum lapide ex flumine accepto,breui tempore lapidem in grumos diſſolutum inueniet.

*Narcoticorum vſus.*

Tandem ſi dolor nimis infeſtat, eiſdem auxiliis narcotica ſunt miſcenda, vt theriaca recens, & vtrumque philonium,quæ quantitate ʒ.j.cum ſyr. capil.Vener.& decocto maluardm dormituris præbeatur; ſic enim vigiliis, & cruciatibus ſuccurrimus, vireſque diſſolutas reficimus.

*Cantharidum vſus.*

Aliqui ex Authoribus cantharidum vſum probant, quæ potenter lapidem renum, & veſſicæ

frangunt; ob earum tamen perniciem,& vim deleteriam,earum vſum reformidamus, niſi cùm alia non proſunt. Quod ſi iis auxiliis in veſſicam lapis deſcendat, ibique remaneat, curabitur vt dicemus capite ſequenti. Alia quamplurima tradunt Authores, nos autem probatiora, & paratu faciliora tradidimus: ſi verò alia exoptas,ex eorum tractatibus deducere poteris, dummodo in pueris,& delicatioribus ſemper mitioribus auxiliis vtaris.

Extracto lapide renum, intemperiem corriges, & renes roborabis, lapidiſque alterius generationem prohibebis, vt diximus in lapidis curatione præſeruatiua.

## CAPVT X.

### *De curatione lapidis veſſicæ.*

LApidis in veſſica concreti eaſdem cauſas,eandemque curationem Authores aſſignant, niſi quod fortiora expoſcit auxilia, quàm renum lapis, vt oſtendunt Gal. & Auic. quam ob cauſam ex traditis capite antecedenti vehementiora eliges, quæ ſi non proſint, nec lapis foras trudatur, nec comminuatur ,aliqua particularia,quæ lapidi veſſicæ magis congruunt,adducemus, ſi priùs lapidis huius ſigna referamus, quæ ſunt dolor infra os pubis,pondus, vrinæ ſtellicidium, mingendi difficultas, vrinæ ſuppreſſio, pruritus ani moleſtus, membri erectio frequens, ani exitus, vrina cruda, & ſubalbida, in qua arenoſa ſubſiſtunt; immiſſo digito per anum pertingitur lapis, & eſt certius ſignum. Mulieres licèt eaſdem cauſas habeant,à quibus veſſicæ lapis progigni,poterit, non tamen frequenter hoc corripiuntur morbo; nam, vt inquit Auic. meatus veſſicæ earum ad exteriora eſt breuior,& latior, & nullo labore craſſa,quæ in veſſica ſunt,ſimul cum vrina excernunt,antequam lapidis duritiem contrahant. Victus ergo ratio,& curatio in acceſſione, & extra acceſſionem eodem modo ſunt inſtituenda, ſicut in curatione calculi renum diximus.Quod ſi iis non excernatur lapis, oportet ad manualem deuenire operationem, & per ſciſſuram lapidem extrahere,vt docet Paul.*lib.6.cap.60.* & Aëtius *tetrab. 3. ſerm.3. cap.14.* deinde vlcus curare,& reliqua inſtituere, ita vt denuò noui calculi non procreentur. Inter eos, qui per ſciſſionem curantur, pueri quidem vſque ad decimum quartum annum,propter corporis mollitiem facilè curationem recipiunt; ſenes quia corpus eorum contumax eſt,vix conſaneſcunt; qui mediam inter hos ætatem habent, medium etiam in curatione tenent. Rurſus faciliùs ſanantur, qui maiores calculos habent, & doloribus, & inflammationibus aſſueuerunt,quàm qui minores,ob contrarias cauſas. Circa hoc lege Paulum *loco, & capite citatis,* vbi apertionis, & curationis modum ſcriptum reperies. Quod ſi à calculo veſſicæ vrina ſupprimatur, aut difficultas vrinæ inſurgat, proprio capite curationem adducemus.

### §. I.

### *De inflammatione veſſicæ.*

INflammatio eſt morbus aliis etiam partibus communis, quæ ex ſanguinis ad veſſicam confluxu initium habet, quæ ſequitur cauſas, vel

A alias occaſiones,quæ ſanguinem adaugere poſſunt, aut eas quæ verſus veſſicam illum mouere ſunt aptæ, vt ſunt ictus,contuſio, ſaltus, longa equitatio, & frequens veneris vſus.Solent etiam præcedere menſium,vel hæmorrhoïdum cohibitio,vini, & calidorum ciborum vſus, & alia, quæ capite de iecoris inflammatione ſunt adducta.

*Signa.* Huius morbi ſigna ſunt loci affecti ardor, dolorque cum grauitate,febris, mentis alienatio,vomitus bilis ſinceræ,& vrinæ ſuppreſſio, & egerendi cupiditas,qualis in teneſmo reperitur; quod verò egeritur,ſubſidentiam non habet.Plures addunt ileon inflammationi veſſicæ ſuperuenire, inter quos Aëtius *tetrab.3.ſerm.3. capite 26.* & fundamentum deſumitur ex Hippocrate *6., aphoriſmor. text. 44.* vbi ſic: *Quibus ex ſtillicidio vrinæ ileos ſuperuenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre* *Aliquorum opinio.*

B *ſuperueniente ſatis vrina fluxerit.* In cuius textus expoſitione Valleſius fatetur, quod ſtillicidium vrinæ, & ileos fieri poſſunt ab inflammatione veſſicæ,aut ex ſuccis craſſis,quibus ſi febris ſuperueniat,eos liquabit, & copiosè mouebit vrinam, eoſque morbos non ſine ratione ſoluebit. Sed horum doctrina ( ſi Galeni placitum ſequamur *in illius textus comm.*) non quadrat; nam quando veſſica inflammatur, in tantum ileon cauſare poterit, in quantum comprimit inteſtina,ita vt nullus pateat deſcenſus excrementorum: ſed quando nimis extenſa,& plena ſecundum propriam circumſcriptionem apparet veſſica,magis comprimit inteſtina, quia magis extenſa eſt; quàm ſi eſſet inflammata; & tamen non cauſat ileon.Ergo inflammatio, quæ minùs eſt extenſa, & minùs comprimit,non pote-

C rit illum cauſare. Vlteriùs tumor prægnantium vſque ad hypochondria extenditur,& magis comprimere poteſt, atque anguſtare inteſtina tenuia, quàm inflammatio veſſicæ,quæ tantummodò poteſt rectum comprimere inteſtinum: cum hoc tamen tumor ille prægnantium ileon non producit, vt quotidie cernimus: ergo neque inflammatio veſſicæ illum producere valebit. Quapropter Galenus fatetur, ſe ignorare, quæ in illo aphoriſmo Hippocrates pronuntiauerit, dubitatque an inter Hippocrat. genuinos textus ſit reponendus; neque viſus eſt ægrotus ileo laborans, imò contrarium ſemper experientia indicauit.

*Prognoſticum* Morborum, qui circa veſſicam oriuntur grauiſſimus, & maximè mortalis, inflammatio exiſtit,

D vt inquit Aëtius loco proximè citato; præterquam quod renum, & veſſicæ vitia difficilem ſanationem admittunt, ex Hippoc. *6. aphoriſmor. textu 6.*

### §. II.

### *Curatio inflammationis veſſicæ.*

IN hac,ſicut & in aliis inflammationibus curandis victus debet eſſe tenuis,& refrigerans, qualem deſcripſimus *capite de iecoris inflammatione.* Ventrem habeant lenem, aut enematibus vtantur, quæ emolliant, refrigerent, & dolores mitigare valeant. Quod ſi nihil obſtat, ſtatim ſanguinem mittere iubent Paulus, & Aëtius; non tamen partem aſſignant, ex qua extrahi debet: eam tamen indicare videtur Hippocrat. *6. aphor.text.36.*vbi ait: *Difficultatem vrinæ vena ſecta iuuat,ſecare verò interiores*; Galenus *in huius textus comment.* inquit, quod venæ ſectio fieri debet ex venis interioribus poplitis, vel tali;

tali; nam in partibus quæ ſupra hepar ſunt, è manibus ſanguinem mittit, in inferioribus autem partibus venas, quæ in poplite vel talo ſunt, ſecare iubet *lib. de ſanguinis miſſione, cap.* 8. ſed licet hæc vera ſint, nihilominus ſi vires conſtent, citiùs, & meliùs reuellimus, detracto ſanguine ex cubiti vena interna: deinde deriuationis, & euacuationis causâ ex venis interioribus tali. A ſanguinis miſſione partem fouebis oleo violarum, chamæm. & lumbricorum, aut ſcorpionum, quibus admiſcere poteris vnguentum Agrippæ, aut dialtheæ. Veſſica bubula oleo chamæm. amygdalarum dulcium, & ſcorpionum, & decocto maluarum, & hordei ſemiplena, pubi, & peritoneo tepida eſt admouenda. Sedeat etiam æger in decocto ſeminis lini, & fœnugræci, maluarum, violariæ, radicis altheæ, ſeminis fœniculi, & petroſelini, in quo decocto mingere curet: quod ſi non poteſt vrinam expellere, Aetius monet, vt æger ipſe, aut ex adſtantibus aliquis placidè pectinem premat, neque id vltra modum, ne dolor intendatur. Verumtamen ſi iis vrina non excernatur, catheterem immittimus in veſſicam, ſimulque placidè pectinem premimus, niſi ex illius intromiſſione dolores maiores exacerbentur, quæ inflammationem adaugent, qui quidem viris ſuccreſcere ſolent, ob viæ anguſtiam, & longitudinem. Quod ſi mulieribus adhibeatur, nihil abſurdum eſt, breuis enim in ipſis vrinæ meatus exiſtit, & amplus, vt citra dolorem catheterem admittant, vt ipſe Aetius teſtatur. Præterea dolor ita affligere ſolet, vt totum ad ſe dirigat curantis conſilium; quare eum ſedare expedit clyſteribus ex oleo, in quo capita papaueris fuerint incocta, in quo etiam adeps anſerinus, & gallinaceus liquari debent: vel clyſteres iniiciantur ex decocto hordei, chamæm. ſemin. lini, & fœnugræci, capitum papaueris, & radicis iuſchiami, cum oleo violarum, & papauer. vitellis ouorum, axungia gallinæ, & anatis. Præſtat etiam opium erui magnitudine cum modica myrrha, & croco lanæ illitum, & in podicem inditum, quod ſtatim dolores mitigare, & ægrum obdormire facit, vt inquit Ruffus. Emplaſtrum ex farina hordeacea capitibus papauer. iuſchiami foliis, cum mandragoræ ſucco admiſtis, prodeſt. Si in veſſicam iniiciatur lac muliebre, vel caprarum tepidum cum modico philonij, aut theriacæ recentis, vtile remedium eſt. Aut bibat ſyr. violarum, & papauer. cum aqua cichorei, & cum pauco philonij, vel requiei magnæ.

Tandem ſi inflammatio in ſuppurationem tendat, eam adiuuabimus iis, quæ *c. de iecoris inflammatione, & de empyemate* tradidimus. Rupto verò abſceſſu vlcus abſterges iis, quæ capite de veſſicæ vlceribus ſufficienter ſunt pronuntiata, quæ per ſyringam in veſſicam iniici debent. At ſi in ſchirrhoſum tumorem degeneret, eius curationem capite de ſchirrho lienis ſcriptam reperies.

## CAPVT XI.

### *De vrinæ difficili exitu, & ſuppreſſione.*

TRia ſymptomata veſſicæ, & mingendi inſtrumento ſuperueniunt, iſchuria, dyſuria, & ſtranguria, quorum meminit Galenus *6. de locis affect. cap.* 4. Iſchuria idem eſt, ac affectio, in qua vrina omninò ſupprimitur: dyſuria idem eſt, quod vrinæ difficultas, quando ſcilicet vrinam ſiue cum dolore, ſiue ſine illo, vehementi tamen conatu excernere cupit æger, & tandem aliquid excernit. Stranguria ſignificat vrinæ ſtillicidium, quando ſcilicet guttatim mingitur. De hoc vltimo ſymptomate capite ſubſequenti erit ſermo, de aliis verò duobus in præſenti tractationem ſuſcepimus, quia vt inquit Vega *3. methodi, ſectione 9. cap.* 11. eaſdem in genere cauſas habent, & ſola maioris, aut minoris ratione diffident.

Sed quia grauior affectio eſt vrinæ ſuppreſſio, de ea priùs eſt agendum, qua cognita, facilè dyſuriæ naturam, & cauſas percipies. Aduertere tamen oportet, quod licet iſchuria omnimodam ſuppreſſionem vrinæ ſignificet, non tamen iſchuriæ nomen meretur ea vrinæ ſuppreſſio, quæ fit ob renum vitium, deperdita ſcilicet renum actione, ita vt nihil vrinæ in veſſicam omninò veniat, nam iſchuria ſolùm dicitur, quando ſupprimitur vrina, & tamen veſſica continet illam, & eſt plena illâ; ſed quia vrinæ ſuppreſſio ex renum affectione, & illorum deperdita actione trahendi, appellationem non habet, ſub nomine iſchuriæ etiam comprehendi poteſt, vt docet Galenus *3. de cauſis ſympt. cap.* 2. non tamen latere debet vtriuſque partis affectæ, & affectus differentia.

Vrinæ ſuppreſſio eſt ſymptoma in eis quæ euacuantur præter naturam, aut retinentur; idemque dicendum eſt de dyſuria, & ſtranguria, vt colligitur ex Galeno *loco proximè citato*, quod ſymptoma ſequitur in iſchuria ablatam actionem facultatis expellentis, ſicut in dyſuria ipſius facultatis diminutam operationem ſequitur. *Quod ſymptoma ſit vrina ſuppreſſio.*

Horum ſymptomatum cauſas refert Galenus *loco proximè citato*, & *6. de locis affect. capite* 4. Quæ quia variæ ſunt, varios procreant morbos, quibus veſſica in reddendo vrinam non fungitur ſuo munere. Supprimitur ergo vrina propter veſſicæ imbecillitatem; aut obſtructo inferiori meatu. Imbecillis redditur ob duas cauſas, aut ob intemperiem, præſertim frigidam, ratione cuius quod in ipſa continetur, non poteſt comprehendere, vt illud expellat; aut ob obtuſum illius ſenſum, cùm ſcilicet nerui illius afficiuntur, vt declarat Galen. *capite 4. citato*, dicens: *Atque accidit interdum propter obtuſum ipſius ſenſum, vt non reddatur vrina citra expultricis facultatis læſionem, ſi proprij veſſicæ nerui afficiantur.* Tunc etenim veſſica immodicè diſtenta ob vrinæ multitudinem, quam in ſe continere non ſentit, excernere non valet; quo fit, vt contentrix facultas non poſſit operari, quia ob veſſicæ extenſionem non poteſt mediis fibris tranſverſalibus in ſeipſam contrahi. Ex his colligitur totum opus facultatis expellentis veſſicæ non eſſe naturale, vt aliqui probabiliter deducunt ex Gal. ſed eſſe miſtum ex naturali, & animali; operatur enim hæc ſecretrix vis præcedente cognitione, ad quam etiam prærequiritur obiecti ſenſatio, atque adeò ob ſenſus defectum talis facultas operari nequit illæſa manente facultate expultrice naturali. Accidit etiam vrinæ ſuppreſſio quibuſdam ſanis, qui propter negotia, vel conuiuium, vel ludum, aut conuerſationem in foro vrinam retinuerunt, qui circa dicta mente diſtracti vrinæ pondus, & moleſtiam non ſenſerunt, quibus veſſica impletur, ita vt poſteà, etſi velint, vrinam non excernant; idemque accidere viſum eſt phrenitide laborantibus, propter mentis diſtractionem, & aduertentiam circa alia, ratione cuius obiectum ſibi moleſtum haudquaquam percipiunt. *Cauſæ.*

Aliam cauſam diximus eſſe meatus vrinarij obſtructionem, quæ fit ab impacto lapide à craſſis humoribus, à pure, à ſanguinis grumo, à caruncula,

caruncula,vel callo ibi genito. Fit etiam quandoque ab inflammatione, vel alio quouis tumore ipſum meatum comprimente, de quibus ſigna tradere opportunum erit,quæ ex præſentibus, & iis quæ præceſſerunt,deſumuntur.

Si igitur ex veſſicæ imbecillitate vitium hoc contrahatur, cùm frequenter à frigida intemperie ortum ducat, præcedere ſolent quæcumque refrigerare valent,quæ ex ſignis præſentibus,& ex ægri ſermone dignoſcere quis. Quod ſi talia deficiant, conſiderare oportet, an præceſſerit aliqua læſio ſpinalis medullæ, ea parte, à qua nerui in veſſicam deriuati originem trahunt, quibus reſolutis, aut aliter affectis, veſſicæ ſenſus amittitur, ita vt non ſentiat noxam ex vrina veſſicam adimplente. At ſi nihil iſtorum adſit, ſcire oportet,vrinæ ſuppreſſionem fieri ab aliis cauſis; ſi enim fit à lapide impacto, vel ab inflammatione, ſigna propria habebis capite de lapide veſſicæ,& illius inflammatione. Si verò à ſanguinis grumo, præcedere ſolet ſanguinis per eam partem excretio, quæ ſi non præcedat, & tamen ſanguinis grumus ſit in cauſa, ſuperuenire ſolent praua ſymptomata, vt animi deliquium, mentis perturbatio, extremorum refrigeratio, faciei pallor, pulſuſque parui, & obſcuri, vt ex eodem Galeno conſtat *loco iam citato de locis affectis*.Si autem ex caruncula fiat, ex præcedentibus vlceribus nota fiet. Quod ſi vrina ſupprimatur ex callo,aut topho in veſſicæ ceruice innato,paulatim ex craſſis humoribus fieri ſolet, & ænea fiſtula immiſſa tangitur, eiuſque durities percipitur. Verumtamen ſi ex pure obſtructio inſurgat,præcedere ſolent renum,& veſſicæ vlcera,aut aliqua puris excretio.At verò ſi à craſſis, lentiſque humoribus obſtruatur, ſimul cum vrina antea excernere ſolent pituitam, & humores craſſos, qui fundo matulæ adhærere, & ſubſidere ſolent, præcedereque ſolent ſigna redundantis humoris, & craſſorum eduliorum vſus.In his omnibus ænea fiſtula traiecta cauſam manifeſtare ſolet,eaque vti oportebit.

Quod ſi nulla ex iis cauſa percipiatur,& tamen vrina ſupprimitur, & ſanis corporibus ſuperuenerit,proptereàquod longo tempore ob aliquam cauſam vrinam detinuerunt,id ex eorumſermone conſtabit. Quæ omnia ſi deficiant, exiſtimare oportet tunc vrinam ſupprimi deperdita renum actione, aut obſtructione venarum emulgentium, aut ob aliud vitium ſupra veſſicam contractum; quod quidem etiam venaberis ex partium ſuperiorum aliqua læſione, dolore, vel tumore, & quia in regione veſſicæ nec tumor, nec dolor percipitur.

Quia ſanguinis grumus tanti mali Author eſſe ſolet, & præterquam quod vrinæ meatum obſtruit,varia etiam ſymptomata, & grauiſſima producit,ideò cùm ab eo prodit affectio,grauior cenſetur,vt inquit Galen. *loco citato, ex 4. de locis affect.* Peſſimum etiam eſt, ſi ob defectum ſpinalis medullæ vrinæ ſuppreſſio contingat,vt inquit Aëtius,nam veſſica, lumbi, & pecten diſtenduntur, & femora tumeſiunt,deinde ſubiecta membra mortificantur,neque ita longè poſt moriuntur.

§. I.

### *Curatio ſuppreßionis, & difficilis exitus vrinæ.*

CVm varij ſint affectus, & cauſæ iſchuriæ, & dyſuriæ, non vna, ſed multiplex curatio eſt inſtituenda. Si igitur ob veſſicæ intemperiem fri-

A gidam debilis veſſicæ facultas redditur, ita vt non poſſit vrinam excernere, optimum conſilium eſt manibus veſſicam, & muſculos abdominis comprimere, idemque faciendum in ſanis, quibus ob negotiorum importunitatem, aut alias cauſas ſupprimitur vrina, & veſſica diſtenditur; quo tempore licebit eam manibus contrectare,& exprimere, vt ſic reddatur vrina. Sed quia in cauſa frigida hoc ſolùm non ſufficere ſolet, inſeſſus fieri debent ex decocto ſeminis lini, fœnugr. altheæ, origani, tragorig.ſampſuci,pulegij,rutæ,chamæmali, & ſimilium: deinde locus exſiccetur, & foueatur oleo ſcorpionum,amygd. amarar.& rutæ, aut vngatur vnguento deoppillatiuo, Agrippæ,aut dialthea,vel hoc vnguento. ℞. oleorum anethi,ſcorp. amygd. amar.& coſtini ana ℥.j. caſtorei, ſagapeni, & de liliis,ana ℈.ij. gummi diſſoluantur in vino albo, & addita cera fiat vnguentum, aut apponatur ſupra veſſicam galerus vetus,quo vtuntur fullones, quo ſæpe vſus fui. Iubent etiam Authores, vt intra B membrum virile cymex,aut pediculi,vel nitri portiuncula immittatur, vt irritent, & ſopitam facultatem concitent.

Quod ſi veſſica vrinam non reddat ob ſenſum obtuſum,propter aliquem affectum neruorum, qui in veſſicam terminantur, aut ob affectum ſpinalis medullæ, eadem etiam circa veſſicam exercenda ſunt remedia; tamen quia ex parte primariò affecta hoc ſymptoma originem habet,illius partis affectum ſimul curare iubet Galenus *lib. & capite toties repetito de locis affect.*Itaque ſi ſenſus defectus fiat ob vertebræ luxationem, quæ neruos comprimit, illam ad proprium ſitum reducere tentabis: quod ſi inflammationem excitet, remedia inflammationi proficua adhibebis,& ſic de aliis.Sed ſi iis vrina non procedat, ad catheterum vſum eſt confugiendum, & ad illud inſtrumentum immiſſum vrinæ prolectandæ: neque in iis caſibus vrinam C ducentia bibat æger,nam mouent humores, & ferum ad veſſicam, & illius maiorem extenſionem cauſant.

Quando ſupprimitur vrina à calculo, oportet vehementer corpus concutere, vt à veſſicæ ceruice repellatur; & ſi adhuc ibi permanſerit,miſſa æneâ fiſtulâ illum ſeparare iubet Galen.1. *de locis affect. cap.*1. deinde curabitur vt dictum eſt *cap. de lapide renum, & veſſicæ.*

At ſi à pure obſtruatur veſſicæ ceruix,aqua mulſa eſt iniicienda, aut cathetere immiſſo pus ſeparandum,& vlcus à quo procedit,poſteà curandum, vt actum eſt capite de renum, & veſſicæ vlceribus.

vbi verò ſanguinis grumus viam obſtruit,curationem habet propriam capite de mictu ſanguinis.

D Quod ſi propter inflammationem, aut alium quemuis tumorem hoc ſymptoma ſuperueniat, ex propriis eorundem capitibus curatio petenda eſt: lege circa hoc caput de inflammatione veſſicæ. Verùm ſi pituita craſſa,& viſcida vias obſtruit,victus ſit attenuans,& inſcindens, qualem deſcripſimus in curatione præſeruatiua calculi renum.Mox humor breuiter præparandus rhodomelle, ſyrup. capill. Ven.duarum aut quinque radicum,& pauco oxymelite,cum decocto capill.Vener. graminis,& radicis rubeæ tinctorum; & quia neceſſitas vrget, bibatur bis in die,manè ſcilicet,& veſpere.

Poſt breuem humorum præparationem phlegmagogis veteris medicamentis euacuantibus in hunc modum.℞.decocti capill.Ven.rubeæ tinctorum,& ſeminis fœnic.℥.iij.catholici ʒ.iiij. ſyrup. perſici ſolut. ℥.ij. miſce. Vel ℞. ſeminis cartami contuſi ʒ. iij. emulge in ℥. iij. decocti Pugini; pulpæ

pulpæ caſſiæ ℥.ß. ſyrupi Regij ℥. iij. miſce. Vel parentur morſelli cum pulpa caſſiæ,diaphœnic. & ſaccharo.

Aduertere tamen oportet,quod ſi ſanguinis adſit redundantia,licebit priùs venam ſcindere,vt ſic humores obſtruentes reuellamus; quod oſtendit Hipp.7.*aphor. text.*48. vbi ſic : *Vrinæ ſtillicidium, & vrinæ difficultatem venæ ſectio ſoluit : inſcinde autem interiores.* Et licèt ex tali vena interiori iubeat ſanguinem mittere, meliùs tamen reuellimus, ſectâ venâ baſilicâ brachiorum , vt viſum eſt Aëtio ; deinde ex talo deriuationis , & euacuationis causâ ſanguinem extrahere oportebit.

*Clyſterum vſus commendatur.* Interim dum hæc fiunt,euacuatio per clyſteres, vt remedium ſingulariſſimum eſt adhibenda , qui fieri poſſunt in hunc modum.♃. foliorum maluarum, & radicis altheæ, parietariæ, & mercurialis, ana m.j.florum chamæm.meliloti,ſeminis lini, fœnugræci,& fœniculi,ana p.j. coquantur ſufficienter, & huius decocti accipe ℥.x.olei ſeſamini,ſcorpionum , & amygd. dulc.ana ℥.j. benedictæ , aut hieræ picræ ℥.j.ſalis parùm : miſce,& fiat clyſter. Vel ♃. decocti radicis rubeæ tinctorum, aſparagi, aſplenij,radicis altheæ,foliorum maluarum,parietariæ , betæ , & furfuris ℥. x. elect. diaphœnic. ℥.j. olei anethini,& amygd.amar. ana ℥.j.ſalis ʒ.j. miſce. Valet ad idem clyſter iniectus ex mulſa facta ex origani,& pulegij decocto. His etenim viæ reſerantur,& humor crudus attenuatur,& euacuatur.

Pari ratione vtimur inſeſſibus, vnguentis , fomentationibus,&aliis adductis in principio pro curatione ſuppreſſionis vrinæ ex veſſicæ imbecillitate.Glandes acres ex ſale,aut felle,aut ex ſale gemma,& puluere hieræ,& melle,ventris compreſſio, membri virilis contrectatio, & titillatio facta, vt ſuprà diximus , facultatem expultricem concitant.

*Quæ per os aſſumuntur.* Sed quia iis remediis aliquando non cedit affectio , nec viæ deobſtruuntur , oportet aliqua tradere,quæ per os aſſumpta maximè prodeſſe ſolent, inter quæ iuuat præcipuè aqua terebinthinæ per alembicum extracta, aut in formam boli cum ſaccharo cando exhibita ,aut oleum citoneorum , aut amygd. dulc. quantitate ℥.ij. cum ſaccharo ebibitum,vel ʒ.j.trochiſcor. alchekengi, vel dialaccæ, aut diacurcumæ, ſeu hyeontripon , cum ℥.j. oxymel.ſimplic. & ℥.iiij.decocti graminis,ſeminis petroſel. dauci, & radicis rubeæ tinctorum. Præſtat etiam aqua ſtillatitia ex ſemine raphani , foliorum maluar.cardui ſancti,& ſeminis ſynapis, & ex ſucco fabarum viridium, & ſucco limonum , ex quibus conquaſſatis, & in alembicum iniectis extrahitur aqua, quæ aſſumpta in quantitate ℥.ß. mirificè prodeſt ; quam pretioſiorem efficies ſi ſimul inſtilletur terebinthina,vel ei addas ℈.j.olei vitrioli. Proſunt præterea pillulæ ex pulueribus trochiſcorum de capparis , & de abſinthio , cum oxymelite confectæ,ſi quotidie tres, aut quatuor aſſumantur. Aut ♃. myrrhæ, aſſari, radicis capparorum , & vtriuſque ariſtolochiæ , ſpicæ nardi , ſchœnanti, ſemin. apij, petroſel.& agni caſti, ana ʒ. ß. omnia in puluerem redigantur , & cum oxymelite formentur pillulæ. Benefacit etiam ſuccus raphani cum vino aſſumptus,vel puluis liquiritiæ cum vino ebibitus.Succus parietariæ cum melle,& ſacharo commendatur à Lacuna , vt probatiſſimum remedium.Hic etiam accommodari poſſunt ea, quæ comminuendi lapidem vim habent,ſi quidem incidendi, & attenuandi poteſtate conſtant ; cum his tamen parum bibat æger,ne vrinæ quantitas adaugeatur.

A Sed quia aliquando hæc non prodeſſe conſpicimus, vt in deſperatis, ad cantharidum vſum deuenire cogit neceſſitas , quæ tamen ob earum veneficam qualitatem ſic præparantur. Accipe canthariides tres,detractis capitibus,& pedibus,non tamen alis, vt volunt Arabes ; alæ enim potiùs ſunt alexipharmacum, vt docet Plinius *lib.*29. *naturalis hiſtor.cap.*4. piſtentur bene cantharides, quibus adde dragacanti,& gummi arabici in aqua maluarum diſſoluti,ana ʒ.j.poſtea in vmbra exſiccentur, & omnia ſimul bis,terve in eadem aqua infundantur,& iterum exſiccentur, & ex illis fiant trochiſci,quorum doſis eſt ab ℈.j. ad ʒ. ß. cum oleo ſeſamino,vel amygd.dulcium, vel decocto maluarum, vel cum iure galli veteris , cum radicibus diureticis decoctis. Simili modo in veſſicam aquam mulſam per ſyringam iniicies , cathetere immiſſo vrinæ prolectandæ gratiâ. *Cantharidum vſus.*

B At ſi caruncula,aut callus vrinam retardant,inferenda eſt leniter cerea candela,quam oleo amygdalarum dulc. inunges ; quæ ſi vltrà tumentem carnem , vel callum proruperit ( quod ex portione candelæ ingreſſæ cognoſces ) faciliorem curationem admittet ; candela igitur tunc comprimitur à caruncula in ea parte, quæ carunculæ reſpondet. Quod ſi non vna tantùm,ſed plures carunculæ diuerſas partes meatus vrinarij infeſtent , totidem in partibus candelam ſuccinctam , aut compreſſam eſſe comperies,quibus in partibus candelæ excauatis vnguentum ſuperfluæ carni exedendæ aptum appones, in quem vſum maximè approbat Lacuna emplaſtrum Philippi facultate admiranda præditum, quod adducit in methodo ſua exſtirpandi excreſcentes in veſſicæ collo carunculas , cuius hæc eſt deſcriptio.♃.æruginis, auripigmenti, chalcitidos,quam in officinis vitriolum nominant,aluminis rochæ, ſing. ℥.ij. perfuſa quamacerrimo aceto inter duos mortarios , vel porphyrites lapides ducantur accuratiſſimè , & in læuorem tenuiſſimum redacta ſoli exponantur caniculari ; exſiccatus pollen rurſus aceto affuſo ducendus , ac læuigandus, ſolique ſimiliter exponendus eſt , idque facimus octo, aut nouem dierum curriculo, donec acrimoniam,& mordacitatem amiſerint:olei roſarum ℥.vj. ſpumæ argenti ℥.iij. quibus per cocturam ad corpulentiam emplaſtri redactis,℥.iiij.ſupradicti pulueris admiſceto , conficitoque medicamen duriuſculum,vt candelæ,vel plumbo adhærens à propria ſede diffluere non poſſit ; quod emplaſtrum mitiùs efficere poteris pro delicatioribus,ſi pulueris quantitatem aliquam detraxeris. Ad hoc etiam valet puluis Ioannis Vigonis candelæ cauitatibus affixus. *Carunculæ, & calli curatio.*

C

D Quod ſi ad veſſicam non perueniat candela , eo quod caro ſupercreſcens , aut callus impedit illius ingreſſum , tunc medicamen mucroni candelæ adaptamus,vt aſſiduo contactu carnem, aut callum abſumat. Inſtrumentum præterea,ſiue candela,ſiue ferula plumbea, ænea, vel argentea ſit, per totum diem intus eſt relinquendum, vt meatus ille amplior reddatur , & caro ibi adnata citiùs conſumatur , cogenduſque æger ſic lotium reddere,niſi nimium ſit impatiens laboris.

Cæterùm ſi dum hæc fiunt,dolor vehemens,rigor, febris , aut aliud ſymptoma grauiter ægrum moleſtet , extrahenda eſt candela, donec tale accidens mitigetur , colluenduſque meatus vrinarius aquâ roſaceâ,aut lacte caprino.

Exſtirpata caruncula vlcus curabis vt diximus capite de veſſicæ , & renum vlceribus, circa quæ conſule doctum Chirurgum.

Tandem in omni vrinæ ſuppreſſione vrinam prouocare ſolent axungia cuniculi, & pellis eius,ſi

 ſuprà

ſupra pectinem,& virgam applicentur,vt teſtatur Gordon. *partic. 6. de paſſionibus renum*, *cap.16.* reliqua ex Authoribus pete,dicta tamen ſufficiant pro horum affectuum curatione.

## §. II.

### *Obſeruatio pro laborante omnimoda vrinæ ſuppreſſione.*

*Caſus propo-nitur.*

LIcèt nomine careat ea vrinæ ſuppreſſio, quæ fit ob vitium renum,ſub nomine tamen dyſuriæ comprehenditur, vt ſtatuit Galenus *lib. 3. de cauſis ſympt.cap.2.* quo affectu captus fuit nobilis vir D. Didacus Vazquez in præclaro oppido de Cuellar, qui ad ſexageſimum accedebat annum,ad intemperiem calidam, & ſiccam vergens, habitu gracilis,& piloſus,frigidum habens ventriculum, plurimis ſcatentem cruditatibus,& iecur calidum, & ſiccum, & renes eiſdem qualitatibus affectos, calculis obnoxios, & arenulas rubras generantes, quas ſimul cum vrina excreuerat. Hic ergo periluſtris vir, poſtquam circa renem dextrum maximum per plures dies perſenſiſſet cruciatum,reiecto lapide ad veſſicam quieuit, quem deinde ſimul cum vrina excreuit; ab hinc paulò poſt, in altero rene dolore cruciabatur, & illi ex toto fuit vrina ſuppreſſa, cœpitque euomere humores bilioſos, modò flauos, modò viriditatem habentes, cibumque aſſumptum humoribus admixtum amarorem contrahentem,ob humorum miſcellam facilè euomebat. Si verò cibus ingeſtus vomitu reiiciebatur ſine humorum miſcella, acidum referebat ſaporem; ſeptimo die febricitare cœpit, & ſingultire, & vndecimo obiit.

Hic caſus plurima continet difficillima, in quo plurium affectuum inuenitur concurſus, quorum quilibet longam poſtulabat tractationem; eos tamen breuiter ea claritate,quâ potero, examinabo, cauſas,& ſigna referam,futura ex eis annunciabo, & denique curationem eis proficuam ad vnguem proponam.

*Diſcurſus circa caſum propoſitum.*

Sed quia ſimul de omnibus non poſſumus proferre ſermonem,priùs de iis agemus affectibus,qui aliorum reſpectu cauſæ rationem ſortiuntur. Habuit igitur ventriculum frigidè intemperatum, qui fuit aliorum morborum origo, cuius intemperies iam antiquitus contracta, habitualis, & fixa permanebat,ratione cuius cibus acidum comparabat ſaporem,illumque redolebat, dum vomitu excernebatur,habebatque ructus acidos, qui ſignum ſunt debilitatis caloris, vt dixit Galenus *6. aphoriſmorum, comm.* 1. & licèt ex cauſa calida ſapor acidus originem capere poſſit, vt diximus capite de ciborum cruditatibus, nullum tamen in ægro ſignum apparuit ventriculi calorem denuntians, imò cauſæ antecedentes dominantem oſtendebant frigiditatem; ſiquidem erat aſſuetus laboribus, & curis maximis, præſertim dum negotia gerebat coram Excell. Duce de Alburquerque in Regno Siciliæ, quo tempore nihil curans de propria ſalute, omnibus miniſtrabat; quo factum fuit, vt non poſſet tempeſtiuè cibum, & potum capere, neque hora conuenienti, & ob immodicum laborem ſiti oppreſſus plus debito biberet, ſicque calore diſſipato, non mirum ſi ventriculus frigidus factus fuiſſet; qui cùm non habuiſſet eum calorem, qui coctioni eſſet ſufficiens, cibum & potum corrumpebat, & in acidam mutabat qualitatem. Neque obſtat,quod ventriculus ſit iecori aſſociatus calido, quod ſuo calore fouet ventriculum, & illius coctionem adiuuat; neque in alium finem iecur ventriculum circumambit, vt docet Galenus *lib.4. de vſu partium*, *cap.8.* Si igitur iecur calidè intemperatum eſt,vt ſupponitur in hoc ægro, & ventriculus hepati appropinquat,& eſt intra illius ſphæram, difficile apparet, quod ventriculus non habeat calorem ab hepate communicatum,qui ſit coctionis inſtrumentum ſufficiens; atque adeò non erit ventriculus frigidus.

*Sapor acidus quibus de cauſis fiat.*

*Iecur calidum ventriculum infrigidat,& quare.*

Hoc,inquam, non obſtat; imò ex hoc deducitur neceſſitas infrigidandi ventriculum, vt ex dicendis conſtabit, licèt Authores euarient in enarrandis cauſis huius infrigidationis ventriculi,quas tradit Reynerus Solenander *conſilio 11. prima ſect.* Prima deducitur ex Galeno 4. *aphoriſm. comment.* 48. vbi aſſerit, partem inflammatam ad ſe allicere ſanguinem, & ſpiritum; & hanc ob cauſam quando in parte corporis profundiori calor immodicus adeſt, totus ex toto corpore ſanguis ad locum trahitur patientem, ſicque profunda vruntur, & extrema refrigerantur. Quia ergo hepar calidum ad ſe cucurbitulæ inſtar ſanguinem, & ſpiritus attrahit, ventriculus deſtituitur calore influenti ſpirituum, & ſanguinis, ac per conſequens remanet frigidus.

*Calor iuuat ad tractionẽ, & quomodo.*

Quod autem tractio à calore adiuuetur, docet Galenus 5. *de ſimplic.medic.facult.cap.16.* & probat Valleſ. 7. *controuerſ. cap.3.* qui adhuc cenſet calorem per ſe trahere, de quo impræſentiarum non curo; ſufficit tamen dicere, calorem ad tractionem conferre, vt patet in medicamentis purgantibus, quorum vis attrahens calore adiuuatur, & dum ſupra aliquam partem calidum apponimus medicamentum, ſtatim ea pars ruborem contrahit,qui tractionis ſanguinis eſt ſignum.

Alij dicunt, calorem hepatis ſpiritus vitales reſoluere,& diſſipare, ita vt non remaneat ſufficiens illorum quantitas ad ventriculi coctionem, ſicque ventriculum calore orbari, & plures flatus gignere, & cruditates, quæ ſunt plurium malorum cauſæ.

Verumtamen,quia nimis difficile videtur,quod ſanguis, & ſpiritus à iecoris calore attractus non valeat calefacere ventriculum ſibi propinquum,& intra illius ſphæram conſtitutum, aliter opinari coactus ſum, hac ratione ductus; nam iecur ſuo calore naturali calefacit ventriculum moderatè,& provt illi conuenit: ergo dum iecur eſt calidum immoderatè, immoderatè etiam poterit ventriculum calefacere; ſed dum ad ſe allicit ſanguinem, & ſpiritus,eſt immoderatè calidum,tum calore inſito,tum calore à corde ſimiliter influenti attracto. Igitur immoderatè valebit ventriculum calefacere, & hoc dupliciter; partim calore, quem in ſe habet; partim etiam calore influenti ſpirituum, & ſanguinis attracti, qui ipſi ventriculo proximus exiſtit.

Diſcedo etiam ab opinione aſſerentium, hepatis calorem reſoluere ſanguinem, & ſpiritus, ex quorum abſumptione frigidus remanet ventriculus; nam licèt hoc poſſit euenire in inflammatione iecoris, cuius calor intenſiſſimus poterit reſoluere ſubſtantiam ita calidam, qualis eſt ſpirituum vitalium ſubſtantia; hæc tamen, quæ datur in ægro, intemperies calida, neque eſt ita intenſa, neque tantæ actiuitatis,vt ſuperet calorem intenſum ſpirituum vitalium; neque id aliquo deprehenditur ſigno: quare cùm horum fundamenta non conuincant, aliter à nobis eſt cogitandum.

Dupliciter ergo à nobis fit ſatis huic dubio. Primò dicimus, calorem iecoris reſoluere carnoſæ membranæ ventriculi ſubſtantiam, quæ eſt magis iecori

iecori vicina, illiuſque ſubſtantiam calidam, & humidam depaſci, & in vapores verti, qua deficiente, partes frigidæ, quæ terræ, & aquæ elementis reſpondent, ventriculum infrigidant, & calore inſito deſtitutus nequit probe alimentum conficere, ſicque cibum incoctum relinquit, aut in alienam mutat naturam, vel in flatus vertit. Quod verò caloris munus ſit calefacere, & conſequenter ſubſtantiam humidam reſoluere, ita notum eſt, vt non egeat probatione, quare ſi calor naturalis humidum reſoluit, & ad ſenectutem & interitum ducit ex accidenti refrigerando, vt docent omnes antiqui, & deſumitur ex Diuo Thoma 1. *parte, quæſt.* 97. *art.* 4. non mirum ſi calor naturæ limites excedens citiùs, & faciliùs ſubſtantiam calidam, & humidam exhalare faciat, ocyuſque ex accidenti refrigeret, & temperamentum ſubſtantificum ſubuertens, intemperiem habitualem frigidam inducat.

*Omentum ventriculum calefacit.*

Secundò dicimus, hepatis calorem omenti partes plures liquefacere, & reſoluere, quarum defectu infrigidatur ventriculus. Pro cuius dubij enodatione ſtatuendum eſt, ex Galeno 4. *de vſu partium, cap.* 9. quod natura conſtruxit omentum calidum per totum ventrem extenſum, vt ſuo calore ventriculum, & ventris totam calefaceret regionem; illudque denſum formauit, vt intus includeret natiuam caliditatem. Quod autem gratiâ calefaciendi omentum conſtructum ſit, euidenter diſcere licet in illis, in quibus per vulnus in epigaſtrio omentum excidit, deinde liuidum factum, cogit Medicos partem læſam adimere; omnes enim hi frigidiorem ſentiunt ventriculum, & niſi maximè operiantur, facillimè ab aëre frigido offenduntur, vt ipſe Galenus teſtatur. Si ergo iecur ſuo calore omenti pinguedinem diſſipat, non poterit ventriculum calefacere, neque innatam ſubſtantiam calidam ad intra colligere, eo quod omentum amittit partes calidiores, quas calor hepatis reſoluit, & tegumento naturali deſtitutus ventriculus facilè infrigidatur, & nequit coctionem probè peragere. Iis ergo de cauſis ventriculum frigidum reddi arbitror, dum hepar immodico tenetur calore.

Quod verò hepar calidum, & ſiccum extitiſſet, probant vomitus humoris bilioſi, modò cum flauitie, modò viriditatem, vel nigredinem habentes, qui oſtendunt prædominium caloris, & ſiccitatis iecoris, in quo huiuſcemodi humor generabatur, & à quo in ventriculum confluebat, qui ſuâ acrimoniâ, & mordacitate ſenſum triſtem ventriculo inferebat, & facultatem expultricem ventriculi irritabat ad vomitum; neque in ventriculo tanta copia humoris potuit generari, niſi aliunde conflueret humor. Idem etiam oſtendebant habitus corporis gracilis, & ſiccus, & color ad nigredinem vergens, & in operando facilitas, & rerum agendarum prompta comprehenſio.

Ex iis duobus principiis læſis, tanquam ex radice reliqua ſymptomata acceperunt initium; ventriculus enim alimentum non benè confectum hepati miniſtrans præbet occaſionem, vt iecur generet humores craſſos, ob malam diſpoſitionem, qua chilus conſtat dum peruenit ad iecur, quem iecur neque corrigere, neque emendare poteſt, vt ait Galenus 4. *de ſanit. tuendâ, cap. vltimo.*

Hi etiam humores facilè ob calidam renum intemperiem à renibus attrahuntur, ibique, ſi huiuſmodi humores ſint viſcidi, & glutinoſi, ab eodem calore renum lapides gignuntur; ſi verò lentorem, & viſciditatem non habent, ſed in minimas partes diuiduntur, arenarum generationi ſunt ido-

A nei, vt docent omnes Medici, & Philoſophi. Circa quam difficultatem lege caput de cauſa efficienti, & materiali calculorum. Ad caſum ergo propoſitum deuenientes, noſter æger laborare cœpit dolore acuto in rene dextro, qui ancipitem, & dubium reddit Medicum in partis affectæ cognitione; quod etiam contigit Galen. vt ipſe in ſeipſo expertus fuit, & docet *lib.* 2. *de locis affectis, cap.* 5. & 6. *de locis, cap.* 2. Verumtamen quia etſi dolores colici, & nephritici non multùm diſcernantur, non tamen auxiliis multùm differentibus in principio egent, quæ dolorem leniant, vias laxent, & aperiant, vt detur locus euacuationi cauſæ dolorem inferenti, vt oſtendit Galen. 6. *de locis affectis, cap. cit.* ideò Medicus vſus fuit clyſteribus emollientibus, & dolorem ſedantibus, & vnguentis, & oleis, quibus poſt aliquos dies à dolore requieuit;
B ante tamen æger ſentiebat dolorem in parte inferiori, ex quo coniecit lapidem per vreteram dextram deſcendere ad veſſicam, in quam cadens liber euaſit à dolore, lapidemque denique ſimul cum vrina excreuit.

Mox ab hinc quinque diebus tranſactis, dolore acuto in altero rene vexari cœpit, ſimulque vrina ſupprimi: quod ſi prima die vrinæ portionem ſemel, aut bis eiecit, exiſtimaui eam fuiſſe contentam in veſſica, antequam cauſa ſupprimens extitiſſet in renibus. Sed quia nullum ſignum apparebat eorum, quæ oſtendunt veſſicam fuiſſe affectam, quia in ea regione neque erat tumor, neque dolor, & immiſsâ æneâ fiſtulâ nihil illius impediebat ingreſſum, facile erat colligere morbum eſſe in vreteris, renibus, vel venis emulgentibus.

C Sed meritò dubitari poteſt, quanam ratione ex obſtructione venarum emulgentium, quæ in renem ſiniſtrum inſeruntur, & ex vreteræ eiuſdem renis læſione, vel renis debilitate potuit vrina ſupprimi, præſertim quando in rene dextro, & in partibus illi inſeruientibus ad vrinæ excretionem nulla percipiebatur noxa: quapropter natura per regionem dexteram potuit tranſmittere humorem ſeroſum, eumque ad veſſicam ducere, & denique expellere, atque ideò non poterat fieri vrinæ abſoluta ſuppreſſio. *Dubium.*

Reſpondetur, verum eſſe, naturæ ſummum Opificem duplicem renem creaſſe, vt attrahant hanc ſeroſam ſubſtantiam, eamque ad vreteras expellant, vt ſic ſanguis mundus, & purus redderetur, vt ait Galen. *lib.* 1. *de natural. facult. cap.* 16. & *libr. de renum digno. & medela, cap.* 1. & quia excrementum ſeroſum reliqua corporis excrementa ſuperat, ideò fabrefecit duos renes, vt melius finis tractionis ſeri adimpleretur, vt docet Ga-
D len. *lib.* 5. *de vſu partium, cap.* 6. Ex quo fit, quod ſi alter renum non impediatur, neque viæ illi inſeruientes ſint obſtructæ, minime fieri poteſt vrinæ totalis ſuppreſſio, vt optimè deducitur ex dubio propoſito. Tamen quia in prædicto caſu nihil vrinæ excernebatur, vt certum habui, renem dextrum permanſiſſe debile, & cum aliquo foramine à lapidibus antea reiectis producto, ita vt vim attrahendi amiſiſſet, vt contigit Hieroymo à Roda Pincianæ Cancellariæ Præſidi perilluſtri, cuius hiſtoriam narrat Ludou. Mercat. *lib.* 4. *de internorum morb. curat. cap.* 12. quæ conſtitit ex illius diſſectione: vel venam emulgentem fuiſſe obſtructam ab humoribus craſſis ad renem dextrum confluentibus, ita vt impediretur ſeroſi humoris attractio; nam ſi vretera dextera fuiſſet obſtructa, ob eius ſenſus acutiem dolorem aliquem pateretur à cauſa obſtruente, ibique moleſtiam perſentiret æger: quapropter ſuperueniente humorum *Dubium ſolutio.*

morum confluxu ad renem ſiniſtrum, per venam emulgentem dictam, ibi dolorem excitauit, & vias obſtruendo, affectum hunc ſub iſchuria comprehenſum genuit. Neque vnquam potui comprehendere, an in vretere aliquis calculus eſſet impactus, vel in rene commotus, quia adhibitis aliquibus remediis dolor euanuit, integra manente vrinæ ſuppreſſione, ex quo conieci, vel renes non vti ſuo munere attrahendi, ob eorum imbecillem naturam, vel emulgentes venas humoribus craſſis, & viſcidis fuiſſe impletas, vel vtrumque ſimul adfuiſſe; quod aliis ſignis diſcernere mihi videtur impoſſibile.

Ad prognoſticum perueniens facilè mortem præſagire potui; nam dum renes ob debilitatem, & quia patiuntur continui ſolutionem, non attrahunt, difficilè, aut nunquam emendantur, præſertim in ſenibus, quorum vitia non vidit curata Hippoc. vt fatur 7. *epidem.* Si verò ex humoribus craſſis obſtruantur venæ, difficilè etiam diſſoluuntur, etiamſi nimis diſcutientia admoueantur, vt patet in paralyſi ex obſtructione ab humoribus craſſis, & frigidis orta, quæ difficilè, aut nunquam curationem admittit, aut poſt longum tempus. At verò cum morbus hic ſit acutiſſimus, ſi ei citò non ſubueniatur, breuiſſimè interficit, quia humor ſeroſus

*Nota.*

in venis detentus impurum reddit ſanguinem, & ſua multitudine naturam grauat, qualitatéque irritat ad expulſionem; ſed quia viæ ſunt impeditæ, peruerſo naturæ ordine, vt accidit in iliaca affectione, natura ad partes ſuperiores ſerum tranſmittit, & inſtrumenta reſpirationis impedit, grauat caput, ſuffocat cor, ad hæc ſequitur mors, etiamſi ob auxiliorum vim aliquando ſubſequatur vrinæ fluor; nam ſæpe vidimus quoſdam hoc morbo affectos poſteà circa finem minxiſſe, non tamen eam mictionem aliquid iuuaminis attuliſſe.

*Curatio.*

Quia omnis indicatio curatiua ſumitur à cuiuſque morbi natura, imò à temperie, & ſitu partis, vt docet Gal. *lib.* 3. *meth. c.* 9. ideò oportuit cognoſcere naturam huius morbi ſitam eſſe in obſtructione, vt vrinæ omnimoda oſtendebat ſuppreſſio; partem verò affectam, ad quam remedia peruenire deberent, eſſe venas emulgentes, & renes. Quapropter tota curationis ratio ſita eſt in detrahenda obſtructione earum partium, & renum corroboratione; verumtamen quia obſtructio habet cauſam continentem, ſine cuius detractione nequit ipſe morbus auferri, ideò omne genus præſidij ad humores craſſos auferendos direximus, eos priùs attenuantibus, & aperientibus interiùs, & exteriùs adhibitis præparantes; in quem vſum cœpimus ventrem emollire, vias laxare, & corpora fluida facere clyſterum iniectione ex decocto parietariæ, mercurialis, maluarum, biſmaluæ, capill. Ven. foliorum raphani, artemiſiæ, ſeminis aniſi, fœniculi, & fœnugræci, de quo iniecimus ℥.x. mellis roſati perfici ℥.iij. benedictæ, & hieræ picræ, ana ℥.ß. quo bis repetito ſufficienter ventris depoſuit fæces, & pituitam craſſam, quæ inteſtinorum parietibus adhærebat. Eadem die renum, & vreterum regionem inungere iuſſimus oleo ſcorpionum, & amygd. amararum, cum axungia cuniculi, & vnguento Agrippæ. Sed quia vrgebat neceſſitas laxandi venas, & ſedandi dolorem in rene dextro, viſum fuit mihi ſanguinem extrahere ex talo eiuſdem lateris affecti, vt ſic viæ patentiores fierent, & humor obſtruens deriuaretur, & euacuaretur. Neque auſus fui ſanguinem ex brachio mittere, quia neque aderat plenitudo, neque erat recens grumorum confluxus; quo tempore Gal. *lib. de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, cap.* 18. venam, quæ

A in poplite, aut malleolis eſt, ſecare docet, idque etiam inſinuat *lib.* 7. *aphoriſmorum, comm.* 48. Habebat enim æger vrinæ ſuppreſſionem omnimodam per quatuor dies, quando ad eum curandum vocatus fui, & humor erat ita parti impactus, & dolor tam remiſſus, vt nulla eſſet ſuſpicio fluxionis: quapropter malui venam ſecare deriuationis, & euacuationis ratione, quàm reuulſionis ad contraria. Quam euacuationem conſulit Hipocrat. 6. *epidem. ſect.* 2. *textu* 6. quando ſanguis craſſus venas replet; non tamen potui iterum venam ſecare, quia timebam virium languorem ex laboribus antecedentibus conſequutum; & quia non facilè humores craſſi huic remedio cedunt, & hanc ob cauſam Gal. *lib.* 10. *meth. cap.* 2. docet, quod in ea obſtru-

B ctione, quæ ex humorum qualitate conſiſtit, expurgatio præferenda eſt venæ ſectioni, ſicuti in obſtructione, quam facit copia, ſectio venæ purgationi præfertur. Veſpere iterum clyſterem alterum iniicere iuſſi, & eaſdem inungere partes eodem vnguento; dedique potionem ex aqua calcitrapæ & maluarum, cum pauco oxymelite, & ſyr. capill. Ven. non tamen fortiora adhibui auxilia, ne motis humoribus verſus partem affectam maiores fierent obſtructiones, magiſque renes opprimerent, quod vtique præcauere docet Gal. *lib. de renum affectus dignotione atque medela, cap.* 5. Vbi etiam antequam ea, quæ mouent vrinas, adhibeantur, iubet renes purgare; quod quidem fecimus morſellis ex terebinthina in hunc modum. ♃. terebinthinæ abietinæ ʒ.vj. pulu. rhab. mechoacam, ana ʒ.ß. miſce, & fiant morſelli parui

C puluere liquiritiæ cooperti. His æger purgauit ſufficienter, nullum tamen fuit ſubſequutum leuamen; quapropter viſum fuit mihi ad diureticorum vſum deuenire, viaſque laxare, aperire, & humores craſſos inſcindere, & attenuare, quod conſulit Gal. *loco proximè citato*, parareque iuſſi balneum ex decocto foliorum maluarum, meliloti, parietariæ, mercurialis, artemiſiæ, matricariæ, capill. Ven. laueris, praſij, violarum, raphani, & radicum illius, quinque radicum diureticarum, altheæ, capparorum, & rubeæ tinctorum, ſeminum aniſi, fœniculi, & fœnugræci, florum violarum, ſtœcados, & lauendulæ, cui adiecimus oleum commune. Ante tamen balnei ingreſſum bibit hanc potionem. ♃. aquæ calcitrapæ ℥.iiij. oxymelitis ſimpl. & ſyrup. capill. Ven. ana ℥.ß. lytontripon, & antidoti hemagogi, ana ℈. j. miſce. A balnei exitu, quod patienter, & benè tulit, renum, ventris, &

D pubis regionem inunximus hoc vnguento. ♃. olei irini, ſcorpionum, & amygd. amarar. ſing. ℥.j. axungiæ cuniculi, & vnguenti Agrippæ, & dialtheæ, ana ℥.ß. pulu. dialaccæ, & diacurc. ana ʒ.j. ceræ parum, miſce, & fiat linimentum. Sed quia balnei vſus maximè commendatur ab Authoribus, & affectus vrgebat non ſolùm ſemel, ſed bis, & ter, ad illud confugimus, quo non deperdebat vires æger, imò in illo voluptuosè ſiſtebat. In vltima denique balneatione, cùm alia non proficerent, meliúſque eſſet anceps periculum experiri, quàm nullum, illi propinaui potionem hanc. ♃. olei recentis amygd. dulc. & citoneorum, ana ℥.ß. cantaridum præp. abſciſſis capite, & pedibus ℈.ij. aquæ maluarum ℥.ij. diacurcumæ ʒ.ß. miſce. Licèt enim Valleſ. *lib.* 4. *de ratione victus, textu* 122. iubeat aliis vti remediis ad morbos debellandos, potibus quàm hoc remedio nociuo, tãta tamen ſolet eſſe indigentia, vt cogamur ad huiuſmodi remedium peruenire. Nolui cantharidum alas detrahere; nam vt inquit Plin. *lib.* 29. *naturalis hiſt. cap.* 4. ſunt alexipharmacum corporis cantharidum;

*Balnei vſus.*

*Cantharidũ alæ non ſunt amputandæ.*

tharidum; reliqua tamen extrema amputari debent,quoniam animalia venefica ad extremas partes venenum impartiuntur, eoque reliqua animalia inficiunt,quod non facerent, ſi in intimis illud repoſitum haberent; alæ verò continuo motu concuſſæ à ſe venenum repellunt, & propterea vim alexipharmacam poſſident.

Neque valui in potionibus aliquid terebinthinæ inſtillatæ iniicere,quæ maximè penetrat, quia pharmacopola neque eam habebat, neque oleum vitrioli,quod mirè penetrat,& aperit,cuius guttulas admiſcere ſoleo potionibus vrinam prouocantibus.Sed cum nihil proficere viderentur, & iam ſingultire inciperet, iudicaui ſeroſam ſubſtantiam imbibi in ventriculi tunicis, ibique ad ſingultum proritare, iamque cœpi timere ſuffocationem eſſe propinquam, totoque animo curaui ſeroſam euacuare ſubſtantiam; quod effici ſolet ſudorificis auxiliis,aut purgatione. Sed quia iam febre tenebatur æger,nolui admouere ſudorifica, ne ex eorum vſu reſolueretur:tutiuſque mihi apparuit ei offerre aliquid,quod per infernā aluum moueret,quod faciendum monent Authores: itaque ei obtulimus ℥.ß.ſucci radicis ridis cum ℥.j.ß.aquæ mulſæ,de quo periculum feci in aliquibus, quod potenter aquam ducit. Attamen quia procliuis erat ad vomendum,non potuit continere,neque ob virium languorem auſus fui iterum idem repetere auxilium,ſed vſus fui clyſteribus ex decocto rerum aperientium, & radicis iridis, & cucumeris ſilueſtris,cum elect. diaphœnic. & diacathol. & melle roſato perſico.Interim tamen dum hæc fiebant,loco aquæ,pro potu quotidiano inſtillare feci aquam ex foliis, & radiculis raphani, quinque radicibus diureticis, capill.Ven. foliis maluarum,& artemiſiæ, cinnamomo,& aliis, aliaque quamplura feci, fruſtraque adhibui, ſiquidem quotidie æger deteriùs ſe habebat,quouſque tandem aucta febre,difficilique reddita reſpiratione, vndecimo obiit.

## §. III.

### *De vrinæ ſtillicidio.*

VRinæ ſtillicidium, quod Græci ſtranguriam vocant, fit cùm paulatim, & guttatim vrinæ diſtillant & aſſiduam ad meiendum irritationem faciunt, vt inquit Gal. 7. *aphoriſm. comm.* 48. dum ait: *Quod vrinæ ſtillicidium ſignificet vrinæ ſtillatim exeuntis emiſſionem, nomen ipſum oſtendit.* Vbi etiam conſtituit differentiam inter iſchuriam, dyſuriam,& ſtranguriam. Hic affectus teneſmo proportione reſpondet; ſicut etenim in teneſmo excrementa in parua quantitate,& aſſiduè deponunt, ita ſimiliter in ſtranguria parcè,& aſſiduè vrinam reddunt ægri.

*Quod ſymptoma.* Eſt prætereà ſymptoma in eis,quæ excernuntur præter naturam,vt liquet ex Gal. 3.*de cauſis ſympt. c.* 2. Quod ſequitur actionem deprauatam facultatis expellentis,quæ indebitè, & extra tempus lotium excernit, antequam in debita quantitate in veſſica colligatur. Neque ex eo, quod in parua quantitate excernatur vrina, ſequitur quod actio illa ſit diminuta,vt quidam cenſent; nam cùm validè excitetur facultas ad excretionem, potiùs talis actio eſt adaucta,& euacuat tempore non debito.

*Quis morbus ſit.* Sed quia omne ſymptoma procedit à morbo tanquam à cauſa, ideò horum ſymptomatum morbum, ſeu cauſam inueſtigare oportet. Duplicem cauſam ſtillicidij vrinæ tradunt Authores, eamque ſumunt ex Galen. 6. *de locis affect. c.*4. & 3. *de cauſis ſympt.c.*2. & 7. *aphor. comm.* 48. vbi ad vrinæ mordacitatem, & acrimoniam, tanquam ad vnam cauſam; & ad potentiæ retentricis debilitatem, tanquam ad aliam ſtranguriam reducit.

*Cauſæ mordicantes, & irritantes.* Mordetur veſſica, & irritatur ab humoribus acribus in venis exuberantibus,& ſimul cum vrina ad veſſicam defluentibus,vel à pure ex renibus deſcendente,aut ab alia parte, aut ab inflammatione vteri, vel recti inteſtini, vt docent Hippoc. 5. *aphor.text.* 58. & Galen. *in eius textus comm.* quo tempore veſſica patitur per conſenſum, vt ibi Galenus oſtendit,quem morbum,dum per conſenſum fit,appellat Galenus accidens veſſicæ, & non affectum,6.*de locis citato*; quando verò per ſe veſſica morbo premitur, morbum appellat veſſicæ affectum. Fit etenim ab humoribus mordacibus,& pure vrinæ ſtillicidium, quatenus humores, & pus ſuâ acrimoniâ irritant potentiam ad excretionem, veſſicamque ſuâ mordacitate dilacerant continuum ſoluendo; & quia vrinis admiſta in parua quantitate irritare valent,in eadem à facultate excernuntur,antequam in maiori colligantur, hancque ob cauſam paulatim,& guttatim vrinæ diſtillant, & ad meiendum aſſiduam irritationem faciunt.

Ex inflammationibus vteri, & recti inteſtini vrinæ ſtillicidium etiam excitatur: hoc fit etiam propter inflammationum cum parte vicinitatem,à quarum intenſo calore vrina redditur acris, & mordax, vt ſæpe numero in febrium deurentium calore conſpeximus.

Patitur etiam veſſica per ſe,dum ab humoribus, aut pure acrimoniam habentibus exulceratur, aut propter aliquem abſceſſum in ea genitum, vel ob aliquem calculum ibi detentum; tunc etenim partem exulceratam, & exeſam attingit vrina, & ſua mordacitate irritat ad expulſionem.

*Cauſa imbecillitatis vrinæ.* Debilis redditur veſſica ab immoderata quauis intemperie; frequenter tamen ab intemperie frigida,& humida; vnde infertur, quod licet vrina tunc non ſit mordax,nihilominus ſenſim dilabitur, & guttatim mingitur, adhuc nolentibus nobis; quia virtus contentrix ipſam retinere nequit, & facilè parua vrinæ quantitas ipſam virtutem grauat.Hæc autem immodica intemperies hoc ſymptoma cauſare valet per ſe, vel cum affluxu humoris pituitoſi, ratione cuius magis laxatur veſſica; minuſque lotium complectitur.

*Signa.* Si ab humoribus calidis, & mordacibus iſte affectus dependeat, ſigna bilis prædominantis accedent, & vrina erit ruffa,& flaua,præcedereque ſolent calida intemperies iecoris, aut renum, vſus ciborum calidorum, potus vini, & anni conſtitutio calida.

Salſam pituitam agnoſcimus ex vrinæ craſſitudine,& albedine,ex ſedimento cineritio fundo matulæ adhærente. Si autem à pure renum, vel alterius partis affectus iſte ſit contractus,ex his, quæ præceſſerunt, & ex renum dolore, & iis, quæ excernuntur, deprehendi poteſt. Quando verò ab inflammatione vteri, vel recti inteſtini, alteriuſve partis vitium hoc contrahitur, propriis inflammationis ſignis affectus iſte per conſenſum manifeſtabitur. Quod ſi vrinæ ſtillicidium ab vlcere veſſicæ, vel illius abſceſſu fiat, propriis etiam cuiuſque ſignis cognoſcitur.

Veſſicæ imbecillitas, ſeu relaxatio dignoſcitur ex redundante pituita,vrinæ craſſitie, & albedine, quæ etiam ſine morſu, & ſine dolore excernitur, cauſæque præcedere ſolent refrigerantes, & humectantes, vt potus aquæ frigidæ, vſus ciborum craſſorum,& frigidorum, ſeſſio in lapidibus frigidis, tempus frigidum, otium, & balneum.

Seni

*Prognoſticum.* Senibus ſuperuenire ſolet iſte affectus, vt inquit Hipp. *3. aphor. text.* 31. ab humoribus enim frigidis, & cruditatibus, quibus ſcatent, eorum veſſica debilitatur, qui etiam difficulter ſanantur, vt ipſe oſtendit *7. aphoriſmorum, text. 6.* in aliis verò ætatibus non ita facilè euenit, neque ita difficilem admittit curationem.

## §. IV.

### *Curatio ſtillicidij vrinæ.*

HOc ſymptoma ſi dependet ab vlcere veſſicæ, vel à pure in vlceribus renum, & veſſicæ genito, curabitur vt diximus capite de vlceribus renum, & veſſicæ. Solet præterea calculus veſſicæ ſtillicidium cauſare, qui cognoſcitur ſignis traditis capite de veſſicæ calculo, vbi etiam curationem ſcriptam reperies. Quod ſi ab inflammatione, abſceſſuve, aut ab alio alterius partis affectu originem ducat, præcedentibus capitibus proculdubio curatio quærenda eſt, iuxta cuiuſlibet affectus naturam, & conditionem: nos autem in præſenti curare ſolùm docebimus illud vrinæ ſtillicidium, quod ex mordentibus, & ſalſis ſuccis, aut ex imbecillitate veſſicæ ortum ducere videtur.

Si igitur humores acres, & ſalſi ſint huius morbi cauſa, à cibis calidis, acribus, & ſalſis omninò abſtinendum. Conueniunt ergo cibi attemperantes, vt ptiſana, & cremor ipſius, quæ cum lacte caprino, vel amygdalarum duc. aut cum pullorum, vel gallinarum iure parari poterunt, aut carnes ipſæ pullorum, & gallinarum elixæ cum lactucis, aut cucurbita. Amylum lacte paratum, aut ipſum lac ebibitum proſunt.

Ex piſcibus ſaxatiles, ex oleribus lactuca, ſcariola, malua, ac portulaca vtilia ſunt. Pro potu commendat Aëtius aquam calidam, quæ bilis acrimoniam obtundit. Valet etiam ad id aqua ſaccharata hordei, & ſcorcion. aut liquiritiæ; optimumque eſt lac ipſum calidum potatum. Vinum vitandum, niſi in ſenili ætate, aut in inueterata conſuetudine; quo caſu vino dilutiori vti oportebit. Animi paſſiones vitandæ, præſertim ira. Nocent etiam nimius coïtus, & immoderatum exercitium. Aërem in actiuis qualitatibus temperatum eligant, in paſſiuis verò ad humiditatem vergat; nam in ſiccitatibus vrinæ ſtillicidia fiunt, dicente Hippoc. *3. aphor. text.* 16.

*Sanguinis miſſio.* Deinde ſanguinem mittere iubet Hippocrat. *7. aphoriſmor. textu* 48. hoc tamen non conuenit in omni vrinæ ſtillicidio, vt notat Galen. *in huius textus comm.* ſed ſolùm in ſtillicidio vrinæ, quod ex inflammatione, vel multitudine fit. Sed cùm venæ ſectio maximè huic morbo auxilietur, dum ab humoribus ſalſis, & calidis initium ſumit, exiſtimare oportet, quod nomine inflammationis non ſolùm intelligit Galenus veram inflammationem pro tumore ſumptam, ſed etiam pro flogoſi, ſeu ardore. Quapropter ſanguinem detrahes refrigerij, & reuulſionis cauſâ, ex brachiorum vena interiori: quod ſi plethora non adſit, malleoli venas interiores ſecare præcipit Hippocrat. *in contextu citato*, partitè tamen, & parcè ſanguis eſt extrahendus, ne vires aſſiduis laboribus, & vigiliis labantur.

Quod ſi iis non attemperetur humor, illum ad expurgationem parabis ſyrupo violarum, roſarum, chicorij, capill. Ven. & borrag. cum aquis portulacæ, maluarum, aut hordei, mox illum expurgabis melle aëreo, aut medulla caſſiæ, vel ſyrupo violarum ex 9. infuſionibus, in hunc modum. ℞. rhabarb. optimi ʒ. j. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in aqua maluarum, in qua diſſolue medullæ caſſiæ ℥.ß. ſyrupi violarum ex 9. infuſionibus ℥.iij. miſce, & fiat potus: vel detur ʒ.j. pulpæ caſſiæ cum ſaccharo in forma morſellorum: deinde ſuperbibatur ſerum lactis, aut ℥.iij. mannæ electæ in dicto ſero, aut aqua maluarum diſſolutæ. Sed quia morbus diu durans eſſe ſolet, frequens euacuatio conuenit, quæ ſemper clementibus, & lenientibus medicamentis eſt exercenda; in quem vſum laudatur terebinthina benè aquâ capillor. Veneris, vel maluarum lota, & cum ſaccharo miſta, aut ſyrupo violarum diſſoluta quantitate ℥.ß. quæ ventriculum, renes, & veſſicam purgat ſine partium detrimento.

*Aliorum remediorum vſus.* Inter vnam, & aliam euacuationem magni ſolet eſſe momenti ea adhibere, quæ mulcebrem, & lenem reddant vrinam, quæ adduxit Auic. *fen.* 19. *libro 3. tractatu 2. capite quarto*, vt mucilagines ſeminis pſillij, & citoneorum, & quatuor ſeminum frigid. maior. in aqua maluarum, & hordei extractæ, & cum ſaccharo exhibitæ. Valet etiam ſyrupus de mucilaginibus, ex Matthæo de Gradi, cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. ſeminis altheæ, maluarum, & citoneorum, ana ℥.j. dragac. ʒ.iij. infundantur in aqua tepida decoctionis maluarum, ſeminis papaueris albi, & granorum alchekengi, ana quantùm ſufficit; deinde fiant expreſſiones dictorum ſeminum, & dragacanti, de quorum mucilaginibus conficiatur ſyrupus, vt infrà. ℞. dictarum mucilaginum ℥.j. ß. decoctionis ſupradictæ ℥. ß. ſacchari albiſſimi, quod ſufficiat: miſce, & fiat ſyrupus pro vna vice, qui per ſex, aut octo dies continuari debet.

*Lactis vſus.* Vtile etiam eſt lactis vſus, ſi cum ſaccharo aſſumatur quantitate quatuor, vel quinque vnciarum; vſus præterea vitellorum ouorum recentium cum ſyrupo violarum vrinæ acrimoniam curat, aut puluis hic, qui recipit ſeminis lactucæ & portulacæ ana ʒ.iij. liquiritiæ, & quatuor ſemin. maiorum frigidorum mundatorum ana ʒ.j. ſeminis papau. albi ʒ.ß. amyli ʒ.j. ſacchari in aqua violarum, & maluarum diſſoluti quod ſufficiat, vt fiant paſtilli qui ante prandium ægris condonentur. Conferunt ſimiliter conſeruæ violarum, & capill. Veneris, oxalidis, & bugloſſi, à quibus aquæ portulacæ, hordei, maluarum, aut intybi porrigantur. Succus parietariæ cum ſaccharo bibitus vrinæ ardorem extinguit.

*Clyſterum vſus.* Clyſteres quammaximè conferunt, quæ iniici debent ex lacte, vitellis ouorum, oleo violarum, & ſaccharo, aut parentur in hunc modum. ℞. foliorum maluarum, lactucæ, & viol. ana m.j. prunorum n. vj. ſebeſten n.x. hordei excorticati p.j. ſeminis pſillij, & citoneorum ana ʒ. ij. fiat decoctum, de quo accipe lib. j. olei violar. ℥. ij. vitelli ouorum n.ij. medullæ caſſiæ, & diapruni ſimplic. ana ℥.ß. miſce.

*Balneorum vſus.* Præterea oportet totum corpus, renes præcipuè, & hepar refrigerare; quod quidem efficies per balnea aquæ dulcis, quæ maximè attemperant, fomentaque fient ex decocto foliorum maluarum, violarum, altheæ, & hordei. Renes etiam, & iecur refrigerabis vnguentis roſarum, reſumptiuo, & de cucurbita, aut hoc vnguento. ℞. oleorum violarum, & citoneorum, ana ℥.j. abluantur aquâ roſatâ, mucilaginis, ſeminis pſillij, & citoneorum in aquâ maluarum extractæ, ana ℥.iij. ſanthal. omnium, & pulueris roſarum, & camphoræ ana ʒ.j. ceræ quod ſufficiat, vt fiat vnguentum.

At ſi iis remediis vrinæ acrimonia non obtunditur,

ditur, lac ipſum cum amylo per colem iniiciatur, vel decoctum hordei, maluarum, altheæ, & violarum, cum ſyrupo violaceo, vel aqua hordei, & portulacæ, cum ſaccharo, cum collyrio, albo Rhaſis, cum opio in vehementi dolore; in dolore remiſſo ſine opio.

*Curatio ſtillicidij vrinæ ex imbecillitate.*

Cæterùm ſi ob frigidam veſſicæ, & humidam intemperiem cum humoris præſentia vrinæ ſtillicidium ortum duxerit, victus debet eſſe exſiccans, & moderatè calefaciens. Vtatur ergo æger in prima menſa paſſulis, & amygd. mundatis cum vino, deinde carnibus aſſis, quæ ſi elixentur, pipere, cinnamomo, cariophylis, & croco condiantur. Cœna ſit parca, in qua vtatur ouis ſorbilibus, & pane biſcocto. Potus ſit vinum optimum, vt iubet Galen. *7. aphoriſmorum, comm.* 48. cuius loco bibere poteſt aquam radicis chinæ, ſmilacis aſperæ, cinnamomi, aut fœniculi. Deinde humorem pituitoſum præparabis rhodomelle, oxymelle, ſyrupo capillorum Veneris, & ſthœcados, cum pauco oxymelite, cum aqua maioranæ, origani, vel cinnamomi, aut fœniculi. Purgabiſque infuſo agarici, cum ſyrupo ſennato, aut Regio, vel cum emulſione ſeminis cartami in decocto pugini extracta, & cum ſyrupo ex 9. infuſionibus, & diacathol. vel cum pillulis de agarico, & aggregatiuis, aut cum pillulis quæ conficiuntur ex terebinthina aquâ capillorum Veneris lota, & puluere rhabarb. neque vnica ſis contentus purgatione, ſed per interualla humorem euacuabis. Conuenit etiam præbere theriacam in potu cum vino mulſo, & pubem, & perineum calefacere oleo rutaceo, irino, nardino, aut anethino, ac ægrum deſidere in maioranæ, & ruthæ decocto, & per ſedem oleum rutaceum infundere. Fouebis ſimiliter pubem, & perineum cum oleo de cinnamomo, de pipere, depetroleo, de roremarino, & ſimilibus, quæ ſi non proſint, ad ſudationes ex ligno guaiaco, ſmilacis aſperæ, & radicis chinæ, aut ad balnea naturalia, ſulphurea, ſeu aluminoſa confugere oportet. Si verò ex intemperie frigida, & humida tantummodò morbus oriatur, eiſdem remediis curatur, exceptis vniuerſalibus euacuationibus.

## §. V.

### *De vrinæ incontinentia.*

INter vrinæ ſymptomata deprauata non minoris notæ eſt vrinæ incontinentia, vbi in perpetuo mingendi actu animal miſerrimè exiſtit; & vt ab hac ærumna triſti ipſum eruamus, ſupponere oportet ex Galen. *3. de locis affectis, cap.* 4. quod mejendi officium naturale duplicem actionem exquirit; vnam veſſicæ, quâ naturaliter, & ſine voluntatis imperio vrinam excernere cupit, quatenus à multitudine vrinæ, aut ab eius acrimonia excitatur expultrix ad vrinæ excretionem.

*Nota.*

Alteram verò muſculi ceruicem veſſicæ ambientis, quâ ab electione, & ex voluntatis imperio excitatur ad expulſionem vrinæ; eſt enim munus huius muſculi ceruicem veſſicæ ita exactè ſtringere, vt nihil humoris in meatum ex veſſica ingredi poſſit, ne continuo vrinæ fluore naturaliter affecti eſſemus. Cùm ergo ab adſtringendi, & retinendi actione muſculus iſte ex electione quieſcit, tunc fit naturaliter vrinæ excretio, completurque voluntarium mingendi officium: at ſi à proprio munere quieſcat muſculus, quia patitur reſolutionem, ſeu paralyſim, aut alium morbum, ſtatim vrinæ incontinentia conſurgit; nobiſque inuitis vrinam

A emittimus, facultate muſculi contentrice reſoluta, vt ipſe Galenus etiam teſtatur *eodem lib. cap.* 6. Ex quibus colligitur, quod hoc vitium eſt ſymptoma in eis, quæ excernuntur, aut retinentur præter naturam, vt inquit Galen. *lib. de different. ſympt. cap. vltimo*, & *3. de cauſ. ſympt. cap.* 2. Actio quæ principaliter læditur, eſt facultatis contentricis ipſius muſculi, vt indicant Galeni verba *6. capite, ex 3. de locis affectis citato*; nam in tantùm hoc ſymptoma ſuccreſcit, in quantùm muſculus ab opere retinendi deſiſtit. Eſt etiam facultatis retinentis naturalis actio ablata, vt cuiuis patere arbitror.

Differt hoc ſymptoma à diabete, quia fit ob neruorum reſolutionem, aut ob frigiditatem per ſe, vel cum humoris conſortio; diabetes verò, vt ſuo loco diximus, fit ob calorem renum, cui adiungitur ſiccitas, & ſitis inexhauſta, & alia, quæ ibi videre poteris.

B Differt præterea ab vrinæ ſtillicidio; nam in illo afficitur veſſica per ſe, vel per conſenſum, & eius facultas naturalis contentrix, & expultrix læduntur; at in hoc affectu per ſe, aut ſecundariò afficitur muſculus, & illius virtus reſoluitur: ad quod non requiritur, quod veſſica patiatur, licèt ex propria veſſicæ læſione aliquando vrinæ fluor contingat, vt in veſſica ſaucia inſpeximus, per cuius vulnus tota effluebat vrina.

*Cauſa, & ſignum.*

Huius ſymptomatis cauſa frequentior eſt ipſius muſculi reſolutio, vt docet Galen. 1. *de locis affectis, cap. 6.* quæ à pluribus cauſis excitatur; nam à frigida intemperie excitari ſolet, vt Galenus fuit expertus, qui *loco proximè citato* ait, accidere pueris natantibus, aut in aquis verſantibus, & in lapidibus frigidis ſedentibus; idemque contigit puero,
C qui cùm in fluuio piſces venaretur, à fluuij frigiditate ſic fuerat affectus. Frigus etenim torporem inducit, & poros denſat, ita vt ad muſculos per illos non perueniat virtus animalis motiua, ex cuius defectu ipſe laxatur, & effluit vrina. Quapropter conſiderare oportet cauſas procatarcticas, quæ præceſſerunt. Quod ſi nulla frigida præceſſerit cauſa, conjectandum eſt, proprios neruos muſculi circa os ſacrum ortos ab aliqua interna cauſa eſſe affectos, aut dorſi medullam aliquo morbo eſſe oppreſſam, quo tempore muſculus veſſicæ ceruicem claudens trahitur in conſenſum, quia vel ibi adeſt obſtructio à craſſis humoribus, vel inflammatio, compreſſiove, aut præceſſit caſus, vel vulnus, ex quibus vertebra luxari ſolet, à quibus omnibus muſculi reſolutio fieri poteſt, vt capite de paralyſi diximus.

*Mictio inter dormiendum quare fiat.*

Alia affectio ab hac ſpecie non diſſidens, ſed ſo-
D lum maioris, vel minoris habita ratione, datur, per quam dormientes in lecto mingunt, & inuoluntariè lotium reddunt, quæ magis pueris contingit, & naturâ humidioribus; quæ illis accidit, dum profundiori ſomno ſunt detenti; tunc etenim animalis potentia maximè quieſcit, & minùs actionibus eſt intenta; quo tempore muſculus veſſicæ collum circundans ab humiditate laxatur: & cùm ex alia parte vrinæ copia grauet, & ſtimulet, mouet etiam imaginandi potentiam, cuius actionem ad veſſicam applicant dormientes, & vrinam illos opprimentem excernunt, ſomniantque aliquando ſe locum quærere, in quo honeſtiùs lotium deponant; quem cùm inuentum eſſe exiſtiment, ſtatim vrinam reddunt, & in lecto mingunt. Idem illis accidit, dum inter dormiendum vrinæ acrimonia illos infeſtat, quâ perſentitâ excitatur expultrix ad excretionem; quo tempore facultas motiua animalis magis otiatur, quàm reli-

quæ potentiæ; ad hanc enim maior virtus requiritur quàm ad ſenſum, vt ex Galeno probauimus capite de paralyſi: quæ quia magis otioſa eſt per ſomnum, quàm in vigilia, minus eo tempore retinere poteſt, & veſſicæ collum comprimere, atque adeò vigilantibus non ſuccreſcit.

*Prognoſticum.* Accidit vrinæ incontinentia pueris, & valdè ſenibus magis quàm iuuenibus, & adoleſcentibus; nam pueri habent immodicam humiditatem, & crudorum ſarcina ſcatent. Senes verò impenſam habent frigiditatem, cuius ratione ipſorum virtus langueſcit, vt docet Paulus *libro 3. capite* 45. Verùm ſi ex frigida cauſa externa iſta procreatur affectio, celeriùs curatur quàm ſi citra dictam cauſam proueniat, vt conſtat ex Galeno 4. *de locis affect. cap.* 4. Eos autem qui reſolutionem experti ſunt ob ſpinæ vulnus, aut caſum, aut vertebræ luxationem, nulla medicina periculo ſubtrahit, ex Paulo *libro 3. capite* 18.

## §. VI.

### *Curatio incontinentiæ vrinæ.*

FLuor vrinæ, qui ex cauſa frigida dependet, calorificis auxiliis curatur loco affecto adhibitis. Victus in primis ſit calefaciens, & exſiccans, vt panis biſcoctus, modico aniſo, & fœniculo coctus, & carnes pullorum, gallinarum, perdicum, turturum, turdorum, & cuniculorum paruorum aſſæ, quæ ſi elixentur, cariophylis, cinnamomo, pipere, dauco, & fœniculo præparentur. Cœna ſit parca, potus ſit vinum ſubrubrum, & adſtringens, aut aqua radicis chinæ, ſmilacis aſperæ, aniſi, aut fœniculi. Otium, & deſidioſa vita fugienda, ventrem quotidie deponat æger, aut vtatur clyſteribus, quæ calefaciendi vim poſſideant, aut glandibus ex puluere cumini, hieræ, agarici, ſale, & melle toſto.

Verumtamen ſi ex frigida, & humida intemperie cum humoris affluxu veſſicæ muſculus relaxetur, priùs quàm calorifica auxilia admoueas, humorem expurgabis vt diximus capite præcedenti pro curatione ſtranguriæ ex frigida intemperie cum humoris præſentia; deinde localibus remediis, quæ etiam roborandi vim habeant, vti debemus, vt conſulit Paul. *libro 3. capite* 45. Inſeſſus ergo fient aſſidui ex fœnugræci, ſeminis lini, rutæ, & artemiſiæ decocto, & locus inungatur oleo rutaceo, vulpino, coſtino, de ſtyrace, vel rore marino, & aliis capite de ſtranguria traditis. Vlteriùs prodeſt aſſumere leporis teſticulum aridum minutatim conciſum in vino odorato, aut rutæ ſiluaticæ ſemen per triduum, aut calaminthham, & myrrham in aqua ante cœnam potui dato, ex Galen. *lib de medicinis facilè parabilibus.* Pulmo hœdi moderatè aſſatus, & citra panem largè ad triduum in cibo acceptus vrinæ incontinentiam corrigit, ex Archigene, & ab Aëtio adducitur. Porcina veſſica, aut ouilla per ſe vſta, & in potu exhibita iuuat, ex eodem Aëtio, aut hic puluis. ℞. nucis cupreſſi, thuris, cumini torrefacti, ſuccini, roſarum rubearum, glandium torrefactorum, & maſtichis ana partes æquales, ex quibus in puluerem redactis detur ʒ. j. cum vino. Vtile etiam eſt partem fricare cum aqua vitæ, aut elexir vitæ, vel ipſam partem fouere decocto maioranæ, roris marini, ſaluiæ, malicorij, pulegij, ſtœcados, & roſarum ſiccarum. Quod ſi hæc non proſint, humorem diuertes ſudationibus, & balneis naturalibus ſulphureis, aut aluminoſis, vt iubet Aëtius.

Verumtamen ſi ex inflammatione, alióve tumore oriatur affectio, ex inflammationis, & tumorum curatione huius affectus ſanitas conſequitur. Si verò ex vertebræ luxatione initium habuerit, illius reductione ad proprium ſitum curabitur, ſicut ſi ex ictu, aut caſu ſupra ſpinalem medullam prouenerit, remedia ipſi ſpinali medullæ ſunt admouenda. Quod ſi ex muſculi veſſicæ, aut neruorum, qui in ipſum terminantur, reſolutione hoc ſymptoma ſuccreſcat, curabitur vt diximus *cap. de paralyſi.*

Vltimò ſi inter dormiendum excernatur vrina, quia muſculus à frigiditate, & humiditate laxatur, curabitur (vt dixi) calorificis auxiliis in huius capitis initio traditis. Sed quia huiuſcemodi qualitates frequentiùs habent humorem ſibi adiunctum, illum euacuabis, & topicis auxiliis calefacientibus, & exſiccantibus vteris, vt iam dictum eſt. At ſi vrina reddatur, quia mordax, & irritans perſentitur, eam arte parabis vt dictum eſt capite de vrinæ ſtillicidio ex ardore, & mordacitate vrinæ. Aduertere tamen oportet, quod in hoc morbo nullo modo competunt medicamenta diuretica, vt animaduertit Aëtius; mouent enim humorem verſus veſſicam, morbumque immedicabilem faciunt. Sed de hoc libro hactenus dicta ſint ſatis.

LIBER

# LIBER SEXTVS

## De internorum Morborum Natura, & Curatione.

### *PROOEMIVM.*

DEcreuimus agere toto in hoc libro de morbis, quibus partes generationi inſeruientes affligi ſolent, quorum naturam, & curationem diligenter inueſtigabimus; pendet enim ex iiſmet partibus totius ſpeciei conſeruatio, & propagatio, quatenus per generationem res perpetuantur, vt inquit Ariſt. 1. *de ortu, & interitu.* Cùm etenim mobile non ſit perpetuum, cuius motus ſecundùm naturam perpetuus eſſe non poteſt, ideò natura huiuſmodi fabrefecit partes, vt illud, quod haudquaquam in ſe perpetuum non eſt, in ſpecie ſaltem perpetuum exiſteret, vt aſſerit Ariſt. 2. *de cœlo, cap.* 3. hancque ob cauſam Galen. *lib. artis medicinalis, cap.* 9. conſtituit teſticulos inter partes principes, præſtant enim corpori robur, & virilitatem quandam, vt ipſe etiam aſſerit 1. *de ſemine, cap.* 16. requiritur enim ad partis principis munus, quod toti corpori vim aliquam, aut materiam ſaltem ſuppeditet, vt docet etiam Galenus 6. *de placitis Hippocratis, & Platon. cap.* 6. Quam virtutem ex teſtibus prodeuntem, ex eorum abſciſſione aſſequeris; nam ſtatim frigeſcit corpus, illius robur collabitur, perinde ac ſi ſenex fuiſſet, neque ſanguis ita floridus permanet, neque venæ latæ; arteriæ etiam imbecilliter ſicut in ſenibus pulſant, corpuſque depile non modò mento, ſed aliquibus aliis partibus euadit, paruaque venereorum libidine tentatur Ex teſtium etiam extractione ſuauior efficitur victimarum caro, vt ipſe etiam teſtatur. 1. *de ſemine, cap.* 15. ceſſatque prolifici ſeminis generatio, quam teſtibus omnes Medici tribuunt, vt videre eſt apud Gal. *loc. proximè cit.* Cùm ergo tot commoditates auferantur ex teſtium extractione, planè conſtat, ex eorum præſentia, & conſeruatione toti animali magnum robur ſuccreſcere, & caloris augmentum comparari; & cùm in ipſis potentia generatiua reſideat, ex ipſis totius in indiuiduis conſeruatio ſpeciei reſultat, in quibus ſpecies perpetuantur: & quia gemelli inter partes generationi miniſtrantes primum locum habent, de eorum morbis priùs eſt agendum.

### CAPVT I.

#### *De inflammatione teſticulorum.*

NOn eſt opus inflammationis cauſas referre, cùm capite de iecoris inflammatione, & de inflammatione veſſicæ ſufficienter ſint allatæ; ſignaque aderunt eadem in parte, veluti calor, dolor, tumor, rubor, & pondus cum febre continua. At ſi ſcrotum ſolummodò inflammetur ſine teſtibus, extimus erit dolor, & neceſſariò pars extima rubore afficietur.

Quod ſi teſtes ſine ſcroto inflammentur, dolor intenſus intrò percipitur, duritiés, calor; rubor tamen in ſcroto non apparebit. Ambobus verò laborantibus, teſtibus ſcilicet, & ſcroto, interiùs, & exteriùs dolor, & alia ſymptomata perſentiuntur, quibus citò ſubuenire oportet, ne in ſuppurationem, ſchirrhum, aut corruptionem inflammatio migret.

#### §. VNICVS.

#### *Curatio inflammationis teſticulorum.*

VIctus debet eſſe tenuis, & refrigerans, vt ius pulli cum lactuca, cucurbita, vel agreſta elixi, aut ptiſana, vel cremor eius, poma aſſa, oua ſorbi-

A lia cùm arantij ſucco, & reliqua, quæ pro curanda inflammatione iecoris adduximus. Potus ſit aqua hordei, vel ſcorcion. Quieſcat æger, vtaturque ſolùm frictionibus brachiorum, & partium ſuperiorum. Ventrem habeat lenem, aut enematibus emollientibus, & refrigerantibus vtatur, ex decocto folior. maluar. biſmaluæ, ſcariolæ, lactucæ, violar. & hordei, cum oleo violar. & roſar. & pulpa caſſiæ. Curatio à ſanguinis miſſione initium habeat, quæ ſi adſit plenitudo, reuulſionis cauſâ ex venis brachiorum internis fieri debet; mox verò malleoli venas interiores ſecamus. Quod ſi ſanguinis plethora non adſit, malleoli venam à principio ſcindere iubent omnes. Deinde parum repellentia adhibere conuenit, quæ ſimul attemperent, & corroborent. Huius naturæ ſunt oleum roſac. & myrti, aut oxyrrhodinum ex oleo roſarum, & modico
B aceto, quibus modicum farinæ adiicere poteris. Vtile etiam eſt lac muliebre, aut aqua roſarum, & plantagin. vel emplaſtrum ex farina hordei, cum oleo roſarum, & oxymelite compoſitum. Principio tranſacto, repellentibus aliquid reſoluentium admiſcebis, foueaturque pars oleo roſar. & lumbric. vel oleo roſar. & vnguento filij Zachariæ: deinde fortiùs reſoluere tentabimus emplaſtris meliloti, & diachilon. & filij Zachariæ adhibitis.: vel hoc, quod recipit farinæ ſeminis lini, fœnug. &

& hordei ana ℥.ij. florum chamæm. ʒ.j.olei chamæm. & lumbric. ana ℥.ij. ſapæ quod ſufficiat,vt fiat emplaſtrum. Vel ℞. farinæ fabarum, ſeminis lini, & fœnugræci, & ſtercoris bouini exſiccati, ſing. ℥.ij. olei laurini, & lumbric. ana ℥.ij. ſapæ, & vini, ana partes æquales : miſce, & fiat emplaſtrum.

Quod ſi in ſuppurationem tendat inflammatio, eam ſuppurantibus auxiliis adiuuabis, eiuſque apertionem procurabis antequam in corruptionem tendat. Tandem ſi in ſchirrhum degeneret, mollientibus vteris,quorum copiam capite de lienis ſchirrho inuenire poteris.

---

## CAPVT II.

### *De ramice, ſeu hernai.*

ETſi propriè hernia dicatur, quando peritoneum in inguina, & ſcrotum deſcendit, vt teſtatur Galen. 5. *de anatomicis adminiſtration.cap.6.* & 6. *de anatom. adminiſt. cap. 5.* Generali tamen nomine Medici iuniores omnem teſticulorum, & ſcroti tumorem herniam, ſeu ramicem vocant, vt ipſe etiam oſtendit *lib. de tumoribus præter naturam, cap.15.* Hunc præterea morbum Græci *cele*, appellant, vt etiam fatetur Galen. 5. *de anatom. adminiſt. cap.6. citato*, qui quidem varius eſt pro cauſæ diuerſitate, à qua dependet. Quædam eſt carnoſa, ſarcocele dicta; quædam fit deſcendente omento in inguina, aut ſcrotum, quæ epiplocele nominatur; quædam prolabente inteſtino, enterocele dicta : verùm ſi aqua deſcendat, hydrocele, ideſt hernia aquoſa; ſi verò humor melancholicus in vaſorum anfractibus congregetur, circocele, ideſt varicoſus ramex; ſi verò ſpiritus colligitur, pneumatocele, ideſt flatuoſus ramex vocitatur. Quod ſi inteſtinum in inguinibus tumorem efficit, bubonocelem Græci, ramicem inguinis Latini appellant. Quandoque etiam ramex fit compoſitus,vt ſi aqua ſimul cum ſpiritu deſcendit, aut inteſtinum cum omento delabitur, & dicitur tunc talis nomine compoſito.

*Cauſa, & ſigna ramicis inteſtinalis, & omenti.*

Huius morbi ſpecies ſub tumoris genere comprehenduntur,quæ multis de cauſis excitari ſolent; nam ſi in inguina,& ſcrotum omentum, & inteſtina deſcendant,præcedere ſolent clamor, equitatio,ictus, ſaltus, & ingentis alicuius molis ſublatio,nimiaque humiditas,quibus facilè peritoneum relaxatur,aut rumpitur; quibus præcedentibus facilè omentum,& inteſtina in inguina, aut ſcrotum dilabuntur,& enterocele, aut epiplocele gignuntur.

Signa ſunt communia herniæ inteſtinorum, & omenti, ſiue in inguina, ſiue in ſcrotum deſcendant.Inteſtinorum igitur prolapſus dignoſcitur ex doloris magnitudine,& tumoris magna extenſione & fæcum intercluſione, & ſonitu. Omenti verò deſcenſus percipitur ex remiſſiori dolore,& minori partis tumore,& ſine ventris rugitu. At ſi ex relaxatione peritonei fiat, ſenſim accedit morbus, & ſigna aderunt humiditatis ſuperfluæ, & nullus ab initio dolor perſentitur,donec prolabentibus inteſtinis, & omento dolor ſuperueniat. Huic malo pueri potiùs, vtpote humidioris naturæ, ſunt opportuni,vt inquit Paul. *lib.3. cap.53.* Tumorem hunc ab his cauſis proficiſcentem cognoſcimus etiam, quia in exercitationibus, itinere, vociferatione, & ſpiritus cohibitione maior quàm antea apparet; qui ſi comprimatur, reſiſtit, tardeque,
**A** & cum murmure recurrit, & denuò celeriter extendi ſolet.

*Cauſa, & ſigna ramicis aquoſi.*

Hernia aquoſa fit ex occulta,aut manifeſta cauſa. Ex occulta cauſa fit, cùm aquoſus humor circa partes corpuſculorum, quæ ſcrotum contegunt, ac implicant, ſanguini admiſtus collectus fuerit; idque euenire cernimus ob facultatis concoctricis iecoris imbecillitatem, vt patet in hydrope aſcite dicta; nam cùm intra peritoneum contineatur aqua, facilè in ſcrotum permeat. Quod ſi hydrops abfuerit vaſorum erythroïdis membranæ, per quæ alimentum ad teſtes defertur, facultas concoctrix naturalis languet, ſanguiſque totus ibi collectus ſeroſus redditur; & ſero,aut aquoſo humore vaſa implentur.Ex manifeſta, id eſt extrinſeca cauſa conſurgit,cùm ex plaga colliſis,aut fractis vaſis,ſanguis affluens ad aquoſam ſubſtantiam
**B** tranſmutatur. Cognoſcitur ex tumore, ſplendore, & lenitate,& pauco dolore; & ſi aqua multa fuerit, tumor non cedit tactui; ſi verò pauca, cedit, & intra partem,ſi comprimatur, fluctuat, & pondus in parte ſentitur; & ſi ad lumen candelæ, vel ſolis perſpicias, tranſparent,perinde ac vas vitreum aquâ plenum.

*Cauſa, & ſigna herniæ flatuoſæ.*

Flatuoſus ramex fieri ſolet ex hydrope tympanite dicta, in qua intra peritoneum maxima flatuum copia colligitur; & ex aliis cauſis flatuum generantibus,vt diximus *capite de vertigine,& de ventriculi inflatione.* Facilè percipitur ex tumore ſine grauitate, & ſcrotum ſimile redditur veſſicæ inflatæ.

*Cauſa, & ſigna herniæ carnoſæ,& varicoſæ.*

Hernia carnoſa fit præcedentibus ictu, vlcere, aut vulneratione,quæ longo tempore paulatim in-
**C** creuit, efficereque ſolet tumorem rotundum,oblongum, & durum, teſticuli formam referentem ſine coloris mutatione. Varicoſa fit ab humoribus craſſis, & melancholicis, quæ dura apparet, & longa ad modum virgarum, vt inquit Gordonius. Sub hac ſpecie comprehendimus humoralem, quæ ex humore craſſo pituitoſo fieri ſolet, quæ ab aliis diſtinguitur,quia pars eſt repleta ſine dolore,& cedit tactui,& eſt mollities media inter aquoſam,& carnoſam,quam præcedere ſolent cruditates, aut ea hydropis ſpecies, quam anaſarcam vocant.

*Præſagium.*

Ramex inteſtinorum, & zirbi, eſt ægritudo fortis, & difficilis curationis, quamuis ſit parua. Ramex aquæ eſt ægritudo facilis curationis, etſi ſit magna, ex Auic. Inteſtinorum hernia extremè mala ſolâ chirurgiâ curari poteſt, eaque grauis, ac periculoſa exiſtit, ex Aëtio. Ramex carnoſus eſt ſimilis ſchirrho,ex Gal. 14. *methodi,cap.17.* & ſic
**D** difficilè curatur, ſicut ipſe ſchirrhus.

#### §. VNICVS.

##### *Curatio ramicis, ſeu herniæ.*

HVius affectus curatio diuerſificatur pro cauſæ diuerſitate. Si igitur hernia flatuoſa ſit, victus ſit calidus,& flatus expers,vitandaque olera flatuoſa, & ciborum repletio. Potus ſit vinum album antiquum,aut loco illius aniſi, aut fœniculi decoctum,curatioque adminiſtrari debet per ea, quæ capite de ventriculi inflatione adduximus.At ſi ex hydrope tympanite fiat, ipſius hydropis curatio præcedere debet, interiuſque porrigenda ea, quæ iis capitibus tradita fuere, & localia flatus diſcutientia ibi aſſignata ſcroto ſunt admouenda.

*Hernia flatuoſa curatio.*

*Ramicis aquoſæ curatio.*

Aquoſa hernia curatur, vt hydrops aſcitis, eademque vnguenta, & emplaſtra parti admota proſunt; quæ ſi non ſufficiant, oportet deuenire

ad

ad manualem operationem. Curationis, & ſectionis modum inſinuat Paulus *lib.6.cap.62*. Sed quia difficilis eſt Pauli curatio, tutius mihi videtur filo transfixo in ſcroto paulatim totam aquam educere, vt monent Merc. pro curatione aſcitis, & Paſchal. *lib.1.cap.60*. deinde vlcera curanda exſiccantibus, & glutinantibus.

*Varicoſæ & carnoſæ herniæ curatio.*

Varicoſa hernia, & carnoſa curantur vt inquit Auic. ſicut apoſtemata dura, vtpote tumores ſchirrhoſi; & ſi tantam duritiem contraxerint, vt medicamentis emollientibus, & reſoluentibus non cedant, manuali operatione curari debent. Circa hoc conſule doctum Chirurgum.

*Inteſtinalis & omenti herniæ curatio.*

Verùm inteſtinalis, & omenti ramex adſtringentibus, & glutinantibus, & ligaturis conuenientibus circa manus operam perſanari ſolet, vt inquit Paulus, ſiue per relaxationem, ſiue per rupturam peritonei fiat: quare victus ſit adſtringens, & agglutinans, qualem adduximus *c.de ſanguinis ſputo*, & *de diarrhea*. Euitent exercitium, vociferationem, ſaltum, equitationem, cibos flatuoſos, & quæcumque in inteſtina deſcendere faciunt. Priùs tamen quam abſtergentia adhibeas, inſpicere oportet, an omentum, ſeu inteſtina ad inguem, & ſcrotum ſint delapſa, quo tempore in proprium locum ea reduces, decliui locato ægro, leuatis femoribus, & redactis cruribus. Quod ſi excrementa, aut flatus eorum reductionem impediant, diſtendantque inteſtina, ſtercus eſt molliendum, & educendum ſuppoſitorio iniecto, & fotu ex oleo chamæmali, & anethi, aut vnguento deoppilatiuo, & dialthea. Flatus etiam diſſipandus oleo rutæ, & chamæmali, vel fotu ex decocto chamæm. fœnugr. ſeminis lini, & fœniculi. Clyſterum vſus fugiendus; nam magis extenduntur inteſtina, difficiliúſque ad proprium reducuntur ſitum, & cum maximo ægrotantis incommodo. Deinde ſenſim ſunt reducenda, inunctis manibus oleo citoneorum, maſtichis, aut myrti, ægrumque ſic ſeruabis idoneis inſtrumentis, ligaturis, & emplaſtris, confertque quammaximè vitio à principio, quæ fieri debet à perito artifice, vt conſulunt Auic. & Aëtius; per illam etenim pars rupta magis corroboratur, firmiórque redditur. Ne tamen malum in deterius procedat, adhibere conuenit emplaſtra, quæ ſic parari poſſunt. ♃. picis naualis, & colophoniæ, ana ℥.j. viſci quercini, thuris, myrrhæ, ſanguin. drac. boli armeni, aloës, gallarum viridium, & putaminum mali punici, opoponacis, bdellij, & reſinæ ſiccæ, ana ʒ. ij. glutinis pellis arietinæ, aut collæ tauri in aqua chalybeata, & aceto diſſolutæ ℥.ij. miſce lento igne ad emplaſtri formam, quod calidum parti applicetur, deraſis priùs pube & ſcroto, nec auferatur donec ipſum cadat; ligatura tamen adhibeatur ſupra illum, vt fixiùs parti adhæreat. Vel ♃. puluer. maſtichis, cumini, ſymphiti, ſanguinis draconis, ana ʒ.j. reſinæ, & ladani depurati, quod ſufficiat vt fiat emplaſtrum. Aut ♃. aloës, mannæ, thuris, lythargirij, ſarcocollæ, corticum granatorum, & telæ araneorum, ana ʒ. j. excipiantur cum triplici ouorum albumine, & adde pilorum leporis minutim ſciſſorum, quod ſufficiat, vt emplaſtri conſiſtentiam adipiſcantur, & in ſtuppa extenſum applicetur ſuperpoſitâ ligaturâ. Vel ♃. reſinæ ſiccæ, ammoniaci, thymiamatis, bituminis, ſulphuris viui æquales portiones, liquabilia liquato, eiſque ab igne ablatis, ſulphur adiicito, & in mortario ad emplaſtri formam redigito, adhibeto, atque alligato, donec ſponte decidat, cuius emplaſtri deſcriptio traditur ab Aëtio: ſed pro ammoniaco aliqui iniiciunt picem. Vel ♃. aloës, thuris, ſanguinis drac. mumiæ, maſtic. gummi arabici, ana partes æquales,

A

cùm pice nauali fiat emplaſtrum, vel cū albuminibus ouorum; quod emplaſtrum pueris optimè accōmodatur. Valet etiam emplaſtrum, quod in officinis paratur de pelle arietina, vel contra rupturam. Oportet tamen quod æger in lecto quietus maneat triginta dierum ſpatio, vt monet Paulus. Vtile etiam eſt vinum ſtiptieum, ſeu adſtringens, quod fit per decoctionem ex gallis immaturis, nucibus cupreſſi, balauſtiis, malicorio, viſco quercino, foliis oliuæ, roſis ſiccis, maſtiche, & ſimilibus, ſi eo pluries foueatur pars. Deinde ſuperponatur aliquod ex emplaſtris enumeratis; his etenim curari ſolent lactantes, præſertim ſi nutrix optimo regimine vtatur; imò & ætate prouectiores, qui bibant cupreſſi decoctum cum vino, vt ait Paul.

B

vel quotidie aſſumant ʒ.j. conſolidæ maioris, vel minoris cum vino adſtringenti, aut ʒ. ß. radicis valerianæ, cum vino rubro quindecim diebus ſumant. Quod ſi iis pars non agglutinatur, vel ruptura ſit ita antiqua, vt remediis non cedat, oportet ad opus chirurgicum deuenire, & curationem per inciſionem facere; ipſamque dimittimus vnà cum extractione lapidis ex veſica vagabundis, & peregrinantibus Chirurgis hanc curam exercentibus, vt admonet Guidus de Cauliaco.

## CAPVT III.

### *De ſeminis profluuio.*

C

IN præcedentibus diximus ſemen in teſtibus generari ad ſpeciei propagationem, in ordine ad quam teſtes inter partes principes connumerantur, vt ex Galeni ſententia probauimus in huius libri initio: in præſenti verò agendum eſt de ſeminis profluuio inuoluntario, quod Græci gonorrhœam appellant, quam definit Paulus *lib.3.c.55.* dicens: *Seminis profluuium, quod grecè gonorrhœa dicitur, eſt inuita, ac præter voluntatem ſeminis excretio, quæ continuò naturalibus non intenſis, ex retentricis naturæ facultatis imbecillitate prouenit.* Quam definitionem deſumere potuit ex Galen. *6. de locis affect.cap.6.* vbi ait: *Gonorrhœa eſt ſeminis excretio inuita, cole haudquaquam extenſo.* Quam fieri ex imbecillitate retentricis ſeminalium vaſorum, ipſe etiam teſtatur *3.de ſympt.cauſis, cap.4.* in quo omnes conuenire video.

D

Pars affecta in gonorrhœa ſunt vaſa ſeminaria, vt ex Galeno *conſtat 14. de vſu part. c.10.* ex his ſiquidem vaſis, quæ ad teſtes, & ad latera matricum deferuntur, vena ſuperiacet arteriæ, vtraque multos efficiens flexus inſtar capreolorum quorundam variè implexorum, quo implexu ſanguis, & ſpiritus, qui ad teſtes feruntur, diutiſſimè detinentur, & coquuntur, ita vt in ipſis vaſis, & implexibus ſanguis dealbeſcere incipiat, qui cùm ad teſtes perueniat, & in eorum cauernis contineatur, ibi magis coquitur, & albidior redditur, & vltimum ſeminis complementum ad fœtus generationem comparat. Si igitur talia vaſa debilia reddantur, ita vt ſemen non retineant, ſtatim conſurgit hoc ſymptoma in eis quæ excernuntur præter naturam, procedens ex actione ablata facultatis retinentis vaſorum ſeminalium. Ex quibus colligitur, hanc affectionem eſſe communem mulieribus, & viris, quia in vtriſque talia vaſa, & teſtes, & vera ſeminis generatio percipiuntur, vt dilucidè Galenus demonſtrat, tum loco proximè citato, tum aliis in locis. Quod etiam inſinuat Aëtius

*tetrab.3.ſerm.3.cap.33.* dum ait: *Non ſolùm autem viris, ſed mulieribus hoc accidit, & in fœminis ſanè ægrè tollitur.* Notare tamen oportet, quod emittitur ſemen ſine voluptate, vt inquit Aetius, nam ad rationem voluptatis,& doloris requiritur, quod ſubitò,& affatim fiant; ſed quia lente,& paulatim excernitur ſemen, ideò in eius eiaculatione nulla percipitur voluptas.

*Cauſa, & ſigna.*

Cauſæ ſunt quæcumque vaſa ſeminalia laxare poſſunt, & debilem virtutem contentricem reddere,expultricemque ad expulſionem proritare; & hoc totum intempeſtiuè,&præter naturam fieri debet; nam quæ tempeſtiuè, & cum debito naturæ ordine excernuntur,ſymptomatis nomen non merentur,vt inquit Gal.*6.de locis affect.cap.6.citato.* Seminis ſecretio fit aperto fluxionis meatu, ac reliquo conceptaculi ſpatio, & contracto, & virtute expultrice, quidquid in ſpatio continetur, impellente. Retentio verò fit cum clauſus permanet meatus,& contentum à continente haudquaquam impellitur. Et licèt vaſa debilia reddantur à qualibet intemperie immodica; tamen calida, & humida præcipuè ſolet eſſe huius affectionis cauſa. Accidit etiam à ſeminis copia facultatem retentricem grauante,& ex ſeminis acrimonia, & tenuitate expultricem facultatem irritante; hoc tamen venaberis ex ſeminis colore,& eius ſubſtantiæ modo, ex anteacta vita,& aliis. Si igitur venerem exercere conſueuerit, & moderato æger fuerit vſus concubitu, nunc verò caſtè, & innocenter viuat, exiſtimare oportet, ſeminis copiam grauare, & ſua multitudine vim expultricem ad excretionem concitare.

Si autem nihil tale fuerit,ſed ſemen quod delabitur,bilioſum, acre, & tenue, tunc ſua qualitate ſemen excernendi potentiam mouet, & irritat ad expulſionem.Huic præſtat occaſionem immodicus veneris vſus, aut congreſſus cum muliere inquinata, ſiue gallica lue infecta, aut menſtruis detentis, quæ per pudendi canalem halitus prauos infundit,quibus vaſa imbecillitantur,& ſemen ita vitiatur, vt exeat liuidum, & vireſcens cum mordicatione,quo caſu iſte affectus gonorrhœa virulenta vocitatur.Eſt alia gonorrhœæ ſpecies,quæ rigido, ſeu tenſo,aut conuulſo quodammodò pudendo fit, quæ non ex vaſorum ſeminalium languore ortum habet,ſed quia inſtrumenta quid conuulſioni ſimile patiuntur, vt inquit Galen. *3. de cauſ. ſympt. cap.4.* quæ accidit vbi aliquis comitiali morbo, vel conuulſione violenter irruente fuerit correptus; vt ipſe aſſerit *6. de locis affect. cap.6.* Tunc etenim membra concutiuntur, & ſemen decidere faciunt; ſed hæc impropriè gonorrhœæ nomine gaudet, vt ex gonorrhœæ definitione deducitur.

*Præſagium.*

In hoc affectu ſenſim vniuerſum corpus gracileſcit, præſertim circa lumbos, & in interpoſito ſpatio tabe hominem conſumit,ex Celſo *lib.4.c.20.* quæ ſi ſuperueniat ex acceſſu cum muliere gallica lue infecta,mille accidentia cauſat, quæ vel hominem perdunt, & deſtruunt, vel miſerè totius vitæ curſu torquent,vt experientia didicimus.

## §. VNICVS.

### *Curatio profluuij ſeminis.*

SEminis profluuij cura communis eſt cum ea, quæ in omni fluxione adhibetur.In vniuerſum igitur refrigerantia,& ſiccantia, vbi adeſt ſeminis copia, & facultas retentrix infirma, eligi debent tum in cibis, tum in medicamentis; vitari autem flatuoſa, quæ etiam calefaciunt. Flatus expertia commendantur, abſtinendumque eſt à copioſis cibis,qui plurimum ſemen gignunt, & præſertim ab his, qui bilem generant, vimque concitant expultricem; vtendumque his,qui ſemen ſiccare valent. Verùm ſi ſemen calidum, tenue, & mordax fuerit, refrigerantibus magis, quàm exſiccantibus vteris, quæ craſſiorem genituram reddunt, & attemperant. Si igitur ſeminis acrimonia, & tenuitas in cauſa fuerint, victus erit refrigerans, vt cucurbita,lactuca, chicoreum,ſcariola, blitum, portulaca, lactucæ ſemen cum aqua epotum,quod genituram cohibere ſolet.Potus ſit aqua puriſſima,fontana, pluuialis, aut quæ ex chalybe paratur, aut aqua nimpheæ. Ex calidis ruta genituram abſumit, & craſſam reddit. In quiete ſeruetur æger, neque ſupra renes decumbat, ſed ſolùm ſupra latus dextrum, vel ſiniſtrum decubitus fiant, ex Paulo. Lectus ſit frigidus, nec valde mollis: item medicamenta frigida ſint lumbis ſubſtrata,vt violarum,roſarum,& nimpheæ flores,viticis,vitiſque folia, & ſolanum. Omnem etiam de rebus venereis cogitationem excludere præcipit Aetius. Vtantur clyſteribus refrigerantibus, & balneis aquæ dulcis. Aer ad frigidum declinet, vel ſic arte paretur. Quod ſi vires adſint cum ſanguinis redundantia, ſanguinem ex baſilicis venis brachiorum mittere iubent Authores,ſic enim reuellimus, & refrigeramus humorem bilioſum,materiaque,ex qua ſemen progignitur,diminuitur. Deinde bilem attemperare licebit ſyrupis roſarum, violarum, de portulaca,& citoneorum, cum aquis ſtillatitiis portulacæ,hordei,vel chicorei.Mox humorem euacuabis pulpa caſſiæ, aut elect.de pſillio, vel diacatholic.in potu,vel morſellorum forma,aut cum rhabarb.diluto. A purgatione lumbos,& renes fouere oportet oleo roſarum,violarum,& nimpheæ,quibus admiſcebis modicum aceti,aut inunges vnguento roſarum, ſanthalino, de cucurbita, aut refrigerante Galeni. Vel hoc.℞. olei roſati, omphac. citoneorum, & myrti,ana ℥.j.ß.cremoris ſeminis citoneorum, & pſillij in aqua roſarum extracti,ana ℥.ß.ſemin. agni caſti, & lactucæ,ſanthalorum omnium,& vtriuſque coralli præpar.ana ʒ.ß. ſucci polygonij,& ſemperuiui, & portulacæ, ana ℥.ß.aceti parum, ceræ quod ſufficiat; miſce,& fiat vnguentum. Vtilis etiam eſt lamina plumbea perforata,& lumbis alligata, vt inquit Tral. Conueniunt præterea ſucci ſanguin. nimpheæ, portulacæ, lactucæ, vmbilici Veneris, & pampinorum vitis,ſi in eis panni madeſcant,& renibus,& dorſo admoueantur.

*Curatio gonorrhœæ virulenta.*

Interiùs aſſumat æger ſyrup. de portulaca, de papauere, & violarum, cum decocto ſeminis agni caſti, lactucæ,& portulacæ. Conducunt præterea paſtilli, qui ſic formari poſſunt.℞. ſeminis rutæ, agni caſti,lactucæ, portulacæ, & papau. albi, ana ℈.j.ſeminis cannabis,coriandri præp.& torrefacti, cornu cerui vſti,coralli rubri præp. & ſanthali rubri,ana ʒ.ß.omnia in puluerem redigantur,& cum aqua roſarum formentur paſtilli, quorum vnum, vel duo cum aqua chalybeata, vel pluuiali quolibet mane aſſumat laborans.

*Curatio gonorrhœæ ex ſeminis fluore.*

Seminis incontinentia, quæ ex eius vbertate procedit curatur per ea, quæ ipſum ſemen diminuunt, & exſiccant, ſeruareque oportet ægros in pauco cibo, & potu, fugereque oportet edulia flatuoſa, quæ virile membrum diſtendunt,& ad libidinem mouent,& ea quæ ſemen augent. Huiuſmodi ſunt nuclei pini,fabæ,cicera,rapa, & præſertim ſemen ipſius potum, dauci maioris ſemen, &

mentha,

mentha, vrticæ ſemen, orcheos radix, quam non-nulli teſticulum canis appellant, ſatyrion, & ſcinchorum partes, præcipuè quæ circa renes habentur, ex quibus partim aliqua ſemen adaugent, partim ad venerem incitant: quæ omnia euitare debemus in qualibet ſeminis incontinentia, vt ait Tralianus: reliqua, vt diximus, ſunt facienda.

*Curatio gonorrhœæ ex retentricis imbecillitate.*

Quod ſi ſeminis profluuium ob vaſorum laxitatem, & retentricis imbecillitatem eueniat, victus etiam debet eſſe adſtringens, & exſiccans, & qui ægrè corrumpatur, in parua tamen quantitate, vt perdices, turtures, gallinæ, cuniculi, arietis caro aſſa, oryza, amylum, paſſulæ, amygdalæ toſtæ, coriandrum præp. pira aſſa, & mala citonea, aniſum, fœniculum, & ſimilia. Potus ſit aqua fœniculi, radicis chinæ, ſmilacis aſperæ, aut vinum adſtringens. Sed quia vaſorum ſeminalium laxitas frequenter fit ab humoribus in ipſis vaſis imbibitis, curatio à totius corporis purgatione eſt incipienda, quæ fieri non poteſt cum decocto foliorum ſennæ, & ſyr. ex 9. infuſion. roſarum rubear. & rhabarb. aut cum pillulis de hiera, maſtiche, vel de agarico. Deinde inſeſſibus adſtringentibus eſt vtendum, ex lentiſci, rubi, myrti, roſarum, balauſt. & ſimilium in vino auſtero, ſine mero, ſiue diluto decocto, quibus addere licebit quæ habent vim exſiccandi, & reſoluendi humiditatem ipſa vaſa ſeminalia laxantem, cuius naturæ ſunt ſaluia, chamæm. pulegium, origanum, maiorana, abſinthium, maſtix, aniſum torrefactum, rutæ folia, & alia id genus. Conuenit etiam ab initio poſt purgationem emplaſtrum ex palmulis, malis citoneis, ſchœnante, acacia, hypociſtide, rhu, & ſimilibus. Quod ſi adhuc perſeuerет affectio, purgationes frequenter fieri debent, vomituſque procurandus, vt in contrariam partem diſtrahatur humor.

Quod ſi hæc non ſufficiant, conſulit Mercat. vt ad balnea ſulphurea, & ſudationes ex radice chinæ, & ligni ſancti deueniant ægri, quibus humiditas laxans vaſa ſeminalia conſumitur; quæ curatio per ſudationes maximè conuenit gonorrhœæ ex gallica infectione contractæ.

Ab eiſdem cauſis proficiſcuntur pollutiones nocturnæ, eandemque petunt curationem.

## CAPVT IV.

### *De priapiſmo.*

CVm colis in longitudine, & circulo totus adaugetur, nullo ſtimulante ad libidinem, aut deſiderio, aut adquiſito calore, vt quibuſdam accidere ſolet, qui ſupinè decumbunt, priapiſmus dicitur, aut breuiori compendio dici poteſt, permanens colis auctio, & tumor; cuius denominatio ſumitur à Priapo, cui ſuaptè naturâ huiuſmodi colis fuerat. Ita finxerunt antiqui, vt oſtendit Galen. 6. *de locis affect. cap. vltimo.* Paulus illum definit *lib. 3. cap. 37.* dicens: *Priapiſmus eſt firmum genitalis incrementum, quod in longum, latumque intumeſcit citra veneris appetentiam.*

*Quid ſit.*

Dicitur, quod iſte affectus ſit nullo ſtimulante calore adquiſito; nam licet propter calorem adquiſitum ex decubitu ſupra lumbos colis intumeſcat, non tamen dicitur priapiſmus; ad illum enim requiritur ſtabilitas, & permanentia, quæ deficit dum ob lumborum calorem colis extenditur, vt ex Pauli definitione adducta conſtat, qui firmum in-

A crementum genitalis illum appellat: & Galenus *libro de tumorib. c.* 14. priapiſmum vocat diſtenſiones pudendorum non deſinentes.

Ex dictis conſtat, hunc affectum contineri ſub genere tumorum præter naturam, ſiquidem per illum colis intumeſcit à flatibus, vt mox videbimus, ita vt pars affecta ſit colis, vt indicat Galen. 6. *de locis affect. cap. citato,* vbi inquit, quod priapiſmus eſt colis accidens, nullaque alia pars talem patitur erectionem, ſiue per ſe, vel per conſenſum afficiatur.

Hic affectus eſt communis mulieribus, & viris; mulieres etenim ad intra habent ſimiles partes, quas ad extra habent viri, vt inſinuat Galen. 14. *de vſ. partium, cap. 6.* ſecundùm quas eodem modo affici poſſunt, & hanc ob cauſam Auic. *fen.* 20. *lib. 3. tract. 1. cap. 37.* caput inſtituit de pruritu, & priapiſmo mulierum, poſt actum ſermonem de

*Priapiſmus eſt affectio communis mulieribus & viris.*

B virium priapiſmo.

Cauſas diſtenſionis pudendi refert Galen. 14. *methodi, cap. 6.* & 6. *de locis affect. cap. vltimo,* eaſque reducit ad flatuoſum ſpiritum, qui fiſtuloſum neruum replens, paulatim colem extendit. Calefactis enim lumbis, arteriæ calidiores redduntur, & magis dilatantur ipſarum ora, & à calore illo flatus eleuantur, qui in fiſtuloſum neruum effuſi colem adaugent, ita vt princeps cauſa ſit plenitudo vel arteriarum, vel nerui fiſtuloſi, vel vtriuſque ſimul; ſi enim ibi ſunt humores craſſi, & viſcoſi, facilè ex his cum modico calore flatulentus ſpiritus progignitur, qui partem diſtendit. Generatur etiam ex veneris abſtinentia, & ſeminis abundan-

*Cauſa, & ſigna.*

C tia, acciditque maximè iis, qui rebus indigent venereis, & ob ſeminis multitudinem, aut acrimoniam in rerum venerearum recordationem impelluntur, & dolores eis ſuperueniunt, quales tetanici habent, & iis qui reliquis membris diſtenduntur, vt aſſerit Aëtius. Euenit etiam iis, qui calidis, & acribus cibis vtuntur, & ſupra lumbos decumbunt, aut eos arctè comprimunt. Fœminis etiam accidit ob eaſdem cauſas, & ob menſtruorum retentionem.

Hic morbus in viris notus eſt, neque aliis ſignis indigemus ad eius inuentionem. In fœminis cognoſcitur, quia dolorem ſentiunt, & pruritum iuxta os pubis ſine pondere, ſine febre, & cum veneris appetentia, & oris vteri diſtenſione.

D

### §. VNICVS.

### *Curatio priapiſmi.*

IN huius affectus curatione victus debet eſſe in pauca quantitate, & minimè flatuoſus, vt oſtendit Galen. 14. *methodi, cap. 7.* abſtinendumque à cibis calidioribus, qui materiam in vaporoſam ſubſtantiam commutare valent, arterias diſtendunt, & aperiunt tendentes in pudendum. Conuenit ergo victus ſimilis ei, quem adduximus pro gonorrhœæ curatione, qui nec ſemen, nec humores craſſos, nec viſcidos generet. Ab ſpectaculis, & narrationibus eorum, quæ venerem excitant, penitus ſunt arcendi, multi enim cùm hoc obſeruaſſent, & in alia eſſent diſtracti, in totum ab affectu hoc fuere liberati; qui verò à turpibus deſideriis non ceſſarunt, hi poſt mortem etiam rectam, intentamque particulam habere deprehenſi ſunt, vt ego vidi. Cauenda etiam ſunt quæ vrinas ciere poſſunt, vt notat Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 3. cap. 32.* talia enim humores ad illas partes trudunt, ipſaſque calefaciunt: nulli prædictorum venus prodeſt, niſi quibus ex huius abſtinentia ſemen abundare coniicimus: itaque ſi ex

ſeminis abundantia ortum ducat, curabitur refrigerantibus, & exſiccantibus; in quem vſum Galenus commendat ſanguinis miſſionem 14. *methodi, cap.* 7. quæ fieri debet ex brachiorum venis; ſic etenim ſanguis, qui eſt materia ſeminis, minuitur, minuſque ſua quantitate mouet, & per ſanguinis extractionem totum corpus refrigeratur. Deinde vnguentis, & aliis refrigerantibus adductis capite de profluuio ſeminis, vti poteris, ad quod caput ſtudioſi recurrant. Idemque efficimus, ſi ab acribus humoribus & à ſeminis mordacitate affectus iſte ſuperueniat, hac tamen adhibitá differentiá, quod ſi ab huiuſmodi cauſis originem trahat, poſt ſanguinis miſſionem humor eſt expurgandus, vt aduertit Galen. *loco proximè citato.* Purgatio tamen fiat blandis medicamentis, & mitiſſimis, qualia capite antecedenti tradita fuere. Neque ſequitur inconueniens adductum à Paulo, qui cenſet vacuationes per aluum factas, vicinas particulas fluxioni opportunas efficere. Si hoc enim verum eſſet, non liceret vti purgatione in morbis renum, & veſſicæ, ob eandem rationem; quod neutiquam concedendum. Purgationem etiam molimur, ſi humoris crudi copia adſit, ex qua flatus colem diſtendentes eleuari ſolent. Poſteà verò refrigerantibus interiùs, & exteriùs admotis vti oportet. Circa hoc lege caput de ſeminis profluuio, & ibi tradita facilè huic affectui accommodari poſſunt. Conuenit prætereà euacuatio vomitu facta, vt omnes admittunt. Attemperato calore renum, & illarum partium, in fine conueniunt calefacientia, & flatus diſcutientia, vt ſic flatus neruum fiſtuloſum diſtendentes abſumantur, ſimulque ſemen exſiccetur. Conueniunt ergo ſemen, & folia rutæ, aut ſemen viticis potum; & ſi ſemen, aut rutæ folia obſoniis admiſceantur, vtilia cenſentur. Item decoctum viticis, & rutæ calidum, ſi eo genitalia foueantur; aut rutæ folia, & vitex in vino elixa, & malaxata in emplaſtri forma lumbis, & pudendo applicata flatus reſoluunt, & ſemen diminuunt: lege circa hoc caput citatum 14. *meth.* & caput 9. *ex lib. 6. de compoſitione medicament. ſecund. locos*, vbi Galenus huius affectus curationem adduxit.

## CAPVT V.

### De impotentia virorum.

HIc affectus quodammodo eſt precedenti contrarius, quatenus per illum homines haudquaquam colem erigere queunt; & ſi erigant, & ſemen emittant, illud infœcundum, & minimè prolificum reddunt; quapropter eos ſteriles, infœcundos, & impotentes vocamus, quos etiam vetulæ maleficæ incantationibus, & dæmonum virtute ligare ſolent, ita vt eos ad venerem impotentes reddant reſpectu propriæ vxoris, vel alterius. Hos Iuriſperiti maleficiatos nominare conſueuerunt. Sed quia ſterilitas dicit omnimodam impotentiam imprægnandi in viris, ſicut concipiendi in mulieribus, & ſunt quamplurimi matrimonij lege ligati, qui vxoribus debitum reddere nequeunt, prolemque habere maximè optant, mulieribuſque grati eſſe deſiderant, remediaque ad hunc finem expoſtulant, ideò de hominum ſterilitate, & illius curatione in hoc capite erit ſermo. Iſte tamen affectus varius cenſetur pro cauſarum diuerſitate, à quibus dependet; atque adeo ſtatui illius cauſas priùs proponere, vt ex earum notitia, & cognitione facilè affectionis naturam deprehendamus, quas quidem retulit Ariſt. 2. *de gener. animal. cap.* 5. & 4. *de generat. anim. cap.* 2. & Galen. 5. *aphor. comm.* 62. & *lib. illi attributo de hiſtoria philoſophica.* Oritur ergo primò infœcunditas hæc ex frigiditate naturaliter, vel ex morbo contracta, ratione cuius non benè ſemen concoquitur, manetque tenue, & frigidum, quod in aqua diffuſum per ſumma citò innatat, quod verò fœcundum eſt, in ima deſcendit, craſſumque, & ſpiſſum eſt, vt docet Ariſt. 2. *de generat. animal. cap. citato*; coctio enim craſſitudinem parit, cui ſi adiungatur immodica humiditas, magis infœcundum exiſtit; non enim coquitur, neque euincitur à calore puſillo. Calor enim, & ſiccitas immodica ſimiliter ſterilitatem inducunt, quatenus ſemen exſiccant, & torrefaciunt, vt probat Galen. 1. *de ſemine, cap.* 7. ex quibus conſtat, quod immodicæ, & nimis excedentes intemperaturæ ſunt ſterilitatis cauſæ.

*Sterilitas quid ſit.*

*Cauſa ſterilitatis.*

Si verò immoderatæ ſint huiuſmodi intemperies, non tamen multùm à mediocritate diſcedunt, B & mulieribus contrariam temperiem habentibus viri coniungantur, fœcundi fiunt; tunc etenim corrigitur ſeminis temperamentum ab vteri mulieris temperamento contrario. Itaque ſemen frigidius indiget vtero tantò calidiori, quantò deficit à temperie moderata; ita enim ſemen ad debitam reducitur qualitatem generationi accommodam. Ex quo fit, quod quidam viri ſteriles euadunt, ſi vni coniungantur vxori; ſi verò alteri, fœcundi exiſtunt. Quapropter dixit Plato *in Theteto*, maximum opus eſſe obſtetricum ſcire coniungere corpora ad conceptionem apta: quod etiam inſinuauit Ariſt. 4. *de generat. anim. cap.* 21. *citato*, dicens: *Hinc multis tum maribus, tum fœminis euenit, vt coniuncti interſe nequeant generare, diſiuncti queant.* C Ratio etenim eſt facilis; nam ex frigido ſemine in vtero frigido, vel ex humido in vtero humido non poteſt fieri conceptio, & ſic dicendum eſt de aliis qualitatibus ſymbolis; nam non corrigitur ſeminis qualitas excedens ab vteri qualitate, quæ eſt eiuſdem rationis; ex frigido verò ſemine in vtero calido benè fit conceptio, quia ſeminis frigus à calore euincitur, ab eoque coquitur, & perficitur. Accedit etiam infœcunditas ob reſolutionem à frigore cauſatam, ratione cuius non eleuantur flatus, qui diſtendere debebant neruum fiſtuloſum, & impeditur ipſarum partium ſenſatio, & delectatio, quatenus à frigore pori denſantur, & meatus, per quos à cerebro in illas partes vis ſenſibilis deriuatur: idemque accidit hominibus nimis obeſis, & pinguibus, vt animaduertit Plin. *lib.* 11. *cap.* 37. vbi ait: *Steriliora cuncta pinguia in maribus, & fœminis, in nutritione etenim eorum abſumitur genitura.* D Quod etiam inſinuat Ariſt. 2. *de gener. animal. c.* 5. Quod ſi penis ita puſilla ſit, vt in vuluam non aſcendat, vel ſit diſtortus, ita vt ſemen recta via in vterum non eiaculetur, ſteriles efficit homines, vt Diocli viſum eſt.

Aliam cauſam ſterilitatis adducit Hipp. *lib. de aëre, locis, & aquis*, agens de Scytharum ſterilitate, nempe ſectionem venarum poſt aures. Verba eius ſunt hæc: *At mihi ſanè videtur ea medicatione ſeipſos perdere; venæ enim retrò aures ſunt, quas ſi quis ſecet, ſterilitatem inferet his, quibus ſecantur.* Et *libro de genitura*, idem aſſerit dicens: *Quibuſcumque venæ poſt aures ſectæ ſunt, hi coëunt quidem, & genituram emittunt, verùm modicam, debilem, & infœcundam.*

*Sectio venarum retrò aures eſt cauſa ſterilitatis, & quare.*

Sed in reddenda huius euentus cauſa non omnes conueniunt. Quidam cenſent, hoc dixiſſe Hippoc. quia exiſtimabat, ſemen ex omnibus partibus decidere, & maximam quantitatem ex cerebro

deſcende

deſcendere ; & quia per venæ ſectionem inductâ cicatrice ſeminis deſcenſus impeditur, ideò infœcundi, & ſteriles euadunt.

Gentilis de Fulgineo *fen.* 20. *lib.* 3. *tract.* 1. *capite* 3. cùm vt certum teneat, ſemen tantummodò in teſtibus generari, aliam adducit rationem; aſſerit enim, quod licèt ſemen non decidat ex omnibus partibus, accipit tamen a quolibet principe membro ſpiritum peculiarem, & ex illis ſpiritibus fit ſpiritus implantatus gignitiuus in ſemine reſidens, ſed quia per venarum ſectionem impeditur deſcenſus ſpiritus animalis ad generationem requiſitus; ideò venarum retro aures ſectio ſterilitatem producit.

*Quid tenendum.*

Huius tamen ſententia facilè impugnatur, cùm conſtet ſpiritus animales per neruos, & non per venas ad totius corporis partes deferri, vt omnes admittunt. Vlteriùs quia receptum eſt, quod virtus ſenſitiua, & motiua non defertur ad partes medio ſpiritu animali, ſed per illuſtrationem quandam partibus communicatur, ita vt non ſit neceſſe in ſemine, aut teſtibus ſpiritum animalem à cerebro dimandatum conſtituere. Quare dicendum eſt, ſteriles reddi ex venarum retrò aures ſectione, quia multam ſanguinis copiam ſimul extrahebant antiqui, ex qua cerebrum nimis refrigerabatur, & debile ita permanebat, vt non poſſet poſtea coïtum ſuſtinere; & ſi fortè poſtea coïrent, ob corporis, & cerebri refrigerium ſemen frigidum, & infœcundum mittebant. Vel ſecundò reſpondetur, nomine venarum debere intelligi arterias, ſic enim eas pluribus in locis appellat Hippocrat. quibus ſciſſis, magna ſpirituum vitalium ad cerebrum influentium copia euacuabatur, ex quorum defectu cerebrum debile redditum neque coïtus laborem, neque vehementes motus ſuſtinere poterat. Quæ expoſitio eſt etiam ad mentem Valleſ. 2. *contr. cap.* 7. Propter eandem rationem meritò inquit Mercat. quod fontanella occipitio affixa diu plurimùm manans (& idem ſtatuit de brachij fontanella) ſterilitatis cauſa eſſe poteſt, quæ licet conferat ad affectus alicuius medelam, non tamen ad id, quod optamus, eſt ſecura.

Si intemperies frigida ſit infœcunditatis cauſa, partes circumpoſitæ glabræ ſunt, & tardè rem veneream exercere incipiunt, neque proni ad venerem ſunt, aquoſumque ſemen, & infœcundum, & minùs quam conueniat excernunt, & effœminati viri conſpiciuntur, ita vt tardè, & difficilè barbeſcant, qui ſteriles maximè perſeuerant, cùm primo naturæ ortu tales conſtiterint. Reliquæ cauſæ, vt membri breuitas, ſeu longitudo, quæ etiam aſſignatur inter ſterilitatis cauſas ab Ariſt. 1. *de generat. anim. c.* 6. & obeſitas, & reliqua quæ adduximus, facilè percipiuntur, ad quorum notitiam aliis ſignis opus non habemus. Quod ſi hæc ſigna abſint naturalia, tunc cenſendum eſt, impotentiam maleficij vi fieri, cuius curatio non pertinet ad Medicum, ſed Eccleſia habet deprecationes in hunc finem ordinatas.

## §. VNICVS.

### *Curatio ſterilitatis virorum.*

*Nota hiſtoriam.*

SI viri ſterilitas ex membri breuitate procedat, curationem non admittit. Sed antequam vlteriùs pergam, hiſtoriam narrabo cuiuſdam boni hominis, qui cùm prima ſuarum nuptiarum nocte cum vxore concubuiſſet, ipſa ſecum ſecretò gladium portauit, & eo ipſa viri ſui totum membrum radicitus amputauit, ad quem curandum cum experto Chirurgo eadem nocte acceſſi. Poſtquam verò ſanitatem recuperauit, & vxor miſericorditer à iudice fuit damnata, & punita, cum vxore ipſe iterum congrediens (erat enim vir bonæ indolis) ipſa grauida facta fuit. Ex quo fuit orta controuerſia inter me, & alios Medicos, qua ratione potuit concipere à proprio viro, ſi inter ſterilitatis cauſas membri paruitas conſtituitur. Sed vt vxorem a calumnia liberaremus, declarauimus coram digniſſimo Epiſcopo Abulenſi, membri virilis defectum ſupplere poſſe virtute maxima, quâ vterus ad ſe allicit ſemen, illudque complectitur ac continet; attrahit enim vterus intrò membrum virile cucurbitulæ medicæ inſtar, ſuoque collo tanquam manu vtitur, quo ſemen intro compellit, etiamſi membrum extruncatum ſit, eamque attractionem ipſæ mulieres percipiunt: quæ doctrina eſt ad mentem Galeni 1. *de ſemine, cap.* 2. & *cap.* 4. Neque eſt contra hanc doctrinam, quod ſemen ob defectum membri antequam in vtero colligatur, frigeſcit in via; nam calor vteri facilè illud frigus extraneum euincere poterit, ſemenque ad priſtinum ſtatum reducere; neque exiſtimo tantum frigus concipere poſſe, vt conceptionem impediat, cum ſtatim vterus illud complectatur, & calefaciat. Et quamuis creditu difficiles ſint aliquæ hiſtoriæ in huius euentus confirmationem, duas propoſui, nihil de illis affirmando, an veræ, vel falſæ fuiſſent, teſtemque primò adduxi Auerroem, qui 2. *collect. cap.* 1. ait: *Et vicina quædam mea, de cuius ſacramento confidere multùm poteramus, iurauit in anima ſua, quod impragnata fuerat ſubitò in balneo Iauelli aquæ calidæ, in quo ſpermatizauerant mali homines, cùm eſſent balneati in illo balneo.* Quod etiam confirmauimus alia hiſtoria à Plinio adducta *libro* 36. *naturalis hiſtor. capit. vltimo*, vbi inquit: *Tarquinio Priſco regnante, tradunt repentè in foco eius apparuiſſe genitale è cinere maſculini ſexus, eamque quæ inſederat ibi, Tanaquilis Reginæ ancillam Ocriſiam captiuam, conſurrexiſſe grauidam, ex qua natus fuit Seruius Tullius, qui regno ſucceſſit.* His rationibus, & hiſtoriis ſuaſus D. Epiſcopus Abulenſis dedit eis licentiam cohabitandi, in cuius virtute cohabitant, & alios filios duos habent.

Sed quanquam ratio ſuprà tacta de vteri vehementi attractione veritatem habeat, hiſtoriæ tamen non conuincunt, imò Auerroës in eodem capite ſibi ipſi contrarius apparet; nam poſtquam ſuæ vicinæ narratio illi placuit, iuxta finem capitis aſſerit, quod ſi aër attingat ſemen, corrumpit complexionem illius. Ex quibus verbis concluditur, quod ſi aqua balnei ſemen attingat, etiam illud corrumpet, cum de vtroque par ratio ſit. Vlteriùs ſemen ſpumoſum eſt, & plurimo ſpiritu repletum, & ſi ſtatim non complectatur illud vterus, liqueſcit, ineptumque redditur ad conceptionem, quia ſpiritus implantatus reſidens in illo illicò exhalatur, vt conſtat ex Ariſt. 2. *de generat. animal. cap.* 2. Ex quo infertur, quod licet illud attrahat vulua, ſi ab aëre, vel balneo priùs alteretur, nulla fiet conceptio; tamen ſi breuiſſimo tempore intra vuluam mittatur, antequam alterationem ſubeat, non mirum, ſi tale ſemen maneat ad conceptionem aptum. Neque in hac parte eſt ſequendus Ariſt. qui 1. *de generat. animal. c.* 6. aſſerit, quod penis longa non eſt ad generationem apta, quia ſemen refrigeratur, quod longè admodum fertur; non enim exiſtimo tantum frigus concipere poſſe, vt generationem impediat, cùm ſtatim illud vterus complectatur, & calefaciat.

Si verò penis ſit diſtorta, ita vt ſemen rectâ via ad vterum non emittat, eum reducere tentabis

iis, quæ cauſam demere poſſunt. At ſi dæmonum iniuria,& incantationibus alicuius vetulæ malefi-cæ ſint ligati, quod cognoſces ex eo quod nulla cauſa naturalis infœcunditatis in illis exiſtit,eos ad exorciſtas,& religioſos remittere oportet,licèt Al-bert.Magn. & Alexius Pedemont. aliqua remedia referant naturalia, alia verò ſuperſtitioſa, quæ vt inefficacia,& inutilia conſultò omittimus. In præ-ſenti verò ſolùm curare docebimus impotentiam generandi,quæ ex teſtium refrigeratione procedi ratione cuius ſemen paucum, liquidum, & infœ-cundum generatur,neruuſque fiſtuloſus relaxatur, & ſequitur erigendi impotentia; quem affectum frequentiùs euenire contingit, ad cuius curatio-nem aliqui coniugati remedia à nobis deſiderant.

Pro cuius curatione cibi eligantur qui benè nu-triant, & optimi ſucci, & totâ ſubſtantiâ familia-res; & qui flatuoſi ſint, vt docet Galen. 5. *ſimplic. cap.* 26. talia enim ſemen,& flatus generationi in-ſeruientes, & neruum fiſtuloſum diſtendentes ge-nerant. Carnes itaque gallinarum, caponum,pha-ſianorum,perdicum, ſturnorum, iuuenum colum-barum, & aliarum paruarum auium, præſertim paſſerculorum exhibeantur. Conueniunt etiam ci-cera,fabæ,alica, oryſum, nuces pineæ, amygdalæ dulces,paſtinacæ radix,erucæ folia, vrticæ ſemen & folia,cardui radix,rapa,& ſemen ipſius epotum, polypus,& concharum genera, vuæ paſſæ, pult's ex lacte, & farina tritici, aut ſeſami,amylum, & cibus albus dictus, qui ex gallinarum pectoribus elixis,ex farina oryzi,lacte,& ſaccharo conficitur. Conferunt præterea troctæ,barbelli, belſiccus, & ſalmo, & quæcumque lactis generationi inſer-uiunt, vt inſinuat Galenus 5. *etiam ſimplic. c.* 21. Eruca,anethum,& fœniculum viridia,& humida, vt alimentum & medicamentum deſeruiunt; ſicca verò excalefaciunt,& exſiccant pluſquam oportet, vt ibi Galenus oſtendit. Potus ſit vinum odoratum, rubeum,aut ſubrubrum. Euitent aquam frigidam, quæ ſterillitatem inducit,ex Ariſtot. 4. *de generat. anim.cap.* 2. Sed inter alimenta teſticuli galli præ-feruntur, perdiciſque oua ad coïtum concitant, ex Aëtio, qui docet etiam vt dormiant in mollibus lectis, legantque, & audiant quæ ad coïtum ſpe-ctant,aut eiuſmodi lectionibus, ac ſpectaculis aſſi-deant,infernaſque corporis partes exerceant,ingui-na,teſtes, & penem confricent, & illiniant oleo vulpino,de ſcinco,aut irino, aut oleo,in quo bul lierint nitrum,& euphorbium,vel hoc quod reci pit olei liliacei,vulpini,& de caſtoreo,ana ℥.j.coa-guli leporis ℥.ß.adipis leonis ʒ.iij.ſeminis vrticæ, & erucæ,myrrhæ,ciperi,& ſulphuris,ana ʒ.j.moſ-chi g̃.vj.ceræ quod ſit ſatis:miſce,& fiat vnguen-tum,quo teſtes,pudendum, & lumbi,& intercape-do ani,& pudendi inungantur. Oportet etiam ali-qua medicamenta per os aſſumere. Inter ſimplicia commendantur teſtis vulpis ſicci triti, cochlearij menſurâ potati, qui innocuam, & minimè vanam tentiginem membri facit, vt inquit Aëtius. Partes etiam amplectentes renes ſcinci,aut cerui genitale ſiccum tritum ebibitum ad idem valent. Inter com-poſita laudantur medicamentum diaſatyrion, dia-galanga,& pliris arcoticon,ſi pondere ʒ.j. cum ℥. iiij.vini optimi propinentur, aut ieiuno ventre aſ-ſumantur dragetæ, quæ confici poſſunt ex ſemine vrticæ, erucæ, & naſturtij. Vel ♃. ſeminis erucæ, vrticæ,aniſi,fœniculi,paſtinacæ,ana ʒ.ß.nucis pi-neæ,& amyg.dulc.ana ℥.ß.piperis,cinnamomi,ra-menti genitalis ceruini,ac ſatyri,ana ʒ.j.diaſatyrij, vel diambræ ʒ.j. ß. miſce, & cum ſaccharo fiant morſelli, quorum ʒ.j. cum vino præbeatur ante prandium,& poſt cœnam. Stellio concrematus in puluerem redactus cum oleo magno dextri pedis digito illinitur,& venus exercetur; vbi ceſſare vo-les,digitus abluatur, ex Paulo *lib.* 3. *cap.* 58.

---

## CAPVT VI.

### *De menſtruorum ſuppreſſione.*

INter vteri morbos frequens ſolet eſſe menſtruo-rum ſuppreſſio,propterea de eius cauſis, & cu-ratione priuſquam de aliis agere decreuimus. An-te tamen, quam huius ſymptomatis naturam, & curationem inueſtigemus,nonnulla ſunt declaran-da circa ſanguinis menſtrui naturam,quantitatem, qualitatem,tempus exeundi,& finem,in quem per vterum diriguntur à natura. Quantum ad nominis etymologiam ſpectat, dicitur ſanguis menſtruus, quia ſingulis menſibus naturaliter euenire ſolet. Dicitur etiam euacuatio muliebris,quia licèt aliis animalibus ſuperueniat, nullis tamen ita æque,ſi-cut mulieribus,vt oſtendit Galen. *lib.de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtrat. cap.* 5. & Ariſtot. 6. *de hiſtor. animal. cap.* 18. Hæc euacuatio non fit in piſcibus, neque in auibus,ſed ſolummodò in aliquibus aliis animalibus ſanguine præditis,& viuiparis, vt do-cet Ariſt. 7. *de hiſt.anim. cap.* 2. nam aliis in corti-cem,aliis in ſquâmam, aliis in frequentem penna-rum generationem, aliis in pilos, aliis tandem in cornua,& vrinas craſſas abſumitur,quæ omnia de-ficiunt in mulieribus,quæ cum in domo quieſcant, neque vehementibus laboribus exerceantur,frigi-dioreſque viris ſint, ita vt tantum ſanguinem in ſe nec reponant,neque abſumant, ideò quod ſupereſt ex alimento, per vterum natura ſecernit. Neque ſunt audiendi qui autumant ſanguinem in mulie-ribus abundare, quia calidæ ſunt, adhuc magis quàm viri; nam quod in illis ſanguinis multitudo redundet, non facit copia caloris generantis, ſed paucitas caloris diſcutientis, vt demonſtrat Ariſt. 4. *de generat.animal. cap.* 1. & Galen. *lib. & cap. ſuperius citatis*,& ipſa ratio oſtendit; nam vir ha-bet omnium operationum maius robur, mouetur enim firmiùs,ſentit perfectiùs,nutritur feliciùs,no-ciua expellit promptiùs,pulſat latiùs,& vehemen-tiùs. Quæ omnia oſtendunt calorem in viris magis præualere, nam omnes huiuſmodi actiones calore peraguntur. Præterea ſi mulier eſſet viro calidior, non eſſet conceptioni apta, quia in eius nutritio-ne totam ſanguinis materiam conſumeret,nihilque ſuperfluum alimenti remaneret pro fœtus in vtero alitione.

*Mulieres ſunt viris frigidiores.*

Non effluit ſanguis paulatim,ſed ſingulis men-ſibus fit menſtrualis euacuatio, quia ſanguis men-ſtruus ex ſua natura eſt laudabilis, & non trahitur ab vtero, vt demonſtrat Galenus 14. *de vſu par-tium, cap.* 8. Sed quia quantitate peccat,à facultate expultrice in vterum tranſmittitur; tamen ſua quantitate non ſemper grauat vuluam,vt ſtatim ſe ad expulſionem conuertat; ſed tunc illud expellit, quando ſua multitudine ita aggrauat, vt faculta-tem excitet ad illius expulſionem; quod euenire conſpicimus ſingulis menſibus. Sed ex dictis in-ſurgit dubium, quod ſic proponitur.

*Menſtrualis euacuatio quare fiat ſingulis menſibus.*

§. I.

§. I.

### *An ſanguis menſtruus qualitate peccet.*

CVm dictum ſit, naturam ſingulis menſibus ſanguinis quantitatem deponere, quæ toto colligitur menſe, quia iam eo tempore naturam aggrauat, neque ipſa poteſt ſuſtinere, ſub dubio relinquitur; an ſanguinem natura excernat, quia peccat qualitate; quod in præſenti breuiter examinabimus. Videtur enim, quod ſanguis menſtruus excernitur, quia ſuis prauis qualitatibus naturam ſtimulat, quas cum non poſſit ferre, ſingulis menſibus ad expulſionem mouetur; nam ſi ſanguis eſſet benignus, & tantùm quantitate peccans, nequaquam concitare poſſet tam prauos affectus, vt docent Ariſt. Plinius, & alij, & ipſa demonſtrat experientia; ſiquidem mulieres menſtruatæ ſpecula ſuo intuitu maculant, & frangere ſolent, tenellos infantes lædunt, & faſcino naturali inficiunt, & ſanguinis huius contactu flores, & arbores marceſcunt, & exſiccantur, ferrum rubigine tentatur, & canes in rabiem incidunt. Quæ omnia ſanguinis menſtrui prauam qualitatem oſtendunt: quod etiam indicare viſus eſt D. Thomas *3.p. quæſt. 31. art. 5. ad 3.* Et propter hanc cauſam ex Theologis nonnulli aſſerunt, accedere ad vxorem menſtruatam prohibitum eſſe viro, duranteque ſanguinis menſtrui fluxu, etiam mulieri prohibitum eſſe debitum petere, quorum doctrina fundamentum habere videtur in verbis capitis vigeſimi Leuitici, vbi ſic: *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipſaque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.* Præterea ex acceſſu ad mulierem menſtruatam fœtus progignitur leproſus, vt docet Auerroes *3. collect. cap. 7.* atque adeò illi fit iniuria: neque hoc in aliam cauſam reduci poteſt, niſi in ſanguinis qualitates prauas, quæ fœtum genitum ex muliere menſtruata coinquinant.

*Concluſio vera.* Sed quamuis hæc veritatem habere videantur, nihilominus dicendum eſt, ſanguinem menſtruum muliere ſana exiſtente eſſe tantummodò excrementum quantitate peccans, & non qualitate. Quæ concluſio probatur ex Ariſt. 7. *de hiſtor. animal. cap. 2.* vbi alimentum ſuperuacuum appellat ſanguinem menſtruum, qui vt redundans, & ſola quantitate peccans in menſium purgationem vertitur. Idem oſtendit Galenus *de venæ ſectione aduerſ. Eraſiſt. cap. 5.* vbi ait, mulieres ſingulo menſe euacuare ſanguine ſuperfluo foras effuſo; muliebre enim genus, vt quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceretur, aut ſub claro ſole viueret, ac ob vtraque hæc multitudinem humorum coaceruaret, ipſam euacuationem plenitudinis tanquam remedium naturale opus habebat obtinere. Ecce ergo quomodo Galenus menſtrualem euacuationem appellat euacuationem plenitudinis, quæ ſoli ſanguini, aut humoribus quantitate ſolùm excedentibus debetur, vt ex ipſo deducitur *libr. de plenitud.* Quod etiam rationibus ſuadetur primò: nam ante duodecimum annum mulieres habere non ſolent talem ſanguinis purgationem, quia totus ſanguis abſumitur in earum nutritione, & augmentatione; poſtea verò ſuperuenit menſtrualis euacuatio, vt dixi, quia redundat ſanguis, quem natura ad vterum ſecernit, vt etiam docet Galen. 14. *de vſu part. cap. 8. citato*: neque ad hoc requiritur,

A quod ſanguis ille ſit vitioſus, & qualitate peccans.

Secundò, nam vt capite antecedenti diximus ex Plinij ſententia, viri, & mulieres pingues ſteriles fiunt, quia ſeminis materia (ſanguis ſcilicet) in partium nutritionem abſumitur, & ob eandem cauſam menſtrua mulieribus deficiunt, quia ille ſanguis in partium alimoniam tranſit; quod neutiquam fieret, ſi ſanguis ille ita noxius permanſiſſet.

Tertiò, nam ſanguis menſtruus generatur ab eodem efficienti, à iecore ſcilicet, & ex eadem materia, ex qua producitur reliquus ſanguis, ex quo nutritur mulier ſana: ergo non magis peccat qualitate, quam alter; fit enim à iecore ſano, & ex eodem alimento.

Quartò, nam ſanguis menſtruus ad vterum tranſmittitur gratiâ fœtus, vt ex illo nutriatur in vtero exiſtens; & edito in lucem infante, ſanguis ille ad mammas colligitur, vt ex illo in lac B conuerſo infans nutriatur: qui ſi in ſuis qualitatibus nocuus fuiſſet, nutritioni infantis haudquaquam deſeruiret, & infans ex talis lactis vſu facilè in morbum laberetur.

Ex dictis colligitur, duplici de cauſa naturam illum ſanguinem ad vterum tranſmittere, ad fœtus ſcilicet nutritionem, & partium conformationem, & ad deponendam multitudinem ſanguinis. *Quare natura ad vterum tranſmittit ſanguinem menſtruum.* Quod ſi ſanguis vitioſus ſit, vt contingit mulieribus vitioſis humoribus refertis, conuenienter etiam per vterum natura ipſos humores ſecernit, vt notat Mercurial. 4. *de morbis mulieribus, cap. 1.* de quibus mulieribus veniunt intelligendi antiqui Authores, dum aſſerunt ipſas menſtruatas ſuo intuitu lædere pueros, ſpecula maculare, & alia incommoda efficere; commotis enim, & agitatis humoribus vitioſis, vapores extrà feruntur, qui ſuo contactu tot mala producunt; C mulieres verò ſanæ, & bonis humoribus præditæ, menſtrua habentes nequaquam hæc faciunt, neque pueris, neque aliis officiunt. His ſic ſtatutis, facilè reſpondetur Theologis, & ad locum Leuitici; nam accedere ad vxorem menſtruatam erat prohibitum in veteri lege, vt præceptum cæremoniale, quod habebat annexum ſupplicium, vt docet Syluester *in ſumma, verbo Debitum coniugale, num. 8.* quod in noua lege ceſſauit: inquit enim, quod vir habet ius præciſum accedendi ad vxorem; & quando accedit ad eam menſtrua habentem, vtitur iure ſuo. Præcepta verò moralia legis veteris in noua lege obligant, non verò cæremonialia, quæ in noua lege non obſeruantur, nec adimplentur, vt ſentiunt Molin. *lib. 2. de primogeniis, cap. 5. num. 63.* Menochius *2. de* D *arbitrariis, cent. 4. caſu 357. num. 15.* Cardinalis Tuſchus *tomo 5. litera L, concluſione 249.* ſed hoc totum Theologis eſt relinquendum, cùm parum, aut nihil ad morborum exactam cognitionem, & curationem conducat.

Neque Auerroïs ſententia vera exiſtimatur, imò oppoſitum quotidie euenire conſpicimus; neque noſtris temporibus quemquam vidimus leprâ infectum ob dictam cauſam: quare ſi prohibitum erat antiquitus, vt vir accederet ad vxorem menſtruatam, non eſt quia ex ſanguinis menſtrui impuritate fœtus gignitur leproſus, aut alio morbo affectus; ſed quia generatio impeditur, quatenus à ſanguinis multitudine ſemen virile ſuffocatur, vel ſimul cum ſanguine ad extrà delabitur.

*De quantitate ſanguinis menſtrui, & diebus purgationis.* Sanguinis menſtrui quantitas in omnibus definiri non poteſt, cùm temperamento, & ætate varient mulieres: quam ob cauſam Authores etiam

diſſentiunt

diſſentiunt in enumerandis diebus, quibus ſolet ſanguis iſte perdurare, & in aſſignanda quantitate quæ illis diebus excerni ſolet. Hippocrates enim 1. *de morbis mulierum*, inquit ad duos, vel tres dies extendi poſſe, muliere exiſtente ſana, & duarum heminarum atticarum menſurâ ſanguinem ſecedere. Aetius *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 4. ad quatuor dies extendi docuit. Auerroës 3. *collect.* ait minimum purgationis tempus eſſe vnius diei, ſummum ſeptem dierum. Ariſtot. 7. *de hiſtor. animal. cap.* 2. inquit, quod menſes biduo, aut triduo profluunt. Ex quibus conſtat, quod nec numerus dierum, nec quantitas purgationis definiri poteſt; nam propter variam vaſorum ſtricturam, laxitatem, mulierum diuerſam temperiem, & regionem neceſſariò tempus, & quantitas ſanguinis variantur, quanquam frequentiùs mulieres ſanæ neque purgantur minùs ſecundo die, neque plus tertio, aut quarto; & hoc voluerunt Hipp. & Ariſt. dum aſſerunt, talem purgationem ad duos, vel tres dies ſe extendere.

*De inceptione, & deſitione menſtruæ purgationis.* Incipiunt menſes plurimis decimoquarto anno, paucis verò ante tredecimum aut duodecimum, vt ſentit Paulus *lib.* 3. *cap.* 6. plerìſque etiam poſt decimumquartum erumpunt, vt etiam ipſe ait. Idem fatetur Ariſt. *loco proximè citato*, quo tempore pubeſcunt puellæ, & mammæ illis intumeſcunt, vt refert Ariſt. 7. *de hiſtoria animal. cap.* 1.

Deſinunt menſtrua (vt eiſdem viſum eſt) aliis anno quinquageſimo, paucis autem vſque ad ſexageſimum durant; nonnullis à triginta & quinque annis, præſertim mulieribus obeſis, menſes ceſſare incipiunt: quæ quidem varietas etiam deſumitur ex diuerſitate temperamenti, compoſitionis, & regionis; neque in hoc aſſignare poſſumus regulam generalem, quæ vim non patiatur exceptionis.

Sed quia hæc menſtrualis euacuatio eſt naturalis, quæ ſingulis menſibus ſuperuenit mulieribus ſanis, vt inquit Hipp. *lib. de ſeptimeſtri partu*, & Galen. *de diſſectione vuluæ, cap.* 10. ex eius defectu varij morbi, præſertim vteri ſuccreſcunt, vt docet Hippocrat. 5. *aphoriſmorum, text.* 57. atque adeò in hoc capite auxilia adducemus, vt ipſa ſuppreſſa euacuatio reuocetur.

## §. II.

### *De cauſis, & ſignis ſuppreſſionis menſtruorum.*

CVm morbi, qui à cauſa dependent in ſua conſeruatione, auferri non poſſint, niſi priùs cauſam detrahamus, ideò tradere oportet cauſas, quibus menſes ſupprimuntur, vt eis cognitis, eas faciliùs præſcindamus. Supprimuntur igitur menſes ob immoderatum calorem, & ſiccitatem, & ob immoderatum exercitium, quatenus ſanguis calore, & ſiccitate abſumitur, vel ad alias regiones diſtrahitur. Animi paſſiones vehementes etiam ſanguinem ſupprimunt, per illas etenim ſanguis diſtrahitur, & ad alias regiones reuocatur, vt videre eſt in timore, & triſtitia, quæ maximè ſanguinem menſtruum cohibere ſolent. Idem efficit frigus vias coarctando, & humores condenſando. Sanguinis etiam craſſities, & multitudo eſt retentionis cauſa, & obſtructio vaſorum, quæ ad vterum pertingunt, aut ipſius vteri denſatio, & vaſorum ipſius adſtrictio, & compreſſio, quæ induci poteſt ab aliquo morbo, vt à tumore, & inflammatione, à quibus vaſa anguſtiora redduntur. Nimia etiam pinguedo vteri vias coarctat, & quia in pinguedinem abſumitur ſanguis, deficere ſolet euacuatio menſtrualis. Deficit præterea ob malam vteri conformationem, vt ſi ob morbum in vtero præcedentem remaneat cicatrix, ob quam vteri vaſa coarctantur, aut ob aliquam membranam in vtero genitam, vel ob tortuoſitatem colli vteri, quæ fieri ſolet ob repletionem vaſorum illius, vel ex deſcenſu, vel ex eius ad aliquod latus conuerſione. Deficit vlteriùs huiuſcemodi euacuatio, dum maximè ſe abſtinent à cibis, aut præcedunt aliquæ euacuationes, aut peruerſo ordine naturæ ſanguis per aliam regionem euacuatur, vt quando menſtrua deficiunt, quia ſanguis ex naribus profluit, vt indicat Hipp. 5. *aphor. textu* 33. Quibuſdam etiam poſt aborſum, vel partum difficilem vuluæ os exulceratur, ac ad cicatricem perducitur, atque obturatio ſuperuenit, quæ ſanguinis excretionem impedit.

*Signa communia.* Signis etiam opus habemus, vt in cauſæ cognitionem deueniamus: ea tradit Gal. 9. *de locis affect. cap.* 5. & haberi debent ex ægræ relatione, quæ vel ſunt communia, vel particularia. Communia ſunt, vt ſi mulier neque prægnans, neque puerpera ſit, & lac habet in mammis, cui menſtrua defecerunt. Quod ſi lac in mammis non appareat, grauitas totius corporis aderit, cibi faſtidium, horror inæqualis, vomitus, aut nauſea, appetitus carbonum, aut alterius rei alienæ. Menſtruorum etiam ſuppreſſionem ſequuntur lumborum, colli, & ſincipitis dolores, qui etiam oculorum fundamenta infeſtare ſolent: item aliquæ febres, & vrinæ nigricantes, veluti ſi quis aquæ fuliginem miſcuiſſet. Sed quia huiuſmodi ſigna apparere ſolent in grauidis, diligenter eorum cauſas inueſtigabimus; nam eo tempore non licebit menſtrua euocare.

*Signa particularia.* Signa particularia cauſam particularem ſuppreſſionis oſtendunt. Si enim calor, & ſiccitas, aut humores bilioſi ſint in cauſa, corporis calore, & ſiccitate, extenuatione, & ſiti, vrinæ ruffedine, & corporis pallore dignoſcitur: quod ſi à frigore, & humoribus frigidis ortum ducat, ex nimia pinguedine, albo colore, corporis frigiditate, & intumeſcentia œdematoſa, & vrina tenui, & alba dignoſci quit; quibus adiunguntur ſegnities, ſomnus profundus, & pulſus rarus. At ſi ab aliquo immoderato exercitio, cibi abſtinentia, aut animi forti paſſione fiat, ex ægræ ſermone percipies: quod ſi ab inflammatione, alióve tumore vteri, vel morbo procedat, ex eorum ſignis deprehendes, quemadmodùm ſi ex pinguedine, aut carne vias comprimente initium ſumat, facilè diſcernes. Quod ſi multitudo humorum craſſorum vias obſtruat, venarum extenſio apparebit, præcipuè in partibus inferioribus palpebrarum, & oculorum color obſcurus apparebit, & vrina erit craſſa, rubea, vel ſubnigra, & quauis motione fatigantur, præſertim ſi per ſcalam aſcendant.

*Præſagium.* Ex menſium detentione plures morbi fiunt, dicente Hipp. 5. *aphoriſmorum, textu* 57. quod confirmat Galen. *in comm.* vbi aliquos morbos vteri enumerat, qui ex menſtruorum ſuppreſſione euenire ſolent. Ariſt. 2. *de generat animal. cap.* 4. inquit, quod ſi menſes non fluunt, varij producuntur morbi, & corpus mulieris gracileſcit, & ſterile fit, & ex menſtruorum retentione mulieres deformitatem & virilitatem quandam contrahunt, ita vt aliquibus innaſcantur barbæ, vt contigit Phetuſæ Pithei vxori in Abderis, & Namiſiæ Gorgippi vxori in Thaſo, quibus ex menſium ſuppreſſione corpora virilia facta fuerunt, vox aſpera, & barbam adquiſierunt, vt teſtatur Hipp. 6. *epid. circa fin.*

§. III.

## §. III.

### *Curatio ſuppreßionis menſtruorum.*

HVius ſymptomatis correctio varia exiſtit, iuxta diuerſitatem cauſarum à quibus dependet. Si igitur callus, aut vlcerum cicatrices oſcula vaſorum vteri excæcarunt, inſanabiles ſunt, ex Aëtio *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 51. quo tempore licebit vti exercitio, cibi abſtinentia, aut ſanguinis miſſione, vt ſic ſanguis abſumatur, vel euacuetur; nam ex ſanguinis multitudine collecta plures oriuntur morbi, quos dictis auxiliis euitabimus.

Si verò ſupprimuntur ob aliquam membranam in vtero genitam, eius ſciſſione curabitur; at ſi ab aliqua intemperie originem trahat, illam attemperabimus, & ſic de aliis. In præſenti tamen præcipuè curare docebimus eam ſanguinis menſtrui ſuppreſſionem, quæ ex multitudine humorum, & eorum craſſitie venas obſtruente dependet.

Victus itaque ſit attenuans, & qui vim habeat aperiendi, vt omnes conſentiunt, & deſumunt ex Galeno *de vena ſect. cap.* 18. quem victum deſcripſimus capite de iecoris obſtructione, & lienis ſchirrho.

Quies euitanda eſt, exercitium ante cibum commendatur, alui excrementa naturaliter, aut arte deponantur.

Optimo vitæ regimine inſtituto, conſulunt omnes, quod ſanguis extrahatur, ſic enim obſtructio aufertur, & humores fluxibiliores fiunt. Sed ex qua vena mitti debeat, diſcordant Authores. Aëtius *tetrabil.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 57. aſſerit, quod exiſtente plenitudine ſanguis mitti debet ex brachiorum venis, vt humores quantitate ſua obſtruentes, ex venis vteri retrahantur; poſtea verò iubet ſanguinem mittere ex talo, vt humores intra vteri venas collecti faciliùs euacuentur, & viæ expeditæ maneant. Quod ſi ab initio ſanguinem extrahamus ex talo, magis ad vterum ducetur, maioremque excitabit obſtructionem, attrahitur enim plus quàm euacuatur.

*Ex qua vena ſanguis extrahi debet.*

At Galen. *loco proximè citato*, Paulus *lib.* 3. *cap.* 60. & Auic. *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 3. *capite* 28. ex talo ſanguinem à principio extrahere conſulunt, ſiue plenitudo adſit, ſiue non. Sic enim trahitur ſanguis ad vterum, neque ad contraria reuellimus, vt vult Aëtij ſententia; reuulſio enim impedit motum ſanguinis ad vterum potiùs quàm iuuet, quod haudquaquam tentandum eſt. Vlteriùs venæ ſectio ex talo plenitudinem demit: quare vnico auxilio ſimul detrahimus plenitudinem, & menſes reuocamus; quod neutiquam contingere poteſt in Aëtij ſententia; nam venæ ſectio ex brachio licèt plenitudinem auferat, non tamen reuocat menſes, imò ad contraria mouet.

*Galeni ſententia.*

Sed vt verum fatear, vtramque ſententiam ſuſtinere poſſumus; ſæpe enim menſes prouocauimus detracto ſanguine ex brachiorum venis; ad quod breuiſſimè fuit conſequuta menſtrualis euacuatio; ſic enim diſtrahitur humor, qui obſtruebat, & viæ manent expeditæ, vt per illas ſanguis ad vterum faciliùs ſine obſtaculo effluat, vt probat Aëtius. Neque ſpernenda eſt Galeni ſententia, quam etiam plures ſequuntur, qui adhuc exiſtente plenitudine ex talo ſanguinem mittunt, naturæ motum ſequentes, & per loca conferentia humorem ducentes, vt probant rationes adductæ in confirmationem ſuæ ſententiæ.

Tempus euacuationi dicatum eſſe debet tribus,

A aut quatuor diebus ante conſuetum tempus purgationis, vt eodem loco teſtatur Galenus, quo tempore naturæ motum adiuuamus; & ſanguinem vterum versùs commouemus.

Proſunt etiam crurum ſcarificationes in mulieribus albis, quæ minus ſanguine abundant, & illo tenuiori, & fluxibiliori conſtant; quod ſi has tolerare nequeunt, hirudinum vſus, & earum ad crura applicatio ab ſcriptoribus commendatur.

*Crurum ſcarificationes.*

Præterea humores craſſos ad expurgationem parabis: incipies tamen à clementioribus medicamentis, fortia enim egregie menſes prouocantia, humores ad vterum mouent, & ſi in principio adhibeantur, obſtructiones augent; in quem vſum conferunt ſyrupi capillorum Veneris, duarum, vel quinque radicum, & chicorei, cum decocto intybi,

*Humorum præparatio, & expurgatio.*

B ceterac, nepetæ, vel rubeæ tinctorum. Poſteà humores expurgabis, ad quod Galenus commendat hieram, quæ præterquam quod humores expurgat, propter aromata muliebria ducit, quæ in formam boli ſic paratur. ℞. ſpecierum hieræ ʒ.j. ß. elect. diaphœnic. & indi, ana ℥. ß. trochiſc. de eupatorio, vel de myrrha ʒ.j. miſce, & cum aqua fœniculi, & ſaccharo formentur morſelli. In forma potus ſic componere poteris. ℞. decocti myrrhæ, ameos, aniſi, rubeæ tinctorum, & capillorum Veneris, ℥.iij. in quo infunde agarici trochiſcati ʒ.j. & facta expreſſione, colaturæ adde catholici, vel electuarij roſati Meſuë ʒ.iij. ſyrupi ſennati, & mellis roſati perfici, ana ℥.j. miſce pro potu. Proſunt etiam pillulæ de hiera, præſertim cum colocynthide, & pillulæ aggregat. & de agarico.

C Poſt purgationem ad valentiora auxilia progredimur, quæ menſes fortiùs moueant, quæ calida, & ſicca, & etiam amara eſſe ſolent, vt docet Galen. 5. *ſimplic. cap.* 22. qualia ſunt nepeta, pulegium, dictamum, aſſarum, coſtus, cinnamomum, adiantum, ſabina, ameos, calamintha, iris, amomum, ariſtolochia, & quinque radices diureticæ, & alia id genus. Inter compoſita commendantur ſyrupi anteà deſcripti, & ſyrupi de artemiſia, & de eupatorio, antidotum emagogum, dialacca, diacurcuma, trochiſci de cappatis, & de eupatorio, & de abſinthio, mithridatum, & theriaca magna, ex quibus varia formantur medicamina, quæ interiùs, & exteriùs adhibita valde prodeſſe conſpicimus. Interiùs bibat ægra hanc potionem. ℞. antidoti emagogi ʒ.j. ſyrupi artemiſiæ, & capillorum Ven. ana ℥.j. deco-

*Menſes prouocantia.*

D cti cinnamomi, adianti, & ſabinæ ℥.iiij. miſce, quo auxilio multis diebus ante prandium vtatur. Vel ℞. radicum fœnic. petroſelini, & bruſci ana ℥. ß. cicerum rubrorum, ameos, cymini, & adianti, ana p.j. fiat decoctum, cuius quotidie accipiat ℥.vj. cum ſacchato, vel melle, vel bibat aquam mulſam ex decocto rubeæ tinctorum, & calaminthæ, cum ſyrupo artemiſiæ. Idem facit apozema, quod recipit artemiſiæ, pulegij, & calaminthæ ana m.ß. caſſiæ, & acori, ana ʒ.ij. croci ʒ.ß. bulliant ſecundùm artem in ℔.vj. aquæ ad tertiæ partis conſumptionem; & colaturæ adde mellis ʒ.v. iterum bulliat donec deſpumetur, & huius decocti aſſumat quotidie ℥.vj. Benefacit etiam myrrhæ, aut trochiſcorum de myrrha ʒ.ß. cum aqua mulſa. Rafani ſuccus cum melle vtilis cenſetur.

*Interiùs aſſumpta.*

Sed quia huiuſcemodi præſidia inſuauia ſunt, nec ſufficere queunt, ad alia ſuauiora, & efficaciora deuenire cogit neceſſitas, qualia ſunt inſtillationes chymica arte extractæ, inter quas miram efficaciam habet ea quæ recipit cicerum nigrorum p.j. radicum rubeæ, bruſci, raphani ſilueſtris, aſparagi, apij, & fœniculi ana ℥.ß. ameos, ſeminis aniſi, & fœniculi ana ℥.ß. capillorum Ven. aſplenij, &

agrimoniæ,ana m.j.coquantur in debita quantitate aquæ, & facta expreſſione, huius colaturæ accipe ℔.iij.benè fermentati panis, detracto cortice,fruſtum, antidoti emagogi ℥. ß. mellis ℥.vj. trochiſc. gallæ moſchatæ,& de myrrha,ana ʒ.j.omnia mittantur in balneum Mariæ,& inſtillentur,& huius liquoris inſtillati quotidie porriges ℥.ij.cum ſyrupo adianti,liquiritiæ,vel duarum radicum,quo accepto lentè deambulet ægra.

Pillulæ etiam accommodantur, quæ recipiunt mirrhæ ʒ.ß, corticum citri, & rubeæ tinctorum, caſſiæ ligneæ,granorum peoniæ, calami aromatici, ſeminis aniſi,& fœniculi,ana ʒ.j. ſpicæ nardi ʒ.ß. moſchi ℈.j.omnia in puluerem redigantur,& cum aqua capillorum Veneris formentur ſeptem pillulæ pro dragmate,ex quibus quotidie,vel tertio quoque die ſumat ægra tres,vel quatuor. Valent etiam pillulæ confectæ ex pulueribus trochiſc. de eupatorio,& de capparis. Ex dictis præterea pulueribus, & paſſularum carne cum melle placentulas,& condimenta efformabis, quæ eundem præſtant vſum, ſi in aliquo liquore accommodato quotidie ieiuno ventre aſſumantur. Ad delendas obſtructiones, & menſes prouocandum confert quammaximè aſſumere quolibet manè ʒ.j. ſcoriæ ferri in ℥. ij. mellis optimi deſpumati, de quo ſæpè periculum feci.

*Exterius admota.* Exteriùs admouentur ea, quæ etiam referandi vim habent,inter quæ ſuffitus aromatum muliebria ducit, Hipp. authore 5. *aphoriſmorum*, *textu* 28. Oportet ergo, vt dictarum rerum ſuffitus per vterum excipiatur. Conferunt ſimiliter crurum frictiones, & cucurbitæ pubi, & femoribus affixæ; item & balnea ex eiſdem rebus parata, in quibus calidis mulier vſque ad vmbilicum detineatur. Liniantur etiam venter,lumbi,& peritoneum oleo de ſtyrace,benzoino,laurino,& irino, aut amygdalarum amararum,ex quibus cum puluere mirrhæ,artemiſiæ, & caſtorei, & cera fieri poteſt vnguentum.

Vlteriùs in vterum infundimus per metrenchitam oleum laurinum,aut irinum,vel decoctum calamenti,origani,pulegij, mirrhæ, & croci. Peſſuli ſimiliter formantur ſic. ℞. reſinæ terebenthinæ ℥.ß. puluer. caſtorei, mirrhæ,ſtyracis, & galbani, ana ʒ.ß. moſchi g̃.iij.mellis ℥.j.ß. cum cotto, aut carpta lana fiat peſſulus craſſitudinis digiti medij, & longitudinis eiuſdem,aut paulò maioris.Vel cum puluere radicis gentianæ, nigellæ, mirrhæ, & galbano,melle,aut terebenthina,lana,aut goſſipio fingi poteſt. Ciclaminis radix potenter euocat menſes, & peſſuli ex ſagapeno, ammoniaco, bdellio,& opoponace parati. Artemiſiæ ramulos, ſi mulier ligatos habuerit, aut inter caligas, & calceos purgationis tempore, ei ſuperuenire ſolet menſtrualis purgatio: nec viator artemiſiam ſecum ferens laſſitudinem ſentit in via,vt refert Plinius *lib.* 26. *natur.hiſtoriæ,cap.* 15. Alia plura tradunt Authores, quæ longum eſſet recenſere. Fontanellas crurum prodeſſe comperimus,dum alia non proficiunt remedia.

## §. IV.

### *Obſeruatio pro virgine ſuppreſſione menſium laborante, cum febre continua, & œſophagi inflammatione.*

*Caſus proponitur.* NObilis quædam iuuenis, cui diu ſuppreſſa fuerunt menſtrua, ſanguinea, quæ vitam ſedentariam agebat,febricitare cœpit,doloremque,&

A inflammationem in œſophago perſentire; nihil tamen conſpicuum in faucibus,aut ex timis partibus cernebatur:deglutire non poterat,ita vt ſine cibo,& potu vſque in ſeptimum tranſigeret diem. Huic prima die bis ſanguinem mittere iuſſimus ex brachiorum venis. Altera die menſes ſuperuenerunt copioſi, & ratione huius euacuationis naturalis, ex ſaphœnis bis ſanguinem extrahere præcepimus: deinde cùm neque aliquid deuorare poſſet, cephalicas, leonicaſque ſub lingua diſſecuimus. Denique gargariſmate, & aliis auxiliis vſi, quæ ſuppurandi vim haberent, ſeptima die pus euomuit, ſedata fuit febris,& alia pro ratione euacuationis puris.

*Caſus deciditur.* Hic caſus plura continet effatu digna, & ad curationem affectuum complicatorum maximè vtilia, eaque breuiter referemus. Cœpit igitur ægra perſentire dolorem,& inflammationem in œſophago, quæ fuit ſubſequuta ex menſium ſuppreſſione. Menſium ſuppreſſionis cauſam haud difficile B erat percipere,ſiquidem vitam agebat otioſam, & plurimo abundabat ſanguine, qui ob exercitij defectum intra venas detentus, neque attenuatus, fuit cauſa obſtructionis venarum, quæ in vterum terminantur, ita vt morbum in obſtructione à multitudine ſanguinis craſſi pateretur. Neque mirum, quod obſtructis meatibus, per quos ſingulis menſibus natura euacuat ſanguinem redundantem, ipſa alias quæreret vias, per quas ſanguinem truderet,& ſe ab hoc onere liberaret; ipſaque grauata non potuit onus ſuſtinere, & ad expulſionem conuerſa, ſanguinem ad œſophagi tunicas tranſmiſit, ibique partem diſtemperando, & ſolutionem continui inferendo, dolorem excitauit, & ratione inflammationis, & tumoris præter C naturam morbum in via produxit,qui actionem deglutiendi abolitam cauſauit. Febris fuit ſuborta ex inflammatione,quæ dicitur febris accidens,eo modo,quo ex aliis inflammationibus internis ſuccreſcere ſolet,præcipuè dum pus conficitur;tunc etenim dolores & febres fiunt. Non habuit læſam reſpirationem,licèt tuſſi vexaretur ratione febris,quæ pituitam in capite liquauit,& ad aſperam deſcendens arteriam,ad tuſſim irritabat. Affectus hic nimis periculoſus cenſetur, cum nihil cibi, aut potus ægra deglutire poſſet; & quia egebat magnis euacuationibus,quas ferre nequiret,cum nihil edere,aut bibere poſſet,non tamen erat ita periculo plena,ac ſi reſpirandi adfuiſſet difficultas.

*Ex qua parte mitti ſanguis debeat in menſium ſuppreſſione.* Huic debito vitæ regimine inſtituto, ſic ſubuenire iuſſi. Quia hic affectus ex humorum fluxione pendebat, ſtatim venam ſecauimus, vrgebat enim neceſſitas euacuandi,& affectio ex ſanguine proce- D debat; & licèt controuertatur, ex qua parte mitti ſanguis debeat in menſium ſuppreſſione, quos excitare iubet Gal. ſectis venis poplitis, vt ipſe ait *lib.de euacuandi rat.per ſanguin.miſſion. capite* 18. ob rationes ab ipſo eo loco traditas, quas recenſui *cap. de ſuppreſſione menſtruorum*; nihilominus in hoc caſu,quia morbus vehemens erat,& vitæ periculum imminebat,malui ſequi Aëtij placitum,qui aſſerit,exiſtente plenitudine cum menſium ſuppreſſione venæ ſectionem faciendam eſſe priùs ex brachiis, vt ſanguis venas vteri obſtruens detrahere- tur; nam factâ ſciſſione ex malleolis, ſanguis ad partes inferiores confluens maioris obſtructionis ſolet eſſe cauſa, neque tantæ affectionis auxilium eſſe poterat præſentaneum venæ ſectio ex diſtantiſſimis partibus: quapropter prima affectionis die bis ex brachiis ſanguinem miſimus, & ſtatim ei ſuperuenit menſtrua euacuatio; nam depoſita multitudine, viiſque reſeratis, natura potuit

potuit humorem ducere per conuenientem regionem; non tamen cedebat malum, imò dolor adaugebatur, & eandem deglutiendi difficultatem ſeruauit. Quapropter cùm menſes profluerent in quantitate debita, neque tamen proficerent, ægraque euacuationem ſuſtinere poſſet, ibique adfuiſſet morbus eam poſtulans, curaui iterum ſanguinem mittere, vt ex vtraque euacuatione, naturali ſcilicet, & arte facta, curatio perficeretur, quod monet faciendum Galenus *lib.* 11. *methodi, cap.*9. Sanguinemque bis extraximus ex cruribus, vt ſimul naturæ motus adiuuaretur, & morbi minueretur cauſa, ſed neque iis meliùs ſe habuit.

Verumtamen quia morbus acutiſſimus, & magnus non niſi remediis magnis auferri ſolet, & adhuc mittendi ſanguinem indicatio perſeuerabat, & ex cruribus ſecta vena nihil profuit, cùm ſufficienter plenitudo eſſet depoſita ex longis euacuationibus anteà ex cruribus, & brachiis factis, neque iam erat opus reuellere humorem fluentem ad œſophagum, cùm ſufficienter dictis euacuationibus, frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis retractio facta fuiſſet, quæ debetur humoribus fluentibus, vt dictat Galenus *lib.*2.*de arte curat.cap.*1. Quia ergo deriuari, & euacuari deberet humor impactus in parte inflammata, quæ euacuatio conſequi nequit ex diſtantiſſimis partibus, perſeuerante adhuc menſtrua purgatione, auſus fui vtriuſque venam cephalicam brachij aperire, appoſitis priùs cucurbitulis, & ligaturis vt naturæ motus naturalis ad infra adiuuaretur. His tamen neque acquieuit, & coactus fui venas linguæ leonicas dictas aperire, & dorſo cucurbitulas cum ſcarificatione affigere. Nam licèt certiſſimum ſit, dum prodeunt menſes, ſi natura pigrè operatur, vel diminutè, quod eius motum adiuuare debemus, ipſius naturæ motum inſequendo, ſciſſis venis crurum, ne humor aliter ſurſum rapiatur, & partis ſuperioris morbum augeat; tamen ſi vrgeat neceſſitas euacuandi humorem efficientem inflammationem, vt phrenitidem, anginam, aut pleuritidem, &c. non debet temeritati tribui, ſi ex vena ſuperiori & propinquiori ſanguinem extrahamus, præcedente (vt dixi) euacuatione ex ſaphœnis; quod vtique in morbis periculoſis ſupra ſeptum tranſverſum eſſe faciendum docet Fernel.*lib.*2.*methodi,cap.*7. Mercatus idem obſeruauit *lib.*1. *de commun. mulierum affect.c.*16. Siquidem morbi grauis, & periculoſi conditio dignitate, & occaſione agendi ſuperare poteſt indicationem, quæ ex menſium purgatione deſumitur, quæ neque eo tempore cohibetur; ſiquidem frictionibus, ligaturis, balneationibus, & cucurbitulis partium inferiorum vtimur, vt illa naturæ euacuatio non impediatur. Idem obſeruarunt Valleſ.*lib.ſuo aureo methodi*, & D.Santa Cruz *lib.de impedimentis magnorum auxiliorum.* Hæc doctrina enixis morbo acuto correptis etiam accommodari debet, eas tamen magis euacuabimus ex cruribus, eo quod humores, qui in enixis euacuari debent per vterum, ſunt deteriores, & in maiori quantitate, qui ſi ſuprà recurrant, maiorum malorum initium præbent.

*Fluentibus menſibus quando vena ſectio conuenit ex brachijs.*

Sed quia iis auxiliis adhibitis, nondum minuebatur morbus, vſi fuimus gargariſmatis, & vnguentis, provt neceſſitas poſtulabat. At quia dolor non ceſſabat medicamentis, indicauimus tumorem in ſuppurationem tendere, ideoque ſuppurantia adhibuimus, quibus ſeptima die rupto abſceſſu pus euomuit, & omnia mitigata fuere. Verùm cùm toto morbi tempore nihil deuora-



A re potuiſſet, & tot euacuationes ſuſtinere debuiſſet, ne vires deficerent, quotidie bis clyſterem inicere iuſſimus ex rebus alimentitiis. Neque eſt neceſſe, quod prima coctio in ventriculo fiat, nam eadem virtute pollent inteſtina, & ventriculus, atque adeò non oportet, vt ea, quæ in inteſtina iniiciuntur, ad ventriculum conſcendant, vt coqui valeant, cùm ſufficienter coctio ſubſtantiæ tenuis in inteſtinis peragatur. Addo ex Galeno 6. *de placitis*, ventriculi coctionem non eſſe neceſſariam ſimpliciter, ſed cùm ſolida ingeruntur alimenta. Propter eandem rationem emplaſtra alimentitia vmbilico, & ventriculo admouere iuſſi, imò & res odorabiles naribus apponere; quod docuit Hippocrat. *libello de alimento*, per hæc verba: *Forinſecus alimentum ab extima ſuperficie ad intima peruenit.* Et *eodem lib.* ait: *Principium alimenti os, nares, guttur, &c.* His igitur ægra vires conſeruauit, & remedia fortiſ-B ſima ſuſtinuit, donec denique rupto abſceſſu libera euaſit, cuius ruptionem tuſſis maximè adiuuauit.

## §. V.

### *De immodica menſium purgatione.*

Alter affectus præcedenti contrarius mulieribus ſuperuenit, nempe menſium immoderata purgatio, quando ſcilicet natura debitis temporibus purgationis menſtrualis plus euacuat, & pluribus diebus, aut talem concitat euacuationem extra ſtatutum tempus à natura, ratione cuius varij reſultant morbi, quos refert Galenus 6. *de locis affect. cap.*5. & 5. *aphoriſm. comm.*57. fit enim totius corporis fœdus color, pedes molli attolluntur tumore, & totum corpus ſubtumidum C fit: adſunt etiam cibi inappetentiæ, & aſſumptorum indigeſtio, virium languor, & quandoque perfrigerato corpore hydrops ſuperuenit, quæ vt euitemus, oportet eorum radicem euellere. Sed quia hoc nequit fieri ſine cognitione cauſarum, à quibus dependent, ideò cauſas tradere decreui, quas referunt Galen. 6. *de locis citato*, & Auicen. *fen.*21. *lib.*3. *tract.*3. *cap.*2.

Cauſæ ſunt plures; nam immodicè fluunt menſes, aut ob ſanguinis copiam, quando per vterum vniuerſum corpus expurgatur, vtero haudquaquam affecto; aut quia ſanguis, & humores ſunt tenues, & aquoſi, vt contingit in cachexia, ſiue malo corporis habitu, quo tempore vitioſi fiunt ob vitium coctionis iecoris, & eos natura per vterum ſecernit; vel quia ob bilis mixtionem, & iecoris immoderatum calorem ſanguis red-D ditur acris, mordax, & exedens, venaſque corrodit, & aperit; idemque efficere ſolent humores ſalſi, & putres: & vt ſummatim dicam, quilibet ſanguinis fluxus fit, aut ruptis venis, aut exeſis, vel poris earum factis latioribus, aut earum oſculis adapertis. Rumpuntur venæ vteri ex partu laborioſo, ex ſaltu, ictu, vociferatione, & ſanguinis multitudine; imò frigus aliquando vaſa diſrumpit; quæ omnia dignoſces habitâ priùs ægræ relatione. Exeduntur vaſa ab humoribus tenuibus, & ſanioſis, ſalſis, & acribus, quos omnes docet cognoſcere Hippocrat. 1.*de morbis muliebribus*, & Auic. *loco proximè cit.ato*; nam ſi ſanguis ſupra arenam, aut pannum colligatur, & ad ſolem exſiccetur, ex colore ibi derelicto humorem peccantem

*Cauſæ.*

*Signa.*

facilè colliges; quod etiam venaberis ex ægræ temperatura, & colore. Prætereà humor erodens cognoſcitur ex dolore, & quia ſanguis ab initio exit paulatim. Ex iis equidem humoribus erodentibus,& mordacibus frequenter fieri ſolent in vtero vlcera,quæ etiam curationem petunt,vt ſanguis ſiſti poſſit.

Quod ſi ex ſanguinis multitudine ora vaſorum adaperiuntur, cognoſcitur ex colore rubro faciei, ex repletione, & ex exuberantia ſanguinis, & tumore venarum, & aliis plenitudinis ſignis. Quod ſi venæ ſint raræ contexturæ, facilè adiuuant eiuſmodi euacuationem, ſiquidem ſudoris modo ſanguis tranſcolatur, & paulatim exit.

Ex dictis conſtat ſanguinis menſtrui immodicam fluxionem eſſe ſymptoma in eis, quæ excernuntur præter naturam, quod fit ex deprauata actione facultatis expellentis,in quo ſimul læditur abolitè facultatis retentricis actio, quatenus ipſa non retinet ſanguinem ad vitam ita neceſſarium. Quæ omnia fiunt ex diuerſis morbis, & diuerſas inſequuntur cauſas, vt iam dictum eſt.

## §. VI.

### *Curatio menſium immodicè fluentium.*

Victus in huius ſymptomatis correctione debet eſſe exſiccans,& adſtringens,ſicut carnes montanæ aſſæ, lac coctum, & chalybeatum, oryzum cum lacte,amylum, poma auſtera, meſpilla, ſorbæ, mala citonea, & eorundem conſeruæ, & alia, quæ adduximus *cap. de ſanguinis ſputo, & de diarrhæa.* Potus ſit vinum rubrum,aut aqua chalybeata, vel maſtichina,pluuialis,vel deaureata. Poſt victus inſtitutionem oportet artus, & extremas partes primùm conſtringere, ab alis,& inguinibus exordio ſumpto. Quod ſi iis non cedat, ſanguinem mittere iubet Galen. *lib. de euac. ratione per ſang. miſſionem, capite* 19. ex brachiis,revulſionis gratiâ: quam euacuationem partitam efficere debemus,ex eodem Gal. 5. *methodi, cap.* 3. ſic enim magis reuellimus,magiſque diſſueſcit natura ab huiuſmodi euacuatione.Cucurbitulam quammaximam mammis affigere optimum conſilium eſt, ex Hippoc. 5. *aphoriſmor. text.* 50. quæ maiorem præſtat commoditatem,ſi ſub mammis affigatur, ex eodem Galeno *ſuper eundem Hippoc. textum*; quæ non ſemel, ſed bis,terque,quaterque eſt affigenda.

Quod ſi humores vitioſi ſint huius ſymptomatis cauſa, naturamque irritent ad expulſionem, ſimulque venas corrodant, omni arte ſunt præparandi,& euacuandi iis,quæ ſimul adſtringendi,& euacuandi vires habent, in quem vſum ad humores parandos accommodantur ſyrupi de citoneis, de portulaca, roſarum ſiccarum,myrti,& menthæ, & iuiubarum, cum aquis plantaginis, portulacæ, aut maſtichis,& pulueribus boli armeni, terræ ſigillatæ, vel trochiſc.de electro,& aliis,quæ valent humores incraſſare, & inſpiſſare. Mox licebit eos euacuare cum mirobalanis, & rhabarb. aut cum conſerua roſarum, & puluere rhabarb. ex quibus varia fingere poteris medicamenta. Rurſus pluribus diebus aſſumat ægra hanc potionem. ℞. ſyrupi roſarum ſiccarum, & citoneorum, ana ℥. j. aquæ plantagin.& portulacæ, ana ℥.ij. trochiſc. de electro ℥. j. miſce, vel ante cibum ſumat huius electuarij cochlearium vnum. ℞. conſeruæ antiquæ roſarum ℥. iiij. pulu. lapidis hæmatitis præp. maſtichis, trochiſc. de ſpodio, coralli rubri præp. A & margarit. præp. cornu cerui vſti, & diatragac. frigidi,ana ℈.ij. elect. de gemmis ʒ.j.ſyr.citoneorum, & roſarum ſiccarum, ana quod ſufficiat, vt fiat electuarium, quod aſſumi debet cum aqua chalybeata, vel deaurata.

Sed quia hæc aliquando non prodeſſe conſpicimus,ad narcotica confugere docent Authores,ex quibus clementiora ab initio eligere debemus, inter quæ athanaſia, & vtrumque philonium ſolent eſſe in vſu, ſi quantitate ʒ.j. cum ſyrup. aliquo, aut aquis ſupradictis aſſumantur; ea tamen adhibere non libet, ſi virtus imbecillis ſit, ne ex eorum frigiditate calor naturalis extinguatur. Exteriùs etiam adhibere conuenit,quæ adſtringendi, & refrigerandi vim poſſident; quare vteri anteriores, & poſteriores partes illines vnguento, quod recipit oleorum maſtich. citoneorum, roſarum, & myrti, ana ℥.j. acaciæ, hypociſtidos,rhu obſoniorum, ſanguinis dracon. boli armeni, & myrti,ana ʒ.ß. aceti parum, ceræ quod ſit ſatis, B vt fiat vnguentum Comitiſſæ. Succi etiam ſolani, plantag. & portulacæ accommodari poſſunt cum pulueribus roſarum, maſtichis, ſanguinis draconis, & ſimilium. Decoctum etiam rerum adſtringentium vtile cenſetur, ſi eo partes foueantur, vt ℞. decocti foliorum oliuæ, myrti, lentiſci,ligni quercini, ſigilli Salomonis, gallarum viridium, malicorij, balauſtiarum, vtriuſque conſolidæ, & aluminis ℔. iij. cui adiicies aceti aliquid, vt faciliùs penetret; huius decocti ſuffitus, & inſeſſus ſanguinem fluentem compeſcit. Suffitus etiam ſtercoris ouini,& aſinini, & vngulæ mulæ, & ranarum combuſtarum ſummoperè prodeſſe ſolet. Proſunt etiam ſucci adſtringentes per clyſterem intra vterum iniecti,vt ſuccus plantag. polygonij, aut ſolani, aut perdicij herbæ. Idem præſtat decoctum rerum adſtringentium in vino rubro chalybeato. Peſſuli etiam formantur ex acacia, hypo- C ciſtide, thure, ſanguine draconis, & bolo armeno, cum ſucco plantaginis, aut polygonij.

Alia quamplurima apud Authores ſcripta reperies, inter quos Rhaſis 9. *continent.* commendat ſulphur viuum quantitate ʒ. j. cum muſto cocto potum, quod quidem prodeſſe exiſtimo, quatenus humores ſuo calore, & ſiccitate exſiccat, & eos incraſſando ad motum ineptos reddit.

## §. VII.

### *De fluxu muliebri.*

D DE hoc affectu ſermonem inſtituit Galen. 6. *de locis affect. cap.* 6. & Paul. *lib.* 3. *c.* 63. quando vtero haudquaquam affecto vniuerſum corpus per ipſum vterum expurgatur, ita vt Paulus totius corporis, quod expurgatur, diſtillationem, vuluæ fluorem appellet,per quem id quod euacuatur, talem ſpeciem repræſentat,qualem humor in corpore ſuperans obtinet. Hic fluxus differt à ſanguinis menſtrui eruptione; nam in hac ſincerus, ac verus ſanguis prodit, & ſolùm quantitate peccans, vt proprio capite actum eſt: in hoc verò ſanguis exit vitioſus, & qualitate peccans, ita vt pro ſucci, qui euacuatur, varietate varios colores percipiamus; nam aut rubeus, albus, pallidus, aut niger, vel ſanioſus color apparebit. Accidit interdum iſte fluxus vtero vlceribus affecto, quo tempore ſanguis ſanioſus exire ſolet, & cum vteri dolore. Humorem redundantem

perſcruta

perſcrutabimur, ſi linteum eo madefactum, & ad ſolem exſiccatum ſimplici aquâ eluamus; ibi enim remanebit macula coloris humoris redundantis, vt Aetius denotat. In aliquibus perpetua diſtillatio perſeuerat, aliquibus verò per interualla euenit, quæ corporibus debilitatem infert, colorem vitiat, appetitus ſubuerſionem, triſtitiam, & pedum tumorem, & hydropem cauſare ſolet: qua de re magna diligentia curatio eſt adhibenda, vt per illam tot incommoda euitemus.

## §. VIII.

### *Curatio fluxus muliebris.*

SI ex vteri vlceribus cruentus, & ſanioſus exeat humor, capite ſequenti propriam habebit curationem. Si verò ex redundantia humoris in toto corpore fluxus iſte concitatur, curabitur primò ſanguinis miſſione, ſi vires permiſerint; quod auxilium præcipuè competit mulieribus rubro fluxu vexatis, ſanguinemque demes ex cubiti vena, ex Aetij, & omnium conſilio: deinde humorem præparabis, & expurgabis medicamenta propinando iuxta humoris peccantis ideam. Mox adſtringentibus vteris, quorum copiam capite antecedenti tradidimus, quæ partim ebibita, partim in vterum tranſmiſſa conducunt, præter quæ vinum dulce in mali punici cortice coctum vtiliſſimè in vterum infunditur, vt docet Aetius. Cinis etiam ſpongiæ pice liquida imbutæ, & vſtæ efficaciſſimè fluxum compeſcit, ſi in vterum mittatur, idemque efficit ſtercoris aſinini ſuccus. Per os aſſumat ægra lac aſininum, aut caprinum ab vbere mulctum, aut amylum, ſeu oryzum, & quæcumque adſtringendi vires habent, vt ſunt carnes aſſæ gallinarum, caponum, perdicum, turturum, & ſimilium. Bibant vinum rubrum, aut aquam deauratam, vel maſtichinam, in qua decoquantur vuarum granula. Vti etiam poteris vnguentis, emplaſtris, ſuccis, peſſulis, & inſeſſibus capite præcedenti adhibitis, quæ in præſenti omitto, ne pluries idem repetam. Ante adſtringentium adminiſtrationem Paulus commendat diuretica: eorum tamen vſum improbo, nam fluxionem concitant, quam nos compeſcere tentamus humorum motum ad illam partem prohibentes. Paſtillus Andronis per vterinum clyſterem infuſus cum ſucco aliquo adſtringenti, aut vino rubro efficax remedium eſt, ex eodem Paulo: quæ omnia deſeruiunt etiam pro reparanda virginitate deperdita, quæ ſi non profint, ad brachiorum fontanellas recurres: quod ſi ex lue venerea procedat, oportet ad ſudationes, & alia remedia in curatione morbi gallici tradita deuenire.

## CAPVT VII.

### *De vteri vlceribus.*

VTerus multis de cauſis exulceratur, vt inquit Paulus; nam exulcerationem patitur ex infelici, & violento partu, ex fœtus extractione, & illius corruptela, ex humorum acrium ad vterum defluxu, ex abſceſſu rupto, vel ex medicamine forti ſuppoſito, aut propter inſtrumentum aliquod inſcindens, aut ex concubitu cum viro lue gallica infecto.

Si in vteri extrema parte, aut eius collo vlcera

A exiſtunt, tactu percipiuntur, vel ſpeculo matrici adhibito ipſa vlcera conſpicimus; quæ verò in profundo ſunt, optimo ratiocinio deprehendimus. Si enim in penitioribus vteri partibus ſint, ibi dolor acutus perſentitur, & pungens, humoreſque fluunt ſanioſi: dolor præterea lumborum, capitis, & oculorum, & ligamentorum, quæ ad manus vſque pertingunt, perſentiri ſolet, vt inquit Aetius *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 88. quod fieri cenſeo ob conſenſum, & colligantiam harum partium. Si verò ſuperueniat ex abſceſſu, aut inflammatione, præcedere ſolent febris intenſa, tumor, pondus, & dolor in ipſo vtero; & poſtea rupto abſceſſu, excernitur pus: quod ſi adhuc vlcus inflammatum exiſtit, ab ipſo emanat humor paucus, cruentus, aut fæculentus cum

B dolore intenſo. Quod ſi ſordidum vlcus ſit, humor exit copioſior, & ſanies cum minori cruciatu; ſicut ex vlcere depaſcente exit humor fœtidus, niger & cum vehementibus doloribus: at ſi vlcus purum, & digeſtum ſit, humor paucus odoris expers, ſubſtantiâ mediocris, & candidus excernitur. Quæ omnia optimo puri conueniunt, vt inquit Hipp. 1. *prognoſt. text. vlt.* Ex iis vlcera profundiora difficilis curationis ſunt; quæ tamen ſi magna, & valde putrida exiſtant, incurabilia iudicantur, vt aſſerit Auenzoar *lib.* 2. *tract.* 5. *c.* 3. quod etiam indicauit Hippoc. *lib.* 1. *de morbis muliebribus.*

## §. I.

### *Curatio vlcerum vteri.*

C VIctus in omni vlcere debet eſſe exſiccans, & modicè adſtringens, qualem deſcripſi capite de renum, & veſſicæ vlceribus. Omnia dulcia, ſalſa, & acria ſunt fugienda: à vino abſtineant, & pro potu aqua hordei, vel ſchorcion. ſint contentæ: quies imperanda, ſuper latera decumbant, ventrem habeant lenem, aut clyſteribus ſubducatur, frictionibus vtantur partium ſuperiorum. A victus inſtitutione ſi vires conſtent, in omni vlcere ſanguinem detrahere licet ex brachiorum venis ab initio curationis, vt humorem ad vterum fluentem reuellamus: quod auxilium conuenit præcipuè vlceribus cum inflammatione. Deinde iubent Authores humores præparare ad expurgationem, & eos medicamentis expurgantibus euacuare pro ratione humoris peccantis; in quorum vſu nullo modo admiſceantur, quæ per vterum mouent, ne vlcus adaugeant: deinde ad localia remedia con-

D fugiendum. Si enim vlcus purum, & mundum ſit, conueniunt leuiter adſtringentia, & ex ſiccantia, & ſi vlcus profundum ſit, per clyſterem ſunt iniicienda; ſi verò conſpicuum ſit, iiſdem illiniri debet. Conueniunt ergo lac muliebre tepidum, cui admiſcere poteris albumen oui conquaſſatum, aut oleum roſaceum, aut tetrapharmacum cum butyro recenti, vel oleo roſaceo, aut aqua plantag. & portulacæ, cum puluere boli armeni, vel terræ ſigillatæ, & ſyrupo roſarum. Valet etiam ſuccus plantaginis, vel polygonij, aut illorum decoctum, vel decoctum lentium, & balauſtiarum cum ſyrupo, aut melle. *Vlceris puri curatio.*

Quod ſi vlcus ſordidum, & putridum fuerit, mundificantia, & abſtergentia ſunt adhibenda, qualia ſunt decoctum hordei cum melle, vel aqua mulſa. Galen. 10. *ſimplic.* commendat lactis ſerum; extergit enim, & abluit ſine mordacitate. Ariſtolochiæ decoctum cum melle ad idem valet. Quod ſi fortiora deſideras, iridis, marrubij, & erui decoctum melli admiſtum fortiùs detergit: pulueres etiam iridis,

iridis,aluminis rotundi,& erui, farina melli adiun-ᴀ A
cta,& vlceri impoſita proſunt. Vnguentum etiam ægyptiacum maximè abſtergit , & mundificat vlcera,ſi eo illiniantur ; quod vt amittat mordacitatem,citra æruginem præparari debet,ex Aetij conſilio ; mordacia enim vtero aduerſa ſunt , & magis irritant , vt ipſe teſtatur.

Mundato vlcere , quod cognoſcitur , quia non ampliùs effluit pus,vel ſi fluit , illud eſt parum,album,læue , & æquale , ad exſiccantia deueniemus ſuprà tradita,inter quæ pompholix lota, & in ſucco plantag. diſſoluta maximè conuenit , aut crocus,aloës,myrrha in eodem ſucco liquata. At ſi vlcera ſint ſerpentia, etiam maximè abſtergentia deſiderant, vt ſunt aqua mulſa , in qua abſinthium, calamus aromaticus,vel chamæm.ſint decocta : ad idem eſt efficax vnguentum ægyptiacum, & Apo-
ſtolorum, & puluères Ioannis in ſucco, aut aqua B
plantag. diſſoluti , ſi alio modo adhiberi non poſſunt,in quorum adminiſtratione conſule expertum Chirurgum. Poſt vlcerum abſterſionem incarnantia,& cicatricem inducentia ſunt admouenda,qualia ſuprà tradidimus in curatione ſordidi vlceris.

Verumtamen ſi vlcus inflammatum ſit,ante eius curationem oportet inflammationem ſedare ; ſed quia illud comitatur dolor intenſus,cuius ratione humores ad illam partem trahuntur , priùs etiam dolorem lenire conuenit attemperantibus,& refrigerantibus auxiliis. Conuenit ergo aſſumere ſyrupos refrigerantes de violis,nimphea, chicoreo , & de papauere , cum aquis portulacæ , chicorei , & plantag. quibus licebit nimis vrgente dolore parum opij addere. Lac etiam muliebre vtero impo-
nitur,aut infunditur , quo agitari poteſt oui albu- C
men , & ſimul infundi. Idem facit oleum roſaceum cum albumine oui , aut albumina ouorum conquaſſata cum mucilagine ſeminis pſillij,aut papaueris,vel decoctum hordei , & iuſchiami , cum albumine oui,& oleo roſaceo.

Exteriùs prætereà refrigerantia admouebis,qualia ſunt vnguenta,quæ conficiuntur ex oleis roſarum,violarum,& nimpheæ, & axungia gallinæ,& anatis,& cera alba , aliquo opio addito. Idem efficiunt ſucci polygonij,plantag.& roſarum, ſi in eis panni madidi apponantur. His tamen, & aliis frigidis cautè vtendum, nam frigidum inimicum eſt vtero , & aliis partibus exſanguibus , vt inquit Hippocrates , & vterum nimis infrigidando , mulieres ſteriles facimus.

## §. II.

### *De vteri prolapſu.*

PRolabi vterum dicimus, cùm ita euertitur , vt foras promineat,vt ſentiunt Paulus,& Aëtius: quod autem procidit , ſtruthiocameli ouo ſimile videtur,iuxta maioris ac minoris differentiam, pro vt violenta euerſio contingit , vt ipſe notat Aët. Morbus eſt in ſitu; cauſæ eius plures ſunt, vt ſi mulier ab alto ceciderit,& ex caſu pelliculæ ac ligamenta,quæ vterum continent, ac vicinis partibus connectunt, diſrumpuntur. Idem efficit violenta fœtus , & ſecundinæ extractio , & partus difficilis , ſaltus , ſpiritus cohibito , & ingens animi paſſio : euenit etiam ob conatum vehementem ſuſtinendi graue onus , vel ob relaxationem ab humoribus pituitoſis , & hanc ob cauſam vetulis frequentiùs euenire ſolet. Morbus de ſe notus eſt, cauſas non ægrè percipies ex te,ex ægræ , & adſtantium relatione , quare aliis ſignis non eſt opus.

## §. III.

### *Curatio prolapſus vteri.*

SI adhuc recens eſt huiuſmodi affectio , conandum eſt vt vulua contrahatur , antequam morbus inualeſcat. In cuius curatione cibus ſit exſiccans,& boni ſucci. Potus ſit vinum adſtringens,aut aqua cinnamomi, aut fœniculi. Caueat à vociferationibus, & immoderato exercitio, quiete, & tranquille viuat , animi immodicas paſſiones euitet. Quibus conſtitutis , ante vteri ad proprium ſitum reductionem conſulit Aëtius , vt ſi in inteſtino ſit durum ſtercus , clyſteribus emollientibus euacuetur, vrinaque excernatur, quo vterus vndequaque liber euadat ; eſt enim vterus inter veſicam,& re-
B ctum inteſtinum ſitus , à quibus repletis ipſe vterus comprimitur, & foras truditur. Deinde ſi vteri collum ſit inflammatum, ante eius reductionem auferri debet inflammatio ; ſi verò frigidum, vino rubro , in quo malum punicum ſit decoctum, abluendum eſt : quod ſi calidum exiſtit, oleo roſaceo attemperandum erit ; ſi habeat tenſionem , & duritiem, oleo tepido, & butyro miteſcendum,aut decocto maluarum , altheæ , fœnugr. & ſeminis lini fouendum. Poſtquam tractabilis ſit vteri pars prominens,aptè collocanda eſt mulier,quæ ſupinè decumbat, coxis altioribus reflexis,poplitibus , & cruribus diſperſis,capite decliui. Deinde iubet Aëtius,prolapſam vteri partem oleo tepido,aut butyro,vel decocto maluarum , altheæ , & fœnugræci fouere , mox lanam conuolutam figurà ac craſſi-
C tudine pudendo muliebri correſpondentem accipiemus,eamque linteolo inuoluemus, & vino adſtringenti intingemus, ac vtero apponemus , & ſine violentia totum, quod prolapſum eſt, ad intrà reuocamus : poſtea lanam in pudendum ſubdemus, & alium lanæ hapſum vino adſtringenti imbutum ſuperponemus, quibus factis mulierem reclinabis crura extenſa habentem,ita vt alterum alteri cruri incumbat,& ſic per noctem,& diem ſinito. Cucurbitulas vmbilico , & coxis apponere licebit. Tertio verò die in vino adſtringenti inſedeat, aut in decocto myrti,lentiſci, rubi,& malicorij , lana tamen adhuc intra pudendum eo tempore exiſtat. Conſulit etiam Hippoc. 2. *de morbis muliebribus* , gratos odores naribus admouere,vt ſunt ambra,moſchus,galla moſchata,& alia huius cenſus : partibus verò inferioribus admouere iubet ingratos,& fœtidos,vt ſagapeni,vnguis tauri,galbani,& pennarum vſtarum ſuffitus. Fomenta fiant
D in vteri , & vmbilici regione ex decocto rerum adſtringentium, aut ex eiſdem rebus emplaſtra apponemus ; idque faciat ægra donec quatuordecim prætereant dies , vt voluit Hippocrates *loco proximè citato*. Fugiat,ſi poſſibile fuerit , coïtum ; nam hiat vteri os , & foras ducitur.

Quod ſi menſes prodierint, ſi adhuc eius ætatis fuerit , in lecto decumbet, quo tempore non licebit adſtringentibus vti , ne menſes ſupprimantur. Quod ſi temporis proceſſu id,quod prolapſum fuerit,putridum fiat, illud auferre iubet Paulus , nullius metu periculi ; etenim vuluà vniuerſim ablatâ , vbi computruerat , mulierem ſuperuixiſſe , commemorant Paulus , & Aëtius , licèt ex propria authoritate id non affirment.

§.IV.

## §. IV.

### *De hydrope vteri.*

HIppocrat. 1. *de morbis muliebribus*, hydropis vteri recordatur, de qua etiam mentionem fecerunt Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 79. & Auicenn. *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 15. In hoc affectu vterus aquâ impletur, non tamen in eius cauitate colligitur, ſic enim facilè aqua exiret: licet vteri os anguſtiſſimum fuiſſet; ſed vterus repletur multis veſiculis, in quibus aqua continetur; illæ verò veſſicæ fiunt ex propriis vteri membranis diſtenſis, quemadmodum aſſerit Galen. 7. *aphoriſmorum, comm.* 55. veſiculas fieri in iecore ex membranâ B iecur ambiente.

*Obſeruatio.* Ego memini me vidiſſe gallinam iis veſſicis aqua plenis repletam in tanta quantitate, vt fermè innumerabiles exiſterent.

*Cauſa.* Cauſæ ſunt frigida vteri intemperies, frigus externum, aquæ frigidæ potus, inſeſſiones in locis frigidis, menſium ſuppreſſio, ratione cuius humores vitioſi intra vterum colliguntur, & præcipuè fieri ſolet ex abortu.

*Signa.* Signa ſunt menſium ſuppreſſio, vel ſi menſes fluunt pauciores, aut deteriores; venter inferior intumeſcit, & mammæ exſiccantur, & tales mulieres videntur in vtero habere, ita vt Medici, & obſtetrices decipiantur, exiſtimantes eas vtero gerere; adeſt in vtero murmur, velut in inteſtinis, in ambulando grauitas, & ſpirandi difficultas, ruptiſque aliquando veſſiculis viſcoſa quædam, & aquoſa erumpunt. Procedente verò tempore pedes, inguina, & crura intumeſcunt, doloreque imum ventrem, & lumbos, ac laterum mollitudinem occupat, & tandem iecore perfrigerato, hydrops totius corporis inſurgit.

## §. V.

### *Curatio hydropis vteri.*

HVius morbi curatio non differt ab hydropis aſcitis curatione. Victus ergo ſit exſiccans, & calefaciens, qualem deſcripſimus capite de hydrope.

D Quod ſi in imò ventre dolor ſit, illum primò ſedare iubet Hipp. idque efficies oleo calido anethino, iridis, & chamæmali, aut fomento ex decocto altheæ, meliloti, fœnugræci, & ceterac. Deinde iubet Auic. ſanguinem mittere, ſi vires conſtiterint, & adſit plenitudo, & menſtruorum retentio, quibus deficientibus, haudquaquam ſanguinem detrahes. Præterea iubet Hippocrates dare medicamentum deorſum purgans, facta priùs præparatione iis, quæ diximus in curatione aſcitis. Ad purgationem commendatur hiera logodionis, quæ etiam per vrinam ſimul expurgat. Competunt etiam vrinam, & menſtrua prouocantia, vt teſtatur Auicenna; quapropter vti oportet dialacca, diacurcuma, diacymino, & theriaca cum ſyrupis de quinque radicibus, de biſantiis, & de eupatorio, & aquis fœniculi, aniſi, thymi, & pulegij. In vterum etiam iniicere conuenit quæ mucoſos humores attrahunt, qualia ſunt grani gnidij ℈. x. cum oleo irino, aut cyprino, & modico melle, aut veratri nigri ʒ. ij. cum oleo irino, & melle. Inſeſſiones etiam fiant ex decocto pulegij, centauræ, calaminthæ, origani, & chamæmali, ex quo etiam vteri re-

A gio foueatur. Suffitus aromatum vtilis etiam cenſetur, niſi capitis faciat grauitatem. Peſſulus ſupponatur ex lana oleo irino imbuta, cum myrrha, galbano, ſale & melle, aut cum cumino, hiera, agarico, & melle, vel fiat ex radice colocynthidis, aut cucumeris ſilueſtris. Exteriùs etiam conferunt cucurbitulæ multæ, & emplaſtra adducta in curatione aſcitis, inter quæ hoc potenter exſiccat, & abſumit aquam. ℞. foliorum artemiſiæ, abſinthij, & ruthæ, ana m. ß. ſtercoris caprini, & bubuli exſiccati, ana ℥. ij. pulueris origani, menthæ, & rutæ ſilueſtris, ana ʒ. iij. omnia coquantur in vino ad emplaſtri conſiſtentiam, quibus adde olei irini, & rutæ ana ℥. ij. aquæ vitæ ʒ. j. miſce.

## §. VI.

### *De vteri clauſura.*

HVnc affectum vocant Græci phymon, ſeu phymoſin; nos autem vteri clauſuram, qui nil aliud eſt, quam occluſio foraminis matricis ipſius actiones naturales impediens: morbus notus eſt, ſiquidem conſtat eſſe morbum in via, qui duplex eſt, alter naturalis, alius aduentitius. De naturali egit Paulus *lib.* 6. *cap.* 72. de aduentitio verò *lib.* 3. *cap.* 74. nos autem vtriuſque curationem in hoc capite amplectemur; eſt enim grauis morbus, nam per illum mulieres neque concipere, neque menſtruam purgationem habere poſſunt; & ſi fortè concipiant, mater, & fœtus ſimul pereunt, vt inquit Auic. *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 3. *cap.* 1.

C Trifariam contingit vterum non eſſe à natiuitate perforatum; nam caro, aut membrana obturans enaſcitur in labiis, vel alis vteri, vel in ipſo vteri ſinu, aut in ipſo vteri ore.

Cauſæ aduentitiæ, & accidentales ſunt vteri vlcera, quando vlceribus ſupercreſcit caro, quæ obturare valet; aut inflammatio in durum tumorem conuerſa, aut quiuis alius tumor in vteri ore adnaſcens, meatumque obſtruens, de quo dixit Hippocrat. 5. *aphor. text.* 54. quibus os vteri durum eſt, neceſſe eſt ipſum comprimi.

Signis etiam opus habemus, vt non perforatæ agnoſcantur, licèt aliqui autument nullum ſignum haberi poſſe ante menſtruæ purgationis tempus; nam viſu, & tactu percipi poteſt, videtur enim inſtrumento medico dioptra dicto, percipiturque tactu; nam ſi digito comprimatur vterus, ita durus, & contractus ſentitur, vt digito penetrari non poſſit. Quòd ſi præceſſerint vlcera, inflammatio, vel alius quiuis tumor, tunc ab illis cauſis aduentitiis procedere eſt auſpicandum.

Hic morbus grauis eſt, præcipuè ſi à cauſa naturali, & non aduentitia dependeat; ex hoc enim morbo mulieres ſteriles fiunt, nec menſes prodeunt; ſi verò prodeant, pauci, ac parui fiunt: & ſi cùm viro coëant, dolor imum ventrem tenet ac lumbos, nec poſſunt perferre, vt inquit Hipp. *lib. de natura muliebri.*

## §. VII.

### *Curatio clauſuræ vteri.*

SI vterus naturaliter ſit clauſus, manuali operatione eſt aperiendus, cuius curationem apud Aëtium, Paulum, & Auic. locis ſuperiùs citatis ſcriptam reperies, qui quidem iubent ſcalpello recta linea membranam, aut carnem diſſoluere. Ante ſciſſionem verò iubet Auicen. vt mulieri ſedes

præparetur coram lumine, ſuper quam ſedeat cum pauco ſuſtentaculo ad poſteriora, & crura aperta adhærere faciat coxis ſuis, & ligatis manibus ſub curuatura poplitum ſuorum, ſpeculo matricis videbis carnem, aut membranam, quæ ſcindi debet, poſt cuius ſciſſionem linamentum vino, & oleo imbutum in ſectionem indemus; habeat hoc filum alligatum, quo faciliùs extrahi poſſit, & loco probè ligato, quietem imperabimus. Sequentibus verò diebus abluere decet locum cum aqua mulſa, & pharmacum ſuppuratorium linamento intorto illitum indatur; & cum cicatrix inducenda eſt, canalis ex ſtanno indatur, ac alligetur, donec fiat conſolidatio. Quod ſi partes iterum inter ſe coiuerint, rurſuſque vteri os claudatur, ſpongiam ſiccam indimus, donec callus fuerit obductus, medicamentiſque exſiccantibus vlcus ad cicatricem perducemus. Reliqua ex Aëtio deſumere poteris.

Si verò ex cauſis accidentalibus iſte ſuccreſcat affectus, eius curatio emollientibus perficitur, tum peſſulis, & inſeſſionibus, tum cataplaſmate. Peſſuli fiant ex lana, aut cotto in oleo chamæm. œſippo, axungia gallinæ, & anatis imbuti, aut in vnguento dialthea, & oleo lilij albi, & laurino, medulla ceruina, axungia gallinæ, aut anſeris. Inſeſſiones fient ex decocto maluarum, biſmaluæ, fœnugr. ſeminis lini, & parietariæ, ſiue ex hydrelæo. Emplaſtra fient ex farina fœnugræci, & ſeminis lini, oleo amygd. dulc. & laurino, & dialthea, cum decocto maluarum: aut ſic. ℞. reſinæ terebinth. aquâ maluarum lotæ ℥. j. olei laurini, & lilij albi, axungiæ gallinæ, & anatis, ana ℥. ij. vnguenti filij Zachariæ ℥. j. bdellij & ammoniaci in vino diſſoluti, ana ʒ. ij. ceræ quod ſufficiat vt fiat linimentum, vel ceratum.

## CAPVT VIII.

### *De morbo hyſterico.*

VTeri præfocatio, quam Græci hyſtericam affectionem vocant, grauis admodum morbus eſt, vt ex accidentibus illum concomitatibus percipimus; & propter varia, quæ in hoc morbo apparere ſolent, Authores in varias ſententias ſunt diuiſi circa huius morbi naturæ inueſtigationem. Cùm enim in hoc morbo ſuffocationem, & reſpirationis defectum patiatur ægra, fuit Platonis ſententia, vt refert Galen. *6. de locis affect. c. 5.* vterum eſſe quoddam animal, quod intempeſtiuè moueri ſolet, erranſque, & per totum corpus ſurſum aſcendens, & reſpirare non ſinens, quod mulierem ſuffocat, & pro motus diuerſitate diuerſa ſymptomata concitat.

*Platonis ſententia.*

Hanc tamen ſententiam improbat Galen. *loco citato*, ſiquidem, vt ex anatome conſtat, ſi aliquid vteri aſcendere videatur, id perexiguum eſt, ſolùm enim lædit reſpirationem, quando extenditur, vt patet in prægnantibus, in quibus propter compreſſionem reſpiratio ſolùm crebra fit; idemque contingit dum ventriculus cibis eſt infarctus. Eſt equidem vterus ita vinculis alligatus, vt neque ad ſeptum tranſverſum, neque ad reſpirationis meatum, neque ad cor aſcendere poſſint. Neque dici poteſt, quod ſit animal à muliere diſtinctum, cum ſit pars eiuſdem mulieris eadem anima informata. Qua autem ratione ſuffocet, & actiones cordis, & cerebri impediat, poſteà dicemus.

Sed cum Platonis ſententia ſuſtineri non poſſit, alium modum excogitarunt quidam aſſerentes, vterum exſiccari, & humoris deſiderio, & appetitu naturali ſurſum aſcendere, quærentem quod ſibi deeſt. Horum etiam opinionem refutat Gal. *eodem loco*. Nam ſi ſimpliciter vterus humorem requirat, veſſicam, atque inteſtini craſſi partem inferiorem totam ſibi proximam habet, ex quibus ſine loci mutatione humorem attrahere poterit. Si verò non ſimpliciter humorem, ſed ſanguineum humorem deſiderat, multa venarum ora ad vterum perueniunt ex caua vena, per quas ſanguinem attrahere poterit. Quod ſi ratione talis humoris ſanguinei adhuc moueri deberet, potiùs ad hepar, quàm ad ſeptum tranſverſum ipſum moueri oporteret, ſicque reſpirationem haudquaquam impediret. His rationibus concludit Galen. hunc morbum non procedere ex ſiccate, vt cènſent author libri primi de morbis muliebribus. Quod ſi fortè ſiccitas vtero ſuperueniat, alium excitabit morbum huic abſimilem.

Euſtachius Rudius *lib. 2. c. 51.* arbitratur hunc morbum non eſſe vteri, ſed tantummodò cauſam præternaturam exiſtere in illo, à qua eleuantur vapores, qui dum petunt cor, aut cerebrum, viaſque reſpirationis obſtruunt, cauſant hyſtericam affectionem, quæ talis dicitur, quia ab vtero habet originem, licèt in ipſo vtero morbus non appareat.

*Euſtachij Rudij ſententia.*

Sed hæc ſententia vt ſingularis omittenda; non enim cauſa præter naturam producit morbum in parte remota, quin eum etiam producat in parte proxima, præcipuè cùm in proxima non ſit incapacitas ad illius effectus receptionem.

Communior opinio tenet, hunc morbum eſſe quandam vteri conuulſionem, quâ ſurſum retrahitur vterus, itavt comprimat ſeptum tranſverſum, & ſuffocationis præbeat indicium; quam tenet Auicenna *fen. 2. 1. lib. 3. tract. 4. cap. 16.* vbi inquit, quod iſte morbus eſt ægritudo officialis, quæ in primis conſequitur materiem; quare ſpaſmatur, & contrahitur ad ſuperiora, &c. Paulus *lib. 3. cap. 71.* illi aſſentit, dum dicit: *Strangulatus vulua ad ſuperiora recurſus eſt, quæ principaliſſimas partes in doloris conſortium perducit.*

Sed licèt frequentiùs hanc affectionem comitetur conuulſio ex repletione, non tamen dici poteſt, quod per conuulſionem eius eſſentia conſtituatur, cùm in hunc morbum incidere ſoleant mulieres, & nullam conuulſionem patiantur, vt indicat Galen. *loco citato*, vbi inquirit, cur mulieres quædam ab hyſtericis affectionibus corripiantur, vtero in ſua ſede exiſtente. Cui dubio eodem capite reſpondet ipſe, ideò aliquando vterum non peruerti, nec mutari, quia ob retentum ſemen, & putrefactum hyſterica conſurgit affectio; quo tempore non eſt neceſſe, vt conuellatur vterus, ſemen enim putreſcere poteſt, licèt quantitate non excedat, & ſic non cauſabit conuulſionem illam ex repletione. Quibus conſtat conuulſionem illam, & morbum in ſitu non poſſe conſtituere huius morbi naturam.

Eodem modo Capibacei ſententia improbatur, qui aſſerit, eſſe morbum in obſtructione, cùm ſolùm ex additione qualitatis præter naturam in ſemine, aut ſanguine menſtruo conſurgat affectus; ſufficit enim, quod vna ex iis duabus ſubſtantiis putrefiat, & corrumpatur abſque obſtructione aliqua: quod ſi aliquando talis detur obſtructio, potius eſt huius morbi cauſa, quàm ipſe morbus.

*Capibacei opinio.*

Alij, inter quos Donatus Antonius, opinantur hunc morbum eſſe diſtemperiem frigidam, & hoc probant ex Aëtio *loco citato*, vbi ait: *Eſt autem hic morbus flatuoſa perfrigeratio, non inflammatio,*

*Donati Antonij ſententia.*

*tio, vt Soranus putat.* Ex qua doctrina conſtat, Petrum Garciam non benè legiſſe Aëtij ſententiam, ſiquidem ait, quod Aetius illo loco non fuit loquutus ex propria ſententia, ſed ex ſententia Sorani, cuius contrarium ex Aëtij verbis conſtat; ſiquidem ait, quod hic morbus eſt perfrigeratio, & non inflammatio, vt Soranus exiſtimat; non enim Authorum verba refutare poſſumus, ſi eorum ſcripta fideliter non legimus. Hanc ſententiam probat ex totius corporis perfrigeratione, & defectu pulsûs, & reſpirationis; quæ omnia diſtemperiem frigidam eſſe in cauſa oſtendunt.

Hæc tamen ſententia licèt vera appareat, haudquaquam defendi poteſt; nam vt conſtat ex Gal. *loco citato*, & probabiliori omnium ſententia, iſte affectus ex ſemine, aut ſanguine in vtero putrefactis excitatur; putredo autem ex calore extraneo fit, vt docet Ariſtot. I. *meteor.* Cùm ergo per putredinem calidior reddatur ſanguis, aut ſemen, neutiquam dici poteſt, hunc affectum eſſe frigidum.

Neque valet ſi dicas, quod licèt iſtæ ſubſtantiæ ſint calidæ in ipſo fieri putredinis, in termino tamen illius remanet corpus frigidum ob caloris naturalis deperditionem. Hæc reſponſio non conuincit; nam ſequeretur, quod morbus hyſtericus non fieret antequam putredo illa eſſet in termino, & conſequenter, quod ante omnem morbum hyſtericum præcederet morbus calidus exputredine illa dependens, qui remediis frigidis curationem expoſceret.

Quod ſi dicas, mulieres ex occurſu rei frigidæ facile in hunc morbum incidere. Reſpondeo, ſæpe à cauſa frigida effectum calidum ex accidenti ſaltē produci, quatenus comprimit, & condenſat, & obſtruendo detinet calidum effluuium, & ventilationem impedit, ad cuius defectum ſequitur putredo, quæ calidos affectus generat.

Sed iterum obiicies: Hyſterica affectio curatur remediis calidis: ergo ipſa eſt affectio frigida. Reſpondetur, verum eſſe, quod remedia, quæ admouentur, ſunt calida, quæ adhibentur, non vt ſuo calore affectum remoueant frigidum, ſed quia vias laxando, & aperiendo locum præſtant, vt vterus, qui ſolet diſtendi, & ſitum mutare, ad proprium ſitum reducatur; tum cùm ex ſemine, & ſanguine putrefacto plures eleuentur vapores maligni, qui cor, cerebrum, & reſpirationem lædunt, calida admouentur remedia, vt illos reſoluant, & abſumant.

Ex iis ad Aëtium reſpondetur, ipſum ſolum conſideraſſe huius affectus ſymptomata, dum dixit, eſſe flatuoſam perfrigerationem; flatus enim ſunt ſymptoma in eis, quæ excernuntur, aut retinentur præter naturam, ad quorum generationem non requiritur intemperies frigida, licèt calor diminutus ſit neceſſarius, vt docuit Galen. 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. & ſic non poteſt ex affectu frigido ortum ducere: qua autem ratione corpus refrigeretur, & alia in hoc affectu ſequantur incommoda, ſtatim dicemus.

*Vera concluſio*

His non obſtantibus dicendum eſt, hunc morbum eſſe annumerandum inter morbos veneficos, & à tota ſubſtantia operantes. Hanc ſententiam deſumimus ex variis Authorum locis. Auerroës 3. *collect. cap.* 29. inquit, quod hæc ægritudo fit in vtero ex humore ſimili veneno. Aëtius loco iam citato aſſerit, ſanguinem menſtruum, & ſemen corruptum talia inuehere accidentia, ſicut venenum, licèt in parua quantitate corrumpantur. Auic. inquit, in hoc morbo vaporem venenoſum, ex quo accidit ſyncopis, procedere ex materia in vtero retenta. Vega etiam videtur incidere in hanc ſententiam, dum capite de vteri præfocatione ait: *Pauca ſeminis, aut ſanguinis menſtrui quantitas vbi prauam nanciſcuntur corruptionem, vniuerſum corpus perfrigerare valebit, &c.* Et veneno illud, quod corrumpitur, comparat, quia in parua quantitate grauia infert mala; idemque fatentur Petrus Garc. & alij. Huius ſententiæ fundamentum etiam deſumitur ex Galeno *loco toties citato*, vbi de hoc morbo agens ad explicandum illius naturam, inquit, quod in animantibus corruptio aliqua naſci poteſt adeò vehemens, vt veneni tum vires, tum qualitatem æquet, licèt id, quod corrumpitur, ſit quantitate paruum; etenim à phalangij ictu totum corpus affici videtur, exiguo veneno per minimum foramen iniecto. Scorpionis etiam ictus in toto corpore ſtatim grauiſſima infert accidentia; cùm tamen id, quod iniicitur, ſit perexiguum. Cùm igitur in hyſterico morbo ſtatim tot, & tam varia accidentia inſurgunt, ea reducere non poſſumus niſi ad cauſam veneni vires habentem, & à tota ſubſtantia operantem. Itaque vt certum exiſtimamus, ſanguinem, & ſemen per putredinem, & corruptionem veneni vires adquirere, & cum ex illis flatus venenoſi oboriantur, tam ſæua concreantur ſymptomata, qui calorem naturalem deperdunt, ſpiritus vitales corrumpunt, & totius corporis perfrigerationem cauſant, & ſurſum aſcendentes ſpeciem ſuffocationis præbent, quique vterum diſtendentes & replentes, cauſant illius retractionem, & conuulſionem, & ad hoc, vel illud latus reclinare faciunt; ſi enim huiuſmodi vapores eſſent eiuſdem naturæ, & conditionis cum aliis, non poſſent tot mala inferre, vt patet in vteri hydrope, & inflatione, ex quibus plures producuntur vapores, & flatus, qui licèt attingant cor, & cerebrum, nequaquam illis taliter officiunt. Habent ergo aliquid amplius, veneficam ſcilicet, & prauam qualitatem talium ſymptomatum effectiuam.

Ex quibus non licet colligere, non dari alium morbum, ex quo talis praua qualitas in vtero conſurgat, cum poſſit præcedere obſtructio, intemperies, aut repletio ſanguinis, & ſeminis, quorum ratione putredo illa fiat. Sed ſolum aſſerimus, quod iſtæ ſubſtantiæ taliter putrefiunt, vt ex vi talis putredinis talis praua, & venefica gignatur qualitas, in qua huius morbi eſſentia conſtituitur.

Cauſam huius morbi eſſe ſanguinem menſtruum, & ſemen vitiata, & corrupta, omnes admittunt, & ex Galeno deſumunt *loco iam citato*, vbi ait: *Nihil mirum, ſi vitiatum ſemen, aut menſtruum huiuſmodi cùm retinetur, aut putreſcit, corporibus, vt afficiantur, idoneis, grauia inferat accidentia.* Quod confirmat Paulus dicens: *Cæterùm morbus iuxta circuitum monetur ſicuti comitialis, idque nimium vulua repleta, aut ſeminali, aut aliâ materiâ, quæ intus computruerit.* Aduertere tamen oportet, quod nomine ſanguinis menſtrui non ſolùm intelligitur ſanguis quartus humor, ſed reliqui humores, cùm ex omnibus ſanguis menſtruus conſtituatur. *Cauſæ.*

Ex dictis claret, quod pars affecta eſt vterus, in cuius vaſis, & capacitate ſanguis, & ſemen computreſcere ſolent.

*An viris iſte affectus ſuperueniat.*

Sed dubitationem habet, an iſte affectus viris ſuperueniat? Et videtur, quod non; nam cùm pars affecta ſit vterus, quo carent homines, non poſſunt hoc morbo premi, ob partis defectum, in qua fieret.

Huic dubio ſatis fiet, ſi dicamus, viros vaſis ſeminalibus conſtare, quæ proportionaliter vtero, & vaſis ſeminalibus mulierum correſpondent, in quibus non repugnat ſemen, & ſanguinem ob aliquam cauſam

cauſam præter naturam vitiari,& corrumpi, & ex illis varia, & ſæuiſſima accidentia fieri, quod oſtendit Galenus aliquibus exemplis;inquit enim, quod ſunt aliqui qui ſi non aſſiduè coëant, capitis grauitate moleſtantur,cibos faſtidiunt,ac febribus obnoxij fiunt; quidam etiam à concubitu aſſueto abſtinentes, torpidi, pigrique facti ſunt, & præter modum mœſti,ac timidi,quibus ciborum appetentia,& coctio vitiantur; & ad priſtinam conſuetudinem reuerti,quamcelerrimè liberantur,& vt incommoda ex ſemine retento Diogenes, quod ad continentiam pertinet vir alioqui conſtantiſſimus, euitaret, manu pudendis admota ſemen proiecit, perinde ac ſi ei nulla eſſet voluptas coniugata.

*Signa.*

Hunc morbum antecedere ſolent mentis torpor, pigritia, crurum imbecillitas, facies pallida, ſenſuum hebetudo, lingua contremiſcit, & triſtantur valdè: cùm iam inſtat morbus, grauis ſopor premit, mens deſipit,vox obmuteſcit,crura contrahuntur,deinde rubere incipiunt maxillæ,facieſque repletur,difficilè ſpirant,ita vt aliquæ amittere videantur reſpirationem; an verò ſine illa viuere poſſit homo, ſcriptum inuenies capite de apoplexia. Pulſus paruus fit, & nonnunquam in totum aboletur, ex quibus nonnullæ in ipſis acceſſionibus ſubitò perierunt, vt Paulus ait, quibus ſignis facilè diſtingues hunc morbum ab apoplexia, & morbo comitiali.Ego autem pluries vidi hoc morbo vexatas in morbum comitialem grauiſſimum incidiſſe per conſenſum ex vtero; & vtero adhibitis remediis, ad priſtinam ſanitatem fuere perductæ.Si verò acceſſio remitti incipiat, humiditas quædam ex vtero profluit, ex cuius excretione meliùs ſe habet ægra, vt viduæ cuidam contigit, cui adhibitis remediis ad huiuſmodi affectum conſuetis, partim ob ipſorum calorem, partim etiam, quod inter curandum manibus muliebria tractarentur, oborta titillatione,& voluptate, veluti per coitum venire ſolet, excreuit ſemen craſſum, ac plurimum,atque ita à moleſtia fuit liberata,vt Galenus refert *loco ſæpè citato.* Viduæ etenim ex ſemine retento,quod antea excernere ſolebant, frequentiùs in hunc incidunt morbum.Præterea cognoſcimus huius morbi remiſſionem, quia vterus laxatur,pulſus adaugeri incipit, & alia accidentia remittuntur.

*Prognoſticum*

Hic morbus grauiſſimus eſt propter accidentium ſæuitiem; ſed vt Galen. inquit, multò grauior eſt, ſi fiat ex retento ſemine, quàm ex ſanguine. Mulieri etiam, quæ vterinis moleſtatur, frequens ſternutatio bonum, ex Hippoc. 5. *aphor. textu* 35. Significat enim, vt Galenus explicat *in comment.* naturam excitari, & reuiuiſcere, & propriarum meminiſſe actionum, quâ etiam natura membra concutit, & quod illam moleſtat, excernit.

§. I.

## *Curatio hyſterici morbi, ſeu ſtrangulationis vteri.*

*Curatio huius morbi in acceſſione.*

HVic morbo duplex competit curatio, vna in ipſa acceſſione, alia extra ipſam. Acceſſione infeſtante, tota curationis ratio conſiſtit in reductione vteri ad proprium locum,ſi versùs aliquam partem ſit retractus, & in detractione alicuius, quod ſit in vtero, vel in partibus circumvicinis, tum & in excitando conſopitam naturam, vt ſic cauſam morbificam ſuperet, & calorem deperditum, & reſpirationem cohibitam reſtauret. Liberant ergo ab acceſſione ligaturæ, frictiones, &

A cucurbitulæ partium inferiorum. Conuenit etiam fortiter ventrem fricare, vt ſic calor illius euocetur, & illo motu vulua ad proprium locum reſtituatur. Vti etiam oportet hoc clyſtere. ℞. florum chamæm.& meliloti,ana p.j.folior.maioranæ,centauræ minor.& artemiſiæ,ana m.j. ſeminis aniſi,& fœniculi, ana p. j. coquantur debito modo,cuius decoctionis accipe ℔.j.hieræ Archigen. ʒ.vj.olei lilij albi,& anethini,ana ℥.j.mellis deſpumati ℥.j. ſalis parum,miſce, & fiat clyſter. Suppoſitoria fieri poſſunt in hunc modum.℞.pulu.hieræ ʒ. ß. colocynthidis,& ſalis gemmæ,ana ℈. iiij. agarici ℈. j. miſce,& cum melle fiat ſuppoſitorium.Iubet etiam Auic. vt obſtetrix digitum in vuluā immittat,atque fricet, vt ſic aliquid cauſæ moleſtantis excernat,vt viduæ illi contingit,cuius fecit mentionem

B Galen. Oportet etiam ventrem,& pubem inungere iis, quæ calefaciendi, & laxandi vires habent, qualia ſunt oleum lilij albi, anethinum, rutaceum, vnguentum dialtheæ, & Agrippæ, ex quibus, & aliis varia effingere poteris medicamenta, & vnguenta cum pulueribus cinnamomi, cariophyl. ligni aloës,calami aromatici, diambræ,diamoſchi, & gallæ moſchatæ.Quod ſi vnguento aliquid ambræ,vel moſchi addas, pretioſius fiet, quo digitos obſtetrix liniat, & in vuluam immittat, eoque etiam ventrem inungere,& pubem oportet, vt dictum eſt.Odorata vtero maximè ſunt accommoda, vt oſtendit Hipp. 2. *de morbis muliebrib.* & Galen. *de arte curat. ad Glauc. c.* 13. fœtida verò naribus admouenda; vterus ſiquidem naturaliter, & ſympathia quadam odorata quærit,fœtida verò,& graueolentia abhorret,& fugit,non quia odorem percipit, cum olfactus ſenſum non habeat; ſed quia

*Vterus rebus delectatur odoriferis.*

C odoratis naturaliter maximè delectatur,propter eorum gratam, & amicam naturam, & ſicca proſequitur: quapropter interiùs beneolentia ſunt admouenda, ita vt eorum odor ad nares non perueniat, ne vterus ſurſum moueatur. Naribus verò ſunt admouenda fœtida,& graueolentia, quæ vterus aduerſatur, qualia ſunt galbanum,aſſa fœtida, caſtoreum,oleum ſulphuris,ruta,pilorum combuſtio, præcipuè combuſtio pilorum ipſius mulieris, vt refert Mercurial.& fumus candelæ extinctæ,& papiri vſti,aut cornu cerui, aut alterius animalis, vel vngulæ illius: quæ omnia retrahere faciunt vterum ad proprium ſitum,corpus calefaciunt, & reſoluunt vapores veneficos ex vtero in vniuerſum corpus diſperſos.Præterea ſternutatio excitanda,quæ maximè prodeſſe ſolet immiſſo tenui puluere in nares ex pipere,herba nicotiana,quam noſtrates *Tabaco* appellant,ſynapi,& euphorbio, naſturtio,ſeu helleboro albo.

D Cucurbitæ inguinibus,& imo ventri admoueantur, vt præcipit Paulus; quibus etiam admouebis ſacculos herbarum calidarum,vti pulegij,chamæmali,meliloti,ſeminis aniſi,milij ſolis, furfuris toſti, & florum arantij.

Emplaſtra etiam parantur,quæ vmbilico admota proſunt,ex ſtyrace,galbano,& pice liquida cum pulueribus cinnamomi,maſtichis,cariophylorum, moſcho, & ambra; in quem vſum vnum paratum habemus apud noſtros pharmacopolas, quod emplaſtrum magiſtrale pro matrice nuncupatur. Valet etiam emplaſtrum ex cepa lilij ſub prunis cocta.

Quod ſi adhuc hæc non ſufficiant,conſulit Auic. aſſumere in potu agarici puluerem,aut aliquid caſtorei cum aqua rutæ,aut chamæm.vel agni caſti.

Oportet etiam, vt fundatur ſuper patientis caput oleum odoriferum,& confortatiuum, vt iubet Auicen. vt à ſomno excitetur, & quæ ſomnum conciliant,

conciliant, reſoluantur. Ad eundem finem iubent quidam, vt laborantis caput aduratur. Præcordia item vinciantur, & diſtentis manibus vterus comprimatur, ex Aëtio. Phlebotomia ſimiliter in ipſa acceſſione fugienda, ſed potiùs quæ calorem excitant, flatuſque reſoluunt, ſunt adminiſtranda, vt monet Aëtius.

*Curatio huius morbi extra acceſſionē.*

Extra acceſſionem adhibere oportet præcautoriam curationem: alimenta vim exſiccandi habeant, quæ nec multum ſemen, nec ſanguinem gignant. Huius naturæ ſunt quæ pro gonorrhϾ curatione adduximus. Aër ad ſiccum, & calidum vergat, ventrem lenem ſeruabunt, moderato vtantur exercitio, & frictionibus crurum. Quod ſi mœſtæ ſint, eis nuntia læta ſunt afferenda, & cantilenis exhilarandæ. Quod ſi ex ſeminis retentione id malum ſuperuenerit, ſi lege permittitur, modica venere vtantur, quod conſulit Hippocrates *libro de morbis virginum*, vbi iubet eas nubere, vt ab eis, & aliis liberentur morbis. Vlteriùs ſiue ex ſemine, ſiue ex ſanguine oriatur affectio, ſanguis eſt extrahendus ex baſilica vtriuſque brachij, modò menſtrui ſanguinis non ſit ſuppreſſio, quo caſu tali venam ſcindere oportet. Deinde ex omnium conſenſu ſi aliquis humor redundet in corpore, illum parabimus ad expurgationem, & poſteà medicamentis idoneis euacuabimus. Tandem vtemur frictionibus, & ligaturis partium inferiorum, & cucurbitulis, ſuffitibus, & emplaſtris ſuprà relatis. Vomitus prætereà vtiliſſimus cenſetur, illumque excitare iubent Authores. Quod ſi ex menſium ſuppreſſione prodeat affectio, curationem petes ex capite de menſium ſuppreſſione, & vt vltimum auxilium eſt optimum in altero crurum fontanellam aperire, vt meliùs euocentur menſtrua, & eorum detentio impediatur.

## §. II.

### *Obſeruatio pro nobili quadam febre maligna laborante, cum variis accidentibus ab vtero prodeuntibus.*

INter plures mulieres vterinis affectibus vexatas, mihi occurrit quædam nobilis, quæ à principio cœpit febricitare, & more duplicis tertianæ continuæ acceſſiones quotidie habebat, maiores tamen quolibet tertio die, ob bilis exceſſum ſupra alios humores; habebat tamen accidentia quædam, quæ febrem eſſe de malignantium ſorte oſtendebant. Huic debito vitæ regimine inſtituto, ter ex brachiis ſanguinem mittere iuſſimus, provt exigebat neceſſitas; cui ob qualitatum humorum irritamentum ante tempus menſtrualis erupit purgatio in quantitate conſuetâ minori, quæ illi ſuperuenit ſexto die febris, ſeptimo cœpit tremere, & concuti, ita vt nequiret caput quietum, & brachia continere, quo in caſu cenſui, huius ſymptomatis cauſam vteri diminutam fuiſſe purgationem, ita vt ille eſſet pars mandans, qui vapores de ſe ad neruos mittebat, cum quibus maximam habet colligantiam, vt docet Galen. *6. epidem. ſect. 1. comm. 2.* & à quibus nerui noxam perſentiebant, quam à ſe trudere tentabant motu tremulo, & concuſſiuo; quo tempore timens ne tremor ille delirio ſolueretur, iuſſi, vt confeſſarius vocaretur, & ſuæ animæ curam haberet, & ſacroſanctum Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus aſſumeret; quibus vt decet peractis, breuiſſimè declinare cœpit, & diſſonè loqui, ita vt non ſolùm tremeret, ſed ſimul declinaret, cerebrumque ab eiſdem vaporibus calidis, & ſiccis pati exiſtimaremus, vt conſtabat ex illius deprauata actione. Deinde breuiter obmutuit, & rogationibus reſpondere non poterat, & denique in catalepſim incidens, oculos habens apertos, rigida permanſit, ſine ſenſu, & motu iacens, tuncque iudicaui ex duobus vnum; vel quod humores, qui ad vterum tranſmitti deberent, ad caput delati fuere, ibique caput præcipuè ſecundùm partem poſteriorem obſtruentes, huius morbi præſtabant initium; vel quod à calore febrili, & putredinali humorum in venis vteri, & aliis exiſtentium, vapores in multa quantitate ſurſum elati, caput oblædebant, qui etiam obſtruere valent, vt notauimus *c. de apoplexia, & de incubo*, & hunc morbum producebant, qui qua ratione fiat, ſuo diximus loco. Verùm quia neceſſitas vrgebat ei offerendi cibum, & potum, totis viribus conati fuimus os illius aperire, quæ ratione tenſionis, & rigiditatis dentes habebat ità ſtrictos, vt nullatenus eos inter ſe ſeparare potuimus, neque potum, neque cibum oblatum intra os recipere potuit, ob nimiam (vt dixi) dentium ſtrictionem,

In horum ſymptomatum correctione ſic me geſſi. Primò reſpexi cauſam, quæ erat ſanguis ille intra vteri venas collectus, qui ſua putredine, & qualitate praua de ſe vapores craſſos ad cerebrum mittebat, aut motu naturæ peruerſo, ſanguis, qui per vterum excerni deberet, ad caput delatus, erat huius mali origo. Quapropter ex talo ſanguinem mittere iuſſi, quod auxilium vtiliſſimum cenſetur in febribus malignis, & ab Authoribus commendatur, vt ſanguis veneficus magis à corde, & partibus præcipuis ſegregetur. Neque ob aliam rationem Galen. ſibi ſcarificare ſuras iuſſit, dum in Aſia peſtis ipſum apprehendit, vt ipſe teſtatur *libro de ſcarificat.* & vt reuulſorium medicamentum, quod naturæ defectum ſupplere poterat, illud admonui. Deinde vſus fui frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis fortibus partium inferiorum; nihil tamen boni ægra ſentiebat, quapropter clyſterem fortem inicere iuſſi ex decocto betæ, mercurialis, radicis altheæ, & cucumeris aſinini, cum ℥.iij. mellis roſati perfici, & electuar. diaphœnic. ℥.j. & vt maior fieret irritatio, ſuppoſitorium compoſui ex ſale gemmæ, hiera logod. agarico, & helleboro albo, cum melle toſto. Ad diſcutiendos flatus, & roborandum vterum, & tollendas illius obſtructiones, refænandam veneficam humorum, & vaporum qualitatem, vteri regionem inungere iuſſi cum vng. ex oleo mirabili Mathioli, iridis, lilij albi, & naphæ, additis pulueribus radicis peoniæ, & gallæ moſchatæ Nicol. & diamb. cum theriacha magna; Inſuper appoſui carnem aſſam vino optimo irroratam, & dictis pulueribus plenam. Neque iis meliùs ſe habuit. Capiti prætereà adhibuimus oxyrrhodinum anthemis, quod diſcutit, & reſoluit moderatè, ſimulque repellit: denique naribus acetum, in quo fuere decocta ruta, & pulegium, adhibuimus, vt quod in capite erat collectum, reſolueretur, & vt ſenſus excitaretur, ſternutatoriis vſus ſum: hinc cœpit flere, moueri, & ſentire, paulatimque ſuſpirioſa exiſtens, ſe ad priſtinum ſtatum reduxit, & adhibitis aliis remediis pro febris malignæ curatione, & capitis roboratione, optatam ſalutem feliciter, & non ſine omnium admiratione fuit adepta. Ex quibus coniecimus, omnia hæc ſymptomata ab vtero originem duxiſſe, ſiquidem à die, quo cœperunt menſes diminutè fluere, ſtatim ipſa etiam ſuccreſcere vidimus, & dictis auxiliis vtero dicatis propulſauimus.

*Vena ſectio è talo vtilis morbis malignis.*

## CAPVT IX.

### *De non concipientibus.*

IN præcedentibus egimus de virorum ſterilitate, quæ in actione ablata conſiſtit in ordine ad propagationem; nunc verò agere decreuimus de ſterilitate, quæ mulieribus euenit, de qua plurima tradit Hippoc. *libro de ſterilibus*; omnia tamen nos breuiter amplectemur, quæ partim conſtant ex iis quæ capite de virorum ſterelitate diximus, partim ex dicendis.

*Sterilitatis cauſa.*

Fiunt igitur mulieres ſteriles ob vteri,& teſtium intemperiem quamlibet excedentem, vt inquit B Hipp. 5. *aphoriſmorum, text.62.* dum ait: *Quæcumque frigidos,& ſpiſſos vteros habent, non concipiunt,& quæcumque præhumidos vteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura; & quæcumque ſiccos magis, & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpitur ſemen; quæcumque verò ex vtriſque mediocrem habent temperaturam, hæ fœcundæ ſunt.* Galenus in huius textus explicatione rationem reddit, nam ſi frigiditas nimis ſuperet, reddit vterum denſum,& ſpiſſum,& vaſa, quæ ad ipſum pertingunt, anguſtiora efficit,& vaſorum ora facilè propter anguſtiam obſtruuntur, quia magna ex parte hæ mulieres humorem aggregant pituitoſum, quo viri ſemen extinguitur. Præterea ex vteri humiditate extinguitur genitura, quemadmodum in terra ſilueſtri cerealia ſemina. C Similiterque, quæ ſiccos,& adurentes habentes vteros non concipiunt, propter alimenti defectum, tale quidem illis accidit, quale vbi arenæ, aut argilloſæ terræ, aut petroſæ mandantur ſemina; in habentibus verò caliditatem tale accidit, quale vbi valde calidæ terræ ſemina committuntur. Requiritur ergo in his qualitatibus mediocritas, vt mulier fœcunda ſit. Quod ſi mulieri frigidæ vir calidus adiungatur, fieri ſolet conceptio; remittitur enim,& attemperatur frigus vteri à ſeminis virilis calore, & quodammodò ad mediocritatem reducitur, quod ibi indicat Galenus dum ait: *Contingit autem,& maris ſemen in talibus vteris refrigerari, niſi ſit naturâ calidiſſimum.*

Præter morbos intemperiei, ſunt etiam alij morbi in compoſitione, qui ſterilitatem inducunt; tales etenim ſunt, qui in mala vteri conformatione, & ſitu conſiſtunt, ſiue naturalis, ſiue temporis tractu talis diſpoſitio ſit adquiſita. D Huius cenſus ſunt vlcera, & cicatrices vteri, craſſitudo nimia, & extenuatio,& tumores omnes præternaturam, amplitudo etiam, & anguſtia vteri ponitur ab aliquibus inter ſterilitatis cauſas. Amplitudinis fecit mentionem Hippocrates *lib. de ſterilibus*; hac etenim præſente ſemen receptum facilè dilabitur: anguſtiæ verò recordatur ipſe libro de genitura. Tamen ſi eius verba perpendamus, non aſſerit vteri anguſtiam impedire conceptionem, ſed inquit, quod ſi pueri nati debiles fuerint, vteri ipſi anguſtiores quàm oportet in cauſa ſunt; hæc enim non prohibet conceptionem, ſed fœtus membra conformata comprimit, & illius motum cohibet; cuius rei veritatem explicabimus capite de aborſu. Tunica vteri oſculo adnaſcens, vteri obliquitas,& deſcenſus, nimia menſium defluxio, eorumque detentio, ætas iunior, aut prouectior quàm oportet, vteri nimia læuitas,& inordinatus congreſſus, ſunt ſterilitatis cauſæ, quæ omnes deſumuntur ex Hippocra- A te *lib. de ſterilibus*,& Galeno *lib. de ſemine*, ex Ariſtot. 2. *de generat. animal. cap. 5.*& ex Auic. *fen. 21. lib. 3. tract. 1. cap. 8.* Præter dicta ſunt aliæ cauſæ ſterilitatis, ex quibus aliquæ in bona corporis mulieris conformatione conſiſtunt, quas tradit Aët. *tetrab. 4. ſermone 4. c. 26.* vbi ait: Fœcunda enim mulier habere debet proceritatem corporis moderatam, lumbos latos,& ſuperiorem ventrem, nates eminentes, pectus anguſtum, mammas amplas; tales enim mulieres fœcundæ, iis autem oppoſitæ, ſteriliores ſunt; amor etiam in vtriſque reperiri debet, amor enim genituram conciliat, & mulieres amantes crebrò pariunt; at inuiti coïtus inanes ac ſteriles ſunt, ex eodem Aëtio. Item motus,& quies inordinata,& immodica ſunt ſterilitatis cauſæ, nam motus ſanguinem, & humores conſumit, ita vt ad conceptionem materia deficiat,& hanc ob cauſam B ruſticæ mulieres laboribus, & exercitiis deditæ, ſunt vrbanis ſteriliores. Quies immodica ſterilitatem pariter producit, quatenus per illam plura congeruntur excrementa, quibus repletur vterus, & refrigeratur, & ſemen attractum facilè extinguitur. Mulier etiam parua magis apta eſt conceptui, quam procera, vt conſtat ex Hippoc. 2. *prorrhetic.* nam in proceritate conſumitur materia ad generationem neceſſaria, in paruitate verò remanet materia ſufficiens.

Tandem cauſas ſterilitatis conſtituunt Authores cœli ſtatum, ſeu aëris conſtitutionem, ſic enim teſtatur Hippocrates de regione Scytharum, & regionibus ſeptentrionalibus, in quibus mulieres ſteriliores fiunt, temporeque frigidiſſimo, vt hieme, mulieres ſunt ſteriliores quàm vere, aut æſtate. C Aquæ etiam crudæ, & frigidæ, aut ſterilitatem, aut partum fœmineum faciunt, vt oſtendit Ariſt. 4. *de generat. animal. capit. 2.* & Hippoc. *lib. de aëre, locis,& aquis*: idemque præſtare valent cibi multùm frigidi, imò & nimis calidi, qui ſemen, & ſanguinem conſumere valent; & hanc ob cauſam Ariſt. 3. *ſect. problem. problemat. 4.* ait, ebrioſorum ſemen eſſe infœcundum.

*Signa ſterilitatis ex frigore.*

Cùm ſterilitatis cauſæ variæ tradantur, notis eas diſtinguere oportet. Si igitur frigida intemperies ſit ſterilitatis cauſa, aderunt menſtruorum paucitas, aut ſuppreſſio, vultus pallor, pectinis, crurum, ac lumborum ſtupidus ſenſus ac frigiditas, in pube parua pilorum copia, & veneris parua inappetentia. Quod ſi per ſuffitum fiat experimentum, & pannis de ſubter circumtectam mulierem ſuffias,& odor non perueniat ad nares,& os, ſcito, quod mulier ſterilis eſt, vt docet Hipp. 5. *aphoriſmorum, textu 59.* ſignificat enim vteri denſitatem, & obſtru- D ctionem à frigiditate, & humoribus frigidis productam, quæ vaporum redolentium aſcenſum impedit.

*Signa ſterilitatis ex humiditate.*

Si ex humiditate oboriatur, dignoſcitur ex menſtruorum multitudine,& fluxibilitate,& ex humiditate emanante ex locis muliebribus, totius corporis mollitie,& rerum humectantium vſu, quibus facilè ſemen dilabitur, aut ſuffocari ſolet. Contraria iis ſiccitatem oſtendunt.

*Signa ſterilitatis ex calore, & aliis cauſis.*

Calorem vteri demonſtrant pilorum copia, ardor lumborum, & partium inferiorum ventris, menſtruorum pallor, & paucitas, & ad venerem promptitudo. Si verò ex mala conformatione ortum ducat, vt ex vlceribus, & tumoribus, propriis ſignis, & ex his, quæ præceſſerunt, facilè percipiuntur; quod ſi ex mutatione ſitus vteri oriatur, ex dolore,& pondere cognoſcitur; nam ſi ſurſum, vel ad latus vergat, ibi dolor, tumor,& pondus perſentitur. At ſi vteri os ſit contortum, ſtatim poſt coïtum à muliere ſemen eiicitur. Quod ſi ob craſ-

ſitiem,

ſitiem, vel extenuationem ſterilitas accidat, facilè percipitur, quemadmodum ſi ex totius corporis, vel alicuius partis mala conformatione originem trahat. Si ex menſtruorum ſuperflua euacuatione, & ſuppreſſione oriatur, ex ægræ ſermone notum ſit.

*Signa prognoſtica.*

Sterilitas alia curabilis alia incurabilis eſt: maximè ſteriles perſeuerant, cùm primo naturæ ortu tales conſtiterint; gignuntur enim viragines quædam mulieres, & viri fœminati, vt inquit Ariſt. *3. de generat. anim. c. 5. cit.* Obeſæ non concipiunt, donec extenuentur, ex Hippoc. *5 aphoriſmorum, text. 16.* & ſi nimis extenuentur, non concipiunt antequam craſſeſcant.

Sterilitas ex vlceribus difficulter curatur, ex Hipp. *2. prognoſt. text. 30.* nam ſi vlcus fuerit magnum, magnam in vtero relinquit cicatricem, ratione cuius ſemen non retinetur; ſi verò vlcus ſit paruum, & in vna vteri parte, in alia genitura remanebit, & fiet conceptio. Steriles etiam morboſæ viuunt, ſed ad ſenectutem tardè properant, & quaſi iuuenes ſemper exiſtunt; fœcundæ verò incolumiores ſunt, ſed cùm pariunt, citiùs ſeneſcunt, vt docet Auic. *loco iam citato.*

## §. VNICVS.

### *Curatio non concipientium.*

*Curatio ſterilitatis ex frigiditate.*

CVm inter omnes ſterilitatis cauſas frigiditatem magis communem eſſe videamus, diligentiùs ei ſubueniendū eſt, quæ cùm vteros denſos & ſpiſſos reddat, ſanguinis menſtrui deſcenſum impediat, venarum vteri ora obſtruat, & compri-mat, pituitæ generationem adiuuet, & cum humoris præſentia frequentiùs reperiatur, ideò in huius affectus curatione non ſolùm topicis auxiliis contentus eſſe debes, ſed etiam ad euacuantium genus deuenies, ante quorum adminiſtrationem victum oportet inſtituere calefacientem, & attenuantem. Cibi itaque ſi[illegible]t optimi ſucci, & faciles concoctu. Potus ſit aq ua cariophylorum, cinnamomi, ſmilacis aſperæ, & radicis chinæ, aut vinum album tenue. Aqua frigida vitanda, ſterilitatem enim ind[illegible]cit, vnde mulieres, quæ aquam gelidam bibunt, infœcundæ fiunt: exercitiis, deambulationibus, & fri ctionibus vtantur, aër ad calidum, & ſiccum vergat, aut talis arte paretur. Optimo vitæ regimine inſtituto, humores ad expurgationem parabis ſyrupo capillorum Vener. duarum radic. ſine aceto, de artemiſia, de eupatorio, & melle roſaceo, cum decocto betonicæ, maioranæ, meliſſæ, cyperi, calamenti, aut fœniculi. Poſt eorum longam præparationem eos expurgabis agarico, ſemine cartami, electuar. indo, diacathol. ſyrupo regio, aut pillulis de hiera, de agarico, alephanginis, & maſtichinis, & aliis, quæ euacuandi humorem pituitoſum vim poſſident.

Quam purgationem per epicraſim facere etiam licebit, vt conſulit Ludouic. Mercat. præcipuè ſi adſit humorum ſarcina, & vnica euacuatione non poſſint expurgari. Deinde deueniendum eſt ad ea quæ vterū calefaciant, & roborent, humoreſque attenuent, ex quibus aliqua interiùs aſſumuntur, reliqua exteriùs admouentur. Quæ interiùs aſſumuntur, ſunt confectiones calidæ, vt diamoſch. diambra, pliris, theriaca, & diaſaluia, quæ vnius drachmæ quantitate cum vino ieiuno ventre propinari debent. Inter omnes laudatam reperio hanc confectionem, quam tradit Mercurial. ab eoque deſumpſit Ludou. Merc. quæ talis eſt. ℞. zedoariæ, doronici, galangæ, ana ʒ.j. ß. cinnamomi, carioph. ana ʒ.j. ß. ſpiſſæ, piperis longi, ana ʒ.j. ſatyrij, caſtorei ʒ.j. moſchi, & ambræ, ana ǧ. vj. ſacchari, & mellis, quantùm ſatis ſit, vt fiat miſtura, cuius fœmina ſummo mane capiat ʒ.ij. cum vino odorato; idque efficiat quatuor, aut quinque diebus continuis ante viri acceſſum. Vtile etiam eſt aſſumere caſtoreum, cuminum, aniſum, & pulegium, & eis piper admiſcere, ex Aët. quæ in puluerem redigi poſſunt; vel cum xylo aloë, & ſaccharo tabellas formare, vel condîtum cum melle. Prodeſt etiam bibere ℈.j. caſtorei cum vino: ſumere etiam poſſunt acorum condîtum, aut diaciminum, vel drageam ex pulegio ſicco, & pipere.

Exteriùs admouentur balnea, præcipuè naturalia ex ſulphure, quæ eſſe vtilia experimento didicimus, in quorum defectu vti poſſumus fomentis ex decocto meliſſæ, matricariæ, artemiſiæ, maioranæ, foliorum lauri, pulegij, apij, fœniculi, & enulæ, in quo decocto immergatur etiam mulier ad vmbilicum vſque, ibique reſideat vnius horæ ſpatio.

Suffumigia etiam validè conducunt, quæ ex calidis odoratis conficiuntur, eaque commendat Hippoc. 2. *de morbis muliebribus*, & parari poſſunt ex mirrha, ſtyrace, caſſia, cinnamomo, cariophylis, ligno aloës, moſcho, & ambra, vel ex illis confici poſſunt paſtilli in hunc modum ℞. pulueris ſtyracis, cariophylorum, cinnamomi, ligni aloës, agalochi, & baccarum lauri, ana ℈.j. moſchi, & ambræ, ana ǧ. vj. laudani depurati, quod ſit ſatis: miſce, & fiant paſtilli. Alipta moſcata, gallia moſchata, & diamoſchum ad idem valent, ſi eis ſuffumigentur mulieres. Modus ſuffumigandi ſit, vt habeatur vas anguſti orificij carbonibus repletum, ſuper quos ponantur paſtilli, aut inſpergantur pulueres; deinde pannis circumdatum vas loculis muliebribus ſupponatur, ita vt totus fumus ingrediatur loculos. Peſſaria etiam, vt maximè vtilia commendantur, quæ habeant vim vterum repurgandi, & calefaciendi, quæ in hunc modum parantur. ℞. bdellij, artemiſiæ, maioranæ, & macis, ana ʒ. ß. galliæ moſchatæ ℈.ij. pulueris hieræ, aut agarici ʒ.j. cum laudano, aut melle toſto fiat peſſarium. Fieri etiam poſſunt ex myrrha, & galbano.

Vnctiones etiam partium inferioris ventris fiant ex oleo laurino, nardino, anethino, & de ſtyrace, quibus aliquid vini admiſceatur, ex quibus cum cera, & pulueribus præſcriptis vnguenta formari poſſunt.

*Curatio ſterilitatis ex calida cauſa.*

Si ſterilitas à cauſa calida initium habeat (quod rarum eſſe iudico) victus, & reliqua ad frigiditatem vergentia e igi debent. Quod ſi ſucci calidi in corpore redundent, ipſos euacuare tentabimus, ſumpto exordio à ſanguinis miſſione; deinde humores ipſos præparabis, & cholagogis medicamentis euacuabis. A purgatione veſſicæ, ventri, ac lumbis refrigerantia adhibenda ſunt, ex Aëtij præcepto, velut ſolani, aut vmbilici Veneris ſuccus, roſaceo admiſto, lanâ exceptus. Idem & in pudendum commodè ſubditur. Eædem etiam partes vnguento refri[illegible]erante Gal. & roſaceo, & oleo roſaceo liniantur, aut ſucco ſolani, portulacæ, plantaginis, vel ſimilium.

*Curatio ſterilitatis ex humiditate.*

Humidam intemperiem corrigimus per exſiccantia, quæ ſi humoribus adiuncta ſit, vt ſæpius euenire contingit, eos vt diximus, demere opo tet per medicamenta expurgantia. Poſt purgationem ſi ventriculus cruditatibus ſi refertus, & vtero cauſam ipſe præſtiterit, vomitus ſemel, aut bis in hebdomada eſt prouocandus; deinde vtendum eſt remediis ſuprà traditis pro curatione ſterilitatis ex cauſa frigida; talia enim vim exſiccandi poſſident. Sed quia humiditate vterus laxatur, & os eius hiat, & ſemen non retinet, eis admiſce-

bis ea, quæ adſtringendi, & roborandi vim obtinent, in hunc modum. ℞. mirrhæ, maſtichis, thuris, ſanguinis dracon. terræ ſigillatæ, boli armenici, cinnamomi, cariophylorum, macis, cubebarum, & ciperi, ana ℥.j. moſchi, & ambræ, ana g̃.x. laudani quod ſit ſatis, miſce, & fiant paſtilli, quibus ſuffumigentur. Ex eiſdem euaporationem recipere, ſi decoquantur, vtiliſſimum eſt. Non minùs conferunt emplaſtra ex rebus corroborantibus, & exſiccantibus oſſi ſacro ad renes vſque admota, ſi priùs huiuſmodi partes emolliantur, & calefiant blandis medicamentis, vt meliùs emplaſtris cedere valeant: quibus blandis auxiliis vtendum eſt octo, aut nouem diebus ante emplaſtri exhibitionem. Ego autem maxima cum vtilitate vſus fui emplaſtro hoc. ℞. maſtichis, cinnamomi, cariophyl. ſanguinis drac. benzoini, nucis moſchatæ, cubebarum, ligni aloës, pulu. granæ, coralli, roſar. & ſuccini, ana ℥. ß. laudani depurati ℥.j. moſchi, & ambræ, ana g̃.vj. terebinthinæ quod ſit ſatis, vt fiat emplaſtrum. Vmbilico etiam emplaſtrum magiſtrale pro matrice admouebis, vel id quod recipit cariophylorum, ligni aloës, macis, nucis moſchatæ, electri, roſar. & pulu. granæ, ana ℥.ß. moſchi, & ambræ, ana g̃.iiij. laudani, & picis quod ſufficiat, vt fiat emplaſtrum, quod in panno coccineo extendatur. Hæc omnia tamen ſunt apponenda, tranſacta menſtruali purgatione, ne ſua adſtrictione menſtruam purgationem cohibeant.

Sed quia ex humiditate vterum infeſtante, tertio, aut quarto menſe à conceptione ſolet deperdi fœtus, eo quod vteri acetabula mucoris plena ſunt, & nequeunt fœtum continere, imò diſrumpuntur, vt clarè oſtendit Hipp. 5. *aphor. text.* 45. & ſæpe à Medicis prægnantes remedia expoſtulant, vt fœtus ad maturitatem peruenire poſſit, ideò ante conceptum expedit remedia à nobis tradita admouere, corpuſque cruditatibus ſcatens exſiccare; in quem vſum comprobant Authores etiam decoctum radicis chinæ, & ſaxifraſiæ quolibet manè pluribus diebus ſumptum calidum; & ſi fortè mulier gallicæ affectionis ſuſpicionem habuerit, ad ſudationes ex ligno guaiaco, & ſmilace aſpera deueniet; ſi verò gallicæ luis nulla ſit ſuſpicio, conueniens erit etiam ad balnea ſulphurea deuenire.

*Curatio ſterilitatis ex ſiccitate.*

Si verò ſterilitas ex ſiccitate ſit contracta, alimento humido, & balneis aquæ dulcis, & rerum humectantium, & euaporationibus earundem eſt corrigenda, & vnctionibus ex oleo amyg. dulc. violarum, ſeſamino, & vnguento reſumptiuo, & tandem totum corpus vt hecticorum corpus refici, & humectari debet.

*Curatio ſterilitatis ex aliis cauſis.*

Quod ſi ab aliquo tumore, vel alio morbo initium habeat ſterilitas, in tumoris, alteriuſve morbi ablatione curatio ſita eſt; verùm ſi ex menſium ſuppreſſione, aut immodico effluxu procedit, propriis horum ſymptomatum capitibus curationem inue-ni:es.

*Tempus veneri magis congruum explicatur.*

Sed vt conceptio meliùs fiat, aſſignare oportet tempus veneri magis congruum, quod deſumitur ex Gal. *lib. de diſſectione vuluæ*, *cap.* 10. vbi inquit tempus conceptionis eſſe incipientibus, vel ceſſantibus menſibus; reliquo enim tempore purgationis, licèt aperta ora ſint, non tamen concipere ſolet mulier, quia ſemen facilè decidit, & ab influentis ſanguinis copia eluitur: incipientibus verò menſibus, aut deſinentibus, venarum ora aperta ſunt, & menſtruum non multum, ſed paucum, & paulatim effluit. Vlteriùs menſtruum in parua quantitate eſt veluti quædam exſudatio ſanguinis, qui ſicceſcit in vtero, & illum exaſperat; ob aſperitatem verò ſemen meliùs adhæret vtero; aſpera enim magis idonea ſunt quàm læuia ad coaleſcendum; & hanc ob cauſam ligna, & lapides, quæ coagmentare inter ſe volunt artifices, ſi læuia ſunt, atterentes priùs aſperare conſueuerunt. Propter læuitatem etiam, quæ vteros præhumidos habent, non concipiunt, donec læuitas auferatur; quod declarat Hippoc. 2. *de morbis muliebribus*, dicens: *Ad virum accedat incipientibus menſibus, optimum autem deſinentibus*. Ex quo conſtat, tempus magis idoneum eſſe deſinentibus menſibus tunc etenim non eſt timor, vt ſemen ab influentis ſanguinis copia eluatur, aut ſuffocetur. Vlteriùs ſanguis ſiccus remanet in vteri parietibus, qui ipſum vterum exaſperat; in principio verò purgationis procedente ſanguine, ab illius maiori copia, aſperitas illa facilè dimouetur.

Sed quia inter ſterilitatis cauſas ætatem iuniorem, aut prouectiorem quàm oportet, connumerant Authores, vtile exiſtimo tempus nuptiis accommodum definire, ne ex immaturo coïtus tēpore ſterilitas ſubſequatur; quod tempus incipit in mulieribus poſt duodecimum ſuæ ætatis annum, in viris autem poſt decimumquartum, quo tempore, vt inquit Moſchio, mulieribus menſtrua ſuperueniunt, ſine quibus rarò, aut nunquam fit conceptio, vt docet Ariſt. 7. *de hiſtor. anim. cap.* 2. Quo tempore earum vbera ad duos digitos prominent, & vox puellarum mutatur in grauiorem, vt ipſe *eodem libro*, *capite* 1. teſtatur. Quapropter deciſum eſt §. *Maſculi*, iuncta gloſſa *verbo Puberes*, & *verbo Viripotentes*, *inſtituta de nuptiis*, quod incipiente pubertate, tam viri, quàm fœminæ contrahere poſſunt matrimonium. Nam ſi puella parua ſit, & deuirginetur, illius vteri os valde debile efficitur, & relaxatur, præcipuè ſi virile membrum ſit magnum; cui ſubueniendum eſt, vt inquit Ludouic Merc. eam ſcilicet admonendo, ne ad virum accedat, donec grandior facta, viri coïtum poſſit ſuſtinere. Ætate verò ſeniores ſteriles fiunt, quia earum vuluæ indurantur, & menſtrua inordinatè procedunt, aut ex toto auferuntur.

Præter dicta, aliqua obſeruare iubent Authores in ipſo coïtu, & poſt illum, quæ videri poſſunt apud Auicennam. Vnum tamen notat Paulus, videlicet, quod venus à tergo exercita belluarum more ad concipiendum conducit. Demùm aliqua ſunt, quæ à proprietate occulta conceptioni inſeruiunt, ſed quæ à nobis tradita ſunt, probatiora exiſtunt, atque adeò ab aliorum tractatione abſtinere viſum fuit.

## CAPVT X.

### *De aborſu.*

CVm frequenter mulieres leuibus de cauſis abortire ſoleant, & fœtus miſerè vitam perdant, multique aborſus causâ filiis orbantur, operepretium erit in hoc capite de aborſu, & eius cauſis agere, vt inde ſciamus, quâ methodo aborſus eſt præcauendus. Hippocrates 6. *epidem. textu* 2. aborſum vocat fœtus circa vterum deperditionem. Galenus *in comment.* ait: *Aborſus eſt imperfecta fœtuum emiſſio, vtcumque ; acta fuerit*. Quibus conſtat quocumque tempore abortum fieri poſſe. Hoc dico propterea, quod Mercurial. autumat, abortum tantummodò cauſari ante ſeptimum menſem; tunc etenim

etenim fœtus imperfectus eſt, neque intra legitimum pariendi tempus conſtitutus, ſicque illius extra vterum non poteſt emiſſio perfecta fieri: at ſeptimo menſe, octauo, & nono, quibus fœtus totam ſuarum partium perfectionem adeptus eſt, non abortire mulieres teſtatur, quia eſt adimpletum pariendi tempus à natura conſtitutum. Sed tanti viri pace, vt certum habeo, ſi imperfectè fœtus in lucem exeat, quocumque tempore grauidationis, aborſum partum dici. Ad cuius doctrinæ intelligentiam ſuppono, quod aborſus ſtat dupliciter; nam aut fœtus exit ante legitimum pariendi tempus, aut in ipſo tempore à natura ſtatuto mortuus, aut morti propinquus de ventre matris educitur. Priori modo ab omnibus aborſus nuncupatur. Secundo modo etiam aborſus nomen meretur, vt conſtat ex loco ſuprà adducto ex Hipp. nam deperditur fœtus circa vterum, & eſt imperfecta fœtuum emiſſio, ſiue ſit ob tempus, ſiue ob aliam cauſam præter naturam. Contingere enim poteſt, quod tempore legitimo pariendi adſit cauſa, quæ fœtui noxam inferat, illumque debilitet, vt ſi ei alimentum deficiat, vel mater eius aliquo morbo acuto corripiatur, & fœtum in conſenſum trahat; tunc etenim poteſt fœtus deficere ante exitum, aut paulò poſt: nec poterit dici perfecta fœtus emiſſio, ſed potiùs imperfecta, quo tempore nomen aborſus merebitur, vt conſtat ex Gal. verbis ſuprà traditis; quod etiam demonſtrat Ariſt. 1. *ſect. problem. problem.* 9.

*An octimestris partus ſit aborſus.*

Sed dubitationem habet, an octimeſtris, ſiue mortuus, ſiue viuus exiens, & diu durans, dicatur aborſus. Andreas Laurent. *de re anatomica*, *q.* 36. cenſet partum octimeſtrem non dici aborſum; nam de ratione aborſus eſt, quod fœtus immaturus foras exeat, aut immaturus in vtero extinguatur; quod ſi perfectus ſit, ſiue vitalis exeat, vel non, dicitur partus naturalis, & perfectus; & quia octauo menſe fœtus ſuarum partium perfectionem poſſidet, partus in illo non dicitur aborſus. Idemque teſtatur Hieronym. Mercur. 2. *de morb. mulieb. c.* 1. quorum doctrina habere poteſt fundamentum in verbis Ariſt. qui 7. *de hiſtor. anim. c.* 4. ait: *Qui autem menſe octauo naſcuntur, viuere atque adoleſcere in terra Ægypto poſſunt, & quibuſdam aliis in locis, vbi mulieres fertiliores ſunt, multoſque ſimul facilè ferunt, & pariunt.* Cùm ergo tales viuant, perfecti in lucem exeunt, aliàs viuere non poterant, atque adeò partus ille potius naturalis cenſendus, quàm aborſus.

*Vera concluſio.*

Sed licèt hæc opinio veritatem habere videatur, facilè ex dictis impugnari poteſt; nam defendi non poteſt, quod mortuus fœtus exeat perfectus, licèt tempore partus legitimo in lucem prodeat, quo tempore partus ille potiùs dicetur aborſus; nam ratione temporis licèt in partibus fœtus perfectionem adquiſiuerit, ratione tamen alterius cauſæ imperfectus exit in lucem; nec ſcio in quo conſiſtit illius perfectio, ſi de vtero matris eſt tranſlatus ad tumulum. Si igitur quia fœtus perfectus eſt, manet ſuperſtes, ſic ſimiliter, quia eſt imperfectus, obiit, ita vt ſemper ſaluetur, quod aborſus eſt imperfecta fœtus emiſſio vtcumque facta, vel fœtus circa vterum deperditio, ſiue tempore pariendi legitimo, ſiue alio tempore fiat.

*In quo differunt abortus & effluxio.*

Aduertere tamen oportet, nomine aborſus non comprehendi eam ſeminis deperditionem, quæ intra primos ſeptem dies fit; talem enim vocat Ariſt. 7. *de hiſtor. anim. c.* 3. effluxionem, dicens: *Effluxiones vocantur, quæ intra ſeptimum diem corruptiones incidunt.* Nam ante ſeptimum diem non fit conceptio, nec prima fœtus animatio, ante quam ſi ſemen excidat, non dicitur aborſus; nam aborſus eſt rei animatæ. Quod verò conceptio fiat ſeptimo die, docuit Hipp. *lib. de carnibus*, dum inquit: *Primum etenim poſtquam genitura in vteros peruenit, in ſeptem diebus habet quæcumque corpus habere debet.* Vbi Hipp. frequentiorem terminum conceptionis aſſignat; nam certum eſt ad plures, vel pauciores dies conceptionem extendi poſſe, & variationem ſuſcipere, cùm ſit actio naturalis, quæ ex proportione agentis ad reſiſtentiam paſſi reſultat, & in omnibus eadem proportio, & reſiſtentia ſeruari non poſſunt.

*Locorum Hipp. conciliatio.*

Ex his facilè intelligimus, loca quædam Hipp. quæ inter ſe pugnare videntur; nam *lib. Iuſiurandum inſcripto*, Deos, Deaſque teſtes facit, ſe grauidis tali venam non ſecare, neque aliquid ad fœtum corrumpendum dare. At *lib. de natura pueri*, famulæ cantatrici iuſſit ſepties ad terram ſaltare, vt genitura in vterum ab illa recepta in terràm proflueret: qui locus præcedenti contrarius apparet. Breuiter tamen eum à calumnia liberabimus, ſi dicamus, in iureiurando promiſiſſe ſe non prouocare aborſum, neque ad hunc finem aliquid vtero gerentibus propinare; nam in Hipp. lege prohibitum erat, quemquam interficere, ibique promiſit ſanctè vitam agere. Libro verò *de natura fœtus*, nihil dictis contrarium ſuadet; nam licèt illius præcepto famula eiecerit genituram à viro receptam, eam tamen emittere iuſſit ante ſeptimum diem, ante ſcilicet quàm conceptio, ſeu animatio fieret, vt ipſius verba declarant, inquit enim: *Talem ſanè genituram ſex dierum exiſtentem vidi.* Cum hoc tamen homicidium non commiſit, neque aborſum prouocauit, ſed tantummodò effluxionem ſeminis, quam excitare in gentilica lege non erat prohibitum. Quibus claret Hipp. non ſibi ipſi contrariari.

## §. I.

### *De cauſis aborſus.*

Aborſus cauſæ ſunt in multiplici differentia, quarum meminit Gal. 3. *de morb. popul. ſect.* 2. *in hiſt. ægroti* 9. eaſque tradit Auicen. *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 8. & alij; quæ quidem in tantùm abortire faciunt, in quantum fœtum lædunt, contentricem vim debilitant, aut expultricem ad expellendum concitant, vt ſi grauidæ vehementer ſalierint, aut ſubitò horrendum quid conſpicatæ timuerint, aut vehementer iraſcantur, aliamque animi fortem paſſionem patiantur, qua nimis corpus commouetur, & ſimiliter vteri acetabula diſrumpuntur. Inter animi paſſiones poteſt etiam annumerari deſiderium, ſeu appetitus vehemens alicuius determinati alimenti, aut alterius rei, cuius ratione frequenter abortiunt, vt experimento didicimus; nam multoties contingit, quod alimentum olfactu, aut viſu gratum appareat; quod ſi non ſit præſens, ſufficere ſolet illius recordatio, ad quod proſequendum ſtimulatur animus; quod ſi non conſequitur, grauida vehementer contriſtatur, & ad hanc paſſionem ſequitur aborſus; motis enim humoribus ad intra facilè ſuffocatur fœtus.

Huiuſmodi appetitum tribuunt quidam non ſolùm matri, ſed etiam fœtui, cuius contrarium probat Fontecha *luminari* 2. Non enim contingit, alimenti, vel alterius rei deſiderium in fœtu ante materiæ ſeminalis animationem; quo tempore illa materia appetitu, & deſiderio neceſſariò caret, & tamen abortit mulier: ergo talis appetitus eſt ſolùm matri tribuendus, cùm præcipuè ſit appetitus ſenſi

ſenſitiuus, qui operatur præcedente cognitione; & cùm rei deſideratæ fœtus nullas habeat ſpecies, neque de illa habere poteſt cognitionem, & conſequenter neque appetitum animalem.

*An vteri anguſtia ſit cauſa aborſus.*

Inter cauſas aborſus conſtituunt aliqui vteri anguſtiam, quorum fundamentum habetur ex Hipp. *lib. de ſuperfœtat. & de ſterilitate*, vbi inquit, quod ſi mulier in tertio, aut quarto menſe, aut quinto ſemper abortiat, ob defectum amplitudinis vteri contingit, vtiturque medicamentis vterum diſtendentibus.

Sed quia ab antiquis omnes aborſus cauſæ traditæ ſunt, & inter ipſas vteri anguſtiam non annumerant, imò omnes prætermittunt; vt certum exiſtimo, non poſſe eſſe cauſam aborſus. Ratio huius eſt, nam vterus à natura taliter eſt contractus, vt poſſit amplius, & amplius diſtendi vſque ad conſumptionem partus: quod ſi vteri anguſtia aufert augmentum, eo quod non extenditur vltra, non inde ſequitur, quod auferat vitam, vt rectè admodum docet Mercur. & probari poteſt ex Hippoc. *lib. de genitura*, vbi ait: *Si enim non habuerint ſpatioſitatem, in qua fœtus nutriri poſſet, neceſſe eſt ipſum tenuem fieri, vtpote qui non habet ſatis amplum locum ad incrementum capiendum.* Quod exemplo confirmare nititur dicens: *Quemadmodum ſi quis cucumerem, qui iam defloruit, & in cucumerario adhuc adhæreat, ponat, ac immittat in vas anguſtum, æqualis, ac ſimilis euadit cauitati ipſius vaſis, ſic ſanè in pueris res ſe habet.* Cùm igitur ex huius loci verbis conſtet, vteri anguſtiam fœtus paruitatem tantummodò cauſare, & non aborſum, adhuc ex illius ſententia non debet connumerari inter aborſus cauſas, quod etiam inſinuat Ariſtot. 10. *ſect. problem. problem.* 14. dum quærit, cur in animantium genere alia paruo, alia magno conſiſtant corpore? Qui reſpondet: *Cauſa duplex reddi poteſt, aut enim locus, aut alimentum id facit: locus ſi anguſtus eſt; alimentum ſi exiguum.*

Quid ergo reſpondendum eſt Hipp. ne ſibi contrarius appareat. Mercurialis reſpondet, quod libri *de ſuperfœt. & ſterilit.* non ſunt Hippocratici, ſed ab aliquo Hipp. diſcipulo in lucem editi; alter verò *de genitura*, inter genuinos Hipp. eſt adſcribendus, in quo ipſe veram doctrinam tradit. Sed huius reſponſio effugit potiùs difficultatem, quàm abſoluit: quapropter dicendum eſt, quod vteri anguſtia præter naturam, & violenta eſt abortus cauſa, quatenus amplitudinem tollit naturalem, impeditque illius extenſionem, cuius ratione fœtus ſuarum partium magnitudinem debitam non conſequitur, de qua eſt intelligendus Hippoc. *locis citatis*, vbi cauſas præter naturam aborſus recenſet; alio verò loco de anguſtia naturali loquutus fuit, quæ inter cauſas aborſus connumerari nequit, quia vterus adhuc paruus naturaliter extendi poteſt, & ſufficientem nanciſci magnitudinem. Ex quibus conſtat Hippoc. doctrinam nullam pati poſſe calumniam.

Dolor etiam vehemens, cruditatum exuberantia, medicamentorum eſus, ſanguinis ex vulnere profluuium, aut ſanguinis miſſio inter aborſus cauſas conſtituuntur, quæ citiùs abortire facit, ſi fœtus fuerit grandior, vt docuit Hipp. *text.* 31. inquiens: *Mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit, & magis ſi fœtus ſit maior.* Si tenſio etiam ſuperuenit, abortire facit, vt ex eodem conſtat *lib. etiam* 5. *aphoriſmorum, text.* 27. Si aluus nimium profluat, idem efficere valet, vt ipſe *textu* 34. *eiuſdem libri* teſtatur. Similiter ſi ab humiditate, & cruditatibus vteri acetabula laxentur, & diſrumpantur, aborſus ſequitur, ex eodem Hippocra-

**A** te ibi, *textu* 45. Propter inediam, magnitudinem febris, alteriuſve morbi magni, aborſus ſequi ſolet, ex Galen. 5. *aphoriſmorum, comm.* 53. morbi etenim acuti non ſolùm fœtum perdunt, ſed matrem, ex Hippoc. *textu* 30. *eiuſdem libri.* Odores peſſimi, vt odor extinctæ lucernæ, abortum faciunt, ex Plinio 7. *natural. hiſt. cap.* 7. Si hiems auſtralis, & pluuioſa fuerit, ver autem ſiccum, & aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver ineſt, ex quacumque cauſa abortiunt, ex Hippocrate 3. *aphoriſmorum, text.* 12. qui euentus ex aëris immutatione dependet. In tempore calido, & ſicco mulieres abortire ſolent, ex Auic. *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 2. *capite* 3. hancque ob cauſam in regionibus borealibus, & in regionibus nimis frigidis, aut calidis facilè in aborſum incidunt mulieres, vt refert Albertus Magnus 10. *de animal. tract.* 2. *cap.* 2. Vigiliæ immodicæ, & immoderatum exercitium aborſum prouocare aiunt; quare grauidæ nec labores, nec motus vehementes ſuſtinere poſſunt,
**B** præcipuè primis, & vltimis menſibus, vt docet Galenus 4. *aphoriſmorum, comm.* 1. Balneum etiam abortire facit vterum laxando, ex Auic.

Aliam cauſam frequentiorem tradunt, nempe ſanguinis multitudinem, & humorum nimiam molem, quibus vterus premitur, fœtuſque ſuffocatur: huius cauſæ recordatur Auerroës 7. *collect.* 2. *capite*, quorum quantitatem demere iubet ſanguinis miſſione, quia illis non indiget embrio.

Aborſus ſigna ex eius cauſis inueſtigare licebit, quapropter examinare oportet, an aliquæ cauſæ ex traditis præceſſerint, quæ aborſum concitare poſſint; ex illis enim facilè in aborſus cognitionem, & in illius præſagium incidimus. Prætereà ſi vtero gerenti mammæ graciles fiant, abortit, ex Hippoc. 5. *aphoriſmorum, textu* 37. & ſi altera mamma gracilis fiat geminos habenti, alterum abortit, ex eo-
**C** dem ibi, *textu* 38. Sunt enim communes quædam venæ mammis ac vteris, quæ vbi parum habuerint ſanguinis, mammas graciles reddunt, & ſanguinis defectu nonnunquam fœtus perimit, nonnunquam ad excretionem excitatur, vt *in comm. text. præcitati* Galen. inſinuat. Item ſi lac multum è mammis effluit, ſignificat fœtum eſſe imbecillem, ex eodem Hipp. *eodem lib. text.* 52. Similiter ſi purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum, ex eodem ibi, *textu* 60. debilitatur enim fœtus ob alimenti defectum, & ſequi ſolet aborſus. In aborſu vitæ periculum imminet, præcipuè ſi fœtus grandiuſculus ſit, & in octauo menſe, quo fœtus, & mater magis laborant. Ex aborſu tamen minùs læduntur quæ ſaniores ſunt, & aluum naturâ laxiorem, ac vteri partes humidiores habent, & quæ magnos infantes ſine moleſtia pepererunt, & quæ paucum ſanguinem habent, & ætate ſunt prouectiores, & non pingues, vt notat Aëtius *tetrab.* 4.
**D** *ſerm.* 4. *cap.* 19.

## §. II.

### *Curatio aborſus.*

ABorſus curatio præſeruatio quædam eſt, quæ mulieri debetur ante conceptionem, aut poſtquam concepit, ne abortiat, quæ diuerſam victus rationem, diuerſumque curandi modum expoſcit pro cauſarum differentia. Si igitur cognoueris ob aliquam intemperiem mulieres abortire, antequam concipiant, vnaquæque per contrariam qualitatem eſt corrigenda: quod ſi ex alio morbo

morbo aborſus oboriatur, illi prouidebis adhibitâ curatione iuxta illius naturam.

Quod ſi humorum frigidorum adſit abundantia, quæ ventrem laxet, & aggrauet, ex qua frequentiùs abortire ſolent, aborſum præcauebimus adhibito victu exſiccante,& aliis, quæ adduximus capite præcedenti pro curatione ſterilitatis ex humoribus frigidis, & humidis.

Quod ſi adſit ſanguinis multitudo, illum euacuabimus priùs pro multitudinis ratione; deinde ad localia remedia capite antecedenti tradita recurrimus, vt dictum eſt; vnum tamen adducit Aëtius, quod pituitam ex vtero optimè expurgat, quod ſic fiet. Colocynthidem magnam ſupernè incidito, & ſeminibus eiectis, ac dimiſſa medulla, oleum irinum infundito, cum diſſecta particula colocynthidem operito, & per diem, ac noctem madeſcere ſinito, deinde feruenti cinere coquito, ac oleum excolato, & tepidum in vuluam iniicito; quod præterquam quod pituitam expurgat, mulieres fœcundas facit. Oportet etiam vt aſſumat confectiones, & electuaria, & aliis vtatur capite præcedenti adductis.

*Curatio aborſus præſeruatiua ante conceptionem*

Verumtamen ſi mulier iam concepit, & pluribus vteri cruditatibus ſit referta, quarum ratione abortire ſolet, aliâ viâ incedendum eſt; non enim illam expurgare poſſumus, niſi magno vrgente morbo, aut turgentem materia, & hoc à quarto menſe,& vſque ad ſeptimum, vt iubet Hippoc. 4. *aphoriſmorum,textu* 3. quapropter relictis vniuerſalibus euacuationibus,victum exſiccantem, exercitiumque moderatum inſtitues; & quia ab huiuſmodi recrementis facultas retentrix vteri debilitatur, ideò ea adhibebis auxilia, quæ exſiccent, & ſimul roborent. Cibis itaque admiſceantur maſtix,vterque corallus præparatus,aut margaritæ præparatæ, aſſumereque poſſunt hanc confectionem. ℞. margarit. præp. oſſis de corde cerui, raſuræ eboris, boli armeni, terræ ſigillatæ, vtriuſque coralli præp. ana ʒ. j. conſeruæ roſarum antiquæ, & citoneor. ana ℥.iij. miuæ citoneorum compoſitæ,quod ſufficiat, vt fiat confectio, cuius quolibet mane accipiat grauida cochlearia duo. Potus ſit aqua deaurata,lentiſcina, aut vinum album aquoſum, vel eiſdem aquis dilutum: deinde vti poteris vnguentis, & emplaſtris renibus, lumbis, & vmbilico admotis. Oportet igitur huiuſmodi partes inungere oleo maſtichis, nardino, abietino, & abſinthites, aut hoc vnguento. ℞. olei nardini, maſtichis, & citoneorum,ana ʒ.j. ß. olei irini, & anethini,ana ℥.ß. pulueris maſtichis,colophoniæ, mumiæ,& ſanguinis draconis,ana ʒ.j. acaciæ,hypociſtidis,& rhu obſoniorum,ana ʒ.ß. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum: ex iis etiam cum pice nauali, & terebinthina fieri poteſt ceratum. Emplaſtrum mirabilis efficaciæ fieri poteſt in hunc modum. ℞. vtriuſque coralli, vernicis, maſtichis, electri, ana ʒ.j. ligni aloës, galangæ, calami aromatici,ſchœnanti,ana ʒ.ß. gran. chermes,ſanguinis drac. boli armeni,terræ ſigillatæ, biſtortæ, ſigilli Beatæ Mariæ, cinnamomi, & cariophyl. ana ℈.ij. ſtyracis,calaminthæ, ana ʒ.ij. laudani depurati ℥.j. ceræ, & terebinthinæ, quod ſufficiat, vt fiat emplaſtrum, quod extendatur in panno coccineo, & renibus ac lumbis applicetur,cui ſi aliquid gallæ moſchatæ, & diambræ, vel moſchi, & ambræ admiſceas,pretioſius efficies,quod ſterilibus ex frigida, & humida intemperie maximè etiam auxiliatur.

Præterea ſi aborſus contingere ſolet ratione redundantiæ ſanguinis,qui vterum grauat, fœtumque ſuffocat, vel ſua multitudine vteri venas obſtruit, ita vt ad fœtus alitionem ſanguis non perueniat, oportebit ſanguinem extrahere ex vena brachiorum communi, vt conſulit Auer. 7. *collect. citat. cap.* 4. dicens: *Ego autem dico, quod phlebotomia, quando adeſt repletio, quâ embrio non indiget, non eſt mala.* Cuius ſententiam approbat Vall. 7. *controu. cap.* 7. qui aſſerit, ſanguinis miſſionis tutiſſimum vſum eſſe in primis menſibus, magis periculoſum in vltimis, in mediis medio modo. Sanguinis enim miſſio nocet fœtui alimenti ſubtractione; ſed quia primis menſibus,& mediis eo minùs eget fœtus, quàm in vltimis, ideò illis menſibus ſecuriùs ſanguinis miſſio adhibetur, poſtremis verò menſibus neutiquam,niſi magno vrgente morbo,& tunc cum meditatione faciendum, ne alimenti ſubtractione fœtus pereat.

*Quo grauidationis tempore vena ſectio vtilior.*

Sanguinem ergo extrahere licebit, neque ſubitò,neque ſemel,vt docet Ludouicus Mercatus,ſed interpoſitis aliquibus diebus; idque potiſſimùm ad quartum,vel tertium menſem, niſi poſtea abortire ſoleat; quo caſu quinto, & ſexto menſe ſanguinem mittere oportebit; quod quidem facies parum ante tempus,in quo fœmina abortire ſolebat, quo præſidio plures incolumes vſque ad pariendi tempus idoneum ſeruauimus.

*Aborſus præcautio ex craſſitie, & tenuitate.*

Si verò aborſus concitetur ob nimiam craſſitiem,mulier eſt extenuanda victu tenuiori, & exſiccanti, frictionibus, aut moderato exercitio, & aliquibus ſudoribus. Verùm ſi extenuata ſit, cibis boni ſucci, & humectantibus, & vino præcipuè nigro eſt reficienda. Somnus,& moderatum exercitium iuuant, & quæcumque humectare valent.

Quod ſi ex flatu procedat, interiùs, & exteriùs quæ flatus diſcutiunt,admouebis,& quæ vteri intemperiem corrigere valent:circa hoc lege caput de ventriculi inflatione. At ſi ex animi paſſione vehementi ortum ducat, eam reprimere conuenit, præcipuè ſi id quod optatur, adimpleri non poteſt.

*Aborſus præcautio ex flatu.*

Quod ſi ratione morbi acuti aborſum formidemus,victus non debet eſſe ita tenuis, ſicùt in non grauidis; nam licèt morbus victum prohibeat, fœtus tamen indicat grauidam eſſe nutriendam pro ſuarum virium, & fœtus reparatione, vt optimè animaduertit Mercur. Pari ratione medicamenta clementiora, & benigniora debent eſſe,fortia enim maximè alterant, & naturam perturbant, & ex eorum vſu aborſus prouocatur, maximè primis,& vltimis menſibus; fœtus ſiquidem iis temporibus ſimiles ſunt fructibus arborum,qui ſi leui vento agitantur, ſtatim decidunt. Sic ſimiliter lęui agitatione, & commotione fœtus decidit, & corrumpitur, vt inſinuat Galen. 4. *aphoriſmorum, comm.* 1. *citato.* Etenim ex validorum expurgantium vſu Altimari vxor,quæ vtero gerebat,eadem die mortua fuit, quæ forſan vixiſſet, ſi cum aqua epota euomeret catapotia, vt refert Hippocrat. 5. *de morb. popul.*

Sunt etiam aliqua experimento comprobata, quæ à proprietate occulta aborſum impediunt, ſi collo, aut brachiis geſtentur, vt lapis aquilæ, de quo refert Plinius *libr.* 3. *cap.* 21. quod grauidis alligatus continet partus. Puluis coralli rubri ouo, aut alio cibo acceptus,maximè prodeſt. Sardonius quoque lapis ſuperiori ventri appenſus prodeſt, qui dum dolores partus inſtant, ſtatim eſt auferendus. Lapis etiam in vulua,corde, vel inteſtinis certarum repertus idem facit,ex Aëtio. Iacobus Ruſferius 5. *mulier. cap.* 4. commendat oſſiculum leporis aſtragulum dictum, quod eſt vltimum dorſi illius. Lapis etiam ſtellatus, vnguis ex vrſi pede, cinis erinaceo combuſto collectus,& oleo ſubactus

vnguenti forma prodeſſe aſſeuerat ipſe. Albertus Magn. & Serapio hanc vim magneti, & adamanti, & ſmaragdis tribuunt, aliaque tradunt; dicta tamen pro aborſus præcautione ſufficiant.

## CAPVT XI.

### *De partu difficili ac laborioſo, & de ſecundinis detentis.*

ANtequam de partus laborioſi cauſis ſermonem inſtituamus, oportet cauſas partus naturalis priùs inueſtigare, quibus cognitis facilè ad inſtitutum deueniemus. Ad quarum intelligentiam ſupponere oportet, quod partus naturalis dicitur ille motus, quo fœtus in lucem prodit tempore à natura conſtituto, cuius plures cauſas tradunt Authores. Ariſt. 4. *de gener. animal. cap.* 8. alimenti defectum eſſe cauſam partus legitimi teſtatur, verba eius ſunt hæc: *Cùm enim præ magnitudine non ſatis præterea fœtui eſt alimentum, quod per vmbilicum miniſtratur, lac vtile ad alendum ſuccedit; cumque alimentum per vmbilicum non ſubiit, tunc ſe venæ comprimunt, circa quas tunica eſt, quæ vmbilicus vocatur; atque ob eam rem tunc exitum opportunè fœtus conſequitur. Hipp. lib. de natura fœtus,* in eandem incidit ſententiam, dum ait: *Alimentum, atque auctio à matre veniens, non ampliùs eſt matri ſufficiens, quando decem menſes præterierint.* Galen. 5. *aphor. comm.* 37. eadem repetit verba; quo tempore, cum fuerit fœtus grandior, plus cibi requirens calcitrat, & membranas diſrumpit, & initium partus matri affert. Et vt magis hæc ſententia comprobetur; adduxit Hippocrates exemplum ex ouis volucrum deſumptum; inquit enim *libro iam citato. Naſcitur enim ex luteo oui volucris, alimentum verò, & augmentum habet ex albo, quod in ouo eſt; vbi autem deficit alimentum pullo, ex ouo non habens id ſufficiens vnde viuat, fortiter mouetur in ouo vberius alimentum quærens, & pellicula circum diſrumpuntur.* Et paulò infrà ait: *Sic etiam vbi auctus fuerit puer, mater non ampliùs ſufficiens alimentum ipſi exhibere poteſt, ex cuius defectu puer alimentum quærens, calcitrando pelliculas dirumpit, & à vinculo exſolutus, ſimul foras prodit.*

*Cauſæ partus naturalis.*

Sed licèt hæc vera ſint, & ab omnibus recipiantur, aliqua tamen ſunt, quæ eorum veritatem euertunt. In primis ſtat authoritas Ariſtot. *loco vt ſuprà,* vbi aſſerit, quod vltimis menſibus grauidationis cauſâ neceſſitatis lactis generatio fit, ex quo ſic deſumitur argumentum. Si lactis generatio fit ex ſanguine redundante: ergo non deficit alimentum his temporibus ad fœtus alitionem, ac per conſequens alimenti defectus non eſt cauſa partus naturalis.

*Obiectio prima.*

Secundò, nam plures vtero gerentes ſunt ex ſua natura ſanguineæ, in quibus multa ſanguinis quantitas redundat, qui neque in fœtus, nec matris nutritionem abſumitur; & tamen tempore legitimo fit partus naturalis: ergo eo caſu alimenti penuria non eſt cauſa illius.

*Obiectio ſecunda.*

His rationibus reſpondere poſſumus ex Hippoc. *loco iam citato,* vbi reddit rationem, ob quam ſanguis ad mammas feratur ad generationem lactis, dicens: *Cùm vteri tumidi præ puero ſunt, ventrem mulieris comprimunt; eius autem ſpleni vbi compreſſio contigerit, pinguiſſimum de cibis ac potibus foras proſilit in omentum ac carnem.* Ex cuius verbis colligimus, quod cum vterus diſtentus, & tumidus fœtus ratione comprimat ventrem, & partes ſuperiores, ex tali compreſſione ſanguis ſurſum impellitur, quem pinguiſſimum vocat Hippocrates; & ſic foras, id eſt extra vterum proſilit; cúmque in alias partes deferatur, ob vaſorum communionem in mammas colligitur, ibique dealbatus, in lac conuertitur; eſt enim lac germanum ſanguinis menſtrui, vt inquit Hippocrat. 2. *epidem. ſect.* 3. & poſtquam peperit mulier, principio motus accepto, in mammas ipſas procedit, vt ipſe etiam teſtatur *lib. citato de natura fœtus.* Colligitur enim in parte ſuperiori corporis, & mammis, propter ordinem primæ, originaliſque conſtitutionis, vt etiam inſinuat Ariſt. *loco iam citato.* Cùm ergo neceſſitatis causâ ad ſuperiora ducatur, & impellatur ſanguis, neceſſariò deficit in vtero; quo deficiente partus ſequitur naturalis, vt Hipp. oſtendit.

*Ad illas reſponſio, ex eodem Hippoc.*

Aliam partus naturalis cauſam inuenit Auic. *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 2. nempe defectum attractionis aëris. Verba eius ſic ſe habent: *Partus non fit, niſi cùm fœtui non ſufficit, quod ei mittit ſecundina ex ſanguine, & quod peruenit ad ipſum de attractione aëris, cùm membra eius iam completa ſint.* Hanc cauſam etiam admittit Conciliator *different.* 49. & eſt rationi conſona; nam non minùs indiget attractione aëris, quàm ſanguine, cui non ſatisfacit aër per arterias vmbilicales attractus, ſicut nec ſatisfacit ſanguis; ſed indiget maiori attractione, quâ deficiente, mouetur ad exitum, quærens maiorem aëris copiam.

Aliam cauſam adducit Auicen. cui etiam aſſentitur Valeriola 1. *locor. commun. cap.* 8. videlicet anguſtiam vteri; inquit enim, quod fœtus fugiens à ſtrictura prodit in lucem, quærens latitudinem ſpatioſitatis. Hanc tamen ſententiam redarguit Petrus Garc. *de locis affect. diſput.* 65. *cap.* 3. ſequeretur enim (inquit) quod remaneret fœtus in vtero ſecundùm naturam, quovſque capacitas vteri adimpleretur; quod eſſe falſum ipſa ratio demonſtrat: cùm ſæpe mulieres ſimul plures fœtus concipiant, eoſque intra vteri capacitatem contineant, ita vt vteri âplitudo non ſit tantùm vni fœtui proportionalis, ſed pluribus. Fecit enim natura animalibus perfectis matrices maximas, & quæ diſtendi poſſunt, vt magnam fœtus dimenſionem capere valeant, vt inquit Gal. 14. *de vſu partium, c.* 4.

*An vteri anguſtia ſit cauſa partus naturalis.*

Sed licèt alimenti inopia, & attractionis aëris defectus inter cauſas naturalis partus recenſeri debeant, nihilominus vt certum habeo, potiſſimam illius cauſam eſſe maturitatem fœtus, & illius perfectionem; quod comprobare poſſumus ex Hipp. *lib. de ſeptimeſtri partu,* ſimilitudine quadam ex fructibus deſumpta. Verba eius ſunt hæc: *Quemadmodum autem in his, quæ ex terra naſcuntur, fructus pleni, ac maturi ſecernuntur, ac decidunt, iuxta diſcriminationem, quà parte inhærent; ſic etiam pueris maturis ac perfectis vmbilicus quidem conniuet, ac clauditur; reliqua verò aperiuntur, vt & ingredientia ſuſcipiant, & exitus habeant ſecundùm naturam.*

*Potiſſima partus naturalis cauſa.*

Idemque confirmare viſus eſt *libro de octimeſtri partu.* Simile exemplum tradit Galen. 4. *aphoriſmorum, comm.* 1. vbi inquit, quod ſicut fructus cùm perfecti fuerint ſuâ ſponte, & ſine vi extrinſeca decidunt; ſic etiam fœtus, dum perfecti ſunt. Quod etiam inſinuat 15. *de vſu part. um, cap.* 7.

Quibus locis partus naturalis cauſam ad fœtus maturitatem reducunt, qui ſuam perfectionem adeptus,

adeptus, calcitrat, ligamenta, & membranas diſrumpens, viam ad exitum parat; tunc etenim attenuatur, & reſiccatur vmbilicus, ac conniuet, minuſque firmiter hæret, fœtuſque grauior cùm ſit, facultatem expultricem concitat, qui cùm iam in vtero ſua receperit, & finem ſuum in ipſo adeptus eſſet, vt inquit Ariſt. *loco toties à me repetito*, exitum neceſſariò quærit, & initium partus matri affert, ita vt opus parturiendi non ſolùm matri, ſed etiam fœtui tribuatur, vt oſtendit Galenus 5. *aphoriſmorum, comm.* 37.

Ex nimia enim mole, ex pondere fœtus, & morſu excrementorum, quæ in ſecundinis colliguntur, facultas expultrix matris excitatur ad expellendum fœtum, vt ait Galenus 3. *de naturalibus facult. cap.* 12. quo tempore collum matricis plurimùm diſtenditur, & aperitur, vt poſſit fœtibus facilem præbere exitum. Sed quo pacto id accidat, mirari poſſumus, intelligere non poſſumus, vt ipſe demonſtrat 15. *de vſu partium, cap.* 7.

*Fœtus naturalis figura in partu.*

Sed ne aliquid partui naturali deficiat, oportet vt fœtus exeat in debita figura, ita vt caput priùs deſcendat, & exeat; ſic etenim commodiùs, & cum minori periculo excernitur: qui verò naſcitur ſuper pedes, propter debilitatem non potuit conuerti ſuper caput, & eſt timoroſum, vt ait Auic.

*Cauſæ partus laborioſi.*

His igitur cognitis facile erit cauſas partus laborioſi ac difficilis inuenire, quas breuiter amplectitur Paulus, dicens: *Accidit difficilis partus, aut vitio parientis, aut fœtus, aut ſecundinarum, aut foris aduenientium.* Vitio parientis fit, ſi nimis craſſa, & obeſa ſit, aut vuluam exiguam habuerit, aut doloris ſit imperita, aut timida, vel aliquem morbum patiatur vteri, vel alterius partis, ratione cuius imbecillis ſit, vt fœtum propellere nequeat ſine magno labore. Idem accidit illi, ſi ex ſua natura debilis exiſtat. Vita otioſa partum laborioſum efficit, quatenus plura congerit excrementa, vt conſtat ex Ariſt. 4. *de generatione animal. cap.* 6. & 7. *de hiſt. animal. cap.* 9. Vitio fœtus contingit, vt ſi ſit inuſitatæ magnitudinis, aut magni capitis, vel monſtruoſus, vt biceps, vel mortuus, vel viuus quidem, ſed imbecillis, ita vt ſe ad motum non adiuuet, nec foras poſſit procedere; vel ſi plures fœtus ſint, aut figuram naturæ contrariam in exitu contineant. Ob ſecundinæ vitium fit, quando ipſa intus manet, ita vt ob craſſitiem non auellatur, aut priuſquam opus eſt, propter ſubtilitatem, & tenuem modum ſubſtantiæ abrumpitur, & humore euacuato infans præ ſiccitate ægre deuoluitur. Ab externis tandem partus difficultas oritur, vt à nimio frigore vias coarctante, vel à calore nimis diſſoluente, aut ab alio quouis fortuito accidente.

*Signa fœtus mortui.*

Cognoſcimus partus difficultatem ex cauſarum præcedentium cognitione, quas inquirere debemus, vt eis auxilium afferamus, & ex iis, quæ actu in parturiente percipere valemus. Verùm ſi ob aliquem morbum, aliámve cauſam fœtus intrà vterum moriatur, illum eſſe mortuum dignoſcimus ex frigiditate ventris inferioris, & ex magno circa vmbilicum dolore, pallore vultus, oculorum cauitatibus, anhelitu fœtido matris, cuius caput replebitur multis vaporibus, & prauis, nec ſentietur in vtero motus infantis, ſed vt res grauis mouebitur ad motum matris. Quod ſi mulier quatuor dierum ſpatio laboret in partu, tunc iam moritur fœtus, vt inquit Auicen. & oportet, vt non occuperis in fœtus conſeruatione, ſed in eius extractione. Ex labore partus mulieribus venæ pectoris frangi ſolent, & in phthiſim, aut ſanguinis ſputum incur-

A runt: frangitur interdum, aut rumpitur peritoneum, & hernioſæ fiunt, & vt notat Auenzoar, mulieribus difficulter parturientibus, oculorum pupillæ dilatantur. Præterea ſi mulier validas vires habeat, & anhelitum bonum, & animo non deficiat, ſaluabitur; ſi verò infirmas vires habeat, timere poſſumus, ne in ipſo pereat partu.

## §. VNICVS.

### *Curatio partus laborioſi, & ſecundinarum detentarum.*

B QVia dolor parturientibus nimis infeſtat, illius cauſas diligenter ante partum, & in ipſo partu detrahere expedit. Quare euitare debent frigus, caloremque immodicum, & vitam ſedentariam, & otioſam; imò vti oportet moderato exercitio. Coitus ante partum facilitat illum, vt quidam ſentiunt. Partu ergo accedente, mulier in aëre tepido collocetur, & in cubili clauſo, illique ſpem felicis euentus promittere, & animum addere, ne præ timore, & dolore animo linquat, neceſſarium erit. Ambulet gradus aſcendendo, & deſcendendo, & clamet, vt iubet Auic. Vtatur linimentis, quæ emolliant, & laxent iuxta dorſum, pecten, & loca muliebria, quæ fieri poſſunt ex oleo irino, de croco, chamæm. & amygd. dulc. cum vnguento dialtheæ, Agrippæ, axungia gallinæ, & anatis. Vtatur præterea balneis aquæ dulcis, in qui-

C bus etiam coqui poſſunt emollientia, & laxantia, vt malua, branca vrſina, beta, mercurialis herba, parietaria, & ficus aridæ, & pingues, vt docet Aëtius. Cibi adſtringentes prohibeantur, & ſint emollientes, & in potu in diebus doloris partus conſulit Auic. vt detur aqua fœnugræci.

Quod ſi os matricis aperiri incipiat, collocanda eſt mulier in ſella, vbi ampliùs non ſaltet, nec moueatur, ne figura fœtus permutetur, quo tempore ſuffumigia apponi poſſunt, quæ aperire, & ad ſe matricem allicere valeant, vt conſulit etiam Auic. Sternutatoria etiam conducunt, ex Hipp. 5. *aphor. textu* 35. Illis enim totum corpus excutitur, & fœtus faciliùs expellitur. Quæ omnia conuenire cenſeo in quauis partus difficultate à quacunque cauſa procedat; aliqua tamen ſigillatim trademus cuique

D magis propria.

*Cura partus difficilis ex craſſitie.*

Si ergo pariens nimis craſſa, & obeſa fuerit, adiuuanda erit digitis obſtetricis oleo lilij albi, aut dulci illitis, quos in vuluam immittat, & paulatim adaperiat, & dilatet; quæ etiam ante pariendi tempus ciborum paucitate parum extenuetur, laboret, & vigilet, vt ſic aliquid pinguedinis abſumatur, viæque illius ſtrictæ adaperiantur.

*Si ex timore, & debilitate.*

Si verò ſit timida, & debilis, optimo alimento eſt roboranda, admonenda, & exhortanda.

*Ex vteri ſtrictura.*

Quod ſi ob vteri ſtricturam partus difficilis ſequatur, mollientibus, & aperientibus, vt dixi, eſt vtendum, neque eſt quod in hoc ampliùs immoremur.

*Ex imperitia dolorum.*

Si imperita dolorum ſit, docebitur, vt validiſſimè ſpiritum comprimat, & ad inguina depellat, vt docet Paulus.

*Ex morbo.*

At ſi morbum aliquem patiatur veſſicæ, inteſtinorum, aut alterius partis, illi obuiandum erit ante tempus pariendi, cuius curationem ex proprio illius capite requires.

*Curatio partus laborioſi*

Ex fœtus, aut capitis illius magnitudine partus difficultas curatur linimentis vteri os laxantibus,

vt

*ex fœtus magnitudine.*

vt oleo ſeſamino, & amygdalarum dulc. quibus illitis manibus obſtetrix vuluam leniter tractando adaperiat, & loca muliebria, & venter inferior emollientibus vnguentis,& oleis liniantur. Quod ſi iis non ſequatur partus,iubet Auic. vt obſtetrix manibus educat; ſi verò non poteſt, faſciis circumligetur fœtus, & paulatim trahatur. Quod ſi id non confert, adminiſtrentur forcipes, & extrahatur cum eis. At ſi iis nondum educitur fœtus, extrahatur cum inciſione, & regatur vt fœtus mortuus. Modum ſcindendi adducit Hipp. *lib. de exſect. fœtus*,vbi iubet præter alia,vt mulieris caput obueletur, ne videns, quod faciendum ſit, timeat, ac exhorreſcat. Quod ſi caſus acciderit, ad illum librum recurre.

*Difficilis partus ex multitudine fœtuum curatio.*

At ſi ex fœtuum multitudine partus difficilis fiat, obſtetrix propinquiorem omni arte deducere tentabit, deinde alterum extrahere, & vni poſt alium viam parabit.

*Ex vitioſa figura.*

Quando verò fœtus deſcendit cum vitioſa figura,obſtetrix eum manibus conuertat, & ad naturalem reducat,vel ad ei proximam. Proxima naturali figura eſt, quando ſecundùm pedes deſcendit,quæ accidit propter debilitatem naſcentis, non enim conuerti poteſt: qui ſi ad optimam figuram non poſſit reduci, eum ligare cum vitta linea, & extrahere conuenit,vt inſinuat Auic.

*Curatio partus difficilis propter fœtum mortuum.*

Sin autem partus difficilis fiat propter fœtum mortuum,quod diligenter eſt inueſtigandum,cùm fœtus non poſſit ſe adiuuare ad expulſionem,quatenus ſuo motu non diſrumpit membranas, & ligamenta, quibus inuoluitur, & continetur, ideò illius eductionem adiuuabimus ſternutatione, & vt aliqui volunt,vomitu,& ſingultu, quibus corpus concutitur, & expellendi vis excitatur. Hæc ſi non proſint, aliqua medicamenta adducemus, quæ partim à proprietate occulta, partim verò à manifeſta virtute operantur. Quæ à proprietate manifeſta opus perficiũt,ſunt menſes prouocantia,& acuta, & plerumque amara, vt docent omnes Authores; in quem vſum magis experientiâ comprobata tradere decreuimus. Valet ergo ad id hæc potio. ℞. decocti ſabinæ, caſſiæ ligneæ, & croci ℥.ij. pulu. aſſæ fœtidæ ʒ.ß. caſtorei ℈.j. terantur ſubtiliter, & miſceantur; ſyrupi artemiſiæ ℥.ij. miſce. Aut ℞. rutæ ſiccæ ʒ.ij. caſtorei ʒ.j. aſſæ fœtidæ, & myrrhæ, ana ℈.ij. terantur ſubtiliſſimè, & huius pulueris ʒ.j. in ℥.iij. decocti ſabinæ aſſumat pariens. Centaurum maius, & cedria, non ſolùm fœtum mortuum eiicere faciunt, ſed viuum interficiunt, vt docet Gal.7. *ſimplic.* Theriaca etiam eſt in vſu, quæ prodeſſe ſolet, vt docet Galen. *de theriaca ad Piſonem.* Puluis dictami in vino aſſumptus ſine violentia fœtum extrahit. Euphorbium quantitate ʒ.j. potenter fœtum ducit. Peſſuli etiam fiunt,qui fœtum expellere faciunt,vt ℞. veratri nigri, vtriuſque ariſtolochiæ, ammoniaci, ſtaphidis agriæ, colocynthidis, & rutæ ſilueſtris, ana ʒ.j. terantur omnia diligenter,& cum melle, vel terebinthina, lana, vel goſſipio fiant peſſuli.

Quæ à proprietate occulta operantur, ſunt vngula aſini,ſi ſuper prunas apponatur,& vulua ſuffumigetur. Idem efficit ſuffitus ſtercoris ipſius, & ſuffitus ſpolij ſerpentis. Lac humanum,ſi bibatur, eſt clementiſſimum medicamentum ad fœtum educendum, ex Arnaldo de Villanoua. Lac etiam caninum ab aliquibus commendatur, cuius vſum reprobat Galen. 10. *ſimplic.* Quod ſi iis non expellitur,ad manualem operationem deuenire cogimur, & fœtum ſcindere,& extrahere, vt docet

A Paulus *libro 6. cap.* 74. circa q^u^od lege Hippocrat.librum *de fœtus extractione.* Ante omnia tamen inſpicere oportet, an mulier ſuperſteſne futura ſit,vel non; nam ſi ſalus ſperatur,manum admoliemur; ſin contrà, attingi non debet. Quod quidem venabimur ex virium illius firmitudine, & debilitate, & ex accidentibus, quæ ipſam conſequuntur.

Quod ſi ſecundinæ rumpantur,& exeat humor, ita vt vterus areſcat, & fœtus præ ſiccitate ægrè deuoluatur,vterus humectandus eſt, & emolliendus decocto maluarum, biſmaluæ, & fœnugræci, & ſimilium, aut oleo ſeſamino, & amygd. dulcium.

Quod ſi ſecundinæ detentæ ſint, earum expulſionem adiuuare conuenit ſternutationibus,& aliis corporis motionibus. Oportet etiam ſpiritum cohibere,nares apprehendere, & os, ex Hippocratis præcepto,& vti eiſdem potionibus, & mediis,quæ
B conferunt ad expellendum fœtum mortuum, præter quæ valet hoc ſuffumigium. ℞. hellebori nigri ʒ.j.rutæ ſiccæ, galbani, caſtorei, & euphorbij, ana ʒ.j.ß. miſce, & cum terebinthina aut melle fiant paſtilli, quibus ſuper carbonibus poſitis, ſuffumigentur.

At ſi iis auxiliis non prodeant, monet Auic. vt obſtetrix ſecundinam manibus calidis, & oleo linitis apprehendat,& diligenter attrahat modò in dexteram, modò in ſiniſtram partem, aut in rectam, cauens ne diſrumpantur: quod ſi aliqua illius pars foras proſiliat, femori ligabitur, ne intrò recurrat,& os vteri oleo amygdal. dulcium, ſeſamino, & leporis coagulo, cum pauco croco in linimenti formam eſt liniendum,vt ſic eo laxato faciliùs ſecundinæ ducantur. Tandem ſi iis non ex-
C cernantur, earum extractionem non ſoliciteris, ibi enim putreſcent, & paucis diebus tranſactis, eas excludet natura ſub forma ſaniei, aut aquoſitatis ſanguineæ. Interim tamen ſi vires patientis deficiant, eas roborabis aquâ caponum, vel gallinarum, ouis recentibus, vino generoſo, & aliis id genus.

## CAPVT XII.

### *De mola vteri.*

D VT meliùs eſſe rei intelligatur, ab eius definitione exordiendum docet Philoſophus. Eſt igitur vteri mola quædam caro otioſa,informis, & dura,vt inquit Gal. 14.*de vſu partium,c.*7.Dicitur *caro* per quandam analogiam; non quia reuerà talis ſit,vt ex dicendis conſtabit.Dicitur *otioſa*, quia caret motu animalis, ſed tantummodò ad modum grauium,& leuium mouetur,& ad motum alterius. Dicitur etiam *informis*,non quia formam non habeat, cùm omne ens naturale ſubſtantiale corporeum ex materia,& forma neceſſariò componatur; ſed quia non habet formam hominis,aut viuentis. Dicitur prætereà *dura*, ita vt aſſerat Plinius 7. *de hiſtor.animal.cap.*15. quod reſpuit ferri aciem, & ictum; quam duritiem non contrahere ſolùm ex calore exſiccante, vt aliqui volunt, autumo; ſed potiùs ex propria forma, tanquam illi connaturali, reſultat.

Quantum ad eſſe ſubſtantiale illius, omnes conueniunt,

conueniunt, molam non informari anima rationali, ſic enim indigeret Sacramento baptiſmi: nec conſtat anima ſenſitiua, quia nullo modo ſentit, nec mouetur, neque id aliquo ſigno deprehenditur.

*An aliquâ informetur animâ.*

Solùm eſt dubium, an mola formâ vegetanti prædita ſit? Fernelius, & cum eo alij cenſent, molam viuere vita vegetatiua, ita vt illa caro non dicatur talis per analogiam, cùm vitam habeat, ſed veræ carnis rationem participat, quæ more plantarum excrementum ſumit, alimentumque per venas prolicit. Cùm enim nutriatur & augeatur, vt reliqua viuentia, ei non eſt deneganda anima vegetabilis.

Sed contraria aſſertio verior exiſtimatur, nempe molam nullo gradu vitæ viuere; quam tuentur Vega, Petrus Garcia, & alij. Quæ ſententia probari poteſt; nam ſi viueret anima vegetatiuâ, maximè quia experimur in dies magis ac magis augeri: ſed hoc non ſufficit, vt habeat vitam, ſiquidem talis auctio fieri poteſt per iuxtapoſitionem, ita vt augeatur ſicut ignis per combuſtibilium admotionem: ergo iſtentum. Neque ex alimenti attractione concluditur, gradum aliquem vitæ habere, cùm plura entia reperiantur naturalia, quod ſibi vtile eſt attrahentia, & tamen nullum vitæ gradum participant.

*An ſine viri concubitu fiat mola.*

Fit in vtero mulieris, quia ſola mulier pluri ſanguine menſtruo abundat, vt ſcripſit Ariſt. 4. *de generat. animal. cap.* 7. Sed illius cauſas tradere oportet. Plutarchus exiſtimat, molam poſſe generari ſine viri concubitu; quam ſententiam ſequitur Valleſ. 2. *controu. cap. 6. in fine*, eratque communiter recepta tempore Plinij, vt ipſius verba indicant 10. *natural. hiſt. cap.* 64. vbi ait: *Molas, de quibus antea dixi, gigni putant vbi mulier non ex mare, verùm ex ſemetipſa tantùm conceperit.*

Sed qui hoc placitum ſequuntur, in duas ſententias ſunt diuiſi; quidam enim cenſent, fieri ex ſanguine menſtruali ſine ſeminis muliebris occurſu, inter quos Hieron. Merc. qui aſſerit molam eſſe carnem, atque nullam aliam habere generationem, quàm ipſa carne; ſed ad illam requiritur viri concubitus, licèt non fiat medio ſemine virili; ſed ſolùm ex illo concubitu loca muliebria incaleſcere ait, quæ vbi incaluerunt, duo præſtant, & faciunt maiorem ſanguinis attractionem, & calore vteri coagmentato, ſanguis concoquitur, & in carnis formam redigitur.

Horum tamen opinionem redarguit Andreas Laurent. *de re anatomica, quæſt.* 25. nam cùm ſanguis non habeat vim agendi, ſed in ordine ad generationem, & nutritionem ſe habeat vt materia, non conſtat qua ratione ex eo ſolo generari poſſet mola, quam vinculis alligari, & membranis veſtiri videmus; quæ omnia conformationis inchoatæ rudimenta ſunt, & cauſam efficientem requirunt, quæ non poteſt eſſe ſanguis; & calor coagmentatus ex vi concubitus cum viro non poteſt concurrere ad productionem carnis in genere cauſæ principalis, ſed ſolùm inſtrumentaliter. Præterea impertinenter dicitur, quod eſt neceſſarius viri concubitus, vt excitetur vteri calor ad ſanguinis coagulationem, & in carnis reductionem, cùm ex aliis cauſis incaleſcere poſſit, vt ex motu, exercitio, manuum frictione circa muliebria, & coëundi deſiderio.

Valleſ. *loco iam citato*, Gordon. *part.* 7. *de paſſionibus matricis, cap.* 13. & alij opinantur, molam fieri ex ſanguine menſtruo, & ſemine materno, ad quam non requiritur viri concubitus: & probari

A poteſt, nam in mulieris vtero eſt ſufficiens cauſa materialis; ſanguis ſcilicet menſtruus, ex quo formari poteſt mola. Similiter adeſt etiam ſemen muliebre, in quo aliqua vis formatrix reſidet, vt Medici aſſirmant, quæ cùm ſit debilis virtutis, valet inchoare formationem, & non conſummare, & loco fœtus molam producit. Quæ doctrina videtur habere fundamentum in verbis Hipp. *lib.* 2. *de morbis mulieribus*, & *lib. de ſterilibus*, vbi ait: *Molæ porrò conceptus cauſa hæc eſt, cùm multi menſes modicum, & morboſum ſemen conceperint.* Vbi nomine ſeminis (inquiunt) venit intelligendum ſemen modicum, & morboſum muliebre, quod ad molæ generationem præſtat motus principium; Horum etiam ſententia reiicitur; contra quam inſurgit Hollerius 2. *de morbis internis, capit. de mola*, & Andreas Laurent. *loco iam citato*. Primò

*An animalia ouipara concipiant ſine maſculo.*

B authoritate Galeni 14. *de vſu partium citato*, vbi inquit, quod licet animalia ouipara concipiant, & oua pariant ſine maſculo, vt patet in gallina, quæ parit oua ſine gallo; animalia tamen viuipara non concipiunt ſine illo, quare mulier molam non concipit ſine viro, vt ibi expreſſis verbis declarat. Secundò; nam dum mola generatur, producuntur etiam membranulæ, & inuolucra; quibus mola continetur, quæ non fiunt ſine ſeminis virilis concurſu. Tertiò, quia ſi ex ſolo muliebri ſemine mola conciperetur, virgines, quæ nocturnas pollutiones patiuntur, molam conciperent, cuius contrarium quotidie obſeruatum eſt, nec viſa eſt mulier, quæ ſine viro molam conciperet.

C Alij cenſent, vtramque partem defendi poſſe; videlicet molam fieri poſſe ex ſemine muliebri, & ex ſemine viri; inter quos Petrus Garcia *diſput.* 73. *cap.* 5. *de locis affectis*, qui aſſerit nulla efficaci ratione vnam magis quàm aliam poſſe defendi, ac conſequenter vtramque eſſe probabilem.

*Conclusio vera.*

Mihi tamen verior exiſtimatur Galeni ſententia, quæ aſſerit mulierem non concipere molam ſine viri ſemine, & hoc modo eſt intelligendus Hippoc. *locis citatis*, vbi ex modico ſemine, & morboſo, cum ſanguinis multitudine molam generari inquit. Hanc ſententiam ſequuntur Lupeius in annotationibus ſuper libros *de vſu partium*, Hollerius, & Andr. Laurent. *locis iam citatis*, quam poſſumus probare primò experientia ducti, cùm nullam videamus mulierem molam geſtantem, quæ ex viri congreſſu eam non concepiſſet.

D Secundò ex Galen. *loco iam citato*, vbi quærit cauſam, ob quam ouipara oua pariant ſine maſculo, viuipara verò molam ſine illo adhuc parere non poſſunt, quæ quidem ouis illis proportione quadam reſpondet. Cui dubio ipſe ſatisfacit dicens: *Verùm id in greſſilibus quidem animalibus adeſſe non poteſt. Cùm enim omnia hæc volucribus longè ſint humidiora, corpus fœmininum omninò habent imbecillum, quod eò motus progredi non poteſt, vt formam artificioſam fœtui imprimat.* Ex quibus conſtat, fœminas greſſilium animalium molam non concipere ſine viro, ob earum humidiorem naturam.

Quod ſi dicas, ibi loqui Gal. de conceptione perfecta, vt vltima verba oſtendunt, dum ait: *Quod eò motus progredi non poteſt, vt formam artificioſam fœtui imprimat.* Ex quo non ſequitur, quod fœtus forma perfici non poteſt ſine maſculi ſemine: ergo nec mola; nam in fœminæ ſemine poterit adeſſe virtus ad productionem molæ, & non ad perfectionem fœtus. Reſpondetur illo loco tam fœtus, quàm molæ generationem Galenum amplecti, vt ſequentia illius verba declarant. Quibus aſſerit,

quod ſi tale animal ſiccum greſſile fœmineæ naturæ daretur, in ſe quidem molam ſine maſculo conciperet; ſed quia mulieres, & fœminæ greſſilium animalium volucribus ſunt humidiores, ideò ſine maſculi congreſſu molam adhuc concipere non poſſunt; nam à ſanguinis redundantia, & excrementorum multitudine vis fœminei ſeminis extinguitur, & ſic ſemine indiget maſculino, quod operandi principium afferat.

Ex quibus infero, ſemen virile paucum, aut morboſum eſſe cauſam molæ efficientem, quod quamuis ex ſe habeat producere effectum ſimilem principali agenti, à quo fuit deciſum; tamen quia à ſanguinis menſtrui multitudine, vel quia morboſum eſt, eius virtus fœtus productiua impeditur, neceſſariò tunc operatur præter intentionem agentis, & producit effectum diuerſæ ſpeciei, nempe molam, & inſurgit effectus monſtruoſus.

*Quis morbus ſit.* Hic affectus eſt morbus in numero addito toto genere præter naturam, vt indicat Gal. 14. *method. cap.* 13. Actuarius tumorem carneum illum appellat; quod etiam inſinuat Aetius *tetrabil.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 80.

Hunc morbum ſequitur coloris vitium, appetitus proſtratio; ab initio tamen non tantùm fœminis ipſis, & obſtetricibus, ſed etiam Medicis conceptus ſuſpicionem de ſe præbet: menſes ſupprimuntur, mammæ intumeſcunt, ſtomachus ſubuertitur, lumbi grauantur, & venter attollitur, corpus gracileſcit & vires languent. Verùm temporis progreſſu à vero conceptu diſcernitur; nam molam dolor punctionis ſenſum inferens ſubſequitur, neque in ea vllus percipitur motus, ſed ad modum rei grauis mouetur; poſtea verò toto corpore imminuto, ac ventre ampliato, hydropis ſpeciem repræſentat; ab ea tamen differt per tumoris duritiem, nam tumor hic digitorum compreſſioni non cedit, neque ad tympani modum ſonat, neque ad manus contactum vlla fluctuatio percipitur; procedente verò tempore iecur refrigerari ſolet, & hydrops ſuperuenit.

*Mola duratio intra vteri.* Solet in vtero perdurare mola vſque ad duos, vel tres annos, vt ex Hipp. & Auicen. deducitur. Ariſt. 4. *de generat. animal. cap.* 7. *citato* ait, quod ad quartum vſque annum durat, imò vſque ad finem vitæ conſeneſcit, cuius curatio difficilis eſt, vt docet Hipp. præcipuè ſi mola magna ſit, ita vt dicat ipſe 1. *de morbis muliebribus*: *Hanc igitur maximè quidem nec curato, aut certè cum prædictione.*

### §. Vnicvs.

### *Curatio molæ.*

QVæ ſunt toto genere præter naturam, ea in totum ſubmouere iubet Galen. 14. *methodi, iam citato.* Sed quia difficilè mola ex vtero tollitur, aut illius curationem non attinges, aut maturo conſilio, & prædictione eam aggredi opus erit. Ante curationem verò oportet exactè molæ ſigna contemplari, ne fortè in vtero fœtum benè formatum habeat mulier, & ſignis decepti aborſum prouocemus. Victus itaque debet eſſe optimi nutrimenti, qui ſimul emolliat, & attenuet. Potus ſit vinum tenue. Exercitium inhibere docent Paulus, & Auic. præſertim inferiorum partium, quod ego potiùs conſulerem, vt molæ deſcenſum adiuuarem. Aluus lenienda, & mulieri futuri euentus bona ſpes eſt præſtanda, ne animo deficiat.

His ſic ſtatutis, ſi adſit ſanguinis redundantia, ex talo ſanguinem detrahes, deinde ad expurgationem humores parabis iis, quæ aperiendi, & attenuandi vim habent. Huius cenſus ſunt ſyrupi adianti, duarum, vel quinque radicum, de eupatorio, de artemiſia, cum decocto hyſſopi, artemiſiæ, meu, cyperi, matricariæ, & aliis, quæ capite de menſtruorum ſuppreſſione adduximus.

Facta humorum præparatione eos expurgabis; in quem vſum commendant hieram Logodion. Archigen. & colocynthidis. Conueniunt etiam electuarium eleſcop. & agaricum, pillulæ elephanginæ, & de agarico, ex quibus catapotia, potiones, & morſellos effingere poteris.

A purgatione vias laxare, & emollire, & vim expultricem excitare oportet ad molæ excretionem. Vias laxamus balneis, & fotu rerum emollientium, & aperientium, quæ ſic parari poſſunt. ℞. foliorum maluarum, & radicum altheæ, ana m.ij. caricarum, ſebeſten, dactylorum, ana n.xij. capill. Vener. matricariæ, artemiſiæ, mentaſtri, pulegij, ana m.j. ſeminis aniſi, & fœnugræci, ana ℥.ß. ex quibus omnibus paretur decoctum, cuius vaporem recipiat ægra, & in eodem decocto balneetur. Poſt balneum venter inferior, & pecten hoc vnguento illiniantur. ℞. oleorum amygd. dulcium, & ſeſamini, ana ℥.j. butyri ℥.j.ß. adipis anatis, & gallinæ, ana ℥.j. ſucci maluæ ℥.j. ceræ, quod ſit ſatis ad vnguentum. Valent etiam vnguentum agrippæ, deoppilatiuum, & dialtheæ intra, & extra vterum adhibita. Oportet etiam vt aliquibus diebus aſſumat potionem ad eundem finem, quæ ſic paratur. ℞. paſſularum ſine vinaceis ℥.ß. prunorum damaſc. & dactylorum, ana n.vj. caricarum n.iiij. ſeminis altheæ, & maluæ, ana ʒ.iij. contundantur omnia, & coquantur in iure pulli, ad tertiæ partis conſumptionem, cuius quolibet mane accipiat ℔.ß.

Sed quia huiuſmodi præſidia aliquando non prodeſſe conſtat, nam ſolummodò molæ ad exitum viam parant, ideò ad ea, quæ facultatem expultricem irritant, cuius opus deſideramus, deuenire cogimur: ſed quia talia non differunt ab iis, quæ tradidimus pro fœtus mortui extractione, capite de partu laborioſo, ac difficili, ea in præſenti omittimus; ſi eis opus fuerit, ad illud caput recurre.

## CAPVT XIII.

### *De coxendicum dolore.*

LIcèt de iſchiade, ſiue coxendicum dolore, & de articulari morbo antiqui vno pertractent capite, quia eandem retinent naturam; nihilominus cùm aliqua peculiaria tradant huic dolori proficua, quæ ad articularis doloris curationem non conducunt, placuit nobis de vtrolibet claritatis causâ diuerſum caput inſtituere. Hic morbus coxæ dolor appellatur, à parte ſumpta denominatione, & hoc morbo oppreſſos, nos coxos vocamus, græcè iſchiade affectos, quia iſchion illam partem nominant, vt docet Galen. 2. *methodi, cap.* 2. & *lib. de definitionib. medicis.* Arabes vocant ſciaticos, vt conſtat ex Auic. *fen.* 2. 2. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. Eſt quidem iſchion magnus articulus, ac laxiſſimus, & rotundus, in quo oſſis femoris caput cum oſſe coxendicis annectitur, profundam habens cauitatem, ob eamque cauſam quoquoversùs agita

agitatur,& circumagitur, vt docet Gal.12. *de vſu partium,c.5.* qui etiam ob eaſdem cauſas fluxionibus eſt obnoxius. Huius partis dolor vehemens eſt ob neruorum copiam, qui ad ipſam partem perueniunt, & propter partium colligantiam partes ſibi vicinas attingit,& quandoque extenditur vſque ad genu,& calcaneum,vt notat Auic.& etiam vſque ad pedis digitos protendi ſolet. A

*A quo morbo oriatur iſte dolor.* Cum dolor ſit ſymptoma morbum præſupponens, hunc tamen inueſtigare per difficile non erit, cùm ex Galeno conſtet 2.*de cauſis ſymptom.c.5.*& *de inæquali intemperie*,quod quoties natura alteratur, aut corrumpitur, dolores fiunt. Fit ergo dolor iſte ex humoris affluxu, qui partem diſtendendo ſolutionem continui cauſat: & licèt Auic. aſſerat, quod hic morbus aliquando ab intemperie ſine humoris affluxu cauſatur, verior tamen exiſtimatur Galeni ſententia 10. *de compoſitione medicam. ſecundùm locos*, & *ſexto aphoriſmorum*, *comm.*28. quem omnes ſequuntur, vbi aſſerit morbum hunc fieri non poſſe ſine humoris conſortio, qui occupat coarticulationem,quâ affectâ,& expletâ,in omnem partem circumſitæ neruoſæ particulæ tenduntur, & ex iis oritur dolor; nam humores fluentes in ipſis partibus dolorem producunt continuum ſoluendo,& partem diſtendendo,& tumorem quandoque inflammatorium ſuccendendo. B

*Cauſa.* Ad huius affectus conſtitutionem non ſolùm requiritur in parte præſentia humorum fluentium, ſed etiam partis,ad quam fluunt impotentia, & debilitas,quæ duo huius morbi ſunt concauſæ;neque enim partis imbecillitas,neque humorum ad illam fluxio ſeorſim conſiderata hunc morbum procreant. Oportet ergo, vt vtraque cauſa in vnum conſpirent effectum,vt docet Gal.6. *aphoriſmorum citato*,& Paulus *lib.3.c.*88. in quo omnes conueniunt. C

Licèt ab omnibus humoribus excitetur huiuſmodi affectio,à cruditatibus, & humoribus pituitoſis præſertim originem ducere ſolet;nam cùm intra articulos ſemper opus ſit pituita, quæ eorum duritiem emolliat,& eorum motum adiuuet,neceſſaria eſt etiam omni tempore effluxio pituitæ ad illos; ſunt etenim natura ſicci, & ex longo vſu, & motione aridiores, & ineptiores fierent ad motum, niſi continuo pituitæ effluxu læuigarentur.Si ergo ex aliqua occaſione pituitæ,& crudorum humorum adſit redundantia,promptiùs in coxam,& articulos decidunt, quàm alij humores, quia naturaliter ad illas partes pituita affluebat,& ſic principio motus facto, non mirum ſi pituita redundans ad illas dilabatur,& coxendi cum dolorem excitet. D

*Signa.* Notus morbus eſt; nam dolor ſentitur in lumbis, coxamque moleſtat; inguina,femora,& nonnunquam crus trahuntur in conſenſum, præcedereque ſolent quæcumque frigidos humores gignunt.

*Præſagium.* Hic morbus curatu difficilis eſt, vt docet Hipp. *lib.de internis affectionibus*, qui ſi ſemel curetur, redire ſolet velociter, ex Auic. Gal. tamen *lib. de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem,c.*18. iſchiadas vno die curaſſe ait, facta ex crure euacuatione; erant enim venæ,quæ in coxa ſunt,ſanguine impletæ. Quibuſcumque à coxendicum dolore diuturno moleſtatis excidit coxa, iis crus tabeſcit, & claudicat,ſi non vrantur,ex Hippoc.6.*aphoriſm. textu vltimo*, & de internis affectionibus inquit: *Ex hoc morbo multi claudi facti ſunt.*

## §. Vnicvs.

### *Curatio doloris coxendicum.*

Cvm ex diuerſis humoribus dolorificus iſte affectus prodeat, pro humorum varietate victus ratio varia eſt inſtituenda, frequenter tamen commendant Authores alimenta exſiccantia, quæ neque multùm nutriant, neque humores adaugeant. Conuenit etiam primis diebus victus tenuior,vt natura auara reddita,ad coxam minùs tranſmittat.Potus ſit aqua lentiſcina,aut deaurata, aniſi, aut cinnamomi:exercitium ſit moderatum,aut nullum; animi paſſiones euitent, ventremque lenem habeant, aut clyſteribus ſubducatur, frictionibuſque vtantur partium ſuperiorum. Victus,& vitæ regimine inſtituto,conſulunt omnesſanguinem extrahere,ſiue plethora adſit,ſiue humores ſua qualitate infeſtent; nam humorum fluentium retractio, eorum verò qui iam partem obſederunt, deriuatio medela eſt, vt inquit Gal. 2. *de arte curatiua ad Glauc.c.*1. talis autem retractio optimè ſanguinis miſſione completur. A venæ ergo ſectione exordiendum eſt.Et quamuis Gal.*loco iam citato*,iſchiadas curauit ſanguine miſſo ex talo, meliùs tamen reuellimus ſectis brachiorum venis: quod etiam ipſe docuit 10.*de compoſit. medicam. ſecund. locos*, vbi ſic: *Tanquam igitur maximam vim ad affectionis curationem habeat totius corporis euacuatio, ab ipſa incipiendum eſt, non ſolùm à cruribus, ſed à cubito primùm ſanguinis detractione facta.* Quod etiam confirmauit Aëtius *tetrab.3.ſerm.4. cap.*1. Detracto ergo ſanguine ex brachiorum venis reuulſionis causâ,eas quæ ſunt in malleolo,aut poplite ſecare debemus; ea tamen venæ ſectio fieri debet de poplitibus & malleolis forinſecus,vt docet Hipp.*lib.de natura humana*; ſic etenim meliùs deoneratur natura; & partium rectitudo ſeruatur. Quod ſi ſanguinis miſſio fiat ex vena in pede,quæ eſt inter minimum digitum, & ſibi propinquum, eſſe ſolet maximi iuuamenti, vt docet Auic. *fen.*2.2. *lib.*3. *tract.*2. *cap.*4. in ſanguinis tamen extractione conſiderare debemus humoris ideam, ægri ætatem, regionem, & morbum; ſi enim affectio inueterata ſit,ætas ſenilis, & humor frigidus, parcè ſanguinem detrahes; in contrario verò ſtatu audaciùs procedes.

A ſanguinis miſſione humores præparabis, & expurgabis, ex Aëtij præcepto. Auxiliatur etiam vomitus,magis vtique, quàm euacuationes infernæ per ventrem,vt qui reuellit deorſum repentem humorem,ex Galeno *loco proximè citato*. Clyſterum acrium vſus proficuus eſt; ipſi enim humorem diſtrahunt, & à parte videntur deuiare.

Sed quia humor in parte collectus remediis vniuerſalibus non educitur, ad alia præſidia particularia deuenire opus erit. Ante tamen eorum vſum aduertere oportet ex Galeni ſententia, quod in iſchiade non eſt vtendum repellentibus, ſicut in aliarum iunctuarum dolore; cùm enim in profundo ſita ſit; humores in profundum facilè compelluntur, & augetur affectio. *Topica.*

Præterea in principiis non eſt vtendum nimis calefacientibus; nam fluxiones calore nimio exacerbantur,calore plus attrahente, quàm fluxiones cohibente. Debent ergo eſſe in calore, & frigore temperata, & dolorum ſedatiua, quæ ſi non pro-

ſint, factâ vniuerſali euacuatione per medicamenta expurgantia, ad efficaciora, & valentiora deueniendum. Conuenit ergo ab initio partem inungere oleis chamæmali, anethi, iridis, & rutæ, aut cum oleo nardino, & de caſtoreo, cum modico vini, & aceti, vt citiùs penetrent; ita:nt calamentum, roſmarinum, pulegium, chamæmalum, ruta, melilotum, & anethum in aceto bulliant, & cum ſpongia fiat fotus, aut pars inungatur hoc. ℞. vnguenti marciat. & aragon, & Agrippæ, ana ℥.ß. euphorbij, piretri, ſtaphidis agriæ, ana ℈.ij. miſce, & cum cera fiat vnguentum. Emplaſtrum de baccis lauri, & de meliloto, & guillen ſerben, aut oxycroceum dictum in corio extenſum prodeſt. Oportet etiam partem abluere aquâ vitæ, aut ea confectione per alembicum

*Nota.* extracta, quam aniſi ſpiritum vocant, quæ potenter reſoluit, & penetrat. Ego quidem aliquos curaui ſudorificis auxiliis, & inunctione ex hydrargyrio, præſertim dum luis gallicæ aliqua erat ſuſpicio. Valet etiam emplaſtrum diachilon cum ſulphure, ita vt ℔.j. emplaſtri ſulphuris ℥.j. reſpondeat. Emplaſtrum ex farina lupinorum, & erui cum oxymelite prodeſt, quod vehementius erit, ſi addas aliquid nitri, euphorbij, piretri, baccarum lauri, radicis cucumeris ſilueſtris, calaminthæ, & reſinæ. Emplaſtrum ex caranna, & tacamacha vtile etiam cenſetur. Cerata etiam ex galbano in aceto diſſoluto, & pulueribus traditis cum cera, & terebinthina ad idem valent. Cucurbitulæ cum ſcarificatione ipſi parti ſunt affigendæ, ita & hirudines. Balnea ſimiliter naturalia ſunt ex vſu, vt notat Paulus.

*Veſſicatoriorum vſus.* Si verò affectio non auferatur, efficaciora expoſcit auxilia, & ad veſſicatoria deuenire iubent Paulus, & Aëtius. Inter alia commendant illud, quod ex puluere radicis iberidis, & axungia componitur, quod ſupra partem in mulieribus per duas horas perſiſtat, in viris verò quatuor horarum ſpatio ſupra partem detineatur: deinde balneum ingrediatur, aut aquâ tepidâ abluatur, quo præſidio aliquibus diebus interpolatis vti debemus, vt præcipit Aëtius. Vnguentum hoc idem efficit. ℞. ſynapis, euphorbij, & piretri, ana ℈.ij. olei irini, & rutæ, ana ℥.j. ß. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum. Mel anacardinum, ſi eo pars liniatur, optimum eſt, quod tranſactâ vnâ horâ ſemoueatur, veſſicæque aperiantur, & humorem fluere ſinito. Hæc tamen remedia, ſi corpus non ſit ſufficienter euacuatum, nouum humorum fluxum concitare ſolent. Cautè ergo in eorum adminiſtratione procedendum. Tandem vt vltimum remedium cùm, vitium longiùs ſe prorogat, articulum tribus, quatuorve locis vrere oportet, ac pluribus diebus vlcuſcula aperta ſeruare. Sic etenim humor ad extima reuocatur, & euacuatur, & ipſa pars corroboratur, fortiorque redditur: hoc ſiquidem modo Scytharum corpora, quos Nomades vocant, robuſtiora, & fortiora fiebant, qui cùm præ humiditate membra debilia, & ad motum inepta haberent, ipſa exurendo humiditatem illam, & membrorum mollitiem detrahebant, vt docet Hipp. *lib. de aëre, locis, & aquis*. Laudant etiam aliqui venarum inuſtiones retrò aures, & fundamentum deſumunt ex Hipp. 6. *epidem. ſect.* 5. *textu* 22. vbi ait: *Cùm adſunt œdemata, venæ in auribus poſteriores ſcarificandæ ſunt.* Galenus *in comm.* inquit, quod œdemata appellat Hipp. fluxiones in crura decumbentes, & maximè ad articulum coxendicem dictum, vbi ait, quod venæ in auribus non ſunt ſecandæ, quia admodum præexiguæ ſunt; ſed venæ, quæ ſunt poſt aures, quæ grandiores, & ampliores cùm ſint, faciliùs

A ſecari, & vri poſſunt. Huiuſmodi præſidio vtebantur Scythæ, qui ex equitatione, propendentibus ſemper ex equis eorum cruribus, in coxendicum dolorem incidebant, & à morbi initio vtramque venam retrò aures ſecabant, & multam ſanguinis quantitatem extrahebant, & à ſomno correpti, poſtea depulſo ſomno ſani exurgebant, vt teſtatur Hip. *lib. de aëre, loc. & aquis*. Fontanella in altero crure fiat, vt humor diſtrahatur.

---

## CAPVT XIV.

### *De arthritide.*

Non minùs curatu difficilis eſt morbus iſte, quàm præcedens, quem etiam Medicorum opprobrium vocant, propterea quod ſi ſemel illud curare incipiunt, inceptam curationem nunquam, aut B raro perficiunt, & vt immedicabilem relinquunt. Tamen vt huic tractatui nihil deſit, curabo aliqua in medium adducere, quæ partim ad huius morbi exactam notitiam, partim ad curationem, & dolorum mitigationem conducunt. Dum enim humor aliquis in articulum prolabitur, & eam partem obſidendo, & diſtendendo dolorem efficit, morbus articularis vocitatur, in quo non ſolum articulus affici ſolet, ſed ex copia humorum fluentium circum vicinæ partes, vt tendones, nerui, & ligamenta, quæ ad cutem vſque replentur, & tenduntur, ita vt maximos excitent cruciatus, vt docet Galen. 10. *de compoſit. medicament. ſecund. loc. cap.* 2. Hic morbus C diuiditur in chiragram, iſchiadem, & podagram. *Huius morbi diuiſio.* De iſchiade actum eſt capite præcedenti. Podagra dicitur cùm humor confluens pedes, malleolas, & digitorum articulos infeſtat. Chiragra cùm manus, & illarum carpum, & digitorum articulos humor fluens moleſtat. Quod ſi quivis alius articulus, aut omnes patiantur, generali nomine arthritis, ſeu morbus articularis vocitatur. Morbus notus eſt, qui in ſolutione continui, & diſtemperie cum humoris affluxu, & aliquando cum tumore ad extra conſiſtit. *Quis morbus ſit.*

Circa partem affectam dubitant Authores, an humor intra articuli cauitatem dilabatur, an verò in eas membranas, quæ extrinſecus oſſium extrema nectunt, & ambiunt, & in tendones, neruos, & ligamenta. *Dubium circa partem affectam.*

Fernelius exiſtimat, humorem non colligi intra articuli cauitatem, hoc ductus argumento; nam D in nodoſa, tophaceave podagra, atque chiragra humor in calculum iam concretus facilè eruitur, cute ſolummodò ſciſſa, illæſiſque manentibus articulis: quod neutiquam contingere poſſet, ſi intra illorum ſpatium humor concreſceret; non enim ita facilè extraheretur, neque ſine illarum partium læſione fieri poſſet.

Communis tamen ſententia eſt, humorem illum in articuli cauitatem dilabi, vinculaque ac tendones, & neruos lædere; neque eſt ratio, quæ ad oppoſitum ſuadeat. *Communis ſententia.* Non tamen in articuli cauitatibus humor tophaceam comparat naturam, nam humor ibi exiſtens facilè diſſoluitur, & digeritur per motum illarum partium, ad quem ſunt deſtinatæ; mouentur enim articuli, & concaleſcunt, humorque quaſi funditur, & attenuatur, ita vt rarò, aut nunquam in tophaceam naturam migret. Concreſcit ergo frequentiùs humor in membranis oſſa ambien

ambientibus, quæ motu carent, ex cuius defectu humor non diffunditur, nec attenuatur.

Ex dictis non colligitur, ad tophi generationem non requiri calorem, imò contrarium obſeruabimus, vt ſtatim videbis; ſed ſolùm colligitur, motum partium illius generationem impedire, quatenus per illum humor diffunditur, & in tenues redigitur partes.

Sed vt de tophis tractatio abſoluatur, eorum cauſas tradere opus erit. Alexander Tral. & cum eo omnes aſſerunt, cauſam materialem eſſe humorem craſſum, crudum, aut incoctum, qui ex inordinato ciborum eſu, & ex alimentis craſſis ortum habet.

Cauſa efficiens quandoque eſt calor adurens, & humoris partes tenuiores reſoluens; quibus aſſumptis, quod craſſius remanet, fit naturæ tophaceæ, & lapidoſæ. Fit etiam à frigore ſtupefacientium auxiliorum, quibus præ ingenti dolore vtimur; his enim congelatur, & concreſcit humor, & tumorem tophaceum parit.

*De cauſis arthritidis.* Huius morbi cauſas ex dictis capite de coxendicum dolore facillime inueſtigabis, quas adduxit Galen. *loco proximè citato*, & Paulus *libro* 3. *capite* 78. Aëtius *tetrab.* 3. *ſermone* 4. *capite* 7. & alij, qui confitentur fieri poſſe ab omnibus humoribus, præcipuè tamen ab humoribus frigidis, & crudis, quorum ſententiam immeritò damnat.

Fernelius firmiter tenet, ab humoribus crudis tantummodò excitari poſſe, cuius contrarium quotidiana demonſtrat obſeruatio, ſignaque habemus conſpicua, quibus humores diuerſos hunc morbum procreantes dignoſcimus, auxiliáque diuerſa iuxta humorum differentiam adhibita proſunt; quod haudquaquam contingeret, ſi ab vnico principio originem traheret.

*De articulorum impotentia.* Præter humorem fluentem conueniunt omnes requiri in articulis debilitatem quandam, ratione cuius humorum fluxionibus ſunt obnoxij; quod indicare viſus eſt Galenus *libro iam citato*, & 6. *aphoriſmorum*, *comment.* 28. Hæc tamen articulorum debilitas, ſeu impotentia contrahitur aut ex principiis generationis, quando ſcilicet parentes morbo articulari ſunt oppreſſi; eſt enim morbus hic, vt omnes fatentur, inter hæreditarios connumerandus; cum quo ſtat, quod articuli producantur laxi, & molles, & ad humorum fluentium receptionem parati, ita vt facilè in hunc morbum incidant.

Vel producitur tractu temporis ex Venere, & Baccho; antiqui enim podagram Bacchi, & Veneris filiam eſſe clamabant, iis etenim maxima in articulis impotentia conſurgit; quibus accedit otioſa vita, aut intermiſſio alicuius euacuationis aſſuetæ, & quæcumque valent plura congerere excrementa. Ob hominum tamen modeſtiam Hippocratis tempore mulieres, pueri, & eunuchi podagra non laborabant; nunc autem propter immodicum otium, & vitæ intemperantiam hoc premuntur morbo; quod etiam eueniſſe conſpexit Galen. ſuis temporibus, vt ipſe oſtendit 6. *aphoriſmorum*, *comment.* 28. 29. *&* 30.

Suppoſitâ articulorum laxitate, & debilitate, plura in ipſis accreſcunt excrementa per paulatinam congeſtionem; nam ob eorum debilitatem, neque ea excernere, neque abſumere valent; quibus ibi detentis, morbus iſte gignitur. Fit etiam dum humores in articulos ex aliis partibus dimandantur: circa hoc tamen diſſentiunt Authores; nam quidam exiſtimant, partem mandantem eſſe caput, inter quos Fernel. 6. *de partium morbis*, *& ſymptom. capite* 18. qui quidem humores non cumulantur intra caluariam (tales enim per nares, & palatum euacuantur,) ſed potius in partibus capitis exterioribus, & extra craneum; nam cùm cutis, ex qua educuntur capilli, craſſa, & denſa ſit, non facile ex illa humor exſpiratur, ſed tempore cumulatur, qui facillime ad partes inferiores transfertur, & ad articulos propulſus morbum articularem producit; quam ob cauſam venarum retrò aures ſectionem & vſtionem facere iubet Hippocrates 6. *epidem. ſectione* 5. *textu* 22. Quod placitum comprobatur ex Hippocrate *libro de glandulis*, vbi coxendicum dolorem ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam, inde in os ſacrum, & in coxendicum iuncturas fieri docet. Idemque ſtatuit *libro de locis in homine*.

*Quid tenendum.* Cæterùm licèt hæc opinio habere videatur fundamentum in Hippocrat. verbis, communis tamen ſententia eſt, humorum fluxionem ex pluribus partibus originem habere: nam ex humorum multitudine in venis morbus iſte ſuccreſcere ſolet, quatenus natura onus deponere tentat, & ob articulorum laxitatem ad ipſos humorem redundantem trudit: idemque efficere ſolet, ſi humor ſuâ infeſtet qualitate.

*Obſeruatio.* Prætereà ex dolore colico anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo obſeruaui aliquos in chiragram incidere; firmatis enim inteſtinis, quæ humorem illum anteà recipiebant, ad extremitates natura humorem illum tranſmittebat: quod etiam accidere viſum eſt Auicennæ *fen.* 2. 2. *lib.* 3. *tractatu* 2. *capite* 5. & conſonat doctrinæ Hippocrat. *libro* 6. *epidem. ſect.* 4. vbi ait: *Cùm inteſtinum in dextra parte dolebat, & articulari morbo corripiebatur, erat quietior.* Similiter ex fluxione catarrhali originem habere ſolet, aut ex membri alicuius mutilatione; nam ſanguis qui in membri illius nutritione abſumi debebat, facilè in articulos dilabitur. Ex quibus colligimus, Fernelij, & aliorum doctrinam rationi aduerſari, dum aſſerunt arthritidem ex capite tantummodò initium habere.

## §. I.

### *Obſeruatio.*

Licèt vobis nouum videatur, & à nemine hucuſque traditum id, quod nunc propono veritati ſtans, Perilluſtris Comes de Valloria D. Franciſcus Franco à Guzman arthritico dolore frequenter vexatus ex præſentia, & affluxu humoris bilioſi, & pituitoſi, vt oſtendebant ſigna vtrumque humorem referentia; tamen in horum præſentia dolorem etiam patiebatur ex flatuum copia, ex ipſis humoribus in ipſis articulis calefactis congeſta, à quibus partes maiorem dilatationem comparabant, & conſequenter intenſiorem dolorem. Quod inde conſtitit, nam facta ſupra articulum læſum leui compreſſione, ſtatim eructabat flatus, & inde alleuiabatur; & quod magis eſt, ſi dolor pedem infeſtabat, pede molliter compreſſo, ore illicò eructando flatum reiiciebat, & dolor ſedabatur; quod ſi pluries faciebat, toties eructabat; & licèt hoc reduci debeat ad mirandum conſenſum, qui inter noſtri corporis partes datur, nam conſenſus

conſenſus eſt vnus, conſpiratio vna, & omnia conſentientia, vt tradit Hippoc. libello de alimento; cum hoc tamen non poſſum non mirari, quod tantâ facilitate, & velocitate flatus, ſeu vapor exiſtens in pedis articulo, ductus, & canales inueniret, per quos ad os perueniens ructu truderetur.

Hucuſque dictum eſt, hunc morbum à quouis humore dependere poſſe, frequentiùs tamen ab humoribus frigidis originem ducere docent. Sed in hoc amplius non eſt immorandum, cùm quiuis humor proprias habeat notas, quibus dignoſci quit, quas quia facilè percipies, ſuperuacuum eſt illas tradere.

*Præſagium.* Iſte morbus ſuccreſcit veris tempore ob ſanguinis multitudinem, qui à calore eo tempore rareſcit, & attenuatur, & in articulos defluit. Aut autumno, ob vitioſam, quam contraxerunt humores, qualitatem, quâ natura ad expulſionem excitatur, dicente Hippocrate *6. aphor. text. 55.* Quicumque etiam podagrici fiunt, ſedata in quadraginta diebus inflammatione, liberantur, eodem Authore *6. etiam aphoriſmorum, textu* 49. Aduenit frequentiùs ſenibus, & ætate prouectis, qui plurimis abundant excrementis, vt omnes fatentur. Quanta cum difficultate curationem admittat, nemo eſt qui dubitet, vt in huius capitis initio dictum eſt, præcipuè ſi ad eum deuenerit ſtatum, vt humor tophaceam comparet naturam; nam ſoluere nodoſam neſcit Medicina podagram, vt prouerbialiter dicitur ex Ouidij ſententia.

## §. II.

### *Curatio arthritidis.*

*Curatio præſeruatiua.* Prius quàm huius morbi curam inſtituamus, de illius præcautione eſt agendum, quam docet eſſe faciendam Galenus *libro quos & quando purgare conueniat*; ſic enim articulorum dolores per plures annos inhibuit ipſe, vt ibi oſtendit. Præueniendi igitur ſunt, & ineunte vere inaniendi, vel miſſo ſanguine, ſi ex multitudine; vel data potione expurganti, ſi ex humorum corruptela morbis capi ſoleant: quod etiam inſinuat Hippocrat. *6. aphoriſmorum, textu* 47. vbi ait: *Quibuſcumque venæ ſectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.* Galenus *in huius textus comm.* huiuſmodi euacuationibus vere, & autumno factis plurimos ab imminentibus morbis ſe præſeruaſſe ait. Conuenit igitur ineunte vere, & autumno (quibus temporibus morbus iſte aſſiduè affligere ſolet) antequam morbus ſuperueniat, ſanguinem mittere, præcipuè ſi ſanguinis adſit redundantia, ita vt in his, qui ſanguinis copiâ abundant, non ſolùm ſemel, ſed bis aut pluries venæ ſectio repetatur. Quod ſi arthritis moleſtat, communis vena ſcindatur; ſi verò podagra, ſanguinem ex baſilica eiuſdem lateris extrahes; verùm ſi chiragra hominem apprehendat, ex talo ſanguinem mittere licebit, vt docet Aëtius *tetrab. 3. ſermone 4. capite 23.*

Facta ſanguinis detractione, ſi vitioſus humor ſit huius mali origo, eum demere expedit; hac tamen adhibitâ conſideratione, quod ſi humor ex genere venoſo in articulos confluat, eum euacuabis pillulis aggregatiuis, & arthriticis; quam euacuationem per interualla repetere licebit, vt humor ille, qui paulatim defluit; paulatim etiam euacuetur, factâ priùs præparatione iuxta humoris peccantis ideam. Verùm ſi ex capite originem habeat, pillulis ſine quibus, cochiis, arabicis, vel de agarico vti licebit.

Quod ſi ventriculus, & prima regio plura congerunt excrementa, vomitus ter, quaterve in menſe procurandus eſt, quem ſi reformidet æger, per inferiora humorem euacuabis, idque efficies pillulis hieræ au maſtichis Fernelij. Terebinthinæ vſum cum rhabarb. commendat Ludouicus Mercatus.

Sed quia, vt dictum eſt, humorum non ſolùm copia, ſed etiam articulorum laxitas, & debilitas eſt huius morbi cauſa, ideò non ſolùm oportet humores ipſos euacuare, ſed etiam articulos, & membra corroborare, vt ſic vtrique cauſæ ſatiſfaciamus, in quem vſum commendat Aëtius, vt partes, quæ affici ſolent, ſale, & oleo fricentur; ſic enim (inquit) partium inſitus calor adaugetur, & quod præter naturam eſt, diſcutitur, recrementaque conſumuntur; quo remedio per omnem vitæ decurſum vti iubet. Idem etiam efficit aqua marina, quæ humorem diſcutit, & membra corroborat, vt aſſerit Plinius *libro 31. natur. hiſtor. capite 6.* aut decoctum rerum adſtringentium ex vino rubro, vel vinum rubrum chalybeatum, vel deauratum.

Præter dicta vnum auxilium valdè efficax, & experimento confirmatum referam, quo aliquos præſeruaui, nempe ſudationem ex vinaceis, in quibus æger continuis diebus ſerò, & manè duarum horarum ſpatio ſepeliatur, dummodo caput non habeat coopertum, vt liberè reſpirare poſſit. Sunt autem vinacea ſolidæ vuarum partes, ex quibus in torculari vuarum ſuccus eſt expreſſus; ipſi enim partes firmant, ac roborant, & ſimul ſuo calore ſudorem prouocando, humorem partium, earumdemque recrementa euacuant, quorum vtendi modum ſcriptum reperies apud Donatum Anton. ab Altomari. Valent ad id etiam ſudationes ex radice chinæ, ſmilacis aſperæ, aut ligni guaiaci, præcipuè ſi gallicæ affectionis ſit ſuſpicio. *Vinacea quid ſint.*

Oportet etiam fontanellam aliquando in ſano crure aperire, ſi manus, ac brachia patiantur; aut in brachio, ſi pedes ſint malè affecti, vel crura.

Sed quia videmus iis adhuc non poſſe præſeruari, ob partium, quæ affici ſolent, languorem, conſulit Aëtius cruſtas aliquas inurendo efficere, quaſdam quidem paulò altius loco fluore infeſtato, alias verò propiùs, atque id cauteriis facere iuſſit, vtpotè quia magis ſiccant, & roborant membra, quàm cauſtica, & alia, quæ ignis vires habent.

*Curatio huius morbi in acceſſione.* Verùm cùm malum iam vrget, ægerque doloribus torquetur, victum inſtituere debemus, qui in principio tenuis eſſe debet, vt natura auara reddita minùs humoris ad articulos tranſmittat, qui in qualitatibus primis ſit varius ſecundùm cauſam, & humorem, ex quo morbus iſte ſuccreſcit, qui præcedente tempore debet eſſe ita moderatus, vt neque humores adaugeat, neque vires deiicere faciat. Euitent tamen caſeoſa, craſſa, & ſalſa alimenta, & quæcumque aromatibus ſunt condita. A fructibus, oleribus, & vino generoſo abſtineant. Potus ſit aqua lentiſci, aut gummi illius, aut deaurata. Aerem temperatum eligere oportet, aut ad contrariam humori qualitatem vergentem

vergentem. Animi fortes euitent paſſiones, ventremque habeant mollem, aut clyſteribus ſubducatur.

His ſic ſtatutis, cùm humor ad partem fluere incipiat, illum reuellere conabimur, & hoc optime aſſequimur ſanguinis miſſione, vt expreſsè docuit Galenus *de euacuandi ratione per ſanguin. miſſionem, capite* 19. in quo non differt hæc curatio à curatione præſeruatiua; & licèt primis diebus ſanguinem copioſiùs detrahamus, ſi vires conſentiunt, poſteà verò per interualla idem repetemus auxilium, vt vires ingentibus doloribus obſiſtant; neque tantùm ſanguinis eſt extrahendum, quantùm exigit morbus, ſed accidentibus aliquid eſt etiam relinquendum, vt teſtatum reliquit Galenus 1. *de arte curatiua ad Glauc. capite* 13. nam vigiliæ immodicæ, & dolores vehementes maximè proſternunt vires.

Aduertere tamen oportet, quod ſanguis in minori copia eſt extrahendus in arthritidis ſpecie, quæ ex ſanguine non dependet, habitâ etiam conſideratione temporis, regionis, naturæ, ætatis, & conſuetudinis; nam hæc omnia obſeruare debemus ad quodvis remedium magnum exercendum, vt ex eodem Galeno conſtat *locis citatis*.

Detractâ ſanguinis ſufficienti quantitate, humorem expurgabis factâ priùs eius præparatione; at ſi affectus ex bile procedat, non multùm differenda eſt purgatio, præcipuè ſi dolores modò in hanc, modò in illam partem excitentur; tunc etenim cum humor ſit tenuis & ad motum facilis, naturamque habeamus adminiculantem, facilè hunc euacuabimus humorem; eſt enim humor hic de turgentium genere, qui euacuatione indiget, antequam in parte aliqua firmetur.

*Alia obſeruatio.*

Quod quidem feliciter feci in quodam ægro, qui vehementer doloribus torquebatur in diuerſis partibus, ita vt neutiquam quieſcere poſſet, cui breuiſſimè bis ſanguinem miſi, & ſine alia præparatione ei obtuli medicamentum purgans, quo ſufficienter humorem huc, & illuc fluentem euacuaui, & intra vigintiquatuor horarum ſpatium à morbo, & doloribus liberaui, non ſine magna adſtantiam admiratione.

Si verò humor craſſior ſit, differenda eſt expurgatio, donec magis attenuetur, & ad expurgationem paratior reddatur, qui remediis potentioris virtutis euacuari debet, vt ait Gordonius *partic. 7. de paſſionibus iuncturarum*, quia humor craſſus difficiliùs mouetur, & in penitiſſimis locis, in articulis ſcilicet, eſt incluſus.

Quantùm attinet ad localia remedia, certum eſt in fluxionum principiis repellentia eſſe ex vſu, ea tamen cautè, & moderatè ſunt adminiſtranda, vt monet Auicenna; nam ſi materia multa fuerit, & repellatur, timor eſt ne ad partem nobiliorem pulſa recurrat; quare licebit anodinis, & parum repellentibus vti. Quod ſi materia ſit pauca, audaciùs repercutientia admouebis; cum hoc tamen timere oportet, ne repellentium frigiditate humores incrudeſcant, & diutiùs morbus protrahatur.

Conueniunt ergo in principiis fluxionum (præſertim ſi dolor nimis infeſtat, & humor ſit ſanguineus, aut bilioſus) oxyrrhodinum, in quo madefiant linteola, aut ſuccus plantaginis, portu-

A lacæ, aut braſſicæ, aut hordacea farina cum oleo roſaceo ad inſtar cataplaſmatis, vel oleum roſaceum oui albumini miſtum, vel lac muliebre, aut caprarum, aut vinum rubrum aquæ roſarum admiſtum. Item emplaſtrum ex mica panis, farina hordei, oleo roſarum, & lacte, aut ex pulpa caſſiæ, oleo violarum, & roſarum, & oui luteo. Verbaſci, plantaginis, & portulacæ folia, pſillium, lenticula paluſtris trita, per ſe aut cum oleo roſaceo, & farina fabarum, & hordei in emplaſtri formam dolores mitigare ſolent. Succus præterea ſolani, ſemperuiuæ, aut polygonij etiam iuuant, & alia quamplurima ab Authoribus commendata.

Verumtamen, quia his dolor non acquieſcere ſolet, aliquid narcotici admiſcebimus, in quem vſum conferunt, hyoſciami, cicutæ,
B pauer. mandragoræ, & violarum folia læuigata cum oleo roſaceo, luteis ouorum, & farina hordei, aut decoctum earundem rerum, in quo madefiant panni, & partibus applicentur: vel vngantur partes hoc vnguento. ℞. olei roſar. & papaueris, ana ℥. ß. opij. g̃. v. croci g̃. ij. ceræ albæ, quod ſit ſatis ad vnguentum. Aqua ranarum per inſtillationem, aut decoctionem extracta vtilis ab omnibus cenſetur, in qua ſimiliter aliquid opij diſſoluere poteris.

Quatuor, vel quinque ranæ viuæ in ollam iniiciantur, in qua ſit adipis ſuillæ ℔. ß. ibique ferueant, donec concrementur, quibus addes olei lumbricorum ℥. iiij. deinde per linteum colabis; eoque partem dolentem inunges, quod eſt remedium expertum.

C Sed quia iis humor craſſior redditur, & magis partibus adhæret, dolore ſedato, ad reſoluentium, & attenuantium vſum poſteà deueniemus; ea tamen trademus, ſi priùs ea quæ initiis fluxionum competunt frigidis, adduxerimus; ea enim eſſe debent partim repellentia, partim diſcutientia; leuiter tamen digerere debent, ne ex eorum nimio calore, quod tenue eſt, reſoluatur; & quod craſſius, in tophaceam naturam migret. Quapropter ab initio frigidâ exiſtente materiâ partem fouebis decocto roſarum, lentium, chamæm. meliloti, aut fœnugræci, radicum ebuli, aut vino rubro chalybeato, vel hoc vnguento partem illines. ℞. olei chamæm. & roſarum, ana ℥. j. axungiæ gall. & anatis, ana ℥. ß. lutei ouorum n. j. ceræ quod ſit ſatis ad vnguentum. Valet etiam hoc. ℞. olei ſambucini, roſarum, & irini, ana ℥. j. axungiæ gallinæ, & vnguenti reſumptiui, ana ℥. j. mucilag. ſeminis pſil-
D lij, & fœnugræci in aqua fœniculi, vel chamæmali extractæ, ana ℥. j. puluer. ibæ arteticæ, & iridis, ana ʒ. j. ß. ceræ quod ſufficiat ad vnguentum.

Ex iis ad alia magis diſcutientia deueniendum: talia ſunt emplaſtra meliloti, diachilon, & filij Zachariæ. Vel cataplaſmata ex farina ſeminis lini, fœnugræci, orobi, & fabarum, cum puluere chamæmali, meliloti, ſtercoris caprini, & vaccini ſicci, cum oleo liliorum, vulpino, aut lumbricorum.

Aut decoctum reſoluens ex fœnugræco, chamæmalo, meliloto, radice ebuli, ameos, & iba artetica, & capite conquaſſato veruecis nigri. Vel ℞. oleorum liliorum, & chamæmali, ana ℥. j. vnguenti marciaton, & dyalthææ, & butyri recentis,

tis, ana ℥. ß. ceræ quod ſufficiat, vt paretur vnguentum. Oportet vlteriùs partes abluere aqua vitæ, aut ipſas roborare emplaſtro guillen-ſerben, oxycroceo,& confortatiuo Vigonis,& ſimilibus in oleo lilij albi diſſolutis ad vnguenti formam.

*De tophorum cura.*

Tandem ſi humor tophaceam comparet naturam, emollientia, & diſcutientia conueniunt, in quem vſum accommodantur adeps ſuillus ſine ſale, medulla vituli, & cerui, vnguentum dialtheæ, malua elixa, emplaſtrum diachilon, & alia id genus.

Caſeus antiquus, ſi in decocto cruris ſuilli ſalſi maceretur,& in mortario ſubigatur, deinde tophis imponatur, magnificè adiuuat, ex Galen. 10. *ſimplic. capite de caſeo*; nam rupta ſpontè cute abſque inciſione, citra dolorem effluunt tophorum particulæ. Iuuant etiam adipes vetuſti, ammoniacum, bdellium, ſtyrax, lixiuium, adarce, & euphorbium.

Si verò dictis auxiliis morbus non cedat, ad balnea,ſudationes, fontanellas, & vſtiones confugere oportet, & ad alia quæ in curatione præſeruatiua adduximus. Verùm ſi alia circa hunc morbum, & alios deſideras, apud ſeniores requires; dicta tamen ſufficiant pro horum morborum exacta notitia, & curatione: cedant vtinam in laudem Dei Optimi, & Maximi, necnon Intemeratæ, Deiparæque Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, abſque labe peccati originalis conceptæ, & ad totius Reipublicæ vtilitatem conferant.

D.D. CYPRI

# D. D. CYPRIANI
# DE MAROJA,
## DOCTORIS MEDICI,
## CONSVLTATIONES, OBSERVATIONES, ET ANNOTATIONES
### AD PHILOSOPHIAM ET MEDICINAM
attinentes , & ad Praxim maximè conducentes , vnà cum plurimis diſputationibus Phyſicis & Medicis.

# D. D. CYPRIANI DE MAROIA, DOCTORIS MEDICI, OBSERVATIONVM, ET ANNOTATIONVM MEDICARVM LIBER PRIMVS.

## *PROOEMIVM.*

POST plurimorum annorum lapſum, quibus indefeſsè inſudauerim in docendo mirabilem, & excelſam, & apud Magnates collaudatam Apollineam Scientiam in hac Regia Vniuerſitate Vallis-Oletana, primò Methodi Cathedram, deinde Veſpertinam, denique Primariam Hippocratis, ac Auic. continuò gubernans, in quibus etiam plura ſcripſi, quorum aliqua ſunt typis mandata non ſine totius orbis maxima vtilitate, alia manuſcripta Tyronibus commiſſa, vt eorum frui doctrina valeant, & ſibi, & aliis prodeſſe poſſint: cùm etiam ex tempore varia fuerim expertus, pluraque diſputauerim nondum ab antiquis ſufficienter diſcuſſa, & alia nondum ab illis inuenta, neque excogitata, quorum exacta notitia futurum (vt exiſtimo) gaudebit ſæculum, ſiquidem ex iis maximum fructum capeſſere non dubito in ſenili ætate iam conſtitutus, in qua prudentia magis præualet, ratio viget, & experientia plurimis actibus eſt confirmata; viſum fuit mihi in lucem edere hunc Tractatum plurimis obſeruationibus, diſputationibus, & quæſtionibus tam medicis, quàm phyſicis illuſtratum, vt eſſet verum meæ praxis complementum, in quo Philoſophia elucet, in cuius ſinum à primis temporibus adoleſcentiæ meæ voluntas, imò & voluptas ſtudendi me contulit; nuncque in his grauiſſimis caſibus, quos nouiter pertracto Philoſophiâ vtens, ſine qua nequit Medicina attingi, in eundem portum, à quo eram regreſſus, iterum confugi, nihil afferens quod philoſophica ratione non demonſtretur; ſic etenim nomen Diuini Medicus aſſequitur, ſi Hippocrati credimus *lib. de decenti ornatu*, vbi ait: *Medicus Philoſophus eſt æqualis Deo.* Neque quis poterit perfectè rerum proprietates ſcrutari, neque eas in ſalutem humanam dirigere, niſi ille qui hac ſcientia, quæ de omnium rerum cognitione pertractat, fuerit imbutus. Neque Medicina aliquid aliud eſt, quàm quædam ſenſibus obiecta Philoſophia naturalis, quæ circa humanum corpus verſatur, vt dum eſt in ſtatu naturali, illud conſeruet; & dum ab eo recedit, ad eundem ſibi debitum reducat, ſicuti vniuerſalis Philoſophia circa omne corpus, vt illud meditetur: quare non mirum, ſi Medicina

ſubalternetur Philoſophiæ, & vt inquit Medicinæ noſtræ Princeps, *vbi deſinit Phyſicus, incipit Medicus*; quoniam concluſiones, quæ dantur in Philoſophia, principia ſunt Medicinæ, atque adeò Galen. libellum compoſuit, *Oportet Medicum eundem eſſe Philoſophum.* Qui ergo hunc librum legere, & intelligere velit, & vtilitatem ex illius doctrina depromere, vtramque ſcientiam, tam Philoſophiam, quàm Medicinam amplectens; ſi prudenter ſe gerat circa remediorum adminiſtrationem, habita priùs notitia de virium tenore, de ſtatu naturali, non naturali, & præter naturam ipſius ægri, non poſthabitis aliis, quæ in Medici conſiderationem cadere debent, poterit quidem multùm ſibi, & aliis magni eſſe emolumenti; quod quidem totum ex huius tractatus relectione deducere poterit.

A

## OBSERVATIO I.

*De ſanguine mittendo, & expurgando tempore veris, & in Lunæ decremento; in qua traduntur fundamenta ab Aſtronomia petita. Vbi etiam agitur de temporum mutationibus, quæ originem trahunt à Luminari maiori, & minori.*

QVI ſanitate fruuntur, parati tamen ſunt incidere in morbum, & vt præſeruentur, liberenturque ab imminenti malo, ratione duce obſeruationibus quotidianis confirmata, eligunt tempus magis congruum ad venæ ſectionem, & purgationem medicamento exercendam; quod tempus eſt ver, quando ſcilicet Sol arietem ingreditur, qui eſt ſuæ exaltationis domus, vt Aſtronomi aſſerunt. Hic communis vſus habet fundamentum in verbis Hippocrat. 6. *aphor. text.* 47. aſſerentis: *Quibuſcumque venæ ſectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.* Hanc Hipp. doctrinam comprobat Galen. in phraſi plurimis experimentis; ipſe enim fatur, plurimos præſeruaſſe à morbis, factâ venæ ſectione, vel purgatione, & euacuatâ causâ, quæ niſi euacuaretur, morbum gignere erat potens. Hoc tempus tribus menſibus conſtat, incipitque à die, quo Sol ad arietis primum punctum peruenit, quovſque Cancrum ingrediatur, quod accidit vigeſimaprima, vel ſecunda die menſis Iunij, in quo incipit æſtas, & eſt Solſtitium æſtiuale dictum.

*Quando incipiat vernum tempus.*

*Ver tribus componitur menſibus.*

Non ſolùm in his tribus menſibus ver adimplentibus dictarum euacuationum præualet vſus, ſed vt feliciùs ſuccedat, expectant decrementum Lunæ, fugientes, imò & renuentes ipſius incrementum; idque ita eſſe faciendum Medici periti docent; hæcque auxilia admouent præcipuè in decremento Lunæ menſis Martij, quâ præteritâ, aliud, & aliud Lunæ decrementum exoptant, vt huiuſcemodi remedia adminiſtrentur. Quænam autem ratio eos cogit decrementi Lunæ tempus expectare, ignorant, ſibique perſuadent ita eſſe faciendum, quia ſemper ita factum, & cum felici ſucceſſu. Plura enim ab effectu, & non per cauſas dignoſcuntur; neque quis ſciret, quod ignis eſſet calidus, niſi illius caloris periculum faceret. Nos tamen, qui naturæ abdita ſcrutari intendimus, non ſolùm huius rei veritatem à poſteriori cognitam inquirendam proponimus; ſed eam à priori, quantùm veri, quantumque falſi habeat, patefacere conabimur, iuxta Philoſophiæ, Aſtrologiæ, & Medicinæ principia, vt in ſequenti annotatione demonſtrabitur.

### ANNOTATIO.

PLura ſcitu digna traduntur in hac annotatione, quæ plurimùm rerum notitiam, & earum vſum commonſtrant; neque aliquid ſcribere tento, quod in Reipublicæ vtilitatem non dirigatur. Inuenio enim in ſcribendo bonitatem, quæ vtile, honeſtum, & iucundum amplectitur; bonitas enim finis me mouet, hæc enim mihi, & aliis proficere valet, cùm in ipſa vtilitatem, quæ in ſalutis humanæ conſeruatione conſiſtit, inueniam; iucunditatémque, cùm nihil ſalute iucundius deſiderari poſſit; honeſtatémque, nam quid honeſtius, quàm ſeruare genus humanum, in cuius gratiam ſummus ille Opifex huius mundi machinam conſtruxit. Vt ergo dubium propoſitum abſoluatur, nonnulla de temporum mutationibus, & quomodo fiant, in medium adducam, vt inde quæſito faciliùs reſpondere poſſim. Quod ſi, vt fieri ſolet, mea ſcripta aliquibus diſpliceant dum hac vita fruor, forſan me ab ea diſcedente, quod non multùm elongari poteſt, benè accepta erunt, dicereque potero cum Propertio.

*Quem finem habeat Author in ſcribendo.*

*Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas:*
*Maius ab exequiis nomen in ora venit.*

Ad rem igitur accedendo, de temporum mutationibus plura dixit Hippocrat. 3. *aphoriſmorum, lib. de aëre, locis, & aquis, & lib. epidem.* necnon Ariſt. per plura problemata, ex quibus plures morbi originem trahunt, ſæpéque ſalutem inuenimus in aëris, & temporum alterationibus, ſeu mutationibus, proptereáque Hippocrat. 3. *aphoriſmorum, textu* 2. aſſerit: *Naturarum hæ quidem ad æſtatem, ille verò ad hiemem benè, vel malè ſe habent.* Et *textu* 18. in quibuſdam temporibus quoſdam optimè degere, alios verò non, ipſe ait. Quapropter pueri, & qui hos ſequuntur ætate, veris tempore ſani ſunt maximè. Rationem inſinuat Galenus *in commento*, nam vnumquodque à ſuo ſimili conſeruatur. Quia ergo ætas puerilis eſt calida, & humida, à temperie veris optimè conſeruatur: reliquæ verò ætates cùm à magis moderata temperie diſcedant, potiùs reductione ad contrarium egent, ſicque ſenes æſtate, & autumno vſque ad aliquid optimè degunt; hieme verò qui mediam ætatem habent, propter eandem rationem. Neque ſolùm mutationes huiuſmodi conſiderantur in ordine ad valetudinem, vel morbum, ſed etiam ad ciborum oblationem, & remediorum vſum; hieme enim cibis copioſiùs vtimur, quia ventres ſunt naturâ calidiſſimi, & ſomni longiſſimi, teſtante eodem Hippocrate 1. *aphoriſmorum, ſent.* 15. Similiter æſtate, & autumno cibos difficilè ſuſtinemus, hieme verò facillimè. Secundum locum ver habet, ex eodem libro, *textu* 18. Vſus remediorum non quocumque tempore valet, niſi neceſſitas vrgeat; quade cauſa Hipp. ſub cane, & ante canem difficiles fieri medicationes aſſerit 4. *aphoriſm. text.* 5. & *libro de aëre, locis, & aquis, cap.* 6. vbi in hæc prorumpit verba: *Maximè autem obſeruare oportet magnas temporum mutationes, vt neque medicinas in illis libenter exhibeamus, neque vramus quæ circa ventrem,*

*Salus, & morbus ex aëris alteratione dependent.*

*Quare vnũ tempus congruit vni ætati, & non alteri.*

*In ciborum oblatione, & remediorum vſu mutationes temporum attendendæ.*

*Ortus, & occaſus Aſtrorũ conſideratio in curatione morborum.*

*ventrem, neque fecemus prius quàm prætereant dies decem, aut plures, & non pauciores, &c.* Neque eſt intelligendus Hipp. his, & aliis locis, ita vt nullo modo iis temporibus hæc remedia in executionem veniant; nam ſi præſens eſſet morbus, qui ipſa indicaret remedia, & fuiſſet periculum in mora, neutiquam ſunt differenda. Tamen ſi morbus expectandi præbet inducias, commodius tempus eſt eligendum; hoc autem tempus magis congruum eſt vernale, eo enim tempore morbi ſiue præſentes, ſiue imminentes meliùs curantur, & præcauentur, quàm aliis temporibus anni: ſicque Hipp. illam celebrem pronuntiauit ſententiam 6.*aphoriſmor.*dum ait: *Quibuſcumque venæ ſectio, vel purgatio cum medicamento, &c.* Plures enim intereunt, quibus Medici ſanguineum mittunt, nihil omninò de temporum ſtatu cogitantes, vt ait Gal. 1. *de art.cur. ad Glauc. cap.* 14.

*An incipiente vere ſtatim ſit in vſu vena ſectio, vel purgatio præcautoria.*

Notare tamen oportet, quod non ſtatim ac incipit ver, præſeruandi causâ poſſumus ſanguin m mittere, vel expurgare, niſi tranſactis ad minùs decem diebus, vt iam dictum eſt; & propterea inquit Hipp. *cap. proximè cit. Periculoſiſſima etiam ſunt ambo ſolſtitia, maximè verò æſtiuum: periculoſum æquinoctium vtrumque, maximè tamen autumnale.* Hoc autem accidit, quia his temporibus incipiunt alterationes in aëre, quibus noſtra immutantur corpora, & offenduntur. Quapropter pro quocumque tempore anni Hipp. aſſignat morbos, qui in qualibet temporis conſtitutione euenire ſolent, etiamſi tempora ſint conſtantia, & omnia tempeſtiuè fiant. Nam temporum mutationes neutiquam fugere poſſumus, faciuntque aëris alteratione ab aſtris communicata, vt in morbos incidamus mutationi temporis conformes.

*Mutationes temporum quomodo fiant.*

Quanam autem ratione hæ eueniant mutationes, eſt quod primò ſcire deſideramus; ſed quia referuntur ad aſtra, ad ea confugere oportet. Eſt equidem in ſphæra (Aſtrologorum placitum inſequendo) quidam circulus Zodiacus dictus, ideſt quaſi vitam dans, quia ſecundum motum planetarum, præcipuè Solis, & Lunæ ſub illo hæc inferiora viuificantur. Hic etiam ſignifer appellatur, quia ex duodecim componitur ſignis, quorum nomina tradere non recuſo, quia ad rei tractandæ notitiam ſpectant. Ea ſunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Piſces. Hic circulus interſecat lineam æquinoctialem, & interſecatur ab ea, diuiditurque in duas medietates æquales, quarum vna declinat ad ſeptentrionem, & ſigna ſex ex quibus conſtruitur, dicuntur ſeptentrionalia, qualia ſunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo; & reliqua ſunt meridionalia, ſeu auſtrina. Horum quædam ſunt ignea, vt Aries, Leo, & Piſces: quædam aërea, vt Gemini, Libra, & Aquarius: alia aquea, vt Cancer, Scorpio, & Piſces: denique alia terrea, vt Taurus, Capricornus, & Virgo. Hæc enim elementis correſpondent, quia ex ſua natura in hæc inferiora qualitates elementales producunt, niſi ab aliquo planeta earum productio impediatur oppoſitas qualitates communicante, & ſigni qualitates frangente & attemperante. Similiter huiuſmodi ſigna adaptantur quatuor ætatibus, necnon quatuor humoribus, quibus noſtrum conſtat corpus, qui ſecunda elementa nuncupantur ab Authoribus, & denique quatuor anni temporibus. Sicuti enim dantur ſignorum quatuor triplicitates, quæ elementis correſpondent, aſſignantur etiam tres ſignorum quadruplicitates; nam quatuor illorum ſunt mobilia, quia ſunt initia quatuor temporum anni. Hoc eſt, quando Sol, qui annum gubernat, incipit eſſe ſub aliquo ex iis ſignis, tunc tempora incipiunt. Hæc ſunt Aries initium veris, Cancer æſtatis, Libra autumni, Capricornus hiemis. Hæc quatuor ſigna conſtituunt primam quadruplicitatem, quam mobilem dicimus. Alia quadruplicitas eſt ſignorum fixorum, ſeu immobilium, quia dum Sol eſt ſub aliquo ex iis ſignis, tempus ſeruat fixam conſtitutionem, vt dum Sol eſt in medio veris, æſtatis, autumni, & hiemis, tunc tempora magis firma ſunt quàm in principio, & fine ipſius temporis; nam in principio cuiuſque temporis recedit Sol ab vno ſigno, & tempore, & accedit ad aliud; ſicque mobilitatem habet: at verò quando ingreditur in ſigno fixo, firmiùs tempus ſeruat ſuam naturam, quàm dum accedit aut recedit ab illo; quod accidit in primo, & vltimo ſigno illius temporis. Signa ergo fixa ſunt Taurus, Leo, Scorpio, Aquarius. Reliqua ſigna, in quibus finiuntur hæc quatuor tempora anni, communia dicuntur, quia communicant aliquid cum qualitatibus temporum ſequentium: talia ſunt Gemini, Virgo, Sagittarius, & Piſces.

*Propenuntur duodecim ſigna zodiaci.*

*Signorum triplicitates elementis reſpondent.*

*Quadruplicitates tres ſignorum ſtatuuntur neceſſariæ ad temporum differentias.*

*Quomodò poſſunt facilè comprehendi ſigna mobilia, fixa, & communia.*

Quod ſi breuiſſimè velis comprehendere, quænam ſigna ex his ſint mobilia, quænam fixa, & denique quæ communia, accipe, & numera tres digitos, & nomina primum mobilem, ſecundum fixum, tertium communem: deinde per illos tres digitos ordinatim quater repetitos numerentur omnia ſigna eo ordine, quo ſunt in zodiaco, incipiendo à ſigno Arietis, & ſic quatuor ſigna, quæ cadunt in primo digito, videlicet Aries, Cancer, Libra, Capricornus, erunt mobilia; quæ verò cadunt in ſecundo digito, erunt fixa, & immobilia, vt Taurus, Leo, Scorpio, Aquarius; quæ denique in tertio cadunt, ſunt communia, vt Gemini, Virgo, Sagittarius, Piſces.

*Inter reliqua ſidera ſeptem planetæ, quæ ſunt ſydera mobilia, præcipua ſunt.*

Præter huiuſcemodi ſigna, quorum alias proprietates tradere Aſtrologis relinquo, inter reliqua ſidera, quæ magnam poteſtatem ſuper hæc inferiora habent, ſunt ſeptem ſidera præcipua, Planetæ dicta, quæ quidem mouentur ſub ſignis enumeratis. Et licet hæc omnia ab omnibus Aſtrologis ſufficienter ſint adducta, tamen cum pro Tyronibus plura ſcribam, non me pudet quæ ferè vulgaria ſunt referre. Si enim ea quis ignorat, hîc diſcere poterit. Si verò eorum non ſit immemor, nihil nocebit quæ in memoria ſunt recondita repetere; nam ex memoriæ fluxibilitate facilè ſpecies rerum in ea reſeruatæ deperduntur, & earum commemoratione fixiùs in memoria firmantur. Sunt ergo ſeptem planetæ ſic ſuo ordine cœlo adhærentes: Saturnus, Iupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Quilibet planeta cum non ſit creatus à ſummo Conditore propter ſeipſum, ſed in bonum horum inferiorum, neutiquam aliquid in hæc inferiora influere poſſet, ſi non haberet, ſicut & reliqua aſtra, virtutem aliquam ordinatam ad mutationem eorum. Ex planetarum influxibus conſtat, quod Mars, & Sol habent igneam naturam, ita vt calorem & ſiccitatem communicent; hac tamen adhibita differentia, quod Sol beneuolus eſt, & calor eius vitalis; ſicque communiter dicimus, quod Sol, & homo generant hominem. Mars verò maleuolus, eiuſque calor excedens & vitam conſumens. Saturnus terreus eſt, & melancholicus, vitæ inimicus ob eius ſummam frigiditatem & ſiccitatem, caloris, & humiditatis, in quibus vita conſiſtit, deſtructiuam; ideoque dicitur infortuna maior, & Mars infortuna minor. Iupiter fortuna maior appellatur, ſanguineus, & aëreus, & maximè vitæ familiaris. Venus habet ferme eandem naturam, eius tamen humiditas eſt aquea, & muliebris, vocaturque fortuna minor. Mercurius indifferens eſt, nam ex coniunctione ad alterum planetam, conditionem, & temperiem mutat; & cum bonis bonus, & cum malis malus exiſtit. Luna aquea eſt, & phlegmatica, beneuola tamen, & for-

*Planetæ per ordinem referuntur.*

*Planetarum proprietates proponuntur.*

*Luna ſpatio vnius*

*menſis ſuũ perficit curſum.*

tunata dicitur; attamen cùm ſit inferior reliquis planetis, & intra menſis ſpatium totum Zodiacum pertranſeat, habet neceſſariò coniunctionem cum reliquis planetis, recipitque eorum virtutes, à maliſque quodammodo inficitur; & propterea ſæpè accidit, quod ſit infortunata, & immutet hæc inferiora per qualitates, quas recipit à planetis ſuperioribus, cum quibus coniunctionem habet; & ex hoc plerumque naſcitur, quod ſpatio vnius menſis tot perſentiantur mutationes in noſtris corporibus, & in aliis rebus ſublunaribus.

*Planetæ accipiunt poteſtatem, detrimentum, vel caſum in ſignis aliquibus, & quare.*

Sed quia ſæpè obſeruatum eſt, quod dum planetæ ſunt ſub vnico ſigno, habent maiorem virtutem, & dignitatem, quàm dum ſunt in alio, & quandoque detrimentum accipiunt, & ſuarum virtutum decrementum; ideò Aſtrologi ipſis planetis quædam ſigna accommodant, quorum quædam dicuntur domus propriæ planetarum, alia dicuntur domus exaltationis eorum, alia denique dicuntur domus caſus, alia detrimenti illorum. Quæ omnia dignoſcuntur ex mutationibus obſeruatis in his inferioribus, quando planetæ ſub hac, vel illa domo exiſtunt. Aduerto tamen, quod reliqui planetæ à Sole, & Luna habent duplicem domum; Sol verò, & Luna habent tantum vnam domum propriam. Eſt igitur Leo Solis domus, in qua Sol magnas habet dignitates, & imperium ſuper his inferioribus: nam Leo eſt triplicitatis igneæ, calidus, & ſiccus; & Sol ſub illo exiſtens, cum habeat eaſdem qualitates, fortificatur, & intenſiorem calorem, & ſiccitatem producit, quàm dum ſub aliis ſignis collocatur. Domus exaltationis illius dicitur Aries, qui eſt etiam triplicitatis igneæ, ad quam cùm preuenerit Sol, incipit exaltari, & magis calefacere quàm antea, dum erat ſub aliis ſignis; tuncque Sol habet maiorem dignitatem, quàm antea; non tamen eſt ita potens, ſicuti dum eſt in ſuo proprio domicilio; tuncque magis immutat verſus calorem quàm antea. Domus caſus Solis eſt Libra, quia dum eſt ſub hoc ſigno, cadit de propria domo, & deperdit multùm de propriis qualitatibus; diſcedit enim tunc à nobis, & eſt ſub ſigno aëreo Solis calorem, & ſiccitatem corrigente. Solis detrimentum eſt ſignum oppoſitum Leoni, qui eſt Solis domus propria, & eſt Aquarius aëreus, quem dum Sol ingreditur, pluuias, & ventos gignit, & maximè hæc inferiora immutat. Luna habet pro domo Cancrum, qui maximè aſſimilatur in qualitatibus ipſi Lunæ; exaltatur in Tauro, detrimentum patitur in Capricorno, quod opponitur Cancro. Reliqui planetæ habent ſimiliter domus eodem modo diſpoſitas, quas breuitatis cauſâ omitto, ſub quibus exiſtentes rebus ſublunaribus diuerſimodè ſuas impartiuntur alterationes, præſertim dum inter ſe coniunguntur ſub vnico ſigno, vel inter ſe habent aliquem aſpectum, ex quorum coniunctionibus, oppoſitionibus, & aliis aſpectibus reſultant tot, & tam variæ, & inſignes mutationes in diuerſis temporibus anni, & in quolibet anno. Plura petit hæc tractatio, vt debitam habeat ſolutionem; ex dictis tamen facilè conſtare poterit, quod quatuor tempora anni fiunt ratione acceſſus & receſſus Solis ad diuerſa ſigna, ad quorum exactiorem notitiam duos circulos, ſeu coluros in ſphæra conſtituunt, quorum officium eſt diſtinguere ſolſtitia & æquinoctia. Colurus igitur diſtinguens ſolſtitia tranſit per polos mundi, & per polos zodiaci, & maximas ſolis aſcenſiones, & declinationes, hoc eſt per primos gradus Cancri, & Capricorni; vnde primus punctus Cancri, vbi circulus iſte interſecat zodiacum, dicitur punctus ſolſtitij æſtiualis, quia quando Sol eſt in eo, eſt tale ſolſtitium, & non poteſt Sol magis accedere ad zenith capitis noſtri, hoc eſt ad punctum in firmamento directè ſuprapoſitum capiti noſtro. Similiter primus punctus Capricorni, vbi idem colurus ex alia parte oppoſita interſecat zodiacum, dicitur punctus ſolſtitij hiemis, in quo fit maxima ſolis declinatio, tuncque incipit hiems, quando Sol eſt ſub illo puncto.

*Leo eſt Solis domus propria, & triplicitatis igneæ.*

*Aries domus exaltationis Solis.*

*Sol in aquario pluuias & ventos creat.*

*Cancer eſt domus Lunæ.*

*Aſpectus planetarum maximè inferiora alterant.*

*Circuli ſolſtitij, & æquinoctij officium proponitur.*

Alter denique circulus tranſit per polos mundi, & per primum punctum Arietis, & Libræ, ad quem dum accedit Sol, fiunt æquinoctia, hicque circulus æquinoctialis vocatur; nam quando ſol eſt ſub illo, æquantur noctes diebus, ita vt dum Sol eſt ſub ſigno Libræ, incipit autumnus; dum verò eſt ſub Ariete, incipit ver, quod in ſua conſtitutione eſt calidum, de quo loquitur Hipp. dum aſſerit, quod præſeruandi gratiâ venæ ſectio, & expurgatio conuenit tempore veris. Eſt tamen maxima differentia in tribus menſibus, ex quibus veris tempus componitur; nam à vigeſimoprimo die menſis Martij, in quo veris incipit conſtitutio, ad alium menſem, ſol non habet tantam poteſtatem ſuper hæc inferiora, non enim ita calefacit ob vicinum frigus hiemis; & propter eandem rationem in illo menſe intenſior perſentitur humiditas, quàm in menſibus ſubſequentibus. In vltimo menſe, cùm ſol ſit ſub ſigno communi, & accedat ad tempus æſtiuum, magis calefacit, & exſiccat. In medio tamen menſe, cùm ſit ſub ſigno fixo, magis elucet temperies debita veris conſtitutioni, quæ eſt moderatè calida, cum prædominio humiditatis.

*Diſtribuitur ver in tres menſes.*

In hac ergo conſtitutione conuenit venæ ſectio pluribus de cauſis; tum quia illa temperies eſt maximè conueniens generationi ſanguinis, & ratione illius ſanguis redundat, qui plurium malorum præbet initium: tum quia à calore veris humores, qui occurſu aëris frigidi hyemis in venis erant detenti, facillimè diffunduntur, & liquefiunt, & morbos gignunt à fluxione ortos, vt ſunt anginæ, pleuritides, articulorum dolores, &c. Vt ergo liberentur, qui parati ſunt incidere in morbos ſimiles, conſulit Hippocr. venam ſcindere, & in illis, qui incidunt in morbos pendentes ex vitio ſanguinis in qualitate, præcipit purgationem. Huiuſcemodi remedia in vere meliùs ſuſtinet natura, quàm in aliis temporibus; nam robuſtior apparet eo quod præceſſit hiems, quæ actione antiperiſtatica à frigore cauſata detinebat calorem influentem in viſceribus, cuius ratione ventres naturâ fiebant calidiſſimi, & ſomni longiſſimi, & propter eandem rationem copioſiori vtebatur alimento, ſicque vires adaugebantur, ita vt meliùs poſſet ſuſtinere remedia, quàm in aliorum temporum conſtitutionibus, quæ intemperatæ magis ſunt, & minùs aptæ remediorum exequutioni. Æſtate enim, & ſub cane, & ante canem, difficiles fiunt medicationes, ob calorem vires diſſoluentem, & quia facilè ad cutem per ſudorem humores erumpunt. Hieme, quia craſſi, & frigidi, difficilè remediis cedunt. Autumno ob temporis inæqualitatem, & virium reſolutionem à calore æſtiuali productam, non facilè adhibentur remedia. Liquet ergo quod tempus magis accommodum ad remediorum adhæſum, eſt veris tempus, in quo adhibitâ curatione, tam venæ ſectione, quàm expurgatione, & alijs auxiliis, plurimi præcauentur à morbis, in quos incidere erant ſoliti. Cùm ergo talia remedia magis conferant in hoc tempore quàm in alio, & ſimiliter natura poteſt melius ferre ob virium poteſtatem, meritò dictum fuit ab Hippoc. quod præcautionis cauſâ, ſi exercenda eſt venæ ſectio, aut expurgatio, maximè tempore veris.

*Quibus de cauſis venæ ſectio conuenit tempore veris.*

*Quare vere vires ſunt robuſtiores quã æſtate, & autumno.*

Sed quia vernum tempus tribus componitur menſibus ſecundum Aſtrologorum computationem, in quibus non ſeruatur exactè eadem temperies, meritò

*Quæritur quo tempore veris*

verti

*Remedia ſunt ex vſu.* verti poteſt in dubium, an horum remediorum adminiſtratio conueniat potius vno menſe, quam alio; nam hoc non deducitur ex ſententia Hipp. cum ſolum dicat, tempore veris conuenire.

*Dubium ſoluitur.* Hoc dubium ſic ſoluendum eſſe arbitror; ſi enim obſeruatum ſit, quod morbus imminens, quem præcauere intendimus, ægrum infeſtare ſolet tempore veris, liquatis, & diffuſis humoribus à calore, & humiditate ipſius, vt accidit anginoſis, aſthmaticis, & omnibus illis, qui morbis ex fluxione ſunt obnoxij, primo menſe ſunt euacuandi, antequam diffundantur humores, & actu cauſent morbum, in cuius præcautionem talia adhibentur auxilia; nam ſi differantur, morbique ſuperueniant, iam non erit ea curatio præcautoria, cùm ad morbi iam producti ablationem dirigatur. Quod ſi aliis temporibus, vt æſtate, & autumno, morbum ſuperuenturum timeamus, medio, & vltimo menſe remedia proficua eſſe autumamus. Tunc etenim fluxibiliores fiunt, meliuſque educi poſſunt humores tam venæ ſectione, quàm expurgatione, nec ita reconditi in abditis partibus ſunt, ſicuti in primo menſe, qui maximè vicinus eſt tempori hiemis præcedentis, atque adeò faciliùs remediis cedunt.

*Agitur de lunæ poteſtate in hæc inferiora.* Hæc quæ dicta ſunt, eò tendunt, vt ſciamus, quod vernum tempus eſt magis aptum, vt offerantur remedia, & quomodo conueniunt magis in vno veris menſe, quàm in alio. Quæ omnia diximus accidere vi Solis ex acceſſu, & receſſu illius ad diuerſa ſigna, ſub quibus temporum differentias, & mutationes excitat. Reſtat nunc examinare, quam virtutem, ſeu poteſtatem habet Luna ſuper rebus ſublunaribus, præcipuè in ordine ad remediorum oblationem; an ſcilicet venæ ſectio, & expurgatio conueniant potiùs tempore decrementi Lunæ, vel incrementi illius; ita vt verum teneat communis obſeruatio de ſanguine mittendo, & expurgando tempore decrementi.

*Mutationes ſingulo menſe euenientes à Luna proueniunt.* Qui plura ſcire deſiderat de vi Lunæ in hæc inferiora, legat tertium Gal. librum de diebus decretoriis, vbi ei attribuit mutationes ſingulo menſe euenientes. Sicuti enim Sol integrum diſponit annum, ita Luna menſem, mutatione per ſeptimanas ei accidente, quæ cùm maximè nobis vicina ſit, plures ad Solem habet aſpectus, vt ait Ioannes de Sacroboſco, recipitque virtutes aliorum planetarum, & quolibet menſe neceſſariò habet coniunctionem cum illis, quia vnius menſis ſpatio totum circulum zodiaci pertranſit, & prout acceſſerit ad planetas temperatos, & ſalutares, fauſtos, ac bonos dies producit; ſi ad intemperatos, graues, moleſtoſque: qua de cauſa eam fortunam, vel infortunam vocant. Et licèt ipſa ex ſua natura habeat vim humectandi, & infrigidandi, ex aſpectu tamen Solis

*Luna mutatur ex ſolis, & planetarum aliorum aſpectibus.* plurimùm de frigiditate deperdit, & per receptionem lucis communicatam à Sole hæc inferiora calefacit, rerumque propagationi inſeruit, calore à Sole adquiſito, & humiditate propria; meritoque Ariſt. 4. *de generat. animal. cap.* 10. ait quod Luna, quia recipit lumen à Sole, fit quaſi alter Sol minor: quamobrem conducit ad omnes generationes, corruptioneſque, maximè in tetragonis, & diametris

*Luna ſol minor dicitur, & quare.* ſtationibus exiſtens, in quibus reperitur de ſeptimo in ſeptimum diem; maximéque tunc alterat aërem. Ea autem alteratio in morbis benè terminandis bona, in malè mala habenda eſt, vt ex ſignis, quæ illis diebus ſalutaribus, aut lethalibus adueniunt, frequenter deprehendimus; atque adeò Galen. 3. *de diebus decret. cap.* 1. ait, quod circuitus ſeptimani validiſſimâ virtute ſunt prædití. Hippoc. etiam *lib. de carnibus*, non alia de cauſa aſſerit, quod vita hominis eſt ſeptem dierum. Ex Ariſt. 7. *de hiſt. anim. c.* 3.

A ſeptimo die fit in ſemine prima animatio, cuius deperditio poſt ſeptimum vocatur aborſus, qui eſt rei animatæ circa vterum deperditio, vtcumque facta, vt alibi diximus. Auic. 2. *canticorum* inquit, quod Luna variat actionem in morbis, quæ quidem fortificatur in hoc ſigno, debilitatur in alio; & proptereà *propoſit.* 409. ait, quod criſes, quæ quidem à Luna dependent, quaternis, & interdum ſeptenis contingunt. Neque hoc aliter, niſi ratione aſpectuum, in quibus radiationes recipit Luna à Sole, quas ad hæc inferiora tranſmittit. Hi aſpectus numero quinario gaudent. Primus ſextilis vocatur, qui conſtat ſexta parte Zodiaci, vel duobus ſignis, ſeu ſexaginta gradibus. Secundus quadratus dicitur, quando duo planetæ diſtant inter ſe tribus ſignis, vel nonaginta gradibus, vel ſecundùm quartam partem Zodiaci. Tertius trigonus, vel trinus vocatur, quia planetæ ſe reſpiciunt, ſecundúmque tertiam partem *Criſis dependens à Luna.* *Aſpectus quinque numerantur.*

B zodiaci diſtant, vel ſecundum quatuor ſigna, aut centum & viginti gradus. Quartus eſt oppoſitio, quando planetæ ex diametro opponuntur, & diſtant inter ſe per medietatem zodiaci, vel per ſex ſigna, vel centum, & octuaginta gradus. Vltimus dicitur coniunctio, quando ſcilicet duo, vel plures planetæ ſub vno reperiuntur ſigno.

Licèt omnia aſtra quocumque tempore in hæc influant inferiora, nihilominus fidiſſimo experimento obſeruatum eſt, quod in his diſtantiis, ſeu aſpectibus efficaciùs operantur, & corpora immutant ſublunaria. Ex iis aſpectibus coniunctio fortior eſt, quàm alij aſpectus; ſiquidem duo, vel plures planetæ coniunguntur ſub vno ſigno, ſuiſque radiis fortiùs hæc inferiora tranſmutant. Secundum locum tenet oppoſitio, in qua radij planetarum vniuntur in centro, & non diſperguntur ad latera. Tertium locum habet quadratus, deinde ſequitur trinus, & *Cur vno tempore potius quàm in alio Planetæ magis influunt in hæc inferiora.*

C vltimo ſextilis. Hos omnes aſpectus habet Luna ad Solem, in ò ad omnes planetas, ab vna coniunctione cum Sole in aliam, in qua incipiens Luna ſuum motum naturalem ab Occidente in Orientem, vſque ad aliam coniunctionem cum Sole conſtituit menſem, qui dicitur menſis conſequutionis, qui conſtat viginti & nouem diebus cum dimidio.

Iuxta huiuſmodi aſpectus Lunæ ad Solem, & ad ſigna, ſub quibus ſuum perficit motum Luna, diuerſimodè nos alterat, quatuorque tempora in hebdomadas diuiſa conſtituit, ita vt à coniunctione ad primam quadraturam producat in hæc inferiora frigiditatem, & humiditatem; à fine quadraturæ primæ vſque ad oppoſitionem cum Sole, producit calorem, & humiditatem; ab oppoſitione ad aliam quadraturam, calorem, & ſiccitatem communicat; & à fine illius ad coniunctionem vſque cum Sole frigida, & ſicca exiſtit. Neque hic poſſumus horum euen- *In menſe Luna quatuor tempora efficit.*

D tuum cauſas ad vnguem referre, nam impræſentiarum non primas cauſas omnium quæ ad Aſtronomiam pertinent, ſed quæ ad propoſitum noſtrum conducunt, inquirere cogitamus; quod ita eſſe faciendum monſtrauit Gal. 3. *de diebus decret. cap.* 6. adducens cauſas dierum decretoriorum.

## Dvbivm.

### *An remedia conueniant in Lunæ incremento, aut decremento?*

His præmiſſis, cùm venæ ſectio, & expurgatio tempore veris conducat, vt ex omnium conſenſu conſtat, dubium quod remanet, eſt an debeat exerceri in augmento, vel diminutione Lunæ? Nam quod in plenilunio, vel eius coitu cum Sole non debeat fieri, ob mutationem, & alterationem, quam cauſat, omnes vnanimiter fatentur.

*Probatur pars affirmans, quod in incremento Lunæ ſectio, & expurgatio conferunt.*

Quod in Lunæ incremento debeat mitti ſanguis, & expurgari potiùs quàm in illius decremento, hæ militant rationes ( nam authoritatibus non poteſt comprobari. ) Primò: Tunc talia conueniunt remedia, quando humores adaugentur, & corpora replent: tale accidit creſcente Luna: ergo ea creſcente conueniunt. Maior eſt certa; nam morbos ex repletione curat euacuatio, ex Hipp. 2. *aphor. textu* 22. Quod verò creſcente Luna humores adaugeantur, docet Auic. *fen.* 41. *doct.* 5. *cap.* 21. vbi ait, quod in augmento luminis in corpore Lunæ, augmentatur cerebrum in craneis, & aqua in fluminibus acceſſionem, & receſſionem habentibus. Confirmant hanc doctrinam mirabiles elationes Maris, quæ fiunt dum creſcit Luna, quas ipſi Lunæ attribuunt omnes, vt ait Plin. *lib.* 2. *nat. hiſt. c.*97. & *c.*99. vbi inquit, quod Luna accedens corpora adimplet, & ſanguinem hominum adaucto lumine adauget, abſcedens verò inanit. Et *lib.*18.*cap.*31. Luna creſcente frumenta grandeſcere aſſerit. Contrarium accidit ipſa decreſcente.

*Ventoſæ ſunt applicandæ in Lunæ augmento, & quare.*

Secundò ex eodem Auic. *loc. cit.* vbi agens de ventoſarum vſu præcipit eas ponere in augmento Lunæ: ergo idem eſt faciendum dum alia remedia ſunt admouenda.

Dices, cucurbitas conuenire in augmento luminis Lunæ, quia tunc ebulliunt humores, & ad cutem ſe extendunt, & aptiores fiunt, vt cucurbitarum admotione ad cutem facilius trahantur; hoc autem non eſt neceſſarium in ſanguinis miſſione, & expurgatione, præſertim cùm purgatio moueat humores ab ambitu corporis ad illius centrum; & de ſanguinis miſſione ſit etiam in controuerſia poſitum, ita vt quidam cenſeant ab extra ad intra mouere humores; quo tempore neque poteſt eſſe vtilis venæ ſectio, neque purgatio, cùm efficiant motum in humoribus contrarium; atque adeò poteſt vnum tempus eſſe vtile ad vnum remedium, & inutile ad aliud.

*Motus humorum creſcente Luna confert ad ſanguinem mittendum.*

Hæc euaſio non fugit difficultatem; nam in vtroque remedio exercendo illa humorum ebullitio, & attenuatio eſt neceſſaria. Quod autem conueniat in ſanguinis miſſione, facilè colligitur; nam vt probauimus *lib.* 5 .*de peſtil. febris curat.* ſanguinis miſſio reuocat humores à centro ad circumferentiam: ergo ſi in augmento luminis Lunæ taliter mouentur humores, eorum motus poteſt conferre ad ſanguinem mittendum; ſiquidem motus humorum factus à natura in Lunæ augmento, conuenit cum motu facto ab arte; cuius contrarium accidit in decremento luminis Lunæ, in quo humores decreſcunt, & contrarium motum efficiunt.

*Tempus calidum, & humidum ſanguini mittendo idoneum.*

Tertiò, nam ideo vere ſanguinem mittimus, quia tunc temporis temperies calida, & humida eſt apta generationi humorum, & eorum attenuationi, vt ſuprà inſinuauimus: ergo illud tempus pendens ex motu Lunæ erit aptius ad ſanguinem mittendum, in quo talis temperies, calida ſcilicet, & humida fit: ſed hoc tempus datur in augmento luminis Lunæ, à fine ſcilicet primæ quadraturæ ad oppoſitionem vſque, ſiquidem tempora Lunæ diuidendo, diximus ex Aſtrologorum placito, quod tale tempus reſpondet veri, & eſt calidum & humidum: ergo illo tempore potiùs quàm in alio ſanguis eſt mittendus. Confirmat hoc Auic. *fen.*13.*lib.*3.*tract.*5.*cap.*12. vbi inquit, quod in hieme ad phlebotomandum eſt eligenda hora auſtrina, non aliâ ratione, niſi quia eſt temperies illius calida, & humida: ergo cum in tempore incrementi Lunæ accidat tempus calidum, & humidum ratione motus Lunæ, tunc facienda eſt phlebotomia, non verò in tempore, quod reſpondet æſtati, aut autumno, quod datur in Lunæ decremento, vt ſuprà tradidimus.

*Luna decreſcente ligna ad ædificia conſtruenda ſunt ſecanda, & animalia caſtranda.*

A Neque aduerſatur dictis id quod communiter obſeruatum videmus, quod etiam docet Plinius *lib.*18. *cap.*32. vbi aſſerit, omnia quæ cæduntur, carpuntur, condiuntur, innocentius decreſcente Luna, quàm creſcente fieri: verres præterea, iuuencos, arietes, hœdos, decreſcente Luna caſtrato: ſeminaria cum Luna ſupra terram conſulit fieri: ergo innocentius decreſcente Luna fiet venæ ſectio. Hoc, inquam, non obſtat; nam non eſt eadem ratio in omnibus; quæ ſecantur enim, ſecari debent in Lunæ decremento, quia ſic minùs humiditatis habent; nam vt diximus, tunc humores minuuntur, ad differentiam incrementi, in quo adaugentur. Quod inde conſtare arbitror; nam à plenilunio, ſeu oppoſitione cum Sole vſque ad coniunctionem, Luna ſiccitatem producit in hæc inferiora; nam ab oppoſitione ad quadraturam producit calorem, & ſiccitatem, & à fine quadraturæ ad coniunctionem, frigiditatem, & ſiccitatem. Quia ergo quæ B ſicca ſunt, minùs ſunt obnoxia putredini, diutiúſque conſeruantur, quàm humida; ideo quæ cæduntur, aut condiuntur, debent fieri Luna decreſcente. Similiter qui caſtrari debent, decreſcente Luna minori cum periculo caſtrantur; nam cùm humores ratione ſiccitatis congregentur, & eo tempore, vt dictum eſt, minuantur, non facilè fluunt ad partem dolentem, neque in ipſa parte inflammatio excitatur, quam timere poſſumus, ſi hoc opus exerceatur ipſâ Lunâ creſcente, in qua humores fluxiles, & ad motum habiles fiunt: hoc autem non deſideramus, dum venam ſcindimus; ſed humorum fluxibilitatem optamus, & eorum augmentum, in quo ſolitiùs ſanguinem mittimus, quia tunc habemus naturam adminiculantem, materiamque humoralem ob eius fluxibilitatem maiorem, magis aptam euacuationi, naturæque motum venæ ſectione adiuuamus.

*Quare quæ caſtrantur animalia, decreſcente Luna caſtrentur.*

*Quod purgatio conuenit in Lunæ augmento, probatur.*

Quod autem purgatio conueniat potiùs in augmento luminis corporis Lunæ, etiam ipſa dictat ratio; nam vt fert probabilior opinio, humores ad C purgationem ſunt attenuandi; hæc autem attenuatio fit in augmento Lunæ, tunc etenim magis diffunduntur humores, & cedunt medicamento purganti; in decremento autem humores concreſcunt, & ob concretionem minuuntur nimis, vt apparet in medullis animalium occiſorum, quæ dum occiduntur in diminutione Lunæ, obſcurantur nimis; in incremento verò planè adauctæ conſpiciuntur, faciléque extrahuntur ex oſſibus. Totum huic contrarium euenit ipſâ Lunâ decreſcente, atque adeò exercenda eſt purgatio in Lunæ incremento.

*Pars contraria proponitur, & vſu quotidiano comprobatur.*

Quod verò decreſcente Luna venæ ſectio, & purgatio magis conferant, docet quotidianus vſus, & omnium benè ſentientium comprobatio; frequenter enim tempus decrementi expectamus ad ſanguinem mittendum, vel purgandum propter morbum imminentem; illudque tempus, vt magis ſalutare, eligimus, in quo feliciter ex horum remedio- D rum vſu bonos euentus experti ſumus. Confirmant hanc partem cæſa, & condîta, & alia plura facta in hoc tempore, quæ fieri prohibentur in Lunæ incremento, vt diximus ex Plinij mente. Quod ſi ratione efficaci hæc pars confirmari nequit, quia non inuenimus à priori rationem, per quam demonſtretur; experientia tamen efficit artem, vt ait Ariſt. 1. *Metaphyſ. cap.* 1. Neque ad agendum experientia differre videtur ab arte, quinimò videmus expertos magis id, quod intendunt, conſequi, quàm illos qui rationem abſque experientia tenent. Cauſam tradit Ariſt. ibi dicens: *Cauſa verò eſt, quod experientia ſingularium, ars autem vniuerſalium cognitio eſt.* Ex pluribus enim experimentis, quæ eodem modo ſæpè accidere viſum eſt, deducimus vnam rationem communem. Quia ergo ſæpè experti fuimus, quod

*Experientia eſt ſingularium, ars eſt vniuerſalium cognitio.*

venæ

venæ ſectio, & purgatio decreſcente Luna maximam vtilitatem afferunt huic, Petro ſcilicet, & ſigillatim multis aliis, munus Artis medicæ eſt eadem in omnibus obſeruare; nam licèt qui experientiam habent tantùm, cauſam ignorent, & ſcientifici non ſint, cognoſcunt tamen cauſæ effectum, quem diligunt, qui in felici ſucceſſu conſiſtit. Quapropter ad remediorum executionem videtur eligendum tempus decrementi Lunæ, ab hinc mille annis plurimis experimentis comprobatum, licèt non aperiatur ratio efficax, quæ ad id faciendum ſuadeat. Præualeat ergo vſus rationi.

*Concluſio ſtatuitur: tam in incremento, quàm decremento Lunæ ſecurè remedia adhibētur.*

In hac ergo re difficile eſt tempus magis idoneum eligere; nam ratio adinuenit, quod creſcente Luna ſunt adminiſtranda venæ ſectio, & purgatio. Experientia docet, quod ipſa decreſcente ſunt exercenda. Ex iis infero, quod in vno tempore, & in alio ſecurè talia poſſunt adhiberi remedia, de quo ſæpè periculum feci; nam ſæpè purgatione, & ſanguinis miſſione vſus fui in vtroque tempore, maxima cum ægrotantis vtilitate, neque aliquam inuenire potui differentiam; quapropter non renuerem ſanguinem mittere, & medicamento purganti vti, tam in incremento Lunæ, quàm in illius decremento, cùm ad vtrumque ſuadeat ratio, & obſeruatio confirmet.

*Hora exercendi remedia eſt duplex.*

Ante tamen quàm quæſtionem finiamus, aduerto ex Auic. *fen.* 4. 1. *doct.* 5. *cap.* 20. quod hora phlebotomandi, imò & purgandi, eſt duplex; electionis vna, & neceſſitatis altera. Electionis hora eſt mane in lumine diei, & poſt digeſtionis complementum, & ſuperfluitatum expulſionem. Neceſſitatis hora, in qua fieri poteſt, definiri non poteſt. In præſenti, quia agimus de remediis in ordine ad præcauendum morbos, qui nondum ſunt præſentes, poſſumus horam eligere conuenientem, quæ vt conuenientior fiat, ſi Aſtrologis credimus, non ſolùm debemus inſpicere ea, quæ admonet eſſe inſpicienda Auic. ſed alia iuxta conſiderationem aſtronomicam. Circa purgantis medicamenti oblationem aſſerunt Aſtronomi, quod non debet exhiberi Luna exiſtente in aliquo ex ſignis ruminantibus, vt ſunt Aries, Taurus, Capricornus, Leo; nam ſi Luna eſt in aliquo ex iis ſignis, facilè inclinantur ad vomitum, quod aſſerunt eſſe experimento inuentum.

De venæ ſectione dicunt, quod non benè ſuccedit, quando ſecatur vena exiſtente Lunâ in ſigno ſupra partem, in qua fit venæ ſectio, dominante; quare dum Luna eſt in Ariete, quod dominatur capiti, non ſunt ſecandæ venæ capitis, linguæ, vel angulorum oculi: ſi ſit in Tauro, non eſt mittendus ſanguis ex venis iugularibus: ſi verò ſit in Geminis, euitanda eſt venæ ſectio ex brachiis, humeris, & manibus. Denique ſi ſit in ſigno Piſcium, abſtinere oportet à ſectione venæ pedum. Omitto plura ab Aſtronomis tradita, quæ difficillimè obſeruari poſſunt; dicta nunc ſufficiant pro hac inuſitata quæſtione. Si alia exoptas, lege Deodatum *lib.* 3. *Panthei hygiaſtici*, *cap.* 6. qui irridet Aſtrologos, & ephemeridum calculatores, dum hæc figmenta proponunt.

## OBSERVATIO II.

*Pro iuuene laborante febre continua, cui decimoquarto die ſine ſignis coctionis fluxus alui ſuperuenit, & liberatus fuit, per epicraſim facta purgatione, extra omnium ſpem.*

*Hiſtoria refertur.*

Iuuenis quidam æſtate media febre ardenti fuit correptus, cui debito tempore fuere adhibita remedia; illis tamen nihil leuabatur, neque in vrinis, & pulſu aliquod ſignum apparuit coctionis: imò ingens coma, & ſitis inſatiabilis huius febris ſigna propria perſiſtebant, nullâ elaboratione manifeſtè factâ in materia morbifica. Cum verò ad decimumquartum diem ſuæ ægritudinis perueniſſet, eius venter ſolutus fuit, cœpitque remitti febris, imò & accidentia febrem concomitantia; nullum tamen elucebat ſignum coctionis in vrina, vt poſſemus fidere alleuiationi illius, præcipuè cùm ex ventris fluore quotidie debilitaretur magis. Ne ergo vires nimis proſternerentur, viſum fuit mihi eam euacuationem cohibere, in quem finem aliqua remedia ventrem ſiſtentia, & roborantia admouere iuſſi, quibus venter adſtrictus fuit, & detentâ euacuatione, cœpit anxius eſſe, magiſque à febre moleſtari, quàm antea. Quapropter ne ex euacuationis retentione offenderetur, ventrem ſiſtentia detraxi, & ſtatim fuit ſolutus venter, vt antea, & remiſſa fuit febris, crudâ adhuc exiſtente materiâ; tuncque timui, quod ex euacuatione ad maiorem debilitatem deueniret, formidabamque etiam illius cohibitionem, ne denuò anxius redderetur æger, iterumque febris adaugeretur. In quo conflictu, vt medium neceſſarium elegi ei offerre medicamentum ſimul purgans, & euacuans humorem bilioſum, & atrum, & roborans quodammodo ventrem; cautè tamen, cùm ſit valde timoroſum ſoluere ventrem ſuprà ventris ſolutionem, vt ait Auicen. Sicque ei obtuli parum rhabarb. & mirobalanorum indorum in aqua plantag. cum ſyrup. ex nouem infuſionibus roſarum rubearum, quo moderatè purgauit, & roboratus fuit, ita vt aliquod ſignum coctionis manifeſtæ intra diem eluceret; non tamen omnimodè cohibitus fuit ventris fluxus, timuique virium illius exſolutionem; neque audebam eum impedire, ob noxam ſupra de ſucceſſione febris allatam. Quapropter tranſactis duobus diebus à purgatione, iterum auſus fui ei idem propinare medicamentum purgans, & roborans, quo feliciter ſucceſſit, cœpitque ab eo die magis concoqui vrina, & venter paulatim detineri, vires paulatim reſtaurari, ita vt vigeſimoſeptimo die eſſet omnimodè ab omni febre liber.

### ANNOTATIO.

Vt huius ægroti hiſtoria intelligatur, non eſt mihi in animo diſputare, quid ſit febris ardens, quâ hic æger laborabat, neque eius accidentia referre, cùm omnibus nota euadunt: ſolum ergo tradam, quæ peculiaria huic febri ſuperuenerunt, rationemque quâ motus fui ad purgationem faciendam in ægro ventrem ſolutum habente. In primis vt certum teneo, hanc febrem non fuiſſe exquiſitè ardentem; nam hæc cùm pendeat ex bile naturali vſta, vel putrefacta intra venas, conſtituit morbum acutum ſimpliciter, qui decimoquarto die ex mente Hippoc. terminari ſolet; quod tempus in hac febre longiſſimum exiſtit, cùm ſæpè ob humoris tenuitatem ſeptima die finiatur. Quia ergo ad vigeſimumſeptimum diem fuit extenſa, exiſtimare oportet, quod cauſa huius febris non ſolùm fuit exquiſita bilis, ſed mixta humori craſſo melancholico, vel ipſam per vſtionem ad eum ſtatum deueniſſe, ad cuius generationem non parum conducebat ægrotantis temperies, quæ ad calorem, & ſiccitatem vergebat; quo factum fuit, vt morbus iſte fuiſſet ſolummodò acutus ex decidentia, ob craſſitiem & multitudinem, quæ non potuit euinci intra dies morbi acuti ſimpliciter; atque adeò non apparuerunt notæ coctionis.

*Febris hæc non fuit exquiſitè ardens; & quare.*

Sed quia humor ob eius prauam conditionem non potuit concoqui, neque euinci, fuiſque qualitatibus moleſtiam

*Sæpe euacuatio ſymptomatica*

*prodeſt, & quare.* moleſtiam inferebat naturæ, factum fuit, vt die decimoquarto irritata natura moueretur ad expulſionem illius, efficeretque euacuationem ſymptomaticam illius humoris: & licèt aliquando euacuatio ſymptomaticè facta vtilis eſſe videatur, quia per illam humor noxius euacuatur, vt diximus *lib.4.de febribus, quæſt.5.* & aliquando debeat adiuuari, vt probauimus *eodem libro, quæſt.6.* hanc tamen euacuationem per ventrem factam nihil proficere exiſtimaui; nam licet euacuatio eſſet humoris peccantis, ita vt conferre poſſet, illi alia conditio deficiebat, nempe quod eam ferre poſſet natura; vtrumque etenim exigitur in euacuationibus, ſiue ſymptomaticè, ſiue criticè factis, vt docet Hippocrat. 2. *aphoriſmorum, text.2.* quæ quia vires diſſoluunt, & in extremum vitæ periculum ægrum deducunt, vituperantur à Galen. 6. *aphoriſmorum, phraſi* 27. decretoria enim, quæ non decernunt, partim letalia, partim difficilis iudicationis eſſe, oſtendit Hippocrat. 2. *epidem.* Quare cùm ex tali euacuatione vires deiicerentur, nihilque vtilitatis præſtaret, tentaui eam ſiſtere medicamentis ventrem roborantibus: ſed quia humor prauus erat, maximéque naturam moleſtabat, ex eius detentione febris euadebat intenſior, deteriuſque æger ſe habebat, quàm dum talis perſeuerabat euacuatio, quâ illo humore depoſito, alleuiabatur; quod ſignum iudicat eſſe mortale Auicen. *fen.2.4. tractatu* 1. *cap.92.* dicens: *Cùm homo habet febrem incenſiuam, & inuenit alleuiationem, & quietem calliditatis cum euacuatione, aut permutatione, & ſine extinctione vltima, & quieſcit quod eſt in pulſu de velocitate, & inuenitur ſicut tranquillitas, tunc iudica, quod moritur velociter.* Ea enim tranquillitas potiùs virium deiectio cenſenda, quàm tranquillitas. Dicitur tamen talis, quia in minori quantitate humor ſuis qualitatibus minùs lædit; deiicit tamen vires euacuatâ ſpirituum copiâ ſimul cum ipſo humore. Similia verba profert ipſe *fen.*14.3.*tractat.*4. *cap.*1. dum ait: *Cùm retentio ſolutionis conturbat, & eius ſolutio facit adquirere tranquillitatem, malum.*

*Euacuationes nocent ob virium diſſolutionem.*

*Tranquillitas ex euacuatione, quæ non ſedat febrem, eſt ſignum mortis.*

Ex iis quiuis inferre poterat, quod neque erat expediens illum humorem detinere, quia creſcebat febris; neque euacuationem illam adiuuare, quia vires nimis debilitabat; fiebat enim extra naturæ regulas, cuius munus eſt humorem retinere, & concoquere priuſquam ad illius expulſionem deueniat, vt Gal. ait 4. *aphor. phraſi* 22. tuncque naturæ ratione aliquid benè excerni iudicat impoſſibile ipſe eodem loco.

*Nihil violentius neceſſitate, quæ ad multa cogit.* Cùm tamen neceſſitas vrgeret, quâ nihil violentius, ea etiam ad multa cogit, & vt Æmilian. *lib.*7. ait, ipſa ingentes ſtimulos addit; excogitaui quidnam eſſet faciendum, vt æger periculum euaderet. Cùm enim morbus eſſet magnus, & acutus, neque poterat ſubueniri auxiliis leuibus, neque erat locus venæ ſectioni; nam fluxus ventris maximè naturam debilitans, phlebotomiam excuſat, vt ait Auicen. *fen.* 4. 1. *doct.* 5. *cap.* 20. & humor ille videbatur eſſe ſeparatus à conſortio ſanguinis, & venæ ſectione æger erat ſufficienter euacuatus, timui venæ ſectionem. Animaduerti etiam, an eſſet vtile clyſteribus talem euacuationem adiuuare, neque auſus fui, ne concitato ventris fluxu euacuatio immodica fieret. Quapropter cùm non eſſet æger ab auxiliis deſtituendus, & vt inquit Ouid. *de arte amandi lib.*2. *Cùm mora non tuta eſt, totis incumbere remis vtile*; vtile etiam iudicaui fluxum ventris alio fluxu compeſcere, ſimul ipſam roborando naturam, ne maiori humorum concitato motu ad aluum, æger omnimodè perderetur; & quodammodò ex eiectione humore euacuato, ſperabam reſiduum humorem fuiſſe ſuperandum. Neque nouum eſt, vnum ſymptoma alio detrahere, ſicque dolorem dolore auferre iubet Hipp. 6.*epidem.ſect.*2.*text.*9. & vomitum vomitu, & fluxum fluxu curat Auic. *fen.*13.3.*tract.*5.*c.*13. qua autem ratione inter ſe contrarientur huiuſmodi ſymptomata, ita vt vnum expellat aliud, diximus *lib.* 1. *de intern. morbor.curat. in quæſtione de amuletis, & incantationibus*, vbi clarè docuimus, qualiter ex accidenti ſimile auferri poteſt ab alio ſimili; ad quem locum recurres. Similiter cùm non ſit præter rationem in dyſetentria, & diarrhæa pharmacum purgans exhibere, vt notat Coſteus *in annot. ſuper eundem Auic. locum*, noſterque æger laboraſſet diarrhæa bilioſa, non aliter detrahi poterat, quàm eius cauſæ abſciſſione. Neque aduerſatur iis Gal. doctrina 1.*ad Glauc. c.*14. aſſerentis, *Quod ſi fuerit febris cum ventris profluuio, non eſt opus alia euacuatione.* Ibi enim agit de curatione regulari, non verò de coacta. Et licèt in fluxibus euacuatio non indicatur, ſed roboratio; tamen cum humores prauam habent qualitatem, purgatione ſunt abſcindendi, vt ait Gal. *de vena ſect. c.*8. concluditque Coſteus 4. 1.*doct.* 5. *annot. ſuper cap.* 3. *Auic.* corroboratione, & purgatione in hoc caſu eſſe vtendum; quod vtique fecimus ei offerendo rhabarbari, & mirobalanorum ſubſtantiam trituratam eo modo, quo diximus, quâ meliùs ſe habuit, tuncque cœpit manifeſtari victoria naturæ ſupra cauſam morbificam, quo remedio repetito omninodè vigeſimaſeptima die à morbi inſultu liberatus fuit.

*Fluxus ventris phlebotomiam excuſat.*

*Fluxus fluxu, & vomitus vomitu ſedari ſolet.*

## OBSERVATIO III.

*Pro nobiliſſimo viro à magna pediculorum multitudine vexato.*

QVod magnam inferant moleſtiam hominibus pediculi, nullus dubitare quit, cùm ferè omnes ab eorum punctione vexentur, & ferè omnes horum generationis cauſam in ſe contineant, & plura in noſtris corporibus generentur, quæ diutius vexare ſolent, ſomnos diſrumpere, & ſenſus indebitè vigiles reddere: propterea Quintus Serenus de re medica, vt hæc incommoda oſtenderet, ita cecinit:

*Noxia corporibus quædam de corpore noſtro*
*Progenuit natura, volens diſrumpere ſomnos*
*Senſibus admonitis, vigileſque inducere curas.*

Hos ergo in capite, & barba multos habebat nobiliſſimus quidam, qui ægrè ferens moleſtiam punctionis eorum, à me petiuit auxilium præſentaneum, ita vt dormire, & quieſcere valuiſſet; cui vt fas erat, ſubuenire volui, iuſſique inſpergere caput & barbam illius puluere cochi leuantini, qui vulgariter dicitur *cocca de leuante*, & ſtatim pediculi perierunt, ita vt illa nocte dormiret ſine aliqua noxa, & liber euaſit. Hoc idem antea expertus fui in altero ægro, qui toto corporis atrophiam, ſeu maciem patiebatur, & dormire nequibat ob moleſtiam à pediculis illatam, quo remedio vſus, ſtatim dormire cœpit.

### ANNOTATIO.

VT de hac obſeruatione maiorem aſſequamur vtilitatem, conſonum rationi eſt explicare, quidnam ſit hoc remedium, & an tutò poſſimus illo vti; pediculorunque differentias tradere, eorum cauſas referre, & denique curationem proponere. Quoad primum Lacuna *lib.* 3. *cap.*4. *ſuper Dioſcoridem*, ex aliorum placito aſſerit cochum leuantinum eſſe ſemen, ſeu fructum ariſtolochiæ clematitides; nam de hac refert Plin. *lib.*25.*natur.hiſtor.cap.* 8. quod ea contuſa, & admixta calci, in mari ſparſa, cupiditate mira

*Quidnam ſit hoc remedium, explicatur.*

mira aduolant piſces ad eam capiendam, ſtatimque exanimati fluitant; & quia totum hoc conceditur huic fructui, ideò exiſtimant eſſe ariſtolochiæ huius fructum. At ipſe Lacuna *lib.4.c.46.* inquit hunc fructum eſſe cuiuſdam ſpeciei tythimali, quam Theophraſtus cochon nominauit; non tamen cuius plantæ fructus iſte ſit, determinat. Ego autem autumo, eſſe ariſtolochiæ fructum; in tythimalo enim non eſt fructus ſimilis illi, in ariſtolochia verò clematite dantur fructus ſimiles paruiſſimis piris, vt notat Rembertus Dodoneus *lib. 1. de radicibus purgantib. c.etiam* 1. In tythimali autem qualibet ſpecie nullus fructus huic ſimilis datur; nam licèt illius tradantur ſeptem ſpecies ab Authoribus, nulli earum reſpondet fructus, cum quo ſimilitudinem habeat iſte fructus: & quia eſt in modum piri rotundi, aut auellanæ, & taliter reperitur in ariſtolochia, mihi ſuadeor eſſe illius fructum, qui habet vim abſtergentem, exſiccatque, & calefacit ad tertium vſque gradum cum amaritudine; conſtat enim omnia amara maximâ vi pollere ad enecandos vermes, lumbricos, hirudines, lendes, pediculos, cymices, & alia animalia parua; quam vim maximè experimur in prædicto auxilio.

*An hic puluis poſſit nocere.* Dubitari tamen poteſt, an puluis huius fructus capiti ſparſus poſſit nocere ſuo calore, & ſiccitate? Reſpondeo minimè lædere poſſe; nam pauco detinetur tempore, nec cuti ita adhæret, vt poſſit nocere: imò abſtergit, & mundam reddit partem, cui applicatur, nullam parti noxam inferens, præſertim ſi præceſſerit euacuatio vniuerſalis humorum, quo tempore tutiùs adminiſtrari poteſt. Hoc autem ita profero, quia nunquam experientia me fefellit in hominibus, & mulieribus prouectæ ætatis; in tenellis tamen infantibus illius vſum ſemper reformidaui.

*Quid ſit phthiriaſis.* Sed quia de morbo pediculari phthiriaſis dicto ſermonem cœpimus, de illo breuiter eſt agendum, quod ſecundo loco pertractare promiſimus. Eſt igitur phthiriaſis affectio infeſtiſſima capiti, mento, alis, inguinibus, & denique vniuerſo corpori, quibus in partibus pediculi adhærent, & eas maximè moleſtant, quorum tres dantur differentiæ; nam quidam abſoluto ſermone pediculi dicuntur, alij patellæ, quas vulgus *ladillas* appellat, quæ fixiùs barbæ, pilis, pubi, & alis adhærent: alij denique ſunt lendes, quæ ſunt paruiſſimæ, & albæ, ipſis pilis, & veſtibus affixæ.

*Pediculi an ſint morbus, vel ſymptoma.* Licèt iſta animalcula videantur lædere actiones, quia faciunt vigilare, & corrodunt partes corporis, non tamen dici merentur morbus in numero, vt cenſet Hieronymus Mercurialis; nam vt alibi probauimus, morbus eſt affectio viuenti inhærens: quapropter ad ſymptoma in eis quæ excernuntur præter naturam referri debent, quia ex excrementis, quæ generantur ex tertia coctione, tanquam ex cauſa materiali fiunt, vt ſtatim dicemus. Benè tamen ipſi poſſunt eſſe cauſa morbi continuum ſoluendo, quia ſuâ punctione partes corrodunt, & tanquam cauſa lædunt.

Verumtamen cùm omne ſymptoma ſequatur morbum, neceſſe eſt ſtatuere, quiſnam morbus ſit, à quo iſtud ſymptoma procedit. In qua re ſtatuere oportet, quod cùm ibi generetur viuens, talis generatio debet à calore procedere, tanquam ab inſtrumento, cuius vim motiuâ tribuimus cauſæ ſuperiori; nam à calore, vt cauſa principali, procedere non poteſt, de quo punctò egi in praxi, capite de lumbricis inteſtinorum; vbi quanam ratione à calore putredinali animalia imperfecta generentur, diſcuſſi. Neque ad generandos pediculos oportet, quod ſit morbus ſenſibiliter lædens, ſed ſufficit, quod in partibus ſit aliqua intemperies calida, per quam producantur, ſiue ſenſibiliter, ſiue inſenſibiliter lædat; nam tempore ſalutis plures gigni ſolent pediculi, neque morbum ſenſibilem expoſcunt.

*Cauſa materialis quæ?* Circa eorum cauſam materialem eſt maior difficultas inter Authores. Noſter Mercatus *libr. 2. de puerorum morborum curatione, cap. 21.* expreſsè aſſerit, quod quando humores ſunt corrupti in noſtro corpore, natura eos ad cutem propellit, quia eos ineptos nutritioni nequit reddere. Quorum materia, quæ craſſa eſt, iuxta cutem detinetur, ibique à calore humido efferueſcit, & vitæ ſpeciem ſuſcipit, ob quod prædicta animalcula naſcuntur; quo fit, vt tot ſint pediculorum differentiæ, quot humorum ſpecies; ipſique referunt colorem humoris, ex quo fiunt. Ariſt. *5. de hiſt. anim. cap.31.* ait, pediculos fieri ex carne corrupta, cuius ſententia diſplicet; nam ſine carnis corruptione gignuntur, & in hecticа, & tabidis eorum magna elucet copia; in quibus tanta eſt carnis conſumptio, vt non detur locus eorum generationi. Hieronymus Mercurialis aliam protulit ſententiam magis veritati conſonam, videlicet pediculos fieri ex excrementis tertiæ, & vltimæ coctionis: cuius veritatem comprobat ex Galen.1.*de compoſit. medicam. ſecundum locos, cap.* 7. & ex Auicen. *fen.7. lib.4. tract.3, cap.26.* Sed vt hæc ſententia magis nota fiat, ſciendum eſt, quod excrementa, quæ in tertia coctione generantur, ſunt multiplicia; *Excrementa tertiæ coctionis plura.* nam quædam inſenſibiliter euacuantur, alia per ſudorem expelluntur, alia in ſordem conuertuntur, alia ab ipſa cute non ſeparantur; quæ ſi in ſummo eius retineantur, faciunt furfurationem; ſi in poris cutis detineantur, & ſint acria, & mordacia, corrodunt, & exulcerant, & in capite ophiaſin faciunt: ſi verò ſint mitiora, & non praua, neque mordacia, ſed dulcia, ex ipſis pediculi generantur. Ex quibus ſolùm deducitur, quod hæc ſententia patum differat à Mercati opinione; nam ipſa excrementa per tertiam coctionem genita, dici poſſunt immediata cauſa pediculorum; humores verò corrupti cauſa mediata: nam antequam in tertia regione, & coctione tales humores immutentur, non poſſunt eſſe cauſa materialis pediculorum. Sed quia non implicat, quod humores corrupti ad cutem tranſmiſſi immediatè alterentur à calore, & diſponantur ad vitam his animalculis conuenientem, ideò exiſtimo immediatè fieri poſſe tam ab humoribus corruptis, quàm ab excrementis tertiæ coctionis, eo modo quo dictum eſt; non tamen tot eſſe pediculorum ſpecies, quot humorum, vt refert Mercatus. *Num ex bile fiant pediculi.* Nam bilis cùm acris, & mordax ſit, non poteſt conuerti in pediculos; quod quidem patet in morbo regio, vbi bilis in tota cute, & eius poroſitatibus eſt imbibita, & tamen pediculi non producuntur. Accedit ad hoc; quod acria, & amara, & calida, & ſicca potiùs interficiunt hæc animalcula, quàm ſint eorum materia idonea. Sunt non minùs lati pediculi, quos cymices vocant, moleſtiſſimi, qui de ſe tetrum odorem mittunt, præſertim dum interficiuntur; ipſi tamen licet ex ſanguine alantur noſtro, non tamen ex nobis generantur, ſed ſemper habent alias cauſas extrinſecas.

*Cauſæ adiuuantes phthiriaſim.* Inter cauſas quæ adiuuant pediculorum generationem, ſordes veſtium, & corporis exercitium, Solis æſtus, & omnia quæ humores mouent ad cutem, vt ficus, fœniculum viride, & alia huius cenſus connumerantur, ex Galen. *lib.de cibis boni,& mali ſucci.* Item viperina caro comeſta, ſi corpus vitioſis humoribus redundet, eos reuocat ad cutem, & ex eis maximaſucceſcit pediculorum multitudo, vt ait Gal. 11.*de ſimplic.medic.facult.* Pari ratione fricatio cutis, & ſcalpellatio vnguibus facta ſolet eſſe cauſa generationis pediculorum in corporibus cacochymis, quatenus humores ad cutem reuocant, in qua gignuntur.

CVRATIO

### Cvratio.

AD eorum igitur ablationem, & cauſarum remotionem deuenientes, in primis victus boni ſucci eſt inſtituendus, itavt quantum poſſibile fuerit, prohibeatur humorum corruptorum generatio; nullum enim eſt ita efficax auxilium, quod fructum aliquod afferat, niſi ei adiungatur victus ratio, vt ait Galen. *lib. de vſu Theriacæ.* Et quia turpe eſt pediculis abundare, laborioſumque nimis ab illis moleſtari, & faciunt homines ab aliorum conuerſatione recedere, diligenter oportet huius affectus curationem tractare. Quapropter veſtes, & indumenta ſemper debent eſſe munda, & cuiuſvis ſorditiei expertia, corpuſque abluere, vel partes, in quibus pediculi frequentiùs generantur; idque efficies rebus amaris, & ſalſis, quibus vis abſtergendi ineſt, & ſimiliter ipſos interficiunt. Conducit ergo ad hoc aqua marina, in cuius defectu artificialiter paratur ex aqua dulci ſale admixto, ita vt talem comparet conſiſtentiam, vt ſuper eam gallinæ ouum innatet; tunc enim in ſubſtantiæ modo, & reliquis ſimilis aquæ marinæ efficitur, & eaſdem poſſidet vires. Ad idem deſeruit decoctum lupinorum, abſintij, centauri minoris, ariſtolochiæ rotundæ, betonicæ, & ſtaphidis agriæ, vel decoctum fœnugræci, betæ, chamæmali, & meliloti, & lupinorum, addito pauco aceto. Sed quia ſæpe ſordium abſterſio non eſt ſufficiens, oportet (ſi ætas permiſerit) cauſam demere ipſos humores præparando, & eos euacuando medicamentis ſeligentibus. Sed quia ſanguinei naturâ propter humiditatem, & calorem ſolent maximam pediculorum copiam procreare, ſi adeſt ſanguinis redundantia, priùs ſanguinem detrahere licebit, niſi cruditates primæ regionis ſint impedimento; quo caſu clyſteribus, vel leni aliquo medicamento prius ſunt euacuandæ.

Factâ purgatione iuxta ideam humoris peccantis, poſſumus vti prædictis lotionibus, deinde in barbam, & capillos diſpergere pulueres in principio traditos. Ad idem valet ſtaphis agria in oleo malaxata. Pomum odoriferum malaxatum cum ʒ.j. argenti viui, ſi eo inungatur pars defœdata, eſt probatum auxilium, ex Ioanne Ildephonſo: vel olei communis ℥.iij. ſtaphidis agriæ ℥.j. argenti viui extincti cum ſaliua ʒ.j. ſaponis ʒ.ij. Vel pulueris chochi leuantini ʒ.iij. ſtaphidis agriæ ʒ.ij. olei communis ℥.iij. axungiæ porcinæ ſalitæ ℥.j. argenti viui extincti ʒ.j. Hæc aqua eſt mirabilis. ℞. aquæ ℔.j. arſenici ſublimati ʒ.j. agitentur ſimul ad diſſolutionem arſenici, & ea abluantur partes coinquinatæ. Sed quia ſub alis, & circa loca muliebria, & virilia ſolent lati pediculi, ſeu patellæ nimis adhærere, oportet nouacula ipſas partes depilare, & eas prædicto decocto abluere, & denique aliquo ex vnguentis adductis inungere. Sed quia infantes, & qui ſunt tenuis ſubſtantiæ, non poſſunt facilè huiuſmodi perferre auxilia, mitiora debent eſſe ex vſu, pro quibus ſufficere ſolet prædictarum rerum decoctum. Hoc etiam auxilium ſine noxa pediculos capitis abigit, ex Mercuriali, quod recipit ſtaphidis agriæ p. j. nitri ʒ.ij. bulliant in ℔.iiij. aquæ communis ad conſumptionem medietatis; & colaturæ addatur ʒ.j. argenti viui extincti, & agitetur aqua baculo per horas duas; deinde hac aqua abluatur cucufa, & exſiccetur, & capiti imponatur.

## OBSERVATIO IV.

*Pro laborante epilepſia vſu cauterij curato.*

QVinquagenarius bona fruens ſalute hiemis tempore poſt prandium à temporis frigore oppreſſus, ſe radiis ſolaribus expoſuit, quibus caput nimis calefactum, & grauatum breuiter perſentire cœpit, cum propenſione ad ſomnum, quo fuit correptus; & cùm dormiiſſet circiter vnam horam, dimotus à ſede, & cadens, cœpit agitari violenter, & habere motus conuulſiuos, ſpumam ex ore mittere, difficilemque reſpirationem, & denique omnia accidentia morbum epilepticum concomitantia. Quæ licèt per aliquod temporis interuallum quieta quodammodò permanſiſſent, non tamen ſenſum, & motum recuperabat, ſed ſine ſenſu, & motu iacebat vt apopleticus, donec iterum, atque iterum epilepſiæ accidentia ſæuiſſima ſuperueniebant: facies illi intumuit cum rubore, & tumore venarum; in cuius auxilium breuiſſimè ſum vocatus, timebant enim, & meritò, illius ſuffocationem, cui citò ſubuenire iuſſi ſanguinis larga effuſione ſimul facta ex vtraque humeraria, frictionibus, ligaturis partium extremarum, & cucurbitulis; his tamen non quieuit, quapropter in animum induxi, ei ſi poſſibile foret, medicamentum purgans offerre; priùs tamen experiri malui, an aliquid poſſet deglutire, & cùm res pro voto ſucceſſiſſet, paulatim dedi potionem purgatiuam fortem, duabus horis, vel tribus tranſactis ab aliorum remediorum exequutione; purgatioque ſucceſſit pro ratione, quâ altera die clamare cœpit, & vociferari, inordinatè tamen, quouſque paulatim cœpit cognoſcere, & quemquam proprio nomine appellare. Permanſit tamen epilepticus, & cum ingenti dolore capitis in toto ſincipite, & habebat frequenter paroxyſmos, quibus maximè moleſtabatur, & nunquam erat ſine dolore capitis vehementi. Cùm ergo prædicta auxilia ſufficienter morbum detrahere non potuiſſent, vſus fui clyſteribus, pillulis, remediis capitalibus, & fontanellis in brachio, & crure. Neque cedebat morbus, donec inſtrumento ferreo ignito fontanellas ſex in ſincipite iuxta futuram coronalem aperire iuſſi, quibus apertis ſeruatis per quadraginta dies, æger ex toto ſanus fuit, ſine dolore ſcilicet, & ſine morbo epileptico.

### Annotatio.

*Quibus morbis fuit correptus hic æger.*

HÆc obſeruatio continet plura notatu digna, quæ ſi rectè intelligantur, omnia conſonant medicinæ regulis, eaque breuiter ſunt examinanda. Hunc morbum fuiſſe comitialem, nullus dubitare poterit, vt propria oſtendebant ſigna; quæ qua ratione huic morbo ſuperueniant, in praxi ſufficienter docuimus. Neque dubito, etiam adfuiſſe debilem apoplexiam, vt oſtendebat difficilis reſpiratio, & priuatio ſenſus, & motus; quæ accidentia permanebant, ægro exiſtente extra paroxyſmos epilepticos, quibus præſentibus quiuis poterit exiſtimare vtrumque affectum fuiſſe ſimul. Neque vtriuſque cauſam reddere eſt perdifficile, cùm certum ſit, quod calor maximè iuuat ad attractionem; ita enim Galen. *lib.5. de ſimplic. medic. facult. cap.* 16. Imò Valleſius 7. *controuerſ. cap.*3. cenſet calorem per ſe eſſe tractionis cauſam; experientiaque demonſtrat, quod pars corporis aliqua dum calefit, facilè inflammatur, & ruborem contrahit, ſanguine ad illam confluente,

*Calor quomodo attrahit.*

confluente: & ſuccinum confricatum calefit, & trahit; antea tamen non trahebat. Qua autem ratione calor tractionis ſit cauſa, lege Doctiſſimum Garciam *in fen.* 1. *Auic. lib.* 1. *doct.* 7. *ſumma* 1. *cap.* 2. *diſput.* 39. *cap.* 2. Cùm ergo caput illius eſſet Soli expoſitus, non mirum, quod fieret humorum ad illud attractio ex venis, & partibus capiti proximioribus, & illæ attraherent ex aliis, donec caput adimpleretur ſanguine, & in ipſo fieret obſtructio; & conſequenter incipiens à leui obſtructione, incidit in ſomnum, eaque adaucta, fuit ſubſequta apoplexia. Sed quia non ſolùm qualitas humoris noxia, ſed etiam excedens quantitas poteſt excitare naturam ad expulſionem, vt docet Galen. *lib.*2. *de different. febrium*, *cap.*11. non mirum ſi eo tempore natura irritata, & grauata à qualitate, & quantitate ſanguinis, aduerſus illum inſurgeret medio motu concuſſiuo, quo nititur expellere quidquid noxium eſt in cerebro, præſertim cùm nerui, & membranæ illius à cauſa aliqua moleſtante læduntur. Ad quam autem facultatem cerebri motus reduci debeat, diximus in praxi, *cap. de epilepſia.* Sed licèt per talem motum natura ſe exonerare intenderet, in cerebri tamen ſubſtantia, & illius ventriculis manebat ſanguinis quantitas ſufficiens ad obſtruendum, ita vt impeditis viis neruorum, per quas deferri deberet virtus conferens ad ſenſum, & motum, iacebat æger ſine motu, & ſenſu, & reſpirationem difficilem retinebat; quæ ſigna apoplexiam eſſe oſtendebant, ruborque faciei ſanguinis redundantis in capite exſuperantiam ſignificabat. Non tamen negare poſſum à vaporibus alimenti ingeſti ad caput delatis, caput fuiſſe etiam grauatum, cùm paulò poſt à prandio hæc omnia illi accidiſſent, ita vt tam ſanguis, quàm vapores vtriuſque affectus concauſæ eſſent.

*Præſagium.* Quoad præſagium, iam conſtat dictante Hipp.2. *aphor. textu* 42. quod debilis apoplexia non facilè curatur. Similiter qui poſt vigeſimumquintum annum comitiali laborant morbo, moriuntur: ex quibus difficile erat præſagire ſalutem. Et quia apoplexia eſt morbus exactè peracutus, epilepſia verò ſimiliter reſpectu paroxyſmorum eſt nimis periculoſa, & acuta, neutiquam præſagatio ad ſalutem erat ſecura; imò ad præſagiendam mortem me magis inclinabat animus, à qua liberatus fuit remediis à nobis præſcriptis. Primum fuit venæ ſectio ex vtraque cephalica ſimul, quod conſulit faciendum Auic. *fen.*1. *lib.*3. *tract.*5. *cap.*11. nam cùm caput nimis oppletum appareret, non poterat differri auxilium; neque in parua quantitate erat ſanguis extrahendus, propter timorem ſuffocationis, cùm difficilem haberet reſpirationem; quapropter Auicen. iubet in cura apoplexiæ, vt fiat emiſſio multi ſanguinis, præcipuè cùm adeſt rubor in facie, & ſigna redundantiæ ſanguinis: quod comprobare viſus eſt Galenus *lib. de ſanguin. miſſione*, *cap.* 7. in comitiali morbo, in apoplexia, vertigine, & ſanguinis reiectatione. Zacutus Hebræus *in praxi*, *cap. de apoplexia*, ſanguinem mittit à quocumque humore procedat.

*An in omni apoplexia ſit ſanguis mittendus.* Dubitatur tamen, & meritò, an in qualibet apoplexia, imò & in quolibet morbo comitiali liceat ſanguinem mittere, propter timorem ſuffocationis. Auic. venam ſecandam eſſe præcipit, niſi aliquid obſtiterit: quod deſumpſit ex Galeno, qui ſtatim ſanguinem mittere iubet, imò in quocumque euentu ſanguinem eſſe mittendum ſtatuunt; nam in morbis acutis, ſi morbus vehemens ſit, & adfuerit virium robur, flourueritque ægrotantis ætas, ſanguinem detrahere licet, ex Hipp.4. *de ratione victus in morbis acutis.* Quod ſi ætas non floruerit, dum-

A modò vires conſtent, venæ ſectio eſt facienda; nam Galenus 4. *lib. method. cap.*6. ait: *Si morbus magnus eſt, adfueritque virium robur, nemo ſanæ mentis eſt, qui ſanguinem mittere non audeat.* Quapropter cùm in hoc affectu ſit maxima acuties, & vehementia, ſi vires conſtent, illicò venæ ſectio eſt facienda. Præterea apoplexia eſt morbus extremus, cui debent adhiberi extrema remedia, cum quo improbatur Rondeletij ſententia, qui aſſerit in hoc morbo curando eſſe à leuioribus inchoandum. Hoc, inquam, ſuſtineri nequit; nam in morbo exactè peracuto omnis dilatio eſt peſſima; ideò cenſendum, ſtatim eſſe offerenda remedia magna. Et quia non datur locus ſemper medicamento purganti, quoniam æger non poteſt illud aſſumere, neque alia remedia pro tanto morbo ſufficere poſſunt, ideò acriter defendunt faciendam eſſe venæ ſectionem.

B Neque obſtat ſi apoplexia fiat ab humoribus crudis, nam etiam lethargus fit à pituita; & tamen Galenus *lib.* 13. *methodi*, *cap.* 21. iubet in ipſa ſanguinem mittere, neque aliter poterit deobſtrui cerebrum; nam ſi ipſo obſtructo à craſſis humoribus adhibeas remedia calefacientia, maior fit attractio, & ſuo calore humores attenuati maius occupant ſpatium, & per conſequens extenditur obſtructio ad plures partes, morbuſque inualeſcit.

In hac re difficili breuiter quid ſentiam dicam; in primis enim certum eſt, quòd ſi iſte affectus à ſanguine quarto humore, vel à maſſa ſanguinaria originem ducat, vel aliquo humore cum ſanguinis conſortio, ſine dubio ſanguis eſt mittendus. Quod vtique conſulit Auic. Paulum, & Galenum æmulatus. Verumtamen cùm poſſit contingere ab humoribus crudis, de his dubitari poteſt, an vena ſit tundenda, vel aliis remediis ſit vtendum.

C Dico ergo primò, quod ſi epilepſia, vel apoplexia fiat ex cruditate ventriculi, tunc venæ ſectio conferre non poteſt; potiùs enim ipſa nocebit ſpiritus, & ſanguinem diſtrahendo, & euacuando, quibus cruditates concoqui, & ſuperari deberent. Eſt enim cruditas ventriculi maximè venæ ſectionem prohibens, & per illam nihil detrahitur de cauſa morbifica antecedenti, nec coniuncta; propterea Galenus 13. *methodi*, *cap.*21. *cit.* inquit quod crudi humoris copia venæ ſectionem prohibet; tunc etenim clyſteribus, & aliis remediis ventriculi coctionem iuuantibus eſt vtendum, & ſi eſt occaſio ad vomitum, eſt vtilis, vt ait Auic. Neque aliter huiuſmodi affectum curare valuimus.

Dico ſecundò, quod ſi humores crudi per totum corpus ſint collecti, & ex ipſis ſine ſanguinis mixtione fiant huiuſmodi affectus, neutiquam ſecurè poteſt venæ ſectio adminiſtrari. Quod clarius

D luce oſtendit Galen. *lib. de euacuandi ratione per venæ ſectionem*, *capit.*6. vbi ait, ex venæ ſectione hominem in extremum malum recidere, vt nequaquam poſtea reſtitui poſſit. His addo, quod dum crudi humoris eſt multa copia, vires non poſſunt eſſe validæ ad venæ ſectionem ferendam, quia humoris crudi copia caloris imbecillitatem oſtendit, quo omnes facultates fruuntur, vt omnes ſuas peragant actiones; in cuius defectu nec mirum, ſi imbecilles ſint, factâque venæ ſectione magis calor deperdatur, & cruditas augeatur, & morbus immedicabilis remaneat.

Quid ergo reſpondendum aliorum ſententiæ? Facilis eſt ſolutio. Nam Galen. iubet venæ ſectionem facere, ſi nihil prohibeat, vt crudi copia, ætas puerilis, vel ſenilis, tempus frigidum nimis, &c. Et in

in hoc ſano modo veniunt intelligendi Authores, qui in ſua praxi monent, ſtatim moliendam eſſe venæ ſectionem. Et licèt lethargus ſit pendens à pituita, & propter iſtam rationem non eſſet curandus venæ ſectione; tamen quia inflammatur cerebrum, & in ipſo pituita putreſcit, & febris ſuccenditur, talis pituita non remanet frigida, ſed potiùs indiget ventilatione, & attemperatione; atque adeò Galenus tam in phrenitide, quàm in lethargo venæ ſectionem imperat.

Sed inſtabis. Poteſt contingere, quod in apoplexia humor frigidus caput obſtruens inflammetur, febremque excitet: ergo tunc optimum remedium erit venæ ſectio, ſicuti in lethargo. Reſpondeo, quod in apoplexia ſi febris ex inflammatione, vel obſtructione procedat, ſi vires conſtent, benè quidem venæ ſectio adminiſtrari poteſt, ſicuti in lethargo; tamen quando ſuperuenit inflammatio, & febris inſurgit, raro liberantur ægri; nam raro febris tantam humoris copiam deuaſtat, ſed vires magis proſternit, ita vt non ſit locus tali euacuationi.

*An fuiſſet purgandus æger propoſitus.* Circa purgationem non minor eſt dubitatio, oportebat tamen primam regionem euacuare; ſed quia clyſteres nullum præſtabant auxilium, neque poterat eos recipere, conuenientius iudicaui offerre medicamentum purgans. Sed quia quæ in prima regione continentur, blandis medicamentis expurgari ſolent ab Authoribus, ſic enim cruditates ventriculi, quibus abundabat, euacuari poterant; quod maius infert dubium, eſt quare illi exhibui medicamentum purgans forte, ſiquidem vſus fui confect. hamech, cum decocto Pugini facto in decoctione capitali, addito ſyrupo Perſico ſennato: quæ potio electiuè euacuat humores ex venis, & non ſolùm primæ regionis cruditates. Vlteriùs iſte affectus habuit initium ex ſanguine, vt ex rubore faciei, & tumore venarum frontis erat notum, ita vt huiuſmodi ſigna in capite plenitudinem potiùs oſtenderent, quàm cacochymiam. Si ergo plenitudo aderat, venæ ſectione auferri deberet potiùs quàm purgatione, quæ debetur humoribus qualitate peccantibus, non verò plenitudini. Quare igitur medicamentum fortiter euacuans obtuli?

*Dubij ſolutio.* Vt huic dubio fiat ſatis, dico primò, quod ſi ei obtuliſſem lene pharmacum, non poſſet ſubſequi purgatio; nam cùm æger eſſet ſine ſenſu, haudquaquam medicamenti irritationem perſentiret, neque humores primæ regionis, qui erant crudi, & minimè mordaces, poſſent irritare vim expultricem, fruſtraque tentaretur talis euacuatio. Vt ergo maior eſſet irritatio, & commotio humorum, fuit mihi viſum tale offerre medicamentum, quod naturam maximè ſtimularet, eamque conſopitam excitaret, motique humores mordaces ad inteſtina, ibi ſenſationem triſtem inferrent, expultricemque vim excitarent ad eorum expulſionem. Quæ omnia vt excogitaui, ita fuere conſequuta.

*An purgatio in plenitudine poſſit eſſe vtilis.* Maiorem difficultatem continet ſecundum dubium; in capite enim erat plenitudo, & obſtructio cauſata ex omnibus humoribus ex æquo redundantibus, cui erat ſubueniendum venæ ſectione, non verò forti purgatione. Reſpondeo tamen hoc eſſe verum, dum morbus expectandi dat inducias. Tamen dum morbus acutiſſimus eſt, & breui tempore timetur ſuffocatio, ſanguine ſimul ex vtraque cephalica in magna quantitate miſſo, quilibet ſanæ mentis vlteriorem venæ ſectionem renueret, ob virium lapſum, & caloris natiui extinctionem: quapropter adhibito medicamento expurganti tollitur obſtructio; imò quodammodo minuitur plethora, ſiue ad vaſa, ſiue ad vires, dummodo non ſit ſolius

A ſanguinis; nam attractis aliis humoribus redundantibus, tollitur plethora ſine tanta virium iactura; & illorum humorum ad caput irruentium fit reuulſio. Et licet regulariter hoc non fiat, coactè tamen ſic facere debemus. Neque nouum eſt, loco ſanguinis miſſionis quandoque medicamentum purgans propinare; quod quidem docuit Galen. 4. *de ſanitat. tuenda*, *cap.* 4. vbi ſic: *Quod ſi quis vel propter ætatem, vel timiditatem permittere ſe Medico ad ſanguinem vllo modo detrahendum nolit, huius largiùs aluus deiicienda eſt.* Pari ratione mali ſucci vitium venæ ſectione aliquando etiam corrigi poteſt, & propter iſtam rationem Auicen. *fen.* 4. 1. *doct.* 5. *cap.* 20. ait: *Vnuſquiſque eorum phlebotomatur propter multitudinem ſanguinis, vel propter vitium illius, vel propter vtrumque.* Nam diuerſa nimis eſt methodica curatio à neceſſaria, & coacta. De hoc puncto magis latè agit Horatius Augenius *lib.* 3. B *epiſt. medic. epiſt.* 3. Neque obſtat ad ſanguinem mittendum, quod cibus, & cruditates eſſent in ventriculo; ſiquidem paulò poſt à prandio incidit in hunc morbum, quo tempore erat euacuandus, vel clyſteribus, & ſuppoſitoriis fortibus, vel medicamento purganti. Hoc, inquam, non obſtat; nam non erat facilè purgans medicamentum offerre, ægro ſenſu, & motu orbato; neque tanto malo enematibus, aut ſuppoſitoriis poterat ſubueniri; & quia erant ſigna redundantis ſanguinis, ipſa vrgentiæ ratio ad ſanguinem mittendum priùs ſuadebat; nam licèt ſit millies à Galeno proclamatum, quod ſanguinis miſſio eſt differenda donec cruditas abſumatur, vel excrementa primæ regionis deſcendant, præceptiones tamen practicæ non ſunt vniuerſim accipiendæ, ſed temperandæ pro vrgentiæ indicatione.

*An fontanella, vel inuſtiones conueniant in hoc morbo.* Accedamus ad vltimum remedium de apertione C fontanellarum in ſincipite, iuxta ſuturam coronalem: tale quidem auxilium confert, quando alia non proſunt, vt docet Hipppoc. 7. *aphoriſm.* ſi enim tale remedium non profuiſſet, vt inſanabilis relinquere- tur æger. Vlcera capitis in morbo comitiali conuenire docet Hipp. lib. de morbo ſacro, textu 12. imò ſi in auribus, & toto corpore fiant, à morbo liberant, ex eodem. Aëtius paralyſim curans occiput inurere iubet eo loco, quo ſpinalis incipit medulla, & aliis locis, & vlcera diutiùs eſſe adſeruanda, vt per illa expurgetur humor in capite contentus, magis firmetur pars & roboretur, dum vlcera ſanantur; nam pars illa, in qua fuit vlcus, ſtrictior efficitur, & denſior, & minus apta receptioni humorum, vt docet Auic. 4. *part. canticorum, textu* 381. Rogabis tamen, quare in ſincipite impreſſi vlcera, & non in occipite, vt monet Aëtius. Et ratio dubitandi eſt, *An inuſtiones in ſincipite proſint.* nam difficillimum eſt humorem epilepſiam cauſan- D tem ſurſum ad cutem ſincipitis trudi, & pelli à natura, atque adeò Doct. Sancta Cruz *lib. de morbo ſacro* aſſerit, talia vlcera magis vtilia eſſe ad corroborandam partem, quàm ad expellendum humorem; & ita conſulit cum Rondeletio, Mercato, & aliis, quod vlcera fiant in occipite, iuxta radicem capillorum, quoniam ea pars eſt decliuior, & magis receptioni commoda.

Reſpondeo verum eſſe, faciliùs ferri humorem ad partem humilem, quando proprio pondere ducitur; non tamen inde ſequitur, quod natura non valeat mouere, & expellere humorem ad ſuperiora, præcipuè ſi partes ſuperiores ſint inferioribus debiliores, quod in noſtro caſu euenire conſtabat: & quia in ſincipite dolor nimis moleſtabat, ideò vt remedium euacuatorium ibi fontanellas aperire iuſſi; & ſicuti vlcera erumpentia à natura in ſincipite, & aliis locis proſunt, vt liberetur æger ab epilepſia,

epilepſia, vt ait Hipp. *loco citato*, ita vlcera arte facta ipſam imitando naturam vtilitatem adferre vidimus. Cùm ergo per fontanellas cœpiſſet humor euacuari, æger minores habuit acceſſiones, donec ex toto fuit liber; ad cuius præcautionem, occluſis capitis fontanellis, in vno brachio, & altero crure fontanellam aperire præcepi, vt ſic natura diſſueſceret à conſuetudine impellendi humores ad caput. Reliqua pete ex capite de apoplexia, & morbo comitiali in noſtra praxi vniuerſali.

## OBSERVATIO V.

*De prædictione ad mortem ex ſublimi reſpiratione deſumpta; vbi plura ſcitu digna de reſpiratione notantur.*

CVm ad videndum ægrum vocatus fuiſſem, inueni illum cum febre lenta, reſpiratione ſublimi, propenſione ad ſomnum, & vrina alba, & perſpicua, pulſu molli, & magno in celeritate, & raritate ſimili naturali: æger erat iuuenis, naturâ pituitoſus, multis abundans cruditatibus, lue etiam Gallica infectus. Ante tamen quàm eius attigiſſem pulſum, inſpecta reſpiratione, coram adſtantium corona prædixi illum ægrum ex vi illius morbi eſſe interiturum. Hoc idem mihi contigit in aliis ægris, in quibus expertus fui quantam vim ad præſagiendum habet reſpiratio; nam ex ſola reſpiratione ſublimiter facta, ſine alterius ſigni notitia, potui maxima cum ſecuritate mortem præſagire; quod non ſemel, aut bis, ſed pluries feci cum maxima aſſiſtentium admiratione.

### ANNOTATIO.

BOnam reſpirationem magnam vim habere ad ſalutem in morbis acutis, qui cum febribus fiunt, & in quadraginta diebus terminantur, dictat Hipp. I. *prognoſticorum*, vbi etiam malam reſpirationem, ſiue frigidus ſit aër, qui exſpiratur, ſiue non, ibi ipſe proponit, prout confert ad curationem, & præſagationem. Vt tamen hiſtoria noſtri ægri omnibus nota fiat, pluribus eſt elucidanda, quibus intellectis, ſi ſimilis acciderit caſus, facilè erit ſcire, quid ſit agendum, quidque prædicendum. Dicam igitur in præſenti, quid ſit reſpiratio, ex quibus componitur partibus, illius cauſas referam, & denique quomodo ſublimis excitetur reſpiratio, & qua de cauſa ſit ſignum mortale. Eſt enim reſpiratio ita neceſſaria, vt vita à reſpiratione, & reſpiratio à vita ſeparari nequeat, docente Ariſt. *lib. de reſpirat. prope finem*, ita vt ne breuiſſimo tempore eâ deperditâ ſufficere valeamus, ex Galeno *lib. de vtilitate reſpirationis, cap.* I. Eſt enim reſpiratio, vt deducere poſſumus ex Gal. *lib. de definitionibus medicis*, & 4. *de locis affectis*, *cap.* 5. actio quædam ex inſpiratione, & exſpiratione compoſita, facta à facultate pectus mouente ad moderandum calorem natiuum, & generandum ſpiritus vitales, & animales. Inſpiratio eſt motus dilatationis pectoris, ſub quo continetur pulmo, diaphragma, &c. quo aër attrahitur, non quòd reuerà attrahatur aër, imò potiùs ſuccedit ipſe ad replendum vacuum derelictum in cauitate thoracis, dum ipſe thorax mediis muſculis attollitur: imò ipſe pulmo, qui etiam dicitur reſpirationis inſtrumentum, dilatatur ad motum dilatationis thoracis; qui motus fit etiam ob eandem ratio-

*Reſpiratio quid ſit, & ex quibus cōponatur partibus.*

*Pulmo non mouetur à ſe.*

A nem; non enim in pulmone implantatur neruus ſenſum, vel motum deferens, ſed ſolùm per membranam ipſius eſt diſp rſus, atque adeò licèt moueatur in reſpiratione; non tamen mouetur ab aliqua facultate ſibi inſita, vt docet Galenus 4. *de locis affectis*, *cap.* 5. & *lib. de motu pulmonis & thoracis*, & aliis in locis. Quànam autem ratione ad vacuum euitandum corpora moueantur, & à quo principio, Philoſophis diſputandum relinquo. Iſte aër attrahitur per nares, & os inſpiratione; in ſtatu naturali per nares, quando verò aliquis affectus infeſtat, per os etiam aër ſuccedit. Ita Galenus *libro* II. *de vſu partium*, *capite* II. ſic enim cogit neceſſitas attrahendi aërem: & non ſolùm nares ſunt illius tractionis inſtrumentum, ſed os. Exſpiratio eſt motus dilatationi contrarius, quo natura expellit aliquam portionem aëris attracti, fuliginibus, & vaporibus admixti, per eaſdem vias, per quas delatus fuit ipſe aër. Inter vtriuſque

*Quies eſt pars reſpirationis.*

B motum quies intercedit, non minùs reſpirationi inſeruiens, quàm dilatatio, & compreſſio; & ſicuti in pulſu datur quies interna, & externa, quæ deſeruit ad diſcontinuandum motum ex ſyſtole, & diaſtole compoſitum; imò quies interna ad eundem finem comparatur, ad quem ipſa pulſus conſtrictio; & externa ad id, ad quod comparatur dilatatio, idem ſtatuendum de quietibus in reſpiratione; deſeruiunt enim ad eundem finem, ſicuti reſpiratio, & exſpiratio: quapropter non eſt cenſendum, quietes ibi ſolùm dicere priuationem motus, ſed reuerà dicunt actiones; nam natura ibi operatur in actione permanens, licèt ipſa actio non ſit motiua; quapropter dicimus, ibi dari veram quietem, prout dicit motus priuationem; dari etiam veram actionem, per quam thoracis muſculi ad hunc finem deſtinati ipſum thoracem in illa

C quiete detinent, ac conſeruant, itavt propter eundem finem ſint inſtitutæ ab Authore naturæ; imò quodammodò dilatationis motus finis completur quiete externa, ſicuti interna compreſſionis finis conſummatur: verè ergo in vtraque quiete dantur actiones. Vnde quando Gal. *lib.* 4. *de differentiis pulſuum*, *cap.* 5. aſſerit pectus, & pulmonem quieſcere id temporis, quod intercedit inter ingreſſum aëris, & exitum, non eſt intelligendus de quiete dicente actionis priuationem, ſed ſolùm de quiete motus priuationem conſtituente. Oportet iam huius reſpirationis referre cauſas, quarum meminit Galenus *lib. de reſpirationis cauſis*, & alibi millies: & ſicuti in pulſu tres cauſæ continentes illius dantur, nempe facultas vitalis, inſtrumentum, & vſus; pari modo reſpirationis cauſæ ſunt tres, facultas ſcilicet animalis, inſtrumenta huic facultati obedientia, & vſus, ſeu vtilitas, quæ cau-

*Cauſæ reſpirationis proponuntur.*

D ſæ finalis ſortitur rationem. Dixi facultatem hanc eſſe animalem, quia voluntati in nobis obedit, & pro nutu voluntatis cohiberi poteſt, vt conſtat ex hiſtoria à Gal. tradita de ſeruo Barbaro 2. *de motu muſculorum*, *cap.* 6. qui cùm vehementi ira concitatus mortem ſibi conſciſcere decreuiſſet, poſtratus humi, reſpiratione cohibita, mortuus fuit. Etenim ſi quæ fiunt, ſedare potes cùm vis, & quæ non fiunt, facere, & ea citiùs, aut tardiùs, crebriùs, aut rariùs faciendi poteſtatem habes, voluntaria quidem ſunt, ex Gal. *ibi*, *cap.* 5. quod totum reperitur in motu reſpirationis, ac per conſequens neceſſariò fatendum, facultatem reſpirandi imperari à voluntate, & pertinere ad gradum ſenſitiuum.

Sed cùm facultas hæc indigeat inſtrumentis, ea in medium proferre conuenit, quæ ex anatome didicimus, & ex variis Gal. locis; ea tamen ſunt plura,

*Reſpirationis inſtrumenta aſſignantur.*

plura, inter quæ pulmo principaliter annumeratur à Gal. *lib. de vtilitate reſpir. cap.* 5. vbi ait, quod pulmo cordi copulatus eſt præcipuum inſtrumentum, licèt à thorace moueatur, hoc eſt mouetur ad thoracis motum, vt ſuprà tactum eſt: ibique docet thoracem eundem habere vſum, cùm dilatetur, & contrahatur, quoties reſpiratio fit. Septum tranſverſum (diaphragma dictum) principaliſſimum reſpirationis inſtrumentum eſt, vt docet Gal. 2. *de difficult. reſpir. cap.* 10. ex cuius noxa maximè reſpiratio offenditur, vt patet dum inflammationem patitur, vel à vaporibus, aut ab alia cauſa illius motus quodammodò impeditur; & vt iam dictum eſt, nares, & os etiam ſunt inſtrumenta reſpirationi dicata. Similiter & tota ventris regio, & quæ intra peritoneum continentur, vnà cum thorace mouentur, vt experientia oſtendit, & docet Gal. 4. *de rat. victus in morbis acutis, phraſi* 32. quæ omnia breui epilogo fuere adducta à Gal. *lib. de cauſis reſpirationis*; quædam enim ſunt, per quæ aër attrahitur, vt nares, os, & aſpera arteria; quædam, in quibus ille colligitur aër, vt pulmo, & arteria venalis; quædam quæ motum perficiunt, vt reliquæ partes, in quibus muſculi implantantur ad hunc finem; quædam quæ horum inſequuntur motum, vt pulmo, qui ad thoracis motum excitatur.

*Reſpirationis cauſa finalis ſtabilitur.*

Horum omnium, cum à Authore naturæ in aliquem finem ſint ordinata, cauſam finalem inquirimus, quæ in commoderatione, & ſymmetria innati caloris, & generatione ſpiritus vitalis, & animalis conſiſtit: ita Gal. proximè citatus *lib. de cauſis reſpirationis*, & *de vſu pulſuum, cap.* 2. propterea que cùm pulſus vſus ſit idem, dici ſolet communiter, quod reſpiratio, & pulſus ſunt propter eundem finem; nam frequenter dum pulſus immutatur, immutari ſolet reſpiratio; ſi enim calor creſcit, reſpiratio, & pulſus adaugentur; ſi ſpiritus deficiant, idem accidit; tunc enim fit aëris maior attractio, vt ſuppeditetur materia ad eorum generationem; quæ attractio partim fit pulſu, partim reſpiratione: & idem aſſero de aliis, quæ in reſpiratione, & pulſu dantur, vt de expulſione fuliginum, æqualitate, vel inæqualitate, ordine, tempore, crebritate, celeritate, & aliis: quæ omnia eò tendunt, vt calor in ſua mediocritate conſeruetur, & ſpiritus vitalis generetur in corde, & animalis in cerebro. Vnde infero, pulſum in corde, & reſpirationem eſſe æquè neceſſaria; nam ſicuti animal viuere non poteſt ſine reſpiratione, ita neque cor ſine motu; non tamen pulſus aliarum partium ſeorſum ſumptus eſt æquè neceſſarius, ſicut reſpiratio; quia reliquæ partes viuere poſſunt ſine pulſu, vt patet dum religatur, vel ſcinditur arteria alicuius partis, quæ poſtea conſeruatur; & hæc eſt ratio præcipua, propter quam inter dormiendum, & vigilandum incolumes ſaluantur pulſus, & reſpiratio, quia ipſis deficientibus deficit vita.

*Reſpiratio, & pulſus ſunt propter eundem finem.*

*Quid ſit cauſa continens, & quæ cauſæ continentes reſpirationis.*

Ex iis iam habemus, quid reſpiratio ſit, eius cauſam efficientem, inſtrumenta, & finem, in cuius gratiam hæc omnia ordinantur. Huiuſcemodi cauſæ dicuntur continentes, ſeu conſeruatiuæ reſpirationis, ita vt qualibet earum mutatâ, mutetur etiam reſpiratio; cauſa enim continens dicitur à Gal. *lib. aduerſus Iulianum*, ea quâ ablatâ, auffertur effectus; atque adeò ſicuti ex eius ablatione tollitur reſpiratio, pari ratione qualibet earum variata, neceſſe eſt, vt varietur effectus, quidquid dicat Valleſ. 3. *controu. cap.* 9. vbi probare intendit, quod animi paſſiones immediatè mutare poſſunt pulſum, inuariatis manentibus cauſis continentibus, videlicet facultate vitali, inſtrumento, & vſu, à quibus pulſus dependet. Hoc quidem non capit intellectus, nam quando cauſæ inuariabiles exiſtunt, & eodem modo ſe habent, effectus qui ſuum eſſe, & conſeruari habet dependenter ab ipſis, eodem modo inuariabiliter ſe debet habere; quidquid enim de nouo accedit, haudquaquam mutabit effectum, quin mutet vel cauſam efficientem, vel materialem, & inſtrumentalem, vel finalem; non loquor de formali, nam ipſa reſpiratio habet rationem cauſæ formalis, & eſt etiam effectus, qui ita dependet à ſuis cauſis, vt dixi, vt non poſſit mutari ſine alicuius cauſæ mutatione; idem enim in quantum idem, ſemper eſt natum facere idem. Si ergo cauſæ ſine variatione, & mutatione ſui producunt effectum, impoſſibile eſt, quod circa effectum detur aliqua variatio, aliter enim non dicerentur cauſæ continentes, ſeu conſeruantes talem effectum.

*Reſpirationis, ſicuti & pulſus ſunt variæ differentiæ.*

Ex dictis facilè etiam colligitur, quod variæ ſunt reſpirationis, ſicut & pulſus differentiæ; ſiquidem datur in illis magnitudo, celeritas, crebritas, ordo, rythmus, æqualitas, & differentiæ eis oppoſitæ: imò in horum plurimis maximum tenet locum mediocritas. De omnibus his differere eſſet longum iter aggredi, eas in noſtro tractatu manuſcripto de pulſibus ſufficienter tradimus; hîc enim ſolùm propoſitum quæ conducunt ad caſus propoſiti notitiam, ad quem magis accedentes, cùm æger habuiſſet reſpirationem ſublimem & inæqualem, ſcire oportet, quod inæqualitas in reſpiratione, & in pulſu habet eaſdem cauſas; omnes enim prouenire debent ex vitio inſtrumentorum, vt ait Galenus 2. *de præſagat. ex pulſibus, cap.* 4. vbi ſic: *Igitur de inæqualibus omnibus pulſibus hoc vniuerſim ſciendum eſt, quod in* 2. *lib. de cauſis pulſuum oſtendimus, ex oppilationibus eos, aut ex comprehenſionibus inſtrumentorum, aut humorum multitudine ad facultatem collata, aut ex cordis inæquali intemperie conſtare, &c.* Hæc omnia facilè adaptari poſſunt reſpirationi, quæ neceſſariò læditur ab eiſdem cauſis, & inæqualis redditur ob vitium inſtrumentorum, factâ collatione ad facultatem, vel ad vſum. Ad facultatem, vt ſi inſtrumenta reſpirationi inſeruientia ſint vel obſtructa, vel impedita propter humoris multitudinem, vt non poſſint ordinatè moueri à facultate, vt quotidie cernimus, dum pulmo, aut aſpera arteria abundat cruditatibus impedientibus aëris ingreſſum, vel pulmonis motum. Similiter ſi ob virium cerebri, vel neruorum qualitas influens à cerebro ſufficienter non communicaretur partibus thoracis, & inæqualiter, & difficilè nimis thorax dilataretur, hoc etiam vitium diceretur vitium inſtrumenti, quatenus inſtrumentum eſt inobediens facultati motrici; quia vt facultas moueat, debet recipere inſtrumentum in ſe qualitatem illam in debita intenſione, vt poſſit moueri; quâ deficiente dicitur inſtrumentum vitiatum, facta collatione ad facultatem, quæ tale inſtrumentum difficilè agitat. Dicitur etiam adeſſe vitium in inſtrumento, facta comparatione ad vſum, vt ſi pulmo, vel pectus eſſet ſecundùm vnam partem calidum, ſecundùm alteram frigidum, reuerà calor, & frigiditas valebunt immutare vſum, ſeu reſpirationis finem; cum hoc tamen inæqualiter huiuſmodi partes mouebuntur; nam pars calida magis apta eſt ad motum, & minùs motui reſiſtit, quàm frigida. Quod ſi vna pars ſit humida, altera verò ſicca, inſtrumentum mouebitur etiam inæqualiter, ſiquidem pars ſicca, & dura magis inepta eſt ad motum, quàm mollis, quæ facilè cedit motui; & hoc vitium erit ſolius inſtrumenti, quia neque vſum, neque facultatem mutat.

*Inæqualitatis pulſus, & reſpirationis eſt eadem cauſa.*

Inter

*Quid ſit reſpiratio ſublimis.*

Inter difficiles igitur, & inæquales reſpirationis motus, reſpiratio ſublimis locum habet; ſed quænam illa ſit, nondum conſtat. Hippocrat. 3. *de morbis popul. ſect.2. ægroto 7.* de quadam anginoſa refert, ipſam habuiſſe ſpiritum ſublimem. Galenus ibi reſpirationem ſublimem vocat, quando in inſpirando pinnas narium dilatant, & in exſpirando reſpirantes eas contrahunt; vnde dum narium extremitates inſpirando dilatamus, tunc ea reſpiratio ſublimis cenſetur. Ita Valleſ. *ſuper eundem locum*, & Zacutus *lib.2. praxis hiſtoriarum, cap.7.* neque in hoc eſt difficultas.

*Reſpirationis ſublimis cauſa.*

Vt noſtri præſagij vim explicemus, quia ex reſpirationis huius cognitione, & ex eius cauſis fuit deductum, illius cauſas tradere eſt opportunum, quas Galenus ibi adduxit, dicens: *Hæc enim incidit his, qui ab angina ſuffocantur, vel à peripneumonia, vel ſuppuratione: præterea iis qui infirma ſunt facultate, &c.* Et ſubdit, eandem fieri reſpirationem, vbi velociter currimus, aut quocumque modo validè mouemur.

Quod autem qui peripneumoniâ, aut anginâ, vel ſuppuratione ſuffocantur, ita reſpirent, non mirum, quia habent vias ſtrictas, & maximam neceſſitatem aërem attrahendi, vt ſatisfaciant vſui nimis adaucto; non enim ſufficienter attemperantur aëris attractione naturali, quæ fit ſine pinnarum narium dilatatione, vt docet Galenus 11. *de vſu partium, cap.* 2. Quapropter maxima vi natura mouet omnia inſtrumenta reſpirationis, vt calor attemperetur, & fuligines expellantur, quæ cor ſuccendunt, & illius calorem ſuffocare valent; propterea que alæ narium dilatantur, vt locus detur aëris attractioni; & totum pectus attollitur, & extenditur, ipſam tractionem iuuando. Et idem accidere ſolet in iis, qui velociter currunt, aut nimis exercentur; qui licèt vias ſtrictas non habeant, tamen ratione motus, & exercitij calor nimis intenditur, & magna eget flabellatione per motum reſpirationis, & pulſus.

*Nomine facultatis quid intelligere debemus.*

Remanet nunc alia cauſa reſpirationis huius, nempe facultas infirma. Huius nomine duplicem facultatem intelligere valemus: aut intelligimus facultatem motiuam pectus dilatantem, & comprimentem, quæ reſidet in muſculis; quæ quidem licèt non poſſit ſuſcipere magis, aut minus, tamen quoad ipſius actus vitiari poteſt, propter inobedientiam inſtrumentorum, vt patet in angina, & orthopnœa, in quibus viæ quodammodo ſunt impeditæ, & obſtructæ, & humorum multitudine oppreſſæ; quo tempore non mirum ſi facultas hæc operari nequeat, & propter iſtam rationem debilis dicatur; aut quia partes, in quibus huiuſmodi facultas reſidet, ſunt nimis diſtemperatæ. Cùm ergo omnis immodica intemperies deiiciat actum propriæ virtutis, & potentia quælibet, vt vt operetur, prærequirat organum benè diſpoſitum, non mirum ſi organum ſit immodicè intemperatum, quod facultas hæc non benè ſuum perficiat munus.

Alia facultas datur, quæ quia ſe tenet ex parte facultatis, & ad illius operationem diſponit, facultas nominatur; rigoroſè tamen non eſt facultas, ſed qualitas quædam, ſeu illuſtratio à cerebro procedens, veluti lumen à Sole, vt docet Galenus 1. *de locis affectis, cap. vltimo*, & 2. *de ſemine, cap.* 10. ſine qua vera facultas operari nequit; proptereaque Galenus conſtituit differentiam inter inſtrumenta facultatis ſenſitiuæ, & vegetatiuæ; nam vegetatiuis ineſt naturalis vis ad operandum, animalibus verò à principio veluti lumen à Sole deriuatur, ita vt naturalia inſtrumenta ad operandum non egeant qualitate aliqua communicata à iecore; inſtrumenta verò animalia ea egent defluente à cerebro. Hanc qualitatem paſſim Galenus *lib. de placitis, & de facultat. naturalibus*, facultatem vocat, quia diſponit organum veræ facultatis, vt facultas vera cum illa diſpoſitione operetur. Si igitur huius qualitatis deficiat illuſtratio, ſtatim in partibus ad ſenſum, & motum paratis deficit ſenſus, & motus, vt quotidie cernimus in paralyſi affectis. Quapropter ſi in reſpiratione muſculi pectus dilatantes non reciperent eum influxum, facultas eorum motiua neutiquam pectus moueret, quo tempore neceſſariò deficeret reſpiratio, & æger ſuffocaretur; & ſi ab aliqua cauſa minueretur, vt ab obſtructione neruorum, ea illuſtratio, diminutè pectus dilataretur, diceretur que tunc facultas nimis infirma, & debilis.

*Quare ſublimis reſpiratio ſit mortalis.*

Ex iis igitur facile eſt rationem reddere, quanam ratione ſublimis reſpiratio ſit mortalis, & ad quæſitum reſpondere; nam vel ſignificat æſtuantem calorem, qui ſi ex vehementi curſu, & exercitio prodeat, non eſt cenſenda mortalis; ſedato enim calore, ea aufertur reſpiratio: in omni enim corporis motu, vbi quis laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudinem aufert; ſic ceſſante exercitio immodico, per quietem calor remittitur, quare reſpiratio illa facilè tollitur. Verumtamen, ſi ea reſpiratio accidat, vel ob æſtuantem calorem in corde, & pulmone, qui cauſatur propter inflammationem internam, vel febrem exurentem, vel ob viarum anguſtiam, aut facultatis debilitatem, à quacumque cauſa procedat, ſi omnes iſtæ concurrant cauſæ ſimul, vt accidit nonnunquam, mors proxima exiſtit, facillimè enim æger ſuffocatur; ſi verò vna ex his cauſis tantùm ſit præſens, maximè etiam timere oportet, quantò magis ſi duæ harum cauſæ complicentur. At ſi cauſa ſit debilitas facultatis, quam expertus fui in noſtro ægroto, maximè timenda mors; nam cùm facultas hæc ſit debilis, non poteſt mouere ſeptum tranſverſum, & alia inſtrumenta reſpirationis ad caloris cordis moderationem; & tunc quidem mouet narium pinnulas, vt magis pateat aëris ingreſſus ad pulmonem, & cor; eſt enim tunc extremus anhelandi conatus, quia cùm ſeptum tranſverſum non poſſit moueri, thorax ſecundùm omnes partes, imò & ſcapulæ mouentur in reſpirationis ſubſidium.

Dices tamen, vnde conſtat in ægroto, cuius hiſtoriam retulimus, quod haberet reſpirationem læſam ex debilitate virtutis? Facilis eſt reſponſio, nam febris, qua laborabat æger, erat lenta, ab humoribus crudis, & frigidis prodiens, quæ non poterat nimis adaugere vſum, neque in pectore perſentiebatur calor adurens, neque erat aliquod ſignum anguſtiam inſtrumentorum reſpirationis oſtendens: neceſſariò igitur recurrere debemus ad facultatem debilem?

Iterum rogabis, quænam fuit cauſa debilitatis facultatis, & quare ſeptum tranſverſum non poterat dilatari, ita vt cogeretur natura ad magnam motionem thoracis, & regionis ventris. Hoc dubium ſoluit Galenus 4. *de locis affectis, cap.* 4. vbi duplicem cauſam ſtatuit, videlicet cerebri vitium, aut ſpinalis medullæ laborantis aliqua peculiari intemperie ſecundùm ſe totam, vel ſecundùm aliquas illius partes. Sed quia nullum apparebat ſignum, quod oſtenderet ſpinalis medullæ vitium, dicendum eſt, hanc debilitatem fuiſſe ortam à vitio cerebri, propter obſtructionem ſcilicet neruorum, qui implantantur in ſeptum tranſverſum, ratione cuius ſeptum immotum permanebat, & in ſubſidium

ſubſidium illius reliquæ partes commouebantur: & & hoc conſtare arbitror ex iis, quæ ægro acciderant, habebat ſiquidem caput grauatum cum propenſione ad ſomnum; & cùm plurimis ſcateret cruditatibus, non mirum, quod ab ipſis fieret obſtructio in principio neruorum ſeptum tranſverſum mouentium, qui ſub quarta, & quinta vertebra emergunt, vt ait Galenus 5. *de locis affectis*, *cap.*3. & in ſeptum inſeruntur ad motum ipſius perpetuum concitandum. Quapropter ex defectu huius influxus facultas mouens ſeptum otiata manebat quoad illius motum, ex quo ſtatim iudicaui, facilè ægrum ſuffocari; nam remedia applicata non proderant, neque perferre poterat venæ ſectionem ob humorum cruditatem; neque purgationem, quia humores erant craſſi, minimè cocti, vrinæ crudæ, & tenues, enemata, & alia remedia ſæpius adhibita nullum afferebant commodum; cephalica, quæ illum abſumerent humorem, inutilia fuere. Quæ omnia vt proficerent, longum requirebant tempus, dum ſuffocatio imminebat, vnde facilè potui præſagire mortem, viſa ſublimi illa reſpiratione.

## OBSERVATIO VI.

*De quadam monacha laborante auris dolore, quæ ſectâ venâ cephalicâ, ex errore phlebotomi, mortua fuit apoplecticâ.*

*Quare Medici felices vocari poſſunt.*

NOn minor eſt calamitas venæ ſectione hominem occidere, quàm medicamento purganti: felices tamen Nicocles Medicos vocat, quoniam bonos ſucceſſus eorum Sol intuetur, errores autem tellus operit. Ita huic phlebotomo contigit, cuius error à me tantummodò fuit cognitus. Is ergo mei iuſſu fuit vocatus ad ſanguinem mittendum Monachæ iuueni, quæ laborabat fluxione ad aurem dextram, cum dolore, pondere, & calore; & cùm ſanguinem extrahere debuiſſet (vt præceptum erat) ex vena communi, cephalicam ipſe ſcidit, extractoque ſanguine vſque ad vncias ſex, ſtatim obmutuit ægra, ſenſuque, & motu orbata, & forti apoplexiâ correpta, non cedente morbo remediis, ſequenti die obiit.

### ANNOTATIO.

*Plura ad curationem perfectam requiruntur.*

NIhil ægro prodeſt ſe prudenti, aut ſapienti Medico committere, ſi adſtantes, & alij miniſtri indebitè operentur; hoc autem voluit Hippocrat. 1. *aphoriſmorum* 1. dum ait: *Oportet autem non ſolum Medicum opportuna facere, ſed ægrum, & aſſiſtentes, &c.* Plura tradit ipſe etiam 1. *lib. epidem. ſect.*3. quæ ad morbi agnitionem, & curationem conducere maximè videntur, inter quæ ea, quæ ſe offerunt, & à quo offeruntur, conſiderare docet: operarique debemus ita, vt operatio proſit, non tamen noceat, vt ipſe ait 1. *de morbis vulgaribus*, *ſect.*2. *text.*50. & quamuis Hippocrat. *lib. de legibus* dicat, quod Medicis ignorantibus (& idem ſtatuo de phlebotomis) nulla pœna in Republica eſt impoſita, præterquam pœna ignominiæ, mihi tamen videtur, quod ſunt grauiter puniendi, & vt peſtem eos fugere oportet; nam ſæpè accidit, quod non ſit ſufficiens morbi violentia ad ægri interitum, niſi Medici imperitia accederet, vt ait Hipp. *lib. de præceptionibus.*

*Quæ de cauſa erat ſanguis mittendus.*

Sed ad rem deueniendo, cùm noſtra ægra dolore vehementi torqueretur, & vt ſigna oſtendebant, ex ſanguine procedebat, & in vehementiſſimis doloribus vſque ad animi deliquium ſanguinem mittere ſuadeat Hipp. & humoribus fluentibus retractio debeatur, ex Gal. 2. *de arte curat. ad Glauc.* ſanguinem eſſe mittendum ipſa ſuadebat ratio; neque oportebat hoc auxilium differre, ne fieret inflammatio aliqua, & febris inſurgeret, & per conſequens delirij periculum immineret, ob viciniam partis cum cerebro, vt oſtendit Hipp. 3. *prognoſt. text.*13. Eſt enim neruus ille exacti ſenſus, in ipſoque acutiſſimi dolores excitantur, quibus fas erat ſtatim ſubuenire ſanguinis miſſione, quam faciendam iuſſi ex vena communi, ſeruata partium rectitudine, vt monet Hipp. *lib. de natura humana*, & Galenus mille in locis, præſertim 5. *methodi*, *cap.*3. vbi ſermonem inſtituit de fluxionibus ſiſtendis, in quarum principio vti reuulſione docet 4. *method. cap*6. vt ſic humor dolorem excitans, & fluens ad partem, reuellatur; ſic enim iubet Galenus ſedare dolorem 4. *de ratione victus in morbis acutis, phraſi* 33. vbi ante ptiſanæ vſum vniuerſalia conſulit remedia. Idem ſtatuit 6. *aphoriſmor. com.*31. & 2. *de compoſitione medicam. ſecundum locos*, *cap.*2. agens de cephalea, ſeu inueterato capitis dolore; conſulitque ibi ante localia remedia fieri debere remedia vniuerſalia; idemque ſtatuit 3. *de locis affectis*, *cap.*3. quo in medicina nihil acceptius. His ergo authoritatibus, & rationibus commotus, venam communem diſſecare præcepi, quæ quidem ita dicitur, quia ex duabus propaginibus, axillaris ſcilicet, & humerariæ conflatur, iuxta cubitum, vt docet Andreas Veſalius *lib.*3. *de humani corp. fabrica*, *cap.*8. Ex hac ergo totum euacuatur corpus, & quia ex baſilica, ſeu axillari ortum ducit, humores iecur, & viſcera grauantes retrahit, & eos ad caput fluentes reuellit. Sed tamen cùm ex humerariæ etiam propagine fiat, exonerat caput, ita vt per venæ huius ſectionem ſimul reuulſionem, & deriuationem adipiſcamur; quod quidem auxilium citò tollit cauſam fluentem, & actu caput, vel aliquam illius partem infeſtantem, & vt remedium vniuerſale ante alia offerri debet. Phlebotomus tamen ſui imperitiâ ductus, vel non agnouit, vel non inuenit venam communem, & ſcidit venam humerariam, quæ directè ex capite euacuat, & eſt illius topicum, ſeu particulare remedium, quo facta humorum commotione maior fuit confluxus ad caput, quàm fuit euacuatio ex venæ ſectione, itavt ſtatim capite ſanguine repleto obmutuiſſet ægra, & ſenſu & motu priuata permanſit; non enim per illius venæ ſectionem reuellitur humor ad caput fluens; imò potius incitatur ad motum versùs illud, & adiuuatur tempore, quo humor ille erat in motu; & propterea obſtructo capite ab humore denuò fluente, apoplexiâ correpta mortua fuit. Et licèt in affectibus capitis iubeant Authores talem venam eſſe aperiendam, id tamen venit intelligendum, quando iam humor eſt firmatus in capite, non verò quando ad ipſum caput fluit, & ſimiliter quando non adeſt plethora; tunc enim ex venis communioribus, & vniuerſalioribus ſanguis eſt demendus; ſic enim humorum motum ad partem ſedamus. Ex vena autem, quæ determinatè ex determinata parte euacuat, & eſt illius partis remedium topicum, neutiquam ſanguis eſt euacuandus, vt docet expreſsè Galenus *lib. artis medicinalis*, *cap.*95. quin præcedant (vt dixi) euacuationes magis vniuerſales; hoc autem defecit in caſu à me propoſito, atque adeò ex phlebotomi errore ægra obiit.

*Remedia vniuerſalia conueniunt ante localium remediorum vſum.*

OBSER

## OBSERVATIO VII.

*De quadam ægra tertianâ duplici oppreſſa, quæ ſectâ ſemel venâ fuit facta apoplectica, & mortua.*

NOn mirum ſi ignarum vulgus Medicum repre-hendat, imò etiam damnet; cùm videat, quod medicina plus noxæ aliquando inferat, quàm vtilitatis, præſertim dum adhibito remedio, cui erat maximè fidendum, ſubſequitur mors inopinata: & in morbo ſecuriſſimo, qui forſan optimâ victus ratione auferri poterat, quâ plures ſanantur morbi longi, vt ait Galen. *lib. de attenuante victus ratione*, *cap.* I. in eo quidem hoc remedium toties ab Authoribus proclamatum, dum adeſt virium robur, morbi magnitudo,& reliqua conſentientia, cum ſignis ſanguinis redundantis, in morbo ſigna ſecuritatis habente, hoc inquam, remedium tempore debito adhibitum ægræ cuidam ita noxium fuit, vt illicò ſenſu, & motu priuata incideret in apoplexiam immedicabilem; ex quo fuit orta controuerſia inter omnes, ad quorum aures peruenit caſus, qui facillimè fuit diuulgatus, de artis medicinæ vtilitate, & de Medici opinione; & cum vnuſquiſque ſuo abundet ſenſu, varij varias protulerunt ſententias, quibus Medico, & medicinæ authoritatem, & præſtantiam detrahebant. Quanam autem ratione Medicus ſe à calumnia liberauit, ſequenti annotatione videbis.

### ANNOTATIO.

*Quomodo liberatur aliquando Medicus à calumnia.*

INopinati euentus ſæpè Medicis gloriam detrahunt, & cum tot honores Hippoc. ex Medicina comparaſſet, vt dixi *lib.* I. *de internorum morborum curatione*, de Medici officio agens, cum hoc tamen *in epiſtol. ad Democritum*, maiorem reprehenſionem quàm honorem ſe fuiſſe ex Medicina aſſequutum fatetur; Diis enim vulgus ſanitatem tribuit, ægri perditionem Medicis. Ita in præſenti huius remedij executionem improbabant, & eorum quodammodo reprehenſionem ego aſſequebar, quia prædictam ægram curabam. Sed cùm caſum iſtum præter ſpem euenire proſpicerem, & ad viſendam ægram interim acceſſiſſem, & remedium debito tempore, & occaſione fuiſſe ad hibitum iudicaſſem, cautè vocare iuſſi quendam phlebotomum in ſua arte peritum, cui ſtatim accedenti iuſſi in plurium adſtantium præſentia brachij ligaturam detrahere, deinde aſpicere, quænam eſſet vena illius brachij diſſecta. Ille attentè non ſemel, ſed pluries inſpiciens brachium, dixit: Vena, quæ ſecta hîc apparet, eſt cephalica. Cum ergo ibi fuiſſent præſentes familiares, & affines illius ægræ miſeræ, illos interrogaui voce alta, ex quanam vena iuſſi ſanguinem mittere? Ipſi omnes vna voce conclamarunt, quod ex vena baſilica, ex quorum reſponſione liber euaſi à calumnia, & omnes errorem phlebotomi agnouerunt, qui poſteà plurimùm lucri, & opinionis amiſit. Hanc hiſtoriam referre volui, vt vnuſquiſque ſciat, qualiter ſe debeat à calumniis liberare; non enim poterat ſubſequi damnum ex venæ baſilicæ ſectione; imò ex ea retraheretur humor ne flueret ad caput: ex cephalica verò facilè humor ad caput fertur, præcipuè cùm plenitudo infeſtat; nam accidit ſæpè, quod maior fit attractio, & commotio humorum verſus caput ex illius venæ ſectione, quàm euacuatio. Quapropter cùm euentus iſte inopinatus fuiſſet, excogitaui non niſi ex cauſa inopinata originem trahere, & venit mihi in mentem, non poſſe illum ſucceſſum reduci, niſi ad ſanguinis miſſionem ex vena cephalica, ideóque vocare iuſſi phlebotomum peritum, vt affines,& familiares illius adſtarent verbis, eiſque fidem adhiberent, vt ego ſic à calumnia liber euaderem: & vt iudicaui, ita euenit,& maiorem honorem apud omnes poſteà fui aſſequutus.

## OBSERVATIO VIII.

*Pro quadam nobili nyctalopſia, & obſtructionibus laborante, plurium remediorum vſu curata.*

*Proponitur caſus.*

QVædam mulier genere, & virtutibus præclara, variis fluxionibus capitis, & doloribus tentata cœpit perdere viſum in nocte, & iuxta noctem, ita vt in fine diei inciperet viſus euaneſcere, & lucem effugere, propter offenſionem, quam ex luce oculi percipiebant; manè verò perfectè videbat ſine vlla noxa: ætas illius erat quadraginta annorum, caput debile, & calidum, temperamentum calidum, & ſiccum, habitus gracilis: propter mariti mortem quotidie lugebat, patiebatúrque lacrymarum effluxum; & propter vitam ſedentariam in domo ſemper manens ventris regionem obſtructionibus habebat plenam, venáſque ad vterum terminatas habebat etiam obſtructas, & in pauca quantitate menſes prodibant. In cuius curatione examinaui priùs affectus, quibus moleſtabatur, & quiſnam illorum haberet rationem cauſæ reſpectu alterius, & à quonam eſſet inchoanda curatio, & quibus remediis tentanda fuiſſet. Quæ omnia ſequenti annotatione compendiario amplectemur ſermone.

### ANNOTATIO.

CAſus propoſitus eſt ex his, quæ rarò accidere ſolent, ſemélque tantùm mihi occurrit triginta & ſex annorum ſpatio, quo noſtram Apollineam exercui facultatem. Tamen quia aliis ſe offerre poteſt, ideò illius mentionem faciam, & cauſas referam, & curationem adimplebo, vt nihil aliud circa illud deſideretur. Eſt enim nocturna hæc cæcitas, quæ à Græcis νυκτάλωψ dicitur, vitium quo per diem homo cernit, Sole verò occiduo obſcuriùs, noctu omnino nihil. Ita Paulus *lib.* 3. *cap.* 22. Aëtius *tetrab.* 2. *ſermone* 3. *cap.* 46. Auicen. *fen.* 3. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 5. neque in hoc diſcordant Authores. Hæc deſcriptio datur per ſymptomata hunc affectum concomitantia, ex quibus in affectûs cognitionem deuenimus; reperitur enim in hoc affectu per noctem omnimoda viſus priuatio, quæ ſymptoma in actione abolita viſus conſtituit, & iuxta Solis occaſum incipit minui viſio, in qua vitium diminutæ actionis elucet; reliquo verò tempore perfectè videt. Iis accidentibus nyctalops opponitur alteri morbo,per quem noctu aliquid videtur, & diu nihil. Hunc morbum appellat Cornelius Celſus *lib.* 6. imbecillitatem oculorum.

*Nyctalops quid ſit.*

*Nyctalopſia cauſa, & diſpoſitio antecedens.*

Sed quamuis hæc accidentia hunc manifeſtent morbum, non tamen ex eis, in quo ipſe conſiſtat, oſtenditur, neque poterit agnoſci, niſi illius connumerando cauſas, quas his verbis amplexus fuit Auic. *Et cauſa quidem eſt, humores oculi, & groſſities eius; & plurimum quidem accidit habentibus oculos nigros, & paruitati pupillæ, & cui multiplicantur colores, & anfractuoſa in oculis ſuis. Hoc enim ſignificat paucitatem ſpiritus viſibilis in creatione ſua, & quandoque hæc eſt cauſa in ipſo oculo, & quandoque*

*doque fit propter communitatem ſtomachi, & cerebri, &c.* Hæ omnes cauſæ conueniunt in quadam diſpoſitione communi, videlicet in craſſitie, & obſcuritate, vt docet Petr. Garc. *in lib. de locis affectis, cap. de nyctalopſia.* Quapropter non poſſunt illuminari oculi, niſi à lumine magno. Si enim humores oculi craſſi ſunt, & magni, illos non poſſunt penetrare, niſi ſpecies obiecti luminoſi nimis, quæ accidit in die; neque fieri viſio, præſertim cùm ſpiritus ſint humidi, hoc eſt humoribus admixti, quibus ipſi craſſi fiunt, ſuumque ſplendorem noctu deperdunt. Et cùm ex alia parte ſpiritus ſint in parua quantitate, non ſunt ratione quantitatis, & qualitatis ita parati ad viſum, ſicuti ſi eſſent ſplendidiores, tenuiores, & in quantitate maiori. Ex hoc etiam inſurgit, quod oculi nigri ſint diſpoſiti ad hunc morbum; nam ob humoris copiam nigri fiunt, ex Ariſtot. *5. de generatione animal. cap.* 1. habentque plus aquæ, quàm ignis, neque aliter ac lucis deliquio fieri poteſt obſcuritas, ex eodem *lib. de coloribus.* Accidit præterea hic affectus paruitati pupillæ: ſed quia hæc paruitas pupillæ fit vel ab humiditate laxante vueam, ex qua laxatione foramen redditur minus; vel à ſiccitate ipſam tunicam corrugante, exiſtimare oportet, quod pupillæ paruitas huic morbo parata eſt, quæ ab humiditate procedit. Addit vlteriùs Auicen. in paratis ad hunc morbum multiplicari colores in oculis, & eſſe anfractuoſa. Per colores intelligit Auic. varios colores, propter humorum fluentium heterogeneam naturam, qui variè oculorum mutant colores. Per anfractuoſa verò obſcuritates, ſeu nigredines in diuerſis partibus oculorum: quæ omnia docet ſignificare ſpirituum paucitatem, imò & humorum redundantiam, à qua fieri hunc morbum frequenter exiſtimamus; quod conſtat ex curatione illius ab Authoribus tradita. Auicen. euacuationibus, & per calefacientia, & exſiccantia hunc morbum detrahere curat. Hippocr. *6. epidem. ſect.* 7. *comm.* 1. aſſerit, quod nyctalopſiæ pueris præcipuè factæ ſunt. Valleſius *in com.* inquit, quod fiebant nyctalopſiæ pueris, vtpote magis humidis. Ex quibus liquet, hunc morbum ſemper ex humoribus, ſeu excrementis humidis generari, à quibus oculorum humores craſſeſcunt, & ſpiritus, & alia, quæ ab Auicen. proponuntur; & propterea Ariſtot. *5. de generat. anim. cap.* 1. ait: *Luſcioſitas humoris copia eſt, & minoribus natu accidit, quia cerebrum eorum humidus eſt.*

*Quare non vident noctu, qui hoc morbo tenentur.*

Sed circa ſymptomata huius morbi in dubium vertitur, quanam ratione ex ſpirituum craſſitie, & paucitate non vident noctu, & diu vident. Mercurialis reſpondet, quod ſpiritus ipſorum multi quidem ſunt, ſed obſcuri, & tenebroſi, propter quod cum ſpiritus ipſorum luce diurna adiuuentur, vident; dum verò hac luce priuantur, aut nihil, aut obſcuriſſimè vident. Mihi tamen videtur huius Authoris mentem eſſe contra Auic. qui inter cauſas huius affectus ſpirituum paucitatem ponit, vt ex verbis ſuprà traditis innoteſcit. Quapropter licèt poſſit contingere cum multa ſpirituum craſſorum quantitate, non tamen requiritur, quod ſpiritus ſint multi. Neque ratio, quam tradunt Authores ad videdum magis diu, quàm noctu, mihi videtur ſufficiens, videlicet quod ſpiritus adiuuentur lumine diurno; nam poteſt noctu aër illuminari lumine magno, ita vt ab eo lumine ſpiritus, & humores adiuuentur; & tamen per noctem non percipiunt lucem, neque adiuuantur ab illa, de quo periculum fecit noſtra ægra. Vlteriùs cùm ea craſſities permaneat diu, ac noctu, nunquam eſt diſpoſitio accommodata ad viſionem; quare non eſt ratio ob quam potiùs diu, quàm noctu viſio fiat. Neque adiuuari poteſt ad videndum oculus à lumine magno;

A nam lumen requiritur, vt alibi diximus, ex parte obiecti, ſeu medij potiùs, quàm ex parte potentiæ viſiuæ, aut humorum oculi.

Exiſtimare ergo oportet, ſpiritus, & humores oculi per diem minorem craſſitiem & humiditatem obtinere, quàm noctu, atque adeò diu videre, noctu verò minimè: iuxta occaſum verò Solis parum videre incipiunt, quia tunc denuò incraſſantur, & minùs ad viſionem capaces fiunt.

*Ad Solis occaſum humores incraſſantur, & ſpiritus.*

Reſpondeo, quod ad Solis occaſum humores, & ſpiritus refrigerantur & incipiunt craſſefieri; ad quod etiam iuuat humoris melancholici prædominium, qui eo tempore viget; noctu verò, cùm iam frigiditas magis prævaleat, maior etiam incraſſatio elucet, quæ viſionem impedit, donec ſomno arrepto, intrò recurrens calor vberiùs concoquens, & ſuperfluitates abſumens, humores iterum attenuat, atque ſpiritus, eoſque paratiores reddit ad viſum: quapropter horâ matutinâ videre incipit æger ſine vlla læſione.

*An videat melius res propinquas, quam diſtantes.*

B Dubitari tamen poteſt, an nyctalopſia affecti videant meliùs res propinquas, quàm diſtantes. Hoc dubium ſoluitur facilè; nam ſi ſpiritus ſint pauci, vt frequenter accidit, & faſſus eſt Auic. res propinquæ melius videntur; ſi verò ſint in multa copia, res diſtantes meliùs percipiuntur.

*An dilatatio pupillæ diſponat ad hunc morbum.*

Sed quia dictum eſt ex Auic. quod pupillæ paruitas ad nyctalopſiam confert, meritò Gentilis ſuper eundem locum dubitat, an pupillæ dilatatio diſponat ad eundem affectum. Sibi ipſi reſpondet, quod pupillæ dilatatio, quantùm eſt ex ſe, non diſponit ad illum; quia in pupillæ dilatatione virtus eſt diffuſa, & nequit ferre diei lucem; in eius verò paruitate virtus vnita eſt, fortiuſque operatur, & diei lucem perferre valet.

*Nyctalopſiæ cauſa.*

C Cùm iam dictum ſit, quod morbus iſte eſt vitium humorum oculi, & ſpirituumm in qualitate, in craſſitiæ ſcilicet, cauſam illius examinare conuenit, quæ quidem eſt humor frigidus, & craſſus, humoribus oculorum, & ſpiritibus animalibus admixtus, vt ſuprà diximus, qui ſua frigiditate incraſſare eos valet: ad quod iuuant quæcunque valent hunc humorem gignere, vt alimenta frigida, & calida, & quæcumque grauare caput poſſunt, vt crapulæ, otium, aër frigidus & humidus, vſus veneris immodicus, retentio alicuius euacuationis, vt contigit noſtræ ægræ, quæ ſuppreſſione menſtruorum ex obſtructionibus laborabat; cui ſi benè menſtrua reſponderent, affectus non illi ſuperueniret, vt ait Cornel. Celſus. Caput calidum illius facilè potuit humoribus repleri, præſertim cùm noctu diuque fleret.

## CVRATIO.

*Victus ratio.*

D HIs iam præuiſis, tempus efflagitat, vt ad affectus curationem deueniamus, priùs victum inſtituentes, qui debet eſſe calidus, ad ſiccitatem vergens, minimè ſtatuoſus, faciliſque coctionis, pipere, cinnamomo, & croco conditus, attenuans & minimè craſſus; cœna ſit parca: in fine prandij, & cœnæ aſſumat dragetam ex aniſo, fœniculo vel coriando præparato. Bibant aquam cinnamomi; ſed obſtructionum cauſâ iuſſi bibere aquam ceterac, & agrimoniæ, cum pauco cinnamomi, & in ſuſpicione gallica àquam radicis chinæ, aut ligni ſancti. Exercitium imperandum, venter ſubducendus, aër frigidus vitandus, imò & auſtrinus, qui quidem capita grauat: caput velandum eſt, ſomnus denique ſtatim à cibo aſſumpto fugiendus.

His ita inſtitutis, conſiderare debemus, an iſte affectus prodeat per conſenſum alicuius partis, vel fiat ob propriam affectionem capitis, & oculorum; quod

quod vltimum docet conſiderandum Auic. ſi enim ab alia parte oriatur, ab ea curatio incipienda, quia morbus oculi tunc ſe habet vt effectus pendens ab alterius partis morbo; ſi verò ſit per capitis, & oculorum affectionem tantùm, aliter eſt procedendum.

*Qualiter in curatione huius affectus procedendum.*

Quia ergo noſtra ægra erat obſtructionibus infeſtata, & menſium ſuppreſſione fatigata, & domi ſemper manens, ventriculum, & ventris regionem cruditatibus habebat plenam; neque mirum ſi iſte oculorum affectus ab iis partibus originem traheret. Attamen cùm ipſa eſſet calidi temperamenti, & caput calidum haberet, illudque grauatum nimis ſentiret, ſæpiſſimeque lugeret, facile erat conijcere, caput ipſum iam eſſe diſtemperatum, ita vt plura gigneret excrementa, quæ in oculos confluentia, eorum humores offenderent; quapropter vtriuſque partibus ſubuenire decebat, ſimul adhibendo quæ ventris regioni ad ſubtrahendas cruditates, & capiti euacuando,& roborando conducerent. Quapropter iuſſi primæ regionis cruditates deponere, ipſam priùs præparando ſyrupo capillorum Veneris,& de ſucco roſarum, ſuperbibitâ aquâ calidâ quantitate trium vnciarum. Mox eam purgaui ſic. ℞.ſyrupi Principis ℥.ij. ß. decocti Pugini ℥.ij. ß. pulu. hieræ ſimpl. ʒ. ß. miſce,& feliciter ſucceſſit. Poterit etiam purgari vnciis tribus mannæ electæ in iure gallinæ diſſolutæ, vel ſic. ℞. mannæ electæ ℥.ij. diſſolue in vnciis duabus decocti Pugini, & adde ſyr. Principis ℥.ij. Ad idem valet bolus ex caſſiæ fiſtulæ pulpa, & diacatholic. cum ſaccharo, in paruos morſellos diuiſus.

*Sanguinis miſſio in hoc morbo.*

Sed quia hoc remedio non poterat morbi cauſa tolli niſi ad alia deuenirem, depoſitis primæ regionis cruditatibus, quæ venæ ſectionem impediebant, cum menſtrua diminutè nimis prodirent, ſanguinem mittere decreui, Auic. & Pauli conſilio motus, præſertim illius capite calido, & grauato apparente. Veruntamen cùm iſte morbus potius ex retentione menſtruorum proceſſiſſet, quàm ex aliis cauſis, ex talo ſanguinem mittere iuſſi, biſque ſanguine extracto, iterum adhibui potionem purgatoriam, facta etiam humorum præparatione ſyrupo duarum radicum, capillor. Ven. & cichoréi, ſuperbibitâ etiam aquâ calidâ: deinde hanc obtuli potionem.

*Purgatio.*

℞. agarici trochiſc. in ligatura, & rhabarb. optimi, ana ℈.ij. fiat infuſio,& expreſſio ſecundùm artem in ℥.ij. decocti Pugini, & colaturæ adde ſyrup. Regij ℥.iij. miſce. Poterat etiam purgari pillulis ex aloë, alephanginis, vel morſellis ex diacatholicone, cùm pulu. mechoacam; hac tamen ſemper adhibitâ limitatione, quod in morbis à ventriculi humoribus prodeuntibus moderatè purgantia offerantur, ita vt eorum virtus ventriculi, & inteſtinorum regionem non trenſcendat, vt monet Galenus 7.*methodi*, *c.*10. quem Mercatus, Trincauellus, Vega in ventriculi, & inteſtinorum affectibus ſequuntur.

*Obſtructionum demptio in nyctalope.*

His peractis, obſtructiones huius mali cauſa perſeuerabant, cum quibus haudquaquam malum hoc minui poterat; quapropter exiſtimaui neceſſarium vias aperire, humores attenuare, & ſcindere, vt menſes ad aſſuetam regionem deuenirent. In quem finem imperaui exercitium, & quod quolibet mane plurimis diebus aſſumeret hanc compoſitionem, quæ mirè deobſtruit. ℞. corticum quinque radicum diureticarum, filipendulæ, cichorei, & de capparis, ana ℥.j. capill. Vener. matricariæ, aſplenij, agrimoniæ, ana m. j. betonicæ, chelidoniæ, euphraſiæ, & fœniculi viridis, ana m. ß. omnia coquantur in debita quantitate aquæ, & ſimul cum brodio mittatur in alembicum,& inſtillentur per balneum Mariæ, addendo ante inſtillationem ſucci fœniculi, & chelidoniæ, & cichorei ana ℥. ij. mellis virginis ℥.iiij. trochiſcorum de capparis,& de eupatorio, ana A ʒ.j. gallæ alephanginæ,& diambræ, ana ℈.ij. & facta ex omnibus diſtillatione, in ea extinguantur octo, vel decem fruſta chalybis parua, nimis ſuccenſa, cuius diſtillationis quolibet mane ſumat ægra ℥.iij. deinde perambulet, & exercitetur duarum horarum ſpatio. Poterat ſimiliter adiuuari, ſi eiſdem diebus aſſumeret ſyrupi capillor. Ven. ℥.ß. cum ℈.ij. chalybis præp. aut de ſcoria ferri præp. in modum loch, qui miram in deobſtruendo habet efficaciam, vel idemmet cum aqua graminis, vel eryngij in forma potus. Quod ſi loco chalybis vtatur terra, quæ reperitur in mineris, vbi reperitur ferrum, mirificè prodeſſe ſæpius obſeruaui. Ad idem valent ſyrupi aperitiui,& diuretico aquæ ſtillatitiæ ſuprà adducto admixti in quantitate ſufficienti. Denique vt meliùs humores attenuati euacuarentur, non fuit abs re per epicraſim eos à corpore pellere, quibus conſequutum fuit, quod ægra ab obſtructionibus li- B bera euaſiſſet.

*Capitis & oculorum prouidentia.*

Interim dum hæc fiebant, habui etiam capitis, & oculorum prouidentiam, eademque auxilia caput exonerabant, quod vltimò exequendum erat: neque bene poſſet curari oculorum, & capitis affectio, quin ægra eſſet ab obſtructionibus ſoluta. Quare facta primò purgatione, & ſanguinis miſſione, ad topica remedia deueni, inter quæ nimis laudatur ab antiquis, nempe à Paulo, Aëtio, Auic. & Galeno iecoris hircini ſanies, quæ dum aſſatur, diſtillat, ſi eâ illiniantur oculi: ſcindatur tamen priùs iecur illud, vt melius ſanies effluat, ex Authorum conſilio; quapropter eo vſus fui, & ipſum iecur aſſum calidum etiam oculis ſuperponere iuſſi, quo ſentire leuamen incepit. Hoc iecur aſſum comedere etiam præcipiunt Authores, habet enim miram virtutem ad oculorum caligines demendas ex humoribus craſſis obortas: quod ſi coquatur, & eius vapor recipiatur in oculis, C etiam prodeſt, ex Paulo. Conuenit præterea decoctum ex hyſſopo, fœniculo, maiorana, euphraſia, chelidonia, & ruta, quorum euaporatio oculis apertis recipi debet, vt potentiùs penetret. Ad idem valet hepar leporis; item & fel hirci, & leporis, ſi eo oculi illiniantur. Valent etiam ad idem ea, quæ in praxi tradidimus pro curanda oculi albugine, & cicatrice, in quem locum lectorem remitto. Capiti denique prouidendum maſticatoriis, oris collutionibus factis ex rebus capitalibus. Neque inutilem cenſeo eſſe pro errhinis puluerem herbæ nicotianæ, quæ calefacit, exſiccat, & euacuat humores in capite contentos, dummodò non ſit illius vſus immodicus; tunc etenim ſequentur incommoda à Doctore Franciſco à Leyua aſſignata libro vulgari ſermone ſcripto *de malo modo vtendi huiuſmodi herba*, de quibus in ſequentibus erit ſermo.

Ex dictis herbis cum cinere vitis, aut roris marini D parantur lixiuia pro capite abluendo: vel ex rebus capitalibus, vt ex ſaluia, rore marino, thymo, pulegio, lauendula, ſatureia, cinnamomo, mace, cubebis, & nuce moſchata poteſt fieri cucufa in duplici linteo cum baſtituris, ſi bene triturentur omnia.

*Hæc remedia aliis oculorum morbis ſunt vtilia.*

His remediis non ſolum curari ſolet iſte affectus, ſed alij omnes, qui ex humoribus craſſis, & frigidis oculos vexare ſolent, vt gutta ſerena, ſuffuſio, ſeu cataracta, antequam firmetur, & oculi albugo: quapropter ea auxilia, quæ in horum morborum curatione adduximus, huic morbo ſimiliter adaptari poſſunt; noſtra tamen ægra aliquibus ex iis viſum recuperauit.

*Fontanellarum apertio.*

Sed quia timui, ne iterum ad oculos humor fluctet, & menſtrua tunc pro ratione prodeuntia, ex vita in otio, & quiete detinerentur, & huic morbo nouam præſtarent occaſionem, viſum fuit mihi aperire fontanellas, vnam in crure ad euocandos menſes,

ſes,

ſes, aliamque in brachio, vt euacuaretur humor capitis; quibus auxiliis ſana euaſit mulier, & nunc dum hæc ſcribo, incolumis perſeuerat.

*An in hoc morbo, & aliis conueniat feto, vel fontanella in occipite.*

Dubitari tamen poterat circa huius affectus medelam, an ſeto, vel fontanella conuenire poſſet in occipitio iuxta capillorum extremitatem. Cui dubio fit ſatis aſſerendo, quod huic morbo maximè competit hoc remedium; nam ex Hippocrate, ſi dolente capitis parte poſteriori, vena in fronte ſciſſa iuuat, pari ratione ſi capitis pars anterior malè affecta ſit, euacuatio facta in parte poſteriori maximè iuuare poterit; ſiquidem retrahit humorem ad oppoſitam partem, ita vt Aëtius *tetrab. 2. ſermon. 3. cap.* 48. aſſerat, quod ſi cucurbita occipitio affigatur, dum quis habet viſionem deperditam ob hunc, vel alium ſimilem morbum, interim dum ipſa fixa permanet, ægrum videre. Aduertere tamen oportet, quod hoc remedium non eſt ſtatim admouendum, ſed alia priùs ſunt adhibenda, quæ ſi non proſint, hoc vltimò eſt exequendum, vt ſuprà dictum eſt ex Hippocratis mente; quo remedio vſus non fui in hac ægra, tum quia viſum reſtaurauit; tum quia timebam humorum motionem ad cerebrum, & eorum in capite facilem receptionem, ob calorem, quem in capite ſentiebat, & illius imbecillitatem. Malui ergo, vt ipſam poſteà præſeruarem, fontanellas in brachio, & crure imprimere, quàm hoc remedio intempeſtiuè vti.

*De morbo oppoſito Nyctalopi.*

Cognitâ iam nyctalopſiæ, ſeu cæcitatis nocturnæ naturâ, & curatione, facile eſt inquirere, in quo morbus ei oppoſitus conſiſtit, & quanam ratione curatur? Auicen. Paulus, Aëtius, & alij dicunt, quod quibuſdam accidit, vt noctu quidem meliùs videant, interdiu autem deteriùs. Huius ſymptomatis cauſas tradunt Authores. Auicen. ait: *Cauſa algiebar eſt ſubtilitas ſpiritus, & paucitas eius multa; quare reſoluitur cum lumine ſolis, & adunatur in tenebris.* Vbi adducit cauſam, & rationem, quare iſtud fiat ſymptoma. Cauſam duplicem ſtatuit, vnam ad ſubtilitatem, aliam ad paucitatem ſpirituum reducit; nam ſpiritus paucus, & tenuis, ſeu ſubtilis, taliter diſponit oculum, vt non poſſit ferre lumen diei; nam lumen illud reſpectu potentiæ debilis ſe habet vt excellens ſenſibile, quod lædit ſenſum; debent enim potentia, & obiectum eſſe inter ſe proportionata.

*Cur lumen impedit viſionem.*

Vertitur tamen in dubium, quare lumen diei diſſipat, & reſoluit ſpiritus, dum ipſi ſunt ſubtiles, & in parua quantitate; non enim lumen ipſis ſpiritibus, vel eorum qualitatibus opponitur; & cùm omnis corruptio naturalis ex qualitatibus contrariis fiat, videtur dicendum, quod lumen non poteſt diſſipare ſpiritus, & viſum deſtruere. Reſpondetur ex Ariſtotele *libro* 3. *de anima, capite vltimo*, quod ſenſus tactus eſt per omnes ſenſus diſperſus, ita vt noxa ſenſibus illata ab obiecto. non fit per ſe ab obiecto, niſi in ſenſu tactus: quapropter Galenus *lib. de different. ſymptom. capite* 3. de dolore agens, aſſerit eſſe egregium ſymptoma in actione ſenſus tactus, dolorem ſcilicet: vnde ſi ab obiecto viſibili dolor inſurgat in organo viſus, ille dolor fit in ipſis oculis, ſenſu tactus contriſtato. Sed quia obiectum viſibile eſt proprium potentiæ viſiuæ, & non tactiuæ, exiſtimare oportet, quod ex tali obiecto viſibili aliquid producitur in oculis, quod ſit obiectum tactus, illudque alteret, & contriſtet, ſpirituſque animales diſſipet, & viſionem tollat, vt contingit in hoc morbo; quod quidem, vt magis veritati conſonum, oſtendit clarè Angelicus Præceptor 1. 2. *quæſtione* 35. *articulo* 2. *in reſponſione ad tertium*, cuius hæc ſunt verba: *Ad tertium dicendum, quod ſenſibilia tactus ſunt doloroſa, non ſolùm in quantum ſunt improportionata virtuti apprehenſiuæ, ſed etiam in quantum contrariantur naturæ. Aliorum verò ſenſuum ſenſibilia poſſunt quidem eſſe improportionata virtuti apprehenſiuæ, non tamen contrariantur naturæ, niſi in ordine ad ſenſibilia tactus.* Huius ratio eſt; nam corruptio non poteſt fieri, niſi per qualitates contrarias rei corrumpendæ, vel diſſoluendo continuum, & propterea dicitur ab Hippocrat. quod dum ſubitò alteratur, aut corrumpitur natura, dolores fiunt: ſed qualitates diſponentes ad corruptionem, & ſolutionem continui cauſantes, ſunt qualitates tangibiles: igitur dum oculi alterantur, & ad dolorem, & perditionem viſus deueniunt, & ad ſpirituum reſolutionem, alterari debent ab obiecto ſenſus tactûs.

*Lumen lædit viſum per qualitates tangibiles.*

Et vt hoc magis pateſiat demonſtrationem faciemus per cuiuſque ſenſus obiecta propria diſcurrendo. Lumen enim excedens non alia ratione moleſtiam infert viſui, quàm calorem nimium cauſando, vel ſpiritus diſſipando, vel aliam qualitatem contriſtantem producendo. Pari ratione nimia albedo viſum lædit ob intenſiorem luminis reflexionem, à quo lumine qualitates tangibiles effluunt, quæ continuum ſoluunt, vel ſpiritus reſoluunt, & viſum lædunt. In auditu etiam ſoni vehementes, & magni ſtrepitus non aliter lædunt, niſi quia aër vehementer impulſus in aures ingrediens, ſolutionem continuitatis facit, quæ ſupponit qualitatem tangibilem, videlicet impulſum, à quo fiat; & idem proportionaliter eſt aſſerendum de reliquis obiectis aliorum ſenſuum.

*Quare ſolum obiectum tactus corrumpit, & excitat dolorem.*

Iterum tamen dubitari poteſt, quare ſenſibilia aliorum ſenſuum, ſi excedentia ſint, non alterant naturam, neque eam corrumpunt per ſe, & immediatè, ſicuti ſenſibilia excedentia tactus. Reſpondetur rationem eſſe, quia natura noſtra ad ſui conſeruationem petit optimam temperiem, & partium vnionem, quæ ſi violenter detrahantur, ſtatim condolet, & contriſtatur natura; & cùm temperies violenter auferri non poſſit, neque vnio partium, niſi per qualitates tangibiles; ideò reliqua ſenſilia, neque qualitates deſtruunt naturales, neque partium vnionem; ſed ſolùm vt talia ſunt, producunt ſpecies intentionales, vt per ipſas potentia obiecti habeat notitiam; ab obiecto enim, & potentia paritur notitia: & hoc modo venit intelligendus Ariſt. *loco ſuperius citato*, dum ait, quod ab excedenti ſenſib li læditur ſenſus.

*Quomodo teneat verum, quod dolor, & voluptas ſunt contraria.*

Ex relatis iterum inſurgit dubium; nam ex Ariſtot. *lib. 7. Ethicorum, cap.* 14. & ex Diuo Thom. 1. 2. *quæſt.* 35. *artic.* 3. dolor, & voluptas ſunt contraria: ſed ſenſibilia aliorum ſenſuum valent inferre voluptatem ipſis ſenſibus per ſe: ergo ſi excedentia nimis ſunt, valebunt inferre dolorem. Minorem, in qua tota vis eſt, probare poſſumus ſic; nam voluptas adquiſita in ſenſu viſus naſcitur ex viſione pulcherrimi obiecti; in ſenſu auditus, ex auditione ſuauiſſimi concentus; in olfactu, ex olfactione fragrantiſſimi odoris; in guſtu, ex guſtatu iucundiſſimi alimenti: ergo pari ratione ex viſione horribilis obiecti, aut fœdi monſtri, ex auditione ingentis ſtrepitus, & concentus inordinati nimis, ex olfactu fœtidi cadaueris, & ex guſtu iniucundi, & amari nimis cibi, fit, & excitatur dolor, ſeu ſenſatio triſtis, ſine recurſu ad obiecta ſenſus tactus; ſi enim contraria ſunt circa idem, & voluptas eſt in aliquo ſenſu per ſe dependenter ab obiecto illius ſenſus, meritò videtur concedendum, in eodem ſenſu debere dari dolorem cum dependentia ab obiecto illius.

*Plures ſunt voluptatis ſpecies.*

Huic difficultati reſpondeo ex eodem Ariſtot. *lib. proximè citat. cap.* 13. dari plures voluptatis ſpecies, ita vt non quælibet voluptas ſit dolori contraria; eſt enim voluptas in actionibus, & in amplexu obiecti boni, & conuenientis, & in reditu ad naturalem

ralem ſtatum, quando quis amiſit illum: voluptas ergo, quæ reperitur in ſenſibus ab obiectis proportionatis, eſt voluptas in eorum actione, quæ naſcitur ex conuenientia obiecti repræſentati ad ipſam potentiam; & hæc voluptas non opponitur dolori. At verò voluptas in reditu ad naturalem ſtatum conſiſtens, dolori contrariatur; nam per dolorem triſtatur natura, & illum præcedit obiectum tangibile naturam corrumpens; & oblato obiecto corrumpente, voluptas inſurgit, quatenus natura priſtinum ſtatum recuperat, qui contrariatur dolori. Hæc voluptas eſt, quæ reperitur in ſenſu tactus tantùm, non verò in aliis ſenſibus; nam ſicuti in illis non datur dolor, neque talis poteſt aſſignari voluptas, ſpecies ſiquidem ſunt intentionales, non phyſicæ, & non opponuntur temperamento ad conſeruationem vitæ requiſito, neque vnitati partium, in cuius diſſolutione fit dolor; & propterea non poteſt obiectum lædere ex vi ſpecierum intentionalium, ſed lædit ratione qualitatis alicuius tactiuæ ab illo obiecto dimanantis, ſicque nihil concludit argumentum.

*Vitium nyctalopi oppoſitum ſenibus frequenter euenit.*

Hic affectus ſenioribus euenire ſolet frequentiùs, ob intenſam ſiccitatem, ex Hippocr. 3. *aphoriſmor. textu* 31. eius verò contrarius pueris oculos nigros habentibus obuenit ex humoris copia, ex Ariſtot. 5. *de generatione animalium, cap.* 2. benè tamen ſenes cæſij fieri poſſunt, ſeu nyctalopia affici ob humiditatum, quibus ſcatent, redundantiam.

*Curatio glaucomatis.*

In huius affectus curatione, quem *Glaucoma* vocat Ariſtot. proximè citatus, adminiſtranda veniunt quæ humectare valent, & alimenta boni ſucci, quæ valeant generare ſpiritus in multa quantitate: & propterea res odorabiles ſunt ex vſu, quæ facilè in ſpirituum naturam migrare valent. Et licèt Auicen. *fen.* 3. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 8. doceat adhibere, quæ valent ſanguinem incraſſare, vt ſpiritus non generentur nimis ſubtiles; tamen cùm ex ſpirituum paucitate hoc ſymptoma etiam fiat, oportet ſimul admouere, quæ facillimè ſpiritus gignunt, idque aſſequimur per epota, & odorata, ex Hippocrat. *lib. de alimento.*

---

## OBSERVATIO IX.

### *De viro præclaro à gutta ſerena, & ſuffuſione incipiente moleſtato, qui ex errore artificis omnimodè fuit obcæcatus.*

VIr nobilis, & in ſublimi dignitate conſtitutus, vt ſe à negotiis expediret, & de propria curaret ſalute, ex Matrito in hanc vrbem Pintianam ſe contulit; & cùm cognoſceret quotidie magis deperdere viſum, Medicos ad ſuam conuocauit medelam, in quorum cœtu eorum quæ prætererant, & illi acciderant, narrauit hiſtoriam. Dixit enim illius ætatem iam attingere primam ſenectam, quæ initium ſumit frequenter à quinquaginta annis: hic habebat iecur calidum ex propria natura, in iuuentute ſtomachum robuſtum, ita vt benè alimentum conficeret: erat illius habitus mediocris, magis ad craſſum, quàm ad tenuem inclinans, omni ferè tempore bona fruens ſalute, ita vt neque in capite, oculis, aut alia parte aliquam perciperet noxam. Et cùm anteactam vitam referret, cœpit adducere cauſam ſui affectus; nam erat nimis aſſuetus librorum lectionibus, in hoc, ſicuti & in aliis, nullum ſeruans ordinem, neque parcens tempori poſt cœnam, vel prandium, & ſe quocumque tempore negotiis committens. Inſuper maximè delectabatur in peragendis plurimis rebus ſubtiliſſimis, quæ maximam expoſcebant attentio-

A nem, in quibus conficiendis viſus defatigabatur. Ex iis, & aliis cœpit quatuor annis anteà elapſis ſentire caput grauatum, viſus hebetudinem quandam, ventriculumque non benè ſuo munere fungi, quæ omnia in deterius ibant quotidie, cœpitque videre ante oculos culices obuerſantes, & filamenta illi apparebant, noctuque ſplendores veluti lucernæ ardentes, quovſque in oculis tenuiſſimæ tunicæ, ſicuti araneæ cernerentur, quibus iudicabat viſum impediri, & eſſe cataractam incipientem; verumtamen maiorem deperditionem viſus, quàm noxam in oculis apparere. Neque tunica illa tenuiſſima poterat impedire ſpecierum viſibilium receptionem, ita vt tantùm diminueretur viſus; propterea que exiſtimabat ad intra eſſe aliquem humorem obſtruentem neruum opticum. Sentiebat ſimiliter in facie ardorem, & pruriginem quandam, interpolatè tamen. His afflictus horum affectuum curam Matriti tentauit, Medicoſque à
B cubiculo regio vocari iuſſit, qui curationem aggreſſi, ſuppoſito vitæ regimine, venæ ſectione, plurimis cum purgationibus, & catapotiis, remediis capitalibus, & ocularibus, & fontanella in brachio ſiniſtro vſi fuere; fruſtra tamen ea adhibuerunt, cum malum quotidie ingraueſceret, quapropter fuit conueniens, vt ſe ab omnibus abſtineret negotiis, & ſolùm de adipiſcenda ſalute tractaret; in quem finem, depoſitis omninò negotiis, venit in hanc præclaram vrbem, committens ſe Medicis Cathedraticis huius inclytæ Vniuerſitatis, literis, & plurimis experimentis quotidianis alios plurimos, etſi perdoctos, ſuperantibus, quibus ſuæ ſalutis ſpem adhibere dixit, ſuiſque præceptis in integrum ſe ſubiicere voluit; ante tamen quàm curatio perficeretur, Matritum iterum rediens, ex errore artificis viſu omnimodè fuit priuatus, vt in ſequenti annotatione palam fit.

C

### ANNOTATIO.

*Conſultationes maximè ſunt neceſſariæ in medicina.*

QVantam vim habeant conſultationes in rebus difficillimis, nullus, niſi amens ſit, dubitare poteſt. Ariſtotel. 3. *Ethic. capit.* 3. ait: *De his conſultamus, quæ fiunt quidem à nobis, non tamen eodem modo, magiſque in artibus quàm in ſcientiis.* Conſultatio in his verſatur, quæ plerumque fieri poſſunt, incerta tamen ſunt, quonam eueniant modo, & in quibus eſt indeterminatio, atque cùm magnis de rebus deliberare volumus, aſſumimuſque alios ad conſilium, diffidentes nobis ipſis, tanquam non ſufficientibus ad diſcernendum. Neque conſultamus rei finem, ſed ea quæ ad ipſum finem perducunt; nam finis in morbi curatione notus eſt, non tamen nota ſunt media ad illum, & propterea conſultatio verſatur circa media. Hipp. *lib. de præceptionibus*, idem ſtatuit: *Neque indecorè* (inquit) *ſe ille geret Medi-*
D *cus, qui in rei præſentis anguſtia circa ægrum aliquem, & imperitiâ tenebras offundente, alios quoque accerſere iuſſerit, quò ex communi conſideratione res circa ægrum inquirantur & cognoſcantur, & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem.* Diuus Auguſt. *tom.* 8. *in enarratione ad pſalmum* 145. aſſerit à melioribus eſſe petenda conſilia; & *in enarratione in pſalmum* 12. inquit: *Non eſt opus conſilio, niſi in aduerſis. Omnis prouidens conſilium quærit*, inquit Caſſiod. 6. *epiſt.* 29. Miſeros conſilio deſtitutos vocat Ouidius *de Ponto lib.* 4. *elegia* 12. dicens:

*Crede mihi miſeros prudentia prima reliquit,*
*Et ſenſus cum re, conſiliumque fugit.*

*Quos morbos patiebatur æger.*

Sed in re tam certa non eſt ampliùs immorandum. Ad rem igitur deueniendo, ex omnium Medicorum conſenſu ita in re tam ancipiti, & dubia fuit conſultum. Primò, quoſnam affectus pateretur æger, quibus

quibus de cauſis excitati fuerint, & quanam ratione curari deberent. Quoad primum omnes conueuerunt, ipſum pati ſuffuſionem, quæ nihil aliud eſt, quàm humorum affuſio inter tunicam cryſtalloïdem, & ceratoïdem concreſcentium, vt docet Paulus *libro* 3. *capite* 22. *Eſt enim ægritudo oppilatiua, ſtans in foramine vueæ, probibens penetrare formas, ſeu ſpecies ad viſum*, ex Auic. *fen.* 3. *libr.* 3. *tract.* 4. *cap.* 18. Ex quibus deducimus, quod ſi tunica illa ita eſt concreta, vt ſpecierum viſibilium penetrationem prohibeat, tunc eſt integra obſtructio, & eſt omnimoda viſus priuatio, & videndi abolita actio; quod ſi non integrè ſit concreta, ita vt quodammodò ſpecies penetrare valeant, fit viſus diminuta actio. Quia ergo noſter æger habebat tunicam illam ſtantem in foramine vueæ tenuem nimis, parum impedire poterat ſpecierum receptionem in humore cryſtallino, atque adeò neque multùm impedire viſum. Hic morbus de ſe notus eſt, quia ſenſui viſus ſtatim manifeſtatur quando iam factus eſt; neque erant alia ſigna neceſſaria, vt agnoſceretur: præceſſerunt tamen incipiente morbo veluti muſcæ, culices, & filamenta quædam ante oculos obuerſantia, quibus deprehendimus hunc morbum imminentem, tuncque hunc affectum imaginationem vocitamus, ex Auic. *fen.* 3. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 9. quia dum incipit iſte affectus, imaginantur ægri ſe videre quæ non vident; idóque cùm ea quæ ſunt intra oculum, videri nequeant, vt certum teneo, culices, ſeu muſcas, & alia apparentia ante oculos formari ex vaporibus ad extra ante oulos obuerſantibus, qui ad extra prorumpunt ex capite, & ad oculos, & ad extra confluentes, ibi hanc, vel illam effigiem repræſentant, de quo puncto latiùs in praxi egimus. Præterea præceſſerunt dolores capitis, illius grauitas, & cruditates ventriculi, ob anteactam vitam, & exercitij defectum. Quæ omnia huic affectui generando non diſſonant: ex quibus conſtabat ægrum habere cataractam, non tamen conſummatam.

*Quid ſit ſuffuſio.*

*Imaginatio in ſuffuſione quid ſit.*

In dubium tamen venit, an præter huiuſcemodi affectum haberet in oculo alterum, à quo etiam læderetur viſus? Neque erat abs re id dubitare, cum tunica illa ob eius tenuitatem non poſſet ita minuere viſum; nam vt ſuprà dixi, non omninò impediebat ſpecierum receptionem, neque multùm poterat obſtruere acinale foramen; vnde meritò dubitatum fuit, an in oculo, aut parte illi ſubſeruienti fuiſſet alterius affectus impedientis viſum complicatio, quod maximè erat neceſſarium agnoſcere, vt probè inſtitueretur curatio; cognitio enim morborum eſt remediorum materia, non remediorum cognitio, ex Gal. 1. *de aliment. facultat. cap.* 1. Sed quia non erat facile diſcerni ob tenuem illam membranam oculi pupillam tegentem; tamen iudicaui in neruis opticis adfuiſſe obſtructionem aliquam ab humoribus craſſis ſubortam, ita vt defectu debitæ illuſtrationis ſpirituum viſio eſſet diminuta. Apparuit enim vnum ſignum antecedenter ad hunc morbum, quod illum eſſe euenturum oſtenderet, videlicet ſplendores ante oculos obuerſantes noctu; quod ſignum affert Galen. 7. *de placitis, cap.* 4. impelluntur enim ad extra ſpiritus animales, qui lucidiſſimi ſunt, ab humoribus, qui ad oculos per neruos opticos effluunt, & eorum lux noctu in tenebris percipitur; quæ quidem lux, ſeu ſplendor annunciat humorem ad opticos defluentem, à quo denique cauſatur obſtructio, & gutta ſerena, quæ fit nullo malo in oculo exteriùs apparente, ex Gal. 4. *de locis affectis*, qui venit intelligendus quando hic morbus non habet ſibi comitem alterum oculi morbum; tunc etenim facilè cognoſcitur, vt ait Manardus. Tamen quando alter affectus eſt in oculo, vt in caſu propoſito, poteſt hic morbus adeſſe, & malum vlterius in oculo apparere, quod illius reddat cognitionem difficilem; modum tamen cognoſcendi obſtructionem, ſeu læſionem eſſe in neruis opticis, docuit noſter Galenus *lib.* 1. *de cauſis ſymptom. cap.* 2. cuius verba adduxi in praxi *libro* 2. *in obſeruatione pro quodam ægro ſuffuſione oculorum laborante*; quæ quia ad propoſiti notitiam conducunt, hîc repetenda veniunt: *Quippe quibus* (inquit ille) *altero oculorum conniuentibus, alterius pupillam dilatari contingit, ſi compunctio adminiſtretur, recipiendi viſus fiducia eſt*; *quibus non dilatatur, nemo vnquam reuidit, &c.* Vbi docet, conferre punctionem in extrahenda cataracta, quando ex frictione, & compreſſione alterius oculi, alterius pupilla, in qua eſt cataracta, dilatatur; ſi verò ex frictione illa non dilatatur, nulla eſt ſpes recuperandi viſum. Rationem ipſe reddit, nam ſi pupilla non dilatatur in vno oculo ex alterius conniuentia, vel frictione, eſt ſignum euidens, quod ad illum oculum non migrant ſpiritus, qui dilatant ſuo impulſu pupillam; idque accidit propter obſtructionem, vel aliud impedimentum in neruis opticis exiſtens. Si verò nerui illi ſint liberi, ex vi confrictionis in vno oculo facilè impelluntur & permeant ſpiritus ad alium, eiuſque dilatant pupillam, ſalutemque annuntiant, ita vt ſi auferatur cataracta, oculus maneat liber, quia in neruis non eſt obſtructio aliqua viſum detrahens. Quia ergo ſeorſum vtrumque noſtri ægri oculum palpebris clauſis confricui, & in altero oculo parum, aut nihil ferè dilatabatur pupilla, inde exiſtimaui, neruos eſſe obſtructos in vno, & altero oculo, patique ſimul cum ſuffuſione guttam ſerenam, quæ fit ex Galeno citato, cùm deſcendens à cerebro in oculum neruus cauſam in ſe continet, cùm ex inflammatione, vel ſchirrho laborat, vel alioqui ex humorum defluxione afficitur, vel aliter quomodolibet eius foramen obturatur. Ex quibus omnibus conſtituitur morbus in via, vel in obſtructione, vt dixi, impedito deſcenſu ſpirituum ad oculos.

*An æger haberet guttam ſerenam.*

*Gutta ſerena quomodo fiat.*

Cognitâ horum morborum naturâ ex eis, quæ patefecit æger, anteactam ſui referens vitam, haud difficile fuit cauſas inueſtigare; ſiquidem ob inordinatum viuendi modum, vacando literis ſtatim à prandio, & cœna, & ſe exercendo circa res ſubtiliſſimas, quas propriis fabricauerat manibus, quas attentè nimis, vt rectè fierent, inſpiciebat, facile fuit, vt calore ventriculus deſtitueretur, magnamque cruditatum copiam colligeret, quæ facilè communicantur capiti, quibus cœpit grauari, & dolere, adiuuante ad hoc calore influenti, qui in nimia attentione, & aduertentia confluit ad caput, illudque immodicè calefacit, & diſtemperat, & ſimiliter attrahit ex aliis partibus, vt alibi à nobis demonſtratum eſt. Quomodo autem ſpiritus animales, & vitales moueantur in animi paſſionibus, in ſomno, & vigilia, & à qua facultate, latè nimis pertractauimus *lib.* 3. *de febribus*, agentes de animi paſſionibus, vbi diximus, ſpiritus moueri ad hanc, vel illam partem, iuxta exigentiam paſſionis, & aduertentiæ. Vnde non mirum ſi in tanta attentione ventriculi coctionem deferentes ſpiritus vitales mouerentur ad caput, & incommoda ſequerentur relata.

*Cauſa horum morborum.*

Iſte affectus potuit inuadere à principio per conſenſum ventriculi, quoniam ab initio ortum duxit ab illo; tractu tamen temporis caput debile redditum, & dyſcraſiatum per ſe afficiebatur. Sed quia ventriculus adhuc permanebat frigidus, & in præſentia iecoris calidi calore orbatus, plurimiſque ſcatens cruditatibus, exiſtimauimus oculos, & caput plurimùm pati per ſe, plurimaque ad illa ex ventriculo confluere, ita vt haberent aliquid per ſe, & aliquid per conſenſum.

Vterque

*Prognoſticum.*

Vterque affectus difficillimè curatur, vt omnes notant Authores, imò & experientia comprobat, præſertim quando caput, ventriculuſque ſunt habitualiter intemperata, à quorum intemperie quotidie noua congeruntur excrementa, quæ ſunt vtriuſque affectus cauſæ; non tamen viſa fuit nobis impoſſibilis curatio in noſtro ægro, quapropter eum bona ſpe ſalutis alere decreuimus.

## CVRATIO.

QVæ hucuſque dicta ſunt, tendunt, vt ad curationem deueniamus. Sed quia indicatio ſumitur à cuiuſcumque morbi idea, imò & parte affecta, ex Gal. 3. *method.* pluribus in locis, necnon à cauſa ipſius morbi, cùm iam notum ſit, quod vnus, & alter morbus ab eadem penderet cauſa, & ſimiliter eadem eſſet pars affecta, oculus ſcilicet, viſum fuit nobis priùs antecedentem demere cauſam, vt ad propinquam, ſeu coniunctam deuenire poſſemus. Quapropter optimo vitæ regimine inſtituto, ad cruditates ventriculi auferendas exhibuimus potionem lenientem, facta ſufficienti præparatione rhodomelle ex ſaccharo. Mox ſanguinem miſimus ex vena media, pro vrgentia, & virium ratione: deinde pillulis de hiera, & lucis maior. & cochiis per epicraſin vſi fuimus, quibus reuellere tentauimus, & euacuare humorem ad caput fluentem, & in eo contentum, ſimulque ventriculum, & caput roborare, & firmare. Attamen cùm cerebrum eſſet intemperatè calidum, pluraque gigneret excrementa, quæ iterum irruere ad oculos poſſent, fuit controuerſum, an conducere poſſet fontanella in occipitio, vel in brachio de noto alia aperiretur. Præualuit tamen, quod in occipitio fieret, vt humor in capite contentus, & qui paulatim aggregatur, ad partem viciniam, & contrariam facilè duceretur; quod conſilium ab omnibus admittitur, & diu fontanellam, ſeu ſetonem apertum adſeruari iubet Manardus in huiuſcemodi affectus curatione. Deinde ad partem affectam magis accedentes, adhibita fuere oculis medicamenta reſoluentia, vt humor obſtructionem, & ſuffuſionem cauſans paulatim exſpiraret, vt iecoris hircini aſſati, & ſciſſi ſanies, & decocta ex euphraſia, ruta, chelidonia, fœniculo, & fœnugræco; item mel inſtillatum per balneum Mariæ, cum tuthia præp. ſaccharo cando, & ære vſto, quibus ſuffuſionem, & guttam ſerenam demere tentauimus, quotidie bonum expectantes euentum.

*An ſeto vel fontanella in occipitio ſit vtilis.*

Dum hæc adminiſtrari inciperent, noua ſe obtulit occaſio recedendi ab vrbe, & iterum redeundi Matritum, vbi denuò vocat Medicos: res geſtas illis notas facit, ipſi ſpeculari incipiunt cataractam, ſeu tenuem illam tunicam oculis ſuperpoſitam contemplantur, totumque morbum in illa pellicula eſſe conſtitutum conſtanter affirmant, nullumque damnum pati neruos; quod fuit primus error, cùm non rectè calluiſſent complicationem horum affectuum. Vocare iubent artificem quendam (nos oculiſtam vocamus) vt tenuis illius tunicæ ſubſtantiæ modum conſideraret. Venit artifex, qui attentè confricans modò vnum, modò alterum oculum, aſſerit morbum eſſe curatu facilem, ſi cataracta illa magis compacta fuiſſet, promittitque acu eam debito tempore ſeparare; quâ detractâ, non eſt aliud à quo viſio impediri poſſet; quod vtique ita eſſe omnes iudicarunt. Ex quorum conſilio (ecce error peior priori) vt citiùs in vtroque oculo cataracta configeretur, detracta fuit fontanella occipitis, vt ſcilicet humores ad oculos denuò irruerent, & tenues illas membranas craſſas redderent, & magis aptas ſeparationi. Iuſſerunt etiam ægro comedere alimenta craſſa, vt craſſi gignerentur humores; quo factum eſt, vt ſperabant, vt omninò æger viſum perdiderit, obſtructis totaliter

*Medicorũ, & artificis Matritenſis duplex error circa curationem huius ægri.*

A neruis, & tunicis illis craſſioribus factis; quo tempore artifex ille promiſit iam ſecurè cataractam poſſe ſeparari; & cùm ad opus deueniſſet, in doctiſſimorum virorum conſpectu promiſſum adimpleuit de ſeparandis cataractis, non tamen de viſu recuperando; nam ipſis iam extractis, & nullo in oculis malo apparente, nihil videbat æger, ob oſtructionem neruis opticis illatam, propter ablationem fontanellæ ab occipitio, & oblationem ciborum incraſſantium, quibus maior humorum craſſorum copia genita fuit, & maior eorum ad oculos confluxus, quibus nobiliſſimus iſte vir omnimodè fuit obcæcatus, & maius malum fuit quàm antea aſſequutus. Hîc quadrat illud Ouidij *in Ponto, lib. 3. eleg. 7.*

*Curando fieri quædam maiora videmus*
*Vulnera, quæ meliùs non tetigiſſe fuit.*

Mala eſt Medicina, vbi aliquid naturæ perdit; in hac artium ſola euenit, vt cuicumque ſe Medicum profitenti credatur, cùm ſit periculum in nullo mendacio maius, vt ait Plinius *lib. 22. naturalis hiſt. cap. 6.*
B ſed de hac annotatione hæc ſint ſatis.

## OBSERVATIO X.

*De quodam, qui ex vulnere in crure inflicto largè ſanguine profuſo memoriam ſtatim amiſit.*

QVidam homo contentioſus quandam habuit cum alio diſcordiam, exiſtimauitque ſe ipſum verbis alterius offenſum fuiſſe, indecoréque fuiſſe pertractatum ab eo; & cum non poſſet à ſe iniuriam repellere, niſi hoſtem ad litem conuocando, eumque pugnâ frangendo, & ſuperando, ideò ſtatim illi dimicationem denuntiauit, quam fugiebat hoſtis; C cenſebat etenim neutiquam verbis, aut aliter iniuriosè tractaſſe: non tamen contentioſus homo voluit acquieſcere dictis alterius, qui etiam quamcunque ſatisfactionem illi promittebat. Cùm ergo ad litem deueniſſent, & vterque pro tuenda vita fortiter pugnaſſet, in hominis contentioſi crus dextrum alter vulnus infligit, & ſectâ venâ deſcendente illius cruris, ab ea copioſè ſanguis emanauit: in terram cecidit animo exſolutus, retentoque tandem ſanguine, eoque in duorum hominum humeris ad domum propriam euecto, dum iam vires reſtauraſſet, neutiquam dignoſcebat vxorem, & filios, & reliquos adſtantes, ſolumque proferebat aliqua verba, inordinata tamen; non tamen congruum faciebant ſenſum, neque literas cognoſcebat: ex quibus facile erat conijcere memoriam totaliter amiſiſſe, in cuius ſubſidium, etſi plura fuere adhibita remedia, parum, aut nihil memoriæ recuperauit, ob illius inobedientiam. D

*Caſus propenditur.*

## ANNOTATIO.

TAnta eſt memoriæ vis, tantaque illius poteſtas, vt coëgerit Ariſt. librum inſcribere *de memoria & reminiſcentia.* Plin. 7. *natur. hiſt. cap.* 24. *Memoria* (inquit) *eſt neceſſarium maximè vitæ bonum.* Eſt enim theſaurus ſpecierum rerum præteritarum, ſiquidem eas retinet, & conſeruat; & cùm iuxta magis probabilem ſententiam Philoſophorum ſit etiam potentia actiua, cuius munus eſt præteritorum recordari, ideò dicimus, quod ſenſus verſatur circa præſentia; fides, & opinio circa futura; memoria circa præterita tantùm: quapropter non ſolùm paſſiuè ſe habet obiecti præteriti ſimulachra recipiens, ſed etiam actiuè, dum obiecti præteriti recordatur.

*Memoria dignitas.*

datur. Neque homo poteſt habere ſcientiam ſine memoria; nam vt inquit idem Philoſoph. 6. *Ethicorum*, *cap*. 3. ex antea notis fit omnis doctrina, quæ doctrina non fieret ſi memoria ſpecies non retineret, & mediis illis non recordaretur. Eſt ergo ſcientiæ perpetua comes memoria, quæ à reminiſcentia differt in aliquibus: nam memoriæ alij animantes participes ſunt, reminiſcentiæ verò ſolus homo; nam ad reminiſcentiam egemus aliqua ratiocinatione, quæ aliis animantibus denegatur; nam dum quis reminiſcitur, ratiocinatur, ſe anteà audiiſſe, vel vidiſſe, aut alio ſenſu percepiſſe. Tribuitur etiam reminiſci iis, qui habent facultatem conſultandi, ita vt quando ex perſcrutatione fit inueſtigatio imaginis, ſeu ſpeciei, quæ olim memoriæ adhæſit, tunc eſt reminiſcendi actus. Differt etiam à memoria, nam qui obtuſo, & hebeti ingenio ſunt, memoria magis vigent; & qui acuto, docilique præſtant, reminiſcentia magis excellunt. Cum hoc tamen reminiſcendi, & memorandi actus ad vnam attinent potentiam, ſuntque illius actus inadæquati. An verò memorandi potentia differat ab aliis ſenſibus internis, non diſputo, perpinet enim ad libros de anima. Quia ergo huius potentiæ munus eſt ita neceſſarium ob eius excellentiam, ideo eam conſeruare totis viribus debemus, & amiſſam recuperare, quod quanam ratione faciendum, hîc pertractare conabimur.

*Memoriæ, & reminiſcentiæ differentia.*

*Quanam pars affecta in memoriæ læſione.*

Ante tamen, quàm ad alia properemus, oportet aſſignare partem affectam in memoriæ læſione, cum indicatio ſumi debeat etiam ex parte affecta, eamque reducere debeamus ad propriam naturam; quod aſſequimur remediorum applicatione ad eandem partem. Ariſt. 3. *de partibus animalium*, *cap*. 4. multiſque aliis in locis ſtatuit, vnicum in noſtro corpore eſſe membrum principale, in quo omnes præcipuè reſident facultates: iuxta cuius opinionem memoria in corde reſidet, atque ibi auxilia applicari deberent. Sed quia iam hæc ſententia obliuioni tradita eſt, & eius rationes facilè ſoluuntur, alij aliter excogitarunt, aſſerentes memoriam in cerebri ſubſtantia reſidere.

*An omnes ſenſus interni ſint in toto cerebro.*

Sed quia ſunt plures ſenſus interni, vt imaginandi, & cogitandi potentia, &c. ideò Aëtius *tetrab*. 2. *ſermon*. 2. *cap*. 2. & Auic. *fen*. 1. *primi*, *doct*. 6. *cap*. 5. tribuunt ſenſibus internis diuerſa loca, atque adeo diuerſis locis in eorum lapſu ſunt admouenda remedia; inquiunt enim, quod anteriori cerebri parte læſa læditur ſolùm imaginatio; cerebri ventriculo medio læſo, peruertitur ratio: poſteriori autem circa occipitium parte læſa, perit memoria, & cum ipſa etiam reliquæ duæ facultates. Galenus 8. *lib. de vſu partium*, *capit*. 6. potentias omnes rectrices in cerebro collocat, nulla partium cerebri facta diſtinctione; ſi enim aliqua foret diſtinctio, eo in loco, vbi agebat de partium vſu, de ea pertractaret: vnde ipſe 13. *methodi*, *capit*. 21. in quacumque phrenitide, & in quacumque læſione actionum facultatum rectricum auxilia admouet ſuturæ coronali, ſumpta indicatione à ſtructura membri, nullam ſumendo indicationem ab alia cerebri parte, quæ lædi poſſet. Qui verò aſſerunt tantùm eſſe vnicum ſenſum internum, vt Garc. Obietus, & alij, neceſſariò fateri debent, ipſum in toto cerebro reſidere, ſiquidem ex læſione inſigni cuiuſcum que partis cerebri, læditur aliqua actio ſenſus interni, ideoque ſemper capiti ſunt admouenda remedia.

*Concluſio affirmans.*

Vt tamen ab hac controuerſia me expediam, quæ ad libros de anima ſpectat, vt certum teneo cum Galeno, omnes ſenſus internos in toto cerebro, & in quacumque eius parte reſidere, ſiue diſtinguantur inter ſe, vel non, de quo impræſentiarum non curo; vigere tamen magis in vna parte, quàm in alia, & ſi læditur anterior, tunc imaginatio offenditur, quia ibi magis viget: & quia in caro, ex Galeno læditur cerebrum magis ſecundùm partem anteriorem, ideò in caro magis læditur actus imaginandi, quàm alterius potentiæ. Similiter dum cerebri pars poſterior offenditur, magis læditur memoria, & maior obliuio fit, quàm ex læſione alîus partis cerebri. Quod prouenire cenſeo ex maiori diſpoſitione in vna parte cerebri, in ordine ad actum vnius potentiæ, quàm in ordine ad actum alterius. Quia ergo temperies ad ſiccitatem quodammodo vergens magis conuenit conſeruationi ſpecierum, & pars cerebri poſterior eſt magis ſicca, quàm reliquæ cerebri particulæ, ideò vt certum tenendum, memoriam magis perfici in cerebri parte poſteriori; ad memoriam enim expetitur in paſſiuis qualitatibus temperies moderata, proptereaque qui animi celeritate præſtant, fluxam obtinent memoriam, ob humiditatem: ſimiliter & qui tardo ingenio ſunt, ob ſiccitatem; in illis etenim ſpecies non adſeruantur, in his non adhærent. Requiritur ergo mediocritas inter ſiccitatem, & humiditatem, vt ſpecies adhærere, & conſeruari poſſint. Ita Ariſt. *lib. de memoria*, *& remiſc*. Quapropter ſi in læſione memoriæ remedia parti cerebri poſteriori applicentur, multùm prodeſſe poterunt. Quod ſi Galen. iuxta ſuturam coronalem ea adhibuit, ideò fuit, quia curabat phrenitidem, cuius delirium ſpectat vel ad imaginationem, vel cogitationem, quarum vna reſidet magis in medio cerebro, altera in parte illius anteriori. Neque ex eius doctrina colligere poſſumus, quod memoria poſſit pati delirium, ſeu actionem deprauatam, licet contrarium ſit à me ſufficienter probatum in praxi, capite de memoriæ læſione. Similiter, quia faciliùs penetrant medicamenta, ſi ſincipiti apponantur, propter illius ſtructuram, ita vt ipſe aſſerat, non ſolùm ad intra penetrare ſecundùm qualitates, ſed etiam ſecundùm propriam medicamentorum ſubſtantiam; ideò Galeno viſum fuit, in phrenitide, & lethargo ibi eſſe apponenda remedia; & cùm in toto capite ſit conſtituta memoria, in toto illo ea admouere oportet.

*Qua in parte ſunt applicanda remedia in læſione memoriæ.*

*Quibus modis cuiuſcumque potentiæ actio lædi poteſt.*

Sed quia quælibet actio potentiæ cuiuſque lædi poteſt tripliciter, abolitè ſcilicet, diminutè, & deprauatè, idem contingere poteſt actionibus memoriæ; læditur enim abolitè, quando nihil operatur, neque aliquid cognoſcit; diminutè, quando diminutè res percipit præteritas, vel recordatur vnius obiecti, & non poteſt recordari alterius, vel obiectorum ſpecies diminutè recipit. Deprauatur denique, cùm vnum pro alio aſſumit, vt exempli gratiâ, quæ erant Ioannis, tribuit Paulo, aut è contra. Quòd autem deprauatè lædatur memoria, tenent plures, vt in noſtra praxi diximus, neque eſt iterum repetendum.

*De cauſis læſionis memoriæ.*

Cauſas læſionis memoriæ ibi etiam adduximus; ſcimus enim, quamlibet immodicam intemperiem deiicere actum propriæ virtutis, ex Galeno 1. *de cauſis ſymptomat. capit*. 1. quapropter quælibet intemperies, ſiue ſimplex, ſiue compoſita, dummodo excedens nimis ſit, memorandi actum lædere valebit, inter quas primum locum obtinet frigiditas, ex Galeno 3. *de locis*, *capite* 5. ſiue ſit nuda, ſiue cum humore; indiget enim hæc potentia ad operandum intenſiori calore, quàm reliquæ potentiæ rectrices, & ſic minùs poteſt ferre caloris ſubtractionem. Tantam vim habet frigiditas ad tollendum memorandi actum, vt exiſtimet Mercatus, quod ſola frigiditas poteſt cauſare abolitam actionem illius, aliæ verò qualitates ſolùm diminutionem; cuius oppoſitum eſt magis rationi

conſo

conſonum. Nam non implicat, quod ex nimia humiditate cerebri, aut ſiccitate ita diſponatur cerebrum, vt omninò memoriam amittat, licèt ſerius operentur, & introducantur iſtæ qualitates, quàm frigiditas: ſed quia frigiditas eſt magis actiua, quàm humiditas & ſiccitas, citiùs memoriam deſtruit; & propterea inquit Galen. quod cùm periit memoria, vel grauiter eſt læſa, frigida omninò intemperies eſt. Et Hippocr. *lib. de morbo ſacro*, obliuioſos perfrigeratos vocat. Valleſ. 3. *de locis, cap.* 21. inquit, quod ſi ſubitò memoria lædatur, eius læſio à frigiditate prouenit. De calore non dubitatur, quod poſſit memoriæ officere: ita Galen. & Paulus, Auic. & alij; imò ſi memoria deprauarè lædatur, à calore, & ſiccitate fieri teſtatur Paulus. Galenus aſſerit, agricolam ob labores, quos vites colendo ſubierat, memoriam perdidiſſe, calorificiſque auxiliis læſum fuiſſe, exiſtimans læſionis illius cauſam fuiſſe calorem, qui abſumens ſpiritus, memoriæque organum diſtemperans, & conſumens partes humidiores, & ſubtiliores cerebri, reddidit ipſum cerebrum ſiccius, & magis ſpecierum receptioni ineptum, vt in conualeſcentibus aliquibus experimur, qui ob huiuſmodi cauſas memoriam diminutam habent, donec refectis viribus, & ſpiritibus denuò genitis, iterum memoriam recuperant. Sed quia quælibet intemperies poteſt eſſe nuda, vel cum affluxu humoris, vtroque modo poteſt lædi memoria.

*Memoria læditur deprauatè à calore.*

*Qualiter ex immodica euacuatione memoria deperditur.*

Ex dictis iam poſſumus colligere, quomodo æger iſte ex ſanguinis immodico fluxu memoriam perdidit. Nam ex multo ſanguine effuſo, & plurimis ſpiritibus euacuatis per vulnus, cerebrum nimis fuit perfrigeratum, neque ob aliam cauſam ipſe animi deliquio, & virium exſolutione fuit detentus, niſi ob ſpirituum diſſipationem nimiam, & reſolutionem. Neque ex hoc colligas, ſpirituum, & ſanguinis defectum potuiſſe inducere frigiditatem in cerebro poſitiuam, ſed ſolùm priuatiuam, quæ in eorum caloris defectu conſiſtit; ſed ſolùm occaſionaliter ſe habuit, vt deficiente calida ſubſtantia, ab excrementis frigidis, & à membranis cerebri, & ab ipſius cerebri ſubſtantia intenſior frigiditas in cerebro produceretur, ita vt poſitiuè ibi frigiditas præter naturam cerebrum diſtemperans, quod eſt memoriæ organum, memoriam læderet abolitè.

Neque eſt præter rationem exiſtimare, caſum ægri ſupra occiput, maximè illum offendiſſe, cauſata cerebri commotione, & ratione doloris facta attractione humorum ad caput, qui partim diſtemperando, partim etiam obſtruendo cerebrum memoriam deſtruxerunt. Quod poſſe contingere docet Plinius *lib.* 7. *cap.* 24. exemplis quorundam, qui ex caſu, ictúve memoriam amiſerunt. Quod autem iſte affectus ex perfrigeratione eueniſſet, ex cauſis aſſignatis claret, & etiam ex ſuperuenientibus; ſomnolentus enim erat, & toto corpore frigidus, ita vt egeret auxiliis calidis, & refici per epota, & odorata, quibus recuperauit vires, non tamen memoriam reſtaurauit.

Huius affectus ſigna ſufficienter in praxi adduximus, ex quacumque cauſa fiat, quæ partim ex iis, quæ præceſſerunt, partim ex præſentibus deſumuntur, in quibus recenſendis non eſt, quod immoremur.

## §. Vnicvs.

### *Memoriæ deperditæ curatio.*

AD curationem deuenientes, debito vitæ regimine inſtituto, per alimenta calefacientia, & probi ſucci, & per aërem calidum, & alia attinentia ad res non naturales, ſtatim adhibere cœpimus capiti roborantia, inter quæ fuit nobis viſum admouere emplaſtrum, ſeu cataplaſma, quod conficitur ex albumine ouorum conquaſſato cum oleo roſarum, & myrti, & pulueribus earumdem rerum; nam ex caſu ſupra occiput habebat in parte capitis poſteriori contuſionem quandam; quapropter ne ratione doloris fieret ad caput maior attractio, fuit neceſſe partem roborare, & adſtringere. Duobus diebus elapſis poſt caſum, adhibui emplaſtrum corroborans, & calefaciens caput, quod ſic conficitur.

*Emplaſtrũ caput con-fortans.*

℞. chamæmali, meliloti, roſarum, baccarum lauri, & myrti, ana m. ß. coquantur omnia in ℔. iij. vini albi ad medietatis conſumptionem, & colentur. Deinde accipe olei chamæmali, nardini, & roſarum, ana ℥ j. ß. mellis ℥. iij. pulueris chamæmali, meliloti, abſinthij, roris marini, baccarum lauri, panis furfuracei, farinæ fabarum, pulu. betonicæ, & centauræ, ana p. j. ad ignem cum prædicta colatura miſceantur, & reducantur ad emplaſtri conſiſtentiam. Ad idem valet decoctum ex eiſdem rebus, & cucufæ factæ ex pulueribus betonicæ, maioranæ, thymi, lauendulæ, roris marini, ſerpilli, chamæmali, meliloti, macis, cubebarum, ligni aloës, nucis moſchatæ, & ſimilium, quibus fingi poſſunt cucufæ in duplici linteo cum baſtituris. Illitiones formari poſſunt pariter ex oleo irino, chamæmali, & rutæ, cum puluere piretri, caſtorei, euphorij, & maſtichis, addita modica cera. Valet ad idem inunctio ex oleo de aniſo, de pipere, de ligno aloë, & de ſtyrace, vel benzoïno, cum oleo ſeſamino, irino, nardino, vel rutaceo. Pomum ſimiliter odoriferum confingitur, quod per interualla naribus apponi debet, vt ℞. pulu. cinnamomi, calami aromatici, cariophylorum, aromatici roſarum, ligni aloës, radicis peoniæ, & angelicæ, galliæ moſchatæ, thuris, ana ʒ. j. diambræ, & diamoſchi, ana ℈. j. ſtyracis ℥. ß. laudani depurati quod ſufficiat, vt fiat pomum. Ex iis fieri etiam poſſunt paſtilli, & ſupra prunas proiici, ita vt fumum ore, & naribus laborans recipiat. Hæc aqua mirabiliter caput calefacit, & roborat. ℞. aquæ vitæ ℥. iiij. in ea infunde per triduum nucis moſchatæ, cariophyl. cubebarum, piperis longi, ana ʒ. ß. deinde ea abluatur caput. Vegæ peſſulum naribus inſertum paulò ante ſomnum, miram habet efficaciam ad reparandam memoriam à frigiditate læſam.

*Concuſa, & decoctum ad idem.*

*Inunctiones & pomum ad memoriam reparandam.*

*Aqua mirabilis ad idem.*

*Peſſulum ad idem.*

Interiùs aſſumat æger ſingulis diebus conſeruam anthos, & ſtœcados, vel achorum condîtum, vel parum confectionis anacardinæ, cum modico vino albo. Vſus huius vini manè, & veſpere bibiti quantitate duarum, vel trium vnciarum vtiliſſimus cenſetur. ℞. galangæ, cariophylorum, cubebarum, ana ʒ. ß nucis moſchathæ, zingiberis, piperis longi, ana ʒ. j. pulueriżentur omnia, & ponantur intra ſacculum lineum, & ſacculum immerge cum pulueribus in ℔. ij. vini generoſi, bulliant omnia in olla noua vitreata bene cooperta, poſtea ſine quieſcere, donec vinum clareſcat, & eo vtere. Mirobolani indi melle condîti, item & zingiber memoriam reſtaurant, ex Rhaſi *in primum ad Almanſ. c.* 2. *tract.* 10. Plura ex iis noſtro ægro fuerunt adhibita, quæ non profuerunt, & dum hæc ſcribo, adhuc immemor perſeuerat: verumtamen non ſunt propter hoc infamanda remedia, quæ aliis fuere ſaluti, præſertim cùm æger non eſſet benè remediis ſubiectus propter illius ſtoliditatem; diximus enim in praxi ex mente Galeni, & Auicen. quod memoria ſæpè vnà cum læſione quadam rationis fieri conſpicitur, quemadmodum & rationis læſio vnà cum memoriæ læſione, vtriuſque noxâ ab eadem diſpoſitione procedente, ita vt ſi ſimul ratio cum memoria

*Interiùs aſſumenda.*

*Stultitia quid ſit.*

deperdatur, hæc affectio ſtultitia nominatur. Neque hoc ſolùm in memoriæ læſione conſpicitur, ſed etiam in lethargo, vbi ab vna, & eadem diſpoſitione ratio, & memoria amittitur, ex eodem Galen. proximè citato. Quia ergo laborans ſtultus erat, neque ratiocinari poterat, remedia ſubtrahebat, & ad eorum exequutionem inobediens erat, ex quibus non potuit aſſequi beneficium; noſque iniucundè ferentes illius ſtultitiam, ab eius curatione receſſimus.

Notare tamen oportet in calce huius annotationis, quod ei non obtulimus medicamenta euacuantia, quia ex immodico ſanguinis fluxu erat ſufficienter euacuatus: neque opus habet æger euacuatione, dum ex nuda intemperie morbus fit; benè tamen potuit propter caſum ſupra occiput pati aliquam humorum fluxionem ad illud: tamen quia immodicè per vulnus fuit euacuatus, non auſi fuimus ipſum magis euacuare, niſi clyſteribus, & frictionibus: quapropter remedia calefacientia, & caput roborantia ei adhibuimus. Reliqua ad memoriæ læſionem attinentia pete ex praxi, *cap. de memoriæ læſione.*

## OBSERVATIO XI.

*De quodam Sacerdote, qui tuberculo paruo orto in facie cum pruritu, vigintiquinque horarum ſpatio mortuus fuit.*

AD me peruenit quidam Sacerdos amicus, & familiaris meus, ætate iuuenis, naturâ bilioſus, autumni tempore, qui antea bona fruebatur ſalute, neque tunc aliquid ſentiebat, quod ei noxam aliquam inferret, præter granulum, ſeu tuberculum in maxilla ſiniſtra cum pruritu quodam, & rubore, cuius magnitudo non excedebat magnitudinem lentis; in figura tamen erat rotundus, ſine dolore, ſine febre, ita vt exiſtimaret, ſe ex vi illius nihil pati poſſe: ante tamen quam à me diſcederet, oculos attentè in ipſius faciem fixi, vidique paulatim partem tuberculum ambientem in tumorem etiam attolli, ruboremque contrahere, timenſque maius malum, illi ſuaſi, vt illicò in domum reuerteretur, ſtatimque ſanguinem ſibi mittere iuberet: ille autem nullum perſentiens dolorem, nec moleſtiam, ſe contulit in quendam populum, qui erat in confinio, ad quem cùm acceſſiſſet, populares non cognoſcebant eum, quia habebat iam totam faciem, collum, & pectus ingentis magnitudinis, ita vt non poſſent diſcernere, an eſſet illius effigies, quæ illis repræſentabatur, vel non, & cum ibi non eſſet Medicus, ad quem recurrere potuiſſent, vocarunt phlebotomum, vt illi venam ſecaret, qui bis, vel ter fecit, vt illi iuſſerunt: deinde etiam me ad ægrotum accerſere voluerunt, & periculum intuens, ſtatim ad illum propero, eunque inuenio cum ſublimi reſpiratione, & frigida, pulſu paruo, & debili, & cum omni genere inæqualitatis, & partium extremarum frigiditate, & vt meliùs dicam, morti proximum, quem oleo ſancto inungere iuſſi, ſtatimque vitam cum morte commutauit.

*Alia ſimilis proponitur hiſtoria.*

Elapſis iam decem, vel duodecim diebus, ecce alius Sacerdos iuuenis, habitu obeſus, parum exercitatus, naturâ ſanguineus, ad me venit, mihi oſtendens granulum in eadem parte faciei, cum omnibus conditionibus alterius, annuntians ſibi etiam alterius periculum: vidi illum, & agnoui eſſe eiuſdem naturæ, ſtatimque illi iuſſi domum abire, ſanguinem mittere, partem affectam ſcarificare, aſſumere potiones veneni vim fugantes, & ad extra humorem propulſantes, vt cor tueretur; ſed malum magis ac magis creſcebat, ita vt pulſus mutarentur, & parui, & debiles, & inæquales apparerent, & tota facies, collum, & pectus intumuit valdè, & breuiter, reuerenterque recepit Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum, & Oleo Sancto inunctus fuit; quibus factis, cùm interrogaſſem qualiter ſe haberet, ipſe reſpondit, in ſua æſtimatione nihil noxium ſentire, neque eſſe anxium, neque triſtem, neque ſciebat quomodo mors ei ſuperuenire poſſet, cum iocundè, & placidè ſe haberet: breuiſſimè à vita, dum hæc dixiſſet, cum omnium admiratione diſceſſit, ita vt à morbi inuaſione ad obitum non pertranſiſſet viginti horarum ſpatium.

### ANNOTATIO.

*Quo morbo fuit correptus iſte æger.*

EX dictis in hiſtoriarum narratione claret, quod morbus iſte fuit exactè peracutus, venenoſus nimis, ſiquidem è medio vnica die ægrum abſtulit. Similem huic hiſtoriam refert Hippocrat. 1. *epidem. ſect.* 3. *ægroto* 9. de Critone, cui pedis dolor cœpit fortis à magno digito, cum tumore per totum pedem, & vſque ad talum ſubrubeo, & cum tenſione, qui poſtridie mortuus fuit. Plura ſe offerunt examinnada circa huius morbi naturam; primò enim dubitatur, an iſte affectus fuerit carbunculus malignus, ſeu antrax, quod in mea ſententia idem eſt. Cui dubio facilè reſpondetur, neutiquam; nam Carbunculus ex Galen. *lib.* 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 2. debet habere vlcus eſcharoſum cum inflammatione partium adiacentium. Idemque ſtatuit *lib.* 6. *aphoriſm. comment.* 45. eſt enim humor, à quo antrax fit, adurens nimis, & cruſtam inducens, vt omnes conueniunt; ſed quia tale vlcus, neque eſchara apparuit, in iis caſibus cenſendum eſt, non fuiſſe carbunculum: & licèt poſſit dici, quod cruſta ſubtus ſolet exiſtere, & non apparere, donec ſcarificetur pars, tamen in ſecundo ægroto, cuius partem affectam ſcarificare iuſſimus, nulla apparuit cruſta; nam dum fiebat illius partis ſciſſio, nulla erat reſiſtentia in parte ſcarificata, quæ poſſet cruſtæ tribui. Neque erat dolor vehemens, qualis reperitur in carbunculo ob mordacitatem humoris, & intenſum illius calorem, & ſolutionem continui, quæ cùm ſubitò fiunt, maximum excitant dolorem. Fuit ergo inflammatio, ſeu phlegmon ex ſanguine pendens, vt illius ſigna oſtendebant; aderant enim rubor, & tenſio in partibus, quæ totam illam compararunt molem; in principio tamen cùm pruritus perſentiretur in tuberculo illo, exiſtimare oportet, adfuiſſe aliquam portiunculam humoris bilioſi, vel ſanguinis tenuis, qui pungendo partem, pruritum excitabat, donec poſtea confluente ſanguine in magna quantitate, omnes partes circumuicinæ fuerunt tumefactæ, & inflammatæ.

*An fuerit carbunculus.*

*Qua ratione ex vi huius morbi breuiſſimè æger obiit.*

Dubitatur ſecundò, qua ratione ita breuiter morbus iſte potuit ægrum perdere. Si enim eryſipelas (& idem ſtatuo de quolibet alio tumore) ab interioribus ad exteriora verti eſt bonum, ex Hipp. 6. *aphor. textu* 25. & in noſtro caſu humor motus eſt ex principalioribus membris ad minus principalia, imò & ad ipſam cutem, potius ex illius humoris ad cutem tranſmiſſione deberet æger liberari. Hoc autem comprobat Hippoc. 6. *aphoriſm. textu* 37. de angina loquens, in qua ſi in collo tumor apparet, ſignificat morbum extra verti, & eſſe bonum. Idemmet aſſerit ipſe 7. *aphoriſm. textu* 49. Ergo pari ratione in caſu propoſito, dum extrà morbus fieret, & morbi cauſa ad extra pulſa fuiſſet, non deberet æger mori; ſignifi

ſignificat enim naturam viciſſe cauſam præternaturam, ad extraque expuliſſe, ita vt non poſſet lædere membra principalia, neque mortem inferre.

Hoc dubium ſoluit Galenus 1. *epidem. ſect.* 3. *in comm. ægroti* 8. *citati*, quem ſequitur Valleſ. *ſuper eundem locum*; cœpit enim natura humores tranſmittere malignos ad cutem, vt ſe ab imminenti liberaret periculo; verumtamen ob eorum multam quantitatem, & deterrimam conditionem naturam grauantem, & labefactantem, non potuit totam humoris venenoſi quantitatem ad extra pellere, quo factum fuit ocyſſimè ægrum periiſſe à venefica qualitate humoris intrà reconditi. Sic enim Crito poſt pedis tumorem delirauit, horruit, acutè febricitauit, & faſtidiuit: quæ omnia indicant intrà remanſiſſe humorem malignum, qui horum omnium fuit cauſa; ſiquidem attingens cerebrum, delirare fecit, & offendens cor, febrem putridam, & malignam excitauit; & quia ei ſtatim ſuperuenerunt à ventre mera, blioſa, & copioſa, ea omnia oſtendebant, intrà eſſe venenoſi humoris copiam, à cuius quantitate, & deleteria qualitate vexatus æger, mortuus fuit in principio ſecundi diei. Hoc idem iis ægris accidiſſe cenſendum eſt; ſi enim totus humor ad extra truderetur, vt in eryſipelate, & angina, & aliis tumoribus, de quibus loquitur Hippoc. ſine dubio eſſet ſignum bonum; attamen cùm maior quantitas humoris intrà recondita manſit, à cuius malignitate ſpiritus vitales fuerunt corrupti, & cor nimis offenſum, & diſtemperatum, non mirum ſi breuiſſimè refrigerarentur extrema, pulſus eſſent parui, debiles, & inæquales, & conſequenter frigida eſſet reſpiratio, imò & ſublimis, quia præ multitudine humoris erat pectus oppreſſum nimis, & grauatum, & maximo conatu pectoris vis motiua illud diſtendebat, & talem reſpirationis differentiam excitabat; quibus ſignis facile erat prædicere proximam mortem.

*Ratio ob quam æger ſe bene habere dicebat, ſtatuitur.*

Sed mentione dignum iudico illud quod accidit ſecundo ægroto; cum enim ab eo rogaſſem, qualiter ſe haberet paulò ante è vita diſceſſum, reſpondit ſe iocundè, & placidè habere, ita vt nihil noxæ, & moleſtiæ perciperet. Verba illius in memoria reſeruaui, quæ in noſtro idiomate talia fuere: *Si me muero deſta enfermedad, me muero alegremente, porque no ſiento interiormente mal aguno*. Ex cuius verbis, & ex ſignis traditis cognitu facilis erat veneni vis, quæ clam, & occultè principio vitæ inſidiatur; & propterea, vt inquit Horatius Augen. 6. *epiſt. medic. epiſtol.* 1. agens de febre maligna: *Ipſa dum ſaluberrima eſſe videtur, furtim rapit hominem*; ſicque febres quaſdam mites, valde malignas vocat Galen. 3. *de criſibus*; & morbus mali moris plus ingerit periculi quàm pro ea, quam oſtentat, magnitudine, vt aſſerit Valleſ. *lib. de ratione victus in morbis acutis*. Neque ob aliam rationem *Gal. lib. de definitionibus medicis*, ait morbum mali moris eſſe ſpecie imbecillem, & poteſtate magnum. Ex quibus claret, quod morbus iſte cùm mitis appareat, clam vires deſtruit, & miram in operando habet efficaciam; & cùm ſit hæc qualitas in noſtro corpore contrario carens, in inſtanti communicatur; eſt ſiquidem ſicuti irradiatio à corde, vel cerebro communicata, quæ cùm nullum habeat contrarium, in diſtans ſtatim impartitur: quare cùm eius virtus non refrangatur, ſed integrè ſeruata corpus corrumpat, vt docet Gal. 3. *de temperamentis, cap.* 4. venenum definiens, ideò non mirum, quod breuiſſimè interficere valeat: & cùm ex alia parte clam operetur, & vitæ principiis inſidietur, æger non facilè percipit illius diram conditionem. *Perniçioſa enim ſine ſignis leuantia, mortem indicant*, teſte Hipp. 1. *prorrhetic. textu* 17. Neque hoc ſolum obſeruaui in hoc ægro, ſed in aliis plurimis morbis malignis, & peſtilentibus correptis. Quid autem ſit malignitas in morbis, & quommodo operetur, latè nimis diſputauimus *noſtro lib. de febribus tractat. de febre maligna*, ad quam Lectorem remittimus, cùm omnia in omnibus non ſint adducenda.

*Morbus malignus quid ſit.*

*An venenum generetur in noſtris corporibus.*

Neque nouum eſt, humores quandoque in noſtris corporibus vim veneni adipiſci, vt inſinuat Galen. 6. *de locis affect. c.* 5. qui quæſtionem mouet, *An in animantibus corruptio aliqua naſci poſſit adeò vehemens, vt veneni tum qualitatem, tum vires æquet?* Et affirmatiuè reſpondet. Auerroës 3. *collect. cap.* 23. idem ſtatuit Valleſ. 1. *epid. ægroto* 8. ibi: *Scimus ſolere multos venenum intra ſeſe ex prauo victu generare, & repentè mori, non aliter ac qui acceperat*. Quod confirmant quotidiani euentus in febribus malignis, in vlceribus lethalibus faucium & gutturis, in hyſtericis affectionibus, quibus mulieres manent ſine pulſu, & reſpiratione, ita vt Medicos cogant remedia quædam imponere ad cognoſcendum, an omnimodè reſpiratione careant, vt aliquoties fecimus imponendo ori ventriculi poculum aquâ plenum, cuius aqua immota manens abolitam oſtendit reſpirationem; vel carptæ lanæ flocculos coram earum naribus ſuſpendimus, ad deprehendendum, an aër intrò, vel extrà feratur per reſpirationem. An verò homo poſſit viuere ſine reſpiratione, vel non, diſcuſſimus in praxi, *capite de apoplexia*. Quia ergo hæc accidentia ſæpe euenire credimus, & non niſi ex maligna cauſa in noſtris corporibus genita, haudquaquam dubitari poteſt, veneno ſimile quid generari in illis.

*Quomodo curnadus ille affectus.*

Ad huius affectus curationem accedendo, cùm vnico die ad interitum duxiſſet ægrum, vnico die habuit tria tempora vniuerſalia; nam à principio vſque ad ſtatum quamcellerimè properauit: & licèt in his morbis non ſit cibus offerendus, quando ſunt in ſtatu, & prope ſtatum, ſed potiùs ſubtrahendus, ne ſcilicèt natura diſtraheretur à pugna cum cauſa morbifica, vt docet Hipp. 1. *aphoriſm.* & ſimiliter in morbis pendentibus ex fluxione humorum minùs cibare debeamus, vt natura humorem in ſui nutritionem retineat, ex Auic. *c. de Karabito*; cum hoc tamen malignitas morbi coëgit ægrum cibare, vt ferre poſſet vnam & alteram venæ ſectionem; idque fecimus iure gallinæ, cum ſucco limonum, dedimuſque ei bibere aquam ſcorcioneræ, & alia pro ratione non naturalia inſtituimus.

*De vena ſectione.*

Sed quia morbus erat vehemens, & magnus, neque poterat niſi remedio magno auferri, illicò ſanguinem mittere iuſſi bis, vel ter, vt ſic motum ſanguinis ad faciem, pectus, & collum compeſcerem: quod remedium fuiſſe Critoni adhibendum, docet Galenus. Tamen quia fortè morbo iam progreſſo vocatus fuit Hippoc. ad Critonem, ideò non diſſecare iuſſit. Neque poterat aliter inflammatio illa emendari. Verumtamen cùm vires magis, ac magis debiles redderentur, me à venæ vlteriori ſectione abſtinui, vſuſque fui frictionibus partium inferiorum, & cucurbitulis. A principio tamen ſimul ſcarificare iuſſi locum tuberculi, timens ſubeſſe eſcharam ex aliqua vſtione natam, & vt illius humoris euacuationi daretur locus; ea tamen non præerat.

*De remediis alexipharmacis huic ægro offerendis.*

Verumtamen, quia humor ſuâ veneficâ qualitate miſerrimum perdebat ægrum, remediis alexipharmacis aduerſus eam pugnare contendi, ei offerens potionem ex aquis ſcorcioneræ, bugloſſi, meliſſæ, & cichorei, cum confect. hiacynthorum, lapide bezoar orientali, cum ſyrupo de ſucco limonum, & oxalidis, cui parum theriacæ adhibui; quæ licèt calida ſit, cùm à tota ſubſtantia venenis aduerſetur, ab omnibus commendatur. Confeci etiam tabellas ex

lapide Bezoar, margaritis præpar. & elect. de gemmis ſine ſpeciebus, cum ſaccharo, vt eas cum potione aſſumeret. Poterat etiam fieri condîtum mirabile ad idem, ſic. ℞. confect. alchermes ʒ. ij. confect. de hiacyntho ʒ. j. margarit. præp. & elect. de gemmis, ana ʒ. ß. pulueris lapidis bezoar orient. ℈. j. theriacæ magnæ ʒ. j. conſeruæ florum viol. borragin. & bugloſſi, ana ℥. j. foliorum auri n. j. ſyrupi de acetoſitate citri, quod ſit ſatis, vt fiat condîtum, de quo æger ſumat cochleare. Sed præ temporis anguſtia non erat locus remediis, curaui tamen ad extra humores reuocare, & malignitatem frangere ſupradictis auxiliis, & adhæſu theriacæ magnæ ſupra partem ſcarificatam, & ſupra cor, ſimul cum pinguedine naphæ, & oleo Mathioli, quibus inungere iuſſi cor, tempora, nares, & carpum manus, vt virtus eorum aëris attractu per pulſum, & reſpirationem poſſet ad cor deferri. Sed quia (vt dixi) aderat ſimul partium extremarum frigiditas, ob reſolutionem, & corruptionem ſpirituum, præter eorum reparationem per alimenta, & medicamenta, ei appoſui ad pedes lintea calida, & abluere iuſſi eos decocto corticum citri, radicis verbenæ, betonicæ, radicis angelicæ, & peoniæ, addito modico vino; deinde inungere pedes oleo mirabili Mathioli, & angelicæ. Nihil tamen prodeſſe conſpexi, neque morbi ſæuities potuit extingui.

*Condîtum cordiale.*

Poterat in dubium reuocari, an hic æger eſſet purgandus, vt humor ille qualitate peccans euacuaretur. Cui dubio facilè reſpondetur, neque poſſe purgari, neque in ita breuiſſimo tempore poſſet dari locus expurgationi; neceſſariò enim priùs debebat euacuari venæ ſectione, quia æger erat naturâ ſanguineus, & inflammatio pendebat ex ſanguine, licèt maligna affecto qualitate, & habebat plenitudinem ad vaſa; quapropter fuit neceſſarium incipere à ſanguinis miſſione: & cùm morbus ob eius malignitatem vires facillimè deiiceret, non poterat ſuſtinere auxilium magnum, quale eſt euacuatio medicamento purganti facta: imò præter rationem iudico fuiſſe, ſi tale remedium adminiſtraretur, nam potiùs humor reuocari, & propelli deberet versùs cutem, ſeu circumferentiam, vt minùs læderentur interiora; & quia humorem natura ad extra reuocabat, non erat ad intra propulſandus, ne partes principes magis ex humoris motione ad illas offenderentur. Neque ob aliam rationem in inflammationibus internis iubet Galen. *lib. quos, & quando, & quibus purgare conueniat*, interdicere purgationem, niſi quia timet inflammationis incrementum ex motione humorum versùs partem inflammatam. Neque exiſtimo eo in caſu eſſe conueniens tale offerre auxilium, ſed potiùs motus naturæ ad extra eſt adiuuandus, quia ea regio magis conueniens cenſetur, per quam oportebat ducere humorem: propterea que Hipp. 4. *de rat. victus*, *text.* 21. & 22. in inflammationibus internis præcipuè prohibet purgationem adhuc reuulſoriam. Galenus 4. *de ſanit. tuenda*, vbi in ſolidis partibus mordacia redundant excrementa, reuulſum ad interiora caueri oportere ait. Magiſter Sancta Cruz *lib.* 3. *de rebus præter naturam impedientibus magna auxilia*, *cap.* 17. probat ea, quæ in tertia regione continentur, vel ad illam fluunt, impedire purgationem, vt patet in morbillis, & variolis, & in inflammationibus, in quibus omnibus nullus audet medicamentum purgans adminiſtrare, etſi humores ſint maligni, & qualitate peccantes. Quia ergo in dicto caſu humores ad extra mouebantur, non erat tutum expurgare, neque aliter euacuare, quàm miſſione ſanguinis; neque aliter poterat ita breuiſſimo tempore æger iuuari.

*An iſte æger fuiſſet expurgandus.*

*In inflammationibus internis cur non eſt purgandum.*

## OBSERVATIO XII.

*De quodam nobili viro febre miti affecto, qui ferè nullam ab ea ſentiens noxam, intra diem naturalem à febris inſultu obiit.*

Occaſione arrepta ab hiſtoria proximè enarrata, non poſſum non referre caſum quodammodò præcedenti ſimilem in malignitate, & celeritate. Dum per noctem in domum meam redirem, inueni epiſtolam cuiuſdam amici petentis vt ſummo manè fuiſſem ad videndum D. Ferdinandum de Montaluo, qui eo die in occaſu ſolis queribundus ab eo receſſit versùs propriam domum. Erat enim iſte nobilis vir melancholicus, timidus, habitu gracilis, licèt ætate iuuenis, qui iacens in lectulo ſufficienter per noctem dormiuit, ita vt iudicaret, ſe eſſe ab omni morbo liberum. Sed vt ego amici rogationi ſatisfacerem, manè ad eum viſendum acceſſi; ipſe tamen tunc ſurgebat è lecto, qui cùm me videret inopinatè, ex rei nouitate pertimuit; erat enim (vt dixi) ex ſua natura metuens, qui iterum ad lectum rediens, petiuit à me viſitationis illius cauſam; & vt à ſe omnem repellerem timorem, ei epiſtolam manifeſtaui, paulatimque illius animum conquieui, ne ex vehementi imaginatione, aut animæ paſſione pulſus nimis immutaretur. Denique illius pulſum tetigi bis, vel ter, illumque percontatus ſum, an aliquid noxæ ſentiret; ipſe tamen ſe nullam moleſtiam ſentire affirmauit, quo tempore habebat pulſum paruum, debilem, & omni genere inæqualitatis inæqualem, de quo miratus ſum, & iudicabam illum pulſum eſſe proximæ mortis ſignum, quando æger cenſebat bona frui ſalute. Quapropter, vt certior eſſem, & meliùs euentum præſagire poſſem, iterum tetigi pulſum, quem deteriorem multò quàm anteà inueni. Cùm ergo conſideraſſem, quod æger eſſet triſtis, & timidus, nolui ei annuntiare illius ſtatum, ſed rogaui illum, vt quieſceret, & non ſurgeret donec iterum ad illum perueniſſem; ipſe obediuit. Receſſi ab eo, & in domum amici me contuli, & narraui illi caſum; prædixi vicinam mortem, & conſului, vt prudenter ſe haberet, illi prænuntiando periculum, & omnia præpararet ad obitum. Amicus perterritus ſtatim ad ægri domum vadit, prudenterque illum hortatur (erat enim magni conſilij vir) vt ordinet omnia ad animæ ſalutem conducentia; cuius monitioni æger reſiſtebat, aſſerens ſe nihil mali ſentire: quo tempore iterum acceſſi ad ægrum, illius tango pulſum, quem debilem, & paruum, formicantem, & ferè omnimodè fugientem tactum inuenio; & habebat iam reſpirationem paruam, celerem, & frequentem, vtinam tamen naturali ſimilem. Agnoui tunc non poſſe differri remedia ad animæ ſalutem, quapropter ei annuntiaui periculum, vt omnia breuiter, & ordinatè fierent, quibus factis, hora quinta poſt meridiem è corporis ergaſtulo ſolutus eſt. Idem contigit Religioſo Ordinis Diſcalceatorum Diui, & Seraphici Patris Sancti Franciſci, qui ſuperueniente aliâ febre ſtatim colorem amiſit naturalem, & eum in fuſcum mutauit, & intra vnius diei ſpatium vitam Deo reddidit.

*Altera hiſtoria præcedenti ſimilis.*

### ANNOTATIO.

Suprà diximus, quanam ratione morbi maligni, & peſtilentes furtim hominem rapiunt, & quod febres ſimplices, ſeu mites ſunt quandoque valde malignæ

*Morbi maligni vis proponitur.*

malignæ. Pro quorum maiori explicatione ſciendum eſt ex Galen. 3. *prognoſt. comm.* 2. quod vt homines dupliciter ſimplices dicuntur, vel quia ſunt maligni in quadam ſimulatione, vel quia ſunt probis moribus imbuti, ita vtraque maligni acceptio quadrat febribus; nam ſi ſimpliciſſimæ ſint, & ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citius deſinunt, & ſunt probi moris; ſi verò ſint deterrimæ, ac ſignis firmatæ malignis, cum ſimulatione tamen quadam, quarto die, aut citiùs interimunt, ex Hipp. *eodem loco*; tantaque poteſt eſſe veneni vis, vt aliqui ſtatim moriantur, quidam diem viuant vnum, aut paulò plus temporis, antequam Medicus arte repugnare valeat, vt ait Hipp. 1. *prognoſt. in proœmio.* Quia ergo febris hæc mitiſſima, & ſimpliciſſima fuit, & æger erat naturâ frigidus, parum noxæ percipiebat, imò eius delectabatur calore: neque poterat ille calor mitis, etſi præter naturam, ægrum è medio tollere, præſertim cùm alias febres intenſiores aliis temporibus paſſus fuiſſet, in quibus ſigna, etſi intenſiorem calorem oſtendebant, ſalutem tamen expectandam fore prædicabant. At in hac febricula ſigna magis mortem annuntiabant, quàm febrem, vnde autumaui febrem illam magis lædere qualitate maligna, & venefica, quàm calore; illius tamen operatio clam nimis cor, & ſpiritus corrumpebat, maiorique læſione offendebat, quàm debebatur comprehenſioni ſenſus illius. Eſt enim hæc dira qualitas altioris ordinis, quàm qualitates ex elementorum mixtione ortæ, quæ ſenſu percipi nequit, proptereaque occulta, cœleſtis, ſeu à tota ſubſtantia nominatur, neque eam ſine diſcurſu, aut ratiocinio aſſequi poſſumus; & quia æger ſolùm ſentiebat calorem febris mitis, neque percipere poterat effectum huius qualitatis, in cuius cognitione adhuc Medici periti ſolent falli, non mirum ergo, quod ipſe iudicaſſet, ſe bona frui ſalute, dum erat morti propinquus. In hoc & ſimili morbo ſtatim licet mortem præſagire; nam ſolum debemus vti medicinæ parte prognoſtica, ne rerum euentus noſtro adſcribatur errori, vt docet Galen. 1. *aphor. comm.* 8. neque datur locus remediis. Si alia exoptas circa malignitatem, & eius operandi modum, lege tractatum de febre peſtilenti, vbi latiùs de ea agitur.

*Qualitas maligna excedit qualitates elementales.*

## OBSERVATIO XIII.

### *De quodam lue Gallica infecto, qui in potione ſudorifica ſublimatum deuorauit, & ſanus euaſit.*

DEpingitur apud Auſonium epigramma, in cuius vltimo carmine cecinit ipſe:

*Et cùm fata volunt, bina venena iuuant.*

Ita contigit huic ægro, qui cùm morbo Gallico fuiſſet infectus nimis, cupiens ſe liberare à cruciatu, & ingentibus doloribus, ex mei conſilio factis euacuationibus vniuerſalibus, potiones aſſumpſit ſudorificas, quibus quotidie melius ſe habere exiſtimabat; ipſe tamen vxorem habebat impudicam, quæ mariti mortem totis viribus optabat. Cùm ergo vidiſſet ipſa, quod dictis auxiliis maritus ſalutem amiſſam recuperabat, fruſtum ſublimati accepit, & ei in potione ſudorifica obtulit; deinde paulò poſt ab aſſumptione cœpit ſentire in viſceribus ardorem, & eſſe anxius, ſicuti ſi eſſet in agone conſtitutus, ſitire, vociferari, auxilium petere, euomere, vehementer ſudare, & per infernam aluum immodicè euacuare. Vxor timens ne illi tribueretur mors, ſtatim à domo receſſit, & ſe abſcondit. *Fugit enim*

A *impius, nemine perſequente.* Demùm his tranſactis, & per vomitum, & per infernam aluum euacuatâ mali cauſâ, æger quietus iam, & viribus recreatis per alimenta, paulatim ſalutem reſtaurauit, neque poſtea dolorem perſenſit, neque tumorem, neque aliquid aliud, ſed ex immodicis iis euacuationibus omnimò liberatus fuit. Nos autem inquirentes horum ſymptomatum cauſam, & quod non poſſent ei ſuperuenire ratione potionis ſudorificæ, niſi aliquid deleterium admiſceretur, dictum fuit nobis, quod illius vxor pridie emerat ſublimatum; ſicque cognitis accidentibus ſæuiſſimis iudicauimus, ex ipſo ſublimato potioni admixto ea ingenita fuiſſe, & ipſum ſublimatum fuiſſe in cauſa, vt illæ immodicæ euacuationes fierent, & ſalus fuiſſet reſtituta.

*Impius fugit nemine perſequente.*

### ANNOTATIO.

B MVlierem bonam conſequi non facile, dixit Menander. *Mulier diligens corona eſt viro ſuo*, 2. Prouerb. *Mulieris bonæ beatus vir; nam numerus dierum ipſius conduplicatur. Pars bona mulier bona, & in parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis ſuis*, Prouerb. 26. E contra mulier mala; *nam dolor cordis, & luctus mulier zelotypa: in muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans, & omnis malitia nequitia mulieris ibi.* Proptereaque magnæ felicitatis eſt ab improba, & nefanda vxore liberari. De hoc potuit laudari iſte vir, dum eius vxor propriam relinquens domum ab eo diſceſſit, eam excitante ad fugam peccato commiſſo necandi maritum, quod facilè conſequi poterat, niſi natura ægri offenſionem, & moleſtiam ſentiens, omnes poneret conatus ad expellendum ſublimatum, & potionem ſudorificam, in qua erat diſſolutum, per omnes regiones euacuando, & ſimul maximam humorum quantitatem, quo æger liberatus fuit à mortis iam C imminentis periculo, & ab omni infectione Gallica.

*Laudatur mulier bona, vituperatur Zelotypa.*

### §. I.

### *Plura proponuntur de venenis.*

OCcaſione tamen arrepta ex dictis, non erit extra rem aliqua in medium proferre circa naturam veneni, & primò ſublimati, quod ita dicitur, quia fit ex argento viuo per ſublimationem. Vt ergo ſciamus quid illud ſit, oportet priùs cognoſcere, quid ſit argentum viuum, quod etiam hydrargyros, ſeu Mercurius appellatur. In huius remedij indagatione Galen. 9. *ſimplic. cap. de hydrargyro*, non eſt ſequendus, qui aſſerit non eſſe ex ſponte naſcentibus, ſed ex iis, quæ arte præparantur, de quo nullum fecit periculum, an ſi deuoratum, vel foris admo-D tum interimat. Plinius *lib.* 33. *nat. hiſt. cap.* 6. non arte factum, ſed eſſe minerale ſtatuit, reperirique in venis, & puteis argenti, & auri. Dioſc. tamen *lib.* 5. *cap.* 69. duplex argenti viui genus adinuenit, minerale vnum, artificiale alterum. Minerale (inquit) inuenitur in argenti fodinarum tectis ſtillatim concretum, ſiue per ſe in metallis inuentum. Artificiale verò fit ex minio, quod vulgariter cinnabaris dicitur. Modum faciendi illud ipſe Dioſcor. tradit. Dicitur argentum à colore albo; viuum à motu. Vtrumque porrò eandem habet naturam, & eundem ſubſtantiæ modum, grauem nimirum, tenuem, & ad tactum frigidum; & licèt fluidum ſit, locum per quem fluit, non reddit humidiorem, cùm ſiccitatem habeat innatam, veluti alia metalla. Aurum præterea amplexatur vehementer, vt ait Plin. cui ſoli ſua ſponte adhæreſcit, illudque intra ſe recipit, reliqua verò metalla ei innatant.

*Quid, & quotuplex ſit argentum viuum ſublimatum.*

*Quâ vi polleat hydrargyrum.*

In dubium vertitur apud Authores, qua vi polleat hydrargyros: neque in hoc omnes conueniunt. Tamen quantum ad qualitates manifeſtas attinet, videre oportet Fallopium *tract. de metallis, & foſſilibus, cap.* 37. qui pluribus rationibus, & experimentis probat eſſe calidum in ſecundo gradu intenſo, vel in principio tertij, & ſiccum etiam in tertio. Neque deficiunt rationes ad probandum, quod ſit frigidum, quas etiam proponit Fernelius *tract. de lue venerea*, qui exiſtimat argentum viuum eſſe naturâ frigidum; & pro vtraque parte ita validæ ſunt rationes, & experientiæ, quod ſi compati poſſet vnum mixtum eſſe ſimul calidum & frigidum, de hoc potiùs verificaretur, quàm de alio. Tamen cùm virtus, qua hydrargyros operatur, magis ſit occulta, & à tota ſubſtantia, vt experientia demonſtrat, quàm manifeſta, ideò aliis hanc quæſtionem, an ſit calidum, vel frigidum, pertractandam relinquo, quam etiam tetigi *in meo tractatu de morbo Gallico.* Sermonem ergo inſtituentes de qualitate abdita, qua operatur argentum viuum, ſciendum eſt ex Plinio iam citato, quod eſt omnium rerum venenum. Sed licèt in noſtro libro de febribus actum ſit de malignitate, quâ morbi venefici, imò & venena operantur, maioris tamen notitiæ gratiâ, quid venenum ſit, nunc explicabimus, & quænam eorum differentiæ, vt ſciamus meliùs, quâ vi polleat ſublimatum, de quo agitur in præſenti caſu, & quanam ratione eius operationi ſit obſiſtendum. Galenus *libro de facultatibus medicament. purgantium*, docet homines ratione præditos non debere agere de venenis; nam ſic præſtant occaſionem hominibus ſceleratis, vt ipſis vti poſſint ad interficiendum: tamen quia fortè accidit, quod Medicos accerſunt ægri veneno infecti, ideò vtiliſſima cenſetur hæc tractatio, tum ad præcauendum à veneno, tum vt eo ſemel accepto, remedia admoueantur, vt æger (ſi poſſibile fuerit) liberetur à morte.

*Argentum viuum omnium rerum venenum.*

*Tractatio de venenis vtiliſſima eſt.*

*Differentia inter venenum, alimentum, & medicamentum ſtabilitur, & in quo conueniunt.*

Ante tamen quàm dicamus, quid venenum ſit, oportet conſtituere differentiam inter alimenta, medicamenta, & venena; quâ poſitâ differentiâ, facilè quid ſit venenum, elucebit. Hæc tria conueniunt in hoc; nam vnumquodque cùm ſit naturæ diſſimile, & habeat qualitates à natura diſſentaneas, neceſſariò debet alterare, & immutare partem hominis, ad quam peruenit; cum hoc tamen diſcrimine, quod alimentum licèt ob diſſimilitudinem, quam habet, naturam alteret, conuertitur tamen in ſubſtantiam aliti, eo quod licet in principio fuiſſet diſſimile, in fine denique euadit ſimile, & habet ſympathiam cum noſtra natura, & familiaritatem. Neque ex hoc colligas velim, quod licèt alimentum conuertatur in aliti ſubſtantiam, eamque reparet, & adaugeat, vt ait Galenus 1. *ſimplic. cap.* 1. ipſum alitum tamen quodammodo non manet cum aliqua diſſimilitudine; quod conſtare videtur ex continua exſiccatione, quæ in noſtris corporibus ab alimento, & aliis cauſis non naturalibus quotidie euenit: quod etiam comprobat Ariſtotel. 1. *de cœlo, cap.* 12. vbi ait: *Quæ contrariis componuntur, alterabilia ſunt, & ab ipſis, quibus conſtant, corrumpuntur.* Quia ergo conſtamus ex ſubſtantia non ſolùm à principiis generationis inſita, ſed etiam ex ea, quæ per alimentum reparatur, quid mirum ſi à ſubſtantiæ naturalis, & ingenitæ qualitatibus alteramur, quod maiorem perpetiamur alterationem à qualitatibus ſubſtantiæ alimentitiæ; quod indicare viſus eſt Angelicus Præceptor 1. *part. quæſt.* 97. *art.* 4. *in corpore*, vbi aſſerit ex Philoſophi mente 1. *de generat.* quod illud, quod generatur ex aliquo extraneo adiunctum ei, quod priùs inerat humido præexiſtenti, imminuit virtutem ſpeciei actiuam, ita vt ea paulatim deper-

*Continuo patimur ab eis, ex quibus conſtamus.*

A dita, ducitur homo in extremum ſenectæ languorem, ac proinde in mortem. Hoc autem fieri non poteſt, niſi ob alterationem alimenti, & aliarum rerum naturalium, vt dictum eſt; & contra hunc defectum ſubueniebatur homini per lignum vitæ paradiſi, quod medicinæ modo hominum prohibebat corruptionem ab alimento ſubortam. Quare cum Galen. 3. *de temperam. cap.* 4. concludimus, alimenta corpora alterare; nam licèt vna, vel altera illius aſſumptione nulla eorum ſenſibilis appareat operatio, temporis tamen tractu eluceſcit, & nos ad ſenectutem perducit. Si enim, vt inquit Galen. mollior aſſiduis ſaxum cauat ictibus vnda, neceſſariò etiam aſſiduis ingeſtionibus alimentorum eiuſdem, & diuerſæ naturæ conſtantium, corpus noſtrum quodammodò immutari debet; de quo plura afferre poſſem exempla: circa hoc lege Philoſophum 3. *de hiſtor. anim. cap.* 21. & 8. *eiuſdem* B *lib. cap.* 28.

Medicamentum ex eodem Galeno 1. *ſimplic.* eſt quod noſtram ſubſtantiam alterare valet, non tamen in illam conuerti, niſi ſimul alimenti etiam rationem habeat.

Venenum verò contrariatur, & opponitur noſtræ naturæ naturali antipathia, & vt omnes ferunt, cordi inſidiatur, & vitæ noſtræ primordia demolitur, vt ait Fernel. *lib.* 2. *phyſiol. capit.* 15. proptereaque à Galen. 3. *de temper. cap.* 4. definitur ſic: *Venenum eſt, quod nulla ſua ſubſtantiæ mutatâ parte, ſed totâ ſeruatâ integrâ, corpus noſtrum corrumpit.* Mercurialis venenum definiens inquit, eſſe mixtum non naturale, cordi inimicum, & humanæ naturæ corruptiuum. Eſſe tamen collocandum in prædicamento ſubſtantiæ ſtatuit 1. *lib. de morbis venen. & venenis, cap.* 5. In vna, & altera definitione ſolùm veneni natura explicatur, C quod abſolutè tale dicitur in quacumque, etſi minima quantitate aſſumptum, & quod eſt à tota ſubſtantia; non verò traditur veneni definitio, quod in quantitate magna oblatum ſolùm interficere valet, vt dicere ſolemus de opio, & ſucco lactucæ, quibus quandoque vti licet in parua quantitate ad ſomnum conciliandum per morbos; nam huiuſcemodi venena non integrè ſeruant ſuam naturam, ſed quandoque vincuntur, & conuertuntur in aliti ſubſtantiam, & alimenti ſubeunt rationem: venenoſum verò medicamentum ſecundùm totam ſuam naturam nunquam vincitur à natura; imò ipſum eam vincit, vt ait Galen. 3. *de nat. facult. capit.* 7. quare licèt aliquibus venenis nutriantur aliqui, vt comprobant hiſtoriæ, & deſumitur ex Galen. 3. *ſimplic. cap.* 18. illa tamen venena non ſunt omninò deleteria, & operantia à tota ſubſtantia; nam hæc totaliter ſunt noſtræ naturæ inimica, neque habent D ſubſtantiæ modum noſtræ naturæ familiarem; quapropter nulla eius pars mutatur, nec vincitur à noſtro calore, neque eſt materia apta nutritioni.

*Venenum quid ſit.*

*Venena an nutrire poſſint.*

Vnde infero, quod quando dicitur, quod puella nutriebatur napello, & vetula Athenienſis cicuta ſuſtentabatur, quæ venena reponuntur inter ea quæ toto genere ſunt deleteria, falsò id aſſeritur; nam aliud eſt, quod nutriantur veneno, aliud verò, quod ipſi veneno aſſuefiant; primum enim pro vero accipi nequit, quia non poteſt fieri nutritio, niſi intercedat ſimilitudo, quæ non reperitur in veneno lethali cum ipſo homine. Secundùm verò benè poteſt contingere, nam poteſt homo primò aſſuefieri minimæ veneni quantitati, deinde maiori, atque maiori, toto vitæ ſuæ tempore; quæ quantitas ad alium interimendum ſufficeret. Tamen hoc venenum aſſuetum, vt excrementitium à natura reiicitur antequam offendat; aliter enim interficeret.

*An detur conſuetudo circa venenum.*

ficeret. Sed quia quidam venenum deuorabant ſine noxa, ideò cenſebant, quod eo nutriebantur. Quodcumque venenum eſt cordi inimicum, & humanæ naturæ corruptiuum, vt docet Galenus 3. *ſimplic.capit.* 18. & licèt aliqua venena priùs aliquas lædant partes, vt cantharides, quæ priùs renes, & veſſicam offendunt, & lepus marinum pulmonem; cum hoc tamen licèt priùs aliquas partes afficiant, in fine tamen cordi vehementer adhærent, neque aliter ex eorum vi mors contingere poteſt, ex Galen. 5. *de locis,cap.* 1. & propterea diximus agentes de qualitate maligna, quod ipſa cordi inſidiatur, & lædit maiori læſione quàm debeatur comprehenſioni noſtri ſenſus.

## §. II.

### *Qualiter venena à tota ſubſtantia operentur.*

SEd quia ſalus noſtra conſtituitur per temperiem accommodatam partibus corporis, in ordine ad vitæ tutelam, & operationes, quibus viuens fruitur, & per compoſitionem partium organicarum ex ſimilaribus, & earundem vnionem ad idem inſeruientem, non poteſt ſalus amitti ſine vnius, vel alterius amiſſione; & propterea in horum trium contrario morbi collocantur, ex Galen. *libro de different. morborum*; ideò cenſendum eſt, venena neutiquam mortem inferre, niſi diſſolutis vel intemperiebus partium ſimplicium, vel compoſitione organicarum, vel denique earundem vnitatibus: ex quibus poteſt ſuſcitari ingens dubium, nam venena toto genere deleteria ſi operantur à tota ſubſtantia, & per qualitatem ſuperantem qualitates elementales, non poteſt diſſoluere temperiem, nec alia naturalia, quia vt ea diſſoluat, & corrumpat, debet habere contrarietatem cum illis: at huiuſmodi qualitas nullam habet oppoſitionem cum qualitatibus elementorum, neque ſub genere qualitatis elementalis comprehendi poteſt: ergo neque eas corrumpere.

*Venefica qualitas non eſt ſub genere qualitatum elementalium.*

Totus iſte diſcurſus patet ex lege contrariorum, quæ debent eſſe ſub eodem genere. Si igitur hæc qualitas non eſt elementalis, non eſt ſub genere proximo qualitatum ad elementa pertinentium; quapropter non poteſt illis contrariari. Diximus enim hanc qualitatem eſſe proprietatem mixti, à forma dimanantem, & eleuatiori modo operari, quàm qualitates elementales. Circa hoc legendus eſt tractatus meus de febre peſtilenti, & maligna, vbi latè egi de modo operandi huius veneficæ qualitatis. Pro nunc tamen ſat eſt huic dubio dicere, quod hæc maligna qualitas eminenter continet qualitates primas, & ſecundas intemperiei cordis aduerſas, quibus vehementer deſtruit cordis intemperiem, ſpiritus corrumpit, & hominem è medio tollit. Neque eſt nouum aſſerere, dari huiuſmodi qualitates, quæ alias virtualiter contineant, vt patet in lumine cœli, quæ virtualiter qualitates alteratiuas continet, & in influxibus planetarum, & aliarum ſtellarum, quæ variè immutant, & alterant hæc inferiora, & mirabiles effectus caloris, frigiditatis, & aliarum qualitatum in ſublunaribus producunt, quas qualitates non obtinent formaliter corpora illa cœleſtia, eo quod incorruptibilia ſunt, & ſolùm gaudent qualitatibus perfectiuis, non verò corruptiuis; vnde ſolùm inferri poteſt, quod his inferioribus impartiuntur per lumen, vel aliam qualitatem ſuperioris ordinis, & excedentis qualitates elementorum: neque iterum huius rei veritas eſt indaganda, cùm ibi ſufficienter ſit probata.

*Maligna qualitas quomodo alterat corpora.*

*Veneni ſubſtantia non operatur, vt cenſet Mercurialis.*

Hoc fundamento reiicitur Mercur. ſententia, dum aſſerit, quod venenum pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ; nam licèt venenum ſit quoddam mixtum ſubſtantiale, & vt tale in ſubſtantiæ prædicamento contineri debeat, tamen vt venenum eſt, debet pertinere ad prædicamentum qualitatis; nam in tantum dicitur venenum, in quantum ſua venefica qualitate operatur, & deſtruit viuens: hæc autem qualitas, cuiuſcumque ordinis ſit, pertinere debet ad qualitatis cathegoriam; non enim ignis calefacit, quia ignis, ſed quia calidus: ergo neque venenum, quia mixtum, ſed quia qualitate venefica eſt affectum, interficit. Neque obſtat, quod operetur à tota ſubſtantia; nam hoc ſolùm dicit operari per proprietatem, ſeu qualitatem à ſubſtantia proficiſcentem; deprehendimus enim ex regulis Philoſophiæ, quod ſubſtantia non eſt principium immediatum operandi in externam materiam; ſed quod neceſſariò illius opus externum eſt immediatè qualitati actiuæ tribuendum.

*Quare veneni ſubſtantia non mutatur, aut corrumpitur in noſtris corporibus.*

Ex hoc principio naſcitur, quod veneni ſubſtantia integrè ſeruetur, vt ait Galenus, & nulla illius pars mutetur; nam ob illius mixtionem, & maximam diſſimilitudinem, quam habet cum homine, & ob qualitatem illius in operando actiuitatem, adhuc in paruiſſima quantitate intra corpus detinetur ſine ſui labe, & corruptione, vt patet in hydrophobia, in qua per plures menſes, & annos intra corpus hominis venenum à canis rabidi morſu, vel à ſaliuæ illius contactu manet reconditum; quod nequiret accidere, ſi vinci poſſet ab hominis qualitatibus. Neque homo habet qualitatem, quâ aduerſetur malignæ veneni qualitati, quia qualitates hominis ſunt elementales; qualitas verò venefica eſt elementalibus altior, quæ cùm virtualiter elementales contineat, poteſt deſtruere alias, ſine eo quod aliquid ipſa perpetiatur; quare licèt venenum aliquam ſubeat alterationem à qualitatibus hominis, quatenus venenum mixtum eſt conſtans ex qualitatibus elementorum, inter quas poteſt eſſe actio, & reactio, quia habent inter ſe contrarietatem; nihilominus ea repugnantia non eſt ſufficiens ad corrumpendum, & deſtruendum mixtum illud venenoſum, atque exitiale, ſicque integrè ſeruatur in qualibet minima parte aſſumptum, vel extrà admotum.

*Quare venenum ad cor peruadit, & per quas vias.*

Dubitabis tamen, & meritò, quanam ratione venenum ad cor peruadit, & quomodo defertur ad illud, & per quas vias. Reſpondetur, ideò ad cor peruadere, eo quod habet proprietatem cordi maximè aduerſam, & inimicam; & licèt immediatè magis accedat ad aliam partem, ex illa ad cor facilè communicatur per motum arteriarum; nam arteriarum dilatatione facilè fertur ad cor, ſpiritibuſque admixtum, eos corrumpit, & cordis motum, & illius temperiem ſubuertit; non quia ex naturæ intentione per ſe attrahatur, ſed per accidens, eo quod arteriæ dilatantur, & per eas fertur. Hæc omnia conſonant dictis Galeni 3. *ſimplicium citato.*

*Quare vnum venenũ ocyus interficit quàm alterum.*

Iterum ſuſcitatur dubium, quomodo vnum venenum citiùs peruadit ad cor, quàm alterum, atque alio citius etiam interficit.

Reſpondeo id ex duplici occaſione fieri. Primò ex diſpoſitione animalis, quæ taliter ſe habere poteſt, vt quamfacillimè virtus veneni toti corpori impertiatur: ad hoc iuuat quammaximè arteriarum dilatatio, quæ ſi magna ſit, vt accidit hominibus calidis, & robuſtis, omne vicinum trahere aptior eſt; tum qui calidæ ſunt temperaturæ, ocyùs etiam attenuant venenum, & illud facilitant ad velociorem motum. Qui verò ſunt temperaturæ frigidioris, arteriarum tractum debiliorem poſſident, atque in minutas particulas veneni ſubſtantiam redigere nequeunt, tardiuſque ad cor permeare valet. Secundò

ex

ex veneni efficacia, illius temperie, ſubſtantiæ modo, & quantitate; ſi enim calidum, & ſiccum ſit, tenueque, & vehementis actiuitatis, & in quantitate ſufficienti, faciliimè cordi communicatum, quamcelerrimè interficere valet. Attamen ſi frigidum, craſſum, non facilè penetrans, neque breui tempore ad cor peruadens, vt opium, ſeriùs interficit; quod non parum iuuatur ex potione vini, vt faciliùs penetret, & citiùs cor attingat. Ita Iacobus Claromont. *tractat. de venenis*, Petrus Salius Diuerſ. *de febre peſtil.* neque diſſonat Galen. *ſuprà cit.*

*Quomodo occultantur venena in noſtris corporibus ſine noxa.*

Demùm vertitur in dubium, quomodo venena quædam, ſiue in corpore genita, ſiue ore aſſumpta, vel aliter adhibita, ſine noxa tamdiu intus occultentur? Hoc dubium tetigit Galenus 1. *prorrhetic. ſectione* 2. *comment.* 17. & 3. *epidem. ſectione* 3. *ſuper* 4. *ægrotum*, vbi inquit, quod venenum ſenſim alterat, & paulatim partes vicinas inficit, temperamentumque partium in prauam qualitatem commutat; interim tamen dum hæc fiunt, & nondum ſunt facta, non elucent veneni perniciosa accidentia; ſi verò iam membri conſtitutio inſigniter ſit peruerſa, repentè ſolent ſæuiſſima accidentia euenire. Propterea que Hippocrates 1. *de dieta*, *textu* 3. aſſerit, morbos non fieri repentè, quia paulatim eorum colligitur cauſa, quâ ſemel collectâ coaceruatim morbi apparent. His addo, quod ſæpè in ignobili membro venenum contineri ſolet, vbi paruam, aut nullam noxam inducit, donec ipſo creſcente, & humores alterante, ſe in partes principes inſinuat, irritataque priùs facultate expellente, ſubitò mortem inducit, vt experimur quotidie in plurimis morbis, qui repentè, vel quambreuiſſimè interficiunt, & in rabie; & aliis, quorum cauſa paulatim, & inſenſibiliter aggregatur, donec ad eam perueniat magnitudinem, vt ocyſſimè partes principes offendens ad interitum ducat. Neque paruam vim habet aſſuefactio circa venenum; nam *quæ longo tempore ſunt conſueta, etſi deteriora, inſuetis minus moleſtant*, ex Hippocrat. 2. *aphoriſmor. text.* 50. Quia ergo aliqua pars ignobilis aſſueſieri poteſt veneno, diu ibi conſeruari poteſt, quouſque maiorem comparans magnitudinem, alias partes alteret, quæ illi non ſint aſſuefactæ, eaſque maximè infeſtet.

*Venenum aſſuetum minus efficit.*

## §. III.

### *Veneni diuiſiones plures referuntur.*

*Veneni prima diuiſio ex animalibus.*

SEd vt clariùs procedamus circa veneni naturam, de qua actum eſt, & circa venenum, quod qualitatibus manifeſtis operatur, veneni diuiſiones adducere oportet; ita enim neque in æquiuoco laborabimus. Multipliciter ergo diuiduntur venena, iuxta diuiſiones traditas à Dioſcoride in procemio ſexti libri ipſius. Primò diuiditur venenum in ea, quæ ex animalibus, mineralibus, & plantis deſumuntur. Ex animalibus ſunt vipera, ſcorpio, ſcorpena marina, lacerta, aſpis, canis rabidus, & alia animalia rabie correpta, cantharides, bupeſtris, amphiſbæna, ſalamandra, rana paluſtris, pinorum eruca, lepus marinum, buffo, phalangium, tarantula, piſces ſuffocati, caro quadrupedis fulmine mortui, vrſi, & lupi felles, cerui extrema cauda, lac in ventriculo concretum, mel venenatum, quod apes ex aconito conficiunt, ligna excisa ex cauernis ſerpentum, quibus vſtis vapor veneficus eleuatus adſtantes interficit. Virus etiam, quod à magnis ſerpentibus illiſis exprimitur, quod ſolo contactu eſt valdè lethale, è quorum numero eſt torpedo, paſtinaca marina, baſiliſcus, dracones, ſcorpiones alati, crocodillus, dipſas, hæmorrhoïs ſerpens, ceraſtes, & aliahuius cenſus.

*Venena ex ſtirpibus.*

Ex ſtirpibus plura etiam colliguntur venena, quæ vel à proprietate ſubſtantiæ, vel catarctica vi, vel qualitatibus manifeſtis homini ruinam parant, vt helleborus, colocynthis, thitymalus, brionia, cyclaminum, braſſica marina, ſoldanella, euphorbium, ſcammonea, elaterium; quæ omnia licèt corpus conſpurcent, immodicè tamen euacuando viuens ipſum deſtruunt. Quæ verò proprietate id efficiunt, ſunt aconitum, hyoſciamus, mandragora, cicuta, meconium, thapſiæ ſuccus, ſolanum, ſardonia herba, quæ ranunculi ſpecies eſt, corniculatum papauer, & buxi vis, & alia huiuſmodi.

*Venena ex mineralibus.*

Ex mineralibus perniitioſa ſunt gypſum, calx, ferri ſcobs, argentum viuum, de quo agimus, ſquamma æris, ceruſa, cinabrium, ærugo æris, auripigmentum, arſenicum, antimonium, ſcobina campanarum, vitrum, adamas, duo ſandarachæ genera, & alia. Sub his venenorum tribus differentiis comprehenduntur omnia venena ſimplicia, ex quibus etiam venefici varia, & diuerſa venena parare ſolent, quæ omnia vel illitu, contactu, odore, aut vmbra offendere ſolent.

*Secunda veneni diuiſio.*

Vlteriùs venenum partitur in ea, quæ operantur à tota ſubſtantia, & ea quæ ſuis manifeſtis qualitatibus. Ita Galen. 3. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 17. *& aliis ſubſequentibus.* Quæ operantur à tota ſubſtantia, non quia calida, nec quia frigida, ſed quia tali virtute dotata, vt inquit Meſues *in can. vniuerſ.* tripliciter ſuum opus perficiunt; quædam enim ſua dira qualitate vitæ deſtructiua operantur, quædam interficiunt fortitudine attractionis, ſicut dicitur de helleboro nigro, & albo; quædam denique occidunt remouendo calorem vitæ, & hæc ſunt, quæ purgant ſanguinem, de quibus agit Gal. *lib. de purgantium medicam. facultat. cap.* 4. vbi refert hiſtoriam hominis cuiuſdam, qui inuenta herba ſanguinem euacuante multos enecauit. Hanc venenorum diuiſionem tradit Auerr. 5. *collect. cap.* 22.

*Venena operantia qualitatibus manifeſtis, & eorum ſigna propo-nuntur.*

Venena quæ qualitate manifeſtâ interimunt, id efficiunt, vel quia calida ſunt, vel quia frigida, vel ſicca. Calida ſitim excitant, ardorem, & febrem pariunt, linguam excoriant, guttur exaſperant, dolores, & vigilias excitant, humidum ſubſtantificum depaſcuntur, ſpiritus reſoluunt, & eos immodico ſuo calore inflammant, corrodunt membra, & ea putrefaciunt, quibus tandem deperditur vita. Frigida calorem naturalem extinguunt, & ſuffocant, ſomnum profundum conciliant, ſanguinem congelant, ſpiritus incraſſant, omnium partium calorem deſtruunt, excrementa detinent, facultatum vitalium operationes impediunt, quibus neceſſariò perit animal. Sicca etiam exprimunt humidum, illudque abſumunt; & cùm ſiccitas ſit lima caloris, & frigiditatis, acuunt calorem, & frigiditatem; plerumque enim venena hæc ſunt etiam calida, vel frigida, quæ ſiccitati adiuncta citiùs, & fortiùs operantur. De humido veneno diſſident Authores. Mercur. 1. *de venenis*, *cap.* 10. Fernel. 2. *de abditis rerum cauſis*, *cap.* 15. contradicunt; nam eſt humiditas lentæ, & remiſſæ actiuitatis, ita vt dolorem per ſe inferre non valeat, vt ſtatuit Galen. 2. *de cauſis ſympt. cap.* 6. & 12. *methodi*, *cap.* 7. neque vllum venenum ad quartum humiditatis accedit gradum, vnde etſi venena quædam ſint à prædominio humida, non tamen ſuâ humiditate deleteria ſunt, ſed quia calida nimis, vel frigida, vel aliâ qualitate ſpecificâ ſunt dotata, cuius ratione interficiunt, quam ob cauſam Auicen. & Petrus Aponenſis inquiunt, quòd venena qualitatibus manifeſtis operantia

rantia interimunt; vel quia calida, vel quia frigida, vel quia ſicca, non quia humida.

*Quædam venena ſimul operantur virtute abdita, & manifeſta.*

Rurſus ſunt alia venena, vt docet Auic. *lib. de medicam. cordi conferentibus*, quæ iis duabus ſunt compoſita, videlicet quia ſimul operantur qualitate occulta, & qualitate manifeſta, quæ omnium maximè periculoſa ſunt, quæ adhuc in minima quantitate aſſumpta, paruâ morâ interpoſitâ peſtifera inferunt accidentia, vt aſſerit Iacobus Claromontanus *tract. de venenis.*

Præterea diuiditur venenum in naturale, & artificiale. Naturale eſt illud, quod virtutem à natura poſſidet ſine artis adminiculo. Artificiale dicitur illud, quod etſi vires veneficas à natura recipiat, venefici tamen induſtria fit, vel aliter paratur, aliiſque commiſcetur venenis, vt citiùs, aut tardiùs interficiat.

*Veneni diuiſio.*

Demùm venena à tota ſubſtantia operantia, ſiue calida, ſiue frigida, ſiue ſicca, aut temperata, toto genere ſunt deleteria, & naturæ inimica, ita vt nequeant ab ipſa ſuperari, adhuc in minima quantitate. Ita Gal. 3. *ſimpl.* Petrus Apponenſis, Auic. & omnes; non tamen in quavis minima quantitate interficiunt omnia, imò ſæpè accidit, quod antequam noxam inferant, natura ea expellat: benè tamen aliqua ita validè operantur, vt in minima quantitate oblata interimere valeant, vt docet Zacutus Hebræus *lib.5. de Medic. Princip. hiſt. quæſt.2.* vbi ex Card. ſententia refert, eſſe venenum quoddam, cuius granum inter decem homines partitum ſpatio quadrantis horæ omnes interficit: huius generis eſt aconitum, quod in occidendo inter reliqua eſt ocyſſimum, vt ait Plin. *lib.27. cap.2.* & Ruelius *lib.3. de natur. ſtirp. capit.113.* in quo omnes conueniunt.

*Nota vim veneni.*

*Venena frigida in parua mole nutrire valent.*

Quæ verò tantùm frigida ſunt, neque operantur à tota ſubſtantia, ſi quantitate non excedunt, à natura ſuperari queunt, vt communiter fertur de lactucæ ſucco, qui in multa quantitate exhibitus, ſuâ frigiditate cor diſtemperare, & ſpiritus condenſare poteſt, & mortem inferre; in pauca verò facilè ſuperatur, & coquitur à natura; non enim habet ſubſtantiæ modum naturæ contrarium, atque adeò eo nutrimur, vt ait Galen. 3. *ſimplic. cap.18. & 19.*

*Venena calida an poſſint nutrire.*

De calidis venenis maius dubium inſurgit, an ſcilicet à noſtra natura ſuperentur in parua quantitate aſſumpta. Ea equidem, vt talia ſint, debent eſſe quarto gradu calida, & ſuo calore inurere, vt ait Galen. 3. *ſimplic. cap. vltimo.* Breuiter tamen huic dubio fiet ſatis ex Galen.3. *ſimplic.cap.19.20. & 22.* vbi ait, quod putrefacientia, ſi quantitate minima ſumantur, omninò tamen corrumpunt, quia videlicet, quæ putredini obnoxia ſunt, calore, & humiditate putreſcere ſolent; & quia nihil vtile habent, & maximè noſtræ aduerſantur naturæ, ideò adhuc in minima quantitate nutrire nequeunt. Neque obſtat, quod cepæ, & allium, quæ quarto gradu calida ſunt, vincuntur à natura, ita vt nutriant; neque corrodunt, neque exulcerant intus aſſumpta, vt ex Gal. accepimus 3. *de temperam. cap.3.* nam dum intus aſſumuntur, eorum ſubſtantia acris, & erodens ſeparatur tanquam excrementum, & per aluum, & vrinam excernitur antequam eroſionem cauſet; & cùm huiuſmodi ſubſtantia ſit alteri admixta, qua eius vis frangitur, & vlteriùs moueatur de parte in partem, ideò læſionem non infert. Neque hæc doctrina opponitur iis, quæ dixi de calidis medicamentis, ſeu venenis, quæ in minima quantitate adhuc non valet natura vincere, eo quod ſunt totaliter ipſi naturæ aduerſa; nam hæc doctrina docet, quod medicamenta hæc, vt ſynapis, cepæ, allium, &c. licèt ſint quarto gradu calida, tamen ipſa habent etiam rationem alimenti, & propterea non ſunt omnimodè naturæ inimica, ſed quodammodò familiaria ſecundùm aliquam partem, licèt ſecundùm aliam, videlicet erodentem, & quarto gradu calidam inuincibilia exiſtant, & veneni calidi vim habeant. Quapropter ſi hæc ſubſtantia calida nimis intrò detineretur alicui parti adhærens, abſque dubio eam exulceraret, ſicuti exulcerat partem externam, dum ei applicatur, vt quotidie obſeruamus. Et vt hæc longa finiatur tractatio, quæcumque venena, quæ in qualitatibus, & modo ſubſtantiæ naturæ aduerſantur, ſiue calida, ſiue frigida, humida, vel ſicca, incorrigibilia ſunt à natura, licèt ab ea, dum potens eſt, poſſint trudi, & ad extra pelli; quæ verò tantùm frigida exiſtunt, in parua quantitate ſuperantur, quæ alimentitia ſimul ſunt, aliter verò minimè; ſicca verò, vel humida, calori adiuncta, inſuperabilia ſunt, ea enim vel partem corrodunt, inurunt, vel putrefaciunt, aut tanquam noxia à natura ſecernuntur.

*Venena quædam calida nutriunt, quia alimentitia ſunt.*

*An ſublimatum ſit calidum & ſiccum.*

His iam præhabitis, non erit difficile argenti viui ſublimati naturam cognoſcere. In primis quantùm ad illius qualitates manifeſtas, quibus operatur, conueniunt omnes eſſe calidum, & ſiccum in quarto gradu, proptereaque ignis mortuus ab aliquibus nominatur, eo quod licèt non actu, potentiâ tamen ignis vires habet, corroditque & vrit ſicuti ipſe ignis, ſitimque incompeſcibilem ingerens in viſceribus cauma ingens excitat, ſpiritus reſoluit ac deſtruit, vt oſtendit Lacuna *in Dioſc. lib.5. cap.69. & lib.6. cap.28.* Redditur calidum, quia fit per ſublimationem ex ipſo argento viuo, ideóque ſublimatum vocitatur. Quanam autem ratione differat diſtillatio à ſublimatione alicuius rei, docet Quercet. *libr. 1. pharmac. dogm. cap.4.* conſtituens differentiam inter vtramque actionem. Quia ergo nimis calefit argentum viuum, & ab eo vapores ſicci in altum attolluntur, igne appoſito, neque in aquam degenerant, vt accidit in diſtillatione, ſed puriores, ſiccioreſque, & ſplendidiores fiunt, adhærentque ad vaſis operculum, & ad illius latera, quo ſublimationis genere vtimur in rebus terreſtribus, ſicque ſublimantur ſulphura volatilia, & ſales volatiles; ideò per ſublimationem hanc ab igne factam argentum viuum fit ſublimatum, & intensè ſiccat, & vrit, deperditque temperiem, quam ante ſublimationem habebat, & aliam ab igne recipit, ratione cuius ignis appellatur mortuus.

*An operetur per virtutem abditam.*

Quantùm attinet ad proprietatem occultam, vt certum tenendum eſt, argentum viuum habere miram virtutem aduerſus morbum gallicum, & eo extincto vtimur in vnctionibus, quæ ad huius morbi curationem parantur. Ex quo facilè infertur, ipſum virtute abditâ operari; opponitur enim morbo, qui in qualitate occulta conſiſtit, qui auferri non poteſt, niſi per remedia à qualitate occulta operantia, vt ſatis probauimus *in praxis lib.1.* Similiter mouet violenter per vtramque aluum, imò & per ſudorem, & per ſputum; quod nequit facere per qualitates manifeſtas, præſertim cùm nondum definitum ſit, an calidum, vel frigidum ſit. Quia ergo purgat, vt alia medicamenta fortia purgantia, & omnia vi abditâ, & quia talia ſunt, purgant; idem eſt afferendum de hoc medicamento, quod non interficit eo quod non habet qualitatem deleteriam cordis viribus oppoſitam; ſi enim illud eam poſſideret, nullus mentis compos eſſet, qui per os illud offerret, adhuc in minima quantitate, vt ſæpè faciunt aliqui, non ſine noxa; nam ſuo pondere diſrumpit, & exulcerat inteſtina, quapropter eius vſus omnimodè eſt fugiendus. Neque ad extra tutò eſſet applicandum, ſi eſſet ex venenis, quæ clam inſidiantur principio vitæ; nam

nam facilè ob illius penetrationem eius venefica virtus per carnis, & cruris poroſitates, & arterias ad cor deueniret, & interficeret. Eſt ergo venenum in magna quantitate exhibitum, quia maximè corpus perturbat, & humores euacuat, vireſque deiicit, vt reliqua medicamenta fortiter purgantia, vt helleborus vterque, ſcammoneum, colocynthis, &c. Quæ omnia immodicè euacuando interficiunt; attamen tanta eſt vis huius medicamenti, quod extrà admotum immodicè euacuat, vt quotidie obſeruatum eſt, neque eo vtimur, niſi cùm alia non proſunt auxilia, & attentè nimis adminiſtrari debet.

*Argentum viuum ratione quantitatis poteſt eſſe venenum.*

Ex iis deduco, quod dum argentum viuum ſublimatur, licèt ſuâ virtute attractiua, quâ fruitur, vt reliqua medicamenta immodicè euacuantia, humores agitet, & corpus nimis conturbet, & per omnes corporis regiones humores euacuet, vireſque proſternat, ita vt facilè mors ſubſequatur; & ex alia parte ſuo ingentiſſimo calore, & ſiccitate ſpiritus reſoluat, & interiora adurat; nihilominus non conſtat, quod aliquâ aliâ vi abditâ veneficâ cordi oppoſitâ operetur, ſed ſolummodò collocari debet inter venena corroſiua, calida, & ſicca, quæ interiùs corrodunt, vrunt, exulcerant, ſpiritus abſumunt, & celerrimè hominem perdunt. Huius rei veritas conſtat ex remediis, quæ aduerſus hoc venenum aſſumuntur, quæ ſimilia ſunt iis, quibus intendimus auferre venena alia corrodentia, quæ ſuo calore, & ſiccitate, & eroſione deſtruunt. Ita Lacuna *in 6. Dioſcorid. cap.* 28. in quibus ſtatim procurandus eſt vomitus, vt ait ipſe Dioſcor. *lib.6. cap.*1. agens de cantharidibus; ſic enim poterit reiici venenum antequam corpus inficiat. Id conſequitur potu olei, hydrelæi, vel ſi per tempus licuerit, potu decocti agarici, ſeminis raphani, & oleo; deinde vtendum eſt abſtergentibus & refrigerantibus, vt eſt ptiſanæ ſuccus, vel lac caprarum in maxima quantitate, vel ſuccus lactucæ, portulacæ, peponum, & cucurbitæ, mucilaginis, ſeminis pſillij, citoneorum, & altheæ in aqua hordei extractæ. Ad idem valet decoctum maluarum, violarum, & hordei cum ſaccharo, vel grana decem alkekengi in aqua hordei diſſoluta, & bibita, & alia huiuſmodi; quæ omnia qualitatibus manifeſtis operantur: in quem finem adhibentur potiones frigidiſſimæ, & clyſteres ex eiſdem rebus parati. Ex quo claret, hoc venenum non eſſe ex iis, quæ operantur qualitate occulta; ſiquidem omnia illius accidentia, & veneni vis, à qua dependent, per qualitates manifeſtas vincuntur. Sine his tamen remediis liberatus fuit noſter æger, quia cœpit breuiſſimè euomere, & alias facere euacuationes, quibus ſimul reiecit venenum, imò & à morbo gallico liber euaſit, non ſine ratione; nam cùm hydrargyrum ſit potentis virtutis aduerſus morbum gallicum, & ſublimatum ſit argentum viuum, non mirum, quod euacuando humorem gallicum, ipſum ſublimatum in potione ſudorifica radicitùs morbum euelleret.

*Sublimatū habet vim purgandi immodicè, & immodicè calefacit, & vrit.*

*Sublimatum non eſt venenum à proprietate occulta.*

Ante tamen quàm ab hoc caſu recedam, meritò inquirere poſſumus, an venenum veneno ſit remedium. Cui dubio ſic ſatisfaciendum ſuadeor. Vel venenum extrà opponitur, vel intus ſumitur. Si extrà applicetur, multùm prodeſſe ſolet, vt dixi in curatione febris peſtilentis, referuntque nonnulli tempore peſtilentiæ, hydrargyrum cordis regioni appoſitum latenti odio venena fugare; idemque aſſeruimus de ſublimato, de quo Lacuna affirmat *tract. de peſte*, quod præſeruat & liberat à peſte, vt periculum fecit Ioannes Luſitanus Medicus antiquus, qui tempore peſtis ſecum deferens prope cor ſublimatum, liberatus fuit à peſte: propterea Galen. *lib. de theriaca ad Piſonem*, *& de antidotis*, ſæpe pronuntiat, quod viperæ caro illius morſibus medetur, & iecur rabidi canis eius auxiliatur morſui; & ſcorpius illius ictui aduerſatur. Ioannes Baptiſta Theodoſ. refert, quod Papa Adrianus ſe à peſte liberauit geſtatione arſenici ſupra cor. Vbi etiam ait, id euenire ratione conſuetudinis; nam cor veneno aſſuetum minus ab altero veneno offenditur, nam ab aſſuetis non fit paſſio, & quæ longo tempore ſunt aſſueta, inſuetis minùs moleſtant, ex Hippocr. 2. *aphor. text.* 50. Galenus tamen 5. *ſimplic. cap.*18. ea iuuare ſimilitudine ſubſtantiæ ad ſe venenum alliciendo ſtatuit; quo autem ex iis modis fiat, non eſt facile inquirere.

*An venenum veneno curetur.*

Vel venenum intrò aſſumitur, quo caſu non quodlibet venenum veneno reluctatur, imò ſi ambo eadem vi, & temperie polleant, citiùs interficient, vt ſi aſſumatur priùs opium, deinde cicuta, aut mandragora, aut ſi poſt ſublimatum exhibeatur auripigmentum; tamen ſi contrariam ſortiantur temperiem, ita vt vna valeat deſtruere aliam, & inter ſe habeant antipathiam, non mirum ſi vtriuſque vires refrangantur, & veneni vires deperdant; & hoc modo intelligendus eſt Plinius *lib.*25. *natur. hiſt. cap.*4. & *lib.*27. vbi aſſerit aconitum in vino epotum ſcorpionis ictui aduerſari, quod eâ eſt naturâ, vt hominem occidat, niſi inuenerit, quod in homine perimat; ſi verò intus duo ſint venena mortifera, ambo commoriuntur, & homo viuit. Idem eloquitur *lib.* 20. *cap.* 13. ſed de hac annotatione hæc ſint ſatis.

*An poſt veneni aſſumptum, alterum venenum poſſit offerri ad extinguendum primum.*

## OBSERVATIO XIV.

*De quodam agricola, qui cadens ex alto, apoplexiâ correptus forti, ſtatim in ſtupendam, & à me anteà non viſam paralyſim incidens, intra quatuor dies mortuus fuit.*

QVidam agricola ex alto inopinatè retrorſum cadens, ictum magnum cum contuſione in occipite recepit, qui ſtatim in terram cadens, ſenſu, & motu fuit orbatus, & quaſi mortuus iacens ſine vlla ferè reſpiratione, non tamen in pulſu habuit mutationem inſignem; ſed imò potius, vt referebant præſentes, pulſum habebat magnum, in reliquis differentiis mediocrem, ſeu naturalem. Vnâ tamen horâ, vel paulò minùs, tranſactâ ab hora caſus, cœpit cognoſcere, loqui, reſpirare, & audire, ita vt ex iis actionibus facilè erat colligere, caput iam liberum euaſiſſe à morbo; habebat enim has actiones inculpatas. Tamen incolumi ſeruatâ reſpiratione in omnibus partibus infrà caput amiſit ſimul motum, & ſenſum, ita vt in illis pateretur exquiſitiſſimam paralyſim; & licet biberet, & comederet, non tamen potum, aut cibum appetebat, neque ſentiebat noxam ex excrementis fæcalibus, aut ſeroſis, neque ea reiiciebat; quapropter illi venter intumuit partim ex cibo & potu aſſumptis, partim ex retentione excrementorum, & flatuum, qui continuò generebantur. Neque enemata, neque ſuppoſitoria ſentiebat, qui tamen tertio die cœpit habere difficilem reſpirationem, deindeque quarto die obiit.

### ANNOTATIO.

EX Dictis in hac obſeruatione conſtat, hunc ægrotum vi lapſus magni retrorſum in fortem incidiſſe apoplexiam, quia omnimodè priuatus fuit ſenſu, & motu, & ſine reſpiratione remanſit; quod ſignum

ſignum eſt indicium primæ ſpeciei apoplexiæ, vt docet Galen. 2. *aphor. com.* 42. vbi ait: *In apoplexiis totum corpus repentè ſenſu priuatur, ac motu, ſolùm reſtat anhelitus, qui ſi & ipſe prohibeatur, maxima eſt, & acutiſſima hæc apoplexia.* Et quia in praxi diximus, vitam à reſpiratione ſeparari nequire, ideò hic æger ſine anhelitu erat morti vicinus, neque ob aliam rationem Hipp. ibi dixit, *apoplexiam fortem ſoluere eſt impoſſibile, debilem verò non facile.* Neque oportet nunc apoplexiæ differentias, & illius cauſas ad vnguem examinare, cùm ibi à nobis ſufficienter enumerentur; ſufficit ergo dicere, quod huiuſmodi ſymptomata à nobis enumerata procedunt ab obſtructione cerebri, vel inflammatione, vt ait Galenus *loco proximè citato.* Et licèt ibi aſſerat, humorem pituitoſum eſſe obſtructionis cauſam, adducit tamen frequentiorem; nam ex aliis cauſis originem trahit, vt omnes admittunt. Fierique etiam poteſt ex humore ſanguineo, imò & à quocumque humore, vt tradit Auic. *fen.* 1. 3. *tractat.* 2. *cap.* 5. quare etſi bilis ſua tenuitate obſtruere non poſſit, ſua multitudine id efficere poteſt. Quod ſi à flatu apoplexia procedere poteſt, meliùs oriri valebit à bile, ſiquidem flatus tenuior eſt bile. Quod verò flatus ſit apoplexiæ cauſa, manifeſtat Galen. 6. *aphor. com.* 51. vbi aſſerit, *cauſam referre oportet in primis ad humorem flatuoſum.* Cùm ergo in ventriculi, & cerebri ſubſtantia humor, vel alia cauſa obſtruens contineatur, ſtatim impeditur virtutis influentis deſcenſus per neruos, indeque inſurgit motus, & ſenſus priuatio, vt ait Gal. 3. *de locis, cap.* 7. & 2. *aphor. cit.* Quod ſi fortè ſuperueniat ſine cerebri, & ventriculorum eius obſtructione, vel inflammatione, non erit apoplexia per propriam capitis affectionem producta, ſed per conſenſum, de qua ſpecie apoplexiæ egit Hipp. 4. *de ratione victus, textu* 25. vbi ait, quod autem quis repentè obmuteſcat, id venarum interceptiones, & occluſiones faciunt, ſi ſanè abſque occaſione contigerit. Galen. *in comment.* transfert hunc ſermonem ad apoplexiam.

*An apoplexia fieri poſſit ex obſtructione carotidum, iugularium-que venarum.*

Circa tamen huius apoplexiæ per conſenſum productionem non immeritò dubitari poteſt, an ex cauſa à nobis propoſita poſſit inſurgere; nam licèt vaſa illa iugularia, ſiue venæ, ſiue arteriæ ſint, comprimantur, aut obſtruantur, vel præſcindantur, non inde infertur priuatio ſenſus, & motus; quod patet, nam etſi ſpiritus vitales per illa cerebro communicentur, ad animalium ſpirituum generationem, non ſequitur, quod ipſis deficientibus ceſſet animalium ſpirituum procreatio, habent enim materiam aliundè demandatam; gignuntur enim ex aëre attracto per reſpirationem, & reſpectu horum ſpirituum dicuntur nares principium alimenti ab Hipp. *lib. de alimento*, qui etiam poterunt refici ex materia vaporoſa alimentitia, quomodolibet ad cerebrum delata; nam ſicuti partes craſſæ nutriuntur alimento craſſo, cum quo maiorem habent analogiam, ſic ſpirituum ſubſtantia tenuis reſarcitur ſubſtantiâ tenui, & vaporoſa, cum qua maiorem habet ſimpathiam, ex Gal. 3. *de temper. cap.* 3. quare ſi ſpiritus animales non deperduntur, neque ceſſabunt actiones ſenſitiuæ, & locomotiuæ. Præterea iſte morbus, vt obſeruatum eſt, ſubitò fit, & ſubitò ſoluitur; nec ob aliam rationem Gal. 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 7. aſſerit, non poſſe fieri ab intemperie, niſi quia intemperies paulatim introducitur ob contrarij reſiſtentiam, & propter eandem rationem non poteſt ſolui ſubitò: ergo dato caſu, quod ipſi ſpiritus animales ob cauſam dictam paulatim deficerent, ex eorum defectu paulatim etiam fieret ſen-

A ſus, & motus priuatio, atque adeò apoplexia non fieret ſubitò, cuius oppoſitum omnes tuentur.

Hæc tamen non cogunt recedere à commun dicendi modo; quare ad primum dicimus, reuerà ex aëre, & vaporoſa ſubſtantia gigni poſſe ſpiritus animales, non tamen in quantitate debita pro actionibus ſenſitiuis & locomotiuis, niſi eorum generatio fiat ex ſpiritibus vitalibus: in quem finem natura conſtruxit illud cerebri rete mirabile, tot arteriis implicitum, & ſpiritibus plenum, vt ex ipſis animalium ſpirituum fieret progenies; eſt enim ſpiritus vitalis copioſior, & præſtantior materia ad aliorum generationem, quâ deficiente, paulatim animales ſpiritus euaneſcunt, & denique ſenſus, & motus deficit, vt in apoplexia.

*Quomodo intelligitur, quod apoplexia fiat ſubitò.*

Ad ſecundum reſpondeo, quod illa particula, *ſubitò*, non negat apoplexiam paulatim poſſe produci, ſed ſolùm denotat, quod vt fiat apoplexia, B non eſt neceſſe, vt alter præcedat morbus, ſed quod fiat nullo alio morbo præcedente. Verumtamen ſi ex morbo per conſenſum paulatim iſte affectus introducatur, vt in noſtro caſu, & ibi ſigna adſint apoplexiam demonſtrantia, neceſſariò fatendum eſt, apoplexiam quandoque, non ſubitò, & affatim introduci.

## §. I.

### *Apoplexia an fiat ab intemperie nuda.*

VErùm hæc aſſertio videtur admittere, quod apoplexia poſſit fieri ab intemperie nuda; ſiquidem intemperies nuda paulatim poteſt cauſare priuationem ſenſus, & motus, quod eſt contra Galenum *loco proximè citato*, vbi aſſerit, quod non fit ab intemperie hic affectus, quia ſubitò fit, C & ſubitò ſoluitur: ergo ſi non petit fieri ſubitò, ſed paulatim introduci poteſt, poterit quidem intemperies aliqua hunc affectum procreare. Et confirmatur, nam ſomnus præter naturam, & modum excedens fit ex frigiditate, & humiditate: ita Galen. 2. *aphoriſm. comment.* 3. vbi ait, ſomnum fieri refrigerato cerebro; ſi autem adiungatur humiditas, lethargicas parit affectiones: idemque ſtatuit 3. *de locis, capite* 5. ex quibus ſic poteſt efformari ratio. Nam ſi huiuſmodi intemperies lethargum parit, per maiorem intenſionem valebit producere carum, in quo ſomnus profundior percipitur; & per vlteriorem apoplexiam inducere poterit: ſi enim in lethargo, & caro eſt ſenſus, & motus priuatio, dum cauſa per intenſionem valentior fit, maiorem priuationem ſenſus, & motus cauſare valebit, quo tempore iam non carus, ſed apoplexia nominabitur.

Huic difficultati ſic ſatisfaciendum cenſeo. Galenus quidem quando loco allegato aſſerit, pro- D pter rationem adductam apoplexiam fieri non poſſe ab intemperie, quia apoplexiam ſubitò fieri dixit, verum fatetur in ſenſu à nobis explicato; nam dum fit ab intemperie, non poteſt fieri ſubitò, hoc eſt, non poteſt fieri ſine eo, quod alter morbus præcedat; nam intemperies frigida, & humida, cui poterat tribui apoplexiæ generatio, per prius producit lethargum, quià minori frigiditate procedit; deinde carum, & poſtea dum maiorem adquirit intenſionem, apoplexiam gignit; ex quo infertur Galeni intentum, videlicet quod iſte morbus non fit ſubitò ab intemperie, ſed paulatim: primò vnum producendo morbum, deinde apoplexiam. Neque obſtat obſtructionem huius morbi cauſam incipere à minori ad maiorem;

nam licèt minor obſtructio poſſet cauſare priùs lethargum, quàm apoplexiam, verumtamen ita breuiſſimè illa obſtructio adaugetur, vt nullus alter morbus ſenſibiliter præcedat; ſed dum ad ægrum peruenimus, iam eum apoplexia eſſe correptum iudicauimus.

*Cauſa apoplexiæ in hoc ægro proponitur.*

His præmiſſis, ad cauſam, ſeu occaſionem, quâ noſter æger laborauit deueniendo, certum eſt, quod ex caſu, & vulneratione in capite paſſus fuit magnam cerebri commotionem, & conſequenter ſpirituum diſſipationem, ſimulque humorum commotionem ad caput, ita vt ora venarum aperirentur, & humores in cerebri ſubſtantiam, & ventriculorum cauitates facilè confluerent. Quod ſi ex caſu ita violentò diſruptæ aliquæ venæ fuere, citiſſimè potuit obſtrui cerebrum, & excitari hic immedicabilis morbus: neque vllus dubitat, quod cerebrum in hoc affectu ſit pars affecta. Ita Gal. 4. *de locis, cap.* 2. & 3. *de locis, cap.* 7. Neque poteſt eſſe totalis amiſſio ſenſus, & motus, quin principium ſit in cauſa, vt æger ſine ſenſibili reſpiratione, & abſque ſenſu, motuque inſtar cadaueris iaceret.

*Quare ex apoplexia fuit facta paralyſis.*

Verumtamen cùm apoplexia in paralyſim terminari ſoleat, ex Galen. 4. *de locis, capit.* 2. natura ſibi parans vias, cùm tamen nihil didicerit, dum poteſt, facit quæ expediunt, vt ait Hippocrates 6. *epid. ſection.* 5. ideò ſuas vires colligens ſubitò vnâ horâ tranſactâ à caſu, humorem totum in capite contentum ad initium ſpinalis medullæ tranſmiſit, vt ſic ſe à prohibita liberaret reſpiratione, & vitam morti iam vicinam reſtauraret; ſicque cerebrum incolume redditum potuit ſuas exercere operationes, liberéque reſpirare: tamen cùm humoris quantitas, quæ ad ſpinalis medullæ ortum fuit impulſa, eſſet multa, totalem ſpinalis medullæ obſtructionem cauſauit, ita vt omnimodè (nulla virtute à cerebro per ſpinalis medullæ neruos ratione obſtructionis tranſeunte) ſenſus, & motus fuit deperditus in omnibus partibus inferioribus, itaque permanſit veluti ſi totum corpus, capite excepto, fuiſſet mortuum; & cùm non ſenſiſſet irritationem, vel moleſtiam ab excrementis ſeroſis, & fæcalibus, ea intra corpus detenta ſimul cum maxima copia flatuum, ægrum ad ſuffocationem, & ad interitum duxerunt, impeditoque motu ſepti tranſverſi, iterum cœpit difficilè reſpirare, quovſque amiſſa totaliter reſpiratione obiit.

*Quare in tanta partium obſtructione libera euaſit reſpiratio.*

Sed non eſt facile inuenire rationem, ob quam in tanta humorum quantitate obſtructionem in ſpinalis medullæ exortu cauſante, poſtquam caput exoneratum fuit, potuit reſpiratio reddi libera; nam vt ex anatome didicimus, & conſtat ex Galeno, Auicen. & aliis, inſtrumentum præcipuum reſpirationis eſt ſeptum tranſverſum, ſine cuius motu æger facilè perit, & mouendi virtutem recipit à quinta coniugatione neruorum, quæ naſcitur inter iuguli quartam, & quintam vertebram: & idem ſtatuo de motu thoracis, ſine quo reſpiratio fieri nequit, vt agentes de ſublimi reſpiratione abſoluimus. Quomodo ergo potuit reſpirationem deperditam reſtaurare, expulſione facta humoris à cerebro in ſpinalem medullam, à qua ortum habent nerui reſpirationi dicati? Siquidem tanta in ipſis obſtructio fuit producta?

Reſpondetur tamen, eadem ratione, quâ cerebrum à ſe excuſſit illum humorem, vt vitam fini vicinam non perderet, cuius deſtructio in reſpirationis defectu erat conſtituenda; ita ſimiliter natura prouida, ſine doctore docta, humorem illum tranſmiſit ad ſpinalem medullam, vt liberaretur cerebrum, à quo omnium partium influxus depen-

A det in ordine ad ſenſum, & motum, & ſine quo viuere non poſſet: tamen quia id conſequi nequiret, niſi reſpiratio adeſſet, in quantum potuit, neruos reſpirationi inſeruientes ab obſtructione præſeruauit; nam vt pronuntiat Boëtius *de Philoſoph. conſolat. Dat cuique natura, quod conuenit, & laborat ne intereat.* Quapropter licèt tanta obſtructio facta fuiſſet in ſpinalis medullæ exortu, & neruis, omnes conatus appoſuit natura, vt reſpirationem immunem redderet, ſicque reſpirare cœpit, donec ex ſuperueniente flatuum, excrementorumque, cibi, & potus retentione fuit cohibita reſpiratio, & mortuus æger.

*Boëtius.*

*Pulſus magnus in difficili reſpiratione, quare factus.*

Non eſt difficile tamen reddere cauſam, ob quam in defectu reſpirationis accidit pulſus magnus, vt contigit huic ægro; nam vt diximus in noſtris prælectionibus, reſpiratio, & pulſus ſunt ad eundem finem: ita Galenus *libro de cauſis reſpiration.* & *de vſu pulſuum, capite* 2. reſpiratione
B ſiquidem, & pulſu caloris moderationem in corde conſeruamus; vnde ſi reſpiratio deficiat, non mirum, ſi pulſus adaugeatur, vt quotidie obſeruare ſoleo in aſthmate, & in aliis affectibus, in quibus locum habet reſpiratio difficilis; imò mirari non deſinam, cur ſimul non haberet pulſum magnum, celerem, & crebrum, vt ſic maior eſſet aëris attractio, celerior, & frequentior, vt ſuppleret aërem per reſpirationem attrahendum.

*Prognoſticum.*

Quantùm ad prognoſticum ſpectat, facile erat prædicere imminentem mortem, cùm propter ſenſus & motus defectum, nullum excrementum à ſe reiiceret, neque eius ſentiret noxam, à quo neceſſariò breuiſſimè ſuffocari deberet, neque remedia vtilitatem aliquam præſtabant, neque mediis illis excrementa reiiciebat.

*Curatio an deberet incipere à magno auxilio.*

C Circa curationem poterat excitari dubium, an huic ægro eſſet adhibendum aliquod magnum auxilium, nempè venæ ſectio, aut purgatio ſtatim à caſu; neque aliter poterat ſuccurri, neque detrahi humor ad caput confluens. In hoc caſu vt certum teneo, ſtatim ipſum debere euacuari venæ ſectione ex vtraque humeraria, vt impediretur maior humorum ad cerebrum commotio, præſertim cùm humorum fluentium retractio ſit medela, ſicuti eorum, quæ iam partem obſederunt, deriuatio, ex Galen. 2. *de art. curat. ad Glauc. cap.* 1. & cùm apoplexia hæc fuiſſet acutiſſima, & magna, non aliter quàm magnis remediis eſſet pellenda: & cùm omnes Authores in qualibet apoplexiæ ſpecie venæ ſectionem ſtatim imperent, neutiquam erat differenda, præſertim cùm non eſſet purgationi locus, neque æger poterat potionem purgatiuam aſſumere. Similiter *lib. de euac. rat. per ſanguin. miſſionem, cap.* 10. caſu, ſeu lapſu
D ex Gal. decreto ſtatim ſanguis eſt mittendus, ne ratione doloris ad partem confluat dolentem; atque adeò non erat differenda venæ ſectio, à qua ſe abſtinuit phlebotomus, cùm videret ægrum ſine reſpiratione, timens ne ex ſanguinis extractione ſtatim periret æger, & talis euentus eius adſcriberetur errori; ſicque lapſa fuit occaſio eo ſtatu mittendi ſanguinem, neque ibi erat Medicus, à quo conſilium accipere poſſet.

§. II.

## §. II.

### *An venæ ſectio in paralyſi conueniat ex latere patiente.*

ITerum dubitari poteſt, an tranſactâ illâ apoplexiâ, & in paralyſim totius corporis (capite excepto, vt dixi) terminatâ, deberet euacuari per ſanguinis miſſionem? Et ratio dubitandi eſt, nam in paralyſi licèt Authores conſulant venæ ſectionem, non tamen venam ſecant ex latere affecto, ſed ex latere incolumi; at in hoc caſu vtrumque latus patiebatur noxam, quapropter non remanebat aliqua pars ſana, ex qua poſſet ſanguis extrahi. Hoc dubium facilè ſoluitur, aſſerendo eo in caſu non minùs conferre venæ ſectionem, quàm in apoplexia; & ratio eſt, nam in apoplexia mittimus ſanguinem ex vtroque latere, etiamſi in vtroque ſit ſenſus, & motus priuatio, quemadmodum contigit huic ægro: ergo licèt in paralyſi vtrumque latus ſit motûs, & ſenſûs expers, poterit exerceri venæ ſectio. Vlteriùs hic morbus erat magnus, cui æquè magno remedio ſuccurri deberet, quale eſt ſanguinis miſſio.

*Morbus magnus æquè remedio magno ſuccurri debet.*

Neque inconuenit, quod humores efficientes paralyſim ſint extra venas, cauſant enim obſtructionem in neruorum exortu, ac per conſequens nequeunt venæ ſectione ſeparari à loco obſtructo, cùm venæ ſectio ſolùm euacuet humores intra venas contentos, qui ſolùm habent rationem cauſæ antecedentis, non autem cauſæ coniunctæ; nam hæc reſoluentibus, & diſcutientibus parti admotis tolli debet. Hoc, inquam, non obſtat; nam ſæpè in morborum curatione, dum ab humoribus pendent, intendimus remouere cauſam antecedentem morbi, euacuatione vniuerſali factâ, ne adaugeat morbum illius adhæſus ad cauſam coniunctam; vnde in febribus interpolatis, dum ſanguinem mittimus, extrahimus humorem in venis contentum, qui cauſæ antecedentis rationem habet, ne poſteà in putredinem tendens fiat cauſa coniuncta. Neque benè infertur: Eſt humor extra venas: ergo nequit per venarum ſectionem euacuari; nam in apoplexia humor eſt impactus in ventriculorum cerebri cauitatibus, & in ipſius cerebri ſubſtantia, & nihilominus ſanguinis miſſione euacuari ſolet; nam per eaſdem vias, per quas humor ille apoplexiam commouens fuit extra venas propulſus, poterit iterum à facultate naturali expultrice ad eaſdem venas tranſmitti; eſt etiam noſtrum corpus tranſpirabile, vt ait Galen. 1. *de facultat. natur.* & omnes partes vnius compoſiti habent inter ſe mutuum conſenſum, ex Hippocrate *lib. de alimento*: quare natura deonerata venæ ſectione poterit humorem illum extra vaſa exiſtentem iterum ad ipſa impellere, itavt ſectione venæ euacuetur.

*Sanguis extra venas venæ ſectione poteſt auferri.*

Dices: ergo in paralyſi tutum erit ſanguinem mittere ex parte paralyſi affecta, cuius oppoſitum ſtatuunt omnes praxim exercentes? Reſpondeo, quod ſi aliter fieri non poteſt, vena eſt tundenda ex eodem latere affecto, quia neceſſitas vrget euacuandi humores, & impediendi ne denuò confluant; vtrumque conſequitur venæ ſciſſione à quacumque parte. Verumtamen ſi eſt pars oppoſita libera, ex ea maiori cum ſecuritate ſanguis eſt extrahendus; nam reuellitur humor ad partem oppoſitam, & meliùs impeditur motus ad affectam partem; proptereaque Rondeletius capite de paralyſi aſſerit, quod ſi paralyſis ſit in medietate linguæ, in parte ſana vena eſt ſecanda; ſi verò tota lingua eſt reſoluta, ex vtraque parte vena eſt ſcindenda. Idem docet Paulus *libro* 3. *capite* 18. quibus aſſentitur Mercatus.

A

Sed licèt hæc doctrina ab omnibus ſit recepta, videlicet, quod in linguæ reſolutione ex eadem lingua poteſt fieri ſanguinis miſſio, & idem poteſt affirmari de ſanguinis miſſione facta in alia parte reſoluta; nihilominus ſine controuerſia admitti nequit, de quo puncto egi in praxi, tractatu de paralyſi, inter dubiola à me ibi propoſita, vbi aſſerui in linguæ reſolutione haudquaquam licere vti ſectione venarum, quæ ſunt ſub lingua. Nam in primis hoc remedio non eſt vtendum in principio; nam hoc remedium eſt topicum, & particulare illius partis, per quod, quod eſt in parte impactum, euacuatur; quapropter interdici debet quovſque fiat vniuerſalis euacuatio ex vaſis maioribus; aliter enim maior ad partem fieret attractio; neque ob aliam rationem vniuerſalia remedia debent fieri ante particularia, cuius ſortis eſt venæ ſectio ex ipſa parte affecta, vt inquit Galen. 3. *de locis affectis*, *cap.* 3. Præterea cùm humores ad partem confluant affectam, eos reuellere decet, quod non conſequitur venæ ſectione ex eadem parte; nam ſi quò non oportet, humores vergant, eos reuellere docet Hipp. 6. *epidem. ſect.* 1. quare ante euacuationes vniuerſales neutiquam hoc remedium eſt exequendum, neque in paralyſi partis determinatæ eſt ſecanda vena in principio ex eadem parte.

*Quid tenendum.*

B

Contra hanc tamen doctrinam inſurgit Zacutus Hebræus *libro* 1. *praxis hiſtoriarum*, *cap.* 10. qui licèt aſſerat, quod phlebotomia eſt celebranda ex latere oppoſito, & ſaniori, tamen in paralyſi ex apoplexia ſequuta ſecanda eſt vena ex latere affecto, quia totius curationis cardo verſatur circa motum naturæ inſequendum: at quia mouet humorem ad partem affectam, ex venæ ſectione ex eadem parte commiſſa maiorem molietur vtilitatem: neque timeas (inquit) attractionem humoris, quia venæ ſectio vacuat ex venis, non verò ex neruis.

*Zacuti ſententia.*

C

Salua tamen tanti Hebræi pace, mihi eius diſplicet opinio, cùm ſit contra omnium benè ſentientium placitum, quia omnes aſſerunt in quacumque paralyſi, dummodo ſanguis mitti debeat, eſſe mittendum ex latere ſano. Ita Alexand. Maſſarias, Mercatus, & alij. Neque erit tutum humores mouere verſùs partem reſolutione tentatam; nam ſic ad ipſam partem maior ſit humorum recurſus, & augebitur paralyſis. Quod ſi nihil euacuat ex neruis, ſed ex venis, vt iſte Author aſſerit; neque euacuabitur ex capite, in quo fit apoplexia; neque poterit iuuare naturæ motum, cùm per talem euacuationem non extrahatur humor extra venas in capite, & neruis exiſtens; ſed ſolùm euacuetur humor intra venas contentus. Quapropter mihi conſentaneum videtur, humorem euacuare ex parte ſana, & humorem ad affectam fluentem reuellere; ſic enim cerebrum liberatur à ſarcina, & membrum paralyſi tentatum minùs offenditur. Neque ex hoc ſequitur, quod motus humoris ad partem affectam reſolutione impediatur; imò potiùs impeditur, ne maior illius quantitas ad caput permeet, ex quo naſcitur, quod cerebrum faciliùs deoneretur, quia minùs recipit, propter reuulſionem factam ad partem contrariam. Quod ſi æger eſt iam liber ex toto ab apoplexia, & humor totus iam eſt receptus in parte affecta paralyſi, crudele quidem erit partem illam ſanguinis miſſione debiliorem reddere, eiuſque calorem deſtruere; ſic enim difficiliùs poterit morbi materiam euincere. Quapropter ſiue paralyſis fiat ex apoplexia præcedente, vt frequentiùs fieri ſolet;

*Illius improbatio.*

D

ſolet, ſiue aliter, dummodò non ſit, quod impediat, phlebotomia eſt exercenda ex latere ſaniori.

*Ratione, ob quas non eſt ſecanda vena in paralyſi ex latere affecto, proponuntur.*

Si verò ſit ſermo de phlebotomia facta ex parte affecta, tranſactis vniuerſalibus euacuationibus, ita vt ſit remedium particulare illius partis, adhuc non debet admitti, propter rationes à nobis traditas in praxi, quas repetere in præſenti non erit abs re, quibus alias addere conabimur, vt magis noſtrum placitum confirmetur. Si enim primò hoc remedium eſſet procurandum, maximè vt remedium euacuans humorem paralyſim facientem; hoc autem non conſequitur cum tali remedio: nam humor ille eſt extra venas, in exortu neruorum, vel ſpinalis medullæ; & licèt poſſit iterum ad venas repelli, raro, aut nunquam accidit, quia frequenter talis humor eſt craſſus, tenax, & rebellis naturæ, ita parti adhærens, vt non poſſit venæ ſectione attrahi, & euacuari. Secundò ſi venæ ſectione velis hunc humorem euacuare, tali euacuatione euacuatur ſanguis contentus in venis ſpiritibus plenis, qui ſuo calore deberet ipſum humorem diſcutere, & reſoluere, ex quo potiùs infrigidatur pars, & humor obſtruens non poteſt reſolui ob defectum caloris. Tertiò, nam omnes Authores conueniunt, quod remedia particularia debent eſſe diſcutientia, & reſoluentia, vt ille humor, cuiuſcumque ſortis ſit, reſoluatur: at ſanguinis miſſio potiùs infrigidat partem, vt dictum eſt: ergo neque poterit humorem ipſum reſoluere, & diſſipare. Quartò, quia ſanguinis miſſionem reformidamus ex parte affecta in principio, ne debilitetur pars, & perfrigeretur: ergo propter eandem rationem debet prohiberi aliis temporibus. Quintò, nam omnes Authores in parte affecta apponunt vnguenta, & emplaſtra, cucurbitas, & alia huiuſmodi, vt ipſam partem roborent, & calefaciant: totum hoc deficit ex venæ ſectione, quia pars debilitatur, & infrigidatur; imò plura generabit excrementa præ defectu caloris. Sextò, nam in parte affecta vtimur frictionibus, vt ſuſcitetur illius calor, & ſanguis attrahatur ad ſui alimoniam; aliter enim pars contabeſcit, & extenuatur, vt diximus in praxi, ex Auic. mente, cuius contrarium facit venæ ſectio, quia tollit calorem & ſanguinem partis, & nutritionem impedit. Denique quia Authores nullam rationem afferunt ſufficientem ad ſanguinem mittendum: lege Paulum, Aëtium, Rondeletium; ex recentioribus Maſſariam, Mercatum, & alios, qui ſolùm conſulunt remedium eſſe faciendum, non tamen quâ ducuntur, rationem proponunt. Neque ſufficit dicere, quod ſi homo naturâ ſit ſanguineus, vt ait Mercatus agens de linguæ paralyſi, poſſumus ſecurè linguæ venas ſcindere; nam licèt ex ſanguine initium ſumere poſſit reſolutio, ſanguis tamen ille eſt

A craſſus, & extra venas, & raro, aut nunquam poterit per venas euacuari; ſed parte frigidiori redditâ, ille ſanguis ad diſcuſſionem ineptior efficitur. Quapropter tutius eſſe cenſeo à venæ ſectione partis affectæ quomodolibet abſtinere.

*An eſſet hic æger purgandus.*

In calce tamen huius annotationis poterit verti in dubium, an hic æger eſſet purganti medicamento euacuandus poſt venæ ſectionem? Et ratio dubitandi eſt, nam medicamentum purgans, vt humorem euacuet, debet irritare naturam, & eam ad expulſionem excitare; quam irritationem natura perſentire debet: at tunc temporis natura habebat abolitam ſentiendi actionem, atque adeò eam irritationem minimè percipere poterat, ac per conſequens neque humorem expellere; debet enim purgatio fieri medicamento trahente, & natura expellente, ex Galen. 1. *aphoriſm. comment.* 22. Vlteriùs cùm ad humorum expulſionem per infernam aluum ſit neceſſarius motus muſculorum abdominis, B & podicis, & iſte fieri nequeat ex defectu influxus cerebri requiſiti ad illum, videtur tanquam certum, quod iſte humor non poſſit euacuari purgatione.

Fateor equidem difficilè poſſe medicamentum purgans in tali euentu offerri, ob rationes proximè adductas; attamen cùm morbus ſit acutiſſimus exactè, & extremis morbis extrema exquiſitè remedia conueniant, ex Hippocrat. 1. *aphoriſm. text.* 6. & in morbis periculo plenis periclitari liceat, ex eodem, *lib. de loc. in homine*; & ex alia parte, vbi ratio non reſtituit, temeritas iuuat, ex Celſo, pronuntiato priùs periculo, exhibere medicamentum purgans forte non recuſarem, vt ſic humores ad partem affectam irruentes reuellerem, & in parte impactos ſecundùm quod poſſibile foret, euacuarem; non enim tanto malo aliter poterat ſubueniri. Quapro- C pter viribus conſtantibus pharmacum exhiberem forte, vt virtutem conſopitam ſenſibilem excitaret; fortaſſe etenim ſubſequeretur euacuatio, ita vt æger poſſet reſtaurari; ſin minùs aliàs, quod futurum erat, id ipſum perpetietur, vt ait Hippocrates *loco proximè citato*: neque eſt poſſibile omnes homines ſanos reddere, vt ipſe teſtatur 1. *prognoſt. in proœmio.* Quapropter facta ſufficienti euacuatione per ſanguinis miſſionem, illicò medicamentum purgans propinarem: neque poterat differri remedium, cùm morbus nullas dat expectandi inducias. Sed quia dum ad ægrum perueni, habebat iam difficilem reſpirationem, & imminebat ſuffocationis periculum, & habebat ventrem tumentem, & excrementis, & flatibus plenum, cum vrinæ retentione, non auſus fui ei offerre aliquod pharmacum purgans, ſed ſolùm ægrum prognoſticis eſſe relinquendum iudicaui. Si alia requiris, ea pete ex capite de apoplexia, D & paralyſi.

LIBER

# LIBER SECVNDVS.

## Obſeruationum , & Annotationum ad Philoſophiam , & ad Medicinæ praxim attinentium.

### OBSERVATIO I.

*De quodam Aduocato fluxione catarrhali ad fauces , & aſperam arteriam laborante, cum tuſſi, & raucedine , ita vt non poſſet coram Senatus Iudicibus defendere lites.*

*Hiſtoria proponitur.*

CAVSIDICVS , ſiue Aduocatus quidam , quem perorantem plauſu, & acclamatione celebri omnes proſequebantur , voce clara , & ſonora quæ dicebat coram Iudicibus , adſtantium aures alacriter audiebant. Hic ergo in nocte ſerena , & frigida ad diem calidum ſubſequuta iter egit , cœpitque manè ſentire caput grauatum , tuſſim paruam , qua reiiciebat per ſputum pituitam craſſam , & viſcidam ; & loqui volens raucam formabat vocem , neque poſtea , niſi voce ſubmiſſa nimis , pronuntiare valebat. Cùm ergo non poſſet egenorum , & aliorum cauſas agere , & defendere , neque à Iudicibus audiri , & in hoc eius fœnus , ſeu lucrum eſſet conſtitutum , neque ſine hoc poterat benè , & oppiparè humanæ vitæ curſum tranſigere , à me poſt aliquorum remediorum vſum auxilium petiuit , vt ſe ab hoc liberaret morbo , quem ſuſcepi curandum , vt in annotatione ſequenti notum fiet. Erat ætate iuuenis , natura bilioſus , ſtudiis vacans , ad hunc morbum procliuis , ita vt illi facilè grauaretur caput, habebatque ventris adſtrictionem , quæ etiam huius mali cauſam præſtabat.

### ANNOTATIO.

PLura notatu digna circa hunc caſum ſunt proponenda, neque aliter hic æger, vel alter quiuis poterit ſanitatem recuperare ; quapropter agere decreuimus de fluxione catarrhali , & de accidentibus illam conſequentibus , ſimulque de eius cauſis, & curatione, vt ſic optatum finem aſſequi poſſint ægrotantes. Catarrhus igitur idem eſt , quod diſtillatio ; latiùs tamen patet diſtillatio , quàm catarrhus : nam diſtillatio eſt decurſus cuiuſcumque humoris ex quacumque parte , & in quamcumque partem incidere poteſt. Catarrhus verò eſt nomen commune ſolùm diſtillationi , quæ ad nares , vel ad pectus delabitur, vt docet Galen. *libro de cauſis ſymptom. capit.*4. ita vt quando à cerebro , & capite in partes aſſignatas defluxerit humor aliquis , vel excrementum , tunc catarrhus vocitetur. Aduertere tamen oportet , quod vt catarrhus ſit, non oportet quod humor , qui effluit ex cerebro in aliam partem ex dictis , excernatur ; ſed ſolùm ſufficit , quod à cerebro in eam partem dilabatur : ſæpéque conſpicimus homines fluxione ad nares tentatos,

*Catarrhus quid ſit.*

A vel ad aſperam arteriam , non tamen aliquid excernere : propereaque Capibac. *lib.*1. *c.*28. catarrhum vocat in genere omnem fluxionem à cerebro extra cerebrum , ſiue detineatur , ſiue egrediatur. Pro horum tamen maiori intelligentia notare oportet, quo in cerebro duplex oritur excrementorum craſſorum genus ; vnum ex optima cerebri nutritione , quod per nares , & aures expurgatur ; aliud ex inualida coctione , quando ſcilicet alimenta ad caput aſcendentia nullam , vel debilem alterationem ſubeunt ; qui defectus reduci poteſt ad cerebri intemperiem, vel debilitatem , vel ad alimenta vitiata , vel ad vapores craſſos ad caput aſcendentes, vel ad vtrumque: hæc enim omnia cùm capita aggrauent , facilè excitant humorum defluxum ad prædictas partes , ita vt

*Excrementum cerebri craſſum duplex.*

B ſi procidat in fauces , vel laryngem , appelletur raucedo , ſeu bronchos ; ſi in nares , inſurgit affectio græcè dicta coryza , & latinè grauedo ; ſi verò humor decumbat in os , & aſperam arteriam , catarrhus , ſeu diſtillatio dicitur. Quod ſi Paul. *lib.* 3. *cap.*28. appellat catarrhum , vel diſtillationem, dum humor in fauces , vel palatum deſcendit, non inconuenit , dummodò res intelligatur, non enim eſt quæſtio de nomine.

Hic humor ex capite defluens conſtituit ſymptoma ſecundi generis , in retentis ſcilicet ,ſi in parte, in quam decidit , retineatur ; ſi verò excernatur , eſt ſymptoma in excretis. Sed quia ſecundum ſymptoma ſupponit primum, qui in actione læſa conſiſtit, actio læſa , quæ datur in cerebro , eſt facultatis expultri-

*Diſtillatio quod ſymptoma ſit.*

*Quæ actio lædatur in catarrho.*

C cis , quæ deprauatè operatur : & licèt ſit talis expulſio neceſſaria , vt caput alleuietur , & propterea naturalis appareat ; nihilominus eſt actio præter naturam, quæ vt ſic fiat , ſupponit morbum in cerebro, & cauſam præternaturam facultatem pellentem irritantem ad illius expulſionem. Neque cerebrum tantam habet capacitatem , vt intra ſe tantam humoris craſſi copiam contineat , niſi in ipſo fiat obſtructio , quæ ſit maioris mali cauſa , à qua vt liberetur, inſurgit cerebrum , & concitatur ad humoris excretionem. Datur inſuper coctio vitiata , ſeu diminuta cerebri ; non enim poteſt concoquere iſtos humores, vel quia ſunt multi , vel quia craſſi , & rebellis naturæ , aut quia facultas concoquens eſt debilis. De-

D bilitatur tamen aut propter aliquam cauſam internam , aut externam , vt aſſerit Galen. 3. *de cauſ. ſympt. cap.*1.

Pars affecta in hoc morbo eſt cerebrum , quod quia ſupra ſitum eſt , & cauum , ac rotundum exiſtit, humiditates , & vapores ex toto corpore amplectitur, propereaque Hippoc. *lib. de glandulis,* inquit , quod cerebrum eſt ſimile glandulæ ; eſt enim habile ad recipiendum ex toto corpore , ſicuti glandulæ , quæ huic fini dicantur ab Authore naturæ. Sed quia cerebrum eſt pars princeps , functionumque animalium ſedes, & debet eſſe immune ab omni

*Pars affecta in catarrho.*

*Cerebrum quare habeat plures vias.*

ſuperfluo recremento, ideò natura fabrefecit caput ductibus plurimis conſtructum, vt per illos excrementa deponeret, videlicet per nares, aures, oculos, os, pectus, ſpinalem medullam, & venas, vt ipſe Hipp. aſſerit *loco proximè cit.* Cum his tamen facillimè homo incidit in hanc affectionem; nam etſi per huiuſmodi vias deponat excrementa, per eaſdem etiam alterationem ſubit à cauſis externis, & internis continuò alterantibus.

*Cur inter animantia homo magis ſternutat.*

Dubitat tamen Ariſt. 10. *ſection. probl.* 53. cur animantium homo maximè ſoleat ſternutare, & in catarrhalem diſtillationem cadere? Reſpondet, quod homo habet caput ſurſum, in quod à calore cordis, & aliarum partium eleuantur vapores, & caput replent, ibique refrigerantur, & concreſcunt, in pituitamque vertuntur, & fluxiones commouent; reliqua verò animalia (auibus exceptis) non habent caput erectum, neque in ſublimi poſitum, atque adeò vapores, & humores diffunduntur per totum corpus æqualiter; cæterorum autem animantium aues maximè grauedinem ſentiunt, quòd formam corporis maximè ſimilem hominibus gerunt; verùm minùs quàm homines afficiuntur, quoniam caput magna ex parte deorſum tenent, vt quæ victum à terra petere ſoleant.

## §. I.

### *Catarrhi cauſæ quæ?*

SEd quia ex dictis nondum conſtat, quo morbo afficitur cerebrum in hac fluxione, ideò illius cauſæ ſunt inueſtigandæ. Gal. 3. *de cauſis ſympt. cap.* 3. cauſam coctionem impedientem recenſens, aſſerit eſſe duplicem; internam vnam, & externam aliam: illa quæ eſt interna, vel eſt intemperies excedens quælibet, frequenter tamen eſt intemperies frigida & humida, vel frigida & ſicca; nam hæc deſtruit calorem naturalem, cuius munus eſt coctio, ex Ariſt. 4. *meteor. cap.* 2. Poteſt etiam eſſe intemperies calida & ſicca, vel calida & humida; nam coctio fit à calore naturali, & ſymmetro, qui dum aliquem gradum præter naturam adquirit, à proportione debita recedens, non poteſt coctionem agere, atque adeò plura reſultant excrementa ex alimento non commutato; frequenter tamen contingere ſolet ex intemperie frigida & humida, vel ex calida, & humida, vel ex frigida tantùm, vel ex humida tantùm, ſiue ſint cum humoris conſortio, ſiue ſine illo.

*An catarrhus conſiſtat in intemperie nuda.*

Quod ſi dicas, ad diſtillationem non ſolùm requiri in parte diſtemperiem, ſed etiam humorem, qui defluat ex illa parte in aliam, aliter enim iſte morbus non poterit habere ſymptoma ſecundi generis, in excretis ſcilicet, & retentis; nam intemperies nuda ſine humoris affluxu nequaquam habet ſibi adiunctum ſymptoma in excretis, aut retentis: ergo cum hic morbus ſit cerebri affectus, à quo in ſubiectas partes humor impellitur, non poteſt conſiſtere in intemperie nuda, neque eſſe ſine humoris conſortio.

Reſpondetur, ita eſſe ſicut argumentum probat; tamen dum cerebrum intemperatum eſt, facilè fruſtratur concoctricis actio, breuiſſiméque congregantur plurima excrementa craſſa, quæ huic diſtillationi initium præbent: rigorosè tamen antequam ex cerebro in partes ei ſubiectas non fit humoris excrementitij tranſmiſſio, non poteſt appellari catarrhus; nam vt ſuprà diximus, catarrhus non diſtinguitur à diſtillatione: neque ex eo ſolùm, quod quis habeat intemperiem nudam cerebri, dicimus eum habere catarrhum, quovſque illum ex ſignis deprehendamus; nam Medicus cùm artifex ſenſualis ſit, & à poſteriori, & per ſigna demonſtret, non poteſt comprehendere iſtam affectionem antequam eam ex fluxione in hanc, vel illam partem dignoſcat.

*Cauſæ internæ catarrhi proponuntur.*

Vitiatur igitur cerebri coctio à plurimis cauſis internis; ventriculus enim frigidus ad cerebrum mittit vapores, qui cerebrum diſtemperant, & infrigidant. Similiter viſcera præternaturaliter affecta. Alui adſtrictio idem præſtat, ex Hipp. 6. *epidem. ſect.* 3. Habitus corporis calidus, & humidus, item ætas puerilis idem præſtant, præſertim cùm inordinatè cibum pueri aſſumunt, & intempeſtiuè agitantur. Cerebrum etiam calidum plurimos ad ſe allicit humores, quibus cerebrum repletur; & in vniuerſum quidquid vitiare poteſt cerebri coctionem, poterit etiam hunc morbum producere, ſiue per ſe id efficiat, vt quælibet immodica intemperies; ſiue per accidens, vt quilibet morbus inſtrumentalis.

*Cauſæ externæ aſſignantur.*

Sed quia frequenter à cauſis externis iſte morbus habet initium, eas referre oportet. Quæ enim frigida ſunt, vt glacies, & nix, tuſſes, & diſtillationes mouent, ex Hippocr. 5. *aphor. text.* 24. frigidumque inimicum eſt cerebro, ex eodem ibi, *text.* 28. ideóque hieme fiunt grauedines, raucedines, & tuſſes, ex eodem 3. *aphor. text.* 23. Similiter auſtri auditum habetant, & capita grauant, ex Hippocr. ibi, *text.* 5. idque faciunt ſuo calore, & humiditate; nam quæ calida, & humida ſunt, facilè caput replent, ex Gal. *in comm.* Præterea ſi præceſſerit æſtas ſicca, & aquilonia, autumnus verò fuerit pluuioſus, & auſtralis, ad hiemem fiunt tuſſes, raucedines, atque grauedines, vt dictat etiam Hippoc. ibi, *text.* 13. ſicuti enim calor liquat, & humores aptiores reddit ad motum, ita frigiditas comprimendo caput exprimit materiam inutilem ad loca capiti ſubiecta. Vtrumque etiam, tam calor, quàm frigiditas cerebrum diſtemperando illius interturbant coctionem, pluraque congregant excrementa, quæ ſunt harum fluxionum cauſa.

*An frigiditas materiam exprimendo cauſet diſtillationē.*

Cæterùm hæc doctrina Mercato diſplicet, qui licèt dicat Hipp. *lib. de locis in homine*, & Galen. 3. *aphor. com.* 12. aſſeruiſſe, quod frigiditas, imò & ſiccitas compreſſo capite exprimit humores, & ex illis fluxiones in partibus capiti ſubiectis mouet; hoc tamen iudicat impoſſibile, nam ab ipſa frigiditate priùs congelarentur, & calor extingueretur, neque viuo animali cerebrum tantam frigiditatem ſuſtinere quit. Verumtamen hæc doctrina ſano modo intellecta veriſſima cenſetur; non enim negari poteſt, quod denſitas, & compreſſio facta ratione frigiditatis, vel ſiccitatis exprimat ſubſtantiam in poroſitatibus, vel cauitatibus aliis contentam; ſiquidem ratione denſitatis, & compreſſionis cauitates illæ minores redduntur, atque adeò ſubſtantia in illis imbibita exprimi neceſſariò debet, aliter enim fieret penetratio vnius quantitatis ad aliam; proptereaque dum ſpongia aquâ plena manibus comprimitur, ſtatim à ſe reiicit aquam, ne detur aquæ cum ſpongia penetratio. Neque ex hoc infertur, quod humor à frigiditate, & ſiccitate congeletur, imò magis attenuatur, & fluxibilior fit ratione caloris intra detenti; nam cùm per denſitatem, & cauitatum minorationem ſubſtantia humoralis exprimatur, nequit infrigidari ita, vt congeletur; atque adeò cùm exprimitur, neceſſe eſt, vt ad aliam partem defluat; & quamuis viuo animali cerebrum tantam frigiditatem comparare nequeat, vt condenſetur, partes tamen externæ benè poſſunt à frigiditate condenſari, & ſic exprimi ſubſtantia in poris partium

partium externarum imbibita, & trudi ad cerebrum, & ex cerebro ad partes ei ſubiectas, ita vt frigiditas occaſionaliter ſaltem fluxionem excitet catarrhalem, ad quam iuuabit calor actione antiperiſtatica intra detentus. Neque ob aliam cauſam ventres hieme, & vere ſunt calidiores, vt explicat Gal. 1. *aphor. comment.* 15. & aquæ frigidæ multa perfuſio curat articulorum dolores, & conuulſionem æſtate media, iuueneque bene carnoſo, ex eodem 5. *aphor. com.* 21. & 25. niſi quia denſando poroſitates, & cauitates partium externarum, & eas comprimendo, calidum detinet effluuium. Si ergo condenſantur partes illæ externæ, neceſſariò debet exprimi quidquid in poroſitatibus earundem partium continetur, debetque impediri ob eandem rationem ſpirituum, & vaporum ad extra euacuatio; & propterea calor interiùs intenſiuè, & extenſiuè adaugetur, & ſic ab illa frigiditate neque calor extinguitur, neque humor congelatur, ſed potiùs calor adaugetur, tum extenſiuè, quia maior copia ſpirituum, vaporum, & fuliginum intrà colligitur; tum intenſiuè, quia calor ille magis vnitus fortior redditus magis reſiſtit frigiditati, à qua antea remittebatur; qui calor humores attenuando, eos promptiores reddit ad motum, & ſic facilè fluxiones incitantur.

Ex dictis claret, quantam vim habet aër ad excitandum hunc affectum, dum eſt calidus, & humidus, frigidus & humidus, vel calidus tantum, aut frigidus, vel humidus tantùm. Rarò tamen accidit, quod detur aër cum vna ſimplici qualitate, ſine alterius conſortio. Hipp. *lib. de aëre, locis, & aquis,* damnat hiemem, quia fluxionibus eſt parata ſua frigiditate, & humiditate; imò & ver, quod ſuo calore, & humiditate humores diffundit, & liquat; & autumnum propter illius varias mutationes, quibus cerebrum diſtemperatur, & illius coctiones interturbantur.

Præter huiuſmodi cauſas aliæ dantur, vt otium, ciborum repletio, ebrietas, & ſomnus longus poſt cibum, edulia caput replentia, vt lacticinia, olera, & legumina. Maxima etiam vociferatio ſolet eſſe huius morbi cauſa, commotis humoribus ad cerebrum, vt ſæpe in me expertus fui in ſcholis, dum vt præſes aliquibus concluſionibus defendendis aſſiſterem.

*Prognoſticum.*

Quantùm ad prognoſticum attinet, ſcimus ex Hipp. 2. *aphor. text.* 40. *Quod raucedines, & grauedines in valde ſenibus coctionem non admittunt.* Et propterea in aphoriſmo antecedenti dixerat: *Morbi qui illis accidunt longi, magna ex parte comitantur ad mortem.* Sunt enim morbi hi pendentes ex humoribus frigidis, quos neque coquere, neque vincere calor quit: in aliis ætatibus, vtpote calidioribus, non ita difficulter vincuntur. Celſus ait inter omnes diſtillationes eam eſſe deteriorem, quæ in fauces irruit, qualis fuit ea, quâ noſter æger laborabat. Mercurialis aſſerit, eſſe deteriorem, quæ in pulmonem præcipitatur; non tamen, vt ipſe cenſet, eſt contra Celſi dictum; nam poſtquam ipſe dixit, quod ſi humor in fauces diſtillat, peius eſt, ſtatim ſubdit: *Interdùm etiam in pulmonem, quod peſſimum eſt.* Deinde in eodem capite nihil peſtiferum eſſe aſſerit, niſi quod pulmonem exulcerauit. Ex materia fluente etiam maior, aut minor ſequi ſolet noxa; nam ſi diſtillatio fiat ex pituita ſalſa, aut permixtione alicuius humoris mordacis, deterior eſt, eo quod magis offendit partes, in quas ſeſe inſinuat humor. Si etiam ſternutamenta, & coryzæ præire, & ſubſequi videantur in morbis pulmonis, malum eſt; in aliis morbis bonum, ex Hippoc. 2. *prognoſt. text.* 49. nam in affectibus pulmonis facilè offenditur pulmo ex diſtillatione à capite orta; in aliis morbis potiùs ſignificat ſternutatio robur naturæ expellentis, ex Galeno *in eodem comm.*

*An lienoſi afficiantur catarrho.*

Inſurgit tamen dubium, quod etiam tetigit Mercur. ex Hipp. 6. *epidem. ſect.* 2. *text.* 52. aſſerente, lienoſos, hoc eſt laborantes liene, minimè affici coryza. Galen. relictis, & reprobatis antiquorum placitis aſſerit, duplici de cauſa id euenire. Primò nam quoties aliqua pars eſt inſigniter læſa, facilè excrementa in illam tranſmittuntur à natura, ita vt reliquæ partes maneant illæſæ, & incolumes: quapropter laborante nimis liene, non facilè ægrotat cerebrum, dummodo non ſit aliqua cauſa, verbi gratiâ, quæ ita offendat caput, vt facilè incidat in hunc, vel alium affectum. Sic ſimiliter ſi caput facilè grauedine tentatur, & habet innatam debilitatem, aut tempore contractam, rarò lien patitur, propter eandem rationem. Secundam rationem affert Galenus, nam lienoſi ſemper abundant humoribus craſſis; at verò grauedine affecti abundant humoribus tenuibus; ex quo fit, quod ſi quis corripiatur morbo ab humoribus craſſis orto, non corripiatur morbo ab humoribus tenuibus, & è contra. Sed licèt hæc Galeni doctrina vera appareat, non implicat contrarium, cùm ſæpè accidat, quod lien in ſe colligat excrementa craſſa, & iecur gignat humores ſubtiles, qui caput petentes, in ipſo, & ab ipſo excitatur hic, vel alter affectus; neque tunc tales humores, etſi tenues, pellentur à natura in lienem, ſed potiùs in caput, quo in caſu non tenebit verum Gal. dictum. Alibi nos diximus Hipp. doctrinam non eſſe vniuerſaliter accipiendam, ſed in plurimum eſſe veram; idemque ſtatuendum de propoſita doctrina.

## §. II.

### *Catarrhi ſigna proponuntur.*

Sed quia non ſolùm oportet quomodocumque cognoſcere catarrhum in communi, ſed illius ſpecies in particulari, & materiam fluentem; ideò ſigna tam communia, quàm particularia adducere non eſt difficile, cùm ſenſibus manifeſta ſint. Communia ſunt dolor capitis, grauitas, præcipuè ſi fiat ab intemperie frigida, & humida, quibus adiungitur ſomnus grauis. Veniunt etiam conſideranda ea, quæ præceſſerunt, vt otium, ebrietas, ciborum repletio, temporis conſtitutio, eo modo, quo in ſermone de cauſis actum eſt. Quod ſi præceſſerit calor immodicus, qui humores attenuat, & fluxiles reddit, & mox ſubſequitur nox frigida, ſeu conſtitutio aquilonia, catarrhum gignit ſua frigiditate humores tenues exprimendo ex vna parte in aliam, vt in ſeipſo expertus fuit noſter æger, vt ex eius conſtitit relatione. Inter cruditatis, & catarrhi cauſas Ariſt. 1. *ſect. probl.* 16. ponit aquarum mutationes; cùm enim cerebrum humidum ſit, & aqua ſimiliter humida, cruda, & incoctilis, dum mutatur, cerebrum perturbat, & humectat. Sed quia poteſt mutatio hæc fieri ex aqua non laudabili in laudabilem, & quæ faciliùs permeet, & minùs immoretur in ſtomacho, ſicque minùs cerebrum offendat, ideò meritò Ariſt. dixit *mutationes aquarum,* nobis inſinuans, quod vna tantùm mutatio non eſt ſufficiens, imò poterit eſſe ſalubris; ſed cùm plures aquarum mutationes fiunt, modò vnius aquæ, modò alterius, ipſæ cerebrum infrigidant, & humectant, & catarrhum excitant.

*An mutationes aquarum gignant catarrhum.*

*Signa particularia.*

Signa cuiuſcumque fluxionis catarrhalis in particulari ſic ſe habent, ſi in nares dilabatur humor coryzam, ſeu grauedinem faciens, cognoſcitur ex pruritu narium, ex ſternutatione, & narium obturatione, & humore diſtillante. Si deſcendat in

fauces, dignoſcitur ex raucedine, vocis aſperitate, & faucium; ſicuti ſi deſcendat in aſperam arteriam, & in palatum, ex anhelitus difficultate, & tuſſi deprehenditur. Si verò fluat ad ſtomachum, deprehenditur ex vomitu, aut nauſea, inappetentia, & alui fluxu. Si in ſpinam, comprehenditur ex dorſi dolore, & ſæpe vertebræ ratione humiditatis excidunt à proprio loco, & impeditur deambulatio. Quia ergo noſter æger habebat raucedinem, & vocis, & faucium aſperitatem cum tuſſi, exiſtimare oportet, terminum ad quem fluxionis fuiſſe fauces ſimul cum aſpera arteria. Materiam ad partem fluentem cognoſcimus ex modo ſubſtantiæ illius, & ex qualitatibus primis, & ſecundis, quibus conſtat. Ex ſubſtantiæ modo, vt ſi fluat humor tenax, aut viſcidus, & nimis adhærens partibus, qui ſignificat huius morbi cauſam eſſe humorem craſſum, qui tardiùs, & difficiliùs euinci poterit. Si verò ſit humor fluens, tetenuis, & aquoſus, ſignificat humorum cruditatem in cerebro, quæ etiam difficilè ſuperatur, quia ſignificat debilitatem caloris non potentis concoquere ipſum humorem crudum; coctio enim craſſitudinem parit, ex Ariſt. 4.*meteor.cap.*2. Hi enim humores, vt expellantur, debent priùs concoqui, & ad mediocritatem reduci; proptereaque dicitur ab Auic. *fen.*1. *lib.*4. *tract.*2.*c.*7. *Coctio in materia craſſa eſt adæquatio eius cum ſubtiliatione; coctio in materia ſubtili, eſt illius adæquatio cum in craſſatione.* Quæ doctrina præſertim intelligenda venit de materia, ſeu humore euacuando per vim facultatis motiuæ animalis, vt demonſtrat Galen. 4. *de locis affect. cap.* 8. *in curat. pleuritidis*, vbi inquit, quod humor craſſus, niſi valida tuſſi excerni nequit, quia nimis partibus adhæret: tenuis etiam inter tuſſiendum à ſpiritu diuiſus refluit, neque recipere poteſt impulſum à natura. Vt ergo expellatur, reduci debet ad mediocritatem; quo tempore illa mediocritas humoris coctionem oſtendit, tuncque facilè eiicitur, & expellitur, cùm ex ſe non ſit aptus in aliti naturam conuerti.

*Signa deſumpta ex ſubſtantiæ modo, humore, & ex qualitatibus primis & ſecundis.*

Ex qualitatibus primis etiam cognoſcimus cerebri affectionem, & humoris peccantis naturam; nam ſi calidus ſit humor, non ſolùm in cerebro ea percipitur caliditas, ſed in parte ad quam irruit humor; & idem ſtatuo de frigiditate, & aliis qualitatibus. Similiter ex qualitatibus ſecundis ad primas conſequutis deprehenditur humor peccans; nam ſi mordacitatem inferat, & acrimoniam, bilem indicat; ſi ſalſedinem, aciditatem, vel dulcedinem, tunc pituitam ſalſam, acidam, vel dulcem ſuperabundare coniicies. Ex colore humoris fluentis idem deprehendere potes, ita vt iuxta colorem dominantem humoris excedentis dominium aſſequatis, adiunctis ſimul primis & ſecundis qualitatibus, ex quibus omnibus facilè idea humoris peccantis innoteſcet.

## §. III.

### *Catharri curatio.*

AD huius affectus curationem deuenientes, in ipſa tria ſunt conſideranda; pars mandans, cerebrum ſcilicet; & pars recipiens, quæcumque illa ſit; & humor fluens ex vna parte in aliam, quibus cognitis, faciliùs perficiemus curationem, præſertim ſi affectio non ſit habitualis, vel cerebrum non ſit pronum huic affectioni, vt huic noſtro ægro contigit, qui facilè in hanc fluxionem incidere ſolebat. In primis victum inſtituere decet. Auic. *fen.* 5. *lib.*3.*tract.*5.*c.*13. famem, & ſitim imperat in quacunque fluxione catarrhali, & vt inquit Celſus: *Initia morborum famem & ſitim deſiderant.* Hoc præceptum præcipuè eſt intelligendum in morbis ex

A fluxione pendentibus; ſic enim deficiente cibo, natura humores retinet, & concoquit, eoſque in propriam ſuſtantiam conuertit, & oblato alimento in parua quantitate minuitur neceſſariò fluxionis materia; & in vniuerſum, ſi catarrhus ſit ex materia calida, victus ad frigiditatem vergat; ſi verò fiat ex frigida, calefacientibus vtendum: & ſi materia ſit craſſa, attenuantia conueniunt; ſi verò fuerit tenuis, quæ incraſſant ad mediocritatem adminiſtrari debent. Edulia flatuoſa, & caput replentia ſunt euitanda. Cœna ſit parca, & minor prandio, ex Meſue. Potum aquæ minorare iubet Auic. non tamen præcipit vinum; nam facilè tentat caput, tam in catarrho calido, quàm frigido; & ſuo calore attenuat humores, & fluxiones auget. In hoc tamen, ſicuti in aliis morbis, attendenda eſt conſuetudo; nam ſemper eſt illi aliquid condonandum: erit tamen vinum in parua quantitate donandum, ex Gal. 9. *de placitis* B *Hip. & Plat. c.* 6. & illud erit ſubdulce. Poſt maturationem tamen catarrhi vinum mediocre concedit Auic. Nomine mediocris intelligimus temperatum, vt in alia Auicen. litera explicatur. Aqua igitur eſt bibenda cinnamomi, aut liquiritiæ, paſſularum ſine vinaceis, & radicis chinæ in catarrho frigido: in calido aqua prunorum damaſcenorum enucleatorum, vel aqua ſcorcioneræ, cum pauco cinnamomi. Aërem frigidum Auicen. damnat in quocumque catarrho; nam ſua frigiditate fluxiones mouet exprimendo (vt dixi) humores ab externis ad interna. Similiter aërem calidum, & auſtrinum fugere debent, quia frequenter aggrauat caput; imò omnes cauſæ, à quibus iſte affectus oritur, ſunt præſcindendæ; neque aliter curari poterit, ſiue cauſæ externæ, ſiue internæ fuerint. Quapropter aër temperatus melior cenſetur, qui neque infrigidat, neque calefacit, ſed in vtriſque medium ſeruat, atque adeò non excitat fluxiones.

C A ſomno caueant per aliquas horas, & ab alimento. Auic. iubet vigilare quantum poteſt. Schola Salernitana tradit, vigilias maximè auxiliari catarrhis. Gal. 3.*de cauſis ſymp. c.*1. maximam vim habere vigilias ad cruditatum generationem teſtatur; quapropter exiſtimo, quod in hoc morbo ſomnus, atque vigilia moderata eſſe debent; nam non minùs eſt neceſſarius ſomnus, qui concoctionem adiuuet, quàm vigilia, quæ digerat, vel diſtribuat, humoreſque diſcutiat, & reſoluat. Vnde Vega *lib.*3.*de arte medend.cap.*1. contra communem dicendi modum ſomnum & vigiliam moderatam commendat. Idem ſtatuit Mercurial. quibus libenter aſſentior. Non decumbant ſupinè, ſed ſuper vnum, vel alterum latus: neque habeant caput multùm eleuatum in lecto; nam vt ſuprà diximus ex Ariſtot. mente, homines inter cætera animantia ſunt fluxionibus capitis obnoxij, quia habent caput magis eleuatum quàm reliqua animalia, proptereaque Auic. ait: *Non fiat reſupinatio in ſomno.* A cibo nunquam laborandum, donec coctio in ventriculo ſit peracta; quapropter ſtudium vitandum. Ventrem habeant lenem, vel ipſum ſuppoſitoriis, vel clyſteribus excitent. Crurum frictionibus moderatis ante prandium, & cœnam vti poſſunt.

*An ſomnus ſit prohibendus in catarrho.*

Dubitari tamen poteſt, an veneris vſus poſſit eſſe vtilis in morbis pendentibus ex diſtillationibus. Epicuri ſectatores, vt conſtat ex Galen. *lib. artis medic. c.*86. vt quid malum prohibent veneris vſum. Rabbi Moyſ. 9. *aphor.* in diſtillationibus reprobat illum, & catarrhum ex vſu veneris reuiuiſcere affirmat; ideoque Celſus hunc curans affectum protinus à venere abſtinere ait, neque deficit ratio ad id; nam ex veneris vſu caput debilitatur, magnaque in ſemine ſpirituum vitalium copia diffunditur, & paucula

*An veneris vſus poſſit eſſe vtilis.*

re emiſſa, imbecilles reddimur, ex Hipp. *lib. de genitura*: ergo veneris vſus interdicendus eſt, ſiquidem vt humores coquantur, & vincantur à natura, petunt ipſius naturæ robur, & ſpirituum vitalium calorem. A

Nihilominus tenendum eſt, venerem aliquam vtilitatem præſtare, vt docet Gal. proximè citatus, aiens: *Reuera autem venus confert, ſi tantùm interualli in vſu adhibeatur, vt neque reſolutio aliqua ſentiatur, & ipſe ſeipſo homo quodammodò leuior factus, ac melius ſpirare videatur.* Dices tamen Gal. agere de venere tempore ſalutis, non verò tempore morbi; atque perinde eius doctrina non eſt congruenter tradita. Non obſtat; nam Hip. 6. *epidem. ſect.* 5. *text.* 23. venerem eſſe vtilem in morbis pituitoſis docet. Quia ergo hic affectus eſt è pituita pendens, venereorum vſu curari quodammodo poterit; venus enim, vt inquit Valleſ. *in paraphr. huius textus*, eſt cauſa ſiccans, calefaciens, & euacuans, vt alia quæuis exercitatio, per quam totum exercetur corpus. B Quare ſi virtus eſt robuſta, & ætas permiſerit, venuſque moderata fuerit, vtilis cenſenda eſt per morbos pituitoſos, immoderata verò ſemper damnanda, quia non ſolùm ſiccat, ſed etiam diſſipato ſpiritu totum poſtea refrigeratur corpus, deſtructoque calore, coctiones defraudantur, multæque ſuperfluitates gignuntur. Si verò virtus ſit debilis, neque moderata venus poterit eſſe vtilis. Quod autem poſſit prodeſſe in morbis, etiam oſtendit Hip. *lib.* 4. *epid. in hiſtoria Nicippi*, qui dum febricitaſſet, per ſomnum ſemen effudit, & meliùs ſe habuit. Idem comprobat ipſe 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 25. iuxta Valleſ. verſionem, vbi ait: *Increſcentes morbos mixtio.* Quæ Hip. verba licèt varias admittant expoſitiones, vnam tamen Valleſ. affert, quæ noſtram mentem declarat; nam nomine mixtionis (inquit) poſſumus intelligere ætatem pubertatis, in qua poteſt fieri coïtus, C ſeu mixtio: vel poſſumus intelligere mixtionem exercendam illa ætate, ita vt faciat hunc ſenſum dictum Hippoc. morbos creſcentium curat mixtio, ſumpta mixtione pro coïtu in ætate creſcentium, vel pro ætate ad coïtum parata, in qua ſicuti mulieres ex aduentu purgationis menſtrualis à pluribus morbis liberantur, pariter, etſi cum aliqua noxa, ex mixtióne eo tempore facta morbi plures vincuntur, præſertim illi, qui ex ſuperfluis humiditatibus in ætate puerili fiebant, quatenus venus ſiccat, & calefacit, abſumitque humiditates, à quibus tales procreantur morbi.

*Venus in morbis à pituita vtilis.*

Vitæ regimine inſtituto, ſi catarrhus ſit leuis, tribus diebus leuari ſolet, vt inquit Celſus; ſi verò ſit grauis, vt ex ipſius accidentibus, & ex iis quæ præceſſerunt, innoteſcet, ad auxilia deuenire oportet: ſed cùm in vnoquoque affectu ſit auſpicandum à cauſæ detractione, conſiderare debemus, an cerebrum patiatur intemperiem calidam, vel frigidam; D & ſimiliter an fluxio ſit pituitoſa, vel alteri humori permixta: nam ſæpe accidit, quod intemperies ſit calida, & humor fluens ſit frigidus; & è conuerſo intemperies frigida, & humor calidus. In vtroque caſu moderatè calefacientia ſunt capiti applicanda, propter rationes iam ſuprà inſinuatas; aliter enim fluxio concitabitur maior. Ego ſæpè hoc morbo fui correptus, & ſolum cucufà lintei capiti appoſità noctu, quæ moderatè caput defenderet, breuiſſimè immunis reddebar. Verumtamen cum hæc intemperies ſit cum affluxu humoris, & illa fluxio ſæpè lædit partem, ad quam fluit, præcipuè ſi ſit humor mordax, punges ac irritans, & ad pectus fluat, vt timeatur pulmonis exulceratio, tunc difficilè auferri poteſt ſine euacuatione, meritóque dubitant Medici, an ſit ſanguis mittendus, vel aliter euacuandus.

## §. IV.

### *An ſit ſanguis mittendus in catarrho.*

Communiter omnes venæ ſectionem reformidant in hoc affectu, exiſtimantes illius cauſam eſſe frigidam, & quod in affectu frigido non eſt tutum ſanguinem mittere. Præterea humor frigidus calorem exigit, vt concoquatur, qui venæ ſectione detrahitur. Denique iſte humor eſt ſegregatus à conſortio ſanguinis, & extra venas, & per venæ ſectionem extrahi nequit: quapropter in catarrho ſaltem à cauſa oriente frigida, timenda eſt venæ ſectio. Nihilominus licèt cum limitatione hæc res ſit definienda, tenendum eſt cum Arabum ſententia, ſæpè venæ ſectionem conuenire, neque in hoc eſt diſſenſio inter Authores. Si enim catarrhus eſt calidus, & cum ſanguinis redundantia, aut licèt non ſit calidus, ſit tamen humor frigidus ſanguini admixtus, vel procedat à pituita ſalſa, vel à pituita cum humore mordaci, & bilioſo, imò etſi fiat à pituita, dum tamen adſit capitis ingens dolor, ita vt timeatur humorum maior ad caput fluxus, in omnibus iis caſibus ſanguinem mittere licet, præcipuè tamen dum humor corrodens, & mordax dilabitur in aſperam arteriam, quo tempore timere poſſumus pulmonem exulcerari; nam licèt per venæ ſectionem nón euacuetur humor, qui extra venas exiſtens eſt huius mali cauſa, reuellit tamen humorem paratum fluere ad caput, & ad contraria retrahit, euacuátque ſimul cauſam in venis contentam, & ſic ſiſtitur humor in caput irruens; quo fit etiam, vt cauſa coniuncta minoretur, & citiùs vincatur à calore concoquente cerebri. Quod ſi huic affectioni adiungitur febris, ſecuriùs venæ ſectionem adminiſtrabimus, niſi catarrhus ſit frigidus; tunc etenim febris eſt illius auxilium, ſicuti dicitur de conuulſione, cui ſi ſuperueniat febris, conulſionem curat, ipſum humorem reſoluendo. Itaque ſi catarrhus ſit calidus, & corpus plethoricum, audacter ſanguinem mittimus: ſi ſit humor frigidus ſanguini mixtus, vel à pituita pendeat cum bilis conſortio, aut à pituita ſalſa, parciùs ſanguinem demes. Quod ſi humor ſit frigidus, capitis grauedinem, & dolorem maximum concitans, vel ad aliam partem, quam nimis offendat, ne ad caput ratione doloris maior fiat tractio, & inde ſequatur maior noxa, tutum erit, imò neceſſarium, venam ſcindere; ſin dolor capitis grauans, aut vehemens non multùm vrgeat, ipſa ratio ſuadet à venarum apertione eſſe abſtinendum in omni catarrho frigido, licèt Sebaſtianus Paparella *lib.* 1. *de catarrho, cap.* 10. imperet venæ ſectionem in catarrho frigido ad tollendam obſtructionem capitis, aliquibus authoritatibus Galeni ductus, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint. Verumtamen ſi aliter ea capitis obſtructio vinci quit, vel humoris obſtruentis quantitas non ſit multa, venæ ſectionem renuere tenemur. Eſt igitur vena media, quæ etiam communis dicitur, ſcindenda, præſertim ſi adſit plethora, in cuius defectu cephalica commendatur. Ego autem in hoc, & in aliis capitis affectibus non niſi vrgente neceſſitate venam cephalicam ſcindere iubeo; eſt enim remedium topicum capitis, quod ſupponit euacuationem vniuerſalem ex aliis venis.

Quod ſi in prima corporis regione cruditates redundent, ante venæ ſectionem, vel clyſteribus, vel leni pharmaco ſunt deponendæ; forſan enim hoc inſpiciens Auic. catarrhum curans, dixit: *Et incipiat à fluxu ventris, & extractione ſanguinis; deinde à fluxu ventris poſt ipſam.* Inſinuans, quod ſæpè oportet curationem aggredi lene pharmacum propinando ante

*Clyſterum & lenientium vſus traditur.*

ante vſum venæ ſectionis, in quem finem aluus ſic lenienda erit. ℞. medullæ caſſiæ recenter cum decocto Pugini extractæ, & diacathol. ana ℥. ß. pulu. mechoac. ℈.ij. miſceantur, & fiant morſelli cum ſaccharo. Vel ℞. pulu. mechoac. ʒ.ij. detur diſſolutus in iure gallinæ. Vel ℞. ſeminis cartami ʒ. iij. extrahatur eius emulſio in decocti pectoralis, & foliorum ſennæ ℥.ij. ß. & adde ſyr. Regij ℥.iij. Clyſteres ſic fingi poſſunt. ℞. decocti maluarum, mercurialis, parietariæ, chamæmali, radicum altheæ, & prunorum enucleat. ℥.viij. mellis roſati perſici ℥.iij. olei chamæmal. & amygd. dulc. ana ℥.j. benedict. ℥.j. miſce pro clyſtere. Vel ℞. foliorum maluarum, chamæmali, meliloti, ſummitatum anethi, origani, calamenti, abrotani, ana m. ß. aniſi, fœniculi, ſyſelæos, fœnugræci, & baccarrum lauri, ana ʒ.ij. coquantur, & in ℥. viij. huius decocti diſſolue diaphœn. & benedictæ, ana ℥. ß. ſyr. perſici ſolut. ℥.iij. Quod ſi bilioſus humor, & mordens infeſtet, refrigerantia ſunt admiſcenda, vt portulaca, chicoreum, violaria, & hordeum, quorum decocto iniicies ſacchari ℥.ij. pulpæ caſſiæ in eodem decocto diſſolutæ, & diacath. ana ℥. ß.

*Clyſteres purgantes adminiſtrari debent ſine oleis.*

Aduerto tamen, quod ſi ſolùm aluus lenienda eſt emollientibus ſolùm medicamentis, tunc maximè conueniunt olea, atque adeò frequenter in clyſteribus adminiſtrantur: at verò ſi clyſteres non ſolùm emolliant, ſed etiam habeant vim euacuandi humores, & componantur ex elect. purgantibus, minimè competunt olea, quia medicamentorum vires obtundunt, & purgationis finis fruſtratur, vt optimè notat Valeſc. de Taranta. Prætereà ſi virtus conſopita ſit, illis addere oportet ʒ.j. ſalis communis, vel ſalis gemmæ.

*Humorum præparatio, & euacuatio quomodo exercenda.*

Sed quia iis inobediens ſolet eſſe affectio, curandum eſt omni arte fluxionem diuertere frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis partium extremarum, neque in principio oportet ſternutationem incitare, ne humor magis feratur ad caput, ex Auic. Similiter id aſſequimur humores præparando, & euacuando. Præparantur ergo ſyr. violarum, iuiubarum, capill. Ven. de ſucco roſarum, ſtœcados, cum decocto pectorali. At ſi humor totus ſit frigidus, præparabitur ſyr. capill. Ven. & liquiritiæ, vel melle roſaceo, ſuperbibendo ℥.iij. vel iiij. decocti cinnamomi, vel aniſi, ſeu fœniculi, aut liquiritiæ Mox purgabitur pillulis cochiis, aureis, de agarico, aut ſine quibus. Vel in potu ſic. ℞. rhabarb. agarici trochiſc. in ligatura, ana ℈.ij. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥. ij. ß. decocti pectoralis, & foliorum ſennæ, & colaturæ adde ſyr. Regij ℥. iij. miſce. Vel ℞. diacathol. ℥. ß. diſſoluatur in ℥.iij. decocti pugini, & adde ſyrup. perſici ſennati ℥ iij. miſce. Vel ℞. diacathol. & elect. diaphœnic. ana ʒ.ij. diſſolue in ℥.ij. decocti magiſt. foliorum ſennæ, & adde ſyr. perſici ſolut. ℥.iij. miſce. Verumtamen quia humor ſolet eſſe craſſus, & tenax, neque vna vice poteſt ſufficienter diſponi, & euacuari, ideo per vices oportebit illum euacuare, purgantia adminiſtrando in minori doſi.

*Remedia topica pro catarrho frigido, & humido.*

Hæc omnia eò tendunt, vt huius morbi cauſa euacuetur: ſed quia curationem incipientes diximus, quod debemus reſcipere partem mandantem, & in quam irruit humor, imò & humoris fluentis conditionem, & naturam, iam tempus expoſcit, vt eis proficua adhibeamus auxilia. Quantum ad partem affectam, ſi intemperies ſit frigida, vt frequenter accidit, exterius admoueri debent ſuffumigia ex rebus capitalibus, nempe roris marini, ſtœcados, maioranæ, & betonicæ, vel earundem rerum decoctum, ſi eo abluatur caput. Cucufa etiam ex eiſdem rebus prodeſt, additis cinnamomo, cariophylis, nuce moſchata, galanga, & ſatureia. Prodeſt etiam lintei cucufa roris marini fumo ſuffumigata. Vnguentis etiam, & emplaſtris hanc intemperiem deſtruunt Authores: quare ſi frigiditas ſit recens, oleo rutaceo calido capiti ſuperinfuſo morbum demit Gal. 2. *de compoſit. medic. ſec. locos*, oleoque nardino, & rutaceo inungit ſinciput Paulus, eiſdemque inungendæ ſunt partes extremæ, vt aures, nares, ſumen, teſticuli; imò noſtræ mulieres inungunt pedum infantulorum plantas, dum ipſi hoc morbo torquentur. Ad idem valent alia olea, vt ſampſucinum, irinum, & lilij albi, ex quibus ad idem parari poſſunt cum pulueribus ſuprà adductis vnguenta. Emplaſtrum ex tapſia apponit Galen. 5. *methodi*, vt fluxiones ad extra reuocentur; ſed hoc melius in diſtillatione inueterata. Synapiſmi etiam conferunt, quia ad extra humorem mouent, eumque reſoluunt. Odores ſimiliter conferunt, non tamen ſint vehementes, ne capitis faciant grauitatem. Balnea etiam naturalia, quæ ſiccandi, & calefaciendi vim habent, commendantur in hoc morbo inueterato; ſic enim frigiditas, & humiditas aufertur, ideoque Oribaſus, Paulus, & Aëtius capitis fluxionibus vexatis conuenire tradiderunt.

*Remedia pro catarrho calido.*

Si verò cerebri intemperies ſit calida, contrariis etiam erit corrigenda, moderatè tamen; nam cùm cerebrum ſit frigidum, facilè offenditur à frigido. Plurimis igitur remediis capitis calorem remouebimus, inunctionibus ſcilicet, odoramentis, & lotionibus, & pulueribus. Auicen. monet caput inungere, imò & extrema, oleo violaceo. Galen. 6. *de ſanit. tuendæ*, caput perungit oleo roſaceo. Quod ſi vigiliæ infeſtant, debemus addere oleum de papauere, vel vnguentum populeon. Odoramenta fiunt ex aqua roſata, additis ſantalis, violis, camphora, roſis, & aliis huiuſmodi, ex quibus etiam ſuffumigia parantur. Quidam etiam ſuffumigantur ſaccharo. Lotiones ex aqua dulci conferunt, ex Galen. proximè citato. Parella iubet ex alto aquam delabi frigidam, cui non acquieſco, eo quod, vt dixi, frigidum eſt cerebro inimicum, & poteſt in contrarium incidere lapſum, vaporeſque frigore denſati, & cutis pori conſtipati maiorem noxam inducunt, quod oſtendit Paulus *lib. 3. capit.* 28. vbi ait: *Si calida præpollet intemperies, balneo vtendum eſt, caput aquâ copioſiori calidâ perfundendum.* Auic. inquit, quod ſimus ſoliciti in infrigidando caput cum eo, quod eſt potentiâ frigidum, ſicut introitus balnei dulcis omni mane, cùm es ieiunus. Balneum etiam arte parari poteſt ex violis, roſis, borragine, nymphea, & pauco chamæmali; hoc autem magis conuenit tempore æſtatis, & in capitis temperatura calidiori, præſerrim dum iecur intemperie calida eſt affectum. Pulueres item ſuper cranei ſuturis ſpargantur ex roſis, ſanthalis, camphora, myrto, & ſimilibus.

*Partis in quam irruit humor prouidentia.*

Inſuper dum hæc probè fiunt, debemus etiam inſpicere partem, in quam defluit humor; nam poteſt contingere, quod materia in partem fluens ita partem lædat, vt ad ſe totam Medici conſiderationem arripiat, vt Galeno accidit in curatione nobilis matronæ Romanæ, quæ ex catarrho, ſeu ex vehemeuti tuſſi ſanguinem paululum per noctem cum ſputo reiecit, vt ait ipſe 5. *method. cap.* 13. quem ſiſtere ſtatim curauit, ne pulmo, in quem humor irruebat, exulceraretur. Neque parum conducit cognoſcere materiæ fluentis conditionem, vt eam corrigere poſſimus. Sed quia noſter æger tuſſim, & raucedinem patiebatur, cuius cauſa erat humor viſcoſus, & craſſus faucibus, & aſperæ arteriæ adhærens, illius ſtatim diſcuſſioni, & inciſioni fuit prouidendum. Quapropter ſi humor ad eam partem vergens frigidus, craſſuſque ſit, medicamenta pectoralia inſcindentia, & attenuantia ſunt ex vſu, vt ſyrup. capill. Ven. de liquirit. de praſio, cum oxymelite, quibus

addere

addere poſſumus decoctum earundem rerum. Item fieri poteſt gargariſma cum mulſa facta ex origani decocto, addito pauco oxymelite. Eadem aqua mulſa paulatim deglutita, & calida ſumpta vtiliter accipitur. Ad idem valet mel deſpumatum. Pillulæ etiam bechicæ, vel pillulæ factæ cum puluere liquiritiæ, & melle toſto in ore detentæ, & paulatim deglutitæ, ſunt nimis proficuæ. Neque erit abs re pectus inungere oleo lilij albi, & amygdal. amararum, vel vnguento filij Zachariæ, & Agrippæ, aut ex eiſdem rebus cum cera confingere ceratum pro pectore. Conuenit etiam pectus linire vnguento naphæ, & oleo amygdalarum dulc. vel amarar. aut lilij albi, quo ſæpe vtor in pueris & delicatis.

Sed quia dictis auxiliis æger nondum ex toto fuit liber, viſum fuit mihi quolibet mane multis diebus ei offerre potionem, quæ humores diſcuteret, & reſolueret, pectus leniret, & caput roboraret, ſic. ℞. radicis chinæ, ſmilacis aſperæ, & ligni ſancti, ana ℥.iij. liquiritiæ ℥ j. ſaxifragæ indicæ ℥.ß. infundantur in xx. ℔. aquæ ſpatio 24. horarum, deinde coquantur ſecundùm artem ad duarum partium conſumptionem, & inter coquendum adde betonicæ, & capill. Veneris, ana m.j. paſſularum Corinthi ℥.ij.ß florum violarum, borrag. & bugloſſi ana p.ij. & facta ſufficienti coctione, huius colaturæ calidæ accipiat æger quotidie ℥.vij. in lecto manens benè coopertus duarum horarum ſpatio. Ad idem commendo ſudationes ex eiſdem rebus, quæ maximè conferunt in diſtillationibus inueteratis, quæ aliis non cedunt remediis. Potione ſuprà tradita noſter æger omnimodè priſtinam recuperauit ſanitatem, vocemque ſonoram vt antea.

*Sudationes in fluxionibus antiquis vtiles.*

Verùm ne huic conſultationi aliquid deſit, quod ſtudioſi ab aliis requirant, integram catarrhi tractationem adimplebo. Fieri etiam poteſt diſtillatio ab humore acri, & ſalſo, qui in pulmonem, & aſperam decidens atteriam, tuſſim excitat, & vocem raucam, vel diſſonam facit. Quam fluxionem omni arte cohibere oportet, propter vlcus pulmonis, aut pectoris imminens; & præter vniuerſales euacuationes, & alia remedia fluxionem diuertentia, conueniunt ea, quæ aſperitatem tollunt, læuigantque quod in viis aſperæ arteriæ exiſtit inæquale, & humoris acrimoniam obtundunt, & quodammodo ſentiendi facultatem conſopitam reddunt, quæ antiquitus paregorica, ſeu lenientia dicebantur. Huius cenſus ſunt cremor ptiſanæ, butyrum ex lacte, aut ex amygdalarum expreſſione, mucilagines ſeminis pſillij, & citoneorum, oleum recens amygd. dulc. Syrupus præterea violaceus, & iuiubarum ad idem valent, & papauerinus, præcipuè dum adeſt neceſſitas conciliandi ſomnum. Fieri etiam poteſt ſyrupus ex mucilagine ſeminis citoneorum, & pſillij extracta in decocto florum violarum & maluarum, aut in aqua ſtillatitia maluarum cum ſaccharo. Pillulæ bechicæ in ore detentæ, ſi paulatim deglutiantur, vtilitatem præſtant. Vel pillulæ factæ ex diatragacanto frigido, & puluere liquiritiæ, & ſaccharo cando, vel ſaccharo albo, ex quibus poſſunt fingi etiam tabellæ ad eundem finem. His & aliis ſimilibus tuſſis, & raucedo vocis ab iis procedens humoribus auferri ſolet.

*Pectus lenientia.*

Neque erit præter rationem interim dum hæc fiunt, ſi iis non cedit morbus, humorem diuertere, & deriuare per nares caputpurgiis, aut ſternutatoriis; non enim oportet per ipſam partem, quæ afficitur, humorem euacuare, vt ait Auic. benè tamen per propinquam diuertere, vel deriuare. Caputpurgia componuntur ex herbarum ſuccis, betæ ſcilicet, braſſicæ, ſampſuci, & ciclaminis, permiſtis cum medicamentis acribus, piperis nempe albi, naſturtij, melantij, hellebori albi, & ſimilibus, ex quibus ſic formari poteſt caputpurgium. ℞. ſucci betæ ℥. iiij. in eo madefiant ʒ. ij. hellebori albi, quo extracto abſorbeat æger per nares huius ſucci ℥.ß. Vel ℞. aquæ mellis ℥. iiij. pulueris melantij, carpeſiarum, piperis albi, ana ʒ.j. miſce. Serapio, & Rhaſis in nares infundunt aquam maioranæ, in qua helleborum album maduerit. Auic. tamen conſulit, ne hæc fortia in principio admoueamus. Admonendi etiam ſunt, qui hæc ſumunt (vt ait Paparella) vt os aqua impleant, ne ſcilicet è naribus in os ſucci perfluant, caputque tunc ad poſteriora reclinandum. Ex his, quæ magis temperata ſunt, conueniunt in fluxione catarrhali ex cauſa calida. Sternutatoria fiunt ex herba nicotiana, piretro, nigella, & helleboro albo, & ſimilibus.

*Narifuſoria, & caputpurgia conueniunt in fluxionibus.*

## §. V.

### *An cauteria conueniant in catarrho.*

DVbitari tamen poteſt, an in huiuſmodi fluxionibus cauteria, ſeu fontanellæ poſſint eſſe vtiles. In qua difficultate certum eſt, quod non vtimur huiuſmodi remediis, niſi dum alia non proſunt, iuxta dictum Hipp. 7. *aphoriſm.* Quare conſiderare debemus, quod ſi nimis morbus perſeueret, & remediis non cedit, probè res non naturales adminiſtrentur, & nulla ſit ægri intemperantia, neque Medici imperitia, aut aliquis aſſiſtentium error, à quibus morbus frequenter protenditur, vt ait Galen. 9. *methodi, cap.* 1. neceſſariò fatendum eſt, quod æger patitur diſtemperiem habitualem alicuius partis, à qua excitatur fluxio, neque alio modo poſſet morbus eſſe diu durans; quo tempore ſi caput patitur iſtam intemperiem, tutum erit fontanellam aperire in brachio: quod ſi aliunde, ab hepate, vel liene ad caput communicetur humor diſtillationem faciens, vtile erit fontanellam affigere in crure è directo parti affectæ reſpondenti, vt ſic humor qui quotidie generatur, & diſtillationem efficit, paulatim, & quotidie quoque euacuetur.

*Quibus modis morbus aliquis protendatur.*

Quod ſi caput per ſe patiatur, neque fontanella in brachio ſufficiens eſſe videatur, rubificantia admouet Auic. vt ſic humores à centro cerebri ad circumferentiam attrahantur; neque in phthiſi ob aliam cauſam ſtatim vrere præcipit Hippocrates, niſi quia timet fluxionem ex capite ad pulmonem peruenientem, & ne confirmetur, iubet ſtatim vrere, intellige caput. Sic ſimiliter Aëtius paralyſim, & frigidam cephaleam curans, cauteria adhibet occipiti, vt illa pars roboretur, & calefiat, & vt exitus maior pateat vaporibus, qui à calore eleuantur in capite ex excrementis ibi collectis. Emplaſtrum ex tapſia, & ex ſtercore columbino confectum apponit Galen. 6. *de ſanit. tuenda*, & 13. *methodi*, in quo etiam conuenit Paulus. Horum tamen doctrinæ non acquieſcit Sebaſt. Paparella, aliquibus ductus rationibus, quas prolixitati parcens omitto. Sed pro horum maiori intelligentia, vt certum habeo, quod cauteria debent fieri iuxta ſuturas, fugientes illas, ne decidat dura mater, quæ ex filamentis per ſuturas exeuntibus pendet: ſimiliter ea adminiſtrantur, vt humor, & vapores in caput irruentes, in craneo, & cute minorem reſiſtentiam inuenientes, faciliùs extra à natura pellantur, & caput liberetur ab eis. Ad eundem finem ſynapiſmi, & emplaſtrum ex ſtercore columbino, & tapſia capiti adhibentur; nam ſuo calore ad cutem reuocat vapores ex cerebro, aperit poros, & humores ſubtiliat, vt faciliùs permeent. Et licèt plures ſint viæ, per quas humor in capite coaceruatus euacuari poſſit, vt docet Hipp. *lib. de glandulis*, ſæpè tamen non ſufficiunt, & propterea natura vias alias

*In phthiſi quare ſtatim vrere oportet.*

alias quærit, per quas humores deponat, indeque tinea, alopeciæ, cruſtæ, & tubercula plura generantur in capite, ex iis, quæ natura per vias nobis ignotas ad cutem propellit, quibus liberatur, ex Hipp. *lib. de morbo ſacro.* Sic ſimiliter Medicus naturam imitando, debet, cùm alia non proficiunt, extrema adhibere remedia. Huius cenſus ſunt cauteria, fontanellæ, & alia huiuſmodi, quibus ſemel adhibitis, diu aperta vlcera ſeruanda ſunt, vt humor deriuetur, & euacuetur. Neque rationem inuenio, ob quam in catarrho frigido cauteria non conueniant, vt cenſet Paparella, cùm potius morbis frigidis adhiberi debeant, licèt morbis calidis non diſconueniant. Benè verum eſt, quod ſynapiſmi, & alia calefacientia nimis capiti applicita, dum adeſt illius intemperies calida, poſſunt intemperiem adaugere, etſi iuuent attractionem humoris ad extra: quapropter Galenus 13. *method. cap.* 22. prohibet in ipſa intemperie calida illud, quod ex thapſia, & ſynapi componitur.

*Cauteria conueniunt in catarrho.*

Contingit etiam, quod catarrhus in nares prorumpat, imò & in oculos; quo caſu ſuppoſitis iis, quæ diximus, curabimus intemperiem ſiue calidam, ſiue frigidam corrigere, & fluxionem ſiſtere Galenus 13.*methodi, c.*19. iubet etiam cucurbitulam occipitio affigere, nam omni arte tentandum eſt humorem fluentem diſtrahere, deinde ſimul partem recipientem munire, ne denuò fluxum recipiat. Et quia nares obſtruuntur ab excrementis mucoſis, & craſſis, eas reſerare oportet attrahendo per nares aquam mulſam ex origani decocto, vt ſic nares deobſtruantur, & mundentur. Si verò ſit humor diſtillans acris, & mordax, aqua ſaccharata per nares abſorpta prodeſt. Pro vtraque materia Rondeletius laminam ferream commendat ignitam, inſtillatim aceto roſato irrigatam, ita vt per nares vaporem ex aceto elatum æger recipiat, quod ſuffumigium in ſeipſo expertus fuit; nam deſiccat, & reſoluit materiam fluentem, & ſua adſtrictione roborat partem. Collutiones oris etiam conducunt ex decocto origani, pulegij, maioranæ, ſatureiæ, betonicæ, & ſaluiæ cum melle, præcipuè in diſtillatione ab humore frigido prodeunte, vt quodammodò deriuetur humor ad os confluens. Ad idem conducunt maſticatoria, & apophlegmatiſmi. Hæc eadem remedia prodeſſe comperimus in quauis diſtillatione à capite, modò humor in hanc, modò in illam partem deſinat.

*Cucurbita occipitio affixa catarrho remedium.*

## §. VI.

### *An ſectio arteriarum conueniat in catarrho.*

HIc dubitari ſolet, an in affectibus, ſeu diſtillationibus calidis capitis, dum ſanguis, aut vapor calidus per arterias ad caput aſcendit, ſit opportunum arterias, quæ circa caput calidiores apparent, & maiorem exhibent pulſum, abſcindere. Hanc difficultatem ſolutam reperies apud Paparellam; tamen licèt Galenus *de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, &* 13.*methodi, cap.vlt.* arteriarum ſciſſionem commendet, rarò, aut nunquam adminiſtratur, quia idonei Artifices ad munus hoc peragendum non ſuppetunt, & quia arteriarum vulnera ægrè conſolidantur, proptereaque Ioannes Bapt. Corteſ. *decade* 7. *miſcellaneorum medic.* inquit, quod arteriarum ſecandarum vſus rarus admodum eſt, nec aliquis, quem ipſe viderit, auſus eſt admouere manus ipſarum ſectioni; timetur enim aneuriſma, vel gangræna, ex Galeno proximè cit. *cap.*23. Alpinus tamen *lib.de Ægyptiorum medicina, c.*11. *&* 12. teſtatur, apud Ægyptios ſanguinis euacuationem per ſectas arterias non minùs ſecuram eſſe, quàm ea, quæ fit per venas, eamque commendat in ingentiſſimis capitis doloribus, & continuis, & in oculorum fluxionibus, & in eis arteriis, quæ pulſatione affligunt. Itaque cùm percipimus dolorem capitis, ſeu diſtillationem calidam fieri ex ſanguine vaporoſo ad caput per arterias ſubeunte, & arteriæ iſtæ ſunt externæ, quæ facilè ſcindi poſſunt, nihil melius datur ſectione arteriarum, vt ait Saxonia 1. *parte prælect. practic.* attamen cùm hoc difficillimum ſit, vt dixi, & artificum tanta ſit imperitia, tutius erit ab hoc abſtinere remedio.

*Arteriarũ ſectione frequenter Ægyptij vtebantur.*

---

## OBSERVATIO II.

### *De marchione præclariſſimo de Valuerde, Excellentiſſimi Ducis Metinæ à Sidonia filio, qui ſine febre in tota cute ruborem habens, poſt triduum febre acutiſſima correptus eſt, fuitque terminata febris in fluxionem pituitoſam ad fauces, & intra quatuordecim dies liberatus.*

HIc præclarus infans ſeptimum agebat ſuæ ætatis annum, natura ſanguineus, mediocriter carnoſus, alimentis boni ſucci immodicè fruebatur, quibus ſanguinis plurimùm generauit, intempeſtiuéque ſe exercebat. Ipſe ergo, cum ad habitum ſummè bonum perueniſſet, de quo refert Hipp. 1. *aphoriſm. text.* 3. quod eſt periculoſus nimis, & cum non poſſet proficere in melius, erat neceſſe, vt incideret in deterius, inopinatè per vniuerſam cutem apparuerunt exanthemata paruiſſima, quamſimillima iis, quæ in morbillis per cutem erumpunt, cum prurigine quadam, & rubore maximo, & dolore muſculorum, in quorum expulſione pulſus inæqualiter ſe habebant, & quodammodo oppreſſi, expulſione tamen peracta, naturalem recuperabant ſtatum. Cùm ergo ad viſendum eum perueniſſem, ſtatim ex ſignis, & ex eis, quæ præceſſerunt, iudicaui eum habere plenitudinem quoad vaſa, & quoad vires, ex meique, & doctiſſimorum Medicorum conſilio propoſita fuit venæ ſectio; nam habitum illum ſummè bonum ſoluere expedit, propter imminens periculum morbi, & vt rurſus corpus nutriri inciperet, vt conſulit Gal. 1. *aphor. ſuper textum* 3. Parentes tamen, quia nimis diligebant filium, venæ ſectionem reformidarunt, neque noſtris rationibus ſubiici facilè voluerunt; diuites enim potiùs quàm pauperes perperam curantur, inquit Gal. 11. *method.cap.*15. & eorum maior pars propter mollitiem, venæ ſectionem non admittit, etſi magis quàm pauperes redundantiæ ſanguinis affectibus ſint ſubiecti, vt qui magis cibo implentur. Cùm ergo venam ſcindere non permiſiſſent, illius loco licuit frictionibus, multis balneis, victuſque parſimoniâ plenitudinem exhaurire, quæ auxilia ſuadet facienda Gal. *lib. de euacuand. rat. per ſanguinis miſſionem, cap.* 11. in ea plenitudine ſaltem, in qua nondum apparent actiones culpatæ. Verumtamen cum plenitudo eſſet nimia, & vires grauatæ, tribus diebus elapſis ab exanthematum eruptione, fuit ſubſequuta febris continua acuta, cum maiori cutis rubedine ad flauitiem tendente, maiores habens de tertio in tertium diem exacerbationes. Quinto die febris pulſus apparuerunt magis inæquales quàm antea, parui, & grauati nimis; æger ſuſpirioſus, & anxius, neque in vno loco quieſcere poterat: eadem die cutis rubor multùm euanuit; bis per infernam aluum deiectionem humoris pituitoſi, & albi fecit. A principio febris neque habebat ſitim, neque cibi appeten

*Caſus proponitur.*

*Diuites potius quàm pauperes perperam curantur.*

tiam, ſemper tamen habuit vrinam cum aliquibus ſignis coctionis. Sextâ die remiſſa fuit febris, ſtatimque circa fauces, columellam, linguam, & palatum apparuit pituita viſcida, & craſſa illis adiacens partibus. Septimâ febris adhuc remiſſior apparuit, & maior ad os fluxio fuit concitata, deinde paulatim ſoluta fuit febris, & curata fluxione decimaquarta die ex toto liber euaſit.

## ANNOTATIO.

*Ægri diſpoſitio ante morbum proponitur.*

EX iis, quæ in hiſtoria ſunt enarrata, facilè poſſumus colligere huius infantis diſpoſitionem, quæ morbo præerat; ſiquidem varia, & pretioſa edulia comedens, & in quantitate excedentia, neceſſariò generare debebat magnam ſanguinis copiam, præſertim cùm eſſet naturâ ſanguineus, & ratione temperamenti ætatiui, imò & temporis veris, in quo hac diſpoſitione fuit affectus, aptior reddebatur ſanguinis generationi, ita vt incideret facilè in plethoram quoad vires, & quoad vaſa, vt ſigna illorum propria oſtendebant, quæ deſumpſimus ex Galen. *lib. de plenitudine*, præcipuè *capite* 8. *&* 11. Quod autem haberet plenitudinem quoad vaſa, inde conſtabat; nam habebat ea tenſa, & laſſitudinem quandam ſentiebat, ſimulque ruborem cum flauitie in toto corpore, mordicatione, & dolore; & cùm plurimùm alimenti boni ſucci comediſſet, facile erat deprehendere ipſum plenitudine laboraſſe ſanguinea; ſed cùm intempeſtiuè ſe exerceret, & alimentum non peractâ perfectè coctione diſtribueret, neceſſariò plurimam pituitæ quantitatem congerere debebat. Præterea, cùm vehementer motibus, & curſibus agitaretur, ita vt totum illius corpus incaleſceret, non mirum, quod adaucto calore plus bilis gigneret, ita vt omnes humores adaugerentur ſupra debitam proportionem naturalem illorum; in quo exceſſu conſiſtit plenitudo abſoluta: tamen quia rubor ille ad citrinitatem tendens, ſanguinis, & bilis dominium oſtendit; ideò exiſtimare oportet, quod in ipſa plethora adfuiſſet omnium humorum exceſſus; excedebant tamen magis ſanguis, & bilis, niſi dicamus, quod bilis, & ſanguinis materia aptior eſt in vapores verti, vel in ſubſtantiam nimis tenuem ab immodico calore productam, quæ ad vniuerſam cutem delata, mordicationem excitabat, doloreſque, & cutis colorem immutabat.

*Plenitudinis ſigna.*

Quod verò vires grauatæ exiſterent, conſtabat ex pulſus inæqualitate, ex dolore in pluribus partibus; & quod natura onere preſſa ad cutem humorem excernere conabatur, vt ſe ab onere liberaret. Ex quibus claret, quod tam facultas vitalis, quàm animalis, & vegetabilis lædebantur; ſiquidem earum actiones læſæ conſpiciebantur.

*An cutis eſfloreſcentia ſit ſymptoma, vel morbus.*

In dubium hîc reuocari poteſt, an illa cutis eſfloreſcentia ſit ſymptoma, vel morbus; & ſi morbum conſtituit, ad quod morbi genus reduci debet. Vt autem clariùs procedamus, cùm vitia cutis plura ſint, vt vitium illius in colore cognoſcamus, priùs agnoſcere debemus quiſnam color naturalis cutis ſit. Sed quia non omnes partes ſunt eiuſdem coloris, ſiquidem alius eſt color maxillarum, alius manuum, alius denique pedum, & denique varij ſunt colores incolis diuerſarum regionum, non poteſt exactè color cutis deſcribi. Galenus tamen 1. *de temperam. cap. vlt.* aſſerit cutem eſſe veluti neruum ſanguine ſuffuſum. Ex quibus facilè deduci poteſt, colorem cutis eſſe mixtum ex rubro, & albo. Si igitur color mutatus ſit ſecundùm omnes cutis partes, modò ad album, modò ad nigrum, vel ad rubrum, vt contigit noſtro ægro, vel tantummodò ſit mutatus ſecundùm aliquam partem, tunc vitium erit in colore cutis, qui talis fit ſecundùm humorem qui ad cutem defertur. Et quia humores ſunt quatuor, coloreſque humoris naturam oſtendunt, quatuor etiam eſſe debent; proptereàque communiter profertur: *Talis color apparet in cute, qualis humor redundat in corpore.* Si ergo humor pituitoſus per cutem vniuerſam diffunditur, vt in leucophlegmatia, albus color in cute cernitur; ſi bilis, vt in ictero citrino, flauus color; ſi melancolia, vt in ictero nigro, color niger, aut fuſcus; ſi verò ſanguis, color elucet rubeus; denique ſi duo humores redundent, vtriuſque color mixtus conſpicitur.

*Color cutis naturalis qualis ſit.*

*Cauſa rubedinis cutis.*

Ex iis facile erit comprehendere cauſam rubedinis, quæ apparuit in noſtro ægro, quam reducere debemus ad vaporem calidum eleuatum in corpore ſubitò à ſanguine; & quia ſanguis erat mixtus bili tenuiſſimæ, color ille rubeus ad citrinitatem vergebat, quam affectionem Auic. *fen.* 3. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 13. eſſere vocat. Ibique ait cauſas illius eſſe, quæ à nobis ſunt demonſtratæ. Neque ad hanc affectionem eſt neceſſarium, vt humor putreſcat, & febrem concitet; & propterea diſtinguitur à morbillis, in quibus datur febris, licèt ab eodem humore dependeat. Differt etiam ab illis, quia exanthemata morbilli dicta, per modum criſis, & terminationis febris ad cutem erumpunt: hæc autem cutis efflorelcentia, neque antecedenter, neque ſubſequenter eam expoſcit: neque fit quia humor putreſcit, ſed quia nimis irritans eſt, ſubitò expellitur, vt ait Auic. & ad cutem truditur. Sed ne decipiamur in cognitione huius affectus, aduertere oportet, ex eodem Auicen. quod eſſere eſt etiam puſtula lata, ſicut veſſicæ ſuperficiales; & aliquando ſe extendit in locum amplum, ibique calorem, & pruritum concitat, tuncque apud nos dici ſolet, quod ille qui eſſere patitur, *eſtà lleno de ronchas.* Differt ſimiliter à variolis, quia ſanguis, à quo variolæ prodeunt, craſſior eſt, & tubercula ab eo ſanguine genita ſunt maiora, & eminentiora, tenduntque in ſuppurationem; & vltra hoc præſupponunt febrem ſynochum: at verò, vt dixi, eſſere habet materiam facilè reſolubilem, cùm ſit tenuis, & vaporoſa, & nunquam in ſuppurationem deuenit, & non præſupponit febrem, neque per modum criſis erumpit. Differt etiam à prurito; nam vt fiat pruritus, non mutatur cutis color, ſed humor tantùm inter carnem, & cutem continetur; & ſi fortè aliquid extra omnem cutem apparet, illud eſt furfuraceum, quod non cadit antequam ſcalpelletur: ita Auicen. *fen.* 7. *libro* 4. *tractatu* 3. *capite* 6. Quod ſi ſimul cum prurito ad extra aliquid erumpat, vt in pſora, & lepra, & impetigine accidit, ideò eſt, quia ſimul humor ad extra prorumpens partes diuellit, & eas diuellendo, & continuum ſoluendo, excitat dolorem pruriginoſum; non tamen id requiritur ad pruritum tantùm.

*Eſſere quid ſit, & in quo diſtinguatur ab aliis morbis.*

*Eſſere differe à pruritu.*

*Quare in pruritu extra cutem humor non erumpit, ſicuti in pſora, lepra, & aliis.*

Rogabis tamen, quare in pruritu humor ille inter carnem, & cutem continetur, ita vt non ad extimam perueniat ſuperficiem. Huius euentus plures ſtatuit cauſas Auic. citatus. Prima eſt durities cutis, & propter hanc rationem Galen. 3. *aphoriſmor. comment. vltimo*, aſſerit ſenibus pruritum aduenire, quia ex frigiditate denſior fit cutis, & ſuperfluitates eorum craſſiores exiſtunt, & difficiliùs euacuantur, ſicque vehementiùs ſe ſcalpunt, vt detur locus euacuationi excrementorum, cutem diuellentium. Huic accedunt aliæ cauſæ, vt obturatio pororum, vel immunditia cutis, debilitas facultatis expultricis, præcipuè quando materia expellenda eſt plurima, & craſſa, genita ex cibis ſalſis, acutis, &

& aliis ſimilibus ; & quia huiuſmodi cauſæ plerumque in ſenibus reperiuntur, ideò Hipp. 3.*aphor.textu vltimo*, pruritum inter morbos ſeniles conſtituit, qui in ſenibus difficilè curationem admittit, vt ait Auic. quia rarò, aut nunquam cauſæ, à quibus generatur, in illis ſuperari queunt, atque adeò Paul. ait: *Pruritus in ſenibus nunquam ex toto conſaneſcit.*

*Pruritus in ſenibus difficilè curatur.*

*Quomodo in pruritu fit dolor & voluptas.*

Iam ex dictis conſtat, pruritum eſſe ſenſationem triſtem ſenſus tactus, atque adeò eſſe illius actionem deprauatam. Dubitari tamen poteſt, quanam ratione dolor excitatur in pruritu; ſiquidem pruritus excitat voluptatem, quæ eſt dolori contraria paſſio, vt alibi probauimus; patet enim, dum quis pruritu tenetur, ſi ſcalpit partem affectam, voluptuosè ſe habere in ipſa ſcalpellatione, ita vt Socrates in Phædone Platonis, dum ſcalperet crura, quæ occupata fuerant compedibus,dixit ſe nunquam maiorem voluptatem percepiſſe.

Reſpondetur, quod voluptas non eſt ſymptoma pruritus, ſed potius eſt quid conſequutum ad ſcalpellationem ; nam ante ſcalpellationem aderat dolor pruriginoſus, poſtea verò ſequitur voluptas, quia per ſcalpellationem euacuatur materia, quæ erat intra cutem detenta, & cutem diſſoluebat, & dolorem cauſabat, in cuius euacuatione, ſicuti & in aliis naturalibus, voluptosè æger ſe habet. Hæc tamen voluptas, vt ait Mercur. eſt maxima, quia materia pruriginoſum faciens dolorem, ſubitò, & per plures partes euacuatur; nam ſicuti, vt fiat dolor, ſubitò natura alterari, aut corrumpi debet, pari ratione vt voluptas fiat, petit etiam ſubitam reductionem ad naturalem ſtatum per ſubitam cauſæ dolorificæ euacuationem.

*Obiectio.*

Inſtabis tamen: Licèt in ipſa ſcalpellatione perſentiatur manifeſta voluptas, nihilominus ipsâ prægreſsâ, maior dolor videtur ſentiri, quàm anteà: ergo quemadmodum non implicat, quod ex vi ipſius ſcalpellationis voluptas antecedat dolorem, nequaquam poterit implicare, quod ex vi ipſius pruritus, dolor etiam antecedat voluptatem: & quemadmodum voluptas, & dolor attribuuntur ſcalpellationi, ita ſimiliter attribui debent pruritui.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, quod ſicuti voluptas non poteſt fieri in pruritu ſine ſcalpellatione, ita neque dolor in ſcalpellatione ſine pruritu. Ratio duplex aſſignatur à Mercuriali. Apparet primò dolor poſt ſcalpellationem, quia ex motu, & confrictione ſuccedunt noui humores ad partem confricatam, qui continuum diſſoluendo, dolorem faciunt. Secundò, quia ex illa confrictione humores qui faciebant pruritum, magis inflammantur, ex quo fit, vt pars ſubtilior humoris euacuetur, craſſior verò remaneat magis mordax, & calida, quæ ibi poſteà maiorem dolorem excitare ſolet.

*Color mutatus non eſt morbus, ſed ſymptoma.*

Ex his facile erit decidere, an eſſere, ſeu cutis effloreſcentia ſit morbus, aut ſymptoma? Et quantum ad naturam, ſeu conditionem coloris præter naturam ſpectat, vt certum, & commune omnibus Authoribus tenendum eſt, quod color eſt ſymptoma in qualitate mutata, neque per ſe valet lædere actiones, neque poteſt deſtruere aliquod principium ex iis, ex quibus integratur ſalus. Sed quia facilè ſe offert ſtatim inquirere, quem morbum præſupponit? Reſpondeo, ſupponere intemperiem calidam cum humoris conſortio, per quam humores calidi in maiori quantitate fuerunt geniti, & ab eodem calore in vapores conuerſi, qui ſubitò ad cutem delati illius vitiarunt colorem. Sed quia præter colorem in toto corpore noſter æger ſentiebat pruritum, & conſequenter dolorem, fatendum eſt, humorem ſubtilem ſimul cum vapore cauſaſſe in cute ſolutionem aliquam continui, quæ dum ſubitò fit in partibus ſenſu præditis, habet pro ſymptomate dolorem, atque adeò habuit vtriuſque affectus complicationem; cutis ſcilicet effloreſcentiam, eſſere ab Arabibus dictam, & affectum pruriginoſum. Neque in hac parte eſt audiendus Mercur. aliàs vir eruditione plenus, qui aſſerit, quod pruritus eſt morbus in numero, quia redundat humor, qui non deberet; humor enim cauſæ morbi rationem habet ibi, neque morbus poteſt eſſe in ſubiecto non viuenti inhæſiuè, vt alibi probauimus. Sed ad intentum redeamus.

*Pruritus non eſt morbus in numero.*

Præter dolorem pruriginoſum ſentiebat ſimiliter dolorem in genubus, & aliis partibus, quem ortum duxiſſe èxiſtimauimus à flatibus, & vaporibus ſanguineis ipſas partes ſenſibiles dilacerantibus, in quorum expulſione non mirum, ſi inæqualiter, & inordinatè pulſus mouerentur, quovſque tranſactâ vaporum, & humorum ad cutem expulſione, pulſus æquales, vt anteà ſe habebant; quæ pulſuum inæqualitas fuit per aggrauationem facta, ſiquidem onere depoſito, ad æqualitatem perducebantur, donec iterum natura grauata excitabatur ad expulſionem vaporis, & humoris naturam moleſtantis, vt ſuprà iam inſinuauimus.

*Quare febris fuit ſubſequuta.*

Tertio die ab exanthematum inſultu febricitare cœpit intensè, & tota cutis magis rubra apparuit; ex quo coniecimus, quod magna pars humoris craſſi, qui non potuit ad cutem, vel ad aliam partem excerni, intra venas dententus contraxit putredinem: neque eſt difficile, cùm vaſa ſunt repleta, & obſtructa; nam ſi humores non ventilantur, neceſſe eſt vt putrefiant, vt docet Gal. 8. *methodi*, *cap.* 4. Sed quia humores erant bilioſi, & ſanguinei, & calor febris intenſus, pulſus celeres, magni, & frequentes, & vrina ad flauitiem tendens, facile erat cognoſcere, quod ea febris erat de genere ardentium, acuta, & periculo plena; & quia puncticulæ erumpentes erant rubræ, cum flauitie, ſanguinem dominantem, & bilem annuntiabant. Similiter cùm ipſa cutis magis inflammata cerneretur, febris initium habuit excernendo ad cutem plus quàm antea; quæ euacuatio fuit ſympmatica, & ante tempus coctionis: quam euacuationem reprobat Hippocrates plurimis in locis. *Decretoria enim, quæ non decernunt, partim ſunt lethalia, partim difficilis iudicationis*, vt ipſe ait 2. *epidem. Quo enim tempore natura grauatur à cauſis morbum facientibus, adeſtque tunc cruditas humorum, aliquid benè euacuari eſt impoſſibile*, ex Gal.4. *aphor. com.*22. & cùm aliquid euacuatur ſine ſignis coctionis, talis euacuatio prauæ affectionis eſt ſignum, ex eodem 4. *aphor. com.* 2. ſemper enim huiuſmodi euacuatio oſtendit magnam humorum multitudinem, vel eorum deterrimam conditionem, proptereaque futurum timere cœpimus euentum, & eum ſub dubio præſagire, ne contrarius euentus noſtro adſcriberetur errori. *Non enim omninò ſunt certæ prænuntiationes ſalutis, aut mortis*, ex Hippoc. 2. *aphor. textu* 19. præſertim circa morborum initia, vbi nondum elucere poſſunt ſigna naturæ victoriam demonſtrantia, donec procedente tempore manifeſtentur. Benè tamen poſſumus optimâ coniecturâ aſſequi, an morbus breuis, vel longus ſit, imò quo die ſit terminandus; proptercáque Hippoc. 3. *prognoſt. text.*2. ait, quod ſimpliciſſimæ febres ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citiùs finiuntur; deterrimæ verò, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die, aut citius interimunt. Idque deprehendere iubet ipſe 1. *aphor. text.* 12. ex acceſſionibus, & ex

*Euacuatio ſymptomatica damnatur ab Hipp.*

*Aliqua prænotantur circa prognoſtica.*

circuituum

circuitum ſucceſſiuis incrementis, anni tempore, & ex iis, quæ mox apparent, & aliis ſignis. Omnia, quæ Hippoc. adducit, ad quatuor reducit Galen. 3. *de criſibus, cap.* 4. videlicet ad morbi ideam, illius magnitudinem, motum, & morem, quæ ſi rectè perpendantur, morbi eſſentiam, cauſam, ſigna, morbi ſolutionem, ſolutionis modum, breuitatem morbi, vel longitudinem prænuntiant. Sed quia de his pertractare, eſt recedere ab inſtituto, & ad libros de criſibus ſpectat, ad intentum redeo.

*Acceſſiones ſi anticipantur, vehementioreſque ſint, ſunt ſignum incrementi morbi.*

Febris hæc tertio die habuit acceſſionem debitam tertianæ continuæ, & reſpondentem primæ acceſſioni, intenſiorem tamen, longioremque, & duabus horis anticipatam: quod ſignum oſtendebat morbum ire in augmentum, & breui finiri tempore, iuxta dictum Gal. 2. *aphor. comment.* 12. vbi ſic: *Acceſſio pluri tempore anticipans, & longo, atque vehementius affligens, effatu dignum indicabit augmentum, & velocem eſſe morbi motum, atque non multò poſt in ſuo vigore futurum.* Quarta die intenſior fuit febris, quàm die ſecunda, cuius acceſſioni minori reſpondere debebat; neque mirum, cùm properaret ad ſtatum, in quo omnia vigent, ſimulque per tres horas fieret acceſſionis anticipatio. Quinta cœpit ſuſpirare, anxius eſſe, habere pulſus inæquales, & inordinatos, paruos, & debiles. Euanuit etiam totius cutis efflorſcentia, coram omnibus timor fuit adauctus, & quamuis febris fuerit remiſſior facta, eam tamen grauiora comitabantur ſymptomata. Illo die bis per aluum eiecit humorem flauum pituitæ mixtum, ſimulque tuſſire cœpit, & aperto ore vidimus palatum, linguam, fauces, & columellam circumdata pituitâ viſcidâ, & craſſâ, nimis illius partibus adiacente, totoque die quinto, & ſexto ita permanſit, quouſque paulatim ex remediorum exhibitione omnia fuerunt ſuperata, & decimaquarta die ſanus euaſit æger.

*Cauſa confluxus humorum ad os inueſtigatur.*

Hæc ſymptomata deterrima nobis anſam dederunt inquirendi illorum cauſam, vt omni conatu eam auferre valeremus; ſed cum exanthemata deliteſcerent, illicò iudicauimus ea ſymptomata ſuperueniſſe propter retroceſſum humoris ad partes internas, ita vt humor, qui ad extimas partes ibat, ad intra fuit reuocatus, neque aliter poterat æger eſſe ſuſpirioſus, & anxius, neque concitari fluxio, vel diſtillatio ad oris partes. Oportet tamen reddere cauſam retroceſſus humoris. Illius cauſæ poſſunt eſſe plures, ſi enim aliqua pars interior vehementi inflammatione laborat, ad modum cucurbitæ inflammationis calor humores ad ſe allicit, vt ait Galen. 7. *aphor. comm.* 1. quonam autem modo calor attrahit, ſuo loco diximus. Impotentia etiam facultatis expellentis, & debilitas membrorum mittentium facit, vt humores quos antea, dum erat potens, pellebat, intrò detineantur. Obſtructio ſimiliter ab humoribus frigidis, & craſſis impedit humores ad extra deuenire, & iuuat eorum ad intra recurſum. Idem facit denſitas ab ambientis frigiditate, vel lotione aquæ frigidæ orta. Similem effectum producit cauſa quæuis mordicans, quæ facit retroceſſum caloris influentis, & ſanguinis ad interiora, vt patet in rigore. Denique ad interna retrahuntur humores in aliquibus animi paſſionibus, vt in timore, & triſtitia.

*Humores quare ad intra retrocedunt.*

*Timor fuit cauſa retroceſſus humoris.*

Ex iis cauſis nullam inuenire potui in noſtro ægro præter timorem; renuebat enim maximè venæ ſectionem, cucurbitarum appoſitionem, & enemata; & quoties videbat Medicos, timebat valdè, exiſtimans ipſos accedere ſemper causâ exercendi talia remedia, neque quieſcere poterat, donec ab eius diſcederent præſentia. Quod autem timor moueat humores ad intra, docuit Angel. Præceptor 1. 2. *quæſt.* A 41. *art.* 2. conſiſtit enim in fuga ab obiecto arduo, diſconuenienti, & futuro, cui difficilè ſi reſiſtere poſſumus; propterea que pertinet ad appetitum iraſcibilem, cui competit rem arduam proſequi, conuenientem, & diſconuenientem fugere; qualiter enim humores & ſpiritus ad intra, & ad extra moueantur in animi paſſionibus, diximus *in lib.* 3. *de febribus, quæſt.* 3. Erat igitur noſter æger anxius; ſcimus enim ex Angelico Doctore, quod anxietas eſt timoris ſpecies; quando enim aliquid diſconueniens non poteſt præuideri, neque impediri, vt v.g. aliquod maximum infortunium, timor circa illud anxietas appellatur, quæ maximè animum perturbat, & omnium membrorum concuſſionem facit; ideóque Seneca *in Hercul. act.* 3. de eo ſic loquitur:

B
> *Vagus per artus errat excuſſos tremor,*
> *Erectus horret crinis, impulſis adhuc*
> *Stat terror animis, & cor attonitum ſalit,*
> *Pauidumque trepidis palpitat venis iecur.*

*Timor ſolet eſſe mortis occaſio.*

Abhorrebat enim æger venæ ſectionem, & alia remedia, ita vt fluentibus vndique lacrymis miſerè ingemiſceret, cogereturque veluti vt infortunia ea deplorare. Sicque factus fuit humorum recurſus ad intra; nam *ſecum affert motum ad intra timor*, vt oſtendunt Galenus 2. *de cauſis ſymptom. cap.* 5. Auic. *fen.* 2. *lib.* 1. *doct.* 2. *ſumma* 1. *cap.* 14. & quandoque interficere valet cordis calorem ſuffocando. Circa hoc lege meum de febrium cauſis tractatum, in quo quæſtio agitatur, an animi paſſiones quemquam interficere valeant.

*An in timore detur expanſio humorum ad extra.*

Circa hoc punctum tamen poteſt eſſe contradictio; nam videtur, quòd in vehementi timore potius humores mouentur ad partes exteriores, atque adeò ratione timoris præclariſſimus æger non potuit pati eorum retroceſſum ad partes internas. Hoc C patet in Chriſto Domino, cuius diuina Maieſtas cùm perueniſſet cum diſcipulis in villam, quæ dicitur Gethſemani, quæ erat ad radicem montis Oliueti, vt refert Diuus Hieronymus in traditionibus hebraicis, vbi erat hortus, vt habetur ex Ioanne Euangeliſta *cap.* 18. in quem ingreſſus eſt IESVS, vt oraret, in qua oratione, vt narrant Euangeliſtæ, cœpit IESVS pauere, & tædere, & mœſtus eſſe, dixitque: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, & in agonia factus, ſudor eius factus eſt ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, &c.* Ex quibus verbis claret, quod Dominus IESVS erat in agone, quæ eſt vltima & intenſior timoris ſpecies, & eam habent, qui morti proximi exiſtunt, ex Diuo Thoma *loco præallegato*, & tamen ſudauit ſanguinem, quod neutiquam accideret, ſi in timore, & mœſtitia humores ad intra mouerentur.

*Sudor Chriſti Domini in horto orantis non fuit miraculoſus.*

D Neque valet dicere, illum ſudorem ſanguinis fuiſſe miraculoſum. Eius enim contrarium probat Caietanus *Lucæ* 22. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *partem Diui Thomæ, quæſt.* 46. *art.* 8. idque demonſtrant ratione theologica, & phyſica, & vt certiorem horum Authorum mentem amplector. Quare reſpondetur, quod dum virtus vitalis eſt valida, licèt angor, ſeu timor ſit tantus, vt moueat ſpiritus, & ſanguinem ad cor, ita vt immineat ſuffocationis periculum; ipſa tamen virtus vehementi concitato motu ſuffocationem fugiens ad extra ſanguinem, & ſpiritum fundit, contra impetum paſſionis timoroſæ. Cùm igitur Chriſtus Dominus naturali affectu timeret, deliberata tamen voluntate, & actu appetitus à voluntate imperato, mortem, & dolores omnes illi propoſitos amplectebatur, & ſua tanta virtute, & fortitudine naturalem affectum ſuperabat, ideóque fuit ſubſequuta expulſio ſpirituum, & ſanguinis

ſanguinis ad extra; & non obſtante illo timore, & agone, factus fuit ſudor ille ſanguineus, qui non fuit factus ratione timoris, ſed potiùs ratione validæ virtutis vitalis contra impetum, & effectum timoris omnes ſuos conatus apponentis.

Alterum ſymptoma ei ſuperueniens eadem die quinta, fuit duplex per aluum deiectio bilioſa pituitæ admixta, quæ contingere potuit ex humorum motione, & irritatione; & cùm partes internæ eſſent ex humorum retroceſſu grauatæ, & oppreſſæ, vt ex pulſus paruitate, & inæqualitate, & aliis ſignis notum erat, non mirum, quod humores natura omnibus modis reiicere tentaſſet. Metu etiam excrementa ſolui naturale eſt: circa hoc lege Octauium Francifortium *lib.1. ſect.16. de perturbationum ſubiecto, ſect.16. de timore.*

*Metus ſolet cauſare ventris ſolutionem.*

Non habuit ſitim, quia habebat tuſſim, & diſtillationem, quâ loca illa ad aſperam arteriam, & œſophagum pertinentia madida fiebant. *Quibus in febribus ardentibus tuſſes ſiccæ fiunt leuiter irritantes, non multùm ſiti infeſtantur*, ex Hippocrat. 4. *aphoriſmor. textu* 54.

*Cur æger non habuit ſitim.*

Sexta die fuit febris remiſſa, licèt non fuiſſet vrina perfectè cocta, duplici de cauſa; tum ratione euacuationum antecedentium, quibus imminuta fuit materia morbifica; tum propter humorem, qui fluxit ad os. Sæpè quidem accidit, quod ex permutatione humoris facientis febrem in aliam partem, febris ipſa remittatur, etſi ex ea permutatione maior ſequatur noxa; quod inſinuat Gentilis *ſen.* 1. *lib.4. tract.1. cap.3.* & Conciliat *differ.* 107. Vnde ex fluente humore viſcido, & craſſo ad os, & ex euacuatione humoris die quinta facta, natura facilè regulare potuit humores in venis exiſtentes, & eos coquere ad febris ablationem, quæ terminata fuit ex toto decimaquarta die.

*Quare febris fuit imminuta.*

Ad curationem accedentes, cùm æger plethoricus extitiſſet, & parentes venæ ſectionem illius admittere noluiſſent, demere plenitudinem cœpimus frictionibus, balneis, & victûs parſimonia. Verumtamen cùm phletora fuiſſet multa, ita vt vires grauaret, facilè excitari potuit putredo in venis, & ſuccenſa fuit febris (vt dixi) continua, cum prædominio bilis, & de genere ardentium, cui neceſſariò ſubuenire deberemus ſanguinis miſſione; neque aliter poterant venæ deobſtrui, humores ventilari, & inhiberi putredo, biſque ſanguinem mittere iuſſimus in diebus minorum acceſſionum, nempe ſecundo, & quarto die. Sed cùm die quinta perciperetur pulſus inæqualitas, humoris ad intra retroceſſus, anxietas, & perturbatio, ſtatim humores ad extra reuocare tentauimus frictionibus, cucurbitulis, & inunctione facta ex oleo mirabili ſcorpionum Mathioli. Similiter ei obtulimus potionem cordialem ex aqua blugoſſi, & ſcorcioneræ, cum granis quinque lapidis Bezoar orientalis, & confect. hyacinth. & pauco ſyrupo oxalidis, vel de ſucco limonum; quibus auxiliis eo die repetitis, laborioſè ſatis pertranſiuit. Nox etiam fuit laborioſa, ita vt die ſexta, in qua deberet ſanguis mitti, ob debilitatem, & quia acceſſio fuit anticipata, non potuimus ſanguinem mittendi occaſionem inuenire. Veſpere tamen, tranſactâ acceſſione, viribuſque recreatis, ex omnium conſilio viſum fuit venam ſcindere; neque erat tutum expectare diem ſeptimum ſine profuſione ſanguinis, quâ factâ, ea nocte bene ſe habuit, & dormiuit multùm, ita vt die ſeptima febris habuiſſet maximam remiſſionem. Attamen cùm iam conſpicua eſſet diſtillatio ad oris partes eo modo, quo dictum eſt, inſtituimus gargariſmata ex decocto hordei, liquiritiæ, florum quatuor cordialium, cum ſaccharo, & pauco oxymelite, cum ſyr. roſarum, in quem finem ad abſtergendum etiam gargariſmum confecimus ex potione communi, quam noſtrates vocant *aloxa*, ei addendo ſuccum limonum, & ſcaccharum. Erat tamen pituita illis partibus adhærens, tenax, & viſcida, neque facilè ſeparari poterat; ideóque abluere fecimus pluries ipſas partes melle roſaceo, cum ſucco limonum, vel pauco oxymelite, eas ſpecillo detergendo quovſque paulatim mundæ redderentur; aliter enim poterat ibi vlcus mali moris fieri, vt quotidie cernimus in vlceribus anginoſis ab huiuſmodi fluxionibus ortis. Neque fuit neceſſe ad alia maiora deuenire auxilia, imò cum enumeratis ſedata fuit fluxio, & pituita adiacens detracta, oſque ſecundùm omnes ſuas partes abſterſum, & mundum. Denique victus ratione debitè inſtituta, priſtinam fuit ſanitatem adeptus.

*Curatio febris, & diſtillationis.*

---

## OBSERVATIO III.

*De Monacha affecta impetigine totam illius faciem obuelante, quæ curata fuit poſt alia plurima remedia, vnguento pro ſcabie.*

MVliebre genus variis affligitur morbis, proptereaque Hipp. tot ſcripſit libros de morbis muliebribus, de ſterilium, & virginum morbis, quorum quidam ſunt ipſis peculiares, quidam verò etiam hominibus adueniunt, inter quos lichen, ſeu impetigo locum tenet, qua laborabat hæc monacha ex menſtruorum detentione. *Si enim menſtrua plura fluunt, accidunt morbi; & ſi non fluunt, ex vtero morbi contingunt*, docente Hipp. 5. *aphor. text.* 57. quibus morbis vteri facilè totum compatitur corpus, vt inquit Galenus in eiuſdem textus phraſi. Ex hac igitur cauſa pati cœpit in mento pruriginem quandam cum cutis aſperitate, & dum confricaretur, ab ea manabat, ſeu diſtillabat ros, paulatimque fuit extenſa per totam faciem, ita vt ſecundùm omnes faciei partes cooperiretur, & ipſius faciem redderet deformem, aſpectuique horribilem, & à tota facie manabat ros, ſeu ſanies quædam, quæ ibi detenta condenſabatur, ita vt cruſtam efficeret. Habebat ſimiliter ruborem, & calorem in tota facie. Egræ ætas erat iuuenilis, temperamentum illius calidum, & humidum, vino pro potu vtebatur, moderatè tamen, quia ſtomachum debilem, & frigidum ſentiebat: tempus erat æſtiuale, calor immodicus, quo deteriùs ſe habebat, neque poterat perferre pruritum & calorem faciei; & quod magis eius torquebat animum, erat deformitas, neque ſe in ſpeculo intueri audebat. Quapropter à me auxilium popoſcit, petens vt quamcitiſſimè eam ab illo immani morbo liberarem, eiuſque precibus victus, ſic eam curandam ſuſcepi.

*Mulieribus morbi plures accidunt.*

### ANNOTATIO.

HIc caſus connexionem habet cum præcedenti, in quo de cutis efflorescentia, ſeu eſſere, & prurigine ſermonem inſtituimus, eoſque affectus eſſe cutaneos diximus; quo ſermone incepto, mihi viſum fuit de hoc affectu pertractare, qui inter cutaneos locum habet. Sed maioris claritatis causâ, quid lichen ſit, dicam, eius accidentia, & cauſas adducam, curationem denique proponam, quâ curata fuit noſtra ægra; inſuperque alia tradam remedia ab Authoribus comprobata, vt nihil in hac tractatione deſideretur.

Lichen

*Lichen faciei turpis affectio.*

Lichen in facie turpiſſima eſt affectio, & iniucundiſſima, vt docet Gal. 5. *de compoſit. medic. ſecundum loc. cap.* 7. ex Critonis mente, vbi ait, quod aliquando per totam faciem proſerpit, oculoſque contingit, & fermè extremæ fœditatis cauſa exiſtit: quapropter diligenter eſt curandus, nec minùs diligenter eius eſt inueſtiganda natura, cùm circa illum variè loquantur Authores. Hunc morbum impetiginem vocat Auic. *fen.* 7. *quarti*, *tract.* 3. *cap.* 3. eumque Barbari multi ſerpiginem appellarunt, ſeu zeruam. Halyabbas pruriginem, & ſarpedinem nominat, quam Gal. *lib. de definitionibus medicis*, definit ſic: *Impetigo eſt ſumma cutis aſperitas cum multa prurigine.* Sed quia ſunt plures affectus cutanei, pruriginoſi, & cutem aſperam reddentes, vt pſora, ſeu ſcabies, & lepra, elephantiaſis, & eſſere; ideò oportet cuiuſque tradere differentiam, ſeu diſtinctionem. De pruritu iam diximus, quod non petit ex ſe extra cutem humorem prorumpere, ſed intra cutem contentus pruriginem excitat. Huic affinis maximè eſt ſcabies, de qua Paulus ait, quod eſt aſperitas cutis cum pruritu, & corporis colliquatione variè figurata, ex qua emanant quædam corpuſcula furfuracea. Gal. 4. *aphor. comm.* 77. in ſcabie & lepra aſſerit tenue quoddam excerni, quod imitatur ſenectam ſerpentum, & eſt ſicut illud, quod à veſſica excernitur furfuraceum. Cornelius Celſus ait, quod ſcabies eſt tumor cutis durior, & rubicundior, ex quo puſtulæ quædam emanant, interdum humidæ, interdum ſiccæ, & ex puſtulis quibuſdam ſanies exit.

*Lichenis definitio.* — *Quid ſit ſcabies.*

*Scabiei cauſa.*

Hæc etenim differentia naſcitur ex humorum diuerſitate, à quibus fit; nam ſæpè fit ab humore melancholico, vt ait Galen. *lib. de tumoribus præt. nat. cap.* 13. & 7. *aphor. com.* 4. Similiter & 11. *ſimplic. medic. capit. de carne viperina*, dixit ſcabiem fieri ab humoribus ſeroſis, & craſſis. Actuarius tamen *lib.* 2. *method. capit.* 11. ſcabiem fieri ex omni humorum miſcella teſtatur: quare exiſtimo cum Mercuriali, Ioanne Thagaut. & aliis, quod duplex genus ſcabiei inuenitur; ſiccum vnum, humidum alterum. Siccum eſt illud, in quo nihil emittitur, vel id quod exit eſt craſſum, terreum, & ſiccum, & furfuraceum, vt exiſtimauit Paulus. Humidum eſt, in quo materia humida, ſanioſa, ſubtilis, & acris, vel craſſa, & ſordida educitur, vt cenſet Celſus, ita vt iuxta dominium humoris huius, vel illius ſcabiei genus reſultet; ita tamen, vt cutem ſolum variis figuris lædat, ad differentiam lepræ, quæ ſi Paulo credimus, ſic definitur: *Eſt aſperitas cutis cum pruritu, & corporis colliquatione, ex humore melancholico orta, orbiculatim depaſcens profundas corporis partes, atque piſcium inſtar, ſquammulas ex ſe mittens.*

*Duplex eſt ſcabiei genus.* — *Lepra quid ſit.*

*In quibus conueniant & differant iſti affectus.*

Ex quibus facilè poſſumus differentiam ſtatuere inter huiuſmodi affectus; conueniunt enim ſæpè in cauſa, cùm omnes ab humore melancholico ortum ducant. Conueniunt ſimiliter in pruritu, & aſperitate cutis: quapropter à Gal. allata definitio de lichene eſt diminuta, ſiquidem ſolùm tradit rationem cuilibet horum affectuum communem, non tamen differentiam inter ipſos conſtituit. Quare dicendum eſt, quod quando leuiter cutis inficitur, cum ſola videlicet aſperitate, & pruritu, licèt aliquid emanet ex cute, tunc impetigo à Latinis dicitur, græcè verò lichen: dum autem deterior redditur affectus, nomen, & formam mutat; nam ſi per extimam ſuperficiem tantùm ſe extendit, & variè fit figurata, & puſtulæ paruæ, & ſiccæ, ſiue furfuraceæ, aut humidæ cum ſanie erumpant, ſcabies tunc appellatur, à Græcis pſora. Quod ſi præter pruritum, & aſperitatem manifeſtæ ſquammæ ſuperueniunt, atque altiùs cutem depaſcitur, lichen tunc lepra propriè nominatur. De elephantiaſi non dubito, quod facilè diſtinguatur, cùm procedat ab atra bile, & totam cutem craſſam, atque inæqualem reddat, cum liuore cutis, cum exeſione manuum, & pedum, ex quibus ſanies liuida, & fœtida emanat, ex Galen. *lib. de definitionibus medicis.* Lege Paulum *lib.* 4. *cap.* 1. Neque erit difficile impetiginem diſtinguere ab eſſere, cuius tractationem in annotatione antecedenti adduximus.

Dubitari poteſt, quiſnam morbus ſit impetigo. Reſpondetur, facilè in eo plures morbos reperiri; datur enim in eo ſolutio continui, cuius ratione fit dolor pruriginoſus, quatenus humor acris, & pungens cutem dilacerat. Datur ſimiliter morbus in intemperie ſecundùm prædominium humoris peccantis. Datur inſuper morbus in ſuperficie, ſiquidem redditur cutis aſpera, & inæqualis ſecundùm extimam ſuperficiem. Hic morbus præterea eſt contagioſus, ſiquidem parum diſtat à ſcabie, quæ contagioſa eſt, vt omnes docent; quod deſumitur ex Philoſopho *ſect.* 7. *problem.* 4. vbi ait, quod genus prurientium contagioſum eſt, ſcabieſque eſt magis contagioſa adhuc quàm lepra; nam etſi vterque affectus per ſumma corporis erret, in ſcabie tamen per ſumma oritur glutinoſum quoddam, quod facilè hæret, & communicatur; in lepra verò id quod communicatur, eſt ſiccum, & non facilè hærens.

Sed vt clariùs procedamus, ſciendum eſt, quod lichenum duo ſunt genera, benignum vnum, & mite; & alterum ferum, quod agreſte appellatur à Galen. 6. *de compoſ. medic. per genera, cap.* 2. §. *qui incipit*: *Agreſtes impetigines nominant*, &c. Quæ à medicamentis moderatè ſiccantibus nihil iuuantur, à nimis exſiccantibus irritantur valdè. Duas etiam impetigines conſtituit ipſe libro qui *Medicus* inſcribitur; mitem vnam, feram alteram. Rurſus alia eſt impetigo humida, ex cuius confricatione ros fluit; alia verò ſicca, ex qua nihil roris manat. Denique alia eſt recens, alia inueterata, quæ difficilè curatur, & in lepram tranſire ſolet. Ita Auic. *fen.* 7. *lib.* 4. *tract.* 3. *cap.* 3. Ex iis etiam alia eſt ambulatiua, & maligna, alia de ſe ſtans. Alia demùm dicitur excorticata, propter vehementiam ſiccitatis, & multitudinem profundationis, ſicut albaras nigra; & alia non eſt excorticata. Quæ omnes differentiæ oriuntur penes cauſæ diuerſitatem, benigniorem, & deteriorem illius qualitatem, & conditionem.

*Obiectio.*

Obiicies tamen ex iis, quæ ſuprà annotauimus; nam impetiginis ſtatuentes differentiam, reſpectu ſcabiei, & lepræ diximus, quod dum leuiter cutis afficitur cum aſperitate, & pruritu, tunc impetigo datur. Si ergo datur impetigo ſerpens, & maligna, & cum profundatione, & cum vehementia ſiccitatis, excorticationem cauſans, & conſequenter maximam cutis aſperitatem, imò cum vitæ periculo, vt ex Gal. conſtat ſuprà citato, quomodo poteſt dici, quod in impetigine cutis leuiter afficitur?

*Solutio.*

Reſpondeo, quod impetigo, dum ſuam ſeruat naturam, leuiter cutem inficit; tamen quia facilè in ſcabiem & lepram migrat, ideò Auic. illam depingit cum prædictis conditionibus. Et re vera cùm dependeat ab eiſdem cauſis, à quibus dependent ſcabies, & lepra, non mirum ſi celerrimè earum adquirat naturam, & proprietates, vt ait Paulus, & ſub nomine impetiginis comprehendatur ab Auic.

*An mentagra, & impetigo ſint idem.*

Dubitari tamen poteſt, an lichen menti ſit idem cum mentagra, de qua ſcripſit Plinius *lib.* 26. *natur. hiſt. cap.* 1. Galenus equidem, vt diximus ex Critonis mente, lichenis menti ſigna afferens aliqua vtrique affectui communia proponit; nam

tam lichen, quàm mentagra per faciem totam proſerpunt; oculis tantùm immunibus. Habentque tantam in facie fœditatem, vt quæcumque mors illis præferenda eſſet. Verumtamen, cùm alia plura reperiantur in mentagra, quæ non elucent in lichene, idcò exiſtimandum cum Mercuriali, inter ſe differre; mentagra etenim fit ſine dolore, & ſine vitæ pernicie; lichen verò dolorem ſaltem prurigi noſum producit. Neque mentagra inualuit apud maiores, ſed priori æuo fuit incognita; neque eam ſenſere fœminæ, & homines ſeruiles, & humiles, ſed proceres. At lichen antiquiſſimus eſt, & quocumque æuo cognitus, de quo mentionem facit Hipp. *lib.2. prædict. textu vltimo*, & 3. *aphor. textu* 20. illumque annumerat inter morbos vernales. Similiterque lichen menti indifferenter omne gentium genus afficit, atque adeò Marcellus Medicus mentagram à lichene diſtinguit. Differunt præterea in cauſa; nam cùm mentagra fiat ſine dolore, cauſam petit humorem non mordacem, ſed potiùs pituitoſum, & melancholicum; cuius contrarium aduenit licheni, vt mox referam. Galenus etiam 7. *de comp. medic. ſecundùm loc. cap.*7. poſtquam de impetigine egit, de mentagra ſermonem inſtituit, quæ cùm Romæ quodam tempore apparuiſſet, Pamphilus Medicus plurima lucratus fuit in illius curatione, adhibito excoriatorio lichenum.

*Lichenis ſigna pathognomonica.* Signa lichenis ex dictis innoteſcunt facilè; nam plurima vlcera in eo apparent rotunda, in quorum medio apparet veluti foramen, interdum veluti plaga cum pruritu, ardore, & aſperitate defluens; quandoque veluti cortices, & nonnunquam fluit humiditas ſudoris modo.

*Illius cauſa.* Cauſæ lichenis ſunt omnes illæ, quæ faciunt ſcabiem, ex Hipp. 3. *aphoriſm.* ita vt eius materia ſecundùm omnes ſit mixta ex humoribus tenuibus, ſeroſis, & craſſis; in qua mixtione craſſi, vel tenues humores exſuperant. Pars affecta, vt diximus, eſt cutis menti præſertim, & faciei; cum hoc tamen in aliis manifeſtatur corporis partibus, vt quotidie experimur.

*Prognoſticum.* Signa prognoſtica iam ſunt relata; diximus enim ex Paulo, quod hic affectus facilè in ſcabiem, & lepram mutatur, præcipuè ſi negligatur, aut in initio non benè curetur. Similiter faciliùs curatur in iuuenibus carnoſis, & molliſſimis corporis partibus, ex Hippocrat. 2. *prorrhiticorum, in fine.* Vlteriùs melioris ſanationis eſt illa impetigo, cuius ſubtile exſuperat, & eſt ſanguinea, in qua cùm fricatur, apparet ros, ex Auicenna. Quia ergo aderant in noſtra ægra rubor, & ardor, & diſtillabat ab illius facie veluti ros, & illius temperies calida, & humida erat, facile erat intelligere, ibi adfuiſſe ſanguinis prædominium, licèt eſſet admixtus ſeroſis, tenuibus, & craſſis humoribus; qui omnes cùm temporibus à natura ſtatutis per vterum euacuari deberent, ea euacuatione detenta, ad faciem trudebantur, ibique hunc cauſabant affectum.

## §. VNICVS.

### *Lichenis curatio.*

HÆc omnia tradita ſunt, vt ab eis ſumpta indicatione huius morbi curationem aggrediamur. Sed quia hic affectus parum à ſcabie diſtat, eandem ferè efflagitat curationem. Quare probâ victus ratione inſtitutâ per alimenta ad frigiditatem, & humiditatem vergentia, ſimulque aperientia, vt locus euacuationi menſtruali daretur, factaque euacuatione ſufficienter humorum per venæ ſectionem, & expurgationem, iuxta artis regulas, adhibitiſque frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis partium inferiorum, vt menſtruæ purgationes ad conſuetam, & naturalem ſe regionem conuerterent, ebibitiſque plurimis diebus potionibus ex ſero, & aliis, quibus inerat vis deobſtruendi, & aperiendi, vt ſic cauſa antecedens detraheretur, & parti mandanti prouideretur, ad localia remedia deuenire ipſa ſuadebat ratio. Sed cùm tota ægræ facies cruſtoſa redderetur, quia illa ſanies, ſeu ros, qui effluebat, à calore & ſiccitate in cruſtam reducebatur, viſum fuit mihi faciem fouere balneo aquæ dulcis, quod vt potiſſimum remedium Auicen. commendat: in quem vſum poteſt etiam fieri balneum ex decocto violariæ, maluarum, fumariæ, florum borrag. bugloſſi, & radicum altheæ; & vt faciliùs cruſta decideret, vngere iuſſi faciem totam butyro vaccino recenti, vel ſæpe aquâ maluarum loto, quibus cruſta decidit. Deinde ad alia deuenire poteram auxilia, quibus Authores vtuntur. Cùm tamen hic affectus parum diſtet à ſcabie, viſum fuit mihi vtile remedium commune Doctoris Aldrete pro ſcabie curanda, quo ægra intra ſeptem dies ex toto liberata fuit à morbo ſine recidiua.

*Contradictio inter Paulum & Auic.* Inſurgit tamen dubium non leue circa huius morbi curationem. Paulus enim inquit, quod hic morbus remedia nimis exſiccantia petit. Auic. humectantia commendat, & ſeparationem aëris ſicci. Galenus aſſentitur Paulo, nam remedia à Galeno propoſita vim ſiccandi habent. Cùm ergo vnus morbus vnum indicet remedium, vt liquet ex Gal.3. *methodi*, non poteſt ſimul indicare remedia maximè inter ſe diſtantia. Petrus de Largelata Bononienſis aſſerit, quod huius morbi cauſa eſt humiditas mixta cum ſanguine groſſo, vel phlegmate ſalſo; & propterea eſt cum pruritu, & exſiccantibus eget auxiliis. In hac re dicendum eſt, quod vt ſuprà diximus, debemus conſiderare cauſam in hoc affectu prædominantem; nam ſi humor craſſus, ſiccus, & melancholicus, ſeu ſalſus exſuperet, humectantibus, & abſtergentibus auferri debet, & de hoc venit intelligendus Auic. neque voluit, quod non offerantur auxilia ſiccantia, ſiquidem ipſe exhibet hoc morbo affectis pondus vnius drachmæ laccæ ablutæ, quæ calefacit, & exſiccat cum decoctione ozymi; quod auxilium competit dum adeſt ſuperexcedens humiditas, vt in impetigine humida, & ſanguinea, in qua ſi fricatio fiat, cadit ros, vt ipſe Auic. teſtatur. *Contradictionis compoſitio.* Paulus verò aliter affectum contemplatur, nam ideò validè exſiccantia ſtatim commendat, ne ſcilicet in ſcabiem, & lepram celerrimè tranſeat; nam remediis exſiccantibus abſumitur humor, firmatur cutis, porique denique ſtrictiores fiunt, ſicque tollitur contradictio inter huiuſmodi Authores.

*Remedia pro quolibet lichene durante.* Sed quia hic affectus diu perſeuerare ſolet, ob negligentiam illorum, qui eum patiuntur, difficiléque poſtea dimouetur, ideò Authores varia proponunt remedia illi valdè proficua: at dum recens eſt, conuenit oleum tritici, & ex Oribaſij præcepto, conferre ſolet ſaliua ieiuni, ſimiliterque oleum ex vitellis ouorum. Valent ad idem ea vnguenta, quæ quotidie parantur ad ſcabiem, cùm parum ab ea diſtet. Item & butyrum vaccinum recens cum ceruſa, & ſucco limonum; quod ſi aliquid ſulphuris viui addideris, fortius illud efficies. Vnguentum lythargyrij etiam prodeſt. Pro fortioribus, & inueteratis fortiora ſunt adhibenda, quorum materiam tradit Hipp. 2. *de morbis muliebribus*; nam ait, ipſum tolli aceto, manna thuris, ſulphure, naſturtio ſilueſtri vſto, viperæ exuuiis, & rumicis ſilueſtris radice. Rondelet. *tract. de fucis*, varia, & admiranda

randa proponit remedia ad lichenum ablationem, vt ℞. aloës ʒ. ij. diſſolue in aceto ſchillitico ad modum linimenti, quo ter liniantur partes affectæ. Vel ℞. aceti ſchillitici ℥. ij. ſucci lapathi acuti, & olei tartari, ana ʒ. iij. incorporentur ſimul ad modum linimenti. Sulfur cum aceto feliciter adhibet Mercurialis.

Quod ſi impetigines ortum ducant ex lue gallica, curari nequeunt ſuprà ſcriptis remediis; nam licèt auferantur, facilè redeunt, niſi curentur vnctionibus ex hydrargyrio, & aliis, quibus ſolet talis affectus remoueri. Tandem Auic. eas curat ſanguinis anguillarum applicatione. Plinius *lib. 29. cap. 4.* cantharides prodeſſe aſſerit, ſi cum ſucco taminiæ vuæ, & ſebo ouis, vel capræ miſceantur, & fiat linimentum. Neque per os ſunt aſſumendæ, ſiquidem, vt ibi narrat ipſe, Coſſinum Equitem Romanum amicitia Neronis notum, & lichene correptum Medicus quidam Ægyptius interemit ex cantharidum potu; fugienda enim ſunt quæcumque venenoſa, & periculo plena exiſtunt. Quod ſi impetigo extenditur, ſeu multiplicatur, tunc iam lepræ curationem admittit; mutat enim impetiginis proprietates, & lepræ conditiones adquirit, vt ait Auicenna.

*An cantharides ſint ex vſu.*

## OBSERVATIO IV.

*De quodam patiente luem gallicam, ſtuporem, & frigiditatem lateris ſiniſtri, cum melancholia hypochondriaca, dolore pectoris, & ventriculi frigiditate, & venarum meſenterij obſtructione.*

*Caſus proponitur.*

Æger quadragenarius naturâ obeſus, & circa res non naturales malè ſe gerens, & venereis delitiis commiſſus varios morbos ab his cauſis ortos ſentire cœpit, quibus quotidie magis vexabatur; & cùm eum timor mortis occupaſſet, ad me peruenit auxilium efflagitans, & ſui reddens rationem, morborum quos patiebatur, hiſtoriam narrauit, dicens ſe pati dolorem ventriculi, ibique ſentire plurimam copiam humoris pituitoſi, ſimulque ſentire dolorem in pectore, & ſæpe reſpirandi difficultatem, præſertim duabus, vel tribus horis à cibatione; & cùm veneri non indulgeret, exiſtimabat pati affectionem gallicam, & dum deambulabat, facilè fatigabatur, ita vt ſuffocari videretur, ſentiebatque tenſionem in regione ventris, variiſque ſimul imaginationibus cruciabatur, ita vt eum inſomnem, & triſtem redderent. Habebat ſimul præſertim noctu pedes œdematè affectos, licèt manè vſque ad meridiem eos ſine tumore eſſe perciperet: prætereaque colorem ipſius magis quàm tempore ſalutis ad albedinem vergentem iudicabat. Noctu tempore ſomni anxius reddebatur, neque à ſomno facilè arripi poterat, quibus afflictus auxilia poſtulabat, neque iam poterat tot labores ſuſtinere ſine vitæ exſolutione.

### ANNOTATIO.

Qvantam vim ad vitæ fruitionem, & conſeruationem habeat moderatio, ſeu temperantia, ita de ſe notum eſt, vt probatione non egeat; ſemper enim malum eſt à recto deuiare, & in omnibus rebus debet adeſſe modus, propterea que Horatius *ſerm. 1.* cecinit:

*Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,*
*Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.*

*Temperantiæ officia duo.*

Sunt equidem temperantiæ officia duo: primum honeſtas, & licitas voluptates corporis abſentes moderatè expetere, & præſentibus moderatè frui. Secundum, illis voluptatibus ſic vti, & frui, ne quid propter eas committatur, quod poſſit vel famem, vel valetudinem, vel rem familiarem lædere. Horum contraria adueniunt intemperatis, vt ait Stobæus *ſerm. de intemperantia*; & ſicuti in ædibus, in quibus eſt copia alimentorum, ſunt mures, & feles, ſic corpora intemperatorum morbi multi accifcunt, ex eodem. Quia ergo hic æger intemperatè viuebat, ideò variis affligebatur morbis, quorum naturam, ſigna, cauſas, & curationem non erit in præſenti facile inuenire; ea tamen quâ potero claritate, adaperiam, & qualiter in eorum curatione me habui, ad vnguem referam, vt dum implicatos morbos Tyrones inuenient, ægris auxilio eſſe poſſint. In primis cœpit æger eſſe querulus de ventriculi cruditate, & frigiditate, & dolore ipſius. Latè in noſtra praxi de hoc affectu egimus; breuiter tamen, ne hîc deficiat aliquid, ipſum percurremus. Cruditas formaliſſimè ſumpta priuatiuè coctioni opponitur, ſicuti motui quies. Cognitâ ergo coctionis naturâ, haud difficile eſt cruditatem inuenire. Coctionem Ariſt. *4. meteor. c. 2.* ſic definit: *Concoctio eſt perfectio à calore, tum naturali, tum proprio, ex oppoſitis patibilibus: hæc autem ſunt propria vnicuique materia.* Calor enim naturalis dum res coquitur, humoris ſuperflui, & redundantis portionem abſumit, reliquumque coërcet, miſcetque cum ſicco. Dum ergo à calore naturali circumſcribitur humor, & in ipſa circunſcriptione domatur, & retinetur cum ſicco admixtus, tunc humorem, ſeu materiam perfici, & concoqui dicimus. Quòd ſi calor naturalis hæc opera aggredi non valet, illa materia cruda remanet, & imperfecta in ordine ad nutritionem; & defectu, aut priuatione harum rerum ortarum à calore operari nequeunte, ſtatuitur cruditas. Sed quia ſunt cruditatis plures ſpecies, ex Gal. *lib. de differ. ſympt. c. 4.* prima dum nullo modo immutatur id, quod coqui deberet, & eſt coctionis abolita actio, quæ græcè ἀπεψία dicitur; aut quando aliquam, licèt paruam, alimentum ſubit mutationem, & eſt coctio diminuta, quæ βραδιπεψία vocatur; aut denique dum alimentum qualitatem aliquam à natura alienam comparat, vt accidit in cruditate acida, & nidoroſa, quæ dicitur δυσπεψία, & eſt actio deprauata deſtruens potiùs alimentum, quàm perficiens; ex iis cruditatis ſpeciebus æger hic patiebatur diminutionem coctionis, ita vt non benè alimentum commutaret; & inſuper in ventriculo ob caloris natiui debilitatem maximam crudorum humorum copiam congregabat, à quibus ſuffocatus calor, & euictus ſuum munus peragere non poterat. Ideóque calor diminutus cum ſit, ex ipſis humoribus crudis, tanquam ex materia, plures eleuabat flatus, qui ventriculum, & pectus diſtendendo dolorem cauſabant in eiſdem partibus, præſertim tamen duabus horis à cibatione; tunc etenim calor influens ad ventriculum tranſmiſſus, materiam alimenti attenuans, & in flatus vertens, eoſque reſoluere non potens, intenſiorem excitabat dolorem; quod ita fieri docuit Gal. *1. prorrhetic. com. 1. in text. 35.* vbi ait: *Flatus in ventriculo generantur, humoribus, vel cibis exigua caliditate in vaporibus diſſolutis.* Idemque teſtatur *6. epidem. com. 3. text. 12.* ſi enim eſt intenſus, reſoluit ipſos, & diſcutit; remiſſus verò non poteſt, ex Gal. *3. de cauſ. ſympt. c. 2.* Ex iis deduco, hunc ægrum laboraſſe intemperie frigida ventriculi cum præſentia humoris crudi, habuiſſeque actionem diminutam coctionis ventriculi, tanquam primum ſymptoma, quod ſubſequebatur generatio flatuum; qui cum ſint ſubſtantia à natura aliena, talis actio reſpectu illorum dici debet depra-

*Cruditas quid ſit. Coctio quid ſit.*

*Coctionis officium.*

*Cruditatis ſpecies.*

*Generationis flatuum cauſa proponuntur.*

uata. Deinde habuit ſymptoma tertij generis, in iis quæ retinentur præter naturam; ſiquidem illi flatus detenti ſequebantur actionem morbi deprauatam. Veruntamen cùm ſymptoma, quà tale eſt, ſolum ſequatur morbum, & non lædat, etiamſi ſit præter naturam; hi tamen flatus, quia ventriculum, & pectus diſtendebant, ita vt excitarent dolorem, fatendum eſt habuiſſe ſimul rationem cauſæ continuum diſſoluendo, ex cuius ſolutione dolor infertur, qui eſt actio deprauata ſenſus tactus, vt alibi à nobis demonſtratum eſt.

*Obſtructiones patiebatur æger, & quare.*

Ex iis habemus, qualiter huius infirmi ventriculus afficeretur. Neque erat difficile intelligere, ipſum ægrum ſimul pati obſtructiones in venis meſenterij, ab ipſis humoribus crudis ad ipſas ex ventriculo confluentibus, qui cum à iecoris facultate coctrice concoqui, & ſuperari non valerent, neque ſecunda coctio poſſet ſupplere, vel corrigere defectum primæ, vt inſinuat Galen. 4. *de ſanitate tuenda, capite vltimo*; B ideò illi humores ibi detenti, & ad nutritionem inepti manifeſtam obſtructionem cauſabant; & cum quotidie gignerentur, protenſa fuit affectio non ſolùm ad venas meſeraïcas, ſed ad totam ventris regionem; vnde etiam debilitato calore, iecur cœpit generare maximam copiam flatuum, quibus diſtendebatur, & corpus totum albidius reddebatur, ob pituitæ multitudinem, quæ per vniuerſum corpus ad cutem vſque deferebatur, quâ noctu ad ſolis abſentiam ad pedes dilabente, tumores in ipſis fiebant œdematoſi, & foueam permittentes; ex quibus coniecimns, ipſum pati cœpiſſe cachexiam, & diſpoſitionemm ad anaſarcam, ex debilitate caloris hepatis ſub oram; imò & ad tympanitem, vt ex copia flatuum didicere par erat. Ab iis cauſis non erat difficile, quod pateretur difficilem reſpirationem, & pectoris etiam dolorem; nam præ flatuum, & humorum multitudine ſeptum tranſverſum premebatur, C quod eſt præcipuum reſpirandi inſtrumentum, cuius motus impediebatur, ita vt non poſſet dilatari: & licèt ab aliis cauſis poſſet fieri reſpiratio difficilis, nullum tamen aliarum cauſarum apparebat veſtigium, propterea que ab huiuſmodi cauſa oriri exiſtimauimus. Quod verò facilè ambulando defatigaretur, & ſuffocaretur, ex motu concitato proueniebat, ratione cuius humores mouebantur, ſpiritus vitales agitabantur, & humoribus admixti, facilè in flatus vertebantur, qui opprimentes pectus, & reſpirationis inſtrumenta offendentes, reſpirationem difficilem cauſabant; quod quotidie cernimus in iis, qui obſtructiones patiuntur, qui dum mouentur, difficillimè reſpirant; dum verò quieti permanent, ſine noxa reſpirare videntur.

*Pedes cur noctu tument.*

*Difficilis reſpirationis ægri cauſa traditur.*

*Cur obſtructi dum ambulant, defatigantur.*

*Quare per ſomnũ anxius reddebatur æger.*

Sed præter dicta oportet rationem reddere, cur per ſomnum anxius redderetur, ita vt facilè ab eo ſuſcitaretur. Hoc dubium facilè ſoluitur, ſcimus enim ex D Hypp. vt alibi à nobis actum eſt, quod ſomnus ad intra reuocat ſpiritus, & humores, ſicuti vigilia ad extra mouet. Quare eo tempore, cùm multi redundent humores, & à calore attenuentur, maiorem occupant locum quàm antea, ſicque maximè viſcera aggrauant, præſertim cor, ita vt ſpeciem præbeant ſuffocationis, eo modo, quo illi, qui in agonia ſunt conſtituti: quapropter cùm vigilia faciat motum huic contrarium, medio quo viſcera deonerantur, & libera manent, non mirum ſi vigilare appetiuiſſet æger ſtatim ac ſomno corriperetur.

*Triſtitia quid ſit, & cuius potẽtia paſſio.*

Alterum, quo cruciabatur æger, erant imaginationes plures, quæ eum inſomnem, & triſtem reddebant. Hoc ſymptoma conſiſtit in actione deprauata facultatis imaginatricis; ſiquidem tunc operatur facultas omne apprehendens obiectum, adhuc conueniens, aliter ac apprehendi debet. Veruntamen, A quia ex tali apprehenſione triſtis euadebat æger, exiſtimare oportet, non ſolum pati imaginationem, ſed etiam cogitationem; eſt enim triſtitia fuga impendentis mali, vt docet Aloiſius Luſin. *de compeſc. animi affection.* quæ fieri nequit ſine apprehenſione obiecti ſub ratione diſſentanei: hæc autem apprehenſio eſt munus cogitatiuæ potentiæ, ad quam ſequitur in appetitu ſenſitiuo fuga ab obiecto illo taliter apprehenſo; non enim appetitus mouetur ab obiecto ſimpliciter apprehenſo phantaſiæ, vt ait Diuus Thomas 3. *de anima, lect.* 3. *cap.* 4. ſed ab obiecto cognito ſub ratione conuenientiæ, vel diſconuenientiæ. Hoc animaduertens Auic. *fen.* 13. *tract.* 4. *cap.* 14. de melancholia morbo agens inquit, eſſe mutationem etiam cogitationum; nam ſine mutatione huius potentiæ non poteſt ſuſcitari actus triſtitiæ, & timoris appetitus, qui in melancholia reperitur. Quia ergo hic æger timorem, & triſtitiam B longè perſeuerantem habebat ſine cauſa manifeſta, facile erat decidere, ipſum eſſe affectum melancholia morbo, iuxta ſententiam ab Hipp. prolatam 6. *aphor. text.* 23. dum ait: *Si timor, & triſtitia longo tempore perſeuerent, melancholiam adeſſe ſignificant.* Sed quia ſunt plures ſpecies melancholiæ, vt diximus in praxi, ex mente Gal. 3. *de loc. affect. c.* 7. quarum cognitio maximè ad curationem confert, ideò inueſtigauimus, quanam ſpecie melancholiæ morbi premeretur: cumque haberet ſigna melancholiæ, quæ adducuntur à Gal. *loco proximè cit.* ex Dioclis mente, cenſendum eſt ipſum fuiſſe huiuſcemodi melancholia morbo affectum; qui cum ex ventriculi, vel hypochondriorum conſenſu fit, hypochondriacus nominatur; & quia mediis flatibus cerebro vitium communicatur, melancholia flatuoſa, ſeu mirachialis nuncupari ſolet. Quia ergo habebat ructus acidos, flatus ventriculi, rugitus, C dolores, & aliquando acida euomebat, & æſtum in hypochondriis ſentiebat, ita vt à frigidis leuaretur, & maximas pateretur obſtructiones, vt iam dictum eſt, & præterea habebat timorem, & triſtitiam diu perſeuerantem, hæc omnia illi ineſſe affectum hunc melancholicum per conſenſum à ventriculo, & venarum meſeraicarum, & lienis obſtructione indicabant.

*Species, & ſigna melancoliæ proponuntur.*

*Cur Diocles non recordatur timoris, & triſtitiæ in melancholia hypochondriaca.*

Dubitat tamen Gal. circa enumerationem accidentium, quæ ſuperueniunt melancholiæ hypochondriacæ, cur Diocles cùm cauſas aliorum accidentium redderet, quòd mens lædatur, non ſcripſit, ita vt ſit timor, & triſtitia? Reſpondet ipſe, quod accidentia melancholiæ propria non erat facile ſcribere cum dicta ventriculi diſpoſitione, & propterea Gal. addidit timorem & triſtitiam, quæ ſunt ſigna communia cuicunque affectioni melancholicæ, ſiue per ſe, vel per conſenſum fiat; quæ ſigna omiſit Diocles, vtpote aſſequi difficiliora. Quanam autem D ratione timor, & triſtitia in melancholia hypochondriaca ſuperueniant, exponit ipſe. *Sicuti enim elato ex ventriculo fuliginoſo halitu ad oculos, aut craſſis quoque vaporibus, ſimilia, vt in ſuffuſione, accidentia contingunt, eadem ratione, ſublatâ ad cerebrum ab atra bile euaporatione, veluti fuliginoſa, fumoſaque melancholica venient in mente accidentia.*

*Quanã ratione ex pituita melãcolia hypochondriaca fieri poteſt.*

Vlteriùs reuocari poteſt in dubium, quare ea vaporatio fuliginoſa excitari potuit ab humoribus crudis, frigidis, & humidis; nam licèt eadem ſit efficiens cauſa exhalationum, & vaporum, calor ſcilicet; materiâ tamen differunt: nam vaporum materia eſt aquea, exhalationum, ſeu fuliginum eſt terrea, vt ait Ariſt. 1. *lib. meteor.* Quia ergo iſte æger abundabat humoribus aqueis, à quibus vapores humidi exhalari debent, neutiquam poterant conducere ad affectum melancholicum gignendum; nam

iſte

iſte petit ſaltem intemperiem ſiccam, vt in praxi diximus, ita vt in qualitatibus redoleret naturam humoris melancholici: quod fieri nequit, niſi ex humoribus melancholicis, & aduſtis oriatur. Reſponderi poteſt, quòd in partibus, in quibus ab humoribus crudis obſtructio inſurgit, ob ventilationis defectum humores incaleſcunt, ita vt calorem naturalem excedant, vt Diocli viſum eſt; proptereaque à refrigerantibus cibis iuuantur, imò humores ibi obſtruentes inflammationem patiuntur, vt ipſe Galen. teſtatur: humor autem inflammationis à calore craſſior redditur, reſolutis partibus tenuioribus, & melancholicus efficitur. Neque nouum eſt, quod pituita ita poſſit pati alterationem à calore, vt in humorem degeneret melancholicum, vt probauimus *noſtro tract. de febribus*, quo caſu vapor exhalans ab illo humore ſapiet naturam melancholiæ, & in cerebrum aſcendens, mentem lædet timorem, & triſtitiam inducendo.

*Cur in melancholia ex inflammatione non datur febris.*

Sed Dioclis, & Galeni verba magis rem ancipitem reddunt; nam ſi iſte affectus ſit cum vſtione, & inflammatione, neceſſariò debet habere ſibi adiunctam febrem, cuius contrarium ſtatuit Gal. 2. *de cauſis ſympt. cap. vlt.* in quo omnes conueniunt; & idem dubium poteſt excitari in mania, quæ ab atra bile dependet. Si ergo in inflammationibus internis ſemper reperitur febris, quare in hoc affectu non datur? Reſpondeo, quod nomine inflammationis non intelligit Galen. veram inflammationem, quæ ex ſanguine in aliqua parte collecto fit, de qua ipſe agit 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 1. ſed potiùs flogoſim, ſeu vſtionem, vel in parte, vel in humore receptam. Quapropter 2. *de criſibus, cap.* 12. ait: *Omninò enim fluxus, qui inflammationem efficit, vel flaua bilis eſt, vel atra, vel pituita.* Et *loco citato de arte curat.* inflammationem ſiccam vocat eam, quæ fit ſine fluxu: hæc autem inflammatio non ſemper excitat febrem, paulatim enim humor ille poteſt calefieri, & per partes, ita vt non ſuccendat febrem Quod patet dum generatur bilis atra, quæ maniam efficit, quæ licèt per vſtionem producatur, non tamen excitat febrem. Similiter ſæpè videmus homines laborantes intemperie calida iecoris, vel renum, aut alterius partis internæ, ſine febre exiſtere. Pari ergo ratione accidit in his obſtructionibus; nam calor ille ex prohibita ventilatione ſuccenſus, illis humoribus crudis adiunctus, non facilè propter eorum humiditatem, & frigiditatem eos ſuperat, ſed paulatim eorum humiditatem depaſcens, ad ſiccam, & terreſtrem naturam reducit; ad hoc autem non eſt neceſſaria tanta caloris intenſio, quæ ſit ſufficiens ad febris generationem: atque adeò qui hoc affectu laborant, ſentire ſolent calorem in aliquo hypochondrio, & ſine febre perſiſtunt; ſi verò tantus ſit calor, vt moueat febrem, hoc eſt per accidens ad huius morbi indagandam naturam, cùm ſine febre frequenter adueniat.

*Quomodo ex læſione cerebri in melancholia læditur actio appetitus, qui eſt in corde.*

Alterum dubium excitatur circa hunc affectum; nam vt omnes docent, pars affecta in illo eſt cerebrum, ſiquidem læduntur imaginatio, & ratio, variaque deliramenta inſurgunt: & propterea Hipp. differentiam tradens inter epilepſiæ, & melancholiæ cauſam, 6. *epidem. ſect.* 8. ait, ſi humor melancholicus in corpus vergit, morbus comitialis hominem corripit; ſi in mentem, melancholicus efficitur. Vbi nomine corporis ſubſtantiam cerebri, & illius ventriculos; & nomine mentis, cerebri temperiem omnes intelligere docent: & quia ab vno, & eodem humore in cerebro vterque oriri ſolet affectus, ideò ibi ipſe Hipp. docet, quod melancholici plerumque conſueuerunt fieri epileptici, & epileptici melancholici. Ex iis igitur dubium inſurgit; nam ſi

A cerebrum patitur in hoc morbo, non videtur, quod poſſint lædi actiones appetitus ſenſitiui, qui iuxta Diui Thomæ mentem in corde reſidet; ita enim *quæſt.* 25, *de veritate, art.* 3. *in corpore, & ad* 11. & 1. *part. quæſt.* 20. *art.* 1. *ad* 1. quem ſequuntur Pater Valentia 1. 2. *diſp.* 3. *quæſt.* 1. *puncto* 2. Toletus 3. *de anima, quæſt.* 26. *concluſ.* 2. quæ doctrina eſt conformis doctrinæ Ariſt. qui cor poſuit ſedem, & originem omnium facultatum. Neque in hac parte eſt ſequendus Thomas de Garbo *in ſumma, quæſtione* 76. vbi arbitratur, cerebrum eſſe ſubiectum appetitus. Modò non diſputo, an potentia iraſcibilis, & concupiſcibilis inter ſe ſpecie differant; ſed illarum tantùm ſubiectum inueſtigamus, quod etiam eſſe cor, oſtendit Gal. 3. *de placitis, c.* 1. exemplum conſtituens in actionibus facultatis iraſcibilis; nam ibi debet eſſe
B potentia, vbi exercetur eius operatio: ſed operationes, & paſſiones iraſcibilis ſentiuntur in corde: ergo ibi, tanquam in ſubiecto, reſidet potentia; ſunt enim ibi affectus timoris, triſtitiæ, & iræ. Et licèt Galenus aſſerat, quod appetitus concupiſcibilis reſidet in hepate, vt comprobat 3. *de placit. cap.* 3. tamen vt certius tenendum eſt, in corde reſidere. Hanc quæſtionem agitatam inuenies apud Garc. *in fen.* 1. *Auic. diſp.* 29. *de partibus præcipuis, cap.* 4. vbi abundè ſatis probat, cor eſſe appetitus ſenſitiui proprium ſubiectum. Quo ſuppoſito, videtur dicendum, quod non poteſt lædi appetitus actio, ſiquidem morbus afficit cerebrum, non verò cor: neque vllus dixit, quod dum adeſt iſte affectus, cor diſtemperetur. Si igitur alicuius potentiæ actio variari non poteſt, niſi varietur conditio, potentia, inſtrumentum, vel finis, & hæc omnia eodem modo ſe habent in hoc affectu, neutiquam actiones, ſeu paſſiones appetitus mutari poterunt. Qua ergo ratione
C timor, & triſtitia ſuperueniunt ex eo, quod in hoc affectu cerebrum læditur, incolumi corde ſeruato?

*Soluitur quæſitum.*

Huic difficultati, omiſſis aliis ſolutionibus, quas videre potes apud Garciam, reſpondetur in paſſionibus animi adeſſe finis mutationem, qui eſt obiectum apprehenſum, conueniens, vel diſconueniens. Vt ergo moueatur appetitus, & conſequenter facultas motiua cordis, ſufficit finis variatio, vt experimur quotidie in pulſus mutatione, ex vſus, vel finis diuerſitate; nam ad incrementum caloris, pulſus ſtatim mutatur, licèt facultas nullum contactum recipiat, & idem iudico de facultate motiua voluntati ſubordinata, quæ ſolùm ex obiecti boni apprehenſione ſtatim mouetur. Hoc punctum latius tetigi in meo de febribus tractatu, de paſſionibus animi agens.

*Quare melancholici timent quæ non ſunt timenda.*

Demùm inquiritur, quomodo poteſt contingere, quod melancholici percipiant res iucundas, & delectabiles, vt triſtes, & timeant ſæpe obiecta, quæ potiùs ſunt amplectenda? Et ratio dubitandi eſt, nam
D ſpecies obiecti iucundi repræſentat obiectum, ſicuti in ſe eſt, quia eſt naturalis imago obiecti: ergo debet illud repræſentare iucundum, & non triſte. Antecedens notum eſt: conſequentiam probo; nam nulla potentia poteſt elicere ſpeciem ab alia ſpecie, niſi ſpecies, quæ elicitur, contineatur virtualiter ſaltem in ſpecie, à qua elicitur: ſed ſpecies diſconuenientiæ nullo modo continetur in ſpecie rei iucundæ: ergo potentia elicitiua ſpeciei rei iniucundæ non poteſt eam ſpeciem elicere ex ſpecie rei iucundæ. Minor patet, nam ſpecies rei eſt imago virtualis ſaltem obiecti, & illius ſimilitudo, & habet totum ſuum eſſe ab obiecto, & eſt illius vicaria; atque adeò cùm obiectum nullam dicat diſconuenientiam, neque ipſius ſpecies poterunt illam repræſentare. Hoc dubium ſolutum inuenies in noſtra praxi, *lib.* 1. *cap. de melancholia morbo*, vbi diſputauimus, quomodo fiat delirium, vbi diximus præter ſpecies obiectorum

*Dubium ſoluitur.*

requiri

requiri temperamentum ex parte potentiæ, quod ſe habet vt diſpoſitio in ordine ad potentiæ operationem, ita vt propter temperamenti diuerſitatem vnum obiectum appareat vni conueniens, & alteri diſconueniens, ita vt vnus homo amplectatur obiectum, alter verò reſpuat idemmet obiectum; cùm tamen ſpecies ab eo obiecto prodeuntes ex parte ſui non aliter repræſentent obiectum vni homini quàm alteri.

*Quid ſit ſtupor, & illius cauſa.*

Alterum, quod patiebatur æger, erat ſtupor lateris ſiniſtri, cum ipſius intenſiori frigiditate, quàm in latere dextro. Quid enim ſit ſtupor, diximus *c. de paralyſi*; eſt enim imminutus ſenſus tactus, qui quidem fit dum nerui reſoluuntur, non tamen ſunt reſoluti, vt ait Galen. 2. *de cauſis ſymp. c.* 1. Et licet *c.* 2. inter motus deprauatos recenſeat ſtuporem, nomine motus deprauati debemus intelligere actionem diminutam. Hunc affectum torporem etiam nominamus; torpet enim in eo ſenſus, & ſæpe motus. Illius cauſæ ſunt omnes illæ, quæ paralyſim gignunt, leuiores tamen, & remiſſiores, quas ferè omnes fuit amplexus Galenus 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. *cit.* dum ait: *Oſtendimuſque neruum, vel frigore denſatum, vel craſſis, & lentis humoribus obſtructum; vel à quapiam extrinſecus cauſa preſſum, in torporem, & paralyſim adduci.* Neque nunc oportet dicere, quonam modo quælibet ex his cauſis torporem, vel paralyſim inducit, cùm ſufficienter *cap. de paralyſi*, de his actum ſit.

*Torpedo marina ſtuporem facit, & quare.*

Inter ſtuporis, vel torporis cauſas Galen. *lib.* 6. *de locis affect. cap.* 5. connumerat qualitatem quandam latentem, quæ ſuo contactu torporem progignit, idque planè videtur in marina torpedine, cui tam vehemens eſt potentia, vt per piſcatoris tridentem tranſmiſsâ ad manum alteratione repentè totam manum reddat torpidam: idem faſſus eſt Ariſt. 9. *de hiſtoria animal. capit.* 37. Neque hæc qualitas poteſt eſſe ex primis, cùm iſtæ operentur cum reſiſtentia contrarij, & ſucceſſione quadam: hæc autem qualitas ſubitò operatur, & ſtatim à contactu torpet manus. Quanam autem ratione huiuſcemodi qualitates occultæ operantur, diximus tractatu de febre maligna, & peſtilenti.

*Formicatio cur ſentitur in parte torpedine affecta.*

Ante tamen, quàm de torporis cauſis ſermonem finiamus, oportet reddere cauſam, ob quam præter imminutum ſenſum, qui reperitur in eo, ſentire tamen ſolet pars torpore affecta formicationem quandam, veluti ſi formicæ per totam illam partem decurrerent. Reſpondetur, quod quando adeſt talis formicatio, ideò fit, quia aliquis humor, vel vapor mouetur per partes circumuicinas neruorum, & per partes ſenſibiles, ita vt illum ſenſationis modum excitent.

Cùm plures ſtuporis cauſæ ſint à nobis aſſignatæ, quæ magis noſtrum vexabat ægrum, erat humor pituitoſus, qui partem ſiniſtram grauabat, & ſua frigiditate lædebat, ita vt intenſiorem perciperet frigiditatem in ea, quàm in aliis partibus; & ob imminutum ſenſum, eam oppreſſam ſentiebat: & cum præceſſiſſent plures cauſæ manifeſtæ, quæ illius languidum reddiderunt calorem, latuſque ſiniſtrum debilius ſit quàm dextrum, magiſque obnoxium erat humori recipiendo, ideo habuit principium paralyſis, ſeu torporis in latere ſiniſtro, ex huiuſmodi cauſa.

Tandem æger erat lue gallica vexatus, & licèt actu nullum ſignum appareret, ex quo poſſet deprehendi, præceſſerunt tamen bubones, & purgationes ex concubitu cum muliere infecta, ex quibus non mirum, quod iecur huius mali præcipuum ſubiectum inficeretur, & conſequenter totum corpus, inde malo communicato, præſertim cùm non fuiſſent adhibita remedia, quæ aduerſus illud pugnarent; quapropter exiſtimauimus, ægrum non fuiſſe ab hoc morbo liberum. Et cùm ex Hipp. conſilio debeamus conſiderare occaſiones, vnde quis ægrotare cœpit, ex ipſis facili coniecturâ idem deprehendere potuimus.

*Præſagium*

Circa præſagium, morbi omnes pendentes ex humoribus craſſis & frigidis, niſi acutiſſimi ſint, ſemper tardè ſoluuntur. Quilibet præterea morbus, quo afficiebatur æger, eſt ſolutu difficilis, vt intuenti patebit; nam ſtupor ortus ab humoribus frigidis, vt melancholia hypochondriaca, intemperies frigida, & habitualis ventriculi cum præſentia humorum, & morbus gallicus, omnes ſunt chronici, qui collectim ſumpti, tardiorem habebunt exitum, & vt ſummatim dicam cum Hipp. 1. *epidem. textu* 8. *Dolores veteres frigidi, recentes verò calidi.* Quaſi nobis oſtendens, quod morbi, & dolores ab humoribus frigidis orti, diu durare ſolent, illi verò qui à cauſa calida fiunt, citò auferuntur, vt Galenus exponit.

## §. I.

### *Morborum complicatorum huius ægri curatio proponitur.*

*Quæ ſunt conſideranda in curatione morborum complicatorum.*

Quoad victus inſtitutionem, & morborum curationem ſcire oportet, quod ſicuti morbo ſimplici ſimplex adhibetur curatio, ex Gal. 4. *methodi, cap.* 1. ita compoſito non ſimplex debetur. In compoſitis tamen curare debemus eos, qui magis vrgent morbos, ex eodem 5. *aphoriſm. com.* 19. Quòd ſi morbi pari noxa vrgere videbuntur, vtrique æquali reſpectu attendendum: & ſi aliquis morbus habet rationem cauſæ reſpectu alterius, ipſa cauſa eſt ſpectanda, ex eodem 7. *methodi, cap.* 12. Quia ergo omnium malorum cauſa erat intemperies habitualis frigida ventriculi, cum præſentia humoris crudi, qui in venis meſeraïcis, & liene obſtructiones gignebat, à quibus reliqui morbi ſuſcitabantur, neque poterant adimi ſine ſuæ cauſæ ablatione, ideò viſum fuit mihi incipere curationem à remotione cauſæ, ventriculi cruditates euacuando, illius intemperiem emendando, & obſtructiones demendo; ſic enim exiſtimabam auferre dolores, difficilem reſpirationem, merychiam, ſeu melancholiam hypochondriacam, & reliqua ſymptomata, quæ ex huiuſmodi cauſis originem trahere videbantur; in quem finem victum

*Victus ratio.*

inſtituere decreui, vt ſic meliùs curationem perficerem, qui eſſet facilis concoctionis, & tenuis ſubſtantiæ, ſimulque deobſtruendi vim largiretur. Sed quia iecur intemperatè calidum exiſtebat, curaui vt in qualitatibus actiuis mediocritatem ſeruaret ipſe cibus. Alimenta ergo, quæ huiuſmodi adimplebant conditiones, ſunt carnes pulli, gallinarum, & gallinarum indarum nouellarum, perdicis, & turturis, cuniculi parui, & columbarum pulli, quæ elixæ, aut aſſæ mandi poſſunt. Vti etiam poſſumus iure, ſeu decocto earumdem rerum, præſertim ſi elixentur cum radice aut foliis petroſelini, chicorei, cicerum, maximè nigrorum, & fruſtulis pomorum redolentium. Cœna præparetur ex ouis ſorbilibus, & carne pulli, in quem vſum conferre valent cappares, aſparagi, & lupulorum extremitates coctæ, & condîtæ ſaccharo, aceto, & pauco oleo. Item borrago, lactuca, ſcariola elixa: poma etiam, ſeu pira aſſa cum ſaccharo conueniunt. Potus ſit aqua agrimoniæ, cæterac, cum pauco cinnamomi, aut vinum album, & aquoſum, vel eiſdem aquis dilutum, parcè tamen bibendum, ne ventriculi cruditas adaugeatur. Exercitium moderatum conſulendum

ante

ante prandium,& cœnam. Nimius veneris vſus vituperandus, venter clyſteribus molliendus. Animi paſſiones vitandæ, ita vt omnes res non naturales probè adminiſtrentur, ſine quarum contemplatione morbi difficilè curantur.

Ad curationem morbi properantes, cùm eſſent in prima regione plures cruditates, quæ omnium morborum initium præbebant, eas demere viſum fuit nobis; in quem finem quotidie ad earum præparationem ſumebat æger vncias duas ſyrupi de ſucco roſarum cum pauco oxymelite, ſuperbibendo totidem aquæ ſtillatitiæ fœniculi, aut radicis chinæ. Ad idem valet ſyr. capill. Ven. & borrag. vel ſyr. de mentha, vel de corticibus citri, addito ſyr. acetoſo. Peractâ præparatione, humores illos euacuauimus mannâ, ſic. ♃. mannæ electæ ℥. ij. diſſolue in ℥. ij. ß. decocti Pugini, & adde ſyr. Principis ℥. ij. diarrhod. Abb. g̃. viij. miſce pro potu. Confert etiam puluis mechoacam in vino, vel gallinæ iure ſumptus, aut morſelli cum ſaccharo ex pulpa caſſiæ, & diacathol. confecti. Vel ♃. pulpæ caſſiæ recenter extractæ ℥. ß. diſſolue in ℥. ij. ß. decocti Pugini, & adde ſyr. Regij ℥. i. miſce. Aduertere tamen oportet, vt alibi diximus ex Galeni præcepto 7. *methodi*, *cap.* 11. quòd in ventriculi affectibus moderatè purgantia ſunt ex vſu, ita vt eorum vis ventriculi, & inteſtinorum loca non tranſcendat: quod animaduertit Vict. Trincau. *cap. de hepatis obſtructione*; nam ſi à remotioribus partibus, & à toto corpore medicamenta humores trahunt, maiores fortaſſe concitabunt obſtructiones.

*Sanguinis miſſio conuenit in obſtructionibus, & melancholia morbo.*

Sed quia humores erant in liene impacti, & in venis meſeraïcis, qui quidem calore iecoris, & ventilationis defectu frequenter incaleſcere ſolent, à quibus vapores craſſi, & terreſtres eleuantur ad cor, & caput, ita vt affectum melancholicum gignant, ideò viſum fuit mihi venæ ſectionem facere: quod auxilium commendatur à Gal. 10. *method. cap.* 2. & comprobat Paul. *lib.* 3. *c.* 36. in obſtructionibus inueteratis; ſic enim ſanguinis miſſio vias reſerat, & obſtructionis cauſas tollit, maximè dum ſanguis exſuperat. Similiter hoc auxilium optatur in morbis melancholicis, ex Galen. 3. *de locis*, *cap.* 7. vt in noſtra praxi prædiximus, præcipuè ſi exeat ſanguis craſſus, & niger huius morbi author, vt notat Auicenna.

*In præſentia flatuū an liceat ſecare venam.*

Neque obſtat, quod in noſtro ægro adfuiſſent dolores ventriculi, & pectoris ex flatibus excitati, nam licet flatus non euacuentur venæ ſectione, eorum tamen materia, ex qua gignuntur, benè euacuatur, ex Hipp. *lib.* 2. *epidem. ſect.* 3. vbi ait, anemiem venæ ſectio ſoluit; anemie etenim iuxta verſionem Iani Cornarij, flatum ſignificat: & libello de antiquatis vocibus, anemie idem ſonat, ac inflatio. Quia ergo materia humoralis, ex qua immediatè flatus procreantur, ſæpè in venis continetur cum ſanguinis conſortio; ideò rationi conſonum eſt, adhuc in eorum præſentia ſanguinem mittere, cautè tamen, ob redundantiam humoris pituitoſi, & debilitatem ventriculi. Quòd ſi aliqua euacuatio ſit ſuppeſſa, vt hæmorrhoïs, vel menſtrualis euacuatio, ex talo venam aperire licebit, & in paſſionibus melancholicis optimum conſilium eſt ſanguinem melancholicum per hæmorrhoïdas euacuare, ex Hipp. 6. *aphor. text.* 21. vbi ſic: *In inſanientibus, ſi varices, aut hæmorrhoïdes ſuperuenerint, inſaniæ ſolutio.* Et *textu* 11. ait: *Hæmorrhoïdes melancholicis ſuperuenientes bonum.* Galen. 6. *epidem. ſect.* 5. *com.* 25. morbum melancholicum per ſanguifluas venas leuari euidenter oſtendit, quatenus humor melancholicus, & craſſus, qui obſtructionum, & huius morbi eſt cauſa, euacuatur.

*Hæmorrhoïdes melancholicis ſuperuenientes bonum.*

*Purgatio quomodo exercenda.*

Facta euacuatione per ſanguinis miſſionem, corpus fluxile magis redditur, & purgationi aptius, vt ſic humores obſtruentes è corpore reiiciantur; non tamen id aſſequi poſſumus vnica purgatione, ſed eam per interualla exercere licebit. Conuenit ergo priùs humores, & corpus diſponere ad expurgationem, ſyr. capillor. Ven. de ſucco roſarum, acetoſo, chicorei, de pomis, duarum, vel quinque radicum, cum aquis fœniculi, lupulorum, graminis, aſplenij, cinnamomi, vel ſaxifraſiæ. Deinde offerre medicamentum purgans, ſic. ♃. rhabarb. & agarici trochiſc. in ligatura, ana ʒ. ß. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in vnciis ij. decocti Pugini, & colaturæ adde ſyr. Regis ℥. iij. miſce. Hæc potio roborat ventriculum, & iecur, & modicè euacuat humores pituitoſos & melancholicos, necnon bilem. Eundem præſtat effectum confectio hamech ſymplex, diſſoluta in eodem decocto, cum ſyrupo ſennato, vel diaſenna, & electuarium indum, & ſimilia. Catapotia conferunt, vt pillulæ de fumaria, de tribus Fernelij, de agarico, & de aloë.

*Diſtillatio optima ad deobſtruendum.*

Inter vnam tamen, & aliam purgationem, quammaximè conducit quolibet mane aſſumere ℥ iij. huius diſtillationis, quæ deobſtruit, ventrem roborat, & iecur, lienemque; deinde ſe exercere per ſpatium dimidiæ horæ, aut plus, ſi vires ferant. ♃. quinque radicum diuret. chicorij, ſcorcioneræ, borrag. bugloſ. altheæ, & de capparis, ana ℥. j. tamariſci, geniſtæ, ana ℥. ß. aſplenij, agrimoniæ, capill. ven. meliſſæ, ana m. j. ſemiunm melonum, vrticæ, aniſi, & fœniculi, ana ʒ. ij. paſſularum Corinthij ℥. ij. prunorum enucleatorum n. xij. corticum citri exſiccati ℥. ß. florum violarum, borrag. & bugloſſi, ana p. j. naphæ ʒ. ij. vtriuſque ſpicæ, & calami aromatici, ana ʒ. j. abſinthij, m. ß. pomorum redolentium n. iiij. doquantur omnia ſecundùm artem in debita quantitate aquæ, in qua ſæpè chalybis fruſta parua ignita ſint extincta, ad libras duas, & colaturæ adde ſucci pomorum redolentium, eupatorij, abſinthij, roſarum, & chicorij, ana ℥ ij. omnia inſtillentur per balneum Mariæ.

*Chalybis, & ſcoriæ ferri vis proponitur.*

Quod ſi efficaciùs velis obſtructiones demere, accipe prædictæ diſtillationis ℥. ij. ſyr. capill. Ven. vel duarum, aut quinque radicum ℥. j. ß. chalybis præp. ʒ. ß. confect. alchermes g̃. viij. Idem præſtat munus ℥. j. ß. ſyr. capill. Ven. cum ℈. ij. chalybis, vel ſcoriæ ferri præp. Maximè ab Authoribus commendatur ſcoria ferri, vel chalybis præp. ad delendas obſtructiones; habet enim partes craſſas, ſeu terreſtres, quibus ventriculus, & reliquæ partes vicinæ roborantur: habet inſuper partes tenues, & igneas, quibus penetrat, & humores ſubtiliat, & obſtructiones adimit, imò & ipſos humores euacuat, vt docet Dioſc. *lib.* 5. *cap.* 43. & 49. neque hoc efficit ſua grauitate, vt quidam cenſent; ſed propria, & inſita vi huiuſcemodi producit effectus.

*Electuariū præſtantiſſimum ad obſtructiones, & melancholiam.*

Præſtat ſimiliter maximum emolumentum in obſtructionibus, & melancholia per conſenſum electuarium adductum à Zacuto *lib.* 1. *praxis hiſtoriarum*, in quadam obſeruatione, vbi maximè commendat chalybem ad roborationem ventris, & ad demendas obſtructiones, & compoſitionem factam ex illo, quæ talis eſt. ♃. foliorum ſennæ orient. ℥. ß. epithymi, polypodij, & ſeminis cartami, ana ʒ. ij. florum violarum, borrag. & bugloſſi, ana ʒ. j. ß. paſſularum Corinthij ℥. ij. prunorum n. x. ſemin. aniſi & fœnic. ana ʒ. j. adianti m. j. ß. eupatorij, aſplenij, ana m. j. corticis citri exſiccati ℥. j. tamariſci m. ß. mirobalanorum chebul. & indorum, ana ʒ. iij. coquantur omnia in aqua chalybeata, quouſque remaneat ℔. j. in colatura infunde ſecundùm artem rhabarb. electi ʒ. ij. agarici trochiſc.

in vino, zingiberis, hermodactylorum, ana ʒ.j. mechoacam ʒ. ij. omnia debito tempore exprimantur, tum adde ſyrupi fumariæ maior. chalybis ſubtiliſſimè triturati, ana ℥.j. confect. alchermes, electuar. de gemmis, confect. hyacinth. ana ʒ.iij. margarit. præp. ʒ.ij. lapidis bezoartici g̃.xxx. eboris in tenuiſſimum puluerem redacti ʒ.ij. florum meliſſæ ʒ. ß. pulueris ſennæ ʒ ij. tartari vini albi ʒ.j. ß. theriacæ Andromachi ʒ.ij.ß mithridati ʒ.j. ß. aromatici roſarum Meſuë, diarrhod. Ab. ana ʒ. ß. rubinorum, & granatorum præparat. ana ʒ.j. ſerici crudi ℈.ij. omnia in tenuiſsimum puluerem redigantur, foliorum auri n. xx. miſceantur, & cum ſacharo ſufficienti fiat electuarium, quo omnes complentur intentiones, ſiquidem purgat paulatim humores, roborat viſcera, & reſoluit flatus, lætificat cor, melancholicam deſtruit affectionem ex hypochondriis naſcentem, & vt ſummatim dicam, nihil in eo reperitur, quod non reſpiciat omnes affectus, quos patitur æger, ſi illius quolibet mane aſſumpſerit ʒ.ij. ieiuno ventre, deinde ſuperbibito hauſtu generoſi vini, aut aquæ radicis chinæ, & ſcorcion. aut alicuius rei aperientis, mox exercitium conuenit dimidiæ ſaltem horæ ſpatio.

*Clyſterum præparatio.* Sed quia hoc electuarium ſolùm pro diuitibus adminiſtrari poteſt, aliis remediis ſuprà traditis eſt vtendum. Proſunt quammaximè clyſteres ad omnes hos affectus, qui parari debent ex rebus aperientibus, reſoluentibus, & purgantibus, vt ♃. capitis Arietis nigri ab recrementis mundati n. j. radicum altheæ, iridis, capparorum, ana ℥. j. ß. matricariæ, ſerpilli, betonicæ, chamæmali, meliloti, capill. Ven. herbæ paralyſis, ceterac, agrimoniæ, hyſſopi, lauendulæ, ana m.j. ſemin. aniſi, fœniculi, & fœnugræci, ana ʒ. iij. florum borrag. bugloſſi, & violarum, ana p. ij. coquantur omnia ſecundùm artem in debita quantitate aquæ, ad ℔. iiij. & decoctum ſeruetur ad vſum, de quo pro vnico clyſtere accipe ℥. viij. confect. Hamech comp. & elect. diaphœnic. ana ʒ. iij. mellis roſati perſici ℥. iij. olei amygd. amararum, & de capparis, ana ʒ.j.ß. miſce. Vel ♃. decocti maluarum, chamæmali, ſatureiæ, maioranæ, radicum altheæ, & de capparis, capil. Ven. gramin. ſem. aniſi, fœniculi, ameos, & fœnugræci ℥. viij. decocti Pugini ℥. ij. ß. diaſennæ, & diacathol. ana ʒ. iij. olei chamæmali, anethini, & lilij albi, ana ℥. j. ſalis parum, miſce. Magis ſimplicem clyſterem conficies ex decocto chamæmali, & radicum altheæ, aut aqua mulſa, ex origani, aut chamæmali decocto, additis benedictæ, aut hieræ picræ ʒ. iij. cum oleo chamæmali, vel oleo communi, & pauco ſale.

His vſus fuit noſter æger aliquibus diebus maxima cum vtilitate, aſſumpſitque potionem ex ſyr. quinque radicum, & capillorum Ven. cum chalybe per plures dies, à cuius aſſumptione ſtatim ſe viæ committebat per vnius horæ cum dimidia ſpatium. Neque rationi diſſonum eſt, ventris regionem inungere iis, quæ capite de obſtructione hepatis, & lienis adduximus, quæ hîc accommodari poſſunt, quibus tollitur obſtructio. Sed quia ventriculus frigidus petit auxilia calefacientia, & roborantia, ei adaptanda ſunt, quæ adduximus pro curatione cruditatum ventriculi; quæ omnia in praxi ſunt ſufficienter tradita.

*Fontanellæ vſus in melancholia & obſtructione.* Cæterùm cùm adhuc iis oblatis totius partis ſiniſtræ frigiditas, & torpor permanſiſſent, licèt obſtructiones, & melancholia hypochondriaca minùs moleſtarent, cùm dorſo, & parti ſiniſtræ, vt par erat, fuiſſent admota plurima vnguenta, & emplaſtra ad calefaciendum, & roborandum partem affectam, ſimulque reſoluendum humorem craſſum, & frigidum mali authorem, ſtatui aperire fontanellas in latere dextro, ſimulque ad ſudorifica deuenire auxilia; erat enim tempus vernum huic remedio proficuum, quod etiam conuenire exiſtimaui ob ſuſpicionem luis gallicæ, quo remedio lateris ſiniſtri frigiditas, & torpor declinauerunt, non tamen ex toto fuit liber æge

*In morbis non ſemper eſt agendum.* Verumtamen, cùm ſæpè conueniat in morborum curationibus interquieſcere, vt docet Hippocrates 6. *epidem. ſectione* 2. neque ſemper aliquid eſt faciendum, ſed permittendum eſt ceſſare, vt facultas recreetur, vt ait Valleſ. in eundem locum, periculoſius enim cenſeo incidere in manus Medici, qui neſciat quieſcere, quàm in manus eius, qui neſciat contraria adhibere, & vt inquit Verinus: *Impediunt certam medicamina crebra ſalutem.* Quapropter optimo vitæ regimine inſtituto, eum à medicamentis abſtinere iuſſi, donec præceſſerit æſtas.

*Balnea ſulphurea conferunt in paralyſi.* Ineunte tamen autumno, cùm torpor, & frigiditas lateris ſiniſtri eum vexarent, miſi illum ad balnea ſulfurea, vt ibi ſudaret, humoriſque frigidi reliquias abſumeret, corpore priùs euacuato, vt decebat, tam ſanguinis miſſione, quàm expurgatione: quæ res ex voto ſucceſſit, ſudauit nimis, calorem deperditum reſtaurauit, denique meliùs ſe habuit; ad maiorem tamen ſecuritatem hieme aſſumebat per plures dies decoctum ſmilacis aſperæ, ſaxifraſiæque indicæ, & ligni ſancti, quo inculumiter vixit, & dum hæc ſcribo, reſtauratam ſalutem conſeruat.

## §. II.

### *An balnea poſſint proficere lue gallica affectis.*

Sed quia ſæpè in conſultationibus medicis, dum erat aliquorum affectuum complicatio cum morbo gallico, in quibus curandis maximum commodum ex balneorum vſu ſequebatur; tamen balneum reformidabant plures Medici ex doctioribus, propter conſortium morbi gallici, qui balneorum vſu magis inualeſcit, vt ipſi exiſtimabant; ideò viſum fuit mihi hoc dubium ſoluere, eorumque rationes perpendere, vt ſic ſciamus, an balnea proficere poſſint, vel non, in præſentia morbi gallici, dum adſunt alij morbi, ad quorum ablationem balnea ſunt ex vſu.

*Balnea plurimis morbis conferunt.* Pro huius difficultatis enodatione priùs ſcire oportet ex Hipp. 3. *de ratione victus in morbis acutis, textu* 44. quod balneum pleriſque morbis confert, cum hoc tamen non multùm erat in vſu ſuis temporibus; nam in paucis domibus parabantur ad balneum neceſſaria, vt ipſe ibi teſtatur; neque reperiebantur homines, qui vt oportet, rem ipſam curarent: docet tamen quo empore, & occaſione ſunt balneandi, & quomodo debeant ingredi, & egredi balneum, & quanto tempore intra illud ſunt detinendi, vt poſſit eſſe ſalubre. Sed quia ibi Hipp. aquæ dulcis balnea tantummodò proponere videtur, & ſint alia plura balnea naturalia, & artificialia diuerſis facultatibus prædita, de omnibus breuiter eſt ſtatuendus ſermo, cum certum ſit ex Mercato *lib.* 1. *de recto præſid. artis medicæ vſu, cap.* 13. quod in balneis non ſolùm ſine vllo dolore medicina inuenitur, verùm etiam laborum, laſſitudinumque in ſanitate leuamen reperitur, non vt alia remedia, quæ moleſtiſſima eſſe ſolent, dum adminiſtrantur. Quod ſi forſan timore compulſi aliqui in aliquibus morbis balneandi vſum recuſant, id fieri exiſtimo, quia tanti remedij vtilitatem ignorant. Quapropter indicatione ſumpta ab ipſis morbis, ne quis tanto deſtituatur auxilio, de eo pertractare in omnium vtilitatem mihi viſum eſt

Balnea

*Balnea ſũt in triplici differentia.*

Balnea igitur ſunt in triplici differentia, iuxta differentiam rerum, quibus fiunt; nam vel fiunt ex liquore, vel vapore, vel ex ſolida ſubſtantia, quibus omnes balneorum comprehenduntur differentiæ. Quæ ex liquida fiunt ſubſtantia, conficiuntur ex aqua, ex lacte, ex vino, oleo, muſto, vel ex plurium rerum decoctione, vel infuſione. Quæ ex aquis fiunt, quædam ex dulcibus, quædam ex medicatis fontibus fiunt. Quæ verò medicatæ ſunt, vel naturaliter ex fontibus erumpunt, vel ſic arte parantur. Sub iis vltimis comprehendemus infuſiones, & decoctiones, quæ fiunt iuxta morborum indicationes. Aquæ medicatæ, quæ naturaliter ex fontibus prorumpunt, ſunt vel aluminoſæ, bituminoſæ, nitroſæ, ſulphureæ, ſalitæ, ferratæ, æreæ, miſy, vel calchanto compoſitæ, vel atramento ſutorio. Ex iis quædam è terra prodeunt calidæ, quædam verò frigidæ. Balnea ex vapore orta ſtuphas vocant, quando ſcilicet in aliquo loco vapor, ſeu aër incluſus calefit, vel à parietibus calidis, vel à furno, vel quia ab aqua, vel à vino, vel ab alio liquore vapor eleuatus in loco illo vndique circumſepto continetur. Balnea denique ex rebus ſolidis conſtantia frequenter fieri ſolent ex vinaceis, arena, ſale, & frumento.

*Balnea præſtant tres effectus.*

Tria in noſtris corporibus faciunt balnea. Primò humores euacuant ex toto corpore: ita Gal. 4. *aphor. com.* 2. vbi balnea calida, præſertim nitroſa, ſulfurea, & bituminoſa euacuare docet; quæ quia exſiccant nimis, licèt humorem bilioſum euacuent, minùs conferunt in tertianis, & febribus ardentibus, quàm aquæ dulces, ex eodem 2. *de arte cur. ad Glauc. cap.* 9. & 14. *methodi, cap.* 7. inter euacuantia balneum conſtituit: & 13. *methodi*, phlethoram balneo curare docet; balneum enim ſudorem mouet, & ex toto corpore humores ſucceſſione quadam reuocat ad cutem. Secundò intemperiem corrigunt, quapropter balneo aquæ frigidæ, & humidæ corpora calida, & ſicca attemperantur, & corpora humida nitroſis, & ſulphureis ſiccantur; atque adeò *lib.* 10. *methodi, cap.* 7. pro hecticis Galenus aquæ dulcis balneum commendat, reprobatque in naturis calidis, & ſiccis vehementer deſiccantia, quæ facilè ducunt ad tabem, vt ipſe expertus fuit in quodam ægro 1. *de arte curat. ad Glauconem, loco proximè citato.*

Tertiò balnea ad refectionem maximè conducunt, proptereaque hecticis, & tabidis aquæ dulcis calidæ balnea commendantur à Galeno 10. *method. citato*, & *capite* 10. vbi effectus balnei manifeſtat; ſunt enim plurima balnea ex rebus alimentitiis, à quibus per corporis poroſitates alimentum ſugunt partes; ideóque Hippocrates libro de alimento ait: *Forinſecus alimentum ab extima ſuperficie ad intima peruenit.* Quod ſi balnea ſint ſolùm ex aqua dulci calida, quæ cùm elementum ſit, neque nutrire, neque concoqui valet, quidquid dicant plures, vt Theophraſt. Aretæus, Celſus, Cardan. conferre nihilominus poteſt ad nutritionem, quatenus illo calore vias aperit, vt alimentum faciliùs penetret, & perſuadat ad partes; & ſua humiditate vias ipſas laxat, ſiccitatemque remittit, quæ vias ſtrictiores faciebat, ipſas corporis partes condenſando. Quia ergo ad alimenti diſtributionem maximè confert aqua dulcis, ideò Ariſtoteles 2. *de generat. cap.* 2. inquit, quod aqua omnibus pro alimento eſt, quem vſum aqua præſtare valet, adhuc exteriùs adhibita.

*Balnei aquæ dulcis effectus proponuntur.*

Ex iis facilè colliges, quod balnea aquæ dulcis verbi gratiâ, omnes hos effectus producere valent; nam ſi calida ſunt, euacuant, & mouent per ſudorem, præcipuè ſi multùm æger in balneo immore-

A tur; ſi verò eorum calor ſit tepidus, humectant, & ad nutritionem, & diſtributionem diſponunt; ſi verò frigida ſint, calorem remittunt; licèt ex accidenti illum producant, ſicuti calida ex accidenti etiam frigiditatem procreant. Verumtamen cùm huiuſmodi effectus fiant maiores, vel minores, aut moderatim, iuxta temporum diuerſitatem, & moram, quâ ægri in balneo detinentur, meritò diuiditur balneum in longum, breuem, & moderatum.

*Balneorum diuiſio.*

*An ante balneum conueniat ſemper euacuatio humorum.*

Rurſus antequam ad balneandi vſum deueniamus, notare oportet ex Gal. ſuperiùs citato, quod ſi cauſâ nutritionis, vel alicuius intemperiei nudæ corrigendæ, vel laſſitudinis, exercitij, vel paſſionis animæ balneum adminiſtratur, non eſt neceſſe corpus priùs euacuare; ſufficit enim ventris excrementa deponere, & ieiuno ventre balneo ſe committere, vt ſtatuit Gal. 6. *de ſanit. tuenda, cap.* 3. & *lib.* 14. *method. cap.* 16. Quod comprobat Mercat. *lib.* 1. *de recto præſid. artis Med. vſu, cap.* 13. *in conſilio circa* B *balneorum adminiſtrat.* à cibo enim non eſt lauandum, vt ibi Gal. docet; nam balnei calore, & humiditate pori laxantur, & cibus antequam conficiatur, incoctus diſtribuitur, magnaſque parere poteſt obſtructiones. Hecticis tamen, & his qui contabeſcunt, ante balnei ingreſſum lac exhibet Galen. 7. *method. capite* 6. Eſt enim facilis coctionis, facileque ad partes ducitur, ad earum nutritionem, & humectationem, præſertim ſi lac ſit aſininum, vt ibi Galenus commendat, quod ob eius tenuem ſubſtantiam facilè coquitur, & diſtribuitur: quare dum Galenus cibum interdicit ante balneum, eſt intelligendus de cibo craſſioris ſubſtantiæ, & difficilioris diſtributionis; non verò de cibo tenuis ſubſtantiæ, qui ſi aſſumatur duabus, aut tribus horis ante balneum, dum balneum ingreditur æger, iam cibus eſt coctus, & diſtributioni paratus.

*Quibus remedijs tollitur plenitudo.*

Similiter Balneum ante venæ ſectionem, & pur- C gationem vtile iudicat Galen. 13. *methodi, capite* 7. & *de euacuandi ratione per ſanguis miſſionem, cap.* 10. in plenitudine; nam non ſemper plenitudo venæ ſectione tollitur; ſed quandoque inediâ, laboribus, frictionibus, & balneis aufertur. Neque facit contra hoc illius doctrina 7. *aphoriſmorum, comment.* 46. dum ait: *Nam neque vinum, neque balneum tolerat plethorica diſpoſitio abſque maximo detrimento.* Nam ibi erat ſermo de oculorum dolore cauſato ex inflammatione in ipſo oculo, cuius humor ſi balneetur ante venæ ſectionem, attenuatur, & balnei calore magis fluit, augetque dolorem; hoc autem non contingit, quando plethorica diſpoſitio eſt vniuerſalis, neque eſt timor confluxus humoris ad aliquam partem.

*Qua occaſione plethora eſt demẽda, venæ ſectione, vel aliis remediis.*

Rogabis tamen, ſi plenitudo petit ſui ablationem, quatenus morbum minatur, quando debet auferri per venæ ſectionem potiùs quàm balneo, vel aliis auxiliis à Galeno, & ab omnibus traditis? D Huius dubij ſolutionem non inueni in iis, quæ apud Galenum perlegi, cùm locis ſuprà traditis ſolùm dictis remediis hominem ad ſtatum naturalem reducere tentat: & 4. *de ratione vict. in morb. acut. comment.* 19. ait: *Neque etiam plethorica facta ſyndrome ſanguinem ſemper mittimus, ſed & frictione, & balneis multis, & abſtinentiâ, quæ tribus, vel quatuor diebus fiat, ad id, quod naturale eſt, reuocamus.* Ex quibus ſolùm deducitur, quod plethora vno ex dictis auxiliis auferri poteſt; non tamen determinat, an ſit hoc, vel illud exercendum.

Reſpondetur, quod ſanguinis miſſio debetur plenitudini magnæ, quæ reperitur in Athletis, quorum habitum (licèt ſit ſummè bonus) ſoluere ſtatim iubet Hippoc. 1. *aphoriſmor. textu* 3. cùm enim talis habitus non poſſit proficere in

melius, neceſſe eſt vt incidat in deterius; & quia ex huiuſmodi plethora accidit, quod rumpatur vas, calor ſuffocetur, vel inopinata ſuperueniat mors, vt ait Galen. *in commentar.* ideò cenſeo ſanguinis miſſione talem plethoram eſſe auferendam, neque oportere eam differre, vt indicat illa particula, *ſtatim*, ipſius contextus. Verumtamen dum plenitudo eſt minor, neque talia expectamus incommoda, balneis, laboribus, aut inedia trium vel quatuor dierum detrahi poteſt: quapropter in habitu ſimpliciter bono, qualis eſt, quem plurimi agricolæ habent, non eſt neceſſaria venæ ſectio, etſi plenitudinem habeant; nam in fodienda terra, metendis ſegetibus, & aliis ruralibus laboribus occupati, eorum habitus ad immodicam repletionem non attingit, & dictis laboribus, & exercitiis eorum conſumitur repletio. Neque ex hoc inferas, quod venæ ſectio non conuenit in plenitudine non conſummata, ſed quod non eſt ita neceſſaria, ſicuti in conſummata, cùm poſſit aliter ſine periculo ſolui.

*An etiā euacuatio vniuerſalis debeat precedere balneum.*

Cæterùm ſi humores in corpore redundent, eorumque cacochymia adſit, antequam ad balneorum vſum accedamus, priùs ſunt euacuandi venæ ſectione, aut purgatione, & in morbis longis præcipuè; aliter enim diffunduntur humores: & propter iſtam rationem Aëtius *lib.3. ſerm.4. cap.48.* in arthritide balneum commendat, remiſſa iam partium inflammatione. Neque facit contra hoc Galeni dictum *lib.12. methodi, capit.20.* dum aſſerit, quod podagrici non ſunt balneandi; nam ibi agit de balneo antequam euacuetur humor, & ſedetur inflammatio; in illius tamen remiſſione denegari non debet, nam licèt aqua dulcis articulos laxet, & calida adhibita attrahat, poteſt tamen balneum fieri ex aquis medicatis, quæ adſtrictionem habeant, & vlteriùs ſuo calore humorem in articulis imbibitum abſumant, ita vt nulla ſequatur noxa ex balnei vſu, ſed potiùs maximè prodeſſe poſſit. Quod autem in morbis his debeat præcedere euacuatio, docet expreſsè Galen. 3. *de ratione victus in morbis acutis, comment. vltimo*, vbi ait: *Sciueriſque in vniuerſum de balneorum viribus, quod ſi non antea euacuato corpore exhibeantur, membris affectis fluxionem pariunt; vacuato autem eo ſi exhibeantur, coctionem iuuant.*

Neque eſt difficile rationem reddere, ſiquidem calore balnei humores diffunduntur, obſtructiones fiunt, & ſi quæ pars eſt debilis, ad illam facilè fluunt; & ſicuti in promouendis ſudoribus, & aliis remediis exercendis, priùs vniuerſalibus vtimur euacuationibus, dum regulariter operamur; ita procedendum etiam in balneorum adminiſtratione, quando ſcilicet adhibentur gratiâ euacuandi, & reſoluendi humores; ſi verò adminiſtrantur ad corrigendam intemperiem, vel ad reficiendum corpus, vt accidit in hecticis, tunc vtique non eſt neceſſe, quod aliqua præcedat euacuatio, vt iam dictum eſt. In febribus etenim, vt in diariis, tranſactâ, aut remiſsâ acceſſione, lauare expedit, ex Galen. 1. *de arte curatiua ad Glauc. capit. 3.* in ardentibus verò febribus, dum ſigna coctionis elucent, balnea conferre ait Galenus, dummodo aliqua pars phlegmone, vel eryſipelate non laboret. Quod ſi fortè febris ardens ortum ducat ex pituita ſalſa putrefacta, ei aduerſatur balneum; nam cùm pituita viſcida, & glutinoſa ſit, nequit reſolui, aut euacuari, ſicuti bilis, vt ipſe Galenus teſtatur 3. *de rat. vict. citat.* Itaque in febribus balnea conueniunt eo modo, quo dictum eſt; in aliis verò morbis ſine febre, præcipuè longis, vt in paralyſi, tremore, conuulſione, lichene, arthritide, ſcabie, elephantiaſi, & lepra, & aliis huiuſmodi, balnea conueniunt, dum alia remedia non ſufficiunt; nam poſt omne remediorum genus fruſtrà tentatum, ad balneationes, tanquam ad ſupremam, & ſacram anchoram confugiunt Medici, vt ait Runerius Solenandrus *libro de caloris fontium cauſis, capite 1.* nam magnos, diuturnos, & iam deſperatos à Medicis morbos curant; quapropter non mirum, ſi antiquitus fontes fuiſſent ſacri dicti, quos Diis conſecrarunt, illiſque Diuorum nomina impoſuerunt, quia illi ſunt variis, & diuerſis facultatibus præditi, de quibus latè egit Plinius *libro 31. natur. hiſtor. capite 2. & ſequentibus*, quorum aquæ interiùs aſſumptæ, vel exteriùs admotæ, ferè omnes propellunt morbos, ſi debitè adminiſtrentur, & eorum aquæ eligantur, quæ morbo curando oppoſitam habeant facultatem; neque indiſcriminatim eis eſt vtendum, ſed cognita priùs morbi naturâ, & causâ; inueſtigataque aquæ naturâ, & proprietate, quâ conſtat ad morbum debellandum, eam applicare debemus; ſic enim ſi rectè applicentur, conuenire poſſunt omni ſexui, ætati cuique, & temperaturæ, & ferè omni morbo; quod non conceditur aliis remediis, vt ſanguinis miſſioni, quam reformidant Medici in pueris, & ſenibus.

*Quibus morbis balneum non conueniat.*

Sed quia ſunt aliqui morbi, qui vſu balnei aquæ dulcis ingraueſcunt, ne error committatur, eos in medium adducere viſum eſt, eoſque refert Hip. 3. *de rat. vict. text.59.* qui enim ſolutam aluum, & plus iuſto humidiorem habent, non ſunt lauandi; nam ſupprimitur venter, & ad vniuerſum corpus reuellitur humor, & maius ſequitur detrimentum, vt ait Galen. *in com.* Neque ſunt lauandi qui magis quàm decet ventrem adſtrictum habent; ſed priùs fæces ſiccæ ſunt deponendæ. Neque cibum faſtidientes, aut vires languidas habentes balneum ferre poſſunt, neque qui bilioſa eructant, facilè enim incidunt in ſyncopem, ſeu virium iacturam; neque lauabimus caput iis, quibus ſanguis immodicè è naribus fluit, vehementiùs enim fluet; lauabimus tamen, ſi non erumpat, aut erumpat parum, dum erumpere deberet. Interdicitur etiam balneum in oculorum doloribus, dum à flatibus fiunt, cum humorum in capite exiſtentium, vel ad caput fluentium prauitate; nam flatus augentur, & dolor fortior excitatur, ex Galen. 4. *de rat. vict. comm. 42.* Similiter ſi aliqua pars princeps languida ſit, balneo offenditur; nam humor liquatus confluit ad illam, læditque etiam vulneratos neruos, & aliarum partium vlcera; talia enim exſiccari deſiderant, ex Galen. 2. *de arte curat. ad Glauc. cap.1.*

Hæc omnia eò tendunt, vt ſciamus, an balneum prodeſſe poſſit his, qui Gallica lue ſunt infecti, vel ſine periculo adhiberi poſſit in præſentia morbi gallici, pro curatione alterius morbi balneum poſtulantis. Circa primum, vt certum teneo, quod balneum neutiquam conferre valet ad huius morbi ablationem, ſiquidem alexiteriam virtutem habere debet, quam non experimur in balneo, ſiue ſit aquæ dulcis, ſiue alterius aquæ naturalis; nam licèt balneum ſulphureum v. g. moueat humorem per ſudorem, & illum exſiccet, & abſumat, nihilominus non opponitur qualitati occultæ, in qua lues gallica conſiſtit; atque adeò licèt detrahat materiam morbificam, non tamen morbum deſtruit Gallicum. Ex quo infero, quod propter iſtam rationem, ex Medicis pauci huius remedij fecerunt mentionem. Mercatus tamen *lib. 2. de morbo gallico, capit.1.* corpus gallicatum balneo aquæ dulcis committit, quo ab æſtu & ſqualore, & feruore inſtauretur, præſertim ſi poſt exactam luis curationem corpus calidum, & ſiccum ſuperfuerit; ſic enim

*Balneum non eſt vtile ad luem gallicam.*

attempera

attemperatur, & ad ſtatum naturalem deducitur. Zacutus in hoc caſu balneum aquæ dulcis admittit, in reliquis reprobat; nam laxat, humectat, dolores exacerbat à flatulento, & frigido humore ortos; offendit vlcera, tophos, tumores, nodoſque reſolutioni contumaces reddit. Ego addo, quod ſi aliter intemperies calida, & ſicca emendari poteſt, tale lauacrum non eſt admittendum, ob inconuenientia ab iſto Authore propoſita.

*An balneum ſit vtile in morbis complicatis cum lue gallica.*

Magis ſolutu difficile eſt ſecundum dubium, videlicet an lauacrum poſſit adhiberi pro curatione alterius morbi, paralyſis verbi gratiâ, aut arthritidis, dum adeſt ſimul luis gallicæ complicatio. Certum enim eſt, quod ſunt plures morbi hoc auxilium expetentes, ſine quo curari nequeunt; illud tamen reformidant plures Medici, neſcio quo timore ducti; inquiunt enim, quod plures, qui balneis ſe commiſerunt, morbo hoc affecti perierunt; huius tamen euentus cauſam ignorant, ſeque accingunt obſeruationi, & experimento quotidiano; ſæpe enim plus valet obſeruatio, quàm ratio. Sed ne ratio deficiat, qua eorum fulciatur ſententia, dici poteſt, quod morbus gallicus ab humoribus ſalſuginoſis ortum ducit; balnea verò habent etiam nitroſam, & ſalſam qualitatem: quapropter inflammant iecur, vlcera exacerbant, virulentam gonorrhœam commouent, & vrinæ ardorem, talpas, & nodos indurant, reſolutis eorum partibus tenuioribus: quæ omnia ſunt euitanda. Neque bonum eſſe poteſt, vnum demendo morbum, alios excitare grauiores; nam vt alibi diximus ex Ouidio, curando fieri quædam maiora videmus vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuiſſet. Quia ergo tot ſuccreſcunt mala ex balneorum vſu in præſentia morbi Gallici, ex quibus ſequi ſolet mors, ideò ſunt fugienda, imò increpandi Medici, qui ægros hortantur ad balnea.

*Statuitur concluſio affirmans.*

Sanè in re adeò difficili, quid ſentiam, breuiter referam, neque contradicendi animus me cogit, ſed ipſa ductus ratione ſuadeor. Dico ergo, quod balnea naturalia, qualia ſunt Ledeſmæ balnea, quibus vtimur in noſtra Prouincia, vtpote magis nobis vicina, & ſalutaria, ſi debitè adminiſtrentur, neutiquam nocere poſſunt gallica lue affectis, dum aliis morbis eſt complicata, qui aliter curari nequeunt. Hæc ſententia authoritatibus non poteſt comprobari, rationibus tamen ſtabiliri poteſt. Nam in primis huiuſmodi balnea euacuant humores, à quibus pendent morbi illi, qui etiam ſunt affectioni gallicæ communes. Ex quorum euacuatione, tam morbus gallicus, quàm reliqui morbi minuuntur. Secundò ſudores, qui debentur hoc morbo affectis, balneis facilè erumpunt, nec minùs benè euacuatur materia ſudoris per balneum, quàm decocto ſpartæ parellæ, ligni guaiaci, & radicis chinæ; ſolùm enim huiuſmodi decoctum præter ſudorem habet vim deſtruendi qualitatem gallicam, quæ non conceditur balneo; non tamen ex hoc infertur, quod balneum lædit. Tertiò, nam ſi læderet, maximè laxando membra, & gonorrhœam virulentam, aut vrinæ ardorem, vel renum, & iecoris intemperiem producendo, vt pro contrarioum ſententia inſinuauimus. Hæc omnia non obſtant; nam cùm huiuſmodi balnea habeant ſulphuream naturam, & poteſtate ſicca, & calida ſint, potiùs membra confirmant, quàm laxant. Neque debemus timere ardorem vrinæ, vel alia ab iſtis Authoribus propoſita; ſiquidem non cuicumque temperaturæ conueniunt, ſi enim homo eſſet naturâ calidus, & ſiccus, graciliſque, abundaret etiam humoribus bilioſis, nemo ſanæ mentis compos balnea conſuleret; ſupponimus enim debitam eorum adminiſtrationem, & quod indicatio non ſolùm ſumitur à morbo, ſed etiam à natura. Huic maximè repugnat balneum, quod propterea fugiendum; aliter enim ſequerentur incommoda allata. Neque quia plures hac lue infecti in balneis moriuntur, debemus fugere hoc auxilium; nam pereunt plures, quia ingrediuntur balneum dum maximè debiles exiſtunt, vel habent vlcera, & tumores, & ſunt in tertia, vel quarta ſpecie morbi gallici conſtituti; quo tempore aliis auxiliis egent, quæ directè opponantur huic morbo, quia vrget neceſſitas curandi illum; ex quorum defectu in balneo pereunt. At verò ſi vires conſtent, & æger ſit in prima, vel ſecunda ſpecie morbi huius, non tamen ſit nimis ſqualidus, aut bilioſus, abundetque humoribus craſſis, & frigidis, à quibus frequenter morbi chronici excitantur, & conſequenter morbus hic, neutiquam repugnabit balnei ingreſſui, imò potiùs conſulendus erit, cùm aliter morbi gallicum morbum concomitantes auferri nequeant.

*An poſt vnctionem ex hydrargyro conueniat balneum.*

Dubitatur tamen, an poſt vnctionem ex Mercurio poſſit conferre balneum? Reſpondeo, quòd vno anno tranſacto ab vnctione, ſi cogit neceſſitas, ratione alterius morbi poteſt æger balneari: ita ſentit Ioannes Bapt. de Alfiano *in ſuo tract. de vſu balneorum*; non tamen reddit rationem: deſumi tamen poteſt ex natura hydrargyri, quod ad intima penetrat, & in abditis corporis partibus diuiſum in minima per longum tempus occluditur, lentéque, & paulatim operatur; cuius operatio aliis remediis non eſt perturbanda, niſi poſt multum tempus. Accedit ad hoc, quod poſt vnctionem non conuenit balneum, neque ante illam, ratione morbi gallici: quare nunquam balneum ex mineralibus, de quo loquor, poſt vnctionem adminiſtratur, niſi morbus aliquis longus ſuperueniat, qui tale expoſtulet auxilium, quod neque ſtatim, niſi poſt alia multa exhibetur, ad quæ temporis plurimùm requiritur.

---

## OBSERVATIO V.

*De ægroto affectione dicta* noli me tangere, *laborante, qui curatus fuit puluere cancri fluuialis vſti.*

*Proponitur caſus.*

QVidam ægrotus habebat in tota facie vlcus cancroſum cutem, & ei ſubiectam carnem depaſcens, ægrotumque deformem, & aſpectu horribilem reddens. Ille igitur cùm ſalutis ſpem ferè ademptam habuiſſet, & omnium remediorum pericula ſubiret, tandem ad me peruenit, rogans vt illi eſſem auxilio; quem cùm vidiſſem tali languore, imò & angore oppreſſum, mei viſcera ad miſerationem erga illum ipſe facilè commouit, excogitauique, quod vnum remedium teſtabat faciendum, quo forſan ab illo immani cruciatu poſſet liberari, iuſſique capere cancros fluuiales, eoſque mittere in ollam æream, & in furno ignito concremare, quouſque in puluerem facilè redigerentur, illumque puluerem, ſeu cinerem ſpargere per totum vlcus, quo cruſta quadam obducta, deindeque cadente, totum vlcus apparuit mundum, ac denique curatum fuit ſicuti & reliqua vlcera, ægro incolumi manente, non ſine magna omnium admiratione.

### ANNOTATIO.

*Officium medici proponitur.*

AD cuiuſque morbi curationem oportet priùs eius indagare naturam, illiuſque referre cauſas; quibus cognitis, reſtat deinde cognoſcere, an

an morbus illam ſuſcipiat curationem, vel non; nam ad Medicum ſpectat *morbos curare, eorum vehementes impetus obtundere, & eorum, qui à natura victi ſunt, curationem non aggredi, cùm in confeſſo ſit, quod medicina eos ſanare non valet*, vt docet Hippocrates *lib. de arte*. Inter morbos, qui difficulter curantur, cancrus locum habet, quem circa illius initia ſæpè ſanauit Gal. vt ipſe teſtatur *libr. 2. de arte curat. ad Glauc. cap. 10.* ſed vbi in molem inſignem ſatis euectus eſt, nemo ſine manus opere potuit curare: quod ſi occultus ſit, curationem non admittit. *Curatus enim citiùs interficit; non curatus verò, longius tempus perdurat*, ex Hippocrate 6. *aphoriſm. text.* 38. quæ omnia quam veritatem habeant, in ſequentibus dicemus.

*Cancer quid ſit.* Eſt igitur cancer tumor durus, inæqualis, rotundus, venoſus, hoc eſt venas habens in circuitu turgidas, & eleuatas, ad liuorem, ſeu fuſcum tendens, perpetuò dolore mordenti, ſeu acri affligens, calidus, & breuiter accreſcens, ab atra bile procedens. Hæc cancri deſcriptio quidquid in cancro continetur: complectitur, vt in explicatione illius innoteſcet, eſt enim tumor, in quo conuenit cum aliis tumoribus; tumor igitur vicem generis gerit. Reliqua in definitione poſita eum ab aliis differre faciunt. Dicitur durus, quia procedit ab humore craſſo, qui per vſtionem reſolutis tenuioribus partibus fit craſſus, & durus remanet, imò & inæqualis cernitur, quia imbibitur inæqualiter in partibus, vbi elucet, in quibus rotunditatem ſeruare ſolet; non tamen hoc ita verum eſt, vt non percipiatur vel longus, vel latus, vt ſæpè experti fuimus. Eſt inſuper venis tumidis plenus, quia humor eius materiâ replet eas. Apparet in colore fuſcus, vel liuidus, quia humor talem habet colorem. Continuò cruciat, & dolet, ob illius mordacitatem. Sentitur calidus, quia humor habet partes ſubtiles calidas, quæ partes viuentis alterant. Breuiter accreſcit frequenter, quia humor facilè irritat, & tranſmittitur ex venis, vel aliis partibus ad ipſam partem tumore affectam. Ab atra procedit bile, nomine cuius non intelligimus melancholiam naturalem; nam ex hac potiùs tumor, qui ſcirrhus dicitur, fit, ex Galen. 14. *method.* ſed atram bilem ex vſtione, vel putredine prodeuntem. Sed quia *lib. de atra bile*, Galenus aſſerit, quod atra bilis fit vel ex bile, vel ex melancholia, ideò cenſendum eſt, quod tumor hic fit ex atra bile ab vtroque humore genita.

*Cancer an fiat ex ſanguine aduſto.* Dubitabis tamen; nam non implicat, quod ſanguis quartus humor per aduſtionem, amiſſis ſubtilioribus partibus, remanentibuſque craſſioribus, ſi in partem decumbat, ibi tumorem durum cum conditionibus allatis efficiat: ergo ſicuti cancer fit ex bile, & melancholia per aduſtionem, ita fieri debet ex ſanguine.

Reſpondetur cum Galen. *eodem lib. de atra bile*, quod ſicuti ex ſanguine non fit atra bilis, licèt ſuccendatur, ſed ſanguis manet in confinio illius, ſic tumor ex ſanguine torrido ortus non poteſt dici cancer, ſed tumor in confinio cancri; redolet enim cancri naturam, non tamen abſolutè eſt cancer; habet enim ſanguis ille, licèt torridus, benigniora, & mitiora accidentia, quàm quælibet atræ bilis ſpecies; ac per conſequens tumor à ſanguine ortus benignior eſt tumore ab atra bile prodeunte; non tamen implicat, quod reductiuè ponatur in eodem prædicamento.

*Cancer dum fieri incipit, non facilè diſcernitur ab aliis tumoribus.* Quamuis hæc ſigna facilè in huius morbi cognitionem deuenire faciant, vtpotè lippis, & tonſoribus nota; non tamen omnia ſemper hunc comitantur tumorem; nam in principio ita exiguus apparere ſolet, vt ciceris, vel fabæ magnitudinem non æquet, vt docet Galenus 14. *method. cit. cap. 9.* quo tempore difficillimè cognoſcitur. Sicuti enim ſtirpes, dum è terra exeunt, non niſi à peritis agricolis cognoſcuntur, non mirum ſi dum incipit cancer, ſolùm à Doctoribus, & in arte exercitatis cognoſcatur, quo caſu ſentiri ſolet in parte tumor paruus cum dolore pungenti, & ardore; reliqua autem ſigna non ſtatim apparent, breui tamen tempore ſuperueniunt, & facilè huius tumoris naturam manifeſtant.

*Cancer cur ita dictus?* Hanc appellationem huic morbo indiderunt, à cancro aquatico animali ſumpta ſimilitudine; tum quia circa hunc implentur venæ, & intenduntur, quæ ſimilitudinem habent cum pedibus cancri animalis: tum quia difficillimè euellitur à partibus, quibus adhæret, ſicuti alter loco, quem ſemel apprehendit, pertinaciter hæret. Denique quia proprietate quadam cancer aquaticus cancrum tumorem curat, & in colore vnus alteri aſſimilatur.

*Cancer variè ſortitur nomina.* Hic tumor varias accipit appellationes, etiam iuxta partium, quibus innaſcitur, differentiam, quas ei impoſuerunt Barbari, & cum eis Guido: dum enim faciem apprehendit, noli me tangere dicitur, in naribus pólypus, in cruribus lupia, in cauitate naturali cingulum, in mammis generali nomine cancer, Hiſpanè *Zaratam* vocitatur.

*Cancer vel eſt vlceratus, vel non vlceratus.* In quacumque exiſtat parte, dupliciter fieri poteſt; exulceratus, & non exulceratus. De non vlcerato cancro ſigna tradidimus. In vlcerato tamen, præter ſigna cancro non vlcerato conuenientia, vlcera erodentia, ac inæqualia conſpiciuntur, magna ex parte ſordida, labris prætumidis, aſpectu horrenda, fæculenta, liuida, interdum rubra, & cruenta apparent, à quibus continuò manat ſanies tenuis, aquoſa, nigra, aut fulua, & grauiter olens. Ita Paulus, Auic. & omnes, qui rem chirurgicam agunt.

*Cancri cauſa.* Vtriuſque cancri cauſam coniunctam diximus eſſe atram bilem, hac tamen adhibitâ differentiâ, quod cancrus non vlceratus fit frequenter ab atra bile ex melancholia genita; vlceratus verò fit ab atra bile ab humore bilioſo procreata, quæ cùm magis mordax ſit, citiùs exulcerat, quàm atra bilis ex melancholia: ita Auic. Albucaſ. & ferè omnes. Antecedens cauſa eſt humor, qui ad partem fluit antequam in ipſa colligatur. Occaſionalis, ſeu manifeſta eſt quidquid præſtat occaſionem ad huius humoris prolem, vt alimenta craſſa, & ſalita, & animi paſſiones, præſertim timor, & triſtitia, & hæmorrhoïdum, & menſtruorum ſuppreſſio, & alia, quæ ab Authoribus proponuntur, quæ analogiam habent cum humoribus adductis. *Pars affecta in cancro.* Partes, quæ hoc morbo afficiuntur, ſunt plures in noſtris corporibus, abditæ quædam, & aliæ manifeſtæ, præcipuè in mulieribus mammæ, & loca muliebria, ex Paulo.

*Cancri difficillimè curantur.* Cancri qui ſunt in partibus profundioribus, vel non apparentes, quos occultos vocat Hipp. non curantur, hoc eſt radicitùs euelli nequeunt, neque ad ſanitatem perduci; benè tamen aliter illis prouidere poſſumus, molliter eos tractando, vt ſic vitam cum minori incommodo tranſigere valeant. Occultos etiam eſſe dicit Galenus eos cancros, qui ſunt ſine vlceratione, ex quibus qui in ſumma corporis parte hærent, tantum curantur radicitus, quos poſſumus vnà cum radicibus, hoc eſt venis ſanguine melancholico diſtentis reſecare; ſi verò nimis fixi, & adhærentes ſint, ſiue vlcerati, vel non exulcerati permaneant, eos huiuſmodi curatione attingere non oportet. Lege Gal. 6. *aphoriſm. comment.* 38. Qui ergo cancrum in palato, in ſede, & in ſinu muliebri conſtitutum vel vſſerunt, vel ſecuerunt, non potuerunt vlcera ad cicatricem perducere, & homines in curatione afflictos, ac maceratos vſque ad mortem detulerunt, vt eodem loco teſtatur Galen.

§. I.

## §. I.

*Non vlcerati cancri curatio traditur.*

HIs præuiſis oportet iam ad curationem deuenire; ſed quia vlcerato cancro, & non vlcerato quædam remedia adaptantur, alia verò vni, & non alteri; ideò vt meliùs perficiatur vtriuſque curatio, de quolibet ſeorſim ſermonem inſtituam, initium ſumens à cancri non vlcerati curatione. In primis debemus victum inſtituere, ei offerendo cibos boni ſucci, qui ſanguinem laudabilem gignant, vt in aliis affectibus melancholicis traditum eſt, euitabimuſque ea edulia, & alia, quæ humorem craſſum, & melancholicum procreant. Quod ſi aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa, eam reuocare tentabimus. Deinde cauſam antecedentem euacuare ſtudebimus, tam ſanguinis miſſione, quàm expurgatione. Sed quia humor aduſtus quotidie, & paulatim accreſcit, ex conſilio Galeni paulatim, ſeu per interualla eſt euacuandus epithymo, vel ſenna in ſero lactis caprini infuſis. Mox ad auxilia particularia deuenire cogit vrgentiæ ratio.

*An in cancro repellentia ſint ex vſu.*

Quæ in principio repellentia debent eſſe, non tamen debilia, nec nimis fortia, ſed moderata; & idem ſtatuo de reſoluentibus. Nam ſi repellentia ſunt debilia, neque partem roborant, neque humorem fluentem ad illam ſiſtunt; ſi verò ſint fortia, ipſum humorem incraſſant, & magis contumacem reddunt. Oportet ergo, vt ſint moderata, quæ quidem in principio conueniunt, quando ſcilicet humor fluere incipit. Reſoluentia verò debilia non poſſunt vincere humorem iſtum terreſtrem, qui ob ſuam craſſitiem non facilè obedit calori reſoluenti. Fortiora verò magis tumorem indurant ſubtiliores humoris partes diſſipando, & reliquas remanentes craſſiores reddendo. Oportet ergo, vt inter moderatè reſoluentia reponantur. Neque contra hanc doctrinam facit, quod repellentia non conueniunt, dum humores craſſi, & venenoſi in aliquam partem decumbunt, qui repellentium vſu detinentur, & magis incraſſantur. Huiuſmodi ſunt humores atrabiliarij, qui cancro materiam præſtant. Quod ſi circa partem principem iſte tumor habet originem, neutiquam repellentia adhibentur: quod præceptum vt inuiolabile obſeruant Practici. Reſpondeo, quod propter iſtas rationes admonet Galenus repellentia moderata, quæ ſuâ frigiditate calorem remittunt, & mordacitatem, & dolorem ſedant. Si verò humor ſufficienter ſit euacuatus, reſoluentia ſunt ex vſu: quod ſi tantùm mediocris præceſſit purgatio, digerentia repellentibus ſunt admiſcenda. Laudat ergo Galenus in principio materiam ex vſtis, & lotis metallis, & quæ ex eis componuntur, quæ ad ſanandos incipientes cancros magnam vim habent, prohibentque augeri maiores, impediuntque eorum exulcerationem, vt ait Auic. Inter quæ commendatur ſuccus ſolani, vel plantaginis, aut conſolidæ per ſe, vel cum puluere pompholigos: neque erit abs re ipſum ſuccum priùs agitare in mortario plumbeo, vt plumbi vires comparet. Ad idem valet vnguentum pompholigos, aut quod ex chalcite fit, quod alij diapalmam vocant. Plumbi lamina ſupra cancrum ſtrictè ligata maximè confert; habet enim plumbum magnam vim contra hunc morbum, vt teſtatur Gal. 9. *ſimpl.* de plumbo agens. Quod ſi dicta lamina plumbea illiniatur mercurij vnguento, fortiùs operabitur.

*Cancer curatur vnguento mercurij.*

Neque erit præter rationem ipſum tumorem inungere fortiter eodem vnguento mercurij; ſi enim mercurius habet vim curandi ſtrumas, & eo vti-



A tur Ambroſius Paræus ad hunc finem; tollitque tumores ſcirrhoſos, vt quotidie experimur in lue gallica affectis, poterit quidem idemmet auxilium applicari pro cancri curatione. Theodoricus ad hunc morbum vnguentum format, quod etiam adducitur à Ioanne Tagautio *lib.* 1. *de tumoribus*, *cap.* 15. & à Caluo Valentino *lib.* 2. *cap.* 25. quod ſic ſe habet. ℞. olei roſati omphac. ℥. v. ſucci granorum rubrorum ſolani ℥. iiij. ceruſæ lotæ ℥. ij. plumbi vſti, & loti, pompholigos, ana ℥. j. ß. fiat vnguentum ex arte. Quod ſi in mortario plumbeo, & ſpecillo plumbeo agitetur, efficacius erit. Ego ſæpe vſus ſui medicamento quodam Apollonij, quod refert Gal. 1. *de compoſit. medicam. ſec. locos*, quod licèt conferat ad manantia capitis vlcera, maximè prodeſſe ſolet etiam ad cancros incipientes, vt Galen. teſtatur, ſicque deſcribitur. ℞. olei roſati omphacini heminam, ideſt ℔. j. & ℥. iij. infunde in pilam B plumbeam tantiſper, deinde ſub ſole piſtillo plumbeo agitetur donec craſſeſcat, nigreſcatque, adeò vt plumbi colorem referat; deinde adde lythargyrij, & ceruſæ, ana ℥. iij. & commiſceantur ita vt fiat vnguentum: quod ſi ei, dum agitatur oleum, admiſceas ſuccum ſolani, optimum erit. Vnguentum etiam ex ranis traditum à Danza vtile cenſetur. Ad idem valet emplaſtrum ex carne limacum contuſa in mortario plumbeo, cum pauco aceti, & puluere tuthiæ præp. & plumbo vſto, & loto. Cancrorum fluuialium caro contuſa in mortario plumbeo laudatur ab Auic. hæc enim tollit eius incrementum, & ipſum minuit. Aqua ſtillatitia eorumdem cancrorum vtilis cenſetur, ſi ea panni madefiant, & ſupra partem affectam applicentur; iis etenim ſolent cancri minui, & auferri, impedirique eorum incrementum, & exulceratio.

C

## §. II.

*Cancri in vlcerationem tendentis curatio.*

VErumtamen ſi dictis auxiliis, & aliis cancer non auferatur, ſed potiùs in exulcerationem tendat, cognoſcitur ex doloris intenſione, punctione, & vehementi ardore, & quod tumor in mollitiem abit. Quo tempore non oportet ampliùs expectare, ſed ad operationem manualem deuenire, & cancrum protinus exſtirpare eo modo, quo ab Authoribus traditur, in cuius detractione conſule peritum Chirurgum. At ſi abſconditus ſit, altaſve egerit radices, nimiſque fixus, & adhærens ſit partibus principibus, ita vt extrahi nequeat, vt in ſinu muliebri, inguinibus, in labris, naribus, facie, iugulo, & inteſtinis, & ſede, neutiquam attingendus eſt; nam ex tali curatione omnes facilè pereunt; ſed blandè, & molli- D ter eſt tractandus, aliter enim irritatur, & ad deteriorem ſtatum deuenit; propterea que exiſtimo, quod hoc nomen *noli me tangere*, illi adaptatur, quia ſcilicet ex remediorum fortium adhæſu magis ingraueſcit; tunc etenim cohibere oportet exulcerationem, ei admouendo ſolani, vel plantag. ſuccum, vt mordacitas humoris mitigetur. At ſi dolor vehemens ſit, ſucco ſolani opij grana quatuor admiſcebis, aliiſque auxiliis ſuprà traditis vteris, eis addendo, ſi dolor infeſtet, aliquid ſeminis papau. albi, vel iuſchiami, aut opij parum.

*Cancri iam vlcerati curatio.*

Si verò vlceratus fiat cancer, adhibito vitæ regimine, & ſufficienter antecedenti cauſa euacuata, eo modo, quo dictum eſt, ſi poteſt æger abſciſſionem, & vſtionem ferre ſine periculo, ſtatim operatione manuali eſt ſeparandus eo modo, quo docet Paul. *lib.* 6. & Gal. 14. *meth. c.* 19. per hæc verba: *Cæterùm ſi quando cancrum per chirurgiã curare audebis, cœpiſſe quidem ab*

*euacuando per purgationem melancolicho humore oportebit. Vbi verò totum, quod vitiatum eſt, prorſus excideris ſic, vt nulla ſuperſit radix, ſine effluere ſanguinem, nec properè eum inhibebis, imò premendo potiùs vicinas partes exprimes ex iis craſſiorem ſanguinem, mox aliis vlceribus ſimiliter curabis.* Sed quia neque facilè ſanguis ſiſtitur, neque ex toto humor exprimitur, ideò Vigo, Guido, & alij ferè omnes conſulunt ferramentis igni flagrantibus locum adurere, deinde cruſtâ decisâ, remediis ad hoc conuenientibus vlcus eſt curandum. Quod ſi æger vſtionem reformidet, Guido, Tagautius, & alij laudant arſenicum ſublimatum; hoc, inquit Theodoricus, eſthiomenum, cancrum, lupum, fiſtulam, & alios peſſimos morbos prima die detrahit, & extirpat. Sed quia ex illius vſtione facilè inflammantur partes circumiacentes, hoc incommodum vitabis, ſi ipſum carcinoma defenſiuo boli armeni, vel aliis refrigerantibus accinxeris. Cruſtâ denique inductâ, quæ intra triduum confirmari ſolet, dolor ſedandus, & cruſtæ caſus procurandus, vlcus vt reliqua vlcera caua curandum eſt.

Si verò extrahi, & abſcindi non poteſt, propter cauſas ſuperiùs adductas, vel ob ægri timorem, vel debilitatem, aut quia extrema hæc remedia ferre nequit, poſt victus inſtitutionem, & humoris adufti paulatim factam euacuationem, euacuationumque ſupreſſarum reuocationem, loco affecto imponenda ſunt remedia, quæ partem firment, dolorem leniant, refrigerent, exſiccent, & abſtergant, qualia ſunt quæ ſuprà deſcripſimus pro cancro non vlcerato, quibus tuetur æger plurimùm. Verumtamen cum ſæpè iis, & aliis remediis non conſaneſcat, ad tollendam carnem, & abſumendas humiditates ichoroſas, & abſtergendum quammaximè iuuat puluis præcipitatus Ioannis de Vigo, toties ab ipſo laudatus, qui admiſceri ſolet vnguento albo, quo curatum fuit vlcus cancroſum in facie cuiuſdam nobilis ægri. Idem facit etiam vnguentum rubeum dictum, poſt cuius vſum vlcere mundificato, incarnantibus, & agglutinantibus eſt vtendum.

*Cancri fluuialis cinis maximè vtilis in cancri vlcerati curatione.*

Hæc, & alia plurima adhibita fuere ægroto, cuius narrauimus hiſtoriam, quibus quotidie deteriùs ſe habebat, creſcebatque vlcus ita, vt fermè totam occuparet faciem, præcipuè tamen labia corripiebat. In illius ergo ſubſidium vocatus fui, & cum non reſtaret aliud faciendum præter applicationem pulueris cancri fluuialis vſti, quem laudant Paulus, Galenus, Auicenna, & omnes Chirurgi, legiſſemque hiſtoriam, quam refert Lacuna *lib.* 2. *in Dioſc. cap.* 10. de quodam nobili viro Luſitano, qui cùm pateretur vlcus cancroſum in ventre, quod aliis remediis vinci non potuit, vt in re deſperata iuſſit ſupra vlcus iniicere puluerem cancri concremati, quo per noctem fuit genita cruſta dura, & nigra, quæ ſecum attulit totam carnem corruptam, & infectam, ita vt vlcus mundum totaliter redderetur, quod facilè poſt ſarcoticorum vſum ad ſanitatem fuit deductum. Ideò hac obſeruatione, & aliorum authoritate commotus propoſui remedium: illud Chirurgus amplectitur, eoque vtens, vlcus depaſcens fuit mundificatum, & ſanies ab eo emanans fuit conſumpta, breuique tempore quaſi è tumulo æger fuit tranſlatus ad vitam.

Neque hoc remedium propono vt Authoribus ignotum, cùm de eo mentionem faciant omnes; ſed potiùs vt increpem Chirurgos, & Medicos, qui veluti immemores huius ſalutaris remedij toties ab Authoribus laudati, in tanta mali ſæuitie eo non vtuntur, cùm nec ſit difficile illud inuenire, concremare, & applicare.

## OBSERVATIO VI.

*De Domino D. Balthaſare de Buitrago, Olmetenſi, Sancti Iacobi Enſis ſtemmate ſuffulto, lue gallica infecto, paralyſi tentato, & difficili laborante reſpiratione, qui ex Medicorum timore circa vnius remedij admotionem ſuffocatus periit.*

*Caſus fingitur.*

HIc nobilis vir, cuius proponere hiſtoriam eſt nobis in animo, nondum ſuæ ætatis quadrageſimum attingebat annum, qui per multos annos, ab adoleſcentia ſcilicet, pati cœpit luem gallicam, in cuius ſubſidium non ſemel, ſed bis vehementer ſudauit, accepta potione ex ſmilace aſpera, & ligno guaiaco; non tamen ab vſu venereo cum muliere infecta ſe abſtinuit, atque adeò pati cœpit diſtillationem capitis ad pectus, ita vt in raucedinem, & difficilem reſpirationem caderet, in faucibuſque perſenſit vlcus ſordidum, neque hoc ſolùm, ſed patiebatur continuò gonorrhœam virulentam, cui tractu temporis ſuperuenit torpor, & tremor brachij dextri, ita vt timeret incidere in paralyſim; remediis tamen admotis, ab vlcere, & paralyſi imminenti, & torpore præſenti, imò & à gonorrhœa liberatus fuit; remanſit tamen cum affectione gallica, & capitis in pectus diſtillatione; & quia humor diſtillans erat craſſus, partibus, ſeu inſtrumentis reſpirationis adhærens, imminebatque ſuffocationis periculum, peruenit ad nos conſilium petens, ne incideret in extremas anguſtias ſuffocationis. Conuocatis ergo Medicis, & de re habito conſilio, fuit conſultum, vt ei aperirentur fontanellæ duæ, vna in crure dextro, altera in brachio ſiniſtro; & omiſſis aliis remediis, fuit controuerſum, an eſſet conueniens hunc nobilem virum vngere mercurij vnguento: neque deficiebant rationes, & fundamenta pro vtraque parte; tamen quia vnguentum ex mercurio mouet per ſputum, humoreſque ad pectus ducere ſolet, me ſolùm repugnante, & tale remedium admittente, omnes vnanimiter reformidarunt vnguenti mercurij vſum, affirmabantque citiùs ex illius adminiſtratione ſuffocari poſſe, iuſſeruntque ægrum purgare per epicraſim, & ei offerre bechica medicamenta, inſcindentia ſcilicet, & attenuantia, vt humor in bronchiis aſperæ arteriæ, & in pulmone imbibitus tuſſi, & per ſputum eiiceretur; appoſueruntque emplaſtrum centauræ, & betonicæ in capite, vt humor ad extra reuocaretur: nihil tamen commodi his, & aliis remediis percipiebat miſerrimus æger, ſed quotidie illius reſpiratio difficilior apparebat, quo magis timebant mercurij vnctionem, compoſueruntque vt melius exſpueret, ſyrupum de herba nicotiana, quæ maximè prodeſt aſthmaticis, & pectoris affectibus, quo maximam pituitæ quantitatem reiiciebat, & ad leuandum caput, & pectus per os eiuſdem herbæ fumum accipiebat, neque his leuiùs ſe habebat. Peruenerunt etiam ad ſudationes, quæ conducere videbantur his affectionibus; nihil tamen commodi perſentiebat. Cognoſcens ergo ipſe æger, quod his, & aliis auxiliis debilior reddebatur, petiit à nobis inſtitutionem circa ea, quæ obſeruare deberet, & in propriam domum reuerſus, breui tempore ſuffocatus periit.

### ANNOTATIO.

*Timor eſt de malo arduo futuro.*

PRudentis conſilij eſt timere illud, quod malum arduum eſt, cui difficilè reſiſtere poſſumus: neque huiuſmodi timiditas eſt, de qua agit Hippoc. *lib.*

*lib. de legibus*, dum ait, quod timiditas impotentiam artificis oſtendit; hæc enim deſidiâ, & otio fit, de qua Seneca *in Troade* ait: *Miſerrimum eſt timere, cum ſperes nihil.* Leuiùs ſolet timere, qui propriùs timet: at noſtri Medici vehementer aſſiduis ſtudiis occupati, non ſine ratione malos euentus timent, qui etſi ſecundùm rationem eueniant, eorum errori adſcribuntur: quare ægri huius mortem præcauentes ob motum humorum, quem facit mercurius ad pectus, ſi eo illineretur æger, noluerunt eum mercurio inungere, ſed potius prognoſticis relinquere, aliterque quantùm poſſibile fuiſſet, illius vitam prolongare alia adhibendo remedia: timebant quidem infamare remedium, quod multis fuerit ſaluti, ſimulque timebant illis tale remedium in opprobrium verti. At ego cùm nullam ſpem ſalutis ægrotantis haberem, niſi tale exerceretur remedium, contrarium amplexus fui, non temeritate ductus, quæ eſt defectus conſilij, & imprudentiæ ſpecies, & quædam præcipitatio; ſed potiùs audacia commotus in vera ratione fundata; audaces etenim non modò fortuna adiuuat, vt eſt in veteri prouerbio, ſed multò magis ratio, vt ait Cicero *Tuſc.* 2. Audentes Deus ipſe iuuat. *Audebimus vltima*, dixit Ouidius 10. *metamor.* Perpendamus igitur rationes, & fundamenta, quibus tam vna, quàm altera ſententia fuit ſtabilita. Qui enim aſſerebant, eſſe valde periculo plenum, ægrum inungere vnguento mercurij, dum aſthmate præmeretur, procedebant ſic. Primò, nam mercurius mouet humores ad pectus, ex quorum motione adauctâ fluxione ſuffocaretur citiùs. Secundò id comprobat Gal. 13. *methodi, c.* 11. vbi aſſerit quod longiſſimè à tentata fluxione parte, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit. Idem Auic. *fen.*3. *lib.*4. *tract.*1. *c.*3. tertiò; nam hydrargyros neruos maximè lædit, vt probat Lac. *ſuper* 5. *lib. Dioſc. c.* 69. quod experimur in iis, quibus imponitur pœna fodendi in mineris hydrargyri, qui ſi viui exeunt, ſunt in continuo tremore, neque quieſcere poſſunt: hoc autem naſcitur ex læſione inſtrumentorum motui inſeruientium; quapropter ſi muſculi, & nerui pectus mouentes offenderentur ex mercurij applicatione, maior quàm antea noxa perciperetur. Quartò, licèt verum eſſet, quod hic nobilis æger eſſet lue gallica infectus, non tamen in illo magnum aliquod apparebat veſtigium, quod hoc tam magnum indicaret remedium; nam neque vlcera, neque tumores, neque alias habebat fœditates, quibus hoc remedium congruere poſſet. Vltimò, nam hic æger erat tentatus paralyſi, vel torpore, ſaltem in brachio dextro, qui cùm ſit affectio ad neruos attinens, non bene curatur cum hydrargyro, qui maximè neruis officit. His ſuaſi rationibus malum euentum timentes, iudicarunt neutiquam eſſe vtendum hoc remedio, ſed aliis remediis, euacuationibus ſcilicet per epicraſim, & auxiliis ſputum mouentibus, imò & ſudorificis morbum debellare tentarunt.

*Temeritas quid ſit, & audacia.*

*Mercurius an moueat humores ad pectus.*

Viſa fuit mihi contraria ſententia tutior; nam vt inquit Hipp. *lib. de loc. in homine*, cùm morbus periculoſiſſimus eſt, in eo periclitari licet; ſi enim ſucceſſerit, ſanum facies; ſin minùs, quod etiam aliàs futurum erat, id ipſum perpetitur: & in rebus dubiis, vt ait Celſus, melius eſt anceps periculum experiri, quàm nullum; & cùm alia remedia ſufficere non poſſent, imò eis quotidie deteriùs ſe habebat, nullum aliud reſtabat exequendum. Neque deberemus timere motum humorum ad pectus, & membra anhelitus ex vungenti mercurij applicatione, quia ante illius adminiſtrationem ſupponebamus euacuationem humoris ſæpè factam per medicamenta purgantia, ita vt parum, aut nihil remaneret humoris, qui ad pectus decumbere poſſet; quo tempore potiùs humorem in pectore contentum euacuaret vnguentum, tuſſim commouendo, quàm fluxionem excitaret humorem ad pectus trudendo. Hæc doctrina non opponitur Galeni ſententiæ *ex* 13. *methodi*, qui docet eſſe reuellendum longiſſimè à parte tentata fluxione, neque ad ipſam partem attrahere conuenit, vtrumque enim conſequitur in noſtro caſu; nam priùs euacuando humorem per infernam aluum, & per ſudorem, reuellimus ad diſtantiſſimas partes, deinde admouendo vnguentum hoc, pectus redditur mundum, & humor in eo contentus ſputo educitur, inſtrumentaque reſpirationis manent libera, ſicque optatam ſalutem conſequimur: & quemadmodum vomitum vomitu, fluxumque fluxu ſedat Hipp. *lib. de locis in homine*, pari ratione ſputum ſputo ſedare valebimus; & ſicuti dum vomitum vomitu curamus, non fit attractio ex aliis partibus ad ventriculum, dum omnia debitè adhibentur; ita neque dum ſputum ſputo excitamus neceſſe eſt ad pectus attractionem fieri. Præterea vnguentum ex hydrargyro non lædit neruos; nam ſupponitur extinctum hydrargyrium, & vnguentum benè fermentatum, & antiquum; nam recens, & non fermentatum, magis penetrat, & imbibitur in intimis partibus, & maximè officit, quia adhuc ſuam retinet naturam; fermentatum verò eam deperdit; nam ex omnibus, ex quibus vnguentum componitur, inſurgit per fermentationem quoddam tertium à quolibet, ex quibus componitur, diſtinctum: neque dici poteſt, quod in vnguento remanet formaliter hydrargyrum; & quia extinctum amittit eam mobilitatem, qua neruos inſtabiles facere ante extinctionem ſolebat: atque adeò non repugnat eius applicatio in torpore, & paralyſi, præſertim cum habeat vim euacuandi humores craſſos, & viſcidos, à quibus frequentiùs paralyſis excitatur, quibus euacuatis & ipſa aufertur.

*Eligitur ſententia comprobās, in morbis pectoris mercurium conuenire.*

*Hydrargyrum an lædat neruos.*

Neque impedit huius remedij executionem defectus vlcerum, tumorum, & aliarum fœditatum, quæ dantur in affectione gallica tertiæ ſpeciei; nam ſæpe hæc omnia deficiunt dum humor ad partem determinatam defertur, ſi enim per plures partes eſſet diffuſus, in illis produceret plura morborum genera; at cùm omnes humores defluerent ex capite, & ventriculo, & venoſo genere in pulmonem, & aſperam arteriam, ibique in maxima colligerentur quantitate, ita vt nimis reſpirationem impedirent, non remanebat quantitas illorum, quæ poſſet in reliquis partibus progignere morbos: quare ſicuti præſentibus his morbis in lue gallica vtimur vnguento ex Mercurio: ita dum humor vexat pulmonem, & reſpirationis vias, vtile cenſetur tale vnguentum. Hanc difficultatem percalluit Zacutus *lib.* 2. *praxis hiſtor.* de curatione morbi gallici agens, vbi aſſerit, quod ſi vlcera in gutture, vel ore ſint recentia, & impetus fluxionis ſit recens, vnguenta reproba ſunt, quia humores mouent verſus partem affectam, & fluxionem adaugent: at verò ſi vlcera ſint antiqua, & fluxionis impetus ſit ſedatus, ita vt neque ſudorificis auxiliis, aut aliâ viâ curari poſſint, tunc vnguenta mercurialia vtiliter ſunt admouenda; & licèt aliquis humor moueatur ad partem, maior tamen vtilitas ſequitur ex correctione vitioſæ qualitatis, & humoris euacuatione, quàm detrimentum ex commotione humoris ad partem. His ſuaſus rationibus vtile exiſtimaui hoc ſingulare remedium conferre ad huius morbi ablationem; præualuit tamen ſapientiſſimorum virorum placitum, qui aliter eum eſſe curandum ſtatuerunt, in quem finem laudarunt ſyrupum herbæ nicotianæ adductum à Manardo in hiſtoria ſimplicium ex nouo orbe delatorum, qui conficitur

*Quare hic æger non habui tumores, vlcera, & alia in toto corpore.*

*Vnguentum mercurij in morbis pectoris quādo conueniat.*

ex decocto foliorum eius, & ſaccharo ad pectus expurgandum, & ſubtiliandum humores in aſpera arteria, & pulmone imbibitos; folia tamen, ſi viridia ſunt, magis guſtui grata, & vtilia cenſentur, quàm ſicca. Ad idem opitulatur ſyrupus eiuſdem herbæ à Quercetano deſcriptus, qui magnam omnibus aſthmaticis præbet vtilitatem in parua quantitate ſumptus, qui ſic paratur. ♃. ſucci peti ℔. iiij. hydromelitis ſimpl. ℔. j. oxymelitis ſimpl. ℥. iiij. omnibus ſimul mixtis in matracio vitreo capaci fiat digeſtio in balneo Mariæ per duos, vel tres dies; interea temporis craſſior ſedimenti portio in fundo apparebit; tunc per inclinationem magnâ induſtriâ, ne materia turbida fiat, ſeparabis purum ab impuro, hoc eſt craſſum illud ſedimentum à claro, & pellucido liquore, quo iterum in noua digeſtione poſito, in cæteris progredieris, donec materia ab omni fæculentia depurata fuerit: adde poſtea ſacchari ℔. ij. & coque ad ſyrupi conſiſtentiam: doſis eius dimidium cochleare tantùm in principio, poſtea verò doſis augenda. Ad ſiccandum humiditates cerebri, & pectoris per os recipiebat peti fumum. Similiter quolibet mane ſumebat potionem calidam ex decocto ſmilacis aſperæ, ligni ſancti, radicis chinæ, capill. Ven. iuiubarum, betonicæ, & florum violarum. Sed quia fluxio prodibat ex capite, ad illius ablutionem compoſitum fuit lixiuium ex cinere vitis, & ex rebus capitalibus, & ex eiſdem rebus fuit factus puluis, & conſtructa cucufa, & denique appoſitum emplaſtrum de centaura, & de betonica in capite ad illius corroborationem; propoſitumque fuit illi, vt aperiretur fontanella in occipitio, in extremitate ſcilicet capillorum, vt per illam exſpiraret humor: non tamen eam admittere voluit, imò cùm ex remediis nullam ſentiret vtilitatem, ſe à remediis abſtinens, & in domum propriam rediens, diſtillatio ad pectus magis adaugebatur, donec breui tempore ſuffocatus periit; cuius ſuffocationis euentus forſan impediretur, ſi vnguento mercurij inunctus fuiſſet, quod magnas dotes habet ad delendum morbum gallicum, & in fluxionibus humoris gallici ad pectus maxima cum vtilitate eo vſi fuimus, neque contra hunc morbum inueteratum aliud ita efficax inueni præſidium.

*Syrupus peti Quercetani.*

---

## OBSERVATIO VII.

*De quodam nobili viro conuulſione, febre continua, & lue gallica affecto, vnguento mercurij ad ſanitatem reducto.*

*Depingitur caſus.*

QVidam æger nobilis, ætate iuuenis, habitu gracilis, naturâ melancholicus, gallica lue fœdatus, cum febre antiqua humorali ad habitualem tendente, ad iuguli latera conuulſionem patiens, ita vt collum, & caput erectum haberet, cum maximo dolore, qui eum inſomnem reddebat, poſt multa temporum curricula, & poſtquam variis fuit vſus remediis, tam vniuerſalibus, quàm particularibus, nullum leuamen perſentiens, vocauit me, voluitque mihi tantùm ſuæ ſalutis curam committere, quem grato animo curandum ſuſcepi, etſi caſus difficultatem cognouiſſem, propter morborum magnitudinem, & antiquitatem, qui magna poſtulabant remedia; & propter virium iacturam, quæ talia ferre non poterant: cum his tamen curationem cœpi, vt in ſequenti annotatione videbis.

### ANNOTATIO.

ANtequam horum morborum curationem aggrediar, oportet priùs inueſtigare cuiuſque morbi naturam, vt eâ cognitâ, remedia applicentur; eſt enim cognitio morborum, vt inquit Gal. 1. *de aliment. facult.* remediorum materia: quapropter breuiter quænam eſſet ſpecies conuulſionis, & febris, quâ laborabat, conditio, priùs inquirere oportet.

Conuulſio, vt ex Galen. accepimus 3. *de locis affect. cap. 6.* eſt retractio inuoluntaria muſculorum, ſimilis tamen voluntariæ, ab inanitione, & repletione procedens, de qua latè egimus *lib. 1. de internor. morbor. curat.* vbi diximus, quod tam morbus, quàm ſymptoma conuulſio nominatur. Illam retractionem motum deprauatum facultatis animalis vocat Galenus 2. *de cauſis ſympt. cap. 1.* licèt tota fiat à morbo: & *de rigore, trem. & palpit. cap. 8.* exemplo chordarum, quæ ab ambientis humiditate, & ariditate contrahuntur; & propterea dicimus, quod fit conuulſio omnis ex inanitione, & repletione, eo modo, quo explicuimus loco à nobis proximè citato.

*Conuulſio quid ſit.*

Sed maioris claritatis gratiâ in tres ſpecies conuulſionem Galenus diuidit; vna emproſthotonos dicitur quando caput ad pectus, ſeu ad anteriora retrahitur; altera opiſthotonos, quando ad ſpatulas, ſeu poſteriora; alia denique tetanus dicitur, quando ad nullam partem retrahitur caput, ſed erectum, & rigidum manet, eo quod muſculi oppoſiti æqualiter conuulſione occupantur. Ex his tribus conuulſionum ſpeciebus noſter æger tenebatur tetano; non enim poterat retrahere caput versùs vnam, aut alteram partem, neque caput mouere ſine ingenti dolore.

*Conuulſionis ſpecies.*

Huius conuulſionis cauſa immediata erat humor craſſus, pituitoſus, & melancholicus, quo abundabat æger; quod conſtabat etiam ex ſubita huius morbi inuaſione; nam ſi homo ſanus conuellatur repentè, neceſſe eſt fieri repletione; replentur autem nerui frigidis, ac glutinoſis humoribus, ex Gal. 2. *aphor. comment.* 26. Item ſi temulento cuipiam homini, ac omnimò pleno, qui videlicet in otio degit, id euenire conſpexeris, ex repletione conuulſio naſcitur, ex eodem 3. *de locis affect. cap. 6.* At ſi ex laboribus, inedia, vigiliis, æſtuante febre, vel ab aliqua euacuatione immodica ſuperueniat, paulatim inducitur, & ab inanitione procedit. Quia ergo in hoc ægro nulla præceſſit occaſio, quæ inanitionem, & ariditatem monſtraret, & in otio degebat, plurimiſque abundabat humoribus, vt certum habui, ipſum laboraſſe conuulſione ex repletione. Sed quia habebat ipſe ſuſpicionem morbi gallici, & habuit plures occaſiones, in quibus potuit gallicam infectionem contrahere, ſemper exiſtimaui, hanc conuulſionem originem duxiſſe ab humoribus affectione dicta ſigillatis, præſertim cùm, vt ipſe referebat, habuiſſet bubones in inguinibus ex concubitu cum muliere infecta hac labe ortos. Pars affecta in conuulſione erant muſculi iuguli vtriuſque lateris, tam dextri, quàm ſiniſtri, ex quorum læſione rigidum manebat iugulum, & caput erectum. Pars mandans caput, & vniuerſum corpus; & forſan humor bubones in inguinibus faciens, qui neque ſuppuratus, neque reſolutus fuit, imò euanuit, potuit eſſe conuulſionis cauſa, cui præſtitit occaſionem indebita victus ratio, inordinatus veneris vſus, quo maximè offenditur caput, debiléque redditur, & humorum receptioni aptius fit.

*Conuulſionis cauſa.*

*Pars affecta in conuulſione.*

Neque hic æger erat liber à febre, ſed continuò eam

eam patiebatur,ab humoribus craſſis, & frigidis ortam, noctuque incrementa quædam habebat; & quia per ſpatium vnius anni moleſtabatur ab ea, erat conſumptus, & maximè ad hecticam paratus, hi quidem humores ſuâ craſſitie & multitudine venas, meſenterij præſertim obſtruentes, febrem excitabant continuam. Sed quia in gallicis affectionibus iecur præcipuè patitur (vt tenent omnes,) quod generat humores eodem vitio fœdatos, vt certum exiſtimaui, talem febrem conſeruari ab humoribus qualitate gallica infectis; ex quibus deduxi, quod tam conuulſio, quàm febris ab humoribus gallicis habuerunt initium.

*Præſagium.* Quantùm ad præſagium attinet, quilibet ex iis morbis eſt longæ durationis, & difficilis curationis; pendet enim ex humoribus craſſis, qui difficilè reſoluuntur, aut euacuantur; & quilibet etiam eſt morbus chronicus per ſe: & cùm plurium morborum eſſet complicatio in ſubiecto debili, curationem magis ancipitem reddebat; in ea tamen Deo fauente hunc ordinem ſeruare præcepi.

*Curatio.* Victus rationem primò inſinuaui, alimenta obtuli mediocria, & bonæ ſubſtantiæ, ex quibus non poterat multa excrementa colligere; & ne materiam ſuppeditarem cauſæ morbificæ, cœnam parcam, & longè ab acceſſione, quam patiebatur, nocturna offerre iuſſi. Bibebat aquam aſplenij, & ſmilacis aſperæ; abſtinebat ſe ab alimentis craſſis, & ſalitis, à leguminibus, & oleribus. Venter excrementa pro ratione deponebat, in quorum defectu vtebatur clyſtere emolliente, & carminatiuo, & circa omnes res non naturales benè ſe habere curabat. Quibus inſtitutis ad curationem deueniendo, cùm omnes morbi, à quibus moleſtabatur, proceſſiſſent ab humoribus craſſis, & lue gallica affectis, ita vt conuulſio, & febris ab his originem traherent, tota curationis ratio ſita fuit in attenuatione humorum, præparationeque, & eorum euacuatione, admiſcendo ſemper ea, quæ aduerſus gallicam affectionem vim haberent. Verumtamen cùm exiſtimaſſem, ipſum viribus conſtare ad ſuſtinendam venæ ſectionem, ei bis ſanguinem mittere iuſſi, vt calor febrilis remitteretur, obſtructioque minueretur ſimul cum cauſa febrem, & alios morbos producente, & vt ſic meliùs ad purgationem diſponeretur, quæ facta fuit per epicraſim; quæ euacuatio debetur humoribus, dum vires non ſunt nimis validæ, aut humores non poſſunt ſimul diſponi ad vnicam euacuationem, quam commendat Galen. 10. *methodi, cap.* 10. *prope finem*, dum adeſt humorum corruptela cum virium imbecillitate.

Sed quamuis hæc omnia fierent iuxta artis regulas, neque conuulſio, neque febris minuebantur, ad quorum materiæ attenuationem, & qualitatis gallicæ correctionem viſum fuit mihi ei præbere quolibet mane ius pulli gallinacei, in quo fuiſſent decoctæ cortices quinque radicum diureticarum, chicorij, & pimpinellæ, & cicera cum ſmilace aſpera, borrag. & ſcariolæ foliis, ſemelque in hebdomada leue propinabam catarcticum. Cùm ergo nullum auxilium proficeret, vt certum habui, quod neque febris, neque conuulſio auferri poterat, quin prius gallica affectio aboleretur, quæ humores inficiebat, & præſtabat materiam pro tuenda conuulſione, & febre: at verò curata gallica affectione, humoreque euacuato, & conſumpto, ſalutiferum expectabam euentum. At cùm febre laboraſſet continua; non poterat deuenire ad ſudationem ex ligno ſancto, ſmilace aſpera, ſeu radice chinæ; nam etſi magis eorum attemperaretur decoctum, neceſſariò debebat calefacere, febremque ſuccendere. Nullum ergo reſtabat efficax auxilium, præter vnctionem ex Mercurio, cuius dotes expertus fui in pluribus gallicis cum febre; nam etſi in controuerſia ſit poſitum, an hydrargyrum ſit calidum, vel frigidum, & pro vtraque parte militent non contemnendæ rationes; ſcio tamen, quod ex illius vſu febris remittitur, & vt ait Fernel. qui ſemel inunctus fuit vnguento mercuriali, non facilè febre corripitur: quapropter decreui ægrum prædicto inungere vnguento, quo intra tres dies cœpit eiicere humores craſſos, & nigros per ventris infernam regionem, ſimulque ſpuere pituitam viſcidam, & leuata ab onere natura vires recuperauit, ita vt quinquies dicto vngeretur vnguento ſine virium labe; purgauit multùm, conuulſio fuit breuiter dempta, febris ceſſauit, & liberatus fuit extra omnium ſpem.

*Hydrargyrum an calidum, vel frigidum.*

Ne tamen deficiant exempla, D. Comes de Villamonte magnis torquebatur doloribus à morbo gallico prodeuntibus, cum tertiana duplici continua per ſubingreſſum; ipſe tamen non potens tot ſuſtinere labores, poſt plurium auxiliorum admotionem, quibus quotidie ibat in deterius, me vocare iuſſit, vt ſimul cum aliis Medicis eum ab illa morbi ſæuitie liberarem. Eius petitioni acquieui, & in conſultatione omnia auxilia, quæ illi fuerunt adhibita, fuerunt in propatulo; & cùm eſſent plurima, & ſecundum rationem facta, exiſtimabant mei ſocij, non eſſe tranſeundum ad alia, etiamſi ſecundùm rationem non ſucceſſiſſent, vt dictat Hipp. ego tamen agnoſcens, talia remedia nihil proficere, morbumque expoſtulare maiora, coram omnibus propoſui vnguentum mercurialis, quo ſperabam morbum gallicum, imò & febrem ab eiſdem humoribus proficiſcentem ex toto auferri; aliter enim neutiquam curari poſſet, cùm iam omnia remedia ab eis excogitata abſque vtilitate admota fuiſſent. Examinauimus etiam mercurij vires, an poſſent ægrum labefactare, vel iuuare: conuenimus denique in remedij applicatione, quo ita feliciter ſucceſſit, vt ſex, vel ſeptem vicibus hoc auxilio vtens, euacuatis humoribus per ſputum, & ſudorem, & per infernam aluum, ad incolumitatem breui tempore peruenit; & cùm ex dolorum vehementia, & febre eſſet conſumptus nimis, facilè viribus recreatis totum illius corpus ad habitum naturalem fuit reuerſum.

*Nota hiſtoriam Comitis de Villamonte.*

---

## OBSERVATIO VIII.

*De puero ventris adſtrictione, & meſerei obſtructione laborante. Vbi de horum affectuum natura & curatione abundè pertractatur.*

Pver nondum ſeptimum attingens annum, habitu gracilis, natura calidus, ac proinde ſiticuloſus, aluum habebat adſtrictam, duramque nimis; & dum neceſſitas vrgebat excernendi fæces, maximo conatu, & dolore eas excernebat: habebat inſuper obſtructionem in toto menſenterio, & ventrem induratum ex inordinato vſu aſſumendi cibum, & nimio potu, & intempeſtiuo exercitio, ita vt iam facilè ex quolibet fatigaretur motu, incideretque in ſitim penè inextinguibilem, & ex motus defectu poſtea magis ac magis quotidie obſtruebatur, & magis ineptus fiebat motui. Parentes eius eum ad me duxerunt, vt ei ſuccurrerem; tetigi illius ventrem, & illum inueni durum, obſtructum, & tenſum; ad eius compreſſionem æger contriſtabatur, & dolorem in parte compreſſa ſentiebat, quem parentibus ſumma diligentia curare promiſi, & promiſſis ſtans remedia ad illius curationem exhibui, vt in ſequenti annotatione patebit.

*Caſus proponitur.*

ANNO

## Annotatio.

*Accidentia quæ ſuperueniunt obſtructionibus.*

Licèt accidentia à nobis propoſita ſint multis communia, ſunt tamen moleſta nimis, ita vt ex vehementi vi excernendi excrementa plures patiantur ruptionem, & herniam, vmbilicique prominentiam, & mulieres grauidæ aborſum, & ex nimia obſtructione menſenterij ſæpè incidunt in atrophiam, ob diſtributionis alimenti defectum, imò febris lenta ſubſequi ſolet frequenter, anhelitus difficultas, & ſuffocato calore naturali, ad hydropem paratur æger. Vt ergo hæc, & alia euitemus mala, oportet diligenter agnoſcere horum ſymptomatum cauſas, vt ſic remediorum vſu eas auferre valeamus. Ad rem igitur deueniendo, cum maximè vrgeret retentio excrementorum, quæ eſt ſymptoma in his quæ præternaturam retinentur, ſupponatque actionem adauctam facultatis retentricis, debilitatemque facultatis expellentis, de cauſis huius ſymptomatis priùs eſt inſtituendus ſermo.

*Obſtructionis cauſæ notæ fiunt, cum præ agio, & illius accidentibus.*

Plures igitur ſunt huius ſymptomatis cauſæ. Primò fit ob ſenſum obtuſum, ob pituitam, vel alium humorem craſſum tunicis inteſtinorum adhærentem, vel fæces ipſas obuelantem, ita vt non percipiatur dolorifica, ſeu triſtis ſenſatio à fæcibus inteſtinis inducta. Pro quo noto ex Galeno 6. *de locis affectis, cap.* 4. quòd actio excernendi inteſtinorum excrementa non eſt omninò naturalis, neque omninò ex electione, ſed potiùs vtrumque habet; vtuntur enim inteſtina naturali facultate, & muſculis ad excretionem; & idem aſſeritur de excretione vrinæ; ſedquia facultas animalis, vt expellat, ſupponit obiectum diſſentaneum, quod ſtimulet naturam ad illius obiecti expulſionem, ideò inteſtina ſenſu tactus ſunt prædita, & à cauſis moleſtantibus, tam in gracilibus, quàm in craſſis ingentes ſolent excitari dolores, vt liquet ex Gal. 2. *de locis, cap.* 5. Vnde licèt ad operationem naturalem excretricem non ſit neceſſarius ſenſus, vt patet in plantis; tamen ad excretionem cum electione aliqualis triſtis ſenſatio reperitur, neque aliter poterat hæc facultas excitari ad motum. In inteſtinis excrementa etiam detinentur propter ſenſus defectum ex paralyſi inteſtinorum prodeuntem. Secundò fit ob ſtimuli penuriam, quando ſcilicet humor bilioſus, qui excrementis admiſceri deberet, irrit ationis gratiâ ad aliam partem fluit, vt contingit in delirio, in quo rapi ſolet bilis ad cerebrum. Vel impeditur, vt quando obſtruitur vas bilem ad inteſtina deferens, vt accidit in icteritia, vel inteſtinorum adſtrictione, vel obſtructione. Tertiò fit, dum adeſt intemperies iecoris calida, & ſicca, quæ excrementa indurat, & inteſtinorum humiditatem abſumit. Iuuant ad hoc quammaximè ea, quæ toto genere nutritioni ſunt inepta, per os aſſumpta, vt gypſum, terra, teſtæ fruſtula, aut cinis, &c. Horum enim ſingula obſtruunt, & exſiccant, & adſtrictionem ventris cauſant. Idemque producunt alimenta craſſa, quæ non ſolùm obſtructiones ventris pariunt, ſed ventrem etiam indurant; & cùm quantitas excrementorum proportione quadam reſpondere debeat quantitati alimenti ingeſti, ſi in parua quantitate cibus ſit ingeſtus, non mirum ſi tardè excrementa deiiciantur. Euacuationes præterea factæ, ſiue per vomitum, ſudorem, venæ ſectionem, imò & per infernam aluum, ventrem ſiſtere ſolent; exſiccatur enim corpus, & præualet ex vi ſiccitatis actio retentricis; propetereaque in hecticis, & tabidis fieri ſolet ventris adſtrictio, neque aliter indurantur fæces in conſtitutione aquilonia, ex Gal. 3. *aphoriſm. comment.* 5. & 17. Balnea etiam ſulphurea, nitroſa, ſeu aluminoſa ventrem adſtringunt, quia ſiccant,

A & poros ſtrictiores faciunt, & conſequenter inteſtina. Cutis raritas alui etiam denſitatem facit, ex Hippocrat. 6. *epidem. ſect.* 3. qui enim poros in cute plurimos habent, facilè de ſe mittunt per cutem vapores aqueos, qui iuuant (dum intra detinentur) actum excretricis virtutis inteſtinorum, quibus per cutem expulſis, inteſtina minùs humida manent, minuſque expulſioni obnoxia. Per febres etiam ſolet venter adſtringi ratione caloris, & ſiccitatis, vt quotidie in plurimis experimur ægris, in quibus fæces indurantur nimis, & clyſteribus emollientibus, & attemperantibus euacuantur. At noſter æger habebat ventrem adſtrictum, ob eius natiuam temperiem calidam, & ſiccam; & quia ſiticuloſus erat, bibebat multam aquam, à qua orta fuit obſtructio in meſenterio, & ventris regione.

*Præſagium*

B Quantum ad prognoſticum ſpectat, qui ventris adſtrictionem habet, capitis doloribus ſubiicitur; imò vt ait Hipp. *loco proximè citato*, ex alui ſtupore, ſeu adſtrictione fit omnium confuſio, hoc eſt, omnes compatiuntur partes, propter vapores, qui ex excrementis ad ipſas partes deferuntur.

*Obſtructionum cauſæ connumerantur.*

Alterum, quod patiebatur ſymptoma, erat obſtructio meſenterij cum tenſione ventris, ex quo alia plura ſubſequebantur accidentia, maximè obſtructis communia, de quibus omnibus cauſas referre opportunum eſt; ea tamen omnia ex obſtructionibus habebant initium. Sed vt in praxi diximus, obſtructionum duæ ſunt cauſæ, internæ, & externæ: internæ ſunt humores craſſi, qui ſua craſſitie, & multitudine vias replent, præſertim quando ex ſua natura ſunt ſtrictæ, vt meſaraicæ venæ, quæ in pueris adhuc ſtrictiores ſunt, quàm in aliis ætatibus. Spiritus etiam craſſus, & nebuloſus obſtructionis eſt cauſa, vt tradit Aëtius *tertab.* 3. *ſermone* 2. *cap.* 2. Quod C comprobauimus *cap. de apoplexia*, vbi apoplexiam à flatulenta ſubſtantia oriri diximus, impugnauimuſque Peredam contrariam amplectentem ſententiam. His cauſis adiungit Auic. tumorem, qui ſua compreſſione vias ſtrictiores facit.

Externæ cauſæ ſunt quæcumque habent vim producendi cauſas internas, humores videlicet craſſos, flatus nebuloſos, & tumorem. Huiuſmodi ſunt alimenta craſſa, vt oryza, caſeum, lac, caro bubula, porcina, leporina, hircina, piſces ſaliti, & craſſæ ſubſtantiæ, vt oſtrea, anguillæ, lampetræ, & alia huius cenſus, olera, & legumina, quorum meminit Gal. 5. *de ſanit. tuenda, cap.* 6. & 6. *de ſanitate tuenda, cap.* 3. Ea etiam, quæ præter naturam toto genere ſunt, vt gypſum, cinis, terra, teſtæ, & alia deglutita obſtructionum, & plurium morborum ſunt cauſa, vt experimur in puellis. Potus nimius ventrem infrigidat, & ciborum cruditatem adiuuat, à quibus obſtructiones fiunt. Otium ſimiliter, quatenus D alimenti, & humorum impedit diſtributionem. Inordinatus etiam motus obſtructiones parit, præcipuè cùm quis ſtatim ab aſſumpto cibo ſe exercet; diſtribuit ſiquidem alimentum crudum, & inconfectum, quod venarum cauitatem replens, eas obſtruit; debent enim ex Hipp. mente labores præcedere cibos. Potus etiam vini generoſi, ſi modum excedat, obſtructiones parit, quia cùm non poſſit vinci à calore naturali, ex ipſo quamplurimæ gignuntur cruditates, quæ huius affectus cauſa exiſtunt. Nec minoris momenti eſt ad huius morbi productionem, vt benè notat noſter Mercatus *lib.* 2. *de puerorum morbis, cap.* 6. nimia faſciarum compreſſio, quibus fœminæ vtuntur ad comparandam corporis gracilitatem, & pulchritudinem, quarum ratione viæ anguſtiores, & preſſiores fiunt, pluraque excrementa in eis inculcantur, quæ eminentias quaſdam inæquales in ipſa ventris regione faciunt. Sic etiam ſplen-

ſplen intumeſcit, iecur obſtruitur, & quæcumque partes ad ventriculum, & ventris regionem attinentes, humores in ipſis impactos retinent, à quibus varia excitantur ſymptomata: quæ omnia diligenter ſunt examinanda, vt horum morborum cauſas indagemus.

*Symptomatum, quæ dantur in obſtructionibus, cauſa proponuntur, & præſagium.*

Ex his igitur cauſis facile eſt inueſtigare, à quonam principio ſitis ortum haberet; nam ex fuliginibus eleuatis ex meſereo, & aliis partibus obſtructis ventris, ſitis quamfacillimè excitatur. Ex copia cruditatum, & humorum ventrem replentium vapores, & fuligines fiebant, quæ tenſionem, & dolorem in toto ventre cauſabant; & dum mouebatur æger, fatigabatur, ob eoſdem vapores ſurſum petentes, qui ſeptum tranſverſum, & reſpirationis vias cohibebant: quæ omnia, & alia accidentia ſæpè elucent in iis, qui obſtructionibus tenentur; quæ ſi non adimantur, maiora mala promittunt, vt atrophiam, ſeu totius corporis extenuationem, ob arctiſſimas vias, per quas alimentum ad partium alimoniam ſubire non valet; ventriculoque malè affecto, crudorum humorum ſubſequitur nauſea, vel vomitus, aut cibi faſtidium. Splene verò obſtructo, & languido, æger triſtatur, flet, ſine ratione illacrymatur, anxius, & melancholicus efficitur, & in melancholiam vadit hypochondriacam. Ex detentione humoris melancholici ſæpè etiam ſolent ſuperuenire deiectiones nigræ ab eodem humore in viis communibus redundante, qui cùm non poſſit attrahi, neque expelli ab ſplene, ob viarum impedimentum, per alias vias cum natura expellere nititur, vel per aluum cum aliis excrementis, vel per vomitum cruditatibus admixtum. Iecore denique affecto, paratus eſt æger incidere in cachexiam, vel hydropem, ob caloris extinctionem, & ſuffocationem ab ipſis humoribus inductam; raróque, aut nunquam deficit febris ab ipſis obſtructionibus, ex defectu ventilationis orta: quæ omnia ſæpè experiuntur femellæ, quibus propter otium, & vitam ſedentariam, & prauorum ciborum eſum ſuperueniunt. Denique ad curationem confert, vt oppilatio inueterata non ſit, vt ſalutis ſpem habeamus; ſi verò ſit inueterata, & aliqua ex iis accidentibus iam appareant, quamceleterrimè curationem deſiderat, aliter enim omninò corrigi nequibit, ex Aëtio.

## §. VNICVS.

### *Curatio adſtrictionis ventris, & obſtructionum traditur.*

IN horum affectuum curatione taliter procedendum, vt remedia vtrique affectui prodeſſe poſſint; non enim tantam habent diſſimilitudinem, vt eiſdem remediis non valeant auferri, præſertim dum ventris durities ex obſtructione procedit, & ab eiſdem cauſis, à quibus ipſa dependet obſtructio: quapropter tria ſunt aſſequenda. Primò cauſa illius adſtrictionis ventris & obſtructionis tradenda. Secundò, quæ induratas fæces emolliant, & ventrem, ſimulque obſtructiones demant, adhibenda. Sed quia horum neutrum adipiſcitur ſine bono vitæ regimine, tertiò victus eſt inſtituendus: & quia primum tenet locum in morbis curandis, ab eius inſtitutione ſumemus exordium, qui tamen variari quodammodò debet iuxta cauſæ varietatem, à qua prodit affectio.

*Curatio obſtructionis cum ventris detentione à pituita ſenſum obtundente.*

Si igitur ventris detentio à pituita viſcida intestinorum ſenſum obtundente fiat, alimenta ſint tenuia, & facilis coctionis, & præter hoc habeant vim deobſtruendi, vt ius pulli gallinacei, & ipſius caro decocta cum ciceribus, apio, petroſelino, vel cin- A namomo. Conueniunt itidem carnes coctæ gallinarum, caponum, nouellarum perdicum, aſparagi, radiculæ folia, & cum febre eiſdem etiam vti poſſumus, quando ſignis deprehendimus eam ex obſtructionibus, & pituita craſſa procedere; tunc etenim attenuantia, & aperientia conueniunt. Potus ſit aqua ſcolopendrij, adianti, vel cinnamomi, vel vinum aquoſum album, vel modicè aquâ dilutum. Quòd ſi puerulus lactans fuerit, habueritque ventris duritiem ab huiuſmodi cauſa, quæ cognoſcitur ex pituita, quæ ſimul cum excrementis excernitur, & ipſis adhæret, exiſtimare oportet, quod nutrix habet lac pituitoſum, & craſſum; & tunc optimum erit aliam eligere, quæ lac habeat bonum, & magis ad tenue, quàm ad craſſum declinans. Quod ſi non inueniatur, modicè eam purgare conuenit, victumque ei offerre boni ſucci, facilis coctionis, & minimè craſſum, & ei commendare exercitium.

B Mox clyſterem iniicere conuenit ex hydromelle, vel maluarum decocto, cum oleo amygd. dulc. & ſaccharo nigro, vel melle. Aqua etiam, in qua priùs fuerint infuſi piſces ſaliti, vel vrina pueri, cum melle, & oleo amygdal. amararum ad idem valet. Nec minùs ſunt vtilia ad ſenſum obtuſum excitandum ſuppoſitoria ex ſapone, alumine, felle porci, ex pluma oleo intincta, ex pineo nucleo, & mercurialis radice, & ex melle toſto. Neque erit abs re ad deponendas vtriuſque alui cruditates, ſi ætas permiſerit, aliquibus diebus manè aſſumere parum mellis deſpumati, vel hydromellis; deinde cruditates euacuare ſyrupo Principis, vel melle roſaceo perſico, vel miua paſſularum Corinthij, ſaccharo, & ſennâ confecta, aut alio, provt ætas tulerit.

*Curatio adſtrictionis ventris cum obſtructione.*

Quod ſi ventris adſtrictio, & obſtructio ab eodem principio originem ducant, remedia obſtructioni dicata vtrique conferunt affectui. Præmiſſis ergo euacuationibus vniuerſalibus, eo modo, quò diximus in praxi de obſtructione iecoris, & lienis, ad C alia deuenire oportet, inter quæ maximè commendatur exercitium ante prandium, & cœnam. *Homo enim edens ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboret*, vt ait Hippocrates *libro de dieta, text.* 1. Quapropter exercitium imperandum peractâ ventriculi coctione, ne alimentum infectum diſtribuatur, quod quidem deſeruit conſumptioni excrementorum, quæ quotidie generantur, & viuificationi caloris, & roborationi partium; proptereaque Hippocrates *libro de locis in homine*, aſſerit: *Deſidia, & otio augetur timiditas; laboribus, & exercitio virilitas creſcit.* De hoc plura legere potes apud Hieronymum Mercurialem *libro* 4. *de arte gymnaſtica, per plura capita*, vbi exercitio modum imponit, refutatque eos, qui exercitium è medio tollebant, tanquam inutile, & non neceſſarium ad ſalutis fruitionem. Quod ſi nequiuerit exerceri, corpus eodem tempore leuiter D erit fricandum. Victus ſit qualem deſcripſimus; ſemper tamen moderatus, in omni enim euentu *ſaluberrimum eſt non ſatiari cibis*, vt ait Hippocrates *6. epidem. ſect.* 4. præcipuè tamen in morbis, qui ex humoribus craſſis pendent.

*Remedia proponuntur vias reſerantia.*

Proba victus ratione inſtituta, ad auxilia deobſtruentia deuenire cogit neceſſitas, inter quæ commendatur inſtillatio arte facta, quæ vtiliter in quacumque ætate adminiſtratur, cuius hæc eſt deſcriptio. ℞. duos pullos gallinaceos, cuius ventres reple radicibus petroſelini, rubeæ, rumicis, & chicorij, & foliis capill. Ven. agrimoniæ, & chicorij, & linguæ ceruinæ; coquantur in vaſe benè cooperto perfectè, & proiiciantur in alembicum vitreum, & inſtillentur, cuius inſtillationis quolibet mane aſſumat æger ℥.j. vel duas, provt ætas tulerit, cui admiſceri poteſt aliquid ſyrupi capill. Ven. Valent ad idem

radicum quinque diuretic. ana ʒ. ij. graminis. & rubeæ tinctorum, ana ʒ. j. capill. Ven. agrimon. ceterac, linguæ ceruinæ, & chicorij, ana m. j. vtriuſque ariſtolochiæ ana ʒ. ß coquantur ſimul omnia ad medietatem, & ſimul etiam inſtillentur per balneum Mariæ, cuius porriges ℥. j. vel duas, cum aliquo ſyrupo ex deobſtruentibus. Quod ſi efficacius efficere volueris, in prædicta diſtillatione quinquies extingues fruſtula chalybis igniti, vel ei addes aliquid limaturæ chalybis. Confert etiam conſerua adianti, ſi aſſumatur in quantitate duarum drachmarum, cum granis quinque, vel ſex limaturæ chalybis. In forma etiam opiatæ poteſt dari ſyrupus capill. Ven. duarum, vel quinque radicum, cum limatura chalybis, vel ſcoria ferri præp. Neque opus eſt plura in medium adducere auxilia, cùm alia ſufficienter ſint tradita in praxi, *cap. de hepatis, & lienis obſtructione*, quæ hîc accommodari poſſunt.

*Curatio adſtrictionis ventris ob ſtimuli penuriam.*

Quod ſi ventris adſtrictio ſuperueniat ob ſtimuli penuriam, quando ſcilicet humor bilioſus, qui ad inteſtinum ieiunum confluere deberet, ad aliam tranſmittitur partem, vt contingit in morbo regio, vel in confluxu humoris bilioſi ad caput, vt accidere ſæpè vidimus in febribus ardentibus, & malignis, tota curatio ſita eſt in detractione morbi regij, vel febris ardentis, & malignæ; ſed quia plerumque morbus regius eſt in obſtructione, & ſufficienter de huius morbi curatione pertractauimus in praxi, ad illius caput recurrere poteris, ſicuti dum procedit ex febre maligna, & ardenti, ad proprium deuenies tractatum libro noſtro de febribus: quod ſi ſenſus defectus ex paralyſi ortum ducat, ad caput de paralyſi recurres.

*Curatio duritiei ventris ob rerum præternaturam ingeſtionem.*

At ſi ex rebus præter naturam ingeſtis, vt gypſo, terra, cinere, & aliis huiuſmodi ventris accidat adſtrictio, clyſteribus emollientibus eſt auferenda, vehementerque increpandi, qui tali prauo vtuntur victu. Sed quia hæc omnia obſtruunt, ventrem ſiccant, & indurant, deobſtruentia, & humectantia interiùs, & exteriùs petunt: quapropter interiùs ſunt aſſumenda ea quæ conueniunt pro obſtructionis curatione, leuiterque, & per epicraſim excrementa ſunt euacuanda; in quem finem confert manna in iure diſſoluta, vel decoctum Pugini, cum melle roſaceo perſico, aut ſyrupo Regio, vel miua foliorum ſennæ in paſſularum, & maluarum, & prunorum damaſc. decocto, cum ſaccharo confecta, vel ſyrupus ex ſucco roſarum perſic. & mercurial. cum ſaccharo compoſitus. Quod ſi efficaciorem efficere illum volueris, in eiſdem ſuccis infundes aliquid ſennæ, & facta leui ebullitione, & expreſſione cum ſaccharo ſyrupum confingito. Exteriùs ventrem inunges vnguento Agrippæ, vel deoppilatiuo, vel eo quod confingitur ex oleo abſintij, amygd. amar. lilij albi, & capparorum, cum puluere radicum de capparis, tamariſci, & trochiſcorum de eupatorio, & de rhabarb. & pauca cera. Vtantur inſuper cibis boni ſucci, euitent cibaria craſſa, quæ obſtructiones pariunt, & ventrem adſtringunt.

*Curatio adſtrictionis ventris ob immodi-[illegible]*

Plerumque accidit iſtud ſymptoma ratione alicuius euacuationis, propter quam corpus ſiccius euadit, magiſque retinet excrementa; quo tempore corpus reficiendum, & humectandum alimentis humi- [illegible] probi ſucci; in quem finem magis conferunt [illegible] àm aſſa. Conducunt etiam clyſteres emollien- [illegible] ventris inunctio facta oleo amyg. dulc. aut oleo [illegible] nuni, ſæpeque conuenit lactis, aut aquæ dulcis [illegible] um tepidum, vt in hecticis, & tabe affectis. In [illegible] io tamen menſæ opportunum erit aſſumere [illegible] iuſculum, in quo priùs fuerint decocta pruna Damaſcena, vel mercurialis: vel aſſumat æger butyri vaccini recentis parum cum ſaccharo, vel melle.

*Curatio adſtrictionis ventris ob calorem, & ſiccitatem hepatis, & inteſtinorum.*

Eadem remedia conuenire iudico his, qui ventrem habent adſtrictum ob ſiccitatem & calorem hepatis, & inteſtinorum, vt contigit noſtro ægro, qui habebat natiuam intemperiem calidam, & ſiccam, meſereumque obſtructum ob viuendi inordinatum modum. Verumtamen cùm iecur calidum, & ſiccum humores gignat ſupra ſanguinem, qui totam ſanguinis maſſam calidiorem, & ſicciorem reddebat, totum corpus ſqualidum, & ſiccum apparebat, ita vt ab eadem cauſa habitum gracilem compararet, excrementaque alui dura maximo conatu deponeret; neutiquam corrigi poterat hæc intemperies, niſi priùs euacuatâ cauſâ humorali bilioſa, quæ totum corpus calefaciebat; non tamen multa, & magna poterat perferre remedia, ob illius teneram ætatem. Quapropter cùm ex immodico potu, & exercitij defectu multis ſcateret cruditatibus in prima regione, non erat abs re vti clyſteribus qui ventrem mollem redderent, & vias obſtructas aperirent, & vlteriùs intemperiem corrigerent, qui conficiuntur ex decocto radicum, & foliorum biſmaluæ, brancæ vrſinæ, betæ, violarum, & parietariæ, vel mercurialis, capill. Ven. ceterac. & ſimilium, quorum decocto addes ſaccharum nigrum, oleum violarum, amygd. dulc. butyrum, aut alias pinguedines. Ad eundem vſum deſtinantur iura inteſtinorum, vel capitis veruecis. Mox cùm adhuc cruditates in ventriculo permanſiſſent, illum purgare iuſſimus ſyrupo Regio, necnon purgari poterat ſyrupo Principis, aut manna in iure pulli diſſoluta. Præterea, cùm in venis bilis redundaret, ad illius euacuationem, & totius corporis intemperiem emendandam ſanguinem ex baſilica vtriuſque brachij detrahere iuſſi, parcè tamen, ob ætatem, & quia reſolutioni erat paratus: deinde parauimus humorem ad expurgationem ſyrupo chicorij, & borraginis, cum decocto ſcorcion. Iterumque adhibuimus medicamentum purgans ex ſyrupo perſico ſolutiuo, cum aqua chicorij, in qua fuit infuſum, & expreſſum rhabarbar. modicum. Attamen cùm intemperies eſſet habitualis, & à principio generationis contracta, non erat facilè eam demere; quapropter imperaui, vt quotidie aſſumeret ℥. iij. vel quatuor ſeri lactis caprini cum ſaccharo, ſemelque in hedomada in dicto ſero exhibui rhabarb. infuſi & expreſſi ʒ. j. ß. quo reiiciebat bilem, & paulatim ab obſtructionibus liberabatur. Ad delendam iecoris intemperiem, inunxi illum vnguento roſaceo, & refrigerante Galeni, cum puluere ſanthali rubri, & pannos lineos in ſucco roſarum, & chicorij madidos ſupra hepar appoſui. Nec minùs confert aqua chicorij, & roſarum, & bugloſſi, cum puluere triaſanthali, vel diamargarit. frigidi. Balnea etiam aquæ dulcis vtilia cenſentur, quæ validè humectant, & iecoris intemperiem calidam detrahunt, aut ea, quæ arte parantur ex decocto florum violarum, borrag. bugloſſi, foliorum vitis, ſalicis, cannarum, & lactucæ.

*Ad emolliendum ventrem vtilia proponuntur remedia.*

Hæc omnia ſimiliter emollitioni ventris proſunt; nihilominus ipſius ventris regioni aliqua ſunt adhibenda, quæ fæces induratas mollificent, & ſiccitatem ventris euertant, inter quæ locum tenent inunctio ex oleo amygdal. dulc. vel amygd. amararum, aut vnguentum paratum ex oleo violaceo, & amygd. dulc. cum axungia porcina ſalita, addito ſcammoneo, vel aloë; vel vnguentum confectum ex oleo violarum, amygd. dulc. cum axungia anatis, & mucilagine ſeminis lini, & altheæ. Bene facit etiam emplaſtrum ex decocto mercurialis, & foliorum maluarum, & vlmi, ſi piſtentur, & malaxentur cum butyro porcino, oleo violaceo, & amygdal. dul. Laudat quammaximè Lazarus de Soto arantium per medium diuiſum, cuius medietatem aloë, vel agarico

agarico repples, & poſtquam igni fuerit applicitum, calidum vmbilico eſt applicandum. Vel axungia porcina cum aloë, vel ſcammoneo prodeſt. Neque interiùs remediis eſt deſtituendus æger, ſed ei offerenda eſt caſſiæ pulpa cultello extracta, quæ paulatim deglutita fæces induratas emollit. Valet ad idem ſyrupus confectus ex ſucco mercurialis, & roſarum perſicarum, cum ſaccharo, ſi manè aſſumatur ℥. j. vel ℥. j. ß. aut ſyrupus factus ex æquis portionibus ſucci clarificati maluarum, & roſarum perſic. cum ſaccharo. Necnon butyrum vaccinum recens, cum ſaccharo puero præbere tertio quoque die conuenit, vt Mercatus admonet.

---

## OBSERVATIO IX.

*De nobili muliere, quæ octauo die à partu correpta fuit hyſterico morbo, & cardialgia, cum febre parua ſyncopali maligna, & intra duodecim horas obiit.*

*Hiſtoria refertur.*

VXor D. D. Barnabæ de Andrade Senatus Vallis-Oletani huius Iudicis meritiſſimi, ſtemmate præclaro de Alcantara inſigniti, filiam peperit tempore debito, omniaque ei euenerunt feliciter, purgatio copioſa, ſomnus, cibus, potus, & reliqua non naturalia pro ratione, vſque ad octauum diem à partu; octauo tamen die iuxta meridiem ſentire cœpit in ſtomacho poſt cibi aſſumptionem nauſeam, deinde euomuit cibum paulò antea ingeſtum, acidum eructauit plurimum, perſentireque cœpit iuxta vmbilicum dolores, & tormina, & ſtatim ab eructatione leuiùs ſe habebat: bis vſque ad noctem euomuit pituitam acidam, deinde per noctem euomuit pluries bilem flauam nimis, ita vt maximam in guſtu perciperet amaritudinem, & in ore ſtomachi dolorem mordicantem; dormiuit parum. Manè ad eam viſendam acceſſi, quam inueni debilem nimis, cum vultu nimis illi diſſimili, dum erat incolumis, & pulſu paruo, & inæquali, cum reſpiratione inæquali, & crebra, febre parua, & ſudore circa collum, & caput frigido, breuiterque cœperunt partes extremæ infrigidari. Neque erat locus remediorum exhibitioni, quoniam appropinquabat mors, & pulſus iam deficiebant; ſed ſolùm ea adhibebantur, quæ vitium roborationi inſeruirent, vt iuſcula alimentitia, & biſcoctum vino madidum, & enema ex iure carnium, cum ouorum vitellis, & ſaccharo. Sed quia dolores, & tormina circa vmbilicum flatulentam oſtendebant ſubſtantiam, in ipſo iure parum chamæmali fuit incoctum pro flatuum reſolutione: poterant etiam admoueri naribus odorifera; ob timorem tamen hyſtericæ affectionis ea reformidauimus. Cucurbitæ ſimiliter femoribus applicitæ fuerunt, & ligaturæ, & alia quæ conducere valent ad vteri ſuffocationem. Verumtamen cùm morbo magno non niſi æquè magno remedio facilè ſuccurritur, neque vires cum ſumma exſolutione illud valent perferre, vrgebatque neceſſitas confeſſionis, & adminiſtrationis Sanctorum Sacramentorum, ideò ſummâ diligentiâ hæc omnia breuiſſimè fuere peracta, breuiſſimeque mors ſubſequuta.

### ANNOTATIO.

*Morbi acuti vis magna.*

QVantam vim habeant morbi exactè peracuti, millies proclamatum eſt ab Hippocrate, & Galen. maximè enim immutant, & alterant noſtra corpora, & ad ſummum diſcrimen deuenire faciunt, proptereaque febres peſſimæ ſignis peſſimis firmatæ, quarto die interimunt, aut citiùs, vt ait Hippocrat. 3. *prognoſticor.* Neque nouum eſt affirmare, quod aliqua ſubſtantia generatur in noſtris corporibus, quæ veneni vices gerat, & breuiſſimè interficiat; ita enim Galenus 6. *de locis affectis*, *cap.* 5. imò ex vi ipſius repentè mori, vt docet Valleſ. 1. *epidem. ægroto octauo*, & docent quotidianæ obſeruationes, præſertim in mulieribus, dum hyſtericis tenentur affectionibus, à quibus exordium ſumpſerunt omnes morbi, qui citiſſimè è medio ægram hanc nobilem ſuſtulerunt, vt ex accidentibus, quæ illi superuenere, facile erat colligere. Et quamuis verum ſit, quod ſufficienter poſt partum purgauerit, vt obſtetrix firmiter aſſerebat; nihilominus ægra erat nimis ſanguinea, vtebaturque alimentis boni ſucci, & in magna quantitate, ita vt maximam gigneret ſanguinis copiam: & ex alia parte habebat ratione ætatis, & propriæ temperiei hepar calidum, & humidum, vt indicabant ſigna illius propriam temperiem oſtendentia. Vnde exiſtimaui, quod aliqua portio ſanguinis, aut ſeminis in vtero remanſit, à qua initium habuerunt reliquæ affectiones, ita vt hyſterica affectio reſpectu aliorum morborum rationem cauſæ habuiſſet.

*Parua ſeminis, & ſanguinis corrupti quantitas praua concitat accidentia.*

Maioris tamen claritatis gratiâ, omiſſis aliis dicendi modis, vt in praxi ſtatuimus, ſciendum eſt, quod parua ſeminis, aut ſanguinis menſtrui quantitas, vbi prauam nanciſcuntur corruptionem, veneni vim adquirunt, & vniuerſum corpus refrigerare valent, & inopinatam mortem cauſare: quæ duæ cauſæ initium præſtant hyſterico morbo, ſi Galeno credimus 6. *de locis affect. cap.* 5. propterea que hic morbus inter morbos veneficos, & à tota ſubſtantia collocatur, vt ſenſit Auerr. 3. *collect. cap.* 29. Aëtius, Auic. & ex recentioribus Vega, Petrus Garcia, & alij Auerroëm inſequuntur, quorum ſententiam vt certiorem in noſtra praxi elegimus. Neque implicat, vt diximus ex Galen. proximè citato, quod in noſtris corporibus, præſertim in mulieribus, prodeant veneficæ affectiones, etſi id quod corrumpitur, ſit quantitate paruum; ob eius enim actiuitatem, & operandi modum nequit ſuperari à natura, proptereaque diximus ſuprà ex mente Gal. 3. *de temper. cap.* 4. quod venenum eſt, quod ſuæ ſubſtantiæ nullâ mutatâ parte, ſed totâ integrè ſeruatâ, ipſum corpus corrumpit: quapropter venenum, licèt ſit mole paruum, virtute tamen eſt magnum; ideòque adhuc in parua quantitate vitæ noſtræ principia demolitur, vt benè notat Fernel. *lib.* 1. *phyſiol. c.* 15. quod comprobare viſus eſt Galen. phalangij aut ſcorpionis ictu, quo totum corpus facillimè corrumpitur exiguo veneno per minimum foramen iniecto, grauiſſimaque inſurgunt ſymptomata.

*Venenum quid ſit, & in parua quantitate eſt magnæ virtutis.*

*Hyſtericæ affectionis differentiæ vnde naſcantur.*

Sed quia plures morbi ſuperuenire ſolent vtero, vt omnes tradunt Authores, qui ſub hyſterico affectu comprehendi ſolent, nunc ſolùm in medium adducimus eum affectum, qui ex ſemine, vel ſanguine in vtero putrefacto naſcitur, qui etſi vnus eſſe videatur, tamen pro cauſæ, & applicationis diuerſitate, & modo putrefactionis varia, & grauiſſima excitat accidentia; ſunt enim quædam mulieres, quæ dum hoc premuntur morbo, iacent immobiles ſine ſenſu, imò & ſine reſpiratione, cum obſcuriſſimo, vel ſine vllo pulſu, ita vt ſub dubio



cadat,

cadat, an ſint mortuæ, vel non: manent etiam attonitæ, & rationis expertes. Aliæ ſunt, quæ etſi moueantur, & ſentiant, integraque fruantur ratione, ſunt tamen cum animi defectione, & reſpiratione difficili, parua ſcilicet, & frequenti, & pectoris compreſſione, ita vt ſuffocari videantur, à quo ſymptomate hic affectus, vteri ſtrangulatûs, vel ſuffocationis denominationem accepit. Sunt denique aliæ, quarum membra, vt brachia, & crura contrahuntur, aliiſque accidentibus grauantur, vt ait Galen. 6. *de locis*, *capit.* 5. *citato.*

*Hyſterici morbi cauſa ſtatuitur.* Cauſam horum ſymptomatum duplicem ſtatuit Galenus, nempe corruptum ſemen, vel ſanguinem menſtruum intra vteri vaſa detentum: ex his deteriorem patitur corruptionem ſemen, atque adeò ſæuiora ex illo accidentia conſurgunt; cum enim detinetur, & ſuperabundat, maximè nocet, vt apparet in viduis, quæ cùm ſolitæ ſint excernere ſemen in occubitu cum viro, ipſumque retineant, maximè offenduntur. Iuxta quam ſententiam (quæ veriſſima cenſetur à nobis) non benè ſentiunt, qui *Semen habent mulieres.* aſſerunt, fœminas non habere ſemen, nec medio ſemine ad generationem concurrere, cùm ratio, & obſeruatio contrarium ſuadeant, ipſæque fœminæ teſtantur ſe ſemen emittere.

*Quare tot praua accidentia inſurgunt in hoc affectu.* Quanam autem ratione ex iis principiis tot ſuperueniant accidentia, non eſt difficile comprehendere; ſi enim pulſus deficere videantur, ideò fit, quia vapores venefici per arterias, quæ ad vterum terminantur, ad cor perueniunt, & ſpiritibus vitalibus admixti, eos corrumpunt; qui cum ſint neceſſarij pro tuenda cordis temperie, cor nequit operari, ex ſpirituum defectu. Præterea cùm cordis temperies peruertatur, & inſuper ſuâ deleteriâ vi vapores hi cor deſtruant, neceſſe eſt, vt pulſus deficiant. Quòd ſi ſimul ſeptum tranſverſum comprimunt, & pectus, reſpirationem difficilem reddunt, imò ſæpè apnœam efficiunt, vt docet Galen. 6. *de locis*, *cap. cit.*

*Quare refrigeratur corpus in hoc affectu.* Quòd ſi hi vapores ſurſum repant, caputque feriant, obſtructionis cauſa exiſtunt, defectumque ſenſus, & motus pariunt; at ſi neruos attingant, maximos concitare ſolent tremores. Similiter ſi vterus retrahitur ratione ipſorum vaporum, retrahuntur etiam reliquæ partes, propter conſenſum, & colligantiam, quam habet vterus cum pluribus partibus, & illæ cum aliis, donec totum corpus contrahi videatur. Iuxta hunc philoſophandi modum refutantur plurium antiquorum errores, Platonis ſcilicet, & aliorum, quos improbauimus nos in praxi, ex mente Galeni, agentes de hyſterica affectione. Neque ex Donati Antonij dictis inferri debet, quod affectus iſte ſit frigidus, etſi reſpiratio ſæpè frigida appareat, & conſequenter extrema frigida; hoc enim punctum abſoluimus in praxi: pro nunc ſat eſt dicere, corpus refrigerari, quia à veneficis vaporibus calor deſtruitur naturalis, & ſpiritus vitales abſumuntur, & inde totum corpus frigidum manet, priuatiuè ſaltem, ex defectu ſpirituum; poſitiuè verò à partibus exſanguibus, ab excrementis aqueis, & ab aliis cauſis infrigidantibus. Vnde licèt Aëtius appellet hunc morbum flatulentam perfrigerationem, non inflammationem, vt Soranus putauit, definiuit illum per effectum, ſeu accidens, quem frequenter cauſare ſolet; non autem per morbum, cuius eſſentiam patefecimus in praxi, vbi aſſeruimus, hunc morbum fieri per putredinem inductam in ſanguine, vel ſemine intra vteri conceptacula, ipſumque conſiſtere in praua, & venefica qualitate operante à tota ſubſtantia.

Ex hoc igitur principio, tanquam aliorum morborum radice originem traxit ventriculi oris morſus, A & dolor, qui ægram infeſtabat; ſiquidem aſſerebat moleſtiam ſentire in ore ventriculi, cœpitque euomere alimentum acidum pituitæ admixtum; quæ pituita erat in ventriculo genita ob potum aquæ frigidæ, cui erat aſſueta. Hæc autem alimentorum aciditas proueniebat ſimul, vt exiſtimo, ex defectu caloris ventriculi, & ſpirituum vitalium conſumptione. Deinde cœpit euomere bilem flauam nimis, & oris amaritudinem, ſitimque maximam ſentire, ex quibus coniecimus ipſam pati eam affectionem, quam veteres vocant cardialgiam; quæ ſi Gal. fidendum eſt 2. *lib. method. cap.* 2. & definitionibus medicis, nihil aliud eſt, quàm cordis, hoc eſt oris ventriculi dolor, & morſus, à ſuccis biliofis mordentibus prouenìens, qui ſecum affert omnia accidentia, quæ noſtræ ægræ ſuperuenerunt, vt virium exſolutio, pulſus paruitas, extremorum frigiditas, ſudores frigidi, anxietates, & reliqua à nobis annumerata *cap. de cardialgia.* B Vapores etiam praui ex ſemine, vel ſanguine intra vterum retento potuerunt ſimul hanc excitare paſſionem, & ori ventriculi maximam inferre moleſtiam. Neque mirum, quod ex ipſis humoribus febris illa inſurgeret maligna, licèt parua: quæ etiam potuit originem trahere ex anxietate, & motu, ſeu inquietudine ægræ; & ex humorum agitatione, & confluxu ad os ſtomachi; imò & ad ipſum cor. Cùm ergo humores praui, & maligni, qui forſan per vterum deberent euacuari, ſurſum mouerentur, vapores etiam prauæ naturæ ex vtero prodeuntes ad partes ſupernas ducerentur, ambo in eoſdem conſpirarunt effectus, & tantorum malorum in cauſa fuerunt; neque erat aliquod ſignum, quod oſtenderet talia accidentia ex alia paſſione prodire. Vnde collegimus facilè ex dictis ſymptomatibus, quod affectus vnus fuit, quem cardialgiam dicimus. Ex ructibus, rugitu ventris, & torminibus infrà, & iuxta vmbilicum, & aliis à C nobis ſuprà enumeratis coniecimus ſimul laboraſſe vteri ſtrangulatione, flatuumque retentione ab vtero manantium, ſimulque reliquas partes infeſtantium.

Circa præſagium, viſis omnibus accidentibus languorem, & ſummam virium exſolutionem oſtendentibus, non potui aduersùm morbum arte pugnare, ſæpè enim vi morbi nonnulli moriuntur antequam accedat Medicus; vel ſi acceſſerit, ſolùm vnam viuunt diem, aut paulò plus temporis antequam remediorum oblationi detur locus, vt ait Hippoc. 1. *prognoſt. cap.* 1. Quapropter ſtatim præſagire valui citiſſimam mortem, ſolumque adhibui remedia in enarratione propoſita, & alia quæ magis conducebant ad virium reparationem, quàm ad morbi ablationem. Benè verum eſt, quod aliquando virium reparatio affectum tollit, ex Gal. 9. *method. cap.* 13. tamen cùm eas reſarcire non valuiſſem, ſed citiſſimè earum exſolutionem paſſa fuiſſet, citiſſimè, D & intra duodecim horas ægra volauit ad aſtra. *Præſagiũ.*

## OBSERVATIO X.

*De Domino D. Ferdinando de Prado, Iacobenſis enſis ſtemmate bombycino ſuffulto, qui dum vehementi dolore articulari torqueretur in digito magno manus ſiniſtræ, eiuſdem manus immiſſione in aquam frigidam ſubitò acquieuit.*

PEr illuſtris hic vir erat naturâ bilioſus, habebatque iecur ad calorem, & ſiccitatem vergens; agebat etiam annum vltra quinquagesimum. Hic igitur cùm chiragra laboraſſet, & in manus dextræ *Caſus proponitur.*

carpo,

carpo, & digitorum eiuſdem articulis vehementer dolore vexaretur, non poterat ſuſtinere dolores; ideóque ſtatim ad me miſit ſeruos, vt ocyſſimè ad eum viſendum acceſſiſſem, quem afflictum nimis vidi; & cùm humores eſſent in motu, & ad partem confluerent, ſtatim eos detrahere excogitaui venæ ſectione, donec ſedaretur dolor; deinde vt humor in parte impactus reſolueretur, ei adhibui fomentum reſoluens, quo humor in parte contentus inſenſibiliter fuit euacuatus. Attamen leuato dolore manus dextræ, per noctem cœpit humor fluere ad digitum magnum manus ſiniſtræ, ibique intenſum concitauit dolorem. Sed cùm æger manus dextræ dolorem reſolutiuo fomento ſedatum cognoſceret, excogitauit, quod idemmet fomentum vtilitatem eandem præſtaret ad ſedandum dolorem digiti magni manus ſiniſtræ; quapropter manui ſiniſtræ fomentum illud applicuit, ex cuius oblatione dolor nimis fuit exacerbatus, ita vt tota nocte neque quieſcere, neque dormire potuiſſet, imò erat in continuo clamore, & vociferatione. Manè ad eum perueni, qui præ dolore ita ſe habebat, vt meis interrogationibus neutiquam reſpondere valeret. Tetigi illius digitum, qui nimio æſtu flagrabat, & erat inflammatione tentatus; vt ergo illius ardorem, & dolorem compeſcerem, venit mihi in mentem vſus infrigidantium, & repellentium, proptereaque illi mittere iuſſi manum ſiniſtram in aquam putealem frigidam, illicoque ceſſauit dolor, requieuit, & dormiuit, & ablata fluxione auxiliis reſoluentibus demptus fuit humor, & liberatus æger.

## Annotatio.

*Doloris vires.*

Quantam vim habeat dolor ad minuendas vires, omnibus notum eſt, imò vt capite de ſyncope annotauimus, inter ſyncopis cauſas dolor maximum tenet locum, qui ſi vehemens ſit, & diu durans, maximè proſternit vires, pluraque naturæ incommoda affert; à cuius ſæuitie victus homo, pulſus deperdere ſolet, vt ait Galenus 4. *de rat. victus*, *comment*. 48. Propterea dolor dicitur à dolando, quod idem eſt, ac minuere; & licèt ad hunc locum non pertineat agere de dolore, & eius cauſis, breuiter tamen annotare oportet, quod

*Dolor quid ſit.*

iuxta Galeni mentem 2. *de locis affectis*, *cap. etiam* 2. *& de ſymptomatum differentiis cap*. 3. dolor eſt egregium ſymptoma ſenſus tactus; ſupraque in conſultatione de nyctalope probauimus, quod dolor non poteſt ad alium pertinere ſenſum; quod placitum inſequuntur Valleſ. Vega, & alij, ita vt dolor ſit quædam ſenſatio triſtis ſenſus tactus; attamen in noſtro tractatu de dolore aſſeruimus, quod dolor licèt præſupponat ſenſationem triſtem in ſenſu tactus, ortam ex ſubita naturæ corruptione, vel alteratione, formaliter tamen dolor conſiſtit in fuga appetitus ſenſitiui ab obiecto actu naturam affatim corrumpente, vel alterante, atque adeò eſt illius paſſio: ita Diuus Thomas 1. 2. *quæſt*. 35. *art*. 1. vbi hanc ſtatuit concluſionem: *Dolor cùm ſit appetitus ſenſitiui motus conſequens apprehenſionem mali, propriiſſimè animæ paſſio eſt.* Quem ſequuntur Vaſquez *in primam* 2. *quæſt*. 4. *diſput*. 14. *art*. 1. Titelman. *in compendio philoſophico*, & inter Philoſophos eſt communiter receptum.

*Dolor, & triſtitia in quo differunt.*

Sed quia dolor, & triſtitia verſari videntur circa idem obiectum, quatenus vtraque paſſio conſiſtit in fuga ab obiecto moleſtanti; oportet inter vtrumque differentiam ſtatuere, quam tradit Angelicus Præceptor *loco proximè cit. art*. 2. nam dolor licèt ſequatur apprehenſionem ſenſus interni, vt & ipſa



A triſtitia, non tamen dolor ſit ſine alteratione, vel corruptione naturæ ab obiecto diſſentaneo illata, quod neceſſariò debet immutare ſenſum tactus, illi triſtem inferendo ſenſationem. At verò licèt in triſtitia reperiatur antecedenter apprehenſio obiecti moleſtantis ſenſus interni, non tamen petit, quod præcedat obiectum immutans ſenſum tactus, neque quod alteret, vel corrumpat ſubitò naturam, ſicque quotidie triſtamur de morte patris, amici, aut de aliis rebus, quæ antecedenter neque corrumpunt, neque alterant corpora, quibus talis ineſt paſſio.

*Dolor maximè immutat corpora.*

Ex hac doctrina colligitur facilè, quod dolor inter reliqua ſymptomata maximè nos immutat, antecedenter quidem, propter corruptionem, ſeu alterationem naturæ, quam ſupponit; conſequenter verò ob motionem violentam ſanguinis, & ſpirituum ad partem dolentem, quâ ſpiritus reſoluuntur, inflammationes, & febres excitantur, ſic- B que infauſtæ fiunt coctiones ob ſpirituum defectum, & quia natura diſtracta ſolùm eſt intenta dolori. Quanam autem ratione hæc omnia fiant, difficile eſt inueſtigare: lege Galenum 13. *methodi*, *cap*. 3. & Petrum Garc. *in ſen*. 1. *lib*. 1. *doct*. 7. *cap*. 11.

*Non omnis dolor eſt ſymptoma.*

Dictum eſt iam, quod dolor eſt ſymptoma, intellige dolorem à cauſa præter naturam ortum; nam aliqui dantur dolores, qui naturaliter fiunt, ideóque Galenus *lib. de inæquali intemperie*, famem, & ſitim inter dolores collocat, ſic aiens: *Dolor fit eſuriendo, vel ſitiendo, deficiente hîc humidâ ſubſtantiâ, illic ſicca.* Eſt enim eo tempore triſtis ſenſatio in ventriculo, orta ex obiecto, quod ſupponitur naturaliter, vt fames, & ſitis fiant; quidquid autem illud ſit, non eſt huius loci, longam etenim exigebat tractationem; ſuo loco diximus quinque adeſſe accidentia in fame naturali.

*Dolor eſt actio vitalis.*

Verumtamen cùm dolor ſit paſſio appetitus ſen- C ſitiui, neceſſariò infertur, quod ſit actio vitalis; talis ſiquidem potentia vitali modo operatur. Ita Diuus Thomas 1. 2. *quæſt*. 36. *art*. 2. *in corpore*, quem ſequuntur omnes, ſiue aſſerant, quod dolor attinet ad ſenſum tactus, ſiue ad appetitum ſenſitiuum; nam in vtraque ſententia dolor effectiuè à potentia vitali procedit. Quia ergo appetitus ſenſitiuus dum dolor eſt, verſatur circa malum ſenſibile cognitum, appetitus hic actum fugæ elicit, in quo conſiſtit ratio doloris. Attamen cùm dolor fieri nequeat ſine obiecto, quod naturæ ſenſitiuæ noxam inferat, ideò inter doloris cauſas omnes conſtituunt obiectum corrumpens, vel alterans naturam, non quia ipſum producat effectiuè dolorem, ſed quia neceſſariò, vt dolor producatur à potentia vitali, ſupponitur obiectum naturam contriſtans, & corrumpens. Ita Diuus Thom. *loco prææallegato*.

His igitur ſuppoſitis circa doloris naturam, & cauſas, facilè percipies quanam ratione ſe haberet D noſter æger in illo miſerrimo ſtatu, in quo vehementi premebatur dolore in digito magno manus ſiniſtræ; erat enim obnoxius fluxionibus bilioſis, quia abundabat humoribus ſupra ſanguinem, & habebat hepar calidum, & ſiccum, his humoribus generandis paratum. Habebat vlteriùs in articulis maximam debilitatem, naturamque aſſuetam expulſioni talium humorum ad ipſos articulos, qui iam habitualiter intemperati, & debiles exiſtebant. Et licèt antecedenter ad hunc dolorem fuiſſet euacuatus humor venæ ſectione, vt deleretur dolor manum dextram infeſtans, & remediis reſoluentibus fuerit euacuatus humor, qui erat impactus in parte; cum hoc tamen humores prauæ naturæ taliter ægrum infeſtabant, vt excitarent facultatem expultricem venarum, & aliarum partium, donec ipſi

humores ad digitum manus ſiniſtræ tranſmitterentur, ibique continui ſolutionem, & intemperiem calidam cauſantes, intenſum excitarunt dolorem, quem æger perferre nequibat, ita vt cogeretur ad vociferandum; cenſenſque, quod dolor ſedaretur medicamento reſolutiuo, coactus fuit tale adhibere medicamentum, quo adaucta attractione humoris, intenſiorem comparauit dolorem, qui ad eius ablationem præſentaneum poſtulabat auxilium. *Si enim dolor ſæuus eſt, totam ad ſe attrahit curationem, relictaque cauſa, illi tantùm eſt obuiandum*, vt ſentit Auic. *fen.4.1. cap.* 20. §. *Tibi quoque cauere debes à phlebotomia in hora fortis doloris.* Et propter eandem rationem Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc. capit.* 13. aſſerit, quod dum vehementiſſimæ vigiliæ, aut dolor intenſus ægrotum infeſtant, cauendæ ſunt copioſæ, & multæ euacuationes, forſanque doloris pleuritici vniuerſalem cauſam ſpernens Hippoc. 4. *de rat. vict. text.* 1. calidis fomentis dolorem auferre tentare iuſſit. Si verò dolor ſit lenis, & toleratu facilis, tunc cauſæ eſt reſiſtendum, ex Auic. *fen.*1.4. *tractatu* 2. *capite* 7. §. *Quando dolor capitis coniungitur cum febre, dignior eſt curatio febris, & non doloris.* Et dum poſſibile eſt, ad id, quod magis vrget, dirigi debet curantis conſilium, ſemperque operandum pro ratione potentioris, altero non neglecto, vt dicit Gal. 1. *de arte cur. ad Glauc. cap.* 13.

*Qualiter dolor ſedandus.*

*Remedia doloris ſunt in duplici differentia.*

Ex his deduco, quod remedia dolorem ſedantia ſunt in duplici differentia, vel vniuerſalia, vel particularia. Vniuerſalia plerumque reſpiciunt cauſam, quâ ablatâ, remouetur dolor; hæc autem poteſt eſſe interna, vel externa. Si fuerit externa, vt frigus hiemis, ardor ſolis, telum, vel ictus, non æget multo artificio, vt auferatur, niſi intrà maneat recondita, vt pila plumbea, aut ſagitta, quam chirurgia euellere docet. Interna, aut eſt repletio, aut inanitio. Inanitione enim partes noſtræ dolent, dum per inanitionem conuelluntur, quas madefacere non ſolùm qualitatiuè, ſed ſubſtantificè oportet. Repletio fit vel à ſubſtantia ſolida, vel à flatu, vel ab humore. Prima manûs operatione detrahitur, vt calculus; vel medicamentis comminuitur, vt ſic faciliùs excernatur. Secunda diſſipantibus, & digerentibus aufertur, vt quotidie facimus in doloribus colicis, ventriculi, & aliarum partium à flatibus prodeuntibus. Tertia, quæ ab humoribus fit, diſtrahitur frictionibus, ligaturis, inedia, balneo, exercitiis, clyſteribus, venæ ſectione, vel expurgatione.

*Vtrum in vehementiſſimis doloribus ſit ſanguis mittendus vſque ad animi deliquium.*

Sed quia Gal. 1. *lib aphor. com.*23. in vehementiſſimis doloribus ſanguinis miſſionem commendat vſque ad animi deliquium, attamen 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 13. in vehementiſſimis doloribus docet eſſe cauendas immodicas euacuationes. Ne igitur contrarius Galen. his in locis appareat, huiuſmodi authoritates ſunt conciliandæ.

Dico ergo primò, quod dolor poteſt conſiderari dupliciter; aut enim dolor eſt ſymptoma ſuperueniens febri, vel tantùm fit ex concitata fluxione ad partem, quæ dolore afficitur; ſi enim dolor ſit ſymptoma febrem concomitans, potiùs ſubſtrahit de quantitate euacuationis, quàm vt tantam copiam expoſcat. De hoc igitur dolore loquitur Galenus 1. *de arte curat. cit.* nam ibi agit de febribus continuis cum accidentibus, in quibus dum accidentia, quæ vires proſternunt, ſuperueniunt, prohibet copioſas euacuationes; imò neque eſt euacuandum quantùm exigit morbus, ſed ipſis accidentibus aliquid relinquendum ſuadet. Quapropter cùm ratione febris, & aliorum accidentium vires deiiciantur, ſi dolor ſuperueniat intenſus, meritò ſunt ca-

A uendæ copioſæ, ac ſubitæ euacuationes, & quæ ad animi deliquium ægrum deducunt.

Similiter ſi dolor vehemens excitetur ab intemperie nuda, vel à flatu, vel à quapiam cauſa extrinſeca, non petit venæ ſectionem, niſi præcautionis gratiâ. At verò ſi dolor vehemens fiat ex concitata fluxione, præcipuè cum ſanguinis conſortio, tunc quidem ſanguinem mittere poſſumus vſque ad animi deliquium, ſiquidem ex copioſa euacuatione, dum animi deliquium ſuccreſcit, humores retrahuntur ex parte dolente ad partes internas; ſicque retractâ causâ dolorem excitante, ipſe etiam dolor aufertur; & hoc modo eſt intelligendus Galen. 1. *aphoriſm. comment.* 23. vbi aſſerit, quod in ingentiſſimis doloribus euacuatio facienda eſt vſque ad animi deliquium. Hæc Galeni doctrinæ interpretatio conſonat dictis Valleſ. 7. *controuerſ. cap.* 7. & Zacuti Hebræi *præcepto* 71. *introitus ad praxim.*

*Quid per animi deliquium intelligitur in dolore ſedando per euacuationem.*

B Dico ſecundò, quod per animi deliquium, vt diximus in curatione febris ardentis, neque intelligimus ſyncopem, in quâ virtus vitalis deficit; neque illud, quod ex timore, aut conturbatione, dum ſanguinem mittimus, inſurgit: primum enim nunquam expetendum, nam ex eius præſentia omnes ſubitò dilabuntur vires. Secundum licèt conferat ad ſedandum dolorem, quatenus retrahit ſpiritus animales, non tamen ſufficere ſolet; propteréaque ſi ſuperueniat in venæ ſectione, non ſtatim ſiſtendus ſanguis; ſed iacente in lecto ægro, ſanguinem mittimus, donec in pulſu aliquam recipiat mutationem, non tamen magnam; ideóque attrectandæ ſunt arteriæ, vt talem mutationem, non tamen magnam Medicus comprehendat; nam licèt lipothymia, ſeu animi deliquium, vt diximus capite de ſyncope, ſit facultatis animalis, ſolet tamen paſſio incipere à facultate vitali. Ratio eſt, C quia ſanguinis miſſio cùm euacuet ſanguinem & ſpiritus, priùs lædit facultatem vitalem, propteréaque ſtatim incipere ſolet retractio ſpirituum vitalium ad cor, & conſequenter partium externarum refrigeratio; non tamen ex hoc ſequitur, quod incidat in ſyncopem, quia ſpiritus ad intra retracti ſufficienter actionibus cordis inſeruiunt. Verumtamen cùm cerebrum frigidum ſit, & deſtituatur calore influenti cordis, ſtatim deficere incipit, atque adeò non mirum, quod paſſio, vt dixi, incipiat à facultate vitali, & deliquium facultatis animalis antevertat defectionem vitalis, vt eleganter tradit noſter Valleſ. *loco præællegato.*

*Remedia particularia doloris ſunt in duplici differentia.*

Præter vniuerſalia remedia, quæ detrahendo doloris cauſam, illum ſedant, dantur alia particularia, de quibus agit Galen. 5. *ſimplic. cap.* 19. & hæc ſunt duplicia; nam quædam ſunt anodina, ſeu dolorem ſedantia, paregorica dicta, quæ ſuâ D caliditate miti, & tenuitate dolorem auferunt, quatenus illius cauſam digerunt, reſoluunt, & in halitus vertunt. Huius ſortis ſunt balnea, fomenta, decocta, olea, & vnguenta ex medicamentis modicè calidis primum gradum non excedentibus compoſita. In anodinorum enarratione errat Zacutus *loco ſuperius citato*, cùm dicat, propriè anodina vocari medicamenta, quæ validâ pollent frigiditate, cùm talia potiùs ſtupefacientia, refrigerantia, ſeu narcotica appellentur à Galeno, quæ quidem in tantum anodina vocitantur, in quantum ſtuporem, ferméque inſenſibilitatem cauſant, ita vt obiectum naturæ moleſtiam inferens non ſentiatur: at verò quæ propriè anodina dicuntur, ſunt tenuium partium, & calidiora, quàm quæ ſymmetra ſunt, vt ex eodem Galen. liquet, & iam traditum eſt. Debent eſſe tenuium partium, vt citiùs penetrent, aliter enim adſtringerent, vel cauſam morbificam ſuâ craſſitie ad intrà detinerent,

detinerent, doloremque adaugerent. Debent ſimul eſſe calida, vt digerant, concoquant, & reſoluant; neque debent habere calorem ſupra primum caliditatis gradum, quia talis calor eſt magis conformis calori naturali partis, quæ dolore afficitur; vnde alia medicamenta calidiora, etſi dolorem auferant reſoluendo doloris cauſam, potiùs reſoluentia, quàm anodina vocantur. Contingit ſæpe, quod per ea medicamenta, quibus tollitur affectio, ſimul auferatur dolor ab ea affectione dependens, tuncque talia medicamenta duplicem habebunt facultatem, ſanantem nempè, & anodinam.

*Quando in dolore refrigerantia ſunt ex vſu.*

His igitur ſuppoſitis, ad caſum noſtrum magis accedentes, cùm hic præclarus vir vehementer torqueretur dolore digiti manûs ſiniſtræ, non erat locus euacuationi reuulſoriæ, tum propter immodicam vigiliam, & virium reſolutionem à vigilia, vociferatione, & dolore cauſatam; tum quia dolorem ſæuum perferre nequibat, neque expectare poterat tale remedium, neque anodina erant ex vſu; nam ſuo calore, & tenuitate poterant adaugere fluxionem, ſæuioremque concitare dolorem: quapropter ſtatim confugere fui coactus ad refrigerantia, ſeu ſtupefacientia, inter quæ commendat Hippocrates 5. *aphoriſm. textu* 25. aquam frigidam, quæ dolores abſque vlcere, & podagricos ſtatim leuat, præſertim vt ait Galenus *in commentar.* dum dolores ab inflammatione, ſeu recenti ſanguine procedunt; tunc etenim frigiditatis occurſu ſanguinis fluxus cohibetur, ſicque dolor ſoluitur. Refrigeratio etiam largior torporem mediocrem inducit, qui & ipſe dolorem ſoluit ſenſum hebetando. Soluit etiam ea perfrigeratio dolorem, quia deſtruit caliditatem humoris fluentis ad partem, & reducit ipſam partem ad ſtatum naturalem. Etenim tanquam certum habeo, quod dum alteratur natura ſubitò, tunc dolores fiunt, & inter qualitates alteratiuas primum tenet locum caliditas, quæ citiùs deſtruitur per ea medicamenta, quæ actu frigida ſunt, quàm per ea, quæ poteſtate talia dicuntur; atque adeò in libello de podagra, incerti Authoris, cuius interpres eſt Marcus Muſurus, factâ euacuatione prout ratio poſtulat, membris cruciatum patientibus repellentia commendantur, cuiuſmodi ſunt veſſicatoria, portulaca, ſemperuiuum, hyoſciamum, intubus, papaueris folia, roſæ recentes, micæ hordaceæ aquâ madentes, lac coagulatum, quod noſtri *requeſon* vocant, & aqua frigida. Lobera Abulenſis in iis caſibus aquæ frigidæ vſum commendat.

*Aqua frigida ſedatiua doloris, & quomodo.*

Aduertere tamen oportet ex Auicenna, quod ſi dolor poteſt ſuſtineri, remedia modicè repellere debent, ne fortè humores impulſi in aliquam partem principem irruant, & grauioris morbi ſint cauſa. Sed quia capite de arthritide ſufficienter curationem adduximus, ad illud Lectorem remittimus.

## OBSERVATIO XI.

*De quodam ægroto aſcite laborante, qui ex magno vrinæ fluore liber euaſit.*

*Hiſtoria refertur.*

QVidam æger ex nimio potu, & viuendi inordinato modo cecidit in eam hydropis ſpeciem, aſcitim dictam, qui cùm ventrem tumidum, & magnum habuiſſet, difficiléque reſpiraſſet, tuſſique eſſet correptus, timens ſuffocari, remedium à me petiuit tempore, à quo remedia proficere non poterant, erat enim morbus inueteratus, licèt æger iuuenis, qui ratione ætatis remedia perferre valebat; vtebatur probo victu, neque illi vires deficie-



A

bant; tamen remedia aquam educentia, & reſoluentia, & omnia illa, quæ ab Authoribus commendantur, nullam præſtabant vtilitatem, quo factum fuit, vt ad paracentheſim, ſeu apertionem deueniremus. Ante tamen quàm ad huius remedij executionem eſſet deuentum, cœpit mingere æger in tanta quantitate, & continuò, taliter vt non poſſet triduo ſe à continuo vrinæ fluore continere; deinde ventris tumor obſcuratus fuit, liberè reſpirauit, tuſſis fuit abolita, denique ſanitatem amiſſam reſtaurauit, adhibita tantummodò victus ratione conuenienti: quapropter non fuit punctio, ſeu ſectio ad educendam aquam adminiſtrata.

*Altera, & altera hydropicorum hiſtoria proponitur.*

Altera ægra, quæ aſcite, & leucophlegmatia tenebatur, habebat crura valde tumentia, & plena pituitâ aqueâ; & cùm decreuiſſem illius ſcarificare crura, apparuerunt ampullæ in cruribus plenæ aquâ, quibus apertis, pluribus diebus fluxit aqua, ita vt omninò liberaretur.

B

Monacham etiam ſexagenariam anaſarca correptam curaui in hyeme vſu eorum, quæ adduximus in noſtra praxi, veſtemque illi facere iuſſimus ex linteo duplicato, & pulueribus reſoluentibus expleto, aqua vitæ irrorato, & cum baſtituris, vt pulueres detinerentur ſparſi per totam veſtem, quæ quidem contingebat ægræ cutem ab humeris ad pedes, ſicque fuit humiditas abſumpta, & media hyeme ægra omnimodè liberata.

### ANNOTATIO.

LIcèt hic caſus rarus ſit, non tamen nouus, ſiquidem illius mentionem fecit Hippocrates *libro de indicationibus*, vbi ait: *In his, qui ab hydrope detinentur, ſi aquoſitas per ventrem ad veſſicam, vel ventrem fluat, ſolutio fit.* Ioannes Skenchius *lib. 3. de hydrope, obſeruat.* 16. duplicem hiſtoriam narrat eorum, qui aſcite laborantes, ſeroſâ materiâ per lotium excretâ, liberati fuerunt. Sic Solenander *ſection. 5. conſil.* 15. refert, quod mulier quædam habens maritum hydropicum, in eo ſanando expendens omnia ſua, quæ nihil profecerant, ſperans ipſa quotidie illum moriturum, accepit buffonem in puluerem redactum, & dedit ei cum vino, ex quo fuit ſubſequutus vrinæ fluor, & præter ſpem fuit ſanitati reſtitutus. Neque ſolùm per hanc regionem natura molitur euacuationem lotij, ſed quod magis eſt, per ventrem. Ita Hippocrates 6. *aphoriſm. textu* 14. vbi ſic: *Ab hydrope detento, vbi aqua ad ventrem ex venis confluxit, ſolutio fit.* Inuenit natura ſibi ipſi vias, & non excogitatione; & cùm nihil didicerit, facit quæ expediunt, ex Hippocrate 6. *epidem. ſectione* 5. Cùm igitur tota materia morbifica fuiſſet per vrinæ veſſicam excreta, neutiquam paracentheſis fuit neceſſaria, receſſimuſque ab huius remedij executione.

C

D

### §. I.

*An in aſcite conueniat paracentheſis.*

*Quod non conueniat, probatur.*

OCcaſione tamen deſumpta ab iis, quæ dicta ſunt, cùm in aſcitis curatione quotidie proponatur hoc remedium, de quo ambigitur, an prodeſſe valeat, meritò in dubium vertitur apud Authores, vtrum conueniat, vel non. Antiquorum aliqui exiſtimarunt paracentheſim incongruam: ita Euenor. *lib. 5. curationum.* Eraſiſtratus *libro de hydrope*, & illius ſectatores: Thoſalus 2. *libro regulari*, ſuamque ſententiam rationibus comprobant.

Primò: nam aquam concluſam effundendo, ſpirituum vitalium diſſipatio, & omnium facultatum exſolutio fit.

Secundò: nam neruoſa peritonéi ſubſtantia nec citra periculum incidi, aut pungi poteſt, ob timorem inflammationis, & conſenſus cum aliis partibus; ſemelque inciſa, vel puncta non facilè agglutinatur, vel vnitur.

Tertiò: nam hepar ſubtractâ aquâ, cui antea innatabat velut fulcro, pondere ſuo diaphragma, totumque thoracem deprimit, & deorſum trahit, ſicque accidit tuſſis ſicca, & anhelitus difficultas.

Quartò: nam aqua effuſa non tollit hydropis cauſam, videlicèt iecoris intemperiem, ſeu duritiem; quo fit, vt denuò ſuſcitetur hydrops ab eadem cauſa.

Quintò, quia febris, ſitis, intemperieſque calida, & ſicca viſcerum, quæ contactu aquæ attemperabantur, eâ effuſâ intenduntur.

Sextò: nam pauci, aut nulli ſuperſtites euadunt ex paracentheſi, vt aiunt Auicenna, Gordonius, & alij, & ipſa oſtendit obſeruatio.

*Quia contraria ſententia ſuſtinenda eſt, reſpondetur ad argumenta.*

Hæc, & alia fundamenta tradunt Authores, quos refert Cælius Aurelianus *libro* 3. *tardarum paſſionum, capite* 8. Ambroſius Paræus *libro* 7. *de tumoribus præter naturam particularibus, capite* 12. Sed quia hæc ſententia non admittitur, & eius oppoſitam ferè omnes amplectuntur, ideò antequam aliam ſtatuamus, his fundamentis ſatisfacere conabimur. Ad primum reſpondetur, quod aqua non extrahitur tota, ſed paulatim effunditur, & hoc accidere poteſt ſine virium, aut ſpirituum diſſipatione. Ad ſecundum, quod illa membrana, etſi pungatur, non ſequitur, quod inflammetur; ſiquidem alterata eſt à qualitatibus aquæ, & exiguum ſenſum retinet; quæ verò partes muſculoſæ, & neruoſæ inflammantur, habent exactum ſenſum, atque adeò Paræus ait eſſe timorem puerilem, quando vrget neceſſitas, eam membranam non pungere. Ad tertium, quod illud incommodum facilè vitabitur, ægro reſupinato, & in lecto recumbere iuſſo. Ad quartum, quod ex effuſione aquæ citiùs tollitur iecoris intemperies; nam hæc ex præſentia aquæ adaugetur, quatenus aqua hepatis calorem ſuffocat, & extinguit: neque iecoris intemperies, vel alter quiuis morbus alterius partis illius regionis curari quit, quin priùs extrahatur aqua: quapropter ſi non effundatur iecoris intemperantia, non poteſt curari.

Ad quintum, quod febris, & reliqua accidentia adaugentur ab aqua, quæ ibi detenta, ſalſa, calidaque, & ſicca efficitur; eâ tamen ablatâ, omnia accidentia minorantur. Ad vltimum denique reſpondetur, quod etſi pauci liberentur ex paracentheſi, ſufficit tamen, quod in morbo deſperato aliqui, etſi pauci, euadant, vt hoc remedium exerceatur. Si verò plures pereunt, id non accidit remedij culpâ, ſed quia negligentiùs, vel tardiùs adminiſtratur, & quia morbus hic non eſt de facilè ſolubilibus, habetque cauſas fixas, quæ ſæpè indelebiles ſunt, proptereaque curationem non admittunt; ſi verò aliquo modo ſuccurrere poſſumus ægro, non aliter poſſumus.

*Paracentheſis admittitur.*

Quare Hippoc. Galenus, Paulus, Auicenna, & ferè omnes paracentheſim admittunt, deſcribuntque occaſionem, ſeu tempus, in quo aqua debet extrahi, quantitatem aquæ effundendæ, & locum, per quem extrahi debet; & ea, quæ ſunt præparanda ad illius extractionem, & quibus conueniat. Quæ omnia diligenter ſunt perquirenda; aliter enim melius erit non tentare remedium.

*De tempore ſeu occaſio-*

Quoad tempus, ſeu occaſionem Hippocrates 6. *epidem. ſectione* 7. iubet hydropicos ſecare ſtatim, A ac ſi diceret, tempus idoneum apertioni eſſe ſtatim, ac cognoſcitur adeſſe aſcitem, ſicuti in tabeſcentibus, & ſuppuratis ſtatim ac cognoſcitur pus; ſi enim curationem differas, infamabitur remedium, quod poſſit ad ſalutem conferre. Ratio eſt euidens, nam ex mora, & detentione intemperies magis habitualis fit, parteſque contentæ in regione naturali vitiantur, reliquæque omnes trahuntur in conſenſum, ita vt fiat immedicabile malum. Quia ergo ſerius quàm decet, hoc adminiſtratur auxilium, & omnes illius timent exequutionem, idcircò dum adhibetur, non prodeſt, & ferè omnes pereunt, quia ferè omnes dum deſperatus eſt caſus, remedium admittunt, antea verò renuunt, quando prodeſſe poterat, vt plures teſtantur hiſtoriæ, quas referunt Cælius Aurelianus, Andreas Laurentius, Ambroſius Paræus, & omnes, qui hunc curandi modum comprobant; benè tamen priùs alia remedia ſunt tentanda.

*ne vtendi punctione.*

*De quantitate aquæ extrahendæ.*

B Quantitas aquæ in aſcite, ſicuti puris in ſuppuratis, non debet eſſe plurima, quod admonet Hippocrates 6. *aphoriſmorum, text.* 27. ſic: *Quicumque ſuppurati, aut aquam inter cutem patientes vruntur, aut ſecantur, ſi aqua, aut pus vniuerſim effluxerit, omnes moriuntur.* Facilè ſiquidem viribus reſolutis, in ipſa euacuatione ſuccumbit æger. In aſcite aliam mortis cauſam proponit Galen. *in commentar. aphoriſmi*, dum ait: *In aqua verò inter cutem non modò ob hanc cauſam eâ laborantes offenduntur, ſed & duritiem viſceris, vt quæ non ampliùs ſuſtentatur ab aquoſa ſubſtantia, & ſeptum tranſverſum deorſum trahit, & viſcera, quæ ſunt in thorace.* Hanc Galeni rationem inſinuarunt illi, qui in aſcite apertionem damnabant, vt ſuprà inſinuauimus.

Debet ergo aqua extrahi in quantitate, quæ vires non deiiciat: quænam ergo hæc ſit, non ſatis conſtat; quantitas enim remedij reddit artem coniecturalem. C Hieronymus Capibaceus ait, quod ſingulis vicibus debent extrahi quinque, vel ſex, aut octo vnciæ. Skenchius aſſerit, ſatis eſſe quotidie effluere circiter duas libras. Verumtamen cùm differat natura à natura, ætas ab ætate, temperamentum à temperamento, vt dictat Hippocrates *libro de flatibus*, non poteſt pro omnibus quantitas determinata aſſignari: quapropter debemus inſpicere tempus, ætatem, regionem, & alia, quæ docet conſideranda Hippocrates in euacuationibus, ſiue ſponte, ſiue arte factis 1. *aphoriſmorum textu* 2. & *aliis locis*; proptereaque, dum aqua extrahitur, arteriæ ſunt attrectandæ, vt docet Auicenna; & ſi incipit virtus debilitari, deſiſtendum eſt illicò, neque expectanda imbecillitas maior, neque maior virium reſolutio.

## §. II.

D *An paracentheſis conueniat tympaniti, vel anaſarcæ.*

SEd quia in hydrope tympanite dicta, aër qui quotidie generatur, continetur in eodem ſpatio, in quo continetur aqua in aſcite, dubitari poteſt, & meritò, an ſicuti punctio in aſcite adminiſtratur pro aquæ effuſione, pari ratione debeat adminiſtrari pro aëre, ſeu flatu extrahendo. Hoc dubium non vidi ab Authoribus pertractatum, ſed ſolùm reſoluentibus, & roborantibus viſcera vtuntur ad tympanitis curationem; nullus tamen huius remedij recordatur, imò aſſerunt, quod huiuſmodi perforatio ſolùm conuenit aſciti. Ita Paulus *libro* 3. *capite* 48. *in fine*, non tamen reddunt rationem, quare

quare aliis hydropis ſpeciebus non conueniat. In primis certum eſt, quod neutiquam conuenit anaſarcæ; in hac etenim humor non eſt collectus in parte determinata, ſed per totum corpus eſt diffuſus, neque poteſt euacuari facta perforatione. De tympanite ergo tantum eſt dubitatio.

Et quod non debeat fieri, militant rationes eædem, quæ improbabant hoc remedium in aſcite, quæ tympaniti accommodari poſſunt; quibus addi poteſt, quod ſi in tympanite talis fieret apertio, ſimul cum aëre multa ſpirituum copia exiret; & cùm aër ſit tenuis nimis, & ſenſum fugiat, non eſſet in noſtra poteſtate extrahere quantitatem determinatam illius, eſſetque periculum reſolutionis, & diſſipationis virium.

Quod autem apertio fieri debeat ad extrahendum aërem in tympanite, non caret fundamento; nam aër ibi incluſus, ſeu vapor, eſt toto genere præter naturam, ſicque petit ſui ablationem; quæ ſi fieri nequit per reſoluentia, vel medicamenta aërem educentia, & euacuantia, poterit nihilominus euacuari, factâ perforatione; & ſicuti aqua effunditur, eo quod eſt naturæ aliena, pari ratione effundi debet aër. Neque rationes in contrarium conuincere videntur, quæ quidem iam ſuprà ſolutæ ſunt in ſermone de effuſione aquæ in aſcite, poſſuntque accommodari euacuationi aëris. Neque impedit tale auxilium, quod non poſſumus metiri quantitatem aëris extrahendi, quia ob eius tenuitatem fugit ſenſum, & quia eſt ſpiritui admiſtus. Nam taliter poterit extrahi aër, vt non fiat ſenſibilis noxa, illum euacuando in parua quantitate, tangendo arterias, dum talis exercetur euacuatio, ſicuti dictum eſt ex Auicenna pro aquæ effuſione. Si enim aliter non poteſt ſolui morbus, & in morbis magnis periclitari licet, vt ait Hippocrates *libro de locis in homine*, extra regulas rationis videtur ægrum deſtituere ab hoc remedio, neque maiorem ſecuritatem poteſt habere in aſcite, cum hoc tamen in ipſa exercetur, atque adeò in tympanite non eſt prohibenda.

*Improbatur paracentheſis in tympanitis curatione.* In re adeò difficili, & à nemine, quem ego viderim, pertractata, non eſt facile veritatem aſſequi: verumtamen provt mei ingenij vires permittunt, conſtanter aſſero, quod in tympanite non eſt adminiſtranda punctio ventris.

Sed vt hoc dubium ſoluatur, notare oportet, quod vt aſcitis curetur, petit euacuationem aquæ, ſiue medicamento aquam educente, ſiue aliter; nam ſi non educitur aqua, intemperies iecoris fouetur, & conſeruatur à qualitatibus aquæ, extinguiturque hepatis calor, & ſuffocatur: & licèt aqua ſit effectus iecoris, tamen aqua iuxta ipſum detenta extinguit, & ſuffocat calorem illius, præbetque ſuæ cauſæ incrementum, ita vt intemperies hepatis, & aqua genita ab ipſo hepate ſibi inuicem ſint cauſæ; ex quo fit, quod ſi aqua ſit propè hepar, non poteſt iecoris intemperies emendari, atque adeò vtcumque petit auferri.

At verò in tympanite eſt diſpar ratio; nam etſi aër, ſeu vapor incluſus ſit genitus ex hepate, non tamen ille aër fouet, aut conſeruat hepatis intemperiem, neque ſuffocat illius calorem: quapropter licèt non educatur aër, non tamen impedit curationem intemperiei hepatis, quâ ablatâ poterit aër ille reſolui medicamentis intra, extraque admotis; qui cùm non habeat cauſam, à qua conſeruetur, ſemel ablatâ hepatis intemperie, facilè dictis auxiliis poterit euinci. Quod autem ille aër non foueat, atque tueatur hepatis intemperiem, patet; nam vapor ille, ſeu aër eſt calidus, & humidus: caliditas hæc potiùs iuuat ad corrigendam frigiditatem hepatis, præ-

A ſertim cùm omnes Authores ad hepatis frigiditatem potiùs quàm ad aliam intemperiem hydropem reducant. Quanam autem ratione effectus calidus oriri poſſit à cauſa frigida, aut è contra, non eſt huius loci: pro nunc dico, quod in tympanite non adeſt tanta frigiditas in hepate, ſicuti in aliis hydropum ſpeciebus; ſiquidem chylus, qui in maſſam ſanguinariam migrare debebat, attenuatur, & in vapores vertitur; quod opus calore perficitur, licèt talis calor ſit diminutus; vapor verò ipſo hepate calidior euadit tum ab ſpiritibus, cum quibus facilem admittit mixtionem; tum à fuliginibus, quæ ex coctionibus eleuantur. Quia ergo calor deſideratur in curatione hydropis, non eſt rationi diſſonum, quod calor vaporum adiuuet curationem intemperiei hepatis, per quam ipſi gignuntur vapores.

Dices, quod vapores illi, etſi calidi, ſuffocare valebunt calorem hepatis; nam ſi fuligines, quæ ipſis vaporibus ſunt calidiores extinguunt, & ſuffocant calorem cordis, qui eſt intenſior calore hepatis: ergo potiori iure vapores minùs calidi poterunt extinguere, & ſuffocare calorem hepatis; atque adeò in curatione tympanitis quocunque modo ſunt euacuandi. *Obiectio.* B

Reſpondetur, quod fuligines ideò calorem cordis ſuffocant, & extinguunt, quia motum cordis cohibent, & impediunt ſpirituum vitalium diſtributionem ad vitæ tutelam neceſſariam; hepar verò motu caret, neque eget motu ad diſtributionem ſpirituum naturalium, ſi qui ſint; & propterea vapor ille neque extinguit, neque ſuffocat calorem natiuum hepatis, ſed potiùs ſuo calore tuetur calorem hepatis, eiuſque remittit frigiditatem. *Reſponſio.* Dices aquam illam ab hepate genitam eſſe calidam, ſalſam, & amaram, maximéque excitare ſitim, taliterque reddi ex permixtione fuliginum, ac per conſequens ipſam calefacere iecur, fouereque, & conſeruare ipſius calorem? *Aſcitis aqua calida & ſicca, & amara eſt.* Reſpondeo tamen, aquam C illam habere alias qualitates, quibus aduerſatur hepati, & eius impedit actiones: imbibitur etiam in eo, laxatque illius ſubſtantiam, eam obſtruit, minuſque aptam reddit ad maſſæ ſanguinariæ geneſim: & quia aqua illa denſior multò eſt vapore, fortiùs etiam operatur, maioraque hepati incommoda fiunt ex eius præſentia. Propter huiuſmodi fundamenta, & quia antiquorum, recentiorumque nullus auſus fuit ventris perforationem facere in tympanite, ſemper illius vſum reformidaui. Quare licèt flatus ille, ſiue vapor ſit toto genere præter naturam, petatque ſui ablationem, id aſſequi debemus medicamentis diſcutientibus, ſeu reſoluentibus interiùs, & exteriùs applicitis, quæ non ſolùm flatus abſumere valent, ſed etiam ipſum hepar roborant, & confirmant: neque auderem eſſe primus in tentando hoc remedium, etiamſi alia non proficiant; nam vt Ouidius ait: D *Non eſt in Medico ſemper releueiur vt æger.*

## §. III.

### *In qua parte eſt facienda apertio in aſcite.*

DE loco, vbi fieri debet apertio, non minor eſt diſſenſio. Paulus, Auic. Albucaſis, Cælius Aurel. Meſuë, & alij apertionem moliuntur ad vmbilici latus: quam apertionem commendant tribus digitis ab vmbilico diſtantem; ita tamen, quod ſi hydrops initium habet à liene, ſecetur pars ab vmbilico dextera; ſi verò à iecore, vel à parte dextera ortum habet, ſcindenda eſt pars ſiniſtra. Hæc ſectio debet eſſe vmbilico decliuior, ne offendantur muſculorum aponeuroſeis; neque ibi ſunt partes neruoſæ, ſicuti in medio vmbilici, eſtque minor timor inflammationis, & doloris. Si igitur aſcitis incipiat

à liene, perforanda eſt pars dextra; ſic enim minori moleſtia ægri decumbunt in latus ſiniſtrum, quia non ita ſuſpenſum eſt viſcus ſiniſtrum in eo decubitu, neque ita facilè noctu efflueret aqua, neque in maxima egrederetur copia: & idem ſtatuo ſi aſcitis initium ſumat ex latere dextro; tunc etenim perforatio eſt exercenda in latere ſiniſtro. Horum Authorum placitum inſequens, quendam puerum ſecari iuſſi in latere ſiniſtro, quem Dei auxilio ad ſanitatem perduxi, non ſine magna omnium admiratione.

*Andreas Laurent. mens proponitur.*

Andreas Laurent. vir in re anatomica præclarus, nouum apertionis modum excogitauit experimento, & ratione motus. Experimento, nam plures extant hiſtoriæ aliquorum, quorum vmbilici ſponte ſoluti fuere, à quibus magno impetu aqua effluxit, & liberati fuerunt. Lege Zacutum, Skenchium, Sennertum, & Andream Laurentium. Si igitur obſeruatum eſt, plures fuiſſe ab hoc morbo liberatos ex ſponte facta per vmbilicum ſolutione, rationi conſonum videtur, quod Medicus ipſam imitando naturam pro aſcitis curatione vmbilicum ſecet. Huic etiam ſuffragatur ratio; nam *quò natura vergit per loca conferentia, eò ducere oportet*, ex noſtro Hippoc. 1. *aphor. text.* 21. at ſæpè natura talem euacuationem per vmbilicum molitur: ergo eò ducere nos oportet. Neque obſtat ſi dicas, quod in lineam albam terminantur omnium muſculorum extrema, quæ ſi pungantur, poterit excitari inflammatio, & conuulſio. Reſpondetur, quod hæc muſculorum extrema circa vmbilicum perforata ſunt omnia, vt vaſis vmbilicalibus aditus pateat. Accedit ad hoc, quod citra plurium partium punctionem hæc perforatio adminiſtratur; nam ex tumore ſubleuato aquæ, & impetu illius partes circa vmbilicum dehiſcunt, ita vt ſola cutis remaneat, quæ ſciſſione egeat, fitque cum minori inflammationis, & conuulſionis periculo; tum cùm apertio per medium vmbilicum fit, ſupra vtrumque latus eadem ſecuritate poteſt decumbere æger, quod non accidit dum in vno, vel altero latere fit apertio. Hunc aquam extrahendi modum admittit Skenchius *lib.* 3. *de hydrope*, qui etſi rariſſimè aquam per vmbilicum educi vidiſſet, feliciter tamen ſucceſſit.

Dum hæc ſcribo ſe obtulit occaſio aperiendi hydropicum, qui cùm habuiſſet vmbilicum prominentem, & per tactum dignoſceretur habuiſſe cauitatem, & ſeparationem partium, quæ terminantur ad vmbilicum, decretum fuit ex omnium conſenſu, quod punctio fieret per medium vmbilicum, & feliciter ſucceſſit.

His præuiſis, ſi neceſſitas cogat ventrem pungere ad aquæ effuſionem, licèt contrarium ſtatuiſſem in praxi, antiquorum mentem amplectens, reverà punctionem per vmbilicum facere non recuſarem, ob rationes ab Andrea Laurentio traditas, & propter obſeruationes ab Authoribus adductas, quæ quidem maximè conuincunt.

*De modo extrahendi aquam cum ſecuritate.*

Reſtat nunc ſcire modum extrahendi aquam. Andreas Laurent. aſſerit, quod primò tota vmbilici circumferentia filo traiicienda eſt, vt arctari poſſit foramen, ne maiori quàm decet impetu erumpat aqua; deinde acuto, & pungenti ferro ſecanda cutis, qua parte vaſa dehiſcunt; mox ænea, aut argentea fiſtula in vulnus debet immitti, per quam fluere poſſit aqua; deinde ablatâ fiſtulâ, filo arctatur foramen. Alij aliter aquæ effluxum moliuntur, vt notat Paræus; nam inciſione facta, vulneris labra acu filum ducente tranſadigunt, acuque multùm carnoſæ ſubſtantiæ comprehendunt, ne contenſionis in adducendis labris impetu dilaceretur, dilanieturque, quod eſt comprehenſum, ſicque fili ambo extrema capiuntur, dilatantur, vel comprimuntur, prout neceſſitas tulerit. Galen. *lib.* 14. *method. cap.* 13. licèt punctionem admoueat paracentheſim dictam aſciti, ſicuti in hydrocele ſyphonem, non tamen aliquid aliud eſſe faciendum oſtendit. Skenchius poſt aquæ effuſionem tenaci emplaſtro eſſe occludendum foramen oſtendit.

*Authoris mens proponitur.*

Ego autem dico, quod foramen debet fieri paruum, vt virium diſſipatio ſit minor, quod effuſâ aquâ obturari debet pannis lineis madefactis cum albumine oui; inſuper addi poſſunt aliqui pulueres adſtringentes, vt bolus armenus, ſanguis draconis, terra ſigillata, myrtus, roſa, & huius cenſus alia; ſufficienter etenim ſic aquam detineri, fidiſſimo experimento obſeruaui.

*Scopi indicantes, & permittentes apertionem in aſcite.*

Ex dictis claret, quod perforatio in aſcite poteſt vtilitatem præſtare, propterea que exercenda eſt; attamen cùm in aliquibus conueniat, in aliis verò non, oportet proponere indicantia, & permittentia hoc remedium. Si enim tumor aquoſus ſit magnus, ita vt aliter non poſſit auferri, perforationem indicat; aut ſi tumor non ſit magnus, celeriter tamen ad magnitudinem peruenerit; aut ſi exhibitis hydragogis, etſi aquoſitas euacuetur, tamen tumor non imminuitur, ſed in eodem ſtatu perſeuerat, vel augetur, in iis caſibus perforatio eſt exercenda. At ſi aſcitis fuerit inueterata, aut ſequatur morbos acutos, vel adfuerint ſigna lethalia, vel originem duxerit ex tumore ſcirrhoſo, hæc omnia perforationem impediunt.

Scopi permittentes deſumuntur ex rebus naturalibus, & non naturalibus, quos proponit Auicenna, videlicet quod corpus, quod perforari debet, ſit forte, & non gracile, præſertim circa femora, & vmbilicum; & quod ſit ætas florens, vel ad minus media inter puerilem, & ſenilem. Puerum tamen robuſtum ſeptem annorum perforare iuſſi, & ſucceſſit ex voto; robuſtus enim ſenex, & mulier grauida valens, & puer fortis tutò curantur, vt ait Celſus. Aër ſit temperatus, vel ſaltem ſic arte parandus. Hora commodior eſt, in qua cibus non replet ventriculum, benè tamen permittitur, quod aliquod iuſculum carnis, vel ouum ſorbile, vel biſcoctum in vino antea aſſumantur, vt vires recreentur: ſemper tandem quod huiuſmodi adminiſtratur auxilium, debemus vti prædictione, cum nulla alia ſalutis ſpes remaneat, cui fidere poſſimus, vt ſic Medicus à calumnia liberetur, ſi fortè ex huius remedij adminiſtratione æger pereat.

*Robuſtus ſenex mulier grauida valens, & puer fortis tutò curantur.*

*Remedia plura proponuntur pro curatione hydropis, præſertim aſcitis.*

Ante tamen quàm hæc finiatur annotatio, oportet aliqua proponere remedia pro aſcitis curatione, licèt in noſtra praxi plura ſint adducta ab Authoribus comprobata. Ad educendam aquam maxima vi pollet puluis buffonis concremati, vt extant hiſtoriæ; non tamen eſt ſecurus, ob eius veneficam naturam: lege Skenchium, Zacutum, & Marcum Gatinarium, qui refert, quod buffo ſilueſtris, qui in nemoribus inuenitur, ſi totus ſcindatur per ventrem, & ſuper renes ligetur ægrotantis, mirabiliter educit aquam per vias vrinæ, de quo ſæpè periculum fecit. Ita *tract.* 11. *de diſpoſit. hepatis*, *cap.* 4. In Epiphanij Empyrica pro aſcite ex cauſa calida, ſeu ad morbos acutos ſubſequuta, inuenitur ſyrupus, qui maximè commendatur ad attenuandos humores frigidos, & educendam aquam, qui talis eſt. ℞. ſucci ſcariolæ, & chicorij, apij, & petroſelini, ana ℔. j. aquæ decoctionis eſulæ ℥. j. ß. ſpicæ ʒ. j. maſtichis ʒ. ß. ſemin. fœnic. & apij, ana ℥. ß. bulliant omnia vſque ad conſumptionem medietatis, colentur, & fortiter exprimantur; deinde adde rhabarb. in puppa ligati ℥. j. ſacchari quod ſit ſatis; iterum vna lenta ebullitione ebulliant, extrahe, & exprime rhabarb. & fiat ſyrupus, cuius poteſt bis in hebdomada bibere

*Syrupus pro hydrope producta à morbis acutis.*

bere ℥. iij. plus, vel minus iuxtà patientis virtutem.

Si verò aſcitis non fiat ex cauſa calida, ſed ex frigida, ei confert ſyrupus hic ad extrahendos humores frigidos, & aquoſos. ℞. ſeminis aniſi, & fœniculi, ana ʒ. ij. eupatorij m. ij. adianti, abſinthij pontici, & chicorij, eryngij, & petroſelini, ana ℥. j. ß. cinnamomi ʒ. ij. epithymi, polypodij, ana ℥. j. ſeminis carthami ℥. ij. radicis chinæ ℥. ß. ſmilacis aſperæ ℥. j. foliorum ſennæ ℥. iij. coquantur omnia ſecundùm artem in ℔. viij. aquæ ad medietatis conſumptionem, & in colatura infunde mechoacam ʒ. iij. agarici trochiſc. ʒ. iij. rhabarb. optimi ℥. ß. ligni aloës, aromatici roſarum, ana ʒ. j. & factâ expreſſione colaturæ adde ſyrupi de epithymo, & de eupatorio, ana ℥. iij. ſyr. foliorum ſennæ, & chicorij Nicolai, ana ℥. ij. ſacchari, quod ſit ſatis: miſce, & bulliant ad ſyrupi conſiſtentiam, & ſeruentur in vaſe vitreo: doſis eius eſt ad ℥. iij. vel quatuor.

*Syrupus pro hydrope ex cauſa frigida.*

Sed quia huiuſmodi auxilia euacuantia communia ſunt tam aſciti, quàm alteri cuiuis hydropis ſpeciei, & in præſenti curare intendimus hydropem aſcitem, ideò hydragoga medicamenta ſunt proponenda, inter quæ probatiſſimus cenſetur ſuccus iridis depuratus ab ℥. ß. ad ʒ. vj. vel ad ℥. j. cum melle roſaceo, vel aqua mulſa, addito puluere diarrhod. Abb. vel aromatici roſarum. Ad idem valet puluis radicis iridis quantitate ʒ. ij. exhibitus cum aqua mulſâ. Folia braſſicæ marinæ decocta in iure pulli, aut radix ſambuci, aut ebuli in vino decocta hydropicorum aquam euacuant. Poteſt etiam conferre conſerua radicis iridis, quæ ſic paratur. ℞. radicis iridis excorticatæ ℔. j. mellis ℥. xvj. pulueris cinnamomi, aniſi, & fœniculi, & agallochi, ana ʒ. j. ß. & fiat conſerua eo modo, quo fit conſerua citoneorum, de qua ſumat æger cochleare, vel ſingulis diebus aſſumat ſuccum radicum ſambuci, & ebulorum, ſic. ℞. ſucci radicis ebuli, & radicis ſambuci, ana ʒ. j. rhodomellis ℥. ij. Pillulæ de mezereon potenter aquam educunt, ſic pro vna vice. ℞. pillul. de mezereon ℈. viij. elaterij ℈. ij. pillul. alephangin. ℈. ij. aromat. roſarum ℈. ß. cum aqua fœniculi formentur pillulæ. Interim dum hæc fiunt, interiùs, & exteriùs oportet hepar, & ventrem roborare. Interiùs profunt tabellæ diarrhod. Abb. cum duplicato rhabarb. trochiſci de rhabarb. & de eupatorio, & diarrhodon. & de capparis: ſed quia horum aliqua ſunt guſtui inſuauia, poſſunt exhiberi in forma pillularum. Exteriùs conferunt emplaſtra, vnguenta, & fomenta roborantia, & reſoluentia, de quibus ſufficienter actum eſt in praxi. Verumtamen cùm hic morbus ſit ſolutu difficilis, neque omnes poſſunt ventris punctionem ſuſtinere, alia excogitarunt antiqui remedia, diuretica ſcilicet, qualia ſunt dialacca, diacureuma, & trochiſci à nobis præſcripti; ſudationes, ſetones in regione ventris, & in ſcroto, imò & cauteria, & crurum ſcarificationes, & alia, quæ ſuo tradidimus loco in praxi, quæ ibi quærenda ſunt, & omnia cautè exercenda.

*Hydragoga medicamenta traduntur.*

*Exteriùs admouenda in hydrope.*

## OBSERVATIO XII.

### *De pleuritide exquiſita in latere dextro, in apoplexiam tertio die ſoluta, cum oculi dextri dimonitione à proprio loco.*

*Hiſtoria refertur.*

Monacha Ordinis Sanctæ Claræ nobilis Oppidi de Areuallo, ætate iuuenis, habitu mediocris, ſanguinea, cum bilis prædominio, optima fruens

A ſalute, ſubitò arrepta fuit dolore pleuritico exquiſito in latere dextro ad clauiculam aſcendente, qui ita intensè opprimebat ægram, vt difficilè nimis tuſſire, aut reſpirare poſſet, neque ob doloris ſæuitiem poterat quieſcere, aut decumbere ſuper aliquod latus, neque aliter. Ex quibus, & aliis ſignis coniecimus, morbum fuiſſe exactè peracutum, adfuiſſeque magnam inflammationem pleuræ, breuiſſiméque ægram interituram, erant enim omnia ſigna lethalia. Tertia tamen die à morbi inſultu, in mei præſentia inopinatè conqueri cœpit de dolore intenſo in capite, præſertim circa oculi dextri radicem, ad cuius intenſionem remittebatur dolor lateris, breuiſſiméque ſedato lateris dolore, priuata fuit ſenſu, & motu, & facta fuit apoplectica, & quod magis eſt, oculus dexter fuit ſubitò dimotus à propria ſede, ita vt eminentior appareret quàm ſiniſter, eademque die obiit.

B Eodem tempore quidam homo prouectæ ætatis pleuritide fuit affectus, qui cùm in quatuordecim diebus (vt fieri ſolet) non fuiſſet per ſputum repurgatus, in ſuppurationem tendente inflammatione, pure confecto, tuſſique concitata, ruptus fuit abſceſſus, cœpitque ſtatim per ſputum magno impetu expellere pus in magna quantitate, ita vt liberaretur ex toto, nullo remanente pure in thorace; quod totum ei contigit duarum horarum ſpatio.

*Alter caſus, in quo æger liberatus fuit eiectione plurimi puris per ſputum.*

Alter habuit etiam ſigna ſuppurationis in pleuritide exquiſita, & poſt quatuordecimum diem, rupto abſceſſu, repentè ſuffocatus fuit, ipſeque ſtatim ac ſenſit defectum reſpirationis, inclinato capite cupiebat reiicere quidquid vias reſpirationis arctabat; & cùm non potuiſſet, capite decliui, ore puris ſanguini admixti pleno obiit.

*Alter caſus in quo æger multitudine puris fuit ſuffocatus.*

### ANNOTATIO.

C IN noſtra praxi vniuerſali, quid ſit pleuritis, & quæ conducunt ad illius cognitionem, prognoſim, & curationem explicuimus; more tamen hiſtorico nunc eandem rem pertractare cupimus, adducentes hîc, quæ ibi prætermiſimus. Vt tamen propoſitæ rei finem adſequamur, ſcire priùs oportet ex Galeno 2. *aphoriſm. comment.* 19. quod morbus acutus duplex exiſtit; vel enim ſit ab humoribus calidis ſolùm, qui nullum obſedere locum, ſed æqualiter in omnibus animalis partibus ſunt, vt experimur in febre ardenti, aut ſynocho, vel tertiana continuâ, vel in aliquo loco patiente ſit, vt in pleuritide, de qua agimus, quæ per inflammationem ſuccingentem coſtas definitur.

*Morbus acutus duplex.*

Hic etenim morbus, cùm acutus ſit, ad minùs debet habere duo, ex Galeno 2. *aphoriſmorum commentario* 23. & quod ſit magnus, & quod celeriter properet ad ſtatum. His adiungit Galen. 3. *de diebus* D *decretorijs*, ex Archigenis ſententia, quod etiam ſit periculo plenus. Neque propter aliam rationem excluditur à ratione morbi acuti febris ephemera, quæ (ſi rectè rem percalleas) citò terminatur, & eſt etiam morbus magnus ratione partis, quam afficit; ſiquidem proprium, & principaliſſimum ſubiectum febris eſt cor. Similiter eſt morbus magnus ratione propriæ eſſentiæ, cùm poſſit febris diaria ſuſcitari ex magna ſpirituum vitalium inflammatione; quas morbi magni differentias ſimul cum ea, quæ cacoëthes dicitur, proponit Galenus 4. *methodi, cap.* 6. Aduenit morbo acuto periculum, quia magnas, imò & ſubitas facit in noſtris corporibus mutationes, quæ vel criſes, ſeu iudicium ſunt, vel ipſam criſim, ſeu iudicium portendunt, quibus mutationibus vel vires proſternuntur, & ſuperantur à morbo, & ſequitur mors; vel mutatio ad deterius, vel noxiorum

*Pleuritis quid ſit, & an debeat eſſe periculoſa.*

noxiorum humorum fit excretio, ſequiturque ſalus, vel in melius mutatio. Quia ergo longo tempore magnas has mutationes nequit perferre natura, hinc eſt, vt dicat Hippocrates 2. *aphoriſmor. textu* 23. quod acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur. At in caſu à nobis propoſito, pleuritis ægram moleſtans erat morbus exactè peracutus, qui ad quartum diem tantùm terminari ſolet, ex Galen. 2. *de diebus decretoriis, capite* 12. ſæpeque non attingit illum diem, ſed antea terminatur, proptereaque Hippocrates 3. *prognoſticorum, text.* 2. ait: *Simpliciſſimæ febres, ac ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citiùs deſinunt; deterrimæ verò, & ſignis affligentes difficillimis, quarto die, aut citiùs interimunt.*

*Febres mites quandoque malignæ.*

Et *textu* 16. de angina agens aſſerit, quod eadem die, & tertia, & quarta ſtrangulat; talis enim eſt impetus morbi exactè peracuti, vt ipſe etiam teſtatur *eodem libro, textu* 3. Quia ergo pluritis noſtram ægram afficiens erat morbus acutiſſimus, vt eius oſtendebant ſigna, neceſſariò breuiſſimè terminari deberet, neque tot labores ferre quibat natura; vbi enim morbus peracutus eſt, ſtatim extremos labores habet, ex Hippocrat. 1. *aphoriſmorum, textu* 7. atque adeò ob ingentem inflammationem lateris, & doloris intenſionem, & extenſionem verſus ingulum, neque tuſſire, neque reſpirare valebat; quo factum fuit, vt natura laceſſita, & irritata à quantitate, & qualitate humoris, citiſſimè ipſum agitaret, & moueret humorem ad expulſionem, commouitque ipſum die tertia; erat enim illa pleuritis pendens ex bile, quæ de tertio in tertium diem ſuas habet exacerbationes: & quia in die acceſſionis fieri ſolet, ea permutatio facta fuit die tertia; & licèt dies quartus ſit terminus morbi acutiſſimi, cum tamen iſte morbus ſit pendens ex bile tenuiſſima, & ſuam (vt dixi) tertio die faciat acceſſionem, tertius dies ſurripuit criſim. Neque ob aliam cauſam Galen. 3. *de criſibus, cap.* 4. fatetur ſe ſemel tantùm vidiſſe morbum die quarta iudicatum: Archigenes verò bis. Hoc punctum tetigi in praxi, capite de phrenitide, neque opus eſt iterum repetere.

*Quare die tertia fuit commotus humor, & ſubſequuta criſis.*

Facta ergo fuit die tertia ea ſubita mutatio ad mortem, quia illa bilis, quæ decumbebat in pleuram, effrænis cùm fuiſſet, & prauæ conditionis, tempore acceſſionis ita irritauit naturam, ſicuti ſi eſſet humor turgens, quem cùm nequeat ferre natura, cogitur illum expellere, magnoque impetu ad caput impulit, ſeruataque partium rectitudine, quam in ſuis motionibus natura ſeruare ſolet, illum humorem trudit verſus oculum dextrum, vt oſtendebat dolor intenſus oculo ſuperueniens, & remiſſio doloris lateralis; & hoc fuit ſignum euidens metaſtaſis, ſeu tranſmutationis humoris ex vna parte in aliam, qui humor in multa quantitate in caput irruens, non ſolùm dolorem excitauit vehementem, ſed à natura impulſus, oculum è propria ſede dimouere fecit, cauſauitque obſtructionem eius cerebri, & ſubſequenter priuationem ſenſus, & motus, ita vt defectu reſpirationis ocyſſimè periret.

*Apoplexia an fieri poſſit ex bile.*

Dubitari tamen ſolet, an apoplexia excitari poſſit ex bile. Hoc dubium ſolutum eſt in praxi, capite de apoplexia, vbi ex Auicennæ mente diximus, fieri poſſe à quocumque humore, imò & à flatu craſſo,

A & nebuloſo, reiecimuſque ſententiam Fernelij *lib.* 5. *de partium morbis, capite* 3. tenentis contrarium; nam licèt iſte humor ſit tenuis, ſua multitudine poterit cerebri ventriculos, eiuſque ſubſtantiam replere, vt contigit in caſu à nobis præfixo, & aſſignato.

*Quare pleuritici non delirant.*

Iterum dubitatur, quænam eſt ratio, propter quam qui pleuritide tenentur, neque delirio, neque vehementi capitis dolore occupantur; quod frequenter accidere comperimus. Hoc dubium ſoluit Galen. 6. *epidem. ſectione* 2. *commentar.* 42. quem ſequitur Vaſæus; inquit enim, quod perrarum eſt in omni corpore duo aliqua membra æqualiter eſſe debilia; nam in plurimis vnum planè eſſe eiuſmodi deprehenditur, in quo humores colliguntur, & coacerüantur; reliqua verò membra incolumia permanent: quare ſi pectus debile nimis ſit, vel alia quæuis pars, facilè ad ipſam confluunt humores, quibus in ipſa detentis, minùs aliæ offenduntur. Ita accidit B in pleuritide, in qua humores colliguntur in pleura, ibique lædunt, à quibus parum, aut nihil offenditur caput, niſi ſuperueniat caſus, in quo per modum criſis humor trudatur ex pleura ad caput, vt in caſu à nobis aſſignato; vel pleuritis ſit adiuncta alteri morbo, qui in conſenſum trahat caput, vt quando adiungitur febri puncticulari.

*An pleuritici ſint purgandi.*

Neque obſtat Scomphi in Oeniadis hiſtoria, qui pleuritide correptus, ſeptima delirus mortuus eſt, vt refert Hippocrates 5. *epidem. text.* 1. nam ipſe delirauit, quia accepit medicamentum purgans, parumque purgauit; die autem, quo purgauit, erat mentis compos: purgatus autem delirauit, quia commoti humores, & non exeuntes, facilè in nobilem partem feruntur, vbi deteriorem aliquem morbum gignunt. An verò locum habeat medicamentum purgans, vel non in pleuritide, abſoluimus in praxi, capite de pleuritide: pro nunc ſat eſt dicere, quod C in quocumque dolore, ſiue aſcendenti, ſiue deſcendenti, tutius eſt ſanguinem mittere, quàm expurgare, ob rationes, quas ibi inſinuauimus.

*Commodior via ad expulſionem eorum, quæ ſunt in thorace, eſt aſpera arteria, & os.*

Circa alios duos caſus à nobis propoſitos, nulla eſt dubitatio, quod commodior via, per quam ea, quæ in thorace continentur, expelluntur à natura, eſt per pulmonem, & aſperam arteriam, ita vt ſi per vulnus in pectore factum mulſa iniiciatur, vel alter liquor, mox tuſſiendo exſpuitur, & laborans ipſe aquam mulſam, vel alterum liquorem eſſe, ex ſapore deprehendit; eſt enim pulmonis ſubſtantia laxa, & ſpumoſa, & ad recipiendum parata, qui motu thoracis comprimitur, & exprimitur quidquid in pulmone continetur versùs aſperam arteriam, & tuſſi excitata, per ſputum reiicitur. Hanc doctrinam Galenus tradit 4. *de locis affectis, capite* 5. & 5. *de locis affectis, capite* 3. & ab eo omnes accipiunt, co roboraturque quotidianâ obſeruatione. Primus tamen ægrotus erat robuſtus, & ampli pe- D ctoris; quapropter potuit expellere totam illam quantitatem puris ſine ſuffocatione. Alter verò erat debilis, & pectoris anguſti; & cùm ſubitò ruptus fuiſſet abſceſſus, confluxiſſetque pus ad pulmonem, & aſperam arteriam, non potuit illud expellere; atque adeò cum detineretur intra pulmonem, & aſperam arteriam, cohibito pulmone, & obſtructâ reſpirationis viâ, ſuffocatus periit.

LIBER

# LIBER TERTIVS.

## Obſeruationum, Annotationum, Quæſtionum, & Diſputationum ad Philoſophiam, & Medicinæ theoriam, & praxim attinentium.

### DISPVTATIO I.

*Pro quodam Medico familiari, qui deſiderio ſciendi, tutóque curandi ægros, quæſiuit à me, vtrum recidiua ſit vnus, & idem morbus cum ſua radice; ſimiliterque, quid ſit agendum in morbis, dum timor recidiuæ infeſtat.*

*De quo ſit agendum in hac de recidiua tractatione.*

ARDVVM, & difficile nimis eſt inueſtigare, quid ſit faciendum in timore recidiuæ in morbis, an videlicet ſit propinandum medicamentum electiuè purgans, vel aliud quodvis agendum: neque ad alium finem dirigi poteſt tota recidiuæ tractatio, niſi ad opus, circa quod maximè diſſentire ſolent Authores. Nos tamen maioris claritatis gratiâ, antequam punctum practicum attingamus, aliqua prælibabimus, ſine quibus difficultas indiſſoluta manebit. Inquirimus ergo primò, an in morborum recidiua fiat computatio temporum morbi ab ipſa recidiua, vel à primo morbo; quidque recidiua ſit, & quot illius differentiæ, & vtrum recidiua ſit deterior ſua radice, quibuſque ſignis recidiua cognoſci poteſt, aliaque quamplurima, & difficillima circa recidiuam annotabimus, vt ſic ad vltimum propoſitum deueniamus, & quid ſit agendum dum recidiuæ eſt timor, explanemus. Sed quia hæc omnia in controuerſiam ſunt conſtituta, ea more ſcholaſtico diſputabimus, ſicque pro noſtris viribus, precibus Medici familiaris ſatisfacere conabimur. Primò ergo ſequens quæſtio diſcutienda eſt.

#### §. I.

*An in morborum recidiua ſit computatio temporum morbi ab ipſa recidiua, vel à primo morbo.*

HÆC quæſtio ſupponit tractationem vniuerſalem temporum morbi, de quibus annis propè elapſis ſcripſimus in ſcholis. De iis egit Plato *in fine ſui dialogi de natura*, Galenus *libro de morbi temporibus*, & *totius morbi temporibus*, quorum exactam notitiam habere debet Medicus, vt tractationem de recidiua comprehendat; & ſi per tempus licuerit, forſan aliquid de morbi temporibus in ſubſequentibus annuntiabimus, Vt ergo examinemus, quomodo ſit facienda computatio temporum morbi, quando

A adeſt recidiuatio, quæſtio petit, vt priùs ſciamus, an recidiua ſit vnus, & idem morbus cum ſua radice, hoc eſt cum morbo priori, qui intermiſit, vel ſit diſtinctus; nam ſi vnam cum morbo priori facit conſtitutionem, computatio dierum, & temporum debet eſſe vna, vt ait Valleſ. 10. *controu. cap.* 5. Si verò morbus prior ſit à recidiua diſtinctus, computatio dierum recidiuæ, & temporum illius debet eſſe diſtincta à computatione dierum, & temporum prioris morbi: quod maximè conducit ad cognitionem ſtatus morbi, ad victuſque, & remediorum exhibitionem.

*Recidiua quid ſit.*

Vt ergo meliùs quæſitum intelligamus, ſciendum eſt, quod recidiua communiter definitur ſic: *Recidiua eſt morbi iam ſoluti ad eundem relapſus*; & alij dicunt, *eiuſdem ad idem reditus*. Verumtamen qui tenent priorem morbum, & recidiuam diſtingui realiter, conſequenter aſſerunt, recidiuam eſſe reditum ad eundem morbum ſecundùm ſpeciem; qui B verò teſtantur eſſe vnum numero morbum, similiter dicunt, quod per recidiuam prior morbus, qui videbatur ſolutus, manifeſtatur ſenſibus, vt accidit in febre, verbi gratiâ tertiana intermittente, quam dicimus vnum numero morbum conſtituere, licèt inter vnam, & alteram illius acceſſionem euidens non ſolùm remiſſio, ſed intermiſſio eluceat.

*Recidiuæ cauſæ proponuntur.*

Vt clariùs tamen procedamus, recidiuæ cauſas recenſebimus, ſine quarum cognitione quæſtio decidi nequit. Galenus 2. *aphoriſmorum, phraſi* 12. primam, & præcipuam recidiuæ cauſam ſtatuit, humoris ſcilicet praui portionem in corpore derelictam poſt iudicationem; qui humor cùm non ſit nutritioni aptus, à natura derelinquitur; vnde neceſſe eſt putreſieri, præſertim ſi in loco calido, & humido contineatur, & febrem accendere, & morbum reuerti.

Eandem protulit ſentiam 1. *de totius morbi temporibus, capite* 1. inquit enim, quod ſi in morbis, C qui ſubitò ſoluuntur, non fiat copioſa euacuatio, vel abſceſſus inſignis, recidiua eſt timenda: & rationem reddit, quia intra corpus remanent humoris vitioſi reliquiæ, à quibus recidiua conſurgit. *Primo etiam epidem, ſectione* 3. *ægroto* 7. ait, quod cruda, & incocta, dum intra corpus permanent, in recidiuas deflectunt.

Sed quia intemperies, ſeu vitium humoris in qualitate communicatur viuentis partibus, ipſæque manent intemperatæ, ob vitium humoris, ſi talis partium intemperies non emendetur, poterit etiam recidiuam cauſare: neque ob aliam rationem Galen. *libro artis medicinal. cap.* 89. ait, vnamquamque cauſam priùs abſcindere, deinde ad eam, quæ facta eſt, dyſcraſiam peruenire; quæ quidem dyſcraſia remanens

manens in viuentis partibus recidiuare facit, cuius ſigna refert Hippocrates *6. de morbis popul. ſect. 2. text. 20.* vbi ait: *Sitis intus relicta, oris exſiccatio, & inſuauitas, & inappetentia eadem ratione; febres autem non acutæ eiuſmodi ſunt: ſed reuerſiuæ, quæ relinquuntur poſt iudicium, recidiuas facere conſueuerunt, &c.* Quæ ſigna oſtendunt, affectum morboſum recidiuæ cauſam intra latitare, & quod nondum omnimodè intemperies morboſa eſt extincta.

*Multiplex eſt recidiuæ cauſa.*

Ex iis iam habetis, quod non vna, ſed multiplex poteſt eſſe recidiuæ cauſa, propatereaque Hippocrat. *2. aphoriſm. textu* 12. de recidiuarum cauſis agens loquitur in numero plurali, vt denotant illa verba: *Quæ relinquuntur in morbis.* Nam non ſolùm attenditur ad humorem praua qualitate affectum, ſed ad intemperiem, ſeu morbum ab eodem humore proficiſcentem; quod oſtendit Auicenna *fen. 2. libri 4. tractat. 1. capit. 96.* dum ait: *In illo, cuius febris non quieſcit poſt criſim completam, & in die ſuo, timetur recidiuatio.* Poteſt enim febris, etſi parua remanens denuò ſuccendere humores, recidiuamque facere.

*Criſis formaliter quid ſit.*

Neque ad rationem perfectæ criſis ſufficit, quod morbi materia completè euacuetur, ſed etiam quod ſit ſubita mutatio ad ſalutem, in qua formaliter dicimus criſim conſtitui. Quia ergo accidere poteſt, quod morbus ablatâ cauſâ, adhuc perſeueret, vt explicat Galen. *1. prorrhet. comm. 2. text.* 17. exemplo ligni, quando comburitur, in quo tranſactâ combuſtione, & ablatâ illius cauſâ, lignum ignitionem conſeruat, non mirum, quod ante mutationem ad ſalutem, cauſâ completè euacuatâ, remaneat morbus, ſeu intemperies, quæ de nouo diſponat materiam, & recidiuam faciat.

*Obiectio contra dicta.*

Licèt hæc veriſſima ſint, vt clariora euadant, contra ea ſic inſurgo. Sæpè contingit, quod ægri poſt euacuationem aliquam criticam, licèt imperfectam, ita ſe à morbo liberos ſentiant, quod in illis nullum remaneat morbi veſtigium: ergo vt fiat recidiua, non eſt neceſſarius affectus morboſus; hoc autem nos ſæpè obſeruauimus in febribus plurimis ardentibus, in quibus ſuperueniente rigore, & nullâ, aut paruâ ſubſequutâ euacuatione, ægri fuêre liberati, & à febre ſoluti, licèt plures in recidiuam incidiſſent: ergo non eſt neceſſarium, quod in corpore ægri remaneat febris, vel veſtigium illius; atque adeò malè Hipp. tradit ſigna affectus remanentis, dum recidiua expectatur.

*Ad obiectionem reſponſio.*

Reſpondeo, verum eſſe totum id, quod probat argumentum; non tamen ſemper hoc eſt neceſſarium, ſæpè enim accidit, quod æger omninò liberetur ab affectione, ita vt nullum appareat illius veſtigium; quod quidem poſſe contingere, tribus de cauſis docuit Ambroſius Nuñez *lib. 2. aphoriſ. phraſi* 11. Prima cauſa eſt paucitas ipſius humoris poſt euacuationem relicti, qui præ exiguitate paruam, aut nullam in corpore præſtare poteſt actionem, quouſque prauo victu adauctus, morbum, & illius ſigna ſenſibilia redire facit. At ſi æger benè ſe gerat, & nullum circa victum committat errorem, facilè ſine timore recidiuæ liberatur à morbo. Secunda cauſa eſt locus, in quo remanet illa humoris derelicti portio; nam ſi ignobilis ſit, nullum ſenſibile ſignum apparebit: quod autem locus coadiuuare poſſit, docet Galen. *2. aphor. com.* 12. vbi ait, quod ſi humor poſt criſim relictus, ſit in loco calido, & humido, ibi facilè putreſcens febrem redire faciet; ſi tamen humor ille ad ambitum corporis feratur, vt contingit in rigore ſuperueniente in febribus, & ſudore, non eſt potens calefacere cor, & partes internas, donec vel magis putreſcat, vel adaugeatur, aut ſit cordi propinquior, quo tempore recidiuam faciet, niſi natura potens priùs eum abſumere valeat. Tertia

*Quare ante recidiuam febris ceſſat.*

*Nota quæ ſequuntur.*

A denique cauſa eſt tarditas actionis; ſunt enim multa, quæ lentè, & tardè operantur, vt patet in venenis, quæ ſeptica vocantur, quæ multo egent tempore, vt putredinem, & necem inferant, vt oſtendit Galen. *3. ſimplic. cap.* 18. quod etiam conſtat in morſu canis rabidi, cuius venenum intra corpus per multos dies reconditum manet, ita vt ſi canis rabidi ſputum hominis corpus contigerit, poſt ſex menſes in rabiem incidit homo, cùm antea nullâ notâ deprehendi poſſet: pari modo humor in corpore permanens, etſi prauus, & deleterius fuerit, poterit lentè, & tardè operari, donec adauctus, & maiori vitio refertus, lædat partem principem, à qua deinde totum alteretur corpus, & recidiua fiat. Hæc doctrina conſonat Galeni menti *6. de locis affectis, cap. 5. §. Quippe facilè intelligitur à canibus, &c.*

*Plura veneni vim habentia intra viuens manent recondita.*

Sed adhuc animus non acquieſcit; nam ſi natura per criſim maiorem humoris quantitatem fuit potens B expellere, & euacuare, quare non minorem, cùm hæc citiùs, & faciliùs expelli, & euacuari potuiſſet, quâ euacuatâ, nullus eſſet recidiuæ timor.

Dic, quod vt humor aliquis euacuetur, debet ſua qualitate, & quantitate facultatem expultricem excitare, aliter enim non eſſet facultatis expellentis obiectum: at quia non quælibet humoris quantitas, nec qualitas habet rationem obiecti, quia quantitas poteſt eſſe parua, & vltra hoc qualitas remiſſa, & ad benigniorem ſtatum quàm antea redacta, ideò non irritat naturam ad expulſionem, & remanere poteſt intra corpus abſque ſenſibili noxa, quouſque adauctâ quantitate, & qualitate morbus reuertatur, fiatque recidiua.

*Cur natura euacuans multam humoris quantitatem, paruam derelinquit in corpore.*

Præter huiuſmodi recidiuæ cauſas aliam tradunt Authores non minoris ponderis, nempe errorem aliquem, præſertim in victu, per quem etiam morbus protrahitur, vel nouus excitatur, vt docet Galen. *1. de diebus decretoriis, cap.* 1. §. C *Si verò neglexeris, parumque ſtudioſè animaduertas, &c.* Auic. *fen. 2. lib. 4. tractat. 1. capite* 95. inquit: *Recidiuatio euenit errore regiminis, vt dare in potu calefacientia, & medicinas, quibus facilè morbus recidiuare ſolet.* Galenus *9. methodi, capite* 1. inter recidiuæ, & prolongationis morbi cauſas conſtituit Medici imperitiam, & errorem, qui frequenter accidere ſolet; nam ſæpè morbi ſoluuntur cum ſignis perfectæ coctionis, & in diebus decretoriis; & tamen recidiuare ſolent, quia Medici non euacuant medicamento purganti humorem illum, etſi coctum, in corpore derelictum; quo in caſu, cùm ille humor ſit nutritioni ineptus, licèt ad benigniorem ſtatum reductus, iterum poterit putrefieri, & reliquum humorem alterare, & eundem morbum redire facere; nam ſecum continet qualitates morboſas, quibus corpus poteſt infeſtare, & propter hanc rationem Auicenna D *cap. 96. eiuſdem fen.* ait: *Et ſi fuerit quies febris ſine criſi omninò, hoc eſt ſine euacuatione humoris, non eſt excuſatio recidiuationis.*

*Error in victu eſt recidiuæ cauſa.*

Pariter ſi morbus criſi terminatur cum ſignis perfectæ coctionis, & non ſit integrè morbi cauſa à natura euacuata, errabit Medicus, & erit occaſio recidiuæ, ſi dictam morbi cauſam medicamento aliquo non euacuet; nam de nouo poteſt putrefieri, & recidiuam, vel alium morbum cauſare.

Ex his recidiuis, quæ propriè talis dici meretur, eſt ea, quæ morbis præcipuè acutis accidit, qui criſi imperfecta terminantur, & ſine ſignis coctionis, qualis fuit Anaxionis pleuritici, de quo refert Gal. *lib. 1. de criſibus, cap.* 18. quod habuit recidiuam, quia criſim perfectam habuit, & ſputum non coctum integrè. Propter eandem rationem reprobat Hippocrates *4. aphoriſm. text.* 36. ſudores, qui febricitantibus in diebus non decretoriis ſuperueniunt.

*Recidiua legitima quæ dicenda?*

niunt, de quibus aſſerit, quod ſignificant recidiuam, laborem, vel morbi longitudinem, quia neque fiunt in diebus decretoriis, neque cum ſignis ſolutionis; quod ipſe etiam voluit 3. *prognoſtic. text.* 22. dum ait: *Si febris deſinit, non cum indiciis ſolutionis, neque in diebus decretoriis, recidiuam expectare oportet.* Vbi Galenus in commentario inquit, quod in diebus decretoriis, ſi quæ non ex ratione leuant, accidunt, recidiuam expectabimus. Requiritur ergo ad legitimam recidiuam, quod morbus prior videatur intempeſtiuè ſolutus, mediâ aliquâ euacuatione, ſiue ab arte, ſiue à natura fiat, ratione cuius minutâ morbi materiâ, vel aliundè tranſmiſsâ, morbus delitescat, donec adueniente recidiuâ, ipſe ſuſcitetur morbus, de quo dubitatur, an ſit idem numero morbus cum vera recidiua, an verò ſit ſolummodò vnus ſecundùm ſpeciem; nam de aliis recidiuis ex errore prodeuntibus, non dubitatur, quod à radicali morbo diſtinguantur, & quod dierum computatio non debeat fieri à prioris morbi inſultu.

*Quæ requirantur ad legitimam recidiuam.*

## §. I.

### *An recidiua ſit idem numero morbus cum priori.*

PRima ſententia tenet, recidiuam non eſſe vnum numero morbum cum ſua radice identitate effectus, ſed potiùs identitate cauſæ, ita vt ex reliquiis materiæ morbi antecedentis recidiua fiat, quæ tamen numero diſtinguitur à priori morbo. Sed quia cauſa, quæ morbum parit, eſt duplex, coniuncta ſcilicet, & antecedens; coniuncta in ipſis acceſſionibus, ſeu paroxyſmis conſumitur, præter illud cineritium derelictum in parte, vbi putreſcit humor; ideò eſt vnus ſecundùm identitatem cauſæ antecedentis, quæ apta manet coqui, & putrefieri, ita vt ab illa producatur recidiua, quæ eſt ſimilis morbo priori; nam ſi alter morbus ſpecie diſtinctus à præcedenti producitur ex illa materia, vt ſi v. g. producatur quartana febris præcedente tertiana, non dicitur recidiua, quia non eſt in eundem morbum relapſus, ſed in ſpecie diſtinctum. Debet ergo recidiua eſſe idem morbus ſpecie, ſaltem cum radice. Hanc ſententiam probat Conciliator *different.* 109. pluribus rationibus, ex quibus ſubtiliores adducemus.

Primò, nam corruptum non poteſt redire per naturam: ſed dum aduenit recidiua, morbus prior eſt corruptus: ergo non poteſt redire: ergo neque recidiua eſſe idem numero morbus cum illo.

Secundò, ad vnitatem accidentis non ſolùm requiritur vnitas ſubiecti, ſed etiam temporis, vt patet in vnitate motus, qui ſi interrumpatur per aliquod tempus, etiamſi motus ſimilis poſteà iterum fiat, non poteſt continuare vnum numero motum cum priori; ſed inter morbum priorem, & recidiuam datur tempus intermiſſionis, in quo non eſt morbus: ergo recidiua ſuperueniens non poterit conſtituere eundem numero morbum cum priori.

Tertiò, vt qualitas producta per motum alterationis ſit vna numero, petit fieri motu numericè vno: at recidiua producitur per motum diſtinctum à motu, per quem prior morbus fuit productus: ergo recidiua eſt diſtinctus morbus à priori. Denique dum aduenit recidiua, aut morbus prior eſt extinctus, vel non. Si primum: ergo recidiua ſuperueniens non poteſt eſſe idem numero morbus cum illo, vt diximus in primo fundamento. Si ſecundum, non datur recidiua, ſed ſolùm eiuſdem morbi prioris continuatio; quo tempore neque erit diſtinctio numerica, neque ſpecifica eiuſdem ad idem: neque po-

A terit dici recidiua, cùm non ſit reditus eiuſdem ad idem, neque ſecundùm numerum. Concluditur ergo, quod recidiua ſit idem numero morbus ſecundùm ſpeciem cum morbo priori, & hoc modo venit intelligenda recidiuæ definitio.

His tamen non obſtantibus, ſit concluſio. Morbus primus, & recidiua ſunt vnus numero morbus, non ſolùm vnitate materiæ, ſeu cauſæ, ſed etiam vnitate affectus. Hæc concluſio traditur à Valleſ. 10. *controuerſ. cap.* 5. à Ludouico Mercato *libro* 3. *de morbis, parte* 2. *claſſe* 4. *de ſignis criticis*, ab Ambroſio Nuñez 2. *aphoriſm. comment.* 12. quam amplectitur Conciliator *diff.* 109.

*Morbus prior eſt idem numero morbus cum recidiua.*

Vt hæc concluſio intelligatur, notare oportet primò, quod materia remanens poſt criſim imperfectam, quâ fuit ſolutus primus morbus, intra corpus retinet qualitates eaſdem, quas antea, quarum ratione ad recidiuam diſponit; & propterea dicimus, *quæ relinquuntur in morbis poſt iudicium recidiuas facere.* Atque adeò morbus primus, & recidiua B ratione identitatis materiæ ſunt vnus numero, quia materia eſt vna: quod neque aſſertores primæ ſententiæ negare poſſunt; negant tamen, quod ſecundùm affectus identitatem vnus numero affectus ex morbo priori, & ex recidiua fiat.

Secundò noto, quod morbus prior, & recidiua faciunt vnum numero morbum diſcretum, & diſcontinuum; & ſicuti in noſtro tractatu de febribus diximus de quauis febre intermittenti, ex eius acceſſionibus temporis interuallo diſſidentibus fieri vnum numero morbum, intermittentem tamen, pari ratione philoſophandum eſt de recediua, & morbo priori, ex quibus, tanquam ex duabus partibus integralibus fit, & conſtituitur vnicus morbus à principio in finem, cum intermiſſione. Quod ſi dicas illam materiam habere qualitatem morboſam, qua malè diſponit ſubiectum, atque adeò ratione C qualitatis illius morbum eſſe continuum.

*Recidiua & morbus prior faciunt vnū morbum intermittentem, & diſcretum.*

Reſpondeo, quod licèt phyſicè remaneat idem numero morbus, quia illa materia retinet qualitatem morboſam, calorem ſcilicet præter naturam, non tamen eſt ſufficiens producere morbum medicum, qui ex ſe ſenſibiliter habet lædere actiones; nam illa qualitas, vel manet remiſſa, vel materia, in qua ſubiectatur, eſt ſeparata nimis à corde, ita vt ſuo calore non producat febrem, quam antea, dum erat cordi proximior, producebat. Si verò accidentia morbi prioris manifeſtantur, vt oris ſiccitas, ſitis, cibi inappetentia, & alia huiuſmodi, nullus dubitabit, quod morbus prior non eſt ſolutus integrè: quare ſi incrementum accipiat morbus, ità vt imitetur recidiuam, non tamen reuerà talis dici poteſt, quia eſt vnus, & idem numero morbus continuus à principio in finem. De hoc ergò morbo non dubitamus, ſed de illo morbo, qui materiâ crudâ exiſtente euanuit, & præter rationem ſolutus fuit.

*Morbus phyſicè rigorosè, non eſt morbus medicè.*

D Tertiò noto, quod non omnia habent eandem vnitatem, vt poſſint vnum dici, vt patet in quantitate continua, & in quantitate diſcreta; nam vt quantitas continua ſit vna, petit ſuas partes copulatas termino communi; diſcreta verò, vt ſit vna, petit ſuarum partium diſcretionem, quæ quidem non tollit vnitatem, imò perficit illam, vt patet in numero ternario, qui tribus vnitatibus diſiunctis vnum numerum conſtituentibus conflatur. Pari modo philoſophamur in morbis aliquibus, inter quos morbus prior, & eius recidiua vnum morbum conſtituunt diſcretum.

*Non omnia habent eandem vnitatem.*

His ſuppoſitis facile eſt probare concluſionem eiſdem rationibus, quibus probauimus *lib.* 3. *de cauſis febrium, q.* 9. quod tempus interualli in febribus intermittentibus eſt verè morbi tempus. Probatur ergo primò;

*Probatur quod morbus prior & recidiua faciunt*

*vnum morbum diſcretum.*

primò; nam ſi morbus prior, & recidiua non conſtituunt vnum numero morbum, maximè propter tempus interualli inter vtrumque, in quo prior morbus non manet, & recidiua nondum eſt: at hoc non tollit, vt conſtituant vnum numero morbum: ergo morbus prior, & recidiua illum conſtituunt. Maior de ſe patet, minor probatur; nam interualli tempus in febre intermittenti non tollit, quod ex pluribus acceſſionibus intermittentibus fiat vnus morbus: ergo neque interualli tempus inter priorem morbum, & recidiuam.

Secundò probatur. Ideò dicimus febrem intermittentem eſſe vnum morbum, quoniam eius materia vniuerſalis eſt identicè vna, & acceſſio ſubſequens eiuſdem naturæ cum priori: ſed materia primi morbi, & recidiuæ eſt identicè vna, & recidiua eſt eiuſdem naturæ cum primo morbo: ergo prior morbus, & recidiua faciunt vnum morbum.

Tertiò probatur ex Galen. *lib.2. de diebus decret. capit.5.* vbi ait, ex recidiua, & radice vnum fieri morbum chronicum, quæ ſeparata duos faciebant acutos.

Tandem probatur; nam in morbis intermittentibus intermiſſio eſt de conceptu eorum intrinſeco; nam morbus intermittens nequit concipi ſine intermiſſione, ſicuti neque continuus ſine continuatione: ergo recidiua, & morbus prior nequeunt eſſe ſine illa: ergo potiùs per tempus interualli, & intermiſſionis conſtituuntur in eſſe morbi intermittentis, quàm quod intermiſſio tollat illius vnitatem; ac per conſequens prior morbus, & recidiua ſunt vnus, & idem numero morbus.

*Ad argumenta reſponſiones.*

Argumentis ſic ſatisfacio. Ad primum, quod morbus primus eſt corruptus ſecundùm partem, non tamen ſecundùm totum. Quod ſi dicas, non remanere morbum? Reſpondeo, non remanere morbum continuum, benè tamen diſcretum, & intermittentem.

Quod ſi iterum obiicias: Si tempore intermiſſionis eſſet morbus, læderet actiones, quod eſt falſum. Dic quod læderet actiones, ſi eſſet morbus continuus, non tamen lædit tunc actiones, quia eſt diſcretus, ſeu intermittens.

Ad ſecundum reſpondetur, quod ad vnitatem accidentis continui requiritur vnitas temporis, non verò ad vnitatem accidentis diſcreti, & intermittentis.

Ad tertium dic, quod qualitas continua petit fieri vnico motu continuo, intermittens verò neutiquam; nam accidentia diſcreta vnum numero accidens conſtituentia, non fiunt per vnum numero motum continuum, ſed diſcretum.

Ad vltimum reſpondetur, quod dum aduenit recidiua, morbus prior nondum eſt extinctus, ſed intermittens, & ſic recidiua ſuperueniens facit cum priori morbo morbum intermittentem; & licèt non ſit extinctus, non tamen recidiua continuatur cum illo, ſiquidem eſt cum intermiſſione. Reliqua pete in noſtri placiti confirmationem ex loco præallegato de febribus.

## §. II.

### *Computatio dierum in recidiua, & priori morbo debet eſſe vna.*

EX iis facillimè poteris ſatisfacere quæſtioni; ſi enim recidiua eſt vnus morbus cum ſua radice, dierum computatio neceſſariò debet eſſe vna, atque adeò non debet fieri à die recidiuæ. Hoc comprobat Galen. *lib.2. de diebus decret. capit.5.* vbi ex morbo acuto, & recidiua vnum chronicum morbum fieri docet, & eiſdem diebus decretoriis iudicari. Idem ſentiunt Vallеſ. Merc. & quicumque dicunt vnum eſſe morbum; idque pluribus Hippoc. teſtimoniis comprobari poterat. Ratio etiam ad id ſuadet; nam materia in primo morbo, & in recidiua, ſe habet ſicuti materia in vna, & altera acceſſione febris intermittentis: ſed febris intermittentis computatio eſt vna: ergo, & primi morbi, & recidiuæ computatio erit vna. Non ob aliam rationem dicimus, quod febris intermittens (vt tertiana) eſt vna à principio in finem, niſi quia eſt materia vna, & eſt affecta eadem qualitate, per quam producitur acceſſio ſimilis præcedenti. Hoc totum accidit in caſu recidiuæ, in qua manet materia cum eadem diſpoſitione, & per quam producitur affectio ſimilis præcedenti, & fit vnus morbus intermittens. Si verò recidiua ſuperueniat ratione alicuius erroris, tunc quidem benè poteſt contingere; imò plerumque accidit, quod recidiua ſit à prima morbi radice diſtincta, quo tempore computatio fieri debet à die recidiuæ, non verò à die inuaſionis prioris morbi.

## §. III.

### *An recidiua ſit deterior ſua radice.*

HÆc quæſtio pertinet etiam ad partem medicinæ prognoſticam, imò & ad therapeuticam; debemus enim cognoſcere bonitatem & malitiam recidiuæ, vt ſciamus remedia adhibere ad illius ablationem, futurumque prædicere euentum. Communiter etenim noſtro vulgari ſermone dici ſolet, *peor es la recayda que la cayda.* Hoc ergo in præſenti in examen ſubit. Quod autem ſit deterior, docet Auic. *fen.1. lib.4. tract.4. cap.20.* vbi ſic: *Recidiuatio eſt deterior ſuâ radice.* Idem Gentilis *in comm.* & probatur primò; nam læſio alteri adiuncta læſioni, ægrum magis proſternit: ſic accidit ægro in recidiua, per quam læſio recidiuæ ſuperuenit, & adiungitur læſioni prioris morbi: ergo recidiua eſt deterior. Secundò recidiua ſuperuenit ægro iam debili exiſtenti, quia præceſſit conturbatio materiæ morbificæ, eius euacuatio, & ſimul virium reſolutio ex conturbatione, & euacuatione ſuborta; quibus omnibus ſuperuenit recidiua, quorum ratione debet neceſſariò eſſe deterior. Tertiò, quando natura eſt debilis, minùs poteſt morbum debellare, quàm dum eſt fortis, & vehemens; hoc autem contingit in recidiua reſpectu virium in priori morbo: ergo minùs poterit euincere illum, ac per conſequens eſt deterior; præceſſit enim prior morbus illius ſymptomata, & alia antea connumerata, quæ vires deiiciunt, quibus debilior redditur natura, atque adeò recidiua ſuperueniens eſt priori morbo deterior.

In contrarium videtur eſſe Galenus *lib.1. de diebus decretoriis, cap.1.* vbi expreſsè aſſerit, quod ſi nullus committatur error, & morbus prior quieſcens exiguus fuerit, non reuertetur; ſi verò fuerit malignior, redibit, non tamen cum ſummo diſcrimine. Quod & rationibus ſuaderi poteſt.

Primò, nam minoratâ morbi materiâ, morbus mitior redditur; ſed ante recidiuam fuit morbi materia minorata, per criſim ſaltem imperfectam: ergo recidiua, quæ eſt morbus ſuperueniens, erit mitior.

Secundò, non implicat, quod recidiua fiat ex leui errore commiſſo, vel cauſæ paucitate, ita vt facilè corrigatur: ergo non eſt abſolutè dicendum, quod eſt ſua radice deterior.

Tertiò, & vltimò plus poteſt influere multitudo cauſæ, quàm paruitas illius: ſed in priori morbo adeſt multitudo cauſæ, ſiquidem nondum eſt

euacuata

euacuata per criſim; in recidiua verò eſt paruitas illius, quia iam ſupponitur magna cauſæ portio euacuata: ergo in priori morbo plus poterit influere, ac per conſequens magis lædere, ita vt prior morbus ſit deterior, recidiua verò mitior.

*Veritas quæſtionis explicatur.* Ex iis iam apparet conſtituta controuerſia; ſed vt certa ab incertis ſeparemus, dico primò, quod recidiua rigoroſè ſumpta, quæ à cauſa intrinſeca, & non ex errore prouenit, duo habere poteſt; vel quod fiat præcedente morbo in ſua radice maligno cum prauis ſymptomatibus, quibus natura debilis redditur, ita vt adueniente recidiuâ natura ob imbecillitatem à prima morbi radice contractam, & denuò ex ipſa recidiua contrahendam non valeat recidiuæ accidentia tolerare, neque materiam benè diſponere, & concoquere; proptereaque hæc recidiua cenſenda eſt ſuâ radice deterior, & de hac loquitur Auicenna loco præallegato, dum aſſerit, quod recidiuatio eſt deterior ſua radice. Vel quod morbus in ſua radice non ſit ita malignus, & vires non multùm deiiciantur ex vi, & efficacia morbi, & aliorum accidentium; tuncque recidiua non eſt cum ſummo diſcrimine, neque deterior; nam morbi materia eſt minor, eius qualitas mitior, & ex parte naturæ virtus eſt ſufficiens ad vincendam materiam morbificam, & debellandum morbum. De hac recidiuæ ſpecie loquitur Galenus loco etiam citato, vbi ait: *Si morbus prior quieſcens exiguus fuerit, non reuertetur; ſi verò malignior, redibit, non tamen cum ſummo diſcrimine, &c.* Nam vires validæ medicis auxiliis adiutæ poterunt eam frænare malignitatem, & vincere.

Dico ſecundò, quod recidiua adueniens ex errore, ſi Auicennæ mentem ſequamur, ſecurior, & ſaluior eſt, quàm ea, quæ per ſe aduenit. Ita ipſe *fen.2. lib.4. tract.1. cap.95.* quem ſequitur Conciliator *differ.90.* ratio ab ipſo traditur, nam dum aduenit ex cauſa exteriori, & error facilè cognoſcitur, poterit ſimiliter faciliter emendari. Sed hic dicendi modus diſplicet, plures enim morborum occaſiones, & cauſas cognoſcere ſolemus, quibus difficilè nimis obſiſtimus, neque eas auferre valemus, imò neque eorum effectus impedire.

Vlteriùs cùm recidiua ex errore conſurgens alterum morbum conſtituat, cuius etiam dierum computatio eſt diſtincta à computatione dierum primi morbi, & materia, ex qua procedit, denuò concoqui, & putrefieri incipiat, nemo ſanæ mentis poterit ex recidiua ex errore pendenti ſecuritatem promittere; & cùm plures periclitari videamus ex recidiua ob errorem cauſata; ideò Galen. 1. *de diebus decretoriis, capit.1.* ait: *Si aliquis error committatur, multò grauior, quàm antea euadet.* Demùm cùm plures errores committantur, & errores aliqui ſint aliis deteriores, alij toleratu faciliores, & aliqui, qui facilè, alij qui difficilè corrigi, & emendari poſſunt, impoſſibile iudico, quod recidiua omnis ex errore procedens ſit ſaluior, & incolumior eâ, quæ per ſe, & non ex errore regiminis ortum habet: cum hoc tamen poteſt contingere, quod error ſit leuis, & morbus ab eo ſuſcitatus ſuperetur facilè. Hæc quæſtio ex dictis manifeſta euadit, ex argumentorum tamen ſolutione magis elucidabitur.

*Errores plures recidiuam facientes.*

*Ad argumenta reſpondetur.* Ad Auicennæ Authoritatem reſpondetur, quod Auicenna ibi loquitur de recidiua ex morbo malignantis naturæ, vel magnis ſymptomatibus vexante, vireſque profternente, quæ ob debilitatem contractam nequeunt ferre laborem denuò ex recidiua prodeuntem. Et eodem modo reſpondetur ad locum Gal. *ex 1. de diebus decretor.* Ad primam rationem reſpondetur negando, quod vna læſio alteri



A adiungitur; nam inter morbi radicem, & recidiuam datur tempus interualli, in quo non apparet ſenſibilis læſio; quo tempore natura recreatur, ita vt poſſit reſiſtere recidiuæ ſuperuenienti.

Ad ſecundam reſpondetur, non ſemper recidiuam ſuperuenire naturæ exiſtenti debili, quia vires valentes manere poſſunt, radice morbi pergreſſa, aut tempore interualli reſtaurari poſſunt, ita vt recidiuam aduenientem facilè ſuperent.

Ad tertiam rationem reſpondetur, quod dato caſu, quod in recidiua vires ſint magis debiles quàm in priori morbo, ſeu radice; facta tamen comparatione ad ipſam recidiuam poſſunt eſſe fortes; vires enim tunc potiùs debent comparari ad recidiuam, quàm ad morbi radicem, qui præceſſit; & licèt vires debiles quodammodò exiſtant, poſſunt tamen eſſe ſupra morbum recidiuantem. Ex iis colligitur, quod non omnis recidiuatio eſt deterior ſuâ radice, & quod Auic. ſententia non eſt abſolutè prolata de
B omni recidiua.

Ad fundamenta alterius ſententiæ, quæ probabat recidiuam eſſe ſuâ radice mitiorem? Reſpondetur, & primò ad Galeni authoritatem, quod loquitur de morbo, qui bono vitæ regimine corrigitur, de quo aſſerit, quod ſi recidiua ſuperueniat, erit cum minori diſcrimine; non tamen negat, quod non poſſit eſſe deterior.

Ad primam rationem dic, quod minoratâ materiâ morbus non ſemper mitior redditur; nam licèt materia ſit minor, poterit intenſiorem putredinem, & malignitatem comparare, & ægrum perdere.

Ad ſecundam dic, quod recidiua poteſt fieri, vel ex paucitate materiæ, vel ex leui errore, quo tempore non erit deterior: at quando cauſa eſt maior, vel malignior, aut error commiſſus magnus, tunc recidiua erit peior.

Ad vltimam reſpondetur, quod ſi multitudo
C cauſæ habet qualitatem, per quam influit, magis, vel æquè intenſam, quàm eam, per quam influit paruitas materiæ, ſeu cauſæ, poterit quidem plus influere, vt de ſe patet; nam vt Philoſophus ait, quantitas materiæ iuuat ad actionem; tamen ſi materiæ paruitas habet qualitatem magis intenſam, per quam influat in effectum, magis intenſè operabitur. Quia ergo in recidiua materia morbifica magis putreſcit, quàm antea, & ſæpè malignior redditur, fortiùs operatur, morbus intenditur, & accidentia creſcunt, ideò poteſt eſſe fortior, & deterior ſuâ radice.

## §. IV.

### *De ſignis recidiuam annuntiantibus.*

EX præcedentibus notum fit, quod recidiuam timere debemus, eam tamen ſignis quibuſdam an-
D tecedentibus priùs comprehendere conabimur. Attamen quia antequam ſuperueniat recidiua, remittitur febris, imò & accidentia omnia, ita vt æger quietus exiſtat, ſicuti ſi eſſet in declinatione vniuerſali; ea tamen quies eſt infida, eamque ſpernere debemus: nam neque durare, neque permanere poteſt; ideo oportet diſtinguere declinationem morbi vniuerſalem ab hac infida, & non vera declinatione, in qua ſpectatur recidiua; quam differentiam Gal. conſtituit 3. *de criſibus, cap.9.* nam in declinatione vniuerſali morbus eſt euictus, materia eſt perfectè cocta, pulſus fit vehementior, æqualior, & ordinatior, licèt ob pugnam antecedentem aliquam debilitatem, & inordinationem reciperet. In apparente declinatione, ſeu non vera, contraria eueniunt: quod ſi pulſus reſtauretur, facilè etiam bonitatem

*In quibus diſtinguitur declinatio vera, & vniuerſalis ab infida & falſa declinatione.*

amittit; & licèt in declinatione vniuerſali morbi omnia hæc ſuperueniant, quia natura habet victoriam ſupra morbum, & illius cauſam, quibus euictis non mirum, quod omnia, quæ ſunt præter naturam in noſtro corpore remittantur; tamen nondum notum eſt, quid ſit in cauſa, vt in non vera declinatione, ſed apparente accidentia etiam omnia remiſſa appareant, ita vt repræſentent declinationem, & ſæpè decipiantur non ſolùm ægri, & aſſiſtentes, imò & ipſi Medici; & dum promittebant ſalutem, extra omnem ſpem ægri breuiſſimè pereunt, vel ſuperuenit recidiua, quæ in deterius mutat ægrum.

*Falſæ declinationis cauſæ proponuntur.*

Falſæ, & apparentis declinationis cauſas propoſuimus in noſtro tractatu manuſcripto de morbi temporibus; ad cognitionem tamen recidiuæ, & eorum, quæ ægris ſuperuenire poſſunt, eas iterum repetemus, quas tradunt Gentilis *fen.* 1. *lib.*4. *tract.*1. *cap.*3. Concil. *diff.*107. quarum quaſdam refert Matamor. *lib.*1. *de febribus*, *tract.*2. *diſput.*5. quæ ſunt in multiplici differentia. Frequentiorem cauſam proponit Galenus reſpectu eorum, qui dum morti ſunt proximi, meliùs ſe habent, 3. *epidem. ſectione* 1. *comment.*8. aſſerens eſſe extinctionem caloris natiui, ex cuius defectu neque coctiones celebrantur, neque naturæ actiones fiunt, ægerque manet quietus, & ſine dolore, eo modo, quo deficere ſolent in inflammatione in gangrænam migrante, in qua neque dolor, neque calor percipitur, & ſi qua febris eſt, remittitur; & tamen pars inflammata cum his conditionibus vità deſtituitur; tamen dum calor naturalis in parte inflammata vim habet, tunc fit ſupuratio, & dolores, ac febres fiunt. Eodem ergo modo eſt philoſophandum in declinatione falſa, in qua debilitatur calor naturalis, ita vt non agat in materiam morbificam, neque illam moueat, ægerque quietus, ac placidus appareat, quo tempore mors proxima eſt. Secunda cauſa eſt vltimus naturæ conatus, propter maximum periculum; ſicuti enim lucerna extinctioni proxima ſolet ſplendere, propter validam olei attractionem; ita natura in ſummo diſcrimine poſita, in aliquibus actionibus conatum vltimum apponit, præcipuè in attrahendo ſpiritus vitales ad cor, ita vt actionem pulſificam vehementiorem eliciat, taliter vt meliùs ſe habere videatur; facilè tamen reſolutis ſpiritibus, ſimul cum pulſu vita deficit. Tertia cauſa eſt, quando pars tenuior materiæ morbi conſumitur, & ſymptomata remittuntur, remanente craſſiori, ſed non euicta: hoc modo ſæpè ſæpius vidi quaſdam febrium remiſſiones ſine vlla ſecuritate. Idem accidere comperimus, quando phrenitis abſumpto tenui humore, vel ad maiorem craſſitiem redacto, tranſit in lethargum, in quo febris mitior percipitur, & quando inflammatio in tumorem ſcirrhoſum degenerat. Quarta cauſa eſt, quando humor faciens febrem ante coctionem, criſi imperfecta ſecundùm aliquam partem euacuatur, remanente alia cruda, & incocta, quæ poſtea in recidiuam incidere facit. Quinta cauſa eſt, quando humor febrem accedens permutatur in membrum nobile, quo tempore remittitur noxa, & infeſtatio prima, & nondum percipitur altera, & tunc leuiùs ſe habere videtur, quando morbus lethalior ſuccreſcit. Sexta quando virtus inter pugnandum defatigatur, & ſimul cum morbo, ſpiritibus animalibus, atque vitalibus abſumptis, æger paulatim deficit; tuncque dicitur morbus curatus, & æger perit, vt docet Gal. 2. *de arte cur. ad Glauc. cap.*2. quam victoriam Gentilis cadmicam vocat, cuius meminit Gal. 1. *de diebus decret. cap.* 6. Septima cauſa deſumitur ex Gal. *de totius morbi tempor. cap.*7. vbi ait, quod in morbis complicatis in vnius declinatione mors accidit, non tamen ex vi declinationis illius, ſed ex alterius morbi augmento. Denique virtus robuſtior reddi ſolet in declinatione apparenti, propter iuſcula, & alia, quibus firmior virtus apparere ſolet; non tamen perſeuerat, nullumque ſecuritatis ſignum elucet, ideóque illi non eſt fidendum; & propterea Auicenna *fen.*1. *lib.*4. *tract.*1. *c.*4. ait, & tunc non confidas in hoc, ſed an magnificetur pulſus, & fortis fiat.

Dum ergo aliqua horum apparent, debemus timere vel recidiuam, vel mortem, quia hæc omnia fiunt ſine ſignis coctionis, neque aliquod horum oſtendit victoriam naturæ ſupra cauſam morbificam; quod eſt neceſſarium, vt morbus ſit in vera declinatione vniuerſali, vt docet Galen.3. *de criſibus, cap.*5.6. & 9. in quo omnes conueniunt. Verumtamen cùm plures ſint recidiuæ ſpecies, de omnibus ſigillatim ſigna ſunt referenda; incipiemus tamen à vera, & legitima recidiua, quæ primum obtinet locum.

*Legitimæ recidiuæ conditiones explicantur.*

Eſt enim legitima recidiua, quando vnum eſt mobile à principio morbi in finem, hoc eſt vna materia vniuerſalis, vnus motus, & vna forma per motum producta. Eſt enim vna materia, quia diximus, quod recidiua pendet ab eadem materia, à qua pendet eius radix, ſeu prior morbus, ita vt recidiua, & prior morbus ſit vnus identitate cauſæ. Eſt etiam vna forma, quia illa materia eſt eadem labe, ſeu morboſa qualitate fœdata, licèt tempore intermiſſionis non eluceat, vt conſpicimus in febribus intermittentibus. Eſt etiam vnus motus, qui terminatur ad qualitatem illam morboſam. Dico ad qualitatem, non ad morbum, quia vt ſuo loco probauimus ex Ariſtot. mente, ad morbum, & ſanitatem non datur per ſe motus. Itaque ad veram recidiuam non ſufficit materia ſolùm, nec qualitas morboſa, ſeu calor febrilis, ſed materia illa ſimul cum calore; & propter hanc rationem Hippocrates agens de recidiua non dixit, quod relinquitur in morbis: *Sed quæ relinquuntur recidiuas faciunt*; inſinuans, quod ad recidiuam veram requiruntur duo ſaltem, nempe materia morbifica, & ipſa qualitas morboſa, ſeu morbus productus per illam; vtrumque enim optatur ad veram recidiuam.

*Ad morbum & ſanitatem non datur per ſe motus.*

*In quo differunt recidiua, morbus reuerſiuus, & conuerſiuus.*

Ante tamen, quàm recidiuæ ſigna proponamus, notare oportet differentiam inter recidiuam, & morbum reuerſiuum; nam recidiua (vt diximus) conſtituit vnum morbum intermittentem cum priori morbo; at verò morbus reuertens, eſt morbus vnus, continuus cum priori, qui propter cauſæ prioris morbi imminutionem, aut propter alias cauſas, quibus alleuiari ſolet, minuitur; non tamen aufertur ad ſenſum, vt accidit in timore recidiuæ: quapropter dum ille morbus poſt alleuiationem notatu dignam ſuſcipit incrementum, reuertens, ſeu reuerſiuus dicitur, de quo loquitur Hipp. 6. *epidem. ſectione* 2. *textu* 21. dum ait: *Febres autem non acutæ eiuſmodi ſunt, ſed reuerſiuæ.* Conueniunt tamen in hoc, quod morbus reuerſiuus, & recidiua ſunt vnus morbus cum ſua radice; diſcrepant verò, quia recidiua, & morbus primus vnum morbum diſcretum conſtituunt; reuerſiuus, & eius radix vnum morbum faciunt continuum, & vterque differt à morbo conuerſiuo; nam ad rationem conuerſiui ſufficit quod alius producatur morbus ſpecie diſtinctus à priori, vt quando febris ſoluitur, & abſceſſus erumpit. Circa hanc difficultatem legite Doctiſſimum Merc. *lib. de morbis*, *parte* 2. *claſſe* 4. *de ſignis criticis.*

*Signa legitimæ recidiuæ proponuntur.*

Præter legitimam recidiuam à nobis adductam, dantur (vt dixi) aliæ, quarum ſigna ſimiliter tradere oportet; tamen in quo conſiſtant, diximus ſuprà

ſuprà recidiuæ cauſas connumerantes. Exordium ergo ſumentes à legitimæ recidiuæ ſignis, dignoſcitur quia morbus prior videtur extinctus, eo quod præceſſit aliqua euacuatio materiæ morbificæ, ſiue ea euacuatio fiat in die decretorio, vel non; non tamen fuit ſufficienter talis morbi materies euacuata, neque cum ſignis coctionis, imò remanet materiæ pars craſſior cruda; neque fit abſceſſus aliquis inſignis, qui eam materiam contineat; quo tempore timere oportet veram recidiuam: manet enim intra corpus humor, qui poterit in dies magis putrefieri, & humorem, qui ex alimento gignitur, eadem labe fœdare, vt apertè oſtendit Galen. 1. *de diebus decretor. capite* 1. atque adeò Hipppocrat. 3. *prognoſt. text.* 22. ait: *Si febris deſinit, non cum ſignis ſolutionis, neque in diebus decretoriis recidiuare ſolet.* Vbi Galen. in commentario addit: *Quæ enim non ex ratione leuant, recidiuam faciunt, quamquam id accidat diebus decretoriis.* Idem comprobat Hippocrates 2. *aphoriſm. textu* 27. dum ait: *His quæ non ex ratione leuant, non oportet, &c.* Nam ſi morbus vehemens inuadit, moxque ſubitò quieſcit, corpore non ſufficienter euacuato per ſudorem, aut per vomitum, aut per alui profluuium, aut aliter, ſed ne viſo quidem ſigno coctionis, vt certum tenendum eſt, talem quietem eſſe infidam, & quod non poteſt multùm permanere; timereque debemus recidiuam, vt omnes fatentur. Pari ratione in febribus ardentibus ſolent ſuperuenire rigores, quibus æger leuiùs ſe habet, & ſæpè liberatur à morbo, iuxta dictum Hipp. 4. *aphor. text.* 52. dicentis: *A febre ardente habito rigore ſuperueniente ſolutio.* Hæc tamen morbi ſolutio non eſt fida, niſi bilis, quæ per membra ſentientia defertur, euacuetur, vt deducitur ex Gal. *in illius text. com.* intra corpus enim detenta recidiuam facere ſolet; ſæpè tamen bono vitæ regimine inſtituto euinci ſolet, præcipuè cùm prior morbus ſit boni moris, vt nos experti ſumus in plurimis ægris. Quod ſi tempus autumnale fuerit, magis recidiua eſt timenda ob temporis inæqualitatem, materiæ morbificæ heterogeneam naturam, & ob virium languorem, qui contrahitur ex calore æſtatis præcedentis, & ex autumni inæqualitate, vt docet Auicenna *cap.* 96. *cit.*

*Autumno magis recidiua eſt timenda.*

Aduertere tamen oportet, quod ſi puer aliquo morbo corripitur acuto, & nulla euacuatione præcedente morbus illius ſubitò ſoluatur, non inde ſemper eſt timenda recidiua, præſertim ſi ſomno alto, & longo detineatur; nam inſenſibiliter morbi materia per ſomnum euacuatur, celeriterque mutatur in melius, vt oſtendit Galen. 3. *prognoſt. com.* 2. eſt enim puerorum corpus facilè euaporabile, & eorum humores ab eorum caloris vbertate attenuantur, qui in flatus conuerſi inſenſibiliter per ſomnum exhalantur.

*Pueri ſoluto morbo priori ſomno alto, & longo liberantur à recidiua.*

Quandoque etiam timetur recidiua, vt diximus, etiamſi completè præcedat euacuatio totius humoris febrem producentis, & cum ſignis coctionis, & in die critico, etiamſi huiuſmodi recidiua non ſit rigoroſè talis. Hæc quidem dignoſcitur ex accidentibus, quæ remanent, vt ex ſiti, inappetentia, malo oris ſapore, & ex remiſſa febre, quæ adhuc factâ omninò euacuatione non quieſcit. Quia ergo intemperies remanens poſt iudicium, ſeu criſim, poteſt diſtemperare humores, qui quotidie generantur, ex quibus recidiua exordium ſumere poteſt, ſi non ex toto talia auferuntur accidentia, debemus expectare recidiuam illegitimam, quæ talis dicitur, quia non fit ex eadem materia, ex qua ortus fuit prior morbus; atque adeò temporis illius computatio debet eſſe diuerſa, neque debet fieri ab inſultu morbi prioris; incipit enim concoqui,

*Recidiua ſuperuenire ſolet adhuc morbi materia omnimodè euacuata.*

A & putrefieri talis materia, habetque principium longè diſtinctum à principio vniuerſali morbi prioris: quare ſi remediis ea febris non corrigatur, proculdubio recidiua eſt timenda, poſt vnaquamque etenim cauſæ morbificæ præciſionem, ad dyſcraſiæ abſciſſionem deuenire docuit Gal. aliter enim reuertetur morbus, vel alter à priori ſpecie diſtinctus producetur.

Tandem altera recidiuæ ſpecies illegitima ex errore ſuboriunda datur, quando ſcilicet euacuatio humoris ſiue ab arte, ſiue à natura non eſt completè facta, etiamſi ea euacuatio fiat in die decretorio, & cum ſignis perfectæ coctionis, & febris ſoluatur ex toto; nam materia remanens poteſt eundem ac antea morbum producere, vt iam dictum eſt; adſunt enim ſigna perfectæ coctionis, quia iam materia eſt euicta, non tamen completè euacuata eſt talis recidiuæ ſpecies illegitima, quia fit ex humore iam cocto, & vt faciat morbum, ſeu reci-
B diuam, debet denuò putrefieri; ſicuti enim *coctio facit ceſſare putredinem manente ſubſtantia*, ex Gal. 2. *aphor. com.* 17. ita putredo humori cocto ſuperueniens ceſſare facit coctionem, & nouum procreare morbum. Hæc cognoſcitur ex euacuatione parua, & quia ab aſſumpto cibo non corroboratur; nam *non pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes*: conuertitur enim cibus facilè in humorem peccantem, qui denuò morbum auget, aut producit, ex Galen. 2. *aphor. comment.* 10.

*Altera recidiua illegitima ſigna.*

Dices tamen: Si victus ratio adhibetur conueniens, reliquaque quæ ad ægrum pertinent, probè adminiſtrantur, in quo ergo ſtat error, in cuius virtute recidiua conſurgit? Reſpondetur, omiſſis aliis erroribus, quod error Medici ſtat in hoc; debet enim euacuare humorem, qui remanet, ſi quidem eſt concoctus, & diſpoſitus ad euacuationem: eſt enim humor ille, etſi concoctus, nutritioni
C ineptus; & quia excrementitius, & ſuperfluus, petit euacuari, quia rarò expellitur à natura ſine medici auxilio; ſi verò non euacuet illum, errorem committit Medicus.

## §. V.

### *Quo die à prioris morbi inſultu eſt expectanda recidiua.*

Licèt pulchrum nimis ſit præcognoſcere, & prædicere recidiuam in morbis, magis pulchrum eſt aſſignare diem, in qua ſuperuentura eſt; vnde in præſenti diſceptandum, an poſt primum iudicium, licèt imperfectum, & morbi intermiſſionem, ſit aſſignabilis dies, in qua recidiuam expectare valeamus? Quam difficultatem deducimus ex Hippocrat. doctrina, eamque tetigit noſter Mercatus *lib.* 3. *de morbis, parte* 2. *claſſe* 4. *de ſignis criticis.* Circa
D hanc difficultatem Hipp. varius extitiſſe videtur *lib. de iudicationibus*, vbi ita inquit: *Sudore ſuborto, ſi morbus deficiat, & vrina fului albam ſubſidentiam habens conſpiciatur, iis eadem die recidiua febris fiet, atque hæc quinta die citra periculum indicatur, &c.* vbi aſſerit Hippocrates, quod omnes iudicationes fiunt quinta die poſt diem recidiuæ, & quod recidiua debet incipere eadem die; non tamen ibi determinat, quænam ſit iſta dies, an quinta, vel ſexta, in qua recidiua incipit. Eodemque libro ſubdit: *Plerumque ſi crudæ vrinæ, & alia ſigna non ſecundùm rationem eueniant, morbus in die iudicatorio recidiuat.*

Ex cuius verbis magis anceps redditur difficultas; nam cùm ſint plures dies iudicatorij, non poſſumus determinare, an talis dies debeat eſſe ſeptimus, vndecimus, aut decimuſquartus, &c. Et *libro* 1. *epidem.*

*epidem. ſectione* 3. in hiſtoria duorum fratrum Epigenis, qui recidiuam paſſi ſunt, ait quod quinque dies intermiſſionis habuerunt à die vltima morbi prioris ad diem recidiuationis, & vtrique ſimul fuit factum iudicium 17. die; ibique aſſerit, quod iudicium aliquibus fiebat 7. die, & erat intermiſſio ſeptem dierum; deinde ſuperueniente recidiua, tertia die à recidiua fiebat criſis. Ex his nihil certum ſuadere poſſumus.

*Recidiua fieri debet in die decretorio.*

In hac re adeò difficili animaduertere oportet, quod recidiua fieri debet in die aliquo decretorio, vt colligitur ex doctrina Hippocratis proximè allata. Ratio eſt, nam dum fit recidiua, adeſt mutatio inſignis; quæ quidem mutatio in morbis frequenter aduenit in die decretorio, ad quam concurrit non ſolùm cauſa inferior, nempe humor faciens febrem, & natura eundem humorem agitans; ſed etiam cauſa ſuperior, videlicet aſtrorum vis, præcipuè Lunæ, ob vicinitatem magis hanc mundi machinam gubernantis, vt docet Galenus *lib.3. de diebus decretoriis*; nam licèt virtute, & dignitate reliquos Planetas ipſa non excedat, eos tamen ſua vicinitate ſuperat, atque adeò gubernat menſes, & & ſeptimanas, eique tribuuntur principaliter motiones inſignes, quæ in morbis reperiuntur, quæ quidem dantur in diebus decretoriis; & cùm dum recidiua fit, inſignis percipitur mutatio, fieri debet in illis diebus: quapro ter Valleſius *libro* 4. *epidem. in commentario textus* 11. aſſerit, quod mutationes inſignes non tantùm fiunt in diebus iudicatoriis, ſed & recidiuæ.

*Lunæ poteſtas in diebus decretoriis morborum.*

Præterea animaduerto ex eodem Hipp. 4. *epidem. text.*11. quod ſi ſeptima die, verbi gratiâ, fiat iudicium aliquod imperfectum, quo ſolui videtur morbus, & recidiuæ ſigna remanent, decimaquarta recidiuabit, & vigeſimaprima terminabitur; talis enim dierum proportio adſeruari ſolet. Sic enim virgo illa, cuius narrat hiſtoriam Hipp. *textu citato*, cùm eſſet correpta febre ardenti, iudicata fuit die ſexta: quod iudicium illo die factum, cùm non ſit ſecurum, nam ſemper eſt difficile, & timetur recidiua, vt docet Galen. 4. *aphor. com.* 29. ideò die ſexta à morbi prioris iudicio ſuperuenit recidiua; deinde iterum altera die ſexta fuit febris, ſeu recidiua terminata. Debet ſiquidem tantùm temporis intercedere inter iudicium primi morbi, & recidiuæ, quantùm ipſius primi morbi præceſſit: deinde à die recidiuæ ad diem iudicij, ſeu terminationis morbi idem ſubſequitur tempus; quæ dierum proportio frequenter reperitur in morbis, qui cum recidiua fiunt, & regulariter terminantur; ſæpè tamen contingit, quod huiuſmodi varietur proportio ob aliqua ſuperuenientia, videlicet ob errorem ægrotantium, aſſiſtentium, vel Medici, aut ob mutationem aëris ambientis, vel animi paſſiones, aut maximam irritationem cauſæ morbificæ, ratione cuius citiùs humor mouetur; aut ob humoris craſſitiem, quæ humoris motum retardat: quare non mirum, ſi Hippoc. varius apparuiſſet in enarratione dierum, in quibus recidiua, aut iudicium fieri ſolet, neque aliquid circa hanc difficultatem determinare poſſumus.

## §. VI.

### *An ſit aliquid agendum in timore recidiuæ.*

*Auicenna mens proponitur.*

OMnia, quæ de recidiua pertractauimus, eò tendunt, vt ſciamus eam prohibere, dum timetur, & ſemel productam frænare. Quod verò in timore recidiuæ nihil debeat operari Medicus; docet Auic. *fen.*1. *lib.*4. *tract.*4. *capit.*20. vbi ait: *In ti-*

A *more recidiuæ non adhibeatur curatio, donec nouus modus ægritudinis, hoc eſt recidiua, manifeſtetur, quæ ſecundùm plurimum ſæua eſt.* Gentilis in eundem locum idem ſtatuit dicens: *Poteſt eſſe in principio debilis recidiua, praua tamen occultâ prauitate. Si ergo tum multiplices remedia, & des medicinam ſolutiuam, detegitur eius malitia, & moritur infirmus abſque tui culpa, & infamiam conſequeris, &c.* Et rationibus roboratur hæc ſententia; nam ante recidiuæ aduentum, ex vi morbi prioris, & remediorum vſu, natura manet debilis, & fatigata: ergo tota Medici operatio conſiſtit in reparatione naturæ, quæ per alimenta perficitur.

Secundò, in timore recidiuæ timetur etiam virium reſolutio ex ipſa recidiua adueniens: ergo ante recidiuam eſt reparanda, vt recidiuam natura ſuſtinere valeat.

Tertiò in recidiuæ legitimæ timore non poteſt conuenire ſanguinis miſſio, quia debilitat magis B vires; neque poterit impedire recidiuæ aduentum, atque adeò nihil proficiet. Poteſt contingere, quod ante recidiuam pro viribus in priori morbo ſit æger venæ ſectione ſufficienter euacuatus. Neque expurgatio conuenire poteſt, quia dum expectatur recidiua legitima, materia exiſtit cruda, timoroſumque valde eſt medicamentum purgans propinare, crudâ exiſtente materiâ; plura etenim requiruntur, vt feliciter ſuccedat purgatio, vt docet Galen. 1. *aphoriſm. commentario* 24. & *lib. quos, & quando, & quibus medicari conueniat*: protereaque Hippocrates in acutis paſſionibus rarò in principiis purgare admonet, & hoc maxima cum meditatione. Galenus etiam 1. *de diebus decretoriis, cap. etiam* 1. inquit: *Æger, cuius recidiua timetur, omnibus modis eſt obſeruandus, ita vt in cibo, vel potu, motu, vel quiete, & aliis non delinquamus: nam cum hoc viuendi modo* C *forſan non redibit morbus; & ſi redierit, non erit cum ſummo diſcrimine, & vt ait Gentilis, medicamento purganti oblato, praua, & occulta malignitas detegitur, & ſuperueniens recidiua errori Medici adſcribitur.*

*In timore recidiuæ non poſſumus ſemper eundem curationis modum obſeruare.*

Huius doctrinæ elucidatio maximam præſtare poteſt vtilitatem, ideóque altiùs examinanda eſt; cùm enim ſtatus virium, imò & diſpoſitio cauſæ morbificæ in timore recidiuæ non ſemper eundem ſeruent tenorem, neque pro cuiuſque recidiuæ timore eundem curandi modum obſeruare valemus; non enim in quouis timore recidiuæ poteſt eſſe remediorum æqualis indicatio, præſertim cùm vnus morbus prior ſit alio priori deterior; vnus enim habet virium languorem, qui fortaſſe ſolùm petit virium reparationem per alimenta: alter morbus antecedens recidiuam poteſt eſſe in homine robuſto, qui vires validas habeat, & venas ſanguine plenas, D quæ euacuationem expoſtulent venæ ſectione faciendam; atque adeò nequaquam in omni timore recidiuæ poteſt eſſe vna, & eadem curandi methodus.

*Quid tenendum in re tam difficili.*

Dico ergo primò: Si recidiua, quæ timetur, illegitima ſit, quam præceſſit plena humoris euacuatio per criſim, ita vt ſolùm remaneat intemperies calida, quæ poteſt iterum vitiare humores, & recidiuam, ſeu lapſum in eundem, vel alium morbum cauſare, tunc quidem ſolùm attemperantibus eſt impedienda, iuxta Galeni doctrinam *lib. artis medic. cap.* 89. vbi ait: *Vnamquamque cauſam priùs abſcindere debemus, deinde ad eam, quæ facta eſt, dyſcraſiam peruenire.* Quare ſi eam intemperiem non corrigit Medicus, recidiua eius errori tribuetur.

*In timore recidiuæ il-*

Dico ſecundò: Si recidiua illegitima timetur, quia non fuit ſufficienter euacuata morbi cauſa, ſed intra

*legitima cocta materia eſt euacuanda.*

intra corpus manet quantitas ſufficiens, quæ recidiuam cauſare poteſt, cum ſignis tamen perfectæ coctionis in pulſu, & vrina, tunc quidem ſecurè vti poſſumus medicamento expurganti, diem eligendo commodiorem, vt feliciter ſuccedat expurgatio, aliter enim, vt diximus ex Hippocratis mente, quæ relinquuntur in morbis poſt iudicium, recidiuas facere conſueuerunt. Ne ergo recidiua ſuperueniat ex ipſis humoribus, eos euacuare expedit, & naturæ defectum ſupplere, vt admonet Galen. 1. *aphoriſm. comm.* 20. nam ſicuti dum criſis perfecta fit, nihil mouere, aut nouare oportet, vt Hippoc ſtatuit 1. *etiam aphoriſm. textu* 20. & *lib. de humoribus*, pari ratione dum diminutè operatur, eam debemus adminiculari. Vnde ſi non expurgetur ille humor vitioſus, etiamſi benigniorem ſtatum comparaſſet, ſuperueniens recidiua Medici errori adſcribi poteſt.

*In timore recidiuæ illegitimæ, ſi vires ſint debiles, ſunt reparandæ.*

Dico tertiò: In legitimæ recidiuæ timore, cùm plures naturæ ſtatus, & morbi inueneniantur, impoſſibile eſt vnum procedendi, & curandi pro omnibus modum ſeruare. Qua propter ſi æger ex priori morbo ita debilis remaneat ante recidiuæ aduentum, vt non poſſit ferre remedia, tota curationis ratio in virium reparatione conſiſtit; nam vt inquit Galenus 9. *methodi*: *Virium reſtauratio ex accidenti morbum detrahit.*

De hac recidiuæ ſpecie videtur loquutus Auic. *loco vt ſuprà*, dum ait, quod non debet fieri inceptio curationis, donec ægritudinis nouus manifeſtetur modus; oportet enim prius vires reſarcire, vtique bono vitæ regimine, ſicque recidiua vel deficiet, vel non fiet cum ſummo diſcrimine, vt aſſertum eſt ex Galeni mente; parum enim intereſt, quod morbus auxilium petat, ſi vires illud ferre nequeunt.

*Virtute conſtante in timore recidiuæ ſanguinem mittimus.*

Quod ſi in timore recidiuæ vires valentes ſint, & adſint ſanguinis redundantis notæ, vel in criſi antecedenti parua humoris quantitas ſit euacuata, ſcopique adſint mittendi ſanguinem, ſecuriſſimè eum extrahere poſſumus, vt minori adhuc redditâ morbi materiâ, minor etiam fiat recidiua; ſufficit enim, quod recidiua immineat, vt venam ſecemus, ſicuti huiuſcemodi remedium adhibetur etiam morbis imminentibus, neque in hoc vllam inuenio repugnantiam, cùm ibi ſint præſentes ſcopi mittendi ſanguinem.

## §. VII.

### *An in timore recidiuæ legitimæ ſit expurgandum.*

QVod maiorem difficultatem habet, eſt explicare, an in timore recidiuæ legitimæ, in qua morbi materia eſt cruda, ſit vtendum medicamento (vt aiunt) minorante, vt ſic minori redditâ materiâ, natura potentior fiat ſupra reſiduum. Hanc difficultatem ſæpè vidi controuerſam in noſtra Schola, quidamque Magiſtri auſi ſunt defendere, tutum eſſe vſum medicamenti expurgantis minorantis, non aliâ ducti ratione, niſi quia natura non poteſt euincere cauſam morbificam; tamen ſi medicamento ſeligenti euacuetur, remanebit in minori quantitate, eamque meliùs natura ſuperare valebit: quod fundamentum deſumunt ex Hippoc. 2. *aphoriſmor. text.* 8. vbi ait: *Quod ſi corpus non corroboratur ex alimento aſſumpto, euacuatione eget; nam non pura corpora, quantò plus nutries, tantò magis lædes*, ex eodem ibi *text.* 10. *Eius etiam qui ex ægritudine benè cibatur, nihil proficere corpus, malum*, teſtante eodem ibi *textu* 31. Ex quibus inferunt, quod vt poſſit cibus proficere, humores cibum vitiantes debent euacuari; & quia qualitate peccant, quâ cibos inficiunt, ita vt prodeſſe

A non poſſint, ideò debent medicamento purganti è corpore pelli.

*Dubij reſolutio.*

Mihi tamen videtur, hoc maximè difficile eſſe; nam ſi regulariter eſt operandum, ante purgationem præire debet coctio, vt docet Galenus 4. *aphor. phraſi* 24. Quia ergo in timore huius recidiuæ humores ſunt crudi, & quieti, nequeunt regulariter benè euacuari medicamento purganti; *concocta enim medicari, atque mouere, & non cruda, neque in principiis, niſi materia turgeat*, dictat noſter Hip. 1. *aphoriſm. text.* 22. Et *in acutis paſſionibus raró medicinis purgantibus eſt vtendum, & hoc cum meditatione faciendum*, ex eodem ibi *textu* 23. Relinquitur ergo, quod vt minoratio fiat medicamento ſeligenti, debet eſſe vrgentia, quæ Medicum cogat ad medicamenti purgantis exhibitionem; hæc autem fieri nequit ſine B virium maximo diſpendio, quoniam affectio cruda non cedit medicamento expurganti, ex Hippoc. 4. *de ratione victus, textu* 22. Tum vt ait Gentilis *loco iam citato*, poteſt eſſe recidiua praua occultâ prauitate, adhibitoque medicamento purganti minifeſtabitur, & fortaſſe morietur æger, aut commotis humoribus ſtatim recidiua ſuperueniet, & illius euentus tribuetur errori Medici, vertetúrque in eius opprobrium.

Vlteriùs cùm medicamentum purgans electiuè ſit calidum, facilè corpus poterit alterare, humoreſque accendere, præcipuè illos, qui cum medicamento adhibito familiaritatem habent; imò etſi non feliciter ſuccedat expurgatio (quod maximè pertimeſcimus, medicamentum talem producet humorem, qualem trahere natum erat, vt ait Galenus 3. *de ſimplic. medic. facult. cap.* 24. *in fine.*

*Medicamentum conuerti ſolet in humorem peccantem.*

Tandem id comprobat Galen. 1. *de diebus decretoriis, cap.* 1. vbi aſſerit, quod ſi nullus committatur C error, & morbus prior quieſcens exiguus fuerit, non reuertetur; facilè enim natura ſuperabit materiam remanentem, quæ deberet eſſe cauſa recidiuæ. Si verò fuerit malignior, redibit, non tamen cum ſummo diſcrimine; atque adeò in his caſibus non eſt tentanda purgatio, ſed ſolùm victus ratio conueniens eſt inſtituenda. Sed quia tanta poteſt eſſe ſæuitia morbi, quod timeamus ægrum vi recidiuæ periclitari, ideò Doctiſſimus noſter Merc. licèt propoſitam à nobis ſententiam amplectatur, admonet tamen, quod ſi ægro aliter ſuccurri non poteſt, neque humor ille vinci à natura, ſi vires ferant, vtendum eſt aliquo medicamento purganti, vt alleuietur æger; priùs tamen pronunciato periculo, ne Medico error adſcribatur.

*Nota duplicem caſum, in quo ſuperueniens recidua vnum liberauit ægrum, alterum extinxit.*

Dum huic tractatui de recidua finem imponerem, quædam mulier fuit febre ardentiſſima correpta, & cum ſæuiſſimis accidentibus, quæ inopipatè ſine ſig- D nis coctionis die ſeptima riguit, & ſudauit, remanſit ſine febre vſque ad 14. diem; ſigna tamen coctionis in vrina apparuerunt, non tamem perfecta: eam ſeruare iuſſimus vſque ad diem 14. cum bono vitæ regimine, ſicquè vires recuperauit; tamen 14. die iterum febricitare cœpit, exiſtimauique illam febrem eſſe recidiuam, ſecuram tamen, quia aderant ſigna coctionis, quæ indicabant victoriam naturæ ſupra cauſam morbificam. Paulò antea cecidit in febrem ardentem quidam nobilis vir, & iudicium ſimiliter cum rigore die 7. ſuperuenit, non tamen fuit ſubſequuta euacuatio ſenſibilis: à die 7. ad 14. diem fuit liber à febre, comedebat, dormiebat, ventrem exonerabat, habebat tamen vrinam crudam, tenuem, & albam, & vt ſic dicam, extremè crudam: iuxta 14. diem rigoroſè febricitare cœpit, cum ſignis lethalibus, & 17. obiit. Vtriuſque euentum ante recidiuæ aduentum, prædixi ex ſignis ipſius vrinæ.

## DISPVTATIO II.

### An vtero gerentibus morbo acuto obſeſſis liceat ſanguinem mittere, & ex qua vena, & expurgare, & quo tempore, & occaſione. Non minùs vtilis quàm neceſſaria quæſtio.

*Ad præclariſſimum, & vbique celebrandum Virum Doctiſſimum* D. PETRVM DE BARBA, *à Magni Philippi IV. Regis noſtri inuictiſſimi cubiculo Medicum, Archiatrumque digniſſimum, olim Primariæ Cathedræ Apollineæ Facultatis in hac noſtra Pintiana Vniuerſitate Moderatorem, necnon Sanctæ Inquiſitionis Medicum Primarium.*

*Rhetoric. ad Alexandrum.*

RES, cuius aggredior explicationem, Vir eruditiſſime, plurimùm difficultatis habet, in qua enodanda duram videor ſortiri prouinciam; tuo tamen afflatu, teque protegente, maiora tentabo, quæ ſi tibi non diſplicent, maximi emolumenti fore non dubito. Vtilia enim Ariſt. vocat bona tueri, amiſſa comparare, & abſentia, malaque inſtantia propellere, & futura inhibere incommoda. Hæc omnia Medicina tradit, ſanitatem tuens, amiſſam recuperans, morbos abigens præſentes, futuroſque imminentes inhibens. Ego quidem Medici perſonam agens hæc omnia tradere debeo, ne mihi dicat Ouidius, quod ipſe dixit Homero.

*Ipſe licet venias Muſis comitatus Homere,*
*Si nihil attuleris, ibis Homere foras.*

Quid ſcribere prodeſt, ſi vtilitas ad tempus futurum non datur, vt ait Plato *in Theat.* Quod ſi circa difficultatem propoſitam tot ſunt ſcripta, ita vt nihil noui afferre poſſimus, inutilis certè hæc noſtra videbitur tractatio. Tamen ne quæ ab aliis tantùm ſunt tradita inaniter repetamus, plura in medium proponam nouiter excogitata, & nondum ab antiquis inuenta, quæ maximè ad noſtrum propoſitum attinent, quæque forſan grata apparebunt, ita vt cum Homero dicere valeam, quod etiam alibi dixi.

*Cantio enim hæc hominum longè eſt celeberrima vulgo,*
*Et gratiſſima, quæ nuperrima venit in aures.*

*Omnis noſtra actio ex Diis exordiri debet.*

*Difficile quid vocatur.*

Ad rem igitur deueniendo, ſemper mihi viſa fuit ardua, & difficilis curatio morborum acutorum in vtero gerentibus, in quibus curandis maximè oportet Dei auxilium implorare, quod ita eſſe faciendum conſulit Hippoc. *lib. de natura muliebri, n.* 1. per hæc verba: *Eum, qui rectè hæc tractare velit, primùm quidem oportet ex Diis exordiri.* Quod enim eſt difficile, tranſcendit quodammodò potentiam ſecundùm naturam, vel ob impedimentum non conſequitur, vt ait D. Thomas 1. *parte, quæſt.* 62. *artic.* 2. Attamen iuxta mei ingenioli capacitatem hanc prouinciam capere non recuſo, ſicque mei placitum pronuntiare intendam, dummodò ſcias, totum illud me tuæ correctioni ſubmittere. Huius rei difficultatem percalluit Hippoc. 5. *aphoriſm. text.* 30. dum ait: *Vtero gerentem ab aliquo morbo acuto corripi eſt lethale.* Qui etiam venæ ſectionem, & purgationem in grauidis reformidat, ſiquidem *eodem libro,*

*Difficultatem purgandi, & mittendi ſanguinem percalluit.*

A *textu* 31. vtero gerenti venæ ſectionem denegat, præſertim ſi fœtus fuerit grandior: & 4. *aphoriſm. text.* 2. purgationem interdicit; quæ ſi fieri debeat, non niſi turgente materiâ, neque in quocunque tempore, ſed ſolùm à quarto menſe, & vſque ad ſeptimum facienda eſt. Neque victum illis conuenientem præſcribere poſſumus, nam cùm morbis acutis victus tenuis conueniat, ex illius oblatione ſequitur aborſus; ſubtracto enim alimento fœtus alimentum quærens, & non inueniens, vt ait Galenus 5. *aphoriſm. aphoriſm.* 30. ligamenta diſſoluit, acetabula diſrumpit, & viam parat ad exitum, indeque aborſus fit, & ægra in nouas anguſtias coniecta ſimul cum fœtu deperditur. Ex quibus deducitur, quod grauidis non poſſumus victum conuenientem offerre, neque magna illis adhibere remedia, quibus detrahi ſolet morbus magnus, & acutus, atque adeò, quod prognoſticis ſit relinquenda, non enim B licet infamare remedia, quæ multis fuere ſaluti, Galeno teſtante 11. *methodi, cap.* 9.

*Proponitur Authoris intentio in hac tractatione.*

Hæc & alia Hippoc. & Galeni loca rem ancipitem, & dubiam faciunt, maximeque difficilem curationem morborum acutorum in grauidis eſſe oſtendunt, cautoſque medicos peritos reddunt in auxiliorum adminiſtratione; ſed vt huic rei difficili fiat ſatis, in ea enodanda ſic me geram. Primò aliqua ſupponam neceſſaria ad huius nodi ſolutionem. Secundò, an ſanguinis miſſio illis conuenire valeat, quo tempore, & occaſione, & ex qua vena tutiùs adminiſtrari debeat. Denique, an purgatio locum habeat in grauidis, & quo tempore ſecuriùs admoueri poſſit, explicabo. Si enim hæc aſſequutus fuerim, maximam vtilitatem hanc tractationem præſtare non dubitarem; ſpero tamen omnem ambiguitatem tollere, & veritatem omnimodè patefacere.

*Morbus Acutus quid ſit.*

Ad primam ergo deueniendo partem, nonnulla, C vt dixi, ſunt ſupponenda, quæ maximè conducunt ad noſtræ difficultatis intelligentiam. Suppono ergo primò ex Galen. 2. *aphor. phraſi* 19. & 23. quod morbus acutus ad minus debet habere duo; & quod ſit magnus, & quod celeriter properet ad ſtatum: & propter vltimum Hippocr. aſſerit, quod morbi acuti in quatuordecim diebus terminantur. Ego addo cum Gal. 3. *de diebus decret. c.* 13. ex Archigenis ſententia, quod propter illorum celeritatem, & magnitudinem debent eſſe ſimul periculoſi; habent enim ex ſua natura vehementem pugnam, & grauiſſima accidentia; & propterea frequenter criſi terminantur, quæ non niſi magno certamine fit, vt docet Gal. 2. *de criſibus, cap.* 11. neque multùm tot labores, & accidentia ferre poteſt natura, ſtatimque excitatur ad pugnam, & propulſionem cauſæ morbificæ, qua de cauſa non poteſt multùm durare morbus acutus, ſed citò terminatur, atque adeò exigit magnitudinem, celeritatem, & periculum, ſine quibus ſaluari ne- D quit morbi acuti natura.

*An morbus acutus ſit periculoſus.*

Sed licèt tractationem de morbis acutis iam ſupponam, ex dictis tamen ſe offert dubium non contemnendum; videtur enim, neutiquam vitæ periculum morbum acutum concomitari; ſunt enim plures morbi acuti, qui ſalubriter terminantur, vt ait Galen. 2. *de criſibus, capite* 15. & experimento quotidiano confirmatur.

Vlteriùs probatur, nam morbi periculum ex ſignis periculo plenis deprehenditur, aliter enim non poſſumus aliquid certum præſagire, præſertim cùm Medicus ſit artifex ſenſualis, qui ſenſibus omnia percipit: ſed in morbo acuto ſalubri ſigna ſalutem portendunt: ergo quia nullum eſt in illo morbo periculum; ſi enim eſſet, in ipſis accidentibus, tanquam in ſignis eluceret. Confirmo hanc doctrinam; nam morbus acutus, qui ſalubriter terminatur, plurimùm

rimùm percurrit quatuor tempora vniuerſalia, vt diximus de temporibus morborum tractantes, nempe principium, augmentum, & declinationem: ergo ſi de ratione illius eſt habere periculum, in quocunque tempore debet illi conuenire; nam non poteſt in aliquo tempore dari, ſine eo quod ad illius naturam pertinet: ſed in illius declinatione vniuerſali nullum datur periculum: ergo periculum non attinet ad illius naturam. Minor patet, nam in declinatione vniuerſali ex vi morbi illius non poteſt æger mori: ergo in declinatione vniuerſali ex illius vi non adeſt periculum vitæ.

Hæc, etſi difficillima appareant, non obſtant. Quare ad argumentum dic, quod etſi morbus acutus ſit ſalubris, eſt tamen ſemper cum periculo, ob pugnam magnam, & vehementiam morbi, & accidentium; natura tamen victrix, & potens illi dominatur, ita vt ſigna illa periculoſa impediantur ab ipſa natura, propterea que periculum non ſemper manifeſtatur in ſignis, ſed ex ipſis potiùs ſalutem deprehendimus; & hoc modo dicimus morbum acutum in declinatione habere periculum, licèt in declinatione per ſigna periculoſa non cognoſcatur.

*Morbus acutus eſt periculoſus, non tamen ſemper cum ſignis periculi.*

Ad confirmationem dic, quod iſtæ duæ propoſitiones de vno, & eodem verificari poſſunt: Morbus acutus eſt periculoſus, Morbus aliquis acutus eſt ſine ſignis periculi; ſicut verificatur de homine, quod ſit rationalis, & ſimiliter, quod nunc non ratiocinetur; vel quod ſit riſibilis, & actu non rideat. Sæpè enim accidentia pathognomonica, licèt ſint veluti propriæ morbi paſſiones, impediuntur tamen à cauſa potentiori, vt alibi à nobis probatum manet, ac per conſequens non mirum, quod accidentia periculoſa cohibeantur à natura, periculo manente in actu primo ipſius morbi; cum quo optimè ſaluatur in quocumque tempore morbi acuti ratio periculi.

*Morbus acutus duplex.*

Secundò ſupponendum eſt, quod morbus acutus dupliciter inſurgit, ex Galen. 2. *aphoriſm. phraſi* 19. vel quia humores calidi, à quibus frequentiùs fit, nullum obſident locum, ſed æqualiter participantur, vt in febre ardenti, vel ſynocho; vel quia in determinato loco collocantur, in quo morbum gignunt acutum, vt patet in pleuritide, angina, phrenitide, &c. Ex iis rari ſunt, qui ſine febre fiunt, vt apoplexia, ſeu morbus attonitus, vt eodem loco teſtatur Galenus, & inſinuat Hippocrat. 1. *epid. ſectione* 3. dum ait: *Sunt autem maximè acutiſſimi, & grauiſſimi morbi in continua febre.*

*Morbus acutus poteſt eſſe continuus, vel intermittens.*

Sed quia accidit, quod morbus acutus ſit intermittens, neque ſemper cum continua febre, ideo Galen. 2. *de diebus decretoriis* aliam morbi acuti diuiſionem ſtatuit ſic: *Duplex autem horum quoque natura eſt, vel enim acceſſionum remiſſiones in exactam integritatem finiunt; vel continua febris ſemper durat, &c.* Quod autem in continua febre morbus detur acutus, nullus dubitat, neque dubitari poteſt, quod aliquando morbi acceſſiones habentes, & ad intermiſſionem venientes ſint acuti, vt experimur in plurimis febribus perniciosis, & malignis, in quibus acceſſiones fiunt, & ægri ad intermiſſionem deueniunt; & ſimiliter in paroxyſmis epilepticis, in quibus vitæ periculum impendet ob eorum magnitudinem, & celeritatis motum.

*Donati ab Altomari ſententia circa tertianam exquiſitam, an ſit morbus acutus.*

Donatus Ant. ab Altomari non ſolùm hanc amplectitur doctrinam, ſed eam ad tertianam exquiſitam intermittentem extendit, exiſtimans eſſe de ſorte morborum acutorum intermittentium; cuius doctrinæ veritatem indagare non eſt mihi in animo; ſufficit tamen dicere, quod hæc febris ex ſua natura eſt à periculo deſtituta, ſi rectè à Medico pertractatur; periculum autem morbo ineſt acuto, vt ſuprà diximus ex Gal. placito 3. *de diebus decretoriis*. Neque in hac parte eſt ſequendus Zacutus aliàs vir doctiſſimus, qui *lib.* 4. *de hiſt. Medic. Principum, quæſt.* 28. ait quod duplici de cauſa tertiana intermittens non eſt morbus acutus, & quia non eſt periculoſa, & quia non eſt morbus magnus.

*Tertiana exquiſita quare non eſt morbus acutus.*

Qui Author licet verum dicat in primo, errat tamen in ſecundo. In primo tertiana exquiſita eſt ſalubris, eo quod bilis, ex qua pendet, eſt leuis, & tenuis, & facilè vincitur, reſoluitur, aut reiicitur, vel per vomitum, vel per aluum, aut ſudorem tranſmittitur; & quoniam ipſa facit quietem, ſeu intermiſſionem, in qua reſtauratur natura, vt ſentit Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 4. Hipp. ſimiliter 1. *epidem. ſect.* 3. *textu* 8. ait, quod tertiana pura citò iudicatur, neque eſt lethalis: caret ergo periculo.

*Zacuti error notatur circa magnitudinem tertianæ exquiſitæ.*

Errat in ſecundo, dum aſſerit hanc febrem non eſſe morbum magnum; nam ſi Galeni mentem attendamus 4. *method. cap.* 6. tripliciter morbus dicitur magnus, vel in ſua eſſentia, vel ob cacoëthiam, ſeu malignitatem, vel propter partis affectæ principatum. Et licèt hæc febris non dicatur magna ob malignitatem, eſt tamen magna ob partis affectæ principatum, ſiquidem eſt calor accenſus in principio vitæ. Prætereà cum morbi magnitudo ex ſymptomatum vehementia deprehendatur, & in hac febre ſit vehemens rigor, intenſus calor, pulſus magnus, celer, & frequens, vomitus bilis, ſudores, & bilioſæ alui deiectiones, quæ omnia magnitudinem ſibi comitem habent, neceſſariò oſtendunt morbi etiam magnitudinem quoad illius eſſentiam, ita vt verificetur de hac febre, quod ſit morbus magnus in ſe, & ob partis præſtantiam, non tamen acutus ob periculi defectum.

*Morborum acutorum differentias*

Aliam diuiſionem morborum acutorum aſſignat Galen. 2. *de diebus decretoriis, cap.* 12. nam alij ſunt acuti ſimpliciter, qui 14. attingunt diem: quod ſi morbus acutus ad limen 20. diei accedit, acutus ex decidentia dici ſolet; & etiam ad 40. ſe extendit, eumque Hippocatres vocat ſimiliter acutum 1. *prognoſt.* vbi ait: *Reſpirationis facilitatem magnam vim habere in morbis acutis, qui cum febribus fiunt, & in quadraginta diebus iudicantur.* Hos vocat Gal. proximè citatus acutos ex conuerſione, non quia reuerà acuti ſunt, ſed quia quoties inter initia acutè ægrotauerint, poſteà 14. die, aut etiam antea non integrè fuere iudicati, ſed morborum acutorum reliquiæ ad 40. vſque diem fuerunt extenſæ, & iſti dicuntur non exactè acuti. Alij ſunt peracuti exactè, qui quarto die finiuntur; alij peracuti ſimpliciter, qui ſeptimo terminantur.

*Victus tenuis morbis acutis adaptari debet, & quare.*

Tandem ſupponendum eſt, quod vt morbus curetur acutus, victus forma debet eſſe tenuis, & quo acutior, eo tenuior, ita vt morbo exactè peracuto, ſi vires ferant, victus extremè tenuis adaptetur, iuxta Hipp. doctrinam 1. *aphoriſmor. textu* 10. & per victum extremè tenuem intelligit Galen. *eodem lib. comm.* 4. melicratum, vel nihil dare vſque ad morbi integram iudicationem; nam ea victus forma debet adhiberi, quâ vires moderatè debilitatas conſeruemus, ex eodem Galen. nam ſi eas in morbo acuto tales, quales accepimus, conſeruare, vel adaugere ſemper ſtuduerimus, morbum augebimus, *non pura etenim corpora, quantò plus nutries, tantò magis lædes,* ex Hipp. 2. *aphoriſm. text.* 10. Corrumpitur enim facilè adueniens alimentum vnà cum vitioſis humoribus, ita vt eorum quantitas augeatur, & vitioſa qualitas conſeruetur. Neque hoc ſolùm eſt neceſſarium, ſed etiam propè ſtatum, & in ipſo ſtatu cibum ſubtrahere, ex eodem Hipp. aliter enim per victus adhibitionem inflammationes, & febres incrementum accipiunt, & vlteriùs natura diſtrahitur ex alimento

*In ſtatu morbi acuti victus conuenit tenuiſſimus, & quare.*

mento oblato à mutua pugna cum cauſa morbifica. Eſt ergo ille victus offerendus in morbis acutis, quo vires minuantur, dummodò maneant ſupra morbum, vt oſtendit Hipp. 2. *de rat. vict. text.* 15. ita vt poſſit æger cum illis viribus deuenire ad ſummum morbi vigorem, & morbum ſuperare; & propter iſtam rationem docet Hip. 1. *aphor. text.* 12. cognoſcere morbi conſtitutionem, longitudinem, vel breuitatem illius; aliter enim non probè victus inſtituetur ratio, atque adeò Gal. 1. *de criſibus, cap.* 3. aſſerit: *Generoſi Medici, & arte Hippocratica digni officium eſt futurum ſtatum prævidere, vt in ordine ad illum victum inſtituat.* Si verò hæc victus ratio non adhibeatur, ſequentur incommoda à Gal. allata, quæ totis viribus fugere debemus.

*Probatur quod venæ ſectio non conuenit grauidis in morbis acutis.*

His igitur ſuppoſitis facile erit ſecundam rei promiſſæ partem pertractare, quæ dicata eſt venæ ſectioni; an ſcilicet grauidis conuenire poſſit morbo acuto correptis? Videtur enim quod non, iuxta ſententiam Hip. 5. *aphor. text.* 31. in quo venæ ſectionem grauidis denegat, & propter rationes inſinuatas à Gal. in phraſi; nam grauidis duplex inſurgit periculum. Vnum quidem propter morbum acutum, qui cùm magnus, & periculo plenus exiſtat, occidere poteſt grauidam, & fœtum. Alterum, tum propter alimenti tenuitatem, & victus parſimoniam, quæ debetur morbis acutis; tum propter remedium magnum, nempe venæ ſectionem, per quam etiam alimentum ſubtrahitur. Ex quibus ſequitur, quod fœtus alimentum quærens, & non inueniens, pereat; vel ligamenta diſſoluens, & acetabula diſrumpens ad alimentum quærendum, facillimè ſubſequatur aborſus; nam vt alibi diximus, inter cauſas partus naturalis, & aborſus, alimenti ponitur defectus, vt conſtat ex Ariſt. 4. *de gener. animal. cap.* 8. & ex Hipp. *lib. de nat. fœtus.* Si verò ſanguinem non mittimus, neque victum tenuem, ſed pleniorem quàm debemus morbis acutis offerimus, morbi cauſa adaugetur, morbus inualeſcit, & tam matrem, quàm fœtum perdimus. Ecce ergo qua ratione (inquit Hugo Senenſis) non poſſumus in grauidis ſeruare regimen conueniens, neque remedia magna offerre, abſque maximo vtriuſque, tam fœtus, quàm matris periculo. Vnde non mirum, quod dicat Hippocrates: *Mulierem vtero gerentem corripi ab aliquo morbo acuto, lethale.* Siquidem neque victum conuenientem, neque venæ ſectionem præſcribere poſſumus, ita neceſſariam pro morbi acuti curatione, vt & ipſe Hipp. dicat: *Mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit, & magis ſi fœtus fuerit maior.*

*Alimenti defectus eſt aborſus cauſa.*

*Sanguinis miſſio grauidis conuenit in morbis acutis.*

Contraria ſententia maximè his temporibus præualet, nempe quod vtero gerentes morbo acuto obſeſſæ ſunt curandæ per ſanguinis miſſionem, neque à tanto auxilio ſunt deſtituendæ, neque aliter talem morbum fugare valemus; morbus enim magnus magna expoſcit remedia, & cùm ſcopi mittendi ſanguinem adſunt, venam ſcindere debemus: neque fœtus impedit ſanguinis extractionem, licèt eius moderetur quantitatem. *Si ergo morbus vehemens ſit, adfueritque robur, & floruerit ægrotantis ætas, ſanguinem detrahere præcipit* Hipp. 4. *de rat. vict.* quæ ſententia vniuerſaliter prolata nullam excludit perſonam, dummodò tales ſcopi non abſint; quæ tantam in ſe continet veritatem, vt miretur Gal. cur Hipp. eam non repoſuerit inter aphoriſticas.

*Hipp. ſanguinem miſit, vt conſtat ex hac hiſtoria.*

Quod ſi ferè omnes Medici priſci, & iuniores affirmant Hipp. neutiquam venæ ſectionem grauidis imperaſſe, meo videri eius ſcripta attentè non legerunt; ſiquidem vt conſtat *ex* 2. *epidem. ſect.* 2. *text.* 23. iuxta verſionem Valleſ. in hiſtoria Liciæ grauidæ, quæ inflammatione lienis laborabat, ipſe

A venam diſſecuit in cubito. Verba eius ſunt hæc: *Vena, quæ ſecundum ſplenem in cubito ſecabatur, & pulſabat quidem ſæpe, aliquando autem non fuit ſecta, ſed cum ſudore abiit, aut ſponte.*

*Dubium ex hiſtoria tradita natum, & ſolutio illius.*

Dices illam non fuiſſe venam verè talem, quæ ſecabatur, ſed arteriam; ſiquidem Hipp. ait, quod ea vena, quæ ſecabatur, pulſabat: pulſatio autem eſt munus arteriæ; quam etiam de more habebat Hipp. appellare venam pulſatilem.

Reſpondeo, quod ibi per venam pulſatilem Hipp. intelligit venam plenam ſanguine vaporoſo, qui eleuando venam, pulſationem cauſabat; eo tamen ſanguine euacuato per venæ ſectionem, ſedabatur pulſatio, quæ etiam ceſſabat ſponte inſenſibiliter eo ſanguine euacuato, vel per ſudorem; nam ſi ibi vena pulſatilis ſumeretur pro arteria, non ceſſaret illius pulſatio ſanguinis miſſione, vel aliter. Neque credendum eſt, virum ita præclarum, cuius dogmata ſequimur, arteriam diſſecuiſſe magnam, qualis eſt quæ per brachium ad cubitum deuenit, &
B ſubiacet venæ baſilicæ; cùm ex eius diſſectione ſpiritibus vitalibus euacuatis, ſimul cum ſanguine arteriali ſtatim ægra deficeret. Diſſecuit ergo venam in cubito vtero gerenti. Cornel. Celſ. *lib.* 2. *cap.* 10. de ſanguinis miſſione agens inquit, quod licèt ſanguinem mittere ſenibus, pueris, & grauidis vetus non ſit vſus, tamen oſtendit id non eſſe perpetuum. Intereſt enim in grauidis, non quæ ætas, neque quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint ad ferendam venæ ſectionem; & propterea ſubdit: *At firmus puer, & robuſtus ſenex, & mulier grauida valens tutò curantur.* Comprobant hanc ſententiam hodierna die omnes Scriptores, Mercatus noſter *lib.* 3. *de ſteril. & pregn. affect. cap.* 22. Doctiſſ. Magiſt. Santa-Cruz *lib.* 1. *de rebus natur. impedient. magna auxilia, cap.* 21. Ioannes Baptiſt. Cort. *decade* 10.
C *miſcellan. medicar. quæſt.* 9. Zacutus Hebræus *lib.* 1. *de Medic. Princ. hiſt. quæſt.* 21. neque ad hoc oportet plures Authores referre, cum ſit inter omnes vnanimis conſenſus.

*Fœtus eſt quid ſecundum naturam petens ſuam conſeruationem.*

Dices: Fœtus eſt quid ſecundum naturam ſui cuſtodiam poſtulans, & eſt in bonum vniuerſale ſpeciei, & ex venæ ſectione alimento ſubtracto deſtruitur: quapropter vt conſeruetur, neque venæ ſectionem exigit, neque victus ſubtractionem.

*Fœtus permittit venæ ſectionem, & quare.*

Reſpondeo, quod conceptus, & aliæ res naturales, vt conſeruentur, licèt non indicent venæ ſectionem, eam tamen permittunt, quando ad earum tutelam eſt neceſſaria, & ablationem eorum, quæ earum conſeruationem impediunt, expoſcunt: & quia ſanguis ſua qualitate, vel quantitate, aut vtroque ſimul res naturales deſtruit; ideò ſæpè conuenit per morbos acutos in grauidis ſanguinem mittere. Hoc oſtendit Auerroës 7. *collect. cap.* 4. dum ait:
D *Ego autem dico, quod phlebotomia non eſt mala, quando adeſt repletio, quâ embrio non indiget.* Idem ſentit Auic. *fen.* 1. 4. *cap.* 20. vbi in magna neceſſitate, & ſanguinis vitio ſanguinem mittit. Ratio efficax reddi poteſt. Si enim ſanguinis inopia poteſt fœtum perdere: ergo ſanguinis copia poteſt illum ſuffocare, quod quotidie obſeruamus, & facta venæ ſectione, ab imminenti ſuffocatione fœtum liberamus. Lege Skenchium 4. *obſeruation. medicin. de grauidis, obſeruatione* 22. Præterea ſanguis ſuis prauis qualitatibus poteſt maximè infeſtare, & lædere fœtum, & matrem, & in perditionem ducere, quo euacuato frænatur qualitas noxia, calor febrilis attemperatur, ſæuiſſima corriguntur accidentia, & ſæpè grauidas ad ſanitatem reducimus. Idem ſtatuo de alimenti detractione, nam de illo eadem eſt ratio.

*Quare ſanguis extrahatur in grauidis.*

*Vires ſemper ſui cuſtodiam petunt.*

Neque obſtat, quod fœtus ſit res naturalis ſuam expoſcens conſeruationem, ſi aliter conſeruari nequit,

quit. Vires etiam in quocumque tempore ſuam indicant conſeruationem, quia naturales ſunt; & eas ſeruare nihil aliud eſt, quàm vitam cuſtodire: & tamen per morbos ſanguinem mittimus, tenuiter cibamus, & alia remedia exercemus, ſecundùm illud quidem, quod vires permittere valent. Sic ſimiliter accidit dum fœtus intra vterum adeſt, & grauida eſt morbo acuto preſſa; ſanguinem enim mittimus, victum ſubtrahimus, nonnunquam purgamus, & alia remedia accommodamus, quæ à fœtu,& à viribus grauidæ permittuntur.

*Fœtus non impedit venæ ſectionem, ſed eam moderatur.*

Ex his inferre licet, quod conceptus non tollit venæ ſectionem, & alia remedia, ſed ea moderatur. Ita ſentiunt Moxius, Augenius, Petraſitanus, Mercatus, Cortes, Mercurialis, & omnes alij; nam vt ſeruetur conceptus, aliquid eſt ei condonandum, neque tantùm ſanguinis euacuandum, quantùm exigit morbus. Pariter victus non debet eſſe ita tenuis, ſicuti dum conceptus non adeſt; nam victus eſt offerendus non ſolùm pro nutritione grauidæ, ſed etiam pro alitione fœtus, præſertim cùm fœtura ſit ſpecies quædam euacuationis, ex Galen. *de vena ſectione aduerſus Eraſiſt.* Quapropter cùm in fœtus nutritione abſumatur ſanguis, neque tantùm eſt euacuandum, neque ita tenuiter eſt cibandum, ne ex vna, & altera euacuatione ſubſequatur aborſus, vel tam matris, quàm conceptus perditio.

*Fœtura eſt ſpecies euacuationis.*

*Hippocr. regulæ non ſunt vniuerſales.*

Neque dum vtero gerens morbo corripitur acuto, cenſendum eſt, eum morbum ſemper eſſe lethalem, cùm ſæpè videamus eas euadere, neque ex ſanguinis miſſione abortire, vt ait Hippocrates. Nam Hippoc. dogmata non ſunt vniuerſalia, ſed doctrinalia, vt à nobis alibi oſtenſum eſt. His ſufficienter ſit ſatis rationibus, & authoritatibus in contrarium poſitis.

§. I.

*Quo tempore, & occaſione ſit grauidis ſanguis mittendus, & ex qua vena.*

*Quod tempus grauidationis eſt aptius venæ ruptioni.*

EX ſuperiùs traditis patet, quod vtero gerentes poſſunt venæ ſectionem ferre, & quod pro morborum acutorum curatione ſæpè adminiſtrari debet. Nunc autem duo occurrunt non minùs neceſſaria. Vnum quod tempus grauidationis eſt aptius ad venæ ſectionem? Alterum, ex qua vena? Primum dubium ſoluunt Vall. 7. *controu. cap.*7. Ioannes Cortes *loco vt ſuprà.*

*Occaſio non prætereunda in morbis.*

In qua re dico primò, quód in quocumque tempore adſint ſcopi mittendi ſanguinem, ſanguinis miſſio eſt amplectenda, neque hoc indiget probatione; occaſio etenim in morbis acutis præceps eſt, & in qua tempus non multum, ex Hipp. 1. *aphor. textu* 1. & *lib. de præcept. propè initium.* Eraſmus *in prouerb.* & Alciatus *emblem.* 121. docent, quod quoties fortuna offert commoditatem, quæ tibi ſit apta, arripe eam; nam occaſio frontem habet capillatam, vt ea parte teneri poſſit; verùm ſi ſemel ſe verterit ab occipitio, calua eſt, vt iam apprehendi nequeat; non ergo prætereunda eſt.

*Tempus magis aptum ſanguini mittendo eſt quando minùs fœtus ſanguine eget, vt nutriatur.*

Dico ſecundò, quod tempus magis aptum ſanguini detrahendo eſt, quando minùs eo eget fœtus ad ſui nutritionem; quod tempus includit primò primos menſes, deinde ſecundos: in primis enim ſubtracto alimento, vel ſanguine miſſo, minùs offenditur, quia minori eget nutritione, & exiguum ſanguinem ſibi aſſumit fœtus, vt ait Hippocrat. *lib. de nat. pueri.* In vltimis magis quidem læditur, quia maiori nutritione, & copioſo alimento indiget; in mediis tamen medio modo ſe habet. Sed quia in mediis menſibus firmiorem coalitum habet fœtus, etiamſi non adſit tanta ſanguinis copia, ſicuti datur in primis, ſuſtinet quidem, & bene fert ſanguinis miſſionem.

*Purgatio lædit fœtum commotione humorum ad vterum.*

Neque ex ſanguinis miſſione ſequitur ea perturbatio, & commotio, quæ fit adhibito cathartico; nam purgatio lædit agitatione, & commotione humorum ad vterum; atque adeò eam interdicit Hipp. 4. *aphoriſm. textu* 1. primis ſaltem, & vltimis menſibus: ſanguinis autem miſſio alimenti ſubtractione nocet, quapropter tutiùs primis, & mediis menſibus adminiſtratur, quàm vltimis; quia illis menſibus adhuc ſolet redundare ſanguis, & ſecuriùs venæ ſectio adhibetur.

§. II.

*Quæ vena in grauidis ſit ſecanda.*

*Quòd in grauidis ſemper ſit ſecanda vena ex brachiis, proponitur, & fundatur.*

SEd ex qua vena ſanguis mitti debeat, hîc opus, hîc labor; ſunt enim pro vtraque parte Medici celeberrimi. Quidam enim ex brachiis ſemper tundendam eſſe venam, quidam ex talo firmiter tuentur. Primæ claſſis ſunt Horatius Augenius *de ſanguinis miſſ. c.*3. Merc. noſter ſuprà allegatus *de morbis prægnantium c.* 22. Magiſter meus Ponce de Sancta-Cruz *lib.* 1. *de rebus naturalibus magna auxilia impedientibus, c.*21. Mercurial. *lib.* 2. *de morbis muliebribus, cap.* 1. *propè finem.* Hic vltimus inſignis Author in hæc prorumpit verba: *Nunquam enim in grauidis licet ſanguinem mittere ex ſaphœna, eo quod ſuâ naturâ ea ſectio prouocat menſes; quod quidem pernicioſiſſimum eſt in grauidis.* Ergo erit mittendus ſanguis ex venis brachij; non tamen determinat ibi ex qua vena brachij. Noſter Mercatus magis ſub diſtinctione loquitur, & venam, quæ ſecari debet, ſtatuit ſic: *Verùm in omnibus ſanguinis detractionibus, quæ grauidis profuturæ ſunt, eam venam eligere conuenit, quæ maximè ab vteri venis diſſideat, ita vt quamminimam cum eis communionem habeat, qualis eſt vena humeraria, vel vrgente malo, communis; à reliquis verò abſtinendum, quippe quæ facilè alimentum adimunt.* Augenius, & Doctor Santa-Cruz idem amplectuntur, neque oportet eorum recitare verba. Fundamentum horum eſt; nam quidquid fœtum priuat à pabulo, abortum neceſſariò excitat, quoniam ex defectu pabuli neceſſariò ſequitur aborſus, vt ſuo loco patefecimus: ſed internæ cubiti venæ ſectio non ſolùm vt eſt auxilium euacuans, ſed etiam quatenus maiorem communionem habet cum venis vteri, ex quibus fœtus ſugit alimentum, eum ipſo pabulo proculdubio priuat: ergo eius ſectio excitat aborſum. De venis malleoli, vel tali minùs dubitant, quia iſtæ maius conſortium habent cum venis vteri, atque adeò plus ſanguinis euacuant de ipſis, ita vt non maneat ad fœtus alitionem; & inde ſequitur aborſus, ad quem excitandum prauæ, & fornicariæ mulieres ſæpè venæ ſectionem expoſtulant ex ſaphœnis. Confirmant ſuum placitum ex Hipp. 1. *de morbis muliebribus, c.*100. vbi ad facilitandum partum in iuuene multo ſanguine referta venas malleoli ſecare præcipit, quarum ſectio non poteſt minùs conferre ad prouocandum aborſum, quàm ad partum accelerandum.

*Venæ malleoli partum facilitant, ex Hippocr.*

*Proponitur ſententia, quæ aſſerit in grauidis conferre venæ ſectionem ex talo.*

Secundæ claſſis propugnatores ſunt Otheus *lib. de obſer. propriis*, Baptiſta Cortes *locis iam citatis*, Magninus *lib.* 2. *de regimine prægnant.* Moxius 3. *de morbis muliebribus acutis per venæ ſect. c.* 50. Zacutus *lib.*1. *de hiſt. Medic. Principum, q.*21. qui omnes teſtantur, quod ſi vtero gerens laboret morbo acuto infra renes, ſanguis eſt detrahendus ex talo; ſi verò morbo acuto ſupra renes infeſtatur, brachij venæ ſunt tundendæ. Fundamentum deſumunt ex Gal. *de euacuandi ratione c.* 16. & 19. & 13. *methodi, c.* 11. vbi

vbi aſſerit, quod licèt morbus indicet remedium, euacuatio tamen, quæ fieri debet à partis affectæ natura præſtatur. Et *cap.9.* ait: *Ergo tum hæ indicationes flegmonarum curationem immutantes à partium natura præſtantur; tum ſupra has, quæ tum ex poſitu, tum ex figuratione ſumuntur.* Ex his deducunt, magni eſſe momenti ad cuiuſque remedij executionem naturam, ſitum & figurationem partis affectæ conſiderare. Quapropter licèt conceptus, qui eſt res ſecundum naturam, petat ſuam conſeruationem; ſi tamen eſt adhibendum aliquod remedium, ſicuti non prohibet ſpeciem remedij, neque poteſt illius vtendi modum conturbare, imò debet obſeruari locus remedij, veluti ſi nullus eſſet conceptus; nam tunc conceptus ſolùm moderatur auxilij quantitatem, non tamen tollit, quod fiat ex loco conuenienti.

*In remedij executione venit conſideranda configuratio & ſitus partis, in qua debet exerceri remedium.*

Si igitur morbus acutus ſit ex vtero pendens, exempli gratiâ, & totum vitium ab vtero, tanquam à primæua radice, oriatur, tunc inquit Zacutus, nullum iuuamentum è brachij venis ſectis conſequi poſſumus, nam ad occaſionis initium deuenire eſt neceſſe, vt doctè ſatis admonet Valleſ. 2. *epidem. ſect.* 1. *text.* 22. vbi per occaſionem non ſolùm intelligit occaſionem externam, ſeu cauſam procatharticam, ſed etiam morbum, à quo ſymptomata, vel morbi per conſenſum oriuntur; hic enim præſtat occaſionem, vt alia ſuperueniant, ideoque ſubmoueri debet, vt alia, quæ ex illo pendent, auferantur. Vnde ſi morbus, vt inflammatio, ſit in vtero, illud remedium conuenit, quo citiùs talis dematur inflammatio. Hoc citiùs conſequimur ex venis diſſectis tali, propter maiorem communionem, quam habent cum venis vteri: ergo ipſæ ſunt ſecandæ.

*Ad occaſionis remedium à primæua radice eſt deueniendum.*

Vide igitur perilluſtris Doctor, vtriuſque ſententiæ fundamenta valde inter ſe diſſidentia; nam prima docet venæ ſectionem debere fieri ex vena, quæ minorem communionem habet cum venis vteri, ne diſtracto pabulo fœtûs ſequatur aborſus. Altera venam ſcindere iubet eam, quæ maiorem communionem habet cum venis vteri, dum morbus eſt in partibus inferioribus, vt ſic euacuato humore morbum in vtero cauſante, citiùs liberetur ægra. Ecce iam conſtituta controuerſia.

*Vtriuſque ſententiæ fundamenta ſunt contraria.*

Ante tamen, quàm hanc difficilem quæſtionem diſſoluamus, aliqua veniunt examinanda, primò circa primam ſententiam, ſecundò circa ſecundam. Circa primam ſuſpectum apparet, & maximè diſplicet Moxio, & Ioanni Baptiſt. Cortes, quod Authores primæ ſententiæ affirmant; videlicet, quod debemus ſecare venam, quæ minorem communionem habet cum vtero, qualis eſt vena humeraria, & vrgenti malo communis; interna verò non eſt ſecanda, inquit Augenius, & rationem affert: *Quia vena interna habet maximam cum vtero ſocietatem.* Hanc ſocietatem maiorem non inueniunt iſti Authores, neque fundamentum habere poteſt ex anatome, ſi quis rectè anatomen percalleat: nam vena caua, ſi Gal. credimus *lib. de diſſect. venarum, cap.2.* & aliis, poſtquam à iecoris gibba exoritur, in duos inſignes ramos diſtribuitur, quorum vnus ſurſum, alter deorſum ſe expandit.

*An fundamentum primæ ſententiæ habeat vim efficacē, & in quo eius vis conſiſtat.*

Qui ſurſum aſcendit, plures habet ramificationes; huic ſuccedit inſignis ramus, qui in dextrum cordis ventriculum implantatur, deinde illa vena, quæ azygos, ſeu vena ſine pari dicitur, ſuccedit, quæ à corde exiens ſurſum rapta vſque ad iugulum, ibi vtrimque ad latera diſtribuit, nempe ad brachia, venas quaſdam, quarum vna ſub axillis vadens, interiùs ſe extendit manifeſtè vſque ad cubitum; altera ſuper iugulum tendens ad exteriorem regionem humeri peruenit. Ex iis prior eſt vena iecoraria interna, ſeu baſilica dicta; altera eſt humeraria, cephalica, ſeu externa. Ex iis iuxta cubitum oritur ramulus vtramque connectens, qui dicitur vena communis, & ab Arabibus vena nigra.

*Vena cauæ ramus aſcendens breuè deſcribitur.*

Hæc venarum delineatio veriſſima eſt (dimitto alias prolixitatem fugiens) quâ ſuppoſitâ, dicendum eſt, quod vena interna, & externa ortum ducunt à ramo ſuperiori venæ cauæ; & vena communis eſt ramus venæ, pendens ab vtraque, originem ab vtraque accipiens. Iſtæ ergo venæ non poſſunt habere ſocietatem cum venis vteri, niſi mediante trunco venæ cauæ, à quo procedunt: ergo cùm omnes illæ venæ oriantur ab vno trunco, ratione illius debent habere commercium cum venis vteri: ergo non eſt maior ratio, quare vna habeat conſortium maius cum venis vteri, quàm altera; ſiquidem vna non habet maius conſortium cum trunco, à quo dependet, quàm altera.

*Vena interna, & externa brachij ab vno ramo originem capit, & habet æquale conſortium cum vteri venis.*

Hac ſuppoſita veritate, cui etiam libenter acquieſco, abſque vlla abortus formidine cenſent iſti præclari Authores, quod in grauidis morbo acuto laceſſitis, ex qualibet brachij vena poteſt mitti ſanguis, quia nulla ex illis habet maiorem ſocietatem, ſeu connexionem cum vtero, quàm alia, accuſantque Mercatum, & alios tanquam anatomiæ inſcios.

Verumtamen licèt hi Authores vera dicant, ſi attentè venarum deſcriptio conſideretur; nihilominus veriſſimam cenſeo Mercati, Augenij, & aliorum ſententiam, dum dicunt in grauidis eſſe fugiendam venæ internæ ſectionem; quod etiam comprobat Zacutus *lib.* 1. *de Medic. Princip. hiſtoria, obſeruat.* 30. vbi ait: *Grauida ſanguine miſſo ex vena interna abortit.*

*Mercatus & alij liberantur à calumnia.*

Sed meritò inquiri poteſt, quare ex huius venæ ſectione aborſus ſequitur, præſertim cùm probatum ſit, non habere vnam venam brachij maiorem ſocietatem cum venis vteri, quàm aliam.

*In quo conſiſtat conſenſus venæ baſilicæ cum venis vteri.*

Reſpondeo id prouenire ex maiori copia ſpirituum, qui effunduntur ſectâ hac venâ, quàm aliâ diſſectâ.

Iterum dubitatur, quare potiùs ex ſectione huius venæ plures ſpiritus vitales diffunduntur.

Facilè ab hoc dubio me expediam dicendo, quod hæc vena ſub ſe continet arteriam, quæ aliis non ſubiacet, à qua ſpiritus facilè tranſmittuntur ad ipſam venam, ita vt ſpiritibus ſit magis plena quàm aliæ duæ, ex cuius ſectione maior ſpirituum copia euacuatur, quàm ex aliarum ſectione.

*Vena baſilica habet ſub ſe arteriam.*

Præterea, vt conſtat ex Galeno *lib. de euacuandi rat. per ſanguinis miſſion. cap.*16.*&* 2. *de rat. victus, comment.*10. venæ internæ ſectio conducit ad euacuationem humorum, à quibus interni morbi dependent; & propterea Mundinus aſſerit, quod venæ baſilicæ ſectio magis confert ad pleuritidem. Quod forſan etiam deſumpſit ex eodem Galeno proximè citato; atque adeò cùm habeat conſortium cum venis partium internarum, dum ſcinditur, magna copia ſpirituum extrahitur; & propterea illius ſectio maximè grauidas offendit, & euacuatis ſpiritibus, facilè trahitur in conſenſum vterus; nam qui intra corpus manent, à corde trahuntur in ſui ſubſidium; quo tempore fœtus deſtituitur ſpiritibus, quibus egebat ad ſuas obeundas actiones; & hoc modo dici poteſt, quod hæc vena habet ſocietatem cum venis vteri; aliter enim ratio ex anatome deſumpta conuincit; & hoc modo ſunt intelligendi Authores aſſerentes venam baſilicam habere commercium cum venis vteri, ita vt niſi in magna inflammatione interna, & magna vrgente vi, non ſit ſanguis mittendus ex illa, vt tenet Amatus Luſit. 1. *cent.* 3. tunc etenim citò ægræ ſubuenire debemus morbi cauſam velociter euacundo, cautè tamen, & partitis vicibus, propter timorem aborſus, & virium lapſum.

*Vena internæ ſectio confert ad morbos pectoris, & aliarum partium internarum.*

Circa

*Timoroſum valde eſt in vtero gerentibus ſanguinem mittere ex talo.*

Circa aliam ſententiam non minùs ſe offert dubium; timoroſum enim valde eſt in grauidis ſanguinem mittere ex talo: quod ſi fortè ſuperueniat aborſus ex illa venæ ſectione, vertitur in calumniam, & opprobrium Medici: & quia facilè ex ſectione huius venæ aborſus prouocatur, meritò Hippocrates in iureiurando promittit, ſe nunquam ſanguinem mittere ex talo, quaſi inſinuans, quod inter remedia aborſum prouocantia maximam vim poſſideat illius venæ ſectio. Ratio eſt; nam licèt venæ ſectio non cauſet aborſum, niſi quatenus fœtum ab alimento priuat, ea priuatio magis cauſatur ex venæ tali ſectione, ob maius conſortium cum venis vteri; & propterea reformidant omnes venæ ſectionem ex illa parte.

*Sæpè ſine aborſu fieri ſolet ſanguinis miſſio ex talo.*

Neque obſtat, quod ſæpè ſanguis mittitur ex ſaphœnis citra aborſum, de quo periculum fecere mulieres fornicariæ plures, quæ cupientes obſcurare ſuum peccatum, tentarunt venæ ſectionem ex talo, quam ſæpè ſuſtulerunt ſine aborſu. Hoc, inquam, non obſtat; nam licèt in muliere grauida plethorica ſanguinis miſſio ex illa vena aborſum non pariat, imò ſæpè impeditur, quia poterat cauſari ex ſanguinis multitudine fœtum ſuffocante; maiori tamen cum ſecuritate ea venæ ſectio exhibetur ex venis brachij, atque adeò non eſt facile tentare venæ ſectionem ex talo. Hoc ſuppoſito, ſequentes ſtabiliendæ ſunt concluſiones.

## PRIMA CONCLVSIO.

*In morbis acutis partes ſupra renes moleſtantibus vena communis ſectio conuenit.*

In morbis acutis grauidarum partes ſupra renes infeſtantibus, ſemper ſanguinis miſſio eſt conſulenda ex venis brachij, præcipuè ex vena communi. Hæc concluſio ita recepta eſt, vt probatione non egeat; faciliùs enim, citiùs, & ſecuriùs euacuamus humorem morbum cauſantem ex venis, quæ maius conſortium habent cum partibus affectis, quàm diſſectis illis, quæ minorem colligantiam habent cum eiſdem partibus. Vlteriùs minùs ſubtrahitur de alimento pro fœtus nutritione, ſicque minùs timetur aborſus.

*Quare commendatur vena communis ſectio potiùs quàm humeraria, contra Mercatum, & alios.*

Inquires tamen, quare potiùs ſanguinis miſſionem commendo ex vena communi, quàm ex humeraria, quam eſſe ſecandam docent Augenius, Mercatus, & alij.

Reſpondeo, quia curamus morbum acutum periculo plenum, cuius cauſam amouere ocyſſimè conuenit, eaque citiùs aufertur factâ ſanguinis miſſione ex vena communi, quæ annectitur baſilicæ, & humerariæ; nam cùm partes internæ per ramulos ortos ex baſilica habeant ſocietatem cum illa, facta venæ communis ſectione, ocyùs tollitur cauſa morbum inducens, quàm factâ euacuatione ex humeraria.

*Plenitudine præſente timenda eſt vena externa ſectio.*

Accedit ad hoc, quod ſi adeſt plenitudo, nunquam tutò adhibetur talis venæ ſectio; nam ex vi euacuationis illius repleri ſolet ſanguine caput, & apoplexiâ corripi, vel alio capitis graui affectu, vt à nobis in aliquibus hiſtoriis antecedenter enarratum eſt.

*In affectibus capitis præſente plenitudine non eſt ſecanda vena humeraria.*

Imò adhuc in affectibus capitis, in quibus eſt neceſſaria ſanguinis miſſio, præſente plenitudine venam communem præſcindere iubent Authores. Merc. 1. *de intern. morb. curatione*, *capit.*7. Pereda 1. *de curand. morb. cap.*4. iubent ſecare baſilicam, ſeu communem ante humerariæ diſſectionem. Zacutus *lib.*1. *praxis hiſtoriarum*, *cap.*3. in curatione doloris capitis, inquit: *A plethora ſi habeat ortum, obſeruatis præceptis, quæ ſupra tradidimus, media vena ſecanda, deinde cephalica.* Ratio depromitur ex Galen. 3. *de locis affectis*, *cap.*3. vbi docet vniuerſalia remedia debere præcedere topica, ſeu particularia;

*Vena ſectio ex cephalica eſt remedium topicũ capitis.*

& quia ſanguinis miſſio ex cephalica eſt remedium particulare capiti conferens, nequit fieri præſente plethora, quin euacuatio vniuerſalis, quæ fit per alias venas, priùs exerceatur. Si igitur in morbis capitis, dum pendent à cauſa venæ ſectionem poſtulante, timent Authores ſanguinem mittere ex cephalica, multò magis timeri debet, quando morbus afficit alias partes.

*Obiectio.*

Poteſt obiici contra dicta: Si remedium eſt offerendum, quoties morbum debellamus acutum, qui in partibus internis viget, melius erit ſecare baſilicam, propter rationem tactam de communione huius venæ cum partibus affectis.

*Reſponſio.*

Reſpondeo, quod citiùs curaretur ille morbus, non tamen ita tutò, propter magnam euacuationem ſpirituum, qui euacuantur tunſa baſilica, vt ſuprà diximus; quapropter cùm media, ſeu communis vena, tam humerariam, quàm internam amplectatur, eius ſectio confert in grauidis pro curandis morbis capitis, & aliarum partium ſupra renes exiſtentium, niſi ita periculoſus morbus exiſtat, vt cogat Medicum ad ſanguinem mittendum ex baſilica; quo in caſu eam tundere non renuerem, cùm ſit periculum animæ in mora, & dilatio ſit maximè aliena ab arte medica, vt inquit Hippocrates *in hiſtor. ad Crateuam.*

*Dilatio in arte medica peſſima.*

Neque in hac parte eſt ſequendus Baptiſta Cortes *loco præallegato*, qui docet, nullum eſſe inconueniens ſecare vnam venam potiùs quàm aliam, ita vt iudicet vtile, & ſecurum ſecare venam baſilicam, & aliam quamcumque ſine diſcrimine: quod quàm falſum ſit, ex dictis facilè conuincitur.

## SECVNDA CONCLVSIO.

*Vena tali eſt ſecanda in morbis malignis cum bubonibus, & antracibus in partibus inferioribus.*

In morbis malignis, & peſtilentibus, in quibus bubones, antraces, & vlcera maligna partes infra renes infeſtant, venæ ſectio ex talo eſt imperanda, tam in viris, quàm in fœminis, ſiue ipſæ ſint grauidæ, ſiue non. Hæc concluſio eſt euidens, & oppoſita omnimodè damnari debet; & qui contrariam tuentur, ægros è medio viuorum eximunt. Eam tenendam docent Merc. *tract. de peſte*, agens de venæ ſectione facienda in bubonibus, & antracibus peſtilentibus, vbi aſſerit ſanguinem eſſe extrahendum ex vena proximiori parti, in quam irruunt humores venenoſi, & peſtilentes, aliter (inquit) ſi humores contra impetum naturæ ducerentur in alias partes, in illas ſuum impartirentur venenum, facilliméque ægrum interficerent: ergo cùm bubones, ſeu carbunculi ſunt infrà renes, ſi ratione illorum fiat venæ ſectio, exercenda venit ex partibus infernis. Idem docet faciendum Didac. Merinus *cap. de febre peſtilenti*, Iacobus de Lenchampus *lib.*2. *de peſte*, Bernard. de Senio *in curat. peſtis cantagioſæ ex putredine humorum*, Zacutus 1. *de Medic. Principum hiſtoria*, *obſeru.*29. qui docet, quod in vaſta illa peſtilentia, quæ anno 1600. maximâ cum mortalium clade totam Europam, præſertimque Hiſpaniam afflixit, innumeræ grauidæ in inguine, genu, tibia, & alia inferiori parte bubones, vlcera, & carbunculos habentes, celebratâ ſæpius venæ tali ſectione, ſummam ſentientes vtilitatem leuatæ fuere. Idem & nos ſtatuimus *lib.*5. *de peſtil. febris curat.* Neque in hoc diſcordare poſſunt Authores, atque adeò alios libenter ſilentio prætereo. Neque in his caſibus ſunt excludendæ grauidæ; nam ſi contrarium fiat, ita vt humores venenoſi, venæ ſectione, vel aliter reuellantur ad partes ſuperiores, facillimè diram qualitatem cordi communicare valebunt, & inde ocyſſimè interficere; quod grauius erit, quàm grauidam abortire, præſertim cùm occaſione abortus, humoribus diſtractis à corde, ægra valeat liberari.

*Qualiter reuulſio fieri debet in morbis peſtilentibus.*

Quapropter exiſtimo, quod reuulſio tunc adminiſtratur optimè, ſi fiat ex partibus longè à corde diſſitis. De deriuatione, & euacuatione, quod debeat fieri ex parte proxima, aut eadem, iam ſuo loco inſinuaui. Sic etenim naturæ motum adiuuamus, quem conuenienter efficit mouendo humores veneficos ad partes diſtantiſſimas, cuius motum coërcere, vel ad contrarium efficere, erit ægram è medio tollere. His accedit, quod dum natura potens eſt, & aliquem abſceſſum ſiue criticè, ſiue ſymptomaticè facere tentat, tunc ad diſtantiſſimas partes, vt ad crura, mittit humores, vt ait Hippoc. 3. *prognoſt. text.* 37. vbi in periculoſa peripneumonia abſceſſum ad crura optimum eſſe dicit. Gal. *in com.* ait: *Abſceſſus optimi ſunt, ſi maximè deorſum, & quamlongiſſimè ab ægrotatione abſiſtant*; indicant enim naturæ robur, neque aliter ſe tueri natura poteſt, & ab imminenti periculo liberari in peſtilentibus his morbis, niſi humorem, qui de propè eſt, & cor ſuâ veneficâ qualitate torquet, ad partes diſtantiſſimas, vt ad crura, trudat; neque quis noſtræ ſcientiæ gnarus audebit illum humorem diuertere, & iterum verſus cor mouere.

*Abſceſſus in diſtantiſſimis fiunt partibus, natura valente.*

Dices: Ex venæ ſectione ex talo prouocatur aborſus, quem fugere debemus. Dico, quod ex venæ ſectione ex brachio interficitur ægra: dicant ergo opinantes contrarij, an ſit melius grauidam, & fœtum ſimul perdere, quàm aborſum prouocare. Neque ex ſanguinis miſſione ex ſaphœnis pro certo habetur, quod ſuperueniat, cum ſæpè remaneat ſanguis pro grauidæ, & fœtus nutritione, ita vt dicat Cortes, quod venæ brachij, & tali indifferenter ſe habent ad aborſum prouocandum, vt ab aliquibus mulieribus ſæpè fuit expertum.

*In morbis peſtilentibus, & malignis vena ſectio ex talo eſt maximè vtilis.*

Neque ſemel, ſed pluries diſputatum eſt à doctoribus, an in morbis peſtilentibus, & malignis venæ ſectio ex talo poſſit conferre? Quod dubium abſoluimus *in noſtro tract. de febre peſtilenti, & maligna*, vbi ex Galeni mente diximus, ſibi in quadam peſtilentia, quâ ipſe fuit apprehenſus, ſcarificaſſe crura, ſicque liber euaſit ab illa dira peſte. Sed ne eius, quod alibi dixi, fiat per me inanis repetitio, lege epiſtolam Doctiſſimi Ioſephi Galeani, Siculi Panormitani, *de febre epidemica*, in qua hic præclarus vir inter plura, quæ breui volumine, ſolerti ingenio pertractat, dilucidè hanc difficultatem abſoluit, in cuius comprobationem celeberrimos Medicos citat, nempe Mercatum noſtrum, Ioannem Colle, Euſtachium Rudium, Zacutum Hebræum, Ioannem Philippum Ingraſſia, Siciliæ Archiatrum digniſſimum, Horatium Augen. Danielemque Sennertum, & me quoque citat. Alios Authores prolixitatem fugiens prætermiſit, qui eandem tenuere ſententiam.

Ex dictis infero, quod non ſolùm in morbis malignis, & peſtilentibus, in quibus bubones, antraces, vel vlcera maligna in partibus infra renes elucent, eſt ſanguis mittendus ex talo, ſed ſæpè contuenit, etiamſi malignitas tota ſit in partibus ſuperioribus recondita. Nam ſi huiuſmodi auxilium confert quammaximè ad ſalutem, humorem prauum reuocando ad partes diſtantiſſimas, & illius motum ad cor, vel ad cerebrum cohibendo, cogimur certè in grauidis adhuc tale exercere remedium, etiamſi aborſus periculum immineat.

## Tertia Conclvsio.

*Non in omnibus morbis acutis infra renes eſt ſanguis mittendus ex talo.*

Non in omnibus morbis acutis infra renes ſanguis eſt mittendus ex talo; ſed in aliquibus. Hæc concluſio eſt media inter eam, quæ venam ſecare ſemper prohibet ex talo; & inter eam, quæ docet, quod

A

in morbis acutis infra renes ſanguis ſemper eſt ex talo ducendus. Pro cuius intelligentia notandum eſt, quod partium inferiorum morbi poſſunt afficere vterum, ibique maximè fœtum lædere, vt ſi in vtero fiat eryſipelas, inflammatio, vel febris ſynochus ex ſanguine detento in magnis venis vteri; quod febris genus ſæpè accidit, vt fatur Gal. 6. *epidem. ſectione* 1. *phraſi* 2. Vel morbi lædunt alias partes inferiores, putà crura, femora, pedes, &c. His prænotatis dico primò: Si morbi acuti, de quibus loquimur, vterum vexant, ſanguis eſt mittendus ex talo.

*Si morbus vexat vterum, ſanguis eſt mittendus ex talo.*

Hæc aſſertio habet defenſores eos omnes, qui docent in morbis acutis infra renes vexantibus ſanguinem eſſe mittendum ex talo. Ratio fundamentalis eorum eſt ſuprà tradita, quam denuò repetere non recuſo; nam horum morborum curatio debet incipere ab eo remedio, quod citius, & ſecurius

B

morborum cauſam remoueat: hoc facit venæ ſectio ex talo: ergo ab ea incipere debemus. Maior de ſe patet; nam morbus pendens ex cauſa auferri nequit cauſa præſenti: debet ergo remoueri. Minor ex anatome deprehenditur, nam venæ tali habent maius conſortium cum venis vteri, & magis euacuant cauſam morbificam in vtero exiſtentem, quàm venæ ſuperiores; ſicque citiùs ſuccurritur ægræ, & naſcitur maior ſecuritas, quo citiùs auferatur morbus.

*Explicatur locus Hip. de alimento, vbi agit de conſenſu partium inter ſe.*

Obſtare quis poterit, quoniam facta venæ ſectione ex brachiis, morbi vteri cauſa aufertur; nam vt ait ſummus Dictator *libro de alimento*, conſenſus vnus, conſpiratio vna, & omnia inter ſe conſentientia, &c. Ergo etiamſi venæ ſectio fiat ex brachiis, non deficit conſenſus inter ipſam venam brachij, quæ ſcinditur, & venas vteri; ſiquidem vterque ramus, ſcilicet ſuperior, & inferior, oritur ex vnico venæ cauæ trunco, à quo vterque ſanguinem recipit, & in vniuerſum corpus diſtribuit.

C

*De conſenſu communi, & particulari agitur.*

Dico, quod in euacuationibus iis non ſolùm expoſtulatur ille conſenſus vniuerſalis partium inter ſe, ſed alius particularis, & magis propinquus parti affectæ, quo citiùs auferimus morbi cauſam: qui conſenſus datur inter aliquas partes, licèt detur etiam communis. Idque euidenter demonſtratur in peripneumonia, & pleuritide, dum ſanguinem mittimus; tunc etenim ex Gal. mente, & communi cenſu non recurrimus ad venas partium inferiorum (omitto Auicennæ ſententiam, quæ iam receſſit ab vſu) ſed ad venam baſilicam, quæ magis peculiarem conſenſum habet cum locis affectis, quàm aliæ venæ; & in morbis capitis ſimiliter confugimus ad ſectionem venæ communis, vel humerariæ, propter eandem rationem: ergo pari ratione in morbis vteri debemus recurrere ad illius venæ ſectionem faciendam, quæ maiorem conſenſum, & colligantiam habet cum venis vteri, per quam citiùs aufe-

D

ratur morbi cauſa, ex cuius detentione ægra ob morbi vehementiam ad vitæ extremum deducitur. Vena igitur tali eſt ſcindenda.

Inſtabis iterum: Hæc ſanguinis miſſio priuat fœtum ab alimento, & prouocatur aborſus? Reſpondeo, quod dum adeſt inflammatio, vel eryſipelas in vtero, aut ſynochus naſcitur ex illo, ſupponit redundantiam bilis, vel ſanguinis in vtero; qui ſi non auferatur, breuiter ſuffocabit fœtum, vel ſuis prauis qualitatibus interficere valebit. Quapropter conuenit ſanguinem mittere ex parte, ex qua ſanguis lædens citiùs euacuatur, & attemperatur; eſt enim, vt iam dictum eſt, in morbis acutis occaſio præceps.

*Confirmatur hæc praxis hiſtoriis.*

Comprobat noſtram ſententiam Zacutus 1. *de Medic. Princip. hiſtor. obſeruat.* 26. vbi refert fœminas plures in vltimo grauidationis menſe conſtitutas

epilepſiâ

epilepſiâ grauiſſimâ fuiſſe correptas ex vteri conſenſu, quæ omnes ſectâ venâ ex brachiis perierunt apoplecticæ, ad ſuperas partes ſanguine reuocato; at verò plures aliæ acutiſſima epilepſia prehenſæ ſectâ iterum atque iterum venâ in talo, feliciter pepererunt. Et *obſeruat.*27. nonimeſtrem epilepſia correptam ex conſueta hæmorrhoïdali euacuatione ſuppreſſa curauit ſectis venis vtriuſque tali, & hirudinibus ſedi applicitis; quæ quidem conualuit, & feliciter peperit. Matthæus de Gradi *conſ.*77. licèt reſpuat euacuationem ex talo, eam tamen laudat in tempore proximo partui.

*Morbi infra renes vterum lædentes, nec maligni, non ſunt curandi venæ ſectione ex talo.*

Dico ſecundò: Morbi acuti infra renes, & non maligni, qui vterum non lædunt, venæ ſectionem ex brachiis, & non ex talo expoſcunt. Hanc defendunt concluſionem omnes illi, qui in quocumque caſu venæ ſectionem ex talo in grauidis prohibent, vt Mercatus, Augenius, Mercur. &c. Ratio eſt euidens, nam ex ſectione venæ tali ſubtrahitur alimentum fœtui, & aborſus periculum imminet. Quod ſi non ita citò ex ſectione venarum brachij aufertur morbi cauſa, nihilominus maiori cum ſecuritate procedimus, neque prouocando aborſum in nouas anguſtias ægram incidere facimus. Vnde exiſtimo, quod ſi ratione morbi acutiſſimi citiſſimè remedium expetentis non ſe offert maximum vitæ periculum, neutiquam venæ ſectionem ex talo conſulerem; vrgente tamen neceſſitate, talem venæ ſectionem non eſſe contemnendam iudicarem.

*An vno crure malè ſe habente alterum ſcarificare liceat.*

Contra dicta tamen eſt locus Galeni 13. *methodi, cap.*5. vbi vno crure malè ſe habente alterum ſcarificare præcipit: ergo quoties pars inferior malè ſe habet, adſitque neceſſitas mittendi ſanguinem, ex venis inferioribus eſt extrahendus.

Fit ſatis huic dubio, ſi dicamus, quod Galenus conſiderat facilitatem, quâ humores deorſum mouentur; & propterea ſi manus malè ſe habet, docet etiam ſcarificare crura; & vno crure malè ſe habente, alterum: inſinuans per hoc facilitatem quâ deorſum humores feruntur; tamen præceptiones practicæ, vt alibi aſſerui, non ſunt vniuerſim accipiendæ, ſed pro vrgentiæ ratione temperandæ. Quia ergo fœtus ſui, & matris conſeruationem poſcit, factâ ſanguinis miſſione ex parte inferiori, dum vterus benè ſe habet, accidit ſæpè aborſus, ſimulque fœtus, & mater perire ſolent; & propterea cogimur aliquando à regulis communibus deuiare, & fœtus eſt ibi venæ ſaphœnæ ſectionem vetans.

Iterum contra dicta inſurges. Fœtus non prohibet ſpeciem remedij, videlicet ſanguinis miſſionem ex brachio; ſed illud moderatur: ergo neque debet perturbare eius vtendi modum, imò debet obſeruari locus remedij, qui ex partium natura, ſitu, & figuratione ſumitur, vt ſuprà diximus ex Gal. 13. *methodi, cap.*9. & 11.

Reſpondetur facilè, quod ſicut fœtus moderatur quantitatem remedij, ſiquidem minùs extrahimus ſanguinis, quàm poſtulat morbus, vt ſufficiat pro matris, & fœtus nutritione; ita etiam propter eandem rationem facit mutare remedij locum, ne adhibita venæ ſectione ex talo, ob alimenti defectum ipſe pereat; nam licèt adſit præſentia poſtulantis, eſt ibi conceptus impediens illam venæ ſectionem ex talo: quapropter non in morbis omnibus partium inferiorum eſt exercenda. Hæc ſufficiant pro hac difficili controuerſia.

### §. III.

### *An vtero gerentes ſint purgandæ, & quo tempore, & qua occaſione.*

ACcedimus iam ad vltimum, quod promiſimus de purgatione, & occaſione purgandi grauidas, de qua non minùs dubitatur, quàm de ſanguine mittendo. Et licèt Hipp. & Gal. paruam, aut nullam feciſſent mentionem ſanguinis miſſionis; purgationem tamen commendarunt, ſaltem materiâ turgente, à quarto grauidationis menſe vſque ad ſeptimum. In qua re videtur mihi dicendum cum Valleſ. 7. *controuerſ. cap.*7. quod in quocumque tempore grauidationis vel eſt par neceſſitas ſanguinis miſſionis, & expurgationis, vel impar: ſi hoc, cuius minor eſt neceſſitas, maiori cum periculo ſuſcipitur; ſi tamen vtriuſque par eſt neceſſitas, potiùs ſanguinis miſſionem conſulerem, à Gal. admonitus 2. *de ratione victus, comm.*11. vbi ſic: *Etſi per ſectionem venæ minus auxilium ſequatur, quàm per purgationem, ſecurius tamen multò exiſtit; faciliùs enim expurgatione fœtus decidit.* Rationem inſinuat Galen. 4. *aphoriſm. comm.*1. dicens: *Quia ad vteros fœtûs connexus habent eandem proportionem, quam fructuum connexus ad plantas; & ſicuti fructus in prima generatione debilioribus capulis continentur, & ideò facilè decidunt, quando vehementior ventus ipſos concuſſerit, poſthac aucti difficilem habent à plantis diſſolutionem: ſicuti rurſus cùm perfecti ſunt, ſponte ſua ſine vi extrinſeca decidunt, eodem modo in conceptibus accidit.* Et propterea Hippoc. in dicto aphoriſmo præcipit purgare turgente materiâ, à quarto ſcilicet menſe, & vſque ad ſeptimum; quia eo tempore firmiorem coalitum habet fœtus, quàm in primis, & vltimis menſibus, in quibus ex leui ſaltu, motione, vel animi paſſione facilè decidit. Accedit ad hoc, quod dum par eſt neceſſitas mittendi ſanguinem, & purgandi, iucundiùs ſuſcipitur ſanguinis miſſio, minùs commouet ægram, minúſque anxiam reddit, neque eget tanto apparatu, vt expurgatio.

*Difficilè purgatio adhibetur, & quare.*

*In primis, & vltimis menſibus turgente materia quid faciendum.*

Sed adhuc licèt ab omnibus admittatur Hippoc. doctrina, non tamen caret difficultate, quia non implicat, quod humor turgeat primis, & vltimis grauidationis menſibus; ſicuti non implicat, quod grauida illis menſibus corripiatur morbo acuto ex humore turgente: ergo tunc neceſſariò eſt recurrendum ad medicamentum purgans. Antecedens notum eſt, conſequentia eſt euidens; nam in valde acutis medicari oportet eadem die, tardare enim in talibus malum eſt, ex Hippoc. 4. *aphoriſm. textu* 10. & in principiis morborum turgente materiâ non eſt expectanda coctio, ſed ſtatim materia euacuanda per purgationem, ex eodem 1. *aphor. textu* 22. Rationem reddit Gal. *in com.* nam timor eſt, ne materia illa mota decumbat in partem principem, quæ ſi quieſcat, excitat magnam febrem, & cauſat inflammationem internam, vireſque deiicit. Vt ergo hæc fugiamus incommoda, ſtatim propinare debemus medicamentum purgans: ergo non ſolùm à quarto menſe, & vſque ad ſeptimum eſt adhibenda purgatio, ſi materia turget, vel vrget; ſed etiam primis, & vltimis menſibus.

*Materiâ turgentis incommodâ præferűtur.*

Huic dubio ſic ſatisfaciendum cenſeo, dicendo, quod Hipp. non denegauit omnimodè purgationem primis, & vltimis menſibus; ſed ipſe voluit oſtendere, quod purgatio facienda ſit mediis menſibus, nempe à quarto ad ſeptimum, in quibus fit cum maiori ſecuritate, & cum minori periculo aborſus, propter maiorem coalitum, quem habet fœtus ad vterum, quàm aliis menſibus, in quibus ſi adhibetur purgatio,

imminet periculum aborſus, propter rationem ſuperiùs ex mente Galeni aſſignatam.

*An in vtero gerentibus ſint excludendi quartus, & ſeptimus menſis.*

Sed nondum eſt ſoluta difficultas circa tempus magis opportunum ad purgationem; nam cùm dicat Hipp. quod vtero gerentes ſunt medicandæ à quarto menſe, & vſque ad ſeptimum, vertitur in dubium, an quarto, & ſeptimo menſe ſit purgandum, ita vt includantur hi menſes intra numerum eorum, in quibus debet purgari; vel ſint excludendi, veluti primi, & vltimi. Auic. *fen.21. tract.* 3. *cap. de conſeruat. embrionis*, aſſerit eſſe purgandum quarto, & ſeptimo menſe, ita vt incluſiuè intelligantur, inquit enim: *Et pharmacum, quod ſoluit, eſt de ſumma illarum cauſarum, quæ cauſant aborſum, quare oportet, vt caueatur eius diſpoſitio ante menſem quartum, & poſt ſeptimum.* Huius ratio eſt, nam quarto menſe iam firmatus eſt puer in vtero, & ſeptimo firmiùs eſt alligatus; quare his temporibus maximâ cum ſecuritate, ſi adeſt purgandi neceſſitas, poſſumus medicamentum purgans propinare.

*Vallefij ſententia admittitur, & veritas illuſtratur.*

B Vega, Valleſ. & alij in commentario allatæ ſententiæ, quantum ad ſeptimum menſem, contrarium defendunt, (nam de quarto non dubitant;) inquiunt enim, quod tres primi, & tres vltimi menſes ſunt minùs ſecuri ad medicandum; alij verò tres medij, nempe 4.5.6. ſunt magis apti, vt cum minori aborſus periculo purgatio adhibeatur. Horum ratio ſatisfacit; nam ſeptimo menſ ſolet contingere partus naturalis, & ſæpè eſt grauidationis terminus: ergo ſicuti in vltimo menſe timemus aborſum, in ſeptimo ipſum timere debemus, quia dum partus naturalis acceleratur, ſeptimus menſis habet rationem vltimi.

*Partus ſeptimo menſe factus eſt naturalis.*

Quod verò ſeptimo menſe partus fiat naturalis, à nemine dubitatur: lege Hippocrat. *libro de ſept. & octimeſtri partu.* Chaſſaneum *l. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hominum*, Platonem *libro* 5. *de Republica*, Vlpianum *in leg. inteſtato* 3.§. *final. ff. de ſuis, & legitim. hæredibus*, Paulum *in leg. ſeptimo menſe, ff. de ſtatu hominum*, Alfonſum à Carranza *capite* 10. *de ſeptimeſtribus.* Debet ergo ſeptimus menſis numerari inter menſes extremos grauidationis, licèt non ſemper ſortiatur rationem vltimi, atque adeò illum cauere debemus. Neque minùs efficax ratio deſumitur ex Hipp. *lib. de alimento*, vbi agens de proportione, quam ſeruant grauidationis tempora inter ſe, inquit quod fœtus in vtero mouetur ad exitum ſeptimo menſe: & idem docet *lib. de octim. partu*, vbi aſſerit octimeſtres non viuere, quia cùm incipiant moueri ad exitum ſeptimo menſe, per talem motum defatigantur, & non poſſunt ferre laborem talis motus, & illius qui octauo menſe ſuperuenit. Quapropter qui octauo menſe in lucem prorumpunt, fatigantur nimis, & pereunt. Si ergo fœtus ſeptimo menſe eſt in motu, & fatigatus ab illo, & eodem tempore adhibeatur medicamentum purgans, vlterior concitabitur motus, & inde aborſus ſubſequetur. Confirmant noſtrum placitum verba textus Hipp. citati 4. *aph.*1. vbi has minùs eſſe purgandas dicit, & per *has minùs*, Vega intelligit eas, quæ ſunt in ſeptimo menſe, quas minùs purgare debemus, quàm eas quæ ſunt in 4. 5. & 6. propter maius aborſus periculum; licèt Hugo Senenſis *ſuper hunc locum*, aliter interpretetur mentem Hip. nam aſſerit, quod has, ideſt grauidas, minùs debemus purgare, in quocumque tempore, quàm non grauidas; quia ſicuti, vt diximus, fœtus licèt permittat remedium, moderatur tamen illud. Quapropter vrgente neceſſitate, vel turgente materia, licèt medicamentum purgans ſit ex vſu, eius tamen quantitatem moderatur fœtus, atque adeò grauidas minùs purgabimus, præſertim iuniores, & ſeniores, propter rationem inſinuatam à Galeno ex fructi-

*Proportionem ſeruant inter ſe tempora grauidationis.*

A bus recentibus, vel iam maturis deſumptam.

Iuxta hanc doctrinæ veritatem, quæ mihi clarior luce apparet, non eſt amplectenda Auic. ſententia, dum aſſerit, quod contraria diſpoſitio ad purgationem eſt poſt ſeptimum, cùm certum ſit, quod in ſeptimo non ſit expurgatio eâ ſecuritate, quâ mediis menſibus. Et ſicuti errauit Auic. dicens, quod poſt octo menſes cauere debemus occaſionem medicamenti purgantis, vt legenti patebit, quaſi oſtendens, quod in octauo menſe adeſt purgandi occaſio; ita ſimiliter præſtat occaſionem errandi, dum ait, quod poſt ſeptimum non debemus purgare, inſinuans, quod in ſeptimo purgatio eſt conueniens.

His manet ſoluta noſtra quæſtio rationibus, & authoritatibus confirmata, quam magis ad longum pertractare nolui, ne potiùs confuſionem, quàm claritatem parerem. Hanc tibi committo, vt ſi in aliquo deficere videar, tuæ rationis fræno inhibeas; nam vt dicitur *Eccleſiaſt.* 4. *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi. Melior eſt etiam manifeſta correctio, quàm amor abſconditus*, vt dicitur *Prouerb.* 27. Salutem humanam exopto, in illius gratiam hæc, & alia typis dare cupio; mallem ſiquidem propriam amittere ſalutem, quàm in rebus tanti momenti in errorem incidere, & à veritate deuiare. Vale.

*Melius eſt à ſapiente corrigi, quàm à ſtultorum adulatione decipi.*

## OBSERVATIO I.

*De quadam vetula inſomni, diarrhæa laboranteillioſa, venæ ſectione curata.*

*Hiſtoria refertur.*

MVlier nobilis ſenio confecta, quoties inſomnis redderetur, neutiquam dormire poterat, C quouſque ſanguis illi venæ ſectione extraheretur, quo ſemel miſſo, ſtatim ad ſomnum inclinabatur, ita vt nullum remedium ei congruentius appareret. Hæc eadem ſæpè incidebat in diarrhæam ex bile ortam, quæ nullo modo cedebat remediis, donec vteretur venæ ſectione, quâ breuiſſimè alui fluxus ſiſtebatur. Erat naturâ gracilis nimis, bilioſa, ætate ſeptuageſimum annum excedens, victu boni ſucci vtens; neque abhorrebat vinum, imò illud immodicè bibebat, exiſtimabat enim vinum eſſe ſuæ ſenectutis baculum, & vt alij dicunt, vinum eſt lac ſenum: cumque gracilis, & excarnis ipſa fuiſſet, tota reddebatur frigida, tum ratione ætatis, tum etiam quia à frigiditate partium ſpermaticarum, quæ in ipſa tantùm elucebant, facilè offendebatur, quo factum fuit, vt non poſſet ſe abſtinere à vino: cumque haberet hepar calidum, & ſiccum, alimentaque calida, & vinum aſſumeret, neceſſariò debe-D bat generare humores ſupra ſanguinem, qui dum excederent debitam proportionem in quantitate, & qualitate, naturæque moleſtiam inferrent, eos per infernam aluum reiiciebat, cauſabatque prædictum ſymptoma in iis, quæ excernuntur præter naturam. Neque hoc ſemel in hac ægra vidi, ſed in quadam Monacha Diui Bernardi, in Conuentu Regio de las Huelgas huius Ciuitatis Pintianæ, quæ frequenter hoc laborabat affectu; erat etenim habitu gracilis, bilioſa, & in hepate dominabantur calor, & ſiccitas, ſicque magnam bilis quantitatem procreabat, ita vt ferè ſemper hac euacuatione bilioſa moleſtaretur; factâ tamen venæ ſectione ex brachiis, ſedabatur euacuatio, & per plures dies libera à tali euacuatione permanebat.

ANNO

## ANNOTATIO.

DVo referuntur ſymptomata in hac hiſtoria, videlicet quod ægra, dum eſſet inſomnis, ſeu vigilans, non poterat conciliare ſomnum abſque venæ ſectione, neque coërcere alui fluxum, dummodo non vteretur eodem remedio. Quanam autem ratione huic ægræ talia euenerunt accidentia, non eſt intellectu difficile; quare autem venæ ſectio profuiſſet, non ita facilè: breuiter tamen omnia patefaciam, & incipiens ſermonem à ſomni defectu, ſi ſemel cognoſcamus cauſas, quæ ſomnum auferre valent, ſciemus etiam, quare hæc ægra reddebatur inſomnis. Gal.3. *de locis*, *cap.* 5. agens de cauſis vigiliæ aſſerit, calorem primum obtinere locum, deinde ſiccitatem; quapropter bilioſi, calidique morbi vigilias, deliriaque efficiunt; & loquens de ſomno, & vigilia in diuerſis ætatibus, *ſenes* (inquit) *ob ariditatem vigiliis vexantur.* Quia ergo hæc ægra agebat vltimam ætatem, in qua ariditas præualet, ſimulque habebat prædominium bilis, propter hepatis temperiem calidam, & ſiccam, & potum vini, & alimentorum calidorum eſum, non mirum, quod eſſet vigil, & quod non ſolùm frigidorum, & humectantium vſu deberet curari, ſed etiam euacuatione humoris calidi, & ſicci, qui ſuis qualitatibus cerebrum diſtemperabat, ægramque inſomnem efficiebat; neque erant capiti topica auxilia adminiſtranda, quin priùs præceſſit vniuerſalis illius humoris euacuatio.

*Cauſa vigiliæ, & ſomni proponuntur.*

Sed quia humor ille bilioſus ægram in ſtatu cacochymiæ conſtituebat, cuius vitium in qualitate medicamento purganti auferri ſolet, ſiquidem purgatio ex Gal.2. *aphoriſm. comm.*2. eſt *humorum qualitate peccantium euacuatio*; magis rationi conſonum videtur in tali caſu adhibere medicamentum colagogum, quàm ſanguinis miſſionem, quæ debetur potiùs ſanguinis multitudinī, qua ægra potiùs indigebat, quia in ipſa ſolùm elucebant ſigna redundantiæ bilis. Vlteriùs cum per venæ ſectionem extrahatur ſanguis, qui ſuâ naturâ calidus, & humidus exiſtit, ſuâ humiditate poterat conciliare ſomnum, proindeque ſanguinei, & morbi pendentes ex ſanguine, ſecum afferunt ſomnum. Si ergo ſanguis extrahitur, reuerà magis ſiccum redditur cerebrum, & minùs ſomniferum; quapropter vt inutilis reiicienda videtur venæ ſectio.

*Cacochymia debetur purgatio.*

Nihilominus dicendum eſt, ſanguinis miſſionem non eſſe interdicendam in hoc caſu, quamuis adſit cacochymia; nam *vnuſquiſque eſt phlebotomandus propter ſanguinis multitudinem, aut propter ipſius malitiam, aut propter vtrumque*, vt ait Auic. *fen.*4.*lib.*1. *doct.*5. *cap.*20. quod deſumpſit ex Galen.9. *methodi*, *cap.*11. quare etiamſi ſit ſanguis bilioſus, qui qualitate infeſtat, venæ ſectione extrahi ſolet, ſicque in febre ardenti, & aliis febribus ex putredine ortis ſanguinem mittimus; & tamen adeſt ſanguinis vitium in qualitate. Etenim hoc remedium virtute multiplex, euacuat equidem omnes humores indifferenter, plenitudinem demit, obſtructiones tollit, reuellit, deriuatque, & inter refrigerantia commendatur à Gal. *lib. quod animi mores*, *&c. cap.*3. Quod ſi per ſe non refrigerat, vt aqua frigida, & alia medicamenta poteſtate talia, ex accidenti tamen calidam intemperiem ſanat, vt ait Galenus *libro* 10. *methodi*, *capite* 10. in quem finem ordinatur in febribus continentibus, quas ſynochos vocant, vt ipſe eodem loco refert.

*Sanguinis miſſio eſt virtute multiplex remedium.*

Sed quia etiam purgatio ex accidenti ſaltem refrigerare valet, quatenus humorem calidum detrahit, vt ibi etiam faſſus eſt Gal. debemus determinari ad hoc remedium exequendum, potiùs quàm ad aliud,

*Purgatio ex accidenti refrigerat.*

A ex aliquo ſcopo, ſeu indicante venæ ſectionem potiùs quàm expurgationem.

Reuerà hoc punctum pluries vidi agitatum in noſtris ſcholis, à paucis tamen reſolutum, neque in præſenti eſt à nobis diſputandum; ſufficit tamen dicere, quod in noſtra ægra conueniebat hoc auxilium potiùs quàm purgatio, quia vt ait Gal. *lib.*1. *de arte cur. ad Glauc. cap.*13. *Qui calidi, & ſicci naturâ ſunt, facillimè ab integris euacuationibus offenduntur.* Quæ euacuationes in ipſis difficiliùs feruntur, dum fiunt colagogis medicamẽtis, quæ calida, & ſicca ſunt, quibus magis læditur æger, ob ſiccam & calidam illius temperiem: quod docuit expreſsè Hipp. 5. *epidem. in hiſtoria ægroti* 6. qui extenuatus erat, & medicamento purganti deteriùs ſe habebat; ſectâ tamen venâ ex vtraque manu, vſquedum exſanguis redderetur, iuuatus fuit, & liberatus à morbo. Galenus præterea 6. *epidem. ſect.*3. *in textum* 29. mulieri extenuatæ octo menſes ſuppreſſione menſtruorum laboranti ſanguinem extraxit liquidæ pici ſimilem, & vehementer leuata fuit; & quamuis ille ſanguis totus eſſet vitioſus, & qualitate peccans, largiter euacuatus fuit venæ ſectione, non verò expurgatione.

*Ægrũ extenuatum ſanguinis miſſione curauit Hipp.*

B

Hæc igitur doctrina facilè accommodari poteſt noſtræ ægræ, quæ (vt dixi) erat extenuata ob ætatem ſenilem, & temperiem bilioſam, habebatque caput calidum, & ſiccum, propter eandem rationem, ita vt haberet ad vigilandum promptitudinem; miſſo tamen ſanguine refrigerium accipiebat in capite, eo quod tale auxilium refrigerat, ex accidenti ſaltem; euacuat ſiquidem humorem bilioſum, qui ſuo calore, & ſiccitate vigiliam excitabat, quo euacuato facilè refrigerebatur cerebrum, & humectabatur, ita vt ſomnus conciliaretur, ſicque ab hoc ſymptomate libera perſiſtebat.

*Quare ſanguinis miſſio ſomnum aliquando conciliat.*

Neque euertit noſtram doctrinam Gal. *lib.* 2. *de element.c.*3. vbi aſſerit: *Si quis ſanguinem auferre tentaſſet iis, qui ſufficienter extenuati ſunt, ſtatim eos occidiſſet?* Reſpondetur ibi Gal. aduerſùm Aſclepiadem ſcribere, qui cenſebat medicamenta purgantia non attrahere humores ſibi familiares, ſed ſolùm prodeſſe ratione euacuationis, etiamſi humor attractus non eſſet ille, qui euacuationem petit: contra quem inſurgit Galen. aſſerens, quod ſi ſolùm ratione euacuationis cuiuſcumque humoris remedium euacuans eſt vtile, ſequeretur quod etiam ſanguinis miſſio in extenuatis nimis, qui petunt euacuationem aliquam, eis conueniret, & quod non eſſet neceſſaria medicamenti purgantis adminiſtratio. Vbi Galenus per extenuatos intelligit eos, qui ſunt tabidi, & conſumpti, & ferè exſangues; non verò extenuatos ratione ætatis, & propriæ naturæ; nam hi, dum bilis eos infeſtat, benè venæ ſectione curantur; illi verò eodem remedio occiduntur.

C

*Extenuati qui venæ ſectionem non ferunt.*

Maius dubium ſe offert circa ſecundum ſymptoma, an ſcilicet in curatione diarrhææ conueniat ſanguinis miſſio. Hippoc. hoc auxilium prohibet in quolibet alui fluxu, ita vt ad ſanguinem mittendum priùs ventrem firmare præcipiat, 4. *de rat. vict. text.*17. vbi Gal. *in com.* in hæc prorumpit verba: *Fluente aluo ſanguinem non detrahes; nam ſi poſt detractionem perſeuerat fluor, virtutem proſternit.* Idem ipſe 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.*13. vbi agens de euacuatione in febribus, inquit: *Quòd ſi fuerit febris cum ventris profluuio, non eſt opus alia euacuatione; verùm hæc ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione.* Igitur dum adeſt fluxus ventris, non eſt venæ ſectio facienda; ſed ſi opus eſt remedio ad eum compeſcendum, eſt aliter procedendum.

D

*An in curatione diarrhææ conueniat ſanguinis miſſio.*

In hac re plura veniunt conſideranda. Primò enim certum eſt ex doctrina Gal.12. *methodi*, *cap.*1. quod ſymptoma, quà tale eſt, non expoſcit curationem;

*Symptoma, vt tale, non exigit curationem.*

tionem; nam ablato morbo, cuius eſt veluti vmbra, ipſum aufertur; tunc tamen ad ſe arripit curantis conſilium, quando induit rationem lædentis, & morbi vicem gerit, ſicque alui fluxus, vt ſymptoma eſt, neque venæ ſectionem, neque aliud poſtulat auxilium.

*Alui fluxus fit dupliciter, criticè, aut ſymptomaticè.*

Secundò iſte fluxus poteſt eſſe criticus, vel ſymptomaticus: criticè dum fit, petit plures conditiones, quas refert Auic. *fen.*4. 1. *cap.*3. vt probè fiat; qui ſi cum illis conditionibus accidat, totus naturæ eſt permittendus, iuxta Hip. 2. *aphor. text.* 20. nam *quæ iudicantur, & iudicata ſunt integrè, neque mouere, neque nouare medicamentis, vel aliter oportet.* Si tamen non integrè iudicatur, id quod deficit, ſupplere nos conuenit, ait Gal. *in com.* idque admonet faciendum Auic. *fen.*1.4. *tractat.*2. *cap.*7. dicens: *Si natura non mouet, moue tu motu conuenienti motui eius.* Sicque eo tempore naturæ motus eſt adiuuandus. Quando ergo alui fluxus criticè fit à natura, diminutè tamen, & ab arte adiuuari debet, certum eſt, quod nequit adiuuari ſanguinis miſſione, quia potiùs venæ ſectio impediet naturæ motum, tuncque adiuuandus eſt clyſtere aliquo purganti, qui opus à natura inceptum perficere valeat. Non igitur eſt noſter ſermo de hoc alui fluxu, ſed ſed de ſymptomatico, qui petit cohiberi. An verò ſit adiuuandus aliquando, diximus *lib.* 4. *de febribus*, vbi probauimus, quod euacuationes ſymptomaticæ contra Siluaticum ſæpè vtilitatem afferunt, ita vt in euacuatione tentata per aluum liceat clyſterem iniicere, vt humor qui paratus eſt fluere, concitetur ad motum; non tamen eo caſu audebimus ſanguinem extrahere, cum in ordine ad illum ventris fluxum nihil poſſit conferre. Remanet ergo dubium, an ad ſiſtendum alui fluxum ſymptomaticum, dum modum excedit, poſſit venæ ſectio conferre, vel dum in febribus fluxus ventris ſymptomaticè aduenit, prohibeat venæ ſectionem.

*An alui fluxus ſiſtatur venæ ſectione.*

*Fluxus alui ſymptomaticus non eſt ſtatim ſiſtendus.*

Pro vno, & altero dubio fluxus alui, ſiue in febre, ſiue extra febrem, non eſt illicò ſiſtendus; nam ſi ex cruditatibus ventriculi ſuperuenit, vnicum eſt cruditatis remedium, vt docet Gal. 1. *de aliment. facult. cap.*7. aluus enim adſtricta præcedente cruditate, ſolet ſuccendere febrem, ex eodem 8. *method. cap.*5. Quod etiam indicare viſus eſt Celſus *lib.*4. *cap.*19. ſic: *Vno die fluere aluum, ſæpè pro valetudine eſt, & pluribus, ſi febris abſit, & intra ſeptimum conquieſcat; purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, extra eiicitur.* Quod autem alui fluxus in morbis ſymptomaticè ſuccedens non ſit ſemper cohibendus, probauimus latè 4. *de febrium vniuerſ. cur.* contra Siluaticum, & alios.

*In diarrhæa biliofa conuenit ſanguinis miſſio.*

Quantum ad primum de diarrhæa bilioſa, de qua eſt noſter ſermo, dum extra febrem aduenit, ob iecoris videlicet intemperiem calidam, quæ gignit humores mordaces, & acres, qui eroſionem cauſare poſſunt in inteſtinis, & dolorem excitant in eis, dummodò vires validæ ſint, mihi videtur venæ ſectionem maximè conferre, tum ad refrigerandum hepar, tum ad reuellendum humorem ad inteſtina dilabentem. Hæc eſt Auic. mens *fen.* 4. 1. *cap.*2. vbi ſic: *Amplius phlebotoma, propterea quod ad diuerſum trahit naturam, ſecundùm plurimum retinet*; & vt legit Mantinus, *aluum valdè adſtringit.* Id comprobat omnium Medicorum placitum in dyſenteria, in qua, nemine diſſentiente, venæ ſectio fit, quæ vt remedium reuulſorium, & refrigerans adhibetur.

Dices, eum humorem eſſe extra ſanguinis conſortium, qui nequit euacuari venæ ſectione. Inutilis euaſio; non enim ſanguinem mittimus, vt euacuetur humor, qui eſt extra venas, ſed ille qui intra

A venas paratus eſt fluere, cuius motum ad inteſtina compeſcit ſanguinis ad aliam partem retractio. Similiter in pleuritide bilioſa amplectimur ſanguinis miſſionem, neque eſt ſecurum adhibere purgationem, ex Gal4. *de rat. victus*: ergo maiori cum ſecuritate eſt amittenda in diarrhæa bilioſa. Demùm Galen. *lib. de reuulſ. cap.*2. in fluxione ad ventrem docet reuellere ad manus; hæc autem reuulſio optimè fit venæ ſectione, ſic enim humorum motus compeſcitur, hepar refrigeratur, imò & attemperatur bilis, quæ remanet, illiuſque qualitas mordax mitior fit. Ex quibus conſtat, quantam vim habere poteſt ſanguinis miſſio ad delendam diarrhæam ex bile; atque adeò ab eius vſu maximè iuuabatur ægra, cuius narrauimus hiſtoriam.

*In febribus an alui fluxus venæ ſectionem prohibeat.*

Secundum, quod propoſuimus, eſt fluxus alui ſymptomaticus cum febre, in quo ſi vires ferant, morbuſque venæ ſectionem poſtulet, ſanguinem B mittere debemus; nam ſi ea euacuatio ſufficiens non ſit, ſiue ſit alui fluxus, ſiue vomitus, vel ſanguinis è naribus fluxus, vel alia quæuis per aliam quampiam regionem facta, neutiquam venæ ſectionem prohibet, dum ipſa per ſe non eſt ſufficiens ad auferendam morbi cauſam: quod inſpiciens Gal. 9. *methodi, cap.*5. ait: *Quod ſi tempore mittendi ſanguinem menſes ſuperueniant, vel hemorrhois ſit recluſa, ſi inſpectus fluentis impetus ſatis fore videbitur, qui ſolus quod requiris, vacuet, naturæ rem omnem permittes; ſin minus, tantùm detrahes, quo ex coniunctis ambobus perficiatur, quod poſtulas.* Primo etiam prorrhet. *com.* 3. *text.*49. præcipit venæ ſectionem in morbi principio quibuſdam, ſi vires valentes ſint, ſanguiniſque redundantiam habeant, præſente vomitu, vel ventris perturbatione. Quapropter ſanguinem extrahere debemus adhuc præſentibus aliquibus harum euacuationum, dum Medicus probabili coniecturâ aſſequitur, talem euacuationem non C ſufficienter ſatisfacere; quo caſu eius defectum ſanguinis extractione ſupplere debet.

*Euacuatio ſymptomatica in febribus an impediat remedia euacuantia.*

Ad Hippoc. & Gal. authoritates reſpondetur, quod fluente aluo criticè ſanguis non eſt extrahendus. Verumtamen cùm 1. *de arte cur. capit.* 13. in febre cum ventris profluuio, non eſſe opus alia euacuatione aſſerat, ne in grauiora pericula ægri perducantur, ibique loquatur de euacuationibus ſymptomaticis, non ſatisfacit reſponſio. Quare dicendum, quod ideò prohibet Galenus adiuuare euacuationem illam, vel ſanguinem mittere, non quia ipſe velit eſſe ſtandum illi euacuationi, ſed potiùs Medicos reddit cautos ad aliud auxilium euacuans exercendum, ne vires proſternantur ex euacuatione ſponte facta, & ea, quæ ab arte fit; tunc enim non debet euacuari quantùm exigit morbus, ſed eſt etiam accidentibus aliquid relinquendum, quæ quidem vicem gerunt cauſæ, vireſque deiiciunt, vt vigiliæ D immodicæ, aut dolor intenſus, & alia huiuſmodi. Quia ergo accidentia, quæ vires debilitant, fluxus alui locum habent, non mirum ſi dicat Galen. quod dum febris fuerit cum ventris profluuio, non eſt tentanda alia euacuatio.

*Quomodo cognoſcat medicus euacuationem eſſe ſufficientem.*

Rogabis tamen, quomodo poteſt Medicus cognoſcere, an ea euacuatio poſſit eſſe ſufficiens, & in tanta quantitate, vt non egeat adiuuamine Medici, vel ita diminuta, vt poſſit adiuuari, vel ſanguis mitti; hoc autem cognoſcere impoſſibile iudicat Matthæus Siluat. *contr.*27. Hoc punctum tetigi 4. *de febrium curat. quæſt.* 6. illudque abſoluit Gal. *lib.*9. *methodi, cap.*5. & *de præcognit. ad Poſthum. cap.*13. vbi ex impetu euacuationis, & copia eius, quod euacuatur, deprehendi docet; nam ſi impetuosè fluat humor, & in magna quantitate, neque poteſt adiuuari, neque alia euacuatio fieri; aliter enim ægrum

ægrum in ſummum deduces diſcrimen. Neque ſi ea euacuatio remiſsè incipiat, ſtatim eſt adiuuanda, vel alia facienda; nam poteſt incrementum accipere, etiamſi in principio non ſit pro multitudinis ratione, vt ait Galenus *loco cit. de arte curat.* Attamen ſi tempore, quo poterat adaugeri, lentè fiat, ita vt non impediat venæ ſectionem, ſi morbus eam poſtulet, neutiquam eſt dimittenda, ſed moderatè facienda, vt ſic ex vtraque euacuatione fiat ſatis morbi cauſæ. Hæc autem venæ ſectio largiùs fieri poteſt in diarrhæa ex ſanguine, præcipuè ſi aliquod membrum ſit mutilatum, vel aliqua ſanguinis euacuatio ſit ſuppreſſa. Neque in hac parte eſt ſequendus Pereda *lib.* 1. *ſchol.* 36. vbi aſſerit primò, quod euacuationes omnes ſymptomaticæ ſunt malæ, atque adeò ſiſtendæ: cuius ſententiæ fuit Capibac. 1. *aphor. paraph.* 20. Secundò, quod diarrhæa ex ſanguine eſt propria dyſenteria, cùm propria dyſenteria ex Gal. 3. *de cauſ. ſymp. cap.* 2. ſit vlcus inteſtinorum, in quo parua, frequens, & cruenta deiectio per aluum fit. Tertiò, quod in principiis morborum, dum adeſt biliosa diarrhæa, non eſt ſanguis detrahendus, cuius contrarium docuimus in præſenti, licèt alibi aliter pronuntiauimus, & à probatiſſimis Authoribus defendatur. Hanc difficultatem ex profeſſo pertractat Zacutus Hebræus *lib.* 2. *de Medicorum Princip. hiſt. obſeru.* 81. qui noſtram amplectitur ſententiam, contrariamque acriter impugnat.

---

## OBSERVATIO II.

*Pro quadam nobili ægra iuuene, laborante duplici tertiana continua per ſubingreſſum, ex vteri vaſis prodeunte, frigore, horrore, & acceſſionibus epilepticis, aliiſque plurimis vexata.*

*Hiſtoria refertur.* MOnialis virgo ætate iuuenis, naturâ calida, & ſicca, cuius hepar humores ſupra ſanguinem generabat, hyſtericis frequenter affectiònibus moleſtabatur, faciléque ex vtero in affectionem epilepticam incidebat; non tamen ſpumam ex ore reiiciebat. Hæc igitur in æſtatis fine correpta fuit frigore moleſtiſſimo hora octaua ante meridiem, cum horripilatione, ita vt eius corpus frangi videretur. Frigus ad tantam deueniebat extenſionem, vt duodecim horarum ſpatium excederet; deinde febris creſcebat, & indeſinenter moleſtabat, donec altero die nouum ſuperueniebat frigus; non tamen febris calor erat intenſus nimis, neque mordacitatem habebat. Hunc tenorem ſeruauit per plures dies, in quibus inſtante acceſſione ei maximè dolebat ſynciput, ſimulque tota ventris regio, in qua rugitum, & tormina ſentiebat, difficiléque reſpirabat, vt ſpeciem ſuffocationis pateretur. Anxia erat, neque in vno latere quieſcere poterat. Vrinam habuit crudam, tenuem, & ferè albicantem, cuius cruditas in longum tempus fuit protracta. Ei poſt vigeſimum diem ſuperuenit dolor in femore ſiniſtro, ſedatus tamen fuit venæ ſectione ex brachio eiuſdem lateris. Hanc curandam ſuſcepimus à prima morbi inuaſione, cui ſubuenimus clyſteribus, & ſanguinis miſſione ex talo, quia exiſtimauimus mineram putredinis fuiſſe in vaſis, quæ ad vterum terminantur, & ex brachiorum venis, & purgationibus repetitis per vices, ſeu interualla, frictionibus, cucurbitulis, præcipuè in partibus inferioribus, & vnguentis infra vmbilici regionem, in ventriculo, & corde; neque aliter poterat iſte affectus corrigi, & emendari. Deniquead A conterendas humorum reliquias, vteri vaſorum obſtructiones delendas, vſi ſuimus potione pluribus diebus ſumpta, quâ paulatim febris ad deſitionem peruenit, omniaque accidentia ceſſarunt, ita vt ex toto liberaretur ab hoc morbo immani.

### ANNOTATIO.

PLurima mentione digna hîc annotari debent; maioris tamen claritatis gratiâ, tria faciam. Primò, quonam morbo fuit affecta, & à qua parte originem duxit morbus, referam. Secundò accidentium ſyndromem, & eorum cauſas proponam. Denique curationem adducam, quibus quidquid in hiſtoria caſus propoſiti continetur, amplectemur.

Ad primum deueniendo, circa huius morbi naturam nulla eſt dubitatio; repetebat enim quotidie cum frigore partium extremarum, & horripilatione vexante nimis: deinde febris apparebat, donec B alterum ſuperueniret frigus, & horror. Ex quibus deducimus duo, & quod plurimùm extra vaſa putreſceret humoris, neque aliter frigus, & horror percipi poſſet; & quod ea febris non eſſet ex continuarum genere abſolutè, ſed earum, quæ continuæ dicuntur per ſubingreſſum, quoniam nondum abſumptus eſt humor putreſcens extra vaſa, quando denuò alter ex vaſis ad extra tranſmittitur humor, qui alterius acceſſionis, frigoris, & horroris initium præbet. *Huius febris natura patefit.*

Si enim humor intra venas putreſceret ſine frigore, & horrore, febrilis acceſſio continuò fieret, neque humor ad partes ſenſu præditas deuenire poterat, neque in eis moleſtiam excitare. *Quare frigus, & horror fit in febribus.*

Quod verò febres continuæ fiant ab humoribus putreſcentibus intra venas, manifeſtauimus *lib.* 3. *de cauſis febrium, quæſt.* 8. ex Galeni mente pluribus in C locis, præcipuè tamen 2. *de criſibus, cap.* 3. *&* 6. & 2. *de different febrium, cap.* 1. *&* 2. quem ſequitur Auic. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 1. At ſi extra venas humores deferuntur, interpolatam, ſeu intermittentem cauſant febrem, aut eam, quam continuam ſubintrantem appellamus. Plures rationes excogitari poſſunt aduersùs promulgatam doctrinam, quarum abſolutionem protulimus *quæſt.* 8. *cit.* eaſque conſultò non refero, ne pluries idem repetamus. Hæc febris taliter inuadens, & quotidie ſic repetens, duplex tertiana vocitatur, de qua Galen. 2. *de differ. febrium, cap.* 2. ait, quod nullum præcipuè obtinet nomen, non tamen prohibet, quod quiſque pro ſuo arbitrio imponat nomen, modò rerum obſeruet differentiam. Hæc enim in modo repetendi differt ſolùm à tertiana notha, in reliquis tamen conuenit cum illa, petitque eandem curationem; forſanque Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc.* propter iſtam rationem ſolùm curationem tertianæ nothæ propoſuit. *In febribus continuis humor putreſcit intra venas.* *In quo differunt tertiana duplex, & notha.*

D Huius febris cauſas, & ſigna annotauimus proprio capite, in quo diximus, quod hæc febris dependet ab humore pituitoſo, & bilioſo commixtis, & nonnunquam cum miſcella humoris melancholici, repetens quotidie cum rigore, vel horripilatione, & frigore, & ſæpè de tertio in tertium diem, cum maiori exacerbatione. Quando bilis admiſcetur pituitæ, dicitur ab Auic. cholera maioris famæ, vel poteſt dici febris maioris famæ; quandò verò admiſcetur melancholiæ, dicitur minoris famæ, febriſque ex huiuſmodi cauſa inſurgens, febris minoris famæ dicitur. Reliqua pete ex proprio loco. *Huius febris cauſa proponuntur.*

In ægra plura apparuerunt ſigna, quæ antecedenter, & conſequenter oſtendebant febrem initium habuiſſe ex bile pituitæ in magna quantitate admiſta, necnon melancholiæ. Antecedenter etenim ob æſtatis *Signa antecedentia febrem, & conſequentia proponuntur.*

 calorem,

calorem, & hepatis, non ſe potuit abſtinere à potu aquæ niue refrigeratæ, qua multos progenuit humores frigidos: attamen ratione caloris hepatis, & conſtitutionis temporis gignebat ſimul humores ſupra ſanguinem; neque parum ad vtriuſque humoris geneſim adiuuabat eſus fructuum, olerum, & lactis, quibus toto illo tempore æſtiuo veſcebatur, à quibus humoribus natura grauata, & laceſſita ſentire cœpit totius corporis laſſitudinem, quæ futurum morbum prænuntiabat. Subſequenter frigus extenſum, & horror indicabant hanc febrem, eiuſque deſignabant cauſam, videlicet dominium pituitæ, ratione cuius frigus ita præualebat, & bilem craſſam vſtione genitam, quæ horrorem producebat; ſimulque oſtendebant vtrumque humorem, & vapores ab ipſo exortos, qui partes grauando, & diſtendendo, totius corporis veluti fractionem doloroſam producebant. Sed quia humores craſſi, frigidique difficilè calefiunt, non mirum, quod frigus protraheretur, ſimulque vapores difficilè reſoluerentur, qui attenuati à calore non nimis intenſo, non tamen reſoluti, aut diſſipati, totius corporis partes offendebant, ita vt quieſcere non poſſet. Vrina cruda, & ad albedinem vergens ſimul cruditatem, & pituitæ redundantiam ſignificabat. Rugitus ventris, & illius tormina diſtenſionem à flatibus exortam portendebant, ſimulque difficilis reſpiratio, quæ eo tempore fiebat ob compreſſionem ſepti tranſverſi ab eiſdem vaporibus illatam: vnde non mirum, ſi anxia, & anguſtiis plena redderetur, dum obſeſſum haberet ab eiſdem vaporibus pectus, & cor. Sed quia antea facilè in morbum incidebat comitialem, ex vteri conſenſu, pluries perſeuerante febre, eodem morbo fuit affecta, vehementerque oppreſſa; quapropter exiſtimaui, non ſolùm hunc morbum ab vtero initium ſumpſiſſe, ſed etiam febrem, & reliqua accidentia, vt rugitus, & dolor totius ventris, & ſyncipitis; indicationemque ſumpſimus à remediis illi parti admotis, quibus meliùs ſe habebat. Idque coniecimus ex mœſtitia, quam habebat; & quia rebus odoriferis infrà adhibitis, & malè olentibus ſuprà admotis iuuabatur, accidentia que praua febrem inſequebantur, eis quæ in hyſterica affectione elucent, quamſimillima.

*Quare in febribus frigus extenditur.*

*Symptomatum plurium cauſa in hoc morbo connumerantur.*

*Febris hac habuit ortum ab vteri venis.*

Quod autem febris quandoque ex vteri vaſis oriatur, docet Galen. 6. *de morb. popul. ſect.* 1. *phraſi* 2. habet enim vterus plurimas, grandiſſimaſque venas, quæ ſæpè ſanguine replentur, & ab eius multitudine, ſeu craſſitie obſtruuntur, quo putreſcente, febris accenditur, ibique gignuntur ſæpè febres ſynochæ dictæ, vt ipſe ibi teſtatur. Si ergo febris continua, vt ſynochus, à ſanguine ibi putreſcente exoritur, indeque putredo toti maſſæ ſanguinis communicatur, benequidem ab eodem ſanguine, vel altero humore alterationem, & initium putredinis ſubeunte in eodem loco poterit fieri febris intermittens, ſeu continua ſubintrans, qualis fuit febris, de qua agimus, tranſmiſſo humore ex illo loco ad aliud extra venas, qui non multùm diſtet ab vteri vaſis, vt pro comperto habuimus in hac ægra.

*Vterus habet plurimas, grandeſque venas.*

Rogabis tamen, quare in hac febre ab vteri vaſis nata dolor magis infeſtat capitis partem interiorem ſinciput dictam, cùm mulieres ſemper affirment eis in vteri morbis dolere partem poſteriorem, & occiput, non verò ſinciput; quod videtur contrarium aſſertioni Hipp. & Galeni.

*Quare in hac febre fuit factus dolor in ſincipite.*

Reſpondeo ex Gal. *eodem loco*, quem ſequitur Vall. quod in febribus à vaſis vteri initium habentibus dolores accidunt ſecundùm ſinciput, ob fumos calidos, qui per copioſas, & magnas arterias, quæ in vtero ſunt, aſcendunt, per arteriaſque carotidas feruntur in caput, quarum plures, ſicuti & venæ iugulares, tendunt in ſinciput, non verò in partem poſteriorem.

In vteri verò præfocatione, in qua corpus vteri retrahi ſolet, ſentiunt dolorem tenſiuum ad neruorum exortum, qui magis ſpectat ad ſpinalem medullam, & poſteriorem partem, quàm ad ſinciput; proptereaque dum vterinis moleſtantur affectibus ſine febre, dolor eas in occipite moleſtat, ibique de eo conqueruntur.

*In vteri præfocatione ſine febre dolor ægram infeſtat ſecundum occiput.*

Iterum rogabis, quam ob cauſam, dum ſoluebatur epilepſia, non mittebat ſpumam ex ore, vt frequenter accidere ſolet.

*Spumam quare quidam epileptici non eiiciunt ex ore.*

Hoc dubium ſolutum reperies in praxi, *cap. de epilepſia*, vbi in obſeruatione pro laborante epilepſia ex vteri conſenſu diximus, quod ſpuma fit ex humore craſſo, intra quem aër, aut vapor includitur, qui ſua leuitate materiam illam humidam eleuat, tumefacit, & ſpumam facit; efficienter tamen concurrit motus, vt apparet in equo currenti, inter cuius crura generatur ſpuma; & in aqua feruenti, in qua eleuatur ſpuma, cuius productionem calor adiuuat flatus, & vapores gignendo, quia quæ aut alteri ſubſtantiæ liquidæ admixti, ampullas, & ſpumam faciunt. Ita Gal. 2. *aphor. phraſi* 43. Quia ergo epilepſia hæc pendebat ex flatu vteri ad caput perueniente, & ægra non habebat in capite humorem glutinoſum, ſeu craſſum, intra quem includeretur ille flatus, ideò nequibat ſpumam gignere, neque in hac ægra tantùm, ſed in aliis pluribus, ob eandem rationem ſolet ſolui acceſſio epileptica ſine ſpumæ emiſſione ex ore.

Quantùm ad prognoſticum attinet, certum erat, febrem longè duraturam, cùm ex magna humorum crudorum copia ortum duceret, vrinæque eſſent crudæ; ſicuti enim coctæ iudicij celeritatem oſtendunt, ita crudæ longitudinem denuntiant; cruda enim & incocta, vel in malos abſceſſus conuerſa, aut labores, aut acriſias, aut morbi longitudinem oſtendunt, ex Hippoc. quod docet ex aliis etiam ſignis deprehendere.

*Praſagium.*

Ad curationem deuenientes, regimen primò circa res non naturales adſtruimus; ſed quia morbus ex cruditatibus pendebat, inediam in principio imperaui; *initia enim morborum* (inquit Celſus) *famem, & ſitim deſiderant*, qui venit intelligendus de morbis chronicis, qui pendent ex pluribus cruditatibus, qui inediâ abſumuntur; proptereaque Hippoc. 7. *aphor. text.* 59. carnes humidas habentibus famem adhibet, fames enim corpora ſiccat. Deinde adhibuimus victum vberiorem in ordine ad ſtatus diſtantiam, iuxta morbi conſtitutionem deprehenſam; ſemper enim, coniecturaliter ſaltem, futurum in morbis ſtatum præuidere oportet, vt in ordine ad illum victum inſtituamus, vt admonet Gal. 1. *de criſibus, cap.* 3. ex Hipp. mente. Clyſterum vſus fuit vtilis, qui conficiuntur ex decocto mercurialis, maluæ, meliloti, chamæmeli, brancæ vrſinæ, violariæ, & ſimilium, cuius decocti accipe ℥. viij. mellis roſati perſici ℥. iij. elect. diaphœn. ℨ. vj. olei amygdal. dulc. & chamæm. ana ℥. j. ſalis parum: miſce pro clyſtere.

*Curatio, & victus inſtitutio.*

*Victus in morbis inſtituitur in ordine ad morbi ſtatum.*

Sed cùm ex potu aquæ frigidæ, eſuque rerum frigidarum habuiſſet primam regionem crudis humoribus plenam, neque ob frigoris longitudinem, & acceſſionem febrilem eſſet locus expurgationi, ſaltem leuienti pharmaco offerendæ, non potui ei aliquod leniens, vt mannam, vel caſſiam fiſtulam, tribuere, ad deponendas cruditates; quod præceptum (ſi poſſibile eſt) ſemper obſeruandum eſt ante venæ ſectionem, ob incommoda allata à Gal. 4. *de ſanit. tuenda, cap.* 5. & *lib. illi attributo, Praſagium experimento confirmatum*; nam excrementa, & cruditates

*Quando eſt vtendum medicamento leniente.*

ditates, quæ ſunt in prima regione, factâ ſanguinis euacuatione trahuntur ad corpus, ibique obſtructiones, & maiora mala afferunt. Neque ob aliam rationem Galenus 9. *methodi*, *cap.* 14. ait, quod ſi adſit cruditas in ventriculo, aut inteſtinis, differenda eſt venæ ſectio, donec alimenta coquantur; & cruditates deſcendant.

Verumtamen cùm vrget neceſſitas mittendi ſanguinem, non poſſumus expectare cruditatum abſumptionem, ſed potiùs eſt vtendum medicamento lenienti, vt præcipiunt Braſſauolus *lib.*4. *acut. com.*7. Vega, Mercatus, & alij, noſque ſufficienter probauimus *lib.* 4. *de febrium curat. quæſt.* 4. Hoc auxilium vtique ei conferre poſſet; tamen non potui ei exhibere, cuius loco clyſteribus aliquibus purgantibus ventrem exonerare fecimus, & præter illum iam à nobis propoſitum poteſt alter ſic formari. ℞. decocti chamæmali, meliloti, radicum alteæ, & angelicæ, foliorum maluarum, & violariæ, ſemin. aniſi, fœniculi, & fœnugræci ℥. vj. decocti Pugini ℥. iiij. mellis roſati perſici ℥. ij. benedictæ ℥. j. miſce. Vel ℞. decocti magiſt. foliorum ſennæ ℥. vj. elect. diaphœnic. ℥. j. ſyrupi perſici ſolut. ℥. v. miſce. Licèt ſit receptum apud omnes in clyſteribus admiſcere oleum, ſiue commune, ſiue aliud; in his tamen, qui purgandi vim poſſident, olea ſunt fugienda, vt ait Valeſc. de Taranta, ne medicamenti purgantis vim obtundant; in aliis verò rectè admiſcentur, cùm in ipſis ſint inſitæ plures facultates, quibus indigemus.

*Clyſteres purgantes non ſunt oleo praeparandi.*

*Quando venæ ſectio in febribus conuenit.*

Neque viſum fuit mihi ſtatim huic ægræ venam tundere, quamuis ea febris eſſet putrida, & ex obſtructione orta: & licèt Galenus vt commune præceptum proponat 9. *method. c.* 15. & alibi millies, quod in omnibus febribus putridis ſanguis eſt mittendus, eius tamen doctrina eſt limitanda, neque ſemper præſente febre putrida hoc confert auxilium, neque illud admonet faciendum *lib.* 1. *de arte curat. ad Glauc. c. de quotidiana*, *in quotidianæ curatione.* Neque Auicen. in febribus, in quibus pituita redundat, ſtatim ſanguinem mittit, vt conſtat in curatione quotidianæ, in qua venæ ſectionem tetardat, quouſque vrina rubra, & craſſa appareat, quæ tunc ſignificat pituitam concoqui, & in ſanguinem verti; quo tempore adeſt occaſio mittendi ſanguinem. Quia ergo hæc febris erat à dominante pituita dependens, & cum ſignis cruditatis, in quartum febris diem venæ ſectionem diſtuli, aperuique ex talo venas, quia febris ab vteri vaſis habebat initium, & exiuit ſanguis craſſus, viſcidus, & albicans. Sed cum protraheretur morbus, neque remediis cederet, exiſtimaui calorem febrilem hepar, & humores omnes ſuccendere, ad quorum attemperationem viſum fuit mihi ex brachiorum venis ſanguinem mittere, quibus cœpit natura coctionem aggredi; nam in vrina cernebatur color naturali ſimilis, cum aliquo ſedimento non benè elaborato.

*Quemodo corrigatur frigus, & horror dum nimis moleſtat.*

Interim dum hæc, & alia fiebant, plura accidentia ægram moleſtabant, quibus ſubueniri conueniebat. Frigus, & horror diu durans infeſtabat nimis, quod pannis calidis inter crura appoſitis, & latere calido pãnis obuoluto prope pedes appoſito alleuiabatur, in cuius ſubſidium abſorbebat aquam meliſſæ, fœniculi, & ceraſorum dulc. calidam, necnon parum aquæ ſtillatitiæ cinnamomi, ex Mathioli deſcriptione, & cùm hæc non proficere viderentur, vinum album generoſum in pauca quantitate ei obtulimus. Ante tamen quàm inuaderet frigus, ventris regionem, & dorſum inungere iuſſi oleo lilij albi, naphæ & Mathioli, addito theriacæ antiquæ modico: in quem vſum confert oleum angelicæ, & de croco, vel vnguentum ex iis confectum cum puluer. cinnamomi, cariophylorum, galangæ, & diacymini, & paucâ ceræ. His auxiliis non ſolùm ad frigoris, & horroris ablationem vtebamur, imò conferebant maximè ad ſedandos ventris dolores, & tormina à flatibus procedentia, necnon difficilem reſpirationem.

*Fotus flatus reſoluens.*

Sed quia iis non quieſcebat ægra, fotum parauimus ex decocto ſeminis angelicæ, peoniæ, aniſi, & fœniculi, & fœnugræci, chamæmali, meliloti, cinnamomi, cardamomi, cubebarum & nucis moſchatæ, in quo calido nimis ſpongia madefiebat, & fortiter expreſſa, & linteo ſubtili inuoluta ventris regioni applicabatur: ante tamen quàm infrigidaretur, tollebatur, & alia eodem modo loco illius ponebatur. Non minorem præſtat vtilitatem, ſi applicetur veſſica bubula eodem decocto ſemiplena.

*Cucurbita flatus reſoluit.*

Cucurbita magna vmbilico admota potenter flatus reſoluit: quod ſi eam nequit ferre, loco illius admoueri poſſunt cucurbitæ minores in regione vmbilicali, & ſupra lienem, quæ etiam applicari debent à lumbis deorſum, vt vapores, & humores ſupra petentes ad inferiora ferantur.

*Purgatio in morbis longis eſt repetenda.*

His, & aliis oblatis auxiliis, ſæpeque repetitis, provt poſtulabat neceſſitas vſque ad 26. morbi diem fuit peruentum; & cum iam in vrina aliqua coctionis ſigna eſſent, neque tota morbi materia ſimul concoqui potuiſſet, ſed paulatim, ideò paulatim eam euacuare decreui purgatione, græcè epycraſis dicta; eique obtuli hanc potionem. ℞. agarici trochiſc. & rhabarb. optimi, ana ʒ. ß. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥. ij. decocti Pugini, & colaturæ adde ſyrup. Regij ℥. ij. ß. aromat. roſarum ℈. vij. miſce pro potu, quo moderatè purgauit, ventris tormina, & dolores euanuerunt, non tamen ceſſarunt frigus, & horror, imò humore attenuato, & calidiori reddito, horroris loco rigebat. Per interualla quater ægram purgaui, ita vt omnia mitigarentur accidentia; non tamen delebatur febris, pendebat enim ex humoribus craſſis obſtruentibus, ad quorum attenuationem, & delendas obſtructiones hoc paraui decoctum. ℞. pullorum duorum carnem ab oſſibus, & recrementis mundatam, corticum quinque radicum diureticarum, ana ℥.j. foliorum borrag. ſcariolæ, & chicorij, ana m.j. cicerum nigr. n. 24. abſintij m. j. cinnamomi ℥. ij. linguæ ceruinæ m. ß. quatuor ſeminum frigid. maiorum mundat. ana ℥. ß. omnia præparentur, & coquantur ex arte, deinde mittantur in alembicum cum brodio, addendo ſimul ſucci eupatorij, dialaccæ, & diacurcumæ ana ℥. ß. diſtillentur per balneum Mariæ, de qua aqua quolibet mane bibebat ægra ℥. iij. quâ paulatim à febris vinculis fuit ſoluta.

*Diſtillatio deobſtruent laudabilis.*

*Pullus decoctus cum radicibus diureticis confert febribus longis, & obſtructionibus.*

Non minùs confert decoctum radicum diureticarum, ſi eis priùs infarciatur pullus gallinaceus, & coquatur in olla benè cooperta lento igne, quouſque maneant illius decocti ℥. vj. vel vij. quo calido vti debet pluribus diebus: quod ſi faſtidire faciat, addes parum croci, & ſacchari. Fateor quidem, hoc auxilium maximè proficere in febribus longis, quo ſæpè vſus fui; illud tamen aliqui reformidant ægri, quia guſtui non eſt gratum. Ad idem valent ſyrupi de duabus, & quinque radicibus, capillor. Ven. & de biſantiis. Iulep longum ſimiliter paratur ex decocto earundem radicum, cum eiſdem ſyrupis aperientibus, addito ſaccharo ad gratum ſaporem conciliandum.

*Nutritionis membra in morbis longis ſunt roboranda.*

Sed quia in morbis longis maximè offenduntur membra nutritioni dicata, ea roborare oportet, eorumque intemperiem euertere, & deobſtruentia ſpleni, & ventri admouere eo modo, quo diximus in curatione nothæ, & duplicis tertianæ, quæ prolixitati parcentes conſultò nunc omittimus.

§. Vni

### §. VNICVS.

*An in febrium acceſſionibus detur occaſio mittendi ſanguinem.*

ALiud ſymptoma die 20. ſuæ ægritudinis, dolor ſcilicet, ipſam ægrè moleſtare cœpit in crure, & femore dextro, quem perferre ob eius violentiam nequibat, in cuius ſubſidium ſtatim vocatus fui, diiudicauique, quod natura aliquam criſim imperfectam ſaltem moliebatur, mouens humorem verſus eam partem in die decretorio, timuique abſceſſum futurum, iuxta dictum Hippocratis 4. *aphoriſmor. textu* 44. vbi ait: *Quibus febres longæ, his tubercula ad articulos, & dolores fiunt.* Sed quia ægra erat in acceſſione febrili, in qua, vt ait Celſus *libro* 2. *capite* 10. ſanguinem mittere eſt ægrum iugulare, ſanguinis miſſionem non ſine ratione recuſabam; dolor tamen erat magnus, quem ſuſtinere non poterat.

Quapropter cùm alia remedia non proficerent, coactus fui in ipſo acceſſionis vigore humorem fluentem reuellere, ſanguinem mittendo ex baſilica brachij ſiniſtri; ſicque dolor ſtatim leuatus fuit, ægraque dormiuit; ſatius enim eſt, vt ipſe monet Celſus *loco citato*, primùm leuare ægrum.

Si enim ex doloris vehementia vires diſſoluuntur, poſteà accedente febris declinatione non poterit æger ferre venæ ſectionem: quare non eſt differenda venæ ſectio. Si enim *in ipſo ſtatus vigore ſuperueniat aliquis caſus robur naturæ diſſoluens, nutrire cogimur*, vt ait Galen. 1. *aphoriſmor. phraſi* 9. etiamſi in acceſſionibus cibus noceat, vt ait Hippocrat. 1. *aphoriſmor. text.* 11. quid mirum ergo, ſi ſuperueniat dolor, qui vires deuaſtet nimis, quod in ipſo vigore febris adhibeamus venæ ſectionem, quamuis quodammodò ægram lædere videamus.

*Cur actio coactè ſemper fit cum incommodo naturæ.*

Semper etenim, dum coactè procedimus in curatione, remedium fit cum maiori incommodo naturæ, quàm cùm regulariter, & horâ electionis adhibetur, vt patet in euacuatione minoratiua dicta, quæ ante materiæ regulationem fit, quæ licèt in aliquibus caſibus conueniat, eamque commendet Auicenna *fen*. 4. *lib*. 1. *doctrin*. 5. *cap*. 3. eam tamen plures reprobant, propter incommoda quæ ſequuntur; cum hoc tamen neceſſitate compulſi ea vti ſolemus, neque aliter ægrum liberare poſſumus, vt nos probauimus latè 4. *de febrium curat. quæſt*. 4. Si igitur in febrium acceſſione ſuperueniſſet vel angina vehemens, aut peripneumonia, ſeu pleuritis, vel dolor intenſus, qui citò reuulſionem peteret, & cauſæ fluentis ablationem, neque aliter quàm ſanguinis miſſione poſſet emendari, venæ ſectionem ſtatim conſulerem; nam vt ſcribit ille Cous ad Crateuam, ab omni quidem arte aliena res eſt dilatio, verùm maximè à Medicina, in qua dilatio eſt animæ periculum.

*Dilatio ab omni arte aliena, maximè à medicina.*

---

## OBSERVATIO III.

*De ileo, ſeu voluulo à pillularum deuoratione ſuborto, & potu vini generoſi curato.*

*Hiſtoria patefit.*

HVius caſus mentionem facere cœpi in praxi, *cap. de voluulo*, vbi dixi, mihi eueniſſe ex primæ regionis cruditatibus; in præſenti tamen longiori ſermone ipſum caſum enarrabo, & immediatam illius cauſam in annotatione patefaciam. Caſus ſic ſe habet; ego enim in diebus iuuentutis meæ, cùm literarum ſtudia diligentiſſimè colerem, ab omni alia cura deſtitutus, ad ſtudia tantùm animum traduxi per longum tempus, quo factum fuit, vt ventriculus multis ſcateret cruditatibus, à quibus ſuperuenit ſomnus, inappetentia ciborum, ſitiſque defectus me arripuit, ita vt circa potum, & cibum haberem appetitus actionem abolitam: deinde multam ſaliuam ex ore mittebam frigidam, corpus debilitari cœpit, & ſi aliquid cibi aſſumebam, in pituitam facilè migrabat, neque ex cibo aliquam capiebam vtilitatem. Cognoſcens ergo horum ſymptomatum cauſam, ab aſſiduis ſtudiis abſtinui, ſtatimque de ventriculi prouidentia, & caloris ad illum reuocatione curaui, ſumebamque quolibet mane mel deſpumatum calidum, loco ſyrupi; deinde accepi per noctem pillulas ſeptem de hiera, & de agarico, quibus nihil purgaui; ſed tribus, vel quatuor horis ab earum deglutione, ſentire cœpi dolorem vehementem in regione dextra ventris ſupra vmbilicum, mox plurimùm euomere, cuius ſapor acidus erat: quod ſi aliquid cibi deglutiebam, vomitus ſtatim ſuſcitabatur, in quo magna quantitas humoris acidi euacuabatur per infernam aluum, neque flatus aliquis erumpebat. Cùm ergo hic dolor cum frequenti, & magna euacuatione vſque ad tertium diem ſe extenderet, vireſque mihi deficerent ad tot ferendos labores, neque remedia, vt clyſteres, fomenta, emplaſtra, & plurima ore aſſumpta proficerent, decreui bibere hauſtum vini albi generoſi, cupiens diſſoluere ſic doloris cauſam, ſuoque calore vincere quodammodo intenſam ventriculi, & inteſtinorum frigiditatem. Bibi vinum copioſè, quod ſtatim euomui, tamen aliquod illicò leuamen perſenſi; quare ne ex multa vini quantitate ventriculus iterum grauaretur, deliberaui vinum iterum bibere in moderata quantitate, vt poſſet ventriculus illud amplecti. Res ex voto ſucceſſit; nam detento vino, cœpi calorem perſentire in toto ventre, dolor breuiſſimè leuatus fuit, ita vt ſomnum capere poſſem, quo ſoluto, ex toto etiam ſolutus fuit dolor, & liber euaſi ab hoc crudeli morbo.

### ANNOTATIO.

EX accidentibus in hiſtoria propoſitis euidenter conſtat, hunc affectum fuiſſe ileon, ſeu voluulum, à barbaris, *miſerere mei*, dictum; quia cùm nullum auxilium eum vincere poſſit, Dei auxilium, & miſeri cordiam implorat. Hic affectus denominationem ſumit à parte affecta, nempe ab inteſtino ileo, qui etiam dicitur voluulus, aut chordapſon, quia hoc inteſtinum eſt ad ſimilitudinem chordæ conuolutum, vt ait Gal. 6. *de loc. cap*. 2. de quo in praxi latè egi, ad quem locum Lectorem remitto. Pars affecta in plurimum eſt inteſtinum ileon, vt inſinuat Galen. 6. *aphoriſmorum, comment*. 44. cum hoc tamen fieri contingit in aliis inteſtinis, imò & in craſſioribus, vt oſtendit Galenus 3. *de morbis vulgaribus, parte* 2. *comment*. 9. benè enim poterit ab aliqua cauſa inteſtinum aliquod craſſum, præſertim inteſtinum colon, obturari, & obſtrui, ita vt nullus adſit deſcenſus ad inteſtinum rectum, & peruerſo ordine naturæ, omnia ſurſum ferantur, & per os vomitu expellantur.

*Ilei denominatio.*

*Pars affecta in ileo.*

Inquires; quare frequentiùs hic affectus ſuperuenit inteſtino ileo, quàm aliis inteſtinis? Reſpondeo, id illi inteſtino accidere ob eius ſtructuram, ſeu compoſitionem; eſt enim anguſtum, variaſque habet circumvolutiones, eſtque paratum maximè ad retentionem, & non ad expulſionem: quapropter ſi aliqua cauſa præter naturam illius cauitatem occupet, facilè eum obſtruit, doloreſque excitat vehementes, interclusâ viâ inferioris exitus, vt ait Gal. *loco proximè cit.* Ex cuius verbis conſtat, hunc morbum eſſe morbum

*Quare hic affectus aduenit inteſtino ileo magis quàm aliis.*

*Cauſa proponuntur.*

morbum in cauitate impedita. Impeditur hæc via, vel ex ſtercoris aridi obſtructione, vel inflammatione, ex Gal. 6. *de locis affect. cap.* 2. at 6. *aphoriſmor. commentar.* 44. addit, obſtructionem etiam fieri ex humoribus craſſis, & viſcidis; neque mirum, cùm dicat Auicen. *fen.* 16. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 29. quod ileos accidit ex omnibus, ex quibus accidit colica. Aëtius inter morbi cauſas conſtituit venenum, aut deleterium medicamentum epotum, quatenus mouet humores ad inteſtina, & in eis inflammationem, aut obſtructionem pariunt: ciborum aſſidua corruptio, præſertim ſi craſſi, & viſcidi ſint, huius morbi cauſa exiſtit, ex eodem.

*Quare ex pillulis deuoratis habuit ortum hic affectus.*

In noſtro caſu cauſam inueſtigamus, eamque reducimus ad pillulas, quas deuoraui, quæ ob debilitatem caloris naturalis ſtomachi non fuerunt ad actum reductæ, neque diſſolutæ, quas natura versùs inteſtina tranſmiſit, quæ dum ad inteſtinum ileon perueniſſent, ibi inculcatæ, & humoribus viſcidis adhæſæ, obſtructionem maximam produxerunt, ita vt nihil infra deſcendere poſſet, ibique partem diſtendentes, dolores quammaximos, & cruciatus inferebant, ita vt in nullo loco quieſcere poſſem; & cùm dolor nimis vrgeret, tractionemque adiuuaret, magis, ac magis exacerbabatur dolor, qui aſſumpto cibo alleuiabatur; quia ſimul cum cibo maximam quantitatem pituitæ aquoſæ, & acidæ euomebam; ſed quia ad eandem partem ex ventriculo, & partibus vicinis facilè confluebat humor, ſtatim dolor increſcebat, & indeſinenter me vexabat. Sed cùm nihil per infernam aluum erumperet, & natura proprio ipſius ordine peruerſo omnia ſurſum moueret, violenterque impelleret, timui fæcum vomitum, & exiſtimaui caſum deploratum, quia podicem nimis adſtrictum habebam, & totum corpus frigidum, præſertim ventris totam regionem, quæ neque pannis calidis, aut clyſtribus, neque applicatione ad ignem calorem recuperabat.

*An ſtercoris vomitus lethalis.*

Dubitari tamen poteſt, quam ob cauſam excrementa, ſeu fæces, quæ euomuntur in ileo, ſunt ſignum mortale? Et ratio dubitandi eſt, nam excrementa fiunt, & reſultant ex coctionibus, vt ait Gal. *lib.* 1. *de ſanit. tuenda*, nam in coctione ſeparatur vtile ab inutili, quod eſt excrementum. Cum ergo fæces ſint excrementa primæ coctionis, quæ efficitur in ventriculo, ibi debent generari. Ita Auic. *fen.* 16. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 1. tunc ſic: Illud quod in ventriculo generatur, ſiue ſit excrementum, vel aliud quodvis, facilè euomi poteſt, neque mortem ſignificat, imò vt ſuo loco probauimus, vomitus aliquando eſt naturalis, vt deducimus ex Gal. 1. *aphoriſmorum, com.* 21. vbi ventrem appellat regionem conuenientem ad euacuationem ſupernam. Si ergo fæces ſunt quid præter naturam, quæ maximè offendere poſſunt, ſi intra corpus detineantur, ex earum euacuatione adhuc per ſupernam aluum maximum aſſequetur commodum, atque adeò non erit ſignum mortale fæcum per ſuperna excretio.

*Extrementa ex coctionibus reſultant.*

*Vbi generentur fæces.*

Dices, quod licèt fæces propriam adquirant formam in ventriculo, quia coctionis ventriculi ſunt excrementa, non tamen ibi comparant formam, quæ eſt in accidentibus, vt eſt fœtor; nam antea in ventriculo illius excrementa craſſa non merentur dici fæces, licèt dicantur coctionis illius excrementa; nam non dicuntur fæces, quouſque deſcendant ad inteſtina, ibique comparent calorem aliquem putredinalem, à quo originem ducit fœtor; quod comprobat Ariſt. 4. *meteor. cap.* 3. vbi ſic: *Concoctio in ventriculo nauatur, in aluo putreſcit quod excernitur.*

Sed quia plura ſunt inteſtina, & ad diuerſos fines à naturæ Conditore creata, ideò Galen. quærens in quibuſnam inteſtinis fæces generentur, 3. *de facult. natural. cap.* 7. aſſerit earum generationem eſſe in tenuibus inteſtinis, in quibus à venis meſeraïcis attrahitur chylus, ibique remanent partes fæcales, quæ ſunt partes craſſæ excrementitiæ ipſius chyli.

*Obiectio.*

Sed adhuc his admiſſis, nondum eſt ſoluta difficultas; nam ſi fæces ſunt in ileo ſupra partem affectam, non videtur extra rationem, quod ſuperiùs euacuentur; aliter enim maiorem cauſabunt obſtructionem, & affectum adaugebunt, neque eorum euacuatio erit ſignum lethale. Quod ſi ſint infra partem affectam, nequeunt ſuperne excerni ob viam impeditam. Ex quibus deducitur, quod vel non poteſt euomi fæcalis hæc ſubſtantia, vel quod ſi euomitur, non eſt ſignum mortale.

*Ad illam reſponſio.*

Vt hanc difficultatem abſoluamus, dicimus, quod quamuis ſimul cum ſubſtantia chyloſa deſcendat ex ventriculo ad tenuia inteſtina pars craſſior, quæ coctionis ventriculi excrementum dicitur; non tamen hæc pars ſeparatur facilè ab ipſo chylo in tenuibus inteſtinis, vt ex eorum compagine colligi poteſt, ratione adiuncta.

*Inteſtinum ianitor dictum eſt ſtrictum.*

In primis duodenum tenuium inteſtinorum primum, aliàs ianitor dictum, quod à fundo ventriculi ſpinam verſus deſcendit, arctiſſimum eſt omnium, ne facilè prætêrlaberetur quidquid à ventriculo deſcendit, ſicque chylus, & eius partes excrementitiæ ibi nequeunt ſeparari; non tamen negamus, quod iecur ſugat ex ipſo chyloſam ſubſtantiam, & ſiat illius aliqua ſeparatio. Quod dicimus eſt, quod ibi non adipiſcitur fæcis formam; nam ſi hoc eſſet, ſæpè reiicerentur fæces per os, ob viciniam huius inteſtini cum ventriculo. Neque fiunt in inteſtino iciuno; nam ibi chylus parum detinetur, propatereaque ieiunum vocitatur.

*In inteſtinis craſſis fæces ſuam adipiſcuntur formam & figuram.*

Neque in inteſtino ileo; nam licèt hoc inteſtinum ſit longiſſimum, plurimis orbibus, & anfractibus inuolutum, vt ibi detineretur chylus, & ſugeretur per venas meſeraïcas ab hepate, non tamen (vt exiſtimo) eius pars craſſa formam fæcis adipiſcitur, quouſque perueniat ad inteſtinum craſſum monoculum dictum, & ad inteſtinum colon, quod pluribus cellulis componitur, vt ibi morentur fæces, in cuius inuolucris figurantur, & integra fiat cremoris ſuctio, quâ peractâ fæces perfectæ, & ſuâ fæcali formâ, & figurâ præditæ, per inteſtinum rectum vt inutiles reiiciuntur ad extra.

Neque ex hoc dicere volo, quod in ipſo tranſitu per omnia inteſtina, ea pars craſſa non ſubeat alterationem, & diſpoſitionem in ordine ad formam fæcalem adquirendam, ſiue talis forma ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis, de quo non curo; nam qui vnum, vel alterum tueatur, non poterit facilè argumentis conuinci. Quod aſſero eſt, non induere formam fæcum perfectam, & abſolutam, donec ad inteſtina craſſa deſcendant, licèt in tenuibus aliquam ſubeant elaborationem: cum quo ſaluatur Galeni mens *loco ſuprà cit.* dum ait, quod fæces generantur in tenuibus inteſtinis. Idem ſtatuit Auic. 14. *de nat. animal. cap.* 6. Mercur. Lap. *de generat. fæcum.*

*Vomitus fæcum eſt ſignum mortale.*

Ex iis deduco, quod ſi in ileo morbo ſuperueniat vomitus ſtercoris, eſt ſignum mortale; nam formam perfectam ſtercoris accipit in craſſis inteſtinis; & licèt inteſtinum ileon ſit obſtructum, vel impeditum, incipit motus infernè ſurſum, peruerſo naturæ ordine; & ea, quæ in inteſtinis craſſioribus continentur, violenter ſurſum impelluntur, motu conſtrictionis incipiente à parte inferiori, ita vt aliquibus clyſteris aliquid iniecti in ventrem ſubeat, neque obſtructio, aut inflammtio ilei cauitatem replens poteſt impedire violentum motum, quo ſurſum feruntur excrementa, & alia, quæ in craſſis inteſtinis continentur; ſicque

ructua

ructus fœtidi, & ſtercoris vomitus accidere ſolent, ſalutemque deſperatam portendunt; aliter enim non poterant eſſe ſignum mortale.

*Signa ilei.* Præter hoc ſignum alia ſigna adducuntur à nobis in praxi, vt ſi dolor ſit ſupra vmbilicum, & de ſubter nihil egrediatur, vel ructus inanes, vomitus bilis, & pituitæ, podicis adſtrictio, ſudor frigidus, vrinæ detentio, denique ructus fœtidi, vomitus fæcum, conuulſio, deſipientia, & ſingultus, docente Hipp. 7. *aphor. text.* 10. Sed quia horum aliqua ſymptomata deficiunt, neque in quocunque tempore huic affectui adptari poſſunt, vnum tamen ſymptoma pathognomonicum reperitur, quod tradit Gal. 7. *aphor. comm.* 10. vbi ſic: *In ileo nihil deſcendit ad inferiora*; & hoc eſt proprium inſeparabile paſſionis, reliqua verò ſymptomata poſſunt abeſſe, vt conſtat ex verbis Authorum, & experimento fidiſſimo obſeruatur.

*Signum ilei proprium traditur.*

Neque euertit hanc doctrinam Hipp. 3. *epidem. ſect.* 2. *textu* 9. vbi ait, quandam mulierem hoc morbo vexatam fuiſſe, quæ habebat infernè deiectiones tenues, crudas, & paucas. Facilè enim reſpondetur, eam excreuiſſe quidquid erat à parte affecta deorſum, non verò quæ erant à parte affecta ſurſum; nam hæc ob viam impeditam, & ob motum conſtrictionis partium ſupernè deorſum non poſſunt deſcendere. Quando ergo dicimus cum Galen. quod nihil deſcendit ad inferiora, non negamus, quod illud excrementum in craſſis inteſtinis collectum non deſcendit; ſed quod illud, quod eſt in tenuibus inteſtinis ſupra partem affectam, nequaquam deſcendere poteſt.

*Quare ex aduertentia calor ventriculi deperditur.* Ante tamen, quàm noſtrum diſcurſum finiamus, nobis occurrere poterat longa diſputatio, quâ de cauſa ex nimia aduertentia circa ſtudia, aut circa alia, ventriculus deſtituitur calore, & illius coctio fit diminutè, vt mihi contigit antequam in hoc crudele malum inciderem? Hanc diſputationem ſolutam reddit Diuus Præceptor 1.2. *quæſt.* 10. *art.* 3. & *q.* 22. *art.* 2. vbi probat in animi paſſionibus transferri ſanguinem, & ſpiritus ex vno loco in alium, iuxta exigentiam paſſionis animi. Quia ergo maximè nauabam operam literis quocunque tempore, attentâ imaginatione circa literas, neceſſum erat, vt ſpiritus, & ſanguis ducerentur ad caput, vt imaginationis, & cogitationis actionem adiuuarent, deficerentque in ventriculo, atque adeò minueretur eius actio. Quando enim animæ intentio vehementer trahitur ad operationem vnius potentiæ, diſtrahitur à concurſu circa operationem alterius, vt probat Diuus Thomas 1.2. *quæſt.* 37. *artic.* 1. & latè nimis Garc. *in lib. de locis, diſputat.* 7. *de phrenitide, cap.* 12. quâ autem ratione id accidat, docuimus *lib.* 3. *de cauſis febrium.* Ob hanc igitur cauſam multam pituitæ copiam aggregaui, ſaliuam frigidam ex ore mittebam, & ad ſomnum facilè inclinabar, & ob cibi coctionis defectum, in atrophiam incidebam, ſentiebamque omnium virium languorem. Hæc omnia me coëgerunt remedia quærere ad ſalutis amiſſæ reſtaurationem, & deuenire ad vſum mellis deſpumati, & pillularum deuorationem, quæ non reductæ ad actum, ad inteſtina deſcenderunt plurimis cruditatibus admixtæ, & in ileo detentæ, ipſum obſtruxerunt, & ſubſequutus fuit affectus ileon dictus, vt ex ſignis illum comitantibus facilè deprehendere potui.

*Quare cecidit Author in hunc morbum.* Sed vt verum fatear, vt certum habeo, quod ſi loco pillularum, quæ ad actuationem calorem intenſum in ventriculo petunt, ego biberem ius gallinæ, in quo eſſet diſſoluta manna, vel aſſumerem clemens medicamentum, quod à calore remiſſo ventriculi actuari poſſet, vt manna diſſoluta in decocto Pugini, cum ſyr. Principis, aut aliquis cremor ſe-

A minis cartami, ſeu morſelli ex diacathol. & caſſiæ pulpa, cum aliquo puluere aromat. roſarum, vel cinnamomi, neutiquam malè ſuccederet, leniter enim purgarem; tamen cùm pillulæ diu adſeruantur, & ad vetuſtatem deueniunt, exſiccantur nimis, virtutemque temporis tractu deperdunt, & vt ad actum reducantur, calorem flagitant intenſum, ex cuius penuria, pillulis aſſumptis, ad illum miſerrimum ſtatum deueni. Hæc in medium adduco, vt ſciamus, qualiter eſt hæc de ſalute materia tractanda, & indicatio ſumenda à parte etiam affecta, vt toties dictat Galenus *lib. methodi*, præſertim 11. *methodi, cap.* 1. vbi aſſerit, quod curationem indicant affectus, quem curamus, & partium temperies; quam ſi conſideraſſem, forſan neque pillulas deglutirem, neque in talem caderem affectum. Supra hominis captum eſt nunquam hallucinari, aliquando oberrare ſolius artificis, ait Galenus 3. *prognoſtic. com.* 41.

*Nota circa pillularum vſum.*

B

## §. VNICVS.

### *Remedia ad ileon abigendum proponuntur.*

IAm tempus efflagitat, vt remediis hunc demere morbum tentemus, quæ debent eſſe calefacientia, & euacuantia. Calefacientia exteriùs, & interiùs ſunt adhibenda. Interiùs per os aſſumenda, & infernè clyſteribus iniicienda, quæ ſimul habere debent vires reſoluendi, attenuandi, & euacuandi pituitam. Exteriùs igitur hoc tentabimus inunctionibus ex oleo chamæm. anethino, irino, rutaceo, laurino, coſtino, de croco, & de caſtoreo, & ſimilibus. Vnguentum Agrippæ, & dialtheæ miram vim habent ad idem, aut vnguentum ex dictis oleis, cum puluere caſtorei, piper... ſulphuris, piretri, & cinnamomi confectum.

C Fomenta ſimiliter parari poſſunt in vino, ſic. ℞. radicum altheæ, rubeæ tinctorum, & de capparis, ana ℥. j. chamæmali, meliloti, anethi, fœniculi, & fœnugræci, mercurialis, & parietariæ, ana m. j. zedoariæ, piretri, & ſulphuris, ana ʒ. j. galangæ, cinnamomi, piperis, & cariophylorum, ana ʒ. ß. coquantur ex arte in debita quantitate vini albi ad ℔. iiij. quo foueatur venter. Veſſica appoſita hoc decocto calido ſemiplena, vel ſpongia in eodem infuſa, deinde fortiter expreſſa, & ventri calida admota iuuat. Decoctum deſcriptum, vel aliud ſimile fortiter valet, ſi in modum ſtillicidij admoueatur; quod efficies, ſi vas repleatur decocto, in cuius vaſis fundo ſint foramina; quod vas eleuari debet à patiente ad longitudinem ſtaturæ humanæ, & dimittatur liquor calidus cadere ſupra ventrem, quod remedium probat maximè Auic. & laudat Capibaceus. *Fomenta.*

D Emplaſtra etiam ſunt ex vſu, ex pulegio, ruta, anetho, meliloto, mercuriali, chamæmalo in vino priùs decoctis, deinde oleo chamæmali, & anethi malaxatis, & addita fœnugreci farina ad emplaſtri formam redactâ; in quem finem accommodari poſſunt ea omnia, quæ adduximus in curatione tam colici, quàm iliaci doloris in praxi. *Emplaſtra.*

Sed quia hic morbus ob ſui acutiem non dat expectandi inducias, dum hæc adhibentur, alia interiùs ſunt offerenda. Per os igitur aſſumat potiones calidas, vt elexir vitæ, aquam vitæ, cum aniſo, vel cinnamomo diſtillata, aquam cinnamomi inſtillatam, ex Mathioli deſcriptione. Caſtoreum quantitate ℈. j. aſſiduè potatum in aqua mulſa commendatur ab Aëtio. Theriaca magna in vino diſſoluta, aut diatrion pipereon vtilia cenſentur ex Paulo. Aliqua ex his, dum eſſem hoc morbo affectus, aſſumpſi; non tamen vtilitatem perſenſi, donec ad vini gene- *Interius aſſumenda.*

roſi

roſi potum deueni, quo ſtatim cognoui eius calorem me adiuuaſſe, vias aperuiſſe, dolorem leuaſſe, ſomnumque mihi conciliare feciſſe, à quo exurgens ex toto ab illo immani dolore liber euaſi. Vinum igitur meum fuit primum leuamen, ſicque cum Ouid. 1. *de art.* de vino canere poſſum:

*In laudem vini carmina.*

*Vina parant animos, faciuntque caloribus aptos;*
*Cura fugit, multo diluiturque mero.*
*Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,*
*Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.*

Somnus ſimiliter ſecundum obtinuit locum, in cuius laudem cum Seneca *in Herc. act.* 4. ſic prorumpere poſſum.

*In laudem ſomni.*

*Tuque, ò domitor*
*Somne, malorum; requies animi,*
*Pars humanæ melior vitæ.*

In voluulo frigido tam vinum, quàm ſomnum commendat Hipp. 2. *epidem. ſect.* 6. Interim tamen dum hæc adminiſtrabantur, non abſtinebam ab vſu clyſterum purgantium, & reſoluentium, copiam eorum non eſt opus referre, cùm ab omnibus frequenter proponantur. Vſuſque fui ſyringa, quâ flatum in ventrem immittere præcepi, vt ſic venter, & inteſtina diſtenderentur, quod folle fabrili in ventrem immiſſo facere monet Hipp. 3. *de morbis, cap. de voluulo.* Reliqua pete ex capite de iliaca, & colica affectione, in quo traditur curatio huius morbi à quacumque cauſa producti.

*An ileos fiat à flatu.*

Ante tamen, quàm hæc finiatur annotatio, poteſt dubitari, an ileos fieri poſſit à flatu. Si enim hic affectus habet eaſdem cauſas cum dolore colico, vt ait Auicenna, cùm frequenter à flatibus fiat colicus dolor, idem videtur aſſerendum de hoc affectu. Vlteriùs agentes de apoplexia diximus eam fieri poſſe à flatu nebuloſo cerebrum obſtruente: ergo non implicat, quod etiam obſtruat hoc inteſtinum, & cauſet hunc morbum in obſtructione.

Zacutus reſpondet, non fieri à flatu, quia cùm huius inteſtini ſubſtantia ſit tenuis, & rara magis, quàm ſubſtantia inteſtini craſſi colon dicti, facilè vapores exeunt per illius poroſitates, & obſtruere nequeunt. Mihi tamen videtur, quod propter ilei inteſtini ſtricturam, & obuolutionem, flatus nebuloſus ſemel intra illud incluſus non poterit facilè expelli, neque per poros, neque per aliam viam; quia ſuppono flatum illum eſſe nebuloſum, & craſſum: tamen curatur, vt dolor colicus, remediis calefacientibus, & reſoluentibus, ſpeciemque præ ſe fert doloris colici; nam vt ſuprà diximus, ſicuti non implicat, quod voluulus fiat in inteſtino colon, neque implicat, quod etiam dolor in ileo ſibi nomen colici doloris arripiat, cùm ſemper dolor in tota ventris regione cauſatus, vel in quauis eius parte, pro colico vſurpetur; ſicque raro, aut nunquam fit à ſolo flatu.

*An ileos fiat à quocumque tumore.*

Dubitatur etiam, an non ſolùm poſſit fieri ab inflammatione, ſed etiam à quocumque tumore.

Reſpondeo affirmatiuè; nam quilibet tumor, ſi ad tantam perueniat magnitudinem, vt totam inteſtini capacitatem obſtruat, vel comprimat, huic affectui dabit initium. Id comprobat Skenchius *lib.* 3. *obſeruat. cap. de ileo*; viditque ipſe in fabro ferrario, qui cùm in colo per plures menſes cancrum paſſus fuiſſet, ex quo in tranſitu fæcum quotidie vehementi cruciabatur dolore, maximas perſentiens punctiones, tandem aucto cancro, ab eodemque obſtructis inteſtinis, factus iliacus, præcedentibus ſtercoris vomitibus, miſerè vita functus eſt. Idem aſſerit Gal. 6. *aphor. comm.* 44.

*An ileos ſuperueniat ex vrinæ ſtillicidio.*

Præthereà vertitur in dubium, an ileos ſuperuenire poſſit ex vrinæ ſtillicidio, iuxta Hipp. mentem 6. *aphoriſm. text.* 44. vbi ſic: *Quibus ex ſtillicidio vrinæ ileos ſuperuenerit, in ſeptem diebus pereunt, niſi febre ſuperueniente ſatis vrina fluxerit.* Galenus in huius textus commentario ignorat, an iſte aphoriſmus ſit inter legitimos Hippoc. reponendus, cùm nunquam ipſe vidiſſet ægrum ex ſtillicidio vrinæ in hunc incidiſſe morbum; imò ſi contingeret, deberet fieri in maiori veſſicæ extenſione, & vrinæ detentione, à quacumque cauſa fiat; at nunquam experti fuimus ex tali cauſa ileon ſuperuenire: videtur ergo, quod ex vrinæ ſtillicidio non poteſt conſurgere ileos. Vega *ſuper eundem aphoriſm.* vt defendat illius doctrinam, aſſerit, quod ſupponamus aliquem pati vrinæ ſtillicidum ob craſſos humores, qui veſſicam, eiuſque ceruicem occupant, quorum pars ad tenue inteſtinum transferatur; is ſimul patietur ſtillicidium vrinæ, & ileon, quem ob morbi acutiem, & grauitatem moriturum eſt exiſtimandum intra ſeptem dies; ſi verò febris ſuperueniat, ſpes ſalutis habetur, vbi vrina abundè fluxerit, tuncque ſimul ceſſabit vrinæ ſtillicidium, & ileos; aliter enim non poteſt ſaluari Hippocratis textus.

*An in ileo ſit ſanguis mittendus.*

Iterum dubitatur, an in ileo conueniat ſanguinis miſſio. Cui dubio reſpondetur, quod ſi ex inflammatione fiat, omnes docent, neceſſariam eſſe venæ ſectionem; ſi verò fiat ab aliis cauſis, & ratione doloris fortis timeatur inflammatio, à ſanguinis miſſione eſt auſpicandum, & vtendum frictionibus extremitatum, & ventoſis; vt prohibeamus materiam ad partem dolentem fluere. Ita Auicen. *fen.* 16. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 31. Paul. *lib.* 3. *cap.* 44. Celſus *lib.* 4. *cap.* 13.

*An ſit purgandum in ileo.*

Non minùs dubitatur, an ſit offerendum aliquod medicamentum purgans. Dico quod ſi fiat ex inflammatione, neutiquam; nam cùm ex vi medicamenti purgantis humor ad inteſtina feratur, adaugebitur inflammatio; & in internis inflammationibus timenda eſt purgatio: neque ob aliam rationem Galen. 2. *de ratione victus, comm.* 11. de pleuritide deſcendente agens dicit non conuenire purgationem; nam ſecurius remedium exiſtit ſanguinis miſſio. Et *lib. quos, quibus, & quando purgare conueniat*, aſſerit: *Etenim qui ſæpè cruditate laborarint, & qui tenacibus, & craſſis veſci conſueuerint, quique ſub coſtis tenſum, & inflatum ventrem habent, vel eximiè calidum, atque feruentem, aut in his locis inflammationes ſentiunt, omnes ad purgationes ſunt inepti; hos itaque dimittere oportet.* Idem comprobat 1. *aphoriſm. com.* 24. Quapropter donec febris ſit remiſſa, & inflammatio ſedata, nullus ſanæ mentis purgans medicamentum audebit offerre.

De ileo ab aliis cauſis dependente eſt maior dubitatio, an conueniat, vel non. Paulus *lib.* 3. *cap.* 44. ait: *Ad hæc in oleum calidum deſcendere, antidota, purgationeſque aſſumere, &c.* Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 28. ait: *Feliciter vſi ſumus, inquit Archigenes, ad voluulos abſque inflammatione hiera noſtra ex colocynthide, pondere ℥.ij. aliquando etiam trium.*

In hoc caſu certum eſt, medicamentum ſeligens nullo modo offerri poſſe; nam ſi dependeat hic affectus ab humoribus craſſis, & viſcidis, niſi priùs ſint attenuati, & inciſi, ſunt ad purgationem inepti, vt diximus ex Galen. proximè citato; neque poſſumus purgare, niſi corpora priùs fluida faciamus, ex Hippoc. 2. *aphor. text.* 9. Quia ergo via eſt obſtructa, per quam debet deſcendere humor ibi detentus, maiorem obſtructionem efficiet, malumque adaugebit; & idem ſtatuo, ſi ex fæcibus induratis iſte ſuperueniat affectus. Quapropter licèt Celſus *lib.* 4. *cap.* 13. doceat purgare, quando dolor eſt infra vmbilicum, nullum tamen adhibet remedium purgans cum electione, ſed ſolùm cremorem ptiſanæ cum melle, & oleo, ita vt præter iſta nihil adiiciatur. Exiſtimo ergo,

ergo, quod horum purgantium vſus omninò eſt interdicendus. Quare in fæcibus detentis, & induratis emollientia ſunt ex vſu, ſuperiùs, & inferiùs adhibita. Per os aſſumat æger ius pingue caponum, gallinarum, ſeu pullorum, vel oleum amygd. dulc. vel commune, ad ℔. ß. deinde caſſiæ pulpam in iure diſſolutam. Inferiùs iniiciantur clyſteres emollientes cum oleis, & pinguedine, deinde acriores conueniunt, vt docet Galenus *lib. art. medic. cap.* 94. agens de obſtructione ab ſtercore duro facta; ſicuti attenuantes, & inſcindentes, dum ea obſtructio fit ab humoribus craſſis, vt ſuprà diximus. Reliqua, quæ ad huius affectus curationem attinent, capite de ileo, & coli dolore non difficilè inuenies. A

## OBSERVATIO IV.

*Pro quodam laborante febre maligna cum phrenitide, & memoriæ amiſſione, qui venæſectione ex talo, deinde purgatione, eodem die, quo purgauit, memoriam ex toto reſtaurauit.* B

PRæclarus vir doctrinâ, virtute, & ſanctitate ornatus, & vt totum complectar, in Sacra Religione Societatis IESV renatus; hic igitur, cùm Concionator eſſet, & eius fama magnam auditorum multitudinem conciliaret, & ſuum munus adimpleret, indefeſsè ſtudebat, ita vt ex aſſiduo prædicandi, & ſtudendi labore in febrem incidit continuam, & malignam, quam puncticularem vocamus, ad cuius curationem acceſſimus, & adhibito vitæ regimine, quæ in adminiſtratione ſex rerum non naturalium conſiſtit, cùm febris continuò affligeret, & quotidie repeteret, licèt de tertio in tertium diem, C cum maiori exacerbatione, haberetque pulſus grauatos nimis, & inæquales, vrinam flauam, & craſſam, calorem mordacitatis participem, ſimulque anxius extitiſſet. His, & aliis ſignis deprehendimus hanc febrem fuiſſe de ſorte malignantium, neque ad hoc erat opus multâ coniecturâ, quia conſtitutio temporis hanc febrium conditionem oſtendebat; inquit enim Hipp. 3. *prognoſt.* quod debemus conſiderare impetus & conditionem morborum populariter graſſantium. Ideòque ſtatim ſanguinem mittere iuſſimus, prout poſtulabat morbus, & alia adhibuimus remedia morbi malignitatem frænantia. Septimo die ei apparuerunt exanthemata, delirareque cœpit; quapropter futuræ coronali admotum fuit oxyrrhodinum, & reuulſionis causâ cucurbitulæ, & frictiones ſupernè deorſum fuerunt adhibitæ. Sed cùm adhuc iis non ſedaretur febris, nec phrenitis, decima die ſanguinem mittere iuſſi ex ſaphœna, quo factum fuit, D vt ſedaretur phrenitis; remanſit tamen cum maxima læſione memoriæ, leuata fuit febris ab vndecimo die, vrina apparuit minùs flaua cum ſubſtantiæ modo naturali quamſimillimo, & nubecula ad albedinem vergente; remiſſa fuerunt omnia accidentia, memoriâ exceptâ: decimaquarta die vrina apparuit perfectè cocta, memoriæ tamen defectus perſeuerabat; die 16. cùm nullum inuenirem impedimentum ad medicamentum purgans propinandum, decreui ei offerre potionem purgatoriam, quâ ebibitâ purgauit feliciter & veſpere memoriam ex toto reſtaurauit, & liberatus fuit à morbo.

### ANNOTATIO.

NOn eſt mihi in animo diſſerere, quid ſit febris maligna, neque ad hunc finem huius memorabilis viri hiſtoriam retuli, cùm de hac febre latè nimis egiſſem in libro de febribus; ſolùm enim rationem proponam, quâ commotus fui ad ſanguinis miſſionem ex talo in hac febre; & rationem reddam, ob quam ex phrenitide memoriæ læſio fuit ſuborta, & purgatione extra omnium ſpem curata. Quoad primum de venæ ſectione ex talo, non eſt nouum in morbis malignis, & peſtilentibus ſanguinem mittere ex illo, vt maior retractio fiat humorum, qui cor obſident: neque ob alium finem Gal. *lib. de ſcarificatione, cap.* 20. ſibi crura ſcarificauit in ea peſtilentia, quæ cùm deprehendiſſet Aſiam, eum etiam apprehendit, duaſque ſanguinis libras detraxit, hacque de cauſa periculum vitauit. Hoc etiam remedium conſulit faciendum Mercatus *tract. de febre maligna.* Doctor Medrano Cathedræ Primariæ Moderator in Vniuerſitate Salmanticenſi, in tractatu manuſcripto de febre maligna hoc remedium maximè commendat ad deponendam plenitudinem, & reuellendum humorem venenoſum à corde, præſertim dum minatur phrenitis, aut dolor vehemens capitis. Idem conſulit faciendum Auicen. *fen.* 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 11. Matthæus de Gradi *conſ.* 4. comprobat inſignis Medicus Ioſeph Galeanus Panormitanus *epiſtola medica de febre epidemica.*

Quod ego pluries cum felici ſucceſſu obſeruaui in hac febre puncticulari, eſt quod iuxta, vel poſt apparitionem puncticulorum, dummodò adſit neceſſitas mittendi ſanguinem, eum extrahere iubeo ex talo, præſertim eo tempore, quo humores commoti, & conturbati facilè caput oblædunt, & dolorem, & phrenitidem excitant. Cùm ergo hic æger laborare cœpiſſet phrenitide, timui inflammationem cerebri, quia continuò delirium affligebat, tuncque retractio humorum ad partes diſtantes conueniebat, ſicque facta venæ ſectione ex talo, ſubleuatus fuit æger, & phrenitis dempta; cum hoc tamen obliuioſus permanebat.

*An in febribus malignis conueniat venæ ſectio ex talo.*

Sed quia plures cauſas læſionis memoriæ Authores aſſignant, exiſtimaui eam memoriæ læſionem originem duxiſſe ex humore craſſo, qui ad caput delatus fuit quando phrenitide fuit arreptus; conſumptiſque partibus ſubtilibus ipſius humoris à calore febrili, remanſit portio humoris craſſi, & frigidi, à cuius temperie fuit ſubſequuta mala diſpoſitio in cerebro, præcipuè in parte poſteriori, in qua magis memorandi viget potentia. Hanc memoriæ læſionem adiuuare potuerunt oxyrrhodina capiti admota, quæ ſuâ frigiditate valent cerebrum diſtemperare; faciliùs enim offenditur memoriæ organum ex frigiditate, quàm ex alia qualitate, vt diximus in praxi ex Gal. ſententia, quod enim calore intenſiori indiget, minùs poteſt ſuſtinere eius ſubtractionem, quàm cui minùs ſufficit; *frigidum enim inimicum eſt cerebro,* ex Hipp. 5. *aphor. text.* 18. cauſa enim frequentior læſionis memoriæ cùm ſit frigiditas per ſe, vel cum humore, ideo Galen. 3. *de locis, cap.* 5. ait: *Dum perit, vel grauiter læſa eſt memoria, frigida omninò intemperies eſt in cauſa, quocirca calefacere ipſam oportet.* Tamen cùm humor eſſet concoctus, & purgationi aptus, pertranſiſſetque æger dies 14. & omnia alia accidentia eſſent ſubleuata, viſum fuit mihi ei offerre medicamentum purgans, quo cenſebam non ſolùm euacuari poſſe humorem, à quo prodibat febris, ſed eum, qui in capite contentus memoriæ organum offendebat, ſicque obtuli hanc potionem. ℞. agarici trochiſ. & rhabarbari optimi, ana

*Cauſa læſionis memoriæ plures, frigiditas tamen reliquas ſuperat.*

ana ʒ.ß. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥.ij. ß. decocti Pugini, & colaturæ adde diacathol. ʒ.iij.ſyrupi perſic. ſolut.℥.iij.miſce:quo remedio feliciter purgauit. Veſpere dum ad eum viſendum acceſſiſſem, eum inueni de omni re ad memoriam reuocatum; ablatâ enim causâ,à qua pendebat intemperies cerebrum offendens, facillimè priſtinum recuperauit ſtatum, neque fuit neceſſe admouere remedia ad auferendam intemperiem, quia erat in cerebro per modum fientis, & diſpoſitionis, non verò in facto, aut per modum habitus: quapropter causâ illius euacuatâ, ob defectum conſeruantis, fuit citiſſimè à calore naturali euicta, & organum memoriæ reſtauratum,non niſi mei,& adſtantium magnâ admiratione.

---

## OBSERVATIO V.

*In qua proponitur alter caſus circa memoriæ læſionem.*

DVm hæc ſcriberem, ſe obtulit caſus mentione dignus cuidam amico, qui optima fruebatur ſalute, & in memoria nunquam aliquam labem perſenſit. Hic ergo noctu cùm domum adiret, voluit ſcribere epiſtolas aliquibus, quibus in negotiis agendis reſpondebat; erat enim procurator, & aliena gerebat negotia. Arrepto ergo calamo ad ſcribendum, nunquam potuit formare diſcurſum; nec recordari nominis illius, ad quem epiſtolam dirigere voluit. Vidi epiſtolam, quam ſcripſit, in qua omnia verba ſcripta erant diſſona, nullamque habebant connexionem, erantque omnia diſparata; & cùm voluiſſet epiſtolam ſubſcribere, proprij ſui nominis fuit oblitus. Hanc epiſtolam reſeruare iuſſi, vt ab omnibus videretur, quos omnes in admirationem rapuit. Manè ad eum pergo, huius caſus repentini examinare cauſam incipio,& eorum quæ præceſſerunt die heſterna, ipſe immemor nullam reddebat rationem.

Quapropter inueſtigaui vitæ illius modum, & qualiter ſe gerebat circa res non naturales, vt iis cognitis poſſem deuenire in cognitionem cauſæ affectus huius repentè aduenientis, cuius duas reperi cauſas. Prima erat frigiditas in cubiculo, in quo morabatur, vbi ſemper capite diſcooperto exiſtebat. Altera fuit immodicus vſus pulueris herbæ nicotianæ,quem ſæpè per nares abſorbebat, in quas cauſas reduxi hunc affectum, ſeu morbum. Qualiter autem repentè hunc produxerunt affectum, infrà breuiter aperiemus. Statim ad eius curationem clyſterem ventrem ſubducentem ordinaui, ita vt illum reciperet manè, & veſperè, quo purgauit pro ratione. Die ſequenti obtuli medicamentum purgans, ad deponendas ventris cruditates, quibus auxiliis cœpit recordari: duobus diebus tranſactis à purgatione, cum haberet vrinam flauam, & biberet antea vinum generoſum, & alimenta aſſumeret ſpeciebus aromaticis condîta, ei venam diſſecare iuſſi communem, quo meliùs ſe habuit, & à iuuante auxilio indicatione ſumpta, iterum fuit ſecta vena; deinde eum purgaui, factâ priùs præparatione cum pillulis fœtidis, & cochiis, quibus leuato capite omnimodè memoriam reſtaurauit; ad maiorem tamen ſecuritatem, & tollendas humorum reliquias, eius capiti impoſui cucufam cum pulueribus capitalibus conſtructam, ſicque ſe benè gubernans incolumis perſeuerat.

### ANNOTATIO.

*Frigiditas memoriam deſtruit.*

PLurima in hoc libro annotantur de memoriæ læſione, idemque fecimus in praxi; quapropter in præſenti ſolùm rationem reddam, quare ex cauſis A propoſitis in huius ægri hiſtoria fuit repentè ſubſequuta obliuio. Iam dictum eſt, quantam vim habeat frigiditas ad memoriam dirimendam,ita vt Hipp.*lib. de morbo ſacro*, vocet obliuioſos eos, qui ſunt perfrigerati: quare Vall.3. *de locis*, *cap.*2. ait, quod ſi ſubitò memoria lædatur, talis læſio à frigidate procedit.In dubium tamen reuocari poteſt, quo modo frigiditas poteſt ſubitaneam memoriæ læſionem inferre? Et ratio dubitandi ſumitur ex Galen.2. *de cauſis ſympt. cap.*7. vbi aſſerit, quod apoplexia non poteſt fieri ab intemperie,quia ſubitò apoplexia fit, & ſubitò ſoluitur; quod non poteſt accidere intemperiei; quæ intrò ducitur paulatim, & non ſubitò; quia ea introductio fit cum reſiſtentia contrarij: ergo cùm frigiditas in cerebrò ſucceſſiuè introducatur, ſucceſſiuè etiam, & paulatim cauſabit memoriæ nocumentum,& non ſubitò; neque apparet ratio, propter quam apoplexia non fiat ex frigiditate ſubitò, & memoriæ actio à frigiditate deperdatur.

*Quomodò perfrigerati fiant obliuioſi ſubitò.*

B Huic dubio ſic ſatisfaciendum cenſeo. Apoplexia, vt fiat à frigiditate,petit eam nimis intenſam, vt diximus in alia annotatione, quæ antequam ad eam peruenit intenſionem, valet producere affectiones ſoporoſas, vt carum, qui minorem expoſcit frigiditatem, vt fiat, quàm apoplexia. Vnde quando à Galen. dicitur, quod apoplexia non fit ab intemperie, quia fit ſubitò, ſenſus eſt, quod fit nullo alio morbo præcedente; quia ex ſua ratione apoplexia, vt fiat, non petit fieri cum hac conditione, ſed ſæpè inuadit repentè, antequam alius adueniat morbus: hoc autem accidere nequiret,etſi penderet ab intemperie,quæ quidem priùs alium produceret morbum, quàm apoplexiam. At verò ad memoriæ perditionem frigiditas in minori intenſione ſufficiens eſt, ſicque non eſt neceſſe, vt alter morbus præcedat; ſed incolumis exiſtens homo, ſubitò poteſt cadere in memoriæ læſio- C nem, præcipuè ſi pars poſterior cerebri afficiatur, in qua, vt ſæpè dictum eſt, magis memoria viget.

*Differentia inter morbum phyſicum, & medicum.*

Et quamuis ea frigiditas ſucceſſiuè, & cum reſiſtentia contrarij introducatur, non tamen quælibet intenſio illius eſt ſufficiens ad producendum morbum medicum, benè tamen ad producendum morbum phyſicum, qui in quauis improportione conſiſtit, modò lædat inſenſibiliter, vel ſenſibiliter.

*Quare herba nicotiana memoriam lædit.*

De herba nicotiana, quam noſtrates *tabaco* appellant, non dubitatur, quod eius aſſiduus vſus lædat memoriam; tum ob ſiccatem, & calorem; tum ob vehementem attractionem & irritationem, quam cauſat. Cùm ergo eius puluerem abſorbeant per nares, non ſolùm deſeruit ad expulſionem eorum quæ ſunt in capite, ſed etiam ex aliis partibus versùs caput humores excitat, & attrahit, ita vt ex eius continuo vſu caput humoribus repletur, nares obſtruuntur, cerebrumque nimis diſtemperatur, ita vt eius D propriis qualitatibus, & humorum attractione lædat cerebri compoſitionem, & illius temperiem euertat; quo facilè conieci,quod humor aliquis fuit commotus ad cerebrum, à quo fuit irrigata pars poſterior cerebri, & refrigerata, & denique memoria deperdita, præcipuè cùm ob vini potum facilè ægri caput vaporibus, & cruditatibus repleretur.

*Curatio propoſita.*

Cùm neceſſitas vrgeret antequam morbus firmaretur, & ne ex prima regione ad caput vapor, aut humor aſcenderet, decreui manè ei clyſterem iniicere purgatiuum, ex melle roſaceo, perſico, benedicta, & decocto emollienti,& carminanti, quo benè purgauit. Veſpere idem recepit auxilium, die ſequenti ei adhibui hanc potionem. ℞. mannæ electæ ℥.ij. diſſolue in ℥.ij. ß. decocti Pugini, & adde ſyr. Principis ℥.ij. quo feliciter purgauit quidquid in prima continebatur regione. Sed quia affectus erat frigidus, venæſectionem renuebam: verumtamen cùm exiſtimaſ-

ſem, humores ad caput rapi, ipſeque eſſet aſſuetus potui vini generoſi, & alimentis calidis, quibus generabat humores ſupra ſanguinem, habuiſſetque vrinam flauam, retractionis gratiâ viſum fuit mihi ei in moderata quantitate ſanguinem mittere, biſque ſanguinem extrahere iuſſi, quo auxilio maximè fuit adiutus, illumque pillulis, vt dictum eſt, purgaui: deinde factâ cucufâ cum pulueribus capitalibus, nempe roris marini, chamæmali, granæ, ſtœcados, maioranæ, betonicæ, thymi, galangæ, ligni aloës, macis, nucis moſchatæ, piretri, roſarum, ſatureiæ, & ſimilium, ſalutem omninò fuit adeptus, neque opus fuit alio auxilio.

*Cucufa ad roborandum caput.*

## §. I.

### *De vtilitatibus, & nocumentis herbæ nicotianæ, & de malo vtendi modo.*

NOn eſt opus huius herbæ deſcriptionem, ſeu hiſtoriam referre, cùm ſufficienter à Manardo, B & Carolo Cluſio, & aliis ſit adducta; quæ licèt miram in operando habeat efficaciam, & ad plura deſeruire poſſit, vtinam nunquam ex Indiis in Hiſpaniam veheretur; non enim tot naturæ humanæ præiudicia pararentur, quot ex malo, & peruerſo, & intempeſtiuo eius vſu ſuperueniunt. *Quæcumque etenim Deus creauit, valde bona ſunt*, vt dicitur *Geneſis* 1. & in hominis vtilitatem omnia concreata; atque ita *Eccleſiaſt.*39. dicitur: *Initium neceſſariæ rei vitæ hominum aqua, ignis, & ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel, &c.* Hæc, & alia omnia, ſi non eis benè fruamur, in mala conuertentur; debemus enim conſiderare apud nos communem vtilitatem vniuerſæ multitudinis, vt ſcribitur 2. *Machabæorum* 4. hæc autem vtilitas deperditur ex rebus, ſi menſuram qualitatis exceſſerit, *non enim à decoro debet diſcedere vtile*, vt Periand. ait. Indecorè ſe gerit, & malè, qui malè vtitur rebus, C quæ à naturæ ſummo Conditore in cuiuſcumque vtilitatem, & commodum ſunt creatæ. Neque remedium appellari poteſt, quod ſalutem humanam deſtruit: quapropter licèt hæc mirabilis herba plures morbos fugare valeat, ſi debito modo applicetur, & tempore opportuno, ob eius tamen inordinatum vſum plures morbos gignit, quibus homines ad interitum ducit; & quod peius eſt, hoc vitium ita commune eſt, & quotidianum, quod (vt timeo) nunquam eſt corrigendum. Omnia quidem ſua tempora habent, maximéque medicina, atque adeò Ouid. *de remed. amoris* canit:

*Omnia à Deo creata valde bona ſunt.*

*Decorum non debet diſcedere ab vtili.*

*Herba nicotianæ prauus vſus homines ducit ad interitum.*

*Temporibus medicina valet, data tempore proſunt.*
*Et data non apto tempore vina nocent.*

Quia ergo in antecedenti annotatione aliqua aſſeruimus de hac herba, in animum induxi de eius viribus pertractare, & dicere, quibus morbis conuenire poſſit, quo tempore, ætate, & occaſione eius vſus ſit vtilis, vt immoderatum (ſi poſſibile eſt) ex- D cludamus vtendi modum.

Hæc planta apud Indicos Sacerdotes eſt celeberrima, quâ vtebantur ad reſponſiones; erat enim conſuetudo apud Indos Sacerdotes de bellorum euentu, & magnis negotiis conſulere. Sacerdos verò conſultus iſtius plantæ folia ſicca vrebat, vt ait Manardus, & eorum fumum canulâ per os excipiebat; mox quaſi in extaſin raptus, & ſomno correptus, omni motu priuatus cadebat, ſicque permanebat donec ille fumus eſſet abſumptus, ſurgenſque referebat negotium cum dæmone contuliſſe, & reſponſa dabat ambigua, vt vtcumque euentus ſuccederet, illis facilè perſuaderet, ſic ſe prædixiſſe, & hoc modo miſeros illos Indos decipiebat.

*Hæc planta ſomnum prouocat, qua vtebantur Indici Sacerdotes.*

Neque nouum eſt, quod aliquæ plantæ inſom- A nia cauſent, variaſque ſpecies, & imagines repræſentare faciant. *Si enim quis aniſum dormiturus edat, ſomnum habet iocundum, & ſuauem*, vt ait Lacuna *lib.*3. *cap.*41. Similiter ſolanum maniacum, ex Dioſc. *proprio capite*, varias, vanaſque, & non iniocundas imagines, ſeu ſpecies repræſentat, ſi ex eius radice ℨ.j. in vino epota ſumatur; ſi verò in duplicata quantitate bibatur, ad tres vſque dies mentis alienationem affert, & in maiori quantitate mortem. Garcias ab Horto *lib.*2. *plantarum hiſt. cap.*25. de bangue planta cannabi non abſimili aſſerit eſſe contra vigiliam remedium: idemque fertur de opio, quod cum bangue confundunt aliqui, vt ipſe ibi ſtatuit. Inquit ergo iſte Author, quod magnus Sultanus Badur dicebat, quod cum in ſomnis adire volebat Luſitaniam, Braſſiliam, Aſiam minorem, Arabiam & Perſiam, pauxillum bangue dumtaxat ſumebat, ſicque ſomniabat ſuper huiuſmodi prouincias peragrare. Indici Sacerdotes herba vtebantur nicotiana ad ſomnum conciliandum, & in ipſo varias rerum imagines repræſentandum, & ad prædicendum futuros euentus per ſomnia ſuperſtitioſa, & vana, quæ neutiquam ad diuinationem conferre poſſunt, vt probat Angelicus Præceptor; eſt enim dæmon mendacij Author, qui tempore ſomni introducti ex comeſtione alicuius herbæ ſomnum conciliantis facilè mouet ſpecies ad repræſentandum illud, quod ſibi placet, vt per illud decipiat homines, qui facilè ei fidem adhibent.

*Quædam ſomniare faciunt.*

Dices tamen, huiuſcemodi herbam nequaquam poſſe ſomnum prouocare, cùm dum virens eſt, caliditatem, & ſiccitatem habeat in ſecundo gradu, vt ait Manardus; dum verò ſiccatur, ad tertium caloris, & ſiccitatis gradum accedit, vt probat Doctor Leyua Cordubenſis 3. *p. tractatus huius herbæ, cap.*1. Conſtat autem ex antecedentibus à nobis traditis, quod quæ calida, & ſicca ſunt, vigilias inducunt; quæ verò frigida, & humida, ſomnum conciliant: non ergo eſt dicendum, hanc herbam conferre ad ſomnum, cùm calorem, & ſiccitatem excedentem poſſideat.

*Eſt calida & ſicca; nihilominus ſomnum conciliat.*

Reſpondetur, quod cauſa frequentior conciliandi ſomnum eſt frigus, quod primum habet locum, deinde humiditas; ſunt tamen aliqua calida, & ſicca, quæ de ſe mittunt vapores craſſos ad cerebrum, & illud obſtruendo ſomnum conciliare valent, vt fertur de aloë, de quo Auic. *lib.*2. *tract.*2. *cap.* 66. ait, quod cùm calidum & ſiccum ſit, ſomnum prouocat; & de lethargo agens, eius interdicit vſum, ne ſomnum adaugeat: idemque aſſerimus de vino, experimur enim eos, qui inebriantur, ſæpe altiſſimo corripi ſomno. Neque in hac parte ſequendus eſt Rembertus Dodoneus *pentad.*3. *lib. ſtirpium hiſtoriæ*, qui aſſerit iuſchiamum peruuianum narcoticum eſſe ab ipſius ſubſtantiæ proprietate, licèt calidum, & ſiccum temperie ſit; narcotica enim, & ſtupefacientia frigida à prædominio ſunt, vt omnes docent, præcipuè Gal. 5. *ſimplic. c.*19. quapropter hæc herba, cùm ſicca, & calida ſit, non poteſt narcotica appellari, licèt conciliet ſomnum eo modo, quo dictum eſt.

*Cauſa conciliandi ſomnum inſinuatur.*

Huius mirabilis plantæ vtilitates tradunt Authores, eaſque omnes ex Manardo deſumunt; ne tamen huic tractationi aliquid deſit, eas proponere non grauabor, etiamſi ab aliis mandentur ſcriptis.

*Nicotianæ vtilitates adducũtur.*

Huius plantæ folia viridia calefacta, & capiti impoſita, cephaleæ, & hemicraneæ à cauſa frigida ſunt remedium præſens; ſæpè tamen ſunt reponenda, donec morbus tollatur, conferuntque dolori cuicumque alterius partis ab eadem cauſa orto.

*Confert cuicumque dolori ex frigiditate.*

Tollit mirificè dolores dentium à cauſa frigida, dente priùs deterſo aliquo linteo eius ſucco delibuto; & pillula ex eius folio confecta, & denti indita, ne corruptio ſerpat, prohibet.

*Demit dolorem dentium.*

Pectoris

*Conuenit aſthmati & morbis frigidis pectoris.*

Pectoris vitiis, & tuſſi antiquæ, aſthmati, & ſimilibus morbis ex pituita ortis confert foliorum decoctum ex aqua, vel eclegma ex eorum decocto. Syrupus etiam ex eo conficitur pro ſputo educendo, & expurgando pectore ab humoribus craſſis obſeſſo, vt in aſthmate, & aliis.

Modum conficiendi ſyrupum ponit Quercetanus ſub nomine ſyrupi de peto; debet tamen ſumi in pauca quantitate, nam multum prouocat. Aſthmaticis etiam eorum fumus ore exceptus opitulatur.

*Tollit obſtructiones, & flatus ventris.*

Ventriculo frigido, & flatibus pleno folia ſub cineribus calefacta, & ſordida, non excuſſis cineribus, calidaque ſæpiùs impoſita vtilia ſunt. Lienis, & ventris obſtructionibus folia pauxillo aceto intrita, diuque illita accommoda ſunt, quibus deinde folia calefacta, aut lineus pannus ſucco calido intinctus ſuperimponuntur. Quod ſi folia viridia deficiunt, à quibus extrahitur ſuccus, puluis prodeſſe poteſt admixtus vnguentis aperientibus, quibus pars obſtructa, aut tumore affecta diu inungi debet.

*Emollit vẽtrem, & cruditates tollit.*

Ventris cruditates tollunt, ventremque emolliunt folia ſub cineribus calefacta, poſita ante, & retrò, ſi quoties opus fuerit, renouentur, præſertim ſi venter inferior priùs inungatur oleo aliquo, vel vnguento emollienti.

*Expellit vermes.*

Latos, & teretes ventris vermes expellit foliorum ſuccus cum ſaccharo coctus, & depuratus, in pauca quantitate ſumptus, in quem finem folium tritum vmbilico imponendum, deinde aluus clyſtere eluenda eſt.

*In clyſteribus adminiſtratur.*

Ventrem maximè proritat foliorum decoctum clyſteribus iniectum, fomentis etiam, & emplaſtris conducere maximè valet. Nephriticis doloribus folia ſub cineribus antea calefacta, & partibus dolentibus applicita proſunt, quod remedium repetendum quoties opus fuerit.

*Liberat ab vteri ſuffocatione.*

Folia calefacta in ſuffocationibus vteri, vmbilico, vterique regioni impoſita magnum afferunt leuamen; quâ de cauſa mulieres indicæ tabaci folia ſeruant, magnique faciunt; fumus etiam illorum naribus obiectum ab vteri ſuffocatione liberat, in quo affectu odorata priùs admouentur vmbilico, vt balſamum, oleum de liquidambar, carana, aut tacamacha, ex quibus, & aliis paratur emplaſtrum pro vmbilico.

*Curat articulorum dolores.*

Articulorum dolores frigidos folia calida remouent, vel eorum ſucco pannus lineus intinctus. Tumoribus œdematoſis folia ſimiliter calida imponuntur, eorum ſucco calido priùs elotis; reſoluunt enim, & digerunt.

*Perniones ſanat.*

Si ter, aut quater huius plantæ foliis fricentur partes, quæ pernionibus offenduntur, eos tollit, ſi poſtea eædemmet partes abluantur aquâ calida cum ſale.

*Veneno opponitur.*

Venenis, & toxico deterrimo, quo Cannibales ſagittas illinunt, reſiſtit, ſi foliorum ſucco pars veneno infecta abluatur.

*Carbunculis cruſtam inducit.*

Cruſtas inducunt venenatis, peſtiferiſque carbunculis folia trita impoſita, & venenatis ictibus, ſeu morſibus animalium præſens ſunt remedium.

*Sanguinem ſiſtit.*

Recentibus vulneribus impoſita illicò ſanguinem ſiſtunt, eaque agglutinant; quod ſi maiuſcula ſint, vino prius ablui debent, & labiis vulnerum coniunctis ſuccus foliorum inſpergatur, & ipſa folia trita ſupra vulnus alligabuntur; idemque ſeruabitur ordo diebus ſubſequentibus.

*Omnia vlcera antiqua cuiuſcumque animalis ſanat.*

Foliorum ſuccus inſtillatus, & folia trita ſuperpoſita detergunt vlcera vetera, & ad cicatricem perducunt, & hoc non ſolummodò in hominibus, ſed etiam in animalibus ipſa experientia docuit, ita vt putrida, fœtida, & vermiculoſa vlcera ſanet: quapropter Indi tabaci puluerem ſemper ſecum afferunt, & illius foliis tolluntur impetigines, & capitis ſcabies, ſi eis confricentur. Alias vtilitates huius plantæ refert Manardus ad alios fines ab Indis inuentas, quas quiuis ibi legere poteſt.

*Sternutationes mouet, & caput grauatum leuat.*

Præter dotes huius mirabilis plantæ à Manardo inuentas, alias proponere poſſumus non minoris notæ, quas quotidianus approbat vſus; nam ſternutare facit, ſicque caput grauatum alleuiatur deponendo excrementa per nares, & os. Scimus enim quantam vim habet ſternutatio in omnibus morbis, præterquam in morbis pectoris, & pulmonis, ex Hippocrate 2. *prognoſticorum*; ſignificat ſiquidem robur facultatis expultricis, ad quam excitandam tempore difficultatis partus grauidis ſternutatoria adminiſtramus, ex Hippoc. 5. *aphoriſm. text.* 35. vt ergo excitetur facultas cerebri ad expulſionem, in fluxionibus catarrhalibus, in diſtillationibus, in doloribus capitis, præcipuè à cauſa frigida, ita præualet vſus abſorbendi puluerem tabaci per nares, vt nullus ferè ſit, qui non vtatur hoc remedio, quo euacuatur humor, & ab his liberantur morbis; & cùm facultas conſopita in apoplexia excitari debeat, hic puluis maximè ad hoc deſeruit per nares inſufflatus.

*Vomitum prouocat.*

Similiter maximè prodeſt ad excitandum vomitum tempore neceſſitatis, præcipuè quando ventriculus eſt ciborum multo onere preſſus, quo liberantur homines à plurimis morbis præſentibus, & imminentibus; proptereaque *Eccleſ.* 31. dicitur: *Si coactus fueris in edendo multùm, ſurge è medio, & vome, & refrigerabis te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.*

*Purgat electiuè pituitam.*

Nec minor virtus ineſt ei electiuè purgandi pituitam, vt quotidie experimur; non enim ſolùm per qualitatem irritantem commouet, & excitat naturam ad expellendum, ſed propria virtute ad ſe humorem allicit, vt reliqua medicamenta purgantia: quapropter ſi drachmæ duæ foliorum eius infundantur in aliquo liquore tempore debito, vt in vino, talis liquor purgat à toto corpore ſufficienter; non tamen conſulerem, quod aliquis illius puluerem ſumeret per os, ob maximam irritationem, & moleſtiam, quam poſſet gulæ, ventriculo, & inteſtinis inferre.

*Fumus tabaci minùs irritat.*

Vnde ſi per os aſſumatur, vel debent maſticari eius folia, vt ſuccus aliquis deglutiatur, ad prouocandum ventrem, vel vomitum; vel debent ſumi in infuſione, vt dictum eſt, vel fumus illius eſt degluttiendus, qui vt cenſeo, mitiorem vim habet, quàm eius puluis; nam ea medicamenta, quæ ſuapte naturâ acria, & mordacia ſunt, vſtione mitiora euadunt; abſumit enim ignis partes calidiores, & mordacitatis participes, proinde fumus illius, etſi magis penetret, non tamen ita mordicat ſicut puluis.

*Quid ſit medicamentum.*

Neque ex dictis inferre licet, quod hæc ſingularis herba iis dotibus ornata, adhuc probè adminiſtrata, nullum afferat incommodum, quod eſt impoſſibile; eſt enim medicamentum, ex Gal. 1. *ſimplic. cap.* 1. quod noſtram naturam alterare valet, in qua alteratione ipſa patitur natura; neque poteſt

*Medicamentum quodammodo lædit.*

medicamentum eſſe tam vtile, quod aliqua ex parte non lædat, vt ait Galen. 11. *method. capite* 11. & Ouidius *in eleg. ad Aug.*

*Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.*

*Neceſſitas mortis deſumitur ex alimento.*

Quapropter ſi alimentum, quod eſt naturæ familiare, quo ipſa natura conſeruatur, ipſam etiam paulatim ducit ad obitum, vt probat Angelicus Doctor 1. *parte*, *quæſt.* 11. *artic.* 1. *ad* 4. neque per alimentum reſtauratur æquè humida ſubſtantia ac fuit deperdita, atque adeò à principio vitæ ad finem continuò exſiccamur, vt probat Galenus 1. *de ſanitate tuenda*,

*tuenda cap.* 3. quid mirum, quod medicamentum, quod non eſt naturæ familiare, quodammodo ipſam lædat. Idem ergo aſſerendum de hac planta, quæ ſua ſiccitate, & calore poteſt conſumere, & depaſci humidum ſubſtantificum,& corpus exſiccare, vt reliqua medicamenta eadem vi prædita, præſertim ſi indebitè adminiſtrentur.

## §. II.

### *De malo, & peruerſo ordine vtendi herba nicotiana.*

VT ſciamus quem ordinem ſeruare debemus in huius remedij mirabilis applicatione, oportet in medium adducere prauum vſum illius apud omnes, & illum deteſtari, & abominari, vt plurium malorum, imò ſenectutis, & mortis Authorem, quem vt inimicum fugere debemus. Errores ex prauo vſu huius herbæ recenſet Doctor Leiua, & Aguilar Cordubenſis libro idiomate vulgari inſcripto, *deſſengaño contra el mal vſo del tabaco.*

*Ladit dum adhibetur ante vniuerſales euacuationes.*

Improbatur ergo vſus tabaci ante vniuerſales euacuationes; nam cùm eo vtantur abſorpto per nares, frequenter habet vicem remedij topici, & particularis capitis, tuncque irritat, & humores mouet, & ſuo calore liquat, & attrahit non ſolùm ex capite, ſed ex aliis partibus ad ipſum caput, ita vt pars nobiliſſima totius corporis,caput ſcilicet, fiat cloaca cuiuſque excrementi, & ea pars, in qua potentiæ ſenſitiuæ reſident, fit receptaculum ſuperfluitatum totius corporis. Hunc curandi modum refutat Galen.3. *de locis,cap.*3. in curatione memoriæ abolitæ, qui priùs adhibet remedia vniuerſaliter euacuantia, deinde capiti remedia admouet.Idem comprobat 13. *method. cap.* 5. aliter enim remediis topicis, quale eſt tabacus, plus adfluit vitioſi ſucci ad membrum læſum; quod periculum ſubterfugimus priùs præpurgato toto corpore, vt ipſe aſſerit *libro de remediis facilè parabilibus*; propterea que Galen. 1. *de de natur. hum. com.*12. hoc inſpiciens dixit: *Apophlegmatiſmus eſt poſt totius corporis euacuationem accommodatus; ita etiam quæ per nares caput purgare dicuntur.*

Ex hoc errore naſcitur, quod qui per nares ſæpè tabaci puluerem capiunt, ſemper attrahunt ad nares humores in ipſis obſtructionem cauſantes; caput enim eſt repletum, & ex toto corpore ad caput, & nares vi attractionis, & irritationis tabaci humores fluunt.

*Præceptiones medicæ non ſunt vniuerſim accipiendæ.*

Neque ex hoc colligas, hoc præceptum eſſe inuiolabile; nam poteſt dari caſus, in quo talia adhibeantur remedia ante vniuerſalium admotionem; nam hîc loquimur iuxta curationem magis regularem, intra quam benè compatitur, quod vti poſſimus aliquando medicamento aliquo particulari benigno, quo frequenter vtimur; præceptiones enim practicæ, vt inquit Valleſ. non ſunt vniuerſaliter accipiendæ, ſed temperandæ pro vrgentiæ indicatione; ideòque Hipp.2. *de rat. vict. text.* 1. in curatione doloris pleuritici calidis fomentis incipit, antequam ſanguinem mittat; ſæpè enim ad morborum curationem eſt neceſſaria particularium remediorum applicatio, ſæpéque à iuuantibus, & nocentibus ſumitur indicatio ad curationem perficiendam: hoc autem non conuenit huic herbæ, quæ adhuc in parua quantitate nimis irritat, agitat, & attrahit humores, præcipuè cùm inordinatus, & frequens ſit apud omnes illius vſus. Neque antea humores præparant, neque eos fluidos reddunt: quam conditionem,vt neceſſariam proponit Hippoc.2. *aphor.text.*9. dum ait: *Corpora cùm quiſpiam purgare voluerit,oportet fluida facere, ex vſu enim eſt, omnes vias, per quas excernuntur excrementa,aperiri*, ex Hipp.6. *epidem. ſect.*2.*text.*32. præſertim ſi humor ſit tenax, & partibus adhærens, vel non cedat medicamento attrahenti, vel violenter nimis attrahatur.

*Lædit ex frequenti eius vſu.*

Non minùs errant, qui qualibet hora tabaco vtuntur; nam vt inquit Verinus, impediunt certam medicamina crebra ſalutem: & *Eccleſ.*8. omni negotio tempus eſt, & opportunitas; & ſicuti anteà diximus, data tempore proſunt, omniaque tempus habent, neque ſemper adeſt remediorum opportunitas, & vt alibi diximus ex Horat. *ſerm.*1. debet eſſe modus in rebus. Vnde facilè quiuis diiudicare valebit, quàm malè agit, qui quacumque hora hoc forti vtitur remedio. Si enim in remediorum admotione non ſeruatur ordo, nec remedia pro ratione adhibentur, adhuc medicina non merebitur nomen artis, quæ eſt habitus cum ratione factiuus, ex Ariſt.6. *Ethic. cap.*4. Ad Medicum ergo ſpectat diſpenſare remedia iuxta rationis regulas, & occaſionem perquirere, quam difficillimè aſſequimur; proptereaque Gal.1. *de arte curat. cap.*1. ait, quod occaſio præ omnibus eſt cognitu difficillima,& circa illam etiam Medici præſtantiſſimi aberrant, eamque præcipitem, & facilè labentem vocat Hipp.1. *aphor. text.*1. in qua tempus multum non datur, ex eodem *libro de præcept. in principio.*

*Remediorum occaſio praceps.*

*Quantitatem remedij ex coniectura inueſtigamus.*

Nec minùs errant, cùm huius remedij quantitatem determinatam non habeant; nam licèt quantitas remedij totam artem medicam coniecturalem reddat, vt ait Gal. *de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, cap.* 12. nihilominus Medicus licèt non poſſit metiri remediorum quantitatem exactè, coniecturaliter tamen, ſecundùm quod poſſibile eſt, eam metitur, & accommodat; ſcimus enim, vt ait Gal. proximè citatus, quo medicamento poſſumus bilem verbi gratiâ euacuare; non tamen illius medicamenti quantitatem exactè determinare. Quapropter Auic. *fen.*1.4. aſſerit, melius eſſe infra ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſimè euacuare. Errant ergo qui quocumque tempore tabacum ſibi applicant indeterminatè, neque ipſius metiuntur quantitatem, provt eorum neceſſitas poſtulat; & quod magis eſt, abſque neceſſitate eo vtuntur, potiùs à conſuetudine perducti, quàm neceſſitate compulſi; ſicque, vt illis apparet, minùs offenduntur; nam quæ longo tempore ſunt conſueta, etſi deteriora, minùs moleſtare ſolent, ex Hipp.2. *aphor. textu* 50.

*Conſuetudinis ratione remedia minus lædunt.*

Neque ob aliam cauſam ſenes faciliùs labores ſuſtinent, quibus ſunt aſſueti, quàm iuuenes, & fortes, qui non ſunt aſſueti, ex eodem Hippoc. *eodem lib. text.* 49. & 2. *de rat. vict. text.* 33. ait, cibos, & potus, quibus aſſueti ſunt, facilè ferunt, tametſi naturâ haudquaquam boni fuerunt. Neque ob aliam rationem Auicen. *fen.*4. *lib.*1. *tract.*5. *cap.*1. iubet mutare medicinam; nam ab ipſo, quod conſuetum eſt, non fit paſſio, ſicque qui aſſueti ſunt huic remedio, illud facilè ferunt, quia ob aſſuetudinem non immutatur ſenſibiliter; tantaque eſt vis aſſuetudinis, vt venenum aſſuetum non valeat nocere. Lege Gal.3.*ſimplic.c.*11.& 18.Mithridates quoque vſu frequenti venenorum à venenis ſeſe reddidit immunem.

*Venenum aſſuetum non nocet.*

*Conſuetudo permutanda.*

Hæc enim re vera, etſi non veritati diſſona, verumtamen qui hac herbâ ob aſſuetudinem vtuntur, rem non attingunt; oportet enim ad inſueta permutari, vt ait Hipp. nam ſi homo ſanus eſt, non eſt illi opus medicina, ea enim conuenit malè habenti, ex Diui Lucæ capite 5. ideoque Celſus ait: *Homo ſanus nullis medicinæ legibus adaptari debet. Qui enim benè ſe habent è corpore,difficulter ferunt medicationes,*ex Hippoc.2. *aphor.text.*38. & ſi purgentur,facilè exſoluuntur,ex eodem *textu antecedenti*; ſolùm enim regimine rerum non naturalium conſeruantur.

*Homo ſanus medicina non eget.*

*Conſuetudo non indicat remedium.*

Si verò homo morbò ſit affectus, & rationi ſubditus eſt, debet vti remediis in quantitate, & qualitate affectui commenſuratis, debito tempore, & occaſione, vt dictum eſt, non verò aliter, nec propter conſuetudinem; conſuetudo enim, vt eleganter probat Valleſ. 8. *controuerſ. cap.* 5. non indicat remedium, ſed illud tantùm permittit; eſt enim conſuetudo aduentitia natura; & ſicuti natura non indicat remedium, quod quidem expoſtulatur à morbo, neque illud indicat conſuetudo, vt ait Galen. 9. *method. cap.* 16. vbi aſſerit, *conſuetudo indicat ſicut ætas.* Tenet ſe conſuetudo ex parte naturæ, quæ licèt permittat remedium faciendum, non tamen illud expoſcit. Quæ conſuetudo tam longè abeſt, vt petat remedium ad ſui conſeruationem, quod potiùs ex toto auferri debet, quia eſt vitioſa conſuetudo, malaque nimis; & quod peius eſt, faciendo quod malum eſt, mala conſuetudine ſe implicant, ita vt ipſa conſuetudo mali non eos ſinat videre, quod malum eſt, & ſunt defenſores huius mali, & alios hortantur, vt in hanc prauam incidant conſuetudinem; ſic enim loquitur Diuus Auguſt. de Sodomitis *tomo* 10. *ſerm.* 46. *in Euang. ſecund. Ioannem, de verbis Domini*; & ſicuti de Sodomitis ipſe ait, quod ipſi ſuâ malignâ conſuetudine preſſi ſunt tanquam ſepulti; idem ferè dicere poſſumus de iis, qui nimis aſſueti ſunt huic herbæ, cuius immodico, & frequenti vſu ſepeliuntur, vt poſteà dicemus.

*Qui hac herba vtūtur monent alios ad eius vſum, & omnes pereunt.*

*Errant in applicatione huius plantæ ad omnes morbos.*

Alium errorem non parum committunt, qui hac vtuntur herba; ſiquidem cenſent eſſe omnibus morbis vtilem, atque adeò ea in curatione cuiuſcumque morbi vtuntur. *Frigida pugnare calidis, humentia ſiccis,* Ouid. cecinit; non tamen calida calidis, aut frigida frigidis, niſi aliquando id per accidens eueniat, vt dicere ſolemus de perfuſione aquæ frigidæ ſupra partem conuulſam, aut articulari morbo vexatam, quæ huiuſmodi affectus ex frigida cauſa ortos curat, vt ait Hipp. 5. *aphor. text.* 21. & 25. reuocando calorem influentem ad intra per actionem antiperiſtaticam, eo modo, quo tempore hiemis ob frigiditatem aëris occurſantis ventres calidiſſimi redduntur: tamen quod hæc herba poſſit conuenire morbis pendentibus ex intemperie calida, & ſicca, nuda, vel cum humore, intellectus non capit; ſiquidem ipſa huiuſmodi qualitates adaugere valet, & licet ex accidenti infrigidet partes igneas, & aëreas conſumendo, ex quarum abſumptione corpus infrigidatur, ex hoc potiùs maior ſequitur noxa; ſiquidem corpus abſumptis partibus, à quibus dependet vita, quæ in permanſione calidi in humido ſita eſt, ex Ariſt. *lib. de vita, & morte*, citiùs ſeneſcit homo, & non ſolùm qualitatiuè manet corpus frigidum & ſiccum, ſed etiam ſubſtantificè; & ſic ſanitatis mediocritate tranſmiſſa excitatur morbus præcedenti contrarius, quod ſemper cauere debemus, vt monet Galen. 9. *methodi, cap.* 15. non enim aliter ad ſenectutem peruenimus, niſi iis partibus abſumptis, quas difficilè, aut nunquam reſarcire poſſumus, vt ait Gal. *libro de maraſmo*; quod quidem facilè conſequuntur ij, qui immodicè hoc vtuntur remedio; remedia enim contraria debent eſſe morbo, & à mediocritate pari numero diſtare, vt ait Gal. *lib. de art. medic. text.* 89. implicat enim vnicum remedium eſſe omnibus morbis aduerſum, atque adeò implicabit, quod eo omnes curentur morbi; proptereaque inquit idemmet Gal. *lib.* 8. *de compoſit. medicamentorum ſecundum loc. cap.* 3. eſſe impoſſibile inuenire pharmacum ad multas affectiones optimum, præcipuè cùm dicat Ouid. *remed.* 1. *Mali mille ſpecies.*

*Nota de antiperiſtaſi.*

*Vita deſtruitur vſu inordinato huius plantæ, & in quo vita permanet.*

*Vnico remedio non curantur morbi omnes.*

*Non eſt conueniens omnibus,*

Nec minùs improbatur illius vſus immodicus in quacumque ætate, temperie, regione, & tempore. *Differt enim ætas ab ætate, temperamentum à temperamento*, ex Hippocrat. *libro de flat. Neque vnico calepodio poſſumus omnes calcere*, vt ait Galen. 10. *method. cap.* 16. debemuſque conſiderare in morbis ætatem, conſuetudinem, anni tempus, & regionem ad euacuationes faciendas, & alia remedia exercenda, & in quibus conueniant, vel non, vt dictat Hippoc. 1. *aphoriſ. text.* 2. Cùm enim ætates inter ſe nimis differant, quarum quædam petunt ſui conſeruationem, vt pueritia, & adoleſcentia, quæ ætates optimæ ſunt, quia in ipſis magis dominatur calor innatus, vt ait Galen. 3. *aphoriſm. comment.* 18. quædam verò petunt ſui correctionem per contraria, proptereaque Hippoc. *eodem libro, text.* 18. aſſerit, quod ſenes æſtate, & vſque ad aliquid autumni optimè degunt & ſani ſunt maximè; reliquum, & hyeme, qui mediam ætatem habent. Si ergo ætates omnes ita in temperamento euariant, quomodo poteſt eis adaptari remedium vnicum, quo illæ ætates benè ſe habeant? Plura ergo debent conuenire remedia, ſicque Cornel. Galen. canit:

*neque in omni tempore, & ætate.*

*Diuerſos diuerſa iuuant, non omnibus annis*
*Omnia conueniunt, res priùs apta nocet.*

Sed quia hoc ita notum eſt, vt probatione non egeat, & ſimilis diſcurſus fieri poteſt de tempore, & regione, quæ etiam conſideranda veniunt in morborum curatione, vt docet Hippoc. *libro de aëre, locis, & aquis*, Galen. 1. *de arte curat. cap.* 13. & alibi millies, ideò conſultò hæc omitto; eſt enim conſumere tempus in reprobando id, quod ſub ſenſum cadere non debet.

*Præparatio tabaci maximè neceſſaria.*

Non ſolùm in his committitur lapſus, ſed etiam in modo præparandi, & ſumendi tabacum; debet enim accipi præparatus priùs, aliter enim nocuus erit: cùm enim ſit medicamentum purgans electiuè, & inter benigna, & fortia mediam ſortiatur naturam, & vt exiſtimo, magis accedat ad naturam fortium medicamentorum, neque poteſt naribus applicari, neque per os aſſumi, quin prius præparetur ſufficienter, & ei aliquid roborans, & confortans admiſceatur; quod admonet faciendum Gal. 1. *de natur. humana, comment.* 12. & Auic. *fen.* 1. 4 *tract.* 5. *cap.* 9. in medicamentis purgantibus; peruenit enim medicamentum purgans ad ſtomacum: ne ergo eum deſtruat, ei admiſcent moſchum, & ambram, quibus adhiberem aliquid aromatici roſarum, vel diarrhod. Abb. ſic enim roborabitur ventriculus, necnon vires cordis reparabuntur. Quod ſi eius puluerem per nares abſorbeant, etiam rerum capitalium admixtio ad roborandum caput vtiliter adhibebitur, ſicque ſimul cum moſcho poterit admiſceri aliquid florum roris marini, betonicæ, vel ſaluiæ. Quod ſi eius infuſio bibatur pro purgatione ventris, vel totius, ei adhibere poſſumus dictum puluerem diarrhod. & cum eo ſimul infundere flores cordiales, vel aliquid aliud, prout Medico viſum fuerit.

## §. III.

### *De trituratione huius herbæ, & triturationum differentiis.*

SEd quia ſub forma pulueris, vel fumi frequenter eo vtuntur, oportet vtriuſque docere præparationem. Quando ergo ſub forma pulueris ſumitur, neceſſariò triturari debet; eſt enim trituratio vna ex quatuor præparationibus traditis à Meſuë, quæ ſi decenter, & vt conuenit, non fit, deſtruit vim medicamenti triturati; ſunt enim quædam, quibus non conuenit multa trituratio. Sunt etiam quibus neceſſaria eſt multa, & ſunt quibus mediocris: vnde deducunt omnes, quod trituratio eſt triplex, groſſa, ſubtilis, & mediocris; quæ triturationis differentiæ

alias poſſunt pati ſubdiuiſiones, quarum tractatio ad pharmacopolas ſpectat; nos autem impræſentiarum agimus de vltimis differentiis triturationis, in quibus accedimus ad triturationem vltimam rei groſſæ, & ad vltimam rei quæ ſubtiliter triturari poteſt, & ad mediam inter vtramque; nam vna ex his debet conuenire huic herbæ, nam aliæ triturationes groſſiores non poſſunt reducere tabaci folia ad pulueris formam.

*Triturandi neceſſitas in medicamentis triplex, ex Meſue.*

Triturandi neceſſitas in medicamentis ex Meſuë eſt triplex; aut enim eſt, vt miſcibilium in vnum melius fiat admiſtio, vt patet in trituratione eorum, ex quibus componitur theriaca: aut vt in medicinis aliqua proprietas adquiratur, vt patet in diacymino, quod ſubtiliter trituratum fit vrinæ prouocatiuum, vt ait Gal. 7. *methodi*: aut vt aliqua eius reprimatur malitia, quare colocynthis vltimatè debet triturari, nam aliter illius partes adhærent ventriculo; & inteſtinis, replenturque humiditate, inflant, & inflammant, & partes quas attingunt, exulcerant: at verò vltimatè triturata deperdit hæc nocumenta.

*Trituratio fieri debet in ordine ad partem, in quam medicamentum debet peruenire.*

Hæc omnia eò tendunt, vt inſpiciamus ſubſtantiæ modum in medicamentis. Attamen Meſues non amplectitur omnes cauſas triturationis, vt optimè aduertit Arnald. de Villanoua *in antidot.* quem ſequitur Ouietus 2. *method. cap.* 26. nam etiam dum fit trituratio alicuius medicamenti, inſpicere debemus non ſolùm ſubſtantiam illius, ſed etiam corporis noſtri partem, ad quam debet peruenire, & in quam debet operari: & quia ſæpè vna, & eadem res ad operandum in diuerſis partibus trituratur, etiamſi modus ſubſtantiæ ſit vnus, non poteſt trituratio eſſe vna; nam ſi adminiſtretur ita, vt debeat facere moram in ventriculo, mediocris ei trituratio ſufficit; ſi verò ad profundiſſimas partes, & per vias ſtrictas deuenire debeat, ſubtiliter eſt trituranda, neque aliter poterit illius virtutem partibus diſtantiſſimis communicare, ſicque roſa trituratur ad compoſitionem diamargar. frig. diuerſimodè ac ad componendam hieram magnam Galeni: quod animaduertens Galen. 4. *de ſanitate tuenda, capite* 7. hæc profert verba: *Atque herbarum quidem quidquid lignoſum, & durum, id abiiciendum; accipienda verò ad medicamentum folia, atque ex iis maximè ſubtiliſſima, viventiſſimaque ſint, atque in ſummis herbis nata: ad hæc flores, & quæ cum iis ſunt, vnà minutiſſimæ, tenuiſſimæque feſtucæ; hæc omnia ſimul tundenda, cribrandaque ſunt tenui cribro. Quippe eiuſmodi medicamenta in totum corporis habitum maximè digeruntur, veluti è diuerſo craſſiora in ventre hærent, vt quæ anguſta venarum oſcula ſubire nequeant, &c.* Ex iis claret, quod vni medicamento competit trituratio, non ſolùm habito reſpectu ad illius ſubſtantiæ modum, ſed etiam ad partem, in quam debet operari. Hoc totum manifeſtum fit in trituratione diacymini; nam dum volumus eius operationem in ſtomacho, & ventre, vt moram ibi faciat, eius optamus triturationem mediocrem; ſi verò offeratur ad vrinæ prouocationem, ſubtiliter eſt triturandum, atque adeò Galen. *loco proximè citato*, loquens de trituratione diacalamintidis, ait: *At huius quidem præcepti in omnium medicamentorum compoſitione meminiſſe expedit; propoſitum verò in præſenti medicamentum omnia prorſus ſubtilia poſtulat, quo facilè in omnem corporis partem digerantur, ferantùrque, &c.* Agebat enim ibi Galenus de curanda cruditate in extremo corporis habitu, ad quem non poterat peruenire hoc medicamen, niſi eſſet ſubtiliter trituratum.

*In triturationibus herbarum quidquid lignoſum, eſt abiiciendum.*

*In trituratione eſt attendendus ſubſtantiæ modus medicamenti, & pars in quam debet operari.*

Ex dictis conſtat, quod in trituratione duo ſunt attendenda, & modus ſubſtantiæ rei triturandæ, & pars, ad quam ipſa res triturata deferri debet. Si enim non conſideretur ſubſtantia rei, & laborioſè trituretur, ob eius tenuitatem, & facilitatem amittit propriam virtutem: quare quæ duræ ſunt ſubſtantiæ, ſubtiliter poſſunt triturari ſine amiſſione virtutis, quam ipſæ partes duræ adhuc ſubtiles retinent: ideoque Gal. 11. *ſimplic. cap.* 26. buccinorum, purpurarumque teſtam duriſſimam vrebat, deinde pollinis in modum læuigabat, tundendo ſcilicet, & cribrando priùs: quod quidem præceptum (inquit) debet eſſe commune in omnibus lapidoſis, teſtaceiſque ſubſtantiis; nam ſi exactè læuia non ſint reddita, arenis ſimilia ſunt. Idem ſentit Arnald. de Villan. *in antidot. cap. de triturat.* Vuecterus *lib.* 3. *antidot. gener. c.* 26. Similiter ſi medicamenta ſint tenuis ſubſtantiæ, contrario modo ſunt trituranda, facilè enim forti trituratione eorum virtus euolat; quapropter ſunt craſſo modo trituranda. Ponit exemplum Ouietus in tritici farina, quod cùm durioris ſubſtantiæ ſit quàm medicamenta tenuia, vt flores, & folia, nihilominus diſpergitur plurimùm farinæ ad molendini parietes, ob vehementem & fortem triturationem, quæ farina à nobis volatilis dicitur. Quia ergo medicamenta craſſa ſubtilem, tenuia craſſam exigunt imminutionem, ſeu triturationem, ita mediocria mediocrem.

Verùmtamen ſi conſideramus partem, in quam feruntur ad operandum, aliter erit procedendum. Nam vel medicamenta ſumuntur interiùs, aut adhibentur exteriùs; ſi interiùs, vel ad operandum in diſtans, vel in propinquum. Si in propinquum, vt in ſtomachum, mediocriter ſunt trituranda, vt diximus ex Gal. mente; ibi enim moram faciunt, quia ob earum partium craſſitiem non facilè ad alias permeant partes, neque omnia eandem perpetiuntur trituram, etiamſi detineri debeant in ſtomacho, quia in eis debemus conſiderare ſimul ſubſtantiæ modum. Si medicamenta ſint pectoralia, ſubtiliter ſunt comminuenda; nam licet pectus ſit vicinum, non tamen medicamenta ad illud peruenire poſſunt, niſi priùs per vias ſtrictas, & longinquas nimis ferantur: vt verò medicamenta in diſtans operentur, ſubtiliter ſunt trituranda; attamen non omnia æqualiter, ſed magis, aut minùs, ſecundum maiorem, vel minorem diſtantiam partium, ad quas peruenire debent.

*Pectoralia qualiter trituranda.*

*Quæ exterius dimouentur quomodo trituranda, & præparanda.*

Exteriùs ſimiliter adminiſtrantur medicamenta triturationem ſubeuntia; hac tamen adhibita differentia; nam quædam applicantur partibus ſenſu exacto præditis, vt oculis, quæ ſubtiliſſimam triturationem ferre debent, aliter enim maximè oculi offenduntur: quædam exteriùs etiam adhibentur, quorum virtus in aliquibus partibus profundis, ſeu diſtantibus deſideratur, vt in ſtomacho, vtero, renibus, corde, &c. Quæ vt faciliùs penetrent, ſubtiliter triturantur. Si verò eorum operatio optatur in eadem parte, ad reſoluendum verbi gratiâ, vel ſuppurandum, non egent ſubtili trituratione, quia non oportet vt ſint penetrantia nimis, cùm operari debeant in ea parte, cui admouentur. Quod ſi ſupra vulnus, aut vlcus aliquod vnguentum, vel emplaſtrum ſit apponendum, debet confici ſemper cum pulueribus ſubtiliter comminutis; nam aliter ſuâ craſſitie parti vulneratæ dolorem inferunt, & cicatricem impediunt, quo fit vt Galen. 3. *de compoſitione medic. per gen. c.*7. ſermonem inſtituens de vulneribus neruorum, medicamentum componit ex herbis, & radicibus, quod vt probè componatur, inquit: *At radices, herbaſque totas non modò ſcire oportet accuratè contuſas tenuibus cribris ſecernere, ſed etiam denuò exactè læuigare, vt arida collyria, quouſque in puluerem redigantur; nam quod craſſis conſtat partibus, neruos vulneratos nihil iuuat.* Idem ſtatuit 11. *ſimplic.*

*ſimplic. capite 26. citato*, de teſtaceis, & lapidoſis pro vlceribus malignis, vt ſuprà diximus, dum erat ſermo de trituratione deſumpta ex ſubſtantiæ modo medicamentorum.

*Medicamentum ſubtile quomodo ſubtiliter triturandum abſque ſua ſubſtantiæ deperditione.*

Sed quia poteſt contingere, quod medicamentum triturandum non poſſit perferre triturationem ſubtilem, & aliàs debeat deferri ad partes diſtantes, aliter non poterit ad eas deuenire; tunc certè debemus forſan inſpicere partem, ad quam debet peruenire, & illud ſubtiliter triturare, vel potiùs inſpicere illius ſubſtantiæ modum, qui non poteſt ferre triturationem ei debitam ſecundùm ipſius propriam ſubſtantiam, & cum hac trituratione perferri ad partem, in qua optatur eius operatio; tunc quidem nihil aliud excogitari poteſt: ſi enim medicamentum eſt duræ ſubſtantiæ, vt lapides, & teſtacea v. g. quæ debent ſubtilem triturationem perferre, & vltra hoc debent duci ad partes longinquas, tunc quidem facienda eſt trituratio iuxta ſubſtantiæ modum ipſius medicamenti; at verò ſi medicamentum ſit tenue, vt flores, vel folia, quod non poteſt ſuſtinere ſubtilem triturationem,& nihilominus debeat peruenire ad diſtantiſſimas partes, vt ad vterum, cor, renes, &c. tunc trituratio eſt facienda habito reſpectu ad partem, ad quam debet duci; nam ſi eius virtus non accedit ad eam partem, inutiliter tale adhibetur remedium, cùm eius virtus non attingat partem malè ſe habentem, in ordine ad quam adhibetur.

Dices: Medicamentum tenue ſubtiliter comminutum plurimùm deperdit de propria virtute, vt diximus ſupra ex Meſue ſententia: ergo etſi in ordine ad partem diſtantem ei debeatur talis trituratio, non tamen poteſt ei adhiberi, quia eam ſine multa partium reſolutione non poteſt ferre.

*Induſtrius debet eſſe pharmacopola in trituratione rei tenuis ſubſtantiæ.*

Reſpondeo, quod vt non reſoluatur medicamenti tenuis virtus, neque illius partes ſubtiliores trituratione euolent, plura poſſunt fieri; nam poteſt dum trituratur, admiſceri alteri medicamento craſſo. Quod ſi non conueniat medicamentum craſſum ad compoſitionem faciendam cum tenui, vt craſſum ſua craſſitie impediat reſolutionem partium medicamenti tenuis, poteſt prius mortarium parum madefieri, vt ſua humiditate partes non facilè euolent, vel in eodem mortario amygdalum tundere, vt ſua oleagine obſtruat ſubtiles partes,& eas detineat: idemque facimus aliquid aliud oleaginoſum priùs in mortario tundendo, quod corio, vel papyro operiendum, vt intra ipſum conſeruentur partes omnes illius medicamenti, dummodo ſit foramen in medio ad ingreſſum piſtilli, quo trituratio fit: ſed hæc iam ad pharmacopolas attinent,ſufficit nobis pro nunc ſcire, qualiter medicamenta ſunt trituranda, vt ſciamus qualiter corporibus noſtris ſunt applicanda.

*Qualiter tabacus triturandus, vt ſorbeatur per nares.*

Ex dictis infero, quod dum huius herbæ folia triturantur, vt puluis abſorbeatur per nares, non ſunt nimis trituranda; tum quia pars,in quam debet puluis deferri, non multùm diſtat, neque viæ ſunt nimis ſtrictæ, per quas permeat: tum quia trituratio mediocris eſt ſuæ ſubſtantiæ modo magis conformis.

*Et admoueatur alijs partibus.*

Si verò cum vnguentis vel emplaſtris adhibetur,vt ad partes internas perueniat, tunc ſubtiliter eſt trituratio facienda; ſi verò vulneri, aut vlceri accommodetur, ſimiliter; nam aliter dolorem in parte vulnerata excitabit: at verò ſi in eadem parte, cui adhibetur, debeat ſolùm operari, non requirit tantam triturationem; quæ enim adduximus in communi de trituratione, triturationi particulari huius herbæ ſunt adaptanda.

*Aqua in ore detinēda, dum per nares pulnis tabaci ſumitur.*

Sed quia dum per nares aſcendit, facilè aliquid illius ori communicatur, quod poteſt laryngem inflammare, & ſua mordacitate oris partes exulcerare, vtile erit aquam in ore detinere, quouſque humor per nares effluat; quod admonet faciendum Gal. *lib. de inſtrum. odor.* dum ſternutatoria adminiſtrantur; deinde etiam nares abluere, ne ſit æger in continua ſenſatione, & irritatione.

In forma fumi per os à pluribus accipitur quacumque hora, ſiue ſit ſtatim ab aſſumpto cibo, ſiue antea; qui omnes toto cœlo errant. Et licèt non ſciant quid faciunt, non tamen ſunt veniâ digni; nam à Medicis admoniti ſe ſuæ accingunt proteruiæ, & ſuam inſcitiam cognoſcentes, nequeunt à ſuo placito deuiare. Hæc in horum gratiam non ſcribo, ſed in gratiam eorum, qui ratione duce ſe gubernant; nam vt inquit Manil. *lib.* 2.

*Nam neque decipitur ratio, nec decipit vnquam.*

*Mendacium in medicina maius quā in alia arte.*

Semperque credendum eſt peritis in arte; *nullum enim maius datur periculum, quàm in mendacio erga medicinam*, vt inquit Plin. *lib.* 22. *cap.* 6. Quis enim rationis gnarus ſtatim ab aſſumpto cibo,aut nondum peracta coctione audebit ſumere medicamentum ventrem ſubducens, aut vomitum excitans, perturbando coctionem, quæ quietem deſiderat, ex Gal. 4. *de rat. vict. com.* 44. & naturæ opera impediendo? Quapropter cùm fumus tabaci hæc omnia faciat, abſtinendum eſt ab eo, quouſque non ſolùm cibus ſit concoctus, ſed etiam diſtributus, ne ex fumi ingreſſu, qui irritat, & ſupernè, inferneque euacuat, allata incommoda ſequantur.

*Tempus idoneum aſſumptioni tabaci.*

Tempus ergo accommodum erit hora matutina, quo vti poſſunt, qui pluribus cruditatibus ſcatent, vt in principio annotationis adduximus; & qui ventriculum habent frigidum, & cerebrum cruditatibus refertum, & fluxionibus obnoxium. Neque eſt contra rationem eius vſus ad phthiſim, præcipuè dum prouenit ex fluxione catarrhali; ſiccat enim vlcus, & agglutinat, conſumitque humorem ad pulmonem defluentem, neque inutiliter in hunc finem commendatur à Mercato in praxi, *cap. de phthiſi, ſeu tabe.*

*Ad phthiſim fumus tabaci vtilis.*

Quod ſi homo ſit temperaturæ calidæ, ad fumi attemperationem conducit quammaximè, quod canula, per quam fumus aſcendit, habeat globum, in quo contineatur aqua frigida, vel nix, vt quodammodò fumus deponat calorem, & mordacitatem. Neque vſus illius quotidianus in omnibus poteſt eſſe vtilis, cùm non omnes æquè laborent, neque ſint eiuſdem temperiei: & certum eſt, quod eius vſus magis congruit tempore hiemis, & in regionibus frigidis, quàm è contra.

## §. IV.

### *De nocumentis ex peruerſo vſu tabaci.*

Suprà diximus, quod omnia ſua habent tempora, & in omnibus occaſio inquirenda, & quod morbus remedium indicat, & quod remedia debent eſſe æqualia morbo, & quod in remediorum admotione veniunt conſideranda ætas, conſuetudo,temperamentum, regio, anni tempus, vt ſic ſciamus quibus conueniant remedia, vel non. Dum ergo circa hæc omnia conſideratio deficit, ea quæ offeruntur, potiùs ruinam ægri cauſant, quàm eius ſalutem. Maximè ſuas exercet vires ob eius actiuitatem contra ſalutem, & in vitæ diſpendium hæc planta in iis, qui ea inordinatè, & extra tempus vtuntur.

*Deſtruit vitam, & ad ſenectutem breuiter facit peruenire.*

Siccat enim, & calefacit plus quàm decet, ducitque homines facilè ad ſenectutem,& ad mortem; debet enim medicamentum alterare ſecundùm eas qualitates, quas habet, vel actu, vel potentiâ. Quia ergo, vt ſuprà diximus, hæc planta eſt calida, & ſicca in tertio gradu, ſi immodicè exhibeatur, non ſolùm aufert pituitam, & abſumit excrementa aquea, ſed propriam viuentis ſubſtantiam depaſcit, & abſumendo

ſumendo per ſe ſubſtantiam humidam, ratione ſiccitatis, quæ humiditati opponitur, & ex accidenti ratione caloris, redditur totum corpus ſiccius; & cùm calor ex accidenti (vt dixi) reſoluat partes humidas, & aëreas, remaneantque partes frigidæ, & terreſtres, totum corpus reſultat frigidum, & ſiccum, citoque ſenectutis ætatem comparat; propterea Galen. 6. *de ſanitate tuenda*, *capite* 3. ait: *Qui maximè humidi ſunt, hi maximè ſunt longæui; quique naturâ ſunt ſicci, in ſiccitatem ſenilis intemperantiæ citiùs perueniunt.* A principio enim vitæ vſque in finem continuò exſiccamur, contingitque totius noſtræ ſubſtantiæ fluor, ex Galen. 1. *de ſanitate tuenda*, *capite* 2. Sicque ætatem definiunt Philoſophi, & Medici penes hoc, quod *ſit mutatio natiui temperamenti ad ſiccitatem, annorum ratione proueniens.* Ita Segarra 2. *de temper. c.* 2. Et quamuis ætatis ſiccitas ſuperueniat ratione temperamenti innati, cuius actio versùs ſiccitatem eſt ineuitabilis, atque adeò Galen. 5. *de ſanitat. tuend. cap.* 9. explicans quid ſit ſenectus, aſſerit ſenectutem appellari *frigidum, & ſiccum temperamentum annorum multitudinis ratione proueniens.* Certum tamen eſt, quod rebus ſiccis, & alimentis ſiccantibus adiuuabitur ætas, itavt ocyſſimè in ſenectutem tranſeat, & conſequenter in mortem; ſiquidem ſenectus eſt occaſus vitæ, ex Cic. *in topic.* & ſenex idem eſt, quod ſeminex, hoc eſt ſemimortuus. Ne igitur ad ſenectutem citò homines perueniant, ſe abſtinere debent ab inordinato, & intempeſtiuo vſu huius plantæ, ſiue in forma pulueris, aut fumi, vel alio quouis modo aſſumatur.

*Quid ſit ætas.*

*Senectus quid ſit.*

Neque obſtat contra hanc doctrinam, quæ neutiquam veritati, & experientiæ diſſonat, in hominibus, quorum vitam prolongare cupimus, præcauentes ea, quæ ſenectutem anticipant, & admonentes ea, quæ eam retardant, & in longum tempus protrahunt, quod quædam animalia ſiccæ temperaturæ diutiùs viuant, quàm alia ſuaptè naturâ humidiora; vnde poſſet inferri, idem poſſe hominibus contingere, etiamſi ſicca ei alimenta adminiſtrentur, & alia, quæ eadem polleant virtute. Non enim hoc iudicamus impoſſibile, ſiquidem duo homines eiuſdem temperamenti, eiſdem rebus non naturalibus vtentes, qui eundem vitæ terminum habere deberent, eorum vnus gignit humores laudabiles, quibus longiorem vitam comparat; alter verò è contra prauos humores creat, citiúſque ſuam finit vitam, vt ait Auerroës 6. *collect. cap.* 2. nam ſunt aliæ qualitates in vno, quæ non ſunt in alio; nam temperies non ſolùm attendenda venit reſpectu primarum qualitatum, ſed earum etiam, quæ ad ipſas conſequuntur.

*Quare quædam animalia ſicca diutius viuunt quàm alia humida.*

Neque hæ ſolùm dantur in mixtis, ſed aliæ plures, quæ dicuntur à tota ſubſtantia, quæ perfectiori modo reperiuntur in vno, quàm in alio. Ex quo fit, quod quædam corpora, etſi ſicca, ſeriùs ad ſenectutem perueniunt, quàm alia humidiora; ita vt cerui, etſi naturâ ſicci, longè viuunt, vt ait Plinius *libro* 7. *capite* 48. & *libro* 8. *capite* 22. aſſerit: *Vita ceruis in confeſſo longa poſt centum annos, aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis iam cute in magna obeſitate.* Neque hoc mirum, cùm neque à ſerpentum morſu offendantur, vt ipſe ibi ait: imò ipſis eſt cum ſerpentibus pugna, veſtigantque cauernas, nariumque ſpiritu extrahunt renitentes. Si enim venenis reſiſtere valent per qualitatem nobis ignotam, per eandem, vel aliam valebunt etiam reſiſtere cauſis ſenectutem anticipantibus. Scimus tamen, quod in humana ſpecie, quæ ſiccare poſſunt, immodicè applicita lædunt, atque adeò vt pueri creſcant, Gal. 1. *de ſanitate tuend. cap.* 7. ipſis prohibet exſiccantia,

*Cerui longè viuunt, & quare.*

A ſcribitque aduerſus eos, qui infantes eſſe ſiccandos aſſerebant. Et *lib.* 5. *c.* 7. & 8. victum humectantem & calefacientem pro ſenibus commendat, carpitque eos, qui ſenes frigidos, & humidos eſſe dicunt, eiſque alimenta offerunt ſicca.

Dices: Vt corpus areſcat, debet ſiccitatem contrahere in omnibus partibus; nam omnes partes per ætatum decurſum ſiccantur, quod non contingit ex vſu huius herbæ; nam ſæpè adminiſtratur per nares, tuncque ſolum cerebrum ſiccat, non verò corpus ſecundum alias partes; quod vt ſeneſcat, debet ſiccari ſecundum omnes. Hoc, inquam, eſt abſurdum; nam ex Hip. *lib. de alim.* conſenſus eſt vnus, conſpiratio vna, & omnia conſentientia. Quapropter non ſolum læditur cerebrum, ſed per communes vias, & canales facilè quidquid aſſumitur, aſſiduè reliquis partibus impartitur: quod comprobauit experientia in aliquibus repentè mortuis ex immodico vſu huius B herbæ, quorum corpora fuerunt diſſecta; & non ſolum in cerebri ventriculis fuit reperta magna quantitas fuliginum; ſed etiam in aſpera arteria, & pulmone, & aliis partibus. Lege circa hoc Doct. Aguilar Cordubenſem *art.* 14. Quod ſi eius fumum abſorbeant, facilè ad partes principes defertur, quas attingens neceſſariò lædet. Cum hoc tamen, dum per nares eius puluis aſſumitur, maiorem noxam cerebri ſubſtantiæ, & aliis capitis partibus facit, ob maiorem propinquitatem, quàm reliquis partibus corporis, à quibus magis diſtat. Quod non erit difficile conprobare, ſi cerebri temperiem animaduertas, quod licèt ratione temperiei actuatæ per calorem ſpirituum vitalium, & animalium euadat calidum, & humidum, temperametum tamen innatum illius eſt frigidum, & humidum. Ita Gal. 2. *de temper. c.* 3. & *lib.* 1. *c. vlt.* & 5. *aphor. com.* 69. & alibi millies: propterea Ariſt. *lib.* 5. *de gener. anim. c.* 3. cerebrum C vocat frigidum, & humidum, de ſe largam humoris copiam præbens, ideoque maximam tutelam deſiderat, ex eodem *lib.* 2. *de part. anim. c.* 14. eſt enim datum, vt ipſe cenſet, vt cordis calorem, feruoremque moderetur: quapropter ne cordis calor efferueſcat, oportet quammaximè cerebri temperiem conſeruare. Quam autem veritatem habeat Ariſt. doctrina, nunc non diſputo.

*Quare ſenectus citò aduenit ex vſu tabaci per nares.*

*Agitur de temperie cerebri innata, & actuata.*

Neque valet contra dicta, quod Gal. 8. *de vſu partium, c.* 2. aſſerit, quod cerebrum eſt calidius calore æſtiuali; nam ibi agit Gal. de temperamento quod eſt aëre æſtiuali calidius; aliis verò locis, dum aſſerit, quod cerebrum eſt frigidum, loquitur de temperamento innato ipſius; eſt enim pars exſanguis, & ſeminalis, proptereaque nequit eſſe calidum; oportebat enim cerebrum eſſe frigidum, inquit Auic. *fen.* 1. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 2. propter fortitudinem motuum neruorum, & vehementes paſſiones ſenſuum internorum, & alterationes & motiones D ſpirituum, ex cuius frigiditate hæc omnia attemperantur; aliter enim facilè imflammaretur cerebrum, & conſequenter cor, & reliquæ partes.

*Quare cerebrum oportebat eſſe frigidum.*

Ex iis facilè percipies, quod cerebri ſubſtantia, ſi magis quàm decet, calefiat, & areſcat, quod amittit multùm de frigiditate, & humiditate naturali; atque adeò vitiabitur eius operatio, quæ quidem petit, vt fiat accommodum temperamentum; nam vt ait Galen. *de differ. ſympt. cap.* 1. *Omnis immodica intemperies deiicit actum propriæ virtutis.* Vnde cerebrum ſiccum euadens, & magis calidum, quàm oportet, vitium contrahere debet, & malè ſuas operationes elicere, præſertim cùm in cerebro iuxta magis firmam ſententiam reſideant potentiæ rectrices, vti imaginatio, ratio, & memoria: qua de cauſa Gal. 2. *prognoſt. com.* 6. ait: *Præcipua verò cerebri miniſteria ſunt, meminiſſe, ac cogitare; ſubſeruientia*

*Quare ex vſu tabaci læditur cerebrum.*

*In cerebro reſident potentiæ ſenſitiuæ.*

*uientia ſentire , & mouere ſecundùm deſiderium.*

Quare cùm temperamentum in potentiis his ſenſitiuis ex mente Angel. Doct. 1.*part. quæſt.* 78. *art.* 1. concurrat ad actiones earum in genere cauſæ diſpoſitiuæ, dummodò non ſeruetur diſpoſitio naturalis eis debita, non valebunt perfectè ſuas elicere actiones.

*Ad memoriam moderata optatur ſiccitas.*

Quod ſi ſuâ ſiccitate, & calore poſſit iuuare memoriam labentem ratione humiditatis ſuperfluæ, in iis qui cruditatibus plurimis ſunt referti; ex eius tamen immodico vſu ita exſiccari poteſt cerebrum, vt poſteà receptioni ſpecierum non ſit idoneum; nam in parte, in qua reſidet memoria, vigetque magis, expetitur moderata ſiccitas, quæ magis apta eſt ſpecierum receptioni, vt alibi diximus ex Ariſt. *libro de memor. & reminiſc.* at ſi ſiccitas ſit ſuperflua, nulla fiet rerum noua perceptio. Accedit ad hoc, quod huius plantæ calor valebit abſumere ſpiritus, qui per cerebrum diuagantur, & ſunt ad actiones huius, & alterius potentiæ ſenſitiuæ neceſſarij, ex quorum defectu minuuntur huius potentiæ actus, vt patet in conualeſcentibus, qui ob ſpirituum defectum, & caloris diſſipationem diminutè operantur.

*Senſus communis, & imaginationis organum humiditatem expoſcit.*

Vnde infero, quod organum ſenſus communis, imaginatiuæ, & cogitatiuæ maiorem humiditatem poſtulat, vt colligitur ex Galen. 9. *de vſu partium, cap.* 11. vbi expreſsè aſſerit, quod cerebrum ſecundùm partem anteriorem eſt mollius, ſecundùm verò poſteriorem durius. Rationem inſinuat ipſe *lib.* 8. *de vſu part. cap.* 6. vbi ait, quod illi conueniebat eſſe molle anteriùs, vt quod ſenſus recipit, omneſque imaginationes, & intellectus complectitur, & eſt principium mollium neruorum, quæ ſunt ſenſuum inſtrumenta. Reliquum autem durius, quia principium & ipſum neruis duris in corpus vniuerſum diffundendis eſſet futurum. Si enim ſecundùm partem anteriorem, & mediam non eſſet cerebrum parte poſteriori mollius, non ita facilè immutaretur ſenſus communis, & reliquæ potentiæ, quæ ipſi inſident; cum communi enim, & magis probabili opinione aſſerimus, cerebrum eſſe facultatum animalium domicilium: vnde in hanc ſententiam incidens Hipp. *lib. de morbo ſacro*, cor nihil ſapere docet, omniaque vult eſſe in cerebri poteſtate.

*Vſus inutilis tabaci lædit omnes potentias rectrices.*

Cùm igitur hæc vera ſint, fatendum eſt, ex immodico vſu huius remedij actus harum potentiarum lædi, quatenus prauè diſponitur organum, quod eſt earum ſedes, & domicilium; ſiquidem vt Hipp. ait *libro de morbo ſacro*, iam citato: *Cerebro intelligimus, deliramus, inſanimus, cùm aut calidius fuerit, aut ſiccius, &c.* Quamobrem ſi humor aliquis ſiccans cerebrum lædit imaginationem, delirium excitat, & prauos cogitandi motus, vt videmus in maniacis, & melancholia morbo affectis; cur non poſſumus ex aſſiduo vſu huius herbæ timere in cerebro ſiccitatem, & calorem, ita vt ad delirium, & mentis perturbationem deueniant, imò & ad fatuitatem, quatenus huiuſmodi herba conſumit cerebri ſubſtantiam? Nam vt exiſtimo, qui eam habent diminutam, fatui fiunt, atque adeò Galen. 3. *de locis affect. cap.* 4. prope finem, eos vocat fatuos, *qui cerebrum non habent.*

*Fatui fiunt homines ex vſu immodico tabaci.*

*Læditvisum, & quare.*

Neque verti in dubium poteſt, quod inordinatus vſus huius herbæ minuat viſum, ſpiritus animales reſoluendo, quorum maxima copia ad oculos per neruorum opticorum cauitatem fluit: quapropter Gal. 8. *de vſu partium, cap.* 6. aſſerit hos ſolos ſenſibiles poros, ideſt meatus, in ſeipſis habere; non enim dubitatur apud Medicos, & Philoſophos, quod ſpiritus animales ſecundùm propriam ſubſtantiam deferuntur ad viſum; ſed ſolùm id controuertitur de aliis partibus ſenſitiuis, in quarum neruis nul-

A lus cernitur meatus; eſt enim videndi maxima poteſtas, & reliquorum ſenſuum ſphæram plurimùm in operando ſuperat, atque adeò maxima æget ſpirituum copia, præſertim ſi ſequamur Gal. ſententiam 7. *de placit. propè finem*, quæ multò anteà Platonis fuit aſſerentis, non ſolùm viſionem fieri intus ſumptione, vt Ariſt. exiſtimauit 5. *de generat. animal. c.* 1. ſed etiam extra miſſione, ex diffuſione ſpirituum animalium ad certam diſtantiam: cuius ſententiam amplectitur Valleſ. *lib.* 3. *controuerſ. cap.* 28. iuxta quorum placitum neceſſariò fatendum eſt, ſpiritus animales maximè diſſipari, ita vt ſi inordinatè, & pluries quàm decet, quis hac vtatur planta, facilè incidet in viſus minutionem.

*Conſumit humores oculi, & deſiccat membranas illius, & tollit diaphaneitatem illarum.*

Nec minùs dubitatur, quod humores tres, quibus perficitur viſio, deuaſtentur, ſi eorum perpendamus B naturam; nam licèt ſit poſitum in controuerſia, quo temperamento gaudent oculi, quidamque cenſeant, eſſe de natura ignis, inter quos Valleſ. 2. *controu. c.* 23. quod colligit ex oculorum ſplendore, quem percipiunt ſæpe, qui in tenebris obuerſantur; & quia cùm viſus ſit inter reliquos ſenſus præſtantior, debet illi reſpondere temperamentum inſignius, quale eſt illud, quod refertur ad ignem: tamen conſideratis partibus omnibus, ex quibus oculus integratur, potiùs tale temperamentum redolet naturam aquæ, & terræ, quam ignis; ideoque Ariſt. 5. *de generat. animal. c.* 1. ait: *Viſus in omnibus aquæ tribuendus eſt.* Et de ſenſu, & ſenſibili, ait: *Viſus eſt aqua, & non accidit eum videre, vt eſt aqua, ſed ſecundùm quod & aëri commune eſt; ſed magis ſeruabilis eſt aqua aëre, & magis ſuſceptibilis; ideò pupilla & oculus aquæ ſunt.* Quia ergo humores, vitreus nempe, & cryſtallinus, viſionis inſtrumentum, & albugineus ſunt partes ſeminales, quæ ex ſua natura frigidæ remanent, C & quilibet ex iis facilè liquatur ob humiditatem, vt ait Gal. 10. *de vſu part. cap.* 1. neque fuit conueniens (inquit ipſe) vt humor cryſtallinus, qui eſt primum videndi inſtrumentum, nutriretur ſanguine, vt qui multùm qualitatibus ab eo diſſideret, proptereaque humor vitreus ei præparat alimentum; & cùm humores hi debeant ſeruare perſpicuitatem, vt penetrent ſpecies viſibiles ad viſum, ideò in neutro horum humorum vena ineſt; nam ſi immediatè ſanguis ad ipſos perueniret, eorum diaphaneitatem, & perſpicuitatem ſuo colore deſtrueret; ſicque per diadoſim, ideſt tranſſumptionem nutriuntur, cryſtallino à vitreo, & vitreo à corpore ipſum ambienti alimentum recipiente iam elaboratum. Si ergo in qualitatibus iſti humores à ſanguine diſſident, iam ex Galeno colligitur, quod non ſunt naturâ calidi. Similiter ſi non nutriuntur ſanguine, iam ſe habent vt partes ſpermaticæ, quæ cùm frigidæ ſint, ad ſui alitionem petunt humores frigidos, ob ſymbolas D qualitates, quæ verſari debent inter nutriens, & nutritum. Neque conuincit oculorum in tenebris ſplendor, cùm hic tribuatur fulgori ſpirituum, qui lucidi ſunt.

*Quod temperamentum tribuatur oculis.*

*Humor & oculi an ſanguine nutriantur.*

Ex iis claret, quod cùm humores iſti ſint frigidi, & humidi, quod continuus vſus huius herbæ, quæ calida, & ſicca exiſtit, poteſt cauſare deperditionem propriæ frigiditatis, & humiditatis, ita vt calore, & ſiccitate abſumantur, & corrugentur, & non retineant eam luciditatem, & diaphaneitatem, quæ eſt neceſſaria ad viſum, ex quarum defectu ſenes in videndo minutionem patiuntur; & cùm in parte anteriori oculi, vbi humor reſidet albugineus, fiat extenſio pupillæ, & oculi eleuatio ab ipſo humore, & à copia ſpirituum, tum etiam humor cryſtallinus humectetur ab albugineo; ſi dicto herbæ vſu ille humor, & ſpiritus abſumuntur, totus oculus corrugabitur, & ſuper cryſtallinum humorem concident

membra

membranæ humores obuoluentes, vt rectè aduertit Galen. 10. *de vſu partium*, *cap.* 6. conſtituens vſum propter quem humor ille, & ſpiritus eam occupant partem.

*Medium viſus debet eſſe diaphanum.*

Neque hæc ſolùm noxa fit, ſed etiam membranas cerebri, & oculorum, & aliorum ſenſuum alterabit, & ad ſenectam perducet; & ratione maioris ſiccitatis tunicæ, quæ oculis inſeruiunt, denſiores fient, & craſſiores, neque poterunt habere perſpicuitatem requiſitam ad ſpecierum receptionem, quarum medium debet eſſe diaphanum, vt docet Galen. 10. *de vſu part. cap.* 5. & Ariſt. 2. *de anima*, *cap.* 7. Neque opus eſt referre alia quamplurima nocumenta, quæ oriuntur ex inordinato vſu huius herbæ, quæ videri poſſunt apud dictum Doct. Leiua Aguilar, de quibus ſatis doctè, & diffusè pertractat, vt apoplexiæ, epilepſiæ, morbi comitiales, ſanguinis fluxus, & alia, quæ breuitatis gratiâ omitto; quæ quidem omnia fieri ſuſpicor, quia partim irritatione, partim attractione humores agitat, & mouet ad caput, in quo tales morbi fiunt.

*Intellectum minuit, & errare facit vſus huius herbæ aſſiduus.*

Vnicum tamen nocumentum non poſſum non referre, quod maximè homines offendit, videlicet læſionem intellectus, de qua iam ſuprà dicere cœpi; ſiquidem reddit homines fatuos cerebri ſubſtantiam minuendo, & ſiccando, quo fit, vt potentiæ rectrices, vel diminutè, vel deprauatè operentur; & cùm pro hoc ſtatu intellectus noſter operetur dependenter à phantaſmatibus, ex Ariſt. 3. *de anima*, *capite* 5. & Diuo Thoma 1. *part. quæſt.* 85. *art.* 1. ſi huiuſmodi phantaſmata ex errore imaginationis, vel alterius potentiæ aliter repræſentent, quàm conueniat, vt delirantibus accidit, intellectus agens vtens his phantaſmatibus, vt inſtrumentis ſaltem ad productionem ſpecierum intelligibilium, valebit producere ſpecies intelligibiles, quæ eodem modo repræſentent; ſicque ſequitur error in intellectu poſſibili. Quâ autem ratione phantaſmata concurrunt ad intellectionem, pertinet ad libros de anima. Si enim mentem deperdit homo, quæ eſt animæ præcipua virtus, vt ait Thales, præter mentem nihil eſſe mirabile in homine, cui magno nihil eſt magnum, & ſecundùm Diuum Auguſt. *libro de ſpiritu, & anima*: *Mens bonum, malumque diſcernit, virtutes eligit, Deum diligit, & ſemper viuimus, vt rationem reddendam nobis arbitremur*, vt ait Lactant. Firm. *lib.* 6. *cap.* 4. quid enim ei reſtat, per quod diſtinguatur à brutis, ſi ob ſui errorem, & prauam conſuetudinem in aſſumendo huius herbæ puluerem, intellectu, & ratiocinio priuatur? Vt ergo hæc omnia euitemus, prudenter, & cum Medici conſilio adminiſtrari debet, quo caſu in hominis vtilitatem, vt eum à morbis liberet, maximè conferre poteſt.

*Intellectus dotes ex Auguſtino.*

## §. V.

### *Vtrum immodicus tabaci vſus reddat homines impotentes.*

*Sterilitatis cauſæ quædam proponuntur.*

PLuries mihi in mentem venit, an præter nocumenta à nobis perſcripta ex aſſiduo vſu herbæ huius, ei poſſit atribui virtus calefaciendi, & exſiccandi, ita vt minuat ſemen, illudque infœcundum reddat, & generationi ineptum. Ad huius nodi ſolutionem non eſt mihi in animo omnes ſterilitatis cauſas recenſere, ſed ſolum eas, quas fugere non poſſum ad veritatem indagandam, quæ ex intemperie primarum qualitatum, & eas conſequentium deſumuntur; quas omnes fuit amplexus Hipp. 5. *aphor. text.* 62. & Gal. *in commentario*, ſub his verbis: *Quæcumque frigidos, & ſpiſſos vteros habent, non concipiunt*; *& quæcumque præhumidos vteros habent, non concipiunt, extinguitur enim in eis genitura*; *& quæcumque magis ſiccos, & adurentes, nam ex defectu alimenti corrumpunt ſemen. Quæcumque verò ex vtriſque mediocrem habent temperaturam, hæ fœcundæ ſunt.* Sed quia facile dicere poteris, hîc Hipp. agere de ſterilitate, & fœcunditate mulierum? Reſpondetur, hanc doctrinam accommodari maribus, & propterea in textu ſubſequenti Hip. addit, *ſimiliter & in maribus*. Vnde Galen. *in comment.* aſſerit, quod ſicuti in textu antecedenti egit Hipp. de quatuor intemperaturis, quibus mulieres ſteriles fiunt, oportebat etiam in textu huic ſubſcripto agere de intemperaturis eiſdem in maribus, vt ipſe fecit.

*Ruta reddit hominem impotentem, ſicque & apij caulis.*

Si ergo hæc planta lædere debet, maximè ſuis qualitatibus, nempe calore, & ſiccitate; nam aſſari, aut torrefieri poteſt ſemen à calore, & ſiccitate medicamenti, ſi modum excedat, vt ait Gal. *in commento*; idque aſſerunt de ruta, de qua Dioſcor. ait, quod minuit ſemen; & ſchola Salerni ſic: *Ruta viris coitum minuit, mulieribus auget.* Mulieres enim viris frigidiores cùm ſint, calore rutæ iuuantur, qui ſuperfluam ſeminis humiditatem abſumit, eaſque calefacit, & ad libidinem excitat. De apij caule, quæ calorem, & ſiccitatem obtinet, ait Plinius 20. *nat. hiſt. cap.* 11. *homines, fœminaſque ſteriles facere*; immodicæ enim intemperies ſterilitatem cauſant, ex Galen. 1. *de ſem. cap.* 7.

*An calor reddat homines ſteriles.*

Sed licèt hæc vera ſint, & ab omnibus accipiantur, videtur quod caliditas non poteſt conducere ad ſterilitatem, imò potius fœcundos homines efficere debet; nam ſi ſeminis naturam, & generationis inſtrumentum contempleris, vt ſit fœcundum, debet eſſe coctum, & craſſum ea craſſitie, quæ calore perficitur, & coctione. Ita Ariſtot. 4. *de gener. anim. cap.* 1. *Coctione enim calidiora, & craſſiora, quæ coquuntur, euadunt*, ipſo dicente 4. *meteor. cap.* 1. & 2. *de generatione animal. capite* 4. ait: *Calidum quidem, quod concoctum eſt*; *concoctum autem, quod ſpiſſum, ac quod craſſum eſt.* Igitur cùm coctio peragatur calore, quæ calida ſunt, non impediunt ſeminis fœcunditatem, ſed eam adiuuant. Præterea *lib.* 7. *de gener. anim. cap.* 1. improbat ſemen tenue, quia frigidum; approbat verò craſſum, quia calidum, & coctum.

*Semen fœcundum quale.*

*Quæ impediant matrimonium, vel dirimant.*

Vlteriùs Doctores Summiſtæ de matrimonij impedimentis agentes, ſermonem inſtituunt de frigidis & maleficiatis, & inquirunt, an frigiditas matrimonium impediat, vel ipſum dirimat; non tamen id dubitant de calore, vt videre eſt apud Angelic. Præcept. 3. *parte, in quæſt. addit.* 58. *articulo* 1. igitur calor non eſt cauſa ſterilitatis. Demùm ſæpe reperiuntur homines frigidi, qui habent ſemen tenue, & aquoſum, qui calore intenſiori egent, vt coctum, & craſſius reddatur, cuius calor adaugeri, & adiuuari poteſt calore medicamenti, vel alimenti: quo in caſu ſicuti ruta adiuuat mulieres, ita poterit homines adiuuare frigidos: & idem ſtatuere poſſumus de hac herba, & qualibet alia calida.

*Coctio à quo calore fit.*

Nec valet ſi dicas, quod coctio fit à calore naturali, & proprio; calor autem medicamenti eſt extraneus, neque poterit eſſe coctioni aptus. Hoc, inquam, nullam habet vim; nam licèt à proprio calore fiat, ſæpè auxilio eorum, quæ externa ſunt, completur, vt dictat Ariſtot. 4. *meteor. citato*; quotidie enim vt coctiones ventriculi, & aliarum partium conficiantur, rebus calidis vtimur, quibus calor naturalis ſuſcitatur ad operandum; plurimaque remedia calida petunt homines, dum nubere cupiunt, in ordine ad concubitum, & ad generationem, quoniam talia calefaciunt, ſeminis concoctionem adiuuant, & ad libidinem excitant.

Hæc

*Quare vſus rerum calidarum ſterilitatem cauſat.*

Hæc non obſtant; ſunt enim contraria experientiæ, & rationi: nam mulieres quædam gignuntur viragines, quibus menſtrua non ſuperueniunt, quia ob calorem, ſeminis, & ſanguinis menſtrui materia abſumitur; quæcumque etiam vteros ſiccos & adurentes habent, non concipiunt, propter defectum alimenti; nam in ſiccis vteris tale quidem accidit, quale vbi aut arenæ, aut argilloſæ terræ, aut petroſæ ſemina mandantur; in habentibus autem immodicam caliditatem, quale vbi valde calidæ terræ ſemina committuntur, quemadmodum in æſtibus ſub cane contingit. Viris etiam idem euenit, qui propter calorem ſemen vrunt, vel tale aliquid ſemen patitur, & eius ſpiritus implantatus conſumitur. Quare licèt homines bilioſi nimis ſint ad libidinem parati, genituram mittunt in parua quantitate, licèt craſſam, ob reſolutionem inductam à calore eorum excedenti. Tum inſuper (vt dixi) ſpiritus genitiuus reſoluitur ab eodem calore, ita vt impotentes reddantur quouſque eorum calor temperetur, ſiue ab arte, ſiue à natura; nam quoad qualitates in ordine ad generationem, proportionaliter ſe habent ea quæ dicta ſunt de mulieribus reſpectu virorum, vt aduertit Galen. 5. *aphor. com.* 62.

*Res calidæ morbos frigidos pariunt, & quomodo.*

Si igitur hæc omnia euenire contingit per naturam, quid prohibet vt vſu rerum calidarum ſuperueniant? Neque nouum eſt in Philoſophia aſſerere, quod rerum calidarum immodicus vſus vires reſoluit, gignit morbos frigidos, & conſequenter totum corpus frigidum manet; eædem enim cauſæ, quæ per ſe calefaciunt corpus, & liberant à morbis frigidis, immodicè applicatæ partes tenues, igneas, & aëreas reſoluunt, à quibus contemperabantur aliæ partes terreæ, & aqueæ, ſicque remanet corpus frigidum debile, & conſumptum. Hoc quidem experimur in motu locali, qui à Galen. ponitur inter cauſas calidi morbi, *de cauſ. morb. cap.* 2. deinde *cap.* 3. eundem motum collocat inter cauſas morbi frigidi.

*Vinum modicè hauſtum calefacit, immodicè refrigerat, & idem de venere.*

Sic etiam vinum modicè hauſtum, vt quod maximè proprium alimentum ſit, calorem adauget; immodicè aſſumptum morbos frigidos gignit, vt ipſe eodem loco teſtatur, & 3. *de temperam. cap.* 2. ait: *Vinum vbi plus bibitur, quàm vt vinci poſſit, tantùm abeſt, vt animal calefaciat, vt etiam vitia frigida gignat, quippe apoplexia, paraplexia, & quæ Græci caros, & comata vocamus, & alij morbi, quorum vnumquodque frigidum eſt vitium.* Si igitur ebrij redduntur frigidi, tremuli, & mente læſi, non mirum, quod etiam de ipſis Galen. aſſerat, quod vitioſum habent ſemen: ita 11. *de vſu part. cap.* 10. imò ſi legas Diuum Auguſtinum *ſermone vno de ſobrietate, & virginitate*, ebrietatis conditiones recenſentem, nullum inuenit vitium corporale aut ſpirituale, quod ebrietati non adſcribatur, cuius contrarium facit ſobrietas, vt ipſe ibi refert, proptereáque Propertius ait: *Vino fama perit, vino corrumpitur ætas.* Ouidius eadem vitia tribuit veneri, & vino, *in epigram.* dicens:

*Nec veneris, nec tu vini capiaris amore,*
*Vno namque modo vina, venuſque nocent.*
*Vt venus eneruat vires, ſic copia vini*
*Et tentat greſſus, debilitatque pedes, &c.*

*Vinorum differentiæ & facultates plures.*

Vides quanta nocumenta vinum immodicè bibitum affert, ex cuius moderamine multa vitia ſequuntur, in quorum comprobationem non eſt opus aliqua referre, de quo plura Hippocr. 3. *de ration. vict.* & Galen. *lib. de vino*, ad pluraque conducit, vt alimentum, & medicamentum, & eſt vniuerſale medicamen, præſertim cùm tam varia vinorum genera reperiantur diuerſis facultatibus conſtantia, quæ etiam ſecundùm diuerſitatem ætatum remiſſiorem, aut intenſiorem operandi vim habent.

*D. de Maroja Obſeruat. & Annot. Medic.*

A Quapropter Gal. 3. *epidem. ſect.* 1. *ægroto* 8. ait, non eundem effectum præſtare vinum nouum & vetus, neque craſſum ac tenue, neque album atque nigrum, neque odoratum ac fœtidum, neque auſterum atque dulce. *Eccleſiaſtici* 9. comparatur amicus antiquus veteri vino, & nouus nouo; doceturque, quod vinum nouum, dum inueteraſcit, bibitur cum ſuauitate; odorem etenim, & ſuauitatem, & vigorem comparat, quibus dum erat nouum, & ipſum carebat; multùm enim temporis tractu vina, ſicuti & alia, mutantur.

*Amicus vino comparatur.*

*Vina an libidinem excitent.*

Dices, vinum ad libidinem concitare, vt experientia teſtatur, ita vt dicat Ouid. 2. *remed.* vina parant animos veneri. Proptereaque vinum Romæ interdicebatur pueris ante 18. annum, & mulieribus, ne eius vſu caſtitatem perderent, vt habetur ex Plat. 2. *de legibus*: ergo eius vſus non poteſt vituperari, quatenus de ipſo aſſeritur, quod impedit generationem. Et *Prouerbiorum* 20. habetur: *Luxurioſa res vinum, tumultuoſa ebrietas.*

B Reſpondetur, quod pueris prohibebatur vinum adhuc in parua quantitate; nam non licebat, vt ipſe Plato ait, igni ignem addere: pueri enim cùm calidi ſint, facilè calore vini adhuc moderati inflammantur, morbiſque ex ſanguine ſubiiciuntur. Mulieribus verò denegabatur, ne ſuo calore libidine tentarentur. In præſenti non agimus de vini moderato vſu, quod potiùs in pluribus laudandum, licèt non omnibus concedendum; ſed de aſſiduo, & inordinato illius vtendi modo, de quo dicimus, quod frigidos morbos procreat, & virilitatem deſtruit, ex accidenti ſaltem, vt ſuprà diximus.

*Tabacum ſteriles homines facit.*

Ad intentum igitur accedentes, facillimè ex dictis comprehendes, quantam vim poſſidet herbæ nicotianæ inordinatus, & continuus vſus ad ſteriles, & impotentes reddendos homines. Si enim quæ calida C ſunt propter immodicum vſum morbos frigidos producunt, tremores faciunt, vires reſoluunt, ſpiritus vitales, & animales diſſipant, partes igneas, & aëreas abſumunt, ſeminis ſpiritum genitiuum exhalare faciunt, ex cuius deperditione ſemen remanet frigidum, & generationi ineptum; quid dicam de immodico vſu huius herbæ, quæ vt dixi, calida eſt, & ſicca in tertio gradu; quæ licèt ad libidinem promoueat, eius tamen frequens vſus virilitatem deſtruit, & ſemen infrigidat, & conceptum denique impedit, ſicuti & reliqua eiuſdem ordinis. Si id conceditur rutæ, vt quid denegabitur huic? Si vinum, quod eſt naturæ familiare, ſuo calore id facit, cur hoc medicamentum maximè naturæ diſſimile idem facere non valebit? Et vt omnia amplectar, calidum, vbi quis ſæpiùs eo vtatur, hæc mala affert, *carnium effœminationem, neruorum impotentiam, mentis torporem, ſanguinis eruptiones, animi deliquia, ex quibus mors*, ex Hippocr. D 5. *aphor. text.* 16. quid ergo vtile expectari poteſt ex vſu huius medicamenti immodico, cùm calidum, & ſiccum immodicè ſit? Oportet ergo eius reformidare vſum, cùm vitam deſtruat, & opus naturaliſſimum viuentis, quod eſt generare ſibi ſimile.

*Ad argumenta reſponſiones.*

Neque argumenta in contrarium poſita conuincunt; facilem enim ex dictis admittunt ſolutionem. Quare ad primum dico, quod ſemen vt ſit fœcundum, debet eſſe coctum, calidum, ac craſſum, non tamen vſtum & reſolutum ſecundùm partem ſpirituoſam, ratione immodici caloris, ex cuius reſolutione remanet frigidum, & generationi ineptum.

*Quomodo virorum, & fœminarum cognoſcitur fœcunditas.*

Rogabis, quomodo poterit virorum, & fœminarum fœcunditas cognoſci? Reſpondet Ariſtot. 2. *de generat. anim. cap.* 5. quod virorum fœcunditas agnoſcitur ex ipſo ſemine in aqua proiecto; quod enim tenue, ac frigidum eſt, citò diffuſum per ſumma

innatat; quod fœcundum eſt, in imo deſcendit. Sed hoc experimentum eſt contra bonos mores, ideóque euitandum, & ad alia recurrendum, quæ pertractata inuenies *capite de virorum impotentia.* Mulierum verò probatio ſuffitu fit, & illitu. Suffitu quidem, vt ſi odores ſubeuntes vterum efferantur ad locum ſpirandi, & afficiant halitum. Idem oſtendit Hipp. 5. *aphor. text.* 59. dicens: *Si mulier in ventre non concipit, velis autem ſcire, an conceptura ſit, veſtimentis circumtectam ex infernis ſuffito; & ſi quidem odor per corpus tibi procedere videatur ad nares, & ad os, ſcito quod ipſa non propter ſeipſam infœcunda eſt.* Illitu, vt ſi colores oculis impoſiti ſaliuam perficiunt oris; ſi enim ita fiat, meatus corporis, per quos excrementum recedit, non eſſe confuſos, & obcæcatos ſignificatur, atque adeò neque habent vteros ſpiſſos, ac denſos, & frigidos. De oculis ſcimus quod per coïtum venereum manifeſtè immutantur, & vſu immodico veneris ipſi languent; eſt enim oculorum ſedes maximè ſeminalis, & vt valent oculi, ita & corpus, ex Hipp. 6. *epidem. ſect.* 4. atque adeò ſi viæ oculi ad os ſint clauſæ, & obturatæ, cenſendum eſt totum corpus hoc eodem vitio frequentiùs corripi. Ex oculis, ad plura demonſtratio ſumitur, ideóque Plin. 11. *nat. hiſt. cap.* 37. aſſerit, in oculis animum inhabitare, hoc eſt animus manifeſtatur; ſiquidem ex oculorum inſpectione animi paſſionum indicia ſumuntur, videlicet moderationis, clementiæ, odij, amoris, triſtitiæ, lætitiæ, & iræ. Alia ſterilitatis, & fœcunditatis ſigna à nobis tradita ſunt in praxi, *cap. de ſterilitate.*

*Coitus immutat oculos.*

*Ex oculis deprehendimus cuiuſque animum.*

Ad locum D. Thomæ reſpondetur ex eodem ibi, *in reſponſione ad* 2. quod frequentiùs à frigiditate proficiſcitur infœcunditas, atque adeò eſt titulus de frigidis, & maleficiatis, non verò de calidis. Vel ſecundò reſpondetur, quod calor immodicus ex accidenti refrigerat eo modo, quo iam ſuprà diximus, ac per conſequens caloris vitium, ſeu ſterilitas orta ex illo reduci poteſt ad frigiditatem.

Ad vltimum reſpondetur, quod vſus rerum calidarum poteſt competere viris effœminatis, & frigidis, magis quàm viris calidis, minuſque ab eis moleſtiam accipient: nos autem in præſenti non vituperamus res calidas, ſed earum exceſſum pertimeſcimus, & fugere præcipimus.

## DISPVTATIO III.

*De inſomniis, & eorumdem cauſis, & ſignificationibus. Ad quemdam diſcipulum. Ad Medicos præcipuè, & ad alios ſummè neceſſaria.*

SÆPE à me petiiſti (ingenioſe Licenciate, litteris, & virtutibus maximè condecorate,) vt tibi breuiter deſcriberem, quid inſomnium ſit, quamque præſagationem ex ipſo depromere poſſemus in ordine ad ſalutem, & morbos fugandos: tuæque petitioni libenter aſſentiens, iam ad ſomniorum tractationem, eorumque ſignificationes deuenire ſtudui, non enim magis differre volo, quod citò ſcire deſideras; cupioque animum tuum vehementi ſciendi deſiderio commotum in quietem redigere. Dicam ergo circa id, quod poſtulas, & quod meo aſſenſui magis congruit; & ſi in aliquibus defecerim, vel in aliquo deliquerim, me veniâ dignum iudica, cùm id tribui debeat mei ingenij ruditatibus potiùs quàm voluntati, aut deſiderio: dicamque cum Lucano ad Piſonem,

*Quod ſi digna tuâ minùs eſt mea paginâ laude,*
*At voluiſſe ſat eſt, animum non carmina iacto.*

Ad rem igitur deueniendo, vt mentem noſtram explanemus, in hoc tractatu tria faciam. Primò, quid, & quotuplex inſomnium ſit, dicam, & cui potentiæ conueniat, aliqua ſimul annotando ad quæſiti maiorem intelligentiam. Secundò, quomodo inſomnia fiant, & à quibus excitantur cauſis; denique eorum ſignificationes tradam, quibus ea omnia, quæ ad inſomnia pertinent, ſufficienter diſcuſſa manebunt. Ad primam partem accedendo, ſupponendum eſt primò, quod Hipp. libellum ſcripſit de inſomniis. Idem fecit Ariſt. vterque tamen ſub ænigmate, vel obſcuris verbis inſomnium quid eſſet, explanarunt. Oportet tamen conſtituere differentiam inter ſomnum, & inſomnium; eſt enim ſomnus ex Ariſtot. 2. *de anima, capite* 1. *Operatione vacanti ſimilis, vigilia contemplationi.* Ex quo aſſerunt Authores, quod ſomnus eſt otioſitas membrorum, ſeu priuatio vigiliæ; atque adeò ipſe *lib. de ſomno, & vigilia,* ſomnum omnium ſenſuum ligamentum vocat. Et 2. *Ethicor.* ad Eudemum, *ſomnum eſſe vitæ otium, & non operationem ſtatuit.* Idem aliis in locis; ceſſant enim operationes ſenſitiuæ per ſomnum, quæ quidem fiunt in vigilia: quapropter non mirum, quod vigiliæ orbitatem ſomnum appellauerit.

*Hipp. & Ariſt. obſcurè de inſomniis egerunt.*

*Somnus quid ſit.*

Neque ex hoc eſt credendum, quod omnimodè actiones ſenſitiuæ ceſſant in ſomnis, cùm adhuc animal reſpiret, & ſi pungatur, membrum punctum contrahit, & ſi vocibus magnis acclamatur, reſpondet; quæ omnia indicant virtutem ſenſitiuam non eſſe omnimodè ſublatam. Quod intelligens Gal. *de motu muſcul.* ait: *Temeraria eſt ſententia eorum, qui aſſerunt, animas dormientium omnimodè quieſcere, non enim penitus ſenſûs ſunt expertes, ſed difficulter ſentiunt.* Neque in hac parte impugno Argenterium, qui *lib. de ſomno, cap.* 12. carpit Ariſt. eo quod varius extitiſſet in tradendis definitionibus ſomni; ſufficit enim dicere, quod Ariſt. quandoque definit ſomnum per id, quod eſt illi eſſentiale, vt quando ipſum definit per priuationem vigiliæ, ſeu otium membrorum ſenſibilium; quandoque per effectum illius, & cauſam, vt colligitur ex definitione illius allata 4. *Metaphyſic. cap.* 8. quandoque per effectum tantùm, vel per cauſam ſolum, vt omnes ſomni definitiones legenti patebit, quas omitto, quia hæc tractatio magis ad inſomnium, quàm ad ſomnum dicata eſt. Quapropter neque illius cauſas refero, neque finem, in quem ordinatur, pronuntio: forſan alibi de omnibus differemus, de quibus omnibus egit Ariſt. *lib. de ſomno, & vigilia,* etſi eius doctrina non ſit inter omnes recepta. Somnium breuiter definitur ab Ariſt. *lib. cit.* ſic: *Somnium nihil aliud eſt, quàm viſum, quod in ſomno apparet.* Illa autem dictio *Viſum,* idem eſt ac repræſentatio, ſeu apparitio in ſomnis facta. Vnde facilè colligitur, quod inſomnium *eſt imago, quæ ex ſenſibilium ſpecierum motione figurata animalibus dormientibus repræſentatur.*

*Non ceſſant omninò actiones ſenſitiuæ in ſomnis.*

*Somnij definitio ex Ariſt.*

Sed vt hoc intelligatur, ſuppono ſecundò ex communi omnium aſſenſu, quod vt inſomnium fiat, debet fieri per ſpecies reſeruatas in ſenſu interno, quæ hoc producuntur modo. Cùm enim ab obiecto, & potentia pariatur notitia, neque obiectum ſenſibile immutet potentiam ſenſitiuam, niſi per ſpecies intentionales, ſeu impreſſas, quæ ſunt vicariæ ipſius obiecti, mittit ipſas per medium ad ſenſum externum, cui tale obiectum competit, quæ informantes ſenſum, ſimul cum ipſo ſenſu producunt ſpeciem expreſſam obiecti repræſentatiuam; deinde ex immutatione facta in ſenſu externo, reſultat alia ſpecies in interno, ad quam obiectum non concurrit immediatè, ſed mediante ſpecie expreſſa ſenſus externi. Huius rei ratio eſt euidens. In primis vt ſenſus internus, vt imaginatio, aut cogitatio operetur, non petit præſentiam obiecti,

*Qualiter ſpecies producuntur, & reſeruantur in memoria.*

obiecti, circa quod verſatur; ſed per ſpecies reſeruatas illius operatur circa illud, atque adeò non concurrit immediatè ad ſenſationem internam. Neque immediatè poteſt concurrere ipſa ſpecies intentionalis recepta in ſenſu externo ab obiecto; nam ipſa ſolùm concurrit immediatè ad productionem ſpeciei expreſſæ in ipſo ſenſu externo, non verò ad productionem phantaſmatum: neque talis ſpecies impreſſa eſt neceſſaria, cùm iam ſit producta per illam ſpecies expreſſa, quæ eſt formalis imago obiecti, à qua ſimul cum potentia ſenſitiua interna phantaſmata, ſeu ſimulachra rerum procedunt; quæ quidem reſeruantur in memoria, vt ſic fiat rerum præteritarum recordatio. Quando ergo huiuſmodi ſimulachra rerum per ſomnum apparent, & lucent, tunc adeſſe inſomnium dicimus, atque adeò Philoſophus definit inſomnium per viſum, ſeu repræſentationem. Ita omnes ſentiunt animaſtici, & eſt mens D. Thomæ *de ſpiritualibus creaturis art.* 10. *arg. vlt.* & 1. *p. q.* 78. *art.* 4. *ad ſecundum.*

*In quo differunt inſomnium, & delirium.*

Ex iis iam habemus, quod viſiones, ſeu repræſentationes in ſomnis aduenientes, inſomnia vocitantur, quas facilè à delirio diſcernere poteris; nam licet in delirantibus plurima repræſententur, non tamen eſt neceſſe, vt earum repræſentatio fiat dum ipſi dormiunt; at ſi inter dormiendum delirant, benè quidem illud delirium erit ſimul inſomnium, ſiquidem formaliter eſt viſio, ſeu repræſentatio rerum tempore ſomni adueniens.

*Ad quam animi facultatem pertinet ſomnus.*

Sed ad quam animæ facultatem ſomnium, imò & ſomnus pertineat, explicare conuenit. Hoc dubium ſoluit Ariſt. *lib. de ſom. & vigil.* vbi probat, pertinere ad facultatem ſenſitiuam, ita vt ſenſui interno conueniat, & in nobis quadam ratione ad intellectum, nequaquam ad ſenſus externos: quod etiam facilè deducitur ex Ang. Præceptore 1. *p. q.* 84. *art.* 8. *ad* 2. Quod verò pertineat ad facultatem ſenſitiuam, inde conſtat; nam in ſomnis fit repræſentatio, ſeu rerum perceptio ſic, vel aliter, quæ eſt vera cognitio: hæc autem non poteſt competere, niſi facultati cognoſcenti, atque adeò ſomnium pertinet ad illam.

Neque ex hoc colligas, ſomnium conuenire potentiæ intellectiuæ; nam cùm ſomnium reperiatur in brutis, debet conuenire potentiæ, quæ ſit nobis, & illis communis. Quod autem conueniat brutis, expreſſit Ariſt. 4. *de hiſt. anim. cap.* 10. & *lib. de diuinat. ſomniorum, cap.* 2. Plin. *lib.* 10. *cap.* 75. Quare cùm in ratione gradus ſenſitiui nobiſcum conueniant, in ratione ſomni, & inſomnij cum eis conuenire debemus; experimur ſiquidem quædam animalia ſomniare, canem inter dormiendum latrare, & moueri; quod fieri nequiret, niſi eis aliquid in ſomnis repræſentaretur per ſpecies reſeruatas, quæ illum excitarunt vel ad latrandum, vel ad motum. Sed quod non conueniat ſenſibus externis, inde patet, nam vt Philoſophus probat *lib. de ſenſu, & ſenſibili*, ſenſus externi non operantur niſi in præſentia obiecti, quod excitat actu potentiam: at tempore ſomni ceſſant actiones ſenſuum externorum, & propterea diximus, ſomnum eſſe priuationem vigiliæ, ideſt earum actionum, quæ tempore vigilandi fiunt in huiuſmodi ſenſibus; non enim ſenſus externi retinent ſpecies intentionales obiectorum in eorum abſentia, quapropter ſi obiecta non immutant ſenſus per ſpecies impreſſas, nequeunt ſenſus exteriores operari, neque inſomnium competere illis. Debet ergo conuenire ſenſibus internis.

*Senſus externi ad operandum petunt obiectum præſens.*

*Ad quem ſenſum ex internis ſomnium pertinet.*

Sed meritò dubitari poteſt, ad quem ſenſum ex internis ſomnium attinet. Qui tuentur dari tantùm vnicum ſenſum internum, facilè ab hac difficultate ſe expediunt. Ita noſter Carrer. *ſuper fen.* 1. *Auic.*

*D. de Maroja Obſeruat. & Annot. Medic.*

A Nos autem Angelici Præceptoris mentem amplectentes, qui 1. *parte*, *q.* 78. *art.* 4. quatuor eſſe ſenſus internos oſtendit, nempe ſenſum communem, imaginatiuam, æſtimatiuam, ſeu cogitatiuam, & memoratiuam, aliter procedere debemus. Auguſtinus Nyphus *in paraphr. lib. de inſomniis*, tenet in phantaſia, ſeu imaginatione dari inſomnia per ſpecies inſenſatas obiectorum; in cogitatiua, dari etiam per ſpecies inſenſatas: ex quibus facilè aſſequi poſſumus, dum adeſt inſomnium, cui facultati ſit tribuendum. Aſſerit tamen, neſcio quo ductus fundamento, nunquam dari in memoria, quia nunquam dantur inſomnia ſub differentia temporis præteriti.

*Inſomnium datur in memoria, imaginatione, & cogitatione.*

Nos veritati magis accedentes, dicimus inſomnia pertinere ad omnes ſenſus internos, qui in operando actu non dependent ab operationibus ſenſuum externorum, ſed habent ſpecies reſeruatas ſenſatas, B vel inſenſatas, quibus mediis, tempore ſomni poſſint aliquid repræſentare, quæ repræſentatio inſomnium dici meretur. Ita Petrus Garc. *diſp.* 7. *de phrenit. cap.* 13. *in libro de locis*, & quantùm ad imaginationem clarè oſtendit Diuus Thomas 1. *part. quæſt.* 84. *art.* 8. *ad* 2. & *quæſt.* 111. *art.* 3. & idem argumentum efformari poteſt de reliquis potentiis internis, vt de æſtimatiua, & memoratiua, nam hæ omnes potentiæ ſunt actiuæ, iuxta magis probabilem ſententiam; & hoc dico propter aliquos, qui aſſerunt, memoriam non eſſe operatiuam, ſed eſſe tantummodò theſaurum, in quo ſunt reconditæ ſpecies, quibus reliquæ potentiæ operantur.

Si ergo ſunt actiuæ, & operantur per phantaſmata, ſeu ſpecies cuſtoditas in memoria: ergo ſi tempore ſomni ſpecies commouentur in ordine ad opus alicuius potentiæ, ſomnium neceſſariò eſt reducendum ad illud; ſi enim repræſentent cum differentia temporis præteriti, talis repræſentatio reducenda eſt ad memoriam: C ſi verò repræſentatur aliquod obiectum ſimpliciter, ſiue præſens, ſiue abſens, erit imaginandi actus: denique ſi ea repræſentatio fiat per ſpecies inſenſatas, ad æſtimatiuam potentiam pertinere neceſſe eſt, neque aliter Diuus Thomas diuerſificat huiuſmodi potentias, niſi per diuerſos actus, & diuerſos tendendi modos in illos, vt conſtat *ex* 1. *part. quæſt.* 78. *art.* 4. *cit.* Circa hanc doctrinam nullam inuenio repugnantiam.

*An ſenſui communi conueniat inſomnium.*

Sed poterat dubitari de ſenſu communi, an illi competat inſomnium? Reſpondetur negatiuè; nam ſenſus communis non operatur, niſi dum externi ſenſus eliciunt ſuas ſenſationes, quæ cùm tempore ſomni non fiant, ideò non pertinet inſomnium ad illum. Vlteriùs ſenſus communis non operatur per ſpecies reſeruatas, inſomnia verò nihil aliud ſunt, quàm repræſentatio facta per huiuſmodi ſpecies, D ſicque ſenſui communi conuenire nequeunt.

*Somniorum differentiæ proponuntur.*

Iam ex dictis claret, ad quam facultatem inſomnia pertinent, & quid inſomnij nomine intelligitur; nunc verò oportet inſomniorum differentias proponere. Augerius Ferrerius libro, quem de inſomniis inſcripſit, refert antiquorum de inſomniis placitum, qui tria ſomniorum genera conſtituebant, vanum vnum, naturalem alterum, tertium vaticidum, ſeu diuinum.

Vana inſomnia appellabant, dum quæ quis interdiu pertractaſſet, aut vigilans cogitando admiſiſſet, in ſomnis recolligeret; item chimæras, centauros, montes aureos, aliaque id genus, quæ in natura nunquam extiterunt: ideò Plin. *libro* 10. *cap.* 74. ait: *In redormitatione vana videntur.* Naturalia ſunt, quæ corporis noſtri habitudinem, conſtitutionemque ſequuntur. Vatidica, quæ è diuinitate quadam

profecta, futurum aliquid portendunt, vel præteriti, vel præſentis aliquid nos commonent, quod ad mores, eruditionem, fortunaſve noſtras, aut Reipublicæ ſtatum pertinere videtur. Ex his vatidica, & naturalia aliquid ſolùm ſignificare cenſebant, vana verò nihil prorſus ſignificare: in quo parum rectè ſentire videntur, imò eſt contra Hippoc. *libro de inſomniis*, vbi expreſsè aſſerit: *Omnia inſomnia aliquam præbere ſignificationem*, vt inſequentibus docebimus. Quare cùm talia ſomnia inter naturalia connumerentur, oportet aliam ſomniorum diuiſionem proponere: quapropter Hippoc. comprehendens inſomnia ab aliis vana appellata, ſub naturalibus duo ſomniorum genera refert, diuina ſcilicet, ſeu vatidica, & naturalia. Clariùs Augerius Ferrerius ſomnia diuiſit in *naturalia*, *diuina*, ſeu *vatidica*, & *in ea quæ à malis angelis inſpirantur*: quæ Augerij diuiſio omnia inſomniorum genera amplectitur, neque ſomnium poteſt aſſignari aliquod, quod non ſit huius diuiſionis membrum.

*Dantur ſomnia naturalia.*

Quod verò ſomnia naturalia fiant, ipſa oſtendit experientia; rationem inſinuat Hipp. *lib. de inſomniis*, per hæc verba: *Anima etenim dum vigilat, atque corpori vires miniſtrat, in multa diſpertita loca, nequaquam vacat ſibi, ſed ſingulis corporis functionibus intenta eſt: quippe ipſis ſenſibus, auditui, viſui, tactui, ambulationi, actioni omni, denique cogitationi ipſa pro ſe nihil agitat. Cùm verò quieſcit corpus, illa mouetur, atque egrediens è corporis partibus, ſuo domicilio continetur, ibique omnibus illius fungitur officiis; hoc ſiquidem tempore per ſomnum multa operari ſolet, nec vacat operationibus ſenſuum internorum.* Ex quibus Hipp. verbis facilè colligitur, in ſtatu naturali ſomnia contingere; nam per ſomnum multa naturaliter operamur, imò neque ſemper per ſomnum ratio ceſſat; ſiquidem ſolemus diſcurrere, imò difficiles argumentorum ſolutiones tradere, vt mihi pluries contigit; propterea que Ariſt. dixit, in nobis ſomnium quadam ratione conuenire ad intellectum.

*Inſomnia diuina dantur.*

Diuina dari inſomnia docuit Homer. *in iliade*, dicens: *Etenim ſomnium à Ioue eſt.* Diuus Thomas 2. 2. *q.*95. *art.*6. ait, diuinationem ſuſceptam in ſomnis, quæ ex diuina fit reuelatione, illicitam non eſſe: quod autem talia inſomnia dentur, ſacræ Paginæ demonſtrant. *Geneſ.* 20. *cap.* Deus loquitur Abimelech per ſomnum, qui abſtulit mulierem Saram, & dixit ei: *En morieris propter mulierem, quam tuliſti; habet enim virum.* Et *Num.*12. *cap.* dixit Dominus loquens ad Moyſem, Aaron, & Mariam: *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, in viſione apparebo ei, & loquar ad illum per ſomnum.* Et *Geneſ.*28. vidit Iacob in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum, Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per illam. *Geneſ.*37. Ioſeph ſomniauit, ipſum, & fratres ſuos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum ſuum, & ſtare, & fratrum ſuorum manipulos circumſtantes adorare manipulum eius. Et Diuo Ioſepho viro Mariæ Sanctiſſimæ in ſomnis Angelus apparuit, & dixit illi: *Accipe puerum, & matrem eius, & vade in ciuitatem Iſraël, &c.* Neque opus eſt alia plura inſomnia diuinitus accepta referre, cùm meritò ea ab omnibus benè ſentientibus admittantur.

*Ariſt. cenſebat non dari inſomnia diuina.*

Neque hanc veriſſimam euertit doctrinam Ariſt. qui libro de præſenſione per ſomnum intendit probare, nulla dari inſomnia diuina, eo quod talia inſomnia accidere deberent hominibus prudentibus, & ſapientibus, cuius contrarium euenit; nam idiotis, & imprudentibus quædam inſomnia contingunt, quæ Diis tribuunt, quæ quidem vana ſunt, & falſitate plena; atque adeò non poſſunt excitari à Deo, nec merentur dici diuina. Vlteriùs reuelationes à Deo procedentes meliùs fierent diu, quàm noctu, & per ſomnum. Demùm alia animalia ſomniant: ergo ſomnia in hominibus non procedunt diuinitus.

*Redarguitur opinio Ariſt.*

Hæc, inquam, non obſtant. Quare ad primum fundamentum Ariſt. reſpondetur cum Pereyra *lib.*1. *ſuper Danielem*, *cap.*95. quod inſomnia diuina ſunt in duplici differentia: quædam ſunt à Deo optimo, & maximo, quæ quidem vtiliſſima, & veriſſima ſunt, & hæc ſimplicioribus, & non ſapientioribus communicantur, quia ſimpliciores ſunt diuinæ naturæ propinquiores, & magis participes; nam ij ad diuinum capiendum lumen ſunt aptiores, vt ſacræ teſtantur literæ, cùm dicitur: *Quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis*: & illos, quos quaſi inſanos, & ſtultos neglexit mundus, diuinorum myſteriorum reuelationem habere meruerunt, iuxta illud: *Nos inſenſati vitam illorum reputabamus inſaniam.* Alia cauſantur à Diis Gentilium, qui dæmones ſunt; tales enim cùm non poſſint cognoſcere res futuras, neque hominibus certò ſignis, aut verbis annuntiare, ideò talia inſomnia non cauſabant niſi in hominibus idiotis, ne vanitatem illorum deprehenderent; nam idiotæ non valent verum à falſo diſcernere, & ſic inſomnia non parui faciebant, quæ erant obſcura, & ambigua, & ad diuerſos euentus poterant retorqueri. Dicendum ergo eſt, hominibus idiotis, & ſtultis talia ſomnia accidiſſe, quæ à Diis gentium habebant. At verò inſomnia à Deo data, ſunt clara, diſtincta, & viris ſanctitate præditis communicata, de quibus non egit Ariſt. illo loco.

*Somnia quædam à dæmone procedunt.*

Ex dictis facilè colligitur, dari inſomnia vana, & ſuperſtitioſa, ab Angelis malis commota, quæ nequeunt conferre ad diuinationem, neque ad aliam rem vtilem, vt docuit Angelicus Præceptor *loco ſuprà citato.*

*Ad Ariſt. reſpondetur.*

Ad ſecundum dic, quod quando Deus vult aliquid nobis reuelare, id melius fit inter dormiendum, quàm per vigiliam; nam anima hominis, vt dictum eſt ex mente Hipp. dum in vigilia eſt, circa plura vehementer eſt diſtracta, & occupata circa externa ſenſibilia; atque adeò minùs percipere valet impreſſiones à Deo factas. Quando verò homo ſomno eſt correptus, & actionibus orbatus, tunc anima ſuo fungitur munere, & operari poteſt ſine diſtractione, atque adeò meliùs percipit, & cognoſcit, quæ illi à Deo optimo, & maximo proponuntur.

*Hominis anima per vigiliam nimis diſtrahitur.*

Neque ex eo, quod reliqua animalia ab homine naturaliter ſomnient, colligitur, quod homo non poſſit habere ſomnia diuinitus accepta, ſicque Ariſt. fundamenta ſoluta manent. Hæc tradita ſunt pro prima parte noſtri diſcurſus.

## §. I.

### *De ſomniorum cauſis.*

AD ſecundam partem peruenientes, rem difficillimam attingimus, nempe cauſas, quibus ſomnia fiunt, & excitantur. Diuus Thomas 2.2.*quæſt.*95. *art.*6. quatuor cauſas ſtatuit, duas internas, duaſque externas. Interna vna eſt animalis, in quantum incurrunt imaginationi in ſomno, quæ præfuerunt in vigilia, ſicque ſpecies receptæ per vigiliam ab obiectis, cùm tempore ſomni ſint reſeruatæ, ipſa obiecta repræſentant, & inſomnia fiunt. Alia interna eſt diſpoſitio aliqua cerebri conducens ad hoc ſomniandum potiùs quàm illud. Externa cauſa vna eſt ſpiritualis, Deus, Angelus bonus, vel malus. Alia eſt corporalis, vt cœlum, aër, vapor, & reliqua, quæ

quæ immutant, & diſponunt ad hunc ſomnum potiùs conciliandum, quàm illud. Angeli tamen, ſiue boni, ſiue mali, nihil præſtant, niſi applicando actiua paſſiuis; Deus non ſolùm hoc modo, ſed producendo ſpecies.

*Ariſtotelis mens.*

Ariſt. *loc. cit.* tradens ſomnij cauſas docuit, ideo apparere ſimulachra inter dormiendum, quia motio quædam fit ſanguinis ad primum ſenſorium. Hæc ſunt illius verba: *Cùm enim dormit, plurimo ad principium defluente ſanguine, ij qui inſunt motus, ſimul deuoluuntur, alij quidem poteſtate, alij verò actu, &c.* Quæ verba nihil aliud ſonant, quàm quod ſanguis, & ſpiritus deſcendit ad principem ſenſum, & illo ſimul deferuntur ſpecies rerum: nomine autem principij intelligitur cor, quod fontem, & originem omnium facultatum exiſtimauit Ariſt. quod cùm ſit prima radix, primum ſenſorium etiam dicitur. Medici tamen, & plures Philoſophi non concordant cum Ariſtot. imò vt certius ſuadentur, in cerebro adeſſe primum ſentiendi principium, atque adeò nomine primi ſenſorij cerebrum venit intelligendum, in quo ſpecies mouentur ad motum ſanguinis, & ſpirituum. Hunc dicendi modum tenet D. Auguſt. *libro vno de ſpiritu & anima, cap.22.* qui ponit vim animalem, & ſenſus in cerebro: idem *cap.25.* agens de ſomniorum differentiis. Diuus Thomas *comment. ſuper Ariſt. librum de inſomniis,* & 1. *part. quæſt.111. art.3.* vbi ſtatuens rationem, quare Angeli, tam boni, quàm mali poſſunt imaginationem mutare, reſpondet id euenire ratione motus localis, ex applicatione ſcilicet ſpirituum, & humorum, in quibus ſpecies recipiuntur, per quas potentia cognoſcitiua immutatur. Poteſt enim Angelus ſua naturali virtute ſenſus internos mouere per ſomnum, & per vigiliam, & commouere ſpiritus, & humores, ex quibus ſenſus interni diuerſimodè immutentur. Poteſt etiam inter vigilandum immutare ſenſum exteriorem, ponendo aliquod ſenſibile, vel à natura formatum, vel illud de nouo formando, ſicut facit dum corpus aſſumit, vt ipſe tradit *artic.4. eiuſdem quæſtionis.* Quia ergo potentiæ internæ cognoſcitiuæ reſident in cerebro, ideò motio, quæ deſideratur in humoribus, aut vaporibus, vel ſpiritibus in ſomnis, debet fieri in cerebro, tanquam in primo ſenſorio, vt dictum eſt, non verò in corde.

*Somnium fit ex vaporum motione, & quomodo.*

Sed licèt dictum ſit, quod ex ſpirituum diuerſa motione diuerſa componuntur inſomnia, oportet tamen inſinuare rationem. Primò tamen ſe offert dubitandi ratio; nam ſi verum eſt, quod ſpecies internæ recipiuntur, & ſubiectantur in ſpiritibus, quatenus ſunt medium, per quod ſpecies deferuntur ad potentiam cognoſcitiuam, ſi ſimul in eadem ſpirituum parte plurium obiectorum ſpecies recipiuntur, & omnes iſtæ ſpecies ſimul eidem potentiæ applicantur, & approximantur æqualiter, ex applicatione partis ſpirituoſæ, in qua reſident, non poteſt cauſari ſomnium circa vnum obiectum magis quàm circa aliud, cùm vtriuſque ſpecies ſint æqualiter approximatæ; quare tunc videtur dicendum, quod ſi fit ſomnium, debet amplecti vtrumque obiectum, vel non debet fieri circa vllum.

*Ariſtotelis mens.*

Ariſt. videtur tetigiſſe huius dubij ſolutionem, ſiquidem in verbis ſuperiùs citatis ait: *Alios motus eſſe actu, & alios poteſtate*; quaſi diceret, quædam ſpecies actu mouent, hæ ſcilicet, quæ potentiæ magis ſunt approximatæ; aliæ verò vt à potentia diſtantes, poteſtate mouent, ideſt ſunt in potentia ad mouendum, & excitandum potentiam, ſi ipſi potentiæ appropinquentur; tunc ſiquidem mouere poterunt, & ſomnium producere. Neque requiritur, quod ſpiritus ſecundùm omnes ſuas partes ſint pro-

A ximi primo ſenſorio, & ſic neque omnes ſpecies: quapropter illæ ſpecies, quæ ſunt magis propinquæ, ſomnium facere valebunt, quovſque aliæ partes ſpirituum accedant magis ad potentiam ſimul cum nouis ſpeciebus, quæ tunc ſomniare facient, anteà verò minimè.

*Illius impugnatio.*

Hæc tamen ſolutio diſplicet, neque nodum ſoluit; nam in primis non eſt dubium de ſpeciebus, quæ ſunt in diuerſis partibus ſpirituum, quarum quædam ſunt propinquæ potentiæ, aliæ verò diſtant; ſed de pluribus ſpeciebus, quæ in vnica parte ſpirituum reſident, & æqualiter, ſimulque ſunt potentiæ approximatæ, ita vt potentiam excitent ad opus; non enim implicat, quod in vna, & eadem parte ſint ſpecies albedinis, & nigredinis, ſimulque & aliorum obiectorum. Quod ergo dubitatur, eſt quare potiùs fit tunc inſomnium per ſpecies albedinis, quàm nigredinis, vel aliorum, cùm omnes æqualiter ſint aptæ excitare potentiam ad inſom-B nium circa proprium obiectum. Deinde licèt conſtet, quod ſpiritus ſunt medium, per quod ſpecies communicantur potentiæ, ita vt per ſpiritus deferantur ad primum ſenſorium, nullus dubitat, quod ipſæ ſpecies ſunt receptæ in organo potentiæ, imaginationis ſcilicet, aut memoriæ: ergo ex eo, quod ſpiritus approximentur potentiæ, nihil de nouo ponunt in ipſa, vt inſomnia fiant: ergo motus ille ſpirituum non eſt neceſſarius ad inſomnium cauſandum, atque adeò Ariſt. mens ex toto ruere videtur. Denique ſi motus ſpirituum aliquid faceret, maximè quod tempore vigiliæ, nempe quod omnia adhuc quieta apparerent moueri, vt contingit in vertigine affectis: ergo ſi ratione motus ſpirituum ſomnium fit, debet eſſe circa ſenſibile commune, nempe circa motum; atque adeò per ſomnium omnia apparere deberent in motu, & non aliter.

*Qualiter ex motu ſpirituum fiunt inſomnia.*

Vt tamen magis mentem Ariſt. imò & D.Thomæ C aperiamus, dicendum eſt, duobus modis ex motu ſpirituum, & vaporum inſomnium fieri, ſiue tale inſomnium ſit naturale, ſiue vatidicum, vel quomodocumque, aut facta variatione ex ſpirituum applicatione in aliquibus ſpeciebus, aut productâ aliquâ diſpoſitione corporali in organo potentiæ, quæ diſponat potiùs ad hoc inſomnium, quàm ad illud. Quantùm ad primum aſſerendum eſt, quod licèt ſpecies in potentiis internis, & in ſpiritibus ſint; poteſt tamen contingere, aliquas ſpecies eſſe intenſiores in ſpiritibus, quàm in ipſa potentia; & hoc duplici de cauſa, vel quia ſpiritus erant proximiores obiecto, à quo ſpecies illæ fuerunt deriuatæ; vel quia in illis erat paſſiua diſpoſitio melior. Cùm ergo accedant ſpiritus in ſomnis potentiæ ſenſitiuæ, & in illis poſſint eſſe ſpecies intenſiores, quàm in potentia, non mirum, quod motus ſpirituum ad ſenſorium ſit neceſſarius, vt ſomnium fiat.

*Species poſſunt dari in ſpiritibus magis intenſæ, quàm in potentia.*

D Licèt hæc facilè intelligantur, non tamen manet ſoluta difficultas: imò contra dicta efficaciter inſurgere poſſumus; non enim implicat, quod in organo ſenſus interni ſint per ſomnum ſpecies ita intenſæ, ſicuti dantur in ſpiritibus: ergo eo tempore fruſtrà motus ille vaporum, & ſpirituum adhibetur. Antecedens eſt certum, conſequens probatur; nam ſi ob aliquam rationem ille motus ſpirituum eſt neceſſarius, maximè vt ſpiritus appropinquentur potentiæ, vt ſic etiam mediâ eorum approximatione ſpecies intenſæ, quæ ſunt in ſpiritibus, proximiores fiant: ſed ſpecies aliæ poſſunt eſſe ita intenſæ in organo ſenſus, ſicuti illæ quæ in ſpiritibus; & ex alia parte ſunt magis propinquæ, quia inhærent ipſi organo: ergo fruſtra ille motus ſpirituum, & vaporum in ordine ad hunc finem conſtituitur, cùm ſint omnia requiſita ad ſomnium ante eorum motum.

*Primum argumentum contra dicta.*

*Secundum argumentum.*

Secundò: Si motus humorum, aut vaporum ad primum ſenſorium eſſet neceſſarius, maximè vt aliqui cenſent, vt ſpiritus intra detineantur, ne perueniant ad ſenſoria externa; qua de cauſa in ſomno adeſt priuatio actionum ſenſuum exteriorum: quæ priuatio idcò fit, quia impeditur eorum motus ad extra ab ipſis humoribus, ſeu vaporibus; ſed ſomnus multoties conſurgit ex penuria ſpirituum, qui tempore vigiliæ abſumuntur; quo tempore crebrum retrahit, & colligit in ſe illos ſpiritus animales, qui remanent ſine motu vaporum, aut humorum ad ipſum: ergo ſomnium eo tempore adueniens non poteſt reduci ad motum humorum, ſeu vaporum. Quod autem fiat retroceſſus ſpirituum animalium in ſomno, docuit Auic. *fen.* 1. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 1. Auerroës 2. *collect. capit.* 21. imò non ſolùm retrocedunt ſpiritus animales, ſed etiam vitales, vt ipſe Auic. ait, & ipſa oſtendit obſeruatio; nam tempore ſomni indigemus tegumentis, vtpotè quia refrigerantur exteriora; & propterea Hippocrat. 6. *epidem. ſect.* 4. *text.* 13. aſſerit, *per ſomnum partes externas refrigerari, internaſque calefieri.* Id comprobat Ariſt. 2. *de hiſt. animal. cap.* 19. inquiens: *Dormientibus porrò ſanguinis copia partes exteriores deſerit, ſubitque interiores, itavt adacto cultello non æquè fluere poſſit.* Hoc autem neutiquam accideret, niſi calor influens, & ſanguis ad intra recurreret.

*In ſomno retrocedunt ſpiritus.*

*An ſit neceſſaria retractio ſpirituum in ſomno.*

Dices, eam retractionem in ſomnis non eſſe neceſſariam, ſufficit enim quod ſanguis, & ſpiritus ad intra detineantur, quia impeditur eorum motus ad partes externas, & ſic ſupponitur motus vaporum impedientium, qui detinent ipſos ſpiritus intra cerebrum, vt docet Ariſt. *libro de ſomno & vigilia*, & 4. *Metaph. cap.* 8. Ego dicam, neque ſemper eſſe neceſſariam obſtructionem vaporum, neque eſſe ſupponendam ſemper, vt fiat ſomnus, qui plures cauſas habet, à quibus conciliari poſſit; nam non implicat, quod tempore indigentiæ, dum per labores plures ſpiritus ſunt conſumpti, quod remanentes trahantur vitales à corde, animales à cerebro, ita vt defectu vitalium in partibus externis adſit infrigidatio, & ex defectu animalium in ſenſoriis externis ſit priuatio actionum ſenſuum exteriorum, in qua formaliter conſiſtit ſomnus; atque adeò, vt ſomnus concilietur, non prærequiritur motus vaporum, neque eorum impedimentum. Tunc ſic: Dum ſomnus excitatur ex defectu ſpirituum, & eorum ad cerebrum retractione, non præſupponitur, vt fiat motus vaporum; & tamen eo tempore poteſt contingere inſomnium: ergo inſomnium non petit ad ſui productionem motum vaporum, vel humorum ad cerebrum: & cùm ſuprà probatum ſit, impertinenter etiam ſe habere motum ſpirituum, videtur dicendum, quod neque ſpirituum, neque humorum, aut vaporum motus ad cerebrum eſt neceſſarius, vt fiat inſomnium.

*Infrigidantur in ſomno exteriora, & quare.*

*Tertium argumentum.*

Tandem admiſſo caſu, quod vapores illi intra cerebrum incluſi ſint neceſſarij ad ſomnum conciliandum, vt vult Ariſt. non tamen poſſunt cauſare inſomnia; nam vapores illi cùm intra cerebrum ſint collecti, non habent vim producendi ſpeciem aliquam in ſenſu interno: ergo neque inſomnium cauſandi. Patet antecedens, nam nullum obiectum ſenſibile ad ſenſus internos ſuas ſpecies mittit antequam ad externos ſenſus perueniant; non enim cæcus iudicat de coloribus, licèt in cerebro habeat ſanguinem, vel pituitam, vel alia colorata; prærequiritur enim ſenſualis exterior cognitio obiecti, vt à ſenſu interno percipiatur. Cùm ergo illi vapores ſpecies impreſſas non mittant ad aliquem ex ſenſibus externis, nequeunt percipi ab internis: ergo neque mediis ſuis ſpeciebus illos immutabunt in ordine ad cognitio-

*Quidquid percipitur à ſenſu interno, priùs cognoſcitur ab externo.*

A nem. Hoc totum docet Ariſt. *lib. de memor. & reminiſc.* Idem Diuus Thomas *ſuper eundem locum*, Molina 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. Ferrarienſis 1. *contra Gentes*, vbi expreſsè probant, nihil poſſe percipi à ſenſu interno, quin priùs percipiatur ab externo.

*Fracaſt. ſententia proponitur.*

Vis huius vltimi argumenti coëgit Fracaſt. 4. *de intellect. folio* 141. aſſerere à vaporibus, & humoribus in inſomniis quandam ſpeciem occultam produci à phantaſia, quæ valet excitare memoriam quorumdam coniunctorum. Quòd ſi dicas, à quonam producitur iſta ſpecies in ſenſu interno, ſiquidem vapores illi nequeunt aliquid ſenſui interno repræſentare, quin priùs ſenſui externo manifeſtetur.

Reſpondet produci ſpeciem internam ex ſenſatione externa, quæ adhuc per ſomnum fit; nam tunc non datur totalis priuatio actionum ſenſuum externorum; quod & nos ſuprà diximus ex Gal. mente: B ſi enim quis inter dormiendum vocibus acclametur, aut acu pungatur, ex vocis acclamatione ſurgit, ex acus punctione fugit, punctionem ſentiens. Vides ergo, quomodo in ſomnis tactus, & auditus non ſunt omninò ſuis actionibus deſtituti. Similiter dum quis in lingua colligit dulcem pituitam, ſomniare dulcia ſolet; & ſi flatus circa dentem commoueatur, vel quodammodo dentem impellit, ſomniant quod dens cadit: quod quidem habet initium à ſenſu externo; & ratio eſt, quia ſenſus obtuſus, qui datur per ſomnum, non poteſt rerum differentias exactè cognoſcere, & ſic confert ſe ad id, quod notiſſimum eſt, vt ſunt obiecta maiora, quæ ſub ſenſum cadunt, principiumque ſumunt ex ſenſatione externa.

*Fracaſt. placitum non eſt vniuerſaliter verũ.*

Hic tamen dicendi modus, licèt ſit ſubtilis, non tamen poteſt eſſe vniuerſaliter verus; nam licèt per C ſomnum dentur aliquæ ſenſationes externæ, quatenus non omninò ſenſus externi quieſcunt, & ab iis ſomnia inſurgere poſſunt; nihilominus ſine huiuſcemodi ſenſationibus ſaluantur inſomnia; nam vt poſteà dicemus, qui ſanguine abundant, rubra ſomniare ſolent; qui bile, iracunda; qui cruditatibus ſunt referti, aquea; & melancholici, triſtia: horum tamen nihil inter dormiendum percipitur à ſenſibus exterioribus. Igitur plura dantur inſomnia, quæ non capiunt originem ab illis, atque adeò aliam cauſam vniuerſaliorem inueſtigare debemus.

*Quare motus humorum, & vaporum ad cerebrum ſomnia creat.*

Amplectentes ergo Ariſt. & Diui Thomæ ſententiam, dicendum eſt cum ſubtili Magiſtro Petro Garcia *in libro de locis affectis*, *diſputat.* 7. *cap.* 13. vapores, & humores in cerebro diſpoſitionem quandam producere proportionalem quibuſdam ſpeciebus, ita vt ex vi illius diſpoſitionis illæ ſpecies excitentur ad repræſentandum, aliæ verò quietæ perma- D nent. Quod autem priùs vapores, & humores moueantur tempore ſomni, non dubito, quia ex caloris influentis retroceſſu ad intra, vapores, & humores mouentur, & agitantur, perueniuntque ad primum ſenſorium, vt voluit Ariſtot. permutatiſque, & perturbatis ſpiritibus, & humoribus, immutantur ſenſus, vt docet Diuinus Præceptor 1. *part. quæſt.* 111. *art.* 4. *cit.* Quod etiam à vaporibus, & humoribus motis ſomnus, & inſomnium fiat, docuit ipſe 2. 2. *quæſt.* 84. *art.* 8. *in reſponſione ad* 2.

*Humores & vapores cerebrum diſponunt ad ſomniandum hoc vel illud.*

Quod verò ipſi vapores cerebrum attingentes per ſomnum ipſum cerebrum diſponant, ibi etiam manifeſtè docet Angelicus Doctor. Neque hoc eſt probatu difficile; nam inter vigilandum, qui ſunt naturâ ſanguinei, ſunt procliues ad riſum, melancholici ſunt triſtes, & timidi; pituitoſi ſegnes, bilioſi audaces, & iracundi, ita vt animi mores corporis tempera

temperaturam ſequantur, vt ait Galen. proprio loco. Hoc totum originem trahit ex temperie, & diſpoſitione, qua quivis eſt diſpoſitus: ergo ſimiliter inter dormiendum dum phantaſmata repræſentant, & inſomnia hæc, vel illa fiunt, debent petere in cerebro diſpoſitionem, quæ magis conducat ad hoc potiùs repræſentandum, quàm illud: quare melancholici triſtia ſomniant; ſanguinei alacria, & ſic de reliquis; atque adeò cum hæc ſomniorum diuerſitas non oriatur, niſi ex diuerſa humorum diſpoſitione, non eſt recurrendum ad aliud principium, ſicque facile eſt argumenta ſoluere.

*Argumentum efficax contra dicta.*

Sed adhuc non videtur ſoluta difficultas; nam aliquando non eſt neceſſarium recurrere ad talem diſpoſitionem à vaporibus, ſeu humoribus natam, vt inſomnia fiant. Nam perſeuerante eadem diſpoſitione, quæ erat per vigiliam, poteſt ex alio principio hoc vel illud inſomnium excitari; nam ex frequenti imaginatione, vel cogitatione circa aliquod obiectum inter vigilandam inſurgit, quod tempore ſomni inſomnia excitantur, illudmet obiectum repræſentantia. Quod autem quæ inter vigilandum in mente habuimus, nos ſomniare contingat, ita clarum eſt, vt probatione non egeat; quod vlteriùs docuit Ariſtotel. *ſectione* 30. *problem. quæſtione* 13. vbi ait: *De iis, quæ agimus, aut volumus, & cogitationes, & imaginationes obueniunt, ſomniamus.* Et libro de perſenſione per ſomnum, aſſerit, aliquando inſomnia habere principium ex ſenſatione exteriori, quam quis habuit in vigilia. Idem confirmat Galen. *lib. de dignotione ex inſomniis*: & 5. *Eccleſiaſtic.* dicitur: *Multas curas ſequuntur inſomnia.* Neque eſt difficile inuenire cauſam huius rei; nam ſpecies illæ recentes cùm ſint, & intenſæ, faciliùs excitant potentiam ad repræſentandum, quàm aliæ antiquiores: quod etiam patet in vigilia; nam dum quis aliquid vehementer cogitat, facillimè ad eandem cogitationem reuertitur, & citiùs ad talem cogitationem potiùs quàm ad aliam excitatur cogitatiua potentia: quo caſu non eſt reducenda ea repetita cogitatio ad aliquam nouam cerebri diſpoſitionem, ſed potiùs ad intenſionem, & nouitatem ſpecierum, quæ maximè immutant potentiam.

*Sæpe ſomniamus de his quæ tractantur per vigiliam.*

*Ad argumentum reſponſio.*

Sed hoc non euertit veritatem; nam ſpecies, prout recens, vel intenſa, non poteſt magis immutare potentiam, quàm aliæ ſpecies; nam eſſe ſpeciem recentem, vel antiquam, ſolùm dicit temporis differentiam præſentis, vel præteriti: ex hoc autem non ſumitur ratio ad intentum, imò ſpecies antiqua eſt magis fixa, & radicata in organo, quàm recens. Neque ex ſpeciei recentis intenſione ſequitur, quod excitetur cogitatio, aut imaginatio; nam non implicat, quod eo tempore ſit alia ſpecies intenſior, quæ poterat eam mouere, & tamen non mouet: ergo ratio excitandi potentiam in ſomno, non naſcitur ex nouitate, & intenſione ſpecierum ſenſibilium.

*Confirmatur, quod ſomnia fiũt ex diſpoſitione cauſata à vaporibus & ſpiritibus motis*

Quapropter cenſendum eſt, præualere ſpeciem illam, & maiorem efficaciam habere per aliquam conditionem ſumptam ex aliqua diſpoſitione corporali, vt ſuprà dictum eſt, ratione cuius excitat ad opus; quæ diſpoſitio aduenit ex recurſu vaporum, humorum, & ſpirituum ad cerebrum tempore ſomni. In quo autem talis diſpoſitio conſiſtat, à nemine hucuſque dictum eſt: circa quam eodem modo philoſophandum, ac de ea diſpoſitione, quæ reperitur in delirio, iuxta cuius diſpoſitionis varietatem ipſa deliria varia, & diuerſa fiunt. Ita Diuus Thomas 2. 2. *quæſt.* 95. *art.* 6. *in corpore.* Petrus Garcia, & alij.

*Quomodo fiunt inſomnia turbulenta, & inordinata.*

Ex dictis conſtat iam, quâ ratione inſomnia fiunt; nondum tamen conſtat, quomodo ipſa ſint turbulenta, monſtruoſa, & perturbata. Ariſt. quandam adducit rationem, ſumpta ſimilitudine ab aquis,

A quæ ſi plurimùm mouentur, nullam recipiunt figuram, quæ videri poſſit; ſi verò minor motio fiat, recipiunt figuram tortuoſam, & inordinatam. Ita ſimiliter inquit accidere nobis inter dormiendum; nam ſi vapores plurimi ſint, & velociter mouentur, nullum fit inſomnium, neque aliquid nobis repræſentant; verumtamen ſi minor motus intra cerebrum fit, inſomnium accidit: attamen omnia per ſomnum comprehenſa, monſtruoſa, & diſtorta repræſentantur. Clariùs D. Præcep. 1. *part. q.* 84. *art.* 8. *cit. ad* 2. vbi ait: *Quando enim multus fuerit motus vaporum, non ſolùm ligatur ſenſus, ſed etiam imaginatio, ita vt nulla appareant phantaſmata, ſicut præcipuè accidit cùm aliquis dormire incipit poſt multum cibum, & potum; ſi verò motus vaporum aliquantulum fuerit remiſſior, apparent phantaſmata, ſed diſtorta, & inordinata, ſicut accidit in febricitantibus; ſi verò adhuc motus magis ſedetur, apparent phantaſmata ordinata, ſicut*

*Ariſtot. & Diui Thomæ mens proponitur.*

B *magis contingere ſolet in fine dormitionis, & in hominibus ſobriis, & habentibus fortem imaginationem. Si autem motus vaporum fuerit modicus, non ſolùm imaginatio remanet libera, ſed etiam ſenſus communis ex parte ſoluitur, ita quod homo iudicat interdum in dormiendo, ea quæ videt, ſomnia eſſe, quaſi diiudicans inter res, & rerum ſimilitudines; ſed tamen tunc quia dormit, ex aliqua parte remanet ſenſus communis, imò & exterior ligatus.* Ex iis Diui Thomæ verbis faciliùs colligitur, quomodo non ſolùm inſomnia turbulenta fiunt, ſed etiam ea, quæ ordinata conſpiciuntur.

*Fracaſt. ratio de ſomnis turbulentis proponitur.*

Fracaſt. 2. *de intellect. folio* 141. rationem aſſignat etiam, quare ex motu ſpirituum, & vaporum ſomnia monſtruoſa, & inordinata elucent; inquit enim, quod ad rectam, & ordinatam intentionem requiritur medium, per quod veniunt ſpecies, quod ſit purum, non perturbatum, neque inordinatè motum;
C hoc autem non contingit ſpiritibus, dum permiſcentur vaporibus, qui ſunt impuri, inquieti, & tumultuoſè agitati; nam & hoc modo ſe habent ſpecies in ſpiritibus receptæ, vnde extraneas, & inordinatas cogitationes repræſentant. Motus ergo iſte poteſt offerre diuerſa loca, tollere coniunctorum applicationem, multa intercipere, ordines peruertere, ſitus diuerſos offerre; quibus variatis, fit vt multa extranea ſomnientur: quam tamen veritatem habeat hæc ſententia, infrà adducemus.

*Aquæ nimis motæ quare non recipiunt figuram, quæ poſſit videri.*

Sed explicare oportet, quam ob cauſam aquæ, dum nimis agitantur, & mouentur, non ſuſcipiunt figuram, quæ videri poſſit. Petrus Garcia, relictis aliis dicendi modis ait, hoc non conſurgere præcisè propter motum illum, ſed potiùs ob inæqualitatem partium, quæ ex motu fit; nam partes quædam eminent, aliæ verò deprimuntur, & vario modo comparatur figura, & variatur, ita vt ſpe-
D cies viſibiles ad oculum venientes repræſentent obiectum, quin poſſimus determinatam figuram percipere.

*Quare dum motus vaporum eſt nimius, impedit inſomnia.*

Hoc ergo modo accidere in nobis Authores affirmant, dum ſomnia fieri deberent; nam ita velociter humores, & vapores, imò & ſpiritus concitantur, & mouentur, vt nulla poſſit imago repræſentari; non tamen contingit præcisè ratione motus, cùm motus nihil detrahat de iis quæ requiruntur ad cognitionem, dummodo ſpiritus maneant approximati; impeditur tamen cognitio, quatenus per motum illum ſeparantur à debita approximatione, propter quam cauſam non valent producere diſpoſitionem in organo potentiæ, quæ ſit neceſſaria ad operandum; vel quia ita permiſcentur iſtæ duæ ſubſtantiæ ſecundùm ſuas minimas partes, vt propter eam permixtionem potentia non producat, neque poſſit producere ſuum effectum.

*Quare ſomnia monſtruoſa & inordinata ex minori motu vaporum excitantur.*

Sed quamuis explicatum ſit, quare inſomnia non fiunt in præſentia motus nimij plurium vaporum, reſtat explicare, quare ſomnia monſtruoſa, & inordinata ex minori vaporum motu, & agitatione fiunt? Et ratio difficultatis eſt, nam ratio ſuprà adducta à Fracaſt. non conuincit, neque ſimilitudo deſumpta ex aqua minùs mota, quam proponit Ariſtoteles. Nam ſpecies non producuntur de nouo in ſpiritibus, & cerebro, quamuis ſpiritus per motum moueantur: ergo ſiue ſpiritus moueantur, vel non, aut aliam adquirant figuram, illæ ſpecies non repræſentabunt obiectum aliter ac eſt: quaproper ſi obiectum non eſt monſtruoſum, diſtortum, vel inordinatum, non poterit ſub ea figura repræſentari. Hoc patet, nam ſpecies illius obiecti non variatur, nec amittit repræſentationem obiecti ex motu, vel quiete vaporum, vel ſpirituum.

*An ſpecies modificentur cum medio, ita vt aliter repræſentent obiectum proprium.*

Dices, ſpecies illas modificari cum ſpiritibus, & vaporibus. Contra eſt, nam ſi hoc fieret, eſſet ſolùm deceptio circa ſenſibile commune, non verò circa proprium, vt experimur in vertigine, in qua ratione motus vaporum, & ſpirituum, res quietæ apparent moueri; non tamen illæ res apparent tortuoſæ, monſtruoſæ, vel inordinatæ: ergo ſi motus ſpirituum in vertigine non ſufficit ad talem effectum, neque motus per ſomnum erit ſufficiens. Neque ſimilitudo ex aqua quodammodo mota, in qua tortuoſæ, & inordinatæ figuræ viſuntur, aliquid probat; nam ideo in aqua tales figuræ percipiuntur dum agitatur, quia repræſentantur viſui: at verò figuræ adquiſitæ in ſpiritibus, & humoribus, cùm non percipiantur ab aliquo externo ſenſu, neque poſſunt immutare ſenſum internum, vt ſuprà diximus: vnde ratione illius motus non poteſt deficere vera repræſentatio.

*Nota hanc doctrinam, cum qua percipitur qua ratione fiunt inſomnia turbulenta & monſtruoſa.*

Etſi hæc difficilia videntur, non tamen doctrinam traditam euertunt. Quare reſpondetur, ita eſſe, ſicut probant rationes traditæ; cum hoc tamen motus ſpirituum,& vaporum habet vim in iis inſomniis; nam cùm ſpecies plures ſint intenſæ in ſpiritibus, & in diuerſis partibus eorum, quæ valent repræſentare diuerſa obiecta, medio motu poſſunt accedere ſpiritus modò ſecundum vnam partem, modò ſecundum aliam, ita vt excitent potentiam ad repræſentandum obiecta diuerſa inordinata, & variis figuris prædita; neque ad hoc eſt neceſſe, vt ipſi ſpiritus moti percipiantur à ſenſu externo, vt diximus de aqua, quia hunc effectum non præſtant ſpiritus vt obiectum ſenſus, ſed vt medium, in quo recipiuntur ſpecies obiectorum, & per quod deferuntur ad potentiam cognoſcitiuam; & quia per motum attingit organum potentiæ ſecundum diuerſas partes, quibus inſunt ſpecies diuerſorum obiectorum, facit potentia amplexum plurium; & ſicuti in applicatione ſpecierum ad potentiam non ſeruatur ordo, talia obiecta repræſentantur monſtruoſa, & inordinata.

*Comprobatur, & fulcitur noſtra aſſertio.*

Neque mirum hoc; nam ſicuti per vigiliam imaginatio poteſt fingere montem aureum nondum viſum, aut minocentaurum, & alia huiuſmodi, non repugnat idem in ſomnis accidere poſſe.

Vt hoc tamen intelligatur ſuppono, quod poteſt aliquid dupliciter vt nouum conſiderari; aut quia taliter ſecundùm ſe, & ſua principia ſit nouum, vt nunquam alicuius ſenſus illud comprehenderit, quod neque poteſt cadere ſub imaginationem, vt colores reſpectu cæci, & ſonus reſpectu ſurdi.

Alio modo poteſt eſſe nouum ſecundùm ſpeciem totius, licèt non ſecundum ſpecies partium, vt quando apprehendimus montem aureum, eo quod habemus ſpeciem montis, & auri; cum enim ſingulas partes homo videat, poteſt eas in vnum colligere, & illius compoſiti habere phantaſmata. Cùm A ergo id poſſit imaginari per vigiliam,& de hoc compoſito, & eius partibus intus reſeruare ſpecies, non eſt rationi diſſonum, quod in ſomnis talia phantaſmata repræſentent obiecta eo modo, quo diximus, & propter variam ſpecierum applicationem ex metu ſpirituum formari ſimulachra monſtruoſa,& alia. Hæc dicta ſufficiant pro hac ſecunda, & ſatis difficili parte.

## §. II.

### *De ſomniorum ſignificatione, & diuinatione.*

AD tertiam deuenire partem tempus poſtulat, in ordine ad quam hæc omnia tradidimus; in tantùm enim vtilitatem præſtat hæc de inſomniis tractatio, in quantum ex ipſa aliquid poſſumus annuntiare in ordine ad ſanitatem tuendam, ad morbos B cognoſcendos, & dedellandos, & imminentes præcauendos; proinde hanc partem dicauimus ſomniorum ſignificationibus.

*Omittuntur diuinationes ex diuina reuelatione euenientes, & quæ à dæmone.*

Scire tamen oportet, quod in præſenti non eſt mihi in animo agere de ſignificationibus inſomniorum, quæ vatidica, ſeu diuina dicuntur; ea enim Theologis relinquimus, & viris ſanctitate præditis. Neque de inſomniis à demone agitatis, ea ſiquidem vt ſuperſtitioſa, vana, & mendacio plena omittimus: agimus ergo de inſomniis, quæ naturaliter eueniunt, de quibus obſcurè tractarunt Hipp. *lib. cit. de inſomniis*, & Ariſt. *lib. cit. de præſenſione per ſomnum*: neque ex eis depromere clarè poſſumus naturales ſignificationes.

*Tripliciter inſomnia naturalia ſignificant.*

*Quid ſit ſignum.*

*Qualiter habent inſomnia rationem ſigni.*

Hanc de inſomnis diuinationem, ſeu ſignificationem, neque omninò contemnendam, neque omninò illi fidem adhibendam docet Ariſt. & vt clariùs procedamus, tria ſignificare valent inſomnia, vel C cauſam, vel ſigna aliqua, vel tandem aliqua accidentia fortuita, & contingentia, de quibus omnibus ſigillatim eſt agendum. Ex ſigno enim deprehendimus aliquid; nam ſignum ex Diuino Auguſt. *lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 1.* quod eſt præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, facit nos deuenire in cognitionem alterius, qua ratione veſtigium animalis venire nos facit in cognitionem illius, cuius eſt veſtigium, & ſic de reliquis ſignis, ſiue naturalibus, ſiue ad placitum. Inſomnia igitur rationem ſigni ſortiuntur, quando faciunt nos deuenire in cognitionem verbi gratiâ diſpoſitionis corporalis, ſic enim inquit, & conuenit Medicis, & etiam aliis ſtudioſè ac diligenter ſomnia animaduertere, docetque conſiderare motus, qui in ſomnis ſuperueniunt, qui licèt ſi fierent in vigilia, parui iudicarentur, in ſomnis verò magni cenſentur, & ſolent eſſe ſigna diſpoſitionis corporis, & morbi; nam tenui ſtrepitu auris percep- D to, ſuſpicamur adeſſe tonitrua, & fulmina; qui ſonus licèt in ſe exiguus ſit, ſignificat tamen flatus, & vapores in corpore redundare, & caloris debilitatem, cuius ratione illi gignuntur flatus. Accidit etiam aliquibus ſomniare, quod ipſi volant, quod ſæpè mihi contigit, dum puer eſſem; tale autem inſomnium ſignificat ſimiliter flatus, qui ſua leuitate talem cauſare valent repræſentationem. Quod ſi ſomnient deguſtare mel, ſignificat quod pituita dulcis, vel ſanguis redundat in corpore; ſi verò ſomnient deguſtare amara, oſtendit bilis prædominium, & quod fluit ad os. Quod ſi ſomniant ſuper ſe magnum ſuſtinere pondus, magnam humorum copiam redundare ſignificat. Si verò quis ſomniet, ſe locum quærere ad mingendum, eſt indicium, quod corpus abundat plurimis humiditatibus; ſi rubra, & delectabilia, ſanguinem; ſi eſſe in niue, vel aqua, pituitam;

tam; ſi triſtia, timoroſa, & melancholica,melancholiam; ſi iracunda, & ignem flagrantem, bilem dominantem oſtendit.

Quod ſi in morbis acutis turbulenta inſomnia fiunt, phrenitidem, necnon capitis dolorem denuntiant; ſignum enim eſt, quod vapores, & humores in caput feruntur, vt ait Hippocrates; at ſi extra morbum talia ſuperueniant inſomnia, flatuum repletionem, vt diximus, ſignificant, & totius conturbationem. Similiter cùm ſomniamus ea, quæ inter vigilandum operati ſumus, bonam corporis diſpoſitionem ſignificant, & quod corpus non habet inanitionem, neque repletionem. Quod ſi inſomnia diurnis actionibus aduerſantur, ita vt inter ipſa non conueniant, corporis perturbati ſignificationem præbent. Quod ſi quis inter dormiendum intuetur ſolem, lunam, & ſidera pura, ſuo quæque motu agitata, valetudinem denuntiat, & bonam corporis diſpoſitionem: ſi verò imaginetur illorum lumen amiſſum & obſcuratum, triſtitiam, & morbum prænuntiat.

Verùm ſi illorum lumen nubibus aut aqua impediatur, indicat morbum venturum ratione cruditatum, & humiditatum in corpore redundantium. Si verò ſidera, igneam, & flammeam naturam comparare imagineris, bilis dominium oſtendit, & quod poteſt timeri febris ardens, vel alter morbus ex bile pendens. Verumtamen ſi talium ſiderum lux euaneſcit, mortem præſagire ſolet; ſi autem poſteà vegeta fiant, & lucem amiſſam reſtaurent, ſalutem amiſſam reſtaurari portendunt. Denique ſi quis ſomniet ſe habere crus, vel brachium, aliudve membrum lapideum, timere debet paralyſim in eodem membro, nam vt refert Galenus *libro de inſomniis*, quidam ſomniauit crus ſibi factum lapideum, breuiterque illius crus fuit affectum paralyſi. Dicta ſufficienter oſtendunt, qualiter inſomnia ſunt accipienda vt ſigna, quæ omnia ſunt deprompta ex Hippocrat. Galen. Diuo Præcept. & obſeruationibus.

*Somnium quomodo habet cauſæ rationem.*

Quòd verò ſomnium habeat rationem cauſæ, ita vt ex illo, tanquam ex principio, aut cauſa incipiat noſtra operatio, aliquibus exemplis demonſtratur. Plinius 25. *naturalis hiſtor.* inquit, quod ſuis temporibus inſanabilis erat morſus canis rabidi adferens odium, & pauorem aquæ; materque cuiuſdam militis morſi à cane rabido ſomniauit,quod radix ſilueſtris roſæ, quam cynorhodon vocant,rabiem abigebat,eamque miſit filio bibendam in lacte. Habuit ergo hoc remedium initium à ſomnio tanquam à cauſa. Galenus 14.*methodi*,*cap*.8.dum ageret de curatione linguæ tumefactæ, & adhibita remedia non proficerent, nocte ſomniauit,quod lactucæ ſuccus eſſet accommodus ad curationem, ſi os ægri tali ſucco colluerετur. Similiter cum homo quidam laboraſſet lienis inflammatione,eique curationem adhibuiſſet Gal. ſomniauit, quod ſi ſanguinem illi extraheret ex vena ſaluatella manus ſiniſtræ, & fineret ſanguinem exire, donec per ſe detineretur, ſanitatem recuperaret,quod vtique ipſe faciens, ægrum liberauit. Præterea 9. *method. cap*.4. (in vita ipſius etiam traditur) refert, patrem ſuum ſomniaſſe ſe habiturum filium Medicinæ Principem, & ſomno monitus Galen. ad Medicinæ ſtudium excolendum venit.

*Proponuntur inſomnia quæ fortuita oſtendunt, quibus non eſt adhibenda fides.*

Quod tandem inſomnia quandoque fortuita, & contingentia portendant, licèt non certò, etiam experientia demonſtrat; vidimus enim aliquos ſomniaſſe ſe eſſe conſequutos officium, dignitatemque, deinde ipſos fuiſſe conſequutos. Plura poſſem dicere, quæ mihi euenerunt,priùs prænuntiata per ſomnum; non tamen eis fidem adhibere licet, ea tamen habere ſolent fundamentum in iis, quæ inter vigilandum præceſſerunt:ſæpè etiam in nobis nullum elucet fundamentum. Ex iis deducimus, quod ſolùm diuinatio, quæ ex naturali cauſa intrinſeca, vel extrinſeca procedit, illicita non eſt, ſub qua comprehendimus ſomnia vana, quæ etiam naturalem cauſam habent, & ſuæ cauſæ ſigna eſſe ſolent, conferuntque ad demonſtrandum diſpoſitionem corporalem, atque adeò ſub naturalibus inſomniis locum habent. Somnia circa fortuita, caſualia, & contingentia, non ſunt credenda, quia vel non habent fundamentum, vel oriuntur ex iis, quæ inter vigilandum fuere antecta.

*Diuinatio ex dæmonum reuelatione inutilis & ſuperſtitioſa.*

Diuinatio etiam, quæ in ſomnis ex dæmonum reuelatione procedit, ſuperſtitioſa, vana, & omninò illicita eſt, ex qua nihil accipere poſſumus, quod conferat ad ſalutem animæ, vel corporis. De diuina reuelatione in ſomnis ſuſcepta non ago, quia eam Theologis relinquo, vt ſuprà dixi; hic enim ſolùm ago perſonam Philoſophi, & Medici. Lege Angelicum Doctorem 2. 2. *quæſtione* 95. *articulo* 6. in concluſione, in qua quidquid ad diuinationem ex inſomniis pertinet, amplectitur ſic: *Diuinatio ſuſcepta in ſomniis, quæ ex diuina ſunt reuelatione, aut quauis naturali cauſa intrinſeca, vel extrinſeca, illicita non eſt: at ea quæ ex dæmonum reuelatione procedit, ſuperſtitioſa, & omninò illicita eſt.*

*Approbat Diuus Thomas diuinationem in ſomniis ex reuelatione diuina, vel ex cauſa naturali, ſiue intrinſeca, vel extrinſeca.*

Sic ergo ex inſomniis naturalibus plura depromere poſſumus in ordine ad cognitionem earum, quæ noſtris corporibus adueniunt, diſpoſitionum. Si longiorem de ſomnis ſermonem exoptas, lege Doct. Martin. Delrio *libro* 4.*diſquiſitionum magicarum*, *c*.3. *quæſtione* 6. vbi eleganter, vt de more habet, de coniectatione ex inſomniis pertractat, imò & de cauſis illorum. Quod ſi iis tuus non acquieſcit animus, lege Macrobium *libro* 1. *de ſomno Scipionis*, vbi quinque genera eorum, quæ ſibi videre videntur dormientes proponit; quæ eademmet adducit Diuus Auguſtinus *libro vno de ſpiritu & anima*, *cap*. 25. videlicet oraculum, viſio, ſomnium, inſomnium, & phantaſma; quæ omnia Artemidorus ad duo reuocauit, ad ſomnium, & inſomnium: ego autem eadem omnia ſub ſomnio, vel inſomnio comprehendo, ſub quo quæ diuiſim ab aliis Authoribus tractantur, amplector, quoniam omnia inter dormiendum accidunt, & per phantaſmata repræſentantur.

## OBSERVATIO VI.

*De rigore laborioſo per plures dies moleſtante, nullâ ſuperueniente febre, & de eius curatione.*

*Hiſtoria proponitur.*

Qvidam religioſus è Societate Ieſu, in Collegio Diui Ambroſij huius ciuitatis Vallis-Oleti Collega, ætate iuuenis, naturâ debilis, plurimis abundans cruditatibus, ob maximam frigiditatem in prima, & ſecunda regione, patiens ſimul difficultatem vrinæ ex pituita viſcida, & calculo magno in veſſica contento ſubortam; hic igitur cecidit in ophthalmiam, ſeu inflammationem oculi dextri cum ingenti capitis dolore,præcipuè circa dimidiam capitis partem oculo dextro reſpondentem. Cùm iam adhibitis remediis ad inflammationis curationem, doloremque ſedandum, ſalutem recuperaſſet, liberque euaſiſſet, cœpit rigere nimis,& concuti ſecundùm omnes corporis partes, & totum mouere lectum, ita vt omnes exiſtimarent, ipſum denuò in alium incidiſſe morbum, expectabantque febrem ſuperuenturam, neque rigoris vehementiam aliquid aliud promittere ſuſpicabantur. Vnâ horâ tranſactâ

à rigoris inſultu, rigor paulatim euanuit, quietus æger permanſit, & ſine febre; ſed breuiſſimo temporis interuallo iterum rediit, ſicque inordinatè repetens modò cum intenſione, modò cum remiſſione vſque ad diem perdurauit ſeptimum; nunquam tamen febricitauit, ſiueque ſomno delatus, ſiue cibum, vel potum accipiens, ferè ſemper inæqualiter concutiebatur, ita vt illius corpus frangi videretur, tantaque fuit rigoris vis, vt ſocij timuerunt, ne illius vires diſſoluerentur, eiuſque mortem præuidentes, ei obtulerunt pro Viatico Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vnxeruntque Oleo Sancto. Vocatus fui, vt illum curarem, quem adhibitâ purgatione, & remediis calidis interiùs, & exteriùs admotis, ad priſtinam (Deo adiuuante) ſalutem reduxi, de quibus omnibus in ſequenti annotatione reddere rationem conabor.

## ANNOTATIO.

Latè nimis egimus de rigore, horrore & perfrigeratione *lib.* 3. *de cauſis febrium*; quapropter hîc ſolùm quæ ad caſus intelligentiam conducere valent, & ad curationem huius affectus, proponemus. *Cùm morborum cognitio ſit remediorum materia*, ex Galen. 1. *de aliment. facult. cap.* 1. vt certum tenendum eſt, quod iſte affectus fuit verè rigor, ſiquidem aderant omnes illius conditiones, quas vnica definitione amplexus fuit Galen. *libro de rigore, trem. conuulſ. &c. cap.* 6. à quo deſumpſit Auicen. *fen.* 1. *lib.* 4. *tract.* 2. *capit.* 6. dicens: *Rigor eſt perfrigeratio doloroſa cum quadam totius corporis agitatione, ſeu concuſſione inæquali.* Hanc definitionem ibi ſufficienter explanauimus: in ea tamen dantur, quæ in hoc ægro reperiebantur; atque adeo pro certo affirmandum, rigore, & non alio morbo fuiſſe vexatum. Habebat ſiquidem perfrigerationem, ita vt ſentiret frigus, peteretque calefacientia, & tegumenta, quia nequibat illud ſuſtinere.

*Rigor quid ſit.*

Habebat ſimul dolorem, qualis reperitur in his, qui rigore afficiuntur; neque hoc ſolùm, ſed concuſſio vehemens, inæqualis, & inordinata totius corporis ipſum moleſtabat.

Hæc tria dum ſimul inueniuntur, rigoris naturam conſtituunt, vt ſuo loco nunciauimus. Neque noſtram mentem euertit, aſſerere ex Galeno proximè citato, quod rigor eſt paſſio calidi innati, nomine cuius debemus intelligere calorem influentem, in ſpiritibus, & ſanguine reſidentem, vt exponit Valleſ. 5. *controu. cap.* 17. nam licèt reverà detur motus reciprocus ſpirituum, & ſanguinis in rigore, diximus tamen non integrare naturam illius, ſed eſſe conditionem, ſine qua rigor fieri non poteſt; nam neceſſariò in rigore debet conſtitui ille motus, fugit enim calor ad intra, vt rem moleſtantem fugiat; intraque coërcitus, cùm ſuffocari incipiat, vehementer ad extra prorumpit, quo prodeunte membra quodammodò calorem amiſſum reſtaurant, vires recuperant, ſicque humorem dolorem inferentem expellere conantur; deinde moleſtiam iterum fugiens, iterum ad intra recurrit, & hic motus reciprocè fit, quouſque humor dolorem excitans quieſcit; tunc enim ceſſat rigor; nam rigor nequit dari ſine motu, propereaque Galen. 2. *de cauſis ſympt. cap.* 1. rigores vocat *validos motus facultatis expultricis*, ad differentiam horroris, qui licèt motum petat, vt fiat, modicus eſſe debet, vt ipſe ait *eodem libro, cap.* 9.

*Tria in rigore dantur, quæ eius adimplent naturam.*

*Datur in rigore reciprocus motus ſpirituum, & quare.*

*Rigor nequit dari ſine motu.*

Si verò inquiras, à quonam efficienter ſanguis, & ſpiritus mouentur intra, & extra in rigore, & horrore? Reſpondetur, illorum motum eſſe tribuendum vel facultati cuidam regitiuæ, quæ cordi ineſt, vt voluit Auerroës, vel facultati naturali attractrici,

*A quonam efficienter ſpiritus & ſanguis mouentur in rigore.*

A & expultrici cordis; vt habuit Petrus Garcia, quem ſequitur Matamor. 2. *de febribus, tract.* 1. & 1. *de cauſis febrium, diſputat.* 7. hæc enim facultas tempore indigentiæ attrahit, & expellit ſpiritus vitales, ſicuti facultas eadem reſidens in cerebro impellit, & attrahit animales; quæ facultas, tam in cerebro, quàm in corde eſt diſtincta realiter à facultate dilatatiua, & compreſſiua cerebri, & cordis, vt probare intendit Doctiſſ. Garc. *libro de locis affect. diſputat.* 4. *cap.* 5. Nos tamen vt certius exiſtimamus cum Angelico Doctore 1. 2. *quæſt.* 24. *art.* 2. *ad* 2. in ſomno, & vigilia, in animi paſſionibus, in rigore, & horrore, ſanguinem, & ſpiritus moueri à facultate pulſifica cordis dilatatiua, & compreſſiua; quæ quidem facultas operatur pro ratione vſus, & indigentiæ, & immutatur in rigore, horrore, & aliis, vt facilè conſtat ex pulſuum immutatione, quæ reperitur, dum tales affectiones, & animi paſſiones noſtrum
B immutant corpus. Huius rei probationem inuenies in *meo tract.* de febribus, *fol.* 41. & idem aſſero de facultate dilatatiua, & compreſſiua cerebri in ordine ad motionem ſpirituum animalium; non enim oportet multiplicare entitates ſine neceſſitate.

### §. I.

### *De cauſis rigoris.*

Cognita natura rigoris ex iis quæ hîc, & alibi tradidimus, oportet illius cauſas inueſtigare, vt poſſimus deprehendere cauſas rigoris hunc vexantis ægrum; neque aliter effectum poſſumus detrahere, niſi pugnemus aduerſus cauſam, eam priùs cognoſcendo. Duplicis cauſæ meminit Galen. 2. *de cauſis ſympt. cap.* 1. & *de rigore, tremore, &c. cap.* 5 nempe facultatis, quæ excitatur ad expulſionem obiecti
C moleſtantis, & illud mouet ad partes ſenſibiles; nam aliter non poterat in illis ſuſcitari dolor. Mouet ergo motu concuſſiuo de parte in partem, eo modo quo dictum eſt. Meminit etiam cauſæ obiectiuæ, quæ ſua mordaci, & acri qualitate dolorem inferens, excitat facultatem expellentem ad illius expulſionem, proptereaque Gal. *loc. citat.* aſſerit, quod rigor partim fit à morbo, partim à natura, ad differentiam aliorum motuum, qui vel fiunt à natura tantùm, vt coctiones, & motus naturales; vel ſolùm fiunt à morbo, vt paralyſis, palpitatio, & conuulſio. Quænam autem ſit hæc facultas humores agitans in rigore, & horrore, *proprio tract. de rigore* patefecimus, vbi diximus ad talem motum concurrere facultatem vitalem pulſificam, vt conſtat ex compreſſione magna arteriæ, quæ dum adeſt rigor, elucet. Nec-non concurrit facultas naturalis, ſeu vegetabilis partium, quæ cuicumque parti inſita eſt ad nocui ex-
D pulſionem. Simúlque operatur animalis facultas expellens, quæ imperio rationis ſubditur, atque adeò ſæpè rigorem ſecundùm motum iſtum imperatum coërcemus; & propter hanc rationem exiſtimo, motum pendentem à facultate motiua animali non eſſe de intrinſeca ratione rigoris; nam eo motu ablato, & ipſo voluntariè ceſſante, remanet rigor cum concuſſione facta per motum facultatis expultricis vegetabilis; non tamen rigor perſeuerare poteſt, ceſſante motu huius facultatis.

*Quanam facultas agitat humores in rigore & horrore.*

Cauſa obiectiua, ſeu humor offendens, duplex ſtatuitur à Gal. & ab aliis Authoribus *locis ſupra citatis*, videlicet humor frigidus, vel calidus, non quia talis tantùm, ſed quatenus ſua acri, & mordaci, vel prauâ alia qualitate naturam irritare valet. Quod verò ab huiuſmodi cauſis originem trahat, docet Galen. 2. *de cauſis ſymptom. capit.* 5. vbi ait: *Rigorem facit frigus, & calor mordax* Et 4. *aphoriſmor.*

com.

*tom.* 58. *Rigor fit ob flauam bilem motam ſupra membra ſentientia.* Libro *de rigore, cap.* 7. acre, & calidum medicamentum vlceri admotum primò dolorem infert, mox horrorem, deinde rigorem excitat. Idem teſtatur de humore vitreo. Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *capit. cit.* à phlegmate vitreo in corpore ſparſo rigorem ſuperuenire ait. Hipp. 5. *aphoriſm. text.* 17 aſſerit, frigida rigores febriles facere, neque in hoc eſt circa Authores diſſenſio. Præter huiuſmodi cauſas aliam reperi, quam etiam tradit Coſteus *in locum citatum Auic.* Non enim implicat, quod flatus craſſi, & mordaces ad membra ſentientia ruant, dolorem concitent, moueantque facultatem expultricem ad ſuum opus; ſunt enim rigores multi repentè inuadentes, qui etiam citiſſimè auferuntur: hæc autem repentina inuaſio, & rigoris ſolutio potiùs excitatur à vaporibus, quàm ab humoribus; quod patet in palpitatione, de qua Galen. *lib. cit. de rigore, & palpitat. cap.* 5. & 2. *de cauſis ſympt. capit.* 2. aſſerit fieri à flatu, & rationem inſinuans dicit: *Fieri à vaporoſo ſpiritu, ſeu flatulenta ſubſtantia, ob motus celeritatem, ſcilicet quia facilè fit, & facilè ſoluitur.* Hoc autem non fieret, ſi ſemper ab humore procederet. Idem proportionaliter eſt aſſerendum de rigore; nam non implicat, quod vapores mordaces caloris actione eleuentur ex minera putredinis, vel ab humore frigido, qui dum ad membra ſentientia deueniunt, dolorem, & rigorem excitant.

*Cauſa rigoris in hoc ægro ſtatuitur.*

Iam habemus ex dictis, quænam ſint rigoris cauſæ; nondum tamen manifeſtauimus cauſam rigoris in noſtro ægro. De obiectiua loquimur; nam alia ex facultate deprompta omnibus communis cenſetur. Sed cùm cruditatibus abundaret, multaque pituitoſa excrementa per vrinam excerneret, & tranſacto rigore non febricitaſſet, exiſtimaui eius rigorem ortum habuiſſe ex materia frigida, & ex vaporibus ab illa exortis. Neque vt elucerent humores crudi, & pituitoſi in noſtro ægro, parum iuuauit venæ ſectio antecedenter facta pro curatione ophthalmiæ, & doloris capitis; nam detracto ſanguine corpus infrigidatur, & quando humores crudi ſunt extra ſanguinis conſortium, vel ſupernatant, tunc quidem magis incrudantur: quod voluit ſignificare Auicenna, dum ait: *Caue ne ægrum ad vnum duorum perducas, &c.* Non enim potuimus excuſare venæ ſectionem, nam oculi dextri inflammatio, & capitis dolor ex ſanguine pendebant, & vrgebat neceſſitas euacuandi illum, adhibito priùs clyſtere, qui ventriculi & inteſtinorum cruditates, vt poſſibile eſſet, deponeret. Sed cùm oculi inflammatio, necnon dolor capitis ſedaretur, antequam ad humorum præparationem, & expurgationem deuenirem rigor acceſſit, qui inopinatè ſuperueniens fecit mutare conſilium.

Poterat in dubium reuocari, quænam in hoc morbo eſſet pars mandans; nam in rigore cùm humores moueantur ex vno loco in alium, neceſſe eſt conſtituere locum primum, in quo humores illi exiſtant, & ex illo ad partes ſentientes tranſmittantur; reddereque ſimul rationem, ob quam antea quieti in illo loco permanſiſſent, poſtea verò moti ad alia transferantur loca.

*Quænam eſſet pars mandans, & quare ex illa ad alias partes humor tranſmittebatur.*

Primo dubio ſatisfit, ſi dicamus quod non ſolùm in prima corporis regione cruditates redundabant, ſed etiam in ſecunda; nam inerat illi debilitas ventriculi, plurimaſque cruditates gignebat, quæ ad ſecundam regionem accedentes ineptæ erant, vt in ſanguinem, vel alium humorem naturæ vtilem conuerterentur; neque enim quod in prima coctione malè perficitur, poteſt in ſecunda emendari, ex Galen. 4. *de ſanit. tuenda, cap. vltim.* requirit enim quælibet coctio diſpoſitionem certam in re coquenda, quâ deficiente, nequit coctio vltimatè rem coquendam perficere. Redundabant ergo cruditates in prima, & ſecunda regione, necnon in veſſicca, quam læſam habuit à principiis generationis, & plurium excrementorum ſuſceptiuam; ea tamen excrementa renes calidi attrahebant, & ad veſſicam tranſmittebant, à quibus, vt exiſtimo, ortum etiam habuit rigor, communicatis vaporibus ex ipſis humoribus ad membra ſentientia. Itaque ex omnibus iis partibus mandantibus fuit facta humorum, & vaporum commotio, & agitatio, & expulſio ad partes ſentientes, in quibus dolorem, horrorem, & rigorem promouebant.

Neque eſt difficile reddere cauſam, ob quam humores hi quieti antea erant, poſteà verò in motum erumpunt; nam ad expulſionem alicuius humoris requiritur quod humor ſuis qualitatibus naturam ſtimulet, vel ſua quantitate aggrauet. Ita Galen. 2. *de different. febrium, cap.* 11. Quia ergo illi humores antea neque ſua qualitate, neque multitudine infeſtabant, ideo in parte quieti permanebant; non enim quælibet quantitas humoris ſufficit ad irritationem, vt patet in excretione vrinæ, quæ dum naturali modo excernitur, detinetur in veſſica, quouſque ſua quantitate aggrauet, ſuaque qualitate irritet. Pariter ergo dicendum de iis humoribus; quieti ergo permanent, donec ſuâ quantitate, qualitatéve aut vtroque ſimul infeſtent. Si igitur mouentur, & expelluntur, ideo fit, quia non poteſt eos ferre natura, atque adeò vt excrementitia, & nociua ea expellit. Hæc autem noxa potuit illis euenire adauctâ eorum quantitate, & diminuto corporis calore ex venarum ſectionibus præcedentibus pro ophthalmiæ curatione; nam medio ſanguinis calore quodammodo attemperabantur; ſanguine tamen detracto intenſiorem nacti frigiditatem, facti fuerunt obiectum facultatis ſecretricis, ſicque eos agitauit, truditque ad partes ſentientes, in quibus fuit ſubſequutus dolor, horror & rigor, vt dictum eſt.

*Quare ad rigorem non ſemper febris ſuperuenit.*

Sed reſtat explicare, quare ad rigorem non fuit ſubſequuta febris. Hoc punctum tetigi noſtro tractatu de febribus, ad illumque Lectorem remitto: pro nunc tamen dico, quod licèt apud Galeno antiquiores non inueniatur, quod fuiſſet rigor abſque febris ſucceſſione, vt ipſe Galen. aſſerit 2. *de cauſis ſympt. cap.* 4. *de inæquali intemperie capit.* 8. & deducitur ex Hipp. 1. *de morbis, text.* 7. aſſerente: *Mala porrò ſupra mala fieri neceſſe eſt, veluti ſi rigor corripuerit, ardor igneus ſuperuenit.* Nihilominus tenendum eſt, rigorem ſine febre aduenire poſſe, vt conſtat ex Gal. 2. *de febribus, cap.* 5. vbi ait: *Eſt autem aliquando ſine febre rigor.* Et *de inæquali intemperie, capit.* 8. ait: *Vidimus rigorem, quem nulla fuit ſequuta febris.* Libro etiam *de rigore, tremore, &c. cap.* 7. refert hiſtoriam cuiuſdam adoleſcentis, qui in Alexandria ex eſu glandium palmularum recentium, & immaturarum cecidit in rigorem per aliquot dies, non tamen febricitauit. Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *capite* 6. *cit.* ait: *Et multoties rigor accidit à phlegmate vitreo ſparſo in corpore, non perducens ad febrem.*

*Antiqui cognouerunt rigorem nulla ſuperueniente febre.*

Neque hoc ſolùm arbitramur verum, ſed quod etiam fuit rigor ſine febre ab antiquis cognitus, vt tenet Valleſ. 5. *controu. cap.* 17. nam illis temporibus aderant morbi ex magnis cruditatibus orti, ex quibus poterat inſurgere rigor non recaleſcens. Aderat ſimul pituita vitrea, quæ commota poterat excitare rigorem; neque illis temporibus erat tanta victus moderatio, vt exiſtimat Galen. 2. *de cauſis ſymptomatum cit.* vt non generaretur copia crudorum humorum, ſiquidem febres epialæ, & alij morbi à materia frigida prodeuntes tunc producebantur. Neque (vt ſæpe à nobis dictum eſt) propoſitiones Hipp. ſunt vniuerſaliter accipiendæ, ſed veniunt intelligendæ

telligendæ de iis, quæ plurimùm eueniunt; ſunt enim magis doctrinales, quàm vniuerſales. Vel dicere poſſumus, quod Hippoc. loquitur de rigoribus, qui pendent ex bile, ſeu ex cauſa calida, quibus frequenter ſuperuenit febris; non verò de eo qui ex frigida, aut extrinſeca cauſa originem trahit, qui ſæpè datur ſine febre ſuperueniente.

*Quare alicui rigori febris ſuperuenit, alteri verò minimè.*

Inquires, quare rigoribus aliquibus ſuperuenit febris, aliis verò minimè? Solutionem tradit Auic. loco ſuperiùs cit. dicens: *Cùm humor incipit putrefieri, incipit calefieri.* Quare cùm humores illi frigidi, & vapores difficilè putrefiant, hinc eſt, vt non excitent febrem: ſi verò putrefiant, non mirum, quod ſequatur febris; tanta enim poteſt eſſe humorum, & vaporum frigiditas, vt nequeat à calore vinci, vt Galen. refert 2. *de locis affect. cap.* 5. de pituita, quam vitream Praxagoras vocat, quæ adhuc extra corpus eiecta, tactu percipitur frigida, ita vt non poſſit vinci à calore, vt ipſe expertus in ſe fuit. Idem ergo cenſendum eſt noſtro accidiſſe ægro, qui plurimis ſcatens cruditatibus, & humoribus frigidis, à calore non potuit eorum euinci frigiditas.

*Præſagium in rigore.*

Quantùm ad prognoſticum ſpectat: *Si rigor ſuperueniat in febribus ardentibus, ægro iam debili exiſtente, lethale eſt*, ex Hipp. 2. *aphor. text.* 46. tunc etenim, & vt cauſa, & vt ſignum eſt malum, ex Galen. *in comment.* Vt ſignum, quia ſignificat naturam incipere mouere humorem ad expulſionem, & non poſſe expellere. Vt cauſa, quia in eo motu laceſſitur, & debilitatur facultas, quæ talem incipit humorum motionem. *Poſt rigorem non calefieri malum eſt*, ex Gal. *lib. de tremore, rigore, &c.* nam calor inter pugnam iam victus eſt. *Ex rigore refrigerationes quæ non recaleſcunt, malæ*, ex Hipp. 2. *prorrhet. text.* 31. illæ enim refrigerationes debilitatem virtutis oſtendunt, vt ait Galen. *in comment.* Item ſi rigor in febribus ardentibus ſexto die fiat, iudicium habet difficile, ex Hipp. 4. *aphor. text.* 29. non enim dies ſextus benè decernit, aut morbos iudicat, vt ſæpè oſtendit Galen. *in libro de diebus decretoriis. Quibus etiam in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur*, ex Hipp. 4. *aphor. text.* 63. A febre etiam ardente habito rigore ſuperueniente ſolutio, ex eodem 4. *etiam aphoriſmor. text.* 58. Sed quia rigores non recaleſcentes ab humoribus crudis ortum trahentes poſſunt aduenire abſque magna virium iactura, etiamſi non recaleſcant, non ideò lethales habendi ſunt. Cùm ergo vires ſuperſint, admittere remedia poſſunt, tam euacuantia, quàm calefacientia, quibus vſi fuimus in curatione rigoris, de quo loquimur.

*Rigoris non recaleſcentis curatio.*

Ad curationem peruenientes, debito regimine inſtituto per alimenta calefacientia, cùm ferè ſemper eſſet rigore, vel horrore correptus, calefacientia erant ex vſu, quæ rigores mitigant, ex Hipp. 5. *aph. text.* 22. *Rigoris remedium calefactio eſt*, inquit Galen. 2. *de cauſis ſympt. capit.* 5. Quapropter ei applicare iuſſimus lintea calida inter crura, & partibus extremis, quæ cùm exſangues, & frigidæ ſint, maximè offendebantur. Sed quia remedia calefacientia parum, aut nihil proficiebant, decreui illum humorem frigidum euacuare; nam iuxta regulas Medicinæ, priùs cauſam abſcindere debemus, deinde ad dyſcraſiam, ſeu intemperiem corrigendam deuenire, præſertim quia præcipuum cruditatum remedium eſt euacuatio, vt ait Gal. 2. *de alimentorum facult. cap.* 7. Veruntamen cùm cruditates venæ ſectionem impediant, vt ipſe aſſerit *de euacuandi ratione per ſang. miſſionem, cap.* 6. opus fuit ei offerre medicamentum, quod non ſolùm primam repurgaret regionem, ſed etiam ſecundam, ipſos humores craſſos priùs attenuando & calefaciendo. Quapropter ei obtulimus ſyrupum de ſucco roſarum, & fumariæ, cum pauco oxymelite, ſuperadditis guttulis aquæ cinnamomi ex deſcriptione Mathioli, ſuperbibitâ aquâ calidâ ſaxifragæ Indicæ, & cinnamomi. Bibebat inſuper eandem aquam calidam, & inter prandendum parum vini albi generoſi. Purgaui breuiter ipſius humorem hac potione. ℞. agarici trochiſc. ℈. ij. fiat infuſio, & expreſſio ſecundum artem in ℥. ij. ß. decocti Pugini, & colaturæ adde ſyr. perſici ſennati ℥. ij. ß. diacathol. ℥. ß. pulu. aromat. roſarum g̃. vj. miſce. Hoc remedio purgauit feliciter, parumque alleuiatus fuit. Deinde ad remedia reſoluentia interiùs, & exteriùs adhibita deuentum fuit.

*Calefactio, ſudor, & vomitus rigorem curant.*

Interiùs aſſumebat quotidie decoctum ſaxifragæ indicæ, aniſi, & cinnamomi calidum, quantitate ℥. vij. & cooperiebatur veluti ſi præpararetur ad ſudorem: *Remedium ſiquidem ad rigorem, calefactio, ſudor, & vomitus, &c.* ex Gal. 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 5. *citato.* Exteriùs inungere iuſſimus dorſum cum oleo rutæ, chamæmali, & lilij, & modico aquæ vitæ, & theriacæ magnæ; ex præcepto enim Auic. hæc, vel ſimilia adminiſtrari debent. Sed quia ob multam pituitam viſcidam, & ſalſam, quâ in veſſica abundabat, exiſtimabam, quod veſſica inter reliquas partes habebat rationem partis mandantis, viſum fuit mihi circa eandem partem apponere veſſicam ſemiplenam decocto rerum calefacientium, videlicet rutæ, chamæmali, meliloti, aniſi, fœniculi, dauci, ameos, radicis, & ſeminis peoniæ, radicum iridis, & altheæ, de capparis, & ſimilium, vt ſic vapores, & humores, qui in membra ſentientia diffundebantur, ad reſolutionem deuenirent, ſimulque humor in veſſica detentus reſolueretur. Ad idem valet ſpongia eodem decocto calido madefacta, expreſſa, & eidem parti admota. Vnguenta ſimiliter parauimus ad eandem partem, ex eiſdem oleis ſuprà traditis. Valet ad idem oleum coſtinum, de pipere, aut de caſtoreo, vel vnguentum dialtheæ, & de Agrippa, & ſimilia. Quod ſi adhuc iis rigor non ſedatur, ſcire oportet, quod humor non eſt ſufficienter euacuatus, oportebitque iterum euacuare; neque humores craſſi facilè cedunt medicamento purganti, neque ita ſunt diſpoſiti, vt ſimul vnicâ euacuatione ſint contenti. Quapropter non ſemel, ſed bis aut ter tentanda eſt euacuatio. At noſter æger vnica purgatione, cum aliorum remediorum adhæſu, fuit omnimodè liberatus, neque fuit neceſſe bis ei medicamenta purgantia offerre.

*Rigoris curatio ex calore.*

Quod ſi ab humoribus, & vaporibus calidis ortum ducat rigor, magis temperata conueniunt, quia ferè ſemper ſuperuenit febris, & nimis calefacientium vſu ipſa adaugebitur; neque pro eorum ratione purgamus tantùm, ſed habito reſpectu ad febrem ex illo ſubſequutam, in qua non ſemper datur locus purgationi; ſed debemus expectare occaſionem, in qua detur coctio humorum, dummodo non ſit vrgens neceſſitas, quæ Medicum cogat ante tempus coctionis medicamentum purgans propinare.

*Curatio rigoris procedentis à cauſa extrinſeca.*

Si verò rigor ſuperueniat occurſu cauſæ extrinſecæ, illius ablatione, & contrarij applicatione aufertur: verbi gratiâ ſi cauſa frigida excitat rigorem, ex ipſius appoſitione ſupra vlcus, eius detractione, & calefactione per contraria aufertur; nam vt diximus ex Hipp. 4. *aphor. text.* 22. *Calida ſuppuratoria rigores, atque conuulſiones delent.*

*Curatio rigoris in febribus debili ægro exiſtente.*

Tandem ſi in febribus lethalibus, ægro exiſtente debili rigor ſuperueniat, qui vires diſſoluit, omni arte curandum eſt vires reparare iis, quæ facillimè nutriunt, vt ſic facilè ſpiritus vitales, & animales reſtaurentur; idque aſſequimur potionibus, & diſtillationibus alimentitiis, necnon rebus odoriferis,

iuxta

iuxta dictum Hippocrat. *lib. de alimento*, vbi: *Qui celeri* (inquit) *egent appoſitione, per epota; qui adhuc citiori, per odorata.* Imò & alimenta extrinſecus admota iuuare ſolent, quo caſu caro aſſa gallinæ, vel veruecis irrorata modico vino generoſo, & pulueribus diarrhod. Abb. & aromatici roſarum puluerizata, & vmbilico, & ventri appoſita prodeſt; tempore enim neceſſitatis omnia ſunt communia, & alimenta forinſecus applicita iuuant, ex eodem Hippoc. *loco cit.* Neque iis ſolùm, ſed ſemper pugnandum eſt contra morbum febrilem, ſimul membra principalia roborando. Quod ſi ſudor ſuperueniat magis naturam diſſoluens, compeſcendus iis eſt, quæ in curatione tertianæ ſyncopalis minutæ propoſuimus, pulueribus adſtringentibus per totum corpus ſparſis, & ipſi ſudori admixtis, ſimulque aër attemperandus flabellatione, & irroratione aquæ roſarum, necnon ſparſis per cubile frondibus myrtorum, vitium capreolis, & roſis, ipſiſque pauimentum conſternendo, & alia adhibendo, quæ quiuis ibi legere poterit.

## §. II.

### *Vtrum poſſit dari febris ex putredine ſeri. Vbi agitur priùs de ſeri natura, & vſu.*

LIcet à pluribus Authoribus antiquis, & recentioribus actum ſit de ſeri natura, & proprietatibus, qui etiam abundè de illius vſu in curatione morborum pertractarunt; circa ſeri naturam, & conditiones tamen diſcrepant: quid tamen de ea ſentiam, breuiter adaperiam, non vt meum placitum amplectar, ſed vt aliorum ingenij acumini ſubiiciam, & vt quæ narro penſitent, & de ſingulis quid ſentiant, dicant; præſertim cùm non ſolùm ſim contentus iis, quæ ab Authoribus accepi, ſed mei intellectus argutie motus, noua inueſtigare cupiens, in animum induxi inquirere, an ſicuti ex humoribus putreſcentibus fiunt febres putridæ, ita ex ſeroſitate humorum ad putredinem tendente inſurgat febris de putridarum genere; quod non inueni ſcriptum apud Authores, quos ego legerim. Scio equidem hoc mihi poſſe tribui ſuperbiæ, non tamen amor, ſeu propriæ excellentiæ appetitus me mouet, in quo ſuperbia conſiſtit, ſecundùm Diuum Auguſtin. *libro* 14. *de ciuitate Dei.* Antiquos veneror Authores, & modernos, meamque confiteor ignorantiam, & forſan dubito, quia rem, vt ipſi, non calleo, ſicque aliter ſentio; nam vt inquit Ouid. 1. *Faſt.* & 3. *triſt.* *Quid ſit ſuperbia.*

*Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra*
*Pectora pro facto ſpemque, metumque ſuo.*

Et vt ait Plautus *in Amph.*

*Qui non delinquit, decet*
*Audacem eſſe, & confidenter pro ſe, & proterue loqui.*

Benè quidem ſcio, quod Horatius 1. *epiſt.* 18. percunctatorem fugere nos docet; nam vt ait Corn. Gallus, *Euentus varios res noua ſemper habet.* Ego autem in præſenti nihil nouum affero, ſed ſolùm nouiter in dubium reuoco id, quod anteà plurimis annis forſan accidit, & nondum ab aliis fuit pertractatum: dubito non quod alij ignorarunt, ſed quod ipſi non diſputarunt. Hanc autem diſceptationem libenter accipio; poterit enim Medicis, & ægris aliquam præſtare vtilitatem, neque aliquis error, aut noxa ex ipſa inſurgere poteſt. Amplector in hoc Ouidij ſententiam 3. *de Pont.* 4. vbi ait:

*Eſt quoque cunctarum nouitas gratiſſima rerum.* *Rerum nouitas gratiſſima.*

Ad propoſitum igitur redeuntes, vt clariùs procedamus, quid ſerum humorum ſit, breuiter, quaque temperie conſtet, manifeſtum reddam; deinde quibus morbis poſſit eſſe ex vſu. Denique an ex ipſo putreſcente poterit inſurgere febris putridæ quartum genus. Quibus explicatis, alia etiam referam ad medicinæ praxim neceſſaria. *Quid tractandum exponitur.*

Circa primum reuocatur in dubium, quid ſit humorum ſerum; omiſſis tamen plurimis, quæ ab aliis ſunt diſputata, breuiter dicendum, quod in qualibet coctione, quæ in noſtris corporibus celebratur, ad minùs duo excrementa reſultant; tenue vnum, alterum craſſum. Ita Galen. 1. *de ſanitate tuenda*, & 3. *methodi*, *capite* 2. Quia ergo ſecunda coctio celebratur in hepate, in quo maſſa ſanguinis generatur, ibi generatur bilis, quæ eſt tenue excrementum, quod ad veſſicam felleam ducitur; & humor melancholicus fæx ſanguinis dictus, excrementum craſſum, quod liene trahitur; ſimulque ſeroſum excrementum, quod ſegregatur vi attractrice renum; quod dum vi renum ſegregatur, & per veſſicam vrinariam, & pudenda defertur, dicitur lotium, ſeu vrina, quæ ſe habet vt ſignum ad demonſtrandum ea, quæ ſunt in venis. Propterea que definitur vrina communiter per hoc, quod ſit ſerum humorum exiſtentium intra venas, quod calore confectum eſt in iecore, ſubſtantiâ, & contentis conſtans, Medico contemplabile. Idemmet ſerum ſudoris modo per corporis poroſitates expellitur, eſt enim eadem materia ſudoris, & vrinæ, vt docet Gal. 10. *de ſimpl. med. facult. capite hydros.* Loquor non de materia proxima, ſed de remota. Idem etiam ſerum, dum quis luget, aut ridet nimis, per oculos in lachrymarum forma eiicitur. Similiter cùm lac è mammis effluit, vel ſugitur, ſeroſa pars ſimul extrahitur; eſt enim in lacte triplex ſubſtantia, caſeoſa, butyroſa, & ſeroſa, ex Gal. 3. *de aliment. facult. cap.* 15. Denique in venis remanet ſerum humorum, vt ſit eorum vehiculum; neque enim ad partes nimis diſtantes, & earum poroſitates ad nutritionem humores peruenire poterant, niſi ſeri adminiculo quodammodo fluxibiliores redderentur. Quod quidem ſerum, dum ſemel ſuo functum eſt officio, vel ſudoris modo, vel inſenſibiliter euacuatur per ſpiramina cutis, vt dictum eſt. *Quid ſit ſerum humorum.* *Vrina quid ſit.* *Sudoris, & vrinæ eadem eſt materia.* *In lacte triplex datur ſubſtantia.*

Ex iis facilè percipimus, quod ſerum eſt excrementum ſecundæ coctionis, quæ in hepate peragitur; quod quidem probat Galen. 1. *de ſanitate tuenda*, *capite* 12. neque hoc eget probatione, cùm iam ferè ab omnibus ſit receptum. Ita Author libri *de definitionibus medicis.* Actuar. *de vrinarum differ. cap.* 5. Montanus *lib. de excrementis*, *cap.* 1. *Serum eius coctionis ſit excrementum.*

Circa materiam, ex qua generatur ſerum, diſcrepant Authores; illud tamen inter aquæ genera conſtituunt. Ariſtot. 4. *meteororum*, *cap.* 5. *Aquæ genera* (inquit) *habent vinum*, *lotium*, *ſerum*, &c. Idem ſtatuit *cap.* 7. *eiuſdem libri*, & 3. *de partibus animal. cap.* 8. ex quibus deducunt, quod ſerum eſt aqueum, ita vt eius materia ſit potulenta ſubſtantia. Quod confirmare viſus eſt Gal. 10. *ſimplic. capite hydros*, *ſeu de ſudore*; vbi agens de vrina, quæ ab huiuſmodi ſero non diſtinguitur, afferit, quod generatur ex bibito humore, & billoſæ ſubſtantiæ non nihil adepto. Idem *libro de atra bile*, *capite* 2. & 4. *de vſu partium*, *cap.* 8. atque adeò quantitas vrinæ debet proportionari quantitati potulentæ ſubſtantiæ, vt ipſe dictat 4. *de vſu partium*, *cap.* 4. & *cap.* 5. *Seri materia proponitur.*

Mihi tamen videtur, ſerum non ſolùm ex potulenta ſubſtantia alterata fieri, ſed etiam ex humorum ſero: quod facile intellectu eſt; nam non poteſt negari, quod humorum ſerum eſt nutritioni ineptum, quod cùm redundat, euacuari debet eo modo, quo dictum eſt, & per regiones ad hunc finem à natura deſtinatas. Quod verò remanet in venis, deſeruit ad humorum diſtributionem. Sunt enim multa cibaria liquida, vt iura, lac, & ſimilia, quæ quodammodò aquea dici poſſunt, ex quibus humores generantur, & ſerum, licèt non aliquid potulentum ſumatur; habent enim ſimul cibi, & potus rationem, ſicque in hepate per illius coctionem iſtud generatur ſerum: & hoc modo eſt intelligendus Gal. quando *loco ſuperius cit.* dixit, quod quantitas vrinæ debet proportionari quantitati potulentæ ſubſtantiæ, nomine cuius non ſolùm intelligimus eam, quæ verè talis eſt, vt aqua; ſed etiam quamlibet, ex qua ratio potus deſumi poteſt, vt lac, vinum, ſucci, ſtillatitia iura, & quæcumque ſimilia, ex quorum oblatione, etiamſi nihil bibatur, multùm ſeri gignitur, multaque vrina excernitur, quæ idem eſt cum ſero. Neque hoc ſolùm verum tenet in cibariis liquidis, & humidis, ſed in ſiccis, & terreæ naturæ; nam alimentum non poteſt eſſe ita homogeneum, quod non habeat excrementa craſſa, quæ per aluum deponantur; & aliqua tenuia, quæ in ſerum conuertantur, vt ſtatuit Galen.4. *ſimpl. cap.* 3.

*In quolibet liquore inuenitur duplex ſubſtantia aquea.*

Vt hoc tamen magis pateſiat, notandum eſt ex Galeno proximè citato, quod in ipſis liquoribus, vt in vino, & oleo, &c. inueniuntur duæ ſubſtantiæ aqueæ, vna communis, & excrementitia, & alia propria, informata eadem formâ, quâ & ipſe liquor, quæ dicitur pars aquea ipſius liquoris; nam cùm liquor ſit verè mixtum, habere debet partes elementis correſpondentes, materiales ſaltem, ita vt habeat etiam quæ correſpondent aquæ: idque Gal. exemplo ex vino deſumpto probat, dum ait: *Vinum namque dicimus, vnum quidem habens in ſe recrementum craſſarum partium; vnde dum temporis ſpatio ſecernitur, fertur que, deorſum fæx conſiſtit. Aliud verò ſecundum, quod flos nuncupatur, quod dum vinum feruet, ſupernatat. Tertium aqueum, quod toti vino permixtum eſt; hoc primariò, potiſſimumque feruet. Quartum præter hæc, eſt ipſum reuerà vinum, &c.* Ecce qua ratione diſtinguit ſubſtantias excrementitias ab ipſo vino, inter quas annumerat ſubſtantiam aqueam, ſeu ſeroſam, ab ipſo vino diſtinctam, quæ ſeparatur à vino, quando vinum feruet, & magis ſincerum, & purum redditur; & hæc eſt etiam ratio, quare temporis diuturnitate vinum, imò & oleum fit potentius, conſumptione ſcilicet, & ſeparatione huius ſubſtantiæ aqueæ, ex cuius præſentia vini, & olei virtus refrangitur, eaque ſeparatâ vinum potiùs, & oleum perficitur. Neque ob aliam rationem pharmacopolæ aquas ſtillatitias, & liquores, ſeu ſuccos ex herbis extractos ad ſolem exponunt, niſi vt excrementitium deponant, & ſolis calore abſumatur. Idem proportionaliter eſt dicendum de humoribus, qui generantur in noſtro corpore, qui præter partes aqueas, quibus conſtant, quæ eadem forma ſubſtantiali informantur, ac ipſi humores, cuius ſunt partes, habent inſuper ſubſtantiam ſeroſam, excrementitiam, nimis diſtinctam à partibus aqueis humorum naturam integrantibus. Idem venit aſſerendum de lactis ſero, quod non eſt de integritate lactis; nam in lacte reuerà reperitur ſubſtantia butyroſa, & caſeoſa, & vnaquæque ſuas partes aqueas diſtinctas habet à ſero; nam ex illo, & ſubſtantiis caſeoſa, & butyroſa reſultat quoddam aggregatum, quod lac nominatur, veluti ex humoribus reſultat

A aggregatum appellatum ſanguis, ſeu maſſa ſanguinaria.

*Serum eſt ſubſtantia mixta.*

Cognitâ ſeri materiâ, & quod eſt excrementum ſecundæ coctionis, ſiquidem omnes conueniunt, quod iſtud ſerum eadem coctione, per quam generantur humores, fit; etiam fatendum eſt, quod eſt mixtum, aliter enim non poterat coctione produci; excrementa enim per eandem actionem producuntur, per quam producuntur ſubſtantiæ, quarum ſunt excrementa: & cum receptum ſit, iuxta magis probabilem ſententiam, quod humores in hepate generantur, idem eſt ſtatuendum de ſero, quod eſt illius coctionis excrementum, & propterea agentes de vrina diximus, quod modus ſubſtantiæ mediocris illius indicat coctionem, quia talem modum actione adquiſiuit; neque vllus mentis compos dicere audebit, quod ſerum, quod extrahitur à lacte, ſit ſolùm aqua alterata tantùm; ſed quod eſt mixtum aqueum, ſicque eſt capax coctionis, & pu-
B tredinis, quæ ſunt paſſiones mixtorum; nam vt *libro 5. de febribus*, probauimus de cauſis peſtis pertractantes, nullum elementum quà tale, poteſt ſubire coctionem, vel putredinem.

*Vtrum ſit vnum ſerum pro omnibus humoribus.*

Sed quia dictum eſt, quod ſerum eſt quid diſtinctum ab humoribus, meritò dubitatur, an pro omnibus humoribus detur vnicum ſerum, vel in quolibet humore reperiatur ſuum ſerum à quolibet alio diſtinctum, ita vt ſint quatuor ſera. Quod verò ſit vnum ſerum pro omnibus humoribus, probat Valleſ. *compendio de vrinis.* Primò, nam ex oppoſito ſequeretur, ſemper vrinam apparere rubram, cuius contrarium obſeruatio demonſtrat. Sequela patet, quia maioris copiæ humoris eſt maior copia ſeri. Quia ergo ſanguinis eſt maior copia, illius erit plus ſeri; atque adeò cùm ſerum ſanguinis referat ſanguinis colorem, neceſſariò vrinam rubram efficiet.
C Secundò, nam totius lactis, etſi ex diuerſis ſubſtantiis ſit compoſitum, tantùm eſt vnicum ſerum: ergo totiùs maſſæ ſanguinariæ, etiamſi ex diuerſis humoribus ſit compoſita, erit tantùm vnicum ſerum. Tertiò, nam ſi ex pluribus ſeroſitatibus ſerum conſtitueretur, ſequeretur quod eſſet vnum per accidens, ſi quidem ex pluribus inter ſe diſtinctis componitur, atque adeò non poſſet definiri. Tandem ſerum ſit ex parte aquea alimenti: ſed alimentum, ex quo generantur quatuor humores, poteſt eſſe vnum: ergo & ſerum genitum ex illo.

*In quolibet humore reperitur vnum ſerum.*

Pro alia parte ſtat etiam ipſe Valleſius 3. *controu. cap.* 18. vbi aſſerit, quod cuicumque humori ex quatuor in iecore genitis reſpondet ſuum ſerum. Quam ſententiam in hac parte vt veriorem amplector, quæ fundatur in verbis Galeni 2. *prognoſt. textu* 27. aſſerentis vrinam eſſe rubram, quia multùm ſeri ſanguinis deſcendit: idque expreſſiùs docet 2. *de*
D *natural. facult. capite vltimo*, & 4. *de ſimpl. medicam. facultat. capite* 3. vbi docuit in quolibet liquore dari ſeroſam ſubſtantiam diſtinctam ab ipſo liquore: quæ ſententia pateſit ex argumentorum ſolutione. Quare ad primum reſpondetur, non benè inferri, Eſt plus ſanguinis: ergo plus ſeri illius; quia licèt ſit plus ſanguinis, quàm reliquorum humorum, eſt tamen magis denſus, & craſſus, & ſic minùs ſeri continet: humor verò, qui ſanguine eſt aquoſior, qualis eſt pituita, licèt illius minor detur copia, plus habet ſeri, quàm ipſe ſanguis. Quapropter non infertur, quod vrina ſemper appareat rubra. Vel ſecundò dic, quod licèt daretur plus ſeri ſanguinis, non tamen inde ſequitur, quod ſerum ſit coloris rubri; nam quodlibet ſerum habet aqueam naturam perſpicuam, & lucidam; tingitur tamen à portione bilis, quæ illi admiſcetur, dum ſerum perficitur, & elaboratur in hepate,

quæ

quæ bilis portio deſeruit, vt ſerum magis penetret, & vehiculum alimenti ad penitiſſimas partes meliùs officium exerceat, ſicque ſerum, & vrina habet in ſtatu naturali illum colorem ſubflauum, ob mixtionem ſcilicet bilis, ratione cuius fit ſerum ſalſum, imò & amarum, vt docuimus *lib. 2. de intern. morbor. cur. cap. de lachrymarum effluxu*; nam ex tribus cauſis, à quibus ſalſum procedit, vna eſt permiſtio amaræ bilis, vel alterius rei amaræ cum humiditate; verumtamen ſi rei amaræ quantitas, quæ admiſcetur, multa ſit, non ſolùm ſalſum, ſed amarum ſaporem gignit. Ita Auicenna *fen. 1. lib. 1. doct. 4. cap. 1.* ex quibus facilè colligitur, quod ſerum non retinet colorem humoris à quo deriuatur, quia non eſt illius pars. Quapropter ſi fortè alium adquirit colorem, id euenit ob permixtionem humoris talem colorem habentis, vt ſæpè experimur in multis morbis, in quibus vrina oſtendit humorem prædominantem, quia vrina ab eo tingitur humore; non tamen eam habet tincturam ex propria illius natura.

*Quomodo ſerum ſit ſalſum.*

*Serum non retinet colorem humoris, cuius eſt ſerum, & quare.*

Ad ſecundum dic, quod ſi partes lactis ſunt diſtinctæ ſecundùm ſpeciem, veluti ipſi humores in maſſa ſanguinaria, conſequenter dicere debemus, quod cuicumque ſubſtantiæ, quæ datur in lacte, debet correſpondere ſuum ſerum; at ſi illæ ſubſtantiæ non differunt ſubſtantialiter, tantùm illis correſpondere debet vnicum ſerum. Verumtamen cum humores ſpecie differant inter ſe, debent etiam habere diuerſa ſera.

Ad tertium reſpondetur negando ſequelam; nam etſi humores ſpecie differant, illorum tamen ſera ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſic non conſtituunt ens, ſeu aggregatum per accidens; etenim habent ſe ſicut plures partes aquæ, quæ ſi inter ſe coniungantur, conſtituunt vnum per ſe continuum, quia omnes partes aquæ ſunt eiuſdem rationis. Idem proportionaliter ſtatuendum eſt de ſeroſitatibus humorum, quæ ſimul iunctæ, vnum conſtituunt per ſe, quod ſerum vocamus.

Ad vltimum reſpondetur, quod eadem ratione, quâ in iecore ex vnico alimento quatuor generantur humores, pariter quatuor ſera gignuntur illis correſpondentia.

## §. III.

### *Seri proprietates referuntur.*

Hucuſque actum eſt de ſeri natura, & generatione; reſtat nunc illius propriam temperiem, & conditionem inueſtigare; aliter enim non poſſumus illud adaptare morborum curationibus. Ariſt. 4. *meteororum*, inter ea, quæ frigore condenſantur, ſerum enumerat; ex quo ſequitur, quod ſit frigidum, cui adſtipulatur Gal. 4. *ſimplic. cap. 16.* vbi expreſsè ait, ſerum frigidum eſſe, & humidum, propterea que in affectibus calidis, & hepatis, & renum intemperie, vtile eſſe cenſetur, & quotidie adminiſtratur. Contrarium tuentur plures, inter quos Meſuë, Auic. Oribaſius 2. *ſynopſis*, qui calidum, & ſiccum eſſe ſerum teſtantur; neque horum opinioni aduerſatur Gal. 3. *de aliment. facultatibus, cap. de oxygalacte*, in quo lac habere acrimoniam, & caliditatem à ſero ſcripſit; & *cap. 15.* eiuſdem libri docet lac elixare, vt conſumpto ſero acrimoniam lac deponat; & Medici in lac aquam iniiciunt, vt omnis acrimonia à lacte remoueatur. Quæ omnia oſtendunt, lac ratione ſeri habere calorem, & mordacitatem. Accedit ad hoc ſerum detergit, quod deobſtruit, & attenuat, & purgat; qui effectus à calore originem trahunt. Lege Auic. *fen. 18. 3. tract. 2. c. 3.* & *lib. 2. tract. 2. c. 127.* Ioan. Bapt. Cortes *miſcell. medicin. decade 8.* volens conciliare Galeni loca, & Authores, aſſerit quod dupliciter conſiderari poteſt ſerum, vel dum generatur, vel dum fugitur, aut extrahitur ex lacte. Si primo modo, procuidubio videtur eſſe calidum; at ſi conſideremus ipſum cum tranſmutatione ſanguinis, quæ in mammis fit pro lactis generatione, fatendum eſt, ipſum frigidum, & humidum eſſe. Quod ſit humidum, conſtat; nam eſt ſuâ ſubſtantiâ fluidum, terminaturque termino alieno, ſicque actu, & potentiâ humidum. Quod verò ſit frigidum, etiam conſtat; nam cùm in glanduloſa mammarum ſubſtantia, quæ frigida eſt, alterationem ſubeat, neceſſariò debet euadere frigidum; ita vt ſerum, quod ſeparatur à lacte, frigidum, & humidum ſit. Hinc Coſteus aſſerit, quod quamuis ſerum, quod ex lacte extrahitur, ſit illud, quod priùs ſanguini inerat, in coctione tamen, & elaboratione, quam in mammis adquirit, deperdit multùm ſalſedinis, & mordacitatis, quam adquiſiuit in iecore ex permixtione bilis, ita vt non remaneat fermè ſaporis aliquod veſtigium; benè tamen in ipſo aliquid bilis remanet, ſiquidem habet detergendi facultatem; atque adeò concludit, ſerum lactis, quod eſt in medicinæ vſu, eſſe frigidum, & humidum cum aliquali leui caliditate.

*Cortes ſententia circa ſeri temperiem.*

Hic tamen dicendi modus non videtur omninò probabilis; nam ex eo, quod generetur ſerum per coctionem ſimul cum humoribus, & ab hepate ſuâ naturâ calido, non inde poteſt inferri, quod ſerum ibi genitum adquirat calorem dominantem; nam pituita, & melancholia ſunt humores frigidi, & eadem iecoris facultate ſimul geniti; & vt ſuprà diximus, ſerum eſt ſubſtantia aquea: quare ſi ex portione ſubſtantiæ frigidæ alimenti in hepate generatur humor frigidus, meliùs poterit ex aquea ſubſtantia ſerum reſultare frigidum. Neque obſtat aſſerere, quod nonnihil bilis admiſcetur, cuius ratione calidum ſit; nam ea bilis portio eſt parua, quæ nondum poteſt ſerum efficere amarum, neque calidum; non enim in tam parua quantitate ſuo calore poteſt euincere frigiditatem tanti ſeri, quod ex ſe aqueum, & frigidum eſt. Ex quo infero, quod ſerum in ſuo naturali ſtatu ſemper eſt frigidum. Neque benè probat eſſe humidum actu & potentia, quia terminatur termino alieno; nam quod benè terminatur alieno termino, potiùs debet dici fluidum, quàm humidum; nam plura ſunt actu, & poteſtate ſicca, quæ quidem terminantur termino alieno, vt argentariorum aqua, aqua ſublimati, aqua vitæ, oleum ſulphuris, vel vitrioli: quæ omnia etſi fluida, ſiccant. In humoribus etiam bilis, & melancholia ſiccandi vim habent.

*Cortes ſententia non omninò vera.*

Dices, non implicare, idem corpus eſſe actu humidum, & poteſtate ſiccum: quod conſtat in humoribus, qui omnes definiuntur per hoc, quod ſint corpus humidum, & fluidum; & nihilominus bilis, & melancholia ſunt poteſtate talia.

*An idem corpus poſſit eſſe actu humidum, & poteſtate ſiccum.*

Huic reſponſioni nunquam aſſentire potui, inuenio enim in ea euidentem contradictionem; implicat enim, quod aliquod corpus actu habeat naturalem qualitatem excedentem, & quod ei qualitas oppoſita naturaliter conueniat, hoc eſt, quod habeat in ſe virtutem producendi talem qualitatem in præſentia qualitatis oppoſitæ actu exiſtentis. Ratio quâ ſuadeor, eſt; nam vnumquodque operatur per qualitates, quas actu habet: igitur ſi corpus actu habet humiditatem (v. g.) neceſſariò humectabit corpus temperatum, cui applicatur: ergo non poterit operari per ſiccitatem, quam poteſtate habere fingis. Vlteriùs, quodlibet corpus humidum tale euadit, quia in ipſo adeſt prædominium partium, quæ correſpondent elemento aëreo, vel aqueo: ergo tale

tale corpus habens temperiem ortam iuxta talium partium prædominium, operabitur per talem temperiem prædominantem: ergo non habet in ſe virtutem producendi ſiccitatem excedentem ei contrariam; nam hæc ſiccitas ei contraria petit, vt fiat, prædominium partium, quæ correſpondent elementis ſiccis; implicat autem, quod in eodem ſubiecto reſpectu earumdem partium ſimul detur dominium partium exſiccantium, & humectantium; atque adeò, quod eſt actu ſuâ naturâ humidum, nequit eſſe poteſtate ſiccum; & idem ſtatuo de corpore frigido reſpectu caloris, & è contra. Denique humiditas eſt magis actiua ſiccitate, vt omnes Philoſophi dicunt: ergo impoſſibile videtur, quod in præſentia humiditatis ſiccitas valeat corpus exſiccare; moueretur enim tunc etiam illud corpus duobus motibus contrariis, quod neutiquam eſt admittendum.

*Fluxibilitas in humoribus à quo principio eueniat.*

Quod ſi dicas, corpora fluxibilitatem habere ex dominante aqua, atque adeò debere eſſe humida; ego dicam ob hanc rationem etiam omnia corpora fluxibilia debere etiam eſſe frigida; neque oportet, quod ſi aliquod elementum prædominetur quantùm ad virtutem motiuam, prædominetur etiam quantùm ad primas qualitates, vt patet in pluribus corporibus, quæ grauia ſunt; & tamen ſunt calida, & ſicca; & licèt ad fluxibilitatem ſit aliqualis humiditas neceſſaria, non tamen omnia quæ excedenter ſunt humida, fluitant, vt lactuca, opium, papauer, cucumer, & huiuſcemodi alia. Quapropter non benè infertur, Terminatur termino alieno: ergo eſt humidum; benè tamen, Eſt fluidum. Quapropter dum Doct. Garc. Carrerus & Sancta-Cruz explicant eam particulam *humidum*, in definitione tradita ab Auicen. de humoribus, aiunt humidum, & fluidum idem ſignificare, & vnum poni ad alterius explicationem. Corroborant ſuum placitum ex Gal. 1. *de nat. humana*, *comm.* 39. aſſerente, humores eſſe calidos, frigidos, humidos, & ſiccos per excellentiam, id eſt ſecundùm prædominantem qualitatem; aliter enim illa particula, *per excellentiam*, explicari nequit. Deducitur ergo, quod non omne fluidum eſt actu, & poteſtate humidum, neque ratione fluxibilitatis tantùm id poſſumus affirmare de ſero.

*Serum eſt frigidum, & humidum.*

Quid ergo huic difficultati reſpondendum? Dicam breuiter quid ſentiam; ſi tamen à veritate deuiarim, totam rem Doctorum correctioni ſubmitto. Dico ergo primò, ſerum à lacte extractum, quo vtimur ad morborum pulſionem, eſſe naturâ ſuâ frigidum, & humidum; in quo conuenio cum Gal. 4. *ſimplic. cap.* 16. quem ſequitur Cortes *loco prællegato*. Horat. Augen. 7. *epiſt. epiſt.* 1. Ratio ſuprà tradita eſt; fit enim ex potulenta ſubſtantia, & ex ſero humorum, quod ad aqueam naturam reducitur, vltimoque elaboratur in mammis, quæ ſuâ naturâ frigidæ ſunt; & ſicuti mammæ ex ſanguine calido gignunt lac frigidum, vel minùs calidum; nam lac eſt in medio pituitæ & ſanguinis, vt ait Gal. 5. *ſimplic. cap.* 21. ſic ſimiliter attemperant ſerum, ita vt in mammis deponat fermè totam ſalſedinem, & acrimoniam, quam in iecore accepit, dum fuit genitum, & cum bile permixtum. Benè tamen dum per coagulum ſeparatur à ſero, poterit aliquo modo qualitatem calidam, vel magis frigidam adquirere, iuxta coaguli frigidi, vel calidi naturam; quod libenter admitto, licèt parum qualitatis illius adquirat; nam ferè tota vis illius in lacte, quod coagulatur, recondita manet; hîc tamen temperiem naturalem ei debitam quæro, non illam, quæ extrinſecus aduenit. Comprobo hoc placitum ex modo vſitandi in medicinis; nam eo ſæpè vtimur ad infrigidandum, & corrigendam caliditatem, & ſiccitatem hepatis, & aliarum partium; ad temperandas febres, & ſedandos dolores ex cauſa calida, vt dum de eius vſu erit infrà ſermo, notum fiet.

*Lac est in medio pituitæ, & ſanguinis.*

*Lac deiicit aluum.*

Dices ex Gal. 3. *de aliment. facult. cap.* 15. quod lac deiicit aluum, ob acrimoniam ſeri. Et *libro de melancholia* docet, quod confert ſero lactis aluum lenire; hoc autem opus perficitur ratione caloris: calidum ergo debet eſſe ſerum, quod etiam tollit obſtructiones, detergit, attenuat, & alia efficit, quæ calori debentur? Reſpondetur, id ei euenire dupliciter; detergit enim, & abluit. Primò, quia liquidum, & aquoſum eſt; nam ſordes detrahere non ſemper eſt caloris opus, vt experimur in aqua, quæ ſua ablutione detergit; & in ſucco limonis, quo veſtium ſordes auferri ſolent. Secundò ei accidit ob mixtionem bilis, quâ redditur ſalſum; ſalſa enim habent vim penetrandi, & abſtergendi, vt experimur in aqua marina, & in muria, quæ nimis abluunt, & abſtergunt; & licet in mammis quodammodo bilis fuit contemperata, vt ſuprà diximus, non tamen ex toto fuit euicta, neque omnimodè eius ſalſedo detracta. Neque ex eo, quod ventrem ſubducit, colligas eſſe calidum; id enim facit ventrem leniendo, & ſua nitroſa qualitate abſtergendo. Similiter deobſtruit, ob vim penetrandi adquiſitam ex bilis permixtione, ſicuti acetum penetrat ob vini partes tenues, quæ in ipſo reſeruantur aceto.

*Quare ſerum frigidum cum ſit, detergit, purgat, & abluit.*

*Serum remanens in corpore ad mammas non perductum, minùs frigidum.*

Dico ſecundò, quod ſerum, quod remanet in venis, & per vias vrinarias excernitur, licèt frigidum ſit; non tamen habet eam frigiditatem, quæ reperitur in ſero ex lacte extracto; & hoc modo venit intelligendus Galen. *lib.* 3. *de aliment. facult. cap.* 15. & 10. *ſimplic. cap. hydros*, *& de vrina*, vbi ait ſudorem, & vrinam eſſe calidæ, & ſiccæ naturæ: & vt exiſtimo, qui tenent ſerum eſſe calidum, & ſiccum, cenſent talem habere vim ratione bilis, cui permiſcetur; non tamen abſolutè poteſt habere calorem ſuperantem frigiditatem, quia bilis portio, quæ admiſcetur, parua eſt; ſufficiens tamen vt reddatur magis calidum quàm anteà, dum erat bili impermixtum; & poſteà dum in mammis, quæ frigidæ ſunt, magis contemperatur, habet ſe ſicuti atra bilis, quæ modicùm caloris retinet, vt cinis, & acetum; prop튜ereaque fermentat terram, & feruorem excitat, quorum ratione dici poterat calida, & ſicca, licèt ſit frigida ex ſua natura, vt mille in locis teſtatur Galen. præcipuè tamen 3. *de cauſis ſympt. cap.* 1. §. qui incipit: *Non enim cùm perfrigeratur ſanguis*, *&c.* & *de differentiis morborum capit.* 12. Neque obſtat, quod fiat per vſtionem, vt ipſe refert libro de atrabile; nam dum eius materia aduritur, remanet terreſtrior, & craſſior, reſolutis partibus tenuioribus, & calidioribus; quæ ſi remanerent, totam atram bilem redderent calidam. Quia ergo aliquæ partes remanent calidæ, & ſubtiliſſimæ, quæ rodunt, penetrant, & alia efficiunt, quæ attribui calori poſſunt, ideò poteſt vocitari calida. Pari ratione idem ſuo modo adaptandum eſt ſero humorum, ſiue intra corpus maneat, ſiue per vrinam, vel ſudorem, aliterve expellatur; quod quia parum bilis accepit, habet vim producendi effectus, qui tribuuntur calori; tamen quia eius materia eſt aquea, etſi per coctionem in iecore fiat, remanet frigida, & humida à prædominio; non tamen ita intensè frigida, veluti ea, quæ in mammis fuit elaborata.

*Bilis atra frigida eſt ſua natura.*

*Seri differentiæ vnde ſumuntur.*

Cognitâ naturâ, & facultatibus ſeri, animaduertere oportet, quod eius virtus variatur penes magis, & minus, non ſolùm pro diuerſitate modi præparandi illud, ſed etiam pro ſpecie animalium,

lium, à quorum lacte detrahitur; vaccinum enim magis refrigerat, quàm caprinum, quod quidem magis detergit, & aluum ſubducit. Camelorum, & aſinorum lacti plurimùm ſeri ineſt, caſeoſæ, & butyroſæ ſubſtantiæ parum; ex Gal. *lib. de ſuccorum bonit. & vitio, cap.*4. quod quidem ſerum magis frigidum cenſetur, ſicuti & ipſum lac, quàm ſerum reliquorum animalium, imò & tenuius; vt ipſe oſtendit 6. *de ſanit. tuenda, cap.* 11. Cùm ergo ſerum frigidum, & humidum ſit, abſtergens, adaperiens, infrigidans, & humectans, videndum eſt quibus morbis poſſit conuenire. Illud quidem, etſi vnum remedium ſit, virtute tamen multiplex exiſtit; nam vt refrigerans, & humectans indicatur à morbis in intemperie calida, & ſicca conſiſtentibus, necnon ab humoribus exuſtis, & mordacibus. Quapropter Gal.4. *de rat. vict. comm.*7. ſerum aſininum commendat in febribus ardentibus, necnon in affectibus renum calidis, & ſiccis, & aliarum partium, præſertim cùm eaſdem partes abluat, & abſtergat humores, eoſque attenuet; ideóque Gal. 10. *de ſimpl. medic. facult. capite de ſero lactis*, ſerum iniicere præcipit per clyſteres, vt tollat humorum acrimoniam, abluatque, & detergat humores ſine mordacitate; atque adeò illud commendat in dyſenteria, & in qualibet ventris acri fluxione: cutis ſordes etiam mundificat. Quod ſi infantes ob mordacitatem lactis, quod ſugunt, vlcera in ore contrahant, ſeri ablutione abſterguntur, & ſanantur. Nec renuerem illud offerre maciatis, & hecticis, vt eorum corpus attemperaretur, & humectaretur.

*Seri vtilitates proponuntur. Modicè purgat.*

Non ſolùm per ſe ſerum adminiſtrari poteſt, ſed aliis admixtum, quo plures morbos abigere poſſumus; eſt enim, vt inquit Meſuë, fundamentum infuſionum, ſeu macerationis materia, & iuxta ea, quæ in ipſo infunduntur, plurimis morbis conuenire poteſt. Quapropter Gal. 14. *methodi, cap.*9. docet ſero infundere medicamentum, quod aptum ſit humorem bilioſum, & melancholicum trahere, vt eſt epithymum pondo ℥. iiij. & *lib. de melancholia*, ſerum commendat, in quo infundatur aliquid humorem melancholicum euacuans. Si verò velimus ipſo ſero ventrem ſubducere, Gal. 5. *aphor. com.*64. & 3. *de aliment. facult. cap.*15. mel, & ſal addit, ita tamen, vt guſtui ſit ſuaue. Quod ſi ad veſſicæ, & renum affectus, vbi ſit ſimul cum abſterſione temperandi neceſſitas, prædicto ſero vti volueris, ei admiſcebis lac ſeminum melonum, & cucumerum, necnon aliquid ſyrupi violarum. Quod ſi deobſtruere optas, ei adde ſyrupum aliquem diureticum, vt ſyrup. capillor. Ven. duarum, vel quinque radic. aut de byſantiis.

*Serum eſt infuſionum materia, & ad plura deſeruit.*

Sed quia quantitas remedij artem noſtram reddit coniecturalem, prout poſſibile fuerit, illius quantitas eſt aſſignanda. Antiqui magnam ſeri quantitatem offerebant, vt conſtat ex Gal. *lib. de ſalub. dieta, com.*18. atque adeò Dioſc. *lib.*2. *cap.*63. ſeri quantitatem eſſe offerendam ad heminas quinque docet, & pro vna vice heminam dat, & tranſactâ vnâ horâ alteram, quouſque quinque ſumat. Hemina enim ſecundum Saladinum eſt pondus ℔.j. & ℥. iij. Cortes duplicem heminam conſtituit; Atticam vnam, Romanam alteram. Attica eſt pondus nouem ℥. Romana duodecim; nos tamen circa illius quantitatis oblationem cum diſtinctione procedemus. Si enim offeratur ad purgationem, in eo infundendo ſennam, epithymumve, aut rhabarb. &c. ſufficiunt ℥. vj. vel vij. addito ſaccharo, vt fiat guſtui gratum. Si verò exhibeatur ad delendas obſtructiones, maior doſis requiritur, infundendo cortices capparorum, vel tamariſci, vel ſcolopendrium, vel aliquem ex ſyrupis aperientibus; vt iam traditum eſt. Quod ſi ad renes attemperandos, eorumque humores craſſos, & viſcoſos attenuandos, & euacuandos per vrinam ſerum condonetur, opus eſt illius offerre magnam quantitatem; ſunt enim viæ plurimæ, per quas ſerum deferri debet: & vlteriùs cùm vrinæ vias abluere, & abſtergere deſideramus, id effici nequit, niſi magnâ ſeri quantitate oblatâ, & hoc ſignificare voluerunt antiqui, dum multùm ſeri eadem die propinabant per interualla temporis. Si igitur ipſum concedere velimus in ordine ad hunc finem, ſingulo die debent concedi ℔.x. ad minus illius, ſic. Prima vice bibat æger ad ℔. j. & per horæ quadrantem ambulet; deinde aſſumat aliam libram, & per quadrantem horæ iterum deambulet, & ſic ſucceſſiuè procedat quouſque deſignatam quantitatem aſſumat, eamque per vrinam excernat. Quod ſi in primo cyatho vnciæ duæ, vel tres ſucci limonum depurati iniiciantur, meliùs humores abſcindit, & vias abſtergit. Benefacit etiam ei admiſcere in primo cyatho lithontribon ℥. ij. vel totidem diacurcumæ per noctem; manè verò ſerum colatum pro prima potione offertur. Debemus enim in hoc caſu ſero vti, veluti vti ſolemus aquis ex mineralibus fluentibus, quæ huic vſui ſunt proficuæ, de quibus accipiunt multùm ægri, dum renum, & veſſicæ calculis, & obſtructionibus laborant; qualis eſt fons, cuius mentionem fecit Plinius *lib.*31. *cap.*2. per hæc verba: *Tungri ciuitas galliæ fontem habet inſignem, plurimis bullis ſtillantem, ferruginei ſaporis, & ipſe non niſi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculoſorumque vitia.* Eſt etiam fons ſaluberrimus, qui dicitur fons de Gambo, in confinibus Galliæ, & Hiſpaniæ, cuius aqua in multa quantitate ebibita potenter renum calculos frangit, & expellit, de qua periculum faciunt plures cum euentu felici. Alios fontes eſſe maximæ vtilitatis ad hos morbos fugandos teſtatur Lacuna *libro* 5. *ſuper Dioſc. cap.* 12. Fontes qui dicuntur de Arnedillo, in Prouincia Hiſpaniæ vulgariter dicta Rioja, miram vim habent ad idem. Et in Galeciæ Regno ſunt etiam fontes eiuſdem vtilitatis, ſi in multa quantitate eorum bibatur aqua. Hoc ergo modo procedendum, dum ſerum propinamus pro curatione affectuum renum, & partium ad ipſos renes attinentium; neque me fefellit experientia in quodam ægro patiente vrinæ ſtillicidium, ex vrinæ ardore, & ſalſa pituita; debet tamen adminiſtrari quouſque vrina exeat ab omni ſuperfluitate libera; videbis ſiquidem quocumque die, quod per vrinam excernitur maxima copia pituitæ viſcidæ, ſicque totum tollitur nocumentum.

*Quanam ſeri quantitas offerenda.*

*Maximè ſeri quantitas condonanda in affectibus renum, & veſſicæ.*

*Tungri fonti in Gallia, & aliorum fontium mentio fit.*

Sed quia ex parte ægri, vel temporis, aut regionis poteſt aliqua eſſe contra indicatio, non in omnibus eſt idem modus obſeruandus; nam ſi quis habet ventriculum frigidum, vel tempus ſit hiemale, vel in regione frigida, tunc quidem actu calidum eſt offerendum, vel ſaltem ei admiſcendum cinnamomi aliquid, vt eius frigiditas emendetur; illis verò qui æſtuoſi ſunt, & febribus ardentibus corripiuntur, in tempore calido, vel calida regione, actu frigidum eſt condonandum, & quandoque niue refrigerandum. Aduertere tamen oportet, quod dum ſerum adminiſtratur, priùs debemus totius corporis habere prouidentiam, ita vt præcedant vniuerſales euacuationes, iuxta virium tenorem, & morbi indigentiam.

*Quæ conſiderandæ in ſeri vſu.*

Hac ſuppoſita veritate, vt probè eo vtamur, debemus præbere modum extrahendi ſerum à lacte, eligendo priùs animal, cuius lac, & ſerum deſideramus. Iam ſuprà diximus, quod lac camelinum, & aſininum eſt

*Quomodò ſerum præparandum.*

*Lac aſininum tenuius eſt alio.* eſt aliis tenuius; tamen quia aquoſum nimis, non habet potentem vim reſerandi vias: propterea eligendum eſt lac caprarum iuuenum, nigrarum, & *Seri electio quæ?* boni paſtus, & recenter fœtarum, vt ait Meſues *capite de aqua lactis*, quod ſit boni odoris, & ſaporis proprij, & non extranei, in quo nulla accidat corruptio; ſicque conuenit, vt in ſe ſit recens. Hoc igitur ſerum dupliciter ſeparamus, vel ſimpliciter, ſine alterius rei mixtione, vel aliquid ei admiſcendo. Sine rei admixtione ſeparatur, quando lac efferueſcit nimis, immittendo in ipſum lac vas æneum aquâ frigidâ plenum, vt docet Galen. 4. *de rat. vict. comm.*7. Dioſc. argenteum, vel æneum immittere præcipit. Cum alterius rei permixtione ſerum à lacte ſeparatur, vel coagulo ex agno, hœdo, lepore, vel vitulo, aut tunica interna ventriculi gallinæ, vel ficulneo ſucco, vel eius loco rami recentes lac efferueſcens agitantes conueniunt, ex Dioſcoride, vel cardui ſilueſtris flos, aut oxymel, ſeu oxyſaccharum, vel limonis ſuccus.

*Serum diſtillatum probatur.* Præter huiuſmodi modos ſeparandi ſerum à lacte, Cortes *loco ſuperiùs citato* monet, ipſum ſerum iam à lacte ſeparatum eſſe diſtillandum, ſicque puriſſimum redditur, ita vt ſi accipias vitream phialam ſero alembicato plenam, vix poſſis diſtinguere à phiala puriſſimâ aquâ plena; aliter enim nunquam clarum redditur, neque ſine prauo ſapore remanet: ſi verò diſtillatum ſit, ſuaue, & guſtui gratum efficitur, quod ſic conſeruari poteſt per aliquos menſes, præcipuè tempore hyemis, & reſeruari in officinis: quem præparandi modum, etſi parum vſitatum, probo, de quo periculum fecit ipſe Cortes, ipſumque laudat, vt magnum auxilium, ad omnes, quos retulimus affectus.

## §. IV.

### *An febris putrida fieri poſſit ex humorum ſero.*

*Pars negatiua proponitur.* His igitur prælibatis, accedat iam noſtra diſputatio circa id, quod promiſimus, an ſcilicet febris putrida ortum ducere poſſit ex ſero humorum in venis exiſtente, ita vt præter febres ex putridarum ſorte numeratas à Galen. & ab aliis Authoribus, detur genus febrium putridarum ab humorum ſeroſitate procedens.

Hæc difficultas, nempe quod detur, vel non, talis febris, non poteſt authoritatibus probari, cùm à nemine, quem ego viderim, vſque in hunc diem ſit in controuerſiam poſita: rationibus ergo ſuaderi debet, & quod nequeat dari talis febris, probatur primò. Nam omnes antiqui conſtituunt tantùm tria genera febrium putridarum ſimplicium, ex bile ſcilicet, melancholia, & pituita, nullâ factâ mentione alterius febris ſimplicis, quæ ex ſero originem traheret. Ita Galen.2. *de criſibus, cap.*6. Paulus *lib.*2. *à cap.*17. Auic. *fen.*1.4. & alij omnes, quorum nullus ſermonem inſtituit de hac febre: ergo euidens ſignum eſt, quod non poteſt dari; ſi enim daretur, reuerà ab iſtis Authoribus, qui abdita medicinæ penetrarunt, cognoſceretur; & ſicuti aliarum febrium putridarum curationem inſtituunt, huius etiam curationem traderent.

*Corpus ſimplex non poteſt putreſieri.* Secundò, quod non eſt corpus commixtum, non poteſt putreſieri: tale eſt ſerum humorum: ergo non poteſt putreſieri. Maior eſt Ariſt.2. *meteor.cap.*2. vbi ait, quod concoctio eſt paſſio mixtorum, & hoc etiam intelligitur de putredine coctioni oppoſita; nam debent quæ oppoſita ſunt, verſari circa idem. Inſuper quod putreſit, debet habere partes humidas, & ſiccas, quæ per putredinalem calorem

A ſeparantur, ſicuti vniuntur per calorem naturalem concoquentem, quibus partibus corpora ſimplicia carent. Minorem verò, quod ſerum ſit corpus ſimplex, docet Auicenna *fen.*1.1. *doct.*4. *c.*1. vbi ſic: *Serum non eſt corpus commixtum, ſed ſimplex*; non igitur poteſt putreſieri.

Tertiò, ſi ſerum putreſieret, maximè dum non ventilatur, quo tempore alij etiam humores facilè putreſcunt, iuxta Galeni dictum 8. *methodi, cap.*4. *Vbi enim humor penitus non tranſpirat, neceſſe eſt vt putreſiat.*

Primo etiam de febribus aſſerit, febres fieri propter detentum calidi effluuium. Et *de different. morborum cap.*2. conſtrictionem cauſam eſſe febris ait. Sed conſtrictio, vel obſtructio, ſeu detentum calidi effluuium neque febrem excitat in ſero putridam, neque alterius ſortis: ergo. Minorem probo in aſcite, in qua copia maxima ſubſtantiæ ſeroſæ intra tunicam peritoneum dictam continetur, ita vt non B poſſit ventilari, quæ longo tempore ibi collecta conſeruatur ſine putredine, & ſine calore febrili: & in vrinæ ſuppreſſione idem comperimus: ergo non eſt putredinis, vel caloris febrilis capax. Idem comprobari etiam poteſt reſpectu cauſarum aliarum, quæ calorem, & febrem gignere valent.

Quartò, nam ſi talis febris putrida excitaretur, maximè in venis, in quibus detinetur ſerum, vbi in multa poſſet redundare quantitate: ſed ea quantitas quotidie reiicitur, ad renes, & veſſicam delata, ita vt non remaneat tempus ſufficiens, in quo poſſet putreſieri: igitur non poterit accendere febrem.

*Quæ continuò mouentur, difficilè ad putredinem deueniunt.* Quintò, quæ mouentur continuo motu fluxionis, rarò, aut nunquam putreſiunt; quæ verò in quiete permanent, facilè putredinem ſubeunt, vt experimur in aquis fluuialibus, quæ quia ſunt in C motu, non putreſiunt; ſtagnantes verò, & paludum aquæ facilè putreſiunt, & prauum de ſe mittunt odorem, qui putredinis ſoboles eſſe ſolet, non alia ratione, niſi quia intra ipſas aquas, dum detinentur, plures vapores putridi aquis admiſcentur, qui non inuenientes exitum, ob motus defectum, totam aquam putridam, & fœtentem reddunt; cuius contrarium accidit aquis fluentibus. Sed ſerum humorum intra corpus contentum eſt in continuo motu fluxionis, ſiquidem eſt vehiculum humorum, & defert ſecum humores vſque ad corporis penitiſſimas partes, quod nequit fieri ſine motu; & reliquum, quod ſupereſt, mouetur, & attrahitur à facultate renum, ita vt non quieſcat, quia cùm excrementum ſit, natura ad illius expulſionem excitatur: ergo non poteſt putreſieri.

Tandem ſi talis febris inſurgeret, ſeruaret aliquam periodum, circuitum, vel repetitionem, vt reliquæ D febres putridæ pendentes ex humoribus: ſed talis periodus non poteſt dari: ergo neque febris. Maior patet in reliquis febribus putridis, quarum quælibet habet ſuum circuitum, vt patet in quotidiana, quæ quotidie repetit; in tertiana, quæ de tertio in tertium; & in quartana, quæ quarto die ſuas habet exacerbationes. Quod verò non detur alia periodus, conſtat; nam omnes aliæ periodi, quæ dantur in febribus, vt quintana, ſextana, nonana, &c. referuntur ad humorem melancholicum, & habent ſigna quæ oſtendunt naturam, & conditionem illius. Lege Auic. *fen.*1. 4. *tract.* 2. *cap.* 68. Si ergo omnes iſtæ periodi, ſeu circuitus habent ſecum adiuncta ſigna, quæ demonſtrant humorem peccantem diſtinctum à ſero, planè aſſerendum eſt, non eſſe concedendam hanc febrem. His rationibus ſuaderi poteſt ſententia omnium Medicorum febrem ex ſero humorum negantium.

Oppoſita

*Sententia affirmans proponitur.* Oppoſita tamen ſententia mihi verior exiſtimatur, quam vt certiſſimam amplector, tum ratione, tum experientiâ ductus. Vt tamen eius veritas patefiat, aliqua ſunt prænotanda, ex quorum intelligentia luce clarior euadet.

*Omnia præter ignem putrefieri poſſunt.* Noto ergo primò ex Ariſt. 4. *meteor. c.* 2. quod omnia putrefieri poſſunt præter ignem. Verba eius ſunt hæc: *Idcirco reliqua etiam omnia, vno igne excepto, in putredinem dilabuntur; terra enim & aqua, & aër putreſcunt.* Quanam autem ratione hæc Ariſt. doctrina veniat intelligenda, patefecimus *lib.* 5. *de febribus, cap. de cauſis febris peſtilentis.* Quia ergo ſerum eſt capax recipere calorem putredinalem, imò quotidie experimur, quod vrina, quæ eſt idem cum ſero, facilè putreſit, & fœtet, ita vt eius fetorem grauem ſuſtinere non valeamus, ſignum euidens eſt, quod ſerum eſt de iis, quæ facilè putredinem nanciſcuntur.

*Serum eſt mixtum.* Noto ſecundò, quod ſerum, licèt ſit corpus aqueum, non tamen eſt aqua, ita vt ſit ſimplex elementum; eſt enim, vt ferè omnes dicunt, genitum per coctionem, diciturque excrementum ſecundæ coctionis: quapropter debet eſſe capax putredinis, eſt enim mixtum quoddam ex bile, & ſubſtantia aquea, potulenta, & humorum varias in corpore alterationes perpetiens, ac denique à calore iecoris cum humoribus congenitum, ita vt plures aſſerant, quod ſerum eſt pars integralis ipſorum humorum. Ex quibus inferre licet, quod cùm mixtum ſit, poteſt alterari, & putrefieri à calore extraneo.

*Elementa impura putrefieri poſſunt, ex Valleſ.* Quòd ſi ſe quamur Valleſ. ſententiam 4. *meteor. cap.* 12. dicentis, elementa impura, igne excepto, putrefieri poſſe ratione eorum, quæ illis admiſcentur, idem poſſumus affirmare de ſero humorum, quod licèt ſit aqua, eſt tamen aqua admixta bili, quæ habet ſaporem ſalſum, & continuò alteratur intra venas à cauſis extrinſecis; nempe à qualitatibus humorum, & partium, ad quas defertur; quæ omnia ſerum deuiant à propria natura, illudque alienant à propriis conditionibus; & conſequenter ſub forma aquæ (quod impoſſibile iudico) debet vocitari non aqua, ſed aqueum: idemque aſſerit de omnibus elementis, quæ ob eorum impuritatem non elementa, ſed elementata vocat, eo quod habent qualitates non ſolùm ſibi debitas, ſed alias ab extraneis receptas, quibus poſſunt alterari, & putrefieri ſecundùm partes.

*Humores frigidi pati poſſunt putredinem.* Noto tertiò, quod non obſtante frigiditate, quæ in humoribus aliquibus reperitur, per quam putredini obſiſtunt, nihilominus ipſi humores putrefiunt, vt patet in pituita, de qua Auic. *fen.* 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 2. aſſerit frigidum, quod eſt in corpore, eſſe phlegma. Idem Galen. 1. *de temperam. cap. vltimo,* & idem dicitur de melancholia, ita vt ex pituita per putredinem excitetur febris quotidiana, ex melancholia febris quartana, & aliæ febres. Pari ratione etſi ſerum humorum frigidum ſit, vt probatum eſt, non eſt de illo dubitandum, quod putrefiat; imò cùm illius ſubſtantia ſit magis tenuis, quàm reliqui humores, faciliùs quàm illi à rebus extrinſecùs aduenientibus poteſt alterari. Neque ob aliam rationem

*Quæ tenuia ſunt, facilè alterationem perpetiuntur.* aqua laudabilis ad potum facilè caleſit, & infrigidatur, niſi quia tenuis eſt, & facile permeat, nec ventriculum grauat, ex Gal. 5. *aphor. comm.* 26. habet enim ſic minorem reſiſtentiam, formalem ſaltem. Idem ergo eſt proferendum de humorum ſero, quod ob eius ſubſtantiæ tenuitatem faciliùs alterationem recipere poteſt, adhuc quàm reliqui humores. His igitur prænotatis, tradendæ ſunt concluſiones ſequentes.

### Prima Conclvsio.

*Febris putrida poteſt fieri ex putredine ſeri.* Febris putrida poteſt excitari à ſubſtantia humorum ſeroſa. Hanc concluſionem, vt dixi, authoritatibus comprobare non poſſumus, benè tamen firma ratione defendere. *Nihil enim in hominibus, ſed in omni cœlo atque terra ratione diuinius, quæ cùm adoleuit, atque perfecta eſt, nominatur ritè ſapientia,* vt ait Cic. 1. *de legibus.* Plus equidem apud nos vera ratio valet, quàm vulgi opinio, vt ipſe Cic. aſſerit. Vincat ergo in hac re ratio authoritatem, & communem opinionem. Probatur ergo primò noſtra aſſertio. Serum humorum eſt capax putrefieri: ergo & excitandi febrem putridam. Antecedens notum eſt ex iis, quæ ſuprà attulimus, cùm ſit corpus mixtum, tenue, alterabile, parum reſiſtens, minùs frigidum quàm pituita, & in qualitatibus paſſiuis humidum. Quæ omnia oſtendunt, poſſe pati alterationem, & putredinem à calore. Humida enim facilè efferueſcunt, inquit Ariſt. 2. *de part. anim. cap.* 14. tenuia, vt probatum eſt, facilè alterationem ſubeunt, vt experimur in aqua, & diximus ex Gal. mente, atque adeò ex nullo capite negari poteſt, quod ſerum ſit putredini obnoxium. Conſequentia ex dictis facilè infertur, & ſimiliter probatur à ſimili; nam reliqui humores à ſero dum putrefiunt, excitant febrem putridam: ergo & ſerum. Conſequentiam probo; nam calor ille, qui in facto eſſe concipitur in humoribus, dum excitant febrem, poteſt concipi in ipſo ſero: ergo ſicuti calor ille cordi communicatus cauſat febrem putridam, ita calor ſeri poteſt cordi communicari, & febrem eiuſdem rationis cauſare.

Secundò probatur. Si ſerum, dum putreſit, non excitat febrem, vel quia tenue eſt, & facilè antequam cor accendat, reſoluitur; vel quia cor non eſt intra ſphæram actiuitatis caloris putredinalis illius; vel etſi ſit intra ſphæram illius, ſerum illud non detinetur tempore ſufficienti, vt poſſit calorem febrilem accendere in corde; neque enim videtur alia aſſignabilis cauſa, quæ impedire valeat talem calorem in corde. Non quia tenue; nam licèt plurimùm euaporetur, eſt tamen ſeri magna quantitas, & ex eo, quod comeditur, & bibitur quotidie, ſerum fouetur, ita vt non deficiat quantitas, ex qua calor eleuatus mediis vaporibus, & fuliginibus poſſit pertingere cor. Id confirmat calor ſuccenſus in ſpiritibus, qui etſi tenuiſſimi ſint, & plurimùm reſoluantur, nihilominus cor calefaciunt calore excitante febrem: ergo tenuitas ſeri non obſtat ad hoc vt producatur febris ex illo. Neque diſtantia ſeri à corde poteſt impedire febris productionem; nam ſerum in venis eſt humoribus commixtum: ergo ſicuti humores in venis exiſtentes, imò & extra venas, ſunt in debita diſtantia, vt calorem febrilem cordi communicent, idem eſt aſſerendum de ſero, à quo calor febrilis in corde poterit produci. Neque aliquis, niſi ſit duræ ceruicis, poteſt huic doctrinæ non aſſentiri. Non quia non detineatur tempore ſufficienti; nam nunquam venæ ſunt ſero deſtitutæ, ſicuti neque humoribus, quorum ſerum eſt vehiculum. Et licèt quotidie ſæpè euacuetur, & excernatur per vrinam, ex hoc ſolùm deducimus, quod eſt illius magna quantitas, non tamen quod illud, quod intra corpus detinetur, non putrefiat, & cauſet febrem. Et confirmatur in febre diaria ex ſpiritibus; nam plures ſpiritus quotidie reſoluuntur, & diſſipantur, quorum loco alij de nouo reponuntur; & tamen hæc euacuatio, ſeu conſumptio ſpirituum non tollit, quod remanentes ſufficienter detineantur, vt poſſint excitare febrem diariam, & factam conſeruare: ergo etſi ſeri quantitas multa quotidie euacuetur,

cuetur, ea quæ remanet, erit ſufficiens principium ad febrem gignendam. Idem argumentum conuincit in humoribus, qui etiam quotidie euaneſcunt, quia quotidie, vt ait Galen. *de facult. natur. capite* 2. accidit noſtræ ſubſtantiæ fluor, quæ non niſi mediis humoribus, quæ quotidie per nutritionem in noſtram ſubſtantiam tranſeunt, quit reparari.

*Alimenti aſſumptio neceſſaria, quia quotidie reſoluitur.*

Neque ob aliam rationem veſcimur, niſi quia humores conſumuntur in nutritione partium; cum hoc tamen ab ipſis humoribus excitantur febres putridæ: ergo etiamſi ſeri plurimùm reſoluatur, & euacuetur, poterit eodem modo excitare febrem illud, quod remanet, & habere moram ſufficientem intra corpus ad producendam febrem, & illam conſeruandam; ac per conſequens, cùm ex nullo capite impediatur ſeri putrefactio, & caloris præter naturam ad cor communicatio, neceſſariò fateri cogimur, dari poſſe talem febrem.

*Signa febris putridæ ex ſero proponuntur.*

Tertiò probatur ab experientia; nam non aliter deprehendimus febrem bilioſam, vel pituitoſam e.g. niſi quia adſunt ſigna, ex quibus in earum febrium cognitionem deuenimus: ergo ſi adſunt ſigna, quæ oſtendant febrem ſeroſam, ipſam poſſe dari non renuemus.

Quòd dentur talia ſigna, inde conſtat; nam plures febricitantes curaui in aliquibus conſtitutionibus, in quibus nullum vitium apparebat in maſſa ſanguinaria, excepto ſero, in quo elucebat flauities maxima, vel color viridis; quod ſi ſeparabatur à ſanguine venæ ſectione extracto, totus ſanguis laudabilis conſpiciebatur, in ſero tamen erat totum vitium contractum. Vlteriùs vrina habebat vitium in colore, referebat enim colorem illius ſeri, quod venæ ſectione ſimul cum ſanguine fuit emiſſum. Contentum, ſeu ſedimentum erat laudabile, album, læue, & æquale per omne tempus, vſquedum morbus iudicabatur: quod ſignum euidenter oſtendit maſſam ſanguinariam ab omni labe eſſe liberam, vitiumque ſolum eſſe in ſubſtantia ſeroſa.

*Obiectio.*

Dices, illum colorem ſerum comparaſſe ratione bilis, cui admiſcetur; nam cùm flaua ſit, & vlteriori calore ad viriditatem tendat, vt ait Auic. *fen.* 1. *lib.* 1. *doct.* 4. *cap.* 1. dum viridis efficitur, totam vrinam viridem reddit, eritque illa febris orta ex bile illius coloris.

*Reſponſio.*

Hoc non conuincit; nam oportet reddere rationem, quare à calore excedenti bilis illum comparat colorem, & quod ſerum non poſſit illum adquirere; nam ſi ex vrinis deprehendimus calorem adurentem, qui bilem occupat, & reliquos humores, cur non poſſumus etiam calorem adurentem vrinæ inhærentem comprehendere, ita vt ex vi illius caloris vrina mutet colorem, ſicuti & ipſi humores, dum aduruntur? Scimus enim ex Galen. 1. *de criſibus*, *capit.* 12. quod color viridis in humoribus tribuitur calori. Idem ſtatuit 2. *prognoſticorum, commentario* 21. Actuarius 1. *de cauſis vrinarum, cap.* 9. in quo ferè omnes conueniunt; qui color, etſi pluries ſignificet calorem adurentem in bile, quia magis apta eſt vſtioni, quia calida, & ſicca; non tamen abſolutè eſt verum aſſerere, Eſt color viridis in vrina: ergo bilis ratione fit talis color in illa; quia ille color inhæſiuè poteſt eſſe in ipſo, ita vt non tribuatur bili, ſed totus referatur in vrinam.

*Serum poteſt colorem viridem comparare abſque bile.*

*Diſtinctio febris huius ab aliis putridis aſſignatur.*

Rogabis: Quomodo ergo deprehendere poſſumus illum colorem ſignificare potiùs calorem adurentem ſeri, quàm bilis, vt ſciamus diſtinguere vnam febrem ab alia? Reſpondeo, id deprehendi ex aliis ſignis adiunctis. Ex modo caloris, qui in bile magis mordax exiſtit, quàm in ſero humorum. Si inuadat cum rigore, ex vehementia illius; quia cùm magis mordax ſit bilis, magis irritat, & excitat vehementiorem motum concuſſiuum. Sitis, & alia

A accidentia non ſunt ita intenſa in febre ſeroſa, ſicuti ea quæ dantur in bilioſa; nam ſerum, vt diximus, eſt frigidum, & humidum, licèt ob bilis permixtionem non nihil caloris, & ſiccitatis participet, ratione cuius, vt exiſtimo, habet hæc febris circuitus tertianos. Neque hæc febris eſt ita intenſa, ſicuti febris ardens; neque ita remiſſa, vt febris quotidiana, quia eius materia non eſt ita calida, ſicut bilis; neque ita frigida, vt pituita.

Neque ignoro, quod in plurium morborum cognitione artificioſà egemus coniecturâ; non enim in omnibus morbis, vt noſter Galenus ait, inuenimus notas, quales in pleuritide, & dyſenteria apparent; affectus ſiquidem qui in imo corpore latent, vt cognoſcantur, virum ratione exercitatum deſiderant; qui verò in ſuperficie ſunt, facilè deprehenduntur ſenſibus, vt docet Galen. 1. *de locis affect. cap.* 1. neque hanc febrem deprehendere potui, niſi longâ experientiâ; nam aliter quæ difficillima ſunt,

*Ad morborum plurium exactam notitiam longa requiritur experientia.*

B comprehendi nequeunt, propterea Ouid. 6. *Met.* ait: *Seris venit vſus ab annis.* Quapropter cum febres ortas ex aliis humoribus ſignis eis accommodatis deprehendamus, ſimili modo hæc febris habet propria ſigna, quibus cognoſcitur diſtincta à ſignis aliarum febrium; & ſicut in apprehenſione reliquarum febrium vtimur coniectura, quæ eſt mentis conceptus ab aliquo ſigno probabili deductus, eodem modo procedimus in cognitione huius febris. Admittenda ergo eſt, neque ableganda à conſortio reliquarum febrium putridarum, ita vt aſſeueranter dicamus, dari aliam febrem ſimplicem putridam, ſeroſam, diſtinctam à tribus febribus putridis ſimplicibus, quæ connumerantur à Galeno, & ab omnibus Authoribus.

## Secvnda Conclvsio.

C Febris hæc poteſt eſſe continua. Hæc concluſio facillimè probatur, ſuppoſitâ veritate primæ concluſionis: nam ea putredo poteſt communicari continuò ipſi ſero, eo modo, quo communicatur alteri humori febrem continuam excitanti. Poteſt inſuper putrefieri intra venas, & iuxta hunc modum putredinis differunt febres continuæ ab intermittentibus, vt ſuo diximus loco; ſiquidem in febribus intermittentibus humor extra venas putreſcit: non enim natura, dum continuò affligit febris, poteſt ad aliam regionem tranſmittere humorem, ſicque permittit ipſum intra propria vaſa putrefieri, & febrem non interpolatam cauſare.

*Febris ſeroſa poteſt eſſe continua.*

Dices, id tantum verificari poſſe de humoribus, qui in febribus continuis intra venas remanent, quos natura retinet, vt concoquat, iuxta Galeni doctrinam 4. *aphoriſm. commentario* 23. vbi aſſerit, præire coctionem oportere, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea euacuationem, vt iudicium, ſeu

*Obiectio contra dicta, & ad illam reſponſio.*

D criſis bona fiat: quâ de cauſâ, vt humores coquantur, retineri debent; cuius contrarium accidit in ſero humorum, quod ſæpè quotidie excernitur per vrinam, atque adeò non retinetur.

Reſpondeo, id non tollere, quod febris ſeroſa ſit continua; nam huius ſubſtantiæ, vt ſuprà diximus, eſt maxima quantitas, & propterea vt expurgaretur maſſa ſanguinaria ab hoc excremento ſeroſo, natura fabrefecit duos renes, vt meliùs finis tractionis ſeri ab ipſis adimpleretur, vt docet Galen. 5. *de vſu partium, capite* 6. & *de renum dignot. & medela, capite* 1. & aliis in locis. Quia ergo adhuc euacuatione ſuppoſitâ naturali huius ſeri, poteſt remanere quantitas illius intra venas ſufficiens ad excitandam febrem continuam, ideò exiſtimare oportet, quod ea euacuatio non poteſt auferre talem continuationem,

nem, præſertim cum adhuc in febribus aliis continuis humoralibus plures ſuperueniant euacuationes circa initia morborum, vt ſunt euacuationes ſymptomaticæ, quæ licèt euacuent plurimùm humoris febrem ſuccendentis, non tamen tollunt febrem, neque eius continuationem, quia intra venas remanet ille humor in tanta quantitate, vt poſſit continuam febrem conſeruare. Vlteriùs poteſt contingere, quod renes non benè attrahant ſerum, quod detentum putrefieri poteſt, & continuam facere febrem, vt experimur etiam in his, qui vrinæ ſuppreſſione laborant: quod etiam indicare viſus eſt Gal. *lib. de plenitudine, cap.* 11. & 13. *methodi, cap.* 6. vbi de cacochymia, ſeu humorum vitio agens, mentionem facit eius cacochymiæ, quæ ex ſeroſis humoribus fit, per hæc verba: *Vbi verò vel flaua bile, vel nigra, vel pituita, aut ſeroſis humoribus refertum corpus iam fuerit, eum habitum cacochymiam, non plethoram nominant.* Si igitur alij humores à ſanguine cacochymi facti ſæpè putreſiunt, & febrem non intermittentem cauſant, non dubito, quod ſerum cacochymiam faciens etiam poſſit putrefieri, & febrem ſuſcitare.

*Cacochymia ſi i poteſt ex ſeroſis humoribus.*

Rogabis tamen, an ſicuti cacochymia fit ex ſero humorum redundante, poſſit etiam fieri plenitudo? Reſpondetur, quod ſi Gal. attentè legamus, non inueniemus plenitudinem ortam ex redundantia ſeri, ſed ſolum vel plenitudinem abſolutam, in qua redundant ſupra debitam proportionem omnes humores, vel ſolus ſanguis; vel plenitudinem cum addito, in qua ſimul cum ſanguine in corpore alter alius humor redundat, vt ipſe aſſerit *lib. de multitud. capit.* 11. ita vt ſit plenitudo biliosa, pituitoſa, & melancholica, nullâ mentione factâ plenitudinis ſeroſæ.

*An plenitudo conſurgat ex ſeroſis humoribus.*

Nos tamen, qui nouo modo dicendi accingimur, aſſerimus dari poſſe genus omne plenitudinis, tam ad vaſa, quàm ad vires, in cuius complemento contineatur ſerum. Neque hoc eſt probatu difficile, nam ſi plenitudo abſoluta ſit ex redundantia omnium humorum, quid prohibet, quod tunc temporis ſimul ſerum excedat debitam proportionem, ita vt nòn ſolùm ſit augmentum omnium humorum, ſed etiam ipſius ſeri, ſimulque ea plenitudo compleatur ſero: & ſicuti plenitudo attenditur reſpectu incrementi humorum, ita etiam intelligatur reſpectu incrementi ſeri. Præterea quando ſerum redundat ſimul cum ſanguine, tunc debet dici plenitudo ſeroſa, eo modo, quo biliosa dicitur, dum ſuperexcedit bilis. Neque negari poteſt, quod ſerum vires aggrauare valeat, & conſtituere plenitudinem ad vires. Si enim ſerum ex Galeni ſententia 13. *methodi, cap.* 6. *cit.* cacochymiam efficit, dum ipſum nimis in corpore abundat, & in hoc conuenit cum aliis humoribus; quare dum in maſſa ſanguinis excedenter continetur, ſaltem vt vehiculum, non poterit plenitudinem conſtituere, ſicuti & reliqui humores. Neque obſtat, quod Galenus non cognouiſſet talem plenitudinem, nam vt ipſe ait 3. *prognoſt. comm. vlt. Nunquam hallucinari, ſupra hominis captum eſt*; & vt inquit Cic. 3. *Tuſc. Optimus, ac grauiſſimus quiſque confitetur, ſe multa ignorare, & multa ſibi etiam, atque etiam eſſe diſcenda.* Laudandus eſt Galenus, quia plurima laude digna dixit, in quibus dedit nobis anſam inquirendi alia; ſicque facile eſt eius inuentis addere. Mihi ergo liceat in re tam difficili ſic philoſophari; nam non impugno Authores, ſed eorum ſententiam amplectens, & eorum veritati acquieſcens, quæ ab eis ſunt prætermiſſa, inueſtigare cupio.

*Reſpondetur affirmatiuè.*

*Qui multa ſapit, confitetur ſe multa ignorare.*

A

TERTIA CONCLVSIO.

Non repugnat, dari febrem intermittentem ex putredine ſeri excitatam. Hæc concluſio probatur eiſdem rationibus, quibus ſolet probari, dari febres intermittentes ex putredine aliorum humorum; nam non minùs ſerum poteſt naturam irritare, quàm reliqui humores, & motum concuſſiuum obiectiuè cauſare, ita vt natura excitetur ad expulſionem illius extra vaſa, quo tempore poterit putrefieri, & febrem putridam intermittentem producere, priùs rigorem commouendo, ad modum aliarum febrium.

*Poteſt dari febris intermittens ſeroſa.*

Quod ſi dicas, tunc ſerum illud excerni per vrinam, antequam putredinem ſubeat, atque adeò non poſſe efficere febrem. Reſpondeo, quod hoc ſolùm probat, hanc febrem rarò aduenire, propter rationem traditam: verumtamen dum ſerum alterari incipit intra venas, & irritare naturam ad expulſionem, benè poteſt contingere, quod ſit extra ſphæram renum, qui habent vim attrahendi illud, quo

B

tempore natura expellet illud ſerum eo modo, quo ſolet alios humores pellere, dum faciunt febres interpolatas; & licèt non viderim quemquam hac febre intermittente laborantem, non tamen hoc probat, ipſam dari non poſſe; forſan enim eam inueni, non tamen eius naturam percallui, exiſtimans ipſam fuiſſe de aliarum intermittentium ſorte. Reliqua ex argumentorum ſolutione perquires.

Quare ad primum reſpondetur, quod antiqui (vt dixi) cenſebant tantùmmodò dari tria illa genera febrium ſimplicium putridarum, quæ per circuitus repetebant, & ab illis tribus humoribus fiebant: omitto eam febrem, quæ ex ſanguine putreſcente naſcitur, quam ſynochum putridam vocant, quæ licèt inter putridas ſit adſcribenda, non tamen eſt de iis quæ periodicè, & per circuitus mouentur.

*Antiqui non cognouerunt hanc febrem.*

C

Nos autem in præſenti febrem ſimplicem ab ipſis prætermiſſam patefacimus, atque adeò quartum genus febrium putridarum ſimplicium aſſignamus.

Ad ſecundum dicendum, quod ſerum eſt mixtum, ac per conſequens capax coctionis, & putredinis: quod ſi Auic. appellauit ſerum aquam ſimplicem, non eſt quia exiſtimaſſet, eſſe ſimpliciter aquam, ſed quia ſicuti aqua non habet modum ſubſtantiæ ſimilem viuenti in ordine ad nutritionem, idem ſtatuit de ſero humorum, & propterea ſerum vocat aquam, ſeu corpus ſimplex.

*Serum humorum non eſt corpus ſimplex.*

Ad tertium reſpondetur, quod omnes cauſæ, quæ ſunt productiuæ febrilis caloris, poterunt producere illum in ſeroſitate humorum; quæ productio fit iuxta diſpoſitionem, quæ reperitur in paſſo, cuius ratione accidit, quod febris ſit vel humoralis, vt biliosa; vel ephemera, aut hectica; & cùm non repugnet, dari eam diſpoſitionem in ſero, reſultabit

D

febris ex illo.

Ad quartum dicimus, quod in noſtris corporibus, dum ſerum mouetur, vt vehiculum humorum per venas, & ex venis ad omnes partes tertiæ regionis, ſimul etiam mouentur humores cum illo: quare cùm ille motus humorum non poſſit impedire putrefactionem, per quam calor febrilis excitatur in illis, idem eſt aſſerendum de motu ſeri ipſorum.

Ad vltimum reſpondetur, quod hæc febris habet modum repetendi tertianæ; nam ſi continuò affligit, maiores exacerbationes accipit quolibet tertio die; ſi verò interpolatè repetit, de tertio in tertium diem ſuas habebit acceſſiones. Eſt enim particeps bilis, ſubſtantia tenuis, & ob bilis permixtionem citiùs irritans, & excitans ad motum, quàm humores craſſi, & melancholici: & quia plurimùm illius quotidie euacuatur, non manet intra corpus in tanta

*Quem circuitum ſeruat febris hæc ſeroſa.*

tanta quantitate, vt pituita, etſi quodammodo in qualitatibus primis illi euadat ſimilis: quare cùm in ſubſtantiæ modo, & ob bilis miſcellam nimis accedat ad bilis naturam, cenſendum eſt, eodem modo repetere. Sed hæc dubitatio iam ſuum meritò eſt adepta finem, ſi priùs dixerim, quod hæc febris, cùm maximè accedat ad naturam bilioſæ febris, eandem fermè petit curationem; tamen quia ſæpè in noſtris Scholis controuertitur de occaſione mittendi ſanguinem in febribus putridis, & de ſcopis qui ad ſanguinem mittendum requiruntur, vt meliùs febrium putridarum curationem aſſequamur, de ipſis infrà agere decreui; ſic enim ſciemus etiam qualiter eſt exercenda euacuatio in hac febre, ex putredine feri; quod mihi ſemper magnum faceſſit negotium.

*Febris ex ſero curatur, vt febris bilioſa.*

## OBSERVATIO VII.

*Pro ſene octogenario pleuritide exquiſita, & febre ardente correpto, qui intra quatuordecim dies ſepties venæ ſectionem ſuſtinuit, paulatimque conualuit.*

OCtogenarius naturâ obeſus, bona fruens ſalute, vt illi permittit ætati, benéque nutritus, rubei coloris, & circa res omnes non naturales benè ſe gerens, cùm iter egiſſet, ex equo cecidit, & ex caſu maximam perſenſit moleſtiam, ita vt non poſſet iterum in equum aſcendere, ita in humo remanens per longum temporis ſpatium, radiis æſtiui ſolis expoſitus, donec à prætereumtibus adiutus in equum aſcendens ad ſuam rediit domum, & in itinere perſenſit dolorem in latere ſiniſtro, ſimulque febricitare cœpit, eique ſuperuenere omnia ſigna pathognomonica pleuritidem veram concomitantia. Statim ad eum viſendum vocatus ſui, quem inueni nimis febricitantem, & per ſputum ſanguinem flauum reiicientem cum dolore punctorio, & aliis ſignis, vt dixi, & cum vrina flaua, & maxima ſiti, neque poterat ſupra latus contrarium decumbere. Vt ergo ei curationem adhiberem, priùs inſtitui regimen circa res non naturales, & depoſitis alui excrementis, ſanguinem ex vena baſilica eiuſdem lateris detrahere iuſſi, non ſemel, ſed bis, terque, quaterque; non tamen cedebat malum, & quod magis eſt, neque vires minuebantur. Quapropter auſus fui ei ſepties ſanguinem mittere, non ſine magna admiratione adſtantium, quibus, & aliis auxiliis ſputa apparuerunt magis concocta, & febris declinare cœpit, qui ſuperueniente diarrhæa paulatim ad ſanitatem fuit perductus, & ex toto liberatus intra quadraginta dies.

## ANNOTATIO.

*An corpus ſenile incidere poſſit in febrem ardentem.*

PLura veniunt in hoc caſu conſideranda. Primò, quod octogonarius incideret in febrem ardentem, ſiquidem in illa vltima ætate corpus nimis frigidum exiſtit, propter quod Hipp. 1. *aphor. text.* 14. inquit: *Senibus non fiunt acutæ febres*; & reddit rationem, *quia eorum corpus frigidum eſt.* Neque ita facilè incaleſcere poteſt, vt ait Gal. in phraſi, qui pluries aſſerit, quod in ipſis pituita, & plura excrementa humida coaceruantur, quæ neutiquam poſſunt excitare febrem intenſam: qua de cauſa Auicenna *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. inquit: *Senum febres ſunt ſepultæ.* Id eſt paruæ, & fermè imperceptibiles, quia ab humoribus frigidis quibus abundant, dependent; neque ad id ratio ſuffragatur, nam qui in vltima ætate ſunt conſtituti,

*Senum febres ſunt ſepultæ.*

A parum bilis, vel pituitæ ſalſæ gignunt, à quibus febris excitatur ardens, teſtante Hipp. 4. *de ratione victus*; neque in ipſis calor hepatis eſt excedens, qui humores ſupra ſanguinem gignat, atque adeò videtur impoſſibile, quod febre exurentiſſima tentaretur. Demùm ſi aliquando accidat illis febris exurens, qualis iuuenibus, omninò hæc ad interitum ægrotantis terminatur, dicente Gal. 1. *aphor. phraſi* 14. *cit.* reſoluitur enim facillimè calor eorum puſillus à nimia flamma ignis adurentis; quapropter non poterat hic æger euadere.

*Pars affirmatiua tenetur, & ratio traditur.*

Sed hæc doctrina oſtendit id, quod frequenter accidere viſum eſt, non tamen raros caſus excludit, præſertim dum cauſa eſt vehemens, quæ febrem gignit, proptereaque Galenus proximè citatus inquit: *Multum enim calidum promptè in immenſum attollitur, paucum verò non facilè, ſed maximam exigit cauſam, quæ cogat ad hoc. Neque ſenes maximâ ex parte febricitant acutas febres, ſicuti iuniores, &c.* B Quia ergo hic venerabilis ſenex habuit magnam cauſam, nempe caſum vehementem ex equo in terram, magnamque animi ex caſu perturbationem, inſuperque cùm non poſſet ſe adiuuare, neque iter agere inceptum, niſi ab alio adiutus fuiſſet, & in terra radiis ſolaribus per longum temporis ſpatium expoſitus extitiſſet, ab huiuſmodi cauſis collectiuè, imò & diuiſiuè ſumptis non mirum, quòd ingens febris excitaretur, ſimulque humores conturbati, attenuati, & commoti fluerent in pleuram, ita vt ibi inflammationem procrearent, cum omnibus ſignis pleuritidis naturam demonſtrantibus, & aliis, quæ ſimul febrem adurentem oſtendebant. Neque nouum eſt, quod morbi improportionales fiant, licèt verum ſit, quod omnes faciliùs congruentibus naturæ ſuæ morbis corripiantur, ex Galeno 2. *aphoriſm. comment.* 39. ſi verò non congruant naturæ, ætati, regioni, & habitui, vt producantur, C maximam expoſcunt cauſam, quæ hæc omnia ſuperet; proptereaque Gal. 2. *aphor. com.* 34. inquit: *Vehemens diſpoſitio cauſa eſt, vt hyeme febris ardens fiat.* Quæ doctrina proportionaliter applicari debet ætati ſenili, quæ hyemi in frigiditate reſpondet, neque vinci poteſt, niſi à vehementi cauſa. Fuit igitur neceſſarium, vt adeſſent cauſæ iſtæ magnæ in hoc ſene, vt magnum, & ferè inuincibilem producerent effectum.

Neque oportet exiſtimare, hanc febrem fuiſſe exquiſitum cauſum, ſed appellari ardētem ob tingētem calorem ab huiuſmodi cauſis productum, qui (vt exiſtimo) habuit ſuum eſſe in facto in humoribus bilioſis, pituitæ, & melācholiæ admiſtis; proptereaque fuit morbus acutus ex decidentia, & ad quadrageſimum fuit prolongatus; erat enim habitu obeſus, & ratione ætatis plurimis ſcatebat cruditatibus: neque ob aliam cauſam Hipp. *libro de dieta*, ſenes vocat frigidos, & humidos, niſi quia ob defectum caloris plura congerunt D excrementa humida, & frigida, & ex alia parte ratione temperiei ætatiuæ ſenes ſunt frigidi, & ſicci, ex Galen. 3. *de cauſis ſympt. cap.* 3. & alibi millies; atque adeò ſuccum plurimum melancholicum gignunt. Sed quia hic æger, etſi in extrema ætate, fruebatur bono cibo, & calido, & vino laudabili, vt calorem deperditum ſuſcitaret, generabat maiorem bilis portionem, quàm alius, ita vt dum in febrem incidiſſet, haberet exacerbationes tertia die fortiores, eo modo quo eas habent, qui febribus bilioſis corripiuntur; ideoque exiſtimaui ab his humoribus ad putredinem tendentibus hanc febrem originem duxiſſe. Signaque ex pulſu, vrina, ſomno, & vigilia, ſiti, inappetentia ciborum, & aliis deſumpta idem oſtendebant.

*Hic æger habuit duplicem febrem.*

Præter hanc febrem humoralem continuam ab huiuſcemodi humoribus mixtis, & putreſcentibus excitatam

excitatam, fatendum eſt, ipſum habuiſſe ſimul febrem ortam ex inflamatione pleuræ; quæ febris accidens dicitur; ſiquidem inter ſigna pluritidis febris hæc collocatur: nam humor ille intra illam partem reconditus, & extra propria conceptacula ſtatim putrefit, ob defectum ventilationis, & ſuis fuliginibus lædit cor, & accendit febrem in illo, ita vt hic æger ſimul vtraque febre laboraſſet: quod ſæpè ſæpius videmus in plurimis ægris hoc morbo oppreſſis.

*Senes an ſint euacuandi per venæ ſectionem, & quo tempore.*

Secundum, quod ſe offert, eſt venæ ſectio, quæ licèt debeatur febri ardenti, & inflammationibus internis; vt propriis diximus locis, quatenus ſunt morbi magni pendentes ex ſanguinis vitio, nihilominus ſenibus eam denegat Galenus in vltima ſenectute. Ita quidem *libro de ſectione, ad eos qui introducuntur, cap. 3. & cap. 8.* vbi ſic: *Sed neque vos aut in vltima ſenectute cuiquam, aut puero natu admodum paruo, neque quiſpiam alter vnquam ſanguinem mittere eſt auſus.* Idem faſſus eſt 8. *methodi, cap. 4.* vbi excipit pueros, & ſenes. Auic. 3. *parte canticorum, num.* 104. venæ ſectionem ſenibus interdicit cùm peruenerint ad 70. annum, poſt quam ætatem (inquit) phlebotomia omninò eſt prohibenda.

Nihilominus dicendum eſt, quod ætas in tantùm venæ ſectionem prohibet, in quantùm vires deficiunt; & cùm in extrema ſenectute iam calor ſit ferè frequenter extinctus, propter hanc rationem venæ ſectionem non ferunt; verumtamen ſi in illa ætate ſuperſunt vires, vt noſtro contigit ægro, & adeſt ſimul præſentia poſtulantium, & abſentia impedire valentium, non eſt deſtituendus eger ab hoc magno auxilio: quod comprobat Galenus *libro de euacuandi ratione per ſang. miſſionem, cap.* 9. de ſeptuagenariis agens, qui in hac ætate multo ſanguine abundant, de quibus ait: *Nam ſunt qui ſexageſimo ætatis anno venæ ſectionem non ferunt, cùm quidam ſint qui ſeptuaginta annos nati perferant.* Auicenna *fen.* 4. 1. *doct.* 5. *cap.* 20. inquit, quod cauere debemus à minutione in complexione vehementis frigiditatis, & in regionibus frigidis, poſt balneum, & poſt coitum, & in pueris, & ſenibus, niſi in figura confiſus fueris, & in ſoliditate muſculorum, venarum amplitudine, & earum repletione, & colorum rubedine; hos namque ex adoleſcentibus, & ſenibus phlebotomare audebis. Aëtius *libro* 2. *capit.* 12. idem ſtatuit: *At robuſtus ſenex, firmus puer, & grauida mulier valens tutò curantur.* Habebat quidem noſter æger omnes conditiones ab Auicenna connumeratas, quæ ad ſanguinem mittendum conducere valent, ideoque in tanta quantitate ſanguinem extrahere præcepimus, valenterque ipſe ſuſtinuit. Neque vt alibi diximus, præcepta practica ſunt vniuerſim accipienda, ſed iuxta exigentiam contemperanda; quare etſi frequenter vltra 70. annum ſanguinis miſſionem non ferant, benè poteſt dari ſenex ita robuſtus, qui vltra 80. eam perferat, vt in caſu præſenti.

*Qui ſenes ſunt euacuandi.*

Hîc poterat pertractari, ex quo latere, & ex qua vena in pleuritide ſit ſanguis mittendus? Sed quia hic nodus ſolutus eſt in praxi, ab eius tractatione libenter abſtineo.

*Senex quare liberatus fuit.*

Tandem circa hunc ægrum poteſt dubitari, quomodo potuit liberari ab his duobus morbis acutis; nam Galenus 1. *aphor. phraſi* 14. aſſerit, quod ſi ſeni febris exurens accidat, hæc omninò ægrotantem ad interitum ducit.

Reſpondeò, quod ideò liberatus fuit, quia vires validas habebat, quibus humorem in venis exiſtentem concoxit, & deinde per aluum criticè excreuit; eum verò qui in thorace continebatur, per ſputum reiecit, ſicque à febre vrenti, & à pleuritide fuit liber.

Sed adhuc ſcrupulus reſtat deſumptus ex Hypp. 6. *aphor. text.* 16. vbi ait: *A pulmonia, & pleuritide detento fluxus alui ſuperueniens malum.* Ergo potiùs iſte æger ex fluxu alui debebat deteriùs ſe habere, quàm liberari; nam ex tali euacuatione minuuntur vires, & ſolet ceſſare exſpuitio; neque regio illa eſt conueniens ad euacuandos humores intra thoracis cauitatem contentos.

*An fluxus alui in pleuritide conferre poſſit.*

Hoc dubium ſolutum eſt in praxi; pro nunc tamen dicendum eſt, quod licèt pleuritis non benè terminetur per aluum, ſed per ſputum, quandoque tamen terminari ſolet per aluum, & per vrinam, vt ſentit Gal. *lib. 6. de locis affectis, cap. 4. prope finem*; natura enim ſibi parat vias, & non excogitatione, quæ ſunt ſæpe nobis ignotæ. Præterea cùm hic æger laboraſſet duplici morbo, febre ſcilicet ardenti, & pleuritide, potuit quidem coctione peractâ in venis febris ardens terminari per aluum, cuius cauſâ euacuatâ ceſſauit etiam fluxus humoris ad pleuram, indeque fuit ſubſequuta ſalus. Quod ſi fluxus alui pleuritidi, aut peripneumoniæ ſuperueniens ſæpè ſit malus, quia vires deiicit, quæ maximè conferunt ad ſalutem in his morbis; nam vt inquit Galenus, virium robur eſt ſalus; tum pleuriticis, ac peripneumonicis, quatenus ſunt neceſſariæ ad expulſionem eorum, quæ ſunt in thorace: nihilominus cùm euacuatio illa eſt critica, & vires eam ferre valent, neutiquam ſemper eſt aſpernenda, ſed aliquando amplectenda, vt experti fuimus in noſtro ægro. Si latiùs tractationem de pleuritide ſcire exoptas, ad caput de pleuritide in praxi adductum recurre.

---

## OBSERVATIO VIII.

*De nobili Senatore huius Vallis-Oletani Senatus, qui cùm eſſet dyſenteria affectus, ex vehementi animi paſſione obmutuit ſtatim; & ceſſante dyſenteria, in apoplexiam immedicabilem cadens mortuus fuit.*

NObilis iſte vir ſexagenarius erat, melancholicus, gracilis, timidus, & morbo articulari ſubiectus; qui cùm per plures dies liber euaſiſſet ab arthritide, dyſenteriâ fuit correptus ab humoribus melancholicis, & mordacibus prodeunte, cui plurimis remediis ſubuenire iuſſimus; nihil tamen proficiebant, ſed vires deficiebant, ita vt immineret mortis periculum: quapropter fuit neceſſum ei miſerrimum ſuum ſtatum annunciare, vt confiteretur, Sacroſanctæ Euchariſtiæ Sacramentum reciperet, & ne inteſtatus obiret. Vxor tamen illius ingratis auribus hoc nuntium recipiebat, nolebatque vt ad ægroti aures illud perueniret nuntium; ſæpè enim illam deprecatus fui, vt ægro manifeſtaretur à Confeſſario ſuæ vitæ ſtatus; aliter enim mei muneris erat, ei notum facere, adhuc ipſius non obtentâ veniâ: ipſa erat mihi obſtaculum, ſed quia iam non erat locus expectandi, acceſſi ad ægrum, piiſque alloquiis, & ſalutari ad animam oratione illum ſolatus fui, & admonui, vt ſalutari confeſſionis medicinâ ſua deleret peccata. Ipſe tamen mortis timore perterritus, cùm timidus eſſet nimis, dixit, *Luego mueròme*, ſubitoque obmutuit, priuatuſque fuit ſenſu, & motu, & omnimodè dyſenteria ceſſauit, ipſeque alterâ die obiit, neque potuit Sacerdoti intimos animi ſui defectus exprimere.

## ANNOTATIO.

*Morbi aliqui in alios mutantur ex cauſæ mutatione.*

VT huius obſeruationis doctrina nota fiat, certum debet eſſe, quod morbi, quibus aliqui ſunt obnoxij, in alios mutari ſolent, eorum cauſa ad alium locum tranſmiſſa. Ita ſenſit Hipp. *6.epidem. ſect.* 4. vbi dicit: *Superueniente articulari morbo inteſtinorum dolori, inteſtinorum dolor ſedatur.* Ex dolore colico etiam fieri ſolet arthritis, vt ait Auic. *fen.* 2.2. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. & nos diximus in praxi; nam ſi fortè accidat, quod vna pars, in qua morbus fieri ſolet, roboretur, ſuperfluitates, quæ ad illam partem confluere deberent, ad aliam tranſmittuntur, in qua alter pro ratione partis generatur morbus; proptereaque Auicenna inquit, quod curatio colicæ ſecundùm modum, quo confortantur inteſtina, facit vt ſuperfluitates tranſmittantur ad extrema, & arthritidem concitent. Idem proportionaliter eſt aſſerendum de arthritide, quæ cum ſit morbus articulorum, ſi ob aliquam cauſam motus humorum redundantium ad ipſos articulos impediatur, ſiue ab obſtructionibus, ſiue à debilitate facultatis expellentis, vel ab aliqua vehementi animi paſſione, aut denique ab aliqua cauſa ipſos articulos roborante, tunc quidem exiſtimandum eſt, quod illi humores vitioſi, vel intra venas detenti febrem accendent, vel extra venas propulſi alium morbum excitabunt, præſertim cùm ſint talis conditionis, & eos natura neque euincere, neque corrigere valet. Hoc totum compertum fuit in noſtro ægro, qui cùm eſſet ſenio confectus, & melancholicus, habitu gracilis, & ratione ætatis, & propriæ temperiei in omnibus membris dominantem haberet ſiccitatem, & partium corrugationem, pororumque adſtrictionem, & iam ei defuiſſet facultatis robur, non potuit humores prauos, vt antea, ad articulos tranſmittere, miſitque illos per vias patentiores, ad inteſtina ſcilicet, vbi dolorem, tormina, & vlcus inteſtinorum cauſarunt, cum parua, frequenti, cruentaque eiectione, quod eſt de ratione huius morbi, vt docet Gal. 3. *de ſymptom. cauſ. cap.* 2. *&* 5. *de locis affect. cap.* 2. & 12. *method. capit.* 7. modum quo iſte morbus fit, & eius cauſas, & accidentia in noſtra praxi, capite de dyſenteria ſufficienter adduximus, quæ iterum hîc non ſunt repetenda.

Diximus in obſeruatione, quod æger erat morbo articulari paratus, cuius humor fuit ad inteſtina tranſmiſſus, ibique excitauit vlcus, ſeu inteſtinorum difficultatem. Dubitari tamen poteſt, an arthritis fieri poſſit ab intemperie nuda, hoc eſt ſine affluxu humoris. Paulus *lib.* 3. *cap.* 78. duas articularis morbi cauſas eſſe neceſſarias ſtatuit; nam debet imbecillitas articulis incumbere, & ad ipſos humor ſuperans confluere, tanquam ad partem debilem; ita vt ſi infirmi ſint articuli, & debiles tantùm, neutiquam fit dolor articularis, donec ad ipſos humor ſe conferat, qui partes ſentientes diſtendat, & dolorem excitet. Idem docet Galen. 10. *ſimplic. cap.* 1. quod etiam experientia quotidiana comprobatur, ſiquidem hic affectus curatur ſemper remediis euacuantibus humorem ad partem fluentem: vlteriùs in hoc morbo adhibentur eadem remedia, quæ adaptantur fluxioni alterius partis, admouendo modicè repellentia in principio, deinde reſoluentia, quæ non debentur intemperiei nudæ, ſed illi, quæ ex humoribus dependet.

Coſteus *fen.* 2.2. *lib.* 3. *tract.* 2. *annot. ſuper cap.* 5. cenſet, quod hic morbus poteſt fieri ab intemperie ſine humoris affluxu, probatque ex Hippoc. *lib. de intern. affectionibus*, vbi iſchiadem, quæ eſt arthritidis ſpecies, ex ſiccitate prouenire teſtatur; cui etiam

A ſuffragatur ratio, nam vt ex eodem Hippoc. conſtat, dolores fiunt cùm ſubitò natura alteratur, aut corrumpitur: ergo cùm articuli poſſint alterari ſubitò ab intemperie aliqua nuda, vt ab intemperie ſolis æſtuantis, vel alterius cauſæ, ea alteratio valebit excitare dolorem articularem. Non ergo requiritur fluxus alicuius humoris ad articulos. Accedit ad hoc, quod in arthritide aliquando non differt pars ſana ab ægra ratione tumoris, ſed ſolùm ratione doloris, & intemperiei; & in curatione huius morbi Auic. commendat mutationem complexionis. Videtur ergo, quod aliquando fiat ab intemperie nuda ſine materia.

*Morbus articularis frequenter dependet ab humoribus.*

Mihi tamen videtur, quod morbus hic frequenter dependet ab intemperie cum affluxu humorum, vt conſtat ex Authorum placitis, & methodo curandi illum, qui neutiquam conuenire poteſt intemperiei ſine materia; & propterea in praxi diximus, quod B hic morbus fit, vel ob fluxionem humorum ad articulos, vel quia paulatim ob eorum debilitatem plura congregantur in illis excrementa, quæ dolorem excitant. Quod ſi Hipp. aſſerat iſchiadem fieri à ſiccitate, debet intelligi de ſiccitate cum affluxu humoris. Neque valet: Alterantur articuli ſubitò: ergo fit dolor articularis; nam licèt communi nomine ſic poſſit appellari, nullus tamen dicitur morbo articulari affectus, quin habeat dolorem dependentem à cauſa aliqua materiali: quare ſtricto modo ſumptus articularis morbus dicitur ille, qui articulos afficit dependenter à materia: neque dicitur podagricus, qui habet intemperiem doloroſam in pede, donec humores ad illius confluant articulos, ſiue tumorem eleuent, vel non. Neque Auic. commendat ſolùm mutationem complexionis in curatione huius affectus, vt conſtat *ex cap.* 22. *lib.* 3. *tract.* 2. vbi ſtatim commendat euacuationem humoris redundantis, C vt cuilibet capitis Auic. initium legenti patefit. Præualuit ergo vſus appellandi arthritidem, podagram, chiragram, & iſchiadem eum morbum, qui in illis partibus dolorem concitat ab aliqua cauſa humorali, non verò intemperiem articulos afficientem, ſiue dolorem inferat, vel non: & propterea cùm arthritis hæc fieret ab humoribus, ipſâ ceſſante ob cauſas à nobis propoſitas, facile erat humores aggregatos ad inteſtina propellere, & dyſenteriam gignere, & ob ægri imbecillitatem, & humorum effrænem conditionem, eum ad interitum ducere; non enim eſt poſſibile omnes euincere morbos, vt ait Hippocrat. 1. *prognoſt.*

*Timor cur aliquando aluum ſiſtit.*

Sed quod mentione dignum iudico eſt, quod ſtatim ac illum admonui blando, & leni ſermone, vt confeſſarius accederet, ipſe illicò obmutuit, & correptus fuit apoplexia, ſolumque pronunciauit illa verba: *Luego muerome*, ſubitoque alui fluxus ceſſauit, cuius contrarium producere timor eum occu- D pans poterat; nam vt alibi diximus, metus aluum mouet, non ergo illum ſiſtere debet, neque facere motus contrarios. Ita ſentit Francifortius *lib.* 1. *ſectione* 16. *de perturbat. ſubiect. ſect.* 16. *de timore.* Idem refert Ariſtotel. 3. *de partibus animal. capit.* 2. de bonaſo animali, cui natura pro auxilio dedit profuſionem excrementi; nam cùm metu corripitur, excremento ſe tuetur, quo canes illud inſectantes offendit, imò & vrit, vt etiam tradit Plin. *libro* 8. *capite* 15. Ratio eſt in promptu, nam per timorem humores agitantur, & mouentur vehementer; & quia timor, vt ait Ariſt. 2. *Rhetoric. ad Theodectem, cap.* 5. fit ex imaginatione futuri mali corruptiui, quod de prope videtur, vt iam impendeat, tunc quidem maximè animum perturbat, humoreſque mouentur ad intra in ſubſidium cordis, à quibus in magno timore ſuffocari ſolet, & eſſe mortis cauſa, vt alibi diximus

ex

ex mente Diui Thomæ 1. 2. *q.*41. *artic.* 2. conſiſtit enim in fuga ab obiecto arduo diſconuenienti, quod de propè minatur, & vt ſe liberet à ſuffocatione natura dum potens eſt, omni conatu excernere tentat ipſos humores, eoſque ſecernit per aluum: ergo ex timore alui fluxus non deberet cohiberi.

Hanc controuerſiam facilè dirimam aſſerendo, quod non ſemper in timore, etſi magno excitatur alui fluxus; imò ob retroceſſum humorum ad intra præſente timore, alui fluxus impeditur; quare ſi poſtea ipſe ſuperueniat, ideo fit, quia natura robuſta illum humorem expellit; tamen dum ipſa languida nimis eſt, non poteſt illum humorem expellere, qui ad intra detentus ſolet mortem inopinatam afferre, vt nos latè probauimus 3. *lib. de febribus*, *in quæſt. Virum animi paſſiones poſſint interitum ſubitò cauſare*; præſertim dum vehemens paſſio eſt, & vires languidæ nimis, vt in caſu à nobis propoſito.

Propter hanc rationem, delato etiam humore ad partes ſuperiores, obmutuit; qui euentus etiam timori tribuitur à Virgilio *Georg. lib.* 3. vbi ait:

*Stat pecus omne metu mutum.*

Tranſmiſſo ergo humore ad caput, aberrante naturâ, fuit ſubſequta apoplexia, & inde ſensûs, & motûs amiſſio, cum difficili, & inæquali reſpiratione, & tandem mors.

Hanc attuli obſeruationem, vt Medici agnoſcant, quantam ſolertiam, & induſtriam habere debent circa ægros, dum propè mortis limina ſunt, quos prudenter admonere debent. Verumtamen ſi ſint nimis timidi, ita vt præ timore vehementi, pronuntiato periculo à Medico, tale perferre nuntium ipſos non poſſe Medicus exiſtimet, eo in caſu prouideat, vt per confeſſarium, vel amicum, ſeu familiarem blando ſermone de ſuæ vitæ ſtatu certi fiant, vt ſic ſuauiter etiam ad confeſſionem ſe præparent, & ad ea quæ ſui muneris ſunt. Quod ſi alij nolint ipſos admonere ægros, Medico Chriſtiano incumbit proponere quidquid illis conuenit, iuxta Bullam Pij V. *Super gregem*, editam anno Domini 1566. in qua præcipit, ne Medici vltra tertium diem ægrotum viſitent, niſi de illius confeſſione certi fiant; quæ conſtitutio renouatur *in capite. Cùm infirmitas, de pœnitentia, & remiſſ.* Benè verum eſt, dictam conſtitutionem non obligare, niſi in morbo graui, vel qui in principio prudenter, & iuxta medicinæ regulas iudicatur periculoſus: lege Dianam *n.* 15. *de confeſſione.*

*Qualiter M[illegible] ſe habere debeat circa ægrorum confeſſionem.*

# LIBER QVARTVS

## Obſeruationum, Annotationum, Diſputationum, & Quæſtionum ad Philoſophiam, & Medicinæ theoriam, & illius praxim attinentium.

### DISPVTATIO I.

*De ſcopis ad ſanguinis miſſionem neceſſariis. Ad D.D.* HIERONYMVM MORALES DE PRADO, *Comitem Palatinum, Magni Philippi Quarti Regis noſtri potentiſſimi à cubiculo Medicum meritiſſimum, ac Protomedicum generalem, meumque Magiſtrum.*

DE ſcopis mittendi ſanguinem latè nimis Galen. & omnes priſci Medici pertractarunt, ita vt nihil deſideretur, quod in ipſis, præcipuè in Galeni ſcriptis, non comprehendatur; tamen circa eorum intelligentiam plurimùm diſſentiri video, quod forſan dedit dubitandi anſam pluribus circa huius generoſi auxilij exequutionem, ex cuius debito vſu ferè omnium morborum extinctio præualet; nam vt inquit Celſ. *lib.* 2. *cap.* 10. *Sanguinem inciſâ venâ mitti nouum non eſt; ſed nullum penè morbum eſſe, in quo non mittatur, nouum eſt, &c.* Nihil communius in praxi, quàm ſanguinem mittere; nihil verò difficilius, quàm ſcopos mittendi ſanguinem, & purgandi inuenire; forſan enim vulgo hæc vilia putantur, quæ intellectu difficillima ſunt, vt ait Hipp. *lib. de flatibus.* Communiter dici ſolet, quod Medici nihil aliud ſciunt, quàm ſanguinem mittere, & expurgare; vtinam adhuc omnes Medici hoc probè ſcirent, ſic etenim non eſſet difficile reliqua pertingere, quæ cognitu faciliora ſunt. Dum in conſultationibus verſamur, circa ea, quæ ægris adminiſtrari debent, ſæpè diſſentimus, quibuſdam venæ ſectionem admonentibus, aliis purgationem, aliis denique vtrumque auxilium fugientibus, & alia remedia conſulentibus; quod vtique maximè noxium eſt miſerrimo ægrotanti, qui in tali conflictu poſitus poterit dicere cum Menand. *Multorum Medicorum ingreſſus me perdidit.* Hoc autem prouenit ex mala ſcoporum, & indicantium comprehenſione; non enim omnes eandem rem eodem pertractant modo, quia neque eodem modo indicantia, & ſcopos cognoſcunt, aut quia diuerſimodè Authorum verba interpretantur, aut quia rem eorum plurimi non poſſunt callere, neque ſcopum attingere; ſicque quidquid adhibent, eſt cum ægroti diſcrimine vitæ, & toties peccare ſolent, quoties ad ægrum accedunt. Vt ergo hos fugiamus errores, habeamuſque notitiam, quam artificioſa coniectura præbere poteſt, ad indicantium cognitionem, & remediorum ad ſcopos directionem hanc prouinciã aggredi non pertimeſco, quam vtilem profuturam eſſe non dubito. Eam tibi dico, non vt mei intellectus facilitatem, & acumen laudibus extollas; nam dum hæc ſcribo, mei

*Vena ſectio in omnibus ferè morbis exercetur.*

*Inter Medicos diſſenſio vnde proueniat.*

ingenij ruditatem, & inſcitiam confiteor; ſed vt Magiſter tuâ doctrinâ, & ſapientiâ corrigas, emendes, & perluſtres. Si aliter feceris, non laude, ſed reprehenſione dignus eris, dicamque cum Plaut. *in Trinum.*

*Sed tu ex amicis certis mihi certiſſimus,*
*Si quid me ſcis feciſſe inſcitè, aut improbè,*
*Si id non accuſas, tu ipſe obiurgandus es.*

*Remedia debent eſſe morbo æqualia.*

Ad propoſitum ergo accedentes, nonnulla ſunt ſupponenda ad quæſiti intelligentiam. Tanquam certum ſupponimus primò, quod cùm remedia debeant eſſe æqualia morbo, vt curatio tuta fiat, morbis magnis magna debent adhiberi remedia: quare Hipp. 1. *aphoriſm. text.* 6. extremis morbis extrema eſſe admouenda remedia docet. Sed cùm trifariam morbus dicatur magnus, vt notat Gal. 4. *method. cap.* 6. aut quia in ſe magnus eſt, hoc eſt ſecundùm propriam eſſentiam, vt vlcus magnum, ingenſve intemperies; aut quia partem principem afficit, nempe cor, vel cerebrum, &c. aut ob cacoëthiam, ſeu malignitatem, vt febris peſtilens, vel maligna, quibus omnibus debentur magna remedia, aliter enim auferri nequeunt. Sed quia ſanguinis miſſio, imò & expurgatio remedia magna ſunt, de ipſis dubitatur, an cuicumque morbo magno ſint ex vſu, vel determinatè potiùs vni, quàm alteri adaptentur.

*Tripliciter morbus dicitur magnus.*

*Morbus magnus præſens, vel imminens curationem exigit.*

Attamen cùm morbus magnus poſſit eſſe præſens, vel imminens, non ſolùm remedia proponuntur ad morbum magnum præſentem abigendum, ſed etiam ad morbum futurum, ſeu imminentem, in ordine ad quem Hipp. 6. *aphor. text.* 47. ait: *Quibuſcumque venæ ſectio, vel expurgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.* Hæc autem curatio præſeruatiua nuncupatur, vt ait Galen. 2. *aphoriſm. comment.* 22.

*Morbi quidam pendent ex humoribus alij independenter ſe habent.*

Suppono ſecundò, quod morbi quidam pendent ab humoribus, ſine quorum ablatione morbi ipſi non auferuntur, de quibus loquitur Galen. *libro artis medic. cap.* 89. dum ait: *Vnamquamque cauſam priùs abſcindere debemus, deinde ad eam, quæ facta eſt, dyſcraſiam peruenire.* Hi igitur morbi, qui ab iis humoribus originem trahunt, dum magni exiſtimantur, petunt ſanguinis miſſionem, aut expurgationem, tanquam remedium magnum: quodnam autem remedium ex iis exigant, & à quo morbo indicatur, eſt quod inueſtigamus.

*Quid ſit indicans, & ſcopus.*

Tertiò ſuppono differentiam quandam inter indicans, & ſcopum; nam indicatio eſt agendorum inſinuatio, ex Gal. 2. *methodi, cap.* 7. vnde vulgò dici ſolet: *Indicatio eſt agendorum inſinuatio, ſeu repræſentatio, ex propoſita rei natura*; nam cognitâ naturâ indicantis, eſt tacita quædam oſtenſio, & repræſentatio illius, quod fieri debet, & ſic eò loci indicationem emphaſim vocat Gal. quæ nihil aliud eſt, quàm figura grammaticalis, quâ aliquid latitans ex manifeſto eruitur: & quia cognitâ rei naturâ, & ſeſe offerente eo, quod indicatur, ſtatim quid ſit faciendum, eruimus, ideò Gal. indicationem emphaſim eſſe pronunciat.

*De indicatione traditur triplex diffinitio.*

Hæc definitio indicationis, etſi breuis, comprehendit tam indicationem deſumptam ab ſtatu naturali, quàm ab ſtatu præter naturam, & neutro; nam in ſtatu naturali indicantia inſinuant, quæ facienda ſunt ad illius ſtatus conſeruationem, & in ſtatu præter naturam, quæ conferunt ad morbi ablationem, & reductionem ad ſtatum ſalubrem: & idem ſuo modo dicendum de ſtatu neutro, ſiue ſit conualeſcentiæ, ſiue decidentiæ. Ampliorem indicationis definitionem proponit Galen. *libro de opt. ſecta ad Traſib. cap.* 11. quæ quidem amplectens quemlibet ſtatum, vt prima, debitam remediorum A quantitatem, qualitatem, tempus, occaſionem, & locum, in quo debent apponi, deſcribit, dicens: *Indicatio eſt, quando rebus percipiendis, ſimul & quod confert percipitur ſine obſeruatione, & ratiocinio.* Si enim non adhiberentur remedia, & alia in quocumque ſtatu, cum conditionibus ab ipſo allatis, non poterat de illis affirmari, quod conferre poſſint: quapropter latiùs patet hæc definitio indicationis, quàm prima. Aliam denique definitionem tradit eodem loco, ſic: *Indicatio eſt comprehenſio iuuantis ſimul cum comprehenſione nocentis, abſque obſeruatione, & ratiocinio.* Hæc tamen definitio comprehendit tantùm indicationem curatricem, quæ à morbo ſumitur; nam in indicatione conſeruatrice, quæ à rebus ſecundùm naturam accipitur, nihil nocens ſimul cum iuuante apprehenditur; ſolùm enim indicatio inſinuat quæ facienda ſunt, non verò quæ nocent, vt morbus, & alia. Indicans ergo eſt, à quo indicatio ipſa deſumitur. Scopus eſt id, B quod præ oculis habemus ad talem indicationem exequendam. Itaque indicans inſinuat, quid ſit agendum; ſcopus verò, an ſit exequendum, quod eſt indicatum, & quomodo. Exemplo res demonſtratur. Indicatio ad euacuandum in genere ſumitur ab humorum peccato; an verò hæc euacuatio fieri debeat venæ ſectione, purgatione, balneo, inedia, &c. indicatur ab ſpecie humoris peccantis. An verò debeat exequi euacuatio indicata, & quomodo, non ab indicantibus ſuprà dictis, ſed ab ſcopis excipi debet, vt ſunt vires, morbi magnitudo, ætas, regio, anni tempus, conſuetudo, & qui præſcribunt executionem remedij, & illius modum; quidam eam executionem permittentes, vt vires; quidam executionem expoſcentes, vt morbus; quidam denique quantitatem, & qualitatem remedij metientes, vt ætas, & reliqua, ſimulque modum exhibendi imponentes.

*Quid ſit ſcopus, & indicans proponitur.*

C Sed quia hìc agimus de ſcopis mittendi ſanguinem, neceſſariò morbus tale remedium expoſcens debet pendere à ſanguine quantitate, vel qualitate peccante, aliter fruſtrà tale exerceretur remedium. Pro quo denique ſuppono, quod bifariam poteſt ſanguis peccare, vel quia quantitate excedit, vel quia in qualitatibus à propria diſtat natura. Primum vitium plethora, ſeu plenitudo nominatur: ſecundum cacochymia dicitur. Ita Galenus plurimis in locis, præcipuè tamen *libro de plenitudine, capit.* 11. & 13. *methodi, cap.* 6. *iam citato.* Neque circa hoc eſt inter Authores diſſenſio. Sed quia ad purgationem requiritur, quod etiam morbus, in quo eſt exercenda purgatio, pendeat ab humoribus, meritò vertitur in dubium, quinam ſint ſcopi in morbis his, qui pendent ex humorum vitio, ſiue qualitate, ſiue quantitate peccent, qui determinent Medicum ad vnum potiùs quàm ad aliud exercendum remedium: vnde ſi ſemel apprehendamus ſcopos D mittendi ſanguinem, non erit difficile comprehendere eos, qui purgationem expoſtulant. His igitur ſuppoſitis ſingulas ſententias referemus; magis probabilem, & quæ quietiorem reddat intellectum, eligemus, & reliquas redarguere tentabimus. Vtinam ex hac controuerſia vtilitatem in ordine ad ſalutem depromere valeamus.

*Sanguis dupliciter peccat.*

## §. I.

### *Proponitur primus dicendi modus.*

PRima ſententia aſſerit, quod quando adeſt, vel aderit morbus magnus, ætas florens, & virtus conſtans, tunc eſt exercenda ſanguinis miſſio. Hunc dicendi modum ſequitur Matthæus Curtius, cui

*Prima ſententia probans morbi magnitudinem, &*

*virium robur eſſe ſcopos ſanguinis miſſionis proponitur.*

cui non deſunt fundamenta. Probatur ergo primò ex noſtro Hipp. 4. *de rat. vict. in morbis acutis*, *textu 19.* vbi ſic: *In morbis acutis, ſi morbus magnus eſſe videatur, floruerit que ægrotantis ætas, & adfuerit virium robur, ſanguinem detrahes.* Idem Galenus 4. *method. cap.6.* vbi adducens huiuſmodi ſcopos aſſerit, quod præſentibus iis ſcopis, nemo eſt in arte medica exercitatus, qui ſanguinem non mittat; & propterea 4. *de rat. vict. in comm. textus citati*, miratur, quare Hippoc. non repoſuerit illam ſententiam inter aphoriſticas. Idem ſtatuit *libro de curandi ratione per venæ ſectionem, cap. 9. & 13.* vbi præſentibus iis ſcopis, ſanguinem ſemper mittere iubet. Oribaſ. *lib. 1. ſynopſeos*, *cap. 7.* ait: *Si morbus magnus expectetur, ſanguis omninò mittendus erit, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint; habita tamen ratione ætatis, anni temporis, & virium.* Hoc comprobat Galen. 11. *method. cap. 15.* in curatione febrium putridarum, vbi ſaluberrimum eſſe dicit venam incidere, non in continuis modò, ſed in omnibus iis, quas putridus humor concitat, vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibeant; leuata namque, quæ corpus noſtrum tegit, naturâ, exoneratáque eo, quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquum eſt, vincet. Itaque proprij muneris haud oblita, & concoquet quod concoqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni.

Et rationibus ſuadetur hæc aſſertio primò; nam ſi ob aliquam rationem humores intra venas prohibent venæ ſectionem, maximè quia diſtant à natura ſanguinis, ac per conſequens ſimul euacuabitur innoxium cum noxio: hoc autem non tollit huius remedij vſum; nam licèt humores diſtent à natura ſanguinis, exibunt tamen per venæ ſectionem, vt experimur in vaſis extrinſecis, in quibus ſi vinum, & aqua ſimul contineantur commixta, nequit extrahi vnum ſine alio.

*Medicamentum purgans interturbat coctiones.*

Dices eos humores noxios debere extrahi purgatione, quæ reſpicit humores qualitate peccantes? Reſponderi poteſt, quod medicamentum purgans, licèt humores illos attrahat, & euacuet, id tamen facit maxima cum commotione corporis, perturbatque coctionem, quam deſideramus in ipſis huhumoribus: Quapropter, niſi in caſu turgentiæ, aut vrgentiæ, in morbis magnis, & acutis non vtimur medicamento purganti. Confirmatur; nam in ardentiſſimis febribus ſanguinem non quomodocumque mittere iubet Galen. ſed vſque ad animi deliquium; ſed febres ardentes fiunt à bile ſuccenſa, & putrefacta, quæ maximè diſtat à natura ſanguinis: ergo etiamſi nullum ſit peccatum in ſanguine, venam ſecare debemus.

Poteris reſpondere, quod quando humores ſinceri ſeorſum à ſanguine putreſcunt, aduruntur, vel inflammantur, aut aliquâ malignâ qualitate ſunt infecti, non poſſunt conſtare vires, quia in præſentia parui humoris non poteſt natura benè ſe nutrire, ſicque deficiente ſcopo virium deficit ſcopus ſanguinis miſſionem permittens. Sed hoc opponitur veritati; nam in præſentia humoris praui, & cacochymi poſſunt ſaluari vires robuſtæ, vt elucet in morbis pluribus peſtilentibus, & malignis, & aliis, in quibus Authores omnes ſanguinem mittunt; quod oſtendit Galen. 1. *aphoriſm. comm. 17.* vbi docet, coniungi poſſe virium robur cum humorum corruptione: ergo tunc non deficit ſcopus, qui deſumitur ex robore virium.

*Præſentibus humoribus vitioſis ſoluuntur vires robuſtæ.*

*Quibus de cauſis ſanguis eſt mittendus.*

Secundò probo ex Galen. 9. *method. cap. 11.* vbi docet, venam eſſe ſecandam, dum ſanguis ſit naturæ inutilis: vbi bifariam inutilem fieri aſſerit, vel quia ad vnguem ſuam temperiem non ſeruat, vt nutrire poſſit; vel quia ita multitudine creuit, vt venas, aut arterias vel diſtendat, vel findat, vel obſtruat, vireſque premat. Sed dum ſanguis non ſeruat proprìam temperiem, & redditur nutritioni ineptus, dicitur cacochymus, & vitioſus: ergo præſentibus ſcopis à nobis aſſignatis, cacochymia non impedit venæ ſectionem. Hoc confirmat Auic. *fen. 4. 1. doct. 5. cap. 20.* vbi ſic: *Vnuſquiſque eorum, aut phlebotom tur propter ſanguinis multitudinem additam, aut propter ipſius malitiam, aut propter vtrumque.* Atque adeò dum cum his ſcopis humorum malitia reperitur, ſanguis neceſſariò eſt mittendus.

*Vires ad ſanguinis miſſionem debent eſſe fortes.*

Tandem probatur de quolibet ſcopo per ſe. In primis vires ad ſanguinis miſſionem debent eſſe fortes; nam remedium magnum, quale eſt ſanguinis miſſio, vires multùm deiicit. Debent ergo vires eſſe valentes ad hoc ſuſtinendum auxilium, vt ait Galen. 9. *method. cap. proximè cit.* neque in hoc diſconueniunt Authores. Quod verò ætas florens ſit neceſſaria, inde conſtat; nam pueri habent ſubſtantiam facilè reſolubilem, ſicque alia euacuatione non egent. Quapropter libro *de euacuand. rat. per ſanguin. miſſionem, cap. 13.* ait: *Hac ratione nec pueris venam tundes vſque ad quartumdecimum ætatis annum, &c.* Senes ſimiliter, quia ſanguinem craſſum, & frigidum habent, & conſequenter vires debiles, eis tale denegatur auxilium; quâ de cauſa ſenibus ſanguinem non detrahere præcipit. Inter ætatem autem puerilem, & ſenilem, ſi robur ægro non deeſt, ſecare venam iubet, etſi plenitudinis ſigna non adſint. Confirmat id de ſenibus Gal. *eodem lib. cap. 9.* vbi ſic: *Verùm ſenum ætas in virium verbo comprehendi poteſt, nulli enim qui ea ætate eſt, robur ineſt.* Quare cùm in ipſa ætate ſenili vires debiles exiſtant, ideò eam ætatem ſub verbo virium comprehendit. Non tamen ſic accidit pueris, quibus ſanguinem mittere non debemus, non quia non habent vires, ſed quia habent euacuationem inſenſibilem propriæ ſubſtantiæ, quæ defectum ſupplet ſanguinis miſſionis, vt eodem loco fatur Gal. De morbo magno non dubitatur, quod remedium poſtulet magnum. Itaque ſi morbus ſit pendens ab humoribus, nullum aliud auxilium commodius adhiberi poteſt, quàm venæ ſectio; & amplectens Gal. loco vt ſuprà huiuſcemodi tres ſcopos, ait: *Rectè ergo admonemur, in iis qui exempli causâ in libris de ratione victus acutorum proponuntur, ſanguinem mittere, ſi magnus ſit morbus, & æger florenti ſit ætate, roburque adſit.*

*Senum ætas ſub viribus comprehenditur ad remedium exequendum.*

*Quo tempore habet locum purgatio.*

Percontaberis tamen, quando purgatio medicamento facienda habeat locum? Nam ſi dum adeſt plenitudo, vel cacochymia, cum ſcopis aſſignatis, ſanguinem mittimus, nullum remanet tempus, neque occaſio offerendi medicamentum purgans, in cuius oblatione, cùm remedium magnum ſit, expoſtulantur etiam iidem ſcopi, qui deſiderantur in venæ ſectione.

*Maſſaria reſponſio.*

Huic dubio ſatisfacit Alex. Maſſar. *tract. de ſcopis mittendi ſanguinem generaliter*, *propè finem*, aſſerens, quod licèt iidem ſcopi requirantur ad vtrumque auxilium; tamen cum hac differentia: nam cùm vires valentes ſunt, ita vt adhibito remedio ſuperſint ſufficientes ad ferendum morbum, tunc quidem venæ ſectio eſt conſulenda: at verò ſi coniecturâ aſſequatur Medicus, quod factâ venæ ſectione vires ita debiles redduntur, vt nequeant poſtea morbum ſuperare, tunc melius, & ſecurius eſt pharmaco purganti humorem extrahere, quo minùs deiiciuntur vires, meliuſque poſſunt ferre ſymptomata, quàm ſi ſectio venæ adminiſtraretur, in qua maius robur virium expoſtulatur, quàm ad expurgandum. Id comprobare viſus eſt Valleſ. 7. *controuerſ. cap. 10.*

*cap.*10. vbi tenet; virtutem magis conſtare debere ad mittendum ſanguinem, quàm ad expurgationem; nam quamuis medicamenta purgantia per ſe deiiciant virtutem alterando, ex accidenti tamen iuuant magis, euacuando noxios humores: in venæ verò ſectione plurimùm ſanguinis laudabilis, necnon ſpirituum vitalium, qui ſanguini ſunt commixti, euacuatur, quo fit vt multùm vires debilitentur, atque adeò his ſic intellectis, datur locus vtrique auxilio.

## §. II.

### *Huius dicendi modi impugnatio.*

QVamuis tot authoritatibus, & rationibus ſtabilita ſit hæc ſententia, à nobis tamen improbanda venit; nam licèt detur caſus, in quo præſentibus illis ſcopis ſanguinem mittere debeamus, non tamen vniuerſaliter eſt accipienda: nam plures ſunt caſus, in quibus prædicti ſcopi reperiuntur; & tamen eſſet maximus error ſanguinem mittere.

*In turgentia ſemper conuenit purgatio.*

Probatur ergo primò, nam præſente turgentia, etſi ſcopi aſſignati eluceant, nullus ſanæ mentis tentabit ſanguinem mittere, ſed ſtatim eadem die medicamentum purgans propinabit, iuxta dictum Hipp.4. *aphor. textu* 10. vbi ait: *Medicari in valde acutis, ſi materia turget, eadem die; tardare enim in talibus malum eſt.* Idem docet 1. *aphoriſm. text.*22. vbi concocta præcipit medicari, & non cruda, niſi materia turgeat. Quaſi diceret, quod turgente materia ſtatim eſt medicandum: ergo cùm præſentibus his ſcopis conueniat etiam expurgatio, non ſemper poſſumus venæ ſectionem adminiſtrare.

Secundò id probatur ex Galen.4. *methodi*, *cap.*6. vbi tam morbi magnitudinem, quàm virium robur dicit eſſe ſcopos ad ſanguinem mittendum, & ad expurgandum: qui cùm ad vtrumque auxilium indifferenter ſe habeant, debemus aſſignare aliquid, per quod Medicus determinetur potiùs ad vnum auxilium, quàm ad aliud.

*Morbus magnus exigit remedium magnum.*

Tertiò id probo de quolibet ſcopo per ſe ſumpto, & primò de morbi magnitudine; nam morbus magnus poſtulat remedium magnum per ſe: ergo cùm plura ſint remedia magna, debet aſſignari aliquod, cuius ratione remedium magnum determinatè tale expoſtuletur: hoc non poteſt eſſe ipſa morbi magnitudo, quæ indifferenter ſe habet ad quodlibet remedium magnum: ergo morbi magnitudo non petit determinatè ſanguinis miſſionem, ſiue præſentes ſint alij ſcopi, ſiue non. Et confirmatur, nam morbus magnus poteſt eſſe talis in intemperie, ſine dependentia ab humoribus, vt patet in febre ephemera, quæ ratione propriæ eſſentiæ, & partis affectæ eſt reuerà magna. Quod ſi nolis admittere, negari non poteſt, quod ipſa quandoque ſit peſtilens, vt in noſtro libro de febribus ſufficienter probauimus; tuncque erit magna ob cacoëthiam, ſeu malignitatem; quo tempore nulla datur occaſio mittendi ſanguinem, aut expurgandi; quia ea febris non dependet à peccato ſanguinis, ſed ſolùm petit ſui ablationem per contraria alterantia, & qualitatem malignam coërcentia: ergo morbi magnitudo per ſe non indicat ſanguinis miſſionem, neque eſt ſcopus, in quem per ſe dirigitur tale remedium.

*Morbus magnus non eſt ſcopus mittendi ſanguinem.*

Quartò; nam ſi eſſet morbus magnus cum multa copia ſucci crudi, qui venæ ſectionem impediret, neutiquam ſanguis eſſet mittendus, vt inſinuat Galen. *lib. de euac. rat. per ſanguin. miſſionem*, *cap.*10. vbi expreſsè docet, quod ſi crudi ſucci exſuperant, nequaquam eſt ſanguis mittendus: ergo morbi magnitudo ſanguinis miſſionem non indicat. Dices, in iis non adeſſe virium robur, quod eſt alter ſcopus. Demus ex impoſſibili hypotheſi, vt ait Valleſ. 7. *controu. cap.*2. quod adeſſet morbus magnus ex cruditatibus cum virtutis robore, tunc nullus ſanguinem mitteret, ac per conſequens morbus magnus non eſt ſcopus per ſe ſanguinis miſſionis.

*Vires non petunt venæ ſectionem, ſed ſui cuſtodiam.*

De viribus, quod non petant venæ ſectionem, notum eſt; ſolùm enim petunt quidquid ad earum requiritur conſeruationem, & cuſtodiam; vires enim ſeruare, nihil planè aliud eſt, quàm vitam cuſtodire, ait Galen.9. *method. cap.*10. quapropter ſicuti morbus petit ſui ablationem, vires ſuam expoſtulant conſeruationem; & ſi vires remedium ſuſtineant, & illud permittant, non tamen remedium indicant, neque per ſe ſunt ſcopus, aut indicans. Si igitur per ſe remedium in genere non indicant, non poſſunt indicare ſanguinis miſſionem, quæ eſt ſpeciale remedium. Quod dilucidè explicuit Gal. *lib. de euacuandi ratione per ſang. miſſ. capit.*13. *cit.* dicens: *Morbi quidem magnitudo cum virium robore, primi erant mittendi ſanguinis ſcopi; illa quidem, quæ facienda ſunt indicans; hoc tanquam illud haud prohibens; id quod contraindicare iuniorum Medicorum quidam appellant.* Confirmo hanc doctrinam ex ſtatu virium tempore ſalutis, quæ dum valentes ſunt, alimentum exigunt ad ſui conſeruationem, non verò ſanguinis miſſionem, quæ potiùs vires deiicit; neque aliud remedium euacuans, vel alterans. Cùm ergo indicatio deſumatur à cuiuſque rei natura, quocumque tempore indicatio ab eadem natura deſumi debet: ergo ſi tempore ſalutis à natura virium, earum conſeruatio indicatur, quocumque tempore ſuam expoſtulant conſeruationem. Continuò ergo alimentum, & ſui cuſtodiam præſcribunt vires.

*Quid ſit ætas florens & an ſit ſcopus ad ſanguinem mittendũ.*

Tandem, quod ætas florens non debeat connumerari inter ſcopos ſanguinis miſſionis, & expurgationis, facilè probari poteſt ſupponendo priùs, quid nomine ætatis florentis intelligit Hipp. certum enim eſt, quod ſub hac ætate non comprehendit pueritiam, ſiquidem Galenus interdicit pueris venæ ſectionem vſque ad 14. annum, in quo communiter terminatur pueritia, vt ipſe refert *libro de euac. rat. per ſang. miſſion. cap.*13. *toties repetito*, vbi vt venam tundat pueris, multa priùs docet eſſe conſideranda, vt ſi poſt 14. annum multus ſanguis congeſtus appareat, tempuſque anni vernum fuerit, regioque naturâ temperata, & pueri natura benè ſanguinea; multoque magis, ſi aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti, grauiſque morbi periculum incumbat. Et *cap.*9. adducens ſcopos mittendi ſanguinem, excipit pueros; quapropter florens ætas non comprehendit ætatem puerilem, nec ſub hac ætate ætas ſenilis continetur, vt deducitur ex eodem Gal. proximè citato, vbi excipit ſenes, quibus non eſt ſanguis mittendus, quorum ætas in virium verbo comprehendi debet, vt ipſe ait: quo in loco docet ætatem florentem eſſe ætatem iuuenilem, in qua maximè vires vigent, & maius robur naturæ ineſt. Sed quia facilè poteris hanc Gal. mentem increpare, nam ipſe tranſacto 14. anno in pubertate ſanguinem mittit, & ſimiliter in ætate conſiſtentiæ; ideò ipſe aſſerit, quod non rectè habet Hipp. dumtaxat dixiſſe ætatem florentem, ſed addenda eſt, & quæ illam præcedit,& quæ ſequitur, vti videlicet hæ duæ tantùm diſtinctioni eximantur, nempe puerorum,& ſenum. Ex cuius verbis colligitur, quod etſi Hippoc.tantùm adduxiſſet inter ſcopos ad ſanguinem mittendum ætatem florentem, non tamen ita præciſè debet eſſe talis ætas, vt ſanguis non poſſit mitti in præcedenti,

denti, & conſequenti ætate. Debet ergo lato modo ætas florens ſub ſe continere ætatem adoleſcentiæ, & conſiſtentiæ; & hoc modo eſt interpretandus Hip. dum ætatem florentem conſignat ad ſanguinis detractionem. Horatius Augenius inquit, non ſolùm per ætatem florentem eſſe intelligendas ætates omnes intermedias à pueritiæ termino ad ſenectutem; ſed etiam vſque ad eam ſenectutis partem, quæ anno incipit ſexageſimo; ſolet enim ſenectus in tres diuidi partes, inter quas florens ætas primam, necnon ſecundam partem complectitur; extrema autem ſenectus, ſicuti & prima ætas, non ferunt ſanguinis miſſionem: diuerſa tamen ratione in vltima ſenectute parum ineſt calidi innati, ita vt non poſſit ſuſtinere hoc magnum auxilium; in pueritia, quia plurimùm calidi innati adeſt, facilis fit reſolutio, & euacuatio propriæ ſubſtantiæ, quæ etiam conſurgit ex diſpoſitione innata illius; quæ quidem ob mollitiem, & tenuitatem illius citiſſimè euacuatur inſenſibiliter: qua de cauſa qui creſcunt, plurimo egent alimento, alioquin corpus abſumitur, vt ait Hipp. 1. *aphoriſm. text.* 14. Quia ergo naturalem pueri euacuationem habent, non egent euacuatione artificiali. Hæc omnia conſentanea ſunt Galeni doctrinæ, iuxta ea, quæ ex eius mente tradidimus.

*Ætas florens non eſt ſcopus ad venæ ſectionem.*

His ſuppoſitis probatur, quod ætas florens non deſideratur vt ſcopus ad ſanguinis miſſionem, vel expurgationem; nam quod eſt ſecundùm naturam, vt ætas, vires, temperamentum, curationem indicare non poteſt, ſed ſui conſeruationem. Patet; nam indicatio ſumitur à natura rei: ſed ætas florens in ſtatu ſalutis indicat ſuam conſeruationem, & non curationem: ergo in ſtatu morbi idem indicare debet; nihil enim magis commune in medicina, quàm quod vnum vnum indicat; & quidquid pro ſua natura indicat, id vnum ſemper indicat, ſeu quod vnam habet naturam, vt docet Galen. 9. *method. cap.* 12. Quòd ſi dicas, ætatem florentem hoc non habere, niſi propter morbos, nihil conuincit; tunc enim non indicat per ſe, ſed ex accidenti: nam quod vni competit propter aliud, quod non eſt de illius intrinſeca ratione, conuenit illi per accidens; neque tunc dici poteſt, quod indicatio ſumitur à natura illius.

*Indicatio ſumitur à natura rei.*

*In pueris, & ſenibus venæ ſectio exercetur.*

Secundò; nam ſæpè in pueris, & ſenibus exercetur ſanguinis miſſio maximâ cum vtilitate, atque adeò non eſt ſemper neceſſaria ætas florens. De pueris id quotidiana obſeruatio oſtendit; nam dum pueri afficiuntur angina, pleuritide, febre ſynocho, vel alio morbo acuto, venæ ſectione feliciter curantur. Imò ſæpè accidit, quod in pueris plures morbi terminantur fluxu ſanguinis narium: ergo ſi illorum natura fert eam euacuationem ſponte factam, benè quidem poterit Medicus talem euacuationem ſupplere per venæ ſectionem. Similiter alias natura molitur euacuationes, per ſudorem ſcilicet, vel alui fluxum, ſine virium diſpendio: ergo pari ratione ars dum natura deficit in ſuis operibus, poterit eaſdem euacuationes excitare. Confirmatur; nam non minùs per criſim terminantur morbi acuti in pueris, quàm in aliis ætatibus: ſed ſæpè conuenit, dum natura pigrè, & diminutè operatur in criſi, ipſam naturam adiuuare in aliis ætatibus, vt opus expulſionis humorum perficiatur: ergo etiam in ætate puerili, quo tempore ſi fiat criſis imperfectè per fluxum ſanguinis, vel aliter, ſemper eſt adiuuanda; hoc enim eſt rationi, & Gal. doctrinæ conſonum, *lib.* 1. *aphoriſm. comment.* 20. vbi ait: *Vbi verò indeficienter iudicatur, id quod deficit, ſupplere nos conuenit.* Et rationem inſinuat dicens: *Nam quæ poſt iudicationem relinquuntur, faciunt recidiuas.*

*Naturæ defectū ſupplet ars.*

*Pueri habent ſibi adiunctam euacuationem propria ſubſtantiæ.*

Tertiò id probo adhuc in pueris; nam ideò in pueris ſanguinem mittere prohibet Galenus, quia ſcilicet habent euacuationem inſenſibilem naturalem, & ſunt in continuo ſubſtantiæ fluore, ob mollem eorum ſubſtantiam, quæ continuò conſumitur à calore innato; proptereaque 9. *methodi, cap. vlt.* inquit, quod eorum ſubſtantia, quia humidiſſima eſt, facilè digeritur, quo minùs vacuantis præſidij æget, cùm habeat ex ſeipſa vnde naturaliter euacuetur. Idem oſtendit 11. *method. cap.* 14. & alibi millies: ſed hæc euacuatio ſponte adueniens, non impedit fieri alias euacuationes vtiliter in morbis, vt iam dictum eſt: ergo neque impedit ſectionem. Si enim impediret, maximè quia ex euacuatione ſponte facta à natura, & euacuatione ſuperueniente in morbis fieret virium lapſus, ita vt non poſſent vires vtramque euacuationem tolerare; hoc autem eſt falſum, nam ſæpè experimur pueris ſuperuenire euacuationes criticas, imò & ſymptomaticas, quibus iuuantur, & morbos ſuperant; atque adeò non eſt ratio, quæ diſſuadeat ad ſanguinem mittendum.

*Cur Galenus non admittit venæ ſectionem in pueris.*

Inquires, ſi hæc vera ſunt, cur Galen. denegat pueris vſque ad 14. annum venæ ſectionem? Reſpondeo, quod antiquitus erat in frequenti vſu ſanguinem in maxima copia extrahere, propter eaque in adurentibus febribus, & in magnis inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus ſanguinem ad animi deliquium vſque mittebant. Renuens ergo Galen. copioſam ſanguinis euacuationem in pueris, propter euacuationem, quam ſibi inſitam habent, ideò aſſerit, quod neutiquam eſt illis ſanguis mittendus vſque ad præfixum tempus. Hoc quidem claret ex eius verbis; nam *libro de euacuandi ratione per ſanguin. miſſion. cap.* 13. *ſæpe citato*, ſtatuens quantitatem ſanguinis puero extrahendi, inquit: *Detrahes autem primum, vt ſummum ad cotylam vſque.* Eſt enim cotyla, ſecundùm Saladinum, pondus nouem vnciarum, quæ quantitas pro vna vice in homine robuſto ſufficiens apparet, non tamen, vt exiſtimo, omnimodè pueris venæ ſectionem denegat, niſi in pueris admodum paruis, & ortui proximis, vt ex ipſo conſtat *libro de ſectis, ad eos, qui introducuntur, cap.* 3. vbi verno tempore, ætate conſiſtenti, & loco natura temperato ſanguinem mittere iubens, ſubdit: *Sin imbecilla virtus eſt, ætaſque aut pueri nati admodum parui, aut ſenis in ſenium longè prouecti, regioque aut frigore algeat, qualis Scythia eſt; aut calore exuſta ſit, qualis eſt quam Æthiopes incolunt, annique tempus vehementer frigidum ſit, vel calidum, nemo eſt qui venam diſcindere audeat.*

Quibus verbis excludit tantùm pueros recenter natos à venæ ſectione, non verò natu maiores. Idem oſtendit *cap.* 8. *eiuſdem libri.* Sicque ſolui poteſt Gal. doctrina, dum aſſerit, quod in pueris non eſt vena abſcindenda ante 14. annum; nam ante illud tempus non eſt extrahenda quantitas ſanguinis, quam antiqui detrahere ſolebant; benè tamen minor: quod manifeſtè docet Gal. *de euacuandi rat. cap.* 14. vbi ait: *Proinde minùs detrahimus quàm plenitudo commouet, quod ad ætates quidem attinet in pueris.*

*Quo tempore pueris eſt ſecanda vena.*

Dubitabis tamen, & meritò, quo tempore pueris venam ſcindere poſſumus ante 14. annum? Horat. Augen. *lib.* 1. *de ſang. miſſion. cap.* 7. duo dicit. Primum, quod nunquam in pueris auſus fuit venam phlebotomo incidere, niſi tranſacto decimo ætatis anno. Rationem reddit, quia propter carnis mollitiem nimis altè penetrat; & quia cognouit hominem in ſanguine mittendo duos pueros peſſimè tractaſſe, quod remedium non admittit in omni puero in ea ætate conſtituto, ſed in iis dumtaxat, qui ſunt

pleno corporis habitu; in aliis aſſerit eſſe abſtinendum. Secundum, quod dicit, eſt, ante annum ſextum nullo modo ſanguinem miſiſſe; nam venæ ante id tempus vix videntur conſpicuæ: poſt ſextum autem annum vſque ad decimum brachiis puerili hyrudines admouebat, fricando priùs brachium, & ligando illud, vt patentiores venæ redderentur, ex quibus ſanguinem haurire debebant.

*Augenius improbatur.* Sed tanti viri pace, mihi eius diſplicet ſententia; nam ante illud tempus ſæpè pueri magnis, & acutiſſimis corripiuntur morbis, quibus ocyſſimè ſubuenire debemus, nec aliter, niſi magnis remediis. Si enim puer angina forti premitur, quæ illum intra diem naturalem è medio tollere poteſt, vt quid differendum eſt remedium magnum, æquè morbi magnitudini reſpondens? Nam vt ait Hip. *lib. de locis in homine*, vbi morbus magnus eſt, in hoc periclitari licet; nam ſi ſucceſſerit, ſanum facies; ſin minùs, quod futurum eſt, id ipſum perpetitur: & melius eſt, vt inquit Celſus, anceps periculum experiri, quàm nullum. Quapropter dum timetur ſuffocatio, vel vitæ periculum imminet, ſi citò remedia non adhibentur, reuerà ſanguinem mittere non recuſarem, quod quidem feci cum felici ſucceſſu in puero ſex menſium, in quo venæ non erant abſconditæ. Neque ex eo, quod artifex ſemel errorem committit in mittendo ſanguinem, deſtituendus eſt puer tempore neceſſitatis ab hoc generoſo præſidio; nam vt prouerbialiter dicitur, vna hirundo non facit ver. Quærere igitur oportet artificem induſtrium, & bene exercitatum, qui venam tundat; at ſi ob venarum obſcuritatem non poſſit phlebotomo vena ſcindi, tunc præualet vſus hirudinum, imò ſæpè neceſſitas cogit puerorum crura, vel brachia ſcarificare, neque ad hoc poſſumus ſemper expectare ætatis ſextum annum, imò neque ſextum menſem ab eorum editu in lucem. Ex iis ergo colligas pueritiam quantitatem remedij præfinire, non tamen eam ſimpliciter prohibere.

*An ſenes ſint venæ ſectione curandi.* Tandem de ſenibus probatur, quod ferre poſſunt hoc auxilium; nam in ætate ſenili poteſt reperiri morbus magnus, qui venæ ſectionem petat, & virium robur, qui primi, & præcipui ſcopi mittendi ſanguinem ſunt, vt ait Galen. *libro de euacuandi ratione, cap.9.* idem comprobat ipſe *cap. 13. eiuſdem lib.* agens de ſeptuagenariis, vbi ſic: *Sunt enim quidam & in hac ætate multi ſanguinis, vireſque habent robuſtas.* Deinde ſubdit: *Nam ſunt, qui ſexageſimo ætatis anno venæ ſectionem non ferant, cùm quidam, qui ſeptuaginta nati ſunt annos, perferant.* Quod voluit ſignificare Celſus *lib.2. cap. 10.* dum ait: *At firmus puer, robuſtus ſenex, & grauida mulier valens tutò curantur.* Sed cùm hoc à nemine dubitetur, altiori probatione non eget. Neque inuenio contradictionem in verbis Galeni; nam dum ſenibus denegat venæ ſectionem, loquitur de illis in extrema ſenectute conſtitutis; quo tempore ſpiritus, & ſanguis deficiunt; non tamen id negat abſolutè de qualibet ſenectutis parte, vt conſtat ex ipſo *libro de ſectis, ad eos qui introducuntur, capit.3. ſuprà citato*, vbi ſenibus in ſenium longè prouectis venæ ſectionem denegat. Idem aſſerit *capit.8. eiuſdem libri*, vbi ſic: *Sed neque vos, aut in vltima ſenectute cuiquam, aut puero natu admodum paruo, neque quiſpiam alter vnquam ſanguinem mittere eſt auſus.* Ex iis facilè deprehenditur, quod morbi magnitudo, virium robur, & ætas florens non ſunt ſcopi ad ſanguinem mittendum, ſed quod ſunt indifferentes ad vnum, vel alterum auxilium. Solùm ergo reſtat ad huius ſententiæ fundamenta reſpondere.

*Vt ſanguis mittatur ſemper requiritur morbi magnitudo, & virium robur.* Ad authoritatem Hippocrat. Gal. & aliorum aſſerentium præſentibus iis ſcopis ſanguinem eſſe mittendum, reſpondetur, ideò eos dixiſſe tunc eſſe mittendum ſanguinem, non quia ſemper ipſis ſtantibus ſcopis ſit mittendus, ſed quia dum mittitur, ſemper debent adeſſe, ſaltem illi duo præcipui, videlicet morbi magnitudo, & virium robur; & vt inquit Valleſius, non erat tam facile ipſos affectus, qui venæ ſectionem expoſtulant, comprehendere, cùm plures ſint; ideo breuicula methodo Hipp. ſcopos perpetuos miſſionis ſanguinis nobis propoſuit, morbi ſcilicet magnitudinem, & virium robur, ſine quibus non licet ſanguinem mittere, etiamſi per ſe ſanguinis miſſio non indicetur ab illis.

*Humores ſanguini commixti vena ſectione euacuantur.* Ad primam rationem dic, quod humores dum ſunt ſanguini commixti, venæ ſectione euacuantur, etiamſi diſtent quodammodo à natura ſanguinis; ſi verò non ſint commixti, vt in caſu turgentiæ, vel in aliis caſibus, vt ſuo loco dicemus, non eſt ſecanda vena, etiamſi hi ſcopi ſint præſentes.

Ad ſecundam rationem deſumptam ex Gal. 9. *method. cap.11.* reſpondetur, quod in caſibus à Gal. adductis ſanguinem mittimus, non tantùm ratione plenitudinis, ſed etiam quia ſanguis non ſeruat ſuam temperiem, neque eſt nutritioni aptus; an verò ſit ille ſanguis cacochymus, vel non, infrà adducemus. Pro nunc ſufficit dicere, quod dum ſanguis, vel alter humor ſanguini commixtus in qualitate peccat, tunc venæ ſectione eſt euacuandus. Ad vltimam rationem, quæ ſingulariter probat de quolibet ſcopo per ſe, reſpondetur verum eſſe, requiri morbi magnitudinem, & virium robur ad ſanguinem mittendum; non tamen ſunt ſcopi determinantes ſanguinis miſſionem, ſed indifferenter ſe habent ad hoc, vel illud remedium magnum; atque adeò debemus conſtituere ſcopum, qui tale determinet auxilium.

## §. III.

### *Secundus dicendi modus ſtatuitur.*

*Quod plenitudo ſit ſcopus ad mittendum ſanguinem, tenet ſecunda ſententia.* Alij, inter quos Menodotus, cuius facit mentionem Galen. *libro de euacuandi ratione per ſanguinis miſſionem, cap.9.* cenſent, morbum pendentem ex plenitudine, ſiue ad vaſa, ſiue ad vires, tantummodò ſanguinis miſſionem expoſcere; quem dicendi modum defendere conantur quidam hodierna die in noſtris Scholis, probantque primò ſuum placitum ex Auicenna *fen.4.1. doctrin.5. cap.20.* ſic phlebotomiam definiente. Phlebotomia eſt euacuatio vniuerſalis, quæ multitudinem euacuat. Ex qua definitione conſtat, quod ſanguinis miſſio dirigitur ad deponendam plenitudinem; & non ad aliud. Hippoc.1. *aphoriſmor. textu* 3. ſummè bonum exercitatorum habitum ſoluere præcipit, vt rurſus corpus nutriri incipiat; ille tamen habitus plethoricus eſt, quem venæ ſectione ſoluere iubet Galen. *in commentario.* Confirmat hoc Galen.4. *methodi, cap.6.* vbi in hæc prorumpit verba: *Sicuti miſſio ſanguinis, vel propter ipſius plenitudinem, vel propter morbi magnitudinem; ita purgatio, & propter abundantiam alterius ſucci, & propter vim morbi adhibetur.* Quo in loco Gal. dum alij humores à ſanguine redundant, purgationem admonet; dum verò plenitudo adeſt, ſanguinem mittit. Et ratione probatur; nam illud, quod per ſe primò euacuatur ſanguinis miſſione, dicitur primò, & per ſe ſanguinis miſſionem indicare; ſed primò, & per ſe euacuatur plenitudo: ergo plenitudo primò, & per ſe tale remedium indicat. Comprobat hoc Galen.3. *methodi, cap.1.* vbi ait: *Abſurdum eſt*

*eſt dicere, aliud curari, & aliud eſſe, quòd curationem præſcribat.* Ergo cùm morbus pendens ex plenitudine, ſit qui curatur, ipſe morbus cum plenitudine remedium præſcribit: hoc autem eſt ſanguinis miſſio: ergo morbus pendens ex plenitudine indicat ſanguinis miſſionem.

*Contra dicta circa miſſionem ſanguinis in plenitudine, obiectio.*

Quod ſi contra hanc doctrinam inſurgas ex Galen. *lib. de euacuand. ratione per ſanguin. miſſion. cap.* 8. vbi probat, quod non ſolùm quando adeſt plenitudo quoad vaſa, vel quoad vires, venæ ſectio prodeſt, verùm etiam citra plenitudinem in initio phlegmonis, qui aut propter ictum, aut dolorem, vel partium debilitatem prouenit; quippe cum dolor ſanguinem ad ſe trahat, & ſæpè partium debilitas phlegmonem, abſque eo quod in corpore plenitudo ſit, procreet, tunc neceſſaria eſt venæ ſectio: ergo vt ſanguinem mittamus, non oportet adeſſe plenitudinem. Reſpondetur, quod plenitudo poteſt dupliciter accipi, vel pro plenitudine totius corporis, vt quando venæ repletæ ſunt ſanguine; vel pro plenitudine determinatæ partis. Quando ergo Gal. aſſerit, quod venæ ſectio citra plenitudinem prodeſt, loquitur de plenitudine totius, quæ vt ibi ait, non eſt neceſſaria ad ſanguinem mittendum; non verò de plenitudine partis, in qua timetur inflammatio ob ictum, vel debilitatem partis, aut ob quampiam cauſam; tunc enim verum eſt, ſanguinem non mitti propter plenitudinem totius, benè tamen propter plenitudinem imminentem in parte, in qua propter dictas cauſas timetur inflammatio; nam ſanguis fluens ad eam partem, eam replet, & aggrauat ita, vt timeamus morbum venturum ex plenitudine partis prodeuntem, cum quo benè ſtat, quod ſemper venæ ſectio indicatur à morbo ex plenitudine pendente.

*Plenitudo duplex, vniuerſalis vna, particularis altera.*

*Plethora venæ ſectione, cacochymia purgatione detrahitur.*

Secundò probatur ex Gal. 13. *method. c.* 6. vbi conſtituens differentiam inter plenitudinem, & cacochymiam, inquit, quod plethora ſanguinis miſſione curatur; ſuccorum autem vitium, hoc eſt cacochymia, purgatione, quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommodata, corrigitur. Ex quo inferre licet, quod cùm ſanguis peccet vel quantitate, vel qualitate tantùm, ſi dum qualitate peccat, debetur ei expurgatio, dum quantitate excedit, debet ſanguinis miſſione educi, atque adeò ſolum præſente plenitudine eſt exercenda ſanguinis miſſio.

*Ad ſanguinem mittendum ſufficit plenitudo partis.*

Inſtabis tamen ex Gal. 9. *meth. c.* 11. vbi commendat venæ ſectionem, dum ſanguis vel multitudine creuit, vt euacuans auxilium, vel dum ipſe ſuis qualitatibus alienatur, vt remedium reuellens, vel deriuans: igitur vt hoc remedium fiat, non ſemper eſt expectanda plenitudo. Poterit reſponderi, quod non ſemper eſt expectanda plenitudo totius; nam ad ſanguinem mittendum ſufficit imminens plenitudo partis: quapropter dum timetur inflammatio in parte, aut ſanguis eſt in motu ad illam, ſanguinem mittimus reuulſionis gratiâ, ſicuti dum humor eſt vicinus parti, deriuatione vtimur; vtraque tamen euacuatio, tam reuulſiua, quàm deriuatiua, reſpicit plenitudinem, vel morbum pendentem ex illa, in illa parte, in quam ipſe fluit ſanguis, ita vt in quocunque caſu ad ſanguinis miſſionem parato, ſemper ſaluetur ratio plenitudinis, vel totius, vel partis determinatæ.

*Quare in febribus citra plenitudinem ſanguinem mittimus.*

Inſurges iterum, non implicat, quod abſque humorũ redundantia, ſeu plenitudine fiat febris, v.g. ardens; nam intra debitam porportionem quantitatis humorum poteſt bilis præter naturam caleſieri, & cauſare febrem ardentem: ſed tunc conuenit ſanguinis miſſio: ergo non ſemper ad ſanguinem mittendum deſideratur plenitudo. Maior neceſſariò eſt admittenda, quia nihil ſupponimus impoſſibile. Minor, ſcilicet,

A quod conueniat ſanguinis miſſio, non poteſt negari; nam debemus detrahere cauſam morbi, quo tempore non habet locum expurgatio: debet ergo exerceri ſanguinis miſſio? Reſponderi poteſt eo modo, quo ſuprà; nam licèt non ſit plenitudo totius, vt ſupponit argumentum; eſt tamen timenda plenitudo partium, in quibus eſt focus putredinis bilis, ad quam ratione caloris, & inflammationis ſanguis, & reliqui humores confluunt, replentque illas partes, eaſque aggrauant. Quapropter tunc exercetur venæ ſectio, vt reuellens medicamentum ad euitandam febrem, quam excitat humor ad focum putredinis confluens, & ibi plenitudinem excitans.

Tandem contra iſtam aſſertionem arguere poteris; nam videtur, quod ſanguinis miſſio indicatur à morbo pendente ex cacochymia, & non ex plenitudine tantùm. Id deducitur ex Gal. 6. *epidem. ſect.* 3. *com.* 20. qui cuidam mulieri extenuatiſſimæ venam

B diſſecuit, & extraxit primo die ſexquilibram ſanguinis, rurſus poſtero die libram vnam, tertio die verò non multò plus ſemilibra: erat tamen ſanguis craſſitudine, & colore ſimilis liquidæ pici; qui color, & ſubſtantiæ modus oſtendebant vitium ſanguinis in qualitatibus, ita vt ſanguis totus eſſet cacochymus. Nono etiam methodi, *cap.* 10. in humorum corruptela ſanguinem mittit per epicraſim. Similiter 8. *methodi, cap.* 4. ſanguinem mittit in curatione febris ephemeræ ex obſtructione, etiamſi plenitudinis ſigna non adſint. Et deniqque febres putridæ dantur ſine plenitudine, quæ pendent ex cacochymia, ſeu humorum vitio: ergo cùm in omnibus iis caſibus ſit admittenda ſanguinis miſſio, non ſolùm indicatur à morbo pendente ex plenitudine, ſed etiam ex cacochymia, ita vt ſit remedium vtrique commune. Propter hæc, & alia argumenta Leonard. Botall. *de ſang. miſſion. cap.* 10. cenſet venæ ſectionem tam cacochymiæ, quàm pleni-

C tudini conuenire.

Sed hæc non obſtant; quare ad primam Gal. authoritatem reſpondetur, quod illa mulier extenuatiſſima habuit menſium ſuppreſſionem, & in ea erat redundantia ſanguinis, & habebat ſimul cum vitio ſanguinis in qualitate vitium illius in quantitate: qua de cauſa multùm ſanguinis extrahere iuſſit, ſicque ægrum liberauit; vnde potiùs ratione plenitudinis, quàm cacochymiæ illi fuit diſſecta vena. Ad locum *ex* 9. *methodi, cap.* 10. reſpondetur, quod ibi Galenus vtitur venæ ſectione, vel expurgatione, & euacuatione dicta Græcè epicraſis; tamen non in omnibus vtrumque remedium eſt exequendum, ſed Medicus debet attendere, an ſimul cum humorum corruptela ſit aliqua ſanguinis redundantia, quo tempore parcè ſanguis eſt euacuandus. Verumtamen ſi non adſit ſanguinis redundantia, tunc purgatio eſt adhibenda, quæ debetur humoribus cacochymis.

D Ad locum *ex* 18. *methodi*, reſpondetur, tunc ſanguinem mitti reuulſionis gratiâ, non ratione plenitudinis totius, vt dictum eſt, ſed ratione plenitudinis, quæ in partibus obſtructis ex fluxu humorum ad illas poteſt generari.

Ad rationem vltimam reſpondetur, quod ſi ea febris eſſet ſine plenitudine aliqua, ſiue talis plenitudo ſit abſoluta, ſiue cum addito, vt argumentum ſupponit, non eſt ſanguis mittendus, ſed eſt expurgandum priùs humorem attemperando per remedia alterantia, quouſque humor ſit diſpoſitus, vt poſſit medicamento purganti euacuari. His roborata, & confirmata manet hæc aſſertio, quam vt certiorem inter alios admittit Ioannes Baptiſta Cortes *decade* 7. *miſcellan. medicinalium*, de inſtrumento chirurgico ſermonem inſtituens.

## §. IV.

### *Hic dicendi modus impugnatur.*

*Plenitudo vt ſic non petit ſanguinis miſſionem.*

LIcèt hæc ſententia non ſit deſtituta fundamentis, maximéque apud plurimos prævaleat, nunquam tamen mihi placuit, ſicque eſſe à veritate alienam, docere tentabo. In primis enim plenitudo, vt talis eſt, non petit ſanguinis miſſionem; nam vt ait Gal. 2. *aphor. text.* 22. quicumque morbi ex repletione fiunt, inanitione curantur; conſtat autem inanitionem fieri poſſe inediâ, balneis, exercitiis, frictionibus, ſanguinis miſſione, & aliis plurimis euacuationibus auferri poteſt; atque adeò non poſtulat determinatè ſanguinis miſſionem. Id ſuadet Gal. *lib.* 6. *de compoſit. medic. ſecund. locos, cap.* 1. dicens: *Etenim venæ ſectione vtimur, & purgatione, & clyſteribus, & inedia, vbi totum corpus apparuerit aut multitudine humorum refertum, aut eorumdem malitiâ vitiatum.* Et *lib. de ſubfigurat. empyrica, cap.* 6. ait: *Si quæratur, an plethorico vena ſecanda ſit? Reſpondetur non cuicumque ſecandam eſſe.* Et 4. *de rat. victus, phraſi* 19. inquit: *Neque etiam plethorica facta ſyndrome ſanguinem ſemper mittimus, ſed & frictione, & balneis multis, & abſtinentiâ, quæ tribus, vel quatuor diebus fiat, ad id, quod naturale eſt, reuocamus.* Vbi redarguit etiam Menodotum Empyricum, qui in ſola plenitudine tantùm ſanguinis miſſionem obſeruabat; qui etiam docet, eâ non exiſtente, ſanguinem eſſe mittendum. Neque opus eſt Galeni authoritates referre, cùm plurimis in locis eandem ſtatuiſſet doctrinam. Conſtat ergo, quod ſcopi mittendi ſanguinem non comprehendunt plenitudinem, ſed fientis (vt ſic dicam) paſſionis ſuſpicionem, quæ ſi magna ſit cum virium robore, etiamſi nulla ſit plenitudo, ſanguinem mittimus, ex eodem Gal. *de venæ ſect. cap.* 9. quapropter licèt in morbo magno pendente ex plenitudine cum aliis ſcopis, nempe virium robore, ſanguinem mittere debeamus, non tamen excluduntur alij morbi magni, qui licèt ex plenitudine non prodeant, venæ tamen ſectionem poſtulant; imò morbis ex inanitione non denegat Gal. venæ ſectionem, vt ipſe docet *de venæ ſect. cap.* 11. vbi in fluxu ſanguinis narium ſanguinem mittit, & ſanguinem fluentem conpeſcit; quo tempore non ratione plenitudinis ſanguinem euacuamus, ſed potiùs ratione inanitionis, vt humorem ad contrariam partem reuellamus; ita vt ſi ex dextra nare fluat ſanguis, ex brachio dextro; ſi verò ex ſiniſtra, ex ſiniſtro venam ſecemus. Sed non ſolum in fluxu ſanguinis ex naribus, ſed dum ſanguis ex hæmorrhoïdibus, vel ex vulnere prorumpit immodicè, illum ſiſtere tentamus ſæpè ſanguinis miſſione reuulſoria, quo in caſu non habet locum plenitudo, cum potius ex fluxu ſanguinis inaniatur corpus, & ad impediendam inanitionem venæ ſectio adminiſtretur, non verò ad demendam plenitudinem. Neque eſt contra rationem, dari aliquem morbum magnum ſine plenitudine, vt febris peſtilens, vel maligna ex humoribus pendens, qui venæ ſectione curetur. Neque tunc etiamſi humores illi qualitate peccent, expediens erit ad purgationem confugere, cum plura requirantur ad purgationem, quæ forſan in principio talis morbi deficient; non enim valet, Humores ſunt vitioſi, & ſine plenitudine: ergo ſunt euacuandi per medicamentum purgans, vt infrà trademus; nam licèt cacochymiæ, ſeu humorum vitio debeatur purgatio, non tamen omni conceditur.

*Morbis ex inanitione ſæpe vena ſectio conuenit.*

*Quibus morbis debetur vena ſectio.*

Ex dictis facile erit iam authoritatibus, & rationibus in contrarium ſatisfacere, non enim negamus, quod A morbis magnis pendentibus ex plenitudine debetur venæ ſectio, ſicque dum Auic. definit phlebotomiam per euacuationem, quæ multitudinem euacuat, loquitur de ea, quatenus eſt remedium euacuans, & vt tale Gal. plenitudini illud concedit 9. *methodi, cap.* 11. ſanguinis enim miſſionis adæquata definitio ad plura ſe extendit, quàm ea, quam Auic. inſigniuit; propterea Gal. exactiorem, & magis vniuerſalem definitionem adducit, dicens: ſanguinis miſſio eſt vniuerſalis euacuatio, quæ omnes humores indifferenter euacuat. Neque aliæ authoritates Galeni & Hippocratis conuincunt; nam illis locis agunt de morbis pendentibus ex plenitudine, in quibus ſanguinem mittere libenter concedimus; non tamen excludimus alios morbos, etiamſi ex multitudine originem non trahant.

*Quando purgatio conuenit humoribus vitioſis.*

Ad ſecundam rationem deſumptam ex Gal. 13. *methodi, cap.* 6. reſpondetur verum eſſe, cacochymiam purgatione auferri; quænam autem cacochy- B mia ſit hæc, inferiùs declarabimus; ſi enim humor cacochymus ſit ſanguini admiſtus, vt contingere ſolet in febribus putridis, etiamſi nulla ſit aſſignabilis plenitudo, tunc potiùs venæ ſectione, quàm aliter eſt educendus: at ſi humor ſit ſeparatus à commercio ſanguinis, ille purgatione eſt euacuandus, de qua purgatione loquitur Galen. dum purgationem commendat in ſuccorum vitio.

## §. V.

### *Tertius dicendi modus proponitur.*

*An tantùm vena ſectio debeatur humoribus calidis.*

ALij aliter opinantur, videlicet quod non in magno affectu quocumque conuenit ſanguinis miſſio, ſed in his dumtaxat, qui à calidis humoribus producuntur; & quia calidi ſunt duo humores, bilis, & ſanguis, in horum redundantia, aut vitio, C ſeu mala qualitate ſanguinem mittunt, ita vt antequam hoc præſidio vtamur, debemus priùs humorem peccantem contemplari, qui ſi calidus ſit, & ab eo pendet morbus magnus, & virium robur non deficit, tunc ſtatim vena eſt ſecanda; in aliis verò humoribus purgandum. Hæc autem opinio probari poteſt; nam hydrops (verbi gratiâ) eſt morbus magnus, & ex alia parte adiungitur robori virium, ſiquidem validiſſima ſuſtinet medicamenta, quæ non poſſent adhiberi, niſi vires conſtarent; cum hoc tamen in hydrope ſanguinem mittere non auſus eſt vllus, vt docet Galen. 4. *de ratione victus, com.* 111. & licèt Hipp. in illo textu ſanguinis miſſionem commendet, hanc tamen conuenire tantùm in anaſarca, ait Galenus, dum ex retentione ſanguinis hæmorrhoïdum, vel muliebrium fit. Quod autem humores crudi ſunt impedimento ad venæ ſectionem, docuit Galen. plurimis in locis, præſertim *libro de venæ ſect. cap.* 10. vbi docet, quod ſi crudi ſucci exſupe- D rant, nequaquam eſt venæ ſectio facienda: & *cap.* 12. partitas euacuationes facit in humorum crudorum copia, quia paulatim eos calefacit, & attenuat. Et *cap.* 13. inquit, quod præſentibus ſcopis mittendi ſanguinem non poteſt eſſe tanta humorum crudorum multitudo, quæ miſſionem ſanguinis prohibeat; quaſi diceret, quod dum humores ſunt crudi, aliter quàm venæ ſectione ſunt euacuandi. Et 11. *methodi, cap.* 14. in febribus putridis ſanguinem mittit, niſi adſit cruditas, quæ venæ impedit ſectionem. Id confirmare videtur Gal. 1. *aphoriſm. comment.* 23. qui poſtquam præcepit eſſe euacuandum vſque ad animi deliquium in ingentiſſimis febribus, & inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus, inquit eſſe diſtinguendum, an ſanguinem mittere, an expurgare conueniat. Ergo præſentibus morbo

magno,& virium robore,aliquid aliud deſideratur ad ſanguinem mittendum, quod non poteſt eſſe aliud, quàm humorum ſuccenſio, & inflammatio, non verò eorum cruditas, & infrigidatio, quorum vnum venæ ſectionem,alterum purgationem exoptat. Idem Auic. *fen.*4. 1.*doct.*5.*c.* 20. dum ait: *Quandoque eſt ratio ex humoribus crudis, & tunc phlebotomia multum impedit.*

## §. VI.

### *Hic dicendi modus refellitur.*

HÆc opinio à priori differt ſolùm penes hoc, quod prior dicebat, quod exiſtente morbo magno cum virtutis robore, erat ſanguis mittendus; hæc autem ſtatuit miſſionem ſanguinis indicari tantùm à morbo magno ab humoribus calidis orto, non verò à morbo magno ex humoribus frigidis, & crudis genito. Sed hæc aſſertio facilè falſitatis conuincitur, cùm plures morbi magni reperiantur ex humoribus calidis originem trahentes, quibus deneganda eſt venæ ſectio, vt patet in febre ardenti, dum humores turgent calidi, in qua non recordamur venæ ſectionis, ſed ſtatim ad medicamentum catharticum confugimus. Turgente materiâ in valde acutis eadem die medicari oportet, vt præcipit Hippoc. 4 *aphor. text.* 10. Similiter Galen. 2. *de arte curat. cap.* 3. in eryſipelate venæ ſectionem recuſat, & purgationem commendat. Tralianus *lib.* 2. *cap.* 2. in ophthalmia ex bilioſis humoribus medicamenta purgantia bilem exhibet. Vega ingentes oculorum inflammationes, & eorum dolores viginti horarum ſpatio ſanauit, adhibitâ purgatione per pillulas cochias, vt ipſe aſſerit *lib.* 3. *de arte medend. cap.* 1. Dolores præterea colici ex bile, purgatione, & non ſanguinis miſſione auferuntur. Denique in humoribus calidis quandoque prohibenda eſt venæ ſectio in morbis magnis, & acutis, vt ait Auic. dum dicit: *Caue tibi, ne ægrum ad vnam duarum rerum perducas, aut bilioſorum humorum efferueſcentiam, aut crudorum frigiditatem.* Ex quibus deducimus,quod hæc opinio nequit ſuſtineri, atque aliâ viâ incedendum, ſi priùs illius euertantur fundamenta.

*Cacochymia debetur expurgatio.*

Ad primum de hydrope reſpondetur, verum eſſe, in ipſa ſanguinem non mitti, non tamen valet argumentum à ſingulari ad vniuerſale, videlicet: In hoc morbo ex cruditate ſanguis non eſt mittendus: ergo in nullo; non enim hæc argumentatio eſt in materia neceſſaria, ſed agimus de remediis, quæ morbis adhiberi debent. Qua autem occaſione ſanguinem mittere oportet in morbis pendentibus ab humoribus crudis, & frigidis, infrà trademus, dum noſtram proponamus ſententiam.

*In hydrope non eſt ſecanda vena.*

Ad Gal. authoritates reſpondetur, quod ſi crudi ſucci exſuperant, ita vt ſint ſeparati à ſanguine, nequaquam ſanguinem mittere poſſumus; ſi verò ſint ſanguini admixti, benè quidem ſanguinem extrahere valemus, in minori tamen doſi, quàm ſi humores eſſent alterius conditionis: & propterea Gal. *de venæ ſect. cap.* 12. in humorum crudorum copia partitas facit euacuationes per ſanguinis miſſionem; & in febribus putridis ſanguinem non detrahit, dum adeſt cruditas in ventriculo, vt ipſe ait 11. *method. cap.* 14. *cit.* quia illa cruditas venâ ſectâ facilè fertur ad venas, ibique obſtructiones efficit, & maioris mali cauſa exiſtit, vt ipſe ait *lib. Præſagium experimento confirmatum.* Et quia in febribus vehementiſſimis, & in inflammationibus, & doloribus poteſt dari occaſio, quare potiùs purgatio, quàm ſanguinis miſſio conueniat, ideo ipſe 1. *aphor. com.* 23. diſtinctione vtitur, an ſcilicet euacuatio illis debita ad animi vſque deliquium ſit exercenda venæ ſectione, vel purgatione; in quo autem ſtet ea occaſio, infrà adducemus. Neque mirum, quod impedimentum ſit humorum cruditas ſæpè ad ſanguinem mittendum, vt ait Auic. non tamen ſemper impedit, ſed potiùs quantitatem remedij moderatur.

*In præſentia ſuccorum crudorum, qui ſunt ſanguini admixti bene poſſumus uti phlebotomia.*

## §. VII.

### *Quartus dicendi modus ſtabilitur.*

ALter dicendi modus excogitari poteſt, qui habet etiam fundamentum in verbis Galeni, quem ſequitur Maſſarias; nempe quod exiſtente morbo magno cum virium robore ex vitio ſanguinis pendente, tunc indicatur ſanguinis miſſio. Probatur ex Gal. 9. *methodi*, *capit.* 11. vbi venæ ſectionem adhibet, dum ſanguis quantitate, vel qualitate peccat. Idem Auic. *fen.* 4. 1. *doct.*5. *cap.* 20. vbi vnuſquiſque docet phlebotomari, vel ob vitium in quantitate ſanguinis,vel qualitate,vel propter vtrumque. Quod verò dum ſanguis quantitate excedit, ſanguinem mittere debeamus, de ſe notum eſt; nam morbus magnus pendens ex plenitudine ſanguinis, reuerà ſanguinis miſſionem indicat, neque circa hoc remanet dubium. Si verò talis morbus pendeat ex vitio qualitatis humorum, idem patet; nam in febribus, quas putridus concitat humor, venam ſecare iubet Gal. 11. *methodi*, *cap.* 14. & 15. neque aliter ſuccurrere poſſumus febribus ex humorum putredine ortis. In curandis obſtructionibus non minùs ſanguinem mittit Gal. 8. *method. cap.* 4. non tamen omnes fiunt à ſanguinis multitudine, ſed etiam ab eius craſſitie, ſeu viſciditate. Ex quibus deducitur, quod dum vitium adeſt in ſanguine, tunc quidem venæ ſectio conuenit, imò nunquam aliter debet mitti; nam dum inculpatus eſt ſanguis, fruſtra ſanguinis miſſio exercetur; imò ex eius vſu lædetur homo: neque poteſt dari morbus magnus ex ſanguine pendens, quin ſanguis vitium aliquod contrahat, aliàs morbus non orietur ex ſanguine; nam ſanguis laudabilis exiſtens non poteſt, vt ſic, morbum producere. Debet ergo vitium habere; atque adeò concluditur, quod ſanguinis miſſio expoſtulat, vt ſiat vitium in ſanguine: indicatur ergo ab eius vitio.

*An in quolibet peccato ſanguinis ſit vtilis ſanguinis miſſio.*

## §. VIII.

### *Improbatur hic dicendi modus.*

NOn minùs errant, qui hunc dicendi modum tenent, quam præcedentes; nam licèt in morbis magnis à plenitudine ſeu vitio in quantitate pendentibus omnes conſulant venæ ſectionem, non tamen abſolutè debetur morbis magnis pendentibus ab humorum vitio in qualitate; ſi enim hoc ſuſtineretur, nullus remaneret locus purgationi, quæ debetur humoribus qualitate peccantibus, vt ait Gal. 1. *aphor. textu* 2. & alibi millies. Neque hoc ſolùm, ſed in materia turgente vteremur venæ ſectione, quod neutiquam eſt admittendum. Vlteriùs cùm ſanguini ſuperuenire poſſunt plura vitia, non poſſunt ad vnicum remedium coarctari; nam poteſt eſſe vitium in defectu ſanguinis, quod potiùs corrigitur alimento, quàm venæ ſectione. Nec ſcio, quare dum ſanguis quantitate excedit, ſub ſanguinis vitio debeat comprehendi;& dum ipſe deficit,ſub vitio in defectu non conſiſtat. Hoc ergo vitium ſanguinis miſſione emendari nequit. Similiter putredo, tenuitas, craſſities, viſciditas, alteratio, & venefica qualitas, quæ omnia ſanguinis vitia meritò dicuntur, non benè venæ ſectione

*Non omnibus morbis qui pendent ex vitio in qualitate humorum conuenit ſanguinis miſſio.*

*Putredo nō petit venæ ſectionem.*

ctione corriguntur, cùm horum quodlibet habeat ſuum contrarium, quo poſſit expelli. Putredo enim, vt talis eſt, non petit venæ ſectionem, ſed potiùs exſiccationem, abſterſionem, & apertionem, vt docet Gal. 8. *methodi, cap.* 4. & 11. *methodi, cap.* 14. Neque alteratio ad putredinem conſequuta, nam ea ferè ſemper febrem gignit, quæ cùm calida, & ſicca paſſio ſit, refrigerantia,& humectantia expoſcit auxilia, vt ait Gal. 9. *methodi, cap.* 12. & idem dico de aliis qualitatibus primis, quæ ſuis contrariis auferri debent: reliquæ qualitates, vt tenuitas, & craſſities, quæ ſecundæ dicuntur,etiam habent contrarium, non tamen dicimus,quod tenuitas, vel craſſities opponuntur miſſioni ſanguinis, atque adeo miſſionem ſanguinis non indicant: & idem aſſerimus de maligna, ſeu venefica qualitate, quæ remediis alexipharmacis deſtrui debet potius quàm ſanguinis miſſione. Relinquitur ergo, quod vitium ſanguinis in qualitate non petit venæ ſectionem, ac per conſequens ruit hæc opinio. Reſtat ergo ſolùm reſpondere ad ea, quæ adducta fuere in confirmationem huius placiti.

*Alteratio non petit a ferri venæ ſectione.*

Quare ad primum, quod probat, reuerà morbum magnum ex plenitudine ortum ſanguinis miſſionem indicare, reſpondetur habere ſibi annexam veritatem, neque nos negare poſſumus; negamus tamen, quod vitium in qualitate ſanguinis indicet ſanguinis miſſionem, cùm quodlibet vitium in qualitate habeat ſibi qualitatem oppoſitam, per quam debet auferri; & ſicuti calor (v. g.) vt auferatur, petit ſuum contrarium, quo ipſe calor deſtruitur, idem fatendum de quolibet vitio in qualitate ſanguinis.

*Ad argumenta huius opinionis reſponſiones.*

Ad illud de febribus putridis, in quibus ſaluberrimum eſſe docet Galen. ſanguinem mittere, vbi relucet vitium in qualitate ſanguinis, ſi quidem humor, à quo pendet febris, habet calorem præter naturam in facto. Reſpondetur, ibi plerumque adeſſe vitium, quod aliter quàm venæ ſectione emendari nequit, vt infrà tràdemus; non tamen infertur ex hoc, quod in omni ſanguinis vitio eſt ſanguis mittendus, ſiquidem dum ſanguis eſt viciatus, ſæpe cogimur ſanguinem mittere, ſæpeque medicamento purganti vti. Quia ergo indifferenter ſe habet illud vitium ad ſanguinem mittendum, & expurgandum, non eſt dicendum, quod vitium ſanguinis abſolutè indicat venæ ſectionem. Quam autem veritatem habeat Galeni, & Auic. doctrina, dum aſſerunt, quod phlebotomia eſt exercenda propter vitium ſanguinis, dum ad vnguen non ſeruat ſuam naturalem temperiem, & ineptus redditur ad nutritionem, infrà explanabimus. Neque ſemper in omni obſtructione ſanguinis miſſio eſt vtilis, ſed in ea, quam ſanguinis copia facit, vt ait Galenus 10. *methodi, cap.* 2. in alia verò, quæ ex viſcidis, & craſſis humoribus fit, præfertur expurgatio, vt ipſe ibi teſtatur. Ex dictis facilè concluditur, quod vitium ſanguinis abſolutè non indicat ſanguinis miſſionem.

## §. IX.

### *Authoris dicendi modus proponitur, & difficultatis nodus diſſoluitur.*

IN re tam ardua, difficili, & neceſſaria, ex cuius vera intelligentia ſalutis humanæ, & vitæ conſeruatio dependet, & ex morbo ad ſalutem recurſus, quia mei ingenij humilitatem agnoſco, de ipſius virtute, & intelligentia nihil confido; quæ enim manifeſtiſſima ſunt, difficillimè à noſtro intellectu percipiuntur, quantò magis, quæ nimis abdita, vt ait Ariſt. 2. *Metaph. cap.* 1. per hæc verba: *Quemadmodum enim veſpertilionum oculi ad lumen diei ſe habent, ita & intellectus animæ noſtræ, ad ea, quæ manifeſtiſſima omnium ſunt, &c.* Quapropter vt huius, & cuiuſcumque rei veritatem attingam, Dei auxilium, necnon eius Sanctiſſimæ Matris imploro, dicoque cum Virgil. 2. *Æn.*

*Noſtri intellectus paruitas manifeſtatur.*

*Iupiter omnipotens precibus ſi flecteris vllis,*
*Aſpice nos, hoc tantum; & ſi pietate meremur,*
*Da deinde auxilium Pater, atque hæc omnia firma.*

Vt ergo noſtram aperiamus ſententiam, tanquam certum ſuppono, quod ſanguinis miſſio, vt alio diximus loco, licèt ſit vnicum auxilium, virtute tamen eſt multiplex; quapropter non ſemper expoſtulatur ab vno ſanguinis vitio, neque ſemper vnicum ſcopum reſpicit. Hoc manifeſtat Galenus 9. *methodi, cap.* 11. vbi pluribus de cauſis venæ ſectionem imperat; nam vbi ſanguis multitudine creuit, ita vt venas, & arterias findat, diſtendat, & aggrauet, ſanguinis miſſio eſt vtilis, ceu auxilium euacuans; ſi verò intemperie ſit affectus, ita vt fluat, vel paratus ſit fluere ad aliquam partem, venæ ſectio confert vt reuellens auxilium. Si verò aliquam obſedit partem, vt deriuans eſt amplectenda, & hoc modo eſt intelligendus Galenus 2. *de arte curatiua ad Glauc. capit.* 2. dicens: *Humorum fluentium retractio, eorum verò, qui iam partem obſederunt, deriuatio medela eſt, &c.* Reuellere igitur oportet, ſi quò non oportet, vergat humor, ex Hippocrate 6. *epidem. ſect.* 2. *text.* 29. & Galenus *lib. de venæ ſectione, cap.* 19. docet qua ratione per ſanguinis miſſionem reuellere, deriuare, & euacuare debemus, vbi in principio inflammationum, & humorum fluentium, & dum parati ſunt fluere, & phlegmonem excitare, ſanguinem mittere præcipit reuulſionis gratiâ; quando verò in parte humor eſt impactus, & etiam phlegmon eſt inueteratus, tunc quidem ex affectis partibus. Quod ſi fieri non poteſt, ex vicinis fieri debet euacuatio: quo in loco amplectitur Galen. tam euacuationem, quàm deriuationem; nam dum euacuatio fit ex parte ipſa, illud auxilium euacuatorium dici meretur; quando verò ex parte proxima, nomen deriuationis arripit.

*Sanguinis miſſio eſt multiplex auxilium.*

*Deriuatio, & reuulſio quo tempore conueniunt.*

Sed difficultatem habet explicare hunc Galeni locum; nam tumores inueterati potiùs petere videntur euacuationem, quàm deriuationem. Idem ſtatuo de recentibus, dum humor partem obſedit, cui Gal. 2. *de arte curat. cap.* 1. dicit conuenire deriuationem, quod videtur rationi aduerſari, ſiquidem dum humor eſt iam in parte, tunc non petit deriuari; nam deriuatio, vt ait Augenius, eſt quædam particularis, ſeu localis reuulſio, quæ debetur adhuc humoribus fluentibus ex parte vicina; ſicuti enim reuulſione retrahimus humores ad partem contrariam, ita deriuatione ad vicinam; nunquam enim dum humores in parte ſunt quieti, eos deriuatione retrahimus, ſed potiùs euacuatione educimus, quæ (ſi poſſibile eſt) fieri debet ex eadem parte.

*An tumores inueterati petant deriuationem.*

Hoc dubium facilè ſolui poteſt, ſi dicamus, quod tumor, quicumque ſit, dupliciter conſiderandus venit; nam poteſt eſſe totus factus, ita vt totus humor ſit impactus, & contentus in parte; & hoc modo, ſiue inueteratus, ſiue recens ſit, non exigit remedium reuulſorium, neque deriuatorium, cùm vtrumque debeatur humoribus fluentibus; hac tamen adhibita differentia, quod reuulſio debetur in principio fluxionum, & dum immodicè humor fluit ad partem; ſic enim eorum motum coërcemus, & illorum impetum ſedamus, quo ſedato, ſi adhuc remanet aliquis fluxus: licèt paruus, factâ collatione ad illum, qui præceſſit, dum erat neceſſaria reuulſio, tunc quidem illi humori adhuc in motu quodammodo perſeueranti competit deriuatio. Vnde infero, quod

*Tumor poteſt habere plures ſtatus.*

quod quando Galenus dixit, quod deriuatio debetur humoribus, qui iam partem obſederunt, debet intelligi de ipſis humoribus, & tumoribus, non quomodocumque,ſed de ipſis humoribus, & tumoribus, qui licèt plurimùm ſint in parte, habent tamen aliquid in motu, ratione cuius eſt exercenda deriuatio, quæ etiam conuenit tumoribus ſcirrhoſis, & inueteratis, dum adhuc aliquis humor ad illos confluit; non verò debetur illis, dum totum ſuum eſſe habent in facto.

*An curatio incipere debeat ſemper à reuulſione, fluentibus humoribus.*

Ante tamen quàm ad alia deueniam, ſe offert dubium circa modum, quo Medicus ſe debet habere circa horum remediorum vſum; nam poteſt contingere (vt ſæpè accidit) quod tam reuulſio, quàm deriuatio & euacuatio eidem conueniant morbo: quo tempore dubitari poteſt, an curatio prius incipere debeat à reuulſione, deinde reuulſione abſoluta, ad deriuationem, ac denique ad euacuationem deueniendum ſit. Curtius habuit in hoc ſingularem ſententiam, cùm dicat fluentibus humoribus deriuationem conuenire, hancque præcedere reuulſionem, cuius contrarium docent omnes, deſumuntque ex Gal. *lib. de venæ ſect. cap.* 19. & 2. *de arte curat. cap.* 2. necnon 13. *methodi, cap.* 11. quibus in locis docet primò conuenire reuulſionem, ſicque adminiſtratur incipientibus inflammationibus, & fluxionibus rheumaticis præſentibus, aut imminentibus; deinde magis accedentes ad partem, dum vehemens humorum impetus ſedatur, deriuatoria euacuatione vtimur, quouſque tandem ipſam partem attingentes, humorem impactum in parte euacuamus. Hunc curandi modum tradit Auicen. *fen.* 1. 3. *tractat.* 5. *cap.* 1. in pectoris apoſtematibus, in quibus curandis ſemper à reuulſione incipit. Quòd quidem ipſa comprobat ratio; nam dum humor fluit ad partem, eum ad contrariam ducere conuenit; hoc autem reuulſione aſſequimur, ab ea ergo debet incipere curatio: nam ſi deriuatio in principio fiat, vt voluit Curtius, cùm hæc fiat ex parte propinqua parti patienti, non poterit impedire motum humorum ad ipſam partem, quia tunc vehementi motu humores ad partem feruntur, & euacuatione deriuatoria plus humorum impetus iuuabitur, ita vt maior in parte ſubſequatur inflammatio. Neque in principio euacuatio ex eadem parte conferre poteſt, nam vt ait Gal. 13. *method. cap. cit. Longiſſimè à tentata fluxione parte, quod redundat, reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit.* Quia ergo in corpore humores vitioſi redundant, dum ad partem aliquam fluunt, ex euacuantium in parte admotione maior ad partem humorum fit attractio, atque adeò euacuatio vitanda. Vlteriùs, cùm remedia, quæ parti admouentur reſoluentia, & euacuantia calida ſint, facilè tractionem iuuant, replentque partem, fluxionemque adaugent. Quapropter non poteſt ea euacuatio conuenire, quin priùs aliæ præcedant euacuationes; neque ſemper eſt bonum tentare remedia topica, & particularia ante executionem vniuerſalium, vt monet Gal. *lib.* 3. *de locis cap.* 3. Quod ſi aliquod remedium locale poteſt eſſe ex vſu in principio inflammationis, maximè quod repellens eſt, quod quidem debetur in initio inflammationis, vt omnes tenent, & docet Galen. 2. *de arte curat. cap.* 2. *cit.* His ſuaſi rationibus, & authoritatibus, firmiter Medici ferè omnes eius adhærent ſententiæ, exiſtimantes, nunquam eſſe recedendum ab hoc curandi modo.

*Galeni, & Auic. mens proponitur.*

*Veritas declaratur.*

Qui tamen conſiderauerit, quod præceptiones practicæ non ſunt vniuerſaliter accipiendæ, ſed ſunt temperandæ pro vrgentiæ ratione, non ita ſe huic doctrinæ accinget, vt aliquando non poſſit recedere ab ea, imò oppoſitum vrgente neceſſitate quotidianus comprobat vſus, neque deſtituetur eleganti fundamento, ex Hippocrat. deſumpto 6. *epidem. ſect.* 2. *text.* 8. vbi ait: *Deriuare, cedentem reuellere ſtatim, renitentem cedere.* In cuius textus interpretatione Galen. inquit, quod licèt verum ſit, quod humores malè in membrum aliquod irruentes ſunt reuellendi, non tamen ſemper in reuellentibus auxiliis eſt permanendum, ſed aliquod tempus, quod retrahentibus vacet, interponere oportet. Itaque ſi quod reuellendum eſt, ſtatim cedit reuulſioni, deriuationique, deriuandum, ac reuellendum eſt vt expedit. Si verò reniti admodum videatur malum, neque iis cedat remediis, ita vt non præbeat inducias expectandi, à reuellendo tantiſper deſiſtere oportet, & euacuationem interponere, rurſuſque ad reuulſionem iterum deuenire. Rationem inſinuat Gal. *loco citato*; nam ſuccus qui in parte inflammata continetur, bifariam offendit, & dolorem cauſat, & multitudine diſtendit, & qualitate cruciat; ſicque ad ipſam partem ratione doloris magis humores irruunt; tuncque ſi ipſos in particula priùs illatos exire permiſeris, ipſam à dolore liberabis, faciliuſque auxiliis reuulſoriis aliquid proficies. Hoc inſpiciens Valleſ. *ſuper eundem textum*, aſſerit quod nunquam in pleuritide, aut inflammatione alia periculoſa abſtinemus, vſquedum omnes miſſiones ſanguinis ſunt prægreſſæ; ſed vnâ, aut alterâ miſſione factâ, admouere incipimus in parte, quæ videntur expedire; ſicque ſedantia dolorem, imò & euacuantia inter vnam, & alteram reuulſionem admouemus; & quanquam totius corporis euacuatio præeat, non ita tamen, vt admotio medicamentorum non ſubſequatur antequam ipſa omninò ſit completa; aliter enim nullâ interpoſitâ euacuatione per medicamenta ſaltem anodina, & quodammodo reſoluentia, & euacuantia, non ceſſabit moleſtia, neque reuulſio erit ſatis, vt fluxio ceſſet. Cùm ergo in parte inflammata magna ſit moleſtia, alternatè eſt reuellendum, & euacuandum, minorque ad partem affectam fiet attractio.

*Qualiter medicus ſe habere debet tempore quo eſt neceſſaria reuulſio, deriuatio, & euacuatio.*

Neque hic modus curandi opponitur præcedenti; nam ille eſt regularis, qui exercetur dum neceſſitas, ſeu vehementia doloris non cogit ad vtrumque remedium faciendum. Tamen quando dolor eſt vehemens, & inter cauſas attractionis contemplatur, non eſt extra rem illum ſedare humorem euacuando per ea, quæ poros dilatando, & inſenſibiliter ipſum in halitus digerendo opus perficiunt; quo intellecto nihil ſuadent oppoſita fundamenta, neque aliâ egent ſolutione.

*Quando conuenit reuulſio, deriuatio, & euacuatio humorum.*

Ex iis iam habemus, quod dum morbi magni pendent ex vitio humorum in quantitate, tunc conuenit ſanguinis miſſio, vt remedium euacuans; quando verò ſunt in motu, vel parati ad motum, ſiue quantitate excedant, vel qualitate irritent, eis conuenit venæ ſectio, vt reuellens auxilium, aut deriuans eo modo, quo diximus; nam ſi phlegmon incipit fieri in particula, vel eſt diſpoſitio in humoribus, per quam poſſumus expectare venturum phlegmonem, vt in caſu, & ictu, tunc vt reuellens auxilium venæ ſectio exercetur, deinde ad deriuandum deuenimus, quando iam quodammodo humorum impetus compeſcitur, & pigrè humor ad partem inflammatione tentatam fluit, ſicque ſcopus, in quem dirigi debet venæ ſectio, vt euacuans remedium, debet eſſe morbus pendens ex plenitudine; ſcopus verò mittendi ſanguinem, vt reuellens erit morbus magnus, præſens, vel imminens, ex fluxione pendens, in qua fluxionis impetus eſt magnus, vel timetur talis; ſcopus verò deriuationis erit idem morbus pendens ex eadem fluxione, mitigata tamen, & remiſſiori facta. Hæc noſtra aſſertio ex ſuprà dictis ita conſpicua manet, vt nullus ſit ſanæ mentis, qui diſſentiri poſſit,

ſit, cùm à Galen. paſſim *lib. de euac. rat. per ſanguinis miſſionem, & de venæ ſect. aduerſus Eraſiſt.* & *lib. methodi*, & ab aliis Authoribus ſit accepta. Lege circa hanc difficultatem, ſi vis tempus conſumere, Maſſariam. Horat. Augenium, Botallum, Menam, Sernam, & Santa-Cruz, & alios, qui de hac re diſſertant, quos omnes conuenire vides, in his affectibus ſanguinem eſſe mittendum, licèt non omnes eandem rationem tradant, ſed maximè diuerſis rationibus probent, & confirment.

## §. X.

### *Quomodo intelligitur, quod vnum indicat vnum.*

VT tamen omnes de hac re difficultates diſſoluamus, & veritatem luce clariorem reddamus, ſe offert aliud dubium circa dictum auxilium; nam ſuprà dictum eſt ex Galeni mente, quod ſanguinis miſſio eſt multiplex auxilium, atque adeò non ſemper ab eodem indicante expoſtulari ſecundùm vnam rationem: quod videtur aduerſum iis, quæ defendimus, nam vnum indicans tantùm vnum indicatum petit; nam vnum, vt tale eſt, vnum indicat, & non plura: ergo ſi morbus eſt vnus ſpecie, vt inflammatio exempli gratiâ, tantùm debet indicare vnum auxilium ſpecie: ergo ſi indicat ſanguinis miſſionem, vt remedium reuellens, non poteſt indicare eam vt deriuans, vel euacuans; ſiquidem reuulſio ſpecie differt à deriuatione, & euacuatio ab vtraque; nam nullum ex iis includitur in conceptu ſpecifico alterius.

*Quæ ſequuntur ſunt maximæ vtilitatis ad praxim.*

Hoc dubium ſic eſſe ſoluendum iudico, ex cuius determinatione plurima maximi emolumenti in praxi deſumentur. Vnum equidem indicat vnum, ſi illud vnum indicans non recipit mutationem, quo tempore neque indicatum vllam mutationem recipere debet. Si verò indicans ſenſibilem recipit mutationem, & ipſum indicatum eam recipit, & mutari debet ad mutationem conditionis indicantis. Hoc manifeſtè patet in inflammatione, in cuius principio repellentia competunt; in augmento repellentia ſimiliter cum reſoluentibus admixta; in ſtatu reſoluentia in maiori quantitate admouentur, & in declinatione reſoluentia tantùm ei adaptantur. Ecce vnus morbus, putà inflammatio, quæ indicat, & indicata ſunt plura; quæ pluralitas oritur ex diuerſa conditione, & mutatione, quam habet ipſa inflammatio. Pari ratione in febre ardenti ſanguinem mittimus, quia pendet ex vitio ſanguinis, vel bilis ſanguini commixtæ: deinde ab eadem febre indicatur purgatio, quia febris illa, dum petit purgationem, recipit mutationem inſignem in cauſa, quâ antea carebat; nam antea non erant humores concocti, neque ſeparati à ſanguinis conſortio; & propterea congruens erat illi febri venæ ſectio: poſteà verò dum humores illi iam concocti exiſtunt, & habiles, vt educi poſſint purgatione, purgationem expoſtulant, ita vt mutatio conditionis ipſius morbi, morbo in ſua eſſentia permanente, ſufficiens ſit ad mutationem indicati. Ex quibus concludimus, quod non debet mutari indicatum, dum eodem modo ac antea ſe habet indicans; neque perſiſtere in eodem indicato, ſi mutationem ſenſibilem habet indicans. Quia ergò, dum eſt neceſſaria reuulſio, & deriuatio in eodem morbo, morbus ipſe aliter ſe habet, dum deriuamus, quàm dum reuellimus, & aliter dum euacuamus, vt ſuprà dictum eſt, ſiquidem per reuulſionem coërcemus impetum vehementem humorum morbum cauſantium, & ipſos ad contraria diſtrahimus, & per deriuationem eorum motum

A pigriorem ſedamus, & per partem vicinam eos euacuamus, hinc eſt, quod morbus pendens ab his humoribus habeat diuerſam conditionnem, quando vtimur reuulſione, & deriuatione, necnon quando ab ipſa parte affecta euacuamus; nam tunc ſupponimus nihil ſenſibile eſſe in motu, dum regulariter euacuatio adminiſtratur: neceſſariò ergo mutatis conditionibus ſenſibiliter ipſius morbi, mutari debent etiam indicata ab ipſo.

*Ex mutatione conditionis morbi, indicata mu[illegible]*

Neque hoc nouum eſt, ſed maximè conſonum doctrinæ Hippocr. ſiquidem pro diuerſo morbi ſtatu diuerſam victus formam deſcribit, etiamſi morbus à principio in finem perſeueret, vt patet *ex 1. lib. aphoriſmorum*, per plures textus, præcipuè *textu* 7. vbi victum imperat in ſtatu tenuiſſimum in morbis acutis, qui ſtatim extremos habent labores, in aliis verò paulò longiorem, in quorum omnium principio, & augmento pleniorem victum inſtituit, quem B ſubtrahit in ſtatu, vt ipſe docet *textu* 10. & hoc non alia ratione, niſi quia morbus in principio, & aliis temporibus recipit diuerſam mutationem, vireſque, in quarum ſubſidium cibus adhibetur, habent diuerſum ſtatum in vno tempore morbi, quàm in alio. Hoc totum docet Galen. *lib. de optima ſecta, cap.* 44. non quia tempus morbi indicat, ſed quia morbus in illo tempore habet mutationem inſignem, & conditionem, quæ ei deficit aliis temporibus; nam quod indicatur, vel eſt in conſeruationem indicantis, vel ad eius conducit ablationem; ſic enim vires victum poſtulant, vt cuſtodiantur; morbus, & illius cauſa petunt medicamenta, vt auferantur; tempus autem nihil horum petit, cùm neque cibis conſeruetur, neque medicamentis auferatur, vt dilucidè pertractat Galen. *libro proximè citat. cap.* 45.

*Venæ ſectio eſt remedium attemperans.*

Sed ne aliquid prætermittam, quod ad huius rei exactam notitiam pertineat, non ſolum venæ ſectio confert, vt remedium reuellens, deriuans, & C euacuans eo modo quo dictum eſt; ſed vt attemperans, vt experimur in febribus putridis, in quibus ſaluberrimum eſt ſanguinem mittere. Bene quidem verum eſt, quod ea attemperatio non debetur ei per ſe, ſed ei conuenit ex accidenti. Sunt enim quædam, quæ actu refrigerant, vt aquæ frigidæ potio, vel balneum frigidum. Alia ſunt poteſtate talia, vt vuæ immaturæ ſuccus. Ambo hæc per ſe, id eſt nullo alio interueniente, refrigerant. At ſanguinis miſſio non per ſe, ſed ex accidenti, hoc eſt alio interueniente refrigerat; tollit enim cauſam calefacientem, nempe ipſum humorem præter naturam calefactum, quo ablato, natura facilè ad temperiem naturalem reducitur, & aëre attracto reſpiratione, & pulſu, & aliis remediis attemperantibus, adiuuatur, vt oſtendit Galen. 10. *methodi, capit.* 10. tollit enim ſanguinis miſſio cauſam febrem efficientem, qua ablata, cùm natura ſit morborum medicatrix, facilè ſibi parat vias ad ſalutem, & non D excogitatione, vt ait Hippocrates *6. epidem. ſectione 4. textu* 1. & 2.

*Qualiter frigiditas conferat pro curatione febris ardentis, diſputatur.*

Quod ſi obiicias: Morbus petit ſui ablationem per contraria: ſed febri ardenti ex. gr. contrariatur frigiditas: ergo petit frigiditatem, ergo non ſanguinis miſſionem. Reſpondetur concedendo maiorem; ad minorem tamen dicimus, quod in febre ardenti duo veniunt conſideranda, & ipſa febris, cui vt talis eſt, debetur frigiditas; & cauſa à qua dependet, ſine cuius ablatione febris non aufertur. Qua propter diſtinguenda ſic eſt minor: febri ardenti contrariatur frigiditas tantùm, ſi per ſe, & independenter à cauſa conſideretur, concedo minorem; ſi conſideretur vt pendens à bile putreſcente, ſolùm contrariatur frigiditas, nego minorem; nam cùm febris ardens ſit ita conditionata, vt nequeat auferri ſine

cauſæ ablatione; nam vnamquamque cauſam priùs abſcindere debemus, vt toties proclamatum eſt à Gal. hinc eſt, quod illa febris pendens à bile non ſolùm petit frigiditatem ad ſui ablationem, ſed frigiditatem cum dimotione cauſæ; & propterea indicat venæ ſectionem, quæ ex accidenti infrigidat, & per ſe cauſam euacuat, quo remedio tam cauſæ febris, quàm ipſi febri ſatisfit.

Inſtabis iterum: Suprà probatum eſt, quod febris poteſt dari ſine plenitudine, ita vt humores ſeruent in quantitate proportionem naturalem, & & non excedant, dummodò amittant temperiem naturalem, & calorem comparent præter naturam, qui ſit cauſa febris; tunc illi humores non exigunt euacuationem, quia euacuatio debetur repletioni, quâ in caſu propoſito caret æger: ergo tunc non ſunt dimouendi humores per ſanguinis miſſionem, ſed ſolùm vtendum eſt remediis humores, & febrem attemperantibus.

*Quare in febris ardentis euratione frigiditas ſola non conuenit.*

Dic, quod licèt ea quantitas humoris non redundet, quia non excedit menſuram naturalem; non poteſt tamen temperiem amiſſam ſolis refrigerantibus reſtaurare, quia ipſa refrigerantia inhibent coctionem, obſtructiones adaugent, humores concoquendos incrudant, & facere ſolent morbum immedicabilem; & non niſi vrgenter, & in magno æſtu febris, in qua timeri poteſt virium reſolutio, eſt infrigidandum ante cauſæ detractionem, eſt enim plerumque cauſæ maior vis, vrgenter tamen fieri aliquando poteſt, vt ea ſit febris magnitudo, quæ præſentem perniciem, niſi occurras, afferat; quo caſu oportebit hac priùs ſubmotâ, deinde ad cauſam ſubmouendam accedere, vt docet Galen. 10. *methodi*, *capit.* 10. nos autem in præſenti ſermonem inſtituimus de modo procedendi in cura regulari, iuxta quam incipimus à remotione cauſæ; ſimulque vnico remedio, quod vt dixi, eſt virtute multiplex, quale eſt ſanguinis miſſio, humorem peccantem euacuamus, à foco putredinis humorem reuellimus, demimus obſtructiones, & denique refrigeramus, ſicque tunc temporis ſunt plura indicantia, & plura indicata ſub vnico remedio virtualiter contenta.

*Vnico remedio plura complentur.*

## §. XI.

### *Diſtinctio inter ſcopos purgationis, & venæ ſectionis examinatur.*

Sed licèt hæc doctrina ſic intellecta maximè rationi conſona ſit, tamen ampliùs eam elucidare oportet, & vt magis pateſiat, contra eam inſurgo; nam purgatio habet eoſdem ſcopos, imò & indicantia eadem, ac ſanguinis miſſio: ergo non eſt maior ratio, quare in morborum curatione, ſeu præſeruatione, ſanguinis miſſio, quàm expurgatio adminiſtretur. Antecedens patet diſcurrendo per ſingula. In primis purgatio ſe habet vt remedium ex accidenti refrigerans, vt dictum eſt de venæ ſectione, & docet Galen. 10. *methodi*, *capit.* 10. *citat.* dicens: *At ſanguinis miſſio, vt priùs indicauimus, in febribus continentibus non primùm, ſed ex accidenti calidam aliquando intemperiem ſanat: ad eundem modum clyſter, & purgatio, &c.* Ratio eſt, nam ſanguinis miſſio ideò refrigerat, quia euacuat humorem, qui corpus calefacit, & febrem excitat, quo ablato, facilè reducitur ad ſalutis ſtatum ipſa natura. Idem facit purgatio medicamento ſeligenti facta, quæ humorem noxium euacuat, quo euacuato, natura priſtinum ſalutis ſtatum recuperat. Relinquitur ergo, quod tam purgatio, quàm ſanguinis miſſio idem munus præſtant, atque adeò ab

*Purgatio ad plura deſeruit, vt ſanguinis miſſio.*

A eodem debent indicari, & eundem ſcopum habere. Vt reuellens remedium proficit etiam purgatio in pleuritide, in qua etiam conuenit venæ ſectio in principio, ſi Hippoc. & Gal. credimus 4. *de ratione vict. textu* 76. quo in loco antequam humores firmentur, dum ſunt in motu, eos medicamento purganti euacuare præcipiunt prima, ſecunda, quarta, & quinta die, quibus diebus conuenire venæ ſectionem in pleuritide, nemo eſt qui dubitet. Quod verò vt euacuans auxilium conferat purgatio, de ſe notum eſt. Neque minùs deobſtruit, quàm venæ ſectio; proptereà Gal. 10. *method. cap.* 2. commendat ſanguinis miſſionem, & purgationem ad deobſtruendum. Si igitur hæc omnia indicant tam venæ ſectionem, quàm purgationem, videtur dicendum, quod non eſt maior ratio, quare vnum potiùs quàm alterum remedium adminiſtretur. Et ratione poteſt oſtendi hæc aſſertio; nam morbus ſemper ſui in-

B dicat ablationem per contrarium: ergo ſi morbus (v. g.) ſit in obſtructione, petit remedia contraria deobſtruentia: hæc ſunt purgatio, & ſanguinis miſſio (omitto alia deobſtruentia, de quibus poteſt eſſe eadem difficultas:) ergo petit ſanguinis miſſionem, & expurgationem; vel debes aſſignare rationem, ob quam ei denegetur vnum, & alterum concedatur. Idem argumentum efformare poſſumus reſpectu aliorum morborum, quibus conuenire poſſunt hæc remedia, & à quibus indicantur.

Qui aſſerunt, ad ſanguinem mittendum ſemper requiri plenitudinem, facilè ab hac difficultate ſe expediunt; nam ea præſente, vel imminente, ſanguinem eſſe mittendum ſemper teſtantur; ea verò deficiente, tunc eſſe expurgandum, quia vitium humorum in qualitate, ſine vitio in quantitate purgationem præſcribit. Nos tamen, qui aliter ſentimus, & venæ ſectionem imperamus in vitio humorum ali-

C quo, etiamſi ſigna plenitudinis non adſint, alia via incedimus, & ex dicendis patebit argumenti ſolutio, & totius quæſtionis enodatio.

Vt ergo ſoluatur, dicendum eſt, quod ſicuti morbus in genere indicat ſui ablationem per contrarium genericè, vt morbus magnus remedium magnum, & paruus paruum, &c. ita ſimiliter morbus in ſpecie indicat & remedium in ſpecie, & ſpeciem remedij. Exempla mouent, exemplis rem declaro. Morbus in intemperie calida (verbi gratiâ) independens à cauſa humorali petit remedium frigidum, quod eſt illi oppoſitum, & ſpeciem remedij deſignat, quod debet eſſe qualitate, & gradu æquale, & non ſit remedium ex iis, quæ euacuando per accidens refrigerant, vt diximus de ſanguinis miſſione & expurgatione; eſſet enim maximus error ſanguinem euacuare, aut purgare, vt ex accidenti ſubſequeretur frigiditas, quæ opponitur intemperiei calidæ nudæ. Idem argumentum formari poteſt de

*Morbus genericè indicat remedium in genere; morbus in ſpecie ſpecificum remedium, & remedij ſpeciem deſignat.*

D qualibet alia intemperie nuda, ſiue ſimplici, ſiue compoſita. Si verò intemperies ſit dependens à cauſa, vt à bile, vel pituita, &c. non ſolùm indicat auxilium ſpecie contrarium quomodocumque, ſed ſpeciem remedij deſignat, videlicet quod tale remedium attemperans ſit ſimul euacuans, & morbi cauſam reſpiciens; aliter enim per remedia contraria auferri nequibit, quia remanet ibi cauſa continens, & conſeruans, ſine cuius ablatione morbus non poteſt abſcindi; & propterea dico, quod morbus non ſolùm remedium, ſed remedij ſpeciem deſcribit.

Sed quia remediorum materia eſt multiplex in ordine ad vnicum morbum, qui ratione ſuæ cauſæ euacuationem expoſtulat; nam quandoque ſufficiunt, vt auferatur inedia, frictiones, balnea, vel exercitium; quandoque ad maiora auxilia, ad venæ

ſcilicet ſectionem, & purgationem cogit venire neceſſitas, ideò conſideranda venit morbi magnitudo, aut paruitas; nam ſi morbus magnus eſt, & magna expoſcit remedia, tunc ei adhiberi debent venæ ſectio, aut expurgatio; reliqua enim pro tanto morbo expellendo ſufficere non valent.

*An aliquis morbus poſcat ſanguinis miſſionem, & expurgationem.*

Verumtamen etſi hæc vera ſint, nondum manet ſoluta difficultas; ſiquidem quærimus ſcopum, & indicans ſanguinis miſſionis, & expurgationis in vno, & eodem morbo, qui vtrumque remedium efflagitat. Doctiſſimus Serna *libro 5. de cibandi ratione per indicationem, exercitata in ſanguinis extractione, capite 5.* vt ab hac ſe liberet difficultate affert, quod nec morbus, nec eius cauſa, neque ambo ſimul indicant per ſe, neque per accidens ſanguinis miſſionem, vel expurgationem, ſed ſolùm ſui ablationem per contraria; nam vt ſuprà diximus ex mente Gal. *Indicatio eſt agendorum inſinuatio, ſiue comprehenſio iuuantis ſimul cum comprehenſione lædentis abſque obſeruatione, & ratiocinio.* Loquor nunc de indicatione curatiua, quæ in vltima hac definitione manifeſtatur; ſtatim enim ac ſe offert natura morbi, & ipſi repræſentatur intellectui, ſtatim etiam ipſe intellectus apprehendit, ei deberi remedium contrarium: neque ad hoc eſt neceſſarium ratiocinium, vel obſeruatio; ipſâ enim naturâ morbi ſemel cognitâ, facilè præſcribit, & veluti digito demonſtrat remedium vtile, & adiuuans; nam ſicuti principia cognitionis intellectus ſunt per ſe nota ipſi intellectui, ita indicatio ex cognitione naturæ morbi deſumpta eſt per ſe nota intellectui, vt citra ratiocinium ab ipſo intellectu deprehendatur. Ita Gal. *lib. de optima ſecta, cap.* 10.

Ex quo colligit, quod cùm ad ſanguinem mittendum, vel expurgandum, aliudve quodvis remedium exercendum neceſſarius ſit diſcurſus, nam debemus metiri quantitatem, & qualitatem remedij, & tempus, & occaſionem offerendi illud inueſtigare; & totum hoc nequeat fieri ſine obſeruatione, & ratiocinio, ideo cenſet, quod venæ ſectio, aut expurgatio non indicatur à morbo, ſicque carpit Valleſ. 7. *controuerſ.* dum aſſerit, quod affectus magnus ſpecialis per ſe indicat ſanguinis miſſionem, tanquam remedium ſpeciale illius; affectus tamen magnus genericè, ex accidenti, quatenus nempe eius magnitudo aſſociatur affectui ſpeciali, qui per ſe ſanguinis miſſionem expoſcit, indicat venæ ſectionem: ſed quia vt exerceatur venæ ſectio, requiritur ratiocinium, & ſæpè obſeruatio, ideò aſſerit venæ ſectionem non indicari, ſed viâ quadam rationali ad eam exercendam duci; via autem rationalis non reperitur in indicatione.

*Quid tenendum.*

Mihi tamen videtur Doct. Serna loqui minùs benè; ſicuti enim morbus magnus per ſe remedium indicat magnum abſolutè, ita talis morbus petit tale remedium in ſpecie.

Dices, talem morbum petere remedium ſpeciale contrarium, quo auferatur, non verò determinatè hoc, vel illud. Contrà; nam morbus in ſpecie talis, qui aliter quàm venæ ſectione curari nequit, non poteſt auferri, niſi per ſanguinis miſſionem: v. g. morbus magnus pendens ex plenitudine non poteſt auferri, niſi per ſanguinis miſſionem: ergo ſi petit remedium magnum ſibi contrarium, debet neceſſariò petere ſanguinis miſſionem, & non aliud, aliàs peteret illud, quo non poſſet auferri, tuncque ceſſaret indicatio; proptereaque ſuprà dixi, morbum in ſpecie magnum non ſolùm indicare remedium ſpecie contrarium, ſed etiam ſpeciem remedij contrarij.

*Indicatio curatiua duplex, communiſſima vna, & alia ſpecialis, & artificio plena.*

Quare reſpondetur ad Sern. quod duplex eſt indicatio curatiua: vna communiſſima, quæ conſiſtit A in contrarietate morbi; ſicuti enim morbi idea communiſſima eſt, ita eſt communiſſima indicatio, quæ inſinuat morbi ablationem in communi, quæ cognita eſt vulgo, idiotis, & peritis Medicis, vt docet Galenus 3. *methodi, cap.* 1. ad quam non eſt neceſſarius diſcurſus, aut experientia. Alia eſt indicatio particularis, deſumpta ex morbo particulari, quo cognito, deuenimus ad contrarium indicatum per illam; hæc tamen docet quâ viâ, methodo, ordine, occaſione, tempore, loco, quantitate, & qualitate contrarium remedium eſt offerendum; quæ quidem indicatio eſt artificioſa nimis, inuenta à Medico rationali, qui optimâ methodo finem Medicinæ aſſequitur. Vnde quando Galenus, & cum eo omnes dicunt, quod indicatio curatiua datur ſine obſeruatione, & ratiocinio, non eſt ſermo de indicatione artificioſa Medicis peritis debita, ſed tantùm de communi indicatione cuilibet non ignota: B ex quo ſequitur, quod licèt morbus magnus in ſpecie non indicet per ſe ſanguinis miſſionem ſecundùm illam rationem communiſſimam morbi magni, ſecundùm quam ſolùm per ſe remedium magnum expetit; tamen ea magnitudo affectus contracta ad ſpeciem talis morbi magni per ſe, non ſolùm indicat remedium magnum, ſed etiam inſinuat, illud debere eſſe venæ ſectionem: hæc autem venæ ſectio non poteſt comprehendi ſine ratiocinio, & propterea dicimus, quod hæc indicatio eſt artificioſa, & Medicum rationalem deſiderat.

*Maſſa ſanguinaria continet formaliter quatuor humores ad ſalutem, dum ſunt in ſtatu naturali.*

Dimiſſo ergo hoc dicendi modo, vt iam ad quæſiti veritatem magis accedamus, tenendum eſt primò, maſſam ſanguinariam conflari ex quatuor humoribus, & eorum ſero in proportione quadam, ex cuius contemperatione, & humorum quaſi vnione ſanitas conſurgit; quâ deficiente ipſi humores ſolent eſſe cauſa morbi. Neque diſputo, an in maſſa ſanguinis virtualiter tantùm hi humores contineantur, C vt opinatur Fernel. an formaliter; nam quocumque modo conſiderentur, dummodo ſeruent naturalem proportionem, & vnionem ſibi debitam, ad ſalutem conferunt; ſi verò eam amiſerint, & vitium contrahant, ſiue in quantitate, ſiue in qualitate, morbos gignere valent; nam ſicuti elementa, dum ſunt in mixto in menſura mixto debita, & cum qualitatibus, & vnione ipſi conuenienti, mixtum conſeruant, & dum putredinem adquirunt, mixtum diſſoluitur in ea, ex quibus componitur; pari ratione cùm maſſa ſanguinaria ſeruat ea, quæ ei debentur pro ſtatu ſalutis, conducit ad vitæ cuſtodiam; ſi verò alteratur, vel putrefit, ita vt humores effrænes fiant, & ſeparentur inter ſe, & non habeant eam vnionem, quæ illis debetur in ſtatu ſalutis, morbos procreant, & dolores ſuâ intemperie, & continuum ſoluendo excitant.

*Quando humores venæ ſectionem impediunt.*

Secundò tenendum eſt, quod hæc humorum ſeparatio D inter ſe à cauſa præternaturam facta, poteſt ad eum ſtatum deuenire, vt impediat venæ ſectionem; & hoc accidit dum humor emergit, vt docet Gal. 2. *de nat. humana, commentario* 22. vbi ait: *Emergere idem eſt ac non eſſe contemperatum, & commixtum aliis.* Et ſecundùm Ambroſ. Calepinum, *emergo* idem ſignificat ac *ſupernato*; ex quo deducimus, quod dum humores ſupernatant, & non habent mixtionem ſibi debitam, non poſſunt venæ ſectione educi, ſunt enim ſeparati à conſortio ſanguinis; & cùm non ſint ſanguini commixti, aliter ducendi ſunt, quàm ſanguinis miſſione. *Sunt enim tunc citra ſanguinis copiam vitioſi ſucci, atque adeò purgatio petenda eſt, quæ infeſtanti excremento ſit accommoda,* vt ait Galen. 4. *de ſanitate tuenda, cap.* 4. Conſiderare tamen oportet, quod ſuccorum alij paulùlum, alij plus, alij plurimùm à ſanguine receſſerunt.

Vbi

Vbi ergo paululum, vel citra ſanguinem reſtitum, vel vltrà proceſſum eſt, audacter mittendus eſt ſanguis; vbi plus, conſideratiùs agendum eſt; vbi plurimùm, in iis nullus omninò mittendus eſt, ex eodem Gal. proximè citato. Quibus verbis docet Galenus, quando habet locum venæ ſectio, & expurgatio: tunc enim purgatio habet locum, quando humor aliquis plurimùm receſſit à ſanguine, ſiue per putredinem, ſiue per malignam, & prauam qualitatem, vel illius irritamentum: quando verò parum à ſanguine receſſit humor, & paululum citra ſanguinem reſtitum, vel vltrà proceſſum eſt, tunc quidem ſanguinem mittere admonet; non enim humores illi, ſiue qualitate, aut quantitate offendant, ſi non ſunt ſeparati à maſſa ſanguinaria, & non ſupernatant, venæ ſectionem impediunt.

*In quo differunt ſupernatantia, & turgentia humorum.*

Tertiò vt certum tenendum eſt ex noſtro præceptore Doctore Santa-Cruz, differre ſupernatantiam à turgentia humorum; nam in turgentia non ſolùm humores ſunt ſeparati, ſed vagè, & indifferenter mouentur, vt docet Gal.4. *aphoriſm. commentar.* 10. & 1. *aphoriſm. commentar.*22. at in ſupernatantia non eſt neceſſe, vt moueantur humores, ſed ſolùm vt ſegregentur à mixtione cum ſanguine: benè tamen turgentia dari nequit alicuius humoris, ſine ſupernatantia; nam turgentia fundatur in humoribus ſupernatantibus, & qui ſeparantur à ſanguine; neque humores hi turgere poſſunt, quin priùs ſupernatent.

*Dupliciter peccant humores in qualitate.*

Denique humores qualitate peccantes dupliciter conſiderantur, vel ſanguini admixti, vel ſegregati ab eius conſortio, eo modo, quo diximus. Si primo modo,benè ſanguinis miſſione euacuantur, dum morbus magnus, præſens, vel imminens pendet ab illis: ſi ſecundo modo, nequaquam per ſanguinis euacuationem ſunt educendi, ſed aliter. His igitur ſuppoſitis, ſequentes concluſiones ſtabiliendæ ſunt.

## Prima Conclvsio.

Sanguinis miſſio conuenit omni morbo magno ex plenitudine pendenti. Hæc concluſio ita nota eſt, & ab omnibus accepta, vt non egeat probatione, imò ſufficienter probata manet in ſecundo modo dicendi, qui probare intendebat venæ ſectionem ſemper indicari à plenitudine, & authoritates ibi adductæ in illius ſententiæ corroborationem, huic accommodari poſſunt. Aduertere tamen oportet, quod exiſtente plenitudine ſanguinis miſſio eſt vtilis, ceu auxilium euacuans, vt ait Gal. 9. *methodi, cap.*11.

## Secvnda Conclvsio.

*Sanguinis miſſio, vt reuellens, & deriuans auxilium debetur humoribus in motu, vel paratis ad motum.*

Sanguinis miſſio, vt reuellens, & deriuans medicamentum debetur humoribus in motu, aut his qui parati ſunt ad motum. Hæc concluſio etiam ex dictis ſufficienter manet comprobata, quam tradit Gal.9. *method. cap.*11. *cit.* vbi ſanguinis miſſionem commendat vt reuellens auxilium, vt retrahantur humores ad partem contrariam; & vt deriuans, vt per partem propinquam euacuentur; ſemper enim fluxionis motum ad contrarium trahere expedit, vt docet ipſe 2. *de art. curatiua, cap.*2.

*Reuulſio, & deriuatio, quando ſanguinis miſſione, vel purgatione ſunt facienda.*

Eſt tamen inſtantia contra hanc concluſionem, nam vt ſuprà tactum eſt, reuulſio, imò & deriuatio poſſunt fieri per purgationem: ergo debemus aſſignare aliquod determinans potiùs vnum auxilium, quàm aliud; quod propoſuimus inueſtigandum.

Reſpondetur concedendo antecedens, ad conſequentiam dicimus, quod ſi morbus pendet ex humoribus vitioſis ſupernatantibus, ſeu ſeparatis à ſanguinis maſſa, vt dictum eſt, vt dum humor aliquis, putà bilis,eſt extra ſanguinis conſortium, dum facit morbum regium, vel confluit in os ſtomachi, vel ad aliam partem irruit; vel pituita eſt in aliqua parte collecta, vt dum conſtituit œdema, vel facit hydropem anaſarcam, vel intra venas exiſtens ita adhærens fit venis ob eius craſſitiem, & viſciditatem, vt non poſſit cedere venæ ſectioni; tunc quidem potiùs purgatio, quàm venæ ſectio conuenit, habita ratione de abundantis ſucci copia pariter, & ſpecie, vt ait Galen.4. *de ſanit. tuenda.* Tamen ſi humor fluens ſit ſanguini commixtus, ita vt venæ ſectione retrahi poſſit, eam exercere tutius ſentiunt Doctor Serna, & Santa-Cruz *libro aureo de impedim. magnorum auxiliorum*: & hoc modo venit intelligendus Auicenna, dum ait: *Caue tibi, ne ægrum ad vnum duorum perducas, &c.* Nam ſi humores bilioſi ſunt ſine ſanguinis conſortio, dum ſcinditur vena, magis effrænes fiunt, & ad intenſiorem inflammationem deueniunt; ſi verò pituita redundet abſque ſanguinis miſcella, per venæ ſectionem magis incrudatur: quapropter in iis caſibus reuulſio, deriuatio, & euacuatio purgatione eſt exercenda, neque tunc adeſt ſcopus mittendi ſanguinem.

*Purgatio in materia turgenti eſt reuulſiua, & in febribus pernitioſis.*

Confirmo hanc ſententiam in humoribus turgentibus, in quibus omnes properant ad purgationem; quæ purgatio retrahit, vt reuellens auxilium, humores fluentes, ne cadant in partem principem, & inopinatam mortem afferant, non alia ratione, niſi quia ſunt illi humores ſegregati à ſanguine; nam ſi eſſent ſanguini admixti, fieret ſanè in illis venæ ſectio, & poterat maximè conferre vt reuellens medicamentum. In febribus prætereà pernitioſis ob decubitum humoris in partem principem, nullum maius noui remedium, quàm purgationem adhibitam reuulſionis gratiâ: neque proderat venæ ſectio, vt ſæpè periculum feci, imò venæ ſectione deteriùs ſe habebat æger, non alia ratione, niſi quia erat humor irruens in partem nobilem à ſanguine ſeparatus, & per venæ ſciſſionem parum, aut nihil euacuabatur cauſæ morbificæ, vt latè diximus agentes de tertiana pernitioſa, & febribus cum accidentibus. Neque ob aliam cauſam Tral. *lib.*2. *cap.*2. purgantia adhibet remedia in dolore oculorum à bile acri: & Vega curans oculorum inflammationem, intra 24. horarum ſpatium pillulis capitalibus ad ſanitatem ægros perduxit,nullâ factâ mentione ſciſſionis venæ.

*Contra doctrinam veriſſimam traditam obiectio efficax.*

Sed quia rem nimis difficilem pertracto, ad ampliorem notitiam contra illam inſurgo. Sunt plures morbi pendentes ex peculiaribus humoribus à ſanguine ſeparatis, in quibus licet ſanguinem mittere: ergo ſcopus humores purgandi non eſt morbus pendens ab humoribus extra ſanguinis conſortium. Patet antecedens, nam phrenitis eſt inflammatio orta ex bile putreſcente in cerebro: lethargus eſt etiam inflammatio cerebri à pituita procedens: apoplexia plerumque ab humoribus craſſis, & frigidis ortum ducit: catochus ab humore melancholico: epilepſia plerumque à ſuccis frigidis, & craſſis obſtruentibus: pleuritis à quolibet humore ſeorſum; *anemies*, hoc eſt flatus, venæ ſectione ſoluuntur. Idem dico de aliis plurimis morbis, quorum cauſa eſt independens à ſanguinis conſortio.

*Obiectionis ſolutio.*

Hæc omnia non euertunt noſtram doctrinam. Quare ad replicam dic, quod in morborum curatione, qui ex humoribus fiunt, debemus conſiderare cauſam coniunctam, quam continentem vocamus, ex qua immediatè pendet morbus; & cauſam anteceden

antecedentem, quæ parata eſt morbum producere. Si vtraque cauſa ſit extra ſanguinis miſcellam, ſeu ſit ſupernatans, vtrique prouidendum eſt purgatione, neque aliter poterit è corpore educi. Si verò cauſa antecedens morbum ſit commixta ſanguini, rectè in omnibus his, & aliis affectibus ſanguinem mittimus; nam ſic reuellimus, & euacuamus cauſam, quæ morbum fouet. Quapropter in febribus intermittentibus, in quibus humores à ſanguine ſeparantur, ſanguinem extrahimus, non ratione cauſæ coniunctæ, nam hæc extra venas putreſcit, & in ipſis acceſſionibus abſumitur; ſed ratione cauſæ antecedentis, quæ eſt ſanguini coniuncta, & diſponitur ad efficiendam acceſſionem ſubſequentem. Idem proportionaliter eſt affirmandum de aliis omnibus.

*Signa quibus dignoſcimus humorem ſupernatantem, proponuntur.*

Sed quia ſic difficile eſt cognoſcere, an humor qui debet euacuari, ſit ſeparatus à ſanguine, vel non, vt huius habere poſſimus cognitionem, multa docet eſſe attendenda Galen. 4. *de ſanitate tuenda cit.* ex quibus facilis inuentu eſt humoris ſpecies emergentis, videlicet ex anteacta vita, & ex iis, quæ ipſis corporibus inciderunt, & ex ſignis, quæ ex vrinis, & aliis, quæ præter naturam excernuntur, vel propè cutem elucent. Qui enim in otio degerunt, immodicè biberunt, & per loca frigida deambularunt, vel ventis frigidis fuere expoſiti, & inſuper habent vrinam albam, tenuem, & ſine ſubſidentia, vel appendice, os plurimo ſucco crudo abundare, & ipſum ſupernatare credimus. Qui verò valde fatigati ſunt, eoſque multus labor exercet, hi bilioſum, vel melancholicum, illum æſtate, hunc autumno gignunt: ſi præter dicta vtantur rebus calidis, & in ipſis color totius corporis flauus, vel fuſcus conſpiciatur, primus bilem, ſecundus melancholiam excedentem oſtendunt. Idem præſtant vrinæ, quæ æmulantur potiùs naturam vnius humoris, quàm alterius; imò & ſapor, & puſtulæ, quæ corpore erumpunt: quæ omnia ſunt attendenda, vt cognoſcamus naturam humoris peccantis, & qui ſupernatat; in quorum redundantia, cognitâ humoris ideâ eſt vtendum medicamento purganti.

*An humori qualitate peccanti conueniat purgatio.*

Inſtabis iterum ex Galen. plurimis in locis, præcipuè tamen 1. *aphoriſmorum, commentario* 2. & 2. *aphoriſmorum, commentario* 17. vbi docet, quod purgatio eſt euacuatio humorum qualitate peccantium: ergo cùm humores qualitate peccant, debent per purgationem euacuari: ſed dum ſanguini ſunt commixti, ſæpe qualitate peccant: ergo dum ſanguini ſunt commixti, debent purgari; ſunt enim hi humores cacochymi, quibus debetur expurgatio, atque adeò licèt non ſupernatent, ſunt purgandi.

Reſpondetur, quod purgatio debetur humoribus non quomodocumque qualitate peccantibus, ſed illis, qui ſunt cacochymi, & ſeparati à ſanguinis conſortio; nam non quodlibet vitium humorum cacochymiam conſtituit, ſed illud tantùm, per quod ſuperant, & ſeparati ſunt à ſanguine: quod manifeſtè docet Galen. 4. *de ſanitate tuenda citat.* vbi ſic: *Nam virium robore conſtante, ſi laſſitudo adhuc infeſtat, æſtimandum eſt, cum ſanguiniſne copia, an cum crudis, ac minimè concoctis humoribus, an per ſe ſolus conſiſtat vitioſus humor, qui laſſitudinem creat; nam ſi cum ſanguinis copia, aut vena incidenda, aut aliquid quod tantumdem valet, agendum. Quod ſi vitioſi tantùm ſucci, hique citra ſanguinis copiam ſubſint, purgatio petenda eſt, quæ infeſtanti excrementa ſit accommoda, &c.* Ex quibus inferre licet, quod humores, dum ſunt cum ſanguinis copia, ſiue crudi, ſiue alio vitio ſint affecti, venæ inciſione, aut alio, quod tantumdem valeat, ſunt euacuandi; ſi verò

A ſint citra ſanguinis copiam, ſunt purgatione auferendi.

*Quem ſtatum præter naturã habere poſſunt humores, vt morbum gignant.*

Argues vlteriùs: Duplicem ſtatum habere poſſunt humores, vt morbum gignant, videlicet plenitudinis, aut cacochymiæ, neque ab aliquo ex Authoribus, quos ego legi, alius ſtatus humorum aſſignatur. Ergo humores vitioſi ſanguini admixti debent petere illud auxilium, quod debetur vel plenitudini, vel cacochymiæ: at non eſt offerendum remedium, quod conuenit plenitudini, ſiquidem humores illi ſanguini admixti poſſunt eſſe ſine plenitudine: ergo eſt adhibendum remedium, quod debetur cacochymiæ, hoc eſt purgatio: ergo humoribus qualitatẽ infeſtantibus competit purgatio, ſiue ſint cum ſanguinis conſortio, vel à ſanguine ſeparati.

*Humores cacochymi qui dicantur.*

Reſpondetur propriè, & rigorosè dici humores cacochymos eos, qui ſunt ſegregati à ſanguine, quos locis proximè citatis purgatione euacuare præcipit Galen. reliquos verò neque rigorosè conſtituere plenitudinem, neque cacochymiam. Non plenitudinem; nam poſſunt vitiari abſque ſanguinis B accretione ſupra debitam proportionem. Non cacochymiam; nam cacochymia adeſt dum humores ſunt ſine ſanguine, aliter non datur cacochymia, licèt vitioſi ſint humores: & propterea dum Galen. ait, quod purgatio conuenit humoribus qualitate infectis, loquitur de ipſis ſeparatis, & non ſanguini commixtis, vt ex locis ſuprà traditis facilè conſtat; & hoc modo interpretandus eſt Gal. omnibus in locis, in quibus docet, vtilem eſſe purgationem ad cacochymiam auferendam. Ita ſentiunt Serna *lib.* 5. *de methodo inueniendi remedia, capit.* 4. Santa-Cruz *lib.* 3. *de rebus præternat. impedient. magna auxilia, cap.* 3. Doctiſſimus noſter Socius Gaſpar Brauus *lib. de purgandi ratione*; & ſic conſtituendus eſt alter ſtatus humorum diſtinctus à plenitudine, & caco- C chymia. Neque hoc eſt intellectu difficile in doctrina Gal. nam plenitudinem vocat augmentum humorum, aut ſolius ſanguinis; vel ſi ſit plenitudo cum addito, redundat vnus humor, vel duplex; ſimul tamen cum ſanguine, vt ipſe aſſerit *libro de multit. cap.* 11. & 13. *method. cap.* 6. & 4. *de ſanitate tuenda, cap.* 4. Cacochymiam etiam eſſe dicit, dum vnus, vel alter ſuccus exſuperat, ita vt ſuperante bile reliquos humores, ſine ſanguinis augmento, fit cacochymia bilioſa, & ſic de reliquis ſuccis, ita vt iuxta mentem Gal. quem in hac parte omnes ſequuntur, tunc adeſt cacochymia, quando citra ſanguinis augmentum aliis humoribus corpus eſt refertum, vt verbis Gal. vtar. Non tamen negat Gal. quod ſanguis ſine ſui augmento poſſit vitiari, & prauas adquirere qualitates. Quod ſi hoc non admittas, alius humor à ſanguine, qui non excedit ſua quantitate, poteſt qualitatibus ſuis infeſtare, vel putrefieri, quo D tempore erit vitium in qualitate illius humoris ſine cacochymia; nam vt dixi, ad cacochymiæ rationem requiritur, quod humor vitioſus excedat ſuâ quantitate reliquos humores. Ecce ergo alter ſtatus in humoribus diſtinctus ab ſtatu plenitudinis, & cacochymiæ; nam licèt ille humor, ſi putrefiat, debeat euacuari vel ſanguinis miſſione, vel purgatione, non tamen facit cacochymiam, neque plenitudinem. Similiter ſi ſequamur ſententiam Roderici à Veiga *libro de differentiis febr.* qui cenſet cacochymiam appellari tantùm vitium humorum ad putredinem tendentium, qui purgatione auferuntur, non verò vitium in calore, frigiditate, humiditate, &c. quæ per attemperantia corriguntur, fatendum eſt, dari alium ſtatum humorum diſtinctum ab ſtatibus plenitudinis, & cacochymiæ, & ſic non eſt nouum alios ſtatus referre ipſorum humorum.

Sed quia dictum eſt cacochymiam rigoro-

ſam

*Qualiter dicantur humores ſeparati à ſanguine.*

ſam adeſſe, dum humores redundant, & ſeparati ſunt à ſanguine, non eſt hoc ita intelligendum, vt humores ſint ita ſeparati, vt nullum conſortium habeant cum ſanguine; ſufficit enim, quod emergant, vel ſupernatent; nam licèt intra eadem vaſa cum ſanguine contineantur, ſi tamen non ſeruant eandem vnionem, quàm in ſtatu ſalutis, dicuntur ſupernatare, & eſſe ſeparati à ſanguine, & cacochymi.

*Cur cacochymia debetur purgatio.*

Rogabis tamen, cur his humoribus debetur purgatio? Et ratio dubitandi eſt, nam cacochymia eſt vitium humorum redundantium, vt ſuprà ex mente Galeni inſinuauimus: ergo cùm quodlibet vitium habeat eius oppoſitum, per quod poſſit auferri, non eſt recurrendum ad purgationem; nam purgatio, cùm euacuatio quædam ſit, non opponitur alicui qualitati, ſiquidem frigida pugnant calidis, humentia ſiccis, tenuia craſſis, &c.

Reſpondetur iuxta Veigæ ſententiam, quod cùm purgatio exercetur pro humoribus cacochymis euacuandis, ſolùm habet locum dum humores putridi euadunt, qui nequeunt corrigi, neque emendari, qui petunt, vt reliqua excrementa, è corpore pelli; tamen ſi aliis qualitatibus præter naturam ſunt affecti, contrariis ſunt auferendi, ita vt ſi humores ſunt frigidi, ſunt calefaciendi; & ſi calidi, refrigerandi, &c. non tamen euacuatione eſt vtendum.

Secundò, & meliùs reſpondetur, quod ſæpè non poſſumus eam intemperiem corrigere per contraria alterantia, vt quotidie experimur in febribus putridis, in quibus ſanguinem mittimus, & expurgamus, & humorem vitio affectum euacuando ægrum liberamus; ſic etenim ſubtrahimus febris cauſam, & ex accidenti intemperiem ab humoribus vitioſis ortam tollimus, & vnico remedio cauſam morbi, & ipſum morbum abſcindimus; cauſam per ſe, humorem euacuando; & morbum ex accidenti, vt iam ſuprà dictum eſt: quem curandi modum exhibet Galen. 11. *methodi*, *cap.*10. & admonet faciendum in morbis pendentibus à cauſa, *lib. de optima ſecta, capit.*25. multitudine enim euacuatione ſubtractâ, ſimul & per eam genitus morbus tollitur.

*Vnico remedio morbum, & eius tollimus cauſam.*

## Tertia Conclvsio.

*Morbi ex vitio ſanguinis venæ ſectione curantur.*

Morbi magni pendentes ex vitio ſanguinis, ſiue tale vitium ſit peccatum in quantitate, ſiue in qualitate, petunt ſui ablationem per ſanguinis miſſionem. Hæc concluſio quoad primam partem ſuprà tradita eſt, circa quam nulla eſt dubitatio. Quoad ſecundam, etiam ex dictis facilè probari poteſt, affirmando id de maſſa ſanguinaria vitiata, non de humoribus vitio refertis ſupernatantibus. Gal. 11. *methodi*, *cap.*14. & 15. non ſolùm in febribus continentibus, ſed in omnibus febribus putridis, vt ſalutare præſidium venæ ſectionem imperat: ſi verò humores ſunt ſegregati à maſſa ſanguinis, vt dum turgent, tunc purgationem admonet, ex conſilio Hipp. Similiter ſi cruditas ventriculi obſit, differre præcipit venæ ſectionem, donec excrementa deſcendant, vel cruditas abſumatur. Idem docet 9. *methodi*, *cap.*11. vbi ſanguinem mittere iubet, dum ſanguis propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, neque nutrire valet: & licèt aſſerat, quod tunc ſanguinis miſſio eſt vtilis, vt reuellens, vel deriuans remedium; nihilominus cùm ſanguis poſſit vitiari, & reddi inutilis nutritioni per qualitates ſibi alienas, abſque motu, non eſt negandum, quod ſanguinis miſſio conferat ad corrigendum illud vitium, abſque deriuatione, & reuulſione. Auic. eſt eiuſdem ſententiæ, ſiquidem *fen.*4.1. *doct.*5. *cap.*20. *Vnum-*

*In ventriculi cruditatibus venæ ſectio differenda.*

A *quemque* (ait) *eſſe phlebotomandum, propter vitium in quantitate ſanguinis, vel qualitate, vel propter vtrumque.* Neque opus eſt referre Authores, cùm nullus ſit morbus pendens ex vitio maſſæ ſanguinis, eo modo, quo dixi, in quo ſanguinem ipſi non mittant.

*An humores crudi venæ ſectionem impediant.*

Sed ne incidamus in tertium dicendi modum, qui arbitratur ſolùm in morbis pendentibus ex humoribus conuenire venæ ſciſſionem, aſſerendum eſt, adhuc in morbis ab humoribus frigidis ortis, ſanguini tamen admixtis, ſanguinem eſſe detrahendum, partitè tamen, & in minori doſi, vt facit Gal. *lib. de ſanguin. miſſ. cap.*12. vbi ſic: *Vbi ergo multâ euacuatione eſt opus, verùm vires ſunt imbecilliores, in iis vacuationem partiri expedit, uti nimirum & me feciſſe vidiſtis in iis, quibus crudorum inerat humorum copia.* Quod ſi præcipui ſcopi adſint, nempe virium robur, & morbus magnus, qui venæ ſectio- B nem ſuadeant, nullam eſſe crudorum humorum tantam, talemque plenitudinem, quæ hoc inhibere auxilium poſſit, vt ibi *cap.*13. ait ipſe. Id comprobat quotidianus vſus, vt ſuprà diximus; nam in caro, catocho, ſeu catalepſi, apoplexia, quartana febre, quotidiana, arthritide, coxendicum dolore, & aliis huius cenſus, Authores venæ ſciſſionem commendant. Vnde niſi crudus per corpus collectus ſit ſuccus, nimiſque regio naturâ frigida, tum natura quoque hominis frigidior, ita vt timeamus per ſanguinis miſſionem totum corpus grauiter refrigerari, benè quidem poſſumus viribus conſtantibus ſanguinem mittere; nam licèt aliqua ſuperueniat noxa ex huiuſmodi auxilio, maxima ſequi ſolet vtilitas ex euacuatione cauſæ, reuulſione, & deriuatione illius: & licèt venæ ſectio non corrigat frigiditatem humoris per ſe, imò detracto ſanguine, & ſpiritu frigidum debet corpus remanere, dicimus C tamen plurimùm iuuare euacuando ipſum humorem frigidum, ex cuius extractione corpus poſtea meliùs calefit, ablato humore infrigidante, & calorem natiuum ſuffocante, vt docet Gal. 4. *de rat. vict. text.* 111. *Nam vt ignis propè extinguitur immiſſis lignis tum humidis, tum multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit, ſic & in frigidiore ob copiam ſanguine, vbi calor natiuus prope extinguitur, præſentiſſimum eſt remedium ſanguinis miſſio, quo tempore periculum ita prehenderit.*

## Qvarta, et Vltima Conclvsio.

*An in morbis, in quibus expoſtulatur venæ ſectio, & expurgatio, venæ ſectio debeat præcedere purgationem.*

Quoties vnus morbus petit venæ ſectionem, & purgationem humorum, qui ſunt intra venas, curatio incipere debet à ſanguinis miſſione. Hanc concluſionem tradit Gal.4. *de ſan. tuenda, cap.*4. *toties repetito*, vbi in humoribus crudis cum ſanguinis copia venam tundit, vel aliud remedium adhibet, quod D tantumdem valeat, vt in detentione hæmorrhoïdum, earum apertio, & in menſium ſuppreſſione, reuocatio: deinde aluum deiicere iubet medicamento malo ſucco accommodato. Hanc doctrinam accepit ex Authore libri 4. *de rat. vict. text.*21. vbi referens plurimos morbos, in quibus arbitratur vtrumque auxilium eſſe expediens, de ipſis aſſerit, quod ſolui non poſſunt, ſi quis primùm purganti medicamento vti aggreſſus fuerit; nam venæ ſectio in his præferenda venit. Idem docet Galen. 6. *epidem. ſect.*1. *textu* 6. vbi agens de renum dolore aſſerit, *quod ſi vtroque auxilio ipſe homo indigeat, à venæ ſectione incipiendum eſſe notiſſimum eſt.* Hanc concluſionem veriſſimam eſſe cenſet Valleſ. 7. *controu. cap.*9. & rationibus facilè ſuadetur. Nam ſanguinis miſſio aperit vias, & corpora paratiora reddit ad purgationem, ita vt ſit veluti diſpoſitio, licèt non omnimodè

neceſſaria ad purgationem, maximè tamen congruens ad illam. Præterea ſanguinis miſſio fit tutius, & citiùs, & cum minori apparatu, quàm purgatio. Similiter facta ſanguinis miſſione, deoneratâ naturâ, aluus humectatur, prouocatur vomitus, aut ſudor ſuperuenit. Demùm commodius eſt euacuare ſanguinem impurum, quàm purum: ſed ante purgationem ſanguis eſt impurus, poſt purgationem purus redditur: ergo ante purgationem eſt venæ ſectione euacuandus. Hanc doctrinam tuentur omnes, ſiquidem in febribus putridis, & aliis morbis, qui pendent ex vitio humorum, qui ſanguini ſunt commixti, dum non ſit aliquid prohibens, ſemper curationem aggredimur à ſanguinis miſſione auſpicantes, deinde pro natura redundantis humoris vtimur medicamento purganti.

*Contra dicta obiectio, an humores vitioſi ſanguini commixti purgatione poſſint euacuari.*

Vt tamen hæc veritas magis innoteſcat, contra eam inſurgo ex ſuprà dictis. Dum humores vitioſi ſunt ſanguini commixti, petunt euacuari venæ ſectione; dum verò ſupernatant, vel ſunt ſeparati à ſanguine, poſcunt purgationem: ergo morbi pendentes ex ipſis humoribus non exigunt vtrumque auxilium, ſiquidem ſolùm petunt illud remedium, quod illis conuenit, vt auferantur, quod eſt venæ ſectio. Diſcurſum confirmo. Ideo dicimus purgatione eſſe euacuandos humores, quia vt inutiles ſunt ſegregati à conſortio ſanguinis, qui neutiquam ſunt euacuandi ſanguinis miſſione: ergo pariter ſi humores, quia ſunt ſanguini admixti, euacuantur ſanguinis miſſione, nequaquam purgatione ſunt detrahendi: ergo ſi morbus pendet ex humoribus vitioſis, ſi illi ſunt ſanguini admixti, ſemper exigunt venæ ſectionem; ſi verò ſeparati à ſanguine, purgationem: ergo nunquam datur caſus in vno, & eodem morbo, in quo æger poſſit vti vtraque euacuatione.

*Nota benè quæ ſequuntur.*

Ex huius argumenti ſolutione plura abſtruſa nimis, & difficillima conſpicua fient, quæ quotidie in morbis curandis nobis ſe offerunt. Pro cuius ſolutione ſunt in memoriam reuocanda, quæ ſuprà adduximus ex Hippocrat. & Gal. mente, quod licèt morbus à principio in finem ſit vnus, ac per conſequens habeat rationem vnius indicantis, tamen quando habet aliquam inſignem mutationem in ſe, vel in cauſa, à qua dependet, debet etiam fieri mutatio in remedio indicato. Quapropter ſi morbus à principio in finem penderet ex vitio alicuius humoris ſanguini admixti, & vires eſſent validæ, & aliter quàm ſanguinis miſſione non poſſet detrahi, reuerà vteremur ſanguinis miſſione, quæ eſt remedium indicatum; tamen quia morbus in ſe in cauſa habet mutationem inſignem, & diuerſam conditionem in diuerſis temporibus, ſicuti ipſe morbus, & eius cauſa mutationem accipit, eandem debet accipere remedium. In principio, exempli gratiâ, febris putridæ pendentis ex bile ſanguini admixta, venam ſecamus plurimis de cauſis, ad euacuandam bilem, ad tollendas obſtructiones, & ad refrigerandum, & ad reuellendum humorem fluentem ad focum putredinis. Eadem etiam febris popoſcit purgationem, non tamen eodem tempore, & ſub eiſdem conditionibus, ſed maximè diuerſis; nam ſi velimus offerre medicamentum purgans dum humores ſunt incocti, & crudi, neutiquam feliciter poteſt ſuccedere purgatio, iuxta celeberrimum dictum Hippoc. *Concocta medicari atque mouere, & non cruda, neque in principiis, &c.* Et vt aſſerit: *In acutis paſſionibus rarò in principiis medicinis purgantibus eſt vtendum, & hoc cum præmeditatione faciendum.* Si etiam idem medicamentum propinemus, antequam viæ ſint expeditæ, & manifeſtæ, & obſtructiones ablatæ, toto cœlo errabimus, vt clarè docet Gal. 1.

*Quibus de cauſis ſanguinis miſſio conueniat in febrium initio.*

*Quare purgatio non conuenit in febrium initio.*

A aphor. phraſi 24. dicens: *Humores, quammaximè fieri poteſt, debent eſſe fluxui parati, hoc eſt tenues, & nullum lentorem participantes, & aperta foramina, per quæ purgatio debet fieri, & nulla debet eſſe obſtructio.* Neque eo tempore purgatio, vt refrigerans medicamentum, poteſt adhiberi; quia cùm calidum ſit, & corpus commoueat, potiùs calorem adauget, & coctionem humorum perturbat, quæ quietem deſiderat, vt Gal. ait *lib. quos, & quando, & quibus purgare conueniat.* Hæc omnia euitantur incommoda dum venæ ſectio exercetur: quapropter conſulenda eſt in morborum initiis; dum verò iam morbus eſt in declinatione, & omnia accidentia ſunt remiſſa, tam morbus, quàm eius cauſa ſunt in diuerſo ſtatu, & habent magnam mutationem; nam tunc febris eſt remiſſa, accidentia mitigata, humores ſunt cocti, & ſuperati à natura; & quia non poſſunt aliud recipere beneficium à natura, neque in illius ſubſtantiam B conuerti, tanquam inutiles, & excrementitij ſeparantur à ſanguinaria maſſa; tuncque ſolet ſuperuenire criſis, ſeu iudicium, quod ſi integrè factum ſit, nihil mouere, neque nouare expedit; ſi verò neque fiat criſis, vel ſi fiat, non ſit conſummata, tunc arte ſuppleri debet, ipſum humorem euacuando, quod ſæpe conſequimur medicamento purganti. Ex quibus deſumimus, quod vnus, & idem morbus iuxta diuerſos ſtatus, quos habet, poteſt petere diuerſum auxilium; ſufficit enim variatio in morbo, & illius cauſa, vt variationem accipiat remedium.

*Coctio quietem deſiderat.*

*In criſi perfecta nihil nouandum.*

Percontaberis tamen, an in eodem tempore vnus, & idem morbus vtrumque auxilium expoſcat. Reſpondetur, ſæpe id accidere; nam licèt humores non ſupernatent, poſſunt tamen eſſe talis conditionis, vt adhuc miſſo ſanguine non poſſint vinci à natura, quo in caſu facta euacuatione per ſanguinis miſſionem, ſtatim accedimus ad purgationem per medicamentum, quod electiuè eos humores euacuet: & licèt C dum purgatio ſit à natura, vel ab arte, humor purgandus debet eſſe à ſanguine ſegregatus, ſi regulariter ea purgatio fiat; tamen accidere poteſt, quod natura non poſſit eius humoris diſcretionem facere, quo tempore, factâ priùs venæ ſectione, medicamentum purgans offerimus, quem curandi modum ſæpe exercemus in morbis, qui ſunt ſine febre, & ab humoribus ortum habent, vt in lue gallica, in qua ſanguis inficitur, & ad eius curationem ſæpè ſanguinem mittimus, ſæpeque purgamus; & ad præcauendum morbum, vere etiam eadem adminiſtramus remedia, licèt humores omnes ſint in maſſa ſanguinaria contenti.

*An in eodem tempore morbi conueniat vtrumque auxilium, videlicet venæ ſectio, & purgatio.*

## DISPVTATIO II.

D *An in febribus putridis iuxta earum initium conueniat purgatio.*

De febribus putridis eſt maior dubitatio, an ſcilicet in eodem tempore, putà in principio vniuerſali illarum, vtrumque poſſit conferre auxilium. Hoc dubium ſolutum fuit in noſtro libro de febribus, de minoſatione facienda in principiis febrium tractantes. Qui enim minoratiuam fugiunt, non inueniunt occaſionem purgandi, niſi materia turgente, aut eâ concoctâ: ſed quia rarò materia turget, rarò purgationem admonent, quouſque peracta ſit coctio, quæ eſt neceſſaria ad perfectum iudicium, ſeu euacuationem humorum arte factam. Nos tamen, qui ex Hipp. Galeni, & Auicen. mente, & ratione ducti, vt certum tuemur purgationem minorantem eſſe

quando

quandoque maximè vtilem, quâ plures ægros à morte liberauimus, dicimus vtrumque poſſe auxilium proficere, ſi fiat, vt ait Hipp. *maxima cum meditatione*; quod quidem conuenire poteſt in principio vniuerſali morbi, quando facta euacuatione per venæ ſectionem, tanta eſt humorum ſarcina, vel praua illius conditio, vt non poſſit emendari, nec corrigi à natura; tunc enim non reſtat aliud auxilium, quàm purgatio, quâ humor ille noxius minor redditur, ita vt poſſit ſuperari, & euinci; & vt verum fatear, Deum omnipotentem teſtor, plures ægros febre acuta, & maligna correptos, quibus alia non profuerunt remedia, occultè adhibitâ potione minorante, ad meliorem ſtatum extra omnium ſpem reduxiſſe. Occultè dixi, quia oportet nos eſſe cautos, dum hoc remedio vtimur, quod non conuenit, niſi vrgente neceſſitate, & debemus timere quocunque modo periculum; & ne infelix euentus, qui vi morbi euenire ſolet, noſtræ adſcribatur actioni, quoad fieri poteſt remedium occultè offero, neque illud manifeſto, donec probum, & ſalutarem cognoſcam effectum. Sed quia praxim agimus, & totum noſtrum opus ad praxim dirigimus, dicam quod ſæpè feci in tot anguſtiis coniectus. Cum expectarem morbum terminadum die 14. neque in vrina erant ſigna coctionis, neque victoriæ naturæ ſupra cauſam morbificam, timebamque criſim futuram deterrimam, cum ex venæ ſectione æger non proficeret in melius, decernebam die 12. aliquid purgans exhibere, quod minueret cauſam morbi, ſub forma potionis cordialis, quæ non poſſet febrem magis accendere; in quem finem diſſoluere ſoleo ℥. ß. carnis tamarindorùm in ℥. iiij. vel quinque decocti florum cordialium, & foliorum ſennæ, vel decocti Pugini, cui addo aliquid confect. hyacinth. vel alchermes: quâ potione frigidâ epotâ venter ſoluitur, roboratur cor, & morbi cauſa minuitur, deinde natura potentior reddita ſupra reſiduum de morbo victoriam reportat; neque antea periculum timens audebam manifeſtare remedium; & ſicuti, vt inquit Horatius *lib.1.epiſt.16.*

*Nota in casu minorationis quid ſit faciendum.*

*Cautus enim metuit foueam lupus, accipiterque*
*Suſpectos laqueos, & opertam miluius hamum.*

Sic ſimiliter timore correptus venturum periculum reformidabam; neceſſitas tamen cogit ad illud offerendum, accidebatque mihi, quod refert Lucan. Pharſal. *lib.7.* dum canit: *Multos in ſumma pericula miſit venturi timor ipſe mali, fortiſſimus ille eſt, qui promptus metuenda pati.*

Nec miror, dum inuenio Authores ita diſcordes circa minorantis medicamenti vſum; in morbis tamen magnis periclitari licet, vt ait Hipp. *lib.de locis in homine*, & dum ſperamus auxilio hoc naturam morbum ſuperare poſſe, non eſt deſtituenda à tanto auxilio; non enim neceſſitatis aliud effugium eſt, quàm velle, quod ipſa cogit, nihilque neceſſitate fortius, vt Lipſius ait *lib.de conſtant. cap. 21.* Quibus enim alia ſalutis ratio non eſt, & quæ vnica videtur, ea dubia eſt, neceſſarium videtur aduersùs periculum ire.

*Neceſſitas ad multa cogit.*

Ex dictis concluditur, quod in eodem tempore vniuerſali febris acutæ (verbi gratiâ) vtrumque auxilium poteſt adhiberi; ſanguinis tamen miſſio præcedere debet purgationem, ob rationes iam ſuprà inſinuatas. Hæc omnia fuit neceſſe proponere, vt magis firmemur in praxi: quibus intellectis non erit difficile argumentum propoſitum, & illius confirmationem ſoluere.

*Ad argumentum reſponſio.*

Quare ad illud reſpondetur, quod in purgatione adhibenda dupliciter proceditur, vel regulariter, vel coactè. Tunc regulariter purgatio offertur, vt alio loco diximus, quando humores ſunt turgentes, & A ad purgationem eorum habemus naturam adminiculantem, vel quando humores ſunt concocti, ſaltem ea coctione, quæ dicitur in nocitiuo, poſt quam natura ſecernit, & ſeparat humores, vt euacuentur, vel etiamſi non moueantur, vt in turgentia ſupernatant, vel ſunt omnimodè ſeparati à ſanguine; qui omnes ita ſe habentes nequeunt euacuari venæ ſectione, atque adeò purgatione, vel alio modo ſunt pellendi de cura regulari. Coactè tamen purgationem offerimus quando in humoribus euacuandis deficiunt omnes conditiones aſſignatæ, ita vt non ſint concocti, neque ſeparati, ſed ſanguini admixti, & nequeant vinci ab ipſa natura; tunc quidem vanum eſt expectare coctionem in his, qui ob eorum multitudinem, vel prauam conditionem ſunt ad coctionem inepti, qui purgatione ſunt ducendi, præcedente ſanguinis miſſione.

*Curatio duplex, regularis, & coacta.*

Neque facit contra hoc, ſi aſſeras, quod humo- B res crudi non cedunt medicamento purganti, neque natura adiuuat eorum expulſionem, imò eos retinet, vt concoquat, vt ait Galen. 4. *aphor. textu 22.* quapropter non ſunt purgatione euacuandi. Hoc enim dubium alibi ſolutum eſt; pro nunc tamen dico, quod dum regulariter natura operatur, priùs retinet, deinde concoquit, poſtea diſtribuit, ſecernit, & denique expellit; verumtamen dum irregulariter operatur, & vi cauſæ morbi impulſa, ſæpe ipſos humores excernit crudos, & incoctos, vt oſtendunt plurimæ euacuationes ſymptomaticæ, de quibus latè egimus noſtro libro de febribus; pari ratione dum neceſſitas vrget purgandi humores crudos, qui ſunt quieti, & ſanguini mixti, licèt non ita cedant, veluti ſi eſſent ſeparati, & diſpoſiti; nihilominus cùm intercedat familiaritas inter attrahens medicamentum & attractum, & medicamentum actuetur à natura, vt poſſit attrahere, non eſt à quo impedia- C tur actio; nam ſi impediretur attractio, maximè à natura: nam ea non tam retinet, quia retentionem diligit, quàm quia non poteſt expellere. Quapropter in hoc caſu, quod per ſe ſolam facere non poteſt, adiuta ab arte facere valebit; non enim implicat, quod natura propter humoris exuberantiam, vel aliàm conditionem, etiamſi vellet, non poſſit expellere, adiuta tamen expellat, ita vt eam quodammodo habeamus adminiculantem, & non prohibentem purgationem. Quaproptèr in hac parte non eſt ſequendus Fallopius *tract. de purgatione*, qui aſſerit nullam intercedere ſimilitudinem inter medicamentum purgans, & humorem crudum attrahendum; & propterea nihil conducere exhibere medicamentum purgans. Neque omninò negantes minoratiuam purgationem ſunt admittendi, quatenus arbitrantur, naturam repugnare illi euacuationi, cùm ſæpe natura plures moliatur euacuationes in princi- D piis morborum, quæ ſolent magnam præſtare vtilitatem, licèt fiant cum maiori naturæ diſpendio, quàm ſi fierent materiâ iam coctâ, & iuxta naturæ regulas. Quapropter Auic. *fen.* 4. 1. *cap.*3. ait: *In quocunque morbo non turgente melius eſſet concoctionem expectare, ſi liceret per facultatem, & morbi magnitudinem; at ſi non fuerimus ſecuri, quod virtus vſque ad maturitatis horam perduret, euacuabimus eam.* Hæc autem euacuatio, cum faciat nos deuiare à regulis, quas ipſa natura obſeruat, dum rectè, & cum pauco virium diſpendio operatur, ideo dicitur irregularis, & coactè facta. Ad confirmationem reſpondetur negando paritatem; nam licèt humores à ſanguine recedentes ſunt medicamento purganti educendi, quia cùm ſint ſine ſanguine, non obediunt venæ ſectioni; tamen humores praui admixti ſanguini, quos natura non poteſt ſeperare, bene quidem purgatione auferri poſſunt, præcedente, vt dixi, ſanguinis miſſione.

*Vtrum humores crudi debeant purgari.*

*Fallopius arguitur, & qui minoratiuam dehortantur.*

*Reſponſio ad confirmationem.*

Bene verum eſt; quod ſi extra ſanguinis miſcellam extitiſſent, melius medicamento purganti attraherentur; tamen dum natura eos non ſeparat ob eorum reſiſtentiam, ſeu impotentiam naturæ, Medici munus eſt eos ſeparare medicamento purganti, & eos extra corpus pellere.

*Præcipui ſcopi mittendi ſangui em referuntur.*

Ex dictis deducimus, quod præcipui ſcopi mittendi ſanguinem ſunt morbus magnus pendens ex ſanguinis vitio in quantitate, qualitate, & motu; & virium robur, quibus præſentibus, nemo in arte exercitatus eſt, qui ſanguinis miſſionem reformidet. Ita vt præſente plenitudine, ex qua pendeat morbus præſens, vel poſſit pendere imminens, venæ ſectio adhibetur, vt euacuans auxilium. Si verò morbus magnus ortum trahat à vitio humorum, adhuc ſine plenitudine conuenit ſanguinis miſſio, vt attemperans, & corrigens illud vitium, quod in humoribus eſt cauſa morbi, euacuando ipſius morbi cauſam. Quod ſi humores ſunt in motu, vel prompti, & parati ad motum, venæ ſectio prodeſt vt reuellens, & deriuans medicamentum, eo modo, quo ſuprà recenſuimus: nec minùs deſeruit vt deobſtruens in morbis magnis ex obſtructione. Sub his modis vniuerſalioribus comprehendimns plurimos morbos ſpecie diſtinctos, quibus vna, vel alia ratione competit ſanguinis miſſio, niſi ſit aliquod impediens, vel contra indicans, quo præſente omninò ſolet impediri venæ ſectio, vel ſaltem in minori doſi ſanguis euacuari.

Sed quia, vt ſuprà diximus, quantitas auxilij reddit toatm artem medicam coniecturalem, ſunt plures ſcopi coindicantes, qui licèt non coindicent ſanguinis ipſam detractionem, coindicant tamen detractionis quantitatem, vt pluribus in locis aſſerit Gal. præcipuè tamen *lib. de venæ ſectione, cap.* 9. Itaque ex morbo magno à cauſa materiali pendente, vt diximus, & virium robore, tanquam ex ſcopis præcipuis, indicia minuendi ſanguinem ſunt deſumenda; ex reliquis verò, tanquam ex minùs præcipuis, vt ex ætate, conſuetudine, plenitudine, ſeu plethorica vocata ſyndrome, aëris nos ambientis temperie, tempore, regione, loco, corporis habitu, naturali ægri temperie, comeſorum tum quantitate, tum qualitate, excretionibus, aut exercitiis. Hæc & alia commemorat Gal. *lib.* 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 14. ex quo loco ea deſumpſit Doct. Sancta-Cruz *lib. de impediment. magnorum auxiliorum.* Quæ quidem ſi exactè comprehendantur, remedij quantitatem deſcribunt, vel omninò illius executionem perturbant. Ad locum Gal. lectorem remitto, in quo quæ venæ ſectioni repugnant, quæve eam contemperant, & quantitatem determinant, longè diſcuſſa videbit.

*Quantitas determinatur.*

## §. VNICVS.

### *Scopi purgationis proponuntur.*

HIs exactè penſitatis, non erit difficile inuenire ſcopos offerendi medicamentum purgans. Et licèt ad alium locum ſpectet hæc tractatio, tamen quia plura acta ſunt à nobis circa purgationem, & illius ſcopos, breui epilogo quæ diffusè ſunt pertractata, ad vnguem amplectar. Inter magna remedia maximum ſibi vendicat locum purgatio, atque adeò debet indicari à morbo magno: ſed quia purgatio, vt ſuprà diximus ex Galeni mente, eſt euacuatio humorum qualitate peccantium, morbus expoſcens purgationem, ſiue præſens ſit, ſiue imminens, debet habere neceſſariò ſuum eſſe dependenter ab ipſis humoribus qualitate peccantibus; aliter enim eſſet ſuperflua, & maximè nocens talis euacuatio. Verumtamen animaduerto, quod licèt purgatio ſit vnicum remedium, vt diximus de ſanguinis miſſione; eſt tamen virtute multiplex, eſt enim non quomodolibet euacuans, ſed etiam reuellens, deriuans, deobſtruens, & attemperans. Quia ergo ad plura deſeruit, ideo non ab vno, ſed à pluribus indicari debet: & cum non indicetur à morbo in eo ſtatu, in quo ſanguinis miſſionem expoſtulat, licèt ab eodem morbo ſumatur indicatio ad vtrumque remedium, neceſſariò debemus conſtituere morbum in diuerſo ſtatu, vt indicet purgationem. Per ſtatum diuerſum velim intelligas non ſolùm diuerſam mutationem morbi, ſed etiam ſuæ cauſæ; cùm ſit noſter ſermo de morbis magnis à cauſis procedentibus.

*Purgatio eſt remedium virtute multiplex.*

Prætereà purgatio alia ſortitur nomina ſecundùm varios effectus, quos producit; nam quædam dicitur radicatiua, quæ quidem radicitus morbi magni cauſam euellit, & hæc debetur morbo magno pendenti ex humoribus turgentibus, & humoribus iam coctis, qui criſi à natura intenta non euacuantur; nam cùm hi ſint inepti ad nutritionem, vt excrementa debent expelli, quos dum natura non euacuat, artis medicæ munus eſt eos medicamento purganti protinus euacuare. Alia eſt purgatio per epicraſim, per quam paulatim id noxium, quod coctum eſt, euacuatur: de qua purgatione egit Gal. 9. *methodi, cap.* 10. *propè finem.* Hæc purgatio poteſt reduci ad purgationem radicatiuam, cui competit humorem concoctum euacuare omnimodè; nam licèt non euacuet vniuerſaliter omnem humorem, euacuat tamen partem illius, quæ coctionem recepit. Non enim reduci poteſt ad purgationem minoratiuam; nam hæc euacuat humores crudos, & incoctos: epicraſis verò euacuat humoris partem coctam, & non crudam.

*Purgatio varia ſortitur nomina.*

*Euacuatio per epicraſim reducitur ad purgationem radicatiuam.*

Alia dicitur ab Auic. minoratiua, quæ conuenire ſolet in morbi magni principio vniuerſali, præcedente ſanguinis miſſione, quâ minori redditâ materiâ potentior redditur natura ſupra reſiduum, de qua (quidquid dicat Gal.) loquitur Hipp. 1. *aphoriſm. textu* 23. dum ait: *In acutis paſſionibus rarò medicinis purgantibus vti, & hoc cum meditatione faciendum.* Et 2. *aphoriſmor. text.* 29. dum aſſerit: *Inchoantibus morbis, ſi quid tibi mouendum videtur, moue, &c.* Non enim loquitur de purgatione debita humoribus turgentibus, ſed de purgatione minoratiua. Ita ſentit Augenius, & ipſa dictat ratio; nam quando Hipp. agit de purgatione debita materiæ turgenti, non addit illam particulam *cum præmeditatione*, vt cuilibet legenti Hipp. ſententias notum fiet: 1. *enim aphoriſm. textu* 22. ſi turgeant humores, medicari abſolutè præcipit: vtero gerentes docet etiam purgare, ſi materia turget, 4. *aphoriſmorum textu* 1. & idem conſulit faciendum *eodem lib. text.* 10. in quibus locis non docet purgationem facere turgente materia maximâ cum meditatione, quam habere deberet Medicus maximè in vtero gerentibus, & in quacumque turgentia. Quapropter arbitror, quod quando ipſe dixit, in acutis paſſionibus rarò in principiis eſſe purgandum, non agit de purgatione materiæ turgentis, ſed de purgatione minoratiua humoris crudi, & quieti, in qua exercenda maxima præmeditatio eſt neceſſaria, imò maior, quàm in materia turgenti; nam in ipſa humores ſunt fluxiles, & facilè mobiles, tuncque offerimus medicamentum veluti manum porrigens, quod humores illos iam motos ad aluum deducat, vt oſtendit Gal. 4. *aphoriſmor. comment.* 1. neque ad hoc eſt opus maxima meditatione; at verò dum humores ſunt crudi, & quieti, habet magnam difficultatem eorum motio arte facta; quapropter ſi fiat, maximâ cum meditatione eſt facienda, & hoc voluit inſinuare Hippocrat.

*Purgatio minoratiua qualis eſſe debeat.*

*Loci Hipp. explicatio congruens.*

erat. quando aſſerit, quod in morbis acutis rarò medicinis purgantibus vtimur, & hoc cum meditatione faciendum, prætermittens verbum *meditari* in purgatione exercenda in caſu turgentiæ, quia non eſt neceſſaria tanta meditatio ad euacuandum humorem, qui eſt in motu, quanta requiritur ad purgandum humorem quietum in caſu vrgentiæ.

*Purgatio lenitiua quæ?*

Alia datur purgatio lenitiua, quâ cruditates, & humores in prima regione collecti euacuantur, ad quam non eſt neceſſe, vt medicamenta ſint electiua, & attrahentia, ſed leniendo ventris excrementa deponunt, vt caſſia, manna, ſyrup. viol. ex 9. infuſionibus, prunorum, & tamarindorum caro, & huius cenſus alia.

*Morbi quibus debetur purgatio, habent plures ſtatus.*

Habent ergo morbi, quorum ratione purgationes iſtæ adhibentur, plures ſtatus; nam dum turgent humores, qui morbum magnum, & acutum faciunt, debent euacuari, ob incommoda tradita à Gal. 4. *aphor. com.* 10. *Ne ſcilicet decumbant in partem principem, vel virtus debilitetur, vel febris caliditas augeatur, &c.* Ego addo, quia ſunt ij humores diſpoſiti, & facilè mobiles, & ſunt ſeparati à ſanguine, & non ſeruant vnionem ſibi debitam in ſtatu ſalubri cum ipſo ſanguine, & non aliter poſſunt euacuari quàm purgatione, & ſunt verè cacochymi: quod vitium reperitur in humoribus, dum ſunt extra ſanguinis conſortium, vel emergunt, vt iam ſuprà ſtatui in Gal. & aliorum ſententia.

Dum verò humores ſunt concocti, niſi priùs euacuentur à natura per criſim, debent euacuari purgatione, quia iam illi humores non ſunt emendabiles magis, & vt excrementitij, debent reiici, ſicque eos natura ſegregat à ſanguine, & non poſſunt venæ ſectione euacuari. Debent ergo purgatione expelli. Si verò humores, ſeu cruditates primam occupant regionem, vel vomitu, aut clyſteribus, ſeu purgatione lenitiua ſunt pellendi; non enim ſanguinis miſſionem expetunt, imò eam impediunt, vel prohibent, vt ſuprà inſinuatum eſt. Ex quibus concludimus, quod purgationes omnes, quæ regulariter fiunt ab arte, imò & à natura, reſpiciunt humores à ſanguinis conſortio ſegregatos; ea verò purgatio, quæ minoratiua dicitur, & in principiis morborum ab arte fit, reſpicit materiam crudam, & ſanguini mixtam; nam licèt natura ſit intenta eius ſeparationi, & expulſioni, quia aliter non ſe poteſt liberare ab eius ſarcina, non tamen poteſt, donec Medici auxilio adiuuetur: quapropter ad deponendum naturæ onus, ne ſcilicet decumbat antequam æger ad morbi ſtatum deueniat, adhibetur hæc purgatio minoratiua, ad cuius executionem ſuperſunt plura fundamenta à nobis recenſita *lib.*4.*de febribus,quæſt.*4. quæ prolixitati parcens iterum hîc non repeto.

*Cacochymia fit etiã ab humoribus ſeroſis, qui ſunt purgatione euacuandi.*

Sed quia ex Galeni mente conſtat, quod cacochymia non ſolum attenditur reſpectu cuiuſcumque humoris ſupernatantis, & à ſanguine ſeparati, ſed etiam reſpectu humoris ſeroſi, ſiquidem Gal. aſſerit, quod dum corpus ſeroſis humoribus eſt refertum, datur cacochymia; ideo dum iſti humores ſeroſi cacochymiam faciunt, ſunt purgatione euacuandi, ſicuti reliqui humores, vt dum adeſt hydrops aſcitis dicta, in qua ſerum intra peritonæum eſt collectum; aut dum fit vrinæ ſuppreſſio, in qua ſerum ſupernatat in venis; vel quando febris (vt dixi) fit ex putredine ſeri, & iam remiſſa eſt febris, ſi non euacuetur illa ſubſtantia ſeroſa ſufficienter per vrinam, medicamento ipſam purgante eſt educenda; nam in huiuſmodi ſubſtantiæ euacuatione eodem modo eſt procedendum, ac in euacuatione reliquorum humorum, ſiue ea euacuatio purgatione, ſiue venæ ſectione fiat. Plura circa purgationem, & ſanguinis miſſionem referre poſſem; ſed quia mei inſtituti

A fuit tantùm mentionem facere de ſcopis, & indicantibus venæ ſectionem, & obiter aliqua de purgatione proponere, omitto reliqua, cùm iam hæc tractatio optatum ſit adepta finem, quam tuæ correctioni ſubmitto, vt omnes ſic vtilitatem ex ea capeſſere valeant.

---

## OBSERVATIO I.

### *Pro quadam nobili matrona difficili partu laborante, & fœtus mortui extractione.*

*Proponitur hiſtoria.*

NObilis vtero gerens, cùm ad terminum naturalis partus acceſſiſſet, cœpit doloribus torqueri, ita vt ipſa cognoſceret partus propinquitatem, vocareque iuſſit obſtetricem, vt ipſi fuiſſet in adiutorium. Accedens ergo obſtetrix, ſtatim agnouit illos B dolores partum annunciare, & requiſita ad partum præparauit, iuuauitque prægnantem, vt de more eſt, ad exitum infantis facilitandum; ſed dum ſperabat ex vtero priùs infantis caput exire, manum ad extra miſit, deinde totum brachium: obſtetrix tentauit brachium ad intra reducere, vt infans exitum meliorem, & ſecuriorem figuram compararet; nunquam tamen potuit, timenſque infantis ſuffocationem, propter malam partium poſitionem, quam habebat in vtero, eo modo, quo potuit, ipſum baptizauit, deinde totis viribus conata fuit fœtum extrahere, ſicque præcipiebat, vt miſera grauida, quoad fieri poſſet, fœtum ex vtero exprimeret, illamque adiuuabat ex brachio fœtum violenter attrahendo, qua attractione intumuit brachium, & immobile permanſit, ita vt neque brachij, neque fœtûs aliquis percipere-tur motus: iudicauit ex hoc, quod fœtus eſſet mortuus. Pertimeſcens igitur, quod ſimul grauida cum C fœtu perderetur, maritus ocyſſimè ad me venit: propero ad ægram, caſum comprehendo, bonâ ſpe victoriæ ægram alere incipio, & Chirurgum vocari iubeo, & brachium infantis illicò nouacula, vt amputet, præcipio; deinde diſſecto brachio, iuſſi vt obſtetrix per infantis humerum manu immiſſa, caput illius comprehenderet, vt facilius extrahi poſſet; nunquam tamen potuit caput inuenire, & caput inueſtigans, pedem arripuit, & ad extra reduxit pedem, crus, & femur, quod totum in parte ſublimiori amputare feci; deinde introducta manu obſtetrix alterum adinuenit pedem, & extra tulit, paulatimque fune ligato pede, etiam femur eduximus, quouſque tandem fœtum totaliter cum ſecundinis extraximus, ipſum fœtum per pedem, & crus ex vtero diuellentes, ſicque matrem ab afflictione, & à morte Dei auxilio liberauimus, non ſine magna omnium admiratione, quæ poſteà diu vixit, & alios D peperit filios.

### ANNOTATIO.

*Hic caſus non proponitur vt nouus, ſed vt in memoriam reuocetur.*

NOn refero hanc hiſtoriam, vt nouitatem afferam, cùm certum ſit, quod dum in illo miſerrimo ſtatu collocatur grauida, aliter ſuccurri nequit; ſed ſolùm in memoriam reuoco id, quod ab antiquis commendatur, præſertim ab Hipp. *lib. de fœtus exſectione*, vbi eundem proponit caſum, inquiens: *Si itaque fœtus obliquè prolapſus, manum protenſam habuerit, manu apprehenſâ foras producere quammaximè conare, & brachium excoriato, atque vbi os brachij denudaueris, ſquatinæ pellem, tum duos manus digitos obligato, ne caro lubricitate ſua elabatur. Deinde verò carnem circa humerum reſcinde, ipſumque iuxta iuncturam exime; poſtea caput iuxta naturam*

*turam protruſum foras producere tenta, &c.* Si enim dum obliquè deſcendit fœtus, poteſt reduci, ita vt præcedat caput, deinde exeant cætera membra, conandum eſt id efficere; ſin verò id aſſequi non poſſit, cum fœtus aliter exire non valeat, & ob indebitum ſitum facilè ſuffocetur, & nequeat grauida fœtum extra vterum exprimere, neque detur locus fœtus expulſioni, tunc nullum remedium commodius poteſt inueniri, quàm illius abſciſſio, & extractio per partes: neque oportet admonere grauidam, vt vehementer ſe comprimat, vt expellat fœtum, cùm ſit illius impoſſibilis expulſio, dum ſub tali figura, & poſitione fœtus ſit conſtitutus; quapropter increpandæ ſunt obſtetrices, quæ grauidas ad parturiendum eo tempore vehementer concitant, imò & Medici, qui potiones adhibent ad facilitandum partum, & nihil tentant de reductione fœtus ad debitam figuram, vt poſſit exire. Deſtruunt ſiquidem miſeram grauidam, eius vires diſſoluunt, & potionibus aperientibus faciunt purgationem vteri immodicam, ex quibus tam fœtus, quàm matris obitus eorum cauſâ fit. Vt ergo partum vitioſum facilitare valeamus, & eius curationem attingere, ita vt quoad fieri poſſit, ſaluentur tam mater, quàm fœtus, vel ſaltem ambo ſimul non pereant, cauſas difficilis, laborioſi, & vitioſi partus, eiuſque ſigna, & curationem tradam, ſi priùs dixerim, quis ſit in vtero ſitus fœtus, & partium eius; quæ ſit figura naturalis fœtus, vt ipſe meliùs exeat in lucem, & alia ſcitu digna in medium adducam.

*Nota obſtetricum errorem circa malè parturientes.*

Quoad primum Hipp. *libro de natur. pueri* ait, quod puer in vtero ita ſitus eſt, vt manus habeat ad genas, caput pedibus propinquum, ita vt nemo iudicare poſſit, an caput ſuprà, vel infrà ſit: multi tamen tranſtulerunt, non ad genas, ſed ad genua. Ita Ariſt. 7. *de hiſtoria animal. cap.* 8. vbi ſic: *Homo etiam in ſemet conglobatus ſic geſtatur, vt naſum inter genua, oculos ſuper genua, aures extra genua habeat.* Neque facit contra hoc Hipp. *lib. de octimeſtri partu*, vbi ſic aſſerit: *Producuntur enim omnes ſurſum habentes caput; nam aliud eſt, quod ſic producantur, aliud quod ſic perſeuerent.* Quando ergo Hippoc. dixit, quod puer habet caput pedibus propinquum, loquitur de ſitu, quem intra vterum ſeruat, non verò de ſitu, quem caput habet dum producitur. Id colligi poteſt etiam ex Ariſt. *loco proximè cit.* vbi ait: *Omnibus æquè animalibus caput primum ſuperius eſt, ſed cùm creuerint, & iam exitum appetant, deorſum deducitur.* Eſt enim hæc figura, & partium fœtus poſitio magis accommodata, vt fœtus cum minori matris noxa intra vterum contineatur; & cùm habeat figuram veluti orbicularem, faciliùs poteſt ipſe moueri. Ego quidem obſtetrices interrogaui, qualiter fœtum intra vterum exiſtere intelligerent, vt ſic veritatem Hippoc. & Gal. confirmarem: & ab ipſis intellexi, fœtum ita intra vterum conglobari, vt pedes habeat ad nates, manus ſupra genua, naſum inter genua, & oculos ſuper genua. Ex quibus elucet veritas doctrinæ Ariſt. & Hipp. ita vt in vno conueniant; nam manus fœtus in vtero tangunt & genas, & genua: nam palma, & vola manus genua contingunt; gena verò vtraque firmatur ſupra partem externam manus; ita vt ſaluetur, quod ſimul nares habeat intra genas, & intra genua, & manus ſupra genua, & ſupra genas, oculos ſuper genua, & ſupra genas, &c. Dum tamen foras fœtus exire debet, caput deorſum deducitur, vt ait Ariſt. loco proximè citato. Rationem inſinuat Hipp. *de octim. partu*, dicens: *Flexibiles enim corporis partes non impedimento ſunt puero in caput exeunte; verum cum in pedes prodierit, obturamenta contingunt.* Itaque ex dictis comprehenditur facilè, quod infans in principio habet caput ſurſum toto tempore, quo paruum occupat locum; deinde in ſe conglobatus perſeuerat, eo modo quo diximus, quouſque viam parat ad exitum.

*De ſitu infantis in vtero.*

*Eandem figuram depinxit Auic. fen. 11. 3. tract. 1. c. 2.*

Quamuis talem ſitum habeat fœtus intra vterum, non tamen debemus exiſtimare, quod omnia animalia intra vterum eandem partium poſitionem ſeruant; nam vt ait Ariſt. ibi: *Situs in vtero quadrupedum omnium extenſus eſt, expedum autem obliquus, vt piſcium; bipedum verò inflexus, contractuſque, vt auium.* Huius rationem aſſignat Mercur. 2. *de morb. muliebr. cap.* 2. inquit enim, quod animalia quadrupeda ſtatim ac exeunt in lucem, coguntur ambulare, & crura extendere; quapropter fuit conueniens, vt intra vterum eſſent ſic conſolidata, vt poſſent ambulare, & ſe ſupra pedes continere ad quærendum matres, & inueniendum cibum; ſi enim in vtero contorquerentur, non ſolideſcerent, neque eſſent ad motum habiles. Piſcium ſitus obliquus eſt, quia piſces ſunt oblongi, & vterum habent anguſtiſſimum; & propterea fuit conueniens, vt natura inueniret figuram, veluti alicuius lemmæ, & vittæ contortæ; quæ figura eſſet apta nimis, vt in anguſtiſſimo, licèt oblongo, contineretur loco. Auium ſitus debet eſſe contortus, & membra auium nimium etiam contracta, quia cùm oriantur in ouo, & non aliunde alimentum recipiant, quàm ab eo, quod in ouo continetur, fuit neceſſe alimentum magnum ſpatium oui occupare ad auium nutritionem; quod non fieret, ſi auium membra non eſſent nimis contracta: qua autem de cauſa impleto tempore pariendi à natura præfixo partus ſuperueniat naturalis, diximus *lib. 6. de internorum morborum curatione, cap. de partu difficili, ac laborioſo*; quo in loco etiam partus difficilis, ac laborioſi cauſas adduximus; nunc autem cùm ſit noſter ſermo de partu vitioſo ratione figuræ fœtus, ipſius cauſas eſſe proponendas ipſa dictat ratio.

*Reliqua animalia ab homine quam ſituationem habent in vtero.*

*Piſcium ſitus in vtero.*

*Auium ſitus in ouo.*

Hipp. *lib. de natura pueri*, huiuſmodi partus cauſas ad duo genera reducit, videlicet ad vteri amplitudinem, quando vterus ita latus, & amplus eſt, vt facilè fœtus huc, & illuc labatur, quo tempore poteſt contingere, quod partu accedente fœtus non valeat comparare figuram magis habilem ad exitum: vel ad grauidæ motum, quæ nunquam quieſcit, ſed modò ſurgit, modò ſedet, modò erecta manet, ita vt nullum ſibi inueniat locum conuenientem, in quo quieſcere poſſit. Præter huiuſmodi cauſas aliæ ſuperſunt, quæ partum vitioſum reddunt; vt enim partus naturalis fiat, tria debent occurrere, parturiens, fœtus, & modus debitus expulſioni fœtus; non enim expulſio fœtus, vel motus illius in lucem fieri poteſt, niſi parturientis facultas expultrix excitetur; proptereáque Galen. 3. *de facult. nat. cap.* 11. ait, quod vterus dum in ſe continet fœtum, mouet ſe ad expulſionem, ob offenſionem, cuius eſt triplex cauſa, aut nimia moles, aut aliquod pondus, aut morſus; hæc enim tria dari ſolent dum partus naturalis appropinquat, quæ cogunt grauidam ad fœtus expulſionem. Ea tamen, ſi debilis ſit, non poteſt ſe adiuuare, & propterea non benè excernitur, neque adiuuatur fœtus in ordine ad motum capitis deorſum. Neque mater ſe ſola fœtum trudere poteſt, niſi ipſius fœtus adiuuamine, quo fit, vt ante decem menſes fœtus eſt indigens alimento, ſicque calcitrans, ac membranas diſrumpens, initium partus matri affert, vt inquit Galen. 5. *aphoriſm. comment.* 37. Quod ſi fœtus imbecillis ſit ob aliquam morbi, vel alterius rei occaſionem, ita vt intra vterum non poſſit munus ſibi debitum in ordine ad exitum adimplere, neque ob debilitatem ferre deorſum caput, neceſſariò partus erit difficilis, & vitioſus, vt ait

*Partus vitioſi cauſa.*

Auicen.

Auicen. *fen.* 21. *lib.* 3. *tractat.* 1. *cap.* 2.

Quod ſi in iis, quæ naturaliter accidere debent, tam grauidæ partui proximæ, quàm fœtui adſit defectus, non mirum, quod ex parte modi pariendi, & figuræ fœtus vitium contrahatur; quia fœtus non poteſt accommodare ſe in figura, modo, & ſitu naturali, propter defectum harum cauſarum, vt rectè explicuit Alfonſ. à Carranza *cap.* 2. *de fœtu, ſeu ventre, ſect.* 4. & *cap.* 20. *miſcellan. partus.* Quare tempore partus propter huiuſcemodi cauſas tentans fœtus in lucem prodire, extra priùs mittit caput, vt ſequantur cætera membra; nam caput ex ſua craſſitie, & grauitate facit locum cæteris membris grandioribus, vt ait Gal. *lib. de anatom. viuorum,* & 15. *de vſu partium, cap.* 7. Et quia, vt ait Ariſt. 4. *de generat. anim. c.* 9. partes animales ab vmbilico ſurſum maiores ſunt, quàm inferiores, maiora autem plus ponderis continent; atque adeo veluti in ſtatera dependentes, eò vergunt, quò trahuntur; tamen non poteſt hanc adquirere figuram, quæ naturaliſſima eſt, tuncque adquirit quam poteſt. Inter eas, quæ vitioſæ exiſtimantur, & contra naturam, vna eſt quando in pedes dilabitur fœtus, quæ inter omnes eſt magis ſecura, licèt ægrè feratur: qui hoc modo naſcitur, Agrippa nominatur, quaſi ægrè partus, vt ait Plinius 7. *naturalis hiſt. c.* 8. ſicque ferunt in lucem editum fuiſſe Agrippam, atque ita fuiſſe vocatum. De Nerone quoque Imperatore generis humani, præſertim Religionis Chriſtianæ hoſte, idem ſcripſit parens eius Agrippina, vt Author eſt Cornel. Tacitus *Annal. lib.* 4. Reliquæ figuræ hac ſunt deteriores, quas omnes amplectitur Hipp. *lib. de natura pueri,* Ariſt. 7. *de hiſt. animal. cap.* 6. vbi ſic: *Ita fit, vt omnibus animalibus partus ſecundùm naturam in caput, contra naturam in pedes, aut inflexu, circumactoque corpore agatur.* Auic. *fen.* 21. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 20. idem aſſerit: quapropter ſi fœtus egrediatur ſuper pedes ſuos, aut ſuper latus, aut egrediatur curuatus, ita vt pedes declinent versùs faciem, vel egrediatur ſuper genua & coxas, quocumque modo ex iis appareat, declinat maximè à bono exitu, & conſequenter magnum infertur periculum.

*Agrippa quare ſic dictus.*

*Nero natus fuit in pedes.*

*Partus ſecundum naturam omnibus animalibus in caput.*

Licèt hæc veriſſima ſint, & à nemine dubitata, extat tamen Auicenna *fen.* 21. 3. *tractatu* 1. *capit.* 2. *iam citat.* qui conſtituit differentiam inter maſculi, & fœminæ intra vterum ſitum, & poſitionem; aſſerit enim, quod collum, & facies maris eſt ad dorſum matris eius, defendendo cor; & hæc quidem præparatio conuenientior eſt ad conuerſionem faciendam, licèt quidam dixerunt, quod faciei mulieris præparatio eſt ſecundùm contrarium huius, ita vt ſituatione differant. Peramatus *libro de hominis procreat. capit.* 7. ait, quod maſculus anteriori corporis parte in matris ſuæ abdomen, & poſteriore in dorſum verſus eſt; fœmina verò è contra anteriori parte dorſo innititur, & poſteriori reſpicit abdomen. Idem Fernel. *de hominis procreatione, capit.* 11. Serna *tractatu* 2. *de conſeruation. infant. libro vnico, capit.* 7. hoc iudicat veriſſimum, vt obſtetrices teſtantur; imò ipſæ ex talis fœtus ſituatione ante exitum totius corporis fœtus cognoſcunt, an ſit fœmina, vel mas, & iocundum ortum filij annunciantes, ſtrenam petere ſolent, antequam omnimodè ex vulua procedat. Mercurialis 2. *de morbis mulierum, capit.* 1. falſum eſſe hoc aſſerit ex obſtetricum teſtimonio, quæ teſtantur ferè ſemper eandem ſituationem marem & fœminam adſeruare. Dum hæc ſcriberem, cupiens huius rei veritatem indagare, obſtetricem peritam vocaui, cui de hac re fidem adhibere poteram, quæ mihi dixit, tam fœtum marem, quàm fœminam eundem modum, & figuram ſeruare, ita vt tam fœmina, quàm mas faciem

*An maſculus & fœmina intra vterum habeant eandem poſitionem & ſitum.*

A habeant ad dorſum matris, in cordis defenſionem, vt voluit Auicenna; nam licet contrarium aſſerere videatur, non tamen loquitur ex propria mente, vt conſtat ex illis verbis, *licet quidam dixerunt, &c.*

Signa vitioſæ ſituationis, & figuræ fœtus quandoque ſunt conſpicua, vt quando obſtetrix tactu, ſeu manûs comprehenſione aliquam partem fœtus extrà prodeuntem, vel exitui proximam contingit, vt brachium, pes, nates, &c. Quandoque etiam coniecturâ deprehenditur, præſertim ex intenſo dolore, qui dum perſeuerat ſine cauſa manifeſta, ſuſpicandum eſt fœtum ipſos concitare dolores, non tamen exire poſſe, quia habet inuerſam figuram. Habetur inſuper ſigna ex motibus mulieris; nam ſi dum imminet partus mulier ſeſe agitet; ita vt præ nimio dolore non quieſcat, vel parum detineatur, timendum erit ne fœtus exeat in vitiata figura, præcipuè ſi grauida habuerit ventrem latum. Quæ omnia ſunt non B ſolùm ab obſtetricibus, ſed etiam à Medicis contemplanda, vt feliciorem expectemus euentum.

*Signa vitioſi partus.*

Prognoſticum nunquam eſt bonum; nam omnis figura non naturalis eſt periculo plena; debemus enim timere, ne fœtus perdatur, aut fœtus & grauida, vt ait Hipp. *lib. de nat. fœtus.* Inter figuras non naturales eſt tamen differentia; nam qui in pedes naſcuntur, minùs periculo ſunt expoſiti, nam hæc figura eſt naturali ſtatui proximior, quàm reliquæ; dum tamen hi ſeruantur, vel valetudinarij viuunt, vel prauo animo ſunt prædití. Vtrumque comprobat Plin. 7. *natur. hiſt. cap.* 8. duobus exemplis: primo Agrippæ, qui perpetuò valetudinarius fuit, quippe pedum aduerſa valetudine ſemper fuit affectus. Altero Claudij Neronis, qui & pedibus exiuit, & totius orbis fuit perditio. Similiter ſi mulier quatuor dierum ſpatio in partu laboret, tunc periclitatur fœtus, vt ait Auic. & non oportet tem- C pus conſumere in fœtus conſeruatione, ſed potiùs in eius extractione.

*Prognoſticum.*

### §. VNICVS.

*Partus vitioſi curatio.*

Ad curationem deuenientes, licèt curatio ad obſtetrices pertineat, Medici tamen, vt ait Mercur. non debent eſſe ignari; nam ſæpe obſtetricis munere funguntur ipſâ neceſſitate coacti, vt mihi accidit: dicitur enim obſtetrix ab obſtando, eo quod obſiſtit dolori, vel fœtui, ne laxatis vteri viis in terram defluat. Hoc etiam munus Medico competit, nempe fœtum intra matris vterum conſeruare toto tempore geſtationis naturalis, & tempore partus, demulcere dolores nimis infeſtantes; & ſi viæ, ſeu vteri clauſtra ſint nimis occluſa, laxan- D tibus aperire; & ſi fœtus non exeat naturali modo, eum ad debitam, & magis naturalem figuram reducere; quod ſi id non poſſit aſſequi, conandum eſt eum omni arte extrahere, aliter enim non poterit parturiens, nec fœtus liberari.

Sed quia ex triplici capite, vt diximus, partus eſt naturalis, vel præter naturam, videlicet ex parte parturientis, vel ex parte naſcentis, & denique ex parte modi; ſi hæc omnia iuxta naturæ regulas ſe habeant, partus erit naturalis, aliter verò vel difficilis, vel vitioſus. Sic ergo primò mulier eſt tractanda, eam bona ſpe euentus replebimus, præſertim ſi ſit timida, & imbecillis, quæ tempore partûs debet eſſe quieta, ne ex motu fœtus in vtero adquirat figuram exitui ineptam, vt ſcribit Moſchio, qui etiam conſulit, parituras tunc non eſſe alendas; nam ventriculo repleto, mulier grauatur, & offenditur, vteruſque comprimitur, & intra vterum fœtûs motus

*Ex triplici capite partus fit naturalis, vel præter naturam.*

tus impeditur. Hîc non refero cauſas difficilis partus, que ſe tenent ex parte pariturae,cùm in praxi,capite de laborioſo, & difficili partu, ſint adductæ; hoc enim caput tantummodò dicatur partui vitioſo curando, reliqua omittendo.

Ex parte fœtus obſtetrix maximè omni arte prouidere debet, vt fœtus exeat figura naturali, in qua ſi exeat, conſeruari debet. Sin in pedes exeat, non eſt mutanda figura; nam difficile nimis erit reuoluere fœtum, ita vt caput pedibus oppoſitum primò paretur ad exitum, atque adeò tentandum eſt, vt paulatim ſic ducatur, curandumque eſt brachia apprehendere, vt coxis extenſa leniter, & blandè foras attrahantur; ſic enim ſanus infans in lucem prodire ſolet. Quod ſi tantùm vnicus erumpat pes, non eſt manu trahendus, nec comprehendendus, ne laxetur, vel flectatur, vel fœtus dilaceretur, ſed conandum eſt, ipſum retrahere iuxta inguina, ita vt totus pes redeat ad vterum; deinde curandum eſt ambos pedes manibus comprehendere, continere, & blandè extrahere, vt dictum eſt.

Si in manus exeat, non ſunt manus attrahendæ, quia neutiquam exire valebit infans; ſed ſunt complectendi humeri, & retrahendus totus fœtus, quovſque manus reuertantur ad vterum; deinde caput apprehendendum, & attrahendum eſt. Si verò ſolùm vnica manus pateſiat, idem faciendum; debet enim retrahi vſquequò vel capite, vel pedibus exire incipiat. Verumtamen ſi obliquè appareat, obſtetrix debet fœtum lateribus complecti, atque iterum blandè in vterum immittere, & blandè eum tractare, donec manu comprehenſo capite in lucem producatur. Quod ſi duplicatus exeat, neutiquam ſic exire poteſt; quapropter complectenda ſunt latera, & circumducendus fœtus, donec figuram, & ſitum comparet bonum ad exitum, & manibus obſtetricis adiuuari poſſit. Contingit etiam fœtum apparere capite pedibus adiuncto, in qua figura neque exire poteſt: quapropter prouidendum eſt diſiungere pedes à capite, pedeſque intromittere, deinde caput leniter ducere.

*An tempore neceſſitatis aquâ Baptiſmatis pars fœtus quævis ablui debeat.*

Si verò his debitè factis partus non ſuccedat, neque aliter liberari poſſet parturiens, quàm fœtus exſectione, cùm per partes abſcindere poteſt. Quod ſi fœtui vitæ aliquod adeſt veſtigium, priùs pars extrà erumpens, vel etſi non erumpat, quæ manu obſtetricis tangi poteſt, ablui debet aqua baptiſmatis; nam licèt extra neceſſitatem ſit ſeruandus modus ablutionis in vnaquaque Eccleſia præſcriptus, & vſitatus, vt ait Diana *parte prima Summæ*, agens de Baptiſmi materia; vrgente tamen neceſſitate quælibet minima pars, ſi poteſt ablui, eſt validus baptiſmus, etiamſi illa pars ſit excrementum, vt capilli, & vngues; nam licèt non viuant, vt plures ex Medicis, & Philoſophis tenent, reputantur tamen vt partes hominis; & qui abluit capillos, dicitur abluere corpus. Ita determinat Diana *eodem loco*, ex placito Soti *in* 4. *diſtinctione* 3. *quæſtione* 1. *artic.* 7. §. 3. & Vazquez *tomo* 2. *in* 3. *part. diſputatione* 146. & quamuis Villalobos *tomo* 1. *tractat.* 5. *differ.* 4. *numer.* 2. & alij contrarium ſtatuant, nihilominus in extrema neceſſitate Baptiſmus ſic eſt conferendus cum conditione, quia melius eſt puero moribando adhibere remedium ſalutis incertum, quod fortaſsè proderit, quàm nullum. Imò Ochagauia *tractatu vnico de Baptiſmo*, *q.* 4. *n.* 3. *parte* 5. *tom.* 3. *reſ.* 4. & 112. cum aliqua probabilitate aſſerit, quod ſi ſecundina, quâ inuoluitur fœtus intra vterum, & venulæ vmbilicales, per quas fœtus alimentum ſugit, abluantur, ea ablutio poterit dici Baptiſmus, quia illæ partes ſunt veluti partes fœtus, & ſic abluitur per aliquid ſui, & poteſt dici lotus.

A Neque huic noſtræ aſſertioni contrariatur dictum D. Auguſt. *in epiſt. ad Dardanum*, vbi aſſerit: *Nemo renaſcitur, niſi primò naſcatur.* Ex quo Angelicus Præceptor 3. *p. quæſtione* 88. *art.* 9. hanc deſumit concluſionem: *Nullo modo poſſunt pueri in maternis vteris exiſtentes baptizari, ſed prius ſecundum carnem naſci, deinde per Baptiſmi realem ablutionem ſecundum ſpiritum renaſci, & renouari.* Nam vt Diuus Thomas ait ibi, *in reſponſ. ad* 4. expectanda eſt totalis egreſſio pueri ex vtero ad baptiſmum, niſi mors immineat; imminente verò mortis periculo, ſi caput exeat, vel appareat, in quo omnes ſenſus fundantur, debet ſtatim baptizari, & non eſt poſtea rebaptizandus, ſicuti ſi perfectè natus fuiſſet. Et idem faciendum docet, quæcunque alia pars egrediatur; ſed quia in nulla alia parte exteriori ita vitæ integritas conſiſtit, veluti in capite, quacunque alia corporis parte abluta, puer poſt perfectam natiuitatem iterum eſt baptizandus ſub hac forma: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. B Hæc in medium adduxi, vt ſciat Medicus, quid in hoc caſu debeat facere obſtetrix, quæ ob ſui imperitiam poteſt hæc omnia ignorare, quam Medicus admonere, & dirigere debet, ne infans tam ſalutari deſtituatur beneficio.

*Quæ conſideranda in inſciſione fœtus.*

His peractis, ſi aliter fœtus extrahi non poteſt, quàm excifione, priùs quam ad illius excifionem deueniamus, notare oportet, vt docet Paul. *lib.* 6. *c.* 74. an mulier ſuperſtes futura ſit, an minùs; nam ſi ſalus eius non ſperatur, tunc manum admoliemur, ſin è contra, attingi non debet. Si ergo mulier robuſta ſit, nec praua nimis patiatur accidentia, ita vt poſſimus bonum expectare euentum, eam reſupinatam in lecto collocare oportebit, ita vt ipſius figura magis ſit decliuis, & ipſius crura elata magis, quam miniſtræ vtrinque contineant, in quarum defectu mulieris thoracem lectulo vinculis adfirmabunt, ſicque digitis C attenuatis, & oleo inunctis, ſi nulla fœtus pars egrediatur, inquiremus partem vicinam attrahere; ſi verò pars manu non poteſt colligi, eam vnco capiemus, & orbiculatim circumagemus, vt facilùs extrahi poſſit, & ſubſequenter totum corpus. Quod ſi manus (v.g.) obiecta fuerit, & propter obſtructionem nequeat conuerti, modicè attrahere oportet, vt nos fecimus in caſu hîc propoſito; deinde eam prolapſam totam ab humero abſcindemus. Idem faciemus, ſi duæ manus prociderint, vel pedes, corpore reliquo non ſubſequente. At ſi caput iuſto maius obſtruat, & hydrocephalon patiatur, hoc eſt, aquæ multitudinem in capite infans collegerit, caluariam diuidemus, & aquam auferre curabimus, ipſum caput manibus comprimendo, & reliqua faciemus, vt conſulunt Hipp. Paulus, & alij Authores. Deinde puerperam optimo regimine adſtruemus, & accidentia aliqua, ſi ſuperuenerint, vt immodicus ſanguinis fluxus, vel vteri inflammatio, corrigemus, quorum curatio- D nem propriis capitibus pertractatam inuenies.

---

## OBSERVATIO II.

*Pro nobili viro ſtanguria laborante, & difficultate vrinæ, qui poſt aliorum remediorum vſum, aquâ fontium de Gambo fuit ad ſanitatem reſtitutus.*

*Nota hiſtoriam.*

DOn D. Didacus de Vera, Sanctæ Eccleſiæ Salmanticenſis Canonicus meritiſſimus, in ætate conſiſtenti conſtitutus, ſtillicidio vrinæ, quod Græci ſtranguriam vocant, præmebatur maximè, cum vrinæ difficultate; & quoties reddere tentabat vrinam,

vrinam, cruciabatur, eamque difficilè reiiciebat, arenulis, & pituitâ matulæ fundo adhærente plenam. Cumque variis fuiſſet vſus remediis, neutiquam illis cedebat malum, quod cùm non poſſet ſuſtinere, remedia potentiora expoſtulabat. Inter quæ conuenientius apparuit potio aquæ nominatæ de Gambo, quæ ortum habet intra Regnum Galliæ, neque multùm diſtat à confinibus Hiſpaniæ, cuius dotes quotidianus approbat vſus pro huius affectus curatione. Sed quia hi fontes longè diſtabant, noluit ſe accingere ad iter, iuſſitque vt ad ipſum veheretur aqua, quam calidam ſingulis diebus ieiuno ventre bibebat vicies, per nouem dies, & pro qualibet vice cyathum fermè vnius libræ, deambulans ſemper; tempus tamen interueniens inter vnam & alteram potationem erat quadrantis vnius horæ. Hoc remedio à primo die replere cœpit matulam viſcoſa, & craſſa materia, & arenulis, ſimulque per infernam aluum purgare magnam humorum craſſorum quantitatem, quotidieque excernebat, donec expurgatis renibus, & viis vrinariis, vrina exibat ſine difficultate, ſine dolore, & ſine frequentia, & libera ab omni viſcida pituita, & in quantitate naturali, & modo debito, quo auxilio incolumis perſeuerat. Cùm exempla moueant, Gymnaſiarcha Eccleſiæ Epiſcopalis huius inclytæ ciuitatis Vallis-Oleti eodem morbo affectus, cùm alia tentaſſet remedia, nihilque ei proficerent, omnem ſuæ ſalutis ſpem in hoc remedio collocauit, quo eodem modo vtens, optatam ſalutem fuit adeptus. Dum hæc ſcribo, alter æger hoc morbo vexatus eandem bibit aquam, licèt in minori doſi, quia debilis exiſtit, quâ per vrinam reiecit magnam pituitæ viſcidæ copiam, faciliuſque, & cum minori dolore mingit, ſperoque ipſum ad meliorem ſalutis ſtatum breuiter rediturum.

## ANNOTATIO.

HOrum fontium de Gambo mentionem fecimus de ſero pertractantes, vbi diximus, quodammodò ſerum eſſe præferendum thermis in affectibus vrinæ, & obſtructionum. Ante tamen quàm ad pertractandum de hoc ſingulari remedio perueniamus, breuiter repetemus quæ alibi à nobis ſunt adducta circa horum affectuum naturam, cauſas, & ſymptomata; aliquaque remedia etiam referemus à nobis ibi prætermiſſa, vt ex vtroque capite nihil, quod pertineat ad huiuſcemodi morbos, deſideretur.

*Tres affectus veſſicæ accidunt, qui hic annumerantur.*

Tria ſymptomata veſſicæ, & mingendi inſtrumento accidere ſolent, videlicet iſchuria, dyſuria, & ſtranguria, vt notat Gal. 6. *de locis affectis*, *cap*.4. Iſchuria omnimodam vrinæ ſuppreſſionem dicit; dyſuria idem eſt, quod vrinæ difficultas, quando ſcilicet modò cum dolore, modò ſine illo, vehementi conatu æger vrinam excernere exoptat, & tandem aliquid excernit.

*Stranguria quid ſit.*

Stranguria græcè idem ſignificat, quod latinè vrinæ ſtillicidium, quando ſcilicet vrina guttatim mingitur. His duobus affectibus noſter laborabat æger, quorum cauſas, & aliquid ad curationem pertinens breuiter adaperiemus; habent enim inter ſe maximam affinitatem, & in pluribus cauſis conueniunt, ita vt ſæpe vnus alium comitetur.

*Vrinæ ſuppreſſio, & illius difficilis exitus differunt ratione maioris, vel minoris.*

Sermonem igitur primò inſtituendo de vrinæ difficultate, hic affectus habet eaſdem cauſas ac vrinæ omnimoda ſuppreſſio: differunt quidem ſolùm ratione maioris, vel minoris. In omnibus adeſt ſymptoma in his, quæ retinentur præter naturam; ſiquidem in vrinæ ſuppreſſione totum, quod debebet excerni, retinetur, inſurgitque abolita actio facultatis expultricis; quæ quidem actio cùm ſit mix-

A ta ex naturali, & animali, vt oſtendit Galen. 3. *de loc. cap*.4. ideò aſſerendum, non ſolùm lædi abolitè vnam actionem, ſed alteram. In dyſuria verò, licèt aliquid excernatur, fit hoc tamen cum nixu, & dolore, & minùs excernitur, quàm pro ſtatu naturali, ibique intercedunt plurium actionum læſiones: eſt quidem ibi actio diminuta vtriuſque facultatis, expellentis videlicet, naturalis, & animalis; ſiquidem in minori doſi excernitur, quàm deberet excerni, cuius expulſio, vt dixi, eſt vtriuſque facultatis munus. Reperitur inſuper dolor, qui, vt alibi diximus, eſt actio deprauata ſenſus tactus, licèt pro formali ad appetitum ſenſitiuum pertineat. Nec minùs dici poteſt, quod læditur ſimul actus facultatis retinentis, quæ plus retinet, quàm debet; & propterea datur actio etiam illius vitiata.

*Cauſæ retentionis, & difficultatis vrinæ proponuntur.*

Verumtamen, cùm omnia ſymptomata præcedat morbus, qui ſe habet vt cauſa reſpectu illorum, horum ſymptomatum cauſas inueſtigare ad noſtrum attinet B inſtitutum, vt notam faciamus cauſam, quæ noſtrum moleſtabat ægrum. Eas amplectitur Gal. 3. *de cauſis ſymptomat. cap*.2. & 6. *de locis affect. cap*.2. Retinetur igitur vrina, vel difficulter excernitur, quia vel occluditur, ſeu obſtruitur veſſicæ collum, vel quia ipſa imbecillitatem adquirit. Loquimur nunc de affectione, quæ veſſicæ accidit, dum in ipſa adeſt læſionis cauſa, non verò de ea vrinæ ſuppreſſione, vel exitu difficili, qui fit ob renum, vel vreterum vitium, quæ licèt ſub iſchuria ſit comprehenſa, nomine tamen caret, vt ipſe Galen. teſtatur 3. *de cauſ. ſympt. cit*. Ob veſſicæ imbecillitatem multiplicitet accidit, quod vrina excernatur difficilè, vel omnimodè ſupprimatur, vel propter intemperiem, præſertim frigidam, ratione cuius maximè partes exſangues, qualis eſt veſſica, offenduntur; vel etiam ratione ſiccitatis, quâ valentior redditur in ſuo opere retentrix facultas, quod experimur in aliquibus feC bribus ardentiſſimis, & liquet etiam ex Galeno proximè citato, & 3. *aphoriſm. commentario* 5. vel quia nimis diſtenta veſſica ob vrinæ multitudinem, quam in ſe complectitur, non poteſt ſe comprimere, aut difficilè ſe comprimit in ordine ad vrinæ excretionem: hoc accidit iis, qui in negotiis maximè occupantur, & circa negotia detenti, mictionis non recordantur; vel iis, qui ob pudorem in conuiuiis multùm immorantur, & plus quàm oportet, vrinam retinent; poſteà verò non poteſt mediis fibris tranſverſalibus veſſica ſeipſam comprimere, impedit enim compreſſionem vehemens extenſio veſſicæ. Difficilè expellitur vrina ob obtuſum veſſicæ ſenſum, cùm ſcilicet nerui illius patiuntur; nam, vt diximus, opus excretionis vrinæ, eſt munus tam facultatis animalis quàm naturalis; tunc etenim pati ſolet veſſica ob conſenſum neruorum, qui in ipſam inſeruntur, per quos non dilabitur virtus, quæ ad ſenſum ordinatur, atque adeò non ſentit noxam ex quantitate, & quaD litate lotij illatam. Neque minùs hæc noxa inſurgit iis, qui phrenitide laborant, vel mentem nimis diſtractam habent circa aliquod obiectum; & propterea dicitur à Galeno 2. *aphoriſmor. commentario* 46. quod dolores vehementiores occultant minores, quia vis ſenſibilis ad vehementiores rapitur. In ſoporoſis ſimiliter affectionibus ſupprimi ſolet, vel difficilè excerni vrina ob ſenſus defectum; omnes enim euacuationes naturales deficere ſolent per ſomnum, dempto ſudore; & propterea in immodico alui fluxu Auic. commendat ſomnum, *fen*. 16.3.*tract*.1.*cap*.4. necnon in lethargo, caro, apoplexia, & huius ſenſus aliis irritantibus vtimur, vt ipſi ventris, & veſſicæ excrementa deponant, quæ ſomni cauſâ cohibentur.

Aliam cauſam ſuppreſsionis, & difficilis exitus vrinæ tradidimus, nempe meatus vrinarij obſtructionem;

nem; hæc tamen à pluribus rebus fieri poteſt, vt ab humoribus craſſis, à caruncula, vel callo ibi genito, ab arenulis, lapide ibi impacto, à ſanguinis grumo, à pure, ab inflammatione, vel alio quouis tumore ipſum meatum obſtruente, vel comprimente, vel à flatu craſſo, & nebuloſo in collo veſſicæ detento, de quibus omnibus ſigna tradемus, quæ ex præſentibus, & præcedentibus rebus deſumuntur.

*Cauſa, & ſigna debilitatis veſſicæ aſſignantur.*

Si igitur ex veſſicæ debilitate hic affectus originem ducat, cùm plerumque ab intemperie frigida fiat, conſiderare debemus anteactam vitam, ætatem, temporis conſtitutionem, & regionem; ſi enim hæc frigida ſint, facilè ex ipſis coniicimus frigiditatem eſſe huius affectus cauſam; neque parum conducit ad agnitionem ipſius ægri relatio. Idem dico de ſicca intemperie. At ſi talia deficiant, auſcultari oportet, an præceſſerit aliqua læſio in ſpinali medulla, ea parte, quâ nerui deriuantur ad veſſicam, quibus reſolutis, aut aliter affectis, veſſicæ ſenſus deperditur, ita vt non ſentiat noxam ex vrina veſſicam adimplente.

*Signa difficultatis vrinæ ab aliis cauſis traduntur.*

Verumtamen ſi nihil horum adeſſe contingat, exiſtimandum eſt, vrinæ difficultatem, ſeu ſuppreſſionem fieri ab aliis cauſis comprimentibus, vel obſtruentibus meatum vrinarium. Si enim fit à lapide impacto, vel inflammatione, propria habebis ſigna in noſtra praxi, capitibus de lapidis, & inflammationis veſſicæ natura, & curatione. Si à ſanguinis grumo, ſolet præcedere ſanguinis per eam partem euacuatio. Si verò ea non antecedat ſanguinis excretio, ſeu euacuatio, & tamen grumus ſanguinis ſit in cauſa, praua ſymptomata infeſtare ſolent, vt animi deliquium, mentis conturbatio, refrigeratio extremorum, faciei pallor, pulſuſque parui, & obſcuri, & anxietas, vt liquet ex Galen. 3. *de locis affectis, cap. cit.* Si autem à pure fiat, præcedere ſolent vlcera in renibus, & veſſica, & aliqua puris excretio. Callum, & carnem excreſcentem præcedunt etiam vlcera in collo veſſicæ, & meatu vrinario; qui affectus præcipuè ſuperuenit his, qui immodica vtuntur venere, vel concubitum habent cum muliere lue gallica infecta. Si ab humoribus craſſis & viſcoſis obſtructio, ſeu vrinæ difficultas ſuperueniat, ſolent antea per vrinam excerni ipſi humores, & apparere in matulæ fundo, præcedereque ſolent ſigna redundantia horum humorum, & craſſorum eduliorum eſus. In his omnibus æneâ fiſtulâ per penem tranſmiſsâ, huius affectus cauſa redditur manifeſta, quâ quidem vti oportebit. Quod ſi nulla ex iis cauſis præceſſerit, & tamen ex ægri ſermone conſtet, quod propter negotium aliquod, vel detentionem in foro, vel conuiuio, ſeu conuerſatione vrinam detinuit, in hanc cauſam potiùs quàm in aliam hic eſt reducendus affectus. Denique ſi hæc omnia abſunt, cenſendum eſt, vitium aliquod eſſe contractum ſupra veſſicam, ita vt actio renum attrahendi ſit deperdita: quod venaberis, quia æger anteà paſſus fuiſſet dolorem in renibus, ex calculo in ipſis genito, cuius ratione offendi ſolet renum ſubſtantia, ac per conſequens facultates naturales, quibus & ipſi fruuntur, vel quia aliqua in ipſis præceſſit inflammatio, vel obſtructio in venis emulgentibus, vel tumor; & quia in veſſicæ regione nec tumor, nec dolor deprehenditur.

*Vrina ſtillicidium quare ſic dictum.*

His ſignis haud difficilè deprehendimus vrinæ ſuppreſſionem, vel illius difficilem exitum, & quibus de cauſis fiant. Sed cùm æger, cuius narramus hiſtoriam, pateretur ſimul ſtranguriam, ſeu vrinæ ſtillicidium, qui frequenter ab eiſdem cauſis habet initium, ſæpeque cum dyſuria complicari ſolet; ideò nonnulla de hoc affectu ſunt proferenda, vt vtriuſque ſimul comprehendatur curatio. Vrinæ ſtillicidium ita dictum eſt, quia per illud vrina ſtillatim emittitur, vt ipſum nomen oſtendit, & docet Gal. 7. *aphoriſm. phraſi* 48. Hic affectus proportione reſpondet teneſmo; nam ſicuti in teneſmo excrementa aſſiduè in parua quantitate deiiciuntur; pari ratione in ſtranguria parcè, & aſſiduè vrinam reddunt ægri.

*Vrina ſtillicidium, quod ſymptoma ſit.*

Hoc ſymptoma conſiſtit in iis, quæ excernuntur præter naturam, vt conſtat ex Gal. 3. *de cauſ. ſympt. capit.* 2. eſt enim error in modo excernendi; nam cùm debeat vrina excerni tempore à natura præfixo, & in quantitate naturali aſſueta, peruerſo ordine extra tempus natura vrinam excernit, erratque facultas excretrix, minuſque quàm oportet, detinet retentrix.

*Cauſa ſtillicidij conſtituuntur.*

Sed quia omne ſymptoma morbum ſupponit, tanquam quid neceſſarium vt fiat, ideò morbum, ſeu cauſam horum ſymptomatum inueſtigabimus. Duplicem cauſam ſtillicidij vrinæ Authores ſtatuunt, quas acceperunt à Galen. 3. *de cauſ. ſymptom. cap.* 2. & 7. *aphoriſm. comm.* 48. & 6. *de locis, cap.* 4. vbi duplicem cauſam ſtillicidij vrinæ proponit, ad quas omnes cauſæ reduci debent: vna eſt mordacitas, ſeu acrimonia; alia potentiæ retentiuæ in veſſica imbecillitas. Mordetur, & irritatur veſſica à pluribus cauſis, vt ab humoribus acribus in toto corpore redundantibus, vel à pituita ſalſa, & viſcida; qui humores ſupponunt intemperiem calidam, & ſiccam hepatis, & renum, vel à pure ex renibus, vel ab alia parte ad veſſicam confluente, vel ab inflammatione vteri, vel inteſtini recti, vt docet Hipp. 5. *aphoriſmor. text.* 58. & confirmat Gal. *in commentar.* Humores ſiquidem ſuâ acrimoniâ, & ſalſugine irritant expultricem ad excretionem, veſſicamque ſua mordacitate dilacerant, & continuum ſoluendo, dolorem excitant. Eundem effectum præſtat pus; quæ omnia, aut ſingula in parua quantitate vrinis admixta irritant, coguntque facultatem ad excretionem, antequam in maiori quantitate colligantur. Quapropter cùm vrina, niſi maximo cum dolore detineri non poſſit, paulatim, & guttatim diſtillat, & ad meiendum adeſt frequens cupiditas, ſicuti & frequens, ſeu aſſidua irritatio. Fit ex inflammatione vteri, ſeu recti inteſtini ob partium vicinitatem; nam calor adurens inflammationis vrinam reddit acrem, & mordacem, ſicuti experiri ſolemus etiam in aliquibus febribus ardentibus, in quibus ob eandem rationem frequentiùs quàm anteà excernitur vrina.

*Stillicidium fit per veſſicæ propriam affectionem vel per conſenſum.*

Ante tamen quàm ad alia procedamus, ſcire priùs conuenit, quod iuxta Galeni doctrinam 6. *de locis, cap.* 4. *cit.* hic affectus quandoque appellatur accidens veſſicæ, quandoque affectus illius. Tunc dicitur accidens veſſicæ, quando fit per conſenſum, vt quando prouenit à cauſis aliundè dimanantibus, quæ ſtimulant veſſicam frequenter ad excretionem, quibus ablatis, veſſica incolumis remanet ſicut antea. Tunc dicitur affectus veſſicæ, quando ipſa per ſe iam patitur, dum videlicet ob humorum, vel puris acrimoniam exulceratur, ita vt humoribus, & pure ab ipſa dimotis, adhuc in ipſa vlcus inflictum maneat, vel ob aliquem abſceſſum, vel calculum ibi genitum, vel à renibus emiſſum, veſſica ita exulceratur, vt partem exulceratam, & exeſam attingens vrina ſuâ acrimoniâ dolorem excitet, & ad expulſionem moueat. Ipſe calculus ſimiliter in veſſica contentus ſuâ aſperitate ita offendere ſolet, vt continuò proritet, & cupiens natura excernere id, quod moleſtat, loco illius, vrinæ guttulas reiicit.

Aliam cauſam adduximus, potentiæ ſcilicet retinentis imbecillitatem; ſed quia retinens facultas calore, & ſiccitate eget ad retinendum; exiſtimare

mare oportet, quod illius imbecillitas à frigiditate, & humiditate originem ducit; quod comprobat Gal. *locis ſuprà citat.* Hæc tamen intemperies poteſt eſſe nuda, vel cum præſentia humoris pituitoſi, & crudi, qui ſua frigiditate, & humiditate ita vim contentricem debilitare poteſt, vt facilè à parua quantitate vrinæ veſſica grauetur, & offendatur, etiamſi ſua mordaci qualitate non irritet; tuncque vrina in parua illa quantitate facilè dilabitur, & guttatim mingitur ſine dolore, & punctione.

*Stillicidij vrinæ notæ aſſignantur.* Cùm huius affectus dentur plures cauſæ, eas ſignis comprehendere debemus. Si igitur ab humoribus calidis, & mordacibus originem trahit, ſigna bilis prædominantis aderunt, præcedentque alimenta calida, & intemperies calida, & ſicca iecoris, & renum; vrina erit ruffa, & flaua; anni conſtitutio, & regio calida; exercitium immoderatum, vigiliæ immodicæ, aut animi paſſiones ad iram inclinantes.

Si à pituita ſalſa proueniat, eam deprehendimus ex vrinæ craſſitudine, & albedine, & ex ſedimento cineritio matulæ fundo adhærente. Si verò à pure hic excitetur affectus, debent præcedere inflammatio renum, vel alterius partis, & dolor eiuſdem partis, vel vlcera in veſſica, neque erit difficile ipſum pus cognoſcere, dum per vrinam excernitur. Quod ſi in aliis partibus à veſſica nulla ſentiatur noxa, pus tamen exeat, & dolorem in veſſica ſentiat, exiſtimare oportet, veſſicam eſſe exulceratam. At ſi ab arenulis ortum duxerit affectio, ipſæ ſimul cum vrina excretæ de ſe notitiam præbent. Si verò à calculo veſſicæ fiat vrinæ ſtillicidium, eius ſigna proponuntur à nobis in praxi, capite *de curat. lapidis veſſicæ*, vt dolor infra os pubis, grauitas, pruritus ani moleſtus, membri erectio frequens, ani exitus, vrina cruda, & ſubalbida, in qua arenoſa ſubſiſtunt, mingendi difficultas, & denique immiſſo digito per anum tangitur lapis, quod ſignum eſt aliis certius.

*Calculi veſſicæ ſignum infallibile eſt digito per anum immiſſo calculum pertingere.* Veſſicæ imbecillitas, ſeu relaxatio agnoſcitur ex redundante pituita, albedine, & craſſitie vrinæ, quæ ſine morſu, & ſine dolore expellitur, quam præcedere ſolent vita otioſa, potus aquæ frigidæ, vſus ciborum craſſorum, & frigidorum, temporis conſtitutio frigida, balneum frigidum, vel ſeſſio in lapidibus frigidis. Hic affectus ab huiuſmodi procedens cauſa ſuperuenire ſolet ſenibus, vt inquit Hippocrates 3. *aphoriſmorum, textu vltim.* abundant enim plurimis cruditatibus, & humoribus frigidis, quibus veſſica, & renes grauantur, ita vt quidam exiſtiment, ætatem ſenilem eſſe potiùs frigidam & humidam, quàm frigidam & ſiccam, vt oſtendit Galen. *in phraſi.*

Hæc omnia adducere volui, vt maiori claritate procederem in tradendis ſignis, quæ in noſtro ægro fuere inuenta; habebat enim vrinam ad albedinem vergentem, pituitâ craſſa plenam, quæ facilè matulæ adhærebat; & inſuper arenulas reiiciebat cum vrina, necnon aliquando calculum exiguum: ſed quia quoties vrinam redderet, ſemper ſimul cum illa pituitam viſcidam, & craſſam excernebat cum dolore, ſæpeque cum maxima difficultate, ideò exiſtimaui cauſam frequentiorem eſſe pituitam illam, quæ ſuâ corporaturâ, & craſſitie vrinam ſæpe detinebat, ita vt difficilè eam excerneret, & ſua qualitate ſalſuginoſa dolorem, & moleſtiam inferebat, ita vt cogeret expultricem ad vrinæ excretionem ante tempus, ſicque vrinæ ſtillicidium, & illius difficilem exitum cauſaret. Neque ad hoc ſæpe parum conducebant calculi parui, & arenulæ, quæ etiam huius mali ſolent eſſe cauſæ, vt ſuprà inſinuauimus, licèt non ſemper in noſtro apparerent ægro: quapropter ad pituitam craſſam, viſcidam, & ſalſuginoſam, tanquam ad cauſam aſſiduè affligentem hunc affectum meritò reduximus; habebat enim renes, & hepar calidum, vſuſque fuit eduliis craſſis humorum craſſorum generationi idoneis, ſicque maximam quotidie pituitæ ſalſæ, & viſcidæ copiam aggregabat.

*Curatio difficultatis vrinæ, & ſtillicidij illius.* Vt horum affectuum curatio integrè perficeretur, inſtitutâ victus ratione conuenienti, vt tradidimus *cap. de curatione ſuppreſſionis vrinæ, & de vrinæ ſtillicidio*, in praxi, adhibitaque curatione per ſanguinis miſſionem, & expurgationem, vt poſtulabant affectus, ad remedia deobſtruentia, & minimè mordicantia deuenimus, inter quæ commendatur ſyrupus ad ardorem vrinæ, & ad difficilem illius exitum paratus à Mercato *libro vnico conſult. conſultatione* 18. qui ſic habetur. ℞. foliorum maluarum, borrag. bugloſſi, lupinorum, & chicorij, ana m. iij. conſeruæ violarum, & borrag. ana ℥. ij. mucilaginis ſeminis citoneorum, & pſillij, ana ℥. ij. aquarum hordei, & maluarum ℥. xij. radicum borrag. & bugloſſi, ana ℥. iij. ß. mundentur radices, & minutim inſcindantur, & omnia malaxentur, & bulliant leuiter, & mox ſimul excipiantur in alembico vitreo, & in duplici vaſe inſtillentur, & huius inſtillationis accipe ℔. ij. ſucci maluarum ℥. vj. ſucci pomorum dulc. ℥. viij. ſucci borrag. ℥. v. & cum ſaccharo fiat ſyrupus, cui adde in ligatura interim dum coquitur, confect. de hyacintho ſine croco ʒ. iij. de quo ſyrupo æger quolibet mane bibat ℥. ij. vel tres, cum ℥. iij. aquæ ſtillatitiæ maluarum. Ad idem valet ſyrupus hic. ℞. radicum petroſenili, aſparagi, bruſci, apij, rubeæ tinctorum, ana ℥. ß. ſemin. lactucæ, altheæ, citoneorum, pſillij, endiuiæ, cucumeris, cucurbitæ, & melonum, ana ʒ. iiij. florum violarum, borrag. & bugloſſi, ana p. j. coquantur omnia in debita quantitate aquæ maluarum ad ℔. ij. & colaturæ adde ſucci pomorum redolentium, & chicorij, ana ℥. iiij. ſacchari, quod ſit ſatis, vt fiat ſyrupus. Lac caprinum, vel aſininum lenit, & detergit mirificè, præſertim ſi in eo diſſoluatur diatragacantum frigidum, aut trochiſci alchehengi.

*Syrupus Mercati ad ardorem & difficultatem vrinæ.*

*Serum caprinum vtiliſſimũ.* Inter reliqua maximè commendo ſerum caprinum, præcipuè diſtillatum, de cuius dignitate in annotatione de ſeri natura, proprietatibus & vſu ſufficienter egi, in quo reperitur virtus abſtergendi, refrigerandi, & abluendi venas, renes, vreteres, & veſſicam, quo (vt dixi) vſus fuit Baptiſta Cortes cum euentu fælici, illudque præfert thermalibus, nullamque noxam relinquit in viſceribus; imò eorum obſtructiones tollit, & intemperies calidas emendat, ſi pluries ſingulo manè aſſumatur ad ℥. vj. vel ſeptem, deambulando inter vnam, & alteram aſſumptionem per horæ quadrantem, quod maximè prouocat vrinam, & illius difficultatem detrahit, præſertim ſi in primo cyatho diſſoluatur ʒ. j. ß. lithontribon, vel diacurcumæ; facit enim eiicere per vrinam materiam viſcidam, & craſſam, quæ vrinæ ſtillicidium, & eius difficilem exitum cauſat, debetque aſſumi quovſque vrina liberè exeat, & ſine dolore; hoc autem conſequi ſolet ſerum bibendo ſpatio duodecim, vel quindecim dierum, donec vrina exeat clara, vel pituitæ craſſæ, & viſcidæ minùs admixta. Quod ſi propter intemperiem frigidam ventriculi non poſſet hoc ferri remedium, eſt ſerum calidum ſumendum, vel ei admiſcendam cinnamomi, vel diarrhod. Abb. aut aromatici roſarum parum.

*Aqua de Gambo dotes annunciantur.* Inter ea, quæ nobis in vſum veniunt, eſt aqua ex oppido de Gambo, qui parum diſtat à confinibus Hiſpaniæ, & eſt intra Galliæ limites, parumque diſtat à Montibus Pirenæis; quæ aqua mirabilem vim habet ad delendas obſtructiones, & vrinæ difficulta

difficultatem ab humoribus craſſis, & viſcidis ortam, propter eius vim ſulfuream, & ferream, quâ conſtat; ea enim vſus fuit præclarus hic æger maximâ cum vtilitate, quâ liberatus fuit ab vrinæ ſtillicidio, & eius difficili exitu à ſalſa, & viſcida pituita nato. Idemque contigit aliis hoc morbo oppreſſis ab eadem cauſa prodeunte. Nec minùs confert (vt referunt) hydropicis, & obſtructionibus maximis, quatenus vias aperit, ſcindit, attenuat, purgat per infernam aluum, & per vrinam. Et quamuis ſulfuream participet naturam, ita vt ſitim adaugere valeat, ex accidenti tamen ſitim leuat, quatenus humores ſitim excitantes è corpore pellit, & hoc modo etiam corrigit calidam hepatis, & renum intemperiem, humorem ſcilicet calidum extra corpus reiiciendo, qui intemperiem calidam fouebat; ſed hoc non facit tanta cum ſecuritate, ac dum humores ſunt craſſi, & viſcidi.

*De modo bibendi aquam.*

Modum aquam potandi adduximus in principio, noſtri ægri hiſtoriam narrantes; oportet tamen priùs vt præcedant euacuationes vniuerſales, vt viæ patentiores fiant, & humores faciliùs huius aquæ vſu educantur. Sed quia ab huius aquæ aſſumptione ambulatione, & exercitio fatigari ſolet æger, poſtquam ſufficienter ambulauerit, quieſcat, & bibat iuſculum carnis gallinarum, vel caponum, vt illius recreentur vires; & in rebus non naturalibus optimum ſeruet modum, quo plures morbi longi ſuperari ſolent, vt ait noſter Galen. *libro de attenuante victus ratione, circa initium.* Verumtamen ſi tractu temporis in eundem reincidat lapſum æger, optimum conſilium erit ad idem remedium recurrere, vt vtiliter fecerunt aliqui, qui hanc ſuſceperunt curationem. Omitto vnguenta, balnea, potiones, clyſteres, & alia remedia, quæ per penem iniici debent, de quibus omnibus actum eſt in praxi. Si verò ab aliis cauſis hæc affectio originem trahat, vt ab imbecillitate veſicæ, proprio capite in praxi remedia proponuntur; ad illud ergo caput recurres. Neque ſolùm huic aquæ talis ineſt virtus, ſed aliis pluribus, vt diximus tractatu de ſero.

*Aqua fontis del Raſtro Vallis-Oleti, laudes proferuntur.*

Inter aquas non habet infimum locum aqua fontis huius præclaræ & antiquæ Vrbis Vallis-Oletanæ, quæ dicitur vulgariter, *agua de la fuente del Raſtro*, cuius aſſiduus vſus renes abſtergit, & mundificat, & reiicere facit arenulas, & calculos, viſcidamque pituitam, quæ bibitur etiam copioſè, & cum temperie quam habet, dum ex ipſo hauritur fonte, ſicque magis guſtui eſt grata, quàm reliquæ aquæ, quæ calidæ bibuntur.

## DISPVTATIO III.

*De temporibus morborum vtilis, breuiſque tractatio. Ad Licentiatum meritiſſimum Coſmam Gil-Negrete, olim in Pintiana Academia Artium Cathedræ Moderatorem, nunc Liuiæ publicum Medicinæ Profeſſorem, meumque chariſſimum diſcipulum.*

*Quæ ſcribit Author, in ſalutis humanæ tutelam traduntur.*

ETSI apud Authores plura inueniantur ſcripta, & dilucidè diſputata de morbi temporibus, in quibus inuenire poteras (fili mi dilecte) hanc difficultatem ſolutam; tamen vt tuæ petitioni ſatisfaciam, libenter tuo quæſito reſpondebo. Quod ſi in aliquo à communi dicendi modo recedere videar, ratione duce me id facere ſuadearis; omnia tamen in praxis finem dirigere intendam, neque alius finis ad ſcribendum me cogit, quàm ſalutis humanæ reparatio, iuxta medicinæ regulas, quas in omnibus, quæ dixerim, ſeruare conabor: vtinam in totius Reipublicæ vtilitatem mea ſcripta accommodentur; vtile enim iudico commune bonum tueri, præſentia, & imminentia mala fugare: ſed quia omnia ſublunaria tempore menſurantur, ſiue bona, ſiue mala ſint, & vnaquæque ſua tempora habent, quæ ſunt veluti ætates quædam facilè tranſeuntes, & omnia conſumentes, vt ait Ouid. 4. *Pont.* 8. ſic:

*Omnia tempore conſumuntur.*

*Tabida conſumit ferrum, lapideſque vetuſtas,*
*Nullaque res maius tempore robur habet.*

Meritò à me inquiris, an morbus quilibet ad vetuſtatem, ſeu ſui vltimum tempus neceſſariò peruenire debeat, vel poſſit ante illud tempus, videlicet in ſui principio, aut tempore augmenti, vel ſtatus deficere, ita vt ad declinationis tempus, quod eſt tempus ſimile ſenectuti, non neceſſariò perueniat. Vt tamen hanc difficilem quæſtionem diſcutiamus, nonnulla de temporibus morborum ſunt prænotanda; neque hæc quæſtio mente concipi poteſt, quin priùs alia in controuerſiam ſint poſita: quapropter vt huic operi aliquid non deſit, quod ab aliis petas, quidquid attinet ad morborum tempora, in medium adducam; eſt enim hæc de temporibus tractatio maximè vtilis, & neceſſaria ad curationem morborum, ad prædictionem, & ad cognoſcendum quo tempore fieri debet criſis, ſeu morbi ſolutio. Pro temporum equidem morbi varietate diuerſa inſtituuntur remedia; nam in ſtatu morbi, in quo omnia vigent, quieſcere debemus; in eorum tamen principio mouere expedit, ſiue ſanguinis miſſione, ſiue expurgatione, vel aliter, iuxta dictum Hipp. 2. *aphor. text.* 29. *Inchoantibus morbis, ſi quid tibi, &c.* Necnon cibus etiam diuerſificatur; nam in principio vberiùs eſt cibandum, in ſtatu verò, & parum ante illum, cibus eſt ſubtrahendus, vt monet noſter Senex 1. *aphoriſmorum*; atque ob hanc rationem morborum conſtitutiones, & durationes conſiderari debent, neque aliter probè victum inſtituere poſſumus, cuius inſtitutio debet eſſe à principio morbi in ordine ad ſtatum, vt ait Galen. 1. *de criſibus, capit.* 3. ex Hippocrat. mente. Similiter cùm plures morbi habeant acceſſiones, quas ad ciborum oblationem fugere expedit, & acceſſiones diuidantur in tempora morbi particularia, oportet etiam acceſſiones cognoſcere, & tempora particularia, quibus ipſæ acceſſiones menſurantur; ſiquidem in ipſis (niſi cogat neceſſitas) omnimodè cibus eſt ſubtrahendus; *in acceſſionibus enim abſtinere oportet*, inquit Hippocrat. 1. *aphoriſmorum, text.* 11. & 4. *de rat. vict. text.* 39. Quantùm conferat hæc tractatio ad prædictionem, de ſe notum eſt, cùm criſis fiat ſtatus tempore; & per ſigna tempus demonſtrantia, videlicet per ſigna coctionis, quibus ipſa tempora morbi vniuerſalia cognoſcimus, iudicamus ſecuritatem morbi, illius celeritatem, aut horum contrarium; proptereáque dicitur ab Hippocrat. *Coctiones celeritatem iudicij, & ſecuritatem oſtendunt; cruda, & incocta, & in malos abſceſſus conuerſa, aut acriſias, aut labores, &c.* Hæc autem de temporibus conſideratio maximè attenditur in febribus putridis, quàm in aliis morbis; & ob eius vtilitatem, & neceſſitatem Galenus edidit in lucem librum de morbi temporibus, de quibus latè pertractat etiam Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 3. nos autem tractationem hanc breuiter abſoluemus, more ſcolaſtico illius veritatem indagantes, & quæſtiones perluſtrantes, quarum prima ſic proponitur.

*Qualiter medicus ſe habere debet circa remedia in diuerſis morbi temporibus.*

*Cognitio temporum morbi eſt neceſſaria ad prædictionem.*

§. I.

## §. I.

### *Quot ſunt tempora morborum, & quibus dignoſcuntur ſignis.*

*Tempora morborum ſunt veluti ætates animantium.*

PLato in vltimis verbis dialogi *de natura*, & Galenus libro *de morbi temporibus*, & *de totius morbi temporibus*, *capite* 1. animalibus ætates tribuit, morbis verò tempora, quæ cum animantium ætatibus habent ſimilitudinem. Quia ergo quatuor in animantibus præcipuas connumeramus ætates, nempe pueritiam, adoleſcentiam, conſiſtendi tempus, & ſenectutem, pari ratione morborum quatuor tempora dantur, quæ eorum ætates dici merentur, videlicet principium, augmentum, ſtatus, & declinatio; & ſicuti animalia per ætates variationem accipiunt, & inſignem ſubeunt mutationem, ita & morbi per tempora, quæ percurrunt; hac tamen adhibita diſtinctione, quod ætates (loquor nunc de hominum ætatibus) in longitudine, & breuitate non multùm euariant; eſt enim eis terminus conſtitutus, ad quem vel accedunt, vel parum ab eo recedunt; ſicque dicere ſolent Authores, quod infantilis ætas attingit ſeptimum annum, à quo incipit pueritia, quæ ad 14. ſe extendit, tuncque incipit pubertas; & ſic de iuuentute, & ſenectute, quæ fixum terminum habent inceptionis, & definitionis; non enim ſic accidit morbis, qui cùm varij ſint, & inter ſe ſpecie differentes, imò & eorum quidam differant genere, vt alio loco annotauimus, neutiquam pro omnibus poſſumus tempus determinatum conſtituere; ſicuti enim naturâ euariant, ita etiam duratione, & ætate. Sunt enim eorum quidam chronici, qui longè durant, vt febris quartana, paralyſis, conuulſio, & arthritis. Alij ſunt acuti, qui quatuordecim diebus terminantur, vt ait Hippoc. 2. *aphoriſmor. textu* 23. Alij acutiſſimi, qui ſeptimum diem attingunt, qui peracuti ſimpliciter appellantur à Galen. 2. *de diebus decret. cap.* 12. Alij peracuti exactè, qui quarto die finiuntur, de quibus agit Hippoc. 3. *prognoſtic. text.* 2. dum ait: *Simpliciſſimæ febres ſignis firmatæ ſecuriſſimis, quarto die, aut citiùs finiuntur; deterrimæ verò, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die, aut citiùs interimunt.* Alij denique dicuntur acuti ex decidentia, qui ad 20. imò & 40. diem ſe extendunt: de his loquitur Hipp. 1. *prognoſt.* dum aſſerit, bonam reſpirationem magnam vim habere in omnibus morbis acutis, qui cum febribus fiunt, & in quadraginta diebus terminantur; qui neque chronici, neque acuti rigorosè ſunt, ſed inter vtroſque medium tenent. Quia ergo morbi in ſua natura, & duratione inæqualiter ſe habent, non poſſunt omnes æqualibus menſurari temporibus.

*Morbi chronici, & acuti differentia proponitur.*

*Acuti morbi ex decidentia quales ſunt.*

*Tempora morborum quædam ſunt vniuerſalia, quædamque particularia.*

*In quibus morbis dantur tempora particularia.*

Hæc morborum tempora ſunt in duplici differentia: quædam ſunt vniuerſalia, & alia particularia. Vniuerſale tempus dicitur, quod totum morbum metitur à principio in finem, in quo comprehenduntur quatuor tempora à nobis antea deſcripta, nempe principium, augmentum, ſtatus, & declinatio vniuerſalis. Tempus particulare attenditur reſpectu particularis acceſſionis, in qua etiam reperitur principium, augmentum, ſtatus, & declinatio particularis acceſſionis illius ſingularis: hæc tamen tempora particularia non dantur in omnibus morbis, ſed in illis tantùm, qui circuitus, ſeu acceſſiones habent, vt in febre tertiana, quartana, & aliis, quas acceſſiones metimur, & in tempora particularia diuidimus, & acceſſionis partes contemplamur.

*Tempora morborum*

Pro maiori tamen noſtri diſcurſus intelligentia notare oportet, quod hîc non agimus de tempore,

*Sunt inſignes mutationes in morbis repertæ.*

A prout accipitur à Philoſophis, qui dicunt eſſe numerum motus ſecundùm prius, aut poſterius; neque pro partibus aliquotis ipſius temporis, nempe pro hora, vel illius medietate, vel quadrante, aut die, vel nocte; ſed accipitur pro inſigni mutatione in morbis reperta, eorum inuariatâ manente eſſentiâ. Quando ergo in noſtris corporibus mutatio aliqua inſignis ſuperuenit ratione morbi, ſicuti in hominibus mutatio aliqua inſignis ſuperuenit ratione ætatis, tunc dum ea inſignis adeſt mutatio, ea durante, dicitur vnicum illius morbi tempus, quod vt cognoſcatur, & diſtinguatur ab alio tempore eiuſdem morbi, debet habere ſigna, quæ vni tempori ſint propria, & non communia alteri; & licèt cognitio temporum vniuerſalium in quocumque morbo ſit neceſſaria, maximè tamen in febribus humoralibus, qui ſignis coctionis, & cruditatis deprehenduntur. Cognitio ſimiliter temporum particularium acceſſionum maximam præbet vtilitatem, B non tamen ſignis coctionis, aut cruditatis, ſed aliis ſignis deprehendi debet. Morbi ergo per acceſſiones, & circuitus repetentes, vt febres intermittentes, & ex continuis plurimæ, præter tempora vniuerſalia habent etiam ſua tempora particularia à nobis præſcripta. Verumtamen febres intermittentes habent ſex tempora particularia, quæ ſunt principium, inæqualitas, augmentum, ſtatus ſeu vigor, declinatio, & interuallum ſeu quies, quæ intercedit inter vnam, & alteram acceſſionem; quæ omnia cognoſcere docet Galen. *libro de morbi temporibus, cap.* 5. Principium equidem in febribus intermittentibus cognoſcitur ex ſyſtole, ſeu pulſus compreſſione; & retractione, & caloris ad intra recurſu, ex extremorum frigiditate, & in febribus tertianis exquiſitis ex rigore, ſeu vehementi membrorum concuſſione; tunc etenim, quando hæc omnia adſunt, dicimus ægrotantem eſſe in princi-C pio particulari morbi acceſſionaliter repetentis. Poſt principium inæqualitatis tempus elucet, quando ſcilicet humores oppoſitum motum faciunt, & ad extra, & ad intra, permutatis vicibus, reuocantur, & inæqualiter partes externæ calefieri incipiunt. At cùm iam partes externæ quadam cum æqualitate calefieri incipiunt, & calorem augeri perſentiunt, tunc adeſſe acceſſionis incrementum dicimus. Cùm verò iam calor ad ſummum peruenerit incrementum, ita vt eundem tenorem, ſeu ſtatum ſeruare videatur, vigor, ſeu ſtatus particularis acceſſionis dici debet. Tandem cùm ab eo ſtatu, & vigore declinat, halitu, vel ſudore, aut aliter humore excuſſo, ita vt accidentia mitigentur, & febrilis caloris intenſio ad ſenſibilem deueniat remiſſionem, tunc dicitur tempus particulare declinationis acceſſionis, quo tranſacto ſequitur interualli tempus, quando ſcilicet ad infebricitationem peruenit æger, ablatis calore febrili, & ſymptomatibus, ita vt quodammodò D videatur eſſe in ſtatu ſalubri, donec altera ſuperueniat acceſſio.

*Maximè neceſſaria eſt temporum cognitio in febribus humoralibus.*

*Febres intermittentes habent ſex tempora particularia.*

*Temporum particularium ſigna proponuntur.*

*Temporum morborum cognitio difficilis, dum inter ſe complicantur.*

Ex dictis conſtat, quod cùm tempora ſint mutationes quædam inſignes, quæ morbis adueniunt, debent etiam differre inſignium ſymptomatum ratione, aliter enim nequeunt illæ percipi mutationes: hæ quidem facilè deprehendi poſſunt in morbis ſimplicibus acceſſionaliter repetentibus, qui cum aliis neutiquam complicantur; in compoſitis verò, ſeu complicatis, difficilis eſt eorum cognitio: nam ſæpè contingit, quod principium acceſſionis vnius morbi complicetur cum incremento, aut ſtatu alterius, ita vt ſit omnium confuſio, & difficilè diſtinguamus tempus vnius morbi à tempore alterius; ad quod requiritur Medicus maximè attentus, & in praxi non parum exercitatus.

*In declinatione particulari viribus reſolutis mori ſolet æger.*

Sed quia dictum eſt, quod in declinatione particulari morbi omnia accidentia mitigantur, ex quorum remiſſione poteſt inferri, quod etiam morbus in declinatione minuatur; cum hoc tamen non implicat, quod in declinatione particulari viribus reſolutis moriatur æger, & remaneat ſufficiens diſpoſitio ad interitum ægri, vt liquet ex Galeno *libro de morbi temporibus, cap.* 5. *citato*, & 3. *de criſibus, capit.*9. vbi teſtatur in declinatione particulari ægrum mori poſſe, minimè tamen in declinatione vniuerſali, vt in ſequentibus docebimus, ſed ante illud tempus neceſſariò perit: & cùm ante declinationem vniuerſalem detur in ipſis incrementis, & acceſſionibus declinatio particularis, abſumptâ parte materiæ, quæ particulariter illam acceſſionem faciebat; & hæc quidem aduenire, & accidere poteſt in quocumque tempore vniuerſali, ſiue tale tempus ſit illius principium, incrementum, vel ſtatus; ideò contingit ſæpe, quod in remiſſione, & declinatione particulari principij, augmenti, aut ſtatus vniuerſalis mors ægrum rapiat. Quanam autem ratione in declinatione vniuerſali mors ex vi illius morbi declinantis non ſuperueniat, ſuo loco dicemus.

*Tempora morborum vniuerſalia triplicia ſunt.*

His attentè inſpectis, comprehendimus tempora morborum particularia: reſtat nunc deuenire ad cognitionem temporum vniuerſalium morborum, præſertim febrium humoralium, & aliorum morborum, qui ab humoribus dependent. Mutatio igitur inſignis conſtitutiua temporum vniuerſalium morborum tripliciter in morbis datur; nam poteſt attendi reſpectu eſſentiæ, non quod morbi eſſentia mutetur, ſed quod morbus recipiat intenſionem, aut remiſſionem, integrâ manente morbi eſſentiâ, vt patet in calore, qui ſaluâ eius naturâ patitur augmentum, vel decrementum. Vel attenditur reſpectu coctionis, vel cruditatis humorum, & denique reſpectu accidentium, ita vt iuxta hanc doctrinam conſtituantur tria morborum tempora vniuerſalia, nempe quoad eſſentiam morbi, quoad materiam, ſeu coctionem, vel cruditatem, & tandem quoad accidentia. De iis ergo omnibus eſt in præſenti pertractandum, & à principio auſpicantes, morbi principium trifariam vſurpari ſolet, ex Galen. 1. *de criſibus, cap.* 6. & 2. *prognoſt. phraſi* 9. Primò

*Morbi principium quibus dicitur modis.*

ſumitur principium pro morbi inſultu, ſeu prima inuaſione; quod tempus ſic acceptum, fermè momentaneum exiſtit: dicit enim ſolùm morbi inceptionem, quando iam potens eſt ſenſibiliter actiones lædere, à quo excludimus diſpoſitionem antecedentem, quæ neutræ diſpoſitionis vicem gerit. Secundò ſumitur principium pro tempore latitudinem habente, & hoc modo pluties vſurpatur ab Hipp. vt inſinuat Gal. *pluribus in locis*, vt *in* 1. *aphor. phraſi* 12. & 1. *epidem. ſect.* 1. *ante medium*, §. *circa principia morborum, &c.* & 1. *aphor. phr.*24. & 2. *aphor.*29. *&* 30. & denique *lib. de totius morbi temporibus, cap.* 2. Hoc principium in hac latitudine acceptum diuiditur in artificioſum, & vulgare, de quo agit Gal. 1. *de criſibus, cap.*7. *&* 8. Vulgare nihil aliud eſt, quàm tempus trium dierum ab inuaſione morbi; vel tempus, quo circumſcribitur prima acceſſio: & hoc modo recipitur ab Hip. 1. *aphor. text.* 12. vbi ait: *Si ſputum circa initia appareat, morbum breuiat, &c.* Nam illa particula *initium*, non ſignificat primum morbi inſultum, quia in illo tempore momentaneo non poteſt adeſſe ſpuitio, ad quam longius tempus deſideratur. Accipitur ergo pro primis tribus diebus, vel pro tempore primam

*Quare principium dicitur trium dierum.*

acceſſionem circumſcribente. Appellatur principium ſpatium trium dierum, quoniam morbi acuti, qui plerumque pendent ex bile, intra trium dierum ſpatium ſuam habent periodum, cùm de tertio in

A tertium diem exacerbentur. Principium artificioſum dicitur totum tempus, in quo in excrementis ſigna cruditatis apparent; quod tempus dicitur principium vniuerſale morbi, vt docet Gal. 1. *progn. com.*9. & 2. *de criſibus, cap.*6. Cùm iam principia coctionis apparuerint, principium morbi vniuerſale finitur, & incrementum incipit, vt ipſe docet *capit.*7. *eiuſdem libri*. Principij breuitas, aut longitudo, ſicuti & aliorum temporum, ex morbis ipſis deprehenditur, & ex anni temporibus, & circuituum ſucceſſiuis incrementis, & ex iis quæ mox apparent, vt docet Hippocrat. 1. *aphoriſmorum, ſent.*12. & Galen. 1. *de criſibus, capit.*9. quapropter in morbis pendentibus ex humoribus, qui ſunt intra venas, inſpiciendæ ſunt vrinæ, in quibus ſi nullum apparet coctionis ſignum, tunc dicimus morbum illum eſſe in principio vniuerſali conſtitutum. Si verò morbus ſit in pectore, ſputum eſt conſiderandum; ſi in capite, ex eis, quæ excernuntur per nares, cognitio

*Principium morbi artificioſum, quale dicatur.*

B deſumitur; veluti ſi inteſtina afficiantur, ex excrementorum illorum deiectione, vt ait Galen. 1. *de criſibus, capit.*7. Augmentum morbi dicitur, quando ſigna manifeſtæ coctionis elucent, accidentia creſcunt, & morbus accipit incrementum; ſicuti ſtatus, ſeu morbi ſummus vigor, quando ſigna perfectæ coctionis innoteſcunt, accidentia vigent, & morbus eſt iam in ſummo vigore. Declinatio cognoſcitur ex perfecta coctione materiæ ſimul cum declinatione morbi, & accidentium remiſſione, vt deducitur ex Galen. *locis ſuprà citatis*, & *de totius morbi temporibus capite* 3.

*Quando adueniat morbi incrementi tempus, & idem de ſtatu, & declinatione.*

Ex iis iam habemus, quod quatuor ſunt tempora morborum vniuerſalia, & quomodo poſſint cognoſci, & inter ſe diſtingui, ita vt tempora quoad eſſentiam conſtituantur penes intenſionem, & remiſſionem morbi; quoad accidentia penes eorum mag-

C nitudinem, prauitatem, paruitatem, & benignitatem, ſeu conditionem. Quoad coctionem, vel cruditatem dignoſcuntur per coctionem, aut cruditatem, quæ in excrementis reperiuntur, vt dictum eſt. Hanc doctrinam patefacit Galen. *lib. citat. de totius morbi temporibus*, & Auic. *fen.*2. *lib.* 1. *doctrin.*1. *cap.*7. exemplo inflammationis. Quando enim aliqua pars pati incipit inflammationem, & ſe extendit vt humorem fluentem recipiat, incipitque alterari ab ipſo humore inflammationem excitante, tunc quidem ea inflammatio eſt in principio vniuerſali, quoad eſſentiam, quia cœpit diſtendi pars: eſt etiam in principio accidentium, quia cœpit alterari, & dolorem pati. Eſt ſimul in principio quoad materiæ coctionem, quia tunc nullum, aut ſaltem obſcurum adeſt coctionis veſtigium. Cùm autem ſanguinis influxus ceſſauerit, & ſanguis in particula contentus putrefieri inceperit, ipſe calor putrefa-

*Exemplo inflammationis quatuor morbi tempora demonſtrantur.*

D ciens, liquans, & fundens ſanguinem, gignenſque flatuoſum ſpiritum magis partem diſtendit; & ſi nihil inflaat, tunc dicitur tempus incrementi, quia omnia à nobis aſſignata incrementum accipiunt; nam maior fit extenſio, quæ pertinet ad eſſentiam tumoris; accidentia creſcunt, ſiquidem inducta maiori partis extenſione, neceſſariò fit maior partium deunio, quam comitatur intenſior dolor, ſimulque à calore putrefaciente calori naturali adiuncto concoqui incipit materia in ipſa parte collecta, ita vt eluceat aliquod ſignum coctionis manifeſtæ; neque aliter poſſumus deprehendere huius morbi augmentum. Verùm cùm in pus iam vertitur, tuncque febres, ac dolores fiunt, omniaque ſummum vigorem attingunt, dicimus inflammationem ſuum vigorem, vel ſtatum habere, ſicuti pure iam confecto, & accidentibus remiſſis, eam iam declinaſſe cognoſcimus. Ecce breuiter

connume

connumerata tempora quoad morbi eſſentiam, illius accidentia, & quoad materiæ coctionem, ex quibus poteris in aliis morbis eadem tempora comprehendere.

## §. II.

### *Vtrum quilibet morbus quatuor percurrat tempora.*

HÆc quæſtio maximam continet difficultatem, quæ non procedit de morbi temporibus, cum certum ſit, quod æger poteſt mori in principio acceſſionis, vel in alio tempore particulari illius, vt docet Gal. 3. *de criſibus*, *cap.* 9. quo caſu alia non tranſibit tempora. Eſt ergo quæſtio de temporibus morbi vniuerſalibus.

*Pars affirmatiua proponitur.*

Pro parte negante ſtat Gal. *de optima ſecta*, *ad Traſib. cap.* 47. reprehendens eos, qui dicunt, omnes morbos percurrere quatuor tempora: & probatur plurimis rationibus.

Primò; nam morbi quidam peracuti, vt apoplexia, ſtatim videntur eſſe in ſtatu, cùm in apoplexiæ quocumque tempore detur omnimoda ſenſus, & motus priuatio, neque aliter eſt apoplexia; ſi enim daretur affectus, qui omnimodam priuationem ſenſus, & motus non diceret, non eſſet apoplexia: atque adeò cùm ab apoplexiæ inuaſione hæc accidentia reperiantur in eadem intenſione, poſſumus aſſerere, quod apoplexia non habet principium, vel augmentum, imò neque declinationem; ſiquidem qui apoplexia tenentur, pereunt antequam ad declinationis tempus perueniant.

B Secundò: Febres continentes, quæ à principio in finem in eodem ſtatu perſeuerant, quas homothonas, ſeu acmaſticas vocat Gal. non habent principium, augmentum, neque declinationem, ſiquidem ſemper eundem ſtatum, & tenorem ſeruant.

Tertiò: Morbi, qui vera criſi finiuntur, carent declinatione; nam criſis, vt ſuo loco diximus, fit in ſtatu morbi, & eſt ad ſalutem ſubita mutatio.

*Turgente materia euacuata ceſſat morbus.*

Quartò: Nam ſi materia morbifica in morbi principio tota ſit turgens, & cathartico medicamento euacuetur, morbus ex illa pendens neceſſariò tunc ceſſabit; nam ablatâ causâ, tollitur effectus, nequibitque morbus ad augmenti tempus peruenire.

C Quintò: Febris ephemera in ſui principio, ex cauſæ illius ablatione deſinit eſſe; non enim habet cauſam à qua intendi poſſit, neque poteſt ad incrementum deuenire, neque ſpiritus à ſeipſis intendi. Id confirmo in febre hectica, quæ eſt independens à cauſa, & non eſt aſſignabile principium eius calorem intendens. Similiter ſolutio continui caret iis temporibus, neque in illa poteſt aſſignari aliqua temporum differentia.

D Sextò: Non implicat, quod natura potens, vi cauſæ morbificæ irritata, totam materiam in principio expellat: ergo morbus pendens ex illa in ipſo principio finietur, quin alia percurrat tempora.

Septimò: Cæcitas à nimio fulgore excitata, & ſurditas ratione tronitru contracta, ſubitò fieri ſolent: ergo ſubitò ad ſtatum deueniunt.

Octauò: Inter temperatum, & intemperatum non datur medium: ergo principium morbi non eſt ab aliis temporibus diſtinctum; ſiquidem omnia morbi tempora inuoluunt intemperantiam, & improportionem.

Nonò: Morbus eſt res ſimplex: ergo non habet tempora. Patet antecedens; nam morbus non eſt ſicuti domus, quæ ex variis partibus, & diuerſæ ra-

A tionis conſtruitur; ſed cùm primò incipit, ſtatim totam ſuam eſſentiam indiuiſibiliter habet; vt conſtat ex Gal. *lib. de totius morbi temporibus*, *cap.* 2. & *de morbi temporibus*, *cap.* 1. & 2. ergo non poteſt diuidi in tempora.

Decimò: Valida euacuatio medicamento purganti exercita curat ophthalmiam in ſui principio, ex Gal. 13. *methodi*, *cap.* 11. ergo illi alia deficiunt tempora.

*In febre putrida ex ephemera orta, ab initio vrina apparet cocta.*

Vltimò probatur ex Galen. 1. *de differ. febrium*, *cap.* 11. vbi aſſerit, quod proprium, & inſeparabile ſignum febrium putridarum eſt vt inuadant, vrinâ crudâ exiſtente, vel obſcurè coctâ; ibi tamen excipit febres putridas, quæ diariam inſequuntur, quæ non petunt cruditatis ſigna in vrina: ergo ſaltem in febribus putridis, quas diaria præcedit, non dabitur principium quoad coctionem, vel cruditatem.

*Morbi lethales non attingunt declinationem vniuerſalem.*

Pro huius quæſtionis ſolutione aliqua ſunt prælibanda. Primò in præſenti non extat noſter ſermo de B lethalibus, quoniam hi neutiquam quatuor tempora percurrere queunt; nam non poſſunt attingere vniuerſalem declinationem, vt deducitur ex Gal. 1. *de criſibus*, *cap.* 2. & *de totius morbi temporibus*, *cap.* 1. in morbis enim triplex eſſe ſolet mortis cauſa, ex Galen. 3. *de criſibus*, *cap.* 9. *in fine*; nam eſt vel ſuffocatio caloris, vel vehementia morbi, & accidentium vehementer virtutem ſubuertentium, vel reſolutio facultatis imbecillis. Illi ergo, qui ſuffocantur præ multitudine materiæ, in principio morbi maiori ex parte deficiunt; qui morbi, & accidentium ſæuitie, in augmento, & ſtatu pereunt, ſicuti qui ex virium reſolutione, in ipſa declinatione particulari.

*Aliqui morbi breuiter aliqua percurrunt tempora.*

Secundò prælibandum, quod aliqui ſunt morbi, qui aliqua tempora ita breuiter percurrunt, vt Medici captum effugiant, niſi ſenſui adiungatur ratio, ex Gal. 1. *de criſibus*, *capit.* 17. circa initium; non tamen ex hoc inferas, quod tales morbi ſuis deſtiC tuuntur temporibus, vt patet in forti angina, in vehementi apoplexia, & in acceſſionibus epilepticis, ex eodem *de totius morbi temp. cap.* 4. & in febribus continentibus, & aliis morbis exactè peracutis, in quibus ſtatim extremi labores elucent, ex Hipp. 1. *aphor. text.* 10. atque adeò cùm in morbi ſtatu extrema accidentia pateſiant, non percipiuntur ſenſibiliter principium morbi, & illius augmentum; vigent enim accidentia à prima morbi inuaſione, veluti ſi morbus eſſet à primo inſultu in ſtatu. Non tamen aſſerere poſſumus, quod illi morbi principio, & augmento carent; non enim capit intellectus, quod morbus, accidentia, & coctiones peruenire valent ad gradum ſuæ intenſionis, quin talis intenſio priùs incipiat à remiſſiori, deindeque incrementum accipiens, ad ſtatum, & ſummum vigorem accedat, in quo tam morbus, quàm accidentia, & coctiones vigent.

*Communis dicendi modus proponitur.*

Hac ſuppoſitâ doctrinâ, communis dicendi moD dus apud omnes ferè Authores receptus eſt, quod morbus ſalubris materialis, ſeu pendens ex humoribus, debet neceſſariò percurrere quatuor tempora, quæ in illis debent eſſe quoad eſſentiam, quoad accidentia, & quoad coctionem materiæ. Si verò morbus ſalubris ſit immaterialis, hoc eſt independens ab humoribus, habere etiam debet ſua quatuor tempora, & quoad eſſentiam, & quoad accidentia, non verò quoad coctionem, quia non pendet ex materia coquenda. Hoc commune placitum defendunt inter alios Galen. *lib. de totius morbi temporibus*, *cap.* 3. *lib.* 1. *de criſibus*, *cap.* 2. & *cap.* 8. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 20. Herculanus *ſen.* 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *fol.* 23. *columna* 4. exemplo poſito in febre ephemera. Vall. 10 *controuerſ. cap.* 7. Vega 2. *de different. febrium*, *cap.* 16. Mercurialis *lib.* 5. *ſuarum prælectionum*, *cap.* 4. Mercatus *lib.* 3. *part.* 2. *claſſe* 4. *art.* 8. *num.* 13.

*num.* 13. Matamoros 2.*de febribus*, *tract. de temporibus febrium*, *diſput.* 2.

*Communis dicendi modus probatur.*

Hæc concluſio ſic communiter recepta probatur primò de morbi temporibus, quoad coctionem. Nam materia morbifica à principio in finem alteratur per actionem, quam ſuppurationem vocant, coctionis, & cruditatis participem. Sed hæc alteratio materiæ eſt maior in ſtatu quàm in principio, neque à principio ad ſtatum properare poteſt, quin recipiat augmentum: ergo neceſſariò debet habere principium, augmentum, & ſtatum. De declinatione non dubitant; nam cùm in ſtatu materia ſit perfectè cocta, ſaltem coctione in nocitiuo, in declinatione natura à coctione ceſſat, & tam morbus, quàm accidentia remittuntur, per criſimque morbi materiâ imminutâ, omnia remiſſiora conſpiciuntur.

Secundò idem probatur reſpectu temporum quoad morbi eſſentiam; nam morbus recipit incrementum, & intenſionem in augmento, quam non habet in principio; atque adeò iam verificatur, quod his duobus temporibus exornetur morbus. Præterea eandem intenſionem vltimò adquiſitam in augmento conſeruat in ſtatu, & deperdit in declinatione, ſiue morbus criſi, vel aliter terminetur: igitur morbi ſalubres debent quatuor tempora percurrere.

Tertiò omnis res, quæ incipit, & deſinit, neceſſariò debet habere ſtatum; nam ſtatus eſt illud punctum ſummum, ad quod peruenit morbus: vt verò habeat ſtatum, debet habere incrementum; nam eſt via ad ſtatum, & ex alia parte, cùm incipiat, & deſinat, debet habere principium, & declinationem: ergo neceſſariò omnis res, quæ incipit, & deſinit, debet percurrere quatuor tempora.

Ex veritate huius doctrinæ inferunt, quod morbi ſalubres debent etiam habere quatuor tempora quoad accidentia; nam ſi ſermo ſit de pathognomonicis, habent ſuum eſſe dependenter à morbo, regulanturque ſecundùm tempora morbi, à quo dependent, recipiuntque intenſionem, & remiſſionem, & alias mutationes, ex quibus eorum tempora dinumeramus. Eandem enim proportionem, quam habet cauſa morbi ad morbum, habet etiam morbus ad ſymptomata, ex Gal. 1.*methodi*, *cap.* 8. quare ſicut morbus ratione ſuæ cauſæ habet quatuor tempora, eadem tempora adquirent accidentia ratione morbi. Si verò ſit ſermo de accidentibus, quæ ſequuntur conditionem materiæ, & illius coctionem in morbis ſalubribus, eodem modo eſt philoſophandum; ea enim mitiora apparent in principio, & quo magis ad ſtatum, & perfectam coctionem peruenerit materia, ſæuiora cernuntur; intenditur enim putredo ſimul cum coctione in morbis ſalubribus, vt probauimus *lib.* 3. *de febribus*, *quæſtione* 4. ita vt detur maior coctio, & putredo in morbi ſtatu, quàm in aliis temporibus: & idem proportionaliter eſt intelligendum de omnibus aliis accidentibus, quæ materiæ conditionem ſequuntur, cuiuſcumque ſortis ſint, quæ creſcunt, vel decreſcunt, & varia tempora currunt, iuxta alterationem, & variationem, quam ſubit materia, à qua dependent. Sed vt hæc clariora euadant, oportet ſoluere argumenta in principio poſita.

*Reſponſiones ad argumenta pro communi opinione.*

Ad primum reſpondetur, quod apoplexia, & morbi exactè peracuti habent principium, & augmentum breuiſſimum, neque aliter poſſunt ad ſummum peruenire vigorem, quin incipiant, & augeantur, atque adeò percurrunt tria illa tempora; & ſi ſalubriter terminantur, debent deuenire ad declinationem, ita vt omnia quatuor tempora currant: ſi verò moriantur, ad morbi vniuerſalem declinationem deuenire nequeunt: & eodem modo reſpondetur ad ſecundum de febribus continentibus.

A

Ad tertium reſpondet Matamoros, quod morbi, qui criſi terminantur, carent declinatione quoad materiei alterationem; nam ſi perfecta eſt criſis, quæ quidem in ſtatu aduenit, vniuerſa morbi materia euacuatur. Ex quo fit, quod nullum ſignum materiei illius, tranſacta criſi appareat; benè tamen datur quoad eſſentiam morbi, & quoad ſymptomata declinationis tempus: nam licèt criſis, & materiei euacuatio fiat in vltima parte ſtatus; tamen quando declinat morbus per ſubitam mutationem ad ſalutem, tunc quidem morbus receſſit ab ſtatu per remiſſionem ſui, & accidentium; quæ remiſſio eſt vera morbi, & accidentium declinatio; quæ quia breuiſſimo tempore fit, ideò in morbis criſi terminatis temporis declinationis vniuerſalis non fit mentio, etſi realiter ea adſit declinatio.

*Solutio D. Matamoros.*

B

Ad quartum reſpondet Valleſ. quod medicamenta purgantia, dum humores turgent, non poſſunt morbum in medio eius curſu reprimere; poſſunt tamen ſequentia tempora breuiora facere, ita vt omninò ſine remiſſione videatur ſublatus morbus; nam remedia non valent morbos omninò ſua conſtitutione priuare, poſſunt tamen eos illegitimæ conſtitutionis facere. Hanc Valleſ. ſolutionem increpat Matamoros, qui aſſerit, quod ſi cathartico medicamento materia turgens in principio vniuerſali morbi euacuetur, morbus quoad alterationem materiæ non percurrit quatuor tempora; nam in principio euacuatur tota materia cruda, & non habet vnde reliqua accipiat tempora; ſi enim non coquitur manifeſtè, neque poteſt dari incrementum, aut ſtatus alterationis illius materiæ, neque declinatio, vt de ſe patet. Neque mirum, quod aliqua morborum tempora medicis auxiliis impediantur: benè tamen, inquit, ſaluari poſſunt tempora morbi, & accidentium, vt ex ipſo diximus in reſponſione ad tertium. Hunc dicendi modum forſan accepit ex Mercato, qui hoc inſequitur placitum.

*Valleſij reſponſio ad quartum.*

*Matamoros redarguit Valleſium.*

C

Ad quintum reſpondetur, quod febris diaria, ſiue dependeat à cauſa, vel non, percurrit omnia tempora; nam cauſa quæ fuit potens eam producere febrem, dat principium, augmentum, & reliqua tempora; neque eſt neceſſe, vt à ſeipſo intendatur calor in ſpiritibus, vt quidam cenſent; ſed quod intendatur à cauſa ſpiritus ſuccendente, in cuius incrementi fine ſtatus febris datur, poſt quem remitti incipit calor, & febris declinare incipit.

Ad confirmationem de febre hectica, quæ eſt independens à cauſa, quæ illam produxit. Reſpondetur, eam habere propria tempora, iuxta maiorem, vel minorem ſubuerſionem temperamenti ſubſtantifici; nam quando creſcit ea ſubuerſio, febris eſt in incremento; quando verò ad ſummum ſubuerſionis illius peruenit, eſt in ſtatu, quouſque tandem temperamenti ſubſtantifici reparatione inceptâ, ipſius incipit declinatio.

*Qualiter febris hectica temporibus menſuratur.*

D

Inquires tamen, ſi febris hectica eſt independens à cauſa, vt communiter fertur, à quo ergo ille calor hecticus intenditur, ita vt augmentum & ſtatum recipiat.? Non enim à ſeipſo intendi poteſt.

Reſpondetur, quod ſi loquamur iuxta communem dicendi modum, calor ille intendi non poteſt, quia non habet cauſam ſuæ intenſionis, tuncque tempora non commenſurantur ratione caloris febris hecticæ, ſed potiùs ratione ſiccitatis ſibi adiunctæ; quæ intenſior apparet in ſecunda ſpecie febris hecticæ, quàm in prima; & in tertia, quàm in ſecunda. Quanam autem ratione ea ſiccitas producitur, & à qua cauſa, non eſt huius loci; circa hanc rem lege caput de conuulſione, in quo agitur

*Quomodo febris hectica accipiat intenſionem, remiſſionem & ſua tempora.*

agitur de cauſis conuulſionis ex inanitione, & ſiccitate, cuius doctrina huic caſui adaptari poteſt. Quando ergo peruenit ad ſummam ſiccitatem, quam viuens poteſt contrahere, eſt in ſuo ſtatu, ſeu vigore; ſi verò poſtea rehumectetur ſubſtantificè, & qualitatiuè, reuerà eſt in declinatione. In ſententia verò aſſerentium febrem hecticam produci, vel conſeruari ab anima, facilè reſpondetur, quod conſumptâ maiori parte partium frigidarum à calore illo febrili, anima ipſa iuxta exigentiam materiæ, quam informat, producit intenſiorem calorem, ita vt accedat ad incrementum, vel ſtatum; ita vt ratione intenſionis,& remiſſionis caloris,febris hectica valeat omnia tempora percurrere.

*Solutionis continui tempora numerantur.*

Ad aliam confirmationem de continui ſolutione dic, ipſam etiam ſuis temporibus conſtare; habet enim principium, ſiquidem ab eo incipit diuiſio: habet etiam incrementum, dum ipſa augetur diuiſio, dum verò diuiſio eſt adimpleta, conſtituitur in ſtatu: B illius denique declinatio eſt, quando mediante indiuiſibili continuatiuo vniri incipit. Ad ſextum iam reſponſum eſt in quarto.

*Cæcitatis, & ſurditatis tempora ponuntur.*

Ad ſeptimum dic, quod cæcitas & ſurditas, dum ſubitò contrahuntur, habent breuiſſimum principium, & augmentum, neque ad ſtatum deuenire poſſunt, quin à minori ad maius conſcendant.

Ad octauum reſpondetur, quod inter temperatum, & intemperatum phyſicè, non datur medium, ſicuti neque inter par, & impar, proportionatum, & improportionatum; medicè verò datur, ita vt improportionata ſint plura, & vnum alio maius, taliter vt poſſint ſua tempora habere.

*Res ſimilaris qualiter habet tempora.*

Ad nonum dicunt, quod morbus licèt habeat ſuam eſſentiam indiuiſibiliter, vt res ſimilaris; habet tamen intenſionem, & remiſſionem, penes quam tempora conſiderari poſſunt.

Ad decimum dicitur, ophthalmiam curari in C principio validâ purgatione, non quia alia tempora non percurrat, ſed quia ob eorum breuitatem imperceptibilia fuere; nam ea inflammatio habuit initium, & augmentum, cuius finis fuit ſtatus, quo tranſacto, fuit ſubſequuta declinatio, medio illo medicamento purganti: ſed ob temporum breuitatem ſolùm mentionem faciunt principij, ideoque dicit Galenus, quod in principio fuit ophthalmia medicamento purganti ſedata.

Ad vltimum denique reſpondetur, illas vrinas eſſe coctas, quando febris putrida diariam ſubſequitur; non tamen ea coctio eſt in humore febrem faciente, nec dum illis vrinis alteratio eſt ſufficienter communicata; imò ſæpè accidit, quod nullâ præcedente febre diaria incipiat febris putrida, & tamen in eius initio vrina eluceat perfectè cocta, quia eſt ſerum eorum humorum, qui coctionem receperunt; non verò ſerum humoris febrem producentis, quo tempore non habet rationem ſigni reſpectu febris putridæ. Hæc dicta ſunt pro magis communi ſententia.

## §. III.

### *Authoris ſententia à communi recedens proponitur.*

LIcet hæc doctrina tot rationibus ſtabilita habeat in ſui defenſionem omnes ferè Authores, ita vt temerarium videatur à communi dicendi modo recedere; nunquam tamen mihi placere potuit, imò eius contrarium eſſe magis rationi conſonum iudico, exiſtimoque morbos adhuc ſalubres, de quibus inſurgit dubium, ſiue dependeant à materia, vel aliter ſe habeant, finiri poſſe, & in ſalutem terminari, quin quatuor tempora pertranſeant. Hunc dicendi A modum tradit Hugo Senenſis *fen.* 1. 4. *cap.* 3. & probat 1. *aphoriſmorum, comment.* 12. quem in præſenti amplector, & probare intendam de omnibus temporibus quoad coctionem, quoad morbi eſſentiam, & quoad accidentia.

*Morbi ſalubres ex materia pendentes non petunt percurrere quatuor tempora.*

De temporibus morborum quoad coctionem, vel alterationem materiæ facilè conuincitur argumento quarto ſuprà tacto de humoribus in principio morbi turgentibus; nam non implicat, quod tota materia turgens pharmaco ſeligenti euacuetur in principio vniuerſali morbi, quando eſt omninò cruda: ergo morbus ille ex tali materia pendens finietur in principio quoad materiæ alterationem; neque poterit ad incrementum peruenire, cùm non remaneat materia morbifica, quæ coctionem vlteriorem manifeſtam recipiat; & conſequenter neque habebit ſtatum, neque declinationem vniuerſalem quoad coctionem, ſeu materiei alterationem. Hunc dicendi modum comprobat Mercatus *lib. vnico ſuarum conſult. conſult.* 16. vbi aſſerit, quod quidam æger liberatus fuit à morbo, adhibito medicamento minorante, quo fuit radicitus euacuata tota materia, cùm tamen extitiſſet cruda, neque potuit aliam alterationem, vel nimiam mutationem recipere, ſiquidem ex toto antea fuit euacuata. Hunc caſum admittit Cardanus 2. *contradict. tract.* 5. *contrad. vltima.*

*Accidentia alterationem materiæ conſequentia non eſt neceſſe, vt percurrant quatuor tempora.*

Ex hac concluſione, quæ mihi veriſſima eſt, aliam non minùs certam deduco, videlicet quod ea accidentia, quæ ſequuntur conditionem, ſeu alterationem materiæ morbificæ, non percurrunt ſemper quatuor tempora; nam ipſa immutantur ſecundùm materiei mutationem. Si ergo materia ante mutationem conſtitutiuam temporis incrementi, vel ab arte, vel à natura euacuatur, pariter accidentia ab ipſa materia prodeuntia ceſſare debent, atque adeò benè infertur, quod dari poſſint accidentia materiam concomitantia, quæ non percurrant quatuor tempora.

*Morbi ſalubres, vt finiantur, non exigunt neceſſariò quatuor tempora.*

Hæc allata concluſio, vt magis innoteſcat, ſequentem exigit, quæ probat morbos ſalubres quoad eorum eſſentiam, neque petere quatuor tempora, & probo hac ratione. Non implicat, quod morbus in principio vniuerſali ſui ipſius auferatur: ergo neque implicat, quod non percurrat alia tempora: Antecedens probo. Morbus in principio conſtituitur per hoc, quod ſit affectus lædens operationes ſenſibiliter; in augmento verò per hoc, quod ipſe affectus adaugeatur, ita vt læſio actionum magis adaucta ſit, quàm in principio, ſicuti dum eſt in ſtatu, totam ſibi debitam magnitudinem adquiſiuit, & conſequenter actionum læſionem. Sed dum morbus in principio lædit actiones, antequam ad augmentum deueniat, auxiliis medicis, aut per remotionem D ſuæ cauſæ poteſt auferri: ergo morbus in ſui principio terminabitur, ac per conſequens non accedet ad augmentum, ſtatum, & declinationem. Minor de ſe patet; nam auxilia poterunt impedire morbi incrementum; & ſi cauſa ſubmoueatur, non eſt à quo incrementum accipiat, cùm nihil à ſeipſo intendatur. Clariùs exemplo aſſumptum demonſtrare nitor. Supponamus, quod ad conſtituendum morbum calidum requiritur calor præternaturam vt duo; iſte calor valebit lædere actiones ſenſibiliter, ante verò quàm eſſet calor vt duo, non erat potens ſenſibiliter lædere, neque erat morbus ex hypotheſi. Tunc ſic: Hic calor vt duo non poteſt habere tempus augmenti, niſi intendatur, quocumque modo intenſio fiat: ſed contingere poteſt, quod cauſa præter naturam productiua illius caloris vt duo, non habeat virtutem producendi vlteriorem calorem: ergo ille morbus ſemper manebit in ſui principio. Quod

ſi

ſi cauſa habet virtutem ad vlteriorem caloris gradum, per quem morbus collocetur in ſuo incremento, poterit remoueri, vel impediri: ergo cùm nihil addatur huic calori morbum in principio conſtituenti, cuius ratione incrementum accipiat, remanebit quidem in principio ab aliis temporibus deſtitutus.

*Tempora morborum ſunt mutationes inſignes.*

Secundò id probo ex conceſſis; nam tempora morborum ſunt mutationes quædam inſignes, quæ dantur in morbis, ſicuti ætates in animantibus: ſed in morbis ſalubribus poſſunt impediri iſtæ mutationes, ſeu tempora: ergo poſſunt dari ſine illis. Minor probatur; nam vt conſtituatur morbus in augmento, petit mutationem inſignem diſtinctam partialiter ſaltem à mutatione conſtitutiua principij morbi; nam petit adaugeri, vel intendi ſenſibiliter: ſed ante illam mutationem augmentatiuam, vel intenſiuam conſtitutiuam temporis augmenti, poteſt detrahi cauſa augmentationis, vel intenſionis, vel eius operatio per remedia contraria auferri; vel forſan cauſa poteſt eſſe paruæ actiuitatis, ita vt valeat ſolùm producere morbum, qui ſolùm lædat actiones, vt debentur illius principio, non verò, quod eas valdè lædat, vt in augmento; atque adeò illi morbo deficient reliqua tempora.

*Morbus ſalubris poteſt finiri ſine declinationis tempore, in rigore medico.*

Dices, morbum ſalubrem non poſſe priuari declinatione, cùm reuera auferatur, cuius declinatio adeſt, dum incipit morbus remitti, & in ſalutem tendere. Reſpondeo, duplicem aſſignari poſſe declinationem, phyſicam vnam, medicam alteram. Si conſideretur phyſicè morbus, ad illius conſtitutionem ſufficit quilibet receſſus ab ſtatu ſalubri; nam phyſicè non datur medium inter proportionatum, & improportionatum; quapropter morbus ſic ſumptus, cùm incipiat ab eſſe remiſſo ad eſſe intenſum, deinde dum declinat, denuò remittatur, neceſſariò habet omnia quatuor tempora: at verò morbus medicè ſumptus non petit improportionem quomodocumque, ſed eam, quæ ſenſibiliter actiones vitiat. Si ergo morbus perueniat ad intenſionem, per quam lædat actiones ſenſibiliter in principio, & ex illius morbi remiſſione non maneat potens ad lædendum ſenſibiliter, aufertur ſine declinatione medica; nam in ipſa morbi declinatione adhuc manet morbus; at in hoc caſu non manet, cùm incepta ea remiſſione iam non poſſit lædere. Quapropter dicimus, quod morbus ille phyſicè acceptus, prout dicit quacumque improportionem, habet declinationem phyſicam, non tamen eam habet, prout pertinet ad Medicum, qui contemplatur improportionem magis ſenſibilem, & læſionum actionum capacem.

Quid ergo reſpondendum eſt Authoribus contrariam aſſertionem tuentibus. Facilis eſt reſponſio, ſi dicamus, ipſos fuiſſe loquutos iuxta modum magis regularem; nam frequenter accidit, quod morbi ſalubres pendent ex humoribus; & morbi etiam immateriales quatuor tempora percurrant; tamen reuerà non eſt perpetuum, vt probatum manet.

## §. IV.

### *Vtrum tempora quoad morbi eſſentiam coincidant cum temporibus accidentium, & alterationis materiæ.*

IN antecedentibus actum eſt de temporibus morborum; nunc autem controuertitur, an huiuſmodi tempora ſimul coincidant, ita vt ſi morbus ſit in principio, materia morbi, quoad eius alterationem, & accidentia, ſimiliter debeat etiam eſſe in principio, & ſic de reliquis temporibus; vel è contra, morbus quando eſt in ſtatu, alteratio materiæ, & accidentia poſſint eſſe vel in principio, aut augmento, v. g. vel debeant eſſe in ſtatu, & vigore, ſicut & ipſe morbus. Quod huiuſmodi tempora non coincidant, probari poteſt primò, nam in ſtatu morbi ſalubris pendentis ex materia, adeſt ſumma coctio: ergo debet eſſe accidentium remiſſio. Antecedens probo; nam accidentia quæ ſequuntur alterationem materiæ, incrementum, vel minutionem accipiunt iuxta augmentum, vel diminutionem alterationis ipſius materiæ: ſed in ſtatu morbi eſt minor alteratio materiæ, quàm in aliis temporibus: ergo ſtatus morbi non coincidit cum ſtatu accidentium, quæ materiæ alterationem ſequuntur. Minor patet; nam in ſtatu morbi materia morbifica eſt perfectè cocta, & euicta per coctionem, ſeu actionem naturæ.

*Pars negans traditur.*

*Coctio, & putredo habent terminos incompoſſibiles.*

Si verò dicas, in ſtatu morbi in materia illa ſimul vigere coctionem, & putredinem, ſicque vigere ſimul accidentia putredinalem actionem atteſtantia. Contrà eſt; nam eſt impoſſibile, quod vna & eadem materia ſimul coquatur, & putrefiat, ſiqui dem coctio, & putredo habent terminos incompoſſibiles: ergo eſt impoſſibile, quod dum elucent accidentia ſummæ coctionis, eluceant accidentia ſummæ putredinis; atque adeò datur ſtatus morbi ſine ſtatu accidentium, quæ materiæ alterationem inſequantur.

Secundò probatur ex Hippoc. 2. *aphor. text.* 47. dicente: *Dum pus conficitur, dolores ac febres fiunt magis quàm iam confecto.* Sed dum pus conficitur, eſt morbus in principio, & augmento; dum verò eſt confectum, eſt in ſtatu: ergo dolor maior eſt in principio, & augmento morbi quàm in ipſo ſtatu: ergo accidentia, quæ dependent ex alteratione materiæ, non coincidunt cum accidentibus morbi. Quod verò pus ſit confectum in ſtatu, patet; nam pus confectum dicitur tale, quia perfectè coctum, & elaboratum, quod ſupponit victoriam naturæ ſupra cauſam morbificam, ita vt iam illius materiæ alteratio ceſſet, & non reluceant accidentia morbifica ad alterationem materiæ conſequuta, ſicuti in principio, & augmento. Confirmatur, nam vt dolor fiat, requiritur quod natura ſubitò alteretur, aut corrumpatur; non verò, quod iam ſit corrupta, & alterata: at in ſtatu morbi iam materia morbifica eſt alterata, ſiquidem eſt perfectè cocta: ergo in ſtatu morbi non adeſt dolor, neque alia accidentia, quæ pendent ex materiæ alteratione; alteratio ſiquidem materiæ dicit motum ad terminum, non tamen eſt ipſe terminus. Cùm ergo iam detur terminus alterationis in ipſo morbi ſtatu iam productus, ceſſant accidentia alterationis cauſæ morbificæ.

Tertiò ex Gal. 2. *aphor. com.* 30. probatur; nam accidentia in ſtatu morbi ſalubris debent eſſe meliora: ergo in ſtatu morbi ſalubris ſunt remiſſiora; videtur enim impoſſibile, quod ſint meliora, & intenſiora; nam quæ intenſiora ſunt contra naturam, magis temperiem naturalem deſtruunt, quàm remiſſiora.

Quartò in pleuritide, exempli gratiâ, ſtatum appellamus, quando ſputum reiicitur album, & æquale: ſed illo tempore omnia accidentia pleuritidis remiſſiora ſunt quàm antea, vt tuſſis, difficilis reſpiratio, pulſus durities, & inæqualitas, dolor, imò & ipſa febris: ergo morbus, & accidentia remiſſiora euadunt in ſtatu coctionis, atque adeò ſtatus coctionis morbi, & accidentium non coincidunt.

Quintò: Facultas naturalis, quæ morbis medetur, reddit morbum minorem, quando vincit illum: ſed in ſtatu morbi vincit illum: ergo in ſtatu eſt morbus minor; at in principio, & augmento non potuit illum euincere: ergo quia

in principio, & augmento fuit morbus fortior, quàm in ipſo ſtatu.

*Quæ longo tempore ſunt conſueta minùs offendunt.*

Sextò: Quæ magis conſueta ſunt, minùs moleſtare ſolent, ex Hippocrate 2. *aphoriſmorum*, *textu* 50. nam vt communiter fertur, ex aſſuetis non fit paſſio: ſed in ſtatu morbi natura eſt magis morbo aſſuefacta, quàm in principio, & augmento: ergo in ſtatu morbi minùs moleſtabitur ab illo; ac per conſequens in ipſo morbi ſtatu morbus, imò & ipſius accidentia ſunt mitiora.

Tandem; nam ex oppoſito ſequeretur, quod nullus æger deficere poſſet in morbi principio, cuius contrarium ratio, & obſeruatio demonſtrat. Sequela patet, quia tunc debet contingere mors, quando morbus, & accidentia ſunt ſæuiora: hæc ſolùm eueniunt in ſummo vigore: ergo ſolùm in ſummo vigore deficiet homo.

Pro huius quæſtionis deciſione in memoriam ſunt reuocanda quæ ſuprà diximus, videlicet quod quidam morbi ſunt materiales, ſeu dependentes ab humoribus; alij ſunt immateriales, & à materia humorali independentes, quorum reſpectu non datur tempus quoad alterationem materiæ, ſed ſolùm quoad morbum, & accidentia, de quibus nulli dubium eſt, quod in ſtatu ſunt maiores. Neque alia de cauſa dicimus morbum eſſe in ſummo vigore, niſi quia ipſe, & illius accidentia vigent, vt docent Gentil. 2. *contradict. tract.* 5. *contradict. vltima.*

*Criſis poteſt fieri ſubitò, vel paulatim.*

Secundò aduertendum eſt, quod morbi materiales, vel pendent à materia, quam natura retinet, & ſeruat ad vnam criticam expulſionem, ſeu euacuationem; vel paulatim eam reijcit, quia ſcilicet paulatim concoquitur, & paulatim euacuatur, vt experimur in pleuritide, & peripneumonia, in quibus ſi circa initia ſputum apparet, morbum breuiat; nam humor in pectore contentus paulatim per ſputum euacuatur, ita vt natura reſiduum humoris faciliùs ſuperet, & expellat. Hæc diſtinctio traditur à Galen. 3. *de criſibus*, *capite* 1. 3. *prognoſt. com.* 1. & eſt Hipp. 1. *epidem. ſect.* 3. *text.* 16.

*Lethales morbi in robuſtiſſimis agris ſtatum attingere ſolent.*

Vltimò animaduerto, quod morbi vel ſunt ſalubres, vel mortiferi: hæc autem quæſtio intelligenda venit de ſalubribus; nam lethales in robuſtiſſimo ægro tantum ad ſtatum perueniunt, in quo ipſe perit æger, in imbecilliori verò in principio, vel augmento mors aduenit; & vt Gal. docet *de totius morbi temporibus, cap.* 6. & 7. mors vtplurimùm in principio, vel augmento accidit; & tunc cenſendum eſt, quod ſi talis æger viueret vſque ad morbi ſtatum, neceſſariò morbus creſceret, & accidentia ſimiliter, ita vt ad ſummum incrementum deuenirent; tamen quia vires ſæpè nequeunt ferre accidentia vſque ad eorum ſtatum, non mirum ſi in principio, aut incremento moriatur ipſe, vt optimè docet Cardanus *loco ſuperiùs citato.*

*Concluſio affirmatiua adducitur.*

His igitur prænotatis, ſtatuitur concluſio tenenda, quæ talis eſt: In morbis materialibus, inquibus morbi materia reſeruatur ad vnicam criticam euacuationem, ſimul coincidunt ſtatus coctionis, & putredinis, ſeu quod idem eſt, alterationis materiæ; & ſtatus morbi, & accidentium: & idem ſtatuendum de reliquis temporibus. Huius ſententiæ fuit Gal. *lib. de morbi temporibus*, & *de totius morbi temporibus c.* 1. Iacobus *in fen.* 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 3. quam accepit ex Auic. *ibi.* Gentilis *in extrauagant. quæſt.* 33. Cardanus *loco vt ſuprà.* Valleſ. 10. *controuerſ. cap.* 6. Mercatus 3. *de morbis, parte* 2. *claſſe* 4. *fol.* 1190. Matamoros 2. *de febribus, tract.* 2. *diſput.* 4. & eſt communiter recepta, facileque probatur ſupponendo priùs communem philoſophandi modum à nobis etiam deſcriptum 3. *de febribus*, *diſp.* 4. vbi aſſeruimus, in ſtatu morborum ſalubrium, de quibus loquimur, ſimul tam coctionem, quàm putredinem vigere, licèt natura ſupra cauſam morbificam victoriam ſit adepta. Quando adeſt ſumma putredo, & coctio cauſæ morbificæ, tunc datur ſtatus morbi quoad alterationem materiæ morbificæ: ergo debent dari & reliqui ſtatus, nempe morbi, & accidentium. Conſequentia patet; nam dum adeſt ſumma putredo, calor putredinem cauſans, imò & ipſe morbus in calore conſiſtens, eſt etiam in ſummo vigore; non enim compatitur, quod effectus caloris putredinalis ſit in ſummo ſuo vigore, & intenſione; & calor, qui eſt illius cauſa, ſit in gradu remiſſo: atque adeò dicendum, ſimul coincidere ſtatum coctionis, & putredinis, ſeu alterationis materiæ cum ſtatu morbi.

De accidentium temporibus ſimile procedit argumentum; accidentia enim habent ſuam entitatem dependenter à morbo: ergo dum morbus viget, vigere debent accidentia. Loquor nunc de accidentibus pathognomonicis, quæ morbi ſequuntur naturam, creſcuntque & decreſcunt, quatenus morbus minuitur, vel adaugetur.

*Qualiter interpretãdus Hipp. 2. aphoriſmor. text. 29.*

Iuxta hanc doctrinam venit intelligendus Hipp. 2. *aphor. text.* 30. dum ait: *Circa initia, & fines omnia remiſſiora; cum verò conſiſtunt, ac vigent, fortiora.* Et *text.* 29. *eiuſdem ſectionis*, idem ſuadere videtur; ſi quidem docet in ipſo morbi ſtatu quietem eſſe habendam, & non eſſe vtendum medicamentis; eſſet enim nimis difficile ægro medicamenta admouere, ſi omnes ſtatus prædicti non coinciderent; nam ſi ſtatus alterationis materiæ eſſet in vno tempore, ſtatus accidentium in alio, & ſtatus morbi in altero, nullum eſſet tempus offerendi remedium, aut deberemus vti remediis in vno, aut altero ſtatu; quod longiſſimè à ratione eſt, idque prohibet Hipp. illo contextu; non enim in ſtatu debemus diſtrahere naturam à mutua pugna cum cauſa morbifica, ob inconuenientia adducta à Galen. 1. *aphor. com.* 7. neque adhuc cibus in ſtatu eſt offerendus, ob eandem rationem. Reliqua quæ difficultatem habent, ex argumentorum ſolutione luce clariora manebunt.

Ad primum, quod magis difficile eſt, dic quod non implicat, vt vna, & eadem materia adæquata morbi inadæquatè, & ſecundùm diuerſas minimas partes ſimul putrefiat, & concoquatur, habeatque terminos oppoſitos inadæquatos circa diuerſa minima; qui termini in diuerſis minimis, ſeu partibus exiguis ſunt compoſſibiles, neque ſunt contrarij, ſicque nihil concludit argumentum. Hanc difficultatem tractatam, & ſufficienter pro mei ingenij viribus diſcuſſam inuenies 3. *lib. de febribus*, poſt quæſtionem quartam.

Ad ſecundum dio, quod dum pus eſt factum, iam inflammatio non eſt in ſummo vigore, ſed in declinatione, vt colligitur ex Gal. *in com. textus Hip. cit.* & ex accidentibus, quæ pure confecto remiſſiora fiunt, imò dolor, & febris ceſſant.

*Diſputatur an in morbi ſtatu ſit materia illius euicta.*

Obijcies tamen: In ſtatu morbi eſt perfecta coctio: ergo in ſtatu eſt euicta materia morbi, ac per conſequens ceſſat alteratio materiæ, imò & accidentia ex eius alteratione orta. Conſequentia patet; nam tunc eſt victoria naturæ ſupra cauſam morbificam, calorque naturalis concoquens viget, & ſuperat calorem præter naturam, qui datur in cauſa, & qui morbum febrilem conſtituit. Si ergo in ſtatu, quia materia eſt perfectè cocta, ceſſat materiæ alteratio, pari ratione dicendum, quod pure confecto per coctionem, eſt inflammatio in ipſo ſtatu.

Reſpon

Reſpondetur, quod in ſtatu morbi, materia illius, etiamſi dicatur cocta, patitur tamen magnam alterationem; atque adeò morbus, & accidentia eo tempore vigent; eſt enim calor præter naturam in ſummo vigore, & materia morbifica capax recipere alterationem ab eo calore, & coctionem, etiamſi dicatur perfectè cocta; nam in præſentia coctionis ſaltem ſecundùm alias partes eſt etiam putredo, quæ coctionem ceſſare facit ipsâ manente ſubſtantiâ, teſtante Galen. 2. *aphoriſmorum, commentario* 17. Partes igitur illæ putridæ alterantur à natura, vt ad coctionem dirigantur; partes etiam coctæ alterantur à calore febrili, vt putrefiant. Ex quibus inferre licet, quod licèt plurium partium detur in ſtatu perfecta coctio, ſunt tamen plures partes, quæ putreſciunt, & alterantur, ita vt ſummè vigeat calor putredinalis in ipſo morbi ſtatu; quapropter Galen. 1. *aphoriſmorum commentario* 8. iubet offerre tenuiſſimum victum in ſtatu morbi duplici de cauſa, aut propter ſymptomatum magnitudinem, & vehementiam; aut propter materiæ coctionem, ad quam perficiendam non oportet diſtrahere naturam, oblato cibo. Secundo etiam aphoriſmorum *com.* 29. rationem inſinuat, ob quam admonet Hipp. in morbi vigore quietem habere, nullumque adhibere remedium; & ait, quia coctiones tunc temporis maximè fiunt: non enim dicitur morbi ſtatus, quia ibi ſtet, ita vt quieſcat, ſed quia in illo ad ſummum ſuum peruenit vigorem; quo tempore alteratio circa materiam morbi procedit ad ſummum, quouſque tandem remitti incipiat declinationis tempore; idemque accidit dum pus conficitur proportionali modo.

*Quare victus tenuiſſimus conueniat in morbi ſtatu.*

*In ſtatu coctiones maximè fiunt.*

Ad tertium dic, aliud eſſe accidentia eſſe meliora, & intenſiora; fieri enim poteſt, quod morbus, & accidentia ſint intenſiora, & nacta ſint meliorem, & benigniorem conditionem, ita vt morbus tendat in ſalutem, etiamſi omnia vigeant; nam eadem accidentia cum ea intenſione poſſunt oſtendere victoriam naturæ ſupra morbum, & illius cauſam.

*Accidentia poſſunt eſſe intenſiora, & meliora.*

Ad quartum reſpondetur, in pleuritide dari duplicem morbum, & vterque ſua habet tempora, quæ non ſimul coincidunt. Vnus eſt morbus compoſitionis, qui pendet ex fluxione, qualis eſt inflammatio; alter pendet ex alteratione materiæ, quæ in ipſa parte inflammata colligitur. Quando ergo in pleuritide reſudat humor ex parte inflammata, & per ſputum educitur, incipit dolor minui, quia etiam minuitur, & declinare incipit morbus compoſitionis, qui conſiſtebat in partis pleuræ diſtenſione; non verò minuitur morbus ex alteratione pendens, nempe ipſa febris; imò tunc ſolet eſſe in principio alterationis, ſeu coctionis materiæ, quando alter declinare incipit. Vlteriùs hîc agimus de morbis, quorum materia ſeruatur ad vnicam criticam expulſionem; in pleuritide verò, & in pulmonia paulatim materia morbifica educi ſolet per ſputum,

*In pleuritide datur duplex morbus.*

Ad quintum reſpondeo, quod morbus non ſuperatur, & vincitur in ſtatu, eo quod facultas ſit robuſtior quàm in princio, aut augmento; ſed quia materia eſt magis diſpoſita, & ad expulſionem parata, tuncque vires imbecilliores poſſunt eam expellere, & euacuare. Ita Auerroës 4. *collect. cap.* 38. *ad finem.*

*Quare morbi materia vincitur.*

Ad ſextum dic, quod licèt natura ſit magis aſſuefacta in ſtatu ipſi morbo, quàm in principio, & augmento; non tamen eſt aſſuefacta illius intenſioni, quæ datur in ſtatu, à qua magis quàm antea offenditur & læditur: quapropter in ſtatu potius quàm in temporibus antecedentibus natura excitatur ad expulſionem cauſæ morbificæ.

A Ad vltimum denique reſpondetur negando ſequelam; nam ſi daretur caſus, in quo ille morbus poſſet ad ſtatum deuenire, quin in ſui principio, vel augmento periiſſet æger, haberet quidem ſæuiora accidentia, quàm in aliis temporibus; tamen bene poteſt habere talia accidentia antecedenter ad ſtatum, vt vires deficiant, & non poſſit ad illum accedere.

## §. V.

### *An in quolibet morbi tempore æger obire poſſit.*

HÆc quæſtio proponitur propter illos, qui aſſerunt, ægros mori poſſe in declinatione vniuerſali morbi; certum enim eſt, quod in reliquis temporibus æger mori poteſt, vt oſtendit Galen. 3. *de criſibus, cap.* 9. multi enim in principiis acceſſionum ob B materiæ multitudinem, ſeu craſſitiem ſuffocantur, & propter inflammationis magnitudinem in incremento exitialiter laborant, & pereunt; in ſtatu verò propter morbi, & accidentium vehementiam viribus reſolutis pereunt. Dubium ergo eſt, an in ipſa declinatione vniuerſali mors contingere poſſit; nam in declinatione particulari à nemine dubitatur.

Quidam in noſtris Scholis verſantes exiſtimant, ægrum perire poſſe in ipſa declinatione vniuerſali; quorum ſententia non eſt fundamentis deſtituta, eamque primò probant ex Auic. *fen.* 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 98. vbi aſſerit, quod in declinatione variolarum æger mori poteſt: idemque colligitur ex Auerroë 3. *collect. cap.* 9. *ad finem*; poſſunt enim vires reſolui in declinatione ratione accidentium, quæ præfuerunt in ſtatu.

*Pars affirmans proponitur.*

Secundò: His qui hydrope aſcite laborant, ex C paracentheſi facta in abdomine minuitur tumor aquoſus, & aqua in illo collecta euacuatur, declinatque morbus; & nihilominus in ipſa moriuntur declinatione ferè omnes qui aperiuntur. Igitur in quolibet morbi tempore vniuerſali poſſunt deficere.

Tertiò: In declinatione particulari moritur æger propter virium diſſolutionem, vt ſuprà diximus ex Galeni mente: ergo idem contingere poterit in declinatione vniuerſali. Probo conſequentiam; nam qualis eſt proportio vniuerſalis declinationis ad præcedentia tempora vniuerſalia, talis eſt proportio particularis declinationis ad tempora particularia, quæ præceſſerunt: ſed ſeruatâ hac proportione, in declinatione particulari viribus reſolutis; ratione temporis particularis quod præceſſit, moritur æger: ergo ſimiliter in declinatione vniuerſali, viribus reſolutis, ratione accidentium, quæ aliis D temporibus præceſſerunt vniuerſalibus, poterit æger mori. Quod verò eadem detur proportio, patet; nam in declinatione particulari moritur æger, quia habet vires reſolutas, ratione accidentium particularis acceſſionis, quæ præceſſerunt: ſed in ſtatu vniuerſali morbi vigent etiam accidentia, quæ vires reſoluere valent: ergo ratione eorum poterit æger mori in declinatione vniuerſali.

Quartò probatur ex Hippocrat. 3. *prognoſticorum*, vbi ait: *Eiſdem diebus ſuperſunt homines, quibus & moriuntur*: ſed in declinatione vniuerſali ſuperſunt: ergo in eadem declinatione moriuntur.

Quintò: Materiâ perfectè coctâ exiſtente aduenit mors, ex Galen. 2. *prognoſt. phraſi* 47. ſed in declinatione vniuerſali taliter ſe habet materia: ergo

*Materiâ coctâ poteſt perire æger.*

ergo in ea poteſt æger mori. Maior patet, nam materiâ coctâ exiſtente, & in declinatione vniuerſali, poteſt facultas expultrix eſſe debilis, & non expellere ipſam materiam iam coctam; non enim implicat, quod vna facultas, verbi gratiâ concoctrix, ſit valida; & alia, vt expultrix, ſit languida. Si ergo ea materia non expellatur, poterit ægrum ſuffocare, ſiue cocta, ſiue cruda ſit, vt accidere viſum eſt in pleuritide, in qua vidi ægrum ſuffocari, inflammatione in pus verſâ, & materiâ illius concoctâ.

*Sæpe ſuffocatur æger materia morbi concocta.*

Sextò: Morbus in augmento, & declinatione eſt æqualis; nam ſicuti per augmentum accedit ad ſtatum, ita per declinationem ab eodem ſtatu recedit: ſed in augmento deficere poteſt: ergo & in declinatione, præſertim cum virtus ſit magis languida ratione accidentium quæ præceſſerunt in ſtatu.

Septimò: Non implicat, quod ex actione naturæ in cauſam morbi minuatur morbus; neque implicat, quod propter pugnam cum morbo, & illius violentiam, vires deficiant: ergo in ipſa morbi declinatione, ſeu minutione poteſt mors contingere.

Octauò: In febre hectica maraſmo dicta, eſt remiſſior calor, quàm in eadem febre antecedenter; & tamen in ipſa æger perit: ergo perit in declinatione. Patet conſequentia, quia calor, & morbus, dum remittitur, declinare videtur.

Nonò & vltimò: Fieri poteſt, vt in tempore ſtatus natura expellat humorem peccantem ad aliquod membrum nobile; & morbus, qui ex illo humore pendebat, in declinationem veniat, in qua moriatur æger ob decubitum in partem nobilem aſſignatam. Et propterea Hipp. 2. *aphoriſm. text.* 19. dicebat, acutorum morborum non eſſe certas prænuntiationes ſalutis, aut mortis.

*Nullo errore commiſſo in declinatione vniuerſali, non poteſt æger mori.*

His tamen non obſtantibus ſit concluſio: Si non committatur error, impoſſibile eſt, quod vi morbi in illius declinatione vniuerſali moriatur æger. Hanc concluſionem ferè omnes tuentur, quam tradit Galen. 3. *de criſibus, cap.* 5. vbi expreſsè ſic aſſerit: *Nullum eſt mortis periculum tempore ſtatus elapſo, quantum iudicio aſſequi poſſum; neque enim poſſibile eſt, vt poſtquam cauſæ morboſæ iam coctæ ſunt, ac iam natura ſuperauit, æger moriatur, modò recta curatio à Medicis adhibeatur.* Idem repetit *cap.* 6. *&* 9. *ſequent.* Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 3. & *fen.* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 98. neque eſt opus Authores referre, cùm communiter ad omnibus Authoribus, quos ego legerim, ſit recepta.

Vt tamen hæc aſſertio notior euadat, nonnulla ſunt ſupponenda. Suppono ergo primò differentiam, quam proponit Galen. 3. *de criſibus, cap.* 9. inter declinationem falſam, ſeu apparentem, & veram; nam in declinatione vniuerſali vera pulſus ſit vehementior, æqualior, & ordinatior, licèt ob pugnam antecedentem aliquam debilitatem, & inordinationem contraxerit. In falſa verò facillimè debilitatur, & omnes facultates cùm reſtaurari deberent, facillimè exſoluuntur. Quanam autem ratione, & quibus de cauſis falſæ, & apparentes declinationes fiunt, diximus agentes de recidiua. Ne ergo idem bis repetamus, ad illum locum recurres.

*Declinationis falſæ & veræ differentia.*

Secundò ſuppono ex Galen. *locis proximè citatis*, quod vt morbus quiuis dicatur eſſe in declinatione vniuerſali, ſupponit victoriam naturæ ſupra illum; & propter hanc rationem Hipp. ait: *Coctiones celeritatem iudicij, & ſecuritatem oſtendunt*, quatenus coctiones indicant victoriam naturæ; aliter enim non poſſent ſecuritatem annuntiare. Neque quando ſimul æger, & morbus extinguuntur, dicimus morbum declinare, ſed potiùs quando

*Vt morbus dicatur declinare, ſupponit victoriam naturæ.*

D. de Maroja Obſeruat. & Annot. Medic.

A naturâ dominante, morbus remittitur, quia eſt euictus & ſuperatus. Quapropter Auic. *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 3. inquit, *Declinatio quidem eſt hora, in qua calor innatus dominatur materiei, & vicit eam.* Quod ſi fortè propè mortem accidentia quædam remittantur, & morbus declinare videatur, tunc non dicitur vera declinatio, ſed falſa, & apparens; nam non ſufficit, quod declinet, & auferatur morbus, vt accidit iis qui moriuntur, vt dicatur vera declinatio; ſed requiritur, quod ſit declinatio vera, cauſata opere naturæ vincentis morbum, & illius cauſam, ſiue ſit adiuta ab Medici auxiliis, vel non. Ideoque Auicen. *cap.* 4. *eiuſdem tract.* inquit, quod multoties ad mortem eſt diſpoſitio, quæ eſt ſicut declinatio; non tamen eam vocat declinationem, quia hæc fit actione victorioſa naturæ.

Vltimò ſuppono ex Galen. 8. *methodi, cap.* 1. quod errores circa ægrum poſſunt ſe habere vel ex B parte Medici, aut ægri intemperantia, vel aſſiſtentium, & aliorum lapſu. Quorum ratione non mirum, quod nouus excitetur morbus; & ſi præſens non eſt victus, protrahatur, & in deterius veniat. Verumtamen ſi iam eſt euictus, & in declinatione vniuerſali conſtitutus, & aliquis committitur error, ex vi illius non poteſt idem morbus adaugeri, ſi ipſe ſit pendens ex humoribus, qui coctione corriguntur; nam ſi fortè morbus in declinatione exiſtens creſcit, neceſſe eſt humores incrudari, ex quorum cruditate nouus conſtituitur morbus, & ponitur in principio vniuerſali morbi recenter producti, & à primo diſtincti. Neque obſtat, quod morbus ille intenſione fiat maior, ita vt ſolùm morbus præſens in declinatione poſitus per intenſionem deueniat ad vlteriorem gradum, cum quo benè compatitur, eſſe vnum, & eundem numero morbum, licèt cum maiori intenſione.

*Quibus modis accidunt errores circa ægrum.*

C Hoc, inquam, non obſtat; nam licèt phyſicè ſit vnus morbus, quia reuerà addito vlteriori gradu caloris (verbi gratiâ) morbus ille calidus intenſione perficitur, medicè tamen aliter conſideratur in ordine ad curationem; nam Medicus conſiderat materiæ diſpoſitionem, à qua morbus ille dependet, & ſimul illius conſtitutiouem, & tempora. Quia ergo ratione erroris humores incrudantur, & morbus ponitur in eius principio, quod deprehenditur cruditatis ſignis, ideò aſſerimus, non eſſe eundem numero morbum, neque eandem habere numericam conſtitutionem. Si verò morbus ſit immaterialis, vt calor febris hecticæ, & propter aliquem errorem intendatur ſupra illud, quod ei debetur in declinatione vniuerſali, iam deſinit eſſe in declinatione, & aliis temporibus regulari debet, qui phyſicè etiam poteſt eſſe idem cum morbo antecedenti; diſtinctus tamen ſolùm ſecundùm intenſionem, & remiſſionem, qui poD terit ratione illius intenſionis ſuperuenientis ægrum perdere; quo tempore iam non in declinatione, ſed in alio tempore illum perdit; nam in declinatione vniuerſali quemquam mori, neque vidit Galen. neque adinuenit ratio, vt ipſe ſtatuit 3. *de criſibus, cap.* 9. *cit.* in particulari tamen declinatione, ſine vllo errore æger perire poteſt, quoniam à ſæuiſſimis accidentibus ſtatus particularis acceſſionis afflictus, viribus deperditis, in declinatione particulari perit; tunc ſiquidem à medio ad extrema humores, & ſpiritus mouentur, facileque naturæ habitus ſpargitur, & diſſoluitur, ex eodem Galen. *loco proximè citato.*

*Non eſt idem morbum eſſe phyſicè talem, & medicè.*

*In declinatione vniuerſali quemquam mori non vidit Gal.*

His igitur prænotatis facile eſt concluſionem probare. Primò; nam tunc mors accidit, quando morbus

*Probatur quod nullus moriatur in declinatione vniuerſali.*

morbus naturam ſuperat, & non è contra: ſed in declinatione vniuerſali morbi morbus eſt ſuperatus, & victus à natura: ergo in declinatione tali non accidit mors.

Secundò, ante morbi declinationem morbus erat vehementior, & illius cauſa diſſimilis naturæ; in declinatione vniuerſali morbus eſt remiſſus, & illius cauſa facta naturæ ſimilis: ergo ſi morbus vehementior, & illius cauſa diſſimilis non potuerunt ante declinationem ægrum extinguere, minùs id efficere poſſunt in declinatione. Antecedens patet de morbo, qui in declinatione eſt euictus, & ſuperatus à natura; & de cauſa, quæ magis ſimilis reddita quam antea, minùs agere poteſt in naturam, quoniam actio non fit inter ſimilia, ex Ariſt. 1. *de ortu, & interitu*, *cap.* 7. & ex Gal. 2. *ſimplic. cap.* 24. *iuxta medium.*

Denique probatur ex Galen. 3. *prognoſt. phraſi* 37. *iuxta medium*, §. *deinde iis ita habentibus*, *&c.* Quando natura pugnat, ſi tunc temporis ſigna coctionis ponantur, etiamſi ſigna timoroſa conſpiciantur, non moritur æger: ergo multò minùs conſequuta victoriâ in morbi declinatione; ſi enim timoroſa criſim antecedentia, & ſymptomata critica non potuerunt ægrum interficere, vt ait Auic. *fen.* 2. *lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 3. quomodo iis iam elapſis, & euictis, & morbo iam declinante poterit æger mori? Reſpondeamus ergo ad fundamenta in oppoſitum, vt huic quæſtioni fiat ſatis.

*In declinatione variolarum ob errorem commiſſum æger mori poteſt.*

Ad primum reſpondeo, quod in declinatione variolarum æger mori poteſt ratione alicuius erroris, vt ſi non benè operiatur, vel exponatur aëri frigido, ita vt variolæ retrocedant, intrò recurrentes poſſunt alium morbum producere, & ægrum perdere. Vel ſecundò reſpondeo, quod etiamſi nullus committatur error, æger poterit perire in variolarum declinatione, non ab ipſis variolis, ſed ab alio morbo, qui in ipſa declinatione exordiatur; tuncque moritur æger in principio alterius morbi, & ex vi illius; non verò ratione declinationis. Ad Auerroëm reſpondetur, ipſum fari de declinatione falſa & mendoſa.

*Quare apertione facta in aſcite æger moritur.*

Ad ſecundum reſpondetur, quod quando factâ apertione vmbilicali extrahitur hydropicorum aqua, & minuitur tumor aquoſus peritonæi, non tamen minuitur intemperies frigida habitualis, in qua formaliter conſiſtit morbus, ſicque eâ euacuatione factâ, ſpiritus ſimul euacuantur, magiſque frigidum redditur hepar, morbuſque ad maiorem deuenit intenſionem, reſolutiſque viribus mors ſuccedit.

*Quare in particulari declinatione, & non in vniuerſali mors ſuperuenit.*

Ad tertium dicendum, quod non eſt eadem proportio declinationis vtriuſque. Ratio diſparitatis ſtat in hoc; nam in declinatione particulari contingit mors, quia licèt portio materiæ coniunctæ, & acceſſionem facientis ſit ſuperata, & euicta à natura, non tamen eſt euicta materia vniuerſalis faciens totum ipſum morbum, cui non dominatur virtus; & propterea vi illius, & accidentium ab ea procedentium æger perire ſolet: at in declinatione vniuerſali tota morbi materia eſt euicta, & ſuperata, & nulla eſt portio materiæ, cui virtus non dominetur, ac per conſequens non poteſt æger mori.

Ad quartum dic, quod quando Hipp. dixit, quod eiſdem diebus ſuperſunt homines, quibus & moriuntur, loquitur de morbis, qui criſi terminantur, non verò de iis, qui aliter ſoluuntur. Quia igitur criſis fit in ſtatu, non verò in declinatione, non poteſt æger ratione criſis in declinatione perire.

*Quare cocta morbi materia æger mori poteſt.*

Ad quintum reſpondeo, quod coctâ exiſtente A materiâ, æger mori poteſt, non tamen ratione illius morbi, ſed alterius; quare ſi in pleuritide materia iam cocta non expellatur, poterit producere morbum in via, ſeu in obſtructione, & ægrum ſuffocare, qui diſtinctus eſt à præexiſtenti. Comprobat hoc Galen. 1. *epidem. ſect.* 2. *phraſi* 84. vbi refert Cherionactem, & pictoris ancillam periiſſe in declinatione vniuerſali parotidum; ratione tamen alterius morbi febrilis pendentis ex materia cruda, quæ remanſit in venis.

Ad ſextum dicit, quod morbus debet conſiderari in quocumque ſtatu, factâ collatione ad vires; & quia vires in declinatione vniuerſali habent victoriam ſupra omnem morbi materiam, quæ non eſt euicta tempore augmenti, hinc eſt, quod poſſit deficere in augmento, & non in declinatione, etiamſi morbus ſit æqualis in intenſione in vtroque tempore.

B Ad ſeptimum reſpondetur, quod licèt vires minuantur propter pugnam, eo quod omne agens in agendo repatitur; cùm tamen victoriam vires adipiſcantur, & morbum vincant, non poſſunt deficere.

*In hectica tertia ſpecie dantur plures morbi.*

Ad octauum reſpondetur in tertia ſpecie febris hecticæ dari plures morbos, quibus deficit æger; nam datur febris, & maxima atrophia, ſeu partium conſumptio, maiorque ſubuerſio temperamenti ſubſtantifici, quàm in reliquis hecticæ ſpeciebus; neque tunc poteſt dici morbus in declinatione, nam licèt remiſſus ſit calor febrilis, quia plures partes calidæ viuentis euanuerunt, ea tamen remiſſio non eſt remiſſio, quam contemplatur Medicus; nam hæc debet fieri cum victoria naturæ; eſt tamen remiſſio, ſeu declinatio phyſicè loquendo.

Ad vltimum dicito, quod ſi humor tranſC mittitur ad partem nobilem, tempore quo morbus declinat, ſi moriatur æger, non moritur ratione primi morbi, ſed ratione illius, qui in ipſa parte nobili producitur ab humore in illam decumbente.

## §. VI.

### *De proportione, quam ſeruant inter ſe tempora morborum, quoad durationem.*

HÆc quæſtio ducit nos in cognitionem futuri ſtatus morbi, in ordine ad quem victum, & remedia inſtituere debemus, quem debet contemplari Medicus arte Hippocratica dignus, vt iam ſuprà diximus ex Galeni mente 1. *de criſibus, cap.* 3. vt omnia debitè adhibeantur: & licèt ſcientifico modo morbi ſtatus non ſemper cogD noſcitur, coniecturâ tamen artificio plenâ cognoſcitur ex proportione quadam, quam morbi ſeruant inter ſe. Pro huius tamen nodi ſolutione animaduerto primò, quod noſter ſermo non procedit de omni morbo, neque de quocumque morbi tempore, ſed ſolùm de morbi temporibus quoad alterationem materiæ, quoad coctionem & putredinem illius, & de eorum notitia, ſeu cognitione deſumpta ex ipſa materiei concoctione, & cruditate. Hæc autem cognitio præcipuè datur in febribus putridis, in pleuritide, & aliis inflammationibus, quæ in ſuppurationem tendunt, in quibus omnibus Galen. 3. *de criſibus*, *cap.* 3. maximum eſſe dicit concoctiones conſiderare, quæ inſtantis criſis ſunt indicium.

*Proportio, quam inquirimus, eſt de temporibus morborum ab humoribus pendentibus.*

Secundò aduerto, quod ſicuti quilibet morbus habet propriam conſtitutionem, ita & durationem; nam quidam ſunt breues, alij longi, alij inter vtroſque

vtroſque mediam participant durationem. Quapropter vnuſquiſque eorum in ſuis temporibus ſuam ſeruat proportionem.

*Morbi quidam legitimè mouentur, alij illegitimè. Quæſtio procedit de iis, qui legitimè mouentur.*

Tandem noto, quod morbi quidam legitimè mouentur, alij illegitimè: moueri legitimè dicuntur, qui citra irritamentum aliquod, aut cauſam, quæ anticipet, aut retardet, ſuum fatalem curſum perficiunt; qui omnes in ſuis temporibus debitam ſeruant proportionem. Illegitimè moueri dicuntur morbi, qui ob aliquod irritamentum, vel errorem, tempora habent breuiora, aut longiora, ita vt anticipentur, vel poſtponantur pluſquam in legitima conſtitutione. Exemplis rem declaro. Si quis incidat in febrem ardentem diebus calidioribus, ita vt iuxta morbi acutiem, magnitudinem, & velocitatem terminari deberet die ſeptimo, aëris ſuperueniens frigida temperies poterit retardare criſim, ſeu iudicium, ita vt febris ſe extendat ad nonum, vel vndecimum, & non ſeruet proportionem ei in temporibus debitam, neque legitimam conſtitutionem. Similiter ſi error in dicta febre committatur in victu, potu, vel aliis rebus non naturalibus, non mirum, quod anticipentur, vel poſtponantur omnia, & non ſeruet febris in duratione, & ſuis temporibus proportionem. Eſt ergo quæſtio de proportione, quam tempora ſeruant in morbi conſtitutione legitima; nam de illegitima nullus debitat, quod tempora nequeunt eam habere proportionem.

*Tempus principij continet tantum, quantum ſtatus, & augmenti tempus.*

Huius quæſtionis veritatem magis obſeruatione, quàm ratione comprobat Hipp. qui oſtendere videtur, quod tempus vniuerſale principij debet eſſe æquale tempori augmenti, & ſtatus, ita vt tantùm duret principium vniuerſale ſolum, quantùm augmentum, & ſtatus morbi collectiuè ſumpta; ita enim 4. *aphor. text.* 71. per hæc verba: *Quibus ſeptima indicatur, iis nubecula rubra quarto die in vrina apparet.* Conſtat enim, quod quartus dies eſt communis primo, & ſeptimo, & medius inter vtrumque, & ab vtroque æqualiter diſtat, & quod nubecula rubra in fine principij, & in principio augmenti, & quarto die apparens, eſt ſignum coctionis manifeſtæ, quæ datur in principio augmenti, & in fine principij vniuerſalis morbi; antea verò ſolùm erant ſigna cruditatis, vel obſcuræ coctionis, per quam principium morbi vniuerſale denotatur. Hæc doctrina verum etiam tenet in morbis lethalibus; nam ſi nubecula nigra in vrina apparet quarta die, ſeptima æger diſcedit à vita, ex Galen. 3. *de criſibus*, *cap.* 10. raro tamen æger criſis ſtatum exſpectat, ſed maxima ex parte in augmento rapitur, aut in principio, tuncque illegitimè mouetur, vt dictum eſt, quia non ſeruatur proportio ſeruanda.

*Nubecula quarta die apparens indicat morbum ſeptima terminandum.*

*Obiectio contra dicta.*

Sed meritò quiuis inquirere poteſt, vnde naſcitur, quod tempus principij ſit æquale tempori augmenti, & ſtatus; imò eius oppoſitum oſtendit Hipp. 2. *aphor. text.* 34. vbi aſſerit. *Septenorum quartus eſt index*, &c. Ibi enim oſtendit, quod indices dies per quaternarios morborum inſignes oſtendunt mutationes, vt ſi ſeptima die ſit iudicandus morbus, quarta die indicetur criſis; ſi verò vndecima die criſis fieri debeat, octaua die indicatur; ſi decimaquarta die, vndecimus dies indicat, & ſic de reliquis. Ecce quomodo tempus principij eſt longius in plurimis morbis, quàm tempus augmenti, & ſtatus; nam ſi in vndecima die, verbi gratiâ, ſigna coctionis manifeſtæ eluceant, tunc finitur morbi principium, & incipit augmentum vſque ad decimumquartum, in quo datur morbi ſtatus: ex quo facilè colliges plus temporis conſumi ab inuaſione morbi ad 11. quàm ab 11. ad decimumquartum; ac per conſequens non ſeruatur æqualitas horum temporum ab Hipp. & Galen. allata.



*Obiectionis ſolutio.*

Hoc dubium ſic ſoluendum iudico. Ad veritatem equidem ſententiæ aphoriſticæ Hipp. ſufficit, quod in die octauo, qui ſecundæ ſeptimanæ eſt principium, aliqua ſenſibilis mutatio appareat, taliter quod ſi octauo die appareat in vrina aliquod ſignum, vt nubecula rubra, vndecima die apparebit nubecula alba, vel appendiculum; nam ſigna manifeſtæ coctionis latitudinem habent: & quia in morbi augmento ſemper elaboratur materia morbi, ſigna manifeſtæ coctionis perfectiora erunt in medio temporis augmenti, quàm in eius initio. Quapropter ſi octauo die eluceret ſignum aliquod oſtendens principium augmenti, credendum eſt, quod vndecima die illud ſignum erit magis notum, & erit in materia morbi magis inſignis mutatio, & apparebit magis cocta; & hoc voluit dicere Hipp. quando dixit: *Eſt autem octauus alterius ſeptimanæ principium, & eſt quartus ab vndecimo.* Nam octauus indicat mutationem faciendam in vndecimo; non tamen oſtendit criſim eſſe illo die venturam: coctio enim, vt alibi diximus, non indicat criſim, ſed ſolùm morbi breuitatem, & ſecuritatem; criſis verò aliis ſignis deprehenditur: quare ex verbis Hippoc. ſolùm colligitur, quod ſi octauo die ſigna coctionis manifeſtæ appareant, vndecimo magis elucebunt, & erit in illo die inſignis aliqua mutatio; & propterea octauus dicitur quartus vndecimi, & vndecimus quartus decimiquarti; non tamen ex iis mutationibus licet inferre, quod tempus principij non ſit æquale tempori ſtatus, & augmenti, eo modo quo dictum eſt.

*Coctio non indicat criſim, ſed morbi celeritatem, & ſecuritatem.*

*Quare tempus principij eſt æquale tempori ſtatus, & augmenti.*

Sed nondum quæſito reſponſum eſt; nam nondum aſſignata eſt ratio, propter quam tempus principij debeat eſſe æquale tempori ſtatus, & augmenti, ita vt in principio tantùm temporis abſumatur, quantùm conſumitur in toto augmento, & ſtatu. Huius dubij ſolutionem apud Authores non inueni, prout tamen mei ingenij vires permittunt, eam dilucidabo, huiuſque cauſam tradere conabor, quæ vt exiſtimo, eſt duplex; vna ex radice inferna petita, altera ex radice ſuperna. Quæ ex radice inferna ortum habet, eſt ipſa natura ægri, quæ mediis ſuis facultatibus humorem retinet, concoquit, & tempore criſis ſeparat, & expellit, eo quod à qualitatibus humoris ipſa irritatur natura, & concitatur ad expulſionem.

Quia ergo materia morbifica in principio eſt cruda, & rebellis conditionis, magis adhuc quàm in aliis morbi temporibus, ita vt non obediat naturæ, vt ex ſignis cruditatis innoteſcit, vt compareat aliquas ipſius naturæ conditiones, & quodammodo ab ipſa vincatur natura, petit longius tempus, quàm ſi eſſet magis diſpoſita, & aſſimilata naturæ: hoc ergo tempus conſumitur in toto morbi principio, quo tranſacto incipiunt in ipſa materia morbi eluceſcere ſigna manifeſtæ coctionis, vt in vrinis nubecula rubra, vel alba, ſeu appendiculum, quæ denotant incrementi principium, in quo cùm materia morbifica ſit alterata à natura à morbi principio, minùs naturæ reſiſtit, & citiùs, & faciliùs euincitur, quàm in tempore principij, atque adeò breuiori tempore, ita vt augmenti, & ſtatus tempus parum, aut nihil diſtet in æqualitate à toto tempore principij. Ex quo liquet, quod tanto tempore durant ſigna cruditatis, & obſcuræ coctionis, quæ datur in morbi principio, quantò durant ſigna manifeſtæ coctionis, quæ in augmẽto, & perfectæ coctionis, quæ reperitur in ſtatu.

*Signa obſcuræ coctionis tantum temporis conſumunt, quantum ſigna manifeſta, & perfecta coctionis.*

Iterum rogabis: Morbi incrementum durat toto tempore

*Quomodo poſſumus cognoſcere ſtatus durationem.*

tempore, quo ſigna manifeſtæ coctionis elucent; at verò quando ſigna perfectæ coctionis manifeſtantur, tunc incipit ſtatus: quomodo ergo poſſumus cognoſcere ipſius ſtatus durationem, & tempus, & eum diſtinguere à declinatione morbi, in qua etiam materia morbi eſt perfectè cocta?

*Morbi acuti ſtatus rarò occupat tres acceſſiones.*

Reſpondeo ex Galeno *de criſibus*, *cap.* 10. quod ſi morbus ſit vehementiſſimus, maximaſque habuerit acceſſiones, ita vt per criſim terminetur, principium criſis erit terminus vltimus ſtatus ipſius morbi; ſi verò morbus ſit ex iis, qui paulatim ſoluuntur, ad eas, quæ fiunt in periodis, acceſſiones eſt attendendum; contingit enim duas acceſſiones, vbi maximè factæ fuerint inuicem æquales, ſtatus tempus circumſcribere, & in acutiſſimis morbis vnica tantùm ſufficit acceſſio, quandoque duplex; ad tres verò acceſſiones ſtatum ſe extendere in morbis acutis rarò contingit, in longis verò non ad totidem, ſed longè plures, vt ibi Galenus notat.

*Tempus declinationis non definitur, & quare.*

Neque eſt difficile diſtinguere ſtatum à declinatione; nam licèt in vtroque tempore mobi materia appareat perfectè cocta, acceſſiones tamen in declinatione remiſſiores, & breuiores fiunt, morbuſque remittitur, ſicque declinatio manifeſtatur, cuius tempus non definitur, eo quod in ea non expectatur criſis, neque in ordine ad declinationem victum inſtituimus.

*Cauſa ſuperior temporum morbi ſtabilitur.*

Alia cauſa (vt dixi) originem capit à radice ſuperna, nempe à planetarum influxu, & eorum aſpectuum diuerſitate; quam cauſam admittunt plures ex iis, qui vim dierum decretoriorum tribuunt planetis; neque mirum, cùm ex Ariſt. conſtet 1. *meteor. cap.* 2. continuitatem huius mundi inferioris eſſe neceſſariam inter corpora illius, vt virtus cœleſtis illis impartiatur, neque aliter regi, aut gubernari poſſunt; de quo puncto plura adduximus agentes de vi dierum decretoriorum. Latè Galen. 3. *de diebus decretoriis*, de vi planetarum circa hæc inferiora pertractat, quibus attribuit vim horum dierum, præſertim Lunæ, quæ ob ſui vicinitatem magis immutat hæc inferiora, quàm alij planetæ, licèt dignitate, & virtute eos non excellat; ex cuius variatione ſecundùm varios aſpectus, quos habet ad ſolem, variè etiam noſtra corpora alterat, quæ per quaterniones, & ſeptimanas inſignes mutationes efficit, ſicuti Sol per menſes. Quapropter ei potiùs quàm alteri planetæ vis dierum decretoriorum adiudicatur. Hæc noſtra aſſertio eſt communis omnibus Aſtrologis, nemine dempto. Ptolomæus 1. *quadripartiti*, in ordine ad hunc finem Lunæ peragrationem conſiderare iubet: lege circa hoc Alchabitium, Ioannem de Saxonia, Ioannem Hiſpalenſem, Franciſcum Iuntinum, Ciruelum, & alios, quos omnes in hoc concordare video.

*Cauſa adæquata criſis, & motionis humorum eſt cauſa ſuperior iuncta inferiori.*

Ex lunæ igitur aſpectibus inſurgunt in humoribus determinatæ motiones, quæ fiunt quarto, ſeptimo, vndecimo, & decimoquarto, &c. nam illis diebus vegetior influxus elucet, cuius perpetuus ordo non niſi ex cauſa ſtabili, & firma oriri poteſt: neque poteſt dici, quod ſeptimus, 14. & 20. habent maiorem vim, & efficaciam iudicandi morbos, & ſalubriùs terminandi eos, ex motu, & actione cauſæ inferioris, & ex proportione, quæ datur inter agens, & paſſum, vt quidam voluere, vt Auerroës 3. *collect.* Conradus 3. *de ſuperſtitione, c.*8. & 9. Manard. Ferrarienſis *lib.* 15. *epiſt.* 5. D. Franciſc. de Torreblanca *in epitome delictorum*, *cap.* 27. *num.* 33. qui omnes cenſent, quod cauſa adæquata alterationis, motionis, ſeparationis, & criſis in morbis materialibus eſt ipſa natura ægri, irritata tamen à cauſa humorali obiectiua, ita vt actio reſultet iuxta proportionem actiuitatis agentis in ordine ad reſiſtentiam paſſi, vt ſuprà inſinuauimus. Hunc tamen dicendi modum reiecimus, dum erat ſermo de vi dierum decretoriorum in noſtro tractatu manuſcripto, quem foſan typis mandabimus, niſi temporis anguſtia impediat, & circa ægros aſſidua occupatio me nimis moleſtet; non enim ab huiuſmodi cauſa ab hinc mille annis adſeruatus ordo pendere tantùm poteſt, cùm ipſa neque ſtabilitatem, neque permanentiam habeat, imò ſemper eſt mobilis, & facilè alterabilis, ita vt dogma ſempiternæ paſſionis habeat euidentem demonſtrationem. Debemus ergo ad aliam cauſam ſuperiorem recurrere, ſtabilem, & firmam, ex qua, & ex cauſa inferiori fiat vna cauſa totalis mutationum, quæ in morbis diebus determinatis adueniunt. Ex quibus reſultat, quod morbi ſint ſalubres, breues, aut longi, aut aliis conditionibus præditi; ſicque Hippocrat. conſiderare iubet *libro de aëre, locis, & aquis*, aſtrorum exortum, præſertim Arcturi, & occaſum Pleiadum; in his etenim diebus ægri plurimi pereunt. Periculoſiſſima eſſe ſolent ambo ſolſtitia; periculoſum & æquinoctium vtrumque. Idem docet 2. *de dieta*, vt in principio huius operis diximus. Pro nunc tamen tibi dicta ſufficiunt dē temporibus morborum, ad alia enim iam properat animus.

---

## OBSERVATIO III.

### *Pro nobili viro botio laborante, qui poſt aliorum remediorum vſum, ſuppurantibus fuit ad ſanitatem reſtitutus.*

*Caſus refertur.*

Qvidam præclarus vir ætatem conſiſtentem agens, habitu medioc̃ri, inter gracilem, & obeſum, frigido ventriculo, & hepate calido ad ſiccitatem vergente conſtans, fluxionibus obnoxius catarrhalibus, cùm præ temporis conſtitutione frigida, & ſicca in deſtillationem catarrhalem incidiſſet, à qua venæ ſectione, purgatione, & optimo vitæ regimine quodammodò liberatus fuiſſet, ita vt non perciperet noxam ſenſibilem in capite, & pectore, & aliis partibus, in quas defluere ſolebat humor, tranſactis aliquibus diebus, in iuguli parte anteriori ſentire cœpit tumorem durum cum leuiſſimo dolore, de quo nihil curans, circa illius initium oualem magnitudinem adquiſiuit, coëgitque Medicum accerſiri ad eius curationem; & factis iterum vniuerſalibus euacuationibus, & appoſitis emplaſtris reſoluentibus, in totum ferè euanuit, donec poſt aliquos dies iterum noua fluxione concitatâ, incrementum accepit maius, quàm antea, neque facilè cedebat remediis, quæ pro illius curatione admoueri ſolebant. Inito ergo conſilio circa ea quæ facienda erant, ſtatim fontanellas aperire iuſſimus in brachio ſiniſtro, & crure dextro, & quod æger per epicraſim euacuaretur. Simulque controuerſum fuit, an reſoluentia poſſent eſſe ex vſu, vel ſuppurantia: & cùm tumor eſſet nimis induratus, iudicauimus reſolutionem impoſſibilem, & quod forſan reſolutione partium tenuium humoris maiorem duritiem partes caſſiores remanentes nanciſcerentur; atque adeò ex omnium conſenſu adhibita fuere remedia ſuppurantia; quibus quodammodò mollem reddere tumorem ſperabamus, etiamſi ad veram ſuppurationem, ob eius reſiſtentiam deuenire non poſſet; cum tamen iuxta vnam partem mollior fieret, in illa adhibitum fuit cauſticum ad partis apertionem, deinde digerentibus appoſitis, paulatim ille humor fuit

fuit ſuppuratus, licèt ſuppuratione non perfectâ, paulatimque euacuatus fuit per locum, in quo ruptorium fuit admotum, donec ex toto euacuatus, adhibitis medicamentis mundificantibus, incarnantibus, & cicatrizantibus, omnimodè fuit reſtitutus. Sed quia caput diſtemperatum nimis erat, & maximam excrementorum congerebat copiam,eamque ad partes tranſmittebat vicinas, vt ſingulare auxilium ei fuit adhibitus ſero in occipite, vt adaperto foramine, per illud euacuaretur, quod in dies generabatur, quo remedio ad meliorem ſtatum fuit reductus, vt in annotatione patefiet.

## Annotatio.

QVi plura de tumoribus præter naturam ſcire deſiderat, legat Gal. *lib. de tumoribus*, & 14. *method.* & 2. *de arte curat. ad Glauconem*; Paulum, Aëtium, Albucaſ. & alios, qui de re chirurgica tractant; nos autem quid ſit iſte tumor, & eius cauſa, & in quo ab aliis tumoribus differat, diſſeremus, vt iis cognitis ad eius curationem feliciter deueniamus. Vt autem quid botium ſit, intelligatur, ſcire oportet, quod iſte tumor afficit collum, dumque fit in illo, appellatur ab Authoribus botium, hernia gutturis, vel bronchocele. Sed quia plures ſunt tumorum differentiæ iuxta diuerſitatem humorum, à quibus ipſi initium trahunt, vt certum tenendum eſt, quod hic tumor ab Authoribus inter excreſcentias, quæ à pituita dependent, connumeratur: lege circa hanc difficultatem Ioannem de Vigo, Guidonem, Danzam, Ambroſium Paræum, &c. qui omnes ad materiam phlegmaticam, tanquam ad cauſam frequentiorem, illum reducunt; neque hoc difficile creditu eſt, cùm reperiatur ſine febre, cum paruo, aut nullo dolore, & ſine coloris cutis mutatione. Loquor nunc de hoc tumore, dum ſimplex eſt, & ſine permixtione alterius humoris; nam ſi aliis humoribus ſit permixta pituita, non erit tumor ſimplex, ſed compoſitus.

*Botium inter excreſcentias à pituita ortas connumeratur.*

Sed quia tumorum, qui à pituita dependent, plures ſunt differentiæ, oportet eos inter ſe diſtinguere, vt ſic quid propriè botium ſit, dicatur. Tumores igitur pituitoſi quidam fiunt à pituita naturali, dum in aliqua parte coaceruatur; alij à pituita diuerſimodè alterata, & præter naturam ſubſtantiæ modum maximè à pitutæ modo alienum comparante, ex qua varij tumores diuerſis nominibus inſigniti conſtituuntur. Qui à pituita naturali ortum ducit, œdema nominatur, qui tumor eſt *indolens*, & *digitis cedens*, *partis colorem naturalem conſeruans.* Verum tamen eſt, quod œdema apud antiquiſſimos Authores quemlibet tumorem ſignificat, vt docet Gal. 1. *prognoſt. comment.* 29. quo in loco Hippoc. œdema durum, & dolens in aliis peſſimum ſignum eſſe teſtatur. Vbi nomine œdematis inflammationem intelligit; in ſtricta tamen ſignificatione œdema tumorem à pituita naturali prodeuntem ſignificat, & hoc modo accipitur ab Hipp. 1. *prognoſt. text.* 34. dicente: *Si verò molle œdema eſt, nec dolet, nec preſſum digitis cedit, diuturniorem efficit indicationem.* Vbi rigoroſè œdematis ſigna proponit, quibus ab aliis tumoribus præter naturam diſtinguitur. Hic tumor accidit ex fluxu pituitæ in aliquam partem, ſæpeque in crura, & pedes dilabitur, vt accidit in cachexia, ſeu malo corporis habitu, vel in toto corpore, vt in hydrope anaſarca dicta. Reliqui tumores, qui pendent ex pituita, non pendent ex pituita naturali, ſed plures eorum ſunt toto genere præter naturam; quia licèt ſub pituitoſis tumoribus comprehendantur, generantur tamen immediatè ex ſubſtantia maximè aliena, vt ſteatoma,

*Tumorum pendentium à pituita plures differentiæ conſignantur.*

*Oedema quid ſit.*

A atheroma & melyceris. Alij licèt ex pituita fiant, alias tamen qualitates, & ſubſtantiæ modum à pituitæ qualitatibus, & ſubſtantiæ illius modo diſtinctum comparant; quapropter pituita ita ſolet indurari, vt ſcirrhum gignat, & tophos, vt docet Galen. *lib.* 5. *ſimplic. cap.* 9. Qui ergo à pituita, tanquam à radice oriuntur, & non ſemper ſunt toto genere præter naturam, licèt aliquando fiant, numerantur à Guidone, & ab aliis ſub his nominibus, ſcrofulæ, dictæ etiam gangliæ, ſeu ſcherades, vel ſtrumæ, botium, quod etiam bronchocele, vel gutturis hernia nominatur; nodus, lupia, teſtudo, glandula, hernia, bubo, nacta; qui omnes tumores inter ſe differunt, vel in figura, vel ſubſtantiæ modo, vel ratione magnitudinis, vel paruitatis, vel ſitus partis affectæ, etiamſi ab vna, & eadem cauſa procedant, videlicet à pituita viſcida, & craſſa; eos tamen omnes ſummatim amplectar, ne verborum fuſione generetur confuſio.

B Scrofulæ, ſeu ſtrumæ in numero plurali dicuntur, quoniam rarò accidit, quod vna ſola generetur; ſcrofulaque dicitur, quia plurificatur ad modum ſcrofæ porcinæ. Has ſcrofulas noſtrates *Lamparones* vocant, quæ plerumque in collo naſcuntur, quæ quidem, vt inquit Guido, tria petunt, vt ſtrumæ, ſeu ſcrophulæ dicantur; quod ſint plures, vel multiplicentur; quod ſint duræ,& quod ſint fixæ.

*Scrofulæ quæ dicantur.*

Neque ad earum curationem parum intereſt cognoſcere earum differentias, quas depingit Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 3. *capit.* 5. vbi ait: *Differunt ſtrumæ inter ſe magnitudine, naturâ, loco, ortu, multitudine, & vaſorum complicatione.* Magnitudine, quia aliæ paruæ, aliæ magnæ, aliæ ingentes, & ad tantam magnitudinem peruenire ſolent, vt dicat Fragoſus *in gloſſa ſuper ſcrofulas*, quod abſciſſa fuit ſcrofula pondere 60. librarum. Naturâ, quia aliquæ ſunt manſuetæ, aliæ malignæ, vt ex bonitate, & ſæuitie C accidentium deduci poterit. Loco, quoniam quædam in colli parte anteriori, quædam denique circa magna, ac nobilia vaſa, & circa alia membra penitus inſident. Ortu, quia quædam eleuatæ, & parùm radicatæ conſpiciuntur, facileque huc & illuc mouentur; aliæ inſertæ, & nimis radicatæ, & fixæ, & ad contactum renitentes. Multitudine, quia vna, & plures generantur, & multiplicantur. Vaſorum complicatione; nam quædam venas, & arterias implicatas habent, aliæ verò non. Quæ omnia noſſe oportet, vt earum curationem attingamus. Hæc omnia tradere volui in ſcrofularum differentiis, vt in aliis tumoribus, ſi aliquid horum inueniatur, ex eo poſſimus deprehendere facilem, vel difficilem curationem.

*Scrofularum differentia.*

Glandula eſt tumor ad formam glandis, ſatis mollis, vnicus, morbilis & ſeparatus, qui vtplurimùm in emunctoriis reperitur. Lupia fit in iuncturis, & locis ſiccis, ſicut lupulus mollis, & rotunD da. Nodus ita dicitur, quia ſimilis efficitur nodo chordæ, rotundus, & durus, fixus, locis neruoſis adhærens. Nacta eſt excreſcentia magna, carnoſa, veluti caro natium, ſeu ancharum, diuerſarum formarum, & quantitatum, velut melo, & cucurbita, ſortiens diuerſa nomina, ſecundùm formam, & diuerſa membra. Petrus de Argelata aſſerit, iſtum tumorem fieri ſolere in ſpatulis, magnum, carnoſum, & mollem, ſine dolore, vel pulſatione, quem ego vidi ingentis magnitudinis in ſpatulis vnius Monachæ Ordinis Sanctæ Claræ huius ciuitatis. Teſtudo eſt exitura magna humoralis, mollis, cum lata forma ad modum teſtudinis; in capite dicitur talparia, in collo botium, bronchocele, & hernia gutturis; in teſticulis hernia, quæ aliquoties

*Glandula quid ſit. Lupia, & nodus quid ſint.*

*Nacta quid ſit.*

*Teſtudo quid ſit.*

cum ſanie, ſquammis, aut fiſtulis reperitur, de quo tumore noſtri muneris eſt agere in præſenti, ſi priùs dixerimus, quot ſunt tumores, qui dicuntur toto genere præter naturam.

*Tumores toto genere præter naturam.*

Tumores toto genere præter naturam ſunt omnes illi, quorum materia ſemper eſt omnimodè aliena à natura, vt illi qui ſunt flatulenti, & qui intra ſe continent plura maximè à natura diſcrepantia, quales ſunt abſceſſus, de quibus agit Galen. 14. *method. cap.* 12. qui in ſe habent corpora plura ſolida, ſimilia vnguibus, pilis, oſſibus, teſtis, lapidibus, & aliis huius cenſus. Sunt etiam huius ſortis tumores dicti atheroma, ſteatoma, & melliceris, qui tales etiam dicuntur ſumptâ ſimilitudine ſubſtantiarum in ipſis contentarum. Atheroma ſic vocatur, quia continet ſubſtantiam pulticulæ ſimilem, quam græcè atheram vocant. Steatoma, quia continet ſubſtantiam ſebo non abſimilem, ſicuti melliceris ita dicitur, quia in ſe habet ſubſtantiam melli non diſſimilem. Ad huiuſmodi genus pertinent calculoſi tumores, & vteri molæ, & quicunque alij, ſi fortè poſſunt reperiri.

*Atheroma quid ſit.* *Steatoma quid ſit.* *Melliceris quid ſit.*

*Tumorum toto genere præter naturam differentia.*

Ex iis tumoribus quidam continent ſubſtantiam in cyſti, ſeu membranula; quidam ſunt ſine illa, & eorum ſubſtantia eſt in ipſa carne infiltrata. Similiter quidam ſunt reſolubiles, quidam verò non; quidam pedem habent gracilem, quidam verò è contra; quidam parui, quidam magni, ſeu mediocres; quidam molles, quidam duri; quidam ſanabiles, quidam verò non; quidam recentes, quidam antiqui, quæ & alia noſſe conuenit, vt eis curationem adhibeamus conuenientem.

*Quare botium aliquando durum.*

Sed quia dictum eſt, quod bronchocele eſt tumor collum afficiens inter cutem, & aſperam arteriam, latus, & mollis; tumor verò, quo noſter æger afficiebatur, eſt durus, videtur quod non poſſit dici bronchocele. Reſpondetur facilè, quod ratio mollitiei conuenit exquiſito bronchoceli, qui cùm fiat ex ſubſtantia molli, ipſe mollis tactu percipitur; quando verò ex pituita craſſa, plurimâ illius humiditate abſumptâ, tumor mollis non exiſtit, imò duritiem contrahit, & in ſcirrhi naturam degenerat, vt ſuprà diximus ex Galeni mente 5. *ſimplic. cap.* 9. Probauimus enim ſufficienter 4. *lib. de febribus*, agentes de quartana febre, quod pituita per vſtionem, vel putredinem in melancholiam migrat, licèt non exquiſitam, ita vt ex ipſa febris quartana, & alij morbi melancholici procreentur. Quapropter licèt botium legitimum ſit naturâ molle, ob ſubſtantiæ mollitiem, ex qua componitur; illegitimum tamen cùm fieri poſſit ex pituita craſſa, vel permixta humori melancholico, benè poteſt eſſe durum, quale eſt illud, quod noſtrum ægrum moleſtat. Quod quidem ei accidit, quia cùm ventriculum frigidum habeat cum iecoris calida, & ſicca intemperie, in ventriculo humores frigidos, & craſſos gignit, qui poſteà ad hepatis regionem peruenientes, ibi à calore reſoluente partes humorum aqueas, & ab eius ſiccitate eas quæ remanent, craſſiores reddente, non mirum, ſi morbi, quos ipſe æger patitur, pendeant ex pituita ſuperaſſata, & humoris melancholici naturam redolente. Neque ſemel morbo ſimili fuit vexatus, ſed anteà primò habuit tumorem ſimilem in facie, deinde aliquibus annis elapſis, alius ei ſuperuenit in ore ſtomachi, quouſque tandem progenitus fuit tumor iſte in collo. Quæ omnia præbent indicium, quod æger maximam humoris craſſi, & melancholici congregat copiam, ob dictas intemperies, præſertim cùm circa res non naturales benè ſe gerat; & vt poſſibile eſt, omnes occaſiones extrinſecùs adue- A nientes, quæ huic malo incrementum præbere poſſint, fugiat, neceſſariò recurrendum eſt ad cauſas intrinſecas, quæ in dictarum partium intemperie fundamentum habere videntur.

*Botij legitimi, & illegitimi differentia.*

*Cauſæ tumorum præter naturam ſtatuuntur.*

Cauſæ horum tumorum ſunt in triplici differentia; quædam primitiuæ, vt caſus, percuſſio, crapula, potus nimius aquæ, otium, alimenta pituitoſa, & craſſa, aër frigidus, regio, vel temporis conſtitutio frigida, veneris immodicus vſus, & alia huiuſmodi, quæ corpus infrigidare valent. Aliæ ſunt antecedentes, videlicet ipſi humores pituitoſi, qui parati ſunt incidere in partem tumori efficiendo aptam. Nec minùs habet rationem cauſæ intemperies frigida ventriculi, & aliarum partium, in quibus vel gigni, vel infrigidari poſſunt humores; nam licèt intemperies non poſſit habere rationem cauſæ antecedentis materialis, habet tamen vim cauſæ antecedentis efficientis; ſiquidem humores frigidos gi- B gnit, vel genitos incrudat. Aliæ ſunt cauſæ coniunctæ, nempe illa ſubſtantia, quæ tumorem efficit, partemque diſtendit, morbumque facit in magnitudine adaucta.

*Quæ de cauſa in tumoribus generantur lapides, pili & alia longè à natura aliena.*

Sed dubitare quis poterit, quare in his abſceſſibus generantur plura corpora longè diſſita à communi tumorum materia, vt lapides, cornu, vngues, pili, integra etiam animalcula, carnes duræ, molles, & ſpongioſæ, & alia plura ab Authoribus connumerata. Reſpondetur, ea omnia fieri à calore putredinali, vel adurente, ſuppoſitâ materiæ diſpoſitione. Sed quia ibi plures formæ ſubſtantiales producuntur, quæ nequeunt à calore tantùm procedere, non eſt extra rem recurrere ad cauſam vniuerſalem, quæ iuxta exigentiam materiæ ſic, vel aliter diſpoſitæ, hanc, vel illam formam de materia educit, & hoc modo varia, & multiplicia conſpiciuntur in ipſis abſceſſibus, dum aperiuntur.

*Botij cauſa referuntur.*

C Quia tamen noſtra tractatio contendit, vt botij cauſas potiùs quàm aliorum tumorum referamus, omiſſis aliis, ad earum deuenimus inueſtigationem, quæ quidem poſſunt eſſe pituita viſcida, & mollis, vt iam dictum eſt; vel poteſt eſſe ſubſtantia pulticulæ, aut ſebo, aut melli ſimilis, ita vt ſit ſteatoma, atheroma, aut melliceris. Similiter poteſt indurari, vel quia procedit à pituita craſſa ad melancholiam declinante, vel ex pituitæ, & melancholiæ mixtione, vel quia medicamentorum calidorum vſu partes tenuiores reſolutæ fuere, remanentibus craſſioribus; aut quia frigidorum repellentium admotione fuit induratus tumor. Solet etiam contingere, quod botium habeat carneam naturam; quia caro ibi ſupercreſcit. Hic tumor, ſicut & alij, poteſt fieri per defluxum humorum, præſertim à capite; vel quia paulatim ex humoribus, qui attrahuntur pro iugularium partium nutritione, ibi humor paula- D tim congregatur, quia neque coquitur à facultate concoctrice, neque ab excretrice expellitur.

Neque ſolùm cauſæ à nobis relatæ hunc valent producere tumorem, ſed aliæ, videlicet apertio venarum iuguli, ob vehementiſſimos dolores, vt aliquibus parturientibus contigit, quæ ob nimium dolorem vehementer ſpiritum detinent. Præterea aliqui ſunt hæreditarij, alij etiam ſunt communes alicui prouinciæ, orti ex frigiditate aquæ, & aëris ambientis illius prouinciæ, vel regionis, vt in Germania, & Brixia conſpicitur.

*Tumorum ſigna.*

Neque ſignis ad eorum cognitionem opus habemus, cùm facilè hi tumores ab aliis diſcernantur. Cum hoc tamen quidam eorum fiunt ſine cyſti, ſeu membrana eorum ſubſtantiam inuoluente, alij cum illa; qui verò in membrana inuoluti ſunt, facilè mouentur, & ſeparantur à cute; quando verò ſunt ſine cyſti,

cyſti, ſunt fixi, & adhærentes carni, & cuti. Ex iis, qui ex principiis generationis contrahuntur, curationem non admittunt, neque illi qui ex ſpiritus cohibitione ſuperueniunt, neque qui implicati ſunt cum venis, arteriis, vel neruis, niſi ſint recentes. Antiqui enim rarò, aut nunquam curantur; & denique omnes difficillimè curantur, quia eorum materia cùm frigida ſit, & viſcida, neque facilè reſoluitur, neque in ſuppurationem vertitur, & ob loci incommoditatem, & periculum non poteſt abſcindi. Neque oportet circa dicta Authores citare, cùm eis aſſentiantur Paulus, Aëtius, Cornel. Celſ. Guido, Vigo, Argelata, & omnes, quos dum hæc ſcriberem, legi.

### §. VNICVS.

*Botij curatio traditur.*

*Curatio botij tribus medicina instrumentis perficitur.*

AD curationem peruenientes, huius morbi dimotio, vt probè fiat, ad tria ſe extendere debet, videlicet ad victus rationem, quæ ſex rebus non naturalibus adimpletur; ad cauſæ antecedentis ablationem, quæ ſanguinis miſſione, & expurgatione medicamento electiuè purganti fieri debet; & tandem remediis topicis, quæ ad euacuationem cauſæ coniunctæ immediatè tumorem facientis ordinantur. Quoad victus rationem, debet eſſe exſiccans, & ad calorem vergens, ita vt ea, quæ frigida, & humida ſunt, euitentur, & opponantur ſecundùm quod poſſibile fuerit, cauſis manifeſtis, ſeu procatharticis, à quibus dimanauit affectio; ſic etenim minuitur cauſa antecedens, faciliúſque ſuccurrimus cauſæ coniunctæ, vt auferatur morbus. Vitæ regimine inſtituto, ſi corpus ſanguine abundet, & humores fluant ad partem affectam, vel parati ſint fluere, aut aliqua euacuatio ſit ſuppreſſa, tunc ſanguinem demere expedit; qua euacuatione poteſt adimpleri intentio reuellendi, deriuandi, & euacuandi; ea enim fieri debet, vt ſuo diximus loco, partium rectitudine ſeruatâ, aliter enim aut nocet, aut non iuuat; euacuationeque per directum facta, natura omnes affectus perſanare ſolet, vt oſtendit Galen. *libro de euacuandi rat. per ſang. miſſionem, cap.*15. parcè tamen ſanguis eſt detrahendus, quia humores frigidi ſunt: quod ipſe Gal. faciebat in his, quibus inerat humorum crudorum copia, vt ipſe *eodem lib.* afferit, *cap.*12. Deinde humor præparandus ad purgationem ſyrupis capill. Ven. liquiritiæ, duarum, vel quinque radicum, cum aquis fœniculi, bugloſſi, ſaxifragæ Indicæ, radicis chinæ, & ſimilibus; mox euacuandus phlegmagogis medicamentis, in quem finem confert agaricus trochiſc. cum vino zingiberis, turbith, polypodij, mechoacam, & ex electuariis diaphœnicon. diacatholic. indum maius, & minus; & ex pillulis de agarico, cochiæ, arteticæ, aggregatiuæ, de tribus, &c. Aduertere tamen oportet, quod humores craſſi non poſſunt vnica euacuatione euacuari, quia cùm craſſi ſunt, & partibus adhærentes, paulatim ſunt præparandi, & per epicraſim euacuandi; aliter enim non cedunt medicamento purganti. Laudo ad id ſyrupum hac lege confectum. ℞. mechoacam ʒ. vj. polypodij, & turbith, ana ℥.j. ſeminis cartami ℥.j. agarici trochiſc. cum vino zingiberis, & rhabarb. electi, ana ʒ.iij. epithymi, & folior. ſennæ, ana ℥.ß. paſſularum ſine vinaceis, & iuiubarum, ana ℥.j. capillorum Ven. ceterac, ana m. ß. ſaxifragæ indicæ ʒ.iij. cinnamomi ʒ.j. florum violarum, borrag. bugloſſi, & naphæ, ana p.j. coquantur

*Sanguinis miſſio ad plura deſeruit in tumorum curatione.*

*Humores craſſi non ſunt vnica euacuatione euacuandi.*

*Syrupus mirabilis ad paulatim euacuandum.*

A omnia ſecundùm artem in debita quantitate aquæ, quouſque maneant ℔.ij. ß. & colaturæ adde ſucci chicorij, roſarum, & borrag. ana ℥.ij. ſacchari albi, quod ſit ſatis, vt fiat ſyrupus, de quo pro vna vice bibat æger ℥ ij. vel iij. Vel ℞. agarici trochiſc. ℈.iiij. fiat infuſio, & expreſſio ſecundùm artem in ℥.ij. decocti magiſt. foliorum ſennæ, & colaturæ adde ſyr. perſici ſolut. vel de polypodio ℥.ij ß.miſce.

*Remedia peculiaria traduntur pro botij, & aliorum tumorum curatione.*

Interim dum hæc fiunt, aliqua remedia particularia parti affectæ ſunt admouenda, vt cauſam coniunctam diuellamus; ſi enim in cyſti, ſeu membrana ſit contentus humor, ita vt nullam ſpem ſuppurationis, vel reſolutionis habere poſſimus, cauſtico, ſeu ruptorio ipſum tumorem rumpere expedit, vel inſtrumento ſubtili ſcindenti longitudinaliter ſupernè deorſum eſt aperiendus tumor vſque ad ipſam membranam, deinde vnguibus extrahendus humor ſimul cum membrana, vt docet Celſus *lib.*7. *cap.*13. & Vigo *lib.*2. *cap.*7. deinde ſi benè, quod B eſt præter naturam, extrahatur totum, vulnus ſuatur; remaneat tamen in parte inferiori orificium, per quod remedia digerentia, mundificantia, & incarnantia intus admoueantur, quouſque ſit abſoluta curatio; quem curandi modum breuiorem iudico, quàm eum, qui cauterio perficitur. Circa hanc curationem leges Ioannem de Vigo *loco proximè citato*, & vt feliciter ſuccedat, quærendus eſt vir in arte maximè exercitatus. Quod ſi illius membranæ aliquid intus maneat reconditum, vel aliquid ipſius ſcrofulæ, quod difficilè digeri poteſt, vtendum eſt puluere præcipitato Vigonis, vel trochiſcis de minio, vel arſenico, vel alio ſimili in quantitate vnius grani. Quod remedium quotidie eſt repetendum, donec ex toto auferatur, deinde vt reliqua vlcera curabitur. Quod ſi tumor iſte ſit venis, neruis, aut arteriis implicatus, ita vt non poſſit extirpari propter timorem ruptionis harum partium, C abſtinere debemus ab huiuſmodi curatione, & operatione manuali. Si verò in membrana ſit inuolutus, & habet pedem gracilem, forti ligatione diuellitur. Si tumor ille ſit implicatus cum venis, neruis, aut arteriis, aut non ſit illius humor intra pelliculam inuolutus, neque poſſit operatione manuali extrahi, ad alia remedia confugere oportet, quæ quidem non debent vehementer calefacere, & reſoluere, ne abſumptis partibus tenuioribus, quod reliquum eſt, veluti lapidoſa concretio relinquatur, vt oſtendit Galenus 14. *methodi*, *capit.*4. præſertim cùm tumor in ſcirrhoſam degenerat naturam, qui facilè lapideſcit: quapropter quæ humectent, exſiccalefaciant, molliant, ac liquent, commendantur ab eodem, quæ malactica, ideſt mollificantia dicuntur, cuiuſmodi ſunt medullæ omnes, atque adipes, veluti medulla ceruina, & vitulina, & ex adipibus, anſerum, leonum, vrſinus, & taurinus, D quibus admiſcere oportet ex Galeni conſilio ea, quæ attenuandi, & penetrandi vim habent, inter quæ commendat oleum ſabinum, cuius loco vti poſſumus oleo irino, lilij albi, & anethi. Bdellium maſticatum ſaliuæ admixtum prodeſt, necnon diachilon magnus pulueribus iridis, origani, & ſalis gemmæ admixtus, ad emplaſtri formam redactus.

*Remedia non debent eſſe nimis reſoluentia.*

*Suppuratio in his tumoribus tentanda.*

Sed quia hæc, & alia huiuſmodi reſoluunt, & ſuo calore ad maiorem duritiem peruenire facere ſolent tumorem, neque remedia ex adipibus & medullis, & oleis ſatis ſunt pro tumoris indurati emollitione, omni arte curandum eſt ſuppurationem tentare; nam licèt humores frigidi, & qui toto genere præter naturam ſunt, ſint inepti ad ſuppurationem, poſſunt tamen ad eum deuenire ſtatum, in quo actione caloris medicamenti ſuppurantis, vt ait Vigo, ſaniei

ſaniei quandam formam fluxibilem comparent, vel aliquam ſubeant coctionem, vt adaperto orificio effluat, veluti ſi verè ſuppuratus humor fuiſſet. Quapropter viſum fuit nobis ea adhibere, quæ ad ſuppurationem declinant, parateque iuſſimus pro noſtri ægri tumoris curatione decoctum radicum altheæ, brioniæ, ſeu vitis albæ, foliorum lilij albi, maluarum, biſmaluæ, chamæmali, melíloti, fœnugræci, paſſularum Corinthi, caricarum, ſeminis lini, & anethi, quo fouebatur pars, deinde parabatur ceratum ſic. ℞. vnguenti baſiliconis ℥.ij. emplaſtri filij Zachariæ, & cerati Philagrij, & axungiæ ſuillæ recentis, ana ℥. j. croci minutim ſciſſi ʒ. ß. miſce. Non minùs confert emplaſtrum confectum ex diachilone magno, & paruo, & cerato Philagrij, vt tendat in ſuppurationem ſcrofula, vel quiuis alius tumor à pituita ortus. Laudat Ioannes de Vigo hoc emplaſtrum, quo tumor ſaltem in ſaniem vertitur antequam aperiatur. ℞. radicum biſmaluæ, & lilij albi, ana ℔. ß. coquantur in aqua ſufficienter, deinde piſtentur, & cribellentur; quibus adde capitum alliorum ſub cineribus aſſatorum, & cepe, ana ℥. iij. olei irini, & butyri vaccini, ana ℥. ij. axungiæ porcinæ, & anſeris, ana ℥. ij. ß. cum farina triticea, fœnugræci, & lini, & decocto ſuprà dicto radicis biſmaluæ, & lilij albi ad gnem fiat emplaſtrum, addendo in fine vitelli ouorum n. iij. Cùm ergo tumor aliquam mollitiem contraheret, ita vt iudicaremus ibi eſſe incluſam ſaniem, quæ euacuatione indigeret, ex omnium conſilio ruptorium fuit appoſitum, & decisâ eſcharâ ſanies illa fuit extracta, & paulatim medicamentis ſuppurantibus extrà appoſitis, & digerentibus, & mundificantibus intrà applicitis tumor ille euanuit, & æger liberatus fuit; ad cuius maiorem ſecuritatem, vitæ regimine inſtituto, aperuimus fontanellam in crure dextro; nam vt tutò curemus, tria potiſſima ſunt, quibus intenti ſimus oportet; vnum, primumque, vt omninò abſolutionem operis conſequamur, quod vtique fecimus in noſtro ægro. Alterum, vt ſicubi hunc non conſequamur, ſaltem cubantem non lædamus. Tertium, vt vitium non facilè reuertatur, vt docet Gal. 14. *methodi, capit.* 13. & vt hoc vltimum aſſequi valeremus, fontanellam aperuimus, & alia ordinata fuere in ordine ad cauſæ antecedentis correctionem, & euacuationem; eis tamen non potuimus impedire in collo, & facie nouam tumorum generationem de ſcrophularum genere, quorum quidam cyſti inuoluti, alij deuoluti exiſtebant, qui diutiùs, ob eorum rebellem conditionem, perſeuerarunt, & paulatim eiſdem curabantur auxiliis; denuò tamen alij erumpebant; quocirca exiſtimauimus, quod præter cruditatem ventriculi, & hepatis calidam intemperiem, & alias cauſas à nobis recenſitas, caput illius erat maximè diſtemperatum versùs calorem, & ſiccitatem, vt ex calore, & ſomno paruo deduci poterat, ita vt maxima fieret attractio humorum verſus caput, in quo plura congerebantur excrementa, quæ ibi à calore & ſiccitate capitis (partibus tenuioribus reſolutis) craſſitudinem maiorem comparabant, & ad partes faciei, & colli pulſa, huiuſmodi gignebant tumores: qua de cauſa remedia vniuerſalia, & particularia nihil proficiebant; quapropter decreuimus ſetonem figere in occipite, iuxta extremitatem capillorum, vt ſic ea excrementa, quæ quotidie in capite coacervabantur, paulatim per illum euacuarentur. Quod monet faciendum Hipp. *lib. de internis affectionibus*, agens de morbis hepatis, & ſplenis; vbi poſtquam aliis eſt vſus remediis, vrere hepar, & lienem præcipit, & inquit: *Si vſtio ſucceſſerit, ſanum efficies.* Idem proportionaliter admonet noſter Mercatus *lib. de recto præſid. artis med. vſu, in conſilio de adminiſtrandis fontanellis, & ſetonibus*, vbi inquit, quod in affectibus inueteratis capitis, vbi vitiatur concoctrix, ita vt excrementa ibi congregentur, & in alias partes tranſmittantur (dum rationalia remedia adhibita non profuere) prope membrum diſtemperatum fontanella eſt aperienda, vt quod excrementi in dies in capite accreſcit, paulatim facto foramine expurgetur. Hac enim lege (ait) Hipp. ſplenem vrit, & hepar.

*Emplaſtrum ſuppurans Ioannis de Vigo.*

*Vt curatio tutò fiat, tria potiſſimùm ſunt neceſſaria.*

A

B

Hoc ſingulari auxilio poſt plures dies cœpit meliùs ſe habere, tumores euanuerunt, & dum hæc ſcribo, eum fermè ab huiuſmodi tumoribus liberum inueni, neque aliter ſuccurri potuit, cùm quamplurima antea fuiſſent auxilia tentata.

Alia remedia ab Authoribus approbantur, inter quæ commendant vnguentum mercurij ad botium, & ſcrofulas. Benefacit etiam emplaſtrum de ranis. Iacobus Holerius *lib.* 1. *inſtitut. chirurgic. cap.* 2. admirandum ad ſtrumas, botiumque, & parotidas, & ad omnem duritiem, & œdemata remedium proponit, nempe cupreſſi folia, neque tenera, neque dura in puluerem comminues, tortiuo vino conſperges, atque ita volutabis, dum in fæcis corpus coeant. Inde ſtruma, vel ramex inducitur; tertio die primum ſoluitur medicamentum, contractum locum inuenies, qui digitis exprimi debet. Rurſus ad tres dies idem pharmacum applicabis, eodemque modo ſolues, & exprimes: ſeptimo die, vel ad ſummum nono, ſtrumæ velut miraculo abolebuntur. De aliquibus ex his periculum feci, non tamen in eis inueni eam vtilitatem, quam ipſi Authores de ipſis referunt.

C

## OBSERVATIO IV.

*Pro familiari Inſignis Collegij Sanctæ Crucis tertianâ nothâ pernitiosâ laborante, qui cathartico medicamento in principio oblato, omnimodè liber euaſit à febre.*

FAmiliaris hic, cuius hiſtoriam narrare incipimus, erat ætate iuuenis, habitu gracilis, temperie calidus, & ſiccus, tempore æſtiuo, & ſub cane conſtitutus, quibus omnibus paratus erat incidere in morbum calidum: neque ad hoc parum conducebat potus vini generoſi, cui erat aſſuetus, necnon & exercitium, ſicque incidit in febrem tertianam intermittentem, cuius acceſſio inuadebat cum rigore paruo, ſeu horrore, & partium extremarum frigore, quæ tardè recaleſcebant; quo tempore ſine quiete mouebatur de vno loco in alium, ſuſpirioſus, & anxius, cum pulſuum paruitate, & inæqualitate; qui creſcente febre magnitudinem aliquam cum celeritate comparabant, non tamen inæqualitatem amittebant: euomebat bilem ad viriditatem vergentem, ſentiebat in ore ventriculi morſum, ſitim implacabilem ſimul cum ciborum abominatione, quovſque ſuperueniente particulari declinatione remittebantur omnia, & ceſſante febre, & ad intermiſſionem deueniente, viribus recreatis, ſine his accidentibus quietus permanebat. Tranſactâ ſecundâ acceſſione, quæ fuit deterior primâ, in die intermiſſionis ſanguinem ei miſerunt, iuxta illud Galeni commune præceptum: *In omnibus febribus, quas putridus concitat*

D

*concitat humor, ſanguinem detrahes, &c.* Eadem die duplicata fuit febris, cum eiſdem accidentibus, & in die ſubſequentis acceſſionis omnia exacerbata fuerunt, ita vt nullam ſalutis ſpem haberemus: declinauit febris, non tamen abolita fuit; remiſſa fuerunt accidentia, dormiuit, & inueni eum reſtitutum, tuncque ſummo manè ei exhibui potionem hanc. ℞. rhabarb. mediocriter triturati ʒ. j. decocti Pugini ℥. ij. ß. ſyr. ex 9. infuſionibus roſarum rub. ℥. ij. miſce. Hoc remedio purgauit, roboratus fuit venter, & ſine febre remanſit.

## ANNOTATIO.

De febribus cum accidentibus ſermonem inſtituit Galen. 1. *de arte curat. ad Glauc. cap.* 13. de eiſdem nos egimus *lib.* 4. *de febrium curatione*, ſub nomine tertianæ pernitioſæ, & ſyncopalis, vbi diximus febrem intermittentem eſſe pernitioſam, & deterrimæ conditionis, ob decubitum humoris in partem principem, vel iuxta illam. Quam difficultatem ſufficienter enodatam reliquimus, ita vt noua non egeat probatione, illucque lectorem remittimus. Huius ſortis fuit febris, quâ correptus fuit æger, vt illius oſtendebant ſigna; patiebatur enim febrem tertianam intermittentem, ſiquidem tertio die habebat acceſſiones; die autem intermedio erat ſine febre: inuadebat cum rigore & frigiditate partium extrematum, euomebat bilem, ſiti implacabili tenebatur, & alia ſigna habebat, quæ oſtendebant talem febrem eſſe de tertianarum febrium intermittentium ſorte.

*Tertiana exquiſita fit à ſincera bile.*

Hæc febris non fuit tertiana exquiſita; nam hæc à ſincera bile naturali ad putredinem tendente excitatur, in qua rigor vehemens reperitur; in hoc verò ægro bilis erat ad viriditatem vergens, neque aderat vehemens rigor, forſan ob pituitæ permixtionem, vel quia maior humoris copia ad ſtomachum confluebat, quæ debebat attingere partes ſenſu præditas, ad rigorem, ſeu concuſſionem validam membrorum faciendam. Tardè recaleſcebant partes extremæ, quia maxima ſpirituum vitalium aderat reſolutio, vt deduci poterat ex pulſuum paruitate, & inæqualitate. Anxius fiebat æger, quia humores acres, & mordaces verſus os ſtomachi, & cor mouebantur, & in ſtomachi ore dolorem mordicantem inferebant, & vomitum æruginoſum, vt accidere ſolet in cardialgia, vt *cap. de cardialgia*, ex Authorum omnium mente diximus.

*In tertiana quare rigor ſæpe non eſt vehemens.*

*Anxitetas quare fit.*

*Antiqui os ſtomachi cor appellarunt, & quare.*

Ex his facile fuit deprehendere, hanc tertianam fuiſſe pernitioſam, ob confluxum humoris ad os ſtomachi, quo patiente facilè cor trahitur in conſenſum: neque ob aliam rationem, vt exiſtimo, antiqui os ſtomachi cor appellarunt, vt conſtat ex Galen. 2. *methodi, cap.* 2. & 2. *de placitis, cap.* 8. quod confirmat ex quadam hiſtoria tradita ab Hipp. cuiuſdam mulieris, quæ oris ventriculi dolorem patiebatur, & cordis dolorem nominauit Hipp. habent enim inter ſe os ventriculi, & cor mirandum conſenſum ob vinculum intercedens mediis arteriis, quæ ex corde in os ventriculi implantantur: quapropter dum os ventriculi nimis infeſtatur ab humoribus prauæ conditionis, facilè in cor dimandantur ipſi humores, vel halitus maligni, qui cor diſtemperant, ſpiritus diſſipant, & reſoluunt, ita vt facilè ſequatur virium reſolutio, & extremarum partium refrigiratio, pulſuum paruitas, & eorum inæqualitas. Quæ omnia inuenta ſunt in hoc ægro cum ſiti implacabili, & ciborum abominatione, durante ipſa acceſſione, quouſque ad declinationem de-



A ueniſſet particularem, in qua euacuatâ cauſâ, & ceſſante humorum confluxu ad ventriculum, ad infebricitationem perueniebat, & accidentia plurimùm ceſſabant.

Die intermiſſionis, factâ venæ ſectione, hæc febris habuit eadem die annotationem compreſſam, & ei ſuperuenerunt ſymptomata connumerata: ſanguis extractus fuit laudabilis, meritóque timui bilis efferueſcentiam, ſeu ebullitionem, iuxta illud Auic. *caue ne ægrum ad vnum duorum perducas, &c.* Præſertim cùm iudicaſſem, humorem illum fuiſſe extra ſanguinis conſortium, aut in abditis locis recluſum, vt ſanguinis extracti bonitas demonſtrabat; quod vt exiſtimaui, ita fuit: ſiquidem in die acceſſionis omnia exacerbata fuere, & ægrum ad extremum perduxerunt periculum. Qua de cauſa fiat bilis efferueſcentia, venâ ſectâ, docet Zacutus *lib.* 3. *de Medic. Princip. hiſtor. quæſt.* 30.

*Vena ſectio quando bilis efferueſcentiam concitat.*

B Quapropter altera die, in qua erat occaſio exercendi remedium, venæ ſectionem prohibui, ne ex eius executione magis effrænis redderetur humor, & maiorum ſymptomatum eſſet cauſa. Sed quia vrgebat neceſſitas exercendi remedium magnum, aliter etenim huic malo non poterat ſubueniri, coactus fui ei offerre medicamentum purgans, quo fœlicem ſperabam euentum, his motus fundamentis. Primò, humor ille erat ſeparatus à ſanguinis conſortio, neque venæ ſectione exire poterat, atque adeò ſanguis euacuabatur innocuus, & ſine labe. Secundò, ille humor erat in venis propinquus cordi, ibique erat minera putredinis illius, vt oſtendebant ſigna à nobis recenſita. Tertiò, quoniam ille humor erat prauæ naturæ, & in motu, ita vt non eſſet capax coctionis, quæ præter diſpoſitionem humoris coctioni aptam, quietem etiam deſiderat. Demùm, quia ille humor, licèt non eſſet turgens, C eo quod non mouebatur vagè, vel indifferenter, ſed ad determinatum locum, nempe ad os ventriculi, & ad cor; nihilominus vt turgens erat tractandus, ſtatimque à corpore pellendus, Nam ſi humores turgentes eadem die, vt ait Hippoc. ſunt medicandi, ne cadant in partem principem, & malum efficiant immedicabilem, multò melius illi, qui iam ad ipſam partem perueniunt, antequam firmentur in ipſa. His ſuaſus rationibus, ei obtuli potionem in obſeruatione præſcriptam, cum intentione roborandi ventriculum, & euacuandi, & reuellendi humorem paratum fluere ad ipſum; quo euacuatus fuit totus humor, & liberatus fuit æger.

*Sanguis in tertiana pernicioſa extrahitur laudabilis.*

*Cauſa quæ mouent ad purgandum in tertiana pernicioſa, ſtabiliuntur.*

Neque aduerſatur huic doctrinæ, quod euacuationes ſymptomaticæ, ſiue ab arte, ſiue ſponte fiant, nullam præſtare poſſunt vtilitatem, quoniam ſunt decretoria non decernentia, & irregulariter fiunt, & ſine ſignis coctionis, & ſunt præter naturam. Hoc, inquam, non obſtat, vt latè probaui in tractatu de D febribus; ibi enim dixi, quod vt euacuatio ſit bona, vtcumque fiat, ſufficit quod conferat, & leuiter ferat æger, ſiue crudus, ſiue coctus humor ſit, vt claret in materia turgente, cuius euacuatio adminiſtratur, nulla expectatâ coctione: imò in ipſa extra metas rationis eſſet expectare coctionem, cùm incoctilis ſit, & natura intenta eſt eius euacuationi, quam ſtatim adiuuare debemus, propter inconuenientia allata à Galen. 4 *aphoriſm. phraſi* 10. Sic etiam ſæpe cogimur, licèt cum maxima meditatione, offerre medicamentum minoratiuum in febribus aliquibus acutis, quo non solùm minui ſolet febris, ſed citra recidiuum auferri, vt refert Mercatus noſter *lib vnico conſult. conſultat.* 16. Confirmat hanc doctrinam Auic. *f. n.* 1. 4. *tract.* 2. *c.* 37. vbi aſſerit, quod tertiana pura quandoque conſumitur in vno paro-

*Euacuationes ſymptomaticæ quando vtiles.*

*Tertiana pura vnâ acceſſione conſumi ſolet.*

paroxyſmo, in quo accidit vomitus, aut ventris ſolutio mundificans; quæ euacuatio cùm prima die febris ſuperueniat, in qua neutiquàm materia poteſt eſſe cocta, neceſſariò inter ſymptomaticas eſt reponenda. Si igitur ſpontaneæ euacuationes in febribus crudâ exiſtente materiâ, & in materia turgente illæ, quæ ab artis adminiculo fiunt, omnimodè liberant ægrum, quid mirum, quod noſter æger aſſumpto medicamento purganti, in morbi principio vniuerſali, quando humor paratus erat fluere in partem principem, ſalutem recuperaſſet, moto humore ad contrariam partem, ſimulque toto è corpore pulſo, vt accidere ſolet, cùm turgente materiâ pharmacum purgans propinamus?

*Euacuatio ſymptomatica poteſt ægrum à febre liberare.*

## OBSERVATIO V.

*Pro nobili Matrona menſtruorum detentione laborante, cum cordis oppreſſione, dolore, & palpitatione, calidaque cerebri intemperie, cum affluxu pituitæ viſcidæ ad fauces, & aſperam arteriam, ita vt ſuffocari videretur.*

*Caſus ſtatuitur.*

NObili Matronæ, cum ob otium & vitam ſedentariam diminutè menſtruæ proceſſiſſent purgationes, breui tempore cœpit in regione cordis dolorem percipere, & illius oppreſſionem: quæ cùm in inſtrumentis reſpirationis nullum per ſe haberet affectum, difficilè tamen reſpirabat, ita vt ſuffocari videretur; ſæpe in cordis palpitationem incidebat cum maxima pulſus inæqualitate: neque huiuſmodi ſymptomata continuò vexabant, ſed aliquibus accidebant interuallis, præſertim quando ægra menſtruam expectabat purgationem, & ipſis menſibus fluentibus. Sed aliquibus menſibus tranſactis ab horum affectuum inuaſione, cœpit ſimul perſentire calorem in toto capite, ex quo fuit ſubſequuta diſtillatio pituitæ viſcidæ ad fauces, & guttur, quæ nimis ipſis adhærens partibus, ſuffocationis præbebat indicium. His omnibus trium annorum ſpatio vexata perſtitit. Eius ætas triginta annorum eſt, naturâ ſanguinea, habitu mediocri inter craſſum, & tenuem conſtans; hepar illius calidum, ventriculus cruditatibus obnoxius: dormit, & cibum appetit. Hæc mihi per litteras tradiderunt, vt eis viſis, de huius præclaræ ægræ ſalute curatem, quibus reſponſum præbui eo modo, quo in ſequenti proponitur annotatione.

### ANNOTATIO.

*Obſtructio fuit reliquorum morborum initium.*

LIcèt plurimis morbis corripiatur hæc nobilis ægra, vnus tamen reliquis initium præbet, cui ferè omnes alios conſentire arbitror. Patitur enim obſtructionem in venis, quæ ad vterum ſanguinem menſtruum deferunt, vt colligitur ex omnimoda menſtruorum ſuppreſſione, quæ eſt ſymptoma tertij generis, & conſtituit ſymptoma in his quæ præter naturam retinentur, denotatque morbum in via, & ſupponit actionem abolitam facultatis expultricis, & adauctam retentricis; retinet enim illud, quod deberet euacuari.

*Cauſæ obſtructionum referuntur.*

Nec ignoro, quod plures cauſæ aſſignantur ab Authoribus retentionis menſtruorum, quas in praxi recenſuimus; in præſenti tamen ex aliarum defectu, ad obſtructionem confugimus. Scimus enim, quod

A animi paſſiones vehementes ſanguinem diſtrahunt, & mouent ad diuerſas partes, vt probauimus noſtro tractatu de febribus, agentes de cauſis febrium. Quia ergo in animi affectionibus ſanguis & ſpiritus mouentur in hanc, vel illam partem, iuxta exigentiam paſſionis, ideò tempore, quo nimis infeſtat animi paſſio, non mirum, quod ſanguis, quia ad vterum defluere debebat, ex vi animi paſſionis in aliam transferatur partem. Exercitium immodicum ſimiliter menſes cohibet, quatenus ſanguinem diſtrahit, & ad alias mouet regiones, præcipuè quando labor, ſeu exercitium partes infeſtat ſuperiores; tunc etenim ſanguinem ſuperiùs reuocat. Vlteriùs cùm labor, & exercitium calorem, & ſiccitatem inducit, ſpiritus, & ſanguinem ad vterum confluentem abſumere valet. Dolor ſimiliter poteſt euacuationem menſtrualem impedire, quatenus ad partem dolentem ſanguinem reuocat. Frigus vias coarctando, & humores condenſando, menſes cohi-B bet. Sanguinis plethora, & craſſities ſanguinis deſcenſum impediunt. Vaſorum adſtrictio, & oppreſſio ab aliqua cauſa, vt à tumore præter naturam ex. g. vel inflammatione, vaſa anguſtiora reddit, & ſanguinem fluere cohibet. Nimia pinguedo dupliciter menſes detinet, vel quia vias coarctat, vel quia plurimùm ſanguinis in pinguedinem tranſit, ſicque menſes deficere ſolent. Vteri præterea mala conformatio huius ſymptomatis ſolet eſſe cauſa, vt tortuoſitas colli illius, tunica aliqua ibi adnata, vel ob cicatricem ob aliquod vlcus inductam: immodica etiam ciborum abſtinentia, aut quia præceſſerunt aliæ euacuationes, vel ab arte, vel à natura factæ. Aut naturæ ordine peruerſo ſanguis ille per aliam regionem euacuatur, de quo mille extant hiſtoriæ, vt quando menſtrua deficiunt, quia ſanguis ex naribus defluit, vt dictat Hippocrat. 5. *aphoriſm. text.* 33.

*Horum omnium morborum cauſa, ſeu occaſio fuit otium.*

C Harum cauſarum nulla fuit præſens, neque ipſam adfuiſſe ex relatione ad nos miſſa ſuaderi poteſt; quapropter huiuſmodi affectio in aliam cauſam referri debet, nempe ad otium, & vitam ſedentariam; de hac enim mentio facta eſt in ipſa relatione: hæc enim occaſionem præſtat, vt plures gignantur cruditates, quibus replentur venæ, ſanguis incraſſatur, & minùs benè diſtribuitur, quo fit, vt viæ obſtruantur, de quo ſæpe periculum fecimus. Exercitatio quidem ſalutaris eſt maximè, ita vt dicat Hipp. 1. *de dieta*, quod homo edens ſanus eſſe non poteſt, niſi laboret: quapropter Euripides inquit: *Laborare autem mortalibus neceſſe eſt, laborque ad ſenectutem perducit*; & vt ad ipſam nos perueniamus, labore opus habemus; ſicque canit Ouidius 2. *de art.*

*Exercitatio laudatur.*

*Dum vires, animique ſinunt tolerare labores,*
*Iam veniet tacito curua ſenecta pede.*

*Otium vituperatur.*

D Otium etenim vitam deſtruit, & vt inquit Menander: *Quàm multa mortalibus otium facit mala.* Deſidia, & otio timiditas augetur, ait Hipp. *lib. de aëre, locis, & aquis.* Aquæ, quæ non mouentur, facilè putreſiunt, & aquæ mortuæ dicuntur; ſic etiam & homo in otio conſtitutus, vt mortuus iacet. Lege circa hoc dialogum 121. Franciſci Petrarchæ, vbi inuenies vtilitates laboris, & exercitij, & nocumenta deſidiæ, & otij. Otium igitur fuit omnium horum morborum initium, vt ex ipſa relatione depromitur, in qua dicitur, quod ob otium, & vitam ſedentariam diminutè menſtruæ proceſſerunt purgationes; ex quo facilè eruimus, quod diminuta menſtruorum euacuatio ex obſtructione cauſata ratione otij originem duxit, à qua & omnes alij morbi, vt in ſequentibus tradémus.

*Labor laudatur, vituperatur otium.*

Ex

*Qualiter ſymptoma eſt cauſa alterius morbi.*

Ex huiuſmodi igitur menſtruorum retentione alij fuere ſubſequti morbi, & licèt ea retentio ſit verè ſymptoma, vt dictum eſt, & ſymptoma vt tale eſt, habeat tantùm ſequi morbum, veluti vmbra corpus, ita vt ex morbi, à quo dependet, ablatione auferatur, vt oſtendit Galen. 12. *methodi*, *c.* 1. contingit tamen ſæpè, quod ſymptoma habet rationem cauſæ alterius morbi, à quo alia oriuntur ſymptomata. Quà de cauſa vigilias prohibemus immodicas, ſomnum profundum coërcemus, dolorem ingentem ſedamus, euacuationes excedentes prohibemus, ne ex ipſis maiora mala ſuccreſcant: quare ſi ſanguis ille menſtruus, vel ſponte, aut Medici iuuamine ſingulis menſibus debitè flueret, vtique noſtra ægra tot non vexaretur malis, neque egeret curatione. Eſt ergo talis ſanguinis menſtrui detentio aliorum morborum initium, & vt morborum cauſa ſui expoſcit ablationem.

*Quare ex euacuatione cohibita plures morbi oriuntur.*

Ex meſtrua purgatione detenta facilè cor patitur; nam plures vapores eleuantur actione caloris ex ipſo ſanguine, tanquam ex materia, qui cor attingentes, illud moleſtant; facilè enim per venas, & arterias, & alias partes cordi communicantur, ſicque cor opprimitur, & arteriæ, ita vt ab ipſis vaporibus intra pericardion receptis, & inclusis fiat palpitatio cordis, & arteriarum pulſationes inæquales, parteſque cordi vicinæ ſenſitiuæ diſtendantur, in illiſque dolor excitetur.

*Ex detentione humorum ſuffocatio ſuperuenit, & quare.*

Neque eſt difficile reddere cauſam ſuffocationis; ſiquidem ipſi vapores ſurſum rapti comprimunt diaphragma inſtrumentum præcipuum reſpirationis, & illius cohibent motum; quo deficiente, etſi nullum in pectore eluceat vitium, ſuffocari videtur. Neque ad hoc eſt neceſſe, vt reſpirationis inſtrumenta per ſe afficiantur, ſed ſufficit ea per conſenſum affici. Verumtamen vaporibus ipſis reſolutis, vel inſenſibiliter euacuatis, & expulſis, ceſſare ſolet affectio, donec alij vapores denuò procreentur; quod accidit plerumque iuxta menſium eruptionem, quo tempore agitantur humores, & mouentur, & eorum plurimùm in flatus vertitur, à quibus iterum ſuſcitantur iſti affectus.

Caput calida intemperie afficitur ab eodem comprincipio, vaporibus ſcilicet calidis ſurſum elatis, neque parum ad hoc adiuuare valebit hepatis calida intemperies, quæ plurimum ſanguinem gignit, cuius ſubtilior, & calidior pars ſurſum volans, frequenter caput calefacit, ita vt cerebrum patiatur intemperiem calidam.

*Diſtillatio humoris frigidi quomodo poteſt excitari à calida capitis intemperie.*

Sed quia dictum eſt, quod ipſa patitur etiam diſtillationem pituitæ viſcidæ ad fauces, & aſperam arteriam ex ipſo capite prodeuntem, ita vt ſuffocari videretur, dubitatur, quare ea diſtillatio fiat. Et ratio dubitandi eſt, nam dyſcraſia calida non poteſt eſſe cauſa pituitæ; ipſa enim fit à calore diminuto, potiùs enim eſſet ea diſtillatio humoris bilioſi, quàm pituitoſi. Vlteriùs pituita viſcida intenſiorem ſupponit frigiditatem, calor enim attenuat, frigus verò incraſſat, & humorum concretionem parit, ita vt pituita vitrea, quæ craſſa nimis eſt, excedentem habeat frigiditatem, vt docet Galen. 2. *de locis*, *c.* 5. quapropter exiſtimare oportet, quod craſſities ea, quæ datur in pituita, ad frigiditatem refertur: non ergo à capite calido poteſt originem capere diſtillatio pituitæ viſcidæ, & frigidæ: & licèt detur pituita gypſea, quæ apparet in tophis, quæ à calore ſubſtantiam tenuem euaporante ſuccreſcit; id tamen non verificatur in hoc caſu, neque conſtat, quod pituita ad cerebrum feratur, à cuius calore illius tenuior pars reſoluatur, craſſioribus remanentibus.

*Pituita vitrea frigidiſſima eſt.*



*Cauſa efficiens, & materialis fluxionis huius ſtabilitur.*

A Vt hoc dubium ſoluamus, aſſignare oportet huius fluxionis cauſam efficientem, & materialem. Circa cauſam materialem cenſendum eſt, eam eſſe partim humores ad caput miſſos pro illius nutritione; cum enim cerebrum frigidum, & humidum naturâ ſit, pro illius nutritione humores frigidos ad ſe allicit; ſed quia dyſcraſiatum eſt, poteſt eos in propriam ſubſtantiam conuertere, atque adeò neceſſariò redundant in capite, ibique à calore humidum depaſcente craſſeſcunt, & viſcidi fiunt. Neque ad hoc parum iuuat capitis calor, quatenus iuuat attractionem humorum, à quibus fit diſtillatio. Partim etiam ſunt vapores plures, qui oriuntur ex materia frigida ventriculi, qui ad cerebrum peruenientes, ibi incraſſantur, & ex ipſis, tanquam ex materia, fiunt humores viſcidi, qui ad guttur deſcendentes, ipſi adhærent, & gutturis vias obſtruunt, & reſpirationem prohibent.

*Vapores recepti in regione calida qualiter incraſſari poſſunt.*

B Sed quia vapores ad caput peruenientes ex ventriculo, & aliis partibus, ſunt leues, & tenues, perueniuntque ad caput calidè intemperatum, meritò dubitatur, à quo efficienter incraſſantur? Non enim à calore; nam licèt calor in coctionibus incraſſare valet, & ea quæ coquuntur, craſſiora euadunt, vt ait Ariſtot. 4. *meteororum*, *capit.* 2. idcò craſſeſcunt, quia calor facit exhalare humidum, remanente ſicco craſſiori, vt ipſe ait 4. *meteororum*, *capit.* 6. vbi aſſerit, quod quædam craſſeſcunt tam à frigore, quàm à calore; non tamen eodem modo: à calore quidem humidum hauriente, à frigore verò humidum exprimente, & ſiccum cogente. At verò vapor, licèt frigore, & ſiccitate condenſari valeat, conuertique in humorem craſſum; non tamen id poteſt pati vapor à calore: nam quæ frigore, & calore denſari poſſunt, debent eſſe communia aquæ, & terræ, ex eodem Ariſtotel. proximè citato: quapropter aqua, dum non habet permixtionem partium terreſtrium, ſi igni applicetur, tota abſumitur, & in flatus vertitur; ſi verò habet partium terreſtrium permixtionem, calore craſſitudinem adquirit, vt patet in mari, cuius aquæ partium ſiccatum, & terreſtrium habent miſcellam, & à calore craſſitiem comparant. Verumtamen cùm vapores hi ſint aquei, vtpote ex materia aquea humorum eleuati, parum, aut nihil terreum habent, cuius ratione à calore poſſint incraſſari; ſicque dum calefiunt, aut reſoluuntur, aut in tenuiſſimam ſubſtantiam rediguntur, ita vt neutiquam à colore valeant incraſſari. Nec à frigiditate congelari poſſunt; nam ſupponimus cerebrum eſſe intemperatum verſus calorem, & vnumquodque operatur per qualitates, quas habet in actu. Siccitas cerebri non poteſt hos vapores incraſſare; nam licèt ſiccitas, ſi daretur, talem effectum producere poſſet; tamen in cerebro ægræ non prævalet ſiccitas, ſiquidem vt ex relatione conſtat, dormit moderatè, hoc eſt habet ſomnum ſibi debitum, qui in præſentia ſiccitatis deficeret, ſiquidem ad vigilandum ſiccitas maximum locum habet, vt deſumitur ex Galen. 3. *de locis*, *cap.* 5. & alibi millies.

*Qualiter calor, & frigus incraſſare valeant.*

*Raritas, & denſitas eſt duplex.*

In hac re ancipiti ſoluenda tenendum eſt cum ſapientiſſ. Doct. Gaſpare Brauo *diſput.* 2. *de elementis*, *ſect.* 1. *reſolut.* 4. *num.* 3. quod duplex eſt raritas, & denſitas; vna, quæ producitur mediis qualitatibus primis, vt quando calor liquat ceram, & eam raram reddit, vel indurat lutum, & denſat. Alia eſt raritas, vel denſitas localis, quæ per motum localem producitur, & nullo modo dependet à qualitatibus primis; & hæc tantùm conſiſtit in poſitione partium diuerſa, quam corpus rarefactibile, vel condenſabile per

motum adquirit. Sic enim ex impulſu in motu progreſſiuo adquiritur raritas localis in aëre poſt terga relicto, & denſitas in aëre in parte anteriori compreſſo. Aër etiam ſilice, & chalybe percuſſus rareſcit, ita vt inducta raritate, & leuitate locali, ex percuſſione horum corporum ignis in aëre ſuccendatur. Pari modo, dum vapores ex ventriculo per motum localem feruntur ad caput, ibi condenſantur, ita vt multum materiæ eorum ſit ſub parua dimenſione, quod eſt de ratione denſi. Neque ad hoc eſt neceſſe fugere ad primas qualitates, ſed ſolùm ad poſitionem partium corporis, quod in paruo ſpatio plurimùm habet quantitatis.

*Vapores denſantur in loco calido denſatione locali, non verò denſatione qualitatiua.*

His ſuppoſitis, vt certum tenendum, quod vapores ſurſum ad caput delati, in multa quantitate ſub parua extenſione collecti condenſantur per applicationem plurium partium ad vnum ſpatium, quod nequit ſubtrahere calor; ſaluaturque quod humor craſſus hoc modo generari poteſt, qui aliis humoribus craſſis, & viſcidis admixtus grauat caput, & excitat illius facultatem expultricem ad expulſionem verſus guttur, & fauces, in quibus obſtructionem creat, & ſuffocationis ſpeciem præbet, donec remediis pectoralibus ille humor attenuatus, & inciſus ſit è gutture pulſus.

## §. Vnicvs.

### *Horum affectuum proponitur curatio.*

His ſufficienter explicatum manet, in quo conſiſtit horum affectuum natura, & quæ ſint eorum cauſæ, & ſymptomata: nunc ad curationem deuenire oportet, ſi priùs afferamus circa præſagationem, huiuſmodi morbos non eſſe facilis curationis; nam licèt ex obſtructionibus ortum trahant, exiſtimo tamen capitis, & aliarum partium temperamentum eſſe quodammodò ſubuerſum; atque adeò non ſolùm pati per conſenſum, ſed per propriam paſſionem. Adducemus tamen remedia, quibus Deo fauente morbos vel minuamus, vel radicitùs exſtirpemus.

*Vnus morbus habet rationem cauſæ reſpectu alterius.*

Ante tamen, quàm curationem incipiamus, aduertere debemus, quiſnam morbus habet rationem cauſæ reſpectu aliorum; aliter enim curari nequibunt. Sed quia dictum eſt, quod obſtructio venarum, quæ in vterum terminantur, & quæ ſunt meſenterij, & parenchymatis lienis, eſt aliorum morborum cauſa; ideò omne genus præſidij ad auferendam obſtructionem dirigi debet, in ordine ad quam victus rationem præſcribere priùs debemus, aliis morbis non neglectis.

*Victus ratio in his morbis præſcribitur.*

Alimentum ergo debet eſſe attenuans, adaperiens, & boni ſucci, quale illud eſt, quod adduximus in praxi, *cap. de hepatis, & lienis obſtructione.* Bibat aquam ceterac, & agrimoniæ, vel capill. Ven. vel pimpinellæ, aut aquam rhabar. Exercitium imperandum eſt, quod quieti, & otio opponitur, à quo morbi ſumpſerunt originem; neque aliter morbos demere poſſumus, niſi eorum præſcindamus occaſiones, & cauſas. Ventrem mollem habeat, aut clyſteribus ſubducatur, qui parentur ex rebus emollientibus, aperientibus, reſoluentibus, & euacuantibus, vt ♃. maluæ, mercurialis, chamæmali, anethi, ſenecionis, ana m. ß. furfuris in linteo ligati p. j. ſemin. lini, & fœnugræci, ana ʒ. ij. radicum altheæ, & capparorum, ana ℥. ß. bulliant in debita quantitate aquæ, cuius decoctionis accipe ℥. viij. benedictæ ℥. ß. olei amygdal. amararum, & capparorum, ana ℥. j. ß. ſacchari, & mellis, ana ℥. j. miſce, & fiat enema. Vel ♃. radicum altheæ, liquiritiæ, iridis, & rubeæ tinctorum ana ℥. ß. betonicæ, capill. Ven. maluarum, biſmaluæ, chamæmali, & meliloti, ana m. ß. ſeminis lini, anethi, & fœnugræci, ana ʒ. j. coquantur ſufficienter, cuius colaturæ accipe ℥. viij. elect. Indi ℥. ß. olei laurini, & lil. alb. ana ℥. j. mellis roſati Perſici ℥. iij. miſce pro clyſtere.

*Clyſter emolliens reſoluens, & deobſtruens proponitur.*

Si verò in prima regione cruditates abundent, ita vt clyſterum vſu nequeant auferri, aliquo lenienti ſunt euacuandæ, facta priùs præparatione cum ſyrupo roſarum, & borrag. vel capill. Ven. Purgatio lenitiua fit mannæ aſſumptione in iure aliquo, vel ſic. ♃. mãnæ electæ ℥. ij. diſſolue in ℥. ij. decocti Pugini, & adde ſyr. Principis ℥. j. Vel ſic. ♃. ſpecierum hieræ ʒ. ß. decocti Pugini ℥. ij. ß. ſyr. Regij ℥. ij. miſce. Ad idem valet puluis mechoacam in iure gallinæ, vel vino diſſolutus, aut pulpa caſſiæ in boli formam.

*In menſium detentione ex quo loco ſanguis mittendus.*

His peractis, cùm ſanguinis menſtrualis detentio ſit tot malorum origo, ipſum ſanguinem reuocare debemus per conuenientem regionem: & licèt Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 57. aſſerat, quod in ſuppreſſione menſtruorum, exiſtente plenitudine, venæ ſectio debeat fieri ex brachiorum venis, ne ex venæ ſectione ex talo humores inculcentur, & detineantur in venis, & obſtructionem adaugeant; mihi tamen magis placet Galeni ſententia *lib. de euacuandi rat.* qui ſanguinem extrahere docet ex talo in menſium detentione, ſiue plethora adſit, ſiue non: vbi plures tradit rationes in ſui placiti comprobationem; ſic enim per conuenientem regionem, & per loca conferentia fit; aliter fit reuulſio ad contraria, quam in hoc caſu fugere debemus.

Facta ſufficienti euacuatione per ſanguinis miſſionam, vt magis deobſtruantur venæ, humoreſque fluxibiliores fiant, eos attenuabimus ſyrupis huic muneri dicatis, vt ſyrupo capill. Ven. chicorij, & duarum radicum ſine aceto: mox ipſos humores euacuabimus medicamentis purgantibus, quæ non multùm attrahant; nam vt conſulit Galen. 7. *methodi, capit.* 11. in affectibus ventriculi, & inteſtinorum moderatè purgantia conueniunt, ne ex magna humorum ad ipſas partes attractione obſtructiones maiores excitentur. In quem vſum commendo ſyrup. Principis, vel Regij, & decoctum Pugini, cum diluto rhabarb. & agarici trochiſcati, cum vino zingib. aut cum diacatholicone, vel diaphœnic. & aliis huius cenſus. Neque erit abs re per interualla medicamentum aliquod leue purgans propinare, vt paulatim humores aggregati, & impacti in partibus obſtructis detrahantur, in quem finem ſic parari poteſt ſyrupus magiſtralis. ♃ rhabarb. optimi, & agarici trochiſc. ana ʒ. ij. polypodij, foliorum ſennæ, mechoacam, ana ℥. j. capill. Ven. chicorij, agrimoniæ, ceterac, ana m. ß. radicum apij, petroſelini, & pimpinellæ, ana ℥. j. quatuor ſeminum frigid. maiorum mundat. ana ʒ. ij. prunorum, iuiubarum, ſebeſten, ana n. viij. betonicæ m. j. paſſularum ſine vinaceis ℥. j. bulliant ſecundùm artem in debita quantitate aquæ, quouſque maneant ℔. ij. & colaturæ adde ſucci chicorij, pomorum redolentium, & roſarum, ana ℥. ij. ſacchari albiſſimi, quod ſit ſatis, vt fiat ſyrupus, de quo pro quauis vice bibet ægra ℥. ij. vel tres, quem dilutiorem efficies addita ℥. aquæ cinnamomi, vel decocto florum cordialium, & cinnamomi, & foliorum ſennæ. Quod ſi renuat aſſumere potionem purgatiuam, loco illius vti poterit clyſteribus ſuprà traditis, in quorum decocto addatur caput arietis nigri, detractis oſſibus, lingua, & cerebrali ſubſtantiâ, quod emollit, laxatque vias.

*Syrupus magiſtralis ad obſtructiones ad flatus reſoluendos, & ad pectus vtilis.*

*Chalybis & ſcoriæ ferri vtilitas.*

Sed quia iis nondum ſolent auferri obſtructiones, neque ſuperuenire purgationes menſtruæ, tutum remedium erit vſus chalybis præparati, vel ſcoriæ ferri, quantitate ʒ.j. manè ſumpti, & in ſyr. capill. Ven. diſſoluti, vel aliter adhibiti, quo plures ab obſtructionibus liberaui. Monacha quædam ex immodico aquæ potu tempore æſtatis obſtruebatur quolibet anno, quæ volens ſe ab obſtructionibus liberare, ineunte vere per duodecim dies aſſumebat ʒ.j. ſcoriæ ferri in melle deſpumato calido, deambulatque donec fatigaretur, ſicque tollebat obſtructiones, & menſes detenti erumpebant, & colorem albicantem in floridum mutabat, & quod magis eſt, id faciebat, nulla præcedente vniuerſali euacuatione, tanta eſt vis deobſtruendi huius medicamenti.

*Nota hiſtoriam.*

*Diſtillatio optima ad deobſtruendum & roborandum ventriculum, caput, & pectus.*

Benè facit quammaximè ad tollendas obſtructiones, flatus diſſipandos, & caput firmandum diſtillatio ſequens, ſi per plures dies ſumatur quantitate duarum, vel trium ℥. ♃. quinque radicum diuretic. pimpinellæ, chicorij, borrag. ſcorcion. altheæ, & de capparis, & liquiritiæ, ana ℥.j. tamariſci ℥.ß. capillor. Ven. ceterac, agrimoniæ, meliſſæ, ana m.j. ſeminis melonum, vrticæ, aniſi, & fœniculi, ana ʒ.ij. paſſularum Corinthi ℥.j. prunorum enucleat. n.viij. iuiubarum n.xij. ſebeſten n. viij. florum violarum, borraginis, bugloſſi, & naphæ, ana ʒ.ij. vtriuſque ſpicæ, & calami aromat. ana ʒ.j. abſinthij m. ß. coquantur omnia ſecundùm artem in debita quantitate aquæ ad ℔. ij. vel iij. & adde ſucci chicorij, eupatorij, & pomorum redolentium, ana ℥.ij. antidoti emagogi, dialaccæ, & diacurcumæ, ana ʒ. vj. omnia ſimul mittantur in alembicum, & inſtillentur per balneum Mariæ. Non minùs conducit hæc potio. ♃. chalybis præp. ℈. ij. ſyr. capill. Ven. & de biſantiis, ana ℥. ß. diſtillationis ſuprà deſcriptæ ℥. ij. ß. miſce.

*Cordis palpitantis remedia.*

Quod ſi iis morbi non auferantur, conſulerem aperire fontanellam vnam in crure, vt menſtrualis purgatio reuocetur; alteram in brachio, vt excrementa, quæ quotidie congeruntur in capite paulatim, per illam euacuentur.

*Pulueres Papæ Benedicti.*

His etiam ſolet detrahi palpitatio cordis, ad cuius reliquias deterendas, ſi quæ ſuperſint, conducit quammaximè aſſumere pulueres Papæ Benedicti, quorum hæc eſt deſcriptio. ♃. ſeminis aniſi, fœniculi, carui, cumini ruſtici, liquiritiæ raſæ, dyptami Regij, ana ʒ.iij. coriandri præp. ʒ.vj. triturentur ſubtiliter, & adde ſacchari albi ad pondus omnium, de quibus æger poſt prandium, & cœnam, & manè ieiuno ventre accipiat cochleare; ſubtiliter enim triturati vrinam, & menſes prouocant, flatuſque reſoluunt, qui ſunt palpitationis, & doloris cordis cauſa, licèt magis reſoluant, dum mediocriter triturantur, eo quod magis intra corpus detinentur. Hìc accommodari poſſunt ea, quæ in praxi propoſuimus pro curatione palpitationis; cum hoc tamen prodeſt ſacculus hic cordi admotus. ♃. florum naphæ, borrag. & bugloſſæ, ana ʒ.ij. doronici, been vtriuſque, corticum citri, cariophylorum, cinnamomi, & pulu. granæ, ana ʒ. j. ß. diacymini ʒ. j. florum baſiliconis ʒ. j. ß. terantur terenda ſubtiliter, & fiat ſacculus pro corde cum baſtituris.

*Sacculus pro corde.*

Sed quia huiuſcemodi curatio potiùs reſpicit palpitationem imminentem, & illius cauſam, & ſimiliter ſuffocationem inducendam ex ſepti tranſuerſi compreſſione, ita vt potiùs ſit præcautoria, quàm curatoria, aliqua auxilia ſunt proponenda, per quæ tam palpitatio, quàm ſuffocatio actu affligens dimoueantur, quæ habere debent vim reſoluendi

A flatus nebuloſos, qui vtriuſque affectionis cauſa exiſtunt. Commendantur ergo, vt mirabile remedium, aqua inſtillata cinnamomi ex Mathioli deſcriptione, quantitate ℥.j. bibitæ, vel aqua naphæ, vel inſtillatio, quam ſpiritum aniſi vocant in parua quantitate, vel aqua meliſſæ calida ebibita, ſiue decoctum aniſi, vel cinnamomi calidum, vel tabellæ diacymini, cum modico vini generoſi. Conueniunt etiam clyſteres carminatiui, necnon ventoſæ in ventris regione, quibus perficitur reuulſio ad originem, & incantamenti inſtar morbos auferunt ex flatibus pendentes, vt ait Galen. 12. *methodi, cap. vlt.* Sacculi etiam parantur ex milio, & furfuribus toſtis, ſale, chamæmalo, meliloto, fœnugræco, & lini ſemine vino albo irroratis, qui ventri applicari debent. Fomenta etiam conueniunt ex oleo rutaceo, irino, chamæmali, & anethi, cum aqua vitæ, & alia, quæ propoſuimus in praxi pro cura-

*Aqua cinnamomi vtilis ad flatuum reſolutionem.*

*Ventoſæ potenter flatus reſoluunt.*

B tione doloris colici à flatu. His adaptantur vnguenta, & emplaſtra reſoluentia, & deobſtruentia tradita in praxi pro curatione obſtructionum iecoris, & lienis.

*Remedia pro calida cerebri intemperie traduntur.*

His auxiliis non ſolùm curari ſolet obſtructio, palpitatio, & ſuffocatio, ſed etiam alij morbi, qui ab obſtructione oriuntur; inter quos connumerauimus intemperiem calidam capitis, & diſtillationem ab eo ad fauces, & aſperam arteriam prodeuntem: attamen cùm ea intemperies temporis tractu habitualis ſit facta, non facilè ex cauſæ ſeparatione tollitur; quapropter capitis intemperiem corrigere & emendare oportet, in quem finem poteſt parari decoctum roſarum, borraginis, bugloſſæ, ſeminis, & foliorum myrti, & vtriuſque ſanthali, & camphoræ, quo caput ſæpè abluatur, & ex eiſdem rebus poteſt fieri cucufa ſuperaddendo pulueres vtriuſque coralli, terræ ſigillatæ, corticum citri, & flo-

C rum roris marini. Non minùs vtile eſt caput ſuprà ſuturam coronalem inungere oleo roſarum, & violarum, cum puluere roſarum, & ſanthali rubri, quibus caput temperatur, & roboratur; quo reducto ad propriam temperiem, nequibunt congeri in ipſo tot excrementa, quæ ſunt diſtillationis cauſa, quæ dum ſuffocationem efficit, remediis pectoralibus eſt detrahenda, quæ attenuandi, & inſcindendi humores craſſos vim habeant, vt ſunt ſyrupus capill. Ven. liquiritiæ, de praſio, oxymel ſimplex, & alia id genus. Hic ſyrupus vtilis cenſetur, ſi lambendo ſumatur. ♃. ſyrupi liquiritiæ, & capill. Ven. ana ℥. j. ß. oxymelitis ſimplicis ℥. ß. aquæ ſtillatitiæ cinnamomi ℥. ß. olei vitrioli ʒ. j. miſce. Decoctum etiam pectorale vtile cenſetur, quod conficitur ex paſſulis Corinthi, iuiubis, radice liquiritiæ, caricis, & ſimilibus, quod cum aliquo ex prædictis ſyrupis aſſumi debet. Syrupus etiam peti à Quercetano adductus maximè iuuat, & materias craſſas,

*Curatio ſuffocationis, præſertim ex diſtillatione, in qua proponitur ſyr. de peto.*

D & viſcidas reiicere facit, qui etiam confici ſolet ex decocto foliorum ipſius, in quo ſimul decoqui poſſunt pectoralia quædam, ex quo cum ſaccharo poteſt formari ſyrupus, qui lambendo, & paulatim deglutiendo accipiatur.

Exteriùs pectori admoueantur emplaſtrum filij zachariæ, vel vnguentum Agrippæ, vel naphæ, vel vnguentum finges ex oleo amygd. amararum, lilij albi, & irini, cum axungia gallinæ, & anatis, addito puluere cinnamomi, & cariophylorum, galangæ, & ligni aloës, addito modico ceræ albæ, & guttulis aquæ vitæ, vel ex eiſdem poteſt parari ceratum.

Diſtillationem imminentem præcauebimus remediis iam traditis; tamen aliqua adducemus, quibus eam inhibeamus, & eius cauſam, antequam

*Herba nicotiana vtilis ad præcauen-*

 fiat,

*dum diſtillationem imminentem.*

fiat, abſcindamus, inter quæ vſum tabaci in puluerem redacti non reformido; ſiquidem eſt remedium topicum euacuans humorem ex ipſa parte per nares aſſumptum, quo grauitatem capitis auferre ſolent plures, qui eo, vt conuenit, vtuntur. Quod ſi ipſum ſub forma fumi per os recipiant, neutiquam lædet; penetrat quidem, attenuat, & euacuat ipſum humorem, impeditque fieri diſtillationem, & moderatè aſſumptum cerebri intemperiem calidam augere nequibit. Reliqua pete ex obſeruatione in hoc tomo tradita de fluxione catarrhali.

## OBSERVATIO VI.

*Pro quodam ægro ventriculi debilitatem, nauſeam, & vomitum patiente ex decidentia xiphoidis, ſiue cartilaginis mucronatæ.*

QVidam æger aquæ potui datus, alimentiſque frigidis, & humidis aſſuetus cœpit pati ventriculi debilitatem, & humorum crudorum in ipſo redundantiam, indeque nauſeam, & ad vomitum propenſionem, ac denique euomebat humores crudos, & ſæpe ipſum alimentum inconfectum, eo quod parum detinebatur in ventriculo; cúmque diu huiuſmodi affectione laboraſſet, variiſque vſus fuiſſet remediis, quibus ventriculus euacuaretur, & roboraretur, nunquam tamen ſalutem reſtaurabat; qui ad me perueniens, quæ ei ſucceſſerunt, mihi narrauit, vt ei pro auxilio eſſem; quem vt curarem, iuſſi vt mane in lecto quieſceret, donec ad eum viſendum accederem, & illius ventrem tangerem; ad quem cùm perueniſſem, & os ventriculi attigiſſem, viſum fuit mihi, ipſum habuiſſe cartilaginem mucronatam, quæ ventriculi os tegit, parum decíſam, ita vt non eſſet in loco altiori ſibi debito, exiſtimauique, quod ipſa cartilago os ventriculi comprimens erat horum ſymptomatum cauſa, & quod ex illius ad proprium ſitum reductione facilè æger ſalutem deperditam adquireret, ſicque curaui ipſam reducere picatione facta, inunctis manibus cum terebinthina, quibus partem tangebat miniſtra, ſurſumque ferebat, idque ſæpe fecit; deinde inſperſo puluere maſtichis, mannæ, thuris, abſinthij, & aliorum adſtringentium, & roborantium ventriculum, ſuperpoſitis petiis, cœpit detinere alimentum, detentum coquere, & ſedato vomitu ſalutem optatam adquiſiuit. Sed huius caſus veritas, & huius morbi natura magis ſequenti indagabitur annotatione.

### ANNOTATIO.

*An cartilago xiphois dicta introrſum flecti poſſit.*

DVm eſſem iuuenis, & in lectionibus Authorum non multùm exercitatus, cenſebam, introrſum flecti cartilaginem dictam, eſſe merum figmentum, neque poſſe talem excogitari morbum, quem noſtrates appellant *paletilla cayda*; exiſtimabam ſiquidem, vt ipſa eſſet extra periculum prolapſus, quia eſt vnita nimis, & adhærens oſſi ſterno, vt neutiquam poſſet relaxari, quod ita cenſet Realdus *in anatome, lib.* 1. *de oſſibus, cap.* 10. Fragoſus *lib.* 1. *cap.* 23. Andreas Laurent. 3. *de re anatomica, cap.* 11. Cæterùm Authorum lectio, & experientia me docuit contrarium; imò neque eſt ratio, quæ oppoſitum ſuadeat: quapropter Paræus

A *libro* 3. *de partium thoracic. anatome, capit.* 1. inquit, quod huiuſmodi cartilago ſæpe humiditatibus aquoſis, & ſeroſis, quibus orificium ventriculi natat, ita proluitur, & perfunditur, vt his delibuta, & tanquam inebriata relaxetur, cuius curationem, & reſtitutionem ad proprium ſitum ipſe proponit. Doctiſ. Veiga *de locis affect. cap.* 4. *num.* 21. non ſolùm hanc cartilaginem flecti cenſet, ſed etiam eam, in quam ad caudam ceſſat ſpina. Audi illius verba: *Abſurdum non eſt opinari duas illas inſignes cartilagines, in quas & pectus, & tota ſpina ad caudam ceſſant, quandoque tempore introrſum inflecti, & labores, & imbecillitates corpori parere, reducique manus opere, iunctis adſtrictoriis medicamentis, quieteque.* Venerandus Magiſter Garcia *diſput.* 51. *de locis affectis, cap.* 2. adducens cauſas tabis, inquit, corpus tabeſcere poſſe vitio mucroſæ cartilaginis, quæ iuxta ventriculum eſt, vbi finitur os pectoris: B quod vitium vulgares decidentiam appellant, cuius antiqui Medici non fecerunt mentionem; habet enim commodam rationem, propter quam dicamus, illam cartilaginem poſſe introrſum flecti, emollito ſcilicet glutine, quo oſſi hæret. Zacutus *lib. de Medicor. Princip. hiſt. quaſt.* 36. hoc dubium affirmatiuè ſoluit. Benè enim nimio mucore, humiditateque excrementitia impleri, & relaxari poteſt, emollito glutine, quo pectori hæret, inquit etiam ipſe; qui omnes huius vitij rationem aſſignant.

*Tabes fieri poteſt ex decidentia huius cartilaginis.*

Neque eſt extra rationem, quod tabes ex huiuſmodi oriatur cauſa, cùm ventriculus comprimatur ab ipſa cartilagine, & cauitas ventriculi minor fiat, & quodammodo in ipſo ventriculi ore dolorem excitet, & vomitum eorum, quæ deuorantur, ita vt alimentum deficiat partibus alendis.

*Signa huius morbi ſtatuuntur.*

Oſtendunt hoc vitium ventriculi debilitas, ructus, nauſea, vomitus, anguſtia, ſeu oppreſſio circa os C ventriculi; & ſi nimis duret hæc affectio, ita vt coctiones cibi ingeſti impediantur, in tabem æger incidere ſolet: reſpiratio læditur, quia quodammodo comprimitur diaphragma à cartilagine introrſum flectente, cuius ipſa cartilago eſt tutela, vt ait Gal. 7. *de vſu part. cap.* 21. Adeſt appetitus proſtratio, oris humiditas, & ſæpe capitis dolor ex ventriculi conſenſu ſubortus. Præcedunt inordinatus eduliorum humidorum vſus, nimius aquæ potus, otium, & quidquid ventriculum cruditatibus replere valet.

Hic affectus diu durare ſolet ob Medicorum incuriam, qui exiſtimant, talem affectum ex tali cauſa ſubortum non dari, ſed eſſe fabuloſum, & ab aniculis introductum, atque adeò paulatim, furtimque homo contabeſcit, & perit, ſi eius ignoratur cauſa.

*Curatio xiphoidis decidentis.*

Ad curationem deuenientes, curari debet veluti D curatur debilitas ventriculi à frigiditate, & humiditate cum humoris præſentia nata, cuius curationem patefecimus in praxi, capite de ventriculi debilitate, & de cibi faſtidio. Vnum tamen habet hic affectus peculiare, vt ſuprà diximus ex Paræi, & Veigæ ſententia, nempe quod hæc cartilago ad ſuum locum eſt reducenda manuali operatione, quod optimè perficitur picatione. Os igitur ventriculi concutiatur ferula pice, vel terebinthina illita, vel melle, paulatimque, & ſæpe ferula attollatur, donec caro rubefiat, & ſi opus eſt, apponatur cucurbitula, quæ maximè attrahit, & ad partem calorem reuocat; eaque detracta, ſtomachica roborantia, & adſtringentia ſunt apponenda ſimul cum terebinthina, vt contumaciùs ori ſtomachi adhæreant.

*Picare quid ſit.*

Neque

*Picare conuenit cuicumque parti ad ſuſcitandum illius calorem.*

Neque hic curandi modus ſolùm conuenit huic affectui, ſed illum commendat Galen. 7. *method. cap.7.* in debilitate ventriculi, ad quam docet eſſe mirificum medicamentum, ſi eo moderatè ſciant vti; attrahit enim, & reuocat calorem ad ipſum, & coctiones perfectiores fiunt; neque ad hanc partem ſolum eſt vtile medicamentum, ſed ad alias, in quibus eſt neceſſaria attractio, & caloris ad illas reuocatio; proptereaque Galenus pro reficiendis corporibus extenuatis 14. *method. cap.16.* tale medicamentum adhibet, quod calefacit quidem, & humectat, & ſanguinem attrahit; ſed ne plus iuſto eo vtamur præſidio, illi imponit modum, dicens: *Quibuſcumque partibus bonam habitudinem reddere ſtudemus, has & fricare, & perfundere, & percutere, & picare oportebit tantiſper, dum intumeſcant; hoc vbi factum eſt, protinus deſiſtere oportet, priùs quam digeri cœperint.* Picationis talis eſt forma, vt ipſe Galenus ibi ait: *Ferulas paruas ac leues modicè illitas partibus gracilibus incutiunt, donec modicè attollantur; ferularum loco volam manus illinunt, & ori ventriculi accommodant, ſurſumque rapiunt, ſecumque attrahunt partem, & ſanguinem mouent ad illam, vt cognoſcitur ex rubedine, quam ipſa comparat pars.* Sicque partis calor, qui erat veluti extinctus, viuificatur; & partis actiones roborantur attractione ſanguinis, & ſpiritus, dummodò ea attractio non ſit excedens; nam tunc fiet ſpirituum, & ſanguinis diſſipatio: nam vt *loco cit.* ait Galenus, ea quæ calefaciunt, ſicut attrahere, ita etiam digerere ſunt apta; & ſicut ab illis pars intumeſcit, dum eis vtimur moderatè, eorum exceſſus corpus gracileſcere facit. Sed dicta ſufficiant pro xiphoïdis reductione, & ventriculi debilitate ab illa pronata.

---

## OBSERVATIO VII. & vltima.

*Pro quadam ancilla, quæ dum epilepſiâ laboraſſet, cecidit in guttam ſerenam, & omnimodè amiſit viſum, quem adhibito medicamento purganti intra diem naturalem reſtaurauit ex toto, citra omnium ſpem.*

FAmula quædam Garciæ de Miranda Procuratoris in hoc Pintiano Senatu ætatem agebat 24. annorum: ex menſium detentione ſentire cœpit capitis grauitatem, deinde motum concuſſiuum, ac denique in epilepſiam incidit, in cuius paroxyſmis maximè concutiebatur, ſpumamque ex ore mittebat, ipſamque qualibet die non ſemel, ſed pluries epilepſia apprehendebat; quæ quidem in menſe Martij anno 1649. cœpit eam vexare, & ingraueſcente malo, in menſe Iunij dixit, ſe cum oculo ſiniſtro nihil videre, & inſpecto eius oculo, nihil apparebat, in quod poſſet reduci viſionis defectus. Denique in menſe Octobris cum oculo dextro diminutè videre cœpit, quovſque tandem omnimodè viſum amiſerit, nullo malo in oculis apparente, in cuius conflictu vocatus fui, & vt euacuationem menſtrualem reuocarem, ſanguinem ex talo extrahere præcepi, frictionibus, cucurbitulis, & ligaturis partium inferiorum vti: ſed iis alleuiabatur nihil, imò commotis humoribus citiùs in morbum incidebat comitialem, & oculos nimis habebat grauatos. Decreui igitur eam purgare, attamen neque potionibus, neque pillulis id aſſequi potui; nam potiones euomebat ſtatim, & pillulas non reducebat ad actum, forſan quia calor ventriculi debilis perſiſtebat; quovſque tandem 15. die menſis Nouembris dedi in ℥. iiij. vel quinque vini albi ʒ. j. pulu. zagualtipanis, qui puluis calore vini ita fuit actuatus, vt largè per infernam aluum purgaſſet, quâ purgatione peractâ, nocte requieuit, altero verò mane è ſomno reſurgens, vidit lucem, iudicauit de coloribus, & omninò viſum recuperauit, & nunc incolumem ſeruat: quod portentum in admirationem rapuit omnes.

### ANNOTATIO.

*Res mirabiles quibus dicuntur modis.*

MVltis modis res mirabiles apparent, vt Hug. de operationibus trium dierum aſſerit, aut quia paruæ, aut quia raræ, vel pulchræ. Secundùm magnitudinem mirabilis res aliqua dicitur, quando in quantitate alias ſui generis excedit: ſic miramur gigantem inter homines, cetum inter piſces, gryphonem inter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter ſerpentes. Secundum paruitatem res mirabilis attenditur, quando res quælibet cæteris ſui generis eſt minor, vt tinea, vermes, culices, pulices, & alia ſimilia, quæ cæteris omnibus paruitate diſparia ſunt. Attende ergo quid magis mireris, dentes apri, vel tineæ; alas gryphi, vel culicis, leonem, vel pulicem; ibi miraris magnitudinem, hîc miraris paruitatem, ſub qua tot virtutes, & adiutamenta ſuæ naturæ congrua ſummus Opifex diſtribuit, vt nihil videas deeſſe in minimis eorum omnium, quæ idemmet Opifex formauit in magnis. Raró eueniens res in admirationem ſubire facit; quæ quia noua, & nunquam viſa, ſtuporem, & admirationem cauſat, vt dilucidè oſtendit Hieronymus Fracaſt. *de ſimpat. & antipat. rerum, cap. 20.* Idem ſtatuit D. Auguſt. *lib.21. de Ciuit. Dei, ad Marcellinum cap.8. litterâ G*, vbi ait, quod licèt mirabilior ſit conſideratio diſſimilitudinis, quæ reperitur in nobis, quoniam ſimilitudinem iuſtiùs videtur expoſcere hominum natura communis; tamen quoniam quæ ſunt rara, ipſa ſunt mira, multò etiam ampliùs admiramur quando duos ita ſimiles reperimus, vt in eis diſcernendis aut ſemper, aut frequenter erremus. Perrarum, mirabileque eſt vnico medicamento purgante cæcum illuminare, & eius caliginem auferre, ita vt priſtinum recuperaret viſum; quem euentum neque ego ſperabam, & ſi fortè accideret, non niſi poſt plurium medicamentorum vſum, præſertim cùm morbus ille ſit difficilis ſolutionis.

*Raró euenientia mirabilia ſunt.*

Quod ægra laboraſſet huiuſmodi morbo, de ſe notum eſt; nullum enim in oculo malum apparebat, quo cernendi ſenſus læderetur; & tamen cernendi actio erat abolita: quod ſignum tradit Gal. 4. *de locis, cap. 1.* pro cognitione huius affectus; patitur enim oculus per conſenſum, cauſam enim huius læſionis continet neruus opticus, cùm vel inflammatione, vel ſchirrho laborat, vel alioquin ex humorum defluxione afficitur, aut aliter quomodolibet illius foramen obturatur, vt ibi Gal. aſſerit.

Neque eſt difficile intellectu, quod ægra in hanc incidiſſet labem, propter humorum defluxionem ad neruos, quibus fuit in illis producta obſtructio totalis; quæ quidem primò occupauit neruum opticum, qui ad radicem oculi ſiniſtri terminatur, atque

atque adeò priùs obcæcatus oculus ille fuit, deinde fluente humore ad oculi dextri neruum, illum obturauit, & omnimodè priuata fuit viſu. Neque aderant ſigna, quæ oſtenderent viſionis læſionem potuiſſe ab aliis cauſis ſuperuenire. Hic humorum impulſus originem traxit à cerebro ſe concutiente in acceſſionibus epilepticis, quibus antea vexabatur, in quibus natura tentans humorem illum expellere, tranſmittebat illum ad neruos, in quibus impactus abolitæ viſionis fuit cauſa. Fuit ergo in hac ægra totus ille humor miſſus ad neruos opticos, quem poſtea nequiuit in alium locum dimittere, ibique aceruatus, obſtructione inducta viſum deſtruxit, donec adhibitis remediis, denique oblato puluere zagualtipanis quantitate ʒ. j. in vino albo, copioſè purgauit, &

A non ſolùm euacuauit cauſam antecedentem, quæ parata erat fluere in neruos, ſed etiam cauſam coniunctam, ſeu immediatam; aliter etenim non poterat ita facilè viſum recuperare: & quod magis eſt, non paulatim, ſed confeſtim viſio fuit reſtituta; ad hoc enim potuit adiuuare ſomnus, ratione retroceſſus caloris ad intra, quo reſolutus fuit ille humor, ſi aliquis in neruorum cauitatibus remanſit; propterea que non vidit die purgationis, ſed die ſequenti, ſomno iam conſummato.

Si velis guttæ ſerenæ affectum probè curare, recurre ad caput proprium de ſuffuſione, in praxi, vbi plura adducuntur remedia pro huius affectus curatione, & ad obſeruationem in hoc libro traditam pro viro præclaro gutta ſerena, & ſuffuſione incipiente ſimul moleſtato.

INDEX

# INDEX RERVM OMNIVM NOTABILIVM,

## Quæ in præcedentibus tripartitis Operibus Medicis comprehenduntur;

*In quo prior numerus paginam, alter columnam denotat: poſtremò inter vtramque columnam interiecta literæ deſignantur.*


A

*Aborſus.*

ABORSVS quid ſit, & an quocumque tempore geſtationis ſuperuenire poſſit. p.422.col.2.d

Aborſus dupliciter contingere poteſt. p.423. col.1.a

Aborſus eſt imperfecta fœtus emiſſio vtcumque, & quocumque tempore facta. ibid.col.1.d

Aborſus nomine non comprehenditur ea ſeminis emiſſio, quæ intra ſeptem primos dies fit. ibid.

Aborſus cauſæ multiplices referuntur. p.423.col.2.d. & ſeq.

Aborſus ſigna referuntur. p.424.col.2.b.c

Aborſus curatio præſeruatiua ante conceptionem.p.425. col.1.b.c

Aborſus ratione redundantiæ ſanguinis contingens venæ ſectione curatur. ibid.d. & col.2.a

Aborſus quomodo præcauendus. ibid.col.2.b.c.d

*Abſceſſus.*

Abſceſſus in diſtantiſſimis partibus fiunt, naturâ valente. p.534.col.1.a

*Acceſſio.*

in Acceſſionis die, ſi natura perfectè operetur, totum opus euacuationis ei committendum eſt; ſi verò humorem non integrè euacuet, eius motus arte adiuuandus eſt. p.68.col.1.d

Acceſſiones anticipatæ, vehementioreſque ſignum ſunt incrementi morbi. p.487.col.1.b

*Accidens morbi.*

Accidentia morborum variantur ex diuerſitate humorum. p.82.col.2.d.& ſeq.

Accidentia multùm ad ſubſtantiæ cognitionem conducunt. p.183. circa med.

Accidentia materiæ alterationem conſequentia non eſt neceſſe percurrere quatuor tempora. p.613.col.2.b

Accidentia morborum poſſunt eſſe meliora, & intenſiora. p.616.col.1.c

*Actio.*

Actio cuiuſlibet potentiæ animalis tripliciter lædi poteſt. p.462.col.2.c

Actio coacta quare ſemper cum incommodo naturæ fiat. p.542.col.1.c

*Adſtrictio.*

Adſtrictio ventris quibus remediis curetur. p.507. col.2.c.d

Adſtrictionis ventris curationes variæ pro varietate cauſarum à quibus procedit. p.508.col.1.& 2

Vide in verbo *Obſtructio.*

*Æger.*

Æger mori ſolet in declinatione particulari, viribus reſolutis. p.610.col.1.a

Æger an poſſit perire in quolibet morbi tempore.p.616. col.2.b. & ſeqq.

Æger coctâ morbi materiâ perire poteſt. ibid. d. & ſeq. & p.618. col.2.a

Æger ſæpè ſuffocatur concoctâ morbi materiâ. p.617. col.1.a

Æger non poteſt perire in morbi declinatione vniuerſali, nullo errore commiſſo. ibid.c.& col.2.a

*Aër.*

Aër cur diuinus ab antiquis dictus fuerit. p.48.col.1.b

Aër quo inquinamento afficiatur, vt ad peſtilentem conſtitutionem diſponatur. p.126.col.2.b.c. & ſeqq.

Aër maximè immutatur ex variis conſtellationibus. ibid.d

Aër dupliciter alterari poteſt. p.127.col.1.b

Aër non eſt aptus ad putredinem. ibid.c

Aër quibus rebus ſit temperandus in peſtilenti conſtitutione. p.129.col.1.c.& ſeqq.

Aër in febre maligna debet eſſe purus, & ad frigiditatem vergens; cauere tamen oportet, ne ægroti cutem tangat. p.148.col.2.a

*Ætas.*

Ætatum mutatio in viuentibus à qua cauſa procedat. p.179.col.1.a

Ætatis curſus citiùs pertranſitur exſiccantium vſu.p.554. col.1.a.b

Ætas florens quid ſit, & an ſit ſcopus ad ſanguinem mittendum. p.584.col.2.c.d.& p.585.col.1.b

*Affectio.*

Affectio dicta *noli me tangere*, curata puluere cancri fluuialis vſti. p.499.col.2.c.d.& ſeq.

Affectio dicta *noli me tangere*, quænam ſit. p.500. col.2.b.

Vide in verbo *Cancer.*

*Agaricum.*

Agarici virtutes deſcribuntur, & quibus affectibus conferat, refertur. p.198.col.2.d

Agarici doſis, & eius adminiſtratio interiùs, & exteriùs, & in qua forma. p.199.col.1.a.b

*Agrippa.*

Agrippa quare ſic dictus. p.603.col.1.b

Agrippa perpetuò valetudinarius fuit. ibid.col.2.b

*Alexipharmacum.*

Alexipharmaca ad vlceris anginoſi curationem vtilia. p.289.col.2.d

Alexipharmaca per ſe, vel cum aliis mixta ſunt in febris malignæ curatione exhibenda, & quænam vtiliora çenſeantur. p.152.col.1.b.c.& ſeq.

*Alimentum.*

Alimentum ex quo generantur humores, quamuis valde homogeneum, ſemper habet partes diuerſis reſpondentes elementis, ex quibus duo reſultant excrementa. p.45.col.2.c

Alimentum nutritioni inſeruiens non poteſt eſſe æqualiter diſpoſitum, vt ſecundùm omnes partes conuertatur in aliti ſubſtantiam. ibid.d

Alimenta calefacientia, & humectantia competunt in curatione quartanæ exquiſitæ; & aliquando calefacientia, & exſiccantia. p.96 col.2.c.d

Alimenta pro febris hecticæ curatione præſcribuntur. p.122.col.1.c.d.& ſeqq.

Alimentum paucum, & ſæpe aſſumi debet in febre maligna, & quædam vtiliora præſcribuntur.p.156.col.2.d.& ſeq.

Alimentum, venenum, & medicamentum in quo differant, & conueniant. p.468.col.1.c

Alimenti aſſumptio neceſſaria eſt, quia quotidie reſoluitur. p.576.col.1.a

*Allium.*

Alliorum eſum rabientibus prodeſſe obſeruatione quadam oſtenditur. p.254.col.2.d.& ſeq.

*Aloës.*

Aloës virtus eximia deſcribitur, & in qua doſi exhiberi debeat,aſſignatur. p.197.col.2.c.d

*Amor.*

Amor eſt complacentia, ſeu conuenientia inter appetitum & bonum. p.28.col.2.d

*Amuletum.*

Amuleta, aut remedia manifeſtè operantia, ratione verborum, characterum, ligaturæ, figuræ, vel conſtellationis nullam vim naturalem habent ad fugandos morbos. p.190.col.2.c.d

Amuleta ab antiquis & neotéricis tradita, quàm ſint ridicula. p.191.col.1.c

Amuleta quædam pro pleuritidis curatione vtilia referuntur. p.315.col.1.a

Amuleta pro colico dolore ſedando vtilia referuntur. p.354.col.1.a

Vide in verbo *Auxilium.*

*Anaſarca.*

Anaſarcæ curatio per vomitum,diureticorum vſum, & exteriùs admouenda, & interiùs aſſumpta deſcribitur. p.372.col.1.c.d.& ſeqq.

Vide in verbo *Hydrops.*

*Angelus.*

Angeli, ſiue boni, ſiue mali poſſunt Dei permiſſu morbos producere, licèt non immediatè. p.49.col.1.a

Angeli nullam qualitatem corporalem immediatè valent producere. ibid.b.c.& ſeq.

Angeli vim habent, & facultatem mouendi corpora localiter; & qua ratione id efficere poſſint.ibid.col.2.a.& ſeq.p.50.col.1.a

Angeli medio locali motu poſſunt producere omnia morborum genera. p.50.col.1.b

*Angina, & Anginoſus.*

Angina quid ſit,& quot ſint eius ſpecies.p.290.col.1.c.d

Anginæ communior diuiſio in quatuor ſpecies, & quænam ex illis periculoſior ſit. ibid.col.2.a.b.c

Anginæ cauſæ & ſigna communia recenſentur. ibid. col.2.d.& ſeq.

Anginæ ſigna particularia, & curatio deſcribuntur. p.291.col.1.b.c.& ſeqq.

de Anginoſo quodam obſeruatio notanda deſcribitur. p.292.col.1.d.& ſeqq.

*Anima.*

Anima rationalis mediis paſſionibus morbum non poteſt producere in homine. p.30.col.2.a

Anima rationalis mediis paſſionibus ad appetitum ſenſitiuum attinentibus poteſt corpora tranſmutare, & morbum producere, ſalutem afferre, & quandoque mortem. p.31.col.2.b

Anima non poteſt immediatè mouere ſanguinem & ſpiritus, & quare. p.39.col.1.c

Anima rationalis poſt reſurrectionem dat idem numero eſſe ſubſtantiale, non tamen idem numero eſſe accidentale. p.112.col.2.d

*Animal.*

Animalia ouipara quare ſine concubitu viri concipiant. p.429.col.2.b.d

Animalia lunâ decreſcente caſtrari debent, & quare. p.444.col.2.b

Animalia quædam ſicca quare diutiùs viuant, quàm humida. p.554.col.1.c

*Animi deliquium.*

per Animi deliquium quid intelligatur in dolore ſedando per euacuationes. p.512.col.2.b

Vide in verbo *Deliquium.*

*Annotatio.*

Annotatio incompreſſa quid ſit, iuxta Galeni mentem. p.118.col.1.c

*Anthrax.*

Anthraces peſtilentes quo pacto ſint curandi. p.132. col.1.c

*Anus.*

Ani procidentia qualis affectus ſit, quales eius cauſæ, & quomodo dignoſcendæ. p.362.col.1.c.d

Ani procidentia quomodo curanda. ibid.col.2.b.c

*Apertio.*

Apertio ventris pro aſcitis curatione quo tempore ſit facienda. p.374.col.1.a

Apertio prædicta quo in loco ſit commodior, & an in vmbilico facta ſit tuta. ibid.b.c

Apertio membranæ, quæ peritonæum dicitur, cauenda eſt. ibid.col.2.d.& ſeq.

Vide in verbo *Paracentheſis.*

*Aphthæ.*

Aphthæ oris vlcera ſunt, tum pueris, tum adultis ſuperuenientia, quæ quandoque diuturna fiunt, & curatu difficilia. p.284.col.1.b.c

Aphtharum curatio, ſiue infantulos, ſiue adultos afficiant. ibid.col.1.d.& ſeqq.

*Apnœa.*

Apnœa, & orthopnœa quid ſint: vide in verbo *Reſpiratio difficilis.*

*Apoplexia, & Apoplecticus.*

Apoplexia quàm grauis affectus ſit. p.236.col.1.a

Apoplexiæ definitio. ibid.b

Apoplexiæ natura in quo ſita ſit. p.237.col.1.b

Apoplexia non poteſt fieri ab intemperie. ibid.

in Apoplexia cerebrum eſt pars affecta. ibid.col.1.d

Apoplexiæ quatuor ſpecies diſtinguuntur. ibid.

Apoplexiæ cauſæ, & ſymptomata referuntur.ibid.col.2.b.c.d

Apoplexiæ difficilis curatio; & ſi quando ſoluitur, in paralyſin terminatur. p.238.col.1.b

Apoplectici mors quomodo deprehendatur. ibid.

in Apoplexiæ curatione potentioribus, & extremis remediis ſtatim eſt vtendum. p.238.col.1.d.& ſeqq.

Apoplexia medicamento purganti curata. p.239.col.2.b.c.& ſeqq.

Apoplecticus caſu ex alto facto in ſtupendam paralyſim incidit,& intra quatuor dies moritur. p.472.col.2.c.d

Apoplexia an fieri poſſit ex obſtructione carotidum, & iugularium venarum. p.473.col.1.c.d

Apoplexiam ſubitò fieri, quomodo ſit intelligendum. ibid.col.2.b

Apoplexia an poſſit fieri ab intemperie nuda. ibid.c.d
Apoplexia ex caſu ex alto, quomodo contingat. p.474. col.1.a
Apoplexiæ à caſu ex alto procedentis curatio à quo remedio incipere debeat. ibid.col.2.c.d
Apoplexia an fieri poſſit ex bile. p.518.col.1.d

*Apozema.*

Apozema pro febris malignæ curatione vtile deſcribitur. p.152.col.2.d
Apozema ad gallici morbi reliquias conterendas vtile deſcribitur. p.172.col.1.d

*Appetitus.*

Appetitus triplex recenſetur in homine. p.28.col.2.a
Appetitus ſenſitiuus duplex refertur. ibid.c
Appetitus concupiſcibilis ſex paſſiones adducuntur.ibid.
Appetitus ſenſitiuus mouetur ad conſequendum bonum, vel fugiendum malum ab obiecto repræſentato ſub ratione boni, vel mali, tanquam à fine in quem tendit; & à potentia cogitatiua, tanquam à proponente finem. p.37.col.2.d
Appetitus tam rationalis, quàm ſenſitiuus mouent cæteras potentias inferiores per quandam efficaciam, ſeu efficientiam quaſi moralem, & per ſubordinationem potentiarum. p.38.col.2.d

*Aqua.*

Aquarum turbatio miranda refertur, quam dira peſtis in ea regione ſequuta fuit. p.128.col.1.d
Aqua fœniculi, & bugloſſæ prodeſt in morbillis & variolis. p.161.col.2.c
Aquæ refrigerantes medicamentorum compoſitionem ingredientes variæ referuntur. p.192.col.1.d
Aquæ calidæ referuntur. ibid.col.2.d
Aquarum prædictarum vſus qualis in medicina. ibid.c.d
Aquæ ſudorificæ. p.193.col.1.a
Aquæ tripliciter pro morborum curatione exteriùs admouentur. ibid.col.1.c.d
Aquæ vitæ vſus frequens in medicina, & quomodo pro curando affectu, ad quem adhibetur, conuenientior reddi poſſit. ibid.
Aquæ frigidæ potus in febribus ardentiſſimis quàm vtilis ſit. p.210 col.2.d.& ſeq.
Aqua ceraſorum qua ratione epilepticis prodeſſe poſſit. p.231.col.2.a
Aquæ ceraſorum per ignem extractæ vtilitas.ib.col.2.c.d
Aqua mirabilis ad paralyſim iam inueteratam curandam. p.243.col.2.b
Aqua mirabilis ad ſuffuſionem oculorum curandam. p.270.col.2.d
Aquæ referuntur vtiles ad curationem vlcerum, præſertim faucium & gutturis. p.289.col.1.b
Aqua marina valdè conducit ad phthiriaſim curandam. p.448.col.1.b
Aqua dulcis quomodo artificialiter æquæ marinæ in virtute ſimilis effici poſſit. ibid.
Aqua mirabilis deſcribitur ad ablutionem partium phthiriaſi coinquinatarum. ibid.col.1.c
Aquarum mutationes an poſſint gignere catarrhum. p.479.col.2.d
Aqua frigida eſt ſedatiua doloris, & quomodo. p.513. col.1.b.c
Aquæ hydropicorum extrahendæ modus, & quantitas præſcribitur. p.514.col.2.b.c
Aqua hydropicorum quomodo extrahi poſſit cum ſecuritate. p.516.col.1.d
Aqua in ore detinenda eſt dum per nares puluis tabaci aſſumitur. p.553.col.1.d
Aquæ nimis motæ quare non recipiant figuram, quæ videri poſſit. p.563.col.2.c.d
Aquæ diuerſorum fontium ad affectus renum, & veſſicæ vtiles recenſentur. p.573.col.2.b.c
Aquę fontis de Gambo dotes annuntiantur,& eam bibendi modus pręſcribitur.p.607.col.2.d.& p.608.col.1.a.b
Aquæ fontis del Raſtro Vallis-Oleti laudes proferuntur. p.608.col.1.c
Aqua cinnamomi vtilis ad flatuum reſolutionem deſcribitur. p.629.col.2.a

*Argentum viuum.*

Argentum viuum quid, & quotuplex ſit: vide in verbis *Hydrargyron*, *Sublimatum*.

*Arteria.*

Arteriarum ſectio an conueniat pro curando catarrho. p.484.col.1.d
Arteriarum ſectio frequens apud Ægyptios.ibid.& col.2

*Arthritis.*

Arthritis, Medicorum opprobrium, quis morbus ſit. p.432.col.2.b.c
Arthritidis diuiſio in tria membra. ibid.
Arthritis quas partes afficiat. ibid.col.1.d
Arthritidis cauſæ variæ referuntur. p.433.col.1.b.c
Arthritis ex doloribus colicis cauſata. ibid.col.2.b
de Arthritide cauſata ex flatuum copia traditur obſeruatio. ibid.col.2.d. & ſeqq.
Arthritidis præſagium & curatio præſeruatiua. p.434. col.1.b.c.d
Arthritidis curatio in morbi acceſſione. ibid.col.2.d
Arthritis vigintiquatuor horarum ſpatio curata. p.435. col.1.c
Arthritis manus ſiniſtræ digitum magnum torquens, eiuſdem digiti immiſſione in aquam frigidam curatur. p.510.col.2.d.& ſeq.

*Aſcarides.*

Aſcaridum curatio quibus remediis perficiatur. p.359. col.1.a.b
Aſcarides quid ſint, & quomodo generentur, vide in verbo *Vermis*.

*Aſcitis.*

Aſcitis à frigidiori iecoris intemperie ortum ducit.p.368. col.2.a.b
Aſcitis deterior eſt omnibus hydropis ſpeciebus, quæ à morbis acutis non dependent. p.370.col.2.c
Aſcitis curatio refertur. p.373.col.2.c.d
Aſcitis ex magno, & copioſo vrinæ fluore curata. p.513.col.1.d
ad Aſcitis curationem paracentheſis admittitur. p.514. col.1.d
Aſcitis aqua calida, ſicca, & amara eſt. p.515.col.2.c
ad Aſcitis curationem remedia plura proponuntur. p.516.col.2.d

*Aſſimilatio.*

Aſſimilatio parentum & filiorum in proprietate, & accidentibus ex quo principio oriatur.p.166.col.2.c.d

*Aſthma.*

Aſthma apud Græcos, ſuſpirium apud Latinos quiſnam affectus,& qui aſthmatici dicantur.p.293.col.1.b
Aſthmatis natura, & eius diſtinctio ab angina. ibid. col.2.a.b
Aſthmatis prognoſticum, & curatio.p.294.col.1.c.d.& ſeqq.
Aſthmatis curatio à quo inchoari debeat. p.297.col.2. b.c.& ſeq.

*Aſtrum.*

Aſtrorum ortus & occaſus attendendi ſunt in morborum curatione. p.440.col.2.d.& ſeq.

*Audacia.*

Audacia eſt paſſio ita oppoſita timori, ſicut fuga opponitur deſiderio. p.29.col.2.a

*Auditus.*

Auditus inſtrumentum proprium quale ſit, & quomodo lædatur. p.274.col.1.b.c
Auditus grauitas qualis affectus ſit;& vnde proueniat: vide in verbo *Surditas*.

*Auris.*

Aurium dolor à quibus cauſis procedat, & quale ſit eius præſagium. ibid.col.1.d.& ſeq.

Aurium dolor ex inflammatione procedens quomodo curandus. ibid.col.2.c
in Aurium dolore ſemper remedia calida, aut tepida admouenda ſunt. ibid.
Aurium doloris ex intemperie calida, frigida, ex flatu, vermibus, & aliis rebus procedentis curatio proponitur. p.275.col.1.a.b.& ſeqq.
Aurium ſibilius & ſonitus quinam affectus ſint, & à qua cauſa procedant. ibid.col.2.b.c.d
Vide in verbo *Sonitus.*
de Auris dolore obſeruatio traditur, in quo ex errore phlebotomi ſectâ venâ cephalica, ægra periit.p.454. col.1.b. & ſeqq.

*Autumnus.*

Autumnus quare malus, præſertim tabidis, à Principibus Medicinæ cenſeatur, ver verò è contra. p.305. & 306.col.1.a.b

*Auxilium.*

Auxilia amuleta dicta quænam ſint. p.187.col.2.c
Auxilia amuleta operantia à tota ſubſtantia, vel qualitate occulta, habent vim fugandi morbos à tota ſubſtantia dictos. p.190.col.1.d
Vide in verbo *Amuletum.*
Auxilia communia cuilibet dolori capitis ex cauſa materiali pendenti referuntur. p.205.col.1.d.& col.2.a. & ſeqq.
Auxilia duo magna an conueniant in eodem tempore morbi. p.598.col.2.c

B.

*Balneum.*

Balneorum vſus in febris hecticæ curatione proponitur. p.121.col.2.c
Balnea, & humectantia omnia vtiliſſima cenſentur ad curationem rabiei. p.254.col.2.d
Balnea ad diabetis curationem vtilia deſcribuntur.p.381. col.1.d
Balnea ſulphurea conferunt in paralyſi. p.496.col.2.b
Balnea plurimis morbis conferunt. ibid.col.2.c.d
Balneorum triplex differentia aſſignatur. p.497.col.1.a
Balneorum effectus referuntur. ibid.col.1.b
Balnei aquæ dulcis effectus quinam. ibid.col.1.d
Balneorum diuiſio. ibid.col.2.a
ad Balnei vſum an ſemper prærequiratur euacuatio humorum. ibid.
Balneum quibuſnam morbis non conueniat. p.498. col.2.b
Balneum non eſt vtile ad luem gallicam. ibid.col.2.d
an Balnea poſſint eſſe vtilia morbis complicatis cum lue gallica. p.499.col.1.a.b.& ſeq.
Balneum poſt vnctionem hydrargyrij cogente neceſſitate conuenire poteſt. ibid.col.2.b

*Baptiſma.*

Baptiſma puerulo in quauis corporis parte,neceſſitate vrgente collatum,an ſit validum.p.604.col.1.c.d.& ſeqq.

*Bilis.*

Bilis quare in morbo regio extra vaſa non putreſcat. p.56.col.1.b
Bilis atra an ex aſſata pituita fieri poſſit. p.95.col.2.a
Bilis atræ ſpecies duæ recenſentur. ibid.
Bilis atra frigida eſt ex ſua natura. p.572.col.2.c

*Botium.*

Botio laborans poſt aliorum remediorum vſum ſuppurantibus curatur. p.620.col.2.c.d
Botium quid ſit, & quibus aliis nominibus ſignificetur. p.621.col.1.b
Botium inter excreſcentias à pituita ortas connumeratur. ibid.c
Botium quare ſit aliquando durum. p.622.col.1.c
Botij legitimi, & illegitimi differentiæ. ibid.d
Botij cauſæ referuntur. ibid.col.2.c
Botij curatio tribus medicinæ inſtrumentis perficitur, & quænam ſint. p.623.col.1.a.b.& ſeqq.

*Bubo.*

Bubones peſtilentes quid ſint, & qua ratione fiant. p.132.col.1.d
Bubonum peſtilentium curatio quibus remediis perficiatur. ibid.col.2.a.b.& ſeq.

*Buliſmos.*

Buliſmos qualis affectus ſit, & quales ſint eius cauſæ. p.329.col.1.b.c
Buliſmi curatio eadem eſt,ac curatio inappetentiæ.ibid.d

C.

*Cachexia.*

Cachexia quid ſit, & in quo differat ab hydrope anaſarca. p.367.col.1.d
Cachexia plerumque hydropem præcedit. ibid.col.2.c
Vide in verbo *Hydrops.*

*Cacochymia.*

Cacochymia fieri poteſt ex ſeroſis humoribus. p.577. col.1.b
Cacochymia purgatione detrahitur, plethora ſanguinis miſſione. p.587.col.1.c
Cacochymiæ debetur expurgatio. p.589.col.1.b.c
Cacochymia fit etiam ab humoribus ſeroſis, qui ſunt purgatione euacuandi. p.601.col.1.d

*Calculus.*

Calculi renum, vel veſſicæ cauſa materialis aſſignatur. p.384.col.1.d
Calculi quare frequenter in pueris, & ſenibus generentur. ibid.& col.2.a
Calculorum cauſa efficiens aſſignatur. ibid.col.2.b
Calculi ſigna & prognoſticum referuntur. p.385.col.2. a.b.& ſeq.
Calculorum curatio præſeruatiua, & perfecta. p.386. col.1.& 2.a.b.c.d
Calculi veſſicæ ſignum infallibile quodnam ſit. p.607. col.1 d
Vide in verbo *Lapis.*

*Calor.*

Calor dupliciter ſumitur, provt pertinet ad primam, aut tertiam ſpeciem qualitatis. p.6.col.2.d
Calor quomodo formaliter morbum conſtituat. p.7. col.1.a
Calor præternaturalis non ſolus lædit actiones viuentis, ſed additus naturali. p.7.col 1.d.& ſeqq.
Calor naturalis vt tantus habet rationem formalem ſanitatis. p.8.col.2.b
Calor triplex datur in corporibus humanis. p.14.col.2.c
Calor actuatus per febrem mutatur. ibid.d
Calor febrilis eſt accenſus in corde. ibid.& ſeq.
Calor febrilis quo ſenſu dicatur ab Auic. vltimari.p.15. col.2.c.& ſeqq.
Calor iræ & laboris poteſt eſſe intenſior calore febrili, & conſtituere morbum calidum, non tamen febrem. ibid.
Calor de facto debet produci in vna ex tribus ſubſtantiis hominis ad febris conſtitutionem. p.16.col.2.c.d
Calor naturalis, & calor præter naturam, an ſpecie differant. p.18.col.1.d.& ſeqq.
Calor abſolutè multipliciter accipi poteſt. p.19.col.1.a
Calor naturalis, & calor præter naturam, provt pertinent ad ſanitatem conſtituendam, vel morbum, differunt ſpecie. ibid.c.& ſeqq.
Calor remiſſus & intenſus non diſtinguuntur ſpecie, diſtinguuntur tamen provt ſunt ſanitas, vel morbus. ibid.col.2.a.& ſeqq.
Calor naturalis, & præter naturam diſtinguuntur ſpecie, quatenus ſunt diſpoſitiones naturales, vel præter naturam. p.20.col.1.c

Calor hecticus an ſit æqualis: vide in verbo *Febris hectica.*

Calor cordis quare dicatur æqualis cum calore reliquarum partium, quamuis ſit intenſior. p.111.col.2.c

Calor hecticus non eſt inæqualis, licèt ſemper vſque ad obitum reſoluat. ibid.d

Calor hecticus producit quandam ſecundam qualitatem, quæ in genere cauſæ materialis diſponit ad permanentiam, & durationem caloris. p.114.col.1.b

Calor poteſt à qualibet cauſa intendi; & an poſſit à ſeipſo intendi. p.116.col.1.a.b.& ſeq.

Calor hecticus tertiæ ſpeciei, quomodo intenſiùs calefacit. p.116.col.1.d

Caloris calcis, & caloris hectici comparatio à Galeno tradita explicatur. p.120.col.1.c

Calor quare mitis percipiatur in febre maligna. p.144. col.2.a.b

Calor moderatus & naturalis valet lapidem generare. p.384.col.2.d

Calor eſt cauſa inſtrumentalis lapidum. p.385.col.1.a

Calor ad tractionem confert,& quomodo.p.392.col.2.b

Calor præter naturam adeſt neceſſariò in parte inflammata, in qua humor ſuppuratur. p 43.col.2.a

*Calx.*

Calx viua quare ex aquæ perfuſione incaleſcat. p.119. col.1.c

*Cancer.*

Cancer quid ſit, & an fiat ex ſanguine aduſto. p.500. col.1.b.c.d

Cancer dum fieri incipit, non facilè diſcernitur ab aliis tumoribus. ibid col.1.d

Cancer vnde ita dictus, & quænam ſint aliæ eius nomenclaturæ. ibid col.2.a.b

Cancer alius eſt vlceratus, alius non vlceratus, & quænam eorum cauſæ. p.500.col.2.b.c

Cancri difficillimè curantur. ibid.col.2.d

Cancri vlcerati, & non vlcerati curatio traditur. p.501. col.1.& 2

Cancer curatur vnguento mercurij, & aliis, quæ proponuntur. ibid.col.1.d.& 2.a

Cancri fluuialis cinis maximè vtilis in cancri vlcerati curatione. p.502.col.1.c.d

*Canis.*

Canis inter animalia præcipuè rabie corripitur, eiuſque rabientis ſputum,ſi humanum corpus tetigerit, rabiem concitare valet. p.252.col.2 d

Canis rabidus quibus ſignis à non rabido diſtinguatur. p.253.col.1.b.

*Cantharides.*

Cantharidum vſus pro hydropis curatione improbatur. p.374.col.1.a.b

Cantharidibus in curatione calculi renum non eſt vtendum, niſi cùm alia non proſunt.p.387.col.2.d.& ſeq.

Cantharides quomodo præparandæ ad vſum pro curatione iſchuriæ, vel dyſuriæ. p.391.col.2.a

Cantharidum alæ ſunt corporis alexipharmacum. ibid.

Cantharidum vſus pro curatione impetiginis improbatur. p.491.col.1.b

*Caput, & Caputpurgia.*

Caput affectum in febre tertiana pernitioſa quomodo curandum. p.89 col.2.d.& ſeq.

Capitis accidentia in febre maligna ſuperuenientia, quomodo curanda. p.155.col.2.d

Capitis dolor duplex diſtinguitur. p.201.col.1.b

Caput dupliciter dolore afficitur. ibid.c

Capitis dolor à quibus cauſis proueniat, & quomodo eum excitare valeant. ibid.col.2.a.b.c

Capitis dolor quibus ſignis demonſtretur: vbi traditur ſignum commune cuilibet interiori dolori capitis, ſicut & exteriori. ibid.col 2.d.& ſeq.

Capitis dolor quibus auxiliis curetur. p.202.col.1.b.c.& ſeq.

Capitis dolorem ex bile prouenire vnde arguatur, & quomodo tunc curetur. ibid.col.2.c.d

Capitis dolor ex pituita, vel melancholia quibus ſignis manifeſtetur, & quomodo curetur. p.203.col.1.a.b

Capitis dolor ex intemperie nuda quomodo dignoſcatur, & quomodo curetur. p.204.col.1.a.b

Capitis dolorem à flatu quæ ſigna oſtendant, & quæ remedia curent. ibid.c.d

Capitis dolor ex ictu ſignis non eget, ſed auxilia tantùm quærit. p.204. col.2.a

Capitis dolor ex ebrietate quomodo fiat. ibid.col. 2.b

Capitis dolor per conſenſum quomodo curetur. p.205. col.1.a

Caputpurgia quibus affectibus vtilia ſint, & quomodo componantur. p.483.col.1.d

*Cardiacum.*

Cardiaca calida, frigida, & quæ mediam obtinent naturam, ad febris peſtilentis præcautionem proponuntur. p.129.col.1.c

*Cardialgia.*

Cardialgia quid ſit, & in quo diſtinguatur à cardiaca affectione, & aliis doloribus oris ventriculi. p 331. col 1.d & ſeqq.

Cardialgiæ curatio præſcribitur. p.332.col.1.& 2.

*Cartamum.*

Cartamum quibus affectibus conferat, & in qua doſi exhiberi poſſit. p.198. col.1.d

*Caruncula.*

Carunculæ vrinam retardantes, vel impedientes, quomodo exedendæ, & curandæ. p.391.col.2.b.c.d

*Carus.*

Cari definitio traditur, & pars in eo affecta aſſignatur, & quomodo diſtinguatur à lethargo. p.214.col.1.d. & col.2.a.& ſeqq.

Cari variæ cauſæ & ſpecies aſſignantur. p.215.col.2.b.c. & ſeq.

Carus qua ratione ex medij ventriculi compreſſione fiat. ibid.col.2.d.& ſeq.

Cari ſigna, & curatio proponuntur, ſiue ab humore, ſiue à veneno, ſiue ex dolore, & ſpirituum defectu proueniat. p.216.col 1.d.& ſeq.

*Caſſia fiſtula.*

Caſſiæ fiſtulæ temperies & virtus deſcribitur, & in qua forma & doſi exhiberi poſſit, aſſignatur. p.195.col.1. d.& ſeq.

*Catalepſis.*

Catalepſis idem affectus eſt ac catochus: vide in verbo *Catochus.*

*Catarrhus.*

Catarrhali fluxione affectus in tantam raucedinem labitur, vt nihil niſi voce ſubmiſſa nimis pronuntiare poſſet. p.477.col.1.a.b

Catarrhus quid ſit, quæ actio in eo lædatur, & quæ pars afficiatur. ibid.col.1.& 2

Catarrhus an conſiſtat in intemperie nuda.p.478.col.1.d

Catarrhi cauſæ internæ, & externæ aſſignantur. ibid. col.2.a.b

Catarrhi ſigna communia, & particularia proponuntur. p.479.col.2.c.d

Catarrhi curationes variæ proponuntur iuxta varias cauſas, à quibus procedit.p.481.col.2.& p.482. & ſeqq.

*Catochus.*

Catochi definitio traditur. p.217.col.2.d

Catochi ſymptoma proprium quodnam ſit.p.218.col.1.b

Catochi cauſæ & ſigna referuntur, & in quo huius morbi eſſentia conſiſtat. ibid.col.2.b.c.d

Catochi ſeu catalepſis curatio, & circa illam obſeruatio. p.219.col.1.a.b.c

*Cauſa.*

Cauſæ altioris ordinis quænam ſint, exponitur. p.47. col.2.d.& ſeq.

ad Cauſas & proprietates occultas recurrere nihil aliud eſt,quàm propriam fateri ignorantiam. p.51.col.1.b

ad Cauſas vniuerſales non eſt confugiendum dum particulares adducere poſſumus. p.51.col.2.c

*Cauterium.*

Cauteria quo tempore poſſint puerulis applicari. p.226. col.1.c

Cauteria catarrho conueniunt, & in qua parte ſint aperienda. p.483.col.2.b

Cauteria quare in phthiſi, paralyſi, & frigida cephalea vtilia cenſeantur. ibid.col.2.c.d

*Cephalea.*

Cephalea quid ſit, & quomodo diſtinguatur à cephalalgia. p.201.col.1.c

Vide in verbo *Caput.*

*Chalybs.*

Chalybis, & ſcoriæ ferri virtus contra obſtructiones proponitur. p.495.col.2.c

Chalybis, & ſcoriæ ferri vtilitas ex hiſtoria comprobatur. p.629.col.1.a

*Cholera.*

Cholera morbus quis affectus ſit, & quæ pars in eo afficiatur. p.341.col.2.a

Cholera morbus eſt affectus exactè peracutus, & quas cauſas, & ſigna habeat. ibid.b.c.d

Choleræ morbi curatio per remedia interiora, & exteriora præſcribitur. p.342.col.1.a.b.& ſeq.

*Cerasum.*

Ceraſorum differentiæ, vide in verbo *Aqua ceraſorum.*

*Cerebrum.*

an Cerebrum meliùs ad ratiocinandi opus diſponatur corde laborante. p.90.col.1.d.& ſeqq.

Cerebrum omni ſenſu carere à variis Authoribus aſſeritur. p.201.col.1.d

Cerebrum proprio, & peculiari motu naturali mouetur. p.224.col.1.c

Cerebri excrementum duplex aſſignatur. p.477.col.2.a

Cerebrum plures ductus, & vias habet, & quare. ibid.col.1.d. & ſeq.

Cerebri temperies innata, & adnata quænam ſint. p.554.col.2.c

Cerebrum quare ſit frigidum, & quare vſu tabaci lædatur. ibid.d

in Cerebro reſident potentiæ ſenſitiuæ. ibid. & ſeq.

Cerebrum qua ratione afficiatur in caro: vide in verbo *Carus.*

*Cibus.*

Cibus etiamſi parum deterior, ſed ſuauior quidem, melioribus eſt præferendus. p.148.col.1.c

Cibi faſtidium quid ſit, & quæ eius cauſæ, & ſigna. p.326.col.1.c. & p.327. col.1.c.d

Cibi faſtidij, & inappetentiæ curatio quibus remediis perficiatur. p.327.col.2.b.& ſeqq.

Ciborum corruptela, ſeu conuerſio in alienam qualitatem, an à ventriculi calore, vel frigiditate procedat. p.334.col.2.c

Ciborum cruditas, & ventriculi debilitas quomodo corrigantur. p.335.col.1.d.& ſeq.

*Circuitus.*

Circuitus febrium aliquando cum ordine, aliquando ſine ordine repetunt. p.50.col.2.b

Vide in verbis *Morbus*, *Febris.*

*Clyſter.*

Clyſteres poſſunt infundi in diebus acceſſionis. p.68. col.1.c

Clyſteres ad febris tertianæ exquiſitæ curationem vtiles proponuntur. p.81.col.2.c

Clyſteres ad excrementa primæ regionis euacuanda, & flatuum copiam demendam. p.84.col.1.a

Clyſteres vtiles ad dolores capitis ſedandos in febre maligna. p.156.col.1.a

Clyſteres ad dolorem colicum ſedandum referuntur. p.352.col.2.d

Clyſteres vtiles pro ſuppreſſione, & difficultate vrinæ deſcribuntur. p.391.col.1.b

Clyſteres ad catarrhi curationem vtiles præſcribuntur. p.481.col.2.d.& p.482.col.1.b

Clyſteres purgantes non ſunt cum oleo præparandi. p.541.col.1.b

Clyſter emolliens, reſoluens, & deobſtruens deſcribitur. p.628.col.1.d

Clyſteres ad diarrhæam vtiles quomodo componendi. Vide in verbo *Diarrhæa.*

*Coctio.*

Coctio alia dicitur in iuuatiuo, alia in nocitiuo, & quænam ſint. p.72.col.2.d.& ſeq.

Coctio perfecta an ſit expectanda in morbis longis, an verò ſufficiat manifeſta. p.94.col.2.a.& ſeq.

Coctio facit ceſſare putredinem manente ſubſtantiâ. p.105.col.2.c

Coctionis definitio traditur, & eius ſpecies. p.334.col.1.b

Coctio quomodo differat à nutritione, & quot modis lædatur. ibid.

Coctio quietem deſiderat. p.598.col.2.a

Coctio, & putredo habent terminos incompoſſibiles. p.614.col.2.b

Coctiones maximè fiunt in ſtatu morbi. p.616.col.1.b

Coctio non indicat criſim, ſed morbi celeritatem, & ſecuritatem. p.619.col.2.b

Coctionis obſcuræ ſigna tantùm temporis conſumunt, quantùm ſigna manifeſtæ, & perfectæ. ibid.col.2.d

*Cœliacus morbus.*

Cœliacus morbus quis affectus ſit, & quomodo differat à lienteria. p.343.col.1.d

Cœliaci morbi curatio traditur. ibid. & ſeq.

*Colicus dolor.*

Colicus dolor quare ſic dictus, & qua ratione in inteſtino colon frequenter fiat. p.351.col.1.b.c

Colici doloris cauſæ & ſigna: vbi traditur ſignum commune cuiuis colico dolori. ibid. col.1.d. & col.2. a.b.c

Colicus dolor quomodo diſtinguatur à nephritico, ad explicationem locorum aliquot Auic. ibid. col.2.d.& ſeq.

Colici doloris ſigna varia diſtinguentia eum à nephritico. p.352.col.1.c.d

Colici doloris curationes variæ proponuntur ob varias cauſas à quibus procedit. p.352.& ſeqq.

*Colocynthis.*

Colocynthis nunquam per ſe exhibetur, niſi correcta. p.199.col.2.c

Colocynthidis doſis, & eius ad extra admotæ vſus quiſnam. ibid.

*Color.*

Color in oculo exiſtens non impedit viſionem, neque efficit, vt omnia appareant eiuſdem coloris. p.266. col.1.c.d.& col.2.a.b.& ſeqq.

Color oculi non eſt morbus. p.267.col.1.d

Coloris oculi cauſæ & ſigna referuntur. ibid.& col.2.a

*Coluri.*

Coluri duo, ſeu circuli in ſphæra conſtituti, ad quid deſeruiant. p.442.col.1.d

*Comitialis morbus.*

Comitialis morbi variæ nomenclaturæ afferuntur, & definitio traditur. p.222.col.2.a.b

Comitialis morbus quare ſacer ab antiquis dictus, & in quo eius eſſentia conſiſtat. ibid.col.2.c.d

ad Comitialem morbum aliquando datur obſtructio, ſed non conſiſtit in obſtructione. p.223.col.2.a.b

Comitialis morbus quo ſenſu dici poſſit conuulſio vniuerſalis corporis. ibid.col.2.c.d

Comitialis morbus tripliciter producitur. p.225.col.1.d

Comitialis morbi cauſæ, ſigna, & curatio referuntur. ibid.& col.1.a. & ſeq.

Comitialis morbi curatio per propriam paſſionem, & per conſenſum. p.226.col.1.d. & ſeqq.

Vide in verbo *Epilepſia.*

*Computatio.*

Computatio dierum in recidiua & priori morbo, vna & eadem debet eſſe. p.522.col.2.d

Vide in verbo *Recidiua*.

*Conditum.*

Conditum mirabile cordiale contra tubercula venenoſa. p.466.col.1.a

*Conſultatio.*

Conſultationes ad morborum curationem ſunt valde vtiles. p.187.col.1.d

Conſultationes in rebus arduis, & difficilibus ſub valde neceſſariæ. p.295.col.1.d. & ſeq.

Conſultatio de quibus rebus fieri ſoleat, & circa quæ verſetur. p.459.col.2.c.d

*Contagio, & Contagium.*

Contagionis definitio traditur, & eius conditiones afferuntur. p.123.col.2.a.b.c

Contagionis triplex differentia refertur. p.124.col.1.d

Contagio non omnem ſequitur putrefactionem, ſed eam, in qua contagionis ſeminarium ita elaboratur, vt talem admixtionem & lentorem adquirat. p.125. col.2. c

Contagij definitio traditur, & quid ad actualis contagij rationem requiratur, oſtenditur. p.285.col.2.b.c

Contagij triplex differentia aſſignatur. ibid.d

*Conuulſio.*

Conuulſionis definitio per ſymptomata, & cauſas traditur. p.255.col.1.c

Conuulſio aliquando pro morbo, aliquando pro ſymptomate morbum inſequente ſumitur. ibid.

Conuulſio quomodo fiat, comparatione chordarum explicatur. ibid.col.1.d

Conuulſio vera non datur in epilepſia. p.255.col.2.c

Conuulſio eſt actio deprauata facultatis animalis. ibid. col.2.d. & ſeq.

Conuulſio qualis morbus ſit. p.256.col.1.a.b

Conuulſio ex inanitione à ſiccitate poſitiua procedit, eiuſque natura in intemperie ſicca ſita eſt. p.256. col.2.a b

Conuulſio quamuis violenta dicatur, tamen poteſt dimanare à principio interno. p.256.col.2.d.& ſeq.

Conuulſionis cauſæ variæ referuntur, & tres ſpecies diſtinguuntur. p.257.col.1.b.c

Conuulſionis ſigna & præſagium. ibid.col.2.b.c

Conuulſionis curatio proponitur. ibid.& p.258.col.1.a & ſeq.

Conuulſio ex repletione, aut inanitione quomodo curanda. p.259.col.1.b

Conuulſio canina quid ſit,& quomodo contingat. ibid. col.1.d. & ſeq.

Conuulſio ex vomitibus inordinatis ſubſequuta curata. ibid. col.2.c.d. & ſeq.

Conuulſio ex inanitione non ſemper eſt lethalis. p.260. col.2.b

Conuulſio ex ſiccitate & aduſtione non admittit curationem. ibid. c

Conuulſionis tres ſpecies referuntur, & quænam ſint eius cauſæ. p.504.col.2.b.c

*Cor.*

Cor calidiſſimum eſt omnium quæ in humano corpore ſunt. p.8.col.2.d.& ſeqq.

Cor eſt præſtantius ſpiritibus vitalibus in forma ſubſtantiali, reſpectu tamen formæ accidentalis eorum non poteſt illorum eſſe cauſa vniuoca, vel æquiuoca. p.10. col.2.d

Corde patiente, ſtatim partes omnes, etiam principes, trahuntur in conſenſum. p.15.col.1.b

Cor eſt præcipuum ſubiectum febris, & ideo illius definitionem ingreditur. ibid.d.& col.2

Cordis magnitudo & paruitas an conferat ad timiditatem & debilitatem, fortitudinem & audaciam. p.33. col.2.b.

Cor quare in paſſionibus animæ potiùs moueatur quàm reliquæ partes. p.39.col.2.d

Cor mouet ſe motu reciproco tanquam per medium ordinatum in finem vltimum & adæquatum. p.40. col.1.& 2. a

Cordis affecti in febre tertiana pernitioſa ſignum proponitur. p.89.col.2.c

Cordis palpitantis remedia proponuntur. p.629.col.1.c

*Corpus.*

Corpus idem an poſſit eſſe actu humidum, & poteſtate ſiccum. p.571.col.2.d

Corpus ſimplex non poteſt putrefieri. p.574.col.1.d

Corpora tenuia facilè alterationem perpetiuntur. p.575. col.1.d

*Corruptio.*

Corruptio in mixtis fit mediantibus primis qualitatibus. p.135. & ſeq. col.2. d

*Coxa, & Coxendix.*

Coxæ, ſeu coxendicum dolor qualis affectus ſit. p.430. col.2.d

Coxæ dolor à qua cauſa oriatur, & quænam ſint eius ſigna & præſagium. p.431.col.1.c.d

Coxendicum doloris curatio quibus auxiliis ſit facienda. ibid.col.2.a.b. & ſeqq.

*Criſis.*

Criſis formaliter ſumpta quidnam ſit. p.520.col.1.b

Criſis poteſt fieri ſubitò, vel paulatim. p.615.col.1.b.c

Criſis, & coctionis humorum cauſa adæquata, eſt cauſa ſuperior iuncta inferiori. p.620.col.1.d

*Cruditas.*

Cruditas coctioni aduerſatur, eique opponitur priuatiuè. p.72.col.2.d

Cruditatis incommoda referuntur. ibid.

Cruditas quid ſit, & quænam ſint eius ſpecies. p.491. col.2.b.c

*Cucurbita.*

Cucurbitarum vſus laudatur in febris peſtilentis curatione. p.131.col.2.b

Cucurbitarum vſus qualis eſſe debeat in febre maligna, & quando eis ſecurè vti poſſimus. p.150. col.2.a.b c

Cucurbitæ ſcarificatæ in cruribus maximi emolumenti cenſentur à Galeno in febre maligna, adhuc in principio, nulla præcedente euacuatione. ibid.col.2.c

Cucurbitarum vtilitas pro difficilis reſpirationis curatione. p.298 col.2.d.& ſeq.

Cucurbitæ quare potiùs in lunæ augmento exhiberi debeant. p.444.col 1 b

Cucurbita occipitio affixa catarrho remedium affert. p.484.col.1.b.

*Cura, & Curatio.*

Curatio duplex aſſignatur, alia regularis, alia coacta, & quænam illæ ſint. p.64.col.2.d.& ſeq.

Curatio abſolutè ſumpta ſolum morbum reſpicit, quæ verò morbum & cauſam, non poteſt dici curatio ſimpliciter. p.65.col.1.b

Curatio regularis febrium putridarum debet incipere ab ablatione cauſæ. ibid.c

de Cura coacta Medicus debet incipere curationem febris putridæ ab ipſa febre, nullo habito reſpectu ad cauſam. ibid.d

Cura coacta in febribus putridis aliquando incipit à morbo, vel ſymptomate, aliquando à cauſa; & ad quam cauſam attendere debeat Medicus. ibid.col.2. a.b

Curatio perfecta Medicum peritum & ſapientem, adſtantes vigilantes, & ægrum obedientem requirit. p.454.col.2.d.

Curatio morborum acutorum quàm difficilis in vtero gerentibus. p.528.col.1.d.& ſeq.

Curatio à quo remedio incipere debeat, quando eidem morbo conuenit deriuatio, reuulſio, & euacuatio. p.591. col.1.b

Curatio morborum duo magna auxilia exigentium incipere debet à venæ ſectione. p.597.col.2.d

*Cutis, & Cutanei affectus.*

Cutis color exactè qualis debeat eſſe, definiri non poteſt, & tamen ex eo redundantem in corpore humorem deprehendimus. p.485.col.1.d.& ſeq.

Cutis color mutatus non eſt morbus, ſed ſymptoma. p.486.col.1.d

Cutanei affectus varij referuntur, & quomodo inter ſe diſtinguantur, oſtenditur. p.489.col.1.d

## D.

*Declinatio.*

in Declinatione particulari viribus reſolutis mori ſolet æger. p.610.col.1.a

Declinationis veræ & falſæ differentiæ proponuntur. p.617.col.1.d

in Declinatione vniuerſali non moritur æger, niſi præceſſerit error. ibid.col.2.d

in Declinatione variolarum ob errorem commiſſum mori poteſt æger. p.618.col.1.b

in Declinatione particulari poteſt mors contingere, & quare. ibid.col.1.d

Vide in verbis *Morbus*, *Tempus*.

*Decoctum.*

Decocta ad roborationem ſplenis, & ventriculi in curatione tertianarum. p.84.& ſeq.col.2.d.& ſeq.

Decoctum vtile ad mitigandos dolores capitis in febre maligna. p.156.col.1.a

Decoctum ad irrigandum caput ad maniæ curationem. p.254.col.1.a

Decoctum Pugini, aliàs decoctum magiſtrale foliorum ſennæ, quomodo componatur. p.328.col.1.c

*Deliquium animi.*

Deliquium animi an differat à ſyncope. p.318.col.1.a.b. & ſeqq.

Deliquium animi non includitur eſſentialiter in ſyncope. p.319.col.1.b.c

Deliquium animi quomodo fiat, & quæ in eo conſideranda veniant. ibid.col.2.a.b.c

Deliquium animi ex ſpirituum retractione, & horum defectu aduenire poteſt. ibid.col.2.c.d

*Delirium.*

Delirium perpetuum eſt verum ſymptoma phrenitidis, per quod diſtinguitur à paraphrenitide. p.206.col.1.d.& col.2.a.b

Delirantes reſpirationem magnam & raram habent, & quare. p.207.col.1.a

Delirium non eſt lethargi proprium ſymptoma. p.212.col.1.c.d.& ſeqq.

Delirium quid ſit, & à quibus cauſis excitetur. p.246.col.2.d

Delirij triplex ſtatus. ibid.& ſeq.

Delirij diuerſitas quemlibet humorem, vnde procedit, manifeſtat. p.247.col.1.b

Delirium qua ratione à flatibus poſſit cauſari. ibid.col.1.d.& ſeq.

Delirium excitatur ab intemperie calida & ſicca in phrenitide & mania. ibid.col.2.d

Deliria deteriora, & benigniora quænam. p.248.col.1.b

Deliria melancholica à quo producantur. ibid.c.& col.2.a.b.& ſeqq.

*Dens, & Dentitio.*

Dentium mobilitas quomodo præcauenda, dum fiunt inunctiones ad morbi gallici curationem. p.171.col.1.d.& ſeq.

Dentes ad quid principaliter ſint à natura dati. p.281.col.2.d

Dentes an ſecundùm propriam ſubſtantiam dolore afficiantur, & à qua cauſa poſſit dolor, vel inflammatio in eis excitari. p.282.col.1.a.b.c

Dentitio in pueris, quamuis ſit ſecundùm naturam, maximos tamen excitat dolores. p.282.col.1.d

Dentium dolor initium ſumens à ſanguine, inflammatione, vel ex pituita, quomodo ſit curandus. p.282.col.2.a.& ſeqq.

Dentium dolor ex dentitione quomodo mitigandus. p.283.col.1.c

Dentium euulſio quando ſit conſulenda. ibid.d.& ſeq.

Dentium defœdatio, ſeu denigratio, quomodo ſit curanda. ibid.col.2.b

Deus mobilis quibus remediis ſtabiliatur. ibid.d

*Deriuatio.*

Deriuatio humorum quandonam conueniat: vide in verbo *Euacuatio*.

*Deſiderium.*

Deſiderium eſt proſequutio, ſeu tendentia in rem amatam, nondum tamen adeptam. p.29.col.1.a

*Deſperatio.*

Deſperatio ſpei oppoſita quid ſit. p.29.col.2.a

*Deus.*

Deus poteſt immediatè abſque cauſarum ſecundarum actione producere morbos. p.48.col.1.d

Deus morbum producit tanquam malum pœnæ, quamuis ſit quoddam vitium corporale. ibid.& col.2.a

Deus valet producere morbos aliquid præter naturam adiiciendo, vel aliquod neceſſarium auferendo. ibid.b.c

*Dextrum.*

Dextrum latus robuſtius eſſe ſiniſtro probatur, niſi ſiniſter aliquis naſcatur. p.312.col.2.a

*Diabetes.*

Diabetes qualis affectus ſit, & quomodo dignoſcatur. p.379.col.2.d

in Diabete tria potiſſimùm conſideratione digna ſuperueniunt. p.380.col.1.b.c.d

Diabetis cauſæ, & ſigna referuntur. ibid.col.2.b.d

Diabetis curatio proponitur. p.381.col.1.& 2

*Diagridium.*

Diagridium apud antiquos idem ſignificat ac ſcammonea. p.198.col.1.a

*Diarrhœa.*

Diarrhœa febri malignæ ſuperueniens criticè, aut ſymptomaticè, quomodo curanda. p.155.col.2.b

Diarrhœæ nomen quid ſignificet in ſtricta ſignificatione. p.344.col.2.c

Diarrhœæ ſymptomata referuntur, & quænam ſit pars affecta in ea. ibid.col.2.d

Diarrhœæ ſigna varia cauſam, à qua procedit, oſtendentia referuntur. p.345.col.1.a.b.& ſeqq.

Diarrhœæ curatio præſcribitur. ibid.col.2.c.d

Diarrhœa biliosa, aut melancholica quomodo curanda. ibid.& p.347.col.1.a

*Dilatio.*

Dilatio ab omni arte eſt aliena, maximè verò à Medicina. p.542.col.1.c

Vide in verbo *Occaſio*.

*Diſtillatio.*

Diſtillatio optima ad deobſtruendum, & roborandum ventriculum, & caput. p.629.col.1.b

Diſtillationes quænam perículoſiores, & deteriores ſint. p.479.col.1.c.d

Vide in verbo *Catarrhus*.

*Diuinatio.*

Diuinatio ex dæmonum reuelatione inutilis, & ſuperſtitioſa eſt. p.565.col.2.a

Diuinatio in ſomnis facta ex reuelatione diuina, vel à cauſa naturali, probatur à D. Thoma. ibid.b.c

*Diues.*

Diuites potiùs quàm pauperes perperam curantur. p.484.col.2

*Diuretica.*

*Diuretica.*

Diureticorum vſus pro curatione tertianæ notæ & duplicis. p.84.col.2.b

Diureticorum vſus laudatur in febris quotidianæ curatione. p.95.col.1.b

Diureticum optimum ad quotidianæ curationem proponitur. ibid.

*Dogma.*

Dogma Hippocraticum, *Concocta medicari, &c.* non eſt vniuerſale, ſed doctrinale. p.75.col.1.c

Dogmatum Hippocraticorum veritatem frequentiùs experimur, non tamen ſunt vniuerſalia. p.85.col.1.d.& ſeq.

*Dolor.*

Dolor vires proſternit. p.511.col.1.c

Dolor quid ſit. ibid.d

Dolor, & triſtitia in quo differant. ibid.

Dolor maximè immutat corpora. ibid.col.2.a

Dolor quilibet non eſt ſymptoma. ibid.col.2.b

Dolor eſt actio vitalis. ibid.c

Dolor ad ſui ablationem præſentaneum expoſtulat auxilium. p.512.col.1.a

Doloris remedia duplicis generis referuntur. ibid.b.c

in Doloribus vehementiſſimis an ſit mittendus ſanguis vſque ad animi deliquium. ibid.col.1.d

Doloris remedia particularia ſunt in duplici differentia. p.512.col.2.d

*Dyſenteria, & Dyſentericus.*

Dyſenteria quid ſit, explicatur. p.347.col.2.d

Dyſenteriæ cauſæ internæ, & externæ referuntur. p.348.col.1.b.c

Dyſenteriæ tres gradus diſtinguuntur, & alia ſigna referuntur. ibid.col.1.d.& ſeq.

Dyſenteria curatu difficilis eſt, & quando lethalis euadat. p.348.col.2.b

Dyſenteriæ curatio. ibid.col.2.d

pro Dyſenteriæ curatione præceptum traditur obſeruandum. p.349.col.1.d

Dyſenteriæ curatio ab aſſumpto veneno procedentis. p.349.& ſeq.col.2.d

Dyſentericus ex vehementi animi paſſione obmutuit, & ceſſante dyſenteria in apoplexiam immedicabilem incidit, & obiit. p.579.col.2.c.d

*Dyſuria.*

Dyſuria qualis affectus ſit, & à quibus cauſis procedat: vide in verbo *Iſchuria.*

E.

*Effectus.*

Effectus omnis aut dependet à ſua cauſa ſecundum fieri tantùm, aut ſecundum eſſe & fieri: & quiſnam ablata cauſa conſeruetur. p.113.col.2.c

*Elaterium.*

Elaterium quid ſit, quæ eius vſus, & in qua doſi exhiberi poſſit. p.199.col.2.d

*Electuarium.*

Electuarium pro febris malignæ curatione vtile deſcribitur. p.153.col.1.c

Electuarium ad guttæ ſerenæ curationem conueniens deſcribitur. p.273.col.1.b

Electuarium præſtantiſſimum contra obſtructiones, & melancholiam. p.495.col.2.d

*Elementum.*

Elementorum formæ qua ratione dicantur manere in forma mixti. p.12.col.1.b

Elementa quomodo maneant in mixto ſecundùm formas accidentales. p.173.col.1.b

Elementorum materiæ inæqualiter diſponuntur in mixtione. p.177.col.1.d

Elementa impura putrefieri poſſunt. p.575.col.1.c

*Emplaſtrum.*

Emplaſtrum vtile ad ſuppurationem parotidum in febre maligna aduenientium. p.154.col.1.c

Emplaſtrum ſuppurans Ioannis de vigo deſcribitur. p.624.col.1.b

*Empyema.*

in Empyemate quo tempore, & quàm cautè facienda ſit apertio ad puris extractionem. p.308.col.2.c.d.& ſeq.

Empyema, ſeu ſuppuratio quot modis accipiatur, & qualis morbus ſit. ibid.

Empyematis cauſæ, ſigna, & præſagium. ibid.& ſeq.

Empyema quomodo curandum. p.308.col.2.d.& ſeqq.

*Epilepſia, & Epilepticus.*

Epileptici quare ſine ſenſu & motu in paroxyſmo remaneant. p.225.col.1.b

Vide in verbo *Comitialis morbus.*

Epilepſiæ curatio pro pueris & adultis. p.227. col.1.a.b

ad Epilepſiæ curationem quis victus conueniat, & à quibus abſtinendum. ibid.& col.2

Epilepſiæ curatio ab aliqua parte prodeuntis, aut ex vermibus ortæ. ibid.col.2.c.d

Epilepſia prouenіens ex vteri conſenſu qualiter ſit curanda. ibid.col.2.d.& ſeq.

de Epilepſia obſeruatio mirabilis in quadam monacha Sanctæ Claræ. p.229.col.1.a.& ſeq.

de Epilepſia vſu cauterij curata traditur obſeruatio. p.448.col.2.& ſeqq.

ad Epilepſiæ curationem an conueniant inuſtiones in ſincipite. ſ52.col.2.c.d

Epileptici quidam quare ſpumam non eiiciunt. p.540.col.2.a

*Epithema.*

Epithema iecori admouendum in febre tertiana exquiſita. p.82.col.1.d

Epithema valde vtile ad ſyncopen, & animi deliquium curandum in febre maligna. p.156.col.2.a.b.& ſeq.

*Epithymum.*

Epithymi varius vſus, & in qua forma, & doſi exhibeatur p.200.col.2.c

*Eſſere.*

Eſſere quid ſit apud Auic.& in quo differat à morbillis, & variolis. p.485.col.2.b

Eſſere in quo differat à pruritu. ibid.col.2.c

*Euacuatio.*

Euacuatio ſymptomatica quænam, & quotuplex ſit. p.75.col.2.d

Euacuatio ſymptomatica ſolùm ratione temporis, an poſſit aliquando eſſe vtilis. p.76.col.1.a.& ſeqq.

Euacuationes ſymptomaticæ aliquando vtilitatem præſtant, & in ægrotantis commodum fiunt. p.76.col.2.

Euacuationes ſymptomaticæ ſunt vtiles, quando vires ita validæ ſunt, vt facta euacuatione remaneant ſufficientes ad coquendas reliquias humoris peccantis. p.77.col.1.d

Euacuationes ſymptomaticæ quare aliquando ſint vtiles, aliquando verò minimè. ibid.col.2.b

Euacuationes ſymptomaticæ difficilè iudicant, facta comparatione ad criticas. ibid.col.2.d

Euacuatio crudâ exiſtente materiâ, quomodo poſſit feliciter ſuccedere. ibid.col.1.c

Euacuatio ſymptomatica aliquando eſt iuuanda, licèt ſit mala vt ſignum, vel vt cauſa. p.78.col.1.d

Euacuationes iuuant quando talia deiiciuntur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. p.78.col.2.a

Euacuatio ſymptomatica ratione temporis ſtatim cohibenda eſt, ſi vires eam ferre non poſſint. ibid.d

Euacuatio ſymptomatica quæ non eſt ſufficiens, eſt adiuuanda. p.79.col.1.c

Euacuatio ſymptomatica iuuanda eſt eadem die, quâ conſtat de eius imperfectione. ibid.col.2.c

Euacuatio

Euacuationem adiuuando curatione per contraria vtimur. p.80.col.2.a
Euacuatio ſymptomatica ſæpe prodeſt, & quare. p.445. & ſeq.col.1.a
Euacuationes nocent ob virium diſſolutionem. ibid. & p.446
Euacuatio ſymptomatica ante tempus coctionis damnatur ab Hippoc. p.486.col.2.c
Euacuatio vniuerſalis an ſemper debeat præcedere balneum. p.498.col.1.b.c
Euacuatio ſymptomatica in febribus, an impediat remedia euacuantia. p.538.col.2.c
Euacuationem ſufficientem eſſe, quomodo cognoſcat Medicus. ibid.col.2.d
Euacuatio, deriuatio, & reuulſio humorum quandonam conueniant. p.591.col.2.d.& ſeq.
Euacuatio per epicraſin reducitur ad purgationem. p.600.col.2.b
Euacuatio ſymptomatica poteſt ægrum à febre liberare. p.626.col.1.a.b
ex Euacuatione cohibita quare plures morbi oriantur. p.627.col.1.b

*Excrementum.*

Excrementa, quæ in tertia coctione generantur, multiplicia referuntur. p.447.col.2.b
Excrementorum craſſorum cerebri duplex genus aſſignatur. p.477.col.2.a
Excrementa ex coctionibus reſultant. p.543.col.1.c
Excrementa in inteſtinis craſſis ſuam adipiſcuntur formam, & figuram. ibid.col.2.c

*Exorciſmus.*

Exorciſmi, & preces ab Eccleſia inſtitutæ ſupernaturalem vim ex Dei inſtitutione obtinent, carent tamen omni virtute naturali earum verba. p.191. col.1.a

*Experientia.*

Experientia eſt cognitio ſingularium, ars verò vniuerſalium. p.444.col.2.a

## F.

*Facultas.*

Facultates omnes naturales egent ſpiritu vitali ad ſuum opus. p.86.col.1.c

*Fames.*

Fames canina qualis affectus ſit, vnde ita dicatur, & quales ſint eius cauſæ. p.325.col.2.c.d
Famis caninæ ſigna, & curatio proponuntur. p.329. col.1.a.d
Fames pica qualis affectus ſit. ibid.col.2.d
Fames pica grauidis ſuperueniens quomodo curanda. p.330.& ſeq.col.1.a.& ſeqq.
Fames quid ſit, & in quo conſiſtat. p.326.col.2.c. & ſeq.
Fames non datur ſi non adeſt alimenti appetitus. p.327. col.1.b

*Febris.*

Febris nomine quid intelligatur apud Latinos, & quare Galenus eam non definiuit 1.*de differ.febr.*pag.1.in procemio.
Febris vera diffinitio affertur collecta ab Auicenna ex variis Hippocratis, & Galeni locis. ibid.col.1
Febris natura in calore præter naturam ſita eſt. ibid.
Febris apud Galenum eſt calor tantus, quantus operationibus officere valeat. p.2.col.1.b
Febris natura in ſiccitate non conſiſtit. ibid.c.d
Febris quare ab Hippocrate, & Galeno dicatur ignis, & paſſio calida & ſicca. ibid.
Febris non eſt ſubſtantia, ſed calor præter naturam pro qualitate ſumptus. p.2.col.2.b
Febris per accidens tantùm contrariatur calido innato, non per ſe. ibid.c
Febris eſſentia optimè ſaluatur in febre hectica, licèt in hac accidat ſubſtantiæ mutatio. ibid.
Febris non conſiſtit in aliqua operatione, ſed in termino illius. p.3.col.2.b
Febris ſolùm eſt terminus non vltimatus calefactionis. ibid.col.1.d
Febris non eſt inter relationes reponenda. p.5.col.1.c
Febris non conſiſtit in priuatione, ſed in quadam diſpoſitione, & entitate poſitiua actionibus officiente. ibid.d
Febris conſiſtit in calore adaucto, & intenſione naturali. ibid.col.2.c
Febris quomodo ſit conuerſio ad igneam naturam. ibid.d
Febris accidentia ſunt rigor, horror, & frigus in principio acceſſionum. p.6.col.1.a
in Febribus ardentibus cur aër frigidus exſpiretur ab ægris. ibid.b
Febris conſtituitur per calorem naturalem, & gradus ſuperadditos caloris præter naturam. p.7.col.2.d
Febrem oriri à principio intrinſeco probatur. p.9.col.1.a & plurib.ſeqq.
Febris omnis vt producatur, petit cauſam extrinſecam, per quam fiat.p.10.col.1.d. & p.11.col.1.d. & pluribus ſeqq.
Febris quare non oriatur ab intrinſeco, ſicut alij morbi. p.12.col.1.c.& ſeqq.
Febris hectica quomodo conſeruetur. ibid.col.2.d
Febris putrida, ablatâ cauſâ ceſſat; hectica verò perſeuerat. p.14.col.1.d
Febris hectica petit ad ſui ablationem non ſolùm qualitatem contrariam, ſed etiam ſubſtantiam alimentitiam eadem qualitate informatam. ibid.c
Febres omnes à Galeno dicuntur intemperies inæquales, exceptâ hectica, quæ intemperies æqualis dicitur. p.16.col.2.c
ad Febris conſtitutionem requiritur calorem de facto produci in ſolidis membris, ſpiritibus, aut humoribus. ibid.d
Febrium quatuor diuiſiones iuxta Galeni mentem adducuntur. p.17.col.1.a
Febrium mordacium nomine quid intelligatur. ibid.c
Febres mites ſunt ſanguineæ & ſpirituoſæ. ibid.col.2.b
Febres non mordaces, ſed poſtea inſurgentes quænam ſint. ibid.
Febres acutæ ſunt febres bilioſæ. ibid.c
Febrium ſecunda diuiſio bimembris traditur. ibid.
Febrium tertia diuiſio tradita per materiam. ibid.
Febrium tertia diuiſio eadem eſt cum illa, quâ febris diuiditur in contentis, continentibus, & impetum facientibus. p.18.col.1.c
Febrium diuiſio deſumpta ex humorum coloribus, eſt accidentalis. ibid.
Febrium diuiſiones à Galeno traditæ non dantur per differentias eſſentiales, nec ſumuntur à propria febrium ſubſtantia. p.20.col.1.c
Febrium tertia diuiſio, ſiue detur per materiam, ſiue per cauſam efficientem, magis propria dicitur à Galeno. p.20.col.2.d
Febris diuiſio in putridam, diariam & hecticam, an ſit adæquata, & omnes febrium differentias complectatur. p.21.col.1.b.& ſeqq.
Febrium tertia diuiſio à Galeno tradita eſt magis propria, & omnes febrium differentias ſub ſe comprehendit. ibid.col.2.d
Febris ſynochus ſine putredine, an ſit inter diarias, vel humorales recenſenda. p.22.col.1.c.d.& ſeqq.
Febris diuiſio in febrem morborum, & febrem accidens traditur, & explicatur. p.23.col.1.a.b
Febris accidens quare dicatur talis. ibid.
Febris morbus, & febris accidens poſſunt inter ſe compli

complicari. ibid.c

Febris lipyria duplex aſſignatur. ibid.b

Febris ex inflammatione dicitur febris accidens, licèt ex humorum putredine dependeat. ibid.col.2.a

Febres ex putredine generali dependentes dicuntur morbi; quæ verò oriuntur ex putredine humoris in inflammatione putreſcentis, dicuntur accidens. ibid.b

Febrium variæ diuiſiones traduntur. ibid.c.d

Febris nullam habet cauſam formalem, ſed ipſa febris habet rationem cauſæ formalis. p.24.col.1.b

Febris habet cauſam materialem. ibid.c

Febris an habeat cauſam finalem. ibid.col.2.a

Febrium quintuplex cauſa efficiens aſſignatur.ibid.d. & ſeqq.

in Febrium cauſis quis operandi modus conſideretur à Medico. p.25.col.1.d

Febrium cauſæ variæ enumerantur. p.46.& ſeq.col.2.d

Febrium quotidianæ, tertianæ, & quartanæ circuitus à quibus cauſis procedant. p.53.col.2.a.b.& ſeqq.

Febris tertianæ circuitus fit ex bile. p.54.col.1.c

Febres continuæ, aut intermittentes quâ ex cauſa fiant, & vbi humor putreſcat. p.54.col.2.d.& ſeq.

Febris intermittens quænam ſit. p.57.col.2.d

Febris putrida auferri non poteſt, niſi ablatâ eius cauſâ. p.64.col.1.d

in Febrium putridarum initio an ſanguinis miſſione, vel expurgatione, vel quo alio remedio ſit vtendum. p.65.col.2.c.d.& ſeqq.

Febribus putridis quibuſnam debeatur ſanguinis miſſio. p.66.col.2.a

Febris putrida quælibet intermittens ſanguinis miſſionem expoſtulat. ibid.b

in Febribus continuis quotidie habentibus exacerbationes, quandonam ſit exercenda ſanguinis miſſio.p.68. col.1.a

Febris tertianæ exquiſitæ definitio traditur, & explicatur. p.80.col.2.b. & ſeq.

Febris tertianæ exquiſitæ cauſa aſſignatur. ibid.c

Febris tertiana exquiſita quomodo cognoſcatur, & quantùm durent eius acceſſiones. ibid.d

Febris tertiana ſecuriſſima eſt, & qua ratione citò terminetur. p.81.col.1.b.c

Febris tertiana exquiſita non eſt morbus acutus. ibid. col.1.d

Febris tertianæ exquiſitæ curatio proponitur. ibid.col.2. a.b.c

Febris tertiana notha quomodo differat ab exquiſita & legitima. p.82.col.2.b.c

Febris tertiana notha quomodo poſſit eſſe continua. ibid.col.2.c

in Febre tertiana notha ſolùm nox ante acceſſionem grauior exiſtit. p.83.col.1.a

Febris tertiana notha quare die protrahi ſoleat. ibid. col.1.b

Febris tertianæ duplicis diffinitio traditur & explicatur. p.83.col.1.d

Febres tertianæ nothæ & duplices proteruæ conditionis ſunt, in quarum curatione Medicus ſe diligenter habere debet. ibid.col.2.c

Febrium prædictarum curatio traditur. ibid.d.& ſeq.

Febres intermittentes non omnes periculo vacant. p.85. col.1.c.d.& ſeq.

Febris comitem habens omnium virium ruinam debet dici ſyncopalis. p.86.col.2.a

Febris intermittens poteſt eſſe ſyncopalis. ibid.d

Febres intermittentes plerumque periculo vacant, quandoque tamen valde exitiales ſunt. p.87.col.2.d

Febris ſyncopalis duplex recenſetur. p.88.col.1.a

Febrium ſyncopalium cauſæ quænam. ibid.

Febris tertianæ cum decubitu humoris ad partem principem curatio proponitur. ibid.col.2.d.& ſeq.

Febris ſyncopalis minuta ſubtilis quænam ſit, & quæ eius cauſæ. p.90.col.1.b.c

Febris tertianæ ſyncopalis minutæ curatio proponitur. p.91.col.2.a.b. & ſeqq.

Febris ſyncopalis humoroſa quid ſit, & vnde ita dicta. p.92.col.1.d

Febris ſyncopalis humoroſæ curatio quomodo proſequenda. ibid.col.2.b.& ſeq.

Febris quotidiana quid ſit, & vnde ita dicta. p.93. col.1.d

Febris quotidiana quotuplex ſit, & quomodo cognoſcatur. ibid.& col.2.a.b

Febris tertianæ pulſus an ſit frequentior pulſu quotidianæ, an verò econtrà. ibid.col.2.c

Febris quotidiana longæ eſt durationis, niſi in ea ſudores erumpant. p.93.col.2.d

in Febris quotidianæ curatione quis victus ſit inſtituendus, & an ſanguis mittendus. p.94.col.1.a.b. & ſeq.

Febris quartana quid, & quotuplex ſit, & ex quo humore generetur. p.95.col.1.d

Febris quartana an ex torrefacta pituita generari poſſit. ibid.col.2.a.b

Febris quartana alia eſt ſimplex, alia duplex: & vnde generetur. p.96.col.1.b

Febris quartanæ ſigna referuntur. ibid.c

Febris quartana eſt ſecuriſſima, & longiſſima; ſed in ſenibus non eſt ita ſecura. ibid.col.1.d

Febris quartana blandè & mediocriter ab initio curationis eſt tractanda. p.96.col.2.a

Febris quartanæ curatio abſoluta proponitur. ibid.& ſeq.

Febris ſemitertiana quid ſit: vide in verbo *hemitritæus*.

Febris hepiala quid ſit,oſtenditur iuxta nominis ἠπίαλος ſignificationem. p.98.col.2.c

Febris hepiala ex quo humore fiat. p.99.col.1.c

Febrem hepialam iuxta Auic. mentem dari poſſe defenditur. p.99.col.1.d

Febris quam Galenus hepialam vocat, dari poteſt, & quomodo fiat. ibid.col.2.c.d

Febris hepialæ cauſæ, ſigna, & curatio traduntur breuiter. p.100.col.1.c

Febris lipyria quid ſit, quomodo fiat, & variæ eius ſpecies traduntur. ibid.col.1.d.& ſeq.

Febris lipyria aliquando eſt morbus, aliquando morbi accidens. p.100.col.2.c

Febris lipyria non eſt de genere intermittentium. ibid. col.2.d

Febris lipyria eſt pernitioſa. ibid.

Febris lipyriæ curatio proponitur, & circa illam obſeruatio. p.101.col.1.a.b.c

Febris ardentis cauſæ, ſpecies, & ſigna proponuntur. p.101.col.1.d.& ſeq.

Febris ardens exquiſita morbus acutiſſimus eſt, & celeriter terminatur. ibid.col.2.d

Febris ardentis curatio proponitur. p.102.col.1.b

in Febre ardenti ſanguinem mittere vſque ad animi deliquium, magni momenti eſt. ibid.c.d.& ſeqq.

ad Febris ardentis curationem varia remedia proponuntur. p.103.col.1.d.& ſeq.

Febris ſanguineæ differentiæ variæ traduntur. p.104. col.1.a.b

Febris ex putredine ſanguinis an dari poſſit, manente ſanguine ſub propria forma. ibid.col.1.d.& ſeqq.

Febris ex ſanguinis efferueſcentia datur, quæ non eſt putrida ſimplex, ſed compoſita. p.105

Febris duplex oritur ex ſanguinis putreſcentia. p.106. col.1.d

Febres ſanguineæ ſunt bilioſis mitiores, & benigniores. p.106.col.2.d

Febris ſanguineæ cauſæ & ſigna traduntur, & curatio proponitur. p.107.col.1.a.& ſeqq.


Febris

Febris ephemera quid ſit, & vnde ita dicatur. p.108. col.1.d.& ſeqq.
Febris diaria duplex aſſignatur, & in quo differant oſtenditur. ibid.col.2.b.c
Febrium diariarum cauſa aſſignatur. p.109.col.1.a
Febris ephemeræ ſigna & curatio proponuntur. ibid. col.2.b.& ſeqq.
Febres ephemeræ facilè in putridas degenerant, niſi debitè tractentur. ibid.col.2.d.& ſeq.
Febris hecticæ definitio traditur, & explicatur.p.100. col.1.c.d.& ſeq.
Febris hecticæ calor æqualis eſt præter naturam in omnibus corporis partibus. p.111.col.1.b
Febris hecticæ calor quare dicatur æqualis. ibid.d
Febris hectica eſt ſine dolore. p.112.col.1.d
Febris hectica, aut alius morbus nequaquam eſt habitus. ibid.col.2.b
Febris hectica non eſt propriè habitus. p.113.col.1.c
Febris hectica eſt independens à cauſa. ibid.col.2.d
Febris hectica plerumque ex ardentibus febribus ortum habet, aliquando etiam ab initio inuadit. p.115. col.1.c
Febris hectica in rigore phyſico ſumpta non eſt diuiſibilis in ſpecies. p.116.col.2.b
Febris hecticæ quarta ſpecies an poſſit dari. p.117. col.1.d
an Febris hectica ſit febre ardenti intenſior. ibid.col.2.a
Febris hecticæ ſigna varia proponuntur. ibid.col.2.c.d
Febrium hecticarum ſpecies, & particularia earum ſigna traduntur. p.120.col.2.b.c.& ſeqq.
Febris hecticæ curatio quàm difficilis ſit. p.121.col.1.b
ad Febris hecticæ curationem remedia proponuntur. ibid.col.1.c.d.& ſeq.
Febres ardentes non ſunt contagioſæ, quamuis maximæ actiuitatis. p.124.col.1.c
Febris peſtilentis definitio traditur. ibid.col.2.b
Febris peſtilens eſt contagioſa. ibid.d
Febris peſtilens an ſit inter putridas annumeranda. p.125.col.1.b.c.& ſeqq.
Febris peſtilens, ſiue in ſpiritibus, ſiue in humoribus exiſtat, non eſt ſimplex, ſed compoſita. p.126. col.1.b
Vide in verbo *Peſtis*.
Febris peſtilens perniciosa, & maximè lethalis eſt, & inter morbos exactè peracutos adſcribitur. p.128. col.2.c
Febris peſtilens qua ratione ſit præcauenda. ibid.col.2. d.& ſeqq.
Febris peſtilentis, & peſtis curatio proponitur. p.130. col.1.d.& ſeqq.
in Febris peſtilentis curatione victus non ita tenuis eſt adhibendus, ſicut in aliis morbis acutis. p.130. col.2.b
Febris peſtilens humoralis euacuantibus auxiliis indiget, non verò diaria, & hectica. ibid.col.2.d
Febris peſtilens humoralis quomodo diſtingatur ab hectica, & diaria. ibid.
Febris malignæ variæ nomenclaturæ. p.133.col.1.a
Febris maligna fuit ab antiquis cognita. ibid.b
Febris malignæ definitio traditur. ibid.
Febris maligna nulli generi continuarum adſtringitur. ibid.col.2.a
Febris malignæ qualitas maiorem habet analogiam cum ſanguine, quàm cum reliquis humoribus. ibid.
Febris maligna eſt morbus popularis. ibid.col.2.b
Febris maligna pſeudopeſtis, aut febris peſtilens dicitur. ibid.c
Febris maligna quare ita dicatur. ibid.d
Febris maligna conuenit cum febre peſtilenti in eo, quod ſit contagioſa; & differt ab ea ex diuerſo modo contagij. p.142.col.1.d
Febris maligna variis, & aliquando contrariis accidentibus inſignitur. ibid.col.2.b
Febris maligna nec eſt peſtilens, nec putrida, ſed media inter vtramque. ibid.col.2.d
Febris malignæ cauſæ ſupernæ, & infernæ referuntur. p.143.col.1.b.& ſeq.
Febris maligna plurimùm infeſtare ſolet brumalibus, & frigidis temporibus, & quare. ibid.col.2.b
Febris maligna an habeat ſigna pathognomonica.p.144. col.1.b
Febris malignæ ſigna varia referuntur. ibid.col.1.c.& plurib.ſeqq.
Febris maligna aliquando incipit cum calore intenſo nimis, aliquando cum miti, aliquando mediam naturam obtinente. ibid.d.& col.2.a.b
Febris malignæ indubitatum ſignum ex vrina deſumptum. p.146.col.1.a
Febris malignæ natura ita fallax, & incerta eſt, vt præſagium certum de ipſa non poſſit præſcribi; aliqua tamen ſigna prognoſtica circa ipſam referuntur. p.146.col.2.c.d.& ſeqq.
in Febre maligna pleniori cibo vtendum eſt, quàm in aliis morbis acutis. p.148.col.1.a.b
Febris malignæ curatio an à ſanguinis miſſione, an à purgatione ſit auſpicanda. ibid.col.2.b.c.& ſeq.
Febris acuta quare in phrenitide ſuperueniat. p.207. col.1.d
Febrem excitare ad conuulſionis curationem non licet. p.258.col.2.a
Febris cum phthiſi adueniens an ſit de genere hecticarum. p.304.& ſeq.col.2.d
Febre tertiana laborans, ſectâ ſemel venâ, apoplectica euaſit, & obiit. p.455.col.1.a.b
Febris mitis nullam ferè noxam afferens intra diem naturalem ægrum ad obitum ducit. p.466.col.2.b.c
Febres ſimplices & mites quandoque valdè malignæ ſunt. ibid.d.& ſeq.
Febres malignæ eodem ſenſu dicuntur ac homines maligni. p.467.col.1.a
Febris tertiana exquiſita quare non morbus ſit acutus. p.529.col.2.a
Febris putrida poteſt cauſari ex putredine ſeri. p.575. col.1.a.b.& ſeqq.
Febris putridæ ex ſero prouenientis ſigna proponuntur. p.576.col.1.b
Febris putrida ex ſero ab aliis febribus putridis diſtinguitur. ibid.col.1.d
Febris ſeroſa poteſt eſſe continua. ibid.col.2.c
Febris intermittens ſeroſa dari poteſt, & quem circuitum ſeruet. p.577.col.2.a.& d
Febris ſeroſa curatur vt bilioſa. p.578.col.1.a
Febres ſenum ſepultæ ſunt. ibid.col.1.d
Febres intermittentes habent ſex tempora particularia. p.609.col.2.b
Febris hectica quomodo temporibus menſuretur.p.612. col.2.c
Febris hectica quomodo accipiat intenſionem, & remiſſionem, & ſua percurrat tempora. ibid.col.2.d. & ſeq.
in Febre hectica tertiæ ſpeciei dantur plures morbi. p.618.col.2.b
Febre tertianâ nothâ pernicioſâ laborans, cathartico medicamento in principio oblato, omnimodè liber euaſit. p.624.col.2.d
Febris tertiana exquiſita fit à ſincera bile. p.625.col.1.c
Febris tertiana pura vnâ acceſſione finiri ſolet. p.626. col.1.a

*Filius.*

Filij quare ſimiles parentibus in proprietatibus, & accidentibus generentur. p.166.col.2.b.c.d
Filiorum habitualis diſpoſitio ad morbos parentum, quare tamdiu aliquando deliteſcat. p.167.col.1. c.d

*Flatus.*

*Flatus.*
Flatus quomodo in ventriculo generentur. p.335.col.2.d
Flatuum generatio in ventriculo à quibus cauſis procedat. p.491.col.2.d
Flatus licèt non euacuentur venæ ſectione, benè tamen eorum materia. p.495.col.1.c
*Fluxus.*
Fluxus muliebris quid ſit, & quomodo differat à ſanguinis menſtrui eruptione. p.412.col.2.d
Fluxus muliebris curatio præſcribitur. ibid.
Fluxus ventris phlebotomiam excuſat. p.446.col.1.d
Fluxus fluxu aliquando ſedatur. ibid.
in Fluxibus purgatio aliquando conuenit, licèt roboratio tantum indicetur. p.446.col.2.b
Fluxus alui aut ſymptomaticè, aut criticè fit. p.538. col.1.a
Fluxus alui ſymptomaticus non eſt ſtatim ſiſtendus. ibid.col.1.c
Fluxus alui an in febribus venæ ſectionem prohibeat. ibid.col.2.b
Fluxus alui an pleuritide conferre poſſit. p.579.col.2.a
Fluxum alui aliquando timor ſiſtit. p.580.col.2.d
*Fœcunditas.*
Fœcunditas virorum, & fœminarum, quomodo dignoſci poſſit. p.557.col.2.d
*Fœtus, & Fœtura.*
Fœtus exeuntis partu naturali qualis debeat eſſe figura. p.427.col.1.b
Fœtus mortui ſigna traduntur. ibid.col.1.d
Fœtus eſt quid ſecundùm naturam, petens ſuam conſeruationem. p.530.col.2.c
Fœtus permittit venæ ſectionem. ibid.
Fœtus non impedit venæ ſectionem, ſed eam moderatur. p.531.col.1.a
Fœtura eſt ſpecies euacuationis. ibid.b
Fœtus mortui extractio proponitur, non vt caſus nouus, ſed vt in memoriam reuocetur. p.601.col.2.b.c d
Fœtus humani, & reliquorum animalium in vtero, qualis ſit ſitus. p.602.col.1.c.d.& ſeq.
Fœtus maſculus, & fœmina, an eundem in vtero ſeruent ſitum, & poſitionem. p.603.col.1.c.d
Fœtus quælibet pars debet in tempore neceſſitatis aquâ baptiſmatis ablui. p.604.col.1.c.d
in Fœtus inciſione quænam ſint conſideranda. ibid. col.2.b.c
*Fontanella.*
Fontanella, vel ſeto in occipite, an ad nyctalopis curationem conducant. p.458.col.1.a
Fontanellarum vſus vtilis eſt in melancholia, & obſtructione. p.496.col.1.d
*Forma.*
Forma viuentis dum producit morbum in conformatione, à quo determinetur. p.12.col.1.c.d
Forma inanimatorum non eſt homogenea. p.178.col.2.a
Forma quâ ratione dicatur informare homogeneè, aut heterogeneè. ibid.col.2.c
Forma heterogenea determinatur à partibus ad productionem qualitatum in illis. ibid.d
Forma totius quare non producat in omnibus partibus eaſdem qualitates. p.179.col.1.c
*Frigiditas.*
Frigiditas partium extremarum ſignum lethale in febre maligna, vnde proueniat, & quomodo ei occurratur. p.157.col.1.b c.d
Frigiditas an comprimendo caput poſſit cauſare diſtillationem, ſeu catarrhum. p.478.col.2.c.d
Frigiditas qualiter conferat pro curatione febris ardentis. p.592.col.2.b
Frigiditas ſola non conuenit in febris ardentis curatione. p.593.col.1.b
*Fuligo.*
Fuligines ex coctionibus, putrefactionibus, aut vſtionibus eleuatæ ſunt corde calidiores. p.11.col.1.a



ex Fuliginum intra corpus detentione cor & vniuerſum corpus incaleſcunt. ibid.b
Fuligines ab igne procedentes non ſunt calidiores igne; à corde verò prodeuntes, corde calidiores ſunt, & quare. p.14.col.1.d
Fuligines non omnes ſunt æquè calidæ. ibid.
Fuligines excedentem calorem habere vnde deducatur. ibid.col.2.a
*Fuga.*
Fuga eſt paſſio, quæ verſatur circa obiectum malum imminens. p.29.col.1.c

G.

*Gallicus morbus.*
Gallicus morbus apud varios authores varia ſortitur nomina. p.62.col.1.& 2. in fin.
Gallicus morbus antiquis Medicis fuit incognitus. p.163.col.1.c
Gallici morbi natura inquiritur, & in quo conſiſtat, determinatur. ibid.col.1.d.& ſeq.
Gallicus morbus eſt ex illis, qui dicuntur à tota ſubſtantia. p.164.col.1.b
Gallici morbi deſcriptio. ibid.
Gallicus morbus ſub morbis ſimplicium partium, ſeu intemperiei continetur. p.164.col.2.d
Gallicus morbus eſt contagioſus, ex quo varij prodeunt affectus ſymptomatum vicem gerentes. p.165. col.1.c.d
Gallici morbi primum ſubiectum aſſignatur. ibid.& col.2.a. & ſeqq.
Gallicus morbus non eſt inter hæreditarios annumerandus. p.167.col.2.a
Gallici morbi cauſa debet eſſe qualitas quædam contagioſa, per media interna, vel externa communicata. p.167.col.2.b.c
Gallicus morbus non producitur ſine aliqua cauſa externa, ſeu procatharctica. ibid.col.2.d.& ſeq.
Gallici morbi varia accidentia exprimuntur, & quare illi accidant. p.168.col.1.b
Gallica lues quænam grauior, aut mitior exſtat. ib.col.1.d
Gallici morbi curatio deſcribitur. ibid.col.2.a.b.c
Gallicus morbus cum alio affectu complicatus, quomodo ſit curandus. p.170.col.1.a
Gallicus morbus quibus inunctionibus curetur. ibid. col.1.d.& ſeq.
Gallici morbi reliquiæ quibus remediis ſint eradicandæ. p.172.col.1.b.c.& ſeqq.
Gallica lue affectus, paralyſi tentatus, & difficili laborans reſpiratione ſuffocatus perit. p.502.col.2.a.b.c
*Gargariſma.*
Gargariſmata ad anginæ curationem vtilia recenſentur. p.291.col.2.c
*Gaudium.*
Gaudium, delectatio, voluptas, ſeu lætitia, quid ſint. p.29.col.1.b
Gaudij, & delectationis differentia traditur ex Diuo Thoma. ibid.
*Glaucoma.*
Glaucoma apud Ariſt. algiebar apud Auic. qualis affectus ſit, & quænam eius cauſæ. p.458.col.1.c
Glaucoma ſenioribus frequentiùs accidens, qualiter curandum. p.459.col.1.b
*Gonorrhœa.*
Gonorrhœæ definitio traditur, & quænam ſit pars affecta in ea, determinatur. p.401 col.2.c.d
Gonorrhœæ cauſæ, ſigna, præſagium, & curationes proponuntur. p.402.col.1.& 2.& ſeqq.
*Gradus.*
Gradus intenſionis qualitatum licèt ſpecie completa æquali gaudeant perfectione, ſpecie tamen incompleta vnus eſt perfectior alio. p.4.col.1.b
Vide in verbo *Qualitas*.

*Grauida.*

Grauidæ quare fame pica corripiantur,& quare res alienas ab alimẽti ratione appetant.p.330.col.1.a.b.& ſeq.

Grauidæ fame pica correptæ quomodo ſint curandæ. p.331.col.1.b
Vide in verbo *Mulier.*

*Gutta ſerena.*

Gutta ſerena qualis affectus ſit, & quomodo contingat. Vide in verbo *Suffuſio.*

Guttæ ſerenæ, & ſuffuſionis curatio difficillima eſt, quæ tamen præſcribitur. p.461.col.1.a.b.& ſeqq.

Gutta ſerena hauſto purganti medicamento intra diem naturalem ex toto curata. p.631.col.1.c.d

## H.

*Habitus.*

Habitus, & diſpoſitio quomodo inter ſe differant. p.112.col.2.b

Habitus variæ diffinitiones traduntur, & verior, & aptior eligitur. ibid.col.2.c

Habitus naturalis non dat poſſe. p.113.col.1.b

*Hemorrhois.*

Hemorrhoïdis nomen quid ſignificet,& quomodo differat ab hæmorrhagia. p.359.col.2.c.d

Hæmorrhoïdes quare maiori ex parte Hebræos afficiant. p.360.col.1.b

Hæmorrhoïdum vtilitates referuntur. ibid.c

Hæmorrhoides antiquas non licet omnes ſimul ſanare ibid.col.1.d

Hæmorrhoïdum immodicè fluentium curatio. p.360. col.2.d.& ſeq.

Hæmorrhoïdes non fluentes quomodo ſint aperiendæ. p.361.col.1.d

Hæmorrhoïdum occultarum, & inflammatarum curatio. ibid.c.d.& ſeq.

Hæmorrhoïdes melancholicis ſuperuenientes vtiles ſunt. p.495.col.1.d

*Hectici.*

Hectici quare non conuelluntur. p.241.col.2.c
Vide in verbo *Febris hectica.*

*Helleborum.*

Hellebori duæ ſpecies referuntur, & quænam ſit deterior. p.200.col.2.d

Hellebori virtus aſſignatur, & in qua doſi exhiberi poſſit. ibid.

*Hemicranea.*

Hemicranea quis affectus ſit, & quibus auxiliis curetur. p.205.col.1.b.c

*Hemitritæus.*

Hemitritæus quotupliciter fiat, & ex quibus humoribus. p.98.col.1.b.c

Hemitritæus quare febris ſemitertiana dicatur. ibid.

Hemitritæus eſt febris longæ durationis, tranſit in ægritudinem acutam, & eſt de febribus interficientibus. ibid.col.1.d

Hemitritæi curatio eadem eſt ac nothæ, aut duplicis tertianæ. p.98.col.2.a

*Hepar.*

Hepatis ſcirrhus quomodo curandus: vide in verbo *Iecoris obſtructio.*

*Hermodactylus.*

Hermodactylorum temperies & incommoda referuntur, & quomodo corrigantur. p.199.col.1.d

Hermodactylorum vſus, & doſis. ibid.col.2.a

*Hernia.*

Hernia quid ſit, oſtenditur, & variæ eius differentiæ referuntur. p.400.col.1.b.c

Herniæ cauſæ variæ, & præſagium. ibid.col.2.a.b.c

Herniæ curationes variæ deſcribuntur pro varietate cauſarum. ibid.col.2.d.& ſeq.

*Hippocrates.*

Hippocrates mentem hominis in ſiniſtro cordis ventriculo collocat. p.86.col.1.c

Hippocrates, qui famulæ cantatrici ſepties ad terram ſaltare, vt genitura ab ea recepta efflueret, imperauit, à calumnia liberatur. p.423.col.2.b

Hippocratis interpretatio 2. *aphor.* 29. & 30. traditur. p.615.col.2.b.c

*Hirudo.*

Hirudines deuoratæ quibus remediis ſint eiiciendæ. p.304.col.1.b

Hirudinis deuoratæ ſignum quandonam ſit ſanguinis ſputum. ibid.c.d

*Homo.*

Homines alios eſſe timidos & debiles, alios audaces & fortes, vnde proueniat. p.33.col.1.b

Homines regiones frigidas incolentes quare fortes, calidarum verò incolæ timidi. ibid.& col.2

Homo dupliciter ſimplex dicitur. p.467.col.1.a

Homo malignus quis dicatur: vide in verbis *Malignitas*, *Morbus malignus.*

Homo inter omnes animantes frequentiùs ſternutat, & in catarrhalem fluxionem incidit. p.478.col.1.a

Homo ſanus non eget medicina. p.550.col.2.d

Homines ex vſu immodico tabaci fatui euadunt. p.555. col.1.d

*Hora.*

Hora phlebotomandi, vel purgandi duplex aſſignatur. p.445.col.1.b

*Humor.*

Humores intra vaſa putreſcentes febrem continuam, extra vaſa verò intermittentem ſuccendunt. p.55.col.1. a.b.& ſeqq.

Humores quare in febribus intermittentibus extra venas pellantur, in continuis autem intra venas permaneant. ibid.col.1.d

Humor vel vapor rigorem efficiens non debet quieſcere in aliqua parte, ſed potiùs moueri. p.62.col.1.b
Vide in verbo *Rigor.*

Humores directè in aliquam partem principem, & vitæ maximè neceſſariam irruentes, ſtatim non expectata coctione, ſanguinis miſſione, vel purgatione reuellendi, vel euacuandi ſunt. p.73.col.2.a

Humores in febribus putridis exiſtentes extra ſanguinis conſortium purgatione euacuari debent. ibid.c

Humore quieto exiſtente, & præ multitudine coctionem impediente, ante coctionem minorandus eſt, detracto priùs ſanguine, ſi timor ſit, quod natura illum non poſſit conquere, neque ad ſtatum peruenire. p.74.col.1.a

Humores, non expectata coctione, ſunt ſtatim ſanguinis miſſione, vel purgatione euacuandi, ſi poſſibile eſt, in morbis peſtilentibus, ſi ſunt exactè peracuti. p.74.col.2.a

Humores intra corpus contenti veneni vim habere poſſunt. p.87.col.1.d

Humorum ad partes princeps decubitus quomodo dignoſcatur, & diſtinguatur in febribus pernitioſis. p.88.col.2.a.b.c

Humores quomodo ſint præparandi ad feberis malignæ curationem. p.151.col.1.b.c.& ſeqq.

Humorum motus diebus paribus factus, quare deterrimus. p.208.col.2.b.c.d

Humor cryſtallinus principaliſſimum viſionis inſtrumentum eſt. p.272.col.2.a

Humorum motus creſcente luna confert ad ſanguinis miſſionem. p.444.col.1.c

Humores ad ſolis occaſum incraſſantur, & refrigerantur. p.456.col.2.a

Humorum ad intra retroceſſus à quibus cauſis ſuperueniat. p.487.col.1.c

Humor putreſcit intra venas in febribus continuis. 539.col.2.c

Humorum & vaporum motus ad cerebrum ſomnia creat. p.562.col.1.d

Humores & vapores cerebrum diſponunt ad ſomniandum hoc, vel illud. ibid.& ſeq.
Vide in verbo *Vapor.*
Humores frigidi pati poſſunt putredinem. p.575.col.1.d
Humores ſeroſi cacochymiam cauſare poſſunt. p.577. col.1.b
Humores ſanguini commixti venæ ſectione euacuantur. p.586.col.2.b
Humorum ſupernatantia, & turgentia in quo differant. p.595.col.1.b
Humores dupliciter in qualitate peccant. ibid.
Humoris ſupernatãtis ſigna quænam ſint.p.596.col.1.b.c
Humores cacochymi qui dicantur. ibid.col 2.b
Humori qualitate peccanti an conueniat purgatio. ibid. col.1.c.d
Humores duplicem ſtatum præter naturam habere poſſunt, vt morbum gignant. ibid.col.2.a
Humores qualiter à ſanguine ſeparati dicantur. p.597. col.1.a
Humores crudi an venæ ſectionem impediant.ib.col.2.a
Humores vitioſi ſanguini commixti an poſſint purgatione euacuari. p.598.col.1.b
Humores crudi an debeant purgari. p.599.col.2.b
Humores craſſi non ſunt vnica euacuatione extrahendi. p.623.col.1.d
Humorum detentio quomodo ſuffocationem cauſet. p.627.col.1.b.c
Humoris frigidi diſtillatio quomodo cauſari poſſit à à calida capitis intemperie. p.627.col.1.c

*Hydrargyron.*

Hydrargyron præcipuum medicamen eſt, ex quo inunctiones pro morbo gallico componuntur.p.170.col.1.d
Hydrargyri genus duplex aſſignatur. ibid.
an Hydrargyron ſit temperiei calidæ, vel frigidæ. ibid. & col.2.a.b
Hydrargyron inter remedia à tota ſubſtantia operantia eſt conſtituendum. ibid.b
Hydrargyron quare argentum viuum dicatur, quotuplex ſit, & quæ eius vis. p.467 col.2.d.& ſeq.
Hydrargyron omnium rerum venenum aſſeritur. p.468. col.1.b.
Hydrargyron ratione quantitatis poteſt vim veneni obtinere. p.472.col.1.a
Vide in verbo *Sublimatum.*
Hydrargyron extinctum, & benè fermentatum non lædit neruos. p.503.col.2.b
Hydrargyron febrem remittit, eoque inunctus non facilè febricitat. p.505.col.1.a

*Hydrophobia.*

Hydrophobia inter ſpecies maniæ annumeratur. p.252. col.1.c.d
Hydrophobiæ in homine ſigna. p.253.col.1.c
Hydrophobiæ curatio quibus remediis peragenda. p.254 col.2.d.& ſeq.

*Hydrops.*

Hydropis tres ſpecies referuntur. p.367.col.1.d
Hydrops nequit fieri, niſi hepar per ſe, vel per conſenſum afficiatur. ibid.& ſeq.
Hydropem poſſe fieri à calida iecoris intemperie aſſeritur. p.368.col.2.d.& ſeqq.
Hydropis cuiuſlibet ſpeciei cauſa communis, & coniuncta eſt debilitas digeſtionis hepaticę.p.369.col.2.d
Hydropis ſpecies deterior ea eſt, quæ ſequitur ad morbos acutos. p.370.col.1.b
Hydropum cauſæ, ſigna, & prognoſtica referuntur. p.371.col.1 c.d.& ſeqq.
Hydropis curatio communis recenſetur. p.371.col.2.c.d
Hydropi cum febre complicatæ quæ remedia conueniant. p.375.col.1.b
Hydropicorum curatorum variæ hiſtoriæ proponuntur. p.513.col.1.d.& ſeq.
Hydrops vteri qualis affectus ſit, & quomodo curatur. Vide in verbo *Vteri hydrops.*



*Hyſterica affectio.*

Hyſterica affectio grauis admodum morbus, quibus de cauſis contingat. p.416.col.1.d.& ſeq.
Hyſtericæ affectionis eſſentia non conſiſtit in conuulſione, licèt comitetur conuulſio. ibid.col.2.c.d
Hyſterica affectio inter morbos veneficos, & à tota ſubſtantia operantes annumeranda eſt. p.417.col.1.d
Hyſtericæ affectionis cauſæ referuntur, & an morbus iſte viris ſuperuenire poſſit, diſcutitur. ibid.col.2.c.d
Hyſtericæ affectionis ſigna & prognoſticum referuntur. p.418.col.1.b.c.d
Hyſterici morbi, ſeu ſtrangulationis vteri curatio in acceſſione. ibid.col.1.d.& ſeqq.
Hyſtericæ affectionis curatio extra acceſſionem. p.419. col.1.a
Hyſterico morbo correpta octauo die à partu, cum cardialgia, & febre ſyncopali maligna intra duodecim horas obit. p.509.col.1.b.c.d
Hyſtericæ affectionis differentiæ ex quibus cauſis naſcantur. p.509.col.2.d
Hyſterici morbi cauſa ſtatuitur. p.510.col.1.a
ex Hyſterico affectu quare tot praua accidentia inſurgant, & quare in eo refrigeretur corpus. p.510.col.1.b.c.d

I.

*Icterus.*

Icterus,ſeu morbus Regius qualis affectus ſit,& quænam eius cauſæ. p.375.col.1.c.d.& ſeq.
Icterus febri ſuperueniens quandonam ſignum lethale ſit. ibid.col.2.c.d
Icterus niger quomodo fiat, & per quas cauſas. p.376. col.1.c.d
Icteri ſigna,præſagium & curatio.ibid.col 2.a.b.& ſeqq.
Icterus potiſſimùm ſanguinis miſſione, & purgatione curatur. p.377.col.1.a.b

*Iecur.*

Iecur poteſt pati œdema. p.363.col.2.a
Iecoris inflammati ſigna quænam. ibid.b.& ſeq.
Iecoris inflammati curatio à quo ſit inchoanda, & quibus auxiliis perficiatur. p.364.col.1.d.& ſeqq.
Iecore in caua, vel gibba parte affecto, qualis curatio conueniat. p.365.col.1.b
Iecoris obſtructio qualis morbus ſit, & quænam ſint eius cauſæ, & ſigna. p.365.col.1.d.& ſeq.
Iecoris obſtructio quibus remediis curetur. p.366.col.1. b.c. & ſeqq.
Iecur diſtemperie frigida laborat in hydrope. p.309. col.1.b.c
Iecoris frigiditas intenſior reperitur in aſcite, quàm in aliis ſpeciebus hydropis. ibid.col.1.d.& ſeq.
Iecoris qualis ſit diſpoſitio dum aquam, vel aliam ſubſtantiam à ſanguine alienam gignit. p.370.col.1.c.d
Iecur calidum ventriculum infrigidat, & quare. p.392. col.2.b

*Ignis.*

Ignis ſolus ad putredinem ineptùs cenſetur, ex Ariſtotele. p.127.col.1.a
Ignis accenſio in pluribus locis ciuitatum commendatur in peſtilenti conſtitutione. p.129.col.1.c

*Ileos.*

Ileos, latinè voluulus, quis affectus ſit: vide in verbo *Voluulus.*

*Impetigo.*

Impetigo totam faciem defœdans, poſt plurima remedia vnguento pro ſcabie curata. p.488.col.2.b.c
Impetiginis definitio. p.489.col.1.a
Impetigo latinè idem eſt ac græcè lichen. ibid.col.1.d
Impetigo plures in ſe morbos continet, & eſt aliquando contagioſa. ibid.col.2.a.b
Impetiginis genera duo referuntur. ibid.c.d
Impetigo & mentagra qualiter inter ſe differant. p.490. col.1.a.b

Impetiginis ſigna pathognomonica, illius cauſæ, & prognoſticum referuntur. p.490.col.1.b.c.d
Impetiginis curatio proponitur,& circa eam contradictio inter Paul. & Auic. conciliatur. p.490.col.1.d.& ſeqq.
Impetigines ex lue gallica prodeuntes quomodo curandæ. p.491.col.1.a

*Inappetentia.*

Inappetentia quid ſit, & vnde proueniat: vide in verbo *Cibi faſtidium.*

*Incantatio.*

Incantationes non curant morbos per vim naturalem. p.190.col.1.a
Incantationes & verba qua vi operentur, dum curant morbos. ibid.b.c

*Incubus.*

Incubus apud Latinos affectus eſt à Græcis ἐφιάλτης dictus. p.232.col.1.a
Incubi definitio & natura refertur, & quæ pars in eo afficiatur. ibid.b.c.d
Incubi cauſæ, ſigna, & curatio proponuntur.ibid.col.2.a.b.& ſeqq.
Incubi curatio ex genere venoſo, & per propriam paſſionem. p.233.col.1.b.c

*Indicatio.*

Indicatio & ſcopus morbi quid ſint, inueſtigatur. p.582.col.1.c
Indicationis triplex diffinitio traditur. ibid.d
Indicatio ſumitur à natura rei. p.585.col.1.b
Indicata mutantur ex mutatione conditionis morbi, eodem morbo perſiſtente. p.592.col.2.a.b
Indicatio curatiua duplex aſſignatur.p.594.col.1.d.& ſeq.

*Inedia.*

Inedia, ſeu alimenti defectus calorem cauſat, & qua ratione. p.47.col.1.b.& ſeqq.

*Influentia.*

Influentiæ cœleſtes non efficienter, ſed ſolùm diſpoſitiuè concurrunt ad operationes inferiorum. p.51.col.1.d

*Inſomnia.*

de Inſomniis Hippocrates, & Ariſtoteles obſcurè egerunt. p.558.col.2.a
Inſomnium & delirium quomodo differant.p.559.col.1.b
Inſomnium datur in memoria, imaginatione, & cogitatione. ibid.col.2.b
Inſomnium non conuenit ſenſui communi. ibid.col.1.c
Inſomnia qualiter fiant ex motu ſpirituum. p.561.col.2.c.d.& ſeq.
Inſomnia turbulenta, & inordinata quomodo fiant. p.563.col.2.d.& p.564.col.1.c
Inſomnia naturalia tripliciter ſignificant. ibid.col.2.c
Inſomnia qualiter rationem ſigni habeant.p.564.col.2.d
Inſomnia, quæ fortuita oſtendunt, proponuntur, quibus non eſt adhibenda fides. p.565.col.1.d.& ſeq.
Vide in verbo *Somnium.*

*Intelligentia.*

Intelligentia creata non poteſt producere immediatè formam aliquam ſubſtantialem. p.49.col.2.a
Vide in verbo *Angelus.*

*Intemperies.*

Intemperies fiens quænam ſit, & quæ intemperies facta dicatur. p.16.col.2.c
Intemperies octo referuntur, & quænam ex illis ſit ad febrem paratior. p.64.col.1.& 2.a.b

*Inteſtina.*

Inteſtina & ventriculus ſunt partes affectæ in lienteria. p.343.col.2.b
Inteſtina habent facultatem concoquendi alimentũ. ib.c
Inteſtinorum tenuium vlcera quomodo mundanda, & craſſorum vlcera curanda. p.449.col.1.d.& 2.b

*Inunctio.*

Inunctiones valde vtiles pro morbi gallici curatione. p.170.col.1.c.d
Inunctionum virtus & efficacia in quo ſita ſit. ibid.d
Inunctionum compoſitiones vtiles. ibid.col.2.d
Inunctionum adhibendarum numerus, & methodus præſcribitur. p.171.col.1.b.c

*Ira.*

Ira quid ſit, & quodnam eius obiectum. p.30.col.1.c
Ira eſt paſſio ex pluribus compoſita, & nullum habens contrarium. ibid.d
Ira an poſſit ſubitaneam mortem inducere, diſſeritur. p.34.col.2.b.c.& ſeqq.
In ira quare ſint motus contrarij ſe impedientes, in aliis verò animi paſſionibus minimè. p.35.col.1.b.c

*Iſchion.*

Iſchion deſcribitur. p.430.col.2.d
Vide in verbo *Coxa.*

*Iſchuria.*

Iſchuria quid ſit, & quænam ſint eius cauſæ. p.389.col.2.b.c.& ſeq.
Iſchuriæ curatio fusè deſcribitur. p.390.& ſeq.

## L.

*Lac.*

Lactis vſus quandonam pro curatione phthiſis conueniat, quando verò noceat. p.306.col.2.b.c
Lac quid ſit, ex eius definitione oſtenditur.p.322.col.2.d
Lac quare dulce. p.323.col.1.c
Lactis triplex ſubſtantia aſſignatur. ibid.
Lactis temperies quænam. ibid.d
Lactis generationi tempus aptius quodnam. ibid.
Lactis defectus quomodo, & ex quibus cauſis contingat. p.323.col.2.a.b.c
Lactis deficientis ſigna quænam. ibid.col.2.d.& ſeq.
Lac optimum quale ſit cenſendum, & quibus notis dignoſcatur. ibid.& p.324.col.1.a.b
Lactis defectus quibus remediis curetur.ib.col.1.d.& ſeq.
Lactis redundantia quantum noceat, & quomodo ſit curanda. ibid.col.2.d.& ſeq.
Lactis concretio quid ſit, quæ eius cauſæ, & ſigna. p.325.col.1.d.& ſeq.
Lactis concretio quomodo curanda. ibid.& ſeq.
Vide in verbo *Mammæ.*
Lactis vſus in diarrhœa bilioſa tanquam conuenientiſſimus defenditur. p.346.col.1.d
Lac optimum dyſentericis eſt alimentum, & medicamentum. p.348.& ſeq.col.2.d
Lac mediam inter pituitam & ſanguinem participat naturam, & aluum deiicit. p.572.col.1.d.& col.2.a
Lactis aſinini, aut caprini ſerum in febris hecticæ curatione commendatur. ibid.
Vide in verbo *Serum.*

*Lacrymæ.*

Lacrymæ quid ſint,& ex qua materia fiant.p.268.col.1.a.b
Lacrymarum effluxus cauſæ & ſigna referuntur. ibid.col.2.b.c.d
Lacrymarum effluxus quomodo curandus. p.269.col.1.b.c.& ſeq.

*Lapis.*

Lapidis bezoar mira efficacia contra omnia venena, & aliæ eius laudes ab antiquis celebratæ referuntur. p.131.col.1.d.& ſeq.
Lapis bezoar qualitate occulta operatur in affectibus peſtilentibus ſudorem prouocando. p.152.col.2.b
Lapidis bezoar vtilitas maxima pro febris malignæ curatione. p.153.col.1.b
Lapis armenus quid ſit, quænam eius virtutes, & quomodo exhibendus. p.200.col.2.d.& ſeq.
Lapis lazuli aliquando loco lapidis armeni exhibetur. p.201.col.1.a
Lapides in corpore humano ſunt toto genere præter naturam. p.384.col.1.c
Lapides nullo modo à frigiditate concreſcente in corpore humano generari poſſunt. ibid.col.2.c
Lapides in noſtris corporibus frequentiùs generantur à calore excedenti. ibid.col.2.d

Lapidis in veſſica concreti curatio. p.388.col.1.b.c.d
Vide in verbo *Calculus.*

*Lepra.*

Lepræ definitio traditur. p.489.col.1.c
Lepræ differentia ab aliis affectibus cutaneis.ibid.col.2.a

*Lethargus.*

Lethargi definitio traditur. p.211.col.1.c
Lethargi eſſentia an conſiſtat in intemperie calida, vel frigida. ibid.d.& ſeqq.
Lethargus duplex aſſignatur, cuius ſigna, & præſagium referuntur. p.213.col.1.a.b.c
Lethargi curatio. ibid.d.& ſeqq.

*Lichen.*

Lichen quàm turpis ſit affectio: vide in verbo *Impetigo*, *Scabies.*

*Lien.*

Lienis ſcirrhus quid ſit, & quibus ſignis d ignoſcatur. p.377.col.2.d.& ſeq.
Lienis ſcirrhus, & obſtructio, qua victus ratione, & quibus remediis curentur. p.378.col.1.& 2
Lienis inflammatio quid ſit, & quomodo curetur. p.379.col.1.a.b.& ſeq.
Lienis inflatio quomodo curanda. ibid.col.2.c

*Lienteria.*

Lienteria quare febri malignæ ſuperueniat, & quomodo curetur. p.155.col.2.b
Lienteria quid ſit, & quæ actiones in ea lædantur. p.342.col.2.c.d
Lienteriæ curatio varia pro varietate cauſarum, à quibus procedit,traditur. p.343.& ſeq.col.2.c.d.& ſeq.

*Liquor.*

in Liquore quolibet duplex reperitur ſubſtantia aquea. p.570.col.1.c.d

*Lumbricus.*

Lumbrici in quibus partibus hominis frequentiùs generentur. p.337.col.1.c.d
Lumbricus latus quid ſit. ibid.col.2.b
Lumbrici in morbis acutis excreti quid ſignificent.ibid. col.2.c
Lumbricos in morbis exire viuos an melius ſit quàm mortuos. ibid.d
Lumbricorum curatio. p.358.col.1.c.d.& ſeqq.
de Lumbrico mirabilis longitudinis, & magnitudinis hiſtoria refertur. p.359.col.1.c.d.& ſeq.

*Lumen.*

Lumen diei impedit viſionem. p.458.col.1.d
Lumen lædit viſum per qualitates tangibiles. ibid.

*Luna.*

Luna ſpatio vnius menſis ſuum perficit curſum. p.441. & ſeq.col.1.a
Lunæ domus propria aſſignatur. p.442.col.1.c
Lunæ poteſtas in hæc inferiora ad remediorum oblationem perpenditur. p.443.col.1.b
Luna efficit mutationes ſingulo menſe euenientes. ibid. col.1.c
Luna mutatur ex ſolis & planetarum aſpectibus. ibid.d
Luna ſol minor dicitur. ibid.
Luna variat actionem in morbis. ibid.col.2.a
Lunæ aſpectus quinque. ibid.
Luna in menſe quatuor tempora efficit. ibid.col.2.c
Luna decreſcente ligna ad ædificia conſtruenda ſunt ſecanda, & animalia caſtranda. p.444.col.2.a
Lunæ poteſtas in diebus decretoriis morborum oſtenditur. p.526.col.1.b.c

*Lupia.*

Lupia,nodus,& glandulæ quid ſint:vide in verbo *Tumor.*

M.

*Macula.*

MAculæ, ſeu cutis efflore ſcentiæ culicum morſibus ſimillimæ, febris malignæ ſignum magis proprium. p.146.col.1.d



Maculæ prædictæ tria mala portendunt, & quænam ſint deteriores cenſendæ. ibid.col.2.a.b
Maculæ multæ, vel paucæ erumpentes in febre maligna, ſunt ſignum indifferens ad bonum,vel malum,& quod præſagium ex illis fieri poſſit. p.147.col.1.b.c.& ſeq.
Maculis in febre maligna apparentibus, an liceat ſanguinem mittere. p.149.col.1.d.& ſeqq.

*Malignitas, & Malignum.*

Malignitas in morbis quid ſit, & per quid conſtituatur. p.134.col.2.b
Malignitas morbi quot modis conſtituatur. ibid.
Malignitas an ſit de numero accidentium morbis ſuperuenientium, an verò conueniat cauſæ morbi. ibid.c. & p.135.col.1.a
Malignum quid ſit. p.133.col.2.c
Malignitas eſt qualitas præter naturam vitæ deſtructionem intendens eleuatiori,& ſuperiori modo, quàm in qualitatibus manifeſtis experimur. p.135.col.1.b
Malignitas eſt res præter naturam, de genere venenoſæ qualitatis,& de genere qualitatum conſequentiū naturam mixti,operantium à tota ſubſtantia.p.136.col.2.c.d
Malignitas valet per ſe intrare morbi eſſentiam, & morbum malignum formaliter conſtituere. p.137.col.1.a
Malignitas actualiter eſt de intrinſeco morbi conceptu, quando mediis primis qualitatibus,aut ſecundis actualiter concurrit ad læſionem actionum viuentis. ibid. col.1.c
Malignitas non eſt qualitas ſecunda. ibid.col.2.d
Malignitas eſt realiter diſtincta ab intemperie, & ſe habet vt modificans primas, aut ſecundas qualitates. ibid.& p.138.col.1.a.
Malignitas non eſt idem cum more morbi, ſed mos morbi habet rationem generis, malignitas verò rationem ſpeciei. ibid.
Malignitas non eſt de accidentibus ſuperuenientibus morbo, ſed morbi propriis. ibid.col.1.d
Malignitas poteſt inueniri in omni re præter naturam. ibid.& col.2.a
Malignitas non eſt proprietas quarto modo. p.138. col.2.a
Malignitas in fieri poteſt dari in nobis ſine oppoſitione ad vitam, non tamen malignitas conſummata, & perfecta. p.140.col.1.c
Malignitas in ſua lata ſignificatione ſumpta à Galeno. ibid.col.2.b
Malignitatis ſuperior læſiō eſt incomprehenſibilis à nobis à priori, non tamen à poſteriori. ibid.c
Malignitas non poteſt cōſtituere morbi actualis naturam ſine concurſu primarum qualitatum. p.141.col.2.c.d
Malignitas eſt qualitas alteratiua habens oppoſitionem ad vitam, & diuerſum modum operandi à primis qualitatibus. ibid.col. 2.d
Malignitas & qualitates manifeſtæ quomodo diſtinguantur realiter. p.142.col.1.b.c

*Mammæ.*

Mammæ partes ad lactis generationem deſtinatæ, quare pectori hæreant. p.323.col.1.b
Vide in verbo *Nutrix.*
Mammarum inflammatio, & corroſio, ſeu ragadiæ,qui affectus ſint,& quomodo curētur.p.326.col.1.& 2.a.b

*Mania.*

Maniæ definitio traditur, & cauſæ vnde procedat aſſignantur. p.251.col.2.b.c
Maniæ eſſentia ſita eſt in intemperie calida & ſicca.ibid. col.2.d
Maniæ ſpecies duæ principaliores referuntur, lycanthropia, & cinanthropia. p.252.col.1.a.b
Maniæ ſigna & curatio proponuntur.p.253.col.1.c.d.& col.2.a.b.& ſeq.
Maniaci quare non febricitent. ibid.col.2.a

*Manna.*

Manna quodnam medicamen ſit, quomodo purget, & quæ ſit eius doſis. p.196.col.1.d

*Mare.*

Mare mortuum lacus eſt Paleſtinæ, & quare ita dicatur. p.337.col.1.b

*Materia morbifica.*

Materia quælibet humoralis tripliciter poteſt alterari. p.24 col.1.a

Materiæ alteratio in febre putrida an ſit putredo, coctio, vel actio media. p.42.col.1.& 2

Materia morbifica nec ſolâ coctione perficitur, neque ſolâ putredine ad corruptionem paratur. p.44.col.1.d

Materia morbifica diſponitur vſque ad morbi ſtatum per actionem adæquatè vnam. ibid. & ſeqq.

Materia morbifica & pus recipiunt ſimul coctionem & putredinem à principio morbi ſalubris vſque ad ſtatum. p.45.col.2.a.b

*Mechoacam.*

Mechoacam natura deſcribitur, quibus affectibus conferat, & in qua doſi exhibeatur. p.198.col.2.c.d

Vide in verbo *Puluis*.

*Medicamentum.*

Medicamentra acria & mordacia, quando vſtione mitiora, & minùs calida fiant. p.6.col.2.a.b

Medicamenta purgantia non ſunt exhibenda in die acceſſionis. p.67.col.2.a.b. & ſeq.

Medicamentum purgans nunquam eſſe propinandum ante perfectam coctionem, niſi materia turgeat, multis rationi bus defenditur. p.69.col.2.b.& ſeqq.

Medicamenti purgantis incommoda referuntur. p.70. col.2.b

Medicamenti purgantis exhibitio tanquam conueniens in initio febrium putridarum defenditur. ibid.d.& ſeqq p.71.col.1.& 2

Medicamenta pro pleuritide febri puncticulari adiuncta vtilia deſcribuntur. p.153.col.2.c.d

Medicamenta omnia licèt ſenſui ſimplicia appareant, naturâ tamen ſunt compoſita. p.174.col.2.d.& ſeq.

Medicamentorum virtutes ab inuicem ſeparantur, & quomodo. p.175.col.2.d.& ſeq.

Medicamentum aliud ſimplex, aliud compoſitum, & quænam illa ſint. p.191.col.2.a

Medicamenta propter tria componuntur. ibid.col.2.b.c

Medicamenta quadrupliciter præparantur. ibid.col.2.e

Medicamenta tam ſimplicia, quàm compoſita præſcribendi methodus qualis, & quibus characteribus eorum pondera notanda ſint. p.192.col.1.a. & ſeq.

Medicamentorum purgantium tres differentiæ referuntur. p.194.col.2.a

Medicamenta purgantia quâ hora aſſumi debeant. ibid. col.2.c

Medicamenta purgantia in catapotiorum forma exhibita circa mediam noctem offerri ſolent. ibid.d

ad Medicamentorum purgantium compoſitionem, vel exhibitionem duo valde notanda. p.195.col.1.b.c

Medicamentorum purgantium doſis præſcribitur. ibid. col.2.& ſeqq.

Medicamentum expurgans non conuenit in curatione ilei, fæcibus adhuc duris exiſtentibus. p.355.col.2.c

Medicamentum, venenum, & alimentum in quo differant, & conueniant. p.468.col.1.c

Medicamentum conuerti ſolet in humorem peccantem. p.527.col.2.c

Medicamentum naturam alterat, & quodammodo lædit. p.549.col.2.d

Medicamenta pectoralia ſubtiliter ſunt trituranda.p.552. col.2.c

Medicamenta exteriùs admouenda qualiter ſint trituranda. ibid.col.2.c.d

Medicamentum ſubtile, quomodo ſubtiliter triturari poſſit abſque ſuæ ſubſtantiæ deperditione. p.553. col.1.a.b

Vide in verbo *Trituratio*.

Medicamentum purgans interturbat coctiones.pag.583. col.1.c

*Medicina.*

Medicinæ laudes proferuntur, cuius perfectionem, & celſitudinem languor oſtendit. p.184.col.1.c

Medicinæ origo,& honores referuntur. ibid.& col.2.a.b

Medicina ab omnibus exculta. ibid.c.d

Medicinæ virtus eximia deſcribitur. ibid.& ſeq.

ad Medicinæ vtilitatem ſequitur eius neceſſitas. p.185. col.1.b

Medicina frugifera valdè oſtenditur. ibid.c.d

Medicinæ definitio traditur. p.186.col.2.b

Medicinæ diuiſio refertur. p.187.col.1.a

Medicina nihil aliud eſt, quàm quædam ſenſibus obiecta Philoſophia naturalis, quæ verſatur circa humanum corpus. p.439. in proœm.

*Medicus.*

Medicus debet eſſe Philoſophus, & præſertim callere Philoſophiam naturalem. p.185.col.2.b.c.d

Medico Philoſophiæ aſtronomicæ, & naturalis notitia eſt neceſſaria. p.186.col.1.b.c.d

Medico quænam præcipuè nota eſſe debeant.ibid.col.2. b.c.d

Medici quare faciliùs reprehenſionem, quàm honorem conſequuntur, ex Hippocrate. p.187.col.1.c

Medico requiſita varia recenſentur.p.187.col.1.d.& ſeq.

ad Medicum ſpectat noſcere quid ſalutiferum ægro competat, ex D.Auguſt. p.191.col.1.d

Medicus qua ratione poſſit diuini nomen obtinere, iuxta Hippocratem. p.439. in proœm.

Medici felices dicuntur, & quare. p.454.col.1.c

Medicus ex inopinato euentu calumniam paſſus, quomodo ab ea ſe liberet. p.455.col.1.c

Medicorum Matritenſium duplex error notatur in curatione guttæ ſerenæ cum ſuffuſione. p.461.col.1.d

Medicus qui neſcit quieſcere,periculoſior eſt, quàm qui neſcit contraria adhibere. p.496.col.2.a

Medici Chriſtiani qualiter ſe habere debeant circa ægrorum confeſſionem. p.581.col.2.a.b

Medicorum diſſenſio in conſultationibus vnde proueniat. ibid.col.2.a.b

*Melancholia.*

Melancholiæ morbi definitio traditur, & explicatur. p.246.col.2.b

Melancholiæ morbi ſymptomata. ibid.

in Melancholia morbo quæ pars afficiatur, & quæ potentiæ lædantur. p.249.col.2.d.& ſeq.

Melancholia morbus quotupliciter fiat, & quænam ſint eius ſigna. p.249.col.2.a.b

Melancholiæ morbi curatio præſcribitur.ibid.col.2.d.& ſeqq.

Melancholiæ hypochondriacæ curatio. p.250.col.2.c.d

Melancholia morbus ex amore procedens qua ratione curandus. p.251.col.1.c.d

Melancholiæ ſpecies, & ſigna proponuntur. p.492. col.2.b

Melancholia hypochondriaca quomodo ex pituita fieri poſſit. ibid.col.2.d

in Melancholia ex inflammatione non datur febris, & quare. p.493.col.1.b.c

in Melancholia ex læſione cerebri læditur actio appetitus. ibid.col.1.d

Melancholici quare timeant quæ non ſunt timenda. p.493.col.2.d

*Memoria.*

Memoriæ læſio quis affectus ſit, & quotupliciter lædi poſſit. p.219.col.1.d.& ſeq.

Memoria poteſt delirium pati, & deprauatè lædi. ibid. col.2.b.c.d

Memoriæ læſio quas cauſas habeat, & quare frequentiùs læditur à frigore. p.220.col.1.d.& ſeqq.

Memoriæ lapſus quid ſit,& in quo conſiſtat.ibid.col.2.b

Memoriæ læſæ ſigna & curatio.p.221.col.1.a.b.& ſeqq.

Memoriæ læſæ à ſiccitate, frigiditate, aut calore curatio. p.222.col.1.b.c.d

Memoriæ dignitas extollitur, eiuſque obiectum aſſignatur. p.461.col.2.d
Memoriæ, & reminiſcentiæ differentia traditur. p.462. col.1.a.b
Memoriâ magis in parte poſteriori capitis perficitur, quia magis ſicca. ibid.col.2.a
Memoria à pluribus cauſis lædi poteſt, præcipuè tamen à frigiditate. p.462.col.2.c
Memoria læditur deprauatè à calore. p.463.col.1.a.b
Memoria deperditur ex immodica euacuatione. ibid.c.d
Memoriæ deperditæ curatio. ibid.& col.2.a.b.& ſeqq.
Memoriæ amiſſio purgatione accepta, ex toto eodem die reſtaurata. p.546.col.1.b.c
Memoria ex pluribus cauſis, præcipuè tamen à frigiditate læditur. ibid.col.2.c.d.& p.547. col.1.d. & ſeq.
ad Memoriam bonam moderata requiritur organi ſiccitas. p.555.col.1.a

*Menſes, & Menſtrua.*

Menſtrua vnde ita dicta, & quare mulieribus magis quàm cæteris viuiparis ſuperueniant. p.406.col.2.b
Menſtrualis euacuatio quare ſingulis menſibus adueniat. ibid col.2.d
Menſtruus ſanguis muliere ſana exiſtente, eſt excrementum quantitate tantùm, non qualitate peccans. p.407.col.1.c
Menſtruus ſanguis quare à natura ad vterum mittatur. ibid.col.2.b
Menſtruorum quantitas, & dies purgationis menſtrualis definiri non poſſunt. ibid.col.2.d.& ſeq.
Menſtruæ purgationes quo tempore apparere incipiant, & quo deſinant. p.408.col.1.b
Menſtrua quibus de cauſis ſupprimantur. ibid.col.1.d
Menſtruorum ſuppreſſionis ſigna communia, & particularia, & præſagium. ibid.col.2.b.& ſeq.
Menſtruorum ſuppreſſio quibus auxiliis curetur. p.409. col.1.& 2.a.b.& ſeq.
de Menſium ſuppreſſione, quæ virgini contigit cum febre continua, & œſophagi inflammatione, hiſtoria & curatio refertur. p.410.col.1.d.& ſeqq.
Menſibus fluentibus quando ſanguinis miſſio conueniat. p.411.col.1.b
Menſium immodica purgatio quid ſit, quæ eius cauſæ, & ſigna. ibid.col.2.c.d
Menſium immodicus fluxus quibus remediis compeſcendus. p.412.col.1.c.d.& ſeq.
Menſtruorum detentio nobilem matronam cordis oppreſſione, dolore, & palpitatione, calidaque cerebri intemperie, & aliis prauis affectibus affligit. p.626.col.1.c.d
in Menſtruorum detentione ex quo loco ſit ſanguis mittendus. p.628.col.2.b

*Mentagra.*

Mentagra & impetigo qualiter inter ſe differant: vide in verbo *Impetigo.*

*Mercurius.*

Mercurius mouet humores ad pectus. p.503.col.1.c
Mercurij vſus in morbis pectoris conueniens aſſeritur. ibid.col.1.d
Vide in verbo *Hydrargyron.*

*Metus.*

Metus ſolet cauſare ventris ſolutionem. p.488.col.1.a
Vide in verbo *Timor.*

*Mictio, & Mictus.*

Mictio quare contingat inter dormiendum. p.397.col.2.d
Vide in verbo *Vrinæ incontinentia.*
Mictus ſanguinis ex quibus cauſis contingere poſſit. p.382.col.2.c.d
Mictûs ſanguinis ſigna, & curatio referuntur. p.383. col.1. & 2

*Mirabile.*

Mirabile tripliciter aliquid dicitur. p.631.col.2.b
Mirabilia quædam recenſentur. ibid.
Mirabilia dicuntur rarò euenientia. ibid.col.2.c

*Mixtum.*

Mixta calida aliqua ſunt, quæ talia fiunt per propriam & veram mixtionem; alia quæ violentiâ ignis, vel ingentis putredinis primam mixtionem diſſoluentis plures partes igneas adquirunt, quas per propriam paſſionem non adquiſierunt. p.119.col.2.b
Mixtum recipit ab elementis qualitates primas in menſura ſibi conuenienti. p.173.col.1.c
in Mixto manent qualitates primæ, & ſecundæ in gradu ſibi conuenienti. ibid.col.1.d
Mixtum fit immediatè ex elementis, aut ex aliis mixtis. ibid.col.2.a
Mixtum petit fieri ex materiebus elementorum per primas, & ſecundas qualitates diſpoſitis. ibid.col.2.c.d
in Mixtis remanent partes materiales correſpondentes partibus materialibus elementorum. p.174.col.2.d
Mixta ex elementis accipiunt qualitates primas & ſecundas. p.177.col.2.d
Mixtum homogeneum quale ſit. p.178.col.2.b
Mixtum imperfectum poteſt fieri ex vno elemento. p.179. col.2.b
Mixtum perfectum petit fieri ad minus ex aqua & terra, cum virtutibus ignis, & aëris. ibid.col.2.c
Mixtio debet fieri per contraria. p.180.col.1

*Mola.*

Molæ definitio traditur, & explicatur. p.428.col.2.d
Mola nec anima rationali, nec vlla alia informatur, nec vllo gradu vitæ viuit. ibid.col.1.a b
Mola quomodo fiat in vtero mulieris, & an poſſit generari ſine viri concubitu. p.429.col.1.c.d
Mola eſt morbus in numero addito toto genere præter naturam. p.430.col.1.b
Molæ duratio intra vterum. ibid.col.1.c
Molæ curatio difficilis, quibus auxiliis perfici poſſit. ibid. col.1.d.& ſeq.

*Morbilli.*

Morbilli & variolæ antiquis fuere Medicis cognitæ. p.159.col.1.d.& ſeq.
Vide in verbo *Variolæ.*

*Morbus.*

Morbus non poteſt conſiſtere in relatione diſconuenientiæ & improportionis. p.4.col.2.b.c.d
Morbus quo ſenſu dicatur à Galeno ametria, & ſanitas ſymmetria. ibid.& ſeq.
ad Morbum, vel ſanitatem non datur per ſe motus. p.5.col.1.a
Morbus & ſanitas non ſunt relationes ſecundùm eſſe, ſed ſecundùm dici. ibid.
Morbi plures dantur in intemperie, qui à principio interno oriuntur. p.9.col.1.d
Morbum & ſanitatem quo ſenſu dictum ſit à Galeno eſſe de genere permanentium. p.16.col.1.b.c
Morbi formalitas neceſſariò conſiſtit in illius termino. ibid.d
Morbus à cauſa diuina dependens cenſetur, ſi cùm Medicus remedia debitè adminiſtret, & omnia rectè diſpenſet, morbum aliàs ſuperabilem ſuperare nequit. p.48.col.2.d
Morborum reditus per circuitus ordinatos fiunt à facultate naturali membri expellentis, irritata à quantitate, & qualitate humoris peccantis, & à debilitate membri recipientis. p.52.col.1.c
ad Morborum determinatos circuitus quid requiratur. ibid.col.2.b
Morborum circuitus quomodo perturbentur in ordine. ibid.col.2.d
Morborum circuitus non fiunt à proprietate humorum. p.53.col.1.b
Morborum continuorum partes copulantur termino communi, intermittentium verò partes exigunt ſeparationem, & diſcretionem. p.58.col.2.d
Morbus intermittens dicit naturam complexam ex affectu ipſo, & priuatione illius. ibid.col.2.a

Morbus intermittens ad quod pertinet prædicamentum. ibid.col.2.c
Morbus intermittens, intrinſecè vt talis eſt, ex intermiſſione, & acceſſione conſtituitur. ibid.d
Morbus intermittens non poteſt dici continuus continuitate cauſæ. p.59.col.1.b
Morborum tempora diuerſa referuntur ad ſimilitudinem ætatum hominis, & quomodo ab eis differant. p.73. col.1.b
Morbi principium quotupliciter ſumatur. ibid.c
Morbi augmentum aliquando cum principio confunditur. ibid.d
in Morbis peſtilentibus exactè peracutis non expectatur coctio, ſed ſtatim humores ſanguinis miſſione, vel purgatione, ſi poſſibile eſt, euacuantur. p.74.col.2.a
Morbus acutus præter magnitudinem, & celeritatem debet etiam habere adiunctum periculum. p.81.col.1.d
Morbi longi ſenibus aduenientes maxima ex parte comitantur ad mortem. p.96.col.2.d
Morbus acutiſſimus periculoſus eſt, mitior tamen, & benignior poteſt eſſe quàm non ita acutus. p.107. col.1.d
Morborum duplex differentia iuxta Hippocratis mentem proponitur. p.123.col.1.b
Morbus epidemicus dupliciter accipitur. ibid.c
Morbi epidemiales ſunt contagioſi. ibid.d
Morbi quare aliqui contagioſi ſint, alij verò non, quamuis vehementiſſimi, & grauiſſimi. p.124.col.1.a
Morbi varij familiares in variis regionibus recenſentur. p.127.col.1.a.b
Morbi maligni quinam ſint, & quare ita dicantur. p.133.& ſeq.col.2.d.& col.1.a.b.
Morbi maligni definitio traditur. ibid.
Morbus malignus quomodo dignoſcatur, ſi eius ſymptomata mitia ſint. p.134.col.1.c.d
Morbi malignitas quid ſit, quomodo ſumatur, & quomodo ſit accipienda. p.134.col.2.b.c.d
Vide in verbo *Malignitas*.
Morbi maligni definitio traditur, quâ eius natura ſufficienter explicatur, & ab omnibus aliis diſtinguitur. p.138.col.2.d.& ſeq.
Morbi aliqui recenſentur, qui in qualitate manifeſta conſtituti, citiùs interficiunt quàm maligni. p.139.col.1.d
in Morbo maligno non reperitur proportio inter læſionem, & morbum manifeſtè lædentem. ibid.col.2.a
Morbi maligni idea proponitur. ibid.b
Morbus malignus quomodo poſſit diuini nomen ſortiri. ibid.col.2.d.& ſeq.
Morbi qui dicuntur à tota ſubſtantia, quinam ſint. p.164.col.1.d
Morbi hæreditarij quinam dicantur. p.166.col.2.a
Morbi alij manifeſti, alij occulti ſunt. p.187.col.1.c.d
Morbi tantùm tolluntur per medicamentum, aut aliquid vim medicamenti habens. p.189.col.2.a
Morbi acuti citò, & cum vitæ periculo terminantur. p.207.col.1.d
Morbi acuti, quorum acceſſiones diebus paribus fiunt, magis ſunt periculo pleni, quàm qui per impares mouentur, & quare. ibid.col.2.d.& ſeq.
Morbus acutus duplex, in ordine ad quem tenuis victus inſtituitur. p.209.col.2.c
Morbus cauſam habens altioris ordinis quomodo dignoſcatur. p.298.col.2.b.c.d
Morbus malignus dum ſaluberrimus eſſe videtur, furtim rapit hominem. p.465.col.1.d
Morbi ſæpe diutiùs durant propter Medici imperitiam, vel aſſiſtentium errorem. p.483.col.2.b
in Morborum complicatorum curatione quænam conſideranda veniant. p.494.col.2.c.d
Morbi aliqui vſu balnei ingraueſcunt, & quinam ſint. p.498.col.2.b
Morbus prior eſt idem numero morbus cum recidiua. p.521.col.1.a
Morbus phyſicè rigoroſè, non eſt morbus medicè. ibid.c
Morbi acuti duplex genus recenſetur. p.517.col.2.c
Morbi declinatio vera & vniuerſalis quomodo diſtinguatur ab infida & falſa. p.523.col.2.d. & ſeq.
Morbus reuerſiuus, & conuerſiuus, & recidiua in quo differant. p.524.col.2.c.d
Morbi acuti curatio difficilis in vtero gerentibus. p.528. col.1.d. & ſeqq.
vt Morbus ſit acutus quid requiratur, & an ſit periculoſus. ibid.col.2.c.d
Morbus acutus eſt periculoſus, non tamen ſemper cum ſignis periculi. p.529.col.1.b
Morbus acutus dupliciter inſurgit. ibid.c
Morbus acutus poteſt eſſe continuus, vel intermittens. ibid.col.1.d
Morborum acutorum differentiæ. ibid.col.2.c
Morbi non maligni infra renes vterum infeſtantes, non ſunt venæ ſectione curandi. p.535.col.1.b
Morbus phyſicus quomodo differat à morbo medico. p.547.col.2.c
Morbi frigidi aliquando ex vſu rerum calidarum proueniunt. p.557.col.1.b
Morbi aliqui in alios mutantur ex cauſæ mutatione. p.580.col.1.a
Morbus articularis frequenter pendet ab humoribus. p.580.col.2.b
Vide in verbo *Arthritis*.
Morbus tripliciter dicitur magnus. p.582.col.1.b
Morbus magnus præſens, vel imminens curationem expetit. ibid.b
Morbi quidam pendent ex humoribus, alij independenter ſe habent. ibid.c
Morbus magnus remedium magnum exigit. p.584.col.1.c
Morbus magnus non eſt ſcopus mittendi ſanguinem. ib.d
Morbis ex inanitione ſæpe venæ ſectio conuenit. p.588. col.1.c
Morbus genericè remedium genericum; morbus in ſpecie ſpecificum, & ſpeciem remedij deſignat. p.593. col.2.c.d
an Morbus aliquis poſcat ſimul venæ ſectionem, & expurgationem. p.594.col.1.a
Morbi ex ſanguinis vitio orti venæ ſectione curantur. p.597.col.1.c
Morbi quibus debetur purgatio habent plures ſtatus. p.601.col.1.b
Morbi chronici & acuti differentia proponitur. p.609. col.1.c
Morbi acuti ex decidentia quales ſint. ibid.
Morbi principium quotupliciter dicatur. p.610.col.1.c
Morbi principium eſt ſpatium trium dierum. ibid.col.1.d
Morbi principium artificioſum quale dicatur. p.610. col.2.a
an Morbus quilibet quatuor percurrat tempora: vbi circa hoc traditur communis dicendi modus, & probatur. p.611.col.1.b.& col.2.c.& p.612.col.1.a.& ſeqq.
Morbus ceſſat materiâ euacuatâ. ibid.
Morbi lethales non attingunt declinationem vniuerſalem. p.611.col.2.b
Morbi aliqui breuiter aliqua percurrunt tempora. ibid. col.2.c
Morbi ſalubres ex materia pendentes non petunt percurrere quatuor tempora. p.613.col.2.a
Morbi ſalubres vt finiantur, non neceſſariò exigunt quatuor tempora. ibid.col.2.c.d
Morbus ſalubris poteſt finiri ſine declinationis tempore, in rigore medico. p.614.col.1.c.d
Morbi lethales in robuſtiſſimis ægris ſtatum attingere ſolent. p.615.col.1.c
in Morbis materialibus, in quibus materia reſeruatur ad vnicam criticam euacuationem, ſimul coincidunt ſtatus coctionis, & putredinis. p.615.col.1.d.& ſeqq.
Morbi materia vincitur in ſtatu, debilioribus exiſtentibus viribus, & quomodo. p.616.col.1.d

Morbi declinatio falſa, & vera quomodo diſtinguantur. p.617.col.1.c
vt Morbus dicatur declinare, ſupponit victoriam naturæ. ibid.d
Vide in verbo *Declinatio.*
Morbum eſſe phyſicè talem, & medicè, non eſt idem. ibid.col.2.c
Morbi quidam legitimè mouentur, alij illegitimè. p.619.col.1.a
Morbi acuti ſtatus rarò occupat tres acceſſiones. p.620. col.1.a
Morbi ex menſtruorum detentione, & obſtructione orti quomodo ſint curandi. p.628.col.1.c.d
Morbus comitialis quis ſit, vide in verbo *Comitialis morbus, Epilepſia.*
Morbus gallicus vnde ita dictus, vide in verbo *Gallicus morbus.*

*Mors.*

Mors inopinata vt contingat,debet robur virtutis vitalis eſſe infirmum. p.33.col.1.a
Mors ſubitanea poteſt aduenire ex paſſionibus animi, & qua ratione id eueniat. ibid.col.2.c.d.& ſeqq.
Mortis neceſſitas ex alimento deducitur. p.549.col.2.d

*Mos morbi.*

Mos morbi habet rationem generis, malignitas verò rationem ſpeciei. p.138.col.1.a
Mos morbi non eſt idem cum morbi idea, & quomodo inter ſe diſtinguantur. ibid.c
Mos morbi quomodo diſtinguatur ab eius magnitudine & eſſentia. p.139.col.2.c

*Motus.*

Motus eſt cauſa caloris; aliquando tamen per accidens frigiditatem producit. p.25.col.2.c.d
Motus qua ratione ſit efficiens cauſa caloris, à multis diuerſimodè explicatur. p.26.col.1.& 2
Motus quomodo calorem producat in viuentibus. p.28. col.1.b
Motus concuſſiuus membrorum in rigore, à qua facultate procedat. p.60.col.1.d
Motus in membro paralytico non ſeruatur, niſi remaneat ſenſus. p.242.col.2.b.c.d

*Mulier.*

Mulieres viris frigidiores eſſe probatur. p.406.col.2.c
Mulieres quibus ex cauſis ſteriles fiant, & quomodo fœcundæ dignoſcantur. p.420.col.1.& 2
Vide in verbo *Sterilitas.*
Mulieris bonæ laudes, & zelotypæ vituperium referuntur. p.467.col.2.b
Mulieres morbis variis corripi ſolent. p.488.col.2.b
Mulier grauida valens, puer fortis, & ſenex robuſtus tutò curantur. p.516.col.2.c
Mulieres grauidæ an purgari poſſint, quo tempore, & qua occaſione. p.535.col.2.a.b.& ſeqq.

*Mydriaſis.*

Mydriaſis & phthiſis oculorum quales ſint affectus. Vide in verbo *Oculus.*

*Myrobalanum.*

Myrobalanorum quinque differentiæ referuntur, eorumque temperies aſſignatur. p.197.col.1.d.& ſeq.
Myrobalani in qua doſi, & pro quibus affectibus exhiberi debeant. ibid.col.2.a.b

N.

*Nariſuſoria.*

Nariſuſoria quibus affectibus vtilia ſint, & ex quibus componantur. p.483.col.1.d
Nauſea quid ſit, & an differat à vomitu. p.336.col.2.d
Vide in verbo *Vomitus.*

*Nephritis.*

Nephritis qualis affectus ſit, qui propriè talis dicitur. p.384.col.1.c
Vide in verbis *Calculus, Lapis.*

*Nerui.*

Nerui, & muſculi à quo principio moueantur in epilepſia. p.224.col.2.c
Nerui quare inæqualiter contrahantur in morbo comitiali. p.225.col.1.a

*Nicotiana.*

Nicotiana herba quomodo memoriam lædat. p.547. col.2.c
Nicotianæ prauus vſus homines ad interitum ducit. p.548.col.1.c
Nicotiana quamuis calida, & ſicca ſomnum conciliat, fuitque in vſu apud Indicos ſacerdotes. p.548.col.1. & 2.c.d
Nicotianæ vtilitates referuntur. ibid.col.2.d.& ſeqq.
Nicotianæ fumus minùs irritat. p.549.col.2.c
Nicotianæ vſus adhibitus ante vniuerſales euacuationes lædit. p.550.col.1.b
Nicotianæ vſus ad omnes morbos, & omni tempore improbatur. p.551.col.1.c.d
Nicotianæ vſu inordinato vita paulatim deſtruitur. ibid. col.1.d
Nicotiana trituranda eſt, ſi ſub forma pulueris aſſumenda ſit. p.551.col.2.d
Nicotianæ vſus aſſiduus intellectum minuit, & errare facit. p.556.col.1.b
Nicotianæ vtilitas ad præcauendam diſtillationem imminentem. p.629.col.2.d.& ſeq.
Vide in verbo *Tabacus.*

*Nuptiæ.*

Nuptiis & veneri tempus idoneum deſignatur, vt faciliùs conceptio perficiatur. p.422.col.1.d.& ſeq.

*Nutritio.*

Nutritionis membra in morbis longis ſunt roboranda. p.541.col.2.d

*Nutrix.*

Nutrix optima quibus conditionibus decorari debeat. p.324.col.1.a
Nutricum ætas qualis debeat eſſe. ibid.b

*Nyctalops.*

Nyctalops qualis affectus ſit, & quænam eius cauſæ, & diſpoſitio antecedens. p.455.col.2.c.d
Nyctalope affecti quare noctu non videant, & an meliùs res propinquas,quàm diſtantes conſpiciant.p.456
Nyctalopis cauſa frequentior, & curatio proponitur. ibid. col.2.c.d.& ſeqq.
Nyctalopi affectus oppoſitus quiſnam ſit, & quænam eius cauſa. p.458.col.1.c
Vide in verbo *Glaucoma.*

O.

*Obſtetrix.*

Obſtetricum error circa parturientes notatur.p.602. col.1.a
Obſtetricum munus. p.604.col.2.a.b

*Obſtructio.*

Obſtructionem patientes dum deambulant facilè defatigantur, & quare. p.492.col.1.c
ad Obſtructionum curationem diſtillatio optima deſcribitur. p.495.col.2.b
Obſtructiones quàm ſint moleſtæ, ex variis ſuperuenientibus accidentibus oſtenditur. p.506.col.1.a
Obſtructionis cauſæ notæ fiunt cum præſagio, & illius accidentibus. ibid.b.c.d
Obſtructionum cauſæ connumerantur. ibid.col.2.b.c
Obſtructionum ſymptomata referuntur, & eorum cauſæ, & præſagium proponuntur. p.507.col.1.a.b
Obſtructionis curatio cum ventris adſtrictione coniunctæ. ibid.col.1.d
Obſtructio venarum vteri quæ mala concitet, & à qua cauſa procedat. p.626.col.2.d.& ſeq.

*Occaſio.*

Occaſio in morbis acutis præceps eſt, & non prætereunda.

tereunda. p.531.col.1.d
ad Occaſionis remedium à prima radice eſt deuenien-dum. p.532.col.2.b

*Oculus.*

Oculus membrum inſigne eſt, in modo operandi reliqua membra exſuperans. p.262.in procem.
Oculus variis componitur partibus, & variis affligitur morbis. ibid.
Oculorum albugo, nubecula, aut cicatrix, quinam affectus ſint, & quomodo curari debeant. p.266. col.1.a.b.
Oculorum albugo & cicatrices quomodo curentur. p.267.col.2.b.c.& ſeq.
Oculorum ſtrabyſmus qualis affectus ſit, & quam curationem requirat. p.273.col.1.d
Oculorum mydriaſis & phthiſis quales ſint affectus, quæ eorum cauſæ & curatio. ibid.col.2.c.d.& ſeq.
Oculorum temperamentum quale ſit, determinatur. p.555.col.2.b.c
Oculorum humores ſanguine non nutriuntur immediatè. ibid.col.2.c
Oculi per coitum immutantur. p.558.col.1.b
ex Oculis cuiuſque animus deprehenditur. ibid.

*Odium.*

Odium eſt paſſio, quâ appetitus obiectum vt ſibi contrarium abhorret. p.29.col.1.b

*Odoratus.*

Odoratus ſenſus quotupliciter, & à quibus cauſis lædatur. p.279.col.1.b

*Omentum.*

Omentum per totum ventrem extenſum ad quid fuerit à natura fabrefactum. p.393.col.1.b

*Ophthalmia.*

Ophthalmia quid ſit, & in qua parte oculi generetur. p.262.col.1.b
Ophthalmiæ cauſæ, & ſigna quænam. ibid.col.2
Ophthalmia quo tempore præcipuè contingat. p.263. col.1.b
Ophthalmiæ curatio traditur, quæ varia exigit remedia pro cauſarum & temporum varietate. ibid.col.1.c.d. & ſeqq.
Ophthalmiæ curatio ex frigidis & flatuoſis humoribus procedentis. p.264.col.1.c.d.& ſeq.

*Os, & Os.*

Oris ventriculi prouidentia in febribus tertianis pernitioſis proponitur. p.89.col.1.d
Oſſis cranei humani vtilitas contra epilepſiam aſſeritur. p.231.col.1.b

*Ozenæ.*

Ozenæ qualis affectus narium ſint, & quam cauſam habeat. p.279.col.1.c
Ozenarum curatio, & an in ea ſanguinis miſſio conueniat. ibid.& col.2.a.b

## P.

*Palpitatio.*

PAlpitationis definitio traditur. p.315.col.1.c
Palpitationis cauſæ, & modus quo fit, & quæ pars ſit in ea affecta, referuntur. ibid.col.2.d.& ſeq.
Palpitationis ſigna referuntur, & quæ corpora ſint illi aptiora. p.316.col.1.b.c
Palpitationis curatio per remedia interiùs aſſumpta, & exteriùs admota refertur. p.316.col.2.a.b.& ſeq.

*Paracentheſis.*

Paracentheſis in qua parte magis conueniat pro aſcitis curatione. p.515.col.2.d.& ſeq.
Paracentheſis in curatione aſcitis adhibendæ ſcopi indicantes proponuntur. p.516.col.2.b
Paracentheſi facta in aſcite, quare æger moriatur. p.618.col.1.c
Paracentheſis quid ſit, & quandonam admittenda ſit: Vide in verbis *Aſcitis*, *& Tympanitis*: *Apertio.*

*Paralyſis.*

Paralyſis græcè, latinè reſolutio, qualis affectus ſit. p.240.col.1.b.c
Paralyſis natura in quo conſiſtat, & quales ſint eius cauſæ. ibid.col.1.d.& ſeq.
Paralyſis qua ratione fiat à frigore. p.240.col.2.d
Paralyſin cauſant humiditas & frigus, & qua ratione. p.241.col.1.a.& col.2.d
Paralyſis nequit fieri à calore, & ſiccitate. p.241.col.1.d
Paralyſis ſigna & præſagium. p.242.col.1.a.b
Paralyſi affectum membrum quare extenuetur, & nunquam admittat curationem. ibid.c
Paralyſis in latere dextro eſt deterior. ibid.d
Paralyſis notha quâ ratione curabilis. ibid.col.2.a
Paralyſis curatio præſcribitur. p.242.col.2.d.& ſeqq.
in Paralyſis curatione non eſt vtendum remediis nimis calidis. p.244.col.1.a
de Paralyſi mulierem recenter enixam afficiente refertur obſeruatio. ibid.col.1.c.d
in Paralyſis curatione an remedia debeant eſſe æqualia morbo. p.245.col.2.b
Paralyſis linguæ quomodo curanda.p.246.col.1.a.& ſeq.
Paralyſis quomodo fiat ex apoplexiæ reſolutione.p.474. col.1.b
in Paralyſi an ſit ſanguis extrahendus ex venis lateris patientis. p.475.& ſeq.col.1.& 2
Paralyſim patienti an poſſit offerri medicamentum purgans. p.476.col.2.a.b.c

*Parotides.*

Parotides in febre maligna aduenientes, quid portendant. p.147.col.2.b
Parotides in febre maligna aduenientes, quando lethales, quando verò ſalutares ſint. p.154.col.1.b
Parotidibus quo pacto ſuccurrendum ſit, vt ſalutares euadant. ibid.c.d
Parotides qualis affectus ſint, & quando ſuperueniant. p.277.col.2.d
Parotidum ſigna cauſam oſtendentia. p.278.col.1.a.b
Parotidum curatio traditur. ibid.c.d.& ſeqq.

*Pars.*

Partes ſolidæ corporis quare intenſiùs inflammentur, quàm ſpiritus, & humores. p.115.col.2.b
Partium exſiccatio quo pacto fiat in febre hectica. p.116.col.2.a

*Partus.*

Partus octimeſtris an dici poſſit aborſus, ſiue viuus, ſiue mortuus exeat. p.423.col.1.c.d
Partus naturalis quiſnam ſit, & quænam ſint eius cauſæ. p.426.col.1.& 2
Partus naturalis potiſſima cauſa eſt fœtus maturitas. ibid.col.2.d
Partus laborioſi cauſæ variæ ex Pauli doctrina referuntur. p.427.col.1.c
Partus difficilis curationes variæ pro varietate cauſarum, à quibus difficultas procedit, traduntur. p.428. & ſeq.col.2.b.c.& ſeqq.
Partus ſeptimo menſe productus eſt naturalis. p.536. col.1.c
Partus vitioſi cauſæ variæ traduntur. p.602.col.2.c.d
Partus ſecundùm naturam omnibus animalibus in caput. p.603.col.1.c
Partus vitioſi ſigna referuntur. ibid.col.2.a
Partus fit naturalis, vel præter naturam, ex triplici capite. ibid.col.2.d

*Paſſio.*

Paſſiones animi plures dantur in viuentibus ſenſitiuis. p.28.col.1.c
Paſſio, ſeu pati, tripliciter poteſt dici. ibid.d
Paſſiones tribus modis adueniunt homini. ibid.
in Paſſionibus animi variè tranſmutantur ſpiritus, & ſanguis. p.30.col.1.d
Paſſiones animi inter res non naturales reponuntur. p.31.col.2.b

Paſſiones animi dupliciter alterant corpora. ibid.c
Paſſiones animi aliquando excitandæ ad curationem morborum. ibid.d
Paſſiones animi producunt aliquando frigiditatem.p.32. col.1.b.c.d
Paſſiones animi an omnes ſint productiuæ caloris. ibid. col.2.b.c
Paſſio non quælibet animi poteſt in quocumque gradu mortem inducere. p.32.col.2.d

*Pediculi.*

Pediculi quorum generationis cauſam ferè omnes homines in ſe continent, moleſti, & noxij admodum ſunt corporibus humanis. p.446.col.2.c.d
Pediculi an ſint morbus, vel ſymptoma, & an ex bile generari poſſint. p.447.col.1.& 2.d

*Peripneumonia.*

Peripneumonia quid ſit, & à quibus cauſis procedat. p.299.col.1.c.d
Peripneumoniæ ſigna referuntur, quibus ab aliis affe-ctibus pulmonis diſtinguitur. ibid.col.2.c.d
Peripneumoniæ præſagium, & curatio proponuntur. p.300.col.1.a.b.& ſeqq.

*Peſſulum.*

Peſſulum vegæ probatum ad memoriæ læſionem præcauendam,& læſam reſtituendam, p.221.col.2.d.& ſeq.

*Peſtis.*

Peſtis natura, malignitas, & aliæ conditiones referuntur. p.124.col.1.d
Peſtis ratio non poteſt ſaluari ſine ratione contagij. p.125.col.1.a
Peſtis, & peſtilentis febris cauſæ aſſignantur. p.126. col.1.& 2.a.b.& ſeqq.
Peſtis, & peſtilentis febris ſigna proponuntur, quibus præſens cognoſcitur, & imminens præcauetur.p.127. col.2.d.& ſeqq.
Peſtis præſentis ſigna referuntur. p.128.col.2.b
Peſtis quomodo præcauenda, vide in verbo *Febris peſtilens.*

*Pharmacopola.*

Pharmacopola debet eſſe induſtrius in trituratione medicamenti tenuis ſubſtantiæ. p.553.col.1.c
Vide in verbo *Trituratio.*

*Phrenitis, & Phreneticus.*

Phrenitidis definitio traditur, & in quo conſiſtat huius affectus natura, oſtenditur. p.205.col.2.d.& ſeq.
Phrenitis an ſit inflammatio cerebri, vel membranarum eius. p.206.col.1.d
Phrenitis per delirium perpetuum diſtinguitur à paraphrenitide. ibid.col.2.b
Phrenitis quomodo diſtinguatur à paraphrenitide ratione reſpirationis. ibid.col. 2.d
Phrenitidis ſymptoma aliud eſt febris acuta, & continua. p.207.col.1.d
Phrenitidis cauſæ, & ſigna quænam. ibid.& col.2.a.b
Phrenitis diebus paribus exacerbationes habens, an ſit deterior eâ,quæ per impares mouetur. p.207.col.2.c.d
Phrenitidis curatio proponitur. p.209.col.1.c.d.& ſeqq.
Phreneticus ſiti intolerabili oppreſſus, caſu mirabili ſanatus. p.210.col.2.d.& ſeq.

*Phthiriaſis.*

Phthiriaſis qualis affectus ſit, & à quibus cauſis procedat. p.447.col.1.& 2.c.d
Phthiriaſis curatio deſcribitur. p.448.col.1.a.b.& ſeq.
Vide in verbo *Pediculi.*

*Phthiſis.*

Phthiſis quid ſit apud Hippocratem, & in quo conſiſtat talis affectus. p.304.col.2.c.d
Phthiſis cauſæ tam internæ, quàm externæ referuntur. p.305.col.1.d
Phthiſis quandonam inſanabilis ſit. ibid.col.2.c.d
Phthiſis curatio. p.306.col.1.d.& ſeqq.

*Picatio.*

Picatio quid ſit. p.630.col.2.d
Picare conuenit cuicumque parti ad ſuſcitandum illius calorem. p.631.col.1.a
Picationis modus, & forma proponuntur. ibid.col.1.b

*Pillulæ.*

Pillulæ ad peſtis præcautionem valdè vtiles deſcribuntur. p.130.col.1.b
Pillularum bechicarum deſcriptio ex Meſuë traditur. p.295.col.1.b
Pillulæ quæ diu adſeruantur, exſiccantur nimis, & virtutem deperdunt. p.544.col.2.a

*Pituita.*

Pituita vitrea frigidiſſima eſt. p.627.col.1.d

*Planetæ.*

Planetæ ſeptem ſunt ſidera præcipua, quæ inter reliqua magnam habent poteſtatem in hæc inferiora. p.441. col.2.c
Planetæ per ordinem referuntur, eorumque proprietates proponuntur. ibid.c.d
Planetæ accipiunt poteſtatem, detrimentum, vel caſum in ſignis aliquibus, & quare. p.442.col.1.b
Planetarum aſpectus maximè hæc inferiora alterant. ibid.d
Planetæ magis vno tempore influunt in hæc inferiora, quàm alio, & quare. p.443.col.2.b
Vide in verbo *Luna.*

*Plenitudo.*

Plenitudo quibus mediis tollatur. p.497.col.2.c
Plenitudo quandonam ſit potiùs venæ ſectione, quàm aliis remediis tollenda. ibid.col.2.d
Plenitudinis ſigna quænam ſint, & in quo conſiſtat plenitudo quoad vaſa. p.485.col.1.b.c
Plenitudine præſente timenda eſt venæ externæ ſectio. p.533.col.1.d
Plenitudine præſente non eſt ſecanda vena humeraria in affectibus capitis. ibid.
Plenitudo tam quoad vaſa, quàm quoad vires conſurgere poteſt ex ſeroſis humoribus. p.577.col.1.b
an Plenitudo, ſiue ad vires, ſiue ad vaſa ſit ſcopus mittendi ſanguinem. p.586.col.2 c.d.& ſeq.
Plenitudo duplex aſſignatur. p.587.col.1.b
Plenitudo ſufficit ad ſanguinem mittendum. ibid.c
Plenitudo vt ſic non petit ſanguinis miſſionem. p.588. col.1.a

*Plethora.*

Plethora venæ ſectione, cacochymia purgatione detrahitur. p.587.col.1.c
Vide in verbo *Plenitudo.*

*Pleuritis, & Pleuriticus.*

Pleuritide febri puncticulari adiunctâ, quibus remediis ſit vtendum. p.153.col 2.c.d
Pleuritis quid & quotuplex ſit, & à quibus cauſis procedat. p.309.col.1.d.& ſeqq.
Pleuritidis ſigna pathognomonica referuntur. p.310. col.1.& 2. per tot.
Pleuritis latus dextrum afficiens deterior eſt cenſenda. p.312.col.1.c.d
Pleuritidis curatio proponitur. ibid.col.2.d
Pleuritidis curatio an à ſanguinis miſſione, vel expurgatione ſit inchoanda. p.313.col.1.d
ad Pleuritidis curationem varia remedia referuntur. p.314.col.2.b.& ſeq.
de Pleuritide laborantibus hiſtoriæ variæ referuntur. p.517.col.1.d.& ſeq.
Pleuritis quid ſit, & an debeat eſſe periculoſa.ib.col.2.d
Pleuritide affecti quare nec delirio, nec vehementi capitis dolore tentantur. p.518.col.2.a
Pleuritici an ſint purgandi. ibid.col.2.b

*Polypodium.*

Polypodij quænam ſit virtus, quis vſus, & in qua doſi exhibeatur. p.200.col.2.a

*Polypus.*

Polypus qualis affectus ſit, & quot eius differentiæ. p.279.col.2.d

Polypus in naribus ex quibus cauſis contingat. p.280. col.1.a.b
Polypi curatio traditur, & circa eam hiſtoria refertur. ibid.col.1.c

*Pomum.*

Pomum odoriferum ad peſtis præcautionem deſcribitur. p.129.col.2.a

*Potio, & Potus.*

Potio valde vtilis ad roborandum cor, & calorem prouocandum. p.157.col.1.c
Potio valde vtilis contra caſum. p.193.col.1.a
Potus ſummoperè nutritioni deſeruit, licèt non nutriat. p.333.col.1.a
Potus alieni appetitus vnde proueniat. ibid.b
Potus ad dolorem colicum ſedandum vtilis proponitur. p.353.col.1.a

*Præcepta.*

Præcepta Hippocratis non ſunt ita obſeruanda, vt nunquam ab eis, ratione cogente, recedere liceat. p.72. col.1.c
Vide in verbis *Hippocrates, Dogma.*
Præcepta duo valde notanda ad medicamentorum purgantium compoſitionem, vel exhibitionem. p.195. col.1.b.c

*Priapiſmus.*

Priapiſmus qualis ſit morbus, Pauli definitione oſtenditur. p.403.col.1.d
Priapiſmus affectus eſt communis tam mulieribus, quàm viris. ibid.col.2.a
Priapiſmi cauſæ, ſigna, & curatio proponuntur. ibid.b.c.d

*Prius.*

Prius ſecundùm vnum reſpectum poteſt eſſe poſterius ſecundùm alium. p.64.col.2.d

*Pruritus.*

Pruritus quomodo fiat, & quare in eo humor extra cutem non erumpat. p.485.col.2.d
Pruritus in ſenibus difficilè curatur. p.486.col.1.a
in Pruritu dolorem, & voluptatem adeſſe defenditur. ibid.col.1.b.c

*Puella.*

Puellæ præ maximo æſtu nubendi inſaniâ correptæ animus ex toto acquieuit poſt matrimonium ſubſequutum. p.32.col.1.d.& ſeq.

*Puer.*

Puer fortis tutò curatur. p.516.col.2.c
Pueri ſoluto morbo priori, ſomno alto, & longo à recidiua liberantur. p.525.col.1.c
Pueri habent ſibi adiunctam euacuationem propriæ ſubſtantiæ. p.585.col.2.a

*Pulmo.*

Pulmo reſpirationis inſtrumentum non mouetur à ſe. p.451.col.1.d.& ſeq.

*Pulſus.*

Pulſus quare fiant parui, tardi, & rari in febre ſyncopali. p.5.& ſeq.col.1.a
Pulſus in febre maligna aliquando apparet paruus, languidus, & inæqualis omni genere inæqualitatis; aliquando verò naturali ſimilis, & quare. p.144.col.2.d. & p.145.col.1.a.b
Pulſus lethargicorum, & peripneumonicorum quare magni, & molles fiant. p.311.col.1.a
Pulſus & reſpiratio fiunt propter eundem finem. p.452. col.1.c
Pulſus variæ differentiæ. ibid.col.2.b
Pulſus inæqualitas eandem habet cauſam, ac reſpirationis inæqualitas. ibid.
Pulſus magnus qua ratione accidat in difficili reſpiratione. p.474.col.2.b

*Puluis.*

Pulueres ad gallici morbi reliquias conterendas quomodo parandi. p.172.col.2.b
Puluis Papæ Benedicti triginta Medicorum conſilio compoſitus deſcribitur. p.336.col.2.b.c
Puluis cochi leuantini quale remedium ſit, & ad quid vtile. p.446.col.2.d
Puluis prædictus capiti inſperſus non poteſt nocere adultis; eius tamen vſus eſt reformidandus in teneris, & infantibus. p.447.col.1.b
Pulueres Papæ benedicti iterum deſcribuntur. p.629. col.1.c
Puluis zagualtipanis cum vino albo exhibitus viſum intra diem naturalem reſtituit. p.631.col.2.a.& p.632. col.1

*Pupilla.*

Pupillæ dilatatio an diſponat ad nyctalopem; ſicut eius paruitas. p.456.col.2.b

*Purgatio.*

Purgatio quid ſit, & quotupliciter fieri poſſit. p.68.col.2.d
Purgatio artefacta quotuplex ſit. ibid.& ſeq.
Purgatio tanquam conueniens in initio febrium putridarum defenditur. p.70.col.2.d
Purgatio regularis quid ſit, & quomodo exerceatur. p.72.col.2.a
Purgatio coactè facta quid ſit. ibid.b
Purgatio coacta non eſt ita ſecura ſicut regularis. ibid. col.2.c
Purgatio lenitiua tutiſſimum auxilium eſt in pluribus febribus putridis. p.74.col.2.b.c
Purgationes ad febris tertianæ exquiſitæ curationem vtiles. p.82.col.1.b
Purgatio in febre tertiana cum decubitu humoris ad partem nobilem magis vtilis eſt, quàm ſanguinis miſſio. p.89.col. .b.c
Purgatio nullâ expectatâ coctione exercenda eſt in febris peſtilentis curatione. p.131.col.1.c
Purgatio an, & quo tempore conueniat in febris malignæ curatione. p.151.col.1.& 2
Purgationes per interualla repetitæ in morbi Gallici curatione conueniunt. p.169.col.1.a
Purgationes conuenientes in dolore capitis ex pituita, & melancholia referuntur. p.203.col.1.d.& ſeq.
Purgatio quàm vtilis ad anginæ curationem, obſeruatione quadam oſtenditur. p.292.col.1.d.& ſeqq.
Purgatio præſeruationis gratiâ non eſt ſtatim exercenda vere incipiente. p.441.col.1.b
Purgatio an conueniat in apoplexia, & epilepſia, ſi adſit plenitudo. p.450.col.1.b.c.d
Purgatio quare in inflammationibus internis non conueniat. p.466.col.1.c
Purgatio an ſit grauidis exhibenda, quo tempore, & qua occaſione. p.535.col.1.a.b.& ſeq.
Purgatio debetur cacochymiæ. p.537.col.1.b
Purgatio ex accidenti refrigerat. ibid.col.1.d
Purgatio an ſit exhibenda in curatione voluuli. p.545. col.2.c.d
Purgatio in longis morbis eſt repetenda. p.541.col.2.b
Purgatio præcipuum eſt cruditatis remedium. p.568. col.1.d
Purgatio poteſt habere locum, vbi ſcopi mittendi ſanguinem non ſunt ſecuri. p.583.col.2.d.& ſeq.
Purgatio ſemper conuenit in turgentia. p.584.col.1.b
Purgatio debetur cacochymiæ. p.589. col.1.b.c. & p.597.col.1.a
Purgatio ad plura deſeruit. p.593.col.1.d
Purgatio in febribus pernitioſis, & in materia turgente eſt reuulſiua. p.595.col.2.c.d
Purgatio non conuenit in febrium initio. p.598.col.1.d
Purgatio minoratiua quàm cautè ſit exhibenda. p.599. col.1.b
Purgatio eſt remedium virtute multiplex. ibid.col.2.a
Purgatio varia ſortitur nomina. ibid.b
Purgatio minoratiua qualis eſſe debeat. ibid.c.d
Purgatio lenitiua quænam ſit. p.601.col.1.a

*Putredo, & Putrefactio.*

Putredo quomodo ſit cauſa caloris, cùm ſit interitus proprij, & naturalis caloris. p.41.col.2.b.c

Putredo

Putredo per ſe non indicat ſanguinis miſſionem. p.66. col.1.d.& ſeq.
Putredo non eſt forma ſubſtantialis, ſed tantùm accidentalis. p.105.col.1.d
Putreſcere, aut putrem eſſe quomodo differant. ibid. col.2.a
ad Putredinem non ſemper requiritur obſtructio, ſed multoties ex contactu rei putreſcentis fit. p.109.col.2.a
Putredo non omnis eſt contagioſa. p.125.col.2.b
Putredo difficilè afficit ea, quæ continuò mouentur. p.574.col.2.c.d
Putredo afficit cuncta præter ignem. p.575.col.1.a
Putredo, & coctio habent terminos incompoſſibiles. p.614.col.2.b
Putrefactio quælibet fit à colore extraneo rei, quæ putrefit. p.175.col.2.c

## Q.

### *Qualitas.*

QValitates primas negare in mixtis, eſt contradicere ſenſui, & intellectui. p.3.col.1.b
Qualitates primæ in mixtis non habent rationem extremi. ibid.c
Qualitatum intenſio in mixtis fit per additionem nouam gradus ad gradum. p.4.col.1.b
Qualitas, aut quantitas immediatè fundant relationem proportionis, aut improportionis, & lædendo actiones habent rationem morbi. p.5.col.1.b
Qualitas venefica quibus remediis ad extra euocetur ad febris peſtilentis curationem. p.131.col.1.c
Qualitates diuerſæ, quæ in mixto reperiuntur, referuntur. p.135.col.1.b.c
Qualitas cœleſtis, occulta, & propria mixti quænam dicatur. p.135.col.2.a
Qualitas occulta operatur eleuatiori modo, quàm primæ qualitates. ibid.b.c
Qualitas venefica dum operatur producit qualitatem eiuſdem naturæ, & operatur in nobis ſine contrario. ibid.d
Qualitas maligna virtute continet primas qualitates. p.136.col.1.b
Qua ratione qualitas maligna habeat vim producendi tot mirabiles effectus. ibid.c
Qualitates deleteriæ ſunt noſtris corporibus aduerſiſſimæ, ob contrarij tamen defectum citiſſimè in eis operantur. p.136.col.2.b
Qualitas maligna non diſtinguitur à venefica. ibid.
Qualitates ſecundæ non ſunt actiuæ. p.173.col.1.d
Qualitas vnius partis mixti non eſt abſolutè violenta alteri parti. p.179.col.1.b
Qualitates primæ an, & quomodo ſyncopen inferre poſſint. p.320.col.1.d.& ſeq.
Qualitas maligna excedit qualitates elementares. p.467. col.1.b.c
Qualitas venefica non eſt de genere qualitatum elementalium. p.469.col.1.c
Qualitas maligna quomodo alteret corpora. ibid.

## R.

### *Rabies.*

in RAbie quædam putrefactio nos latens accidit, per quam contagioſa redditur. p.125.col.2.d
Rabiei quale præcipuum ſignum ſit, & quæ facultates in ea lædantur. p.252.col.2.d.& ſeqq.
Rabies inter animalia præcipuè canem corripit. ibid. col.2.d
Rabiei cauſæ in canibus inquiruntur. ibid.& ſeq.
Rabies an ſit ſpecies maniæ, vide in verbo *Hyrdrophobia.*

### *Ramex.*

Ramex qualis affectus ſit, & quot ſint eius ſpecies; vide in verbo *Hernia.*

### *Recidiua.*

Recidiua quid ſit, & quænam eius cauſæ. p.519.col.2. a.b
Recidiuæ multiplex cauſa affertur. p.520.col.1.a & ſeq.& col.2.a.b.c
Recidiua legitima quænam dicenda ſit. ibid.col.2.d
ad Recidiuam legitimam requiſita quænam ſint. p.521. col.1.a
Recidiua eſt idem numero morbus cum priori. ibid. col.2.a
Recidiua & morbus prior faciunt vnum morbum intermittentem & diſcretum. ibid.b.d. & ſeq.
an Recidiua ſit deterior ſua radice; & quænam ex recidiuis ſit deterior cenſenda. p.522.col.2.c.d.& ſeq.
Recidiua ex pluribus erroribus cauſari poteſt. p.523. col.1.d. & ſeq.
Recidiuæ ſigna prænuntia referuntur. p.523.col.2.d
Recidiuæ legitimæ conditiones, & ſigna proponuntur. p.524.col.2.b.d.& ſeq.
Recidiua, morbus reuerſiuus, & conuerſiuus in quo differant. ibid.col.2.c
Recidiua autumno eſt magis timenda. p.525.col.1.c
Recidiua ſuperuenire ſolet, adhuc morbi materiâ omninò euacuatâ. ibid.col.1.d
Recidiuæ illegitimæ ſigna. ibid.col.2.a.b
Recidiua quo die à prioris morbi inſultu expectanda ſit. ibid.col.2.d
Recidiua fieri debet in die decretorio. p.526.col.1.a
in Recidiuæ timore non poteſt ſemper idem curationis modus ſeruari. p.526.col.2.c.d
in Recidiuæ illegitimæ timore cocta materia eſt euacuanda. ibid.& ſeq.
in Recidiuæ illegitimæ timore vires debiles ſunt reparandæ. p.527.col.1.b
in Recidiuæ timore an ſit ſanguis mittendus, vel purgatio exhibenda. p.527.col.1.c.d.& ſeq.
Recidiuæ caſus duplex refertur, in quo alter ex ægris liberatus fuit, alter obiit. ibid.col.2.d

### *Remedium.*

Remedium ex accidenti non tollit morbum immediatè. p.188.col.1.c.d
Remedia calida, aut tepida ſemper in aurium dolore admouenda ſunt. p.274.col.2.c
Remedia exſiccantia, & abſtergentia vlceribus potiùs conueniunt, quàm humectantia. p.288.col.2.d
Remedia aliqua habent ſympathiam, ſeu analogiam cum aliquibus partibus corporis determinatis. p.230. col.1.c.d
Remedium vnicum aliquando pluribus virtutibus conſtat. ibid.col.1.d
in Remediorum oblatione indicatio ſumitur ex morbo, & parte affecta. ibid.col.2 a
Remediis in affectibus iecoris, & ventriculi exhibendis ſemper admiſceri debent ea, quæ roborandi vim habent. p.338.col.1.d
Remedia ſtupefacientia ad dolorem colicum ſedandum vtilia proponuntur. p.353.col.2.d
Remedia per os aſſumpta ad curationem diarrhϾ ante prandium ſunt aſſumenda. ibid.
Remediorum adminiſtratio quo veris tempore aptiùs fiat. p.442.& ſeq.col.1.a
Remediorum exhibitio an potiùs ſit facienda in lunæ decremento, quàm incremento. p.443.col.2.d.& ſeq.
Remedia ſecurè tam in cremento, quàm decremento lunæ exhibentur. p.445.col.1.a.b
Remedia cui parti capitis aptiùs applicentur ad memoriæ læſionem. p.462.col.2.b
Remedia vniuerſalia conueniunt ante localium remediorum exhibitionem. p.454.col.2.b.& ſeqq.
Remedia varia ad nyctalopis, & aliorum oculorum affectuum curationem conducentia. p.457.col.1.& 2
Remedia varia pro ſcabie, & quolibet lichene durante proponuntur. p.490.col.2.d

Remedia refrigerantia, & ſtupefacientia quando ſint ex vſu in dolore. p.513.col.1.b
Remedia plura proponuntur ad hydropis, præſertim aſcitis curationem. p.516.col.2.d
in Remedij executione conſideranda eſt configuratio, & ſitus partis, in qua exercetur. p.532.col.1.a
Remediorum occaſio præceps eſt. p.550.col.2.b
Remediorum quantitas vnde dimetiatur. ibid.
Remedia conſueta minùs lædunt. ibid.col.2.c
Remedia diuerſa exhibentur pro varietate temporum morbi. p.608.col.2.b.c
Remedia pro calida cerebri intemperie traduntur.p.629. col.2.c

*Reminiſcentia.*

Reminiſcentiæ, & memoriæ differentia: vide in verbo *Memoria.*

*Ren.*

Renum lapis generatur in eorum cauitate, vel ſubſtantia. p.385.col.1.c.d
Vide in verbis *Lapis*, *Calculus.*
Renum vlcera quomodo contingant, & quomodo curentur: vide in verbo *Veſſica.*

*Reſpiratio.*

Reſpiratio magna, & rara quare fiat in delirio. p.207. col.1.a.b
Reſpiratio qua ratione læditur in caro. p.215.col.1.c.d. & ſeqq.
Reſpiratio quomodo lædatur in apoplexia.p.236.col.1.c.d
Reſpiratio an ſit ita neceſſaria homini, vt ſine illa homo viuere non poſſit. ibid.col.2.b.c.d
Reſpirationis difficilis triplex differentia ſtatuitur.p.295. col.1.d
Reſpirationis inſtrumenta referuntur. p.296.col.1.c
Reſpirationis difficultas ſomno impedimentum præbet. ibid.col.2.d
Reſpirationis difficilis curatio. p.298.col.1.d
Reſpiratio ſublimis mortis eſt prænuntia. p.451.col.1.b
Reſpiratio quid ſit,& quibus componatur partibus.ib.d
Reſpirationis cauſæ, & inſtrumenta aſſignantur. ibid. col.2.c.d
Reſpirationis cauſa finalis ſtabilitur. p.452.col.1.b
Reſpirationis cauſæ continentes, & conſeruatiuæ referuntur. ibid.d
Reſpirationis variæ differentiæ. ibid.col.2.b
Reſpirationis inæqualitas ex quibus cauſis procedat.ibid.
Reſpiratio ſublimis quid ſit, & quænam eius cauſæ. p.453.col.1.a.b
Reſpiratio ſublimis quare ſit mortalis.ibid.col.2.b.& ſeq.
Reſpiratio quomodo libera euadere poſſit in ingenti partium obſtructione. p.474.col.1.d

*Reuulſio.*

Reuulſio, & deriuatio quandonam ſanguinis miſſione, vel purgatione ſunt faciendæ. p.595.col.1.d
Reuulſio humorum quandonam conueniat: vide in verbo *Euacuatio.*

*Rhabarbarum.*

Rhabarbari vſus varius in Medicina, in qua forma,doſi, & pro quibus affectibus exhiberi poſſit. p.197.col.1. b.c
Rhabarbari toſti vtilitas pro curatione diarrhœæ. p.349.col.1.c

*Rigor.*

Rigor, frigus, & horror in quo conueniant, & in quo differant. p.59.col.1.d
in Rigore quatuor reperiuntur, & quæ ſint.ibid.col.2.b
Rigoris formalis ratio ſita eſt in refrigeratione dolorifica vnà cum concuſſione totius corporis. ibid.d.& ſeq.
Rigoris definitio traditur,ex Galeno. p.60.col.1.a
Rigor eſt aggregatum quoddam compoſitum ex pluribus accidentibus ad diuerſa prædicamenta ſpectantibus. p.60.col.2.a
in Rigore plura dantur, quorum quædam morbum conſtituunt, alia verò ſunt accidentia morbum conſequentia. ibid.c.d
Rigoris tres cauſæ immediatè efficientes aſſignantur. p.61.col.1.a.& ſeqq.
in Rigore quomodo excitetur frigiditas dolorifica. ibid. col.2.c
Rigor maior an à fortiori, vel debiliori virtute expultrice excitetur. p.62.col.1.c.d.& ſeq.
Rigor eo intenſior concitabitur, quo fortior fuerit expultrix naturalis, ſi humor per ſentientes partes deferatur, rigoremque efficiat. p.62.col.2.b
ad Rigorem quandonam ſequatur intenſior extremarum partium frigiditas. ibid.col.2.d
Rigor minor excitatur cùm virtus animalis, naturalis, & vitalis fortes ſunt, & humor irritans parum infeſtat. ibid. & ſeq.
Rigores quare maiores appareant in morti proximis. p.63.col.1.b
Rigor an dari poſſit, quin vlla febris ſuperueniat. ibid. col.1.d.& ſeqq.
Rigores quare in febre maligna ſuperueniant. p.133. col.1.d
Rigor inordinatus in febre maligna adueniens, vnde proueniat. p.146.col.1.c
Rigor laborioſus per plures dies moleſtans ſine febre curatur. p.565.col.2.d.& ſeq.
Rigoris definitio traditur. p.566.col.1.b
Rigoris naturam tria conſtituunt, & quænam. ibid.c
in Rigore datur reciprocus motus ſpirituum,& quare. ib.
Rigor ſine motu dari nequit. ibid d
Rigoris cauſæ referuntur. p.566.col.2.c.d
Rigori non ſemper ſuperuenit febris, & quare. p.567. col.2.c.& p.568.col.1.a
Rigor nullâ ſuperueniente febre antiquis fuit cognitus. ibid.col.2.d
Rigoris præſagium refertur. p.568.col.1.b
Rigoris non recaleſcentis curatio. ibid.col.1.d
Rigoris remedia ſunt calefactio, ſudor, & vomitus. p.568.col.2.b
Rigoris curationes variæ pro diuerſitate cauſarum, à quibus procedit. ibid.c.d.& ſeq.
Rigor quare non ſit vehemens in febre tertiana. p.625. col.1.c

*Rubor.*

Ruborem in tota cute patiens ſine febre, deinde febre acutiſſima correptus, febre terminata in fluxionem pituitoſam ad fauces in totum liberatur.p.484.col.2.b
Rubor cutis ex quibus cauſis procedat. ibid.col.2.a

*Ruta.*

Ruta, & opij caulis reddunt hominem impotentem. p.556.col.2.b

S.

*Salamandra.*

Salamandram in igne degere, & viuere, fabuloſum eſt. p.179.col.2.d

*Salſedo.*

Salſedo tribus modis alicui rei contingere poteſt.p.268. col.1.b.c.d

*Salus.*

Salus & morbus ex temporum alteratione dependent. p.440.col.2.b
Vide in verbo *Sanitas.*

*Sanguis.*

Sanguis & ſpiritus non mouentur à ſe in animi paſſionibus. p.35.& ſeq.col.2.c.d.& ſeqq.
Sanguis & ſpiritus in animi paſſionibus mouentur à corde. p.39.col.1.c
Sanguis & ſpiritus qua facultate in corde reſidente moueantur. ibid.d.& ſeqq.
Sanguis & ſpiritus localiter mouentur à facultate motiua vitali per compreſſionem, & dilatationem.p.40. col.1.a.& p.41.col.1.d

Sanguinis

Sanguinis miſſio in quibus febribus putridis conueniat. p.66.col.2.a.b.& ſeq.
Sanguinis miſſio quantâ prudentiâ ſit exercenda in febribus putridis. ibid.col.2.d
Sanguinis miſſio an conueniat in curatione febris tertianæ exquiſitæ. p.81.col.2.d
Sanguinis miſſio quomodo exercenda ſit in febribus tertianis nothis, & duplicibus. p.84.col.1.c
Sanguinis miſſio vſque ad animi deliquium,quomodo ſit celebranda in febre ardenti. p.102.col.1.c.d.& ſeqq.
Sanguinem mittere vſque ad animi deliquium in febre ardenti magni momenti eſt. ibid.& ſeqq.
Sanguis putreſcens quare mutetur in aliorum humorum naturam, reliqui verò humores propriam retinent formam. p.105.col.1.c
ex Sanguine putreſcente manente ſub propria forma datur febris putrida. ibid.col.2.b
Sanguine putreſcente omnes humores putreſiunt, quia nunquam purus ſine aliorum humorum conſortio in venis reperitur. p.106.col.1.b
Sanguis faciliùs putreſcit, quàm reliqui humores, & ideò citiùs grauia concitat accidentia, mitiora tamen quàm reliqui humores. p.107.col.1.c
Sanguinis miſſio quomodo celebranda in febris peſtilentis curatione. p.131.col.1.a
Sanguinis miſſio ex talo vtilis etiam eſt. ibid.b
Sanguinis ſtillæ è naribus fluentes in febre maligna, malæ ſolent eſſe. p.147.col.1.d.& col.2.a
Sanguinis miſſio quomodo exercenda in febris malignæ curatione. p.149.col.1.b.c.d
Sanguis impurus morbillis præſtans materiam, quomodo citra noxam diu intra corpus retineri poſſit.p.159.col.2.c
Sanguis quomodo ſit mittendus in curatione phrenitidis. p.209.col.2.d.& ſeq.
Sanguinis miſſio quænam conueniat in curatione lethargi. p.213.col.2.a
in Sanguinis miſſione pro memoriæ læſæ curatione, quam cautè ſit procedendum. p.221.col.1.d.& ſeq.
Sanguinis miſſio an conueniat in curatione epilepſiæ. p.227.col.1.b
Sanguinis miſſio an ſit celebranda ex venis linguæ, ſi paralyſi afficiatur. p.246.col.1.a.b
Sanguinis miſſio qualiter facienda in curatione melancholiæ morbi. p.250.col.2.b
Sanguis non eſt mittendus in principio curationis hydrophobiæ. p.454 col.2.c
Sanguis miſſio qualiter ſit exequenda in curatione conuulſionis. p.258.col.1.b
Sanguis ex naribus quibus de cauſis fluat.p.280.col.2.d.& ſeq.
in Sanguinis fluxu è naribus qualis facultas lædatur, & quænam ſint eius cauſæ, & ſigna. ibid.col.2.b.c
Sanguinis fluxus è naribus quandoque pernicioſus, quandoque verò bonus eſt. ibid.
Sanguinis fluxus è naribus quomòdo curandus, ſiue per interiùs aſſumpta, ſiue per exteriùs admota. ibid. col.2.d.& ſeqq.
Sanguinis fluxus ſolâ menthâ à quadam vetula monſpeliana curatus. p.281.col.2.b
Sanguis tribus modis è vaſis fluere poteſt. p.301.col.1.b
Sanguinis ex ventriculo, pectore, capite, & pulmone fluentis ſigna referuntur. ibid.col.1.c.d
Sanguis quare grumoſus fiat in pectore. ibid.col.2.d
Sanguis quâ viâ è pectore ad aſperam arteriam non deueniat. p.302.col.1.b
Vide in verbo *Sputum ſanguinis.*
Sanguis propter hirudinem deuoratam fluens non ſemper eundem tenorem ſeruat. p.304.col.2.a
Sanguis ex qua vena mittendus ſit pro pleuritidis curatione. p.313.col.2.b
Sanguinis miſſio vnicum eſt auxilium, ſed virtute multiplex. p.314.col.1.b
ad Sanguinis miſſionem pro curatione pleuritidis aliqua notanda. ibid.col.1.c.d
Sanguinis miſſio an conueniat ad curationem diarrhϾ. p.347.col.2.a.b
Sanguinis miſſio quandonam in curatione diarrhϾ conueniat. p.349.col.1.b
Sanguiſugæ hæmorrhoïdibus applicandæ, quales eſſe debeant, & quomodo applicandæ. p.361.col.1.a
Sanguiſugarum applicatio, & earum ablatio. ibid.b
Sanguinis miſſio an conueniat in curatione obſtructionis iecoris. p.336.col.1.d
Sanguis concretus in veſſica quibus remediis reſoluatur, & curetur. p.383.col.2.d.& ſeq.
Sanguis menſtruus quare ad vterum mittatur: vide in verbo *Menſtruus ſanguis.*
Sanguinis miſſio pro curatione ſuppreſſionis menſtruorũ ex qua vena fieri poſſit.p.409.col.1.c.& p.410.col.2 d
Sanguinis miſſio quando menſibus fluentibus conueniat. p.411.col.1.b
Sanguinis miſſio quo tempore grauidationis ſit magis vtilis. p.425.col.2.a
Sanguis qualiter mittendus in arthritidis curatione. p.435.col.1.b
Sanguinis miſſio præſeruationis gratiâ non eſt ſtatim exercenda vere incipiente. p.441.col.1.b
Sanguinis miſſio quibus de cauſis vernò tempore incipiat. p.442.col.2.b
Sanguinis miſſio an conueniat in omni apoplexia, & quolibet morbo comitiali. p.449.col.1.d.& ſeq.
Sanguis extra venas venæ ſectione poteſt auferri. p.475. col.1.c
Sanguinis miſſio an conueniat catarrho affectis. p.481. col.2.a.& ſeq.
Sanguinis miſſio conuenit in obſtructionibus, & melancholia morbo. p.495.col.1.c
Sanguinis miſſio vſque ad animi deliquium, an conueniat in doloribus vehementiſſimis. p.512.col.1.d
Sanguis mittendus eſt in recidiuæ timore, ſi vires conſtent. p.527.col.1.c
Sanguinis miſſio an grauidis conueniat. p.530.col.1.b.d. & col.2.d
Sanguinis miſſio in grauidis quo tempore, & in qua parte aptiùs conueniat. p.531.col.1.c.d.& ſeq.
Sanguinem mittere in vtero gerentibus timoroſum eſt. p.533.col.1.a
Sanguinis miſſio ex talo non conuenit omnibus morbis acutis infrà renes. p.534.col.1.d
Sanguis in grauidis mittendus eſt ex talo, ſi morbus vexat vterum. ibid.col.2.a
Sanguinis miſſio conuenit in diarrhœa bilioſa. p.538. col.1.d
Sanguinis miſſio an conueniat in curatione voluuli. p.545.col.2.b
Sanguinis miſſio in omnibus ferè morbis exercetur. p.581.col.1.a.b
Sanguis bifariam inutilis redditur in noſtro corpore. p.583.col.1.d.& 2.a
Sanguinis miſſio in pueris, & ſenibus exercetur. p.585. col.1.c
vt Sanguis mittatur,ſemper requiritur morbi magnitudo, & virium robur. p.586.col.2.a
Sanguinis miſſio in febribus quare citra plenitudinem exerceatur. ibid.col.1.d
Sanguinis multa vitia venæ ſectionem non petunt. p.589.col.2.d.& ſeq.
Sanguinaria maſſa formaliter quatuor humores continet ad ſalutem, dum ſunt in ſtatu naturali. p.594.col.2.c
Sanguinis miſſio conuenit omni morbo magno ex plenitudine pendenti. p.595.col.1.c
Sanguinis miſſio vt reuellens, & deriuans auxilium debetur humoribus in motu,vel paratis ad motum.ib.d
Sanguiſugæ pro hæmorrhoïdibus. Vide in verbo *Hæmorrhois.*

Sanguinis miſſio quare conueniat in febrium initio. p.598.col.1.d
Sanguinis miſſio ad plura deſeruit in tumorum curatione. p.623.col.1.c
Vide in verbo *Venæ ſectio*, *Sanguiſuga*.

*Sanitas.*

Sanitas & morbus ſunt paſſiones viuentis, contra aliquos. p.20.col.2.c
Sanitas & morbus quo ſenſu dicta ſint ab Ariſtotele habitus. p.113.col.1.d
Sanitatem Diis, ægri perditionem Medicis tribuit imperitum vulgus. p.455.col.1.c

*Scabies.*

Scabies quid ſit, & quænam eius cauſæ. p.489.col.1.b
Scabiei genus duplex refertur. ibid.col.1.c
Scabies affectus eſt à Græcis pſora dictus, & qualis ſit. ibid.col.1.d

*Scammonea.*

Scammoneæ virtutes referuntur, & quomodo ſit præparanda, præſcribitur. p.198.col.1.a.b
Scammonea parum trituranda eſt, dum ingreditur medicamentorum compoſitionem. ibid.

*Scirrhus.*

Scirrhi ſpecies duæ referuntur ex Galeno, & quænam illæ ſint. p.377.col.1.b
Scirrhi cauſæ aſſignantur. ibid.

*Scopus.*

Scopus, & indicans morbi quid ſit. p.582.col.2.b
Scopi ſanguinis mittendi an ſint morbi magnitudo, & virium robur. ibid.col.2.d. & ſeq.
Scopi præcipui mittendi ſanguinem, & eius quantitatem determinantes referuntur. p.600.col.1.a.b.c
Vide in verbo *Indicatio.*

*Scrofulæ.*

Scrofulæ quare in plurali numero dicantur.p.621.col.2.b
Scrofularum differentiæ. ibid.c

*Sedimentum.*

Sedimentum vrinæ quomodo poſſit eſſe pars materiæ morbificæ in febribus interpolatis, cùm humores extra venas putreſcant. p.55.col.2.d.& ſeq.

*Semen.*

Seminis, & ſanguinis parua quantitas corrupta praua excitat accidentia. p.509.col.2.c
Semen in mulieribus adeſt. p.510.col.1.b
Semen fœcundum quale ſit. p.556.col.2.c

*Senectus*, *& Senex.*

Senectus eſt occaſus vitæ, & ſenex idem quod ſeminex. p.554.col.1.b
Senectus quare citò adueniat ex vſu tabaci. ibid.col.2.a
Senex robuſtus, mulier grauida valens, & puer fortis tutò curantur. p.516.col.2.c
Senes an incidere poſſint in febrem ardentem. p.578. col.1.d
Senum febres ſepultæ ſunt, ex Auic. ibd.
Senes an, & quo tempore ſint euacuandi per venæ ſectionem. p.579.col.1.a.b
Senes quandonam ſint venæ ſectione curandi. p.586. col.1.c

*Senna.*

Sennæ varius vſus in medicina, quæ eius virtus,& vtilitates, & in qua doſi exhiberi poſſit. p.200.col.1.a

*Senſus.*

Senſus omnes interni in toto cerebro, & in quacumque eius parte reſident, ſiue diſtinguantur inter ſe, vel non; ſed magis in vna parte, quàm in alia vigent. p.462.col.1.d
Senſus communis, & imaginationis organum humiditatem expoſcit. p.555.col.1.b
Senſus externi ad operandum petunt obiectum præſens. p.559.col.1.d

*Septum.*

Septum tranſverſum præcipuum reſpirationis inſtrumentum eſt. p.296.col.2.a

*Serum.*

Seri lactis caprarum quis vſus in Medicina, & quibus affectibus conferat. p.196.col 2.c
Serum quid ſit, & cuius coctionis ſit excrementum. p.569.col.1.a.& c
Seri materia quænam ſit. ibid.col.1.d
Serum vnum an ſit pro omnibus humoribus. p.570. col.2.b.c
Serum vnum in quolibet humore reperitur. ibid col.1.d
Serum quare ſit ſalſum. p.571.col.1.a
Serum non retinet calorem humoris, cuius eſt ſerum, & quare. ibid.col 1.b
Seri proprietates referuntur. ibid.col.1.d.& ſeqq.
Serum frigidum & humidum eſt, & qua vi detergat, purget, & abluat. p.572.col.1.c.& col.2.a
Serum remanens in pectore ad mammas non perductum, minùs eſt frigidum. ibid.col.2.c
Seri differentiæ vnde ſumantur. ibid.col.2.d.& ſeq.
Seri vtilitates proponuntur. p.573 col.1.a.b
Serum eſt infuſionum materia, & ad plura deſeruit. ibid.c
Seri exhibendi quantitas determinatur, præcipuè in affectibus renum, & veſſicæ. ibid.col.1.d.& ſeq.
in Seri vſu quæ conſideranda veniant, & quomodo ſit ſerum præparandum. p.573.col.2.d.& ſeq.
Seri electio quomodo facienda. p.574.col.1.a
Serum diſtillatum probatur. ibid.col.1.b
Serum eſt mixtum. p.575 col.1.b
Serum poteſt colorem viridem comparare abſque bile. p.576.col.1.d
Serum humorum non eſt corpus ſimplex. p.577.col.2.c
Serum caprinum, præcipuè diſtillatum, commendatur contra vrinæ ardorem, & difficultatem.p.607.col.2. c. d

*Siccitas.*

Siccitas non eſt de eſſentia febris. p.2.col.1.d
Vide in verbo *Febris.*
Siccitas non pertinet ad naturam febris hecticæ. p.118. col.1.b

*Signum.*

Signorum quatuor triplicitates elementis correſpondentes proponuntur. p.441.col.1.c
Signorum tres quadruplicitates neceſſariæ ad temporum differentias ſtatuuntur. ibid.col.1.d
Signa mobilia, fixa, & communia quomodo facilè dignoſci, & diſtingui poſſint. p.441.col.2.b

*Singultus.*

Singultus ex inanitione raró, aut nunquam febribus malignis ſuperuenit, & quomodo ſit curandus.p.155. col 1.b
Singultus ex humore prauo, ſeu vaporibus malignis in ventriculi tunicis imbibitis, febribus malignis frequenter adueniens,quomodo curetur. ibid.c.d
Singultus definitio traditur. p.339.col.1.c
Singultus non meretur nomen conuulſiui motus. ibid. col.1.d
Singultus eſt ventriculi accidens. ibid.
Singultus cauſæ referuntur, & quomodo vnaquæque illum producat, oſtenditur. ibid.col.2.c.d.& ſeq.
Singultus curatio varia pro varietate cauſarum, à quibus producitur, traditur. p.540.col.2.d.& ſeqq.

*Sitis.*

Sitis quibus ſit auxiliis iuuanda, præcipuè in febris malignæ curatione. p.154 & ſeq.col.2.d
Sitis duplici ratione prouenire poteſt. p.333.col.1.b
Sitis præter naturam cauſæ & ſigna referuntur. ibid. col.1.c.d
Sitis defectus non eſt ſpernendus in morbis acutis. ibid. col.2.b
Sitis præter naturam quomodo curanda. ibid.& ſeqq.

*Smaragdus.*

Smaragdorum vſus quantùm conferat ad curationem epilepſiæ. p.230.col.2.d.& ſeq.

Smaragdus ad varios vſus medicinæ deſeruit, & confectionibus cordialibus admiſcetur. p.350.col.1.a

*Sol.*

Solis encomia ex Plinio *lib.2. nat. hiſtor. cap.6.* referuntur. p.48.col.1.a

Solis domus propria, & domus exaltationis aſſignantur. p.442.col.1.b

Sol in aquario pluuias & ventos creat. ibid.col.1.c

*Somnium.*

Somnij definitio ex Ariſtotele traditur. p.558.col.1.d

Somnium pertinet ad facultatem ſenſitiuam. p.559. col.1.b.c

Somnium ad quem ex ſenſibus internis pertineat: ibid. col.1.d.& ſeq.

Somniorum differentiæ proponuntur. ibid.col.2.d

Somnia naturalia, & diuina dantur.p.560.col.1.b.& ſeq.

Somnia quædam à dæmone procedunt. ibid.col.2.b

Somnium fit ex vaporum motione, & quomodo.p.561. col.1.c

Somnia fiunt ex diſpoſitione cauſata à vaporibus, & ſpiritibus motis. p.563.col.1.d

Somnia monſtruoſa, & inordinata quare ex minori motu vaporum excitentur. p.564.col.1.a

Somnium quomodo habet rationem cauſæ.p.565.col.1.c

Vide in verbo *Inſomnium.*

*Somnus.*

Somnus in febre maligna debet eſſe moderatus, & ſtatim à cibi aſſumptione, & in ipſis acceſſionibus eſt interdicendus. p.148.col.1.d

Somnus profundus vnde ſuperueniat in febre maligna, & quomodo curetur. p.156.col.1.d

Somnus à qua temperie producatur; vbi de ſomno lethargi. p.212.col.1.a.b

Somnus excedens magis lædit quàm vigilia in vlcere anginoſo. p.288.col.1.d

Sanguinis miſſio ſtatim conuenit ad vlceris anginoſi curationem. p.288.col.1.d

Somnus quibus auxiliis ſit ſedandus in curatione lethargi. p.213.col.2.d.& ſeq.

Somnus, & vigilia moderata debent eſſe in catarrho affectis. p.480.col.2.d

Somni, & vigiliæ cauſæ proponuntur. p.537.col.1.a.b

Somnus quomodo ſanguinis miſſione curetur.ib.col.2.b

Somnus laudatur, ex Seneca. p.545.col.1.a

Somnus quomodo concilietur. p.548.col.2.c

in Somnis non ceſſant omninò actiones ſenſitiuæ. p.558.col.2.b

Vide in verbis *Somnium*, & *Inſomnium.*

*Sonitus.*

Sonitus internus in auribus à qua cauſa excitari poſſit. p.275.col.2.d

Sonitus aurium aliquando ab exquiſita audiendi ſubtilitate procedit. p.276.col.1.a

Sonitus aurium diuerſam pro cauſæ diuerſitate requirit curationem. ibid.col.1.c.d.& ſeq.

*Spes.*

Spes quid ſit, quodnam eius obiectum, & quomodo à deſiderio differat. p.29.col.1.d

*Spiritus.*

Spiritus vitales ſunt toto corde, & ſingulis illius partibus calidiores. p.10.col.2.c

Spiritus vitales calidi ſunt antecedenter, non tamen conſequenter. ibid.d

Spiritus, & ſanguis in animi paſſionibus non à ſe, ſed ab extrinſeco mouentur. p.35.col.2.c

Vide in verbo *Sanguis.*

Spiritus vitales ita putrefieri poſſunt, vt iis putreſcentibus febris diaria conſurgat. p.109.col.1.c

Spiritus ita deterrima putredine, & venefica qualitate poſſunt cor afficere, vt intra diem poſſint in febre peſtilenti ægrum perdere. p.126.col.1.c

Spiritus animales quomodo ex nimio dolore abſumantur. p.216.col.1.a.b

Spiritus ad ſolis occaſum incraſſantur, & refrigerantur. p.456.col.2.a

Spiritus, & ſanguis à quo moueantur in rigore. p.566. col.1.d. & ſeq.

*Spuma.*

Spuma qua ratione fiat circa os patientis morbum comitialem. p.228.col.2.b

*Sputum.*

Sputum ſanguinis quid ſit, & quomodo ab illius fluore diſtinguatur, & quæ actio in hoc affectu lædatur. p.300.col.2.c.d

Sputum ſanguinis ex pulmone quomodo diſtinguatur à ſputo ſanguinis ex thorace. p.301.col.2.b.c.d

Sputi ſanguinei præſagium quodnam ſit.p.302.col.1.c.d

Sputi ſanguinei ex capite, gingiuis, ore, aut ventriculo curatio. ibid.& col.2.a.b.& ſeq.

Sputi ſanguinei ex pulmone curatio per os aſſumpta, & per exteriùs admota. p.303.col.1.& 2.b.c.d

Sputum ſanguinis ex hirudine deuorata quomodo dignoſcatur, & curetur. ibid.col.2.d.& ſeq.

in Sputo pleuriticorum quæ conſideranda veniant. p.311.col.2.b.c

*Sterilitas.*

Sterilitas quid ſit, & quibus ex cauſis prouenire poſſit. p.404.col.1.d.& ſeq.

Sterilitas virorum quibus modis curari poſſit. p.405. col.1.d.& col.2. a. & ſeqq.

Sterilitas ex quibus cauſis mulieribus contingat, & quibus ſignis deprehendatur. p.420.col.1.& 2

Sterilitas alia curabilis, alia incurabilis eſt. p.421. col.1.a

Sterilitatis curationes variæ proponuntur iuxta varietatem cauſarum, à quibus procedit. p.421.col.1. & 2. & p.422.col.1.a.b.& ſeq.

Sterilitatis quædam cauſæ proponuntur, & an poſſit prouenire à calore. p.556.col.1.d.& ſeqq.

Sterilitas ex vſu rerum calidarum prouenire poteſt.p.557. col.1.a

*Strabyſmus.*

Strabyſmus qualis affectus ſit, vide in verbo *Oculorum ſtrabyſmus.*

*Stranguria.*

Stranguria qualis affectus ſit, & quæ eius cauſæ, & ſigna. p.395.col.1.d.&.ſeqq.

Stranguriæ curatio. p.396.col.1.b.& ſeqq.

Vide in verbo vrinæ *Stillicidium.*

Stranguriâ, & difficultate vrinæ laborans, aquâ fontium de Gambo fuit ad ſanitatem reſtitutus, fruſtra tentatis aliis remediis. p.604.col.2.d.& ſeq.

*Stupor.*

Stupor, ſiue torpor quid ſit, & quænam ſint illius cauſæ. p.494.col.1.a.b

*Sublimatum.*

Sublimatum in potione ſudorifica ebibitum lue gallica infectum ſanat. p.467.col.1.d

Sublimati temperies quænam ſit, & an operetur per virtutem abditam. ibid.col.2.b.c.d

Sublimatum habet vim purgandi, calefaciendi, & vrendi immodicè, non tamen venefica vi cordi oppoſita pollet. p.472.col.1.b

Sublimatum non eſt venenum à proprietate occulta. ibid.col.1.c.d

Vide in verbo *Hydrargyron.*

*Subſtantia.*

Subſtantia perfectè producta non eſt immediatè operatiua. p.112.col.1.c

*Sudor, & Sudorifica.*

Sudor, in quem terminatur tertiana exquiſita, quomodo iuuandus. p.82.col.1.c

Sudor quomodo compeſcendus in febris ſyncopalis minutæ curatione. p.92.col.1.c

Sudores quo pacto ſint prouocandi ad febris peſtilentis curationem. p.131.col.2.c

Sudores inordinati primis diebus febris malignæ erumpentes potiùs vi morbi, quàm lege naturæ fiunt, neque ægros leuant. p.146.col.1.b
Sudor quibus auxiliis ſedari poſſit in ſyncope. p.322. col.2.a.b
Sudor Chriſti Domini in horto orantis non fuit miraculoſus. p 487.col.2.d
Sudorifica pro curatione morbi gallici referuntur, & quomodo parari debeant. p.169.col.1.c.d
Sudorifica præſtantiora quænam ſint, & quomodo adhibenda. ibid.col.2.a.b.& ſeq.
Sudorifica auxilia in fluxionibus antiquis vtilia afferuntur. p.483.col.1.b

*Suffocatio.*

Suffocationis ex diſtillatione præſertim procedentis curatio proponitur. p.629.col.2.d

*Suffumigium.*

Suffumigia ad morbi gallici curationem præſcribuntur, & quàm cautè ſint adhibenda. p.171.col.2.c.d
Suffumigia morbo gallico inueterato, & aliis remediis non cedenti proſunt. ibid.c
Suffumigia ſecuriora, & mitiora minùs etiam prodeſſe ſolent. p.172.col.1.a

*Suffuſio.*

Suffuſio apud Græcos ὑπόχυμα, quiſnam affectus ſit. p 269 col.1.a.b
Suffuſio dupliciter contingere poteſt. p.270.col.1.a
Suffuſionis cauſæ, ſigna, & præſagium referuntur. ibid. col.1.d.& ſeq.
Suffuſio inueterata quandonam poſſit manuali operatione curari. ibid.col.2.b.& p.271.col.1.d.& ſeq.
Suffuſionis curatio præſcribitur. ibid.c.d
Suffuſionis curatio per chirurgiam. p.271.col.1.a.b
Suffuſio ex ventriculo procedens, quomodo curari debeat. ibid.c
de Suffuſionem patiente, & manuali operationi ſe ſubmittente, ex qua deteriùs ſe habuit, notanda traditur obſeruatio. p.271.col.1.d.& ſeqq.
Suffuſio quid ſit, & quæ ſigna eam imminentem prænuntient. p.460.col.1.b

*Suppuratio.*

Suppuratio in timoribus ex pituita ortis eſt tentanda. p.623.col.2.d

*Surditas.*

Surditas in febre maligna adueniens aliquando bonum, aliquando verò malum portendit. p.147.col.2.a
Surditas, & auditus grauitas quales affectus ſint, & à qua cauſa procedant. p.276.col.2.c.d
Surditas quot modis fiat, quænam ſint eius ſigna, & quale prognoſticum. p.277.col.1.c.d
Surditatis, & auditus grauitatis curatio proponitur. ibid.

*Syncopis.*

Syncopis an ſit ſubitus virium lapſus, an verò poſſit paulatim inſurgere. p.85.col.2.d
Syncopis ex toto non oritur, niſi cor per ſe, vel per conſenſum afficiatur. p.86.col.1.d
Syncopem adeſſe non poſſumus arguere ex exquiſitiore mentis acutie. p.91.col.1.c
Syncopis definitio explicatur circa illas particulas *præceps lapſus.* p.317.col.2.d
Syncopis an ſit lapſus virium animalium, an omnium ſimul. p.318.col.1.c.d
Syncopis, & animi deliquium an inter ſe differant. ibid. col.2.a.b.& ſeqq.
Syncopis aduenire poteſt nullo præcedente animi deliquio. p.320.col.1.a.b
Syncopis, & deliquium animi ex ſpirituum retractione, & horum defectu effici poſſunt. p.319.col.2.b.c
Syncopis cauſæ referuntur. p.320.col.1.c.d.& ſeqq.
Syncopis quare non adueniat in omnibus febribus ardentibus. ibid.col.2
Syncopis ſigna, & prognoſticum: vbi de ſyncope ſtomachica. p.321.col.1.b.c.d
Syncopis curatio in acceſſione. ibid.col.2.a.b
Syncopis ex humoribus crudis, aut ex bile, aut aliis cauſis ortæ curatio. ibid.c.d.& ſeqq.

*Synochus.*

Synochus ſine putredine eſt febris humoralis à ſanguine dependens, qui in facto calorem præter naturam ſuſtinet. p.22.col.2.c
Synochus febris diaria dicitur, non ratione identitatis cauſæ, ſed propter ſimilitudinem accidentium. ibid.d

*Syrupus.*

Syrupi pro humorum præparatione ad febris malignæ curationem deſcribuntur. p.151.col.1.b.c
Syrupi ad gallici morbi reliquias conterendas quomodo parandi. p.172.col.2.a
Syrupus nomen græcum eſt potionem ſignificans. p.193.col.2.b
Syrupus alius ſimplex, alius compoſitus. ibid.
Syrupis quomodo, & quo tempore vti conuenienter poſſimus. ibid.c.d
Syrupi varij ad varia referuntur. p.194.col.1.a.b.c.d
Syrupus ad epilepſiæ curationem valde conducens deſcribitur. p.229.col.1.b.c
Syrupus magiſtralis vtilis ad curationem paralyſis. p.245 col.1.a
Syrupus magiſtralis ad aſthmatis, & difficilis reſpirationis curationem. p.298.col.1.a.b
Syrupus Principis vnde ita dictus, & qualis ſit eius compoſitio. p.328 col.1.d
Syrupus peti ex Quercetano deſcribitur, & quibus affectibus conueniat. p.504 col.1.a.b
Syrupi varij ad hydropis curationem proponuntur. p.516.col.2.d.& ſeq.
Syrupus Mercati ad vrinæ ardorem, & difficultatem vtilis deſcribitur. p.607.col.2.b
Syrupus mirabilis ad paulatim euacuandum. p.623. col.1.d
Syrupus magiſtralis ad obſtructiones, & ad flatus reſoluendos, & ad pectus vtilis. p.628.col.2.d

T.

*Tabacus.*

Tabaci præparatio neceſſaria eſt, aliter nocet. p.551. col.2.c.d
Tabacus qualiter ſit triturandus, vt ſorbeatur per nares, aut aliis partibus adhibeatur. p.553.col.1.d
Tabacus hora matutina eſt aſſumendus. ibid.col.2.b
Tabaci fumus ad phthiſim vtilis. ibid.c
ex Tabaci peruerſo vſu quæ ſequantur incommoda. p.553.col.2.d.& ſeqq.
Tabaci vſus inutilis omnes potentias rectrices, & viſum lædit. p.555.col.1.c.d.& ſeq.
Tabaci vſus immodicus an reddat homines impotentes. p.556.col.1.d.& ſeqq.
Tabacus ſteriles homines facit. p.557.col.2.c
Vide in verbo *Nicotiana.*

*Tabes.*

Tabes cauſari poteſt ex decidentia cartilaginis mucronatæ, dictæ xiphoïs. p.630.col.2.c

*Tactus.*

Tactus ſolius excedentia ſenſibilia alterant naturam, & cauſant dolorem, & non aliorum ſenſuum, & quare. p.458.col.2.c

*Tamarindus.*

Tamarindorum temperies, vſus & doſis quænam in medicamentis. p.196.col.2.d
Tamarindorum vtilitas in febribus malignis. ibid.& ſeq.

*Temeritas.*

Temeritas eſt defectus conſilij, & imprudentiæ ſpecies. p.503.col.1.b

*Temperamentum.*

Temperamentum medium dictum non differt à primis qualitatibus

qualitatibus in mixto exiſtentibus, quia eæ non habent rationem extremi. p.3.col.1.c

Temperamentum ex coalteratione partium admittitur. p.12.col.2.b

Temperamentum ſubſtantificum quid ſit, & vnde oriatur. ibid.d

Temperamentum cordis iuſtitiale confert ad viuentis conſeruationem, & actionum productionem. p.13. col.1.c

Temperamentum ſubſtantificum iecoris in hydrope ſubuertitur. ibid.col.2.a

Temperamentum innatum in noſtris corporibus duplex reperitur. p.111.col.2.b

Temperamentum ſanitatis ſubuerſum eſt in hecticis, non tamen temperamentum vitalitatis. p.112.col.1.c

*Temperantia.*

Temperantia multùm ad vitæ fruitionem, & conſeruationem confert, & quænam ſint eius officia. p.491. col.1.d.& ſeq.

*Tempus.*

Tempus veneri aptius quodnam ſit: vide in verbo *Nuptiæ.*

Tempus vnum quare magis vni ætati conueniat, quàm alteri. p.440.col.2.c

Temporum mutationes attendendæ ſunt in ciborum oblatione, & remediorum vſu. ibid.d

Temporum mutationes quomodo fiant. p.441.col.1.c

Tempus calidum & humidum ſanguini mittendo aſſeritur idoneum. p.444.col.1.d

Tempora grauidationis proportionem inter ſe ſeruant. p.535.col.1.c.d

Tempus omnia vincit, & conſumit. p.608.col.2.a.b

Temporum morbi cognitio eſt neceſſaria ad prædictionem. ibid.col.2.d

Tempora morborum ſunt veluti ætates animantium. p.609.col.1.a

Tempora morborum alia vniuerſalia, alia particularia dantur. ibid.col.1.d

Tempora morborum ſunt inſignes mutationes in morbis repertæ. ibid.& col.2.a.& p.614.col.1.a

Temporum cognitio maximè neceſſaria eſt in febribus humoralibus. p.609.col.2.b

Temporum particularium ſigna proponuntur. ibid.

Temporum morborum cognitio difficilis eſt, dum inter ſe complicantur. ibid.col.2.d

Tempora morborum vniuerſalia triplicia ſunt. p.610. col.1.b

Tempus incrementi, ſtatus, & declinationis morbi, quando adueniat. p.610.col.2.b.c

Tempora quatuor morbi exemplo inflammationis demonſtrantur. ibid.c.d

Tempora ſolutionis continui numerantur.p.613.col.1.a.b

Tempora cæcitatis, ſurditatis, & rerum ſimilarium quænam. ibid.col.1.b.c

Tempora morborum quam proportionem inter ſe ſeruent. p.618.col.2.c.d

Tempus principij morbi continet tantùm, quantùm ſtatus, & augmenti tempus. p.619.col.1.b

Tempus principij quare ſit æquale tempori ſtatus & augmenti. ibid.col.2.c

Tempus declinationis morbi non definitur, & quare. p.620.col.1.b

Temporum morbi cauſa ſuperior ſtabilitur. ibid.c

Vide in verbo *Declinatio.*

*Teneſmus.*

Teneſmus qualis affectus ſit, & in quo à dyſenteria differat. p.350.col.1.b.c

Teneſmi cauſæ, ſigna, & prognoſticum. ibid.d.& col.2.a

Teneſmi curatio diuerſa ſecundùm diuerſitatem cauſarum à quibus procedit. ibid.col.2.b.c.d

*Terebinthina.*

Terebinthinæ quænam virtus ſit, & in qua forma & doſi ea vti poſſimus. p.198.col.2.b

Terebinthinæ vſus ad curationem calculi, & qualis ſit vtilior. p.386.col.1.d

*Teres.*

Teretes quid ſint, & vbi generentur: vide in verbo *Vermis.*

*Terra.*

Terra ſamia celeriter curauit eam aſſumentes in magna quadam peſte. p.152.col.2.a

*Teſticulus.*

Teſticuli quare inter partes principes recenſeantur.p.399. in proœm.

Teſticulorum inflammatio quomodo contingat, & quomodo curetur. ibid.col.1.& 2.a.b

*Tetanus.*

Tetanus qualis affectus ſit, & an ſit vera conuulſionis ſpecies. p.257.col.1.c.d

*Theriaca.*

Theriacæ magnæ vſus in peſtilenti conſtitutione maximè vtilis. p.129.col.2.d.& ſeq.

Theriaca qualitate occultâ contra venena pugnat.p.152. col.1.d

Theriacæ ſmaragdorum compoſitio præſcribitur.p.230. col.2.b

Theriacæ ſmaragdinæ vſus, & vtilitas. ibid.c

*Timor.*

Timor quid ſit, quodnam eius obiectum, & quot eius ſpecies. p.29.col.2.b

Timor quomodo verſari poſſit circa obiectum diſſentaneum futurum, cui difficilè reſiſtere poſſumus. ibid.d. & ſeqq.

Timor dupliciter poteſt reſpicere bonum, quatenus habet habitudinem ad malum. p.30.col.1.a.b

Timor ſubitus aliquando febrem quartanam curare potuit. p.97.col.2.d

Timor retroceſſus humorum ad intra ſolet eſſe cauſa, & ad extra. p.487.col.1.d.& col.2.c.d

Timor poteſt eſſe mortis occaſio. ibid.col.2.b

Timor & triſtitia qua ratione in melancholia hypochondriaca ſuperueniant. p.492.col.2.d

Timor eſt de malo arduo; timiditas verò impotentiam timentis arguit. p.502.col.2.d.& p.503.col.1.a

ex Timore, etſi magno, non ſemper excitatur alui fluxus. p.581.col.1.a

*Tophus.*

Tophi ex humore arthritidem cauſante procreati quomodo curandi. p.436.col.1.a

*Torpedo, & Torpor.*

Torpedo marina quâ ratione ſtuporem cauſet. p.494. col.1.c

Torpore affecta pars quare formicationem ſentiat. ibid. col.1.d

*Tranquillitas.*

Tranquillitas ex euacuatione, quæ non ſedat febrem, eſt ſignum mortis. p.446.col.1.b

*Tremor.*

Tremoris deſcriptio, & definitio deſcriptiua. p.261. col.1.a.b

Tremor quis morbus ſit, & quænam eius cauſæ. ibid. col.1.c.d

Tremoris curatio proponitur. ibid.col.2.c.d

Tremor cordis quis affectus ſit, & an propriè tremor dicatur. p.317.col.1.b.c.d

Tremoris cordis curatio proponitur. ibid.col.2.a.b.c

*Triſtitia.*

Triſtitia eſt motus appetitus circa malum, vel diſconueniens adeptum. p.29.col.1.c

Triſtitia & dolor, quomodo inter ſe differant. ibid.d

Triſtitia quid ſit, & cuius potentiæ paſſio ſit. p.492. col.1.d.& ſeq.

Triſtitia, & timor qua ratione in melancholia hypochondriaca ſuperueniant. p.492.col.2.d

*Trituratio.*

Trituratio indebitè facta vim medicamenti deſtruit. p.551.col.2.d

Triturationis neceſſitas in medicamentis triplex aſſignatur. p.552.col.1.a

Trituratio fieri debet in ordine ad partem, in quam medicamentum peruenire debet. ibid.col.1.b

in Triturationibus herbarum quidquid lignoſum eſt abiiciendum. ibid.c

in Trituratione eſt attendendus ſubſtantiæ modus medicamenti, & pars in quam medicamentum debet operari. ibid.col.1.d

Vide in verbo *Medicamentum.*

*Tuberculum.*

Tuberculorum nomine morbillos & variolas ſignificare voluere Hippocrates & Galenus, quæ inter morbos pueriles annumerant. p.159.col.1.d.& ſeq.

Tubercula parua duo in facie cum pruritu orta duos ſacerdotes intra vigintiquinque horarum ſpatium enecant. p.464.col.1.c.d

Tubercula prædicta non fuere carbunculi, veneni tamen potentiſſimi vim habebant, licèt latentis.ibid.& ſeq.

Tuberculis prædictis affecti, quare tam citò ad obitum perducti ſine doloribus. ibid.col.2.d.& ſeq.

Tuberculorum prædictorum curatio. p.465.col.2.c.d.& ſeq.

*Tumor.*

Tumor pedum noctu adueniens, à qua cauſa procedat. p.492.col.1.b

Tumores inueterati an petant deriuationem potiùs quàm euacuationem. p.590.col.2.c

Tumor poteſt habere plures ſtatus. ibid.d

Tumorum pendentium à pituita plures differentiæ traduntur. p.621.col.1.c.& ſeqq.

Tumorum toto genere præter naturam differentiæ. p.622.col.1.b

Tumorum præter naturam cauſæ variæ ſtatuuntur. ibid.col.2.a

in Tumoribus quare generentur lapides, & alia longè à natura aliena. ibid.b

Tumorum variæ ſpecies, & ſigna. ibid.d.& ſeq.

ad Tumorum curationem remedia particularia traduntur. p.623.col.1.d

in Tumorum curatione remedia non debent eſſe nimis reſoluentia. ibid.col.2.d

vt Tumorum curatio tutò fiat, tria potiſſimùm requiruntur. p.624.col.1.c

*Turbith.*

Turbith, ſeu turpetum quid ſit, quibus affectibus conferat, & in qua doſi exhibendum. p.199.col.1.d

*Tympanitis.*

Tympanitis quænam ſit hydropis ſpecies: vide in verbo *Hydrops.*

Tympanitis curatio præſcribitur. p.373.col.1.d.& ſeq.

ad Tympanitis curationem adhibenda non eſt paracentheſis. p.515.col.1.c

*Typhomonia.*

Typhomania quænam affectio ſit, & à quo humore procedat. p.217.col.1.b.c.d

Typhomaniæ ſigna & curatio. ibid.& col.2.a.b.c

V.

*Vapor.*

VAporum motus nimius quomodo impediat inſomnia. p.563.col.2.d

Vapores recepti in regione calida qualiter incraſſari poſſunt. p.627.col.2.b

Vapores denſantur in loco calido denſatione locali, non verò denſatione qualitatiua. p.628.col.1.a

*Variolæ.*

Variolæ quid ſint, & quomodo à morbillis, & maculis febris malignæ diſtinguantur. p.157.col.1.d

Variolarum cauſa materialis & efficiens traditur. ibid. col.2.b.c

Variolæ omnes ferè, quamuis probè regantur, corripiunt, & quare. p.157.& ſeq.col.2.d.& ſeqq.

Variolæ non ſunt morbus hæreditarius. p.158.col.1.d. & ſeq.

Variolæ & morbilli vnde præcipuè ortum ducant. p.159.col.1.c.d

Variolæ pluries aliquos corripiunt, & quare.ibid.col.2.d

Variolæ quare in fœminis non generentur ex menſium ſuppreſſione. p.160.col.1.a

Variolarum aduenientium ſigna proponuntur. p.160. col.1.b.c

Variolæ quare frequentiùs pueros corripiant, & non ſolùm cutem, ſed etiam membra interiora afficiant. ibid.col.2.a.b

Variolæ aliquando ſalubriter, aliquando lethaliter terminantur. p.160.col.2.d

Variolæ quare multæ in manibus,& pedibus appareant, & veſtigia indelebilia in facie, labiis, & præputio relinquant. p.161.col.1.a

Variolarum & morbillorum curatio exactè proponitur. ibid.c.d.& ſeqq.

Variolæ quomodo tractandæ, dum ſuppurari incipiunt. p.162.col.2.a

Variolarum cicatrices quomodo auferendæ. ibid.c.d

*Vaſa.*

Vaſorum aquam feruentiſſimam continentium fundus quare non vrat. p.47.col.1.d

*Vena.*

Venæ ſectio qualis conueniat ad maniæ curationem. p.253.col.2.c

Venæ ſectio ex talo vtilis valde cenſetur in morbis malignis. p.419.col.2.c.d

Venæ ſectio retrò aures quomodo ſterilitatem inducere poſſit. p.404.col.2.d.& ſeq.

Venæ ſectio non benè ſuccedit, lunâ exiſtente in ſigno dominanti parti, in qua ſecatur vena. pag.445. col.1.c

Venæ cauæ ramus aſcendens breuiter deſcribitur. p.532. col.1.d

Vena interna, & externa brachij ab vno ramo originem capit, & habet æquale conſortium cum vteri venis. ibid.col.2.a

Venæ baſilicæ conſenſus cum venis vteri, in quo conſiſtat. ibid.col.2.c

Vena baſilica habet ſub ſe arteriam. ibid.

Venæ internæ ſectio confert ad morbos pectoris, & aliarum partium internarum. ibid.col.1.d

Venæ communis ſectio vtilis eſt grauidis in morbis acutis partes ſupra renes moleſtantibus. p.533.col.1.c

Venæ ſectio ex cephalica eſt remedium topicum capitis. p.533.col.1.d

Vena tali eſt ſecanda in morbis malignis cum bubonibus, & antracibus in partibus inferioribus. ibid. col.2.c

Venæ ſectio ex talo maximè eſt vtilis in morbis peſtilentibus, & malignis. p.534.col.1.c.d

Venæ ſectio vetulam inſomnem diarrhœa bilioſa laborantem ſanat. p.536.col.2.c.d

Venæ ſectio eſt virtute multiplex remedium. p.537. col.1.c.d

Venæ ſectione attenuatum ægrum curauit Hippocrates. p.537.col.2.a

Venæ ſectio an conueniat in curatione diarrhœæ. ibid. col.2.d

Venæ ſectionem renuit Galenus in pueris, & quare. p.585.col.2.b

Venæ ſectio in pueris quo tempore conueniat. ibid.d.& ſeq.

Venæ ſectio exerceri poteſt in præſentia ſuccorum crudorum ſanguini admixtorum. p.589.col.1.d

Venæ ſectio non conuenit omnibus morbis, qui pendent ex vitio in qualitate humorum. ibid.col.2.d
Venæ ſectio eſt remedium attemperans. p.592.col.2.c
Venæ ſectio quandonam ab humoribus impediatur. p.594.col.2.d.& ſeq.
Venæ ſectio differenda eſt in ventriculi cruditatibus. p.597.col.1.d
Venæ ſectio purgationem præcedere debet in morbis vtrumque auxilium petentibus. p.597.col.2.d
Venæ ſectio quandonam bilis efferueſcentiam concitet. p.625.col.2.a
Vide in verbo Sanguinis *miſſio*.

*Venenum.*

Venenum extrà appoſitum quo pacto venenum internum pellat. p.131.col.2.d.& ſeq.
Veneni definitio affertur, iuxta Galeni doctrinam. p.136.col.2.b
Venena ad tempus dari poſſunt, quia in ſuis actionibus dependent à cauſis extrinſecis, & à conditionibus, & impedimentis illarum. p.140.col.2.c.d
de Venenis tractatio Medicis vtiliſſima eſt.p.468.col.1.b
Venenum, alimentum,& medicamentum in quo differant, & conueniant. ibid.col.1.c
Venenum quid ſit, & an nutrire poſſit. p.468.col.2.b.c
Veneno poteſt quis aſſueſieri, non tamen ab eo nutriri. ibid.col.2.d
Venena qualiter à tota ſubſtantia operentur.p.469.col.1.b. & ſeq.
Veneni ſubſtantia non operatur. ibid.col.1.d.& ſeq.
Veneni ſubſtantia non mutatur, aut corrumpitur in corporibus noſtris. ibid.col.2.b
Venenum qua ratione cor peruadat, & per quas vias. ibid.col.1.c
Venenum vnum quare citiùs interficiat, quàm alterum. ibid.col.1.d
Venena in corpore genita, ſiue ore aſſumpta, qua ratione tamdiu ſine noxa occultentur. p.470.col.1.b
Venenum aſſuetum minùs afficit. ibid.c
Veneni diuiſiones duæ traduntur. p.470.col.1.d.& ſeq.
Venena operantia qualitatibus manifeſtis, & eorum ſigna proponuntur. ibid.col.2.c.d
Venena quædam operantur ſimul virtute occulta, & manifeſta. p.471.col.1.a
Venena frigida in parua mole nutrire valent. ibid. col.1.c
Venena calida an poſſint nutrire. ibid.col.1.d
Venena quædam calida nutriunt, quia alimentitia ſunt. p.471.col.1.a
an Venenum veneno curetur. p.472.col.2.d
Venenum licèt mole paruum, virtute tamen magnum valde eſt. p.509.col.1.d

*Venus.*

Veneris tempus quodnam ſit commodius, & aptius: vide in verbo *Nuptiæ*.
Veneris vſus in catarrho an poſſit eſſe vtilis. p.480. col.2.d
Venus in morbis à pituita vtilis cenſetur. p.481.col.1.b

*Ventriculus.*

Ventriculus ad medicamentorum purgantium receptionem debet eſſe exinanitus, non tamen exſiccatus. p.194.col.2.c
in Ventriculi affectibus moderatè calida ſunt exhibenda. p.328.col.1.c
Ventriculi intemperies variæ qua ratione dignoſcantur. p.335.col.1.c
Ventriculi debilitas in concoctione, quomodo corrigatur. ibid.col.1.d.& ſeq.
Ventriculi inflatio quis affectus ſit, & quænam eius ſigna. p.336.col.1.b.c
Ventriculi inflatio quibus remediis curetur. ibid.d.& ſeq.
Ventriculi os quare cordis nomine ſignificetur apud veteres. p.331.col.1.d
Ventriculi calor quomodò deperdatur ex aduertentiâ. p.544.col.1.c.& d

*Ver.*

Ver quare bonum ab Hippocrate cenſeatur, malum verò ſi fici folia cornicis pedibus ſimilia fuerint. p.306.col.1.b.c.d
Ver eſt tempus aptius ad venæ ſectionem, & purgationem medicamento exercendam. p.440.col.1.b
Vernum tempus incipit ſole arietem ingtediente. ibid.& tribus componitur menſibus. ibid.c
Vere incipiente non eſt ſtatim ſanguis mittendus, vel expurgandum præſeruationis gratiâ. p.441.col.1.b
Ver in tres menſes diſtribuitur, & in quo magis eluceat eius temperies, determinatur. p.442.col.2.b

*Verbum.*

Verba habere naturalem vim ad morbos profligandos aliquibus rationibus defenditur, & circa hoc caſus notandus refertur. p.188.col.2.b.c.d
Verba nullam vim naturalem habent ad curandos morbos. p.189.col.1.& 2.b
Verbis ad curationem morborum confictis prolatis, & ex toto corde renunciato pacto cum dæmone, non ſequitur ſanitas intenta. p.190.col.2.d
Verba Oratorum quid poſſint in noſtra corpora. p.191. col.1.b
Vide in verbo *Incantatio*.

*Vermis.*

Vermes in rubo reperti quâ ratione proſint contra epilepſiam. p.231.col.1.d
Vermium tres differentiæ aſſignantur. p.337.col.1.a
Vermium in corpore latentium ſigna referuntur. p.358. col.1.a.b
Vermium curatio duplex per eorum enecationem, & prohibendo eorum generationem. ibid.d
Vermes enecantia plurima referuntur, & quænam ſint exteriùs admouenda. ibid.col.2.b.c.d
Vermium cauſa efficiens, & materialis aſſignantur. p.356.col.1.& 2.d
Vide in verbo *Lumbrici*.

*Vertigo.*

Vertigo affectus eſt ex proprio ſymptomate denominationem ſumens. p.233.col.1.d
Vertiginis eſſentia in quo conſiſtat, & quare in ea omnia circumagi videantur. p.233.col.2.a.b.& ſeq.
in Vertigine cerebrum eſt pars affecta. p.234.col.1.d
Vertigo tenebricoſa quomodo fiat. ibid.col.2.a
Vertigo dupliciter fit. ibid.b
Vertiginis cauſæ & ſigna. ibid.c.d
Vertiginis curatio in acceſſione, & extra acceſſionem. p.235.col.1.b.c.d
Vertiginis curatio ex ventriculo, aut vtero procedentis. ibid.col.2

*Veſſica.*

Veſſicæ vlcera à qua cauſa proueniant. p.381.col.1.c
Veſſicæ vlceratæ ſigna,& præſagium. ibid.c.d
Veſſicæ, aut renes vlcerati, quibus remediis curentur. p.382.col.1.b.& ſeqq.
Veſſicæ inflammatæ ſigna & prognoſticum. p.388. col.2.a
Veſſica inflammata quibus remediis curetur. ibid. & ſeq.
Veſſicæ ſuperuenientis tres affectus referuntur. p.605. col.1.c
Veſſicæ debilitas ex quibus cauſis procedat, & quibus ſignis deprehendatur. p.606.col.1.a

*Veſſicatoria.*

Veſſicatoria pro curatione doloris coxendicum proponuntur. p.432.col.1.c.d

*Victus.*

Victus in febris malignæ curatione qualis eſſe debeat, præſcribitur. p.148.col.1.a.b
Victus ratio præſcribitur ad febris malignæ curationem. p.154.col.2.b.c

Victus tenuiſſimus offerendus eſt in phrenitide, & alio quouis morbo ex fluxione pendente. p.209.col.2.b

Victus tenuis adaptari debet morbis acutis, & quare. p.529.col.2.d

Victus tenuiſſimus conuenit in ſtatu morbi acuti, & quare. ibid.& ſeq.

Victus in morbis inſtituitur in ordine ad morbi ſtatum. p.540.col.2.c

Victus tenuiſſimus quare conueniat in morbi ſtatu. p.616.col.1.b

*Vigilia.*

Vigiliæ, & ſomni cauſæ proponuntur: vide in verbo *Somnus.*

*Vinacea.*

Vinaceorum vtilitas ad conuulſionis curationem probata. p.259.col.1.b

Vinacea quid ſint, & quàm vtilis ſit ſudatio in vinaceis pro curatione arthritidis. p.434.col.2.b.c

*Vinum.*

Vinum parum aquâ dilutum quare magis inebriet quàm merum. p.204.col.2.c

Vinum quibus remediis poſſit citra ebrietatis periculum ebibi, & quænam illud abhorrere faciant. ibid. col.2.d

Vini albi vtilitas ad curationem ilei refertur comprobata. p.355.col.2.d

Vini generoſi potus voluulum à pillularum deuoratione ſubortum curat. p.542.col.1.d.& ſeqq.

Vinum ab Ouidio laudatur. p.545.col.1.a

Vinum modicè hauſtum calefacit; immodicè verò refrigerat. p.557.col.1.c

Vinorum differentiæ, & facultates plures referuntur. ibid.col.1.d

Vinum an ad libidinem excitet. p.557.col.2.a

*Vnum.*

Vnum indicare vnum qualiter ſit à Medicis intelligendum. p.592.col.1.b.c.d

*Violentum.*

Violentum quid ſit. p.9.col.2.b

Violentum rigoroſè ſumptum quid ſit, & quomodo differat à violento ſecundùm quid. ibid.c

ad Violenti ſecundùm quid rationem non requiritur, quod dimanet ab externo principio. ibid.d

*Vis.*

Virium hominis eſſentia in quo conſiſtat. p.86.col.1.a

Virium lapſus nomine quid intelligatur. ibid.b

Virium animalis eſſentia in quo conſiſtat. p.318.col.1.c

Vires animal gubernantes triplici generis ſunt. ibid.

Vires hominum quare robuſtiores ſint vere quàm æſtate, vel autumno. p.442.col.2.c

Vires aliquando robuſtæ permanent, præſentibus humoribus vitioſis. p.583.col.1.d

Vires ad ſanguinis miſſionem debent eſſe fortes. ibid. col.2.a

Vires non petunt venæ ſectionem, ſed ſui cuſtodiam. p.584.col.2.a

*Viſus.*

Viſus ex menſtruorum ſuppreſſione amiſſus, puluere zagualtipanis recuperatur. p.632.col.1.& 2

*Vlcus.*

Vlcerum oculorum differentiæ, cauſæ, ſigna, & præſagium referuntur. p.265.col.1.d.& ſeqq.

Vlcera oculorum quomodo curanda. p.265.col.2.c.d

Vlcus anginoſum faucium,& gutturis qualis affectus ſit, & an fuerit ab antiquis cognitus. p.285.col.1.b.c

Vlceris anginoſi definitio. ibid.d

Vlcus anginoſum faucium an cenſeri debeat morbus contagioſus. p.286.col.1.a.b

Vlcus anginoſum in quo diſtinguatur ab anthrace.ibid.c

Vlceris anginoſi cauſæ variæ referuntur. ibid.& col.2.a. b. & ſeq.

Vlcus anginoſum morbus eſt endemicus Ægyptiis, & Syriis. ibid.col.2.c.d

Vlcus anginoſum frequentiùs pueros & adoleſcentes corripit, rarò verò conſiſtentes & ſenes. p.287. col.1.a.b

Vlceris anginoſi ſigna, & quandonam penitus lethale appareat. ibid.col.1.d.& ſeqq.

Vlceris anginoſi faucium & gutturis curatio proponitur. p.287.& ſeq.

Vlceri anginoſo exſiccantia, & abſtergentia conueniunt, non verò humectantia. pag.288.col.2.d.& ſeq.

Vlceris anginoſi curatio per exteriùs admota, & alexipharmaca interiùs, & exteriùs aſſumpta. p.289.col.2. b.c.d

Vlcera pulmonis penè inſanabilia ſunt, & difficilioris curationis quàm vlcera thoracis. p.305.col.2.a.b

Vlcera vteri quibus ex cauſis contingant: vide in verbo *Vterus.*

Vlcus renum: vide in verbo *Ren.*

Vlcera veſſicæ: vide in verbo *Veſſica.*

*Vnguentum.*

Vnguentum ad iecur refrigerandum in curatione tertianarum. p.84.col.2.c

Vnguentum cordi admouendum in febris malignæ curatione. p.153.col.1.d

Vnguentum ad curationem conuulſionis valde conducens. p.258.col.1.d

Vnguentum ad lactis reſolutionem vtile, & ad motum ſanguinis ad mammas compeſcendum. p.325. col.1.b

Vnguenta ad arthritidis dolores mitigandos deſcribuntur. p.435.col.2.b.c.d

Vnguenta varia ad curationem cancri vtilia proponuntur. p.501.col.2.a.b

Vnguentum mercurij quandonam in morbis pectoris conueniat. p.503.col.2.d

Vnguentum mercurij conuulſione, lue gallicâ, & febre continua affectum ſanat. p.504.col.1.d

*Vnguis.*

Vnguis oculi, πτερύγιον apud Græcos, quis affectus ſit. p.264.col.2.c

Vnguis oculi vnde naſcatur, & quænam ſint eius cauſæ. ibid.c.d

Vnguis oculi curatio remediis, & manuali operatione perficitur. p.265.col.1.b.c

*Vnitas.*

Vnitas eadem non eſt in omnibus rebus. p.58.col.1.d. & ſeq.

*Voluulus.*

Voluulus quis affectus ſit, & an ſemper contingat in inteſtino ileo, & in quo conſiſtat eius natura. p.354. col.1.c.d.& ſeqq.

Voluulus ex omnibus cauſis poteſt accidere, ex quibus colicus dolor. ibid.col.2.d

Voluuli ſigna, & curatio varia pro diuerſitate cauſarum, à quibus procedit. p.355.col.1.a.b.& ſeq.

Voluulus ex deſcenſu inteſtini in ſcrotum procedens, qua ratione curandus. p.256.col.1.a

Voluulus à pillularum deuoratione ſubortus vini generoſi potu ſanatur. p.542.col.1.d.& ſeqq.

Voluulus quomodo ex pillulis deuoratis ortum habere potuit. p.543.col.1.a

Voluuli ſignum proprium traditur. p.544.col.1.a.b

Voluulus an poſſit fieri à flatu, quocumque humore, aut vrinæ ſtillicidio. p.545.col.1.b.c.d

*Vomitiua, & Vomitus.*

Vomitiua lenia exhiberi poſſunt in diebus acceſſionis. p.68.col.1.c

Vomitus inordinati ciborum & humorum, ad quos ſequuta eſt conuulſio, curatio. p.259.col.2.c.d

Vomitus acidi quandoque à calore, quandoque à frigiditate ventriculi oriuntur. p.260.col.1.c.d.& ſeq.

Vomitus definitio traditur, & quæ actio in eo lædatur. p.336.col.2.d

Vomitus aliquando eſt euacuatio naturalis, aliquando præter naturam. p.337.col.1.d
Vomitus cauſæ, & ſigna referuntur. ibid.col.2.c.d
Vomitus, & nauſeæ curatio varia proponitur. p.338. col.1.& 2. & ſeq.
Vomitum vomitu curat Auic. & dolorem dolore auferre iubet Hippoc. p.446.col.2.a
Vomitus fæcum voluulo ſuperueniens eſt ſignum mortale. p.543.col.2.d
Vide in verbo *Nauſea.*

*Voluptas.*

Voluptas & dolor, quomodo in doctrina D. Thomæ dici poſſint contraria. p.458 col.2.d
Voluptatis plures ſpecies referuntur. ibid.& ſeq.

*Vrina.*

Vrinæ & ſudoris eadem eſt materia, corpore exiſtente ſano, ſecus tamen eo malè affecto. p.57.col.1.c
Vrinæ quales appareant in febre maligna, & quomodo ex eis decipiantur Medici. p.145.col.2.c
Vrina correptorum morbillis, & variolis, qualis appareat. p.160.col.1.d.& ſeq.
Vrinæ ſuppreſſio ex vitio renum procedens dyſuriæ nomine ſignificatur. p.392.col.1.b
de Vrinæ ſuppreſſionem omnimodam patiente obſeruatio affertur. p.392.& ſeqq.
Vrinæ ſtillicidium ex imbecillitate quomodo curetur. p.397.col.1.a.b
Vrinæ incontinentia qualis affectus ſit, & quæ eius cauſæ, & ſigna. p.397.col.1.d.& ſeqq.
Vrinæ incontinentia quare frequentiùs pueris, & ſenibus contingat. p.398.col.1.a
Vrinæ incontinentia quibus remediis curetur.ibid.col.1. c.& ſeq.
Vrina quid ſit, & quænam eius materia. p.569.col.2.b
Vrinæ ſuppreſſio, & illius difficilis exitus in quo differant, & quomodo curentur. p.605.col.1.d.& ſeqq.
Vrinæ difficultas quibus ex cauſis procedat, per varia ſigna deprehendimus, quæ referuntur. p.606.col.1.b
Vrinæ ſtillicidium quare ſic dictum, quid ſit, & quænam eius cauſæ. ibid.col.1.d.& ſeq.
Vrinæ ſtillicidium fit per veſſicæ propriam paſſionem, vel per conſenſum. ibid.col.2.d
Vrinæ ſtillicidij notæ,& curatio traduntur. p.607.col.1. & 2.a
Vrina ab initio apparet cocta in febre putrida ex ephemera orta. p.611.col.1.a
Vrinæ ſuppreſſio, quæ fit ob renum vitium,non meretur nomen *Iſchuriæ*: vide in verbo *Iſchuria.*

*Vterus.*

Vteri virtus eximia ad alliciendum ſemen, an poſſit ſupplere membri virilis breuitatem: vbi circa hoc notanda affertur hiſtoria. p.405.col.1.a.& ſeqq.
Vterus quibus de cauſis exulceretur, & quænam ſint eius exulcerati ſigna. p.413.col.1.d.& col.2.a.b
Vteri vlcera qualia ſint, quomodo dignoſci poſſit. ibid. col.2.b
Vteri vlcera quibus remediis curari poſſint. ibid.col.2.c. d. & p.414.col.1.a.b.c
Vterum prolabi quid ſit, ex quibus cauſis id contingat, & quomodo talis prolapſus curandus. ibid.col.1.d.& ſeqq.
Vteri hydrops quomodo contingat, quænam eius cauſæ, & ſigna, & quibus auxiliis curetur. p.415.col.1. a.b.& ſeq.
Vteri clauſura quotupliciter contingat, & quibus ſignis deprehendatur. ibid.col.2.b.c
Vterus naturaliter clauſus manuali operatione eſt aperiendus, & qualiter. ibid.col.2.d.& ſeq.
Vteri clauſura accidentalis quibus remediis curetur. p.416.col.1.b
Vteri præfocatio vnde proueniat: vide in verbo *Hyſterica affectio.*
Vterus naturaliter odoriferis delectatur, & fœtida fugit. p.418 col.2.b.c
de Vterinis affectibus vexata cum febre maligna, obſeruatio traditur. p.419.col.1.d.& ſeq.
Vteri anguſtia an debeat inter cauſas aborſus recenſeri. p.424.col.1.a.b
Vteri anguſtia an poſſit eſſe cauſa partus naturalis.p.426. col.2.c
Vterus habet plurimas, & grandes venas.p.540 col.1.c.d
in Vteri præfocatione ſine febre dolor ægram infeſtat ſecundùm occiput. ibid.col.2.a

*Vulnus.*

Vulnera quædam curatione maiora efficiuntur, quæ melius eſſet non tetigiſſe. p.461.col.2.a.b
de Vulnere in crure inflicto, ex quo vulneratus memoriam amiſit. p.461.col.2.c.d.& ſeq.

## X.

*Xalapa.*

Xalapa quid ſit, & an ea tutò, & in qua doſi vti poſſimus. p.198.col.1.c

*Xiphoïs.*

Xiphoïdis decidentia ventriculi debilitatem,nauſeam,& vomitum cauſat. p.630.col.1.b.c
Xiphoïs, ſiue cartilago mucronata, an introrſum flecti poſſit. ibid.col.1.d.& ſeq.
Xiphoïdis decidentis ſigna, & curatio proponuntur. ibid.col.2.c.d

## Z.

*Zagualtipanis.*

Zaqualtipanis idem eſt ac xalapa: vide in verbis *Xalapa, Pulvis.*

*FINIS.*